





Tres uidit et unum adorauit. Gen. 18
Millia millium et decies centena millia Dan. 7.
Omnes sunt adm
nistratorij spiritus.
Ecce Angelus domini de coelo. Gen. 22.
Misit nos ut perdamus illos. Gen. 19
STEPHANI BVBALI
DE CANCELLARIIS ROMANI
E SOCIETATE IESV
COMMENTATIONES ANGELICAE
Duxit et reduxit sanum Tob. 12
Interficite usque ad internecionem
Teodoro Cruger Sculp.

STEPHANI BVBALI DE CANCELLARIIS


ROMANI, E SOCIETATE IESV, SACRÆ THEOLOGIÆ in Romano Collegio Professoris

COMMENTATIONVM ANGELICARVM

IN

Vniuersam Angelici Doctoris tractationem

DE ANGELIS



Quæ est in prima diuini operis parte à quæstione quinquagesima & deinceps

Tomus vnus.

EORVM, DE QVIBVS ANGELICVS DOCTOR, A QVÆSTIOne quinquagesima ad finem quæstionis quinquagesimæ quartæ, miro doctrinæ genere disceptauit, explicationem complectens. nempe de Angelorum substantia, seu natura, déque iis quæ proximè & primariò naturam ipsam consequuntur; hoc est, de Angelorum existentia, loco, déque ob locum motu, ac denique de prima ac præstantissima eiusdem naturæ facultate, quæ est vis intelligendi.

IN QVO

NOVO DISPVTANDI EXPLICANDIQVE CONSILIO, TVM singulorum articulorum rationes examinantur, cæterísque præferuntur; tum etiam quæcunque ex Patrum oraculis, ex præcipuorum Theologorum, omniúmque fermè veterum Philosophorum, Platonis præsertim, atque Aristotelis, eorúmque veterum interpretum effatis, adduci potuerunt, suis ipsorum verbis fideliter afferuntur, accuratéque penduntur.

NEC NON

IN QVO POTISSIMVM ELABORATVM EST, VT QVÆCVNQVE OBLATA, in ipsarum disputationum cursu, occasione; quàm altè, sapientérque iidem omnes Philosophi, in primísque Aristoteles ac veteres Peripatetici, de omni generatim intelligente substantia, speciatimque de libera Dei voluntate, ac de hominis animo senserint, suis quoque metipsorum prolatis in medium verbis, aduersus huius laudis euersores, qui hoc etiam sæculo in humanæ vitæ perniciem vigent, stabiliatur.

NVNC PRIMO LVCEM VIDET, INDICIBVS cùm necessariis, tum vtilissimis illustratus.

LVGDVNI,

Sumptibus Iacobi Cardon & Petri Cauellat.

M. DC. XXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



SCIPIONI BVRGHESIO S.R.E. CARD. AMPLISSIMO AC SVMMO POENITENTIARIO

Stephanus Bubalus de Cancellariis Societatis IESV F.



NGELICAS has commentationes meas, in aliquot Angelici Doctoris quæstiones, quæ in prima diuini operis parte disceptantur; lucubrationem quidem non minus arduam, quàm multiplicem, inclyto nomini tuo, MAGNANIME SCIPIO, iam pridem consecrare constitui. Nec sanè ob eam dumtaxat causam, quòd luce ac splendore gloriæ tuæ collustratum opus hoc, tuíque patrocinij atque auctoritatis magnitudine, aduersùs obstrepentes communitum, emanare in apertum tutò, propagaríque posset: verùm etiam vt, quod amplitudini tuæ *De humano intellectu* pollicitus aliquando fueram, id tibi sanctissimè obseruarem, ac summa fide persoluerem. Meministi namque (nec dubito quin memineris, cùm plurimo experimento compertum omnibus sit, quàm altè tibi memoriæ insideant, quæ semel mente complexus sis) me, non paucis abhinc annis, cùm meos *De humano intellectu* conatus, tibi quid ipse agerem beneuolentissimè sciscitanti aperirem, dixisse, id operis in nullius nomine præclarius apparere posse, quàm tuo. Quid enim magis consentaneum videri potest, quàm vt quod ab exortu suo, nascenti tunc primùm felicitati tuæ nomen dedit, ideóque natali iure tuum est non alienis, sed tuis tanquam veri domini sui decoretur insignibus, præsidiis muniatur tuis, tua tam splendida fulgeat clientela? Quippe iam inde ab ineunte adolescentia tua, cùm videlicet integro triennij spatio, tyrocinium tuum specie quidem adolescentis, re tamen ipsa senili prudentia, summáque supra eius ætatis captum indole instructum, philosophicis Peripateticorum disciplinis imbuendi cura, mihi magno Dei beneficio incumbe-

bat; Túque vnà cum Ioanne Baptista Lenio tuncquidem optimo adolescente, nunc verò Cardinali, & multis nominibus claro, & tibi sanguinis necessitudine, vitæ societate studiorúmque imitatione coniuncto, nonnullam eiusdem operis partem, incredibili, vt tibi moris erat, in studendo constantia, è meis prælectionibus hauriebas: iam inde, inquam, nescio quo impulsu pręsagiebat animus, fore aliquando, vt dicatas tibi amplissimis honoribus aucto, aut illas ipsas *De intellectu*, quæ se tunc in animum insinuabant tuum, aut certè dignioris argumenti molitiones meas, quarum eo tẽpore primordia ordiebar, agnosceres. Enimuerò tanta tui ingenij animíque præstantia, tam propensa ad omnem Christianam honestatem voluntas, tantum artium optimarum studium, quod præsertim in tanta sanguinis siue materni, siue paterni claritate adeò rarum inter adolescentes videmus, vt si quidpiam tale contigerit, prodigij loco habeatur; eam mihi de tuis futuris laudibus exspectationem commouebant, ex qua non semel tibi multísque prædicerem (me autem vera, non ficta, narrare, non alium quàm teipsum testem posco) quantam tibi olim allatura esset honorũ & gloriæ messem, quæ tam liberaliter à Deo bonorum largitore sata in te erat cælestium munerum seges. Quo etiam factum est, vt ego tanto acriùs te in honestissimarum disciplinarum curriculo versantem, omnibus quantum in me erat doctrinarũ virtutúmque subsidiis, quàm instructissimum reddere satagerem; quanto ardentiùs, perpetuis in posterum monumentis ac literis meis, tantorum ornamentorum adolescentiam consignare cupiebam. Quocirca vbi præsagitionem meam non multis pòst annis exitus comprobasset, hoc est, vbi diuina Pauli V. P.O.M. auunculi tui, qui te optimis legibus, suóque exemplo quotidie ad perpetuum decus erudiebat, sapiẽtia, omni te munerum genere dignum meritò ducens, tuam virtutibus æquè ac sapientiæ studiis florentem iuuentam, in altissimum dignitatis gradum extulisset, téque in grauissimarum curarum, quibus maximis ista tanta Imperij moles distineatur necesse est, partem asciuisset; nihil mihi antiquius fuit, quàm vt quamprimum meo illi *De intellectu* operi extremam manum imponerem, eiúsque frontem tui nominis gloria exornarem: tum ne veteris promissi constantia, fidésque reposci posset; tum etiam ne qui omnium sermone ac literis commẽdabare, eius solius à quo præ cęteris laudandus eras, de singularibus tuis laudibus scripta conticescerent. Cæterùm mihi hæc ad exitum perducere meditanti illa potissima, inter eas quæ religiosæ vitæ occupationes destinantur, perpetuò obstitit difficultas, quòd theologicis studiis, quibus sedula mihi nauanda erat opera, vt meo quotidiano in Romano hoc nostro tuóque Collegio, docendæ Theologiæ muneri satisfacerem, vsque eò diu noctúque premebar, vix vt aliò verterem cogitationes meas, & si quæ huiuscemodi impedimentis & curis vacuæ relinquebantur horæ, eas labor ac lassitudo ad remissionem quietémque reuocaret. Hinc ipse cùm animi penderem, sollicitúsque diem ex die exspectarem, quánam ratione possem dilationẽ temporis

poris tantam, iam penè immoderatiùs excurrentem circũscribere; molestissimè ferebam me in dies longius prouehi, quàm mei propositi, meæque in te obseruãtiæ ac promissi ratio postulabat. Ac mihi quidem, primùm mea vetus *De intellectu* sententia, quæ fixa videbatur, labare, tum secum cogitare, versaréque se in omnem partem animus cœpit; quousque deliberanti id consilij visum est optimum, vt si mihi vnquam à docẽdi laboribus respirare liceret, deposita *De humano intellectu* cura, aliam rerum telam filo illustriore contexerem; &, quod in præsentia caput est, moram tarditatémq; iam olim instituti operis, non modò scribendi celeritate corrigerem, sed etiam argumenti vel nobilitate vel copia compensarem. Id quod tãdem, Deo benè iuuante, feliciter mihi tum accidit, cùm is qui susceptis biennio antè, nostri Ordinis gubernaculis, in eodem vniuerso Ordine, nõ maiore auctoritate eminet quàm virtute, me absoluta de Angelis materia quam eo anno gymnasia nostra auditoribus suis exponebant, ita docendi onere leuauit, vt tametsi studiis vniuersis quæ Romæ in Societatis Collegiis exercentur, pręficerer; nõnihil tamen otij, operi elaborando suppeditare potuerim. Quam occasionem & pusillum laxamenti nactus, illicò, vt puto, diuinitus mentẽ sensi stimulari meam, vt posthabitis cæteris theologicis, quæ prompta erant, argumentis, ipsorum Angelorum, quorum explicationem eo temporis puncto absolueram, quósque summa semper veneratione mihi colendos duxi, naturam eiúsque affectiones pro viribus illustrarem: sperarémque fore, vt & irriti temporis iacturã, materiæ dignitate resarcirem, & tam longam procrastinationem, rerum tractandarum copia veluti multiplicato fœnore rependerem. Quam ob causam, haud perficiendi operis, quàm beatissimas mentes venerãdi auidior, quicquid è cõmunibus religionis, priuatísque mei muneris functionibus reliquum erat temporis, id totum huic nouitiæ Angelicarum cõmentationum scriptioni trado; magnísque incœptis magnarum rerum effectricem, perseuerantiam adhibeo; donec, Deo Angelísque opitulantibus, conatui non impar responderit euentus, rémque totam vt constanter, sic feliciter pro ingenij tenuitate confecerim. Sed vtcunque processerit res, in eo tamen tanquam meæ felicitatis aliquid agnosco, quod probè sciam te, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, ex his quæ à me dicta sunt, optimè pro tua sapiẽtia perspicere, illam meam veterem *De intellectu humano* sponsionem, non mendaci fronte, aut inanibus ad gratiam compositis verbis (quod lõgè à mea natura, vitæque rationibus abhorret) tibi à me fuisse factam; sed verè itáque ex intimis sensibus ac medullis prodiisse, vt magis ex animo esse non potuerit: siquidem si promissi quasi æris alieni dissolutio, in hoc vsque tempus dilata est; non idcirco quicquam prætermissum est, quod non habeat veram certámque, nedum probabilem, necessitatis excusationem. Harum igitur Angelicarum cõmentationum volumen primum, quod alteri illi volumini vicarium eo splendidius substituo, quo diuiniùs Angelica natura hominis animo præstat, tibi ob cõmemoratos titulos iam diu debitum, non prius

in hominum conspectum,lucémque profertur, quàm gloriosi nominis tui veluti gemmea corona eius frons redimita decoretur. Quo fulgẽtissimo insigni ornatum mihi dubitandũ non est,quin ea humanitate quæ tibi propria est,& qua superiorem habes neminem,ipsum tanquam (vti verè est)tuum,tu suscepturus sis; qui tam nouo ac perinusitato comitatis atque affabilitatis genere,omniũ animos tibi concilias; vt (quod Imperatori illi magno,quondam contigit) neminem à colloquiis conspectúque tuo tristem abscedere,parum sit; nisi etiam omnes coniunctam cum ista felicitate virtutem,cum potestate moderationem, cum auctoritate lenitudinem,cum incredibili negotiorum mole parem, siue ingenij acrimoniam,siue iudicij memorięque præstantiam,siue prudentiam, iustitiam,religionem, cæterásque laudes iis præconiis efferant, quibus facilè constitui non potest,quænam ex illis anteponenda sit cæteris. Mihi verò qui te à teneris annis noui,téque diuturna & quotidiana cõsuetudine ac propè dixerim contubernio planè perspexi, nulla de virtutibus tantis clarior quàm religio atque in Deum cælitésque pietas, quam vnà cum nutricis lacte suxisse videris, eluxit. Cuius te perpetuo studio commoueri,cùm perpetua tua declararunt in res diuinas obsequia,tum verò maximè illa omni celebratione dignissima monumenta; dum tu vix ad istud dignitatis fastigium euectus, varias sanctorum ædes sacrásque basilicas tuæ tutelæ commendatas, quæ iam longa vetustate ad interitum consenuerãt,ab interitu vindicasti. Quin tanto eas magnificentiùs restituisti, atque opere nobiliore amplificasti; quanto nunc eædem basilicę verius restauratoris sui,quàm suorum conditorum nomine gloriari queunt. Quibus ex rebus apud sapientes id assecutus es,vt quamuis opibus,honorum titulis,clientelis,maximísque Regum instar maximorum bonis abundes;nihil tamen ex his magnum esse videatur,si cum his magnis quæ verè bona sunt, virtutibus comparetur tuis. Itaque vt has meas de præstantiore quàm hominis intellectu;nempe de immortalibus ab omni corporea concretione abiunctis mentibus commentationes, haud sanè perfectas ingenio, sed elaboratas industria in lucem tui nominis absque temeritatis nota euocarem, eásque qua par est reuerentia tuæ, Amplissime Cardinalis, sapientiæ repræsentarem,tua me impulit inaudita quæ in omnes semper propendet humanitas. Qua fretus dubitare,vt aiebam,non potui; quin hoc quicquid est muneris (si tamen id dicendum est munus, quod tanquam debitum, domino suo retribuitur;tamen quod tandem cunque illud sit)tuæ natum gloriæ, non aliunde ascitum, in illustrissimum conspectum tuum, non alia quàm sereni cæli ac semper nitentis facie, qua quoscunque qui te adeunt excipere soles,admissurus sis. Exploratum etenim tibi optimè est, regium planè atque adeò diuinum esse, benigno placidóque vultu,ea quamuis minuta atque exigua sint,complecti; quæ simplici candidóque animo in venerationem maiestatis ac numinis offeruntur. Quanquam, vt verum fatear,si rectè ratiocinandum sit, non desunt aliæ, eæque non infimi generis

neris causæ, quæ mihi persuadent, fore vt hos labores ac vigilias meas in Burghesianæ humanitatis sinum complexúmque recipias. Primùm quidem, quòd eo scriptionis genere vsus in hoc libro sum, quod pro acerrimo iudicio tuo vehementer tibi probari scio; qui Philosophia, qua maximè ornaris, auspice, eam adeptus es laudem, quam Plato ad rerum publicarum felicitatem exoptabat maximè: si scilicet Philosophi regnorum habenas tenerent ac moderarentur. Nam nullam planiorem philosophandi viam teneri posse arbitror, ea quam suis pressam doctissimis vestigiis & Peripateticæ doctrinæ princeps Aristoteles, & Scholasticorum Theologorum Maximus Angelicus Doctor sapientibus posteritatíque reliquerũt. Cuius præcipuè Angelici Doctoris methodum, atque ad veritatem procedendi rationem ita persequi imitaríque in hoc opere studui, vt *quantum diuersitas ingeniorum* (quæ est cuiusdam è sapientum numero sententia) *maximi & minimi patitur*, ne latum quidem vnguem, ab eius pronunciatis doctrináque discesserim. Deinde verò, quòd is huius operis auctor est, in quem plurima eaque maxima tuæ singularis benignitatis officia à te profecta sunt. Atque, vt cætera silentio inuoluam, (non enim à modestia tua impetrari permittis, vniuersa hoc loco dici) annon illud summi beneficij loco habendum est, quòd tantus vir ac talis, quantus & es & censeris ab omnibus, summis districtus negotiis, non solùm meæ humilitatis consuetudinem non aspernaris; sed tantam etiam beneuoli in me animi significationem apertè ac palàm præ te fers, vt & te mihi nonnullo familiaritatis vsu coniunctum, & caram tibi præteritorum officiorum recordationem esse fatearis? Quid illud? Quàm amplum tuæ in nostrum Ordinem vniuersum propensissimæ voluntatis argumentum? Etenim si quando de eo incidit sermo (incidit autem perquam frequenter) ea de ipso dicis ac prædicas, quæ dum nos ab egregia tua in nos beneuolentia manare cognoscimus, dici vix potest, quantopere tantæ tui animi excelsitati nos debere vbique testemur. Ergo cùm mihi à tua benignitate duplex sit meæ in te obseruantiæ authoramentum, priuatum scilicet, & publicum; ingratus planè sim, nisi ipse præ cæteris, & meis priuatis obsequiis impensiùs gloriæ tuæ faueam, & memorem beneficiorum animum omnium nostrum, non in æs aut saxa, sed in monumenta, si fieri possit, æternæ laudis incidam. Postremam non postremo loco causam, ex nobilissima præsentis operis materia, obiectáque re accersam; quam dixeram antè, esse mentes illas præstantissimas diuinæ voluntatis administras, proinde rerum omnium præsides optimos, quorum opera, vt è Sanctorum oraculis A. Doctor ostendit, quæcunque in hoc aspectabili Mundo geruntur, eueniunt. Horum Angelorum vigilantissimis excubiis pro immortalibus ipsorum in te promeritis, SCIPIO CARDINALIS AMPLISSIME, tantum debere te, nosse debes; quot & quanta bonorum, quibus te diuina liberalitas circumfluere voluit, in te genera deriuantur. Idcirco namque Angeli, tibi in hac tui custodia tanquam in

ſpecula à Deo Opt. Max. collocati ſunt, vt infantiam tuam firmiſſimis præſidiis communirent,vt in pueritiam tuam ſumma ſpe præditam, ea pietatis virtutúmque cæterarum ſemina iniicerent,quę vberrimum fructum in reliquum tempus emitterent; vt adoleſcentiam non paucioribus virtutum, artiúmque optimarum auxiliis adornarent, quàm quæ virtutes animo insererent altiùs,eúmque ad omnem laudem excitarent; ne tu quicquam præter verum decus gloriámque ſpectares;vt tibi deinceps ad rerum pulcherrimarum ornamenta contendenti, atque in auunculi tui ſummam gloriam intuenti, facem in tantis erroris atque inſcitiæ tenebris præferrent, ne aut tu in obſtantia impedimenta incurreres, aut te tam multi variíque lapſus offenderent. His profectò debes (ne omnia commemorem)quod in iſta purpuræ celſitudine tantam animi temperationem ſerues,vt quo plus tecum homines verſantur;eo ampliorem imbibant de tua moderatione ſuauitatem; agnoſcántque cuncti, quemadmodum felicitatis eſt poſſe quantum velis, ſic moderationis eſſe nolle quantum poſſis; nec minorem tibi in rerum adminiſtratione modeſtiam eſſe, quàm fuerint in promerendis honoribus ornamenta honeſtatis. His denique tutelaribus Angelis, illud tantum tuum ſilentium dum negotiis aures præbes, illum tam altum in ore pudorem dum iiſdem reſponſa reddis,ac demum quicquid præclarè ſentis, cogitas, habes, acceptum referri oportet: quando quæcunque præclarè acta ſunt, dę ipſorum conſiliorum ac præceptorum fonte fluxerunt. Quæ cùm ita ſint, SCIPIO PRINCEPS ILLVSTRISSIME, ſi ego de tua humanitate ſingulari ampliſſimóque patrocinio certus, ne ſiue perfidiæ, ſiue ingrati animi ſuſpicionem ſubirem, pro huius operis fronte celſiſſimum nomen tuum, méque in te colendo atque obſeruando nemini concedere, inſcriptum inſculptúmque eſſe voluerim;tantum abeſt vt quis id mihi vitio vertat, vt etiam huiuſcemodi officium à me ſine flagitio ſubtrahi non potuiſſe fatendum ſit. Interim feliciſſimos cæli incolas, noſtræquę felicitatis obſides, ſupplex oro atque obſecro, vt maximis virtutibus tuis ſemper faueāt magis,addántque tantis diuinis muneribus perpetuitatem, quouſque ex hac caduca vita iiſdem ducibus ac patronis, poſtquam diutiſſimè bono publico vixeris, ad æternam, quæ vera gloria eſt, tranſcribaris. VALE. Romæ Idibus Septemb. M. DCXX. Pontificatus Max. Optimíque auunculi tui anno XVI.

Mutius Vitellescus, Societatis IESV Præpositus Generalis.

CVM Commentationum Angelicarum,&c. tomum primum P. STEPHANI BVBALI de Cancellariis, nostræ Societatis Theologi, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ Kalendis Octobris, 1610.

MVTIVS VITELLESCVS.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi.

IOANNES FORERIVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque superiorum permissione imprimant: permittit IACOBO CARDON & PETRO CAVELLAT, Lugdunensibus Bibliopolis, vt librum hunc inscriptum: *Stephani Bubali de Cancellariis Romani, è Societate IESV, Sacræ Theologiæ in Romano Collegio Professoris Commentationes Angelicæ*, ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possint. Datum Lugduni die 8. April. 1622.

I. FORERIVS.

APPROBATIO THEOLOGORVM.

NOs infrascripti sacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, nos *Stephani Bubali de Cancellariis Romani, è Societate IESV, Sacræ Theologiæ in Romano Collegio Professoris Commentationes Angelicas*, perlegisse, in quo nihil fidei orthodoxæ, Catholicæ, atque Apostolicæ contrarium animaduersum. Lugduni 3. Decembr. 1621.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT Episc. Damasci.


DE VILLE.

R. D. D. Thomæ de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus inscriptum, *Stephani Bubali de Cancellariis Romani, è Societate IESV, Sacræ Theologiæ in Romano Collegio Professoris Commentationes Angelicæ*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 10. Martij 1622.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.




LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate sancitum est, ne quis in regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra decem annos, à prima editionis die computandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Stephani Bubali de Cancellariis Romani, è Societate IESV, Sacræ Theologiæ in Romano Collegio Professoris Commentationes Angelicæ*, præter IACOBVM CARDON & PETRVM CAVELLAT, Bibliopolas Lugdunenses, aut illos, quibus ipsimet concesserint. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dictorum IACOBI CARDON & PETRI CAVELLAT. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 24. Decembris, 1621.

De mandato Regis,

Signatum

THOMASSIN.

INDEX



INDEX

QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM,

QVÆSITORVM ITEM, DIFFICVLTATVM, AC

Paragraphorum huius Tomi.

QVÆSTIO QVINQVAGESIMA, QVÆ in hoc opere est prima de Angelis.

De substantia Angelorum absolutè. folio 9.

ARTICVLVS I.

a §. 4.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

ARTICVLVS IV.

ARTICVLVS V.

Quæstio quinquagesima-prima, quæ est secunda de Angelis.

De comparatione Angelorum ad corpora. 272.

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

Quæstio quinquagesima-secunda.

De comparatione Angelorum ad loca 455

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

Quæstio quinquagesima-tertia, quæ est quarta de Angelis.

De motu locali Angelorum. 562.

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

§. 2. Angelum

Quæstio quinquagesima quarta quæ est quinta de Angelis.

De cognitione Angelorum in quinque articulos diuisa 673.


ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

§. 2. Refe

ARTICVLVS IV.

ARTICVLVS V.



INDEX NONNVLLORVM ARISTOTELIS LOCORVM,

Quæ sparsim & obiter in hoc volumine explicantur.

Numerus 2. qui literam sequitur, secundam paginæ columnam indicat.

Index nonnullorum Aristotelis locorum.

Ex 4. Physicorum.

Ex 5. Physicorum.

Ex 6. Physicorum.

Ex 7. Physicorum.

Ex 8. Physicorum.

Ex 1. de Cælo.


t. 138.

Sentire

Omne



INDEX



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quæ in hoc Tomo citantur, & explicantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex

Ex nouo Testamento.

Ex S. Luca.

Ex S. Ioanne.

Ex actibus Apostol.

Ex Epistola ad Romanos.

Ex I. ad Corinthios.

Ex II. ad Corinthios.

Ex Epistola ad Galatas.


Ex Epist. ad Ephesios.

Ex I. ad Timotheum.

Ex Epistola ad Hebræos.

Ex Epist. 1. Petri.

Ex Apocalypsi.



STEPHANI BVBALI

DE CANCELLARIIS ROMANI E SOCIETATE IESV SACRÆ THEOLOGIÆ IN ROMANO COLLEGIO PROFESSORIS

In vniuersam Angelici Doctoris Tractationem


DE ANGELIS,

QVÆ EST IN PRIMA DIVINI Operis parte

A QVÆSTIONE QVINQVAGESIMA, ac deinceps

PROOEMIVM.

In quo Angelicarum Quæstionum, ac dicendorum Summa: Auctoris in hac materia exornanda Consilium, scribendi Ratio, & deinceps seruandus Ordo proponitur.



DEVM Opt. Max. secundùm omnia eius attributa, siue quæ intrinsecus ab omni æternitate ipsi diuinæ essentiæ necessariò conueniunt atque insident, vt quòd sit sapiens, immensus, infinitus, omnipotens, & cætera; siue quæ extrinsecus eidem Deo in tempore è procreatis rebus accedere intelliguntur; vt quòd ipse sit vniuersitatis conditor, omnium rerum gubernator, atque vltimus totius Mundi finis, & huiusccemodi complura; à scholastica Theologia considerari, constitutum est à nobis ex A. Doctore suprà in prooemio ad vniuersam Theologiam. Quocirca cùm in hac prima diuini operis parte vsque ad finem quæstionis quadragesimætertiæ de Deo, déque diuinis ac necessariis perfectionibus, tam quæ Deo quatenus vni in essentia, quàm quæ eidem quatenus in personis Trino tribuuntur, A. Doctor explicauerit: recto prorsus doctrinæ ordine, absolutis hisce diuinitatis disputationibus, deinceps ab initio quæstionis quadragesimæquartæ, attributorum quæ diximus extrinsecus aduenire, & quasi externa esse, tractationem subtexere idem A. Doctor aggreditur. Quippe quæ vt in suo esse, intimis illis ac necessariis posteriora, cogitatione nostra necessariò sunt; ita & in Theologica disciplina tradenda, posteriùs quam illa cognosci oportere certum est. Neque enim in dubium reuocari potest, quod egregiè monet Aristoteles libro secundo Metaphysices contextu quarto. *Vt secundùm esse vnumquodque se habet; ita etiam secundùm veritatem.* hoc est (vt dicam infrà in explanatione primi articuli sequentis Quæstionis) eodem dependentiæ, & causarum ordine secundùm quod ipsa est, res sciri cognoscique debet, si recta methodo eiusdem rei disciplina tradenda sit; vt copiosiùs ex Ari-

Explicatur cur A. Doctor, absoluta diuinitatis tractatione disputationem de creaturis ac præsertim de Angelis instituerit.

Aristoteles.

stotelæis præceptis eodem loco à nobis edocebitur. Id quod non obscurè significatum est ab eodem ipso A. Doctore eiusdem quæstionis quadragesimæquartæ initio; cùm dixit: *Post considerationem diuinarum personarum, considerandum restat de processione creaturarum à Deo.*

De his ergo secundi generis attributis diuinis primùm generatim quærit, vtrùm Deus sit causa rerum omnium effectrix, atque vltimus rerum earumdem finis. Idque in quæstione quadragesimaquarta. Deinde verò de iisdem speciatim; nempe quarum rerum sit causa effectrix & quo modo: hoc est, de rerum creatione, déque rebus quæ per creationem suum esse accipiunt: à quæstione quadragesimaquinta vsque ad libri extremum. Tandem de Deo quâ vltimus rerum est finis, hoc est, quâ ad ipsum omnia tendunt: ab exordio Primæ secundæ, ac deinceps, vt eo loco disputabitur.

Meritò autem contemplationi de Deo quatenus rerum fine, præmittit A. Doctor considerationem rerum, vt à Deo tanquam ab effectrice causa per creationem sunt. Quandoquidem priùs à suo principio efficiente res intelligitur per creationem esse; (Hanc enim creationem, ipsum rei esse supponit, tanquam viam ad ipsum.) quàm ad finem sibi destinatum tẽdere. Nam esse rei subiici cæteris debet, quæ in ipso fundamentum habeant oportet. Tendere autem ad finem habet necessariò fundamentum in ipso rei esse. Etenim res existens ad finem tendit, atque ad ipsum mouetur; Vt ita ipsa veluti ad finem progressio, tanquam suæ causæ effectus & operatio, suam ipsam eamdem causam consequatur.

Verùm de rebus à Deo per creationem procedentibus duo inuestigat. Primùm quidem generales rationes, quæ nimirum omnibus huiusmodi rebus sunt cõmunes. An scilicet sint ab æterno, An à Deo quâ bonæ, quâve malæ sunt, & cætera vsque ad finem quæstionis quadragesimænonæ. Deinde proprias peculiarésque rationes: Quam scilicet naturam habeant Angeli, homines, cœlum, & quæ in cœlo sunt; elementa eorúmque materiem, & alia: vsque ad eius libri finem; nempe vsque ad finem quæstionis centesimædecimænonæ.

Potissimam porrò inter rerum creatarum species, quæ à Deo effectore promanarunt, esse ipsam creaturam purè incorpoream ac spiritalem; id est, naturam Angelicam, nemo dubitare potest, qui quantum cæteris rebus ratione carentibus, ipsa intelligendi vis ac ratio emineat, non ignoret. Atque hæc quidem fuit causa; cur antequam de cæteris creaturis disputaret, Angelorum disputationem A. Doctor instituerit, à quæstione quinquagesima quindecim integris quæstionibus vsque ad finem quæstionis sexagesimæquartæ. Inde verò alterum creaturarum genus, quod est corporata & materialis natura ad libri vsque exitum complexus sit.

Hanc porrò posteriorem quæstionum partem distribuit bipartitò. Nam primùm naturam purè corpoream decem quæstionibus ad initium quæstionis septuagesimæquintæ considerat. Tum verò, de creatura è corpore spirituque conflata, déque iis quæ ad ipsum hominem respiciunt, in reliqua libri parte disseruit. Eo opinor consilio (quod ipse quoque subindicat initio quæstionis sexagesimæquintæ.) Vt scilicet quæ Deus sex dierum spatio à Mundi exordio procreauit, suo distingueret ordine; eáque distributis ipsorum partibus in suas, vt sic dicam tributim ac centuriatim classes locúmque reponeret. In qua sanè operum molitione conditionem postremam obtinet homo. Accedit etiam quòd communiorum considera-tio, ei quæ propriorum est, antecedit. Quod Aristoteles rectè docuerat libro Physicorum primo, in contextu quinquagesimoseptimo. Vbi: *Est*, inquit, *secundùm naturam communia primùm dicentes, sic circa vnumquodque propria speculari.* Et libro tertio contextu secundo *Posterior*, inquit, *de propriis speculatio ea, quæ de communibus est.* Cuius quidem in contexenda disciplina ordinis ratio est ea, quam modò dicebam. Quia scilicet communia, è quorum cognitione specificarum naturarum consideratio pendet, priora propriis rerum naturis sunt. In explicanda autem creatura purè corporea, pleraque homini cæterísque rebus communia considerantur; nempe materia, forma, cœlum, elementa, aliáque id genus, quæ in cæterorum corporum constitutionem conspirant, tanquam ipsorum, aut elementa aut principia: quæ omnia atque ex his mista corpora tandem hominis compositioni structuræque subseruiunt.

Aristoteles

Propositum auctori est agere de Angelis, quorum consideratio Theologis reseruatur & Cur.

Iam ex tam multis, quæ in hac prima Theologiæ parte continentur, illud tantùm in præsentia propositum nobis esse debet; vt nimirum ea tantummodo in controuersiam accersantur, quæ ad non vulgares Angelicæ naturæ substantiæque explicatus facere videbuntur. Nam quæ ad rerum æternitatem, quæ ad cœli, siderúmque coagmentationem; quæ denique ad elementa mistáque corpora, ad hominem denique ipsum referuntur; ea omnia vel suum in Philosophia naturali locum habuerunt, vel si Deo placet, nostris in easdem A. Doctoris quæstiones commentationibus reseruentur.

Et quamuis Angelica quoque substantia, in iis saltem quæ extra naturalis obiecti fines non sunt, Metaphysicam sibi contemplationem postulet; tanta tamen humanæ mentis imbecillitas est, si diuinis gratiæ auxiliis destituatur; vt pauca admodum certa, plurima verò alia

alia, non paucis inuoluta erroribus de hac nobilissima natura, in Philosophorum siue Platonicorum siue Peripateticorum, siue cæterarum quarumcumque sectarum monumentis ac literis consignata sint. Ex quo factum opinor est, vt id muneris, quantum quantum est, non modò secundùm ea quæ Theologica sunt; verumetiam quoad ea, quæ Philosophi suo sibi iure vendicant, Theologiæ scientiarum principi destinetur. Etenim cùm omnium superarum rerum, tum præsertim à materiæ concretione liberarum, perdifficilis sit cognitio, eâ potissimùm de causa, quòd à sensibus remotissimæ sunt, vt ex Aristotele habetur libro primo de Partibus animalium capite quinto; Theologi, qui cœlestibus præsidiis roborati, in Diuinitatem oculos inserere consueuerunt, magna ingeniorum perspicacitate, dum veritates è diuinis oraculis eruunt, id quoque effecerunt: vt etiam quæ citra diuinæ gratiæ terminos, naturæ intelligenti imperuia non sunt, ad stabiliendam fidem diuinitus traditam, subtiliter è naturalibus effatis examinent, copiosèque confirment. Vt vel hinc liquidò constet, Philosophicam cognitionem magna ex parte tenebricosam delitescere, & rectè inuestigari sine superna Theologiæ luce non posse. Qua de re nonnulla reperies apud nostrum Gabrielem Vasquez tomo primo in primam partem Disputatione prima capite primo & secundo.

Est ergo nobis de Angelica natura in hoc nostro opere, è reliqua prima A. Doctoris parte tractandum, ita pro viribus accuratè; nihil vt Deo fauente prætermittatur, quod Angelorum seu naturam seu affectiones illustrare quoquo modo queat.

Verùm hanc vniuersam de Angelis contemplationem quindecim vt dixi quæstionibus A. Doctor absoluit, eámque in quatuor præcipua membra distribuit; quod ex eius verbis perspicuum est in quæstione quinquagesima initio. Quo in loco ait: *Circa Angelos considerandum esse primò de his quæ pertinent ad ipsorum substantiam. Secundò de his quæ pertinent ad ipsorum intellectum. Tertiò de his quæ pertinent ad eorum voluntatem. Quartò de his quæ pertinent ad eorum creationem.* Itaque primum quidem membrum continet ea, quæ Angelorum substantiam explicant: à quæstione quinquagesima ad calcem quæstionis quinquagesimætertiæ, vt idem ipse quæstionis quinquagesimæquartæ initio docet. In altero, Angelorum intelligendi vis, & actio disceptatur; à quæstione quinquagesimaquarta ad finem quinquagesimæoctauæ. Tertium est de ipsorum voluntate; à quæstione quinquagesimanona vsque ad initium quæstionis sexagesimæprimæ. Inde denique ad finem quæstionis sexagesimæquartæ eorundem Angelorum procreationem, & quæ eam consecuta sunt diligenter examinat.

Angelicarum quæstionum summa, ac diuisio ex A. Doctore.

Rursus quoniam ad substantiam pertinet, vbi illa sit, & vbinam illa operetur (vt enim ait Aristoteles libro quarto Physicorum contextu primo. *Quæ sunt omnes in loco esse existimant, & quod non est, nusquam esse*; Vnde libro quinto Physicorum contextu octauo ait, *Quod non est, non est in loco, esset enim alicubi*) propterea in primo membro tria de ipsis Angelis considerat. Essentiam nimirum; in quæstione quinquagesima & quinquagesimaprima. Locum; in quæstione quinquagesimasecunda. Motúmque localem, qui ad locum est via; in quæstione quinquagesimatertia. Eodem modo cognitionem, in quam secundum membrum respicit, ita partitur; vt primo loco virtutem ipsiúsque actum explicet; in quæstione quinquagesimaquarta. Deinde medium, quo virtus intelligens ad cognoscendum vtitur; in quæstione quinquagesimaquinta. Tum eiusdem cognitionis obiectas res, síntne materia carentes, an secus; in quæstione quinquagesimasexta & quinquagesimaseptima. Tandem Angelorum in intelligendo modum, an scilicet omnia simul intelligant Angeli, an eadem semper, & id genus alia; in quæstione quinquagesimaoctaua. Tertium membrum adhuc bipartitum est. Vt prior consideratio sit de voluntate; in quæstione quinquagesimanona. Posterior verò de præstantissimo eius actu, qui amor est; in quæstione sexagesima. Postremo membro tria docet. Primùm quidem quo pacto Angeli in rerum naturam, conspectúmque prodierint; in quæstione sexagesimaprima. Vt ad Diuinam gratiam, æternámque gloriam se habuerint; in quæstione sexagesimasecunda. Denique quibus ex causis in peccata prolapsi sint, quæque peccatum pœna consecuta sit; in quæstione sexagesimatertia & sexagesimaquarta.

Aristoteles

Ex quibus non difficile cognosces, in hac Angelorum materia, duo præcipuè capita tractari. Substantiam nimirum, & operationes: Illam quidem à quæstione quinquagesima ad quinquagesimamquartam. Has verò tum immanentes, tum transeuntes; in quibus si rectæ ex virtute existant, meritum ad gloriam: sin ob vitium deprauatæ sint, reatus ad pœnam consistit; ab illa quæstione quinquagesimaquarta & deinceps.

In vniuersa Angelorum materia, duo potissimùm declarãtur ab A. Doctore, & quomodo.

Atque his quidem locis vniuersam ferè materiam de Angelis complexus est A. Doctor: nisi quòd quædam quæ ad Angelorum operationes illustrandas, plurimum faciunt: distulerat tanquam in commodiorem locum in quæstionem centesimam [redacted] sextam & consequentes, vsque ad quæstionem centesimamdecimamquartam. Etenim cùm omnem creaturam siue corpoream, siue corpore vacantem ac spiritalem, copiosè declarasset vsque ad finem quæstionis centesimæsecundæ; inde inuestigare sibi proponit; An & qua ratione res omnes

procreatæ ſe habeant,comparatè ad diuinam gubernationem & prouidentiam. Inter cætera autem illud inueſtigatione dignum cenſuit; An Deus ſe ſolo creaturas omnes moueat,atque adminiſtret: An verò aliis creaturis ad aliarum regimen vtatur. Quod præſtat quæſtione centeſimaquinta & centeſimaſexta. Occaſione cuius ab hac quæſtione centeſimaſexta vſque ad quæſtionem centeſimamdecimamquartam inquirit; vtrùm & qua ratione creatura ab Angelis mutetur moueatúrque. Ac primo quidem loco illud confirmare aggreditur, quod circa eam mutationem eſt,quæ in vnius Angeli tum intellectu tum voluntate à ſuperiore Angelo contingit. Quam quidem in intellectu mutationem,illuſtrationem ſeu illuminationem vocat A. Doctor in ea quæſtione centeſimaſexta. Et quia omnis illuminatio eſt locutio non tamen e contrario,vt patet ex quæſtione centeſimaſeptima articulo ſecundo;idcirco modum Angelicæ locutionis examinat,tota quæſtione centeſimaſeptima. Verum quoniam illuminare alium non eſt munus cuiuſque Angeli,ſed ſuperioris; propterea gradus,ordines, hierarchiaſq; inter ipſos Angelos aſſignat in quæſtione centeſimaoctaua & centeſimanona. Vnde tandem ad quæſtionem centeſimamdecimamquartam, quæ ſit Angelorum ſiue inter ipſos,ſiue etiam in homines,creaturáſque vniuerſas vis ac poteſtas, accuratè diſtinguit atque determinat. Atque hæc ex A. Doctore deſumpta ſint hactenus, ad optimam huius Angelicæ tractationis methodum declarandam.

Quæ ſibi auctor præſtanda hoc proponat in opere.

Nos autem, quantum pro viribus Deo auctore licebit, operam dare conabimur; vt hiſce noſtris in Angelicas Sancti Thomæ Aquinatis Doctoris nuſquam magis Angelici quæſtiones,commentationibus; duo potiſſimum præſtemus. Alterum quidem,ne hanc optimi poſt homines natos Theologi Scholaſtici doctrinam,maximis fultam veritatis præſidiis quaſi obiter delibemus; verùm ita in ea illuſtranda induſtriam noſtram ac diligentiam ſpectari velimus; vt quoad noſtrâ operâ fieri poteſt, tum ſingularum eius doctrinæ partium, tum vniuerſæ docendi rationis obſeruatione, oſtendatur: nihil hac Angelorum contemplatione inter eximia A. Doctoris monumenta; aut diſceptandi ſubtilitate,aut ratiocinationum momentis,aut eruditionis varietate,aut docendi methodo reperiri illuſtrius poſſe. Alterum verò,vt dum diſiectas præſentis materiæ quas modò recenſuimus partes, in vnum quaſi integrum corpus, voluménque redigimus; ne latum quidem vnguem à propoſita A. Doctoris methodo ac philoſophandi ratione recedamus; qua ipſe doctrinam de Angelica natura vniuerſam mirificè,& quoad poteſt ex rerum natura addiſcentibus tradit.

Cur hanc potiſſimùm de Angelis partem,ſibi explicandam cenſuerit auctor.

Tandem poſtremo hoc loco conſilium meum: cur ſcilicet hanc ipſam vnam prætermiſſis cæteris Theologiæ partibus exponendam exornandámque ſuſceperim, paucis libet aperire. Cùm paucis antè annis, conſueto docendæ Theologiæ munere in Romano Societatis noſtræ Collegio Romæ ipſe perfungerer, tractationémque de Angelis, non tam omnibus ſuis numeris abſoluiſſem, quàm pro temporis ratione (vt moris eſt in noſtris Vniuerſitatibus)meis auditoribus terminaſſem: ecce tibi noua ac repentina veteris inſtituti officiique mei mutatio exoritur. Etenim admodum R. P. N. Mutius Vitelleſchus qui non ita pridem, omnium bonorum votis, Vniuerſæ Societatis gubernacula ſuſceperat,eáinq; non minore virtutum claritate, vitæque innocentia, quàm noſtrarum legum auctoritate, aſſiduáque cura moderabatur;me in alias materias properantem,depoſita docendi ſollicitudine (ea enim ad ſenium vergens ætas nonnihil vrgeri iam cœperat) ſtudiorum, quibus quotquot Romæ degunt auditores noſtri operam nauant,vniuerſo muneri voluit eſſe præpoſitum. Quod equidem munus & curam tenuitatis meæ conſcius libenter recuſaſſem,niſi optimi Patris qui nobis Dei loco eſt, voluntati acquieſcendum fuiſſet. Sed vtut cauſa ſe habuerit: ex illo certè temporis puncto,illa meum animum cogitatio pupugit: Ne ſi cæteras ætatis meæ partes in literis ad Dei gloriam traducere conatus eſſem; extremum vitæ quaſi actum inertis Poetæ more negligerem. Quamobrem ab eo momento, diuina implorata ope conſtitui, tantum ſpatij Theologicis ſtudiis omninò dandum; quantum mihi,à publica cura ac religioſæ vitæ legibus reliquum eſſet.

Mutius Vitelleſchus Societatis IESV generalis præpoſitus.

Cæterùm tot cùm ſint præſtantiſſimæ facultatis partes, cuinam ex illis potiſſimùm mea deſudaret induſtria non liquebat. Ne ab ipſa diuinitate, ſcribendi vt par videbatur exordium ducerem,operis neſcio cuius quod moliebar reuocabat moles. A cæteriſne diuini operis partibus exordirer? At prima illa de Deo pars ac potiſſima,non poſtponenda cæteris, ſi à Deo principe vt benè ordiamur,Theologiæ primordia trahenda ſunt. Omninò omnem in partem rationes verſanti id conſilij cæteris præſtabilius viſum eſt,quod & magis è re Chriſtiana eſſet,& ad finem,quem mihi deſtinaueram commodius iudicaretur. Si videlicet quæcunque; *De Angelorum ſubſtantia,facultatibus atque actionibus,tum ex reuelatione afflatúque diuino, éque ſanctorum Patrum Theologorúmque ſummorum oraculis:tum veterum Philoſophorum decretis eſſatiſque naturæ* dici poterant,quantum Deo auſpice aſſequi poſſem;ſi non ſapienter,certè accuratè diligentique diſquiſitione in noſtros hoſce ad A. Doctoris Quæſtiones commentarios

refer

referrentur suóque ordine collocarentur. Et quanquam non me latebat, me eam prouinciam suscipere, in cuius administratione non minus mihi operosi laboris, quàm molestiæ futurum esset: (Neque enim ignorabam tam sparsas tamq; vagè disiectas sententias, in vnum quasi corpus colligere, atque ex iis omnibus vnum veluti animal integrum componere, infinitum penè tempus eruditionémque flagitare) tamen vt verum fatear, tam multa, nec vt opinor sine Dei instinctu, succurrebant animo, vt mihi pollicerer fore: vt quidquid laboris ac vigiliarum in Angelorum gloriam à me susceptum esset, id totum non modò modestiam curamque molliret, verùm etiam plurimum oblectamenti, ac iucunditatis afferret.

Id suadebat primùm mea in beatissimas mentes obseruantia; quá eas augustè colere nunquam non cupio; quarum eximiam quandam in me beneficentiam semper experior. Deinde quòd earum rerum mihi facilior promptiórque videbatur futura disceptatio, quarum inter meos docendi labores postrema pertractatio fuisset. Cùm probè scirem, non ita facilè reflorescere rerum simulachra, quæ iam pridem in animo consenuissent; promptissima verò ea esse, in quibus nuper ingenium exercuisses. Accedebat & illud, quòd licèt nostri Doctoris Angelici in omni prorsus philosophandi genere, ingenium sit planè admirabile ac penè diuinum; tamen nescio quo pacto de hac Angelorum materia adeò subtiliter solidisq; rationibus disseruisse mihi videtur: vt in cæteris magistrum sapientissimum, in his verò Doctorem verè Angelicum possis agnoscere. Etenim cùm ante ipsum, doctissimorum Theologorum huius generis scripta plerunque in subtilitatibus doctrinæque ambiguitate vagarentur: nec quæ ad Angelorum naturam ex Philosophicis transferebant nisi mutila, potiúsque coniecturis, quàm certis argumentis in medium proferrent: Ipse amplissimum huius tractationis ambitum complexus, in intima veritatis penetralia cogitationes induxit, repositósq; in difficultatum secessu sensus scrutari, ignotásque antiquitati vias posteris patere perdocuit. Vt si rectè ea, quæ de his rebus A. Doctor posteritati reliquit ponderentur; non hominis voce, sed Angelorum lingua ac sermone, præclara mentis cogitata protulisse videatur: & mirum sit non deesse Theologos qui firmissimas, & vt ita dicam, amentatas tanti Doctoris argumentationes, quasi inualidi ictus militis paruipendant. Quod nostris in singulos articulos explicationibus obseruabitur.

D. Thomæ A. Doctori laus in materia de Angelis.

Mouebat me præterea ad hæc scribenda constitutus iamdudum finis, quò hæc ipsa omnia referri posse videbantur. Destinaueram enim si DEO OPT. MAX. placuisset, vniuersè de intellectu, hoc est de substantia intelligente aliquot edere volumina, quæ diuinam, Angelicam, humanamque naturam comprehenderent. Atque ad diuinam quidem, quanto adiumento sit intelligentis creaturæ accurata cognitio, quis in dubium vertet vnquam? Si enim *Inuisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, vt ait Paulus ad Romanos 1. An non ex præclarissimarum creaturarum cognitione, Dei abdita attributa peruia homini erunt, si nobilitas creaturæ gloriam conditoris ostentat? Quorsum etenim hæc adeò præclara Dei præpotentis opera spectant; nisi, vt ait Nouatianus libro de Trinitate capite tertio (quem librum Catholicus tunc nondum lapsus scripsit) *Vt humanus animus ex manifestis occulta condiscens, de operum magnitudine quæ videret, mentis oculis artificis magnitudinem cogitaret?*

Roman. 1.

Nouatian.

Nec vt arbitror ex hac Angelica copia ad humani animi supellectilem amplificandam, impar existet vtilitas. Nam cùm quæ certissima atque in confesso omnibus sunt, viam iis quæ difficiliores habent explicatus muniant, atque aditum præparent; quantò expeditiùs ad suæ naturæ contemplationem perueniet hominis animus; cùm ob naturæ intelligendíque similitudinem ea sibi suæque immortalitati conuenire comprobabit, quæ omnium consensione euidentiùs demonstrantur in Angelis? Quod si illa in Angelico ordine palàm confitentur omnes: (intelligendi nimirum vim quá intelligendi vis est, nullo corporis adminiculo intelligentiam suam promere, eò quòd tantummodo substantiæ materiei experti ea facultas insit oporteat, proinde eam eiusdem substantiæ esse naturam, vt nulli hærere queat corpori, ideóque immortalem:) Cur hæc aliáque sexcenta ad hominis mentem referenda non sint quæ mens licèt in corpore degat dum homines viuunt, hominémque componat; tamen propterea in corpore est vt corpus animo seruiat, regatúrque nutu eius? Quorum omnium aliorúmque innumerabilium, quæ Angelis cum hominis animo communia sunt, tentabo rationem ex Philosophorum ac præsertim Peripateticorum officinis, nedum ex opulentis sacrorum auctorum thesauris, quantum tenuitas intelligentiæ meæ peruidet, explicare: conabórque materiam latè patentem, ita nec summatim perstringere, nec angustis coërcere finibus, vt in his euoluendis satis appareat, mihi nec voluntatem defuisse nec curam. Vt quantum in me erit, his veluti veritatis clamoribus vel reuocentur, vel certè excitentur ad sapientiam, quicunque inter philosophandum in iis, quæ ad intelligentes substantias spectant, à Philosophiæ ac veritatis præceptis atque institutis in varia errorum pericula declinarunt: admoneantúrque quam turpe ipsis sit, malle se Auerroistarum nescio quorum assectatores esse, quam principum veritatis.

Disputationem de Angelis, ad animi humani naturam explicandam plurimùm conferre.

In eos qui aliud dicédum esse. aiunt secũdum veram Philosophiã. aliud secundum fidem Catholicam.

Atque hinc vltima non vltimo tamen loco, horum meorum commentariorum exoritur causa. Neque enim in iis exarandis inter potissimas curas illa nobis esse debet infima, quorundam vt parum (ne quid ampliùs dicam) piam in philosophando, seu veriùs in dissentiendo licentiam retundamus: qui ad singulas penè Theologorum sententias occlamitant, *Ea dici à cucullatis. Philosophorum effata non esse. Nullo Aristoteleo testimonio fulciri: Peripateticis aliter videri: Secundùm veram Philosophiam aliud dici oportere*; & cætera. Quibus alia non dissimilia effutiunt, quæ signa aut vacillantis fidei sunt, aut etiam inclinantis ad ruinam. Eâque insipientis animi doctrinâ (vtinam non decipiendi, sed quod tolerabilius est dissentiendi studio ita Theologicæ veritatis nitorem perturbant atque contaminant, vt priùs falsitatis virus euomere non desistant, quàm arbitrentur, se auditorum, aut sua ipsorum scripta legentium animum exitiosis affectionibus infecisse.

At mortem non intulerint. Esto. Certè ex ea scribendi loquendique licentia, qua video non neminem gloriari, plurimùm incautorum hominum præsertim adolescentum pectora commouentur; quibus plerunque diuinæ fidei candor, si non penitus eripitur ex animo, tamen aculeatis hæsitationum cogitationibus cruentatur. Verùm quoniam difficillimum est, homines vel mendacissimos nihil penitus veritati concedere, solent iidem illi posteaquam Theologicas, veràsque sententias his vt ipsi arbitrantur Peripateticorum naturæque vulnificis telis oppugnarunt, tandem ad finem quasi inflictis vulneribus medicamentum de Narthecio promant, clamare: *Sed fides aliter docet.* Vt vera tandem Theologorum effata isto leuissimo dicto reuereri videantur, quorum mucrones in audientium mentes stricti, quantum in ipsis fuit, eorum omnium iugula petierunt.

Sed nihil vnquam impietas tam occultè molitur, vt id putandum sit fore semper occultum. Quæ enim ij mente non satis pia ac parum religiosa cupierunt, ea plurimorum præstantissimorum Patrum oculi, tanquam ex altissimis speculis diligenter obseruarunt. Nam sacrosancta atq; orthodoxa Lateranensis Synodus sub Leone X. huiusmodi distinctionem qua ij, aliud esse verum secundùm Philosophiam, aliud verò secundùm fidem Catholicam docent, penitus obliterauit; pœnásque in eos, qui eam in posterum vsurpassent, tanquam in impios hæreticósque constituit, his verbis; quæ iamdiu in omnium non modò Gymnasiorum: verùm etiam rectè sentientium ore ac sermone peruagari solent. *Cùm verum vero minimè contradicat*, inquit sessione duodecima in Epistola Leonis X. summi Pontificis, *omnem assertionem, veritati illuminatæ fidei contrariam, omninò falsam esse definimus; & vt aliter dogmatizare non liceat districtius inhibemus: omnibus huiusmodi erroris assertionibus inhærentes, veluti damnatissimas hæreses seminantes, per omnia vt detestabiles hæreticos atque infideles Catholicam fidem labefactantes vitandos ac puniendos fore decernimus*, & cætera.

Synodus Lateranensis.

Bellarmin.

Quæ cùm ego sæpius Christianæ Reipublicæ damna, & à viris doctissimis iisdémque pietate conspicuis, præsertim verò ab Illustrissimo ac Reuerendissimo Cardinali Bellarmino, cuius singularem sapientiam pari cum virtute coniunctam meritò mortales omnes vbique suspiciunt, accepissem; & per me non raro in quorundam scriptis voluminibus animaduertissem: Deo duce atque auspice istius generis gentem, veritati oblatrantem, obstrepentémque redarguere iamdiu in animum induxi meum. Ne ipse quamuis è Theologis minimus in tam manifestis Christianæ veritatis iniuriis conticescerem. Quamobrem cùm mihi propositum iam esset, hos meos, quales ij demumcunque, in Angelicas Angelici Doctoris Quæstiones, commentarios texere; viderémque nec rarò, nec in vna tantùm præsentis materiæ parte his de rebus disputandi occasionem, copiámque sese oblaturam; diuino fretus auxilio dandam mihi operam esse constitui; nullam vt præterirem opportunitatem, quin euidentibus planè argumentis palàm facerem, non modò veteres Philosophos, Philosophorúmque summum Aristotelem, Intelligentes has substantias, quas Catholica Ecclesia nominare consueuit Angelos, qualésque ferè eas asserunt Theologi, non negasse; verùm etiam quodam naturæ magisterio, ipsorum saltem plurimorum ingenia ita edocta fuisse; vt perspicuis verbis affirmauerint, eas atque adeò vniuersas naturas intelligentes, & immateriales, immortalésque esse; & sicut cætera, quæ in rerum natura circumspiciuntur, prima corpora, à Deo effectore præpotentis liberrimæque in agendo voluntatis fuisse procreatas.

Ex quo intelligi par erit, Primùm indignum prorsus esse, Christianam mentem diuinitus illustratam vel non perspicere, vel fateri nolle; quæ iis perspecta & planè concessa sunt, quibus sola naturæ tantas inter falsitatis ignorationisq; tenebras scintilla, prælucebat. Deinde Theologicæ veritati, sua non deesse Philosophiæ præsidia validissima, quibus tanquam columnis circumquaque dispositis, rerum diuinarum notitia fulciatur. Vt è Philosophorum placitis inter dissidentium turmas agnoscas, quàm pacatè principis scientiæ maiestas regnet ac vigeat, cui cæteræ facultates, non secùs ac auxiliares copiæ, mira consensione obsequuntur.

Hanc igitur curam suscipere ita me Deus benè iuuet aggredior; vt in his meis commentariis

tariis quoad licet, quæcunque ad Angelos spectantia, non solùm quæ Dei afflatu sanctorúmque Patrum ac sapientum Theologorum monumentis consignata sunt; verùm etiam quæ natura duce atque e præcipuorum Philosophorum libris excerpi possunt, in suum ordinem redigam atque concludam: & veluti digito ostendam: vbique ferè, mirum esse, in explicandis Angelorum & naturis, & functionibus, inter naturales disciplinas præsertim Peripateticas, Theologiámque consensum: eósque qui contradicere ausi sunt, longo tramite à recto ad veritatem itinere, vel errore vel impudentia deflexisse. Vtinam ij paulatim vel ad saniora consilia, vel ad vberiorem scientiam conualescant; atque ex insitis, & quasi consignatis in hominum animis notionibus, tanquam ex naturæ descriptis tabulis, sibi aliquando persuadeant, quod regius Vates psalmo centesimodecimooctauo non minùs veritatis, quàm diuinitatis plenus exclamat. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Adeò vt qui hæc ipsa non sentiat, sciat se effugere non posse, quominus à piis sapientibúsque viris vel de impietate, vel de inscitia, publica naturæ lege postuletur. *Psalm. 118.*

Equidem licèt probè perspiciam, me hac in re non tritas multorum philosophantium vias sequi, ideóque id muneris subire, quod maius sit, quàm quod meis humeris imponi debeat; subire tamen constituo, si non vt perficiam, quod nunc bonis, vt spero, auspiciis molior; saltem vt sapientum animos, fructuosioris laboris certos, ad perficiédum quod moliebar exsuscitem. Atque hæ sunt quæ me ad Dei gloriam rationes in hæc ipsa conscribenda, compulerunt.

Reliquum est vt antequam ad rem ipsam accedam, pauca quædam, quæ rationem ipsam scribendi, ordinémque docendi respiciunt, beneuolum lectorem admoneam. Primum est, me sacrarum literarum, Patrúmque sanctorum, Theologorum ac Philosophorum antistitum, verba ipsissima recitaturum: tum ne horum sententiis argumentísve, aliena verba suum pondus ac robur adimant; tum vt maiorem adhibeas lector dictis fidem, si sapientissimos viros non per interpretem, sed suo quasi ore loquentes exaudias. Alterum est, quod te monitum lector volo. Etsi non desunt qui putent, Philosopho adeò studendum breuitati, vt eam loco nectaris habeat; haud tamen eos latere oportere: Illud non esse longum, cui nihil redundans, nihil superfluens sit Rectè enim Poëta non inelegans alicubi dixit, *Scriptionis genus docendique ordo deinceps seruandus.*

Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere posis.

Quia vt ibidem idem auctor significat: necesse est vt pro ratione materiæ vel excrescant, vel contrahantur opera, quæ suam cum materia symmetriam, proportionémque desiderant. Quemadmodum enim accidit statuariis ac pictoribus apud quos si gigátes, quorum maxima moles est, pusilla puerorum statura figurentur; & contrà si pueri gigantum magnitudinem exæquent, id artifici vitio datur: ita quoque apud eos qui libris edendis suam industriam collocant, si causa aut materia longam tractationem non permittat, debet auctor circumcisis iis quæ extra rem vagantur, suæ causæ finibus esse contentus. Contrà verò, si seriem rerum ac disputationum colligationem, vt alia ex aliis, & omnes inter se aptè colligentur, causa deposcat; non est sapientis cursim breuitérque perstringere, quæ rationum momentis etiam atque etiam considerari, argumentorúmque pondere nunc ex antecedentibus & consequentibus; nunc ex repugnantibus atque ex adiunctis, nunc ex similibus, dissimilibúsque; nunc denique ex sapientum dictis, pronunciatísque, ad veritatis trutinam examinari oporteat. Sanè ipsa Angelicarum rerum amplitudo ac dignitas, amplissimum postulat apparatum; nec breuitatem sed copiam varietatémque conflagitat. Etenim refutare tot aduersantium falsitates; vera quibus materia abundat confirmare; sapientum quorum penè infinita sunt testimonia in medium afferre; ex veris atque in conspectu positis vera atque abstrusa (qualia sunt ferè omnia quæ Angelorum naturam proprietatésque declarant) deducere; suis quæque roborare firmamentis; hæc inquam omnia copiam argumentorum, explicationum varietatem, scribendi accuratam diligentiam, ordinem, dispositionem, tempus spatiúmque in quibus se dilatent, adeò poscunt: vt nullo modo in disputationum voluminúmque angustias, atque in verborum sententiarúmque angulos redigi queant. Accedit quòd *quemadmodum cæteræ bonæ res* inquit quidam non è populo, sed rerum doctus existimator & intelligens, *ita & bonus liber melior est, quisque quò maior.* Addit quod verissimum esse experimento ipso edocemur. *Voluminibus ipsis auctoritatem quandam & pulchritudinem adiicit ipsa magnitudo.* Haud secus ac *statuas, signa, picturas, hominum denique multorúmque animalium formas, arborum etiam, si modò sint decoræ, nihil magis quàm amplitudo commendat.* Maneat igitur satis breuia esse volumina, quæ materiæ capacitatem impleant, non excedant.

Denique quod ad stylum attinet, illam perpetuò profitebor loquendi formam, quæ temperatum mediúmque cursum teneat inter prorsus rudem, atque elegantem scribendi rationem. Vt scilicet nec planè barbarus sit, ne qui politioris sunt auris offendantur: nec omninò ad

ad verba Tulliana compositus. Siquidem res Theologica eiusmodi est, vt plerumque tritis in Philosophorum schola vocabulis explicari euulgarique oporteat. Vt in Philosophiam pecces, si veritas quæ nuda atque aperta sapientibus ostentari debet, Rhetorum pigmentis ac fucis occultetur.

Partitio totius commentationis in materiam de Angelis.

Nunc tandem vt ad quæstionum Angelicarum commentationes, quæ vtinam vbique Angelici Doctoris, eiusdémque sanctissimi sapientiâ condiantur, propiùs accedamus; Animaduerti oportet, vniuersam hanc de Angelis materiam tam multa, tam varia, támque copiosa complecti, vt non solùm vnico volumine comprehendi nequeat: verùm etiam nobis necesse sit, eam in tres partes tomósve distinguere; vt scilicet in hoc primo tomo ea solùm contineantur, quæ A. Doctor à quæstione quinquagesima ad finem quæstionis quinquagesimæquartæ complexus est. Nempe de Angelorum substantia, atque essentia; déque iis quæ omnium proximè, & primariò eam consequuntur. Cuiusmodi sunt existentia, locus, & prima omniúmque præstantissima eiusdem essentiæ facultas; quæ est intelligendi vis. In altero autem disputetur tum de naturalibus actibus, cæterisque intellectus formis; tum etiam de cæteris potentiis earúmque actibus naturalis item ordinis; vt de voluntate & aliis, si quæ sunt aliæ Angelorum vires, déque earum actibus. De quibus agit A. Doctor à quæstione quinquagesimaquinta ad sexagesimamprimam. Denique in postremo solùm ea explicentur, quæ ex principiis diuinitus reuelatis ad Angelos spectare scimus. In quo tomo concludentur illæ omnes quæstiones, quas habet A. Doctor ab initio quæstionis sexagesimæsecundæ ad quæstionem sexagesimamquintam, & rursus à fine quæstionis centesimæquintæ, ad initium quæstionis centesimædecimæquintæ. Nec plura de his quæ ad proœmium pertinent. Nunc ad contextum Angelici Doctoris, commentationésque nostras veniendum est.

Auxilium ab Angelis imploratur.

Quarum tamen, priusquam limen attingam, non prætermittam, quin in earum quasi templi Angelici vestibulo, ego vobis, ô felicissimæ eximiorum militum copiæ, innumerabilésque cœli legiones; tibíque in primis ô summe immortalis exercitus Dux atque Imperator Michaël, hos qualesdemumcunque de vestris ornamentis ac laudibus labores meos venerabundus offeram, eósque vestræ fidei, tutelæque commendem. Rationi namque maximè consentaneum videri debet, meam hanc in vestro tutissimo patrocinio industriam potissimùm conquiescere. Quando mihi vos ipsi vestro afflatu ad hoc quidquid est operis instituendum auctores, vestris auxiliis ad prosequendum impulsores, vestro demum numine, atque efficacitate ad perficiendum adiutores, toties præbuistis. Etenim si, vt ait ille, id maximè vnumquemque decet, quod suum cuiusque est maximè; sanè hæc clientela suopte iure in vestrum sinum confidenter accedet, quos maximè parentes, atque amplificatores suæ laudis agnoscit. Quin vt & tantæ claritatis amplitudo nemini perspecta non sit, & obtrectatorum tela non timeantur, gloriosi vestri nominis (longè securiùs, quàm olim cerua inscriptione Cæsaris) titulo, quasi vestro gentilitio stemmate, harum Angelicarum commentationum frontem inscribere placuit. Cùm haud ignorem, quorum Angelorum auctoritate, ac vigilantissimis excubiis, orbis vniuersi, nedum hominum commoda administrantur; eorum beneficia, beneuolentissimique patroni officium non defuturum suis: nempe quibus pro vestra, ô cœli sidera beatissima, dignitate ac gloria magna cum vestris aduersariis, veritatis disquisitione certandum est. Quamobrem tantorum patronorum subsidiis animatæ nostræ hæ commentationes, in lucem & conspectum hominum prodire non verentur; sperántque fore vt Angelico quasi satellitio cinctæ, & nullas cacodæmonum, iísque consentientium incursiones reformident, & in se ipsas illud conuerti possit, quod olim ingeniosissimus Poëta alium in finem cecinit,


Non isthic obliquo oculo mea commoda, quisquam
Limet; non odio obscuro, morsúque venenet.

Vestris ergo fretus auxiliis, ô potentissima cœlestium exercituum agmina, sic nostras commentationes aggredior.

FINIS PROOEMII.

Laus Deo, Virginíque sanctissimæ, beatissimis Angelis, sancto Stephano Protomartyri, atque omnibus Sanctis. Amen.

QVÆSTIO



QVÆSTIO APVD ANGELICVM DOCTOREM IN PRIMA DIVINI OPERIS PARTE, QVINQVAGESIMA, QVÆ IN HOC OPERE EST PRIMA, DE ANGELIS.

DE SVBSTANTIA ANGELORVM ABSOLVTE, IN QVINQVE ARTICVLOS DIVISA.

POST hæc considerandum est de distinctione corporalis & spiritualis creaturæ. Et primò de creatura purè spirituali, quæ in Scriptura sacra Angelus nominatur. Secundò de creatura purè corporali. Tertiò de creatura composita ex corporali & spirituali, quæ est homo.

Circa verò Angelos considerandum est primò de iis quæ pertinent ad eorum substantiam. Secundò de iis quæ pertinent ad eorum intellectum. Tertiò de iis quæ pertinent ad eorum voluntatem. Quartò de iis quæ pertinent ad eorum creationem. De substantia autem eorum considerandum est, & absolutè & per comparationem ad corporalia. Circa substantiam verò eorum absolutè quinq; quæruntur.

Primò, vtrùm sit aliqua creatura omninò spiritualis & penitus incorporea.

Secundò, supposito quòd Angelus sit talis, quæritur vtrùm sit compositus ex materia & forma.

Tertiò quæritur de multitudine eorum.

Quartò, de differentia ipsorum ab inuicem.

Quintò, de immortalitate seu incorruptibilitate ipsorum.

A

Explanatio & confirmatio eorum, quæ iam ex A. Doctoris contextu relata sunt.

CVr A. Doctor, tractationi quam quæst. 44. de Deo vno trinóque absoluerat, statim se rerum creationem in ipsa q. 44. & nunc in hac quæst. 50. Angelorum disputationem subtexere profiteatur; causa à nobis in procemio huius operis exposita est. Quo etiam loco seriem ordinémque totius huius Angelicæ disputationis in medium exponere, iuxta A. Doctoris mentem, non inutiliter conati sumus. Quocirca nunc reliquum
B est, vt quæ causa sit, cur idem A. Doctor ab Angelorum substantia, harum quæstionum initium sumpserit, explanetur.

Constans ac ferè perpetuus A. Doctori mos fuit, vt in tradenda rerum scientia ab iis exordium caperet, quæ earumdem rerum tractandarum tanquam principia & causæ sumi possunt. Cuiusmodi sunt ipsa rei substantia & essentia, quæ cæterorum, quæ substantiæ insunt, fons & origo est. Vnde vt optimè ait Aristoteles libro primo de Anima contextu vndecimo. *Omnis demonstrationis principium est ipsum Quid est.* Propterea
C quòd eorum omnium, quæ de substantia demonstrari possunt, eiusdem substantiæ natura ac definitio, radix atque initium est. Quòd ergo hæc docendi consuetudo constans A. Doctori fuerit, patet enumerando ferè singula apud ipsum tractationum initia.

A. Doctor.

Aristoteles.

Ita enim cum de Deo disserere incipit in quæst. 2. suprà, ab iis, quæ Deo substantialia sunt inchoat; vsque ad quæstionem 12. nempe de Dei esse, simplicitate, perfectione, &c. Inde transit ad reliqua. Vt, quomodo Deus à nobis cognoscatur, &c. Sic etiam

etiam q.28. cùm diuinarum personarum explicationem aggreditur, primùm de diuinis relationibus agit; quæ diuinas personas tanquam vltimæ differentiæ constituunt; ex q.40. art. 1. Similiter cùm infrà q.75.differit de homine, prima eius rei indagatio est, quæ substantiam hominis complectitur, nempe de hominis animo & corpore, q.75.& 76. Deinde ad potentias digreditur. Nec dissimili modo cùm Prima secundæ agere sibi proposuisset de mediis ad felicitatem, hoc est, de humanis functionibus, primo loco tanquam basim ac fundamentum ponit, Quid sit vltimus finis, & felicitas hominis; atque ita à substantia vltimi finis orditur, vt patet ibidem ex q. 1. & 2. Neque enim aliud humanæ actiones principium spectant, quàm vltimum finem, à quo primùm mouetur quicunque ad agendum excitatur: vt idem probat A. Doctor eadem Prima secundæ q. 1. art. 6. Ac ne longus omnino sim, idem videri potest in singulis ferè quæstionibus, vbi rerum ponit initia. Vt de virtutibus Prima secundæ q. 49. De peccatis q.71. De legibus q. 90. De gratia q.109. De fide 2.2. q. 1. vbi de fidei obiecto disputat, à quo fidei substantia deriuatur: De spe in quæst.17.primò quærit eius prædicata substantialia, an sit virtus, &c. Idémque dictum sit de reliquis virtutibus, quas toto eodem libro explicauit. Ob eandem causam 3.p. Incarnationis mysteria inchoat q.2.ab vnione, quæ solùm inter substantialia Incarnationis supererat explicanda, quandoquidē de humanitate ac Diuinitate, quę Christi veluti partes sunt, suo loco disputauerat priù.

Hîc tamen aduerte, tametsi ab A. Doctore initium ducatur à substantialibus, vt diximus; tamen hinc non confici, ipsum nō debere, prius quàm de cæteris substantialibus rei prædicatis agat, quærere, An res sit. Nam, vt dicam infrà in explanatione articuli in primo Notãdo, meritò cæteris omnibus substantialibus prædicatis præponitur quæstio; An ipsa substantia sit. Præterquam quòd, ipsum esse, substantialiter ac primò constituit substantiam, ac proinde non est extra substantiæ quæstionem. Vnde A. Doctor in hac quæstione quinquagesima, quæ est de substantia Angelorum, primo articulo inquirit an Angeli sint. Nam prima de ipsa re seu substantia, quæstio esse debet; An ipsa sit, vt dicam eodem Notando primo ex Aristotele. Quamobrem A. Doctor consueuit ferè vbique hanc ipsam quæstionem priùs tractare, quàm cæteras; vel peculiari articulo, si non multa sint quærenda de rei existentia, vt hîc & alibi frequenter; vel etiam peculiari quæstione, si non pauca ad eam rem spectantia declarari oporteat. Quo pacto Prima secundæ integram quæstionem 109. instituit ad explicandam gratiæ necessitatem, & 3.p. tota q.1. de conuenientia Incarnationis disputauit; & alibi cùm quæstionem *An sit* ab ipsa quæstione *Quid sit* separauit, atque distinxit. Constat ergo consuetum A. Doctori esse, vt tractandarum quæstionum initia, à rei substantia, quæ cæterorum prædicatorum origo est, ducat.

Atque hic quidem in conscribendis explicandísque disciplinis ordo aptissimus Aristoteli visus est; vt scilicet è rerum principiis ordiamur. Ob quam causam contrario vtendum esse ait ordine, cùm practicas doctrinas euulgamus, atque cùm speculatiuas. Nimirum quia seruato

A huiusmodi contrario ordine, in vtrisque à suis principiis sumitur explicatio. Siquidem practicas ordine resolutiuo, nempe à notione finis, (qui in effectricibus artibus principium est, quemadmodum in Mathematicis suppositiones sunt, teste Aristotele libr. 2. Physicorum cont. 89. & lib.7. Moralium cap. 8.) tradi oportere, ipsemet Aristoteles præcipit libr. 7. Metaphysices cont. 23. Vt si de extruendo ædificio disserendum sit, primum eius artis edocendæ principium erit, ipsa finis prænotio: id est, cognitio ac definitio ipsa domus ædificandæ, è qua deinde ad tectum, tum ad parietes, postremò ad fundamenta discurritur, vt patet ex Aristotele libr. 7. Metaphysices cont.30. & 31. vbi expressè hac de causa docet, *In syllogismis omnium principium substantia est.* Quamobrem & libros Analyticos tam qui Priores, quam qui Posteriores appellantur, & libros de Moribus resolutiuo scriptos ab ipso fuisse ordine manifestum est. Quippe Analytici Priores à Syllogismi, Posteriores à Scientiæ definitione, Morales à Felicitate (quæ res in iis libris fines earum tractationum sunt) sua primordia auspicantur, vt consideranti non dubium est. — Aristoteles — Aristoteles — B

At contrà in scientiæ speculatiuæ magisterio compositiuum ordinem seruandum esse nō solùm docet, verùm etiam suo confirmat exemplo Aristoteles libr. 1. Physicorum cont. 1. Ait enim, *Primùm determinare tentandũ, ea quæ sunt circa prima principia scientia quæ de natura est*; idcóque prima Physicæ disputationis principia tanquam fundamenta iacit; dum corporis naturalis, quæ, quot & qualia sint principia, atque elementa constituit, eodem libro à cont.6.& deinceps. Nec aliter vnquam facit nisi noua ac peculiaris causa secùs fieri postulet. Cuius rei causa ex eodem Aristotele eodem libr. 1. cont. 1. reddi potest. Ex eo namque, quòd scire est ex principiorum notitia rem cognoscere, colligit: *Manifestũ est quòd & ea quæ sunt circa principia sciētia quæ de natura est, primùm determinare tentandum.* Quasi dicat, si scientia rei alicuius ex sit, ex causarum primorúmque elementorum consideratione; prima in eadem scientia contemplatio de iisdem sit necesse est; quandoquidem nonnisi ex eorumdem cognitione scientia generatur. — Aristoteles — C — Aristoteles — D

Ex quo illud tritum pronunciatum, vt arbitror, emanauit: quod Aristoteles habet libr. 2. Metaphysices cont. 4. nimirum, *Vt secundùm esse vnumquodque se habet, ita etiam secundùm veritatem.* Hoc est, eodem dependentiæ & causarum ordine, secundùm quod res est, sciri debet. Arguit enim, si vnumquodque eorum quę causam habent, ex sua causa habet esse, & ex eadem causa habet veritatem; verissima oportet esse principia quæ cæteris causa sunt, vt sint, & vera esse cognoscantur. Quia scilicet quemadmodum ab his principiis habent vt sint, ita quoque ab iisdem fit, vt vera sint. Quare præcognoscenda principia in ipsis speculatiuis scientiis, vt quæ ab ipsis principiis quoad esse pendent, ex principiis quoq; vera esse concludantur. — Aristoteles — E

Rectè igitur vt dicebamus, A. Doctor initium disputationis Angelicæ ab Angelorum substantia ducit. Quippe omnis substantia atque essentia rei, cùm ad demonstrandas de ipsa re affectiones, fit progressio, principij locum seruat. Nam si omne accidens ab aliqua substantia origi

originem habet; ergo ex cognitione substantiæ erit vera omnium accidentium cognitio. Inde enim, vt dicebam, manat rei veritas & cognitio, vnde ipsum rei esse proficiscitur. atque idcirco dicitur ab Aristotele libr. 7. Metaphysices cont. 4. substantia accidentibus prior natura ac definitione.


Palàm ergo ex his est, rectè in Angelica doctrina primùm de Angelorum substantia quæri, quod nobis in hoc futuræ disputationis vestibulo declarandum erat. Ne quod maximè ad methodi A. Doctoris commendationem facere potest, taciti præteriremus.

Nunc ad primum Articulum veniamus. Nam quæ de cæteris quæstionibus, quæ hîc recensentur, ab A. Doctore afferuntur, meliùs singula suis locis plana fient. Sit ergo

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Angelus sit omnino incorporeus.

2. cōt. c. 46. & 50. & 1. q. 6. a. 6 co. & spiritu a. 5. & opus. 3 c. 74. & opu. 15. c. 1. * lib. 2. orth. fid. c. 3. non longe à pr.



*AD Primum sic proceditur. Videtur quòd Angelus non sit omninò incorporeus. Illud enim, quod est incorporeum solùm quoad nos, non quoad Deum, non est incorporeũ simpliciter. Sed Damasc. * dicit in libr. 2. quòd Angelus incorporeus & immaterialis dicitur quantum ad nos, sed comparatus ad Deum corporeus & materialis inuenitur. Non ergo est incorporeus simpliciter.*

*Præterea nihil mouetur nisi corpus, vt probatur in 6. Phys. † Sed Damascenus * dicit ibidem quòd Angelus est substantia intellectualis semper mobilis. Angelus ergo est substantia corporea.*

† li. 6. phys. c. 32. * Damasc. li. 2. c. 3.

Præterea Ambros. † dicit in libr. de Spiritu sancto. Omnis creatura certis suæ naturæ circũscripta est limitibus; circumscribi autem proprium est corporum. Ergo omnis creatura est corporea: Angeli autem sunt Dei creaturæ, vt patet in Psal. 148. Laudate Dominum omnes Angeli eius. Et postea subditur: Quoniam ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Ergo Angeli sunt corporei.

† libr. 1. de Spir. sanct. c. 7. in prin. tom. 2.

Sed contrà est quod dicitur in Psalm. 103. Qui facit Angelos suos spiritus.

*Respondeo dicendum, quòd necesse est ponere aliquas creaturas incorporeas. Id enim quod præcipuè in rebus creatis Deus intendit est bonum, quod consistit in assimilatione ad Deum. Perfecta autem assimilatio effectus ad causam attenditur, quãdo effectus imitatur causam secũdùm illud per quod causa producit effectum, sicut calidũ facit calidum. Deus autem creaturam produxit per intellectum & voluntatẽ, vt supra ostensum est *. Vnde ad perfectionẽ vniuersi requiritur quod sint aliquæ creaturæ intellectuales. Intelligere autem non potest esse actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ, quia omne corpus determinatur ad hic & nunc. Vnde necesse est ponere ad hoc quòd vniuersum sit perfectum, quod sit aliqua incorporea creatura. Antiqui autem ignorãtes vim intelligendi, & non distinguentes inter sensum & intellectum, nihil esse existimauerunt in mundo nisi quod sensu & imaginatione apprehendi potest. Et quia sub imaginatione non cadit nisi corpus, existimauerunt quòd nullum ens esset nisi corpus, vt Philosophus dicit in 4. Phys. * Et ex his processit Sadducæorũ error dicentiũ non esse spiritum. Sed hoc ipsum quòd intellectus est altior sensu, rationabiliter ostendit esse aliquas res incorporeas à solo intellectu cõprehensibiles.*

* q. 14. ar. 8. & q. 19 a. 4

* li. 4. phy. t. 52. & 57. t. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd substantiæ incorporeæ medium sunt inter Deum & creaturas corporeas. Medium autem comparatum ad vnum extremum videtur alterum extremum, sicut tepidum comparatum calido videtur frigidum. Et hac ratione dicitur quòd Angeli Deo cõparati sunt materiales & corporei †, non quòd in eis sit aliquid de natura corporea.

† Tertul. L. 2. de anima c. 2 Hil. cã. 5. super Matt. Gennad. de Eccl. dog. cap. 11.

Ad secundum dicendum, quòd motus ibi accipitur prout intelligere & velle motus quidam dicuntur. Dicitur ergo Angelus substantia semper mobilis, quia semper est actu intelligens non quandoque actu, & quandoque potentia sicut nos. Vnde patet quod ratio procedit ex æquiuoco.

*Ad tertium dicendum, quòd circumscribi terminis localibus est proprium corporum, sed circumscribi terminis essentialibus est commune cuilibet creaturæ tam corporali quàm spirituali. Vnde dicit Ambrosius *, in libro de Spiritu sancto, quòd licèt quædam locis corporalibus non contineantur, circumscriptione tamen substantiæ non carent.*

* lib. 1. de Spiritu sãcto c. 7. to. 4

Explanatio & confirmatio eorum quæ ab A. Doctore in huius articuli contextu dicta sunt.

RESpondet A. Doctor concedendas esse necessariò aliquas creaturas spirituales incorporeas. Probat argumento, quod adhibita aliqua paraphrasi reduci posse ad Syllogismi formam videtur hoc pacto. Nam debet in vniuerso esse ea perfectio, quam Deus in ipsius molitione intendit; nempe perfectam assimilationem effectus ad suam causam; hoc est, ad Deum ipsum. Vult enim Deus bonũ perfectum, quod in prædicta assimilatione consistit. Sed hæc perfecta assimilatio effectus ad causam, nempe ad Deum ipsum, non esset in vniuerso; nisi in ipso vniuerso essent creaturæ omninò spirituales & incorporeæ. Ergo dantur huiusmodi creaturæ omninò spirituales & incorporeæ.

Minorẽ probat: quia tunc est perfecta assimilatio effectus ad causam, cùm effectus imitatur causam, secundùm illud per quod causa gignit effectum; hoc est, cùm effectus habet idem principium agẽdi, quod ipsi causæ inest. Vt cùm calidum

lidum efficit calidũ. Quo in effectu, nẽpe calido, est idem calor, qui fuit in causa agendi principium. Ergo vt creatura in vniuerso perfectè assimiletur Deo, oportet habeat idem agẽdi principium; nempe intellectum & voluntatem, quæ in Deo principia agendi esse docuerat suprà q. 14. art. 8. & q. 19. art. 4. Sed nisi esset creatura purè spiritualis, & penitus incorporea in vniuerso, nulla haberet idem agendi principium, atque Deus; nempe intellectum, & voluntatem. Ergo nisi esset huiusmodi creatura penitus incorporea, non esset in vniuerso perfecta assimilatio effectus ad causam, nempe ad Deum.

Hanc vltimam Minorem non videtur directè probasse A. Doctor de creaturis omninò spiritualibus; sed solùm probauit; nisi essent creaturæ spirituales, non fore hanc perfectam assimilationem: quia sola creatura spiritualis agit per intellectum & voluntatem. Intelligere enim neque est actus corporis, neque alicuius virtutis corporeæ. Ergo illa creatura, quæ intelligit, est spiritualis & incorporea; ac proinde nisi esset creatura spiritualis & incorporea in vniuerso, nulla creatura haberet idem agendi principium ac Deus. In qua tamen re debuisset assumere aptam propositionem, vt ex ea inferret hanc consecutionem, nimirum, *Nisi esset creatura omninò incorporea, seu purè spiritualis, non fore idem agendi principium*; hoc nempe pacto: quia scilicet sola creatura purè spiritualis, & omninò incorporea agit per intellectum & voluntatem. Quod tamen falsum est, vt patet in hominis animo; de qua re infrà Notando vltimo.

Quæstionem An sit, cæteris præponi oportere, & cur. §. 1.

His ergo intelligendis, Notandum est primò, cùm quatuor sint quæstiones, quæ de quaque re fieri possunt ac solent, ex Aristotele lib. 2. Posteriorum analyticorum à cõtextu primo vsque ad quartum, Nimirũ, An res sit; Quid sit: Qualis sit; & Propter quid: Primam harum esse An res sit. *Cùm enim cognouerimus*, inquit ibi cont. 2. *quod est, quærimus Quid sit.* Hinc cont. 32. ibidem *Necesse est* inquit *cognoscentem quid est homo, vel aliud quodcunque, nosse etiam quod est.* Hinc etiam est vt libr. 1. etiam Posteriorum eodem cont. 2. apertè definiat, de scientiæ subiecto præcognoscendum esse, An sit. Ratio huius rei duplex est.

Altera est, quia intellectus nequit ad rei quidditatem essentiámque peruenire, nisi ex eiusdem rei affectionibus, proprietatibúsque. Nam *accidentia*, inquit Aristoteles lib. 1. de anima cont. 11. *conferunt secundum magnam partem ad cognoscendum ipsum Quid est.* Licèt autem dicat magna ex parte, tamen non negat, quin simpliciter necesse sit, ex accidentium cognitione intelligi substantiam rei. Nulla enim nobis alia relicta est via, quàm vt ex notioribus nobis ad notiora naturæ progrediamur: vt ait Aristoteles lib. 1. Physicorum cont. 2. Ergo necesse est ex accidentibus, quæ nobis notiora sunt, quàm substantiæ, quæ notiores natura sunt, in earum cognitionem deueniamus. Intellectus ergo vt inuestiget quid res est, debet priùs scire, An est: vt ita determinetur ad inuestigationem quidditatis, propriorum accidentium notitiã. Vt si inquirendum sit quid sit animus, quid calor, & cætera, sciet animi caloriśque accidentia, si sciat illas res esse: è quarum existentia per sensus, earundem rerum proprietates innotescent. Quòd si intellectus; An res sit, ignoret; anceps erit, vndenam sibi viam ad quidditatem paret. Ob quã causam Aristoteles, vt modò dicebamus ex illo cont. 32. dixit. *Necesse est cognoscẽtem quid est, nosse etiam quod est*: cùm hoc illi præuium antecedat.

Altera causa est, quia scientia, quæ est effectus demonstrationis, & cuius assignantur conditiones ibi in vtroque libro Posteriorum analyticorum ab Aristotele, est per se & primariò de obiecto vero, & reali existente. Etenim omnes scientiæ, quæ in libris Aristotelæis tam exotericis, quàm acroamaticis continentur, de obiectis sunt existentibus; vt de cœlo, de mixtis, de anima, de partibus animalium, &c. Nec circa possibiles res versatur vlla scientiæ pars, nisi secundariò & per accidens, nempe ex analogia ad res existentes, & vt meliùs earum, quæ sunt, notitia doceatur. Quomodo considerat Aristoteles vacuum in lib. 4. Physicorum: & an possint esse plures Mundi in lib. 1. de cœlo à cont. 76. ac deinceps.

Immò etiam in Theologicis id ipsum verum esse fateamur necesse est, si quæ in Theologia tractantur attentè considerabimus. Nam si pauca quædam excipias, quæ de possibili examinantur, occasione eorum quæ actu sunt, nimirum vt ea meliùs explicentur, omnia sunt de ente actu. Vt in prima diuini operis parte de Deo, de rerum creatione, de Angelis, de homine &c. In Prima secundæ de Felicitate, de actibus humanis, de eorum principiis tum naturalibus, tum supernaturalibus. In Secunda secundæ de Fide, Spe, Charitate, Iustitia, reliquísque virtutibus, quibus homo suas actiones cohonestat. In tertia denique parte de Incarnatione Verbi, de Sacramentis, & si quæ sunt alia. Primariò ergo & per se scientia omnis est de obiecto existente.

Et ratio etiam huic doctrinæ adstipulatur. Nam de ea re primariò & per se scientia esse debet, quam primariò & per se intellectus inuestigat, & in cuius notitia conquiescit. Ac primariò & per se res, quæ sunt, inuestigat intellectus: ab iis enim determinatur, vt quæstiones instituat, conficiátque argumenta ad ipsarum cognitionem; vnde & possibilia nonnisi ad maiorem eorum, quæ sunt, declarationem inquirit, vt diximus. Cùm ergo inuestigatur quid res sit, supponi oportet ipsam esse. Alioqui non possemus satis rei essentiam inuestigare; siue quia non satis determinari posset intellectus, si incertum sit, An ipsa res sit: siue quia non esset cognitio illa, quædã scientia per se & primaria. Ideo Aristoteles in eo cõt. 2. ait, *Cognoscentes quia est, quærimus quid est, vt, Quid igitur est Deus.* Non enim esset obiectum saltem primariæ veræque scientiæ, quod ei considerandum obuersaretur, nisi sciretur esse. Itaque cùm Theologia sit scientia de præstantissimis obiectis, & plurimæ eius partes scientiæ primariæ sint, qualis hæc ipsa de Angelis est, qui inter creaturas nobilissimę sunt: meritò ante cæteros de Angelorum substantia articulos, Angelum (hoc est, naturam incorpoream) esse constituit A. Doctor.

Explica

Explicatur articuli titulus, ac mens A. Doctoris in responsione defenditur. §. 2.

VT autem A. Doctoris mentem in hoc articulo declaremus,

Notandum secundò, multa in hoc articulo esse, quæ literam obscuram non parum reddere videri possunt, quę nunc declarare operępretium duco. Et primò quidem, quamuis aliter videatur in articuli corpore respondere A. Doctor, atque quærit in articuli titulo; cùm hunc tantùm titulum proponat, *Vtrùm Angelus sit incorporeus*, ex responsione autem conficiatur, esse creaturam incorpoream, ex eo quòd intelligendi volendíque potestate polleat, quæ diuersa videntur esse: tamen sine dubio hæc sibi consentanea omninò sunt, si respiciamus ad ea, quæ initio huius quæstionis ab ipso notantur. Nam nomine eius rei, quæ Angelus in Scriptura nominatur, ait se intelligere creaturam purè spiritualē. Itaque cùm concludit dari creaturam incorpoream, hoc ipso conficit, dari Angelum purè incorporeum, seu spiritualem: quia hæc, idem ex ipso A. Doctore sunt.

Præterea aduerte, aliam hîc videri diuersitatem poni in eodem titulo & corpore articuli. Cùm enim inquirat, Sitne Angelus omninò incorporeus; quæsito tamen satisfacit ostendendo, esse creaturam incorpoream, posthabita particula *omninò*. Sed facilis est huius rei explicatio: Nam incorporeum simpliciter est, quod nullo corpore constatur, ac proinde est omninò incorporeum. Vt ergo intelligeretur, quæ in articuli corpore dicuntur, eò spectare, vt substantiam simpliciter incorpoream in rerum natura dari ostēderetur, hoc in titulo præmonuit, cùm scripsit, *Vtrùm sit Angelus omninò incorporeus*, & non tantùm ex parte.

Tertiò etiam aduerte, nec videri rectè ab A. Doctore responderi ad titulum articuli. Titulus enim non est modalis, sed absolutus; Vtrùm Angelus sit omninò incorporeus: Responsio autem habet adiūnctum modum: quia ait; *Dicendum, quod necesse est ponere*, &c. Quare vt respōsio congruat quæsito, videtur debuisse vel modum tolli à responsione, vel non prætermitti in titulo. Dicendum tamen est, responsionem consentire titulo, quia licèt ipsa contineat modum, quem in titulo A. Doctor prætermisit; tamen in ipsa modali responsione, virtute continetur absoluta responsio. Si enim necessariò est Angelus, ergo Angelus est. Itaque licèt plus responderit, quàm quæsiuerit, quia tamen excessus ille non repugnat simplici responsioni, sed eam includit; ideò responsio est optima, cùm non solùm quæsito satisfaciat; verùm etiam redundanter quæstionem exsoluat. Vt si quæreretur, An Petrus sit Romæ, & responderetur, Iam est in Romano foro.

Verum est tamen, esse quosdam modos, qui si responsioni addantur, extrahunt illam ab absoluta & simplici responsione, quam non inuoluunt, immò interdum excludunt. Primi generis exemplum est; vt si quæratur, Est ne Petrus albus? diceretúrque; Possibile est, esse album: Tunc enim, cùm quæratur; An re ipsa sit albus, non satis est ea responsio de possibili, quæstioni

A ipsi, quæ factum quærit. Ex eo enim quòd possibile sit, aliquem esse album, non infertur, ipsum ita esse re ipsa, quemadmodum quærebatur. Secundi generis, &c. si quæratur: An Petrus sit vir doctus: respondeatúrque esse doctum secundùm Grammaticam, & alia huiusmodi: Tunc enim quod simpliciter nomine docti sciscitamur, est, an ille polleat scientiis, non verò an Grammaticam & similia calleat. Hi ergo modi, si responsionibus adiungantur, dissentientes reddūt quæstionibus suas respōsiones, ideóque iisdem quæstionibus per illos non fit satis.

Quartò etiam difficile est, quid quærat A. Doctor in titulo articuli. Pro qua re

Notandum tertiò est, dupliciter intelligi posse B huius articuli titulum. Vno quidem modo, vt esse incorporeum, sit prædicatum Angeli. Alio modo, vt de Angelo incorporeo prædicetur ipsum verbum *esse*, seu existere extra causas; & fiat propositio, vt dicitur secundi adiacentis: Qui sensus sunt inter se omninò diuersi. Nam in priori significatione nihil aliud quæreretur, nisi vtrùm Angelus sit incorporeus, atque ita supponeretur esse Angelus, quæstióque spectaret ad Quid sit. Sicut si quæreretur, Vtrùm lumen sit substantia, non esset difficultas sitne lumen, sed an conueniat illi ratio naturáque substantię. Posteriore verò significatione solùm quæreretur An Angelus sit in rerum natura, & supponeretur notio Angeli; nempe quòd sit substantia C incorporea, cuius esse inuestigandum proponeretur. Semper enim cùm de re quapiam prædicatum inquiritur, res ipsa subiecta supponitur, quia de ea non fit quæstio, sed an illi tale conueniat attributum. Vt enim ait Aristoteles lib. 1. Physicorum cont. 52. *Subiectum principium, & prius videtur esse prædicato.* Si prius, ergo præsupponitur.

Aio igitur in re proposita, A. Doctorem posteriore significatione intelligere tituli quęstionem: Nam id patet primò: quia hunc sensum hoc loco initio huius quæstionis quinquagesimæ expressit, dum eius cum superioribus ordinem seriémque continuat, eiusque articulorum titulos proponit. Primi enim huius arti- D culi sic habet inscriptio. *Vtrùm sit aliqua creatura spiritualis & penitus incorporea.* Quibus verbis non agit; Vtrùm Angelus sit incorporeus; quæ quæstio est in priore sensu; sed Vtrùm sit in rerum natura creatura incorporea. Deinde quia consuetum est A. Doctori ferè nusquam prætereire quæstionem *An sit res*, de qua disceptare constituit. Quem tradendæ doctrinæ ordinem ipse A. Doctor præcipit expressè suprà q. 2. a. 2. in argumento *Sed contra.* Vnde id quoque inuestigauit de Deo, cuius effectus notissimi sunt, suprà q. 2. Ergo multò magis id quærere de Angelis oportuit, qui magis in obscuritate naturæ E positi sunt, & vix dari à multis Philosophis censebantur. Tertiò quia Angeli substantiam aduersus Auicembronem & simpliciter inuestigat sequenti articulo 2. cùm ostendit, Angelos nulla prorsus materia constare. Vnde hoc explicatiùs posuit in eiusdem articuli 2. titulo in eodē quæstionis initio. Quærit enim secundo loco; *supposito quòd Angelus sit talis*; hoc est quòd talis Angelus extet, vt à primi articuli titulo non dissentiat; *Vtrùm sit compositus ex materia & forma.* Ergo substantiam eius indagat in 2. non in 1. in quo quærit an sit; atque ita superflueret, si hic quo-

que idem prorsus inquireret. Quartò quia hîc nihil aliud per se ostendit, quam dari substantias incorporeas. Nam in fine corporis huius articuli concludit ex eo, *quod intellectus est altior sensu, rationabiliter ostendi, esse aliquas res incorporeas*. Si autem concludit rationabiliter dari res incorporeas; ergo id quæsiuit; vt responsio sit Quæstioni consentanea. Quare mihi videtur vel esse mendum in hoc posteriore articuli primi titulo; quia vt verba sonant instituitur Quæstio, Non An Angelus incorporeus sit; sed An Angelus sit incorporeus, quod est contra mentem A. Doctoris, vt vidimus. Vel certè huiusmodi verba debere trahi atque transponi ad verum sensum; quem ab A. Doctore intendi diximus, nempe, *Vtrùm Angelus incorporeus, sit*. Nam vt verba iacent, alium sensum prima facie præ se ferre videntur.

Notandum denique est; licèt hîc A. Doctor conficere intendat, dari Angelos in rerum natura; tamen simul supponit, Angelos esse substantias incorporeas: Nam, vt diximus in secundo Notando, nomine *Angeli* intelligit substantias incorporeas. Dum ergo probat dari substantias incorporeas, quod prædicatum Angelo conuenire supponit, quia supponit *Quid nominis* Angeli (de subiecto enim præcognoscendum quid nominis docet Aristoteles libro 1. Posteriorum cont. 2.) supponit hoc ipso, Angelos esse substantias incorporeas. Verùm quo pacto ab A. Doctore probetur, substantias incorporeas esse. Vtrùm efficaciter; an aliter; dicam infrà in hoc ipso articulo Quæsito 3. Difficultate vltima.

Solùm hîc addendum puto, quòd non videtur facere ad rem illa propositio, quam ex A. Doctore diximus in fine eius argumenti, quod confecimus ad conclusionem articuli comprobandam, eámque huc remisimus; nempe tametsi verum sit, solam creaturam intellectualem agere per intellectum & voluntatem; non tamen ex hoc fieri, Angelum penitus incorporeum esse, vt ibi notatum est. Dicendum tamen est, rectè sequi illam conclusionem ex præmissis: Quamuis enim omiserit A. Doctor illas particulas *purè*, & *omninò*. Tamen subintelligi eas oportet, vt quod proposuit inferat; nempe Angelos, quos dixit creaturas omninò incorporeas, dari. Sic autem subintelligi debent illæ particulæ: Quia nisi esset creatura purè spiritualis nõ esset idem principium agendi cum Deo; nempe per solum intellectum & voluntatem; hoc est non per facultates corporales. Hoc enim intendebat A. Doctor, dum conficere conabatur, debere esse perfectam similitudinem cum Deo secundùm agendi principia. Hæc namque perfecta assimilatio non est in eo, quòd agat res incorporea per intellectum & voluntatem quomodocunque: nam ad hanc sufficeret animus hominis, vltra quem tamen aliam magis spiritualem, magísque incorpoream creaturam probare conatus est. Vt enim dixi Notando secundo initio, A. Doctor probare contendit, naturam dari simpliciter incorpoream.

Perfectam ergo adeò esse vult similitudinem, vt solo intellectus, ac voluntatis imperio agat; non corporeis functionibus. Sic enim rectè concluditur quod proposuit; hoc pacto probando illam minorem, de qua ibi dixeramus. Sola creatura spiritualis purè, & omninò incorporea agit solo imperio voluntatis. Nam quæ sunt aliquo

A modo corporeæ, suas functiones obeunt corporalibus instrumentis. Ergo nisi esset purè spiritualis & incorporea creatura in vniuerso, nulla creatura haberet idem principium agendi cum Deo; ita scilicet vt iis solis non organis corporeis ageret. In hac tamen re ne erremus, coniungenda sunt quæ dicemus infrà Quæsito 3. Diffic. vltima.

Quòd si quis quęrat, cur hæc ipsa, si ea A. Doctor intendebat, non expresserit? Respondeo satis ei fuisse ea apertè significasse eo modo, vt diximus. Neq; enim summam Theologicam scribenti necesse erat omnia exprimere. Significauit autem id potissimùm in illa perfecta assimilatione in agendi principio. Non enim quocunque modo id intellexit, sed modo nobiliore, B quam in homine reperiatur. Vt sic probaret esse Angelos, naturam scilicet penitus & simpliciter incorpoream, vt diximus Notando secundo initio. Cætera ad robur Angelicæ huius rationis spectantia vide Quæsito tertio, Difficultate vltima citata.

Atque hæc quidem ita declarata maneant. Illa nunc examinanda supersunt, quæ difficiliores habent explicatus, ac longè maiore indigent declaratione. Primum quidem; Vtrùm absolutè sit verum, quod in consequente continetur; Vtrùm scilicet concedi oporteat absolutè esse Angelos, vtut sit de cõsecutione ipsa ex prædictis princi- C piis demonstrata. Deinde verò; Vtrùm, & qua ratione A. Doctoris argumento validè ostendatur, quod demonstrandum in hoc articulo proponitur. Sit ergo hac in re

---

QVÆSITVM PRIMVM,

Vtrùm absolutè concedendi sint Angeli.

VT clariùs in veritatem, quam quærimus procedamus, distinguenda videntur quæ distinctas ac peculiares inoleuunt philosophan- D di rationes, ne confusè ea permisceantur, quorum distinctio scientiam parit clariorem. Hinc quoniam, vt dixi paulò antè in primo Notando, alia est indagandi ratio cùm differitur; An sint Angeli; Alia verò cùm inuestigatur, An ij sint omnino incorporei; idcircò has duas difficultates seiungere placet, quas iungi dixi ab A. Doctore, non per se; sed quia notionem Angeli supponebat. Quod ergo prius est, ac latiùs patens, alteri magis contracto Quæsito præponere libet; vt hoc pacto ordine compositiuo à magis generalibus ad ea, quæ iis sunt subiecta, pergamus. In qua re multorum recẽsere placita oportet. Sed ab auctoribus sacris ordiamur.

E

PRIMA DIFFICVLTAS.

Quid Nomine Angeli denotetur, & vtrùm Angeli è sacris Auctoribus concedendi sint.

TRitum Philosophis est ex Aristotele libro 1. Posteriorum cont. 2. de scientiæ subiecto præcognosci oportere *Quid est quod dicitur*; hoc est qua significatione nomen illud, quo scientiæ subiectum significatur, vsurpari inter loquentes soleat, Aristoteles.

ſoleat; Ne ſcilicet dum incerta eſt ſignificatio nominis, omnis de ipſa re diſputatio perturbetur. Nam vt ait idem Ariſtoteles libro Metaphyſices 4. cont. 10. *Non ſignificantibus nominibus perit ipſa re vera diſputatio, & ad inuicem & ad ſe ipſum.* Itaque quid Angeli nomen ſignificet, nunc rudi & craſſo modo determinandum; cùm diſtinctior vberiórque cognitio ex eiuſdem naturæ declaratione, quam deinceps afferemus, gignenda ſit. Id ergo quod nunc nobis ſignificat hoc nomen, eſt; Natura & ſubſtantia quædam creata intelligens, per ſe ſubſiſtens, homine, intelligendi facultate & ſubſtantia ipſa longè præſtantior. Rectè enim Theodoretus libro 3. de Græcarum affectionum curatione poſt medium ait, nos quidem Angelos venerari, non tamen nos adorationem ex æquo Deo & Angelis partiri. *Sed hos quidem pluris eſſe hominibus faciendos putamus, & conſeruos tamen opinamur.* Angelus enim non corpus eſt, vt homo, ſed ſpiritus vt poſtea demonſtrabitur, Deóque non ſolùm virtute agendi, verùm etiam ipſa ſubſtantia, & intelligendi facultate propinquior. Quo ſenſu hoc Angeli nomen vſurpant diuinæ ſcripturæ; vt cùm de homine dicitur. Pſ. 8. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis;* & aliis locis, qui deinceps citabuntur; & Theologi omnes cum A. Doctore hic q. 50. a. 1. & Magiſtro in 2. d. 2. & frequenter alibi vt patebit. Et quamuis A. Doctor initio huius Quæſtionis 50. ſe nomine Angeli faſſus ſit intelligere *creaturam purè ſpiritualem, quæ in ſacra Scriptura Angelus nominatur;* Tamen quia nobis deinceps oſtendendum eſt, Angelum eſſe omnino incorpoream ſubſtantiam; quouſque id probatum erit, ſolùm dicimus hoc Angeli vocabulo ſignificari ſubſtantiam quandam intelligentem homine ipſo, ac proinde hominis animo ſuperiorem, quæ nobilitate naturæ longè magis ad Deum accedat, quàm ipſe homo. De hac ergo Natura, an ſit ex ſacris auctoribus concedenda, in præſentia concludendum eſt.

Theodor.

Intelligentes ſubſtantias homine perfectiores dari in rerum natura omnes Scripturæ ac Patres docent, & quid nomen Angeli ſignificet. §. 1.

IN qua re ſit

Vnica & Catholica propoſitio, Huiuſmodi intelligentes naturas ex ſacris auctoribus dari omninò certum eſt. Vt hæc probetur Propoſitio,

Notandum eſt certum debere inter Theologos eſſe, ex hoc ſolo quòd ſacri auctores affirment eſſe Angelos, non hoc ipſo confici eas naturas dari homine præſtantiores. Quia huiuſmodi nomen, ſi eius vim notionémque ſpectemus, non eſt nomen naturæ ſed muneris. Vt nimirum quod Græcè ἄγγελος dicitur, idem ſit quod apud Latinos eſt *miſſus* aut *nuncius*. Ergo ex eo non neceſſariò probatur dari naturam intelligentem homine præſtantiorem, quia etiam homines nuncij eſſe poſſunt, & mitti. Immò ob hanc cauſam etiam homines appellari Angelos, paulò inferiùs dicam. Antecedens patet ex concordi Patrum Theologorúmque ſententia; quos nunc recenſere breuiter volumus, non tam quòd id neceſſarium iudicem, quàm quòd noſſe tantorum Patrum in hac re conſenſum, præclarum videatur.

Et quidem inter Patres id expreſsè docuerunt S. DIONYSIVS Areopagita, ſic enim habet cap. 5. de cæleſti Hierarchia. *Sanctiſſima illa ſummorum ſpirituum agmina etiam Angelos Theologi appellant: etenim ipſa vim superni illius, diuinique fulgoris annunciant.* Appellantur ergo ij qui ſpiritus ſunt, à Theologis Angeli, quòd ad annuncianda cæleſtia deliguntur.

Dionyſ. Areopagita.

Eodem ſpectant quæ habet S. Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone longiſſimè poſt initium, ſed multò ante medium. Vbi ait ex illis tribus, qui Abrahæ apparuerunt Geneſ. 18. *Vnum & Deum eſſe, & Angelum vocari ex eo quòd nunciet,* & cætera.

Iuſtinus.

Tertullianus libro aduerſus Iudæos cap. 9. *Nec nouum eſt Spiritui sancto* inquit *Angelos appellare eos, quos virtutis ſuæ miniſtros Deus facit.* Quibus verbis ſatis indicat, ex adminiſtratione vocabulum Angelorum duci.

Tertull.

S. Athanaſius ſerm. 4. contra Arrianos *Angeli proprium,* inquit, *eſt mandatis Dei inſeruire.* Quaſi dicat, ex hac proprietate Angeli denominantur. Vnde infrà ait, Patriarcham Iacobum cùm Geneſ. cap. 48. dixit, *Angelus qui eripuit me, benedicat pueris iſtis,* nomine Angeli ſignificaſſe Verbum Diuinum. *Quod Angelum,* inquit, *nominauit, quia ſolus is eſt, qui patrem reuelat.* Et paulò pòſt. *Angeli* inquit, *quemadmodum ſcriptum eſt, adminiſtratorij ſunt ſpiritus, qui ad negotia obeunda emittuntur, & Patris donationes per Filium elargitas renunciant illis, qui accipiunt.*

Athanaſ.

S. Hilarius libro 5. de Trinitate col. 4. *In Angelo officij potius* inquit *quàm naturæ intelligentia eſt; & Pſalmiſta mihi teſtis eſt dicens; Qui facit angelos ſuos ſpiritus.*

Hilarius.

S. Baſilius libro 2. aduerſus Eunomium ante medium docet, tametſi Dei Filius verus Deus ſit, non tamen idcircò repugnare ei nomen Angeli, cùm dicitur Magni conſilij Angelus. *Cùm ſe ipſum per generationes hominibus manifeſtat, & ſanctis ſuis voluntatem Patris annunciat.*

Baſilius.

S. Gregorius Nazianzenus oratione 35. quæ eſt 2. de Theologia verſus finem *Spiritus quoque atque ignis Angelus* ait *appellatur. Illud, quia intellectuali natura eſt præditus. Hoc, quia purgandis noſtris animis adhibetur.*

Greg. Nazianzenus.

S. Ambroſius, ſiue quiuis auctor eius Commentarij ad cap. 1. Epiſt. ad Hebr. *Sciendum eſt* ait *quod Angelus eſt nomen officij non naturæ. Qui etiam ſemper ſunt ſpiritus, ſed non ſemper Angeli vocari poſſunt. Quæris huius naturæ nomen? Spiritus eſt. Quæris officij? Angelus. Quia ἄγγελος Græcè Latinè nuncius dicitur. Sic erit homo nomen naturæ, miles officij: ſic qui erant iam Spiritus, conditi à creatore Deo, facit eos Angelos mittendo eos nunciare, quod iuſſerit.*

Ambroſ.

His etiam conſentiunt quæ docet Chryſoſtomus ſermone de Iob & Abraham, in illa verba Iobi. *Venit alius nuncius, & dixit ad Iob.* Græcè ἄγγελος. ἄγγελοι inquit *nuncius à nunciando non à natura.* Fuit enim nuncius ille, homo non Angelus ſubſtantialiter. Item de incomprehenſibili Dei natura Hom. 3. *Ideo* inquit *Angelus dicitur, quia ſententias Dei hominibus ἀγγέλλει; hoc eſt, nunciat.*

Chryſoſt.

S. Auguſtinus ſic loquitur libro 15. de Ciuitate Dei cap. 23. explicans ea verba Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus* & cætera. *Qui Græce,* inquit, *dicitur ἄγγελος, quod nomen Latina declinatione Angelus perhibetur. Latina lingua nuncius interpretatur.* Idem docuit in illum ipum Pſalmum 103.

Auguſtin.

in eadem illa verba. Ibi enim distinguit nomen, quod Angelicam substantiam, naturámque significat, ab ipso nomine Angeli; quod officij ac muneris est. *Spiritus* inquit, *Angeli sunt, & cùm Spiritus sunt, non sunt Angeli; cùm vero mittuntur sunt Angeli. Angelus officij nomen est, non naturæ. Quæris nomen naturæ? Spiritus est. Quæris officium? Angelus est. Ex eo quod est, Spiritus est; ex eo quod agit, Angelus est.* Idémque ferè repetit libro 5. super Genesim ad litteram cap. 19.

Isidorus. Ab Augustino videtur accepisse S. Isidorus libro 1. Sententiarum cap. 10. *Angelorum*, inquit, *nomen officij est, non naturæ, nam secundùm naturam spiritus nuncupatur. Quando enim de cœlis ad annunciandum hominibus mittuntur, ex ipsa annunciatione Angeli nominantur. naturâ enim spiritus sunt.*

Prosper. S. Prosper in Psal. 103. Qui facit Angelos, & cætera, *Secundùm literam non dubitamus* ait *esse spiritus nobis inuisibiles, ministros Dei; qui ab officio, quod agunt, Angeli nuncupantur, Spiritus enim nomen naturæ est, Angelus actionis.*

Cassiodorus. Cassiodorus ad Psal. 103. *Spiritus generale nomen est incorporalis potentisque substantiæ visibiliter, siue inuisibiliter operans, quod ei diuinitus inspiratur. Angelorum enim nomen non significat naturam, sed obedientiam. Angelus enim Græca lingua dicitur, qui Latinè nuncius interpretatur. Nam quando mittuntur, Angeli fiunt, cùm tamen naturâ spiritus esse noscantur.*

Cassianus. Ioannes Cassianus, collation. 8. cap. 15. *De officio nunciandi Angelos; id est nuncios appellari* ait *manifestum est; & Archangelos, eò quòd ipsis Angelis præsint, nominis ipsius proprietas docet.*

Gregorius. S. Gregorius Homil. 34. in Euang. *Sancti illi cœlestis patriæ Spiritus semper quidem sunt Spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt. Quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos aliqua nunciantur. Vnde & in Psalmo dicitur, Qui facit Angelos suos Spiritus.* Immo addit *Qui minima nunciant Angeli, qui verò summa, Archangeli vocantur.*

Bernardus. S. Bernardus libro 5. de Consideratione ad Eugenium cap. 3. *Putemus Angelos dici, qui singuli singulis hominibus dati creduntur, missi in ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.*

Sunt ergo dicti Angeli tanquam missi in ministerium. Id ipsum facilè occurret ex cæteris Patribus, quos nunc referre nõ est operæ pretiũ.

Philo. Illud quoque addi ex Philone Hebræo potest, vt sciamus id omnibus etiam Hebræis fuisse persuasum. Nam Philo in libro de somniis circa medium cùm dixisset, plura esse genera animarum, & inter has quasdam perfectissimas, subdit. *Has genios Philosophi, Angelos vocant sacræ literæ nomine aptissimo. Sunt enim internunciæ patris mandata perferentes ad filios; & ad illum vicissim preces filiorum: ideò inducuntur ascendere & descendere.* Fortè intelligit, animas esse non substantia sed similitudine, dum corpus assumunt. Aliter falsum est, vt q. 51. a. 1. fusè patebit. Rectè autem subiunxit, ne quis arbitretur quasi Deus talibus egeat internunciis ad mandata hominibus patefacienda. *Non quod indicibus opus habeat Deus, qui iam antè scit omnia: sed quia conducit nobis mortalibus habere mediatores illos, & arbitros: quò magis reuereamur rerum omnium præsidem, & eius maximam potentiam* & cætera.

Ex quo etiam illud, quod antè indicauimus, intelligi nunc potest; quòd scilicet cùm nonnunquam homines cœlestia nunciant, homines quoque Angeli vocabulo decorentur: vt etiam modò obseruabamus ex Chrysostomo. Sanè Mala-

Malach. 2.

A chiæ 2. Sacerdos dicitur Angelus. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam: Quoniam Angelus Domini exercituum est.* & Matth. 11. de Ioanne dicit Christus *Ecce ego mitto Angelum meum.* Quin ipse Christus Isaiæ 9. vocatur *magni consilij Angelus.* Ad quam rem significandam afferam multos Patres infrà q. 51. a. 2 cùm agetur de apparitionibus Angelorum. Addi etiam potest ex Irenæo libro 4. aduersus hæreses cap. 79. homines etiam improbos qui ex patre Diabolo sunt, dum peruersè alios ad peccandum inducunt, angelos dici Satanæ. *Angeli sunt*, inquit, *Diaboli, secundùm id quod opera Diaboli faciunt.* Ac si obsequendo voluntati eius, opera annuncient; quasi eos Satan in orbem terrarum ad suadenda scelera mittat.

Matt. 11. Isaiæ 9. Irenæus.

B Ex dictis ergo concludendum est; Angeli nomen, quantum est ex eius significatione, non naturam aliquam determinatè, sed officia denotare. Cui sanctorum Patrum doctrinæ consensere Theologi omnes, vt patet ex Mag. in 2. d. 9. non longè ab initio, vbi A. Doctor q. 1. a. 4. ad 1. cæterique. Et rursus A. Doctor p. p. q. 108. a. 5. ad 1. Nec quisquam quem sciam, dissentit. Atque hæc quantum attinet ad nomen Angeli, vt ostenderemus ex eo quòd Patres aut Scriptura Angelos esse affirment; non ex hoc præcisè eos concedere, naturas illas intelligentes dari, homine præstantiores.

C Verumtamen quamuis ita sit, tamen plerumque atque adeò ferè semper apud Patres sacrámque Scripturam ex adiunctis scimus nomẽ Angeli has ipsas naturas intelligentes homine nobiliores exprimere solere.

His positis ad nostræ propositionis probationem nũc accedamus. Primùm autẽ probanda est nostra propositio ex sacris & literis & auctoribus; dari scilicet has naturas, quia ab iisdem affirmari Angelos dari certum sit. Deinde verò idem ex Theologis planum fiet, ex iis, quæ deinceps ex ipsorum sententiis afferentur, cùm in
D omni fermè disputationis particula constabit, Theologos Angeli vocabulo ipsas spiritales substantias intelligere, eásque dari vel probare vel ponere.

Ad Scripturas ergo & Patres veniamus: In quibus enumerandis non tam id spectabimus, vt hæc, quia dubia sint stabiliamus, quàm vt quæ certa meritò haberi debent, ad fidem catholicam illustrandam, nunquam incerta sint & firmiora reddantur.

Ac primùm quidem sacræ Scripturæ adeò perspicuè eas, quas diximus, substantias intelligunt, cùm plerumque Angeli nomen vsurpant;
E vt non solùm dubitare, verùm etiam hanc ipsam veritatem planè non agnoscere, Theologo nefas sit. Sed cùm plurima eiusmodi loca in legentium oculos passim incurrant, paucissima tantùm indicabo. Nam in libro Tobiæ de eo Angelo, quem cap. 5. describit Scriptura fuisse iuuenem splendidum, paratúmque ad ambulandum; & cap. 6. abdita naturarum scientem; ac in reliquis capitibus hominis fastigio celsiora efficientem; dicitur in cap. 12. *Ego obtuli orationem tuam Domino, & tunc me misit Dominus, vt curarem te,* & cætera. *Ego enim sum Raphael Angelus vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Ergo apud sacras scripturas hæ homine superiores substantiæ concedendæ sunt. Sic etiam patet Numer. 22. cùm Balaam viso Angelo pronus in terram eum adorauit. *Et vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque*

Tob. 5. Tob. 6. Tob. 12. Num. 22.

rauitque eum pronus in terram. An-ne verò natura A hæc quacunque humanitate diuinior? Quid de Angelo, qui tot millia hominum solus interfecit libro 3. Regum, cap. 24. & libro 4. Regum, cap. 19? (3.Reg.24. 4.Reg.19.) Quid eos afferam Angelos, qui non solùm pecudibus, sed etiam hominibus ac regnis patrocinantur? de quibus suo loco infrà dicturi sumus. Annon Angeli qui Abrahæ apparuerunt Genes. 18? (Gen. 18. & 19.) Qui Sodomitas cæcitate percusserunt, vt loquitur Scriptura Genes. 19? Nónne vt ait S. Petrus ep. 2. cap. 2. (2.Petr.2.) *ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens* Deus, per Angelos *euersione damnauit*? Quid, cùm millia millium Angelorum Daniel 7. (Daniel.7.) commemorantur? Mitto B hominum custodes, mitto Deo assidentes, qui adeò prompti ad diuinos nutus excubant, vt nihil improuisum eis possit accidere. De quibus Ang. Doctor infrà a.q.110. mitto alios innumerabiles quibus cœlum repletur vt hîc a.4. nos dicemus. Tandem, vt infinita penè Scripturarum testimonia prætercam, est expressus locus Ps. 8. (Psal.8.) cùm de homine dicitur *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis.* Vbi hanc de Angelis doctrinam rectè eius loci interpretes confirmant ex Paulo ad Hebr. 2. (Hebr.2.) Vbi hunc locum adducit; vt probet, Christum Dei Filium paulò se inferiorem Angelis exhibuisse, ob susceptam hominis naturam quæ mori posset. *Cum autem* inquit Apostolus *qui modicò* C *quam Angeli, minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Vnde S. Augustinus (S.August.) de Christo ait, *Propter ipsam infirmitatem carnis, quam sapientia Dei gestare dignata est, & passionis humilitatem rectè dicitur. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis. Minorauit* enim, inquit Tertullianus (Tertullian.) libro contra Praxeam cap. 23. *Filium modicò citra Angelos ad terram dimittendo*, & cætera; Nempe quia ad terram eum dimisit, cùm illum carnis nostræ humilitate vestiuit. Quod etiam senserunt alij Patres, vt videri potest apud nostros Benedictum Iustinianum, & Cornelium à Lapide (Bened. Iust. Cornel. à Lapide.) in illum locum Pauli. Et quamuis referant san- D ctum Augustinum & alios negantes Christum, esse minoratum ob naturam, sed propter eius passionem intelligi id oportet; non, vt hominis natura non sit impar Angelicę substantiæ; sed vt non sit inferior illa Christi humanitas, quà Dei donis ornata, ab iis superetur; sed quâ patibilis erat ad crucem. Insignis etiam est ille locus apud S. Petrum eodem cap. 2. (2.Pet.2.) vbi Angelos suprà homines extollens ait. *Angeli fortitudine & virtute cùm sint maiores, non portant aduersùs se execrabile iudicium.* In quem locum rectè scripsit pro hac sententia noster Lorinus. (Lorinus.) Vide etiam quæ philosophamur infrà in nostro primo *Colligitur*, & deinceps in sequentibus.

Nec minùs manifesta est Sanctorum Patrum E hac in re locutio. Etenim de Angelorum natura scribentes tanquam de re à Deo iam procreata loquuntur. Atque vt à Græcis incipiamus,

Quid clarius illa Angeli definitione, quam Athanasius affert libro de communi essentia Patris, & Filij & Spiritus sancti cap. de Angelis? *Angelus est animal rationale, expers materiæ, hymnis dicendis aptum, immortale.*

(Basilius.) Excellentiam hanc quoque Angelorum supra homines eleganter indicat Basilius ad Psalm. 33. *Angelos initio, vt essent, Verbum opifex omnium condidit, sanctificationem verò simul ipsis impendit Spiritus sanctus. Non enim in infantili statura sunt creati, deinde paulatim excitati atque perfecti*, & cætera, qui- A bus eos extollit.

(S Ephræm) Sed optime etiam dum Angeli naturam, locum, ac munera simul paucis profert S. Ephræm libro aduersus eos, qui scrutari volunt naturam Filij Dei cap. 2. *Inuisibilis est*, inquit, *natura conditionis Angelicæ, in supernis immorantur: Deitatis ministri, semper Deo astant, cùmque cum tremore glorificant.*

(Nazianzen.) Quod etiam Nazianzenus adhuc elegantiùs Orat. 38. quæ est Panegyrica in Christi Natiuitatem persequitur. Vbi cùm ex sancto Dionysio Areopagita, cuius tamen nomen reticet, dixisset, Summæ bonitati consentaneum esse, vt se ipsam in alia etiam, quantum creaturæ fas est, propagaret, ideóque de procreandis Angelis ac cœlestibus virtutibus cogitasse, subdit; *Hos secundos splendores primi splendoris administros extitisse. Ad malum immobiles, atque ad bonum duntaxat agitationem habentes, vtpote Deum circumstantes, ac primario fulgore collucentes: hæc enim inferiora secundaria illuminationis sunt*, & cætera.

(Theodoret.) Verumtamen adhuc explicatiùs Theodoretus in epitome Diuinorum Decretorum cap. de Angelis, vbi eos ponit medios infra Deum supráq; homines his verbis. *Angelos nec vt Græcorum Poëtæ & Philosophi in Deos referimus; nec in masculinam, & fœmininam incorpoream naturam distinguimus; nec intemperantis coitus, quæ sub aspectum non cadunt potestates accusamus; neque vt statuunt hæreticorum fabulæ, esse creationis effectores definimus; neque coæternas esse dicimus Deo vniuersorum*, & cætera. *Immortalis naturæ superuacanea est generis diuisio. Neque enim incremento opus habent, cùm non diminuantur; neque coitu, cùm sint corporibus liberi*, & cætera. *Quæ enim ab interitu aliena est natura, non eget incremento.*

(Epiphanius.) Epiphanius hæres. 65. ait, *Nisi Angeli cum cœlo & terra creati quoque fuissent, non vtique dixisset ad Iob, Quando genita fuerunt sidera, laudauerunt me omnes Angeli Dei.* Quam laudationē postea dicit fuisse ob siderū creationem, ac proinde cēset eos intelligentis naturæ, ac nobiliores esse quàm homines, quippe quorum munera præstantiora.

(Euseb. Cæs.) Luculentum est illud Eusebij Cæsariensis in hac materia de Angelis testimonium libro 3. de Demonstratione Euangelica cap. 5. *Ex decretis illius*; nempe Saluatoris; *accepimus, esse quasdam post supremum Deum potestates naturæ incorporeas, intelligentes, rationales, omnique virtute præditas, quæ circum regem vniuersi choros exerceant: quarum plures vsque ad homines ipsius Patris nutu quadam salutari dispositione mittantur, quásque & cognoscere & venerari pro ratione, gradúque dignitatis edocti sumus*, & cætera. In quibus notari oportet, Angelos esse proximè post Deum, quos nos venerari decet: cùm sint omni virtute præditi. Subdit postea, ex iisdem diuinis decretis nos esse certos; Dæmones versari in hoc aëre ad plurima maleficiorum genera. Similia habet libro 4. cap. 1. Vbi etiam docet, Angelos creatos esse à Deo, vt iis diuitiarum suarum thesauros impertiretur.

(Chrysost.) Optimè quoque hac de re, vt solet, Chrysostomus Angelorum præ homine nobilitatem extollit tomo 5. homil. 2. de Incomprehensibili Dei natura post medium. *Nosti*, inquit, *vnumquemuis Angelum rependi, parémque esse vniuersæ huic visibili creaturæ, vel potiùs multò nobiliorem, præstantiorémque. Nam si homine iusto dignus non sit vniuersus Mundus, vt Paulus auctor est, qui dicit: Quibus non erat dignus Mundus: longè minùs possit ad dignitatem ascendere Angeli, qui omni homine iusto superior est; atque præstantior. Verumtamen millia Angelorum sunt innumerabi-*

merabilia, mille millia Archangelorum: adde sedes, dominationes, potestates, principatus, cœtus incorporeos virtutum innumeros, denique cælestia innumerabilia. Quæ omnia Deus creauit tanta cum facilitate, quanta nemo valeat verbis exprimere. Satis enim fuerat voluisse, & cætera. In quibus habes & Angelicæ naturæ dignitatem, & gratiarum amplitudinem, & numerum homini incomprehensibilem. Eandem Angelorum dignitatem extollit, dum hom. 4. in cap. 1. Genes. post medium Tomo 1. argumento à fortiori, magnificentiam Dei inexplicabilem omninò esse, ostendit his verbis. *Si visibilia*, inquit, *sola nobis sufficiunt ad docendam potentiæ conditoris magnitudinem; vbi & ad inuisibiles veneris virtutes, & mentem extenderis ad angelorum exercitus, Archangelorum, supernarum virtutum, thronorum, dominationum, principatuum, potestatum, Cherubin, Seraphin; quæ mens, quis sermo sufficiat enarrare magnificentiam eius inenarrabilem?* & cætera.

Denique ex Græcis etiam Patribus adhuc fusiùs, Angelos præstãtioris naturæ esse, quàm homines, ornatè scribũt Sophronius in oratione de Angelorum & Archangelorum excellentia, & Damascenus libro 2. de Fide Orthodoxa cap. 3. *Enimuerò*, inquit Damascenus *secundaria spiritualia lumina sunt Angeli, ex primario illo lumine splendorem haurientes*, & cætera.

Sophronius.

Damascenus.

Nunc verò Patres Latinos naturæ Angelicæ excellẽtiam sæpè ex eius functionibus indicantes audiamus.

Tertullian.

Tertullianus in Apologetico cap. 22. *Omnis spiritus ales est. Hoc Angeli & Dæmones. Igitur momento vbique sunt: Totus orbis illis vnus locus est: Quid vbique geratur tam facilè sciunt, quàm enunciant.* Ita vt cùm ipsorum substantia ob eximiam excellentiam ignoretur, velocitas tamen appareat; diuinitas quædam eis inesse existimetur. Subdit enim *Velocitas diuinitas creditur, quia substantia ignoratur.*

Cyprianus.

Non dissimili ratione Cyprianus prologo in librum de operibus Christi. *Qui circa Deum sunt Angelici spiritus*, inquit, *licet naturæ inuisibilis sint; in legationibus tamen suis se auditu manifestant & visu.* Vides naturam adstantem Deo spiritalem, oculos effugientem?

Lactantius.

Lactantius etiam libro 2. Diuinarum Institutionum cap. 17. ait, Angelos naturæ immortalis esse, promptos ad parendum Deo; ideóque non esse Deos. *Neque Angeli, cùm sint immortales, dici se Deos, aut patiuntur, aut volunt; quorum vnum solidúmque officium est seruire nutibus Dei, nec omninò quicquam nisi eius iussu facere.* Quibus significat Lactantius esse adeò præstantis naturæ, vt videri possint Dij, & ideò se dici Deos nolle, ne idololatriam admittant. Et libr. 4. cap. 8. assignat discrimen inter Dei Filium atque Angelos ex ipsa verbi generatione. *Magna* inquit, *inter hunc Dei Filium, & cæteros Angelos differentia est. Illi enim ex Deo taciti spiritus exierunt, quia non ad doctrinam Dei tradendam, sed ad ministerium creabantur. Ille verò cùm sit & ipse spiritus, tamen cum voce & sono ex Dei ore processit.* Similes ergo ait esse natura spiritali, quia vtrique sunt spiritus, hoc est natura immateriali, ac proinde immortales omninò, dissimiles generatione ac ministerio. Quod tamen ministerium omni creatura diuinius est; quippe quo diuinis iussibus excubant, ne quid vnquam prætereatur. Vnde S. Ambrosius in Ps. 118. octon. 8. in ea verba *Deprecabor* & cætera. ait; hominem, vt videat Dei faciẽ, debere ascendere ad Angelicam dignitatem, quam ponit in exequendis Dei mandatis. *Esto Angelus*, inquit, *hoc est diuini minister imperij, obsequere mandatis Domini. Cùm fueris Angelus, videbis faciem Domini.*

Ambrosius.

Hilarius.

Hilarius ad Psal. 118. post initium exigit in homine timorem ob Angelorum conspectum, qui Deo præsentes assistunt. Quantò ergo hominum genere superiores? *Nónne*, inquit, *cùm in aliquam turbidæ affectionis voluntatem infirmitatis nostræ aculeis ipsi commouemur, metuimus assistentes nobis vndique choros Angelorum, & plenum mysteriis cælestibus Mundum? si enim Angeli paruulorum Patrem nostrum quotidie vident, qui in cælis est, possumus testimonia eorum metuere, quos & nobiscum manere, & quotidie Deo scimus assistere.*

Ambrosius.

Ambrosius eandem naturę angelicæ gloriam paucis indicauit in ps. 118. Octon. 8. citato in eadem prædicta verba ad finem; vbi ait; Angelicam naturam *non esse corruptelæ subiectam, vt generis humani.* Et ideo subdit. *Leue in Angelo vitium indicio grauiore censeri.* Propterea quòd ob naturæ præstantiam non facilè in peccata delabitur.

Fulgentius.

S. Fulgentius libro de Fide ad Petrum cap. 3. *Illos*, inquit, *quos terrenorum corporum grauat nulla lutulenta materies, id est Angelicos spiritus, quis non videat, non vnius naturæ esse cum Deo, sed factos ex nihilo?* Quos deinde ait gratia Dei eguisse, vt in bona voluntate persisterent. Sunt ergo intelligentes, atque spiritales; naturá, longè homine superiores.

Tandẽ (neque enim opus est pluribus) idem docent ij Patres, quos suprà citauimus docẽtes, spiritum esse nomen naturæ Angelorum, Angelum muneris. Licèt enim nomen Angeli proximè denotet nunciorum munus; tamen quia huiusmodi munus in tali natura significatur, negari non potest, quin saltem ea appellatio Angeli naturam quoque designet nobilissimam, cui tale munus incumbit. Præterea idem infrà patebit fusiùs; dum de Angelorum numero & immortalitate disputabitur a. 3. & 5. & cùm de Angelorum apparitionibus q. sequenti a. 1. & 3. & cùm de eius incorporea natura, de qua ex Patribus dicemus in sequenti quæsito, & deinceps. Ita enim Patribus abundamus, vt non vno tantùm loco recensendi sint.

Concil. Lateran.

His omnibus Patribus addo Ecclesiæ Catholicæ definitionem, qua Angelos spiritalem Dei creaturam vnà cum corporea ab exordio Mundi procreatam esse, Concilium Lateranense stabiliuit in cap. 1. & refertur de summa Trinitate & Fide Catholica cap. Firmiter. *Vnum est*, inquit, *vniuersorum principium, creator omnium visibilium & inuisibilium, spiritualium & corporalium; qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam; spiritualem & corporalem; Angelicam videlicet, & Mundanam; & deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Sic ergo creatura Angelica est inuisibilis & purè spiritalis, quia tanquam diuersa tum ab ea, quæ purè corporea est, tum etiam ab ea, quæ spiritu corporéque componitur, inter substãtias creatas numeratur à Concilio.

Euidens ergo est sacrorum auctorum sententia, præstantes illas hominúmque generi superiores mentes concedendas esse.

Refellen

Refellendam tanquam errorem apertum, sententiam Angelos esse negantem. §. 2.

EX hac propositione ita probata colligitur primò, negare Angelos manifestum esse errorem, directò Catholicæ fidei aduersantem. Eos enim asserunt sacræ literæ ita clarè, vt aliter rectè intelligi non possint. Est etiam aperta Ecclesiæ Catholicæ definitio, in Concilio Lateranensi, vt vidimus. Quod etiam multò magis confirmatum esset, si ea quæ de Dæmonibus tutelaribúsque Angelis sacra Scriptura, & Concilia docent, attulissemus. Denique est summus sanctorum Patrum consensus, qui lõgè euidentior erit, dum alia quæ de Angelis ac dæmonibus ipsi docent, deinceps tractabuntur à nobis. Quibus etiam refelli poterit Franciscus Georgius Venetus, vt est apud Ioannem Arboreum Tomo 1. suæ Theosophię libro 1. ca. 2. Etsi enim fassus est Angelos esse, tamen *omnibus ingenij sui viribus*, inquit de eo Arboreus, *probare nititur, hominem non solùm gratia, sed etiam potentia Angelo nobiliorem, qui completo suo curriculo apparebit Angelo nobilior.* Videtur ergo sentire, Angelicam naturam homine præstantiorem non esse, quod re ipsa est negare Angelos. Refellitur autem ex dictis, quia sacri auctores ea Angelis tribuunt, quæ vires hominis naturales multis partibus superant vt vidimus. Idémque fusiùs patebit deinceps.

Francis. Georg. Ven. Ioan. Arboreus.

S. August. Hic autem notandum est alicubi S. Augustinum videri in hanc ipsam Georgij sententiam propendere. Nam lib. 83. quæst. quæstione 54. sic habet. *Quod autem est omni anima melius, Deum dicimus.* ergo nulla substantia est homine nobilior, quæ Deus non sit. Verumtamen falsam esse hanc doctrinam, Augustinus quoque cognouit, dum eam expressis verbis retractauit, lib. 1. Retract. cap. 26. *Magis*, inquit, *debui dicere, omni creato spiritu melius, &c.* Quocirca simili modo corrigendus est idem Augustinus, si eandem propositionem alibi docuerit, vt verè docuit lib. de quantit. Animæ cap. 34. & lib. 3. de libero Arb. cap. 11.

Sadducæi. Colligitur secundò; Sadducæorum, qui inter Hebræos hæresi notabantur, (vt rectè notauit noster Maldonatus in cap. 3. Matth. num. 7.) vel intolerabilem inscitiam, vel incredibilem animi prauitatẽ fuisse. Qui vt patet ex Actis Apostolorum cap. 23. dicebant; *non esse resurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque spiritum.* Nam si idcircò Angelos ac spiritus negabant, propterea quòd nescirent eos in veteri Scriptura contineri, quanta se in ignoratione versari fateri cogentur, cùm ea non viderint, quæ Solis luce clariora erant? Cùm nulla ferè sit pagina in Mosis Pentateucho (quos solos libros admittebãt ipsi, vt docet Maldonatus ibidem) vbi sæpius Angelorum mentio non fit. Vt patet ex Gen. cap. 16. 19. 21. 22. 24. 28. 31. 32. 48. Exod. 14. 23. 32. 33. Numer. 20. 22. sæpissimè. Præterquam quòd ea ignorari ab iis necesse erat, quæ omnium gentium sermone ac literis prædicabantur, vt deinceps constabit. Sin autem Angelos in Scripturis legerant, hominúmque collocutione celebrari audiuerant; quæ tanta ipsorum in animis erudi libido, vt pro arbitratu suo nulla cogente ratione

A se non solùm sacris, sed etiam ferè omnium hominum literis ac linguis opponerent? Quod verò attinet ad resurrectionem mortuorum, ita eos breui argumento Christus Dominus noster euicit Matth. 22. & Marc. 12. vt adstãtis populi admirationem, Pharisæorúmque plausum excitarit. *Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eius. Pharisæi autem audientes quòd silentium Sadducæis imposuisset*, & cætera. Legi possunt Epiphanius hær. 14. Leontius de sectis, Prateolus verbo *Sadducæi*. In hos etiam Sadducæos Paulus Act. 23. tãquam Apostolis infensos, sibi propitios Pharisæos excitauit.

Colligitur tertiò; impudentiùs quàm Sadducæi, ac Samaritani, nonnullos superioris sæculi B sectarios errare voluisse, dum ipsi quoque has spiritales Angelorum substantias pernegarunt. Cuius sectæ Georgium Dauid, & quosdam alios recensent Cochlæus de dictis & factis Lutheri 1545. & Lindanus in Dubitantio. His addidit Dositheum non credentem; *nec Dei spiritum, nec Angelos esse.* Prateolus ex Philastrio Verbo *Dositheus* in Elencho Hæreticorum. Similia dixerunt Libertini. Etsi enim statuebãt vnum spiritũ immortalem Deum, operãtem omnia in omnibus, expresse tamen negabant, Angelos esse; vt ibidem refert ex Lindano Prateolus Verbo *Libertini*. Contra quos vel ipse Ioannes Caluinus nonnihil scripsit, vt est apud Thesaurũ Catholicum C libro 4. de Angelis articulo primo §. *Negant*. Tãtò autem impudentiùs hi hæretici Angelos non esse affirmant, quanto clarioribus hanc veritatem Deus ipse miraculis, sapientissimorum Patrum monumentis; sacrarum noui veterisq; testamenti literarum oraculis, atque Ecclesię Orthodoxæ definitionibus contestatur. Atque hæc de prima Difficultate.

Geor. Dauid. Cochlæus. Lindanus. Dositheus. Prateolus. Libertini. Caluinus.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrùm ex Ethnicis Philosophis Angeli sint concedendi.

D BIfariam posset hæc Difficultas accipi. Vno quidem modo; Vtrùm sint concedendæ eæ intelligentes Naturę, quas diximus humano generi nobilitate præstare, quęcunque tandem earum munera sint. Alio modo, An eædem naturæ concedantur, quæ functionem aliquam supra hominis vim, in hominis præsertim animũ proximè occulta quadam virtute exercere soleant, non solùm quã externis corporibus præsident. Et vtroque modo hæc proposita quæstio tractari debet à nobis. Nam vtraque pars peculiares inter Philosophos habet explicatus.

E

QVOAD PRIOREM DIFFICVLTATIS PARTEM.

An scilicet Philosophi Ethnici concesserint has intelligentes substantias homine nobiliores.

VIdeo summam antiquitatis in huiusmodi naturis affirmandis consensionem; vt retulisse Philosophorum sententias, determinasse controuersiam sit. Ne tamen vlla sit hac ipsa in

re deceptio, illud in primis poni debet, statum huius controuersiæ non esse in hoc; quòd ab antiquis Philosophis ex naturæ asserantur, quas ipsi vocent Angelos,(quanquam nec desunt, qui eas, hoc etiam Angeli nomine appellent, vt videbitur paulò post ex Mercurio Trismegisto; quod etiam deinceps ex aliis quoque cõstabit.) Satis enim nobis nunc est; quocunque eas appellent nomine, siue Dæmones, siue spiritus; si eas fateantur tanquam substantias intelligẽtes, homine, naturæ præstantia digniores; vt suprà diximus. In hoc autem sensu sit

Prima propositio: Communi ferè Ethnicorum Philosophorum sententiâ Angeli; hoc est, naturæ intelligentes homine præstantiores; omninò concedendæ sunt. Probatur: Quia illæ naturæ intelligentes sunt homine præstantiores, quæ habent rationis vsum eo, qui datus est homini, superiorem; Sed communi Ethnicorum Philosophorum sententiâ concedendæ sunt naturæ, quæ habent vsum rationis eo, qui datus est homini, superiorem. Ergo communi Ethnicorum Philosophorum sententia concedendæ sunt naturæ intelligentes homine superiores.

Maior propositio est certa: Nam perfectior vsus, seu actus aut functio perfectiorem essentiam omninò demonstrat. Neque enim alia ad perfectionum causæ cognitionem progredimur via, nisi vt perfectiores causas ex perfectioribus earundem causarum actibus cõcludamus: Tum quia non alio pacto philosophatus est Aristoteles libro 1. de Anima à contextu 11. ad 14. Vbi, vt constitueret, quæ anima sit separabilis à corpore, videndum priùs docuit esse; Vtrùm aliquis actus ita sit proprius animæ, vt non sit etiam corporis: Tum etiam quia sublato hoc philosophandi principio nescire nos necesse est, Vtrùm homo sit equo, Muscáque perfectior; Vtrùm animans sit lapide saxóque nobilius, & cætera. Ergo quæcunque naturæ intelligentes habeant vsum rationis; hoc est, intelligendi vim atque adeò ipsam intelligentiam perfectiorem, sunt homine præstantiores.

Aristoteles.

Minor probatur, philosophantium Ethnicorum opiniones hac de re recensendo, in quibus perspicuum erit, vsum rationis harum creaturarum esse perfectiorem; quippe quo tanquam afflatu quodam, humanæ mentes in diuersa, horum philosophorum opinione permouentur, reguntúrque.

Quid Mercurius Trismegistus, quid Orpheus & alij de Angelis dixerint. §. 1.

Atque vt ab antiquissimis seculis ordiamur, Primùm tanquam omnium vetustissimum, & quem tanquam totius sapientiæ fontem Ægyptij venerantur, nominabo Mercurium Trismegistum. *Quem Cicero*, inquit Lactantius in libro de Ira Dei cap. 11. *ait, in numero Deorum apud Ægyptios haberi: eum scilicet; qui ob virtutem, multarúmque artium scientiam Trismegistus nominatus; & erat non modo Platone, verùm etiam Pythagora, septémque illis sapientibus longè antiquior.* Antiquiorem dicit; siue quia fuerit Moysis ætati suppar, vt opinatus est Suidas; siue quia, etiamsi longè post Moysen vixerit, cæteros tamen sapientes

Mercur. Trismegis. Cicero. Lactantius.

Suidas.

A antecesserit, de qua re scribit Genebrardus in Chronico Anno Mundi 3830. Hunc ergo adducit Lactantius libro 2. diuinarum institutionum cap. 16. vt ex ipso probet, Dæmones, qui Angeli quoque sunt, *ex cœlestibus deprauatos terrenos esse cœpisse.*

Genebrard. Lactantius.

Immò ipse Mercurius Dæmonum operæ adscribit, quòd hominum animi in prauas cogitationes ac vitia prolabantur, quemadmodum Deo tribuit, quòd benè & ex virtute agant. Qua in re videtur Christianæ religioni consentanea docuisse: sic enim habet in Pimandro cap. 9. *Humana mens omnes notiones concipit; bonas quidem, cùm à Deo semen infunditur; contrarias autem, cùm à Dæmone spermata iaciuntur. Nulla profectò est Mundi* B *pars Dæmonum præsentia destituta: Horum lumen ab ipso Deo totum descendit: Dæmon denique transfusus in hominem, semina propriæ motionis inspergit; mens autem conspersa seminibus, prægnans, inde parit adulteria, stupra, parricidia, sacrilegia, diuinorum contemptum, & reliqua quæcunque sunt opera Dæmonum.* Hic profectò non est dubitandum, quin huiusmodi Dæmones hominibus præstent. Si quidem tot miras, ac prorsus stupẽdas res præstare se ipsis possunt. Quos etiam spiritus Lactantius libro 2. de Origine erroris cap. 15. ait, ex sententia eiusdem Trismegisti, esse *malorum, quæ geruntur, auctores, quorum idem Diabolus est princeps, vnde Trismegistus illum δαιμονάρχην vocat.*

Trismegis.

Lactantius.

C Ex eodem etiam Mercurio refert S. Augustinus libro 8. de ciuitate Dei cap. 23. alios Deos à summo Deo factos, alios ab hominibus, quos spiritus responsa dantes aiebat in simulachris & statuis, quibus homines incitabantur ad bonum & ad malum. Hos autem esse Dæmones; nempe intelligentes naturas supra homines, & infra Deum conditorem, apertissimè patet ex verbis eiusdem apud S. Augustinum eodem loco. Sic enim loquitur apud Augustinum ex verbis in Asclepio, quem eundem esse, qui Æsculapius, affirmat Ludouicus Viues in caput 26. libri 8. de ciuitate Dei. *Dominus & Pater*, inquit Mercurius, *vel quod est summum, Deus vt effector est Deorum cælestium, ita homo fictor est Deorum, qui in templis sunt,* D *humana proximitate contenti.* Declarat autem, hos Deos esse statuas, ac simulachra, quæ colebantur. Quo autem pacto id fiat ab hominibus, explicare pergit ex eius verbis S. Augustinus cap. 24. eiusdem libri 8. Ait enim, homines, quoniam iis simulachris veluti corporibus non poterant animos inferre, reperisse artem, qua Deos efficerent, *euocantes animas Dæmonum vel Angelorum:* (vidésne hìc apertè appellari Angelos?) *eas indiderunt imaginibus sanctis, diuinisque mysteriis per quas idola & benè faciendi & malè vires habere potuissent.* Hìc etiam vide, quantam tribuat excellentiam, Angelorum ac Dæmonum spiritibus; vt respon- E sa proferant, & veluti Dij benè vel malè hominibus faciant.

Augustin.

Lud. Viues.

Quò etiam videtur respexisse S. Cyprianus in libro, *Quòd Idola non sunt Dij*, cùm de Dæmonibus ait. *Hi ergo spiritus sub statuis, atque imaginibus consecratis delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper inuoluunt.*

Cyprianus.

Idem prorsus ante hos Minutius Felix in Octauio, ad idem alludens sic loquitur. *Isti igitur impuri spiritus, vt ostensum à Magis, Philosophis & Platone, Dæmones sub statuis & imaginibus consecratis*

Minutius Felix.

delites

delitescunt, & auctoritatem quasi præsentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum sacris immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animāt, auium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus inuoluta. Nam & falluntur & fallunt, vt & nescientes sinceram veritatem, & quæ sciunt in perditionem sui non confitentes. Et prosequitur vitia Dæmonum describens. A quo videtur Lactantius eadem Dæmonum vitia desumpsisse libro 2. cap. 15. *Sciunt quidem illi* inquit *futura mala sed non omnia*, & cætera. *Ideo solent responsa in ambiguos exitus temperare.* Et infrà fusiùs in fine capitis. *Morbos citant, somnus animos terrent, mentes furoribus quatiunt, vt homines his malis cogant*, &c.

Lactantius.

Post Mercurium sequitur Orpheus centum annos bello Troiano vetustior, seu vt ait Lactantius citatus libro 1. cap. 5. *Vetustissimus Poëtarum, & equalis ipsorum Deorum.* Is Dæmonum bonorum malorúmque meminit, vt ex Plutarcho refert Eusebius Cæsariensis libro 5. de præparatione Euangelica cap. 4. Quod etiam patet his verbis apud Eugubinum libro 8. de Perenni Philosophia cap. 33.

Orpheus. Euseb. Cæs. Eugubinus.

Dæmonáque imploro sanctum pariter que malignum,
Aerios, aqueos, cæli & conuexa tenentes,
Terrestres, infernósque, & circum omnia euntes.

Clariùs etiam; cùm docet, Dæmonas esse malos, eósque flagellis Deorum castigari; vt patet in hymno ad Titanes, quem refert ibidem Eugubinus.

Exhorrentque tuum rapidum, durúmque flagellum
Dæmones humani hostes, atque feri atque maligni;
Qui nostris animis vacuis infanda ministrant,
Vt semper diram vitam cum crimine ducant,
Corpore peccantes semper, vinclisque retenti;
Excidat vt nobis summi fulgor Patris aulæ.
Sed tu dux animorum, & cætera.

Similia his habet Lactantius libro 1. cap. 7. vel ex Orpheo vel ex Apolline. Quædam enim ibi intermiscet ex vtroque. Similia, inquam, quā Dæmonas ait subesse Dei flagello. sic enim ad verbum reddi potest ex cont. Græco ibid. posito.

Lactantius.

Dæmones qui ventitant circa terram, & circa pontum,
Indefessi domantur sub flagello Dei.

Quibus verbis perspicuè apparet, non solùm Dæmones esse, verùm etiam eosdem iis malis artibus in hominum perniciem vti, sicut nostri affirmant.

Orpheo succedat Homerus ducentis circiter pòst annis, qui Deos ac Dæmonas non semel fassus est, ita tamen vt Deos appellarit Dæmonas, & Dæmonas Deos; quod rectè notauit ex Plutarcho in libello *Quod oracula cessarint*, Ludouicus Viues in lib. 9. de ciuitate Dei c. 1. in quem etiam locum, idem Leonardus Coquæus obseruat. Quamobrem licèt etiam maximum Deorum Homerus appellet nomine Dæmonis, *ita vt ipsum Iouem* inquit Augustinus lib. 9. de ciuitate Dei cap. 1. *quem volunt esse regem ac principem cæterorum, ab Homero fateantur Dæmonem nuncupatum*; tamen reliquam spirituum, præsertim noxiorum, turbam à summo Deo procreatore, præcipuè Dæmones, non secus ac Orpheus, esse voluit, teste eodem Eugubino in eo libro 8. cap. 33. Solum enim Iouem ingenitum esse, ab eóque cæteros prodiisse apud Homerum, cum pleraque alia sunt, quæ id confirmant, quæ referuntur ab Eugubino libro 3. de Perẽni Philosophia cap. 13. & libro 5. cap. 6. tum etiam illud Homeri carmen inter Platonicos celebre apud eundem eodem capite 13.

Homerus. Viues. Coquæus. Augustin. Eugubinus.

Iuppiter ante alios, & longè plurima cernens.

Quod Homerus ab Orpheo accepit, vt patet ex eius carmine apud Eusebium Cæsariensem lib. 3. de Præparat. Euang. cap. 3. ex Porphyrio, quem ibi validè confutat Eusebius.

Euseb. Cæs. Porphyr.

Huc etiam spectat, quod ex Homero ait S. Augustinus loco citato, Nimirum ipsum appellasse Dæmones, tum bonos tum malos, Deos. *Ex Græcis* inquit ex Plutarcho Eusebius Cæsariensis eodem libro 5. cap. 4. *Homerus promiscuè his nominibus vti videtur, eosdem Dæmones siue bonos siue malos*; vt colligitur ex iis, quæ ille subiungit, *modò Deos modò Dæmonas nuncupans.* Hoc autem Homeri sententiā verum esse non potest de iis, qui veram diuinitatem habent, qui scelera detestantur. Sic enim habet Homerus in Odyssea, vt etiam animaduertit Eugubinus libro 8. cit. cap. 26.

Augustin. Euseb. Cæsar. Eugubin.

Dij scelerata adamant nequaquam facta beati,
Iustitiam sed amant, rebus lætantur & æquis.

Quin etiam Homerum adumbrasse Diaboli è cœlo casum, dum Aten è siderum sede ruentem describit, monet Eugubinus libro 8. de Perenni Philosophia cap. 39. Vnde occasionem fortasse sumpsit Empedocles, vt est ibi apud eundem appellandi Dæmones *οὐρανοπετεῖς cælo ruentes.* Quod etiam Trismegisto ascribit Lactantius lib. 2. cap. 16. in fine, dum dæmones appellauit *ἀγγέλους πονηρούς. Adeò non ignorauit* inquit *ex cælestibus deprauatos terrenos esse cœpisse.*

Empedocles.

Hesiodus centum post Homerum annis claruit, vt placet Genebrardo in Chronico ad annum Mundi 3327. planius quàm Homerus locutus est, vt ex Plutarcho obseruat Eusebius Cæsariensis libro 5. de Præparatione Euangelica c. 4. Omnia enim, quæ ratione vtuntur, in quatuor veluti classes partitus est; Deos videlicet; Dæmonas malos, ac bonos; Heroas; & Homines. Atque ita, vt patet, Dæmonas supra heroas, infráque Deos collocat. *Hesiodus* inquit *quatuor genera rationalis naturæ ordine posuit, Deos primùm, deinde Dæmonas, postea heroas, postremò homines.* Ex Hesiodo etiam Lactantius libro 2. cap. 15. cùm ait *Eos Poëtæ & sciunt esse Dæmonas, & loquuntur: Hesiodus ita tradit.* Citátque duos Hesiodi versus Græcè quibus significat, Dæmones esse hominum custodes. *Quod idcirco dictum est* inquit *quoniam custodes eos Deus humano generi miserat; sed & ipsi, cùm sint perditores hominum; custodes tamen se videri volunt, vt ipsi colantur, & Deus non colatur.* Quem etiam Hesiodum citat ad hoc idem propositum Clemens Alexādrinus in Adhortatoria ad Græcos longè post initium ante medium, dum ex eo hæc duo refert carmina.

Hesiodus. Lactantius. Clemens Alex.

Dæmonum decies, nam ter habet millia tellus
Immortalia, queis hominum custodia cessit.

Et subdit in Hesiodum. *Quinam sunt hi custodes? ô Bœotie non te pudeat dicere*, & cætera. Eadem Hesiodi carmina magnificat Plutarchus in libro, quem de Defectu oraculorũ inscripsit. Vbi circa medium ait, genios futura prædicere. Vnde & inquirit; *si animi secreti à corporibus; aut omninò, quibus nullum est cum corporibus commercium, sunt; quæ tua est & diuini sententia Hesiodi, Dæmones*

Plutarch.

Custodes hominum casti, terras obeuntes;
Cur animos in corporibus degentes illa vi priuamus? & quæ sequuntur.

Thales etiam Milesius antiquissimus Philosophus

Thales Milesius.

sophus tempore Tarquinij Prisci regis Romanorum idem significauit, vt refert Athenagoras in Apologia pro Christianis ad Antonium Imperatorem. *Primum igitur Thales triplici diuisione, vt referunt qui Philosophiam eius altiùs sunt scrutati, Deû, Dæmones, & Heroas seu Genios nuncupat: Deum autem definit esse mentem Mundi: Dæmones esse essentias spiritales.* & cætera. In qua re non cõuenit Lactantius eodem lib. 2. cap. 15. qui idem vult Latinis esse Genium, ac Dæmonem. Sic enim loquens de Dæmonibus ait. *Adhærent singulis hominibus, & omnes ostiatim domus occupant, ac sibi Geniorum nomen assumunt: sic enim Latino sermone Dæmonas interpretamur.* Equidem putarim, variis modis veteres locutos esse, vt varias Dæmonum functiones denotarent. *Tales*, inquit Clemens Alexandrinus vbi suprà, *sunt apud vos & Dæmones, & Dij, & si qui semidei, tanquam semiasini, muli vocati sunt. Neque enim est vobis nominum egestas ad impietatis compositiones.*

Athenagor.
Lactantius.
Clem. Alex.

Verùm libet Pythagoram, cæterosque Philosophos vsque ad Philosophiæ, totiúsque scientiæ principes Platonem atque Aristotelem missos facere. Vt enim ait Tertullianus in Apologetico cap. 22. *Omnes Dæmonas norunt, nec nomen nouum est. Sciunt Dæmones Philosophi, Socrate ipso ad Dæmonij arbitrium exspectante dehortatorium planè à bono: omnes sciunt Poetæ: etiam vulgus indoctum in vsum maledicti frequentat. nam & Satanam,* & cætera. & libr. de anima cap. 57. *Nullus penè hominum caret Dæmonio*, inquit, *& pluribus notum est, Dæmoniorum quoque opera & immaturas & atroces fieri mortes.* Non dissimili ratione Cyprianus in libro Quòd Idola non sunt Dij. *Hos & Poetæ Dæmonas norunt, & Socrates instrui se & regi ad arbitrium Dæmonis prædicabat.* Immò addit Lactãtius lib. 2. c. 15. hos vel Grammaticis notos. *Dæmones Grammatici dictos aiunt quasi δαήμονας; id est, peritos ac rerum scios; hos autem putant Deos esse*, & cætera. His affine quod ait Theodoretus in Epitome Diuinorum Decretorum cap. de Angelis, *Angelos nec vt Græcorum Poetæ & Philosophi in Deos referimus, nec in masculinum & fœmininum sexum incorpoream naturam distinguimus*, & cætera. Idémque ante Theodoretum & Cyprianum dixerat Minutius Felix in Octauio vbi suprà. *Eos Dæmonas esse Poetæ sciũt, Philosophi disserunt, Socrates nouit, qui ad nutum assidentis sibi Dæmonis vel declinabat negotia vel petebat. Magi etiam non tantùm sciunt dæmonas, sed etiam quidquid miraculi ludunt, per dæmonas faciunt*, & cætera. Plutarchus etiam in libro de Iside & Osiride scribit, genios, quos ait esse dæmones custodes, *asseri à Platone, Pythagora, Xenocrate & Chrysippo priscorum Theologorum imitatione.* & postea addit, Homerum genij appellatione, quos Dæmones Græci vocant, intelligere tam bonos quàm malos.

Tertullian.
Cyprianus.
Lactantius.
Theodoret.
Plutarch.

Quibus omnibus locum addo insignem ex Phærecide apud Marsilium Ficinum in eo libro quem inscripsit *In Phædrum commentaria & argumenta* cap. 2. in primo tomo eiusdem operum. Qui Phærecides in Philosophia excelluit, & Pythagoræ magister fuit longè ante Christum natum: Floruit enim teste Cicerone libro primo Tusculan. regnante Seruio Tullo Romæ. De eo ergo, ac de Pythagora sic loquitur Marsilius eo loco. *Inter hæc animaduerte*, inquit, *similem animarum* (quas è cœlo cadentes in nouem distribuerũt gradus Pythagorici) *describi casum à Pythagoricis, atque Dæmonum à Prophetis. numerum quoque nouenarium tam choris Angelicis, quàm lapsis inde Dæmonibus conuenire. Mitto nunc quòd similem quendam casum Pherecides Syrus narrat Dæmonibus accidisse. Additque Ophyonæum; id est serpentem Dæmoniacum; fuisse caput exercitus rebellantis à mente diuina. Huic est simile quod in mysteriis diuinis continetur. Iouem scilicet inferiores Dæmones ad inferos deturbasse.* Hæc Marsilius.

Phærecides
Marf. Ficin

Quid Plato de Angelis senserit.

His igitur Philosophis prætermissis venio ad Philosophiæ principes, Platonem videlicet & Aristotelem, quorum testimonia non secus ac cœli clarissima sidera hanc ipsam tractationem illustrare possunt. Primùm autem de Platone, deinde de Aristotele dicam.

Platonem agnouisse Angelos eius naturæ, quam descripsimus suprà, etiam nonnulli præcipui ex Christiana religione Patres fassi sunt. Tertullianus in Apologetico cap. 22. *Angelos quoque etiam Plato non negauit.* Minutius etiam Felix in eodem Octauio. *Quid Plato*, inquit, *qui inuenire Deum negotium credidit? Nónne & Angelos sine negotio narrat, & Dæmones? & in Sympusio naturam Dæmonum exprimere connititur? Vult enim, esse substantiam inter mortalem, immortalémque; id est, corpus & animam mediam*, & cætera. Idem patet ex Cypriano libro de Idolorum vanitate. *Magorum præcipuus Hostanes, & formam veri Dei negat conspici posse, & Angelos veros sedi eius assistere dicit; in quo & Plato pari ratione consensit, & vnum Deum seruans cæteros Angelos vel Dæmonas dicit.* Quem locum citat S. Augustinus in fine libr. 6. contra Donatistas. Lactantius citato libro 2. cap. 15. *Eos etiam Poetæ sciunt esse Dæmonas & loquuntur.* & infrà, *Philosophi quoque de his dixerunt: nam & Plato naturas eorum in Sympusio exprimere conatus est, & Socrates*, & cætera. Sic etiam Eusebius Cæsariensis libro 14. de Præparatione Euangelica cap. 9. de Dæmonibus atque Angelis loquens, *Plato*, inquit, *incorporeas has quidem intellectuales substantias & rationales similiter asserit. Sed primum non rectè, non genitas*, & cætera. *Quare plurimorũ Deorum genus quasi defluxus quosdam, ac emanationes primæ causæ & secundæ, vt ipse dicit, nobis proponit; hos natura bonos esse; nec posse à propria virtute labi, ac propterea Deos affirmat. Genus autem dæmonum aliud quoddam facit, quod omnis nequitiæ, ac in peiora mutationis capax esse dicit. Horum alios bonos, alios prauos, & esse, & appellari.* Quæ omnia Platonicæ doctrinæ congruere, nunc probandum est.

Plato.
Tertullian.
Minu. Felix.
Cyprianus.
Augustinus.
Lactantius.
Eus. Cæsar.

Plato ergo libro 4. de legibus, & in Epinomide tres Deorum ordines ponit, Deos, Dæmonas, & Heroas. Licèt enim hic postremus hominum sit, tamen ex iis quoque Deos fieri arbitrabatur; vt ipse asserit in Cratylo. Vnde in eo libro 4. ait Dæmones puriores quasi Deorum apud nos interpretes colendos esse; non ita tamen vt Deos, quos maiores facit; vt explicat in Epinomide. Clarissimè in Sympusio, *Omnis natura Dæmonum inter mortales Deosque est media. Quam vim habet? Interpretatur & traiicit humana ad Deos, diuina ad homines. Horum quidem preces ac sacrificia, illorum præcepta, sacrásque institutiones & ordinem.* In quibus clarum est, Platonem pleraque Dæmonibus dare, quæ in nostra religione Angelorum sunt propria.

Plato.

Sed tamen hac in re monendus es lector, consuetum

ſuetum Platoni eſſe veris fabuloſa miſcere, vt aliquid Poëtarum etiam auribus daret. Adiecit enim veris, quos ipſe exiſtimabat Dæmones, alia quædam horum genera, aquea ſcilicet ac terrea, vt arbores, fontes, flumina, antra diuinis dignaretur honoribus. Immò etiam in Cratylo ſecutus Heſiodum, homines in Deos tranſlatos ait Dæmones fieri. Quæ omnia fabuloſa eſſe, ac Poëtarum figmenta, per ſe conſtat. Optima tamen ratione idem Plato in Phædro & in 4. libro de legibus teſtatur Deum adhibuiſſe humano generi cuſtodes, non autem eiuſdem generis, ſicut nec nos mortales cuſtodem pecori præficimus pecudem aut capram; ſed hominem: vt tantum inter illos duces atque homines interſit. (Hoc tamen nimium eſt) quantum natura pecudis diſtat ab homine. Quod totum apertè patet ex Platone libro 4. de legibus. Hinc in Phædone ait. *Benè illud celebrari, crebròque iactari mihi videtur, Deos eſſe gubernatores, cuſtodeſque noſtros, & nos eſſe Diis quaſi peculium.* Sunt ergo Platoni Dæmones ſiue Dij, qui curam noſtri perpetuam gerant.

Verùm in poſteriore huius difficultatis parte plura tum ex Platone, tum ex iis qui Platonem ſequuntur, afferam, cùm de Dæmonis in homines cura negotium erit. Nunc ſi quæ ab Ariſtotele de Angelis alicubi videntur dicta perpendamus.

Quæ de Angelis crediderit Ariſtoteles. §. 2.

Ariſtoteles. ET quidem ſi quis Ariſtotelem neget quaſdam mentes, ab omni corpore ſolutas, cœleſtium orbium motrices, diuinas illas quidem, Deo tamen inferiores, atque à materia ſeparatas agnouiſſe, parùm is in eius philoſophia verſatū ſe fateatur neceſſe eſt. Nam lib. 12. Metaph. cont. 41. ex pluralitate motuum, qui in cœleſtibus orbibus deprehenduntur, earum mentiū numerum inueſtigandum ſibi apertè proponit his verbis. *Vtrùm autē vna ſit ponenda talis ſubſtātia, an plures & quot, non oportet nos latere,* & cætera. Eaſdem plures ſeparatas ſubſtantias memorat libro 1. de cœlo cont. 100. & lib. 10. Moralium cap. 7. & alibi, vt deinceps accuratè comprobabitur. Nunc verò id tantùm efficiam, vt oſtendam, Num Ariſtoteles alias huiuſmodi intelligentes ſubſtantias homine perfectiores, quæ in mouendo cœlo non occupentur, admittat.

Nam à parte negante illud ſtare videtur, quod Ariſtoteles libro 12. Metaphyſices cont. 48. docuit. Nempe nullam dari ſubſtantiam ſeparatam, quæ non ſit ad cœlum aliquod mouendum, atque ita pro cæleſtium orbium motu, harum ſubſtantiarum numerum eſſe ſtatuendum dixit. E *Si enim, inquit, eſſent alia, vtique mouebunt, cùm lationis finis ſint.* Ergo nulli erunt Ariſtotelis opinione Angeli, qui cœlum non vertant. Præterea, quia Ariſtoteles effecta, quibus antiqui Philoſophi in cognitionem Dæmonum venerunt, nempe futurorum prædictiones, Sibyllarum oracula, & quodcunque diuinum ac mirabile aſcribit melancholiæ, vt expreſſè docet ſect. 30. Probl. 1. & patet ibidem ex verbis eiuſdem Ariſtot. initio, & præterea quia ait eo humore homines *inſtinctu lymphatico efferueſcere; ex quo Sibyllæ efficiuntur & Bacchæ & omnes qui diuino ſpiraculo inſtigari creduntur.* Quod etiam eidem Ariſtoteli Cicero tribuit Cicero. A libro de diuinatione. *Ariſtoteles eos, inquit, etiam qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, cenſebat habere aliquid in animis præſagiens atque diuinum.* Ergo propter hos effectus non ſunt ponendæ naturæ illæ perfectiores ex Ariſtotele: & cùm nullus ſit præterea effectus, qui has ſubſtantias indicet, Ariſtotelis opinione negandæ erunt.

Immò ipſas diuinationes per ſomnia, quas horum Dæmonum operâ ac præſtigiis accidere antiqui opinabantur, negat Ariſtoteles prouenire ex Deo, quia deſpicatiſſimæ ſortis hominibus contingunt: Dij autem optimis eas communicarent. Ita in libello de diuinatione per ſomnium cap. 2. initio. Vnde concludit ibidem eas prouenire à propria natura, quæ *dæmonia* eſt; cum ſcilicet ex melancholia vel ſimpliciter plurima cogitamus, vel certè ea quæ aliorum ſunt, proindéque mirum non eſſe, ſi inter plurima falſa quædam quoque vera in hominum mentes irrepant. Ex nullis ergo effectibus conſtare Ariſtoteli poteſt Dæmones eſſe.

Dicendum tamen eſt, non negari ab Ariſtotele tam præſtantes naturas. Ariſtoteles. Primùm quia concedit quoſdam effectus, quos cùm in cauſas naturales referri poſſe non putet, in Deum auctorem refundit, hoc eſt, in eos Deos, quorum reſponſa inter oracula reputabantur. nimirum in Dæmones. Tum quia ij exiſtimabantur oracula reddere; Tum quia conſuetum eſt Ariſtoteli, vt cùm de effectuum cauſis dubitat, primam cauſam non aſſignet, ſed aliam aliquam ex creatis, ideóque libro primo Metaphyſices ſumma ſecunda capite ſecundo ridet Anaxagoram, quòd primo *intellectu tanquam machina vtatur ad Mundi generationem, & cùm dubitat propter quam cauſam neceſſariò eſt, tum eum attrahit.* Ergo eas naturas non negat. Antecedens patet ex libro 3. de hiſtoria animalium cap. 20. vbi agit de capro quodam in Lemno inſula, ex quo magna lactis copia ex mammis quas geminas habebat, effluebat: *vt coloſtra inde conficerentur* inquit, *quod idem proli maſculæ capri illius eueniſſe accepimus. Sed hæc in oſtentis annumeranda potiùs dicuntur. Nam & Lemnio illi pecoris domino conſulenti, Deus amplius incrementum peculij futurum reſpondit.* Ergo hos effectus refundit in Dæmones, quia vulgatam opinionem refert, nec tamen improbat, ſed potiùs tacitè illi aſſentitur, vt paulò pòſt notabo. Sanè in oraculorum; hoc eſt, Dæmonum reſponſa miraculi notitiam ac prædictionem retulit. Quaſi in hac de re communi Gētium opinioni ſubſcribat. aliàs reieciſſet, vt cætera quæ ipſe non probauit.

Deinde quia nec incantationes equorum reſpuit libro 8. de hiſtoria animalium cap. 24. Sic enim ait de equis lymphaticis. *Vt equum ad tibiæ ſonum quieſcat, & demittat frontem; cum verò conſcenderis citetur contentius donec retineas.* Nec auguria libro 9. ibidem cap. 1. reprehendit. Immo ait, ex carniuorum animantium pugna *augures ſua diſſidia & conſidia colligere, diſſidio bella omnemque diſcordiam ſtatuunt; conſidio pacem omnemque concordiam.* Tertiò quia pluribus in locis agnoſcit præter hominem aliud quoddam animal rationis particeps homine diuinius. Nam libro 3. de Anima cont. 29. licèt dubitando magis quàm quicquam certi ſtatuendo, tamen ſatis apertè indicat eiuſmodi eſſe ſubſtantias. *Quibuſdam autem adhæc ineſt & ſecundùm locum motiuum; aliis autem cogitatiuum & intellectus vt hominibus; & ſiquid aliud huiuſmodi*

Simplicius. *huiusmodi est, aut etiam honorabilius.* Vbi Simplicius *aliud eiusmodi* exponit animam à solido hoc nostro corpore seiunctam, patibili tamen corpore vtentem sed tenuiore. Quales Platonici censebant esse Dæmones, vt infrà constabit ex Platone, Plotino, Apuleio, & aliis. Vnde ibi illam particulam *honorabilius* Simplicius exponit Dæmonum genus, quod ad patibile corpus progreditur, hoc est, quod corpore patibili vtitur, seu præditum est. Nam de his Aristotelem locutum esse patet; quia intelligentiæ Aristoteli abiunctæ mentes sunt, nec cogitandi facultate præditæ: Zimara. idémq; docet Theophilus Zimara in eum contextum. Non ergo tales substantiæ negantur.

Præterea adhuc clariùs genus dæmonum affirmat, dûm eos enumerat inter ea quæ dicuntur propriè substantia libro 5. Metaphysices cap. de substantia. *Substantia,* inquit, *dicuntur & simplicia corpora vt terra, ignis, aqua, & quæ talia sunt, & vniuersaliter corpora, & quæ his consistunt animalia, & Dæmonia, ac eorum particulæ.* Enumerat ergo inter cætera, quæ verè vel sunt corpora, vel e corpore constant, Dæmonia, licèt subtiliore; Vt ibi etiam exponunt interpretes. Vterque Alexander, Albertus & S. Thomas; licèt hi duo postremi nomine Dæmonis addant accipi idola, quæ ex arte composita, sunt substantialia. Quæ tamen expositio aliena videtur à mente Philosophi eo loco, cùm loquatur de substantia physica non ex arte. Et difficile videtur, eo tempore muta simulachra & lapidea seu lignea, & cætera præstantissimæ naturæ nomine à Philosopho naturę genio nuncupari. Quanquam esto intelligat simulachra; tamen si Dæmonia esse docet, idcirco ita appellare voluit, quia in iis insideat aliqua vis intelligens ac sapiens. Alioqui cur hoc nomine ea dixisset? ergo supponit tales substantias inesse statuis, vt cæteri philosophi opinabantur.

Potest etiam alter ex Aristotele locus ad eandem propositam rem adduci ex libro primo de Partibus animalium cap. 5. Vbi Aristoteles lau-Heraclitus. dat Heraclitum Philosophum, quòd dixerit omnia esse plena Diis. Cùm enim quidam *eum alloqui vellent, quòd fortè in casa furnaria quadam caloris gratia sedentem vidissent, & ad eum accedere temperarent, ingredi eos fidenter iussit, quoniam ne huic quidem loco inquit Dij desunt immortales.* Ergo Aristoteles non dissentit ab Heraclito in hoc, quòd Dij vbique essent, cùm eius dictum laudet, ac proinde comprobet. Cùm autem Heraclitus per ipsos Deos intelligeret substantias intelligẽtes; nempe Lares, & huiusmodi animas, nam iis omnia plena esse aiebat, vt expresè docet Laërtius in eius vita paulò post medium: ergo & idem Aristoteles arbitratus est. Vide etiam, quæ scribo infrà q. 53. quæsito primo Difficulta-Aristoteles te 3. ex eodem Aristotele libro 4. Topicorum loco 64. Vbi ait *Deum & studiosum posse praua agere,* nunquam tamen fore vt agant: Quæ nequeũt intelligi de summo Deo, vt ibi dicam, ergo de Diis minoribus, quos Angelos nos dicimus. Similiter probari potest ex eodem Aristotele referẽte Plutarcho in libro de Homero paulò post initium. Vbi Aristoteles ait Homerum ex genio natum, nempe ex Dæmone. Genij enim nihil aliud putabantur esse, quàm Dæmones hominum custodes, vt ex Hesiodo docet Plutarchus in libro de defectu oraculorum, quos ait esse custodes hominum hoc carmine.

Custodes hominum casti terras obeuntes.

A Sic etiam libro de Iside & Osiride ait, Homerum *appellatione genij, qui Græcè dicuntur Dæmones vti de bonis ac malis.* Idemque ex Hesiodo repetit carmen. Idem in sequenti difficultatis parte ex Aristotele docturi sumus. Nec dubium id fuit veteribus. Nam Tertullianus in Apologetico Tertullian. cap. 32. num. 451. *Nescitis,* inquit, *Dæmonas genios dici, & inde denominatiua voce Dæmonia?* & infrà ibidem: *Dæmones, id est genios; adiurare consueuimus.* Idem habet libro de anima vbi fusè Pamelius. Sic etiam Lactantius libro 2. cap. 14. de il-Lactantius. lis spiritibus contaminatis, qui omnia insidiis, erroribus, fraudibus, dolis complent. *Adhærent,* inquit, *singulis hominibus, & omnes ostiatim domos occupant, ac sibi Seniorum nomen assumunt. Sic enim* B *Latino sermone Dæmones interpretantur.* Ait ergo Plutarchus, sic in eo libro de Homero. *Aristote-Plutarchus. les tertio de Poëtica scribit in insula Io, quo tempore Neleus Codri filius coloniæ in Ioniam ducendæ præfuit, puellam indigenam à Genio quodam ex eorum numero, qui cum Musis choros ducunt, compressam cùm intumescẽte vtero facti pudore moueretur,* & cætera *ad ipsum fluuium peperisse Homerum.*

Alios etiam tres locos adducemus ex Aristotele in sequenti difficultatis parte, vbi eius in hac re sententiam clariùs edocebimus. Sanè Bes-Bessation. sarion Cardinalis libro 3. contra Calumniatorem cap. 7. expresè ait, non modò Platonem, C sed Aristotelem quoque Dæmones coluisse, non quales nunc nos Diabolos dicimus, sed naturas quasdam aëreas, Diis ignobiliores, hominibus multò præstantiores. *Quod nos,* inquit Bessarion, *commune omnium ætatis illius hominum crimen esse fatemur. Nec Aristotelem excipimus. Si quidem is quoque iudicandus ex iis est, qui scripsit de Dæmonibus.* Quos etiam Philosophos ait putasse Dæmones esse *intercessores & interpretes* inter Deos & homines. Immò addit eosdem philosophos didicisse ab Homero Luciferum sua culpa in terram è cœlo cecidisse, quem ille Aten appellat. Quod verò Aristoteles libros de Dæmonibus scripserit, magnifaciendum est hoc eruditissimi viri D testimonium.

Addunt alij locum Aristotelis ex libro, qui eius nomine circumfertur, de secretiore philosophia secundùm Ægyptios cap. 4. Quæ si Aristotele auctore dicta constarent, ad probandum alicubi esse Dæmones maximè pertinerent, vt ait Carpentarius in Alcinoum de Doctrina Pla-Carpentarius. tonis digressione 4. Verba autem sunt huiusmodi. *Spirituum,* inquit, *aliquot genera sunt. Quidam enim cælestes in ipsis stellis potissimum suam sedem habentes, quòd illorum actiones in iis maximè appareãt. Alij in totis orbibus sine vlla differentia siti. Quia incorporei sunt, neque stellis tantùm, sed omnino ipsis orbibus sine discrimine præsunt Si quis verò inquirat, An* E *in mundo hoc, qui in sensum cadit, quicquam sit, cuius mundus alter sit expers; equidem in illo hæc etiam inesse dicimus, cœlum, terram, mare, bruta, plantas, homines, denique ea omnia, quæ in hoc mundo reperiuntur. Sed eorum, quæ in illo sunt, nihil esse terrenum, atque spiritus, qui in eodem versantur cum hominibus, in illo viuentibus, amica pace consentire. Neque enim vnus alium expellit, nec ab altero pellitur. Neque vlla in re sibi inuicem aduersantur, sed omnes in maxima vitæ societate conquiescunt; Quoniam eorum auctor vnicus est, omninóque sui similis. Illi quoque ea, quæ desunt, contemplantur, nec ortui vel interitui obnoxij. Idémque singuli in eius essentia suam intuentur, quia spiritus, qui in eo mundo versantur, pellucidi sunt.* Verùm hæc non

solùm

ſolùm Ariſtoteli aliena ſunt in eo, quòd ponit alium mundum, in eoque maria atque animantes.(Neque enim veriſimile eſt, vigilantiſſimum naturæ obſeruatorem ea docuiſſe, quæ naturæ principiis cõſentanea nullo modo eſſe poſſunt.) Tamen etiamſi ea maximè ab Ariſtotele dicerentur, nihil haberent virium ad efficiendum, quod nunc de Angelis quærimus. In eo enim ſita eſt quæſtio præſens, vt planum ſit; An Ariſtotele auctore dentur in rerum natura; in hoc ſcilicet mundo, eæ intellectuales ſubſtantiæ, quæ hominis naturæ nobilitate præſtent. Ea autem quæ retulimus, in alio mundo hos ſpiritus eſſe docent.

Ariſtoteles. Denique clariſſimus locus apud Ariſtotelem eſt libro 2. Rhetor. cap. *De locis Enthymematum.* Vbi pertractans locum à definitione, primum exemplum eius loci ex Dæmonibus proponit hoc pacto. *Dæmonium*, inquit, *nihil aliud eſt, quàm aut Deus, aut Dei opus. Atqui qui Dei opus eſſe opinatur, hic & Deos eſſe opinetur neceſſe eſt.* Fatetur ergo Ariſtoteles eſſe Dæmones, licèt ancipiti loquatur modo, ſint ne dij, an Dei opus. Quod quidem ad rem præſentem nihil refert. Nec paruifaciendus liber is, quòd exotericus ſit. Vt enim infrà oſtendam, etſi in huiuſmodi librorum genere complura ab Ariſtotele conſcribantur quæ vulgi captui planiora ſunt: Tamen haud ea docere voluit, quæ vt ſe vulgo accommodaret, falſa ipſe putauerit. Conſtat ergo ab Ariſtotele ſpiritales has naturas non negari.

Ad argumenta autem, quæ aduerſari videntur, reſpondendum eſt. Et ad primum dico; eo argumento tantùm probari, in orbibus cœleſtibus ſparſim, non dari intelligentias ſeu Angelos, qui motores alicuius cœli non ſint, cum in iis orbibus ſparſim, nihil voluerit aſſerere, niſi ex iis effectibus, qui ea indicare veriſimiliter poſſunt. Ex eo tamen non efficitur, vt infra cœlum non ſint aliæ intelligentes ſubſtantiæ, quæ à cœlo mouendo vacent; quemadmodum in alium finem eas poſuit Plato, cæterique eo antiquiores philoſophi, vt mox patebit Certè cùm Ariſtoteles ſolitus ſit celebres ſui temporis vulgatáſque ſententias, ſi eas cum veritate pugnantes animaduertiſſet euertere, vt conſtat eum feciſſe aduerſus Platonis Ideas, Democriti atomos, Anaxagoræ Panſpermiam, Deorum multitudinem, & id genus alia vbicumque ſe occaſio offerebat; non prætermiſiſſet alicubi ſaltem has de Dæmonum ſubſtantiis vulgares opiniones exagitare, ſi eas omninò falſas eſſe ſenſiſſet. Addo non poſſe generatim intelligi, quòd in nullo prorſus cœlo ſint Ariſtoteli intelligentiæ præter motrices orbium. Nam ipſe videtur nonnullas alias alicui cœlo vel certè ſupra cœlum; hoc eſt ſupra cœli extimam ſuperficiem concedere libro primo cœli cont. 100. vbi ſcribit, extra cœlum nullũ eſſe corpus, nec locum vllum, nec vacuum. & ſubdit. *Quapropter neque quæ illic ſunt, nata ſunt in loco eſſe, neque tempus facit ipſa ſeneſcere, neque vlla tranſmutatio vllius eorum eſt, quæ ſuper extima poſita ſunt latione, ſed inalterabilia, & impaſſibilia optimam habentia vitam, & per ſe ſufficientiſſimam perſeuerant toto æuo.* Quibus expreſſa vides ab Ariſtotele duo ad rem præſentem, qua de agimus, ſpectantia doceri. Alterum eſt; extra cœlum nullum eſſe corpus. Alterum; ſuper extima latione eſſe aliqua entia, quæ viuunt ſufficientiſſimam; hoc eſt beatam; vitam. Quæ con-

A uenire non poſſunt niſi ſubſtantiis à materia ſeparatis, intelligentibus, ac proinde quæ homini tum ſubſtantiæ nobilitate, tum vitæ felicitate antecellant. Et ideò dixi, non eſſe Ariſtoteli ſparſim in orbibus præter motrices intelligentias, quemadmodum eas poſuit Plato ſideribus inſidere. Ad hoc enim improbandum videtur Ariſtotelis ratio reſpexiſſe, quia non erat Ariſtoteli firma ratio ad eas affirmandas. At verò illi fuit ratio, vt eas aſſereret ſuper vltimã ſphæram; Vt ſcilicet eſſent nobiliſſimæ ſubſtantiæ, quæ ſua felicitate fruerentur, vt patet ex illius iam relatis verbis. Ad hanc verò ſententiam accedit Alexander, vt dicam ſequenti parte in primo *Colligitur.* Quibus etiam intelligendis nõ-
B nullos habes infra a. 3. diff. 4.

Ad ſecundum dico; nunquam iis locis negari ab Ariſtotele Dæmones. Quamuis enim vaticinationes, inſtinctũmque, vt ipſe vocat, lymphaticum; & huiuſmodi effectus Sibyllarum, & Baccharum, vt in argumento diximus, tribuat atræ bili calidæ, dum ad ſedem mentis accedit; tamen cùm hæ cauſæ materiales ſint.(Sunt enim materia furoris, atque inſaniæ, quibus ante prædictiones laborare ſolitæ ſunt Bacchæ, ac Phanatici, quo pacto Virgilius 6. Æneidos illam fatidicam Æneæ in inferno ducem deſcripſit;) ſupereſt aſſignanda efficiens cauſa, qua illi humores certo quodam ordine ad prædicendum mo-
C ueantur. Quod quidem licèt caſu interdum accidere poſſit, tamen plerumque intelligens, quæ materiam diſponat, cauſa requiritur: præſertim ſi huiuſmodi vates alienis nõ ſuis, & quas ignorant linguis loquantur. Qua de re optimè Martinus Delrius, & alij apud ipſum libr. 4. Diſquiſitionum Magicarum cap. 2. q 6. Sic autem Virgilius loco citato in Sibylla, cùm à Dæmone in ſuo antro corripiebatur, vtramque cauſam, nempe materialem atque efficientem viſus eſt tetigiſſe. Delrius. Virgilius.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum; tanto magis ille fatigat
D *Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo, &c.*

Hac ergo in re eſto cauſa materialis ſit melancholia, cui Dæmon inſideat: tamẽ debuit etiam eſſe, qui fatidicam ad ſermonem de rebus futuris commoueret. Quo pacto energumeni Dæmone correpti miris modis naturam excedentibus vexari ſolent, vt deinde ad interrogata reſpondeant, & cætera. Qua de re complura infra in ſequenti quæſito explicabuntur à nobis diligenter.

Itaque dico: Ariſtotelem non negaſſe Dæmones; ſed exiſtimaſſe tantùm, ad eos effectus ritè explicandos, interdum ſatis eſſe cauſam materialem. Interdum enim ita caſu aliquo diſponi
E poteſt, vt illi effectus eueniant, non tamen voluiſſe ſemper ita eſſe, cùm id ipſe nuſpiam dicat, & manifeſtè falſum ſit. Quod etiã confirmari poteſt ex eius dictis in eo libro de diuinatione per ſomnium. Quia ait non eſſe mirum, ſi inter tam multa falſa quę enunciantur, interdum verum aliquod proferatur, vt patet ex illo cap. 2. non longè ab initio. Quare ſolùm loquitur, cùm interdum caſu accidit, vt verum dicat. Quinam autem ſint effectus, qui huiuſmodi Angelorum naturas reperiri, efficaciter demonſtrent, fuſiùs dicemus ſequenti & tertio quæſito.

QVOAD POSTERIOREM DIFFICVLTATIS PARTEM.

An scilicet Ethnici Philosophi has intelligentes substantias dari putarint quoad quasdam functiones in Hominis præsertim animum exercendas.

QVoniam ad hanc Difficultatis partem posteriorem sæpè Dæmonum mentio facienda nobis est, videndum priùs erit quid nomine Dæmonis significetur tam apud sacros, quam apud prophanos scriptores.

Quid nomine Dæmonis intelligendum sit, tam apud sacros quàm apud prophanos auctores. § 1.

NOtandũ est nomẽ Dæmonis aliter apud antiquos Philosophos, aliter apud scriptores sacros vsurpari. Nam apud sacros nunquam nisi in malam partem accipitur; hoc est, pro natura, quæ cùm in Mundi exordio parem cum Angelis conditionem, intelligendíque facultatem in cœlo empyreo accepisset; suo peccato de cœlo pulsa apud inferos pœnas sui sceleris luit. [Euseb. Cæs.] *Apud nos* inquit Eusebius Cæsariensis libro 4. de Præparatione Euangelica cap. 3. *nomina ista Dæmonum semper malè sonant, neque vllum bonum Dæmonem nostra dicunt Scriptura.* Vnde cap. 6. ibidem. *Quoniam igitur* inquit *alios bonos, alios malos Dæmones putat* Porphyrius *agè iam videamus, certisque rationibus comprobemus, malignos esse omnes Dæmones, quamuis Gentilitas loco Deorum eos veneretur.* Eodem modo [Augustin.] S. Augustinus libro 9. de ciuitate Dei cap. 19. ait, Dæmonis nomen nunquam bonum. *Nos autem* inquit *sicut Scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, angelos quidem partim bonos, partim malos; nunquam verò bonos dæmones legimus.* Idem [Tertull.] patet ex Tertulliano libro de Testimonio animæ cap. 3. Vbi docet, dæmonis nomen transferri in homines quacunque improbitate affectos, quæ soleat Dæmoni attribui; *Dæmonium vocas* inquit *hominem aut malitia, aut insolentia, aut quacunque macula, quam nos Dæmonio deputamus, aut ad necessitatem odij opportunam.* In eandem sententiam [Minutius Felix.] loquitur Minutius Felix in Octauio vbi suprà. Opponit enim Angelorum, ac dæmonum officia hoc pacto, vt scilicet Dæmones sint spiritus insinceri & vagi, *qui deprauati errorem prauitatis infundunt*, & cætera. Angeli autem sint *Dei ministri*, & cætera. Qua etiam ratione [Sostenes.] Sostenes vtrũque genus opposuit, vt ibidem ait Minutius. *Eorum* dæmonum inquit *& Magorum eloquio & negotio primus Sostenes, & verum Deum merita maiestate prosequitur, & Angelos, id est, ministros & nuntios Dei, sed veri, eiúsque venerationi nouit assistere.* Sunt ergo Dæmonum nomina in malam partem Christianis auctoribus.

Immò adeò hoc nomen infensum esse cœpit [Apuleius.] hominibus, vt Augustini sententiâ Apuleius, ne legentium animos à legendo vel deterreret vel retardaret, noluerit suum librum inscribere *de Dæmone Socratis*, sed *de Deo Socratis*, cùm tamen ille liber nonnisi de Dæmone Socratis agat. *Ita* [Augustin.] *enim* inquit S. Augustinus libro 8. de ciuitate Dei cap. 14. *Omnes vel penè omnes dæmonis nomen exhorrent, vt quisquis ante disputationem Apuleij, qua dæmonum dignitas commendatur, titulum libri de dæmone Socratis legeret, nequaquam illum hominem sanum fuisse sentiret.* Ideóque apertè negat eodem libro 9. cap. vlt. sanctos Angelos vocari eo nomine iure posse, tametsi quæstio ista de nomine sit. *Quamuis* inquit *nominis controuersia videatur; tamen ita est detestabile nomen dæmonis, vt hoc modis omnibus à sanctis Angelis nos remouere debeamus.* Atque hęc quidem apud scriptores sacros.

At verò Ethnici auctores dæmonis appellatione Angelos etiam bonos, atque adeò Deos ipsos complexi sunt; quod totum manifestum est ex supradictis, dum antiquorum de dæmonibus sententias à Mercurio Trismegisto ad Platonem vsque recensuimus. Ratio horum est, quia, vt ait S. Augustinus libro 9. de ciuitate Dei cap. 20. [Augustin.] dæmones dicti sunt, quasi scientes. Quod priùs animaduertit Lactantius libro 2. cap. 15. vt su- [Lactantius.] prà diximus, *dæmonas autem Grammatici dictos aiũt, quasi δαήμονας id est peritos, ac rerum scios. Hos enim putant Deos esse.* Quod ipsum etiam reperias apud Platonem in Cratylo. Vbi obseruat; dæmonas [Plato.] dictos fuisse, quasi *δαήμονας*; hoc est intelligentia, sapientiáque pollentes. Cum ergo omnis natura intelligens homine nobilior eiusmodi facultatibus prædita sit; vt nimirum longè illustriore, quàm homines sapientia polleat; non mirum, si dæmonis appellatione Angelorum siue bonorum siue malorum natura nominetur. Quanquam Eusebius libro 4. de Præparatione Euan- [Eusebius.] gelica cap. 3. vt reprobos dæmones in contemptum vertat, neget eos debere dici dæmones, *quos Latinè scientes dicere possumus, sed potius quia δειμαίνειν soleant, quod Latinè tum timere, tum terrere significat.*

Verùm licèt dæmonis nomen generatim eo modo plerunque accipiatur apud hos auctores, tamen præcipuè Dæmon significat antiquis philosophis naturam Deo quidem inferiorem, sed quæ humano animo celsior sit, siue bona sit siue mala, vt ex verbis supra relatis liquet, & expressè docet Eusebius in eo cap. 3. Vnde idem Euse- [Eusebius.] bius eodem libro 4. de Præparatione Euangelica cap. 11. ait, *Bonis & malis dæmonibus templa Romani extruebant, illis vt iuuarent, istis ne nocerent.* Similiter Plutarchus in opere *Quod oracula defece-* [Plutarch.] *runt* vt obseruat Viues in caput 14. libri 8. de ciuitate Dei laudat eos, qui dæmonum genus inter Deos, hominésque constituerunt, propterea quòd excogitarunt modum, quo humanum genus cum Deo coniungeretur. Quam etiam sententiam docuit ex eiusdem Plutarchi libro Eu- [Euseb. Cæs.] sebius Cæsariensis libro 5. de Præparatione Euãgelica cap. 4. *Mihi autem videntur* inquit ibi Plutarchus, *pluribus, atque maioribus satisfecisse dubitationibus, qui genus dæmonum inter Deum & homines posuerunt*, & cætera. Huic consentiens scribit Eusebius libro illo 4. cap. 3. antiquos Theologos Deum Patrem omnium atque regem primo loco collocare, deinde aliorum Deorum multitudinem, tum dæmones postremo heroas. Quanquam idem Eusebius aliter hoc quadripartitum [Plutarch.] genus ex Hesiodo apud Plutarchum recenseat libro illo 5. cap. 4. *Hesiodus* inquit *primus hominum distinctiùs quatuor genera rationalis naturæ ordine posuit. Deos primũ, deinde dæmonas, postea heroas, postremò homines. E quibus aurei generis bonos homines in dæmonas transferens, semideos autẽ viros in heroas reducens,*

A nobis

Bessarion.

A nobis tamen dissentit Bessarion Cardinalis Nicenus libro 3. contra Calumniatorem cap. 7. vbi contendere videtur, Platonem cæterósque Philosophos, cum nomine Dæmonis vtuntur, non malos significare voluisse, sed naturas quasdam medias inter homines & Deos, quarum opera genus humanum in Deum reduceretur, atque Deorum interpretes haberentur. Quod quidem licet à Platone nonnunquam dicatur, vt paulò pòst patebit ex eius Symposio, dum eius ego verba in medium proferam; Tamen id non esse vsquequaque verum, paulò antè ex antiquis Philosophis relata verba declarant, apud quos dæmones cum Diis ipsis confundi solent. Quod ab Homero fieri docet Plutarchus in eo libro de defectu Oraculorum, cuius verba habes etiam apud Eusebium Cæsariensem libro 5. de Præparatione Euangelica cap. 4. *E Græcis autem* inquit Plutarchus ibi apud Eusebium, *Homerus promiscuè his nominibus vti videtur, eosdem modo Deos, modò dæmonas nuncupans.*

Plutarch. Euseb.

Plato.

Immò & à Platone non rarò dæmones ipsi inter Deos numerantur, vt dixi initio huius Difficultatis. Et præterea quia Plato in Phœdone, vbi loquitur de statu animorum post hanc mortalem vitam, postquam dixerat, animum indigere custode, duo subdit. Vnum est, dæmonem eorum animorum, qui se aliquo scelere contaminassent in vita, ampliùs custodem esse nolle. Alterum eos, qui sanctè ac purè vixissent, duces ac comites habere Deos, ab iisque in congruum duci locum. Ergo dæmones quoque Dij Platoni sunt, non autem solùm Deorum interpretes. Duces enim, custodésque hominum Platoni dæmones esse, non dubium est. Sic enim apertè libro 4. de legibus, vt paulò pòst referam, dixit dæmonum officia esse, vt homines regant atque custodiant. Similia docet in Timæo; idque confirmatur validè ex Phœdone, vbi perspicuis verbis docet, cælestes Deos esse *custodes, gubernatorésque nostros, & nos esse Diis quasi pecuinum.* Quo etiam pacto in Apologia multis ostendit; res viri pij iustique non negligi à Diis, & in Timæo omnem curam hominum Iuppiter tradit Diis minoribus. Hi ergo ipsi dæmones, qui custodes hominum sunt, Platoni sunt Dij, & Dij cælestes. Atque ita huiusmodi munera sunt bonorum dæmonum, hoc est, Deorum cælestium.

Plato.

Ex quibus etiam obiter aio, Platonem nonnunquam nomine dæmonis malos & cacodæmones intelligere. Quosdam enim dæmones aerios facit præstigiatores ac deceptores, vt patet ex libro 2. & libro 10. de legibus. Hinc rectè Porphyrius ad Platonis mentem in libro de Occasionibus ex ipso Platone Duo dæmonum genera esse dicit, eáque inter se contraria; vt etiam obseruauit Carpentarius in Alcinoum de Doctrina Platonis Digressione 4. Vnum quidem bonorum, quod sua officia nunquam erga homines intermittit, sed pericula nobis à maleficis impendentia pro viribus præmonstret, dum & per somnia, & per animam diuinitus afflatam, aliáque multa, cauendorum periculorum, bonorúmque prosequendorum significationes dant. Vt si quis distinguere, quæ significantur, posset, fraudes omnes cognosceret, ac præcaueret. Alterum eorum, quibus omnes præstigiæ perficiuntur, multísque ac maximis in rebus mortale hominum genus læditur. Quod etiam facit libro 2. de Abstinentia ab esu carnium. Cuius etiam

Porphyr. Carpentar.

sententiam suis verbis prolatam refert, & probat etiam ex Platone Eugubinus ibidem cap. 26. Parum tamen congruenter iis, quæ dixerat ex eodem Platone cap. 20. vbi docuit, Platoni dæmonas nunquam malos esse. Quod etiam ex eodem Platone docet Theophilus Zimara 2. de Anima in cont. 29. Constat ergo, dæmones Platoni non semper esse medios inter Deos & homines, sed quandoque Deos ipsos minores, & interdum in bonam accipi partem, & tunc eosdem ferè esse atque nobis Angelos: & interdum in malam, & tunc vix differre ab iis, quos Theologi dicunt dæmones. Immò ab iis, qui Deos quoque bonos & malos posuerunt, dæmones nomine Deorum appellatos esse, docet Augustinus 9. de ciuitate Dei cap. 1. Legi nonnulla possunt apud Lactantium libro illo 2. cap. 15. & deinceps, & apud Eugubinum libro 8. de Perenni Philosophia à cap. 2. & apud Ludouicum Viues in illud caput primum libri 8. de ciuitate Dei citatum, vbi etiam multa eruditè Leonardus Coquæus obseruat.

Eugubin. Zimara. Augustin. Lactantius. Eugubinus. Viues. Coquæus.

Nos itaque cum in hac posteriore Difficultatis parte quærimus, Vtrùm veterum sapientum opinione, huiusmodi naturæ, quas diximus Angelicas, exerceant aliquam vim proximam in hominis animum supra hominis vires, non recusabimus nunc, quantum attinet ad præsentem Difficultatem, eas siue bonæ sint siue malæ, dæmones cum hisce Philosophis nominare.

Resolutio posterioris partis difficultatis §. 2.

SEcunda Propositio, Antiqui sapientes ferè omnes huiusmodi functiones Angelicas concessère. Incipiam ab eodem sapientum vetustissimo Mercurio Trismegisto. Nam vt suprà vidimus in Pimandro, existimauit, Dæmonum operà homines in vitia impelli; quod etiam illi copiosè Lactantius ascribit cap. 15. cit. *Hi sunt* inquit *immundi spiritus, malorum quæ geruntur auctores, quorum idem Diabolus est princeps; vnde illum Trismegistus* δαιμονιάρχην *vocat*, & cætera. Nec Theologi nostri dissident, qui id totum reproborum Angelorum proprium esse docuere. In Asclepio autem opinatus est, ex Idolorum simulachris dæmonas responsa dare vel ad bona præstanda, vel mala hominibus inferenda. Idem patet ex Orpheo, cuius sententiâ bonos & malos dæmones suprà asseruimus. Nec differre Thaletem atque Hesiodum, cæterósque, colligitur ex dictis ibidem. Et Hesiodi quidem ex Platone aptissima carmina sunt apud Ludouicum Viues in libri 9. de ciuitate Dei caput 11. Vbi postquam vocauit dæmones aureum genus, ait, hos esse eos, qui sunt

Trismegist. Lactantius. Orpheus. Hesiodus. Viues.

Custodes hominum felices, & mala pellunt.

Quos etiam Hesiodi versus ex aliis suprà in altera huius Difficultatis parte retulimus. Idem ex Hesiodo refert ibidem Lactantius. Quamuis Hesiodus dicat, hos fieri ex probissimo hominum genere: Quod poëticè dixit magis, quàm verè, & ex animi sententia. Huc etiam Plutarchus libro de Animi tranquillitate refert Menandrum dicentem.

Plutarch. Menander.

Vnicuique in lucem cùm primò editur,
Genius bonus, magister vitæ totius
Adsistit ——

Empedocles. & Empedoclem qui vnumquemque nostrum, postquam est natus, arripi, gubernarique à duplicibus fatis geniisque docet.

Hæc porrò communicatio hominum cum Dæmonibus in veteribus Pythagoreis adeò multorum historiis testata est, vt necesse fuerit antiquis Ecclesiæ Patribus nonnulla, quæ apud ipsos Pythagoræos tanquam diuina miracula narrabantur, refutare; maximè quæ à Philostrato in Apollonio Tyanæo, in quibus Hierocles hunc Christo seruatori nostro parem facere nõ est veritus. Cuius impiam falsitatem Eusebius Cæsariensis copiosè libro aduersus Hieroclem edito profligauit. Cui libro appositè titulum inscripsit. *Contra Hieroclem, qui ex Philostrati historia comparauit Apollonium Tyanæum Saluatori nostro Iesu Christo.*

Philostrat.
Hierocles.
Euseb. Cæs.

B

Iustin. mart. Et Iustinus martyr de iisdem interrogatus à Gentibus; quî ea, quæ ab Apollonio patrabantur, à Christi miraculis differrent; sic respondit quæst. 24. *Conseruator noster Christus pro diuina sua auctoritate, ac iure, mira inusitatáque opera perficiens nusquam materiam requirebat, sed imperium eius ac prædictionem res & sequebantur, & sequuntur. Et res quidem, quas Apollonius efficiebat; quoniam ex iure naturalium virium factæ sunt; ad functiones corporeas hominum, non euertit Dominus. Ipsum autem dæmona, qui in eius signo insidebat, & in diuinationibus homines decipiebat, faciebátque, vt Apollonius pro Deo coleretur, eique diuini honores tribuerentur, eius extinctis diuinationibus mutum reddidit, & vnà cum illo cæterorum dæmonum, qui à Gentibus Deorum nomine colebantur, potentiam euertit, Quemadmodum res ipsa declarat.* In eodem argumento versatur idem Iustinus quæstione vigesimasexta.

C

Socratis Dæmonem fuisse Angelum eius tutelarem nonnullis Theologis ac Patribus videri.

§. 3.

Socrates.
Apuleius.
Tertullian.

SVperfluum est de Socrate Platonis magistro quicquam in medium afferre, cùm notissima sint ea, quæ de Socratis Deo scripsit Apuleius. Cuius rei meminerunt vario modo Patres & alij auctores. Etenim Tertullianus libro de Anima cap. 1. his verbis. *Aiunt, dæmonem illi à puero adhæsisse, pessimum re vera pædagogum, & si post Deos, & cum eis dæmonia deputantur penes Philosophos, & Poëtas. Nondum enim Christianæ potestatis documenta processerant, quæ vim istam perniciosissimam, nec vnquam bonam antiqui erroris artificem, non veritatis amatricem sola traducit.* Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum, *Et Socratis Dæmonium causa erat*, inquit, *non prohibens sed adhortans*, & cætera. Minutius Felix in Octauio, *Socrates nouit*, inquit, *qui ad nutum assidentis sibi dæmonis vel declinabat negotia vel petebat.* Cyprianus libro de Idolorum vanitate num. 52. *Et Socrates*, inquit, *instrui se, ac regi ad arbitrium dæmonis prædicabat.* Lactantius libro 2. cap. 15. citato, *Et Socrates*, inquit, *esse circa se assiduum dæmona loquebatur, qui puero sibi adhæsisset, cuius nutu & arbitrio sua vita regeretur.* Denique Plutarchus, librum scripsit *de Dæmone Socratis*; Et Maximus Tyrius, geminam de eodem Apodixin. Ab hoc dæmone solitus erat admoneri Socrates, vt ab agendo desisteret. *Quando*, in-

Clem. Alex.
E
Min. Felix.
Cyprianus.
Lactantius.
Plutarchus.
Maxim. Tyrius.

A

quit S. Augustinus libro 8. de Ciuit. cap. 14. *in quod agere volebat, prosperè non fuerat euenturum.* S. August.

Cicero. Addit Cicero libro primo de diuinatione, illud dæmonium nunquam Socratem ad agendum impulisse, sæpè ab agendo reuocasse, nempe vt opinor, cùm turpia suadebantur. Alioquin non retraxisset ab agendo, vt patet ex Phædro. Idem mox ex Socrate idem fatente apud Platonem dicam. Vt venerit in mentem multis Catholicis auctoribus existimare; non incredibile videri, dæmonem illum Socratis bonum fuisse Angelum. Id habet Eugubinus libro 8. de Perenni Philosophia cap. 25. *Dæmon*, inquit, *Socratis, cuius meminit tot locis Plato, cum Socrates esset vir bonus, hortaretúrque ad virtutes omnes homines, & ab ipso dæmonio semper ad bonum vocaretur, fortasse non malè esset sentire fuisse bonum Angelum, qui & Balaam ariolo apparuit, à scelerèque auertit.* Apertè tamen Ægidius in 2. d. 11. q. 1. a. 2. Dæmonem Socratis tutelarem eius fuisse Angelum docet. Quam sententiam sequitur etiam expressè Thomas ab Argentina eadem d. 11. q. 1. a. 3. in prima conclusione. Præclarè etiam hac de re Andreas Vectorellus, vt semper libro 2. de custodia Angelorum sæpè. Certè Socrates apud Platonem in Theage de suo dæmonio sic loquitur. *Adest mihi* inquit, *diuina quæ tam sorte dæmonium quoddam à prima pueritia me secutum. Hoc enim vox est quædam, quæ cum auditur, eius quod sit dissuasionem innuit, prouocat verò nunquam. Quòd si quis amicorum aliquid mecum quandoque communicet, vertíque vox, hoc illa dissuadet, neque facere sinit.* & cætera.

Eugubinus.
Ægidius.
Andr. Vectorel.

Quæ quidem si vera sunt, non video cur dubitemus, Angelum hunc diuina misericordia Socrati fuisse ad custodiam datum, vt scientiam de moribus non solum disciplina, sed etiam exemplo cæteros edoceret. Neque verò huic coniecturæ obstare debet, quòd huiusmodi dæmones boni, & non Angeli ab his vocêtur. Nam ob hanc fortè causam dictum est à S. Augustino libr. 9. de Ciuitate Dei c. 19. antiquos non negasse Angelos, sed eos maluisse bonos dæmones vocare, quàm Angelos. Quin etiam hęc est aperta sententia Eusebij Cæsariensis libr. 13. de Præparatione Euangelica cap. 7. vbi ait illum, quem Socrates dicit sibi datum dæmonem, fuisse verè Angelum. *Hoc ipsum*, inquit *credo, Socratem significasse, cum dæmone quodam gubernari se dixit.* Priùs autem dixerat, *Angelum vnicuique ad custodiam datum diuinitus è Scriptura nos didicimus, & Plato scribere non dubitauit hoc modo. Quoniam*, inquit, *omnes animæ sorte viuendi modum elegere, ordine ad sortem suam progrediuntur mota à Dæmone, quem singulæ sortitæ sunt, qui ad custodiendam hanc vitam, & ad perficienda, quæ elegerunt vna cum eis mittitur.* Hactenus Eusebius. Vult ergo Socratis Dæmonem fuisse Angelum illius. Quoniam vnicuique datum esse vnum non solum constat veritate sacrarum literarum, verum etiam auctoritate Platonis ostenditur.

S. Augustin.
D
Euseb. Cæs.

Dæmonum officia ex Platone & Platonicis. §. 4.

Plato. SOcratis discipulus Plato tam multa de dæmonum officiis dixit, vt vix recenseri possint, & mirum sit, cum magna ex parte cum Christianæ religionis effatis congruentia docuisse. Quæ ad

ad quatuor capita reuocabo.

Primum caput, quod docet, est; eis demandatam esse hominum curam à Deo, quem Saturnum tanquam Deorum principem dixit. Sic enim habet libro 4. de legibus paulò ante medium. *Cùm intelligeret Saturnus, quemadmodum ipsi narrauimus, nullam hominis naturam ita res humanas gubernare posse, vt si omnibus arbitratu suo dominetur, lasciuiori superbia, iniustitiáque non repleatur: cùm hæc inquam non ignoraret, non homines, sed diuinioris generis dæmones ciuitatibus nostris reges, principésque præfecit. Sicut nos in ouium gregibus aliorùmque cicurum armentis facimus. Non enim bubus boues, nec capris capras præficimus, sed nos ipsi genus melius dominamur. Similiter Deus homines amans genus dæmonum generi nostro, præstantius nobis, præfecit: quod summa tam sua, quàm nostra facilitate nostrarum rerum curam habeat, pacémque, & pudicitiam, libertatem, & iustitiæ copiam præbens, procul à seditione ac felix hominum reddebat genus.* Idémque docet in Politico. Similiter in Timæo summus Deus mundi opifex iubet Deos minores, quos à se creatos aiebat, omnem humani generis curam suscipere ante vitam, in vita, post vitam. Idem Platoni tribuit *Lactantius.* Lactantius loco citato in eo cap. 15. Dæmones ergo boni nostrique custodes Dij sunt minores apud Platonem, nec à Diis cœlestibus diuersi, vt paulò superiùs dicebamus, qui nobis Angeli cœlo vitam degentes beatam viderentur esse, vt *S. Augustin.* etiam existimauit ex Platone sanctus Augustinus, vt paulò post dicetur, idémque patebit mox ex Cypriano.

Plato. Deinde Alterum caput est, hos dæmones esse, per quos inter Deum summum & homines est omne cómercium. Sic enim habet in Symposio. *Omne* inquit *dæmoniorum genus interiacet inter Deum & mortales referens Diis res humanas, hominibus diuinas. Hominum quidem preces & sacrificia, Deorum imperia, & præmia sacrificiorum. Cùmque sit in medio amborum, efficit vt vniuersum sit inter se deuinctum. Per hos tendunt omnia sacrificia, ársque sacerdotum, eorúmque omnium, qui sacrificiis & initiationibus, incantationibúsque & veneficiis insistunt. Deus non habet cum hominibus commercium, sed per hos fit omnis legatio & allocutio Diis ad homines. Vigilantibus item ac dormientibus*, & cætera. Et tandem concludit, hos dæmones esse multiplices, & varios. His etiam verbis non dubium videtur Platoni esse Angelos cœlestes, quandoquidem in cœlo versantur, Deíque summi secreta hominibus deferunt, de quibus etiam paulò post. Non ergo sunt aërei tantùm, & infra cœlum.

Plato. Vnum etiam hîc notandum est, hos Angelos, quos Plato Deos cœlestes vocat, non referre Diis res humanas, sed Deo, licet interdum nomine multitudinis *Deos* dicat. Etenim ipsi dæmones Dij sunt cœlestes Platoni. Ad quos ergo referrent preces? Præterea vnum Deum Plato sensit esse, quamuis de eo tanquam de multis interdum loquatur. Sic enim Plato introducit Socratem loquentem in eo sermone, quem cum *Carpentar.* Critone habuisse dicitur, vt est apud Carpentarium in Alcinoum de doctrina Platonis di-*Socrates.*gressione 3. pag. 255. Vbi Socratis hæc verba sunt. *Iam verò de iustis rebus atque iniustis, déque honestis ac turpibus, malísque item ac bonis, de quibus nunc consultatio nobis est, vtrùm tandem multorum hominum sententia nobis est consectanda, eadémque timenda, an vnius potiùs qui audet omnia, quémque vnum præ cunctis aliis timere ac reuereri oportet, quem inquam nisi consectabimur, corrumpemus illud, ac labefactabimus quod iusto quidem accedente melius factum est, iniusto autem deterius.* Et paulò pòst. *Haud itaque prorsus est, ô vir optime, curandum, quid multi de nobis autumnent aut loquantur, sed quid ille, qui iustos audit & iniustos, qui est vnus & ipsa veritas.* Quę de vno Deo ita clara sunt, vt meritò dixerit S. Cyprianus libro de *Cyprianus.* Idolorum vanitate, quod suprà significauimus. *Plato vnum Deum seruans, cæteros Angelos vel dæmonas dicit.* de qua re paulò pòst, nonnulla ex S. Augustino, & aliis Patribus huc spectantia afferemus; Quæ Platonis de vno Deo sententiam magis perspicuè declarabunt. Vnum ergo solum Deum fatetur verum, cæteros nonnisi dignitate & munere, non naturâ; quia & procreatos à Deo maximo dicit in Timæo, vbi inducit Deum prorsus ita alloquentem Deos minores. *Dij Deorum*, inquit, *quorum ego opifex & Pater sum, hæc attendite.* & infrà. *Quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis, nec tamen vnquam dissoluemini.* Appellat autẽ eos Deos Deorum, tum quoniam alij alios dignitate prę̨stant, tum etiam quia cùm custodes hominum atque heroum sint, qui etiam Dij à Platone dicuntur, vt suprà notaui, Dij Deorum non incongruè ab ipso appellantur.

Illud ergo constitutum sit, vnum propriè esse Deum apud Platonem & Socratem ex sermone illo citato. Quem sermonem obseruans Theo-*Theodoret.*doretus libro 2. de Curatione Græc. Affect. paulò ante medium. *Quasi manifestè*, inquit, *Socrates significare voluit, si quando Deorum multorum mentionem fecerit, coactum se id fecisse ad Atheniensis populi gratiam, qui iam mendaciis ac falsitatibus circumuentus esset. Etenim si ne sic quidem cicutæ poculum effugit; quidnam quæso passurus mali non fuit, si manifestè abnegasset inuanem etiam Deorum examen?*

Adderent alij non pauci moderni, Philosophos interdum populariter loqui, modò doctis viris, quę sit eorum sententia, constet. Quod Ari-*Aristoteles.*stoteles quoque fecisse videri posset, qui libro 12. Metaphysices cont. 52. vnum tantùm Deum conclusit esse, cùm tamen in libris exotericis Deos non rarò nominet, vt lib. 10. Ethic. cap. 8. & alibi. Verùm hæc nullo modo admittenda sunt Nunquam enim Aristoteles in libris exotericis ab iis, quæ putauit vera, discessit, licèt in veritate edocenda non ita subtiliter ac pressè se gesserit, sicut in Acroamaticis, vt dicam infra ex Ammonio, & aliis Peripateticis. Quod verò in Exotericis Deos numero multitudinis appellauerit Aristoteles, id nihil probat. Nam etiam in libro 12. Metaphysices cont. 50. & 51. primas substantias appellauit Deos. Cùm tamen paulò inferiùs cont. 56. probet, vnum esse Deum, nempè Primũ & Maximum, vt ibi rectè exponit Alexander Aphrodisiensis, vt etiam infrà referetur. *Alex. Aphr.* Itaque cæteras illas primas substantias dignatus est Aristoteles nomine Deorum, non tamen quia illis diuinitatem simpliciter putarit inesse, sed quia credidit esse quandam eximiam illarum dignitatem atque excellentiam, ob quam nomine Deorum illas cohonestare voluit, vt rectè idem Alexander ibi docet. Sicut etiam apud Catholicos, homines eximiæ alicuius dignitatis, Dij quoque vocantur. Hoc enim pacto Apostolos dictos esse Deos ob summam illis à Deo datam potestatem, docet A. Doctor in Psal. 46. in fine: & homines iustos ob gratiam: & Angelos sanctos ob beatitatem rectè dici posse

 Deos,

S. Aug.
A
Deos, obſeruat S. Auguſtinus libr. 9. de Ciuitate Dei cap. vlt. vt pòſt etiam indicabimus. In quem ſenſum explicat illud Pſalmi 49.
Pſal. 49.
Deus Deorum Dominus locutus eſt. Vbi multæ eruditionis Lorinus noſter ex Patribus non pauca aduertit.
Lorinus.
Sic etiam alibi Exod. 7. Moyſes dicitur *Pharaonis Deus* ob acceptam in ipſum à Deo poteſtatem,
Exod. 7.
vt ex Ruperto & Patribus in eum locum adnotauit noſter Cornelius.
Cornelius.

Sanè quamuis id ita ſit apud Ariſtotelem, tamen Theodoretus loco citato hanc cauſam de Platone ſignificat ex eiuſdem Platonis epiſtola ad Dionyſium.
Theodor.
Plato.
Hoc & Plato teſtatur, inquit ibi Theodoretus, *in iis quæ ad Dionyſium ſcribit. Cõpluribus enim aliis & hæc addidit. Notæ meminiſſe te puto, inquit Plato, quam videlicet epiſtolis illis appono, quas alicuius ponderis ſcribo, & quas nullius. Tu tamen quæ nunc dico intellige, & diligenter aduerte. Multi me rogant, vt ad te aliquid ſcribam, quos haud facile eſt*
B
vacuos à me prorſus repellere. Symbolum itaque tibi hoc eſt, vt illius epiſtolæ, quam ſerio à me ſcriptam velim accipias. Dictio hæc Deus, ſingulari numero ſit principium: leuioris autem epiſtolæ Dij numero multitudinis. Hæc Theodoretus ex Platone, quibus deinde cauſam ſubiungit. *Quaſi manifeſte diceret, vt populari ſententiæ me accommodem, Deum quandoque numero multitudinis appello, dum videlicet ad falſas meorum ciuium opiniones reſpicio.* Pro hac quoque re vide, quæ ſcribit Marſilius Ficinus in argumento ad Platonis Cratylum ante medium, vbi ait ſic.
Marſ. Ficin.
C
Neque vero turbet nos, quod ſæpe plures nominet Deos. Vnicum enim per ſeipſum in Parmenide atque Timæo probat eſſe Deum: cæteros vero Angelicos, cœleſtéſque Dei miniſtros, cum Deos nominat, non tam Deos, quàm diuinos intelligit.

Ex his itaque duo certa ſunt nobis ex Platone. Alterum; Deorum nomine eos appellari, qui naturâ Dij non ſunt, ſed dignitate: Quod etiam apud noſtros diximus iam, quandoque vſitatum eſſe, vt mirè explicauit S. Auguſtinus libro illo
S. Auguſt.
9. de Ciuitate Dei cap. 23. ſeu vltimo, vbi ait, inter nos & Platonicos nullam eſſe diſſenſionem, vtrum illi boni, ac cæleſtes dæmones dij debeât
D
appellari, modò ſentiamus à Deo ſummo factos, quod Platoni in confeſſo eſt: Rationem reddit, *quia & in noſtris ſacris literis legitur Deus Deorum Dominus locutus eſt*; Et alibi *Rex magnus ſuper omnes Deos*; Et *Terribilis eſt ſuper omnes Deos*; Et poſt multa concludit; *Non multum ergo de nomine diſceptandum eſt, cum res ipſa ita clareat, vt à ſcrupulo dubitationis aliena ſit.* Cuius etiam rei pauca dicemus inferiùs. Quãquam, vt verum fatear, etiam veteres ipſi ſapientes, negarunt apertè Dæmones, appellandos eſſe Deos. Vt Apollo ipſe, ſeu Orpheus apud Lactantium lib. 2. cap. 6. dum horum refert quendam verſum, quem ait eſſe tertium.
Apollo.
Orpheus.
Lactantius.
E
Tertius enim verſus oſtendit, inquit, *Dei miniſtros, non Deos ſed Angelos appellari oportere.*

Alterum eſt; Deos vocari à Platone dæmones tum cœleſtes, qui hominum legatione funguntur ad Deum, tum etiam cæteros, qui naturæ ſunt excellentioris, præcipuè tamen cæleſtes.
Plato.
Nam cœleſtes relati ad Deum Patrem & opificem, cui in procreatione rerum ac moderatione ſubſeruiunt, dij minores nominantur, relati verò ad dæmones improbos, quibus ipſi ſuperiores ſunt, Dij Deorum ab eodem Platone appellantur. Etenim hos etiam ob naturæ præſtãtiam Deorum appellatione exornauit Plato, vt vidimus. Quod rectè obſeruauit Carpentarius ex
Carpentarius.
A
Alcinoo, vt patet ex eius Commentario in eundem Alcinoum de Doctrina Platonis poſt digreſſionem 4. ſtatim initio commentarij num. 2. Ex qua doctrina multa conciliari ex iis, quæ dicta à nobis ex Platone ſunt, poſſunt; quæ inter ſe non videntur conſentire.

Tertium caput eſt, varie nomen Dęmonis accipi à Platone: Nam interdum accipitur adeò generatim, vt comprehendat Deum omnéſque Angelos ſiue bonos, ſiue malos;
Plato.
Quod initio huius poſterioris partis, & paulò ſuperius docuimus: Interdum verò reſtringitur ad ſignificãdas naturas omnes intelligentes, homine præſtantiores, Deo tamen inferiores, non ſolùm bonas, verumetiam improbas; Et hoc pacto in ſympoſio, vt ſuprà retuli, dixit,
B
Omne dæmoniorum genus inter Deum & mortales eſſe; Inter quos enumerat non ſolum eos, qui legationis munus obeunt, ideóque bonos, atque hominibus propitios, verumetiam qui incãtationibus ac veneficiis præſunt, quæ cùm deceptiones & præſtigiæ ſint, proinde non ſunt bonorum Angelorum aut Dęmonum, quia prauorum Dæmonum, artes malæ ſunt. Quare & à Platone libro 10. de legibus prohibentur. Tandem adhuc preſſiùs ſumitur pro iis tantum, quos nos dicimus bonos Angelos, & Plato vocat Deos cæleſtes, vt paulò poſt patebit ex S. Auguſtino libro 12. de ciuitate Dei cap. 24.
S. Auguſt.
C
initio capitis ex Platone. Quod à Platone vſurpatum crediderim, cùm ait dæmones legatione fungi, & referre res humanas Deo. Sub hoc enim munere ſignificari Deos cæleſtes paulò ſuperius dixi. Non verò comprehendi à Platone malos dęmones, quos aërios dixit alicubi, mihi certum videtur multiplici de cauſa. Primò quia mali aëriique dæmones Platoni non admittuntur in cœlum, quia impuri ſunt, & inquinatæ mentis, nec diuino conſpectu fruuntur, nec delectantur bonis, nec malos oderunt, quod ex Platone probat Eugubinus libro 8. de perenni Philoſophia cap. 22.
Eugubinus.
Plato.
Plutarchus.
Deinde quia Plato hanc de dæmonibus philoſophiam hauſit ab Ægyptiis, teſte Plutarcho apud Eugubinum ibidem, ſicut etiam reli-
D
quam. Quo pacto Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum *Platonem ex Hebræis philoſophũ* extitiſſe docet. & longè infrà. *Plato*, inquit, *non it inficias, ſe ea, quæ ſunt præſtantiſſima in philoſophia mercatum eſſe ex barbaris.*
Clemens Alex.
Vnde poſt plurima *Plato*, inquit, *Philoſophus à Moſe in legibus ferendis adiutus*, & cętera. Ideò enim profectus in Ægyptum eſt, vt teſtatur Theodoretus libro primo de curatione Græc. affect. vt non ſolum ab Ægyptiis veram Dei doctrinam, verumetiam ab ipſis Hebræis quoque præceptoribus magna ex parte perciperet.
Theodoret.
Quare Numenius Pythagoræus Platonem non alium in philoſophando videri di-
Numenius.
E
xit, quàm Atticum quẽdam Moſen. Et Ariſtobulus Iudæus in libro primo ad Philometora.
Ariſtobulus.
Legem noſtram, inquit, *Plato in multis ſecutus eſt.* Et, *Vnde & plurima ſicut Pythagoras ille accepit.* De qua etiam re S. Auguſtinus libro 8. de Ciuitate Dei c. 4. & 11. & lib. 1. Retractationum c. 4.
S. Auguſt.
Adeò vt libro de vera religione dixerit, eum diuinum eſſe philoſophum, & paucis mutatis verbis atque ſententiis, Chriſtianum fieri poſſe.

Cùm ergo hanc de dæmonibus philoſophiam ab Hebræis, atque Ægyptiis acceperit, credibile non ſit, malos dæmones atque aërios, quos Scriptura ſacra tanquam è cœlo exules, Deóque inuiſos damnat, à Platone in cœlum hominum legatos

Plato. gatos Dei lege remitti. Tertiò quia Plato in Phœdone docet hominum animum, qui aliquo scelere contaminatus è corpore soluitur, à summo duce dæmone destitui: contrà verò qui piè sanctéque vixisset, suum habere comitem ac ducem, à quo in locum congruum ducitur. Hoc autem malo dæmoni non competit, cui perinde sunt grata vitia, ac virtus odiosa. Ergo Platoni munus legationis non est dæmonum malorum, sed Angelorum. Accedit & quod Laërtius ait in vita Platonis ipsum sensisse, *Deos intueri & curare res humanas & Dæmones esse.* Ergo sentit, vltra eos qui res humanas curant, esse dæmones quasi velit custodes hominum esse Deos, improbis verò hominibus dæmones assistere ad supplicia. Et rectè quidem, nam mali dæmones potius destruunt res humanas, suísque præstigiis interimunt, quàm promoueant. Et in Platonis symposio, vbi septem sapientes loquuntur, dictus est, si Eugubino libro 8. de perenni Philosophia cap. 29. credimus, dæmon nocentissimus ἀλαστόρων. Id quod de dæmonum malorum deprauata voluntate disseruit ex eodem Platone Porphyrius, vbi suprà.

Laërtius.

Merc. Trismeg. Sed quoniam in dæmonum prauitatem incidimus, Mercurij Trismegisti verba. Christianum in morem, dæmonis fallacias significantis ponere libet, vt mirum nō sit, Platonem ea de dæmone cognouisse, quæ è sapientibus quoque ethnicis intelligere ipse poterat. Ita enim loquitur Pimander, à quo tanquam à diuina mente optimis disciplinis Hermes Trismegistus imbuitur. Cùm enim dixisset, quæ solitus esset honesta prosequi, quæ verò mala vitare, subdit sic. *Ab ignaris*, inquit, *improbis, inuidis, ignauis, iniquis, homicidis, impiis procul habito, permittens eos dæmonis vltoris arbitrio, qui ignis acumen incutiens sensus affligit, magisque ad patranda scelera armat hominem, vt turpioris culpæ reus acriori supplicio fit obnoxius, cùmque ad insatiabiles concupiscentias inflammet: cum eo pugnat in tenebris: peccatum examinat: & ignis impetum in eius cruciatum mirum in modum concitat, atque adauget.* Hæc ille. Huic autem tanto malo remedium idem Mercurius insinuat apud Lactātium eodem lib. 2. cap. 16. nempe, vt in Deum recurramus. *Affirmat eos Hermes, qui Deum cognouerint, non tantùm ab incursionibus dæmonum tutos esse*, & cætera. Addi potest ex Eugubino, reliquam etiam antiquitatem ante Platonem in hæc dogmata conspirasse de dæmonibus præsertim terrenis, vt ipse habet eodem libro cap. 27. & 28. quæ quidem libens prætereo.

Pimander.

Lactantius.

Eugubinus.

Lactantius. Concludam vno Lactantij loco contentus in eodem cap. 16. Vbi de Asclepio, & Trismegisto loquens sic ait. *Vterque verò*, inquit, *dæmonas esse affirmat inimicos, & vexatores hominum, quos idem Trismegistus ἀγγέλους πονηρὰς appellat. Adeò non ignorauit ex cœlestibus deprauatos, terrenos esse cœpisse.* Vnde patet, quam hæc consentaneè ab his Philosophis ad ea, quæ nostræ fidei diuinitus tradita sunt, dicātur. Quod is multo magis certè fatebitur, qui de Dæmonum maleficiis tum seruatoris nostri, tum Patrum effata cōsideret. Instar omnium illud scelus est, *Cùm Diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas*, & cætera Ioan. 13. Quocirca Seruator noster, dum quo pacto Deus à nobis deprecandus est, Ecclesiam docuit, inter cætera illud quoque dici à nobis voluit, vt liberet nos à malo ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, hoc est ab eo, qui est malignus, qui antonomasticè diabolus est. *Circuit enim*, vt ait Petrus Apostolus, *quem deuoret*. Sanè Tertullianus in Apologetico cap. 22. quæ sit dæmonum in nos operatio, mire nec à Mercurio dissimilibus verbis aperuit. *Operatio eorum*, inquit, *est hominis euersio, sic malitia spiritalis à primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos: animæ verò repentinos, & extraordinarios per vim excessus. Suppetit ad vtramque substantiam hominis adeundam subtilitas, & tenuitas sua. Multum spiritalibus viribus, licet vt inuisibiles, & insensibiles potiùs, quàm in actu suo apparent.* Et infrà, *Mentes quoque corruptelis agit furoribus, & amentiis fœdis, aut sæuis libidinibus cum erroribus variis*, & cætera. Quod etiam Lactantius eodem libro 2. argumētum quatuor capitibus à capite 13. ad 19. vsque persequitur, Minutius Felix in Octauio, & Cyprianus de Idolorum vanitate. Eadem quoque Eusebius Cæsariensis in Panegyrico significauit. *Et communis quidem omnium seruator rebelles potestates, quæ circa hunc, qui terris imminet, aërem peruolantes humanis animis insinuabant sese*, & cætera. Estque communis sententia Patrum, vt suo dicetur loco.

Ioan. 13.

Tertullian.

Lactantius.

Minutius Felix.

Euseb. Cæsar.

Plato. Quartò patet; quia Plato lib. 10. de Rep. docet, nostrum esse, vt cumprimum vitam inimus, vel nos eligamus dæmones, vel eligamur ab ipsis, ita nimirum quia nostræ libertatis est, eam traducere vitæ rationem, quam dæmones vel amēt vel auersentur. Vnde in Phædone ait, animum scelere affectum destitui à suo duce, cum è corpore exsoluitur, vt modò diximus. Ergo duces nostríque custodes dæmones sunt boni. Hi enim tantum auersantur malos, probósque diligunt. Nam cacodæmones atque peruersi nostris vitiis mirificè delectantur, & ad malum pellunt. Quæ causa fuit Romanis, teste Eusebio Cæsariense lib. 4. de præparatione Euangelica cap. 1. vt bonis pariter ac malis dæmonibus templa cōstruerent. Illis quidem vt iuuarent: His verò ne nocerent. Apertiùs autem hoc totum confirmatur ex eo, quod ait Plutarchus in Opusculo de Cessatione oraculorum. Dicit enim, eos Philosophos magnis difficultatibus Philosophiam liberasse, qui genus dæmonum in medio Deorum atque hominum collocarunt. Nam cùm dæmones affectus mortales recipiunt, indigni sunt, qui vel inter Deos vel inter bonos reponātur. Illi enim homines meliores, ac diuiniores habentur, qui hos mortales affectus sopiuerunt. Ergo Plutarchus cēset, eos dæmones nostri custodes nō esse, qui in hos mortalium affectus proni essent, quia non regerent homines, sed perniciem molirentur. Quid ergo? num erunt custodes hominum, si ad peccandum incitent, si odia instillent, si prauas artes vt Magiam, ac reliquos innumerabiles nocendi modos doceant? Nullo certè modo, nisi velint profiteri *præclarum custodē ouium esse lupum*, vt est in Prouerbio. Vnde vt ait idem Plutarchus apud Eusebium Cæsariensem lib. 5. de præparatione Euangelica cap. 4. optabant veteres, se his dæmonibus liberare, & idcirco sacrificia adhibebant, & cætera. *Nefastos enim dies & tristes*, inquit, *in quibus & ieiunia, & planctus in sacris adhibentur, ad pellendos prauos dæmones constitutos esse crediderim.* Quocirca subdit, clarissimos Reges ac Principes charissimos sibi liberos immolasse, non temerè, quia id egerunt, vt *perniciosorū dæmonum iram & impetum retunderent.* Ex quibus Eusebius contra Gentiles concludit, ipsos non Diis, sed perniciosis dæmonibus sacrificasse. Denique

Plutarchus.

Euseb. Cæsar.

niq; probatur ex iis, quæ habet Plato in Timęo, vt infrà obseruabimus initio quarti capitis ex Platone: & ex iis quę ex Platone docet Maximus Tyrius, vt paulò post, eius verba inter Platonicos referam.

Cõstet ergo hoc verum esse, Platoni custodes hominum dæmones Deos minores ac cælestes seu Angelos bonos esse, non quidem qui cœlum ac sidera informent, sed qui inter cęlites degant, vt infrà copiosiùs disseremus.

Plato. Sed contra obiiciat aliquis primò; Platonem in Epinomide cùm dixisset, pretiosissimam Deorum naturam esse astrorum, subdere hæc verba. *Deinceps verò sub his dæmones, genus aereum in tertia, mediáque regione, qui interpretationis causa sunt, orationibus colere, gratia laudabilis intercessionis, interpretationísque debemus. Horum quidem duorum animalium alterum ex æthere, alterum deinceps ex aere est. At neutrum conspici totum potest, sed quamuis hi dæmones prope nos sint, nunquam manifestè nobis apparent. Prudentiæ mirabilis participes sunt. Acuti quippe ingenio tenacique memoria cogitationes nostras omnes cognoscunt. Honestos bonósque omnes mirificè diligunt, improbos vehementer oderunt*, & cætera. Ex quo loco sic fit argumentum aduersus ea, quæ modò dicta sunt. Illud genus dæmonum Platoni exercet legationem hominum ad Deos, & malos odit & diligit probos; quod est mediũ inter Deos astrorum & hominum. Sed quod est genus medium inter Deos astrorum & hominum, non est genus cælestium, quia cæleste non est medium inter cælites qui Dij astrorum sunt, & homines. Ergo genus dæmonum cælestium non exercet legationem, & cætera. Confirmatur, quia tale genus exercens legationem est aërium atque æthereum, ergo genus dæmonum quod legationem exercet, & cætera, non est genus cælestium, ideóque non est Angelorum proborum.

Huic argumento difficilè satisfieri potest. Sanè videtur Plato non constanter hac de re locutus. Nec mirum, quia vt est consuetudo dialogorum, qua ratione Plato disputare solitus est, variorum & variè sentientium sermocinatio introducitur, vt interdum vnius colloquentis dicta cum alterius sermone dissideant, proindéque difficilè constituatur, cuinam ex colloquentibus auctor ipse consentiat. Accedunt etiam metaphorica verba, quæ aliud significant, quam quod simplici sono accipi ab audientibus solet. Qua in re, vt in aliis innumerabilibus, solidior atque constantior Peripateticorum doctrina visa omnibus est, quæ sublatis metaphoricis verbis vno solius docentis tenore profertur. Respondetur tamen ex iis, quæ paulò superius diximus, & validè confirmatur legatos Angelos mitti ad vnum Deum cælestem, qui omnium Deus est, non autem ad plures Deos. Etenim cum huiusmodi dæmones dicuntur medij inter astrorum Deos & homines, intelligi non potest, ipsos esse medios nisi inter Deum, & homines: Nam ipsi Dij cælestes mittuntur. Vnde sunt Dij cælestes; hoc est in cœlo versantes: Nam, vt etiam supra diximus, nisi in cœlo versarentur, nullum illis cum Deo esset commercium. Dicuntur autem genus aëreum, atque æthereum, & medium locum obtinere, non tam absolutè, quàm comparatè ad Deum, qui simpliciter cælestis est. Nam cum legati sint, oportet eos cœlum, aëtémque peragrare. Et ideo Plato paulò post ea verba subiicit. *Cùm autem refertum animalibus cœlum sit, & Dij summi, & dæmones se inuicem interpretantur: Media enim animalia tum ad terram, tum ad cœlum leui motu feruntur.* Ergo dicuntur media, quia hæc media loca súsque déque pertranseunt. Quod verò dicitur esse duorum generum, difficilius est. Tamẽ verisimile est, ipsum existimasse; quosdam ex his dæmones esse corpore æthereo quasi vestitos; quosdam aëreo, in quibus elementis magis regnare videantur. Vt etiam inter illos sit essentiæ nobilitate discrimen, & ordo etiam quoad legationes. Ita nimirum; vt altioris ac maioris momenti sint legationes eorum, quiætherei sunt, quàm qui aërei, & cætera. Vtrumque tamen genus in Dei conspectum perueniat, quia vtrumque bonorum genus est, cum malos odio prosequantur. Id totum colligo ex Chalcidio, cuius meminit S. Augustinus libro 8. de ciuitate Dei cap. 16. vetustissimo Platonico ante annos mille ac trecentos in Timæum Platonis pag. 57. vbi explicans definitionem dæmonis, *Animal rationale, immortale, patibile, æthereum*, & cætera, ait esse æthereum *ex loco & qualitate corporis*, quo vtitur. Et hanc definitionem ait conuenire dæmoni aëreo, nisi quod in aëre hoc manet. Ergo ex corpore etiam est hæc diuisio ætherei, & aërei. Quam etiam sententiam indicat Apuleius apud S. Augustinum libro 8. de ciuitate Dei cap. 15. vbi ait. *Sicut eis dæmonibus est diuersa dignitas locorum, ita & naturarum.* Immò id apertè docuit Iamblicus inter Platonicos præcipuus in libro de Mysteriis, capite, cui titulus est, *Omne diuinum, & incorporeum vbique. Dicuntur etiam* inquit *dæmonum alij quidem aërei, alij verò aquei; non quia ibi solum sint, sed quia ibi maximè regnant.* Hæc ibi. Quod fortasse Plato sumpsit ab Hesiodo, qui ob hanc causam dixit de dæmonibus apud Plutarchum in libro citato de defectu oraculorum, & apud alios vbi suprà, Dæmones

Aere vestitos tota tellure vagantes.

Venio autem in hanc de dæmonum diuersitate sententiam auctoritate Procli, ni fallor, manifesta. Is enim libro de dæmone & Anima cap. 9. ait, dæmonum non vnum esse genus, sed alios perfectiore esse substantia, magisque intellectuales, alios minùs, potiúsque rationales, qui media obtinent; Tertium ordinem tenere eos, qui magis rationalem, materialémque possident naturam. Quapropter illos primos esse diuinos, secundos animales, tertios materiæ propinquos; omnes tamen esse supra humanam naturã constitutos, vt idem aduertit in Timæum capite primo. Et idcircò eodem libro de Anima & dæmone cap. 14. *Dicere* inquit *dæmonem, aut animam, aut partem animæ esse, hominum est nimium humanam vitam admirantium.* Quapropter vt talem Dæmoniacæ naturæ varietatem significaret Plato, quibusdam nobilius corpus, aliis verò minùs nobile, tanquam indumentum attribuit.

Ad argumentum ergo distinguenda est maior propositio. Nam genus dæmonum, quod legationem exercet, licèt sit medium inter Deum astrorum, & homines, non tamen est medium inter Deos, qui in cœlo versantur, vt diximus. Atque ita neganda est minor, Quòd non sint cælestes, modo iam explicato; Quia scilicet genus est cæleste; nempè eorum, qui Deo summo assident, atque in cœlo versantur, vt inde ad nos mitti possint illúcque remeare. Ad confirmationem autem dico; esse aëreos, æthereósque pro varietate

Chalcidius. S. August. Apuleius. S. August. Iamblicus. Hesiodus. Proclus. Plato.

varietate naturæ, ideóque corporum, quibus veluti amiciuntur, diuersitate. Quo autem pacto dæmones corpora induant ex Platone, & cæteris philosophis dicam copiosè in sequentibus.

Ex quibus vlteriùs manifestum est, alio modo hic intelligi à Platone Deos aërios, ac suprà cum dæmones malos aërios appellauit. Notauimus enim paulò suprà; dæmones illos Platoni non fungi legatione apud Deum maximum, nec vnquam cœlum Dei sedem conscendere. Quare dicuntur aërei, eo quod omninò degunt in aëre, nec alibi versantur. Quod notari oportuit, ne nominis ambiguitate deciperemur. Nec mirum id videri debet apud Platonem, qui non constanter eodem modo nomina ob loquentium varietatem vsurpauit.

Obiicies secundò: quia Dij cælestes sunt affixi astris, tanquam ipsorum animi informantes, vt Plato docere videtur in Timæo, & sequitur Carpentarius in Alcinoum de Doctrina Platonis in cap. 11. num. 10. & post digressionem 4. num. 2. Respondetur; hinc colligi, non esse informantes, sed assistentes. Nam alioqui ab Angelis etiam elementa informarentur, cùm elementa quoque nomine orbium cælestium Plato comprehendat, ac proinde duodecim cælestes orbes enumeret, vt obseruat Ficinus in Symposium Platonis, & Carpentarius in Alcinoum num. 10. proximè ante 4. Digress. Et idcirco quamuis octo sint Platoni cælestes orbes (Nam in Epinomide scribit, Philosophum scire oportere, quo pacto septem circuitus sub primo versentur; & in Timæo octo tantùm circuitus esse ait; Vnde libro 10. de Rep. commemorat, Etum Armenium militem è mortuis excitatum in altera vita octo tantùm verticula vidisse) tamen dum Plato loquitur de vniuersi orbibus, duodecim enumerat, vt diximus. Vnde & dæmones, nempè improbi Angeli non solùm summo parent Deo, verum etiam Diis minoribus, qui duodecim vniuersi orbibus præsunt, vt ex Platone & Proclo notauit idem Carpentarius in Alcinoum de Doctrina Platonis post Digressionem 4. num. 3. Atque hæc solutio mihi videtur Platonis doctrinæ consentanea. Nam quòd existimarunt nonnulli, Platonem duplicem posuisse animam in cælestibus orbibus, alteram informantem, assistentem alteram, mihi non probatur, quia nulla ab iis solida auctoritas Platonis adducitur. Qua de re Carpentarius nonnulla habet num. illo 10. Quod & fusè à nobis infrà ex Aristotele & Platone examinabitur, cum de cælestibus animis disputabitur. q. seq. art. 1.

Verumtamen non negarim, quod à Theodoreto rectè animaduersum est libro 3. de Curatione Græcaff. qui est sermo tertius de Angelis; Nimirum nec Platonem omninò in materia dæmonum cum Homero, nec Porphyrium, & Platonicos cum ipso Platone consensisse. Nam Porphyrius in epistola ad Anebonem ait; se mirari, eos qui mali sint dæmones, Diique nominantur, imperiis hominum vrgeri, ac proinde negat, eos verè esse Deos. Plato autem in Timæo licèt eos faciat Deos, ait tamen ne naturâ quidem immortales esse; Cùm tamen Homerus in sua Poësi immortales appellet. *Ipse enim* inquit *veritatis aduersarius* Porphyrius *manifestè ostendit; hos nec esse Deos, nec bonos dæmonas, sed mendacij magistros, omniúmque flagitiorum patres. Eosdem Plato in Timæo ne naturâ quidem immortales ait esse*, & cætera. *At Homerus his contraria sentire videtur. Vbique enim in sua poësi immortales appellat*, & cætera. Alia quoque complura Theodoretus congerit, vt ostendat ea quæ ad dæmonum naturam, cultúmque spectant, ne ipsis quidem sapientibus fuisse satis constituta. Verumtamen hic vide lector, Platonem Homero non aduersari quoad dæmonum immortalitatem: Nam solùm Plato negat, eos natura esse immortales; hoc est ita vt necessariò sint, tamen non ita negat esse immortales, vt non sint immortalitatem Dei beneficio semper habituri, vt mox referam ex eiusdem Platonis Timæo. Cui rei ab Homero non contradicitur, licèt dæmones appellet immortales. Non enim distinxit, sintne immortales naturâ, an Dei voluntate.

Quartum denique caput eorum, quæ de Dæmonibus Plato docet, est, Deum maximum his Angelis, seu bonis dæmonibus, minoribúsque Diis imperasse, vt rerum procreationi præessent, cunctáque animalia ipsorum opera crearentur. Quod etiam ex Platone docet S. Augustinus libro 12. de Ciuitate Dei cap. 24. *Hi autem* inquit *qui Platoni suo credunt, non ab illo summo Deo, qui fabricatus est Mundum, sed ab aliis minoribus, quos quidem ipse creauerit, permissu siue iussu eius, animalia facta esse cuncta mortalia. In quibus homo præcipuum, Diisque ipsis cognatum, teneret locum.* Hos autem Deos ait Augustinus horum sententiâ esse Angelos: *Angeli autem; quos ipsi libentiùs Deos appellant.* Existimauit ergo Plato, Deum nulla animalia mortalia creasse, sed cuncta Angelorum efficientia extitisse. Verba Platonis sunt huiusmodi ex Timæo, vbi cùm dixisset Deus, Diis minoribus astrorum, licèt ipsi naturâ sua dissolubiles essent, ipso tamen Deo sic statuente, nunquam fore, vt ipsi dissoluantur (Nam quæ Deus ipse per se effecit, immortalia solùm debere esse, arbitratus est) iisdem ita imperat. *Sed nunc quid subiiciam* inquit *cognoscite. Tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant: absque horum generatione cælum imperfectum erit. Non enim complexu suo omnia animantium genera continebit. Contineat autem oportet, si est Mundus omnino perfectus futurus. Hæc si à me fiant solo, vitáque donentur, Diis adæquabuntur. Quapropter accedite vos secundum naturam ad animalium generationem, ita vt vim imitemini meam, qua in ortu vestro sum vsus. Atque eius quidem animalis, quod in ipsis tale futurum est, vt cum immortalibus appellatione conueniat, diuinúmque vocetur, principatúmque teneat, ac in iustitiam simul ac vos vltrò colat, ego vobis semen ac initium tradam. Vos cætera exequi par est, vt immortali naturæ mortalem attexentes faciatis, generetisque animalia, subministrantésque alimenta augeatis, & consumpta rursum augeatis. Hæc fatus.* & cætera. Hic etiam notare oportet, quid nomine Deorum astrorum intelligat; Nimirum eos, qui in cœlo versantur, ac degunt, vt Dei maximi mandata exequantur. Vt enim suprà diximus, Vnus est Deus Platoni. Non ergo vsquequaque eodem modo eos Deos appellat, sed pro varietate loquentium. Ad hæc etiam confirmari potest Platonis sententia Astrorum Diis mandatam esse curam hominum, atque rerum cæterarum, non autem aëriis, improbisque dæmonibus. Quo fit, vt cælestibus Angelis rerum omnium incumbat cura, non verò dæmonibus improbis: Quod contendimus in præsenti. Deinde verò, vt hoc etiam quasi in transitu dicamus, cum eorum operâ cæteræ Mundi res procrearentur, ne cum Deo immortalitatem communem

munem habeant, quam consecuturæ fuissent, si eas Deus sine vlla causa intermedia condidisset, etiamsi ex lege proprietatéque naturæ talia non essent) soli sibi Maximus Deus humani animi efficientiam reseruauit.

Vt hinc maxime liqueat, Platonis opinione parem cum Diis minoribus immortalitatem nostris animis concedendam. Hic quoque libet animaduertere, Platoni scripta Mosis perspecta fuisse.

Plato. Moses.

Quandoquidem id quod est initio libri Geneseos videtur imitatus, cum Deus dixit *Faciamus hominem ad imaginem*, & cætera. Quasi aliis iubeat Deus Pater, vt secum in hoc opus incumbant, atque ita Angelorum ministerium requirat. Quod etiam Philo, & complures hæretici probauerunt. Contra quos disputat noster Pererius libro 4. in Gen. cap. 1. versu 26. Gregorius de Valentia hic disputat. 3. q. 1. p. 1. & q. 4. p. 2.

Pererius. Greg. de Valentia.

Itaque Plato hunc locum Genesis videtur exponere voluisse, vt notat Viues in caput 24. libri 8. de Ciuitate Dei. Nec nouum est Platoni, quæ in sacris literis habentur in sua dogmata deriuare. Hoc enim pacto asseruit creationem quatuor elementorum, vt docet S. Augustinus libro 8. de Ciuitate Dei cap. 11. Sed in intelligenda scriptura deceptus est Plato: Non enim ibi Pater Deus cum Angelis sermonem habuit, sed illis verbis significare voluit diuinarum personarum in essentia vnitatem. Quod rectè tum ex Patribus, tum ex Scripturę verbis Pererius loco citato demonstrat.

Verum vtcunque sit, imitatus necne sit Plato librum Geneseos, bifariam eius sententia intelligi potest. Vel quòd Angeli, non cooperante atque coefficiente Deo, tanquam causa principali, res ipsas effecerint. Vel adiutore, atq; coeffectore Deo, ita vt ipsi tanquam causæ adiuuantes, atque instrumẽtales Dei easdẽ res creauerint. Et quidem si hoc posteriore modo id intellexerit Plato, falsum quidem, vt ego existimo, docet, sed Deo creatori nihil detrahit. Nam quamuis falsum sit, creaturam assumi posse ad creandum, vt disputat A. Doct. p. p. q. 45. a. 5. ibique Theologi, tamen, si creatura ita assumeretur, non idcircò Deus non esset earum procreator, ac parens. D Quin certum est, actionem, hoc ipso quod est instrumenti, præcipui quoque efficientis necessariò esse. Nam vt optimè docet A. Doctor. 1. 2. q. 16. a. 1. c. *Actio non tribuitur propriè instrumento, sed principali agenti, vt ædificatio ædificatori, non autem instrumentis*, & cætera. Idemque confirmat 3. p. q. 13. a. 3. & 2. 2. q 172. a. 2. ad 3. Quod verum omninò est saltem vbi instrumentum agit, quá à præcipua causa mouetur, vt idem A. Doctor expressit 3. p. q. 19. a. 1. & 2. & q. 62. a. 1. Vnde *hac ratione non magis dicere mus Angelos creatores animalium, quam agricolas frugum, atque arborũ* effectores, vt ait S. Augustinus libro 12. cap. 24. de Ciuitate E Dei, quia scilicet causæ administræ, vt diximus, in eo quod administræ sunt, non sibi effectum vendicant, sed principali agenti eum reseruant. Sin autem priore modo Angelos creatores censuit, non solùm falsò, verùm etiam impiè philosophatus est, meritóque reprehenditur à S. Augustino ibidem. *Neque enim fas est* inquit S. Augustinus, *vllius creaturam quamlibet minimæ, mortalisque creatorem nisi Deum credere, ac dicere.* Optimè autem S. Athanasius serm. 3. contra Arrianos dixit, *Administrare, creaturæ & seruorum est; condere autem & creare, filius Dei, eiusque Verbi ac sapientiæ est.*

S. Thomas. S. August. Athanasius.

A Quia scilicet infinitæ potestatis est, rem è nihilo in ipsum esse proferre, vt alibi probandum est. Sane priore modo Platonem arbitratum esse Angelos ad creandum excitatos à Deo, patet ex eius verbis relatis. Eos enim Deus adhibere vult, ne si ab ipso suo crearentur res, *diis adæquarentur*. Atque hæc quidem de Platone sufficiant.

Platonem autem sequuntur Platonici. Et quod ad rem de dæmonum officio attinet, qua de agimus, legi possunt Proclus libro de Anima & dæmone. Porphyrius tum locis suprà citatis, tum in vita Plotini. In qua, vt est apud Carpentarium Digress. 4. cit. inter alia multa, quæ huic quæstioni vsui esse possunt, scribit; quendam Ægyptium sacerdotem, proprium Plotino B dæmonem ostendere Romæ voluisse; Húncque ab illo inuocatum in æde Isidis, quod hunc solum Romæ locum purum esse inuentum, sacerdos ille diceret; Túmque cùm proprius Plotini dæmon accerseretur, pro Dæmone Deum accessisse, atque hoc conspecto Ægyptium clamauisse: *Beatus es ò Plotine, qui habeas pro Dæmone Deum, neque ex inferiore genere ducem sis sortitus familiarem*. Raptum verò mentis à corpore quater se in eodem Plotino animaduertisse, dum cum ipso versaretur, testis est ibidem Porphyrius: Quæ si vera sunt, dæmonem se in Angelum lucis ad hos miserè fallendos sese transfigurauisse, potiùs, quàm Deum conspectu Angelico hominem in C fidelem cum Porphyrio apostata dignari voluisse, crediderim; præsertim cum ex eo ostento nihilo meliores ambo facti sint. Legi etiam potest Apuleius libro de Deo Socratis, vbi mira habet de dæmonibus ex Platone. De quo etiam Plato ipse in Apologia, in Theage, in Alcibiade prorsus mira narrauit: & denique in Phædro. *Dæmonium*, inquit. *Socrates habebat, qui ei cùm orabat signũ faciebat*. Item ille idem Plotinus quem Macrobius lib. primo in somnium Scipionis cum Platone inter cæteros philosophiæ professores principem facit; & S. Augustinus libro 3. contra Academicos cap. 18. scribit ita similem iudicatum esse Platoni, vt in hoc ille reuixisse putatus sit; multa de iisdem docet Enneade 3. lib. 1. 3. & 4. Breuiter D tamen hæc tantum duo, ex ipso accipe. Nam libro 4. ibidem cap. 3. ait ex Platone; nos varios custodes dæmones eligere pro vitæ morumque nostrorum varietate. *Rectè*, inquit, *dicitur apud Platonem, vos dæmonem eligetis. Præfectum namque nobis secundum vitæ genus eligimus*, &c. Rursus c. 5. explicans quendam Platonici Timæi locum ait. *Quod ait Plato, dæmonem esse eorum, quæ quis elegerit, expletorem, id quoque consonat. Nobis namque præsidens non sinit longè inferius ad id quod est deterius prolabi*, & cætera.

Platonici. Proclus. Porphyrius. Carpentar. Plotinus. Porphyrius. Apuleius. Macrobius. S. August.

Similì modo loquitur sępe Porphyrius Plotini discipulus apud Iamblicum toto ferè libr. citan- E do. Ei enim Iamblicus respondit ob quædam exorta dubia libro illo toto. Solum ex Porphyrio breuem locum attingam in libro de sacrificiis, vbi apertè ait; *Dæmones bonos non facere mala, nec malos facere bona*. Quæ quidem licèt ab infesto fidei Catholicæ hoste dicta sint, tamen maxime consentanea sunt iis, quæ Catholici docent de Angelis bonis, atque improbis.

Porphyrius. Iamblicus.

Non prætereibo Iamblicum inter Platonicos cognomẽto diuinum, vt ait Marsilius Ficinus in argumento ad librum illius de Mysteriis, qui etsi Porphyrij auditor, in multis tamen ab ipso dissentiens, Christianam doctrinam ex parte sapit.

Iamblicus. Mars. Ficin.

pit. Rectè illud ex libro de Myſteriis cap. cui titulus eſt *Iterum de ſupplicationibus*; vbi ſic habet. *Porphyrius ex eo diſtinguit dæmones à Diis, quòd illi ſunt incorporei, hi verò corporei.* Iamblicus ait, *Per hæc ſubſtantias & proprietates eorum diſcerni non poſſe.* Item & illud rectè in cap. cui titulus *Quando alia numina aliter apparent atque agant*, prope finem illius, *Angeli dæmones boni non apparent phantaſtico modo, ſed proprio prorſus & vero*; hoc eſt vt decet ipſorum dignitatem: *Spiritus verò mali phantaſtico fallacique.* Nec non aliud rectè dicitur ibidem, nempe imagines *Archangelorum eſſe præfulgidas, fulgidas inſuper Angelorum, dæmones verò turbidum apparere ignem.* Nimirum plerumque. Et infrà *Dæmones præſentia ſua corpus grauant, morbis affligunt*, & cætera. Denique illud quoque optimè dictum videtur, quod habet eodem libro capite de Miraculis, prophetiis &c. Nimirum *Dæmones generari & corrumpi negat Iamblicus*, quod ibi Porphyrius aſſerit. Docet etiam; dæmonem vnicuique eſſe proprium in cap. *de ſuo cuique dæmone.* & capite de malis dæmonibus multa habet digna, quæ legantur. Præſertim illud. *Bonus cuiuſque dæmon* inquit, *vnumquemque cuſtodit à pueritia, actioneſque omnes eius explorat, & verba, & ante parentes prouidet, & poſt parentes adeſt tanquam totius vitæ gubernator aſſiduus, atque poſt obitum dux eſt nobis ad iudices.* & paucis interiectis. *Bonus dæmon nobis plurimum occultus adeſt, nobis prouidens, & ſilentio conſulens, & ineffabiliter nos emendans.*

Porphyrius.
Iamblicus.
Iamblicus.
Porphyrius.

Sed nunc Chalcidium audiamus, qui vt ſuprà dixi, vixit ante annos mille ac trecentos, ac in Platonis doctrina verſatiſſimus habitus eſt. Is ergo in Platonis Timæum pag. 37. in impreſſione Aſcenſij anno 1520. poſtquam dixit dæmonum naturam eſſe mediam inter Deum & homines, addit hæc verba. *Huius porrò generis eſt illud æthereum, quos Hebræi vocant ſanctos Angelos, ſtaréque eos dicunt ante Dei contemplationem: ſumma atque acri intelligentia, mira memoriæ tenacitate, rebus quidem diuinis nauantes obſequium ſumma ſapientia: Humanis verò prudenter opitulantes iidem ſpeculatores & executores dæmones, opinor, tanquam δαήμονες dicti. δαήμονας porrò Græci ſcios rerum omnium nuncupant.* & paulò pòſt. *Dehinc quod vſus ſint nobis, interpretantes, & nunciantes Deo noſtras preces, & item hominibus voluntatem Dei intimantes: illi noſtram vigilantiam, porrò ad nos diuinam opem deferentes. Quamobrem appellati ſunt Angeli ob aſſiduum officium nunciandi.* Vbi habes lector, quinam ſint dæmones cuſtodes hominum apud Ethnicos Platonicos, & quomodo ab Angelis ſanctis nullo modo differant. Vt mirum ſit, quanta fuerit veterum Philoſophorum in aſſerendis Angelis cum Chriſtiana religione conſenſio. Vnde idem Chalcidius eodem loco talem dæmonum deſcriptionem tradidit, in qua hominum etiam cuſtodiam poſuit. *Dæmon, inquit, eſt animal rationale, immortale, patibile, æthereum, diligentiam hominibus impertiens*, &c. *propter Dei voluntatem qui cuſtodes dedit.*

Chalcidius.

Proclus etiam maximi nominis Platonicus in commentariis ad Alcibiadem priorem cap. cui titulus eſt *contra dicẽtes dæmonem*, & cætera, diſertè ſcripſit. *Nunquam anima in eodem vitæ curriculo mutat dæmonis præfecturam, ſed idem dæmon eſt ex ipſa genitura vſque ad iudicis vitæ præſentiam nos gubernans, quemadmodum Socrates aſſerit in Phædone.* Et ibidem cap. cui titulus eſt *Anima libero motu ſe ducit* & cætera, in fine ſic ait. *Dæmones non extrinſecus in nos agunt; ſed tanquam ex puppi nos intus dirigunt, & gubernant: Neque nos purgant tanquam corpora quædam aliunde mobilem nacta naturam; ſed curant tanquam mobiles ex ſe ipſis hac enim ratione & bona præbent, & paſſiones expurgant.*

Proclus.

Multa quoque pro hac materia ſcripta reliquit Maximus Tyrius celebris ſectator Platonicæ doctrinæ, præſertim ſermone 26. vbi ea omnia, quæ Poetæ fabulantur de Minerua, dum ipſa iram Achillis in Agamemnonem cohibuit, nebulámque ex oculis Diomedis diſcuſſit, & alia complura apud Homerum; de dæmonibus interpretatur. Addit præterea ſic: *Deus certo quodam loco conſtituto prætorio, cœtum ipſum, cœlique ordinem vt pater familiam gubernat, ab eóque fœcunda eſt immortalium claſſis. Qui Dij medioximi dicuntur, mediam regionem, quæ iacet inter cœlũ & terram obtinentes, Dei quidem potentia minores, hominibus autem longè meliores, Deorum penitus miniſtri, præſides tamen hominum, Diis proximi, ac hominum curatores diligentiſſimi. Magno namque interuallo mortale ab immortali & aſpectu cœleſti & conſuetudine diſcluditur, ac propterea dæmonibus, qui vtramque naturam, diuinam ſcilicet atque humanam affinitate attingentes, harmonicis vinculis alterius imbecillitatem cum pulchritudine alterius connectunt. Nam perinde atque inter Græcos ac Barbaros, inter quos eſt magna vocis ac linguæ differentia, interpretes ſunt, qui alterutrorũ voces ſuſcipiendo, ſignificationémque viciſſim deferendo, diuerſitatem illam nonnihil conciliant, commerciáque inuicem inducunt; ita intelligi debet dæmonum genus cum Diis, cúmque hominibus verſari. Hincque eſſe vt hominibus ſpecies appareat, vnde interdum diuinas voces exaudiant, dæmonum ſcilicet genere in media mortalium natura diuerſante; eáque vbi vſus expoſcat beneficiis iuuante, quorum grex magnum numerum explet.* Subdit eorum multitudinem his verſibus.

Maximus Tyrius.

Millia térque decem, genus immortale, miniſtri
Sunt Iouis, hique homines ſeruant telluris alumnos.

Varietatem munerum explicat, vt mireris ad hæc ethnicos philoſophos deueniſſe. *Horum aliqui medicinam profitentur, aliqui in ambiguis rebus conſilium præbent, nonnulli abſcondita enunciant, multi exercendis artibus cooperantur, quidam ſunt itineris comites; vrbani alij, alij ruſtici; hi maritimi, terreſtres illi; quidam corporis humani cuſtodiam veluti lucis cuiuſdam ſuſceperunt. Propterea vel Socratis, vel Pythagoræ, vel Platonis, vel Zenonis, vel Diogenis patrocinium habuerunt. Toruus hic, ille hominum amator; hic ciuilis, ille militaris. Ad ſummam quot ſunt hominum naturæ, totidem etiam dæmonum eſſe oportet.*

Vt quamuis ſuperis ſimiles ſint, vrbibus ipſis
Verſantur, præſtant diuerſis munera rebus.

At vbi ſceleſtum animum videris, dic illum nec cuſtodem nec Genium habere. Hæc ille. E quibus cernis, quod ſuprà obſeruabamus, bonos hos Angelos non malos dæmones ad hominis cuſtodiam à Deo delegatos. Atque ea in re variis quidem modis, omnes tamen conſentientia, docuiſſe. Quanquam quod attinet ad illa dæmonum miniſteria, eadem legimus noſtris temporibus accidere in quibuſdam regionibus. Nam Olaus libro 3. de Gentium ſeptentrionalium variis conditionibus cap. 11. agens de quodam nocturno dæmonum ludo ait. *E quorum numero eos credunt eſſe, qui ſe animo ſeruili in effigie humana accommodare ſolent miniſteriis hominum nocturnis horis laborando, equóſque & iumenta curando*, &c. Aliã ſed ſimilia officia cap. 21. narrat de dæmonibus in illis Aquilonaribus locis. Nempe quòd amicis appareant,

Olaus.

reant, dextram reddant, & cætera.

Psellus.

Tandem afferam alia mira auctore Psello; Quæ si vt mira sunt ac noua; ita vera essent, nec à placitis Theologorum omninò discreparent,

Pererius.

Profectò inquit Pererius libro 8. in Genesin cap. 6. v. 2. Disput. 2. *multa Psellus iste de varia eorum natura, de variis item eorum studiis, moribusque ac viribus aperuisset, quæ nobis abstrusissima sunt, nec humana ratione indagari, nedum comprehendi possunt.*

Psellus.

Psellus ergo in libro, quem scripsit de dæmonibus, licèt Philosophus Christianus & Platonicus, nec inter infimos habitus fuerit; tamẽ Christianæ doctrinæ nõ admodum gnarus, vt ex eius scriptis possumus coniectare, sex dæmonum genera facit ex quodam Marco, qui propter diutinam cum dæmone consuetudinem, omnium sui

B temporis consultissimus rerum dæmoniacarum habebatur. Antequam autem illa sex genera recenseat, multa ex propria sententia supponit, quæ falsitate non vacant. Primò enim ait; Naturam dæmonum non esse absque corpore. *Sed habet corpus*, inquit, *& versatur circa corpora, quod & venerandi Patres nostri iudicauerunt. Sunt & qui asserunt, dæmonem propria cum corporibus præsentia apparuisse.* Quæ ratio non debuit tanti ab illo fieri, vt ex apparitionibus propria corpora dæmonibus inesse existimaret, vt dicam q. sequenti art. 2.

Basilius.

Subdit *diuinum Basilium* non solùm dæmonibus, verùm etiam Angelis corpora tribuere, & testem

C David prophetam afferre dicentem; Deum facere spiritus suos flammeos: de qua re eodem loco disputabitur. Longè peius est, quod subiungit. *Id quidem*, inquit, *necessarium est. Oportet enim, vt diuinus asserit Paulus, spiritus, qui mittuntur, corpus habere, quo moueantur, gradúmque sistant, palámque appareant.*

D. Paulus.

Quæ falsa sunt, quia nec id Paulus docet, nec Angeli propriè vitaliter mouent corpus, quod assumunt, vt patebit ex loco citato. Ac ne quis suspicetur, huiusmodi corpora esse assumpta, non multò post addit, dæmones dolere, atque igne comburi. *Idque ex ipsius Saluatoris verbis persuasus affirmo*, inquit, *quæ tradũt igne torqueri*, &c.

D Verùm negari oportet, dæmonum corpora torqueri, cùm nec sentiant, nec Saluator vspiam id dicat. Quæ tamen examinabuntur dicto art. 2. Nunc satis sit, hos errores in philosopho Christiano indicasse. Deinde ait, non esse idem corpus bonis Angelis, atque dæmonibus: Nam Angelicum ait radios effũdere humanis oculis non parcentes; minus quàm Solis radius passionibus obnoxium; subtile; per cũcta peruium, & cætera. Dæmonum autem inuisibile quidem ob tenuitatem, attamen materiale quodammodo, passionibúsque subiectum: adeò vt igni quodam comburantur, ac cineres relinquantur. Illud etiam deinde addit, dæmonum nonnullos semen emit-

E tere, vnde pusilla quædam animalia exoriuntur. Præterea refert, quosdam dæmones nutriri, non tamen eodem modo. Quosdam enim ait ali inspiratione, & non secus atque spiritus animales in arteriis ac neruis vigere: quosdam humore, quem non ore vt nos, sed adiacentem exugere, atque attrahere instar spõgiæ: quod autem concretum, crassiúmque est excernere. Hoc autem genus esse ait materiæ proximum, aquatile, ac subterraneum, ac lucifugum. Quibus refellendis instituetur quæstio à nobis in eo a. 2. citato.

His tandem sex illa genera subiicit, quæ Angelos malos tantummodo complectuntur; & à nobis nunc referenda sunt, vt Platonicorum

A sententia declaretur. Primum genus illi est igneum, quod scilicet per superiorem aëris regionem vagatur. Hanc enim pro igne etiam interdum ab ipso Aristotele, vsurpatam videri rectè ostendit Carpentarius libro 2. descriptionis naturæ cap. 1. num. 7.

Carpentarius.

Primum ergo genus est à supremo elemento aëre. Nam omne dæmonum genus è cœlo, tanquam è sacro templo prophanum genus eiectum est. In igne verò nullum est. Fortassè id suspicatus est: quia vt ait Aristoteles 2. de Gener. Animal. cap. 3. *Ignis nullum animal generat.*

Aristoteles.

Alterum aëreum, quod scilicet in aëre nobis propinquo oberrat, cúmque malignis etiam qualitatibus inficit. Tertium terrenum: An quia plurimum circa terram est, terrenísque rebus ac

B machinis hominem oppugnat? Quartum est marinum seu aquatile, quod aquis, humoribúsque immergitur, fluctus excitat, ac tempestates, nauigiáque submergit. Quintum subterraneum, fossoribus siue metallorum siue puteorum infestum. Sextum est lucifugum, & imperscrutabile, quod maleficum est, & perniciosum hominibus, atque ad obscœna flagitia eos impellens. Quorum tamen nonnulla falsa esse ostendemus suo loco, omnia tamen digna, quæ non credãtur, quippe à magistro mendaciorum dæmone patefacta.

Georgius Agricola.

Sed tamen ne omni ex parte incredibilia videantur, libet referre, quæ à Georgio Agricola

C libro de subterraneis animantibus extrema pagina, tanquam ab ipso perspecta describuntur. *Postremò*, inquit, *in subterraneorum animantium; seu, quod placet Theologis, substantiarum numero haberi possunt dæmones, qui in quibusdam fodinis versantur. Eorum autem duplex genus est. Sunt enim truculenti & terribiles aspectu, qui plerumque metallicis infesti, atque inimici sunt. Talis fuit Anebergius ille, qui operarios duodecim amplius flatu interfecit in specu; qui corona rosacea appellatur: flatum vero emittebat ex rictu. Equi enim specie habentis procerum collum, & truces oculos dicitur visus. Eiusmodi etiam fuit Snebergius nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è so-*

D *lo sublatum, in superiore loco maxima illius ciuitatis, quondam feracis argenti, collocauit; non sine corporis attritu. Sunt deinde mites, quos Germanorum alij, vt etiam Græci, Cobalos vocant, quòd hominum sint imitatores. Nam quasi lætitia gestientes rident, & multa facere videntur, cum nihil prorsus faciant; Alij nominant virunculos montanos, significantes staturam, qua plerumque sunt; nempe nani, tres dodrantes longi. Videntur autem esse seneciones & vestiti more metallicorum, id est vitato indusio, & corio circum lumbos dependente induti. Hi damnum dare non solent metallicis; sed vagantur in puteis & cuniculis; & cum nihil agant; videntur in omni laborum genere se exercere. Quasi modò fodiant venas: modò in vasa fundant quod effossum est: modò*

E *versent machinam tractoriam. Quanquam interdum glareis lacessunt operarios, rarissime tamen eos lædunt. Nec lædunt vnquam, nisi ipsi prius fuerint cachinno aut maledicto lacessiti.* Hæc satis opinor supérque confirmant; quæ sit Platonis, Platonicorúmque de dæmonibus, Angelísque sententia. Quibus nonnulla alia subiiciemus infrà art. 3. quæsito vnico Difficultate prima.

In quibus tam multis ex Platone Platonicisque commemorandis, non eò spectauimus, vt tanquam vera confirmaremus (pleraque enim ex his esse falsa, deinceps suo loco spectabitur;) sed vt appareret, quantopere magni nominis Philosophi in asserendis Angelis conspirarint.

Vt

A Vt mirum videri possit, philosophos plurima suis scriptis, quæ ad nostræ religionis confirmationem plurimum valent, esse complexos.

Quid à Dæmonibus in homines agi Aristoteles arbitratus sit. §. 5.

NVnc de Aristotele naturæ obseruātissimo, dicendum est. Ex quo vt suprà significaueram; quemadmodum operosum fuit eius opinione dæmones esse constituere; ita nunc difficillimi negotij est, dæmonum eorumdem erga homines officia indicare, cum eius rei nusquam videatur apertè meminisse. Tamen aliquot ex locis Aristotelem à magistro Platone non omninò in asserendis Angelis dissidere, nunc pro viribus eruere conabor. Scio me per ignotas nostris Philosophis vias incedere; tamen conabor, vt nihil nisi veritatis amor mihi filum ducat.

Primus locus est ex libro 7. Moralium ad Eudemum cap. 18. Vbi Aristoteles quærit, Vtrùm ij qui fortunati dicũtur, inde prosperè agant, quia principium prosperè agendi, quod est fortuna, sit in ipsis, an extrà. Deueniendum enim esse ad aliquod primum, ex eo probat, quod *consultās non consultauit, & hoc consultauit; sed principium est quoddam. Neque cogitans, cogitauit id prius cogitare. Atque in infinitum eiusmodi fiat progressio.* Ne igitur sit in infinitum abitio, consistere oportet in aliquo primo. Quod ait esse casum & fortunam. Quia vt primò de aliqua re cogitauerit aliquis, id non est ab alia priore ratione in infinitum. Ergo à casu & fortuna. Et ita inquirit, Vtrùm hoc principium benè agendi, quod est casus & fortuna, in nobis sit, an extra. *Quod perinde est,* inquit, *ac si principium motus in anima quid sit inquiratur;* nempe in huiusmodi motibus, quia casu fortunáque sunt. Respondens autem primò supponit nos non moueri à ratione, quia rationis non est ratio. Hinc deducit, nos moueri oportere ab eo, *Quod præstantius est principium.* Hoc autem quod est ratione scientiáque præstātius ait non esse nisi Deum. *Quia virtus intellectus organum est.* Nimirum eius primi principij, *Quod est intellectu ac voluntate præstantius*, hoc est, est instrumentum, quo vtitur illud nobilissimũ principium ad eos motus, seu ad eas functiones, quibus felices reddimur. Idque confirmat ex veterum doctrina qui dixerunt; quosdam esse *felices, qui irrationabiles ad rectè agendum impellerentur. Nec velle ipsis confert. Principium enim habent & intellectu, & voluntate præstantius.* Ergo huiusmodi principium agendi, Aristoteli fortuna ac Deus est. Cuius Dei instrumentum seu organum noster intellectus est, vt diximus.

Aristoteles.

Qua in re se cum antiquis consentire fatetur, cum id veterum opinione confirmet. Addit ad maiorem eius difficultatis declarationem, Nimirum eos, qui eo modo impelluntur in duplici esse differentia. Aut enim prudētes sapientésque sunt; *Aut harum facultatum expertes.* Et eorum qui primi generis sunt, ait celerrimam ac diuturnam esse vaticinationem, eámque à Deo singulari quadam ratione ingenerari. Nam libro de Diuinatione per somnium cap. 2. docet, maximè Deum in prudentes ac sapientes sua dona conferre. Iis verò, qui in altero sunt genere, accidit fortunatus effectus quodam veluti furore animi. Vnde & *melancholici rectà valdè subitáque insomnia habent.* Quæ verò in his sit eius rei causa, ac principium, non amplius explicat Aristoteles, nisi quod suprà dixerat ibidem, omnia moueri à Deo; id est *ab inexistente in nobis numine.* Ex his tandem duo aduertit. Alterum est, duas esse species felicitatis. Vna diuina est, *ideóque qui felix est, numine adiutum aliquid fecisse dicunt.* Quis autem sit hic, declarat his verbis. *Is autem est, qui aliquid iuxta diuinum impetum facit.* Is ergo, qui impetu diuino mouetur, felix est; quos scilicet dixerat esse sapientes. Secundam speciem ait esse in eo, *qui aliquid præter hunc impetum facit.* Nempe ex animi furore, impellente tamen Deo, à quo vt dixerat suprà, omnia mouentur.
B Alterum est vtrorumque principium esse præter rationem, quia alioqui non esset à fortuna, ac Deo.

Ex his ergo sic fit argumentum. Illud diuinum principium scientia ac ratione præstantius Aristoteles concedit in nobis reperiri ad effectus fortuitos, per quod veteres dixerunt aliquos esse felices ex fortuna, vt diximus. Sed huiusmodi principium veteres dixerunt esse Deum & Genium. Quod quidem adeò manifestum est ex iis, quæ suprà diximus ex Trismegisto, Pythagora, Socrate, Platone, & cæteris omnibus philosophis vetustissimis, vt nullus prorsus sit dubitandi locus. Immò idem apertissimè patet ex eodem Aristotele ibidem in capite superiore pro-
C ximo; nempe in cap. 17. Vbi ex veteribus dixit, eum qui fortunatus est, etiamsi malè ratiocinetur, tamen omnia plerunque illi præclarè accidere, quia Genium gubernatorem habet optimum. *Non secus,* inquit, *ac malè compacta nauis rectius sæpè agitur, non per se quidem, sed quia peritum gubernatorem nacta. Sic enim fortunatus ille Genium optimum gubernatorem habet.* Ergo Aristoteli Genius, qui est nostro intellectu ac ratione præstantior, res fortunati gubernat. Quod est concedere, naturam intellectualem homini superiorem, eiusdem hominis ducem, atque custodem, qui veterum sententiâ sunt Angeli ac dæmones, vt clarè ostensum est proximè suprà. Ergo dantur ex Peripatetica doctrina Angeli
D custodes ac dæmones.

Aristoteles.

Neque hic rectè quis diceret, in his exotericis libris quædam vulgaria ab Aristotele comprobari, quia non tam sollicitè ad veritatẽ philosophatur, atque in libris Acroamaticis: in quibus ne vestigium quidem est, quo colligamus ipsum dari Angelos existimasse. Non rectè inquam hoc diceretur: Nam primò saltem hoc confecimus; Aristoteli Angelos perspectos fuisse. Secundò quia Aristotelem in libris exotericis suam sententiam explicare, non est falsa loqui, aut contra mentem suam doctrinarum dogmata seu decreta euulgare: Id enim nec sapientis phi-
E losophi esset, atque adeò ne Philosophi quidẽ, qui sapientiæ sectator est; nec veritatem edocentis. Quare nec eius authoritati vlla in his libris exotericis fides habenda prorsus esset. quippe dubiæ fidei libri ducerentur. Esset enim incertum, an vera, quæ ibi docentur, & an ex animi sententia proferantur. Quam ob causam nec magni facimus ea, quæ ex libello de causis, aut potius ex eo opere, quod de secretiore philosophia secundum Ægyptios, & similibus aliis citari potest. Cùm tamen contrà accidere, exploratum philosophis ac Theologis sit: Nam tanti

apud hos omnes librorum Moralium Aristotelis doctrina æstimatur, vt non solùm in ea omnis de moribus disciplina tanquam in solidissimis veritatis fundamentis fulciatur, vt patet ex tota diuini operis secunda parte, quæ Prima secundæ & secunda secundæ nuncupatur: Verùm etiam ex ea alia complura dogmata ad cæteras scientias illustrandas & confirmandas tanquam prima principia eliciantur. Sic enim Boni definitionem quod sit *Quod omnia appetunt* ex cap. 1. libri 1. Ethicorum omnes amplectuntur. Non eandem certitudinem in omnibus æquè scientiis exigendam, quod habet eodem libro cap. 3. instar oraculi omnibus Philosophis est. Habituum intellectus naturam, ordinem, diuisionem, multiplicem actum, senarium numerum, præstantissimum esse intellectum ac sapientiam, & cætera, quæ toto libro 6. explicantur, mirè omnes docti probant.

Aureum quoque illud effatum lib. 6. cap. 14. existimarunt omnes, qui accuratè libros edere connituntur, tanquam ad doctrinam stabiliendam in primis vtilissimum. Nempe, *Non tantùm opus esse, vt verum dicamus, sed etiam oportet, vt falsi causam explicemus. Hoc enim ad fidem faciendam conducit. Nam cum rationi consentanea visa fuerit causa, cur verum appareat esse, quod verum non est; facit vt vero magis fidem adhibeamus*, & cætera. Quam præclarè etiam libro sexto Ethicorum capite vndecimo dicitur illud? *Peritorum hominum, & seniorum, seu prudentum pronunciationibus, & opinionibus absque demonstratione, non minus quàm demonstrationibus attendendum est.* Denique ne omnia consecter, quæ de intellectus dignitate, atque contemplatiua felicitate lib. 10. Ethic. cap. 7. & 8. dicuntur, omnium consensione admiranda censentur, ac si de ipsius veritatis ore procederent. Quid? In hac ipsa materia de bona & mala fortuna; nempe quod prima cogitatio ab illa sit, hoc est à Deo, quod ipse Aristoteles docet lib. 7. Mor. Eudem. cap. 18. adeò magni fit à Theologis, vt eo principio tanquam firmissima regula distinguant, quęnam actiones sint in nostra potestate, & quæ secus, vt patet ex 1. 2. q. 9. a. 4. Constat ergo non debere, quę in Aristotelæis exotericis libris docentur, sumi aut tanquam falsa, aut tanquam non ex mente Aristotelis dicta.

Verùm vt huius rei veritatem omninò aperiamus, ostendamúsque, hanc de Angelis ab Aristotele doctrinam non esse paruifaciendam ex eo, quod eam tradat in libris exotericis.

Notandum est, libros exotericos non differre ab acroamaticis apud Aristotelem, nisi in hoc, quòd exoterici vulgares sint, hoc est faciliores, & magis ad hominum captum, ob styli doctrinæque perspicuitatem, accommodati. At verò Acroamatici, ex eo quod subtilioribus argumētis abundant, pressioréque stylo compositi sunt, doctore indigent, ideóque vulgo occultantur, & auscultatorij nominantur. Ex quo licebit colligere, inter vtrumque ipsorum genus non esse discrimen illud, quod falsò nonnulli recentiores philosophi comminiscuntur. Quod scilicet Aristoteles in illis sequatur vulgi opiniones, in his explicet suas.

Probo autem nunc, illam tantùm intercedere differentiam, ex vetustissimis quibusque interpretibus, quibus, certum esse debet, Aristotelis mentem magis perspectam fuisse, quàm nouis hisce philosophis. Ac primum quidem Ammonius insignis Peripateticus ac Philoponi magister in suorum commentariorum ad prædicamenta Prolegomenis hanc differentiam apertè assignauit his verbis. *Compositionum Aristotelicarum* inquit *aliæ dialogi; aliæ ex sua persona suæ personæ sunt, in quibus ex propria persona doctrinam tradebat; quas etiam acroamaticas vocant, quia ad legitimos discipulos sermonem faciebat. Dialogica verò, quas non ex propria persona conscripsit; sed vt Plato aliorum personas supponens, quæ etiam exoterica vocabantur, quia ad vulgi vtilitatem scriberentur. Differunt verò plurimum Dialogica ab iis, quæ ex propria persona sunt. In his namque, veluti ad legitimos auditores sermonem faciens, ea quæ sibi videntur, tradit rationibus exactissimis, & quas vulgus consequi non potest. In dialogicis verò veluti quæ ad communem vulgi vtilitatem scripta sunt, quæ sibi videntur tradit quidem.* Ergo non ex vulgi sententia, *sed nequaquam rationibus demonstratiuis, sed simplicioribus quibusdam, & quas vulgus consequi potest.* Ammonio igitur hoc solùm discrimen est, quod crassiore stylo, non subtilibus rationibus, ex auctoris tamen sententia, traditi sint Exoterici.

Idem patet ex Philopono eiusdem Ammonij auditore libro primo de Anima commentario suo 138. *Cùm verò bifariam* inquit *scripta eius* Aristotelis *diuidantur: in ea quæ Exoterica nominabat, ceu sunt historiæ, & dialogicæ meditationes, & penitus ea, quæ exactam, ac summam diligentiam non postulant: & in ea, quæ acroamatica appellabat, inter quæ præsens tractatio numeratur. In Acroamaticis data opera obscurus esse voluit, vt segniores ab huiusmodi studiis repellat*, & cætera. Itaque solam differentiam putat esse, quia summam diligentiam non requirunt.

Non dissentiunt ab iis alij eximij auctores: Nam Cicero libro 5. de Finibus id etiam apertè intellexit, cum docuit duo librorum genera esse. *Vnum populariter scriptum, quod exotericum appellatur, alterum limatius*, & cætera. Significat enim, quia populare opponit limato, illud genus non summa diligentia confici, quemadmodum genus quod limatè ac viris doctis scribitur. Idem ferè docet Gellius lib. 20. c. 4. & fusè Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum. Quin etiam ipse Aristoteles id non obscurè significare voluit in epistola ad Alexandrum, cum de Acroamaticis libris dixit. *Scito eos editos, & non editos. Intelligibiles namque iis solùm sunt, qui nos audierunt.* Qui etiam mos occultandi doctrinam viguit apud Platonem, & Pythagoram, vt ait ibi Clemens, & rectè probat Franciscus Patritius lib. 6. Discussionum Peripateticarum tom. 1. Vbi etiam addit & rectè, exotericos fuisse, quos euulgauerat, non quos retinuerat apud se Aristoteles. Quo pacto eam partem animalis, quæ palàm est, vt manus facies &c. exotericam dixit Aristoteles libro 5. de Gener. animal. c. 6. & actiones exotericas lib. 7. Politicorum cap. 3. In quo etiam libro cap. 1. exoterica bona, quæ internis ac reconditis animi bonis opponuntur, appellauit.

Concludendum itaque ex dictis est, Aristotelem in exotericis libris nec falsa nec aliena à sua mente dixisse, sed populariter locutum esse, quoad stylum, vt se multorum intelligentiæ accommodaret, non vt falsas opiniones populi suis comprobaret scriptis. Nam etiam Ecclesiastes dicitur, seu concionator, qui ad populum loquitur, etiamsi nec falsitatem opinantis populi probet, nec quæ ipse putet vera, reticeat. Quæ fusiùs dixerim, ne sequentia, quæ ex libris Ari-

stotelis

Ammon. Philopon. Cicero. Gellius. Clem. Alex. Aristoteles. Francis. Patritius. Aristoteles.

stotelis exotericis sæpè confirmãda à nobis sunt, hoc ipso quia exoterica sunt, aut falsa, aut nõ ex Aristotelis officina deprompta esse existimētur.

Alter locus est ex eodem capite 17. Vbi Aristoteles opinionem veterum, quod fortunati haberent custodem Genium, non ex eo redarguit, quod Genium custodem ponerent, sed quod Deum ac Genium custodem facerent improborum, qui fortunati quoque plerunque sunt. In qua re non dissensit à Magistro Platone, & aliis; qui vt vidimus, bonos dæmones negabant esse improborum custodes. *Sed enim absurdum est* inquit *talem à Deo Genióque diligi non præstantissimum potius sapientissimúmque.* ergo non negatur ab Aristotele dari huiusmodi Angelos; sed solum contendit non esse custodes improborum. Negasset autem, si arbitratus esset, eos simpliciter non esse hominum custodes. Quemadmodum quia falsum illi videbatur, eos rebus improborum præfectos esse, refutauit omninò. Hoc enim tractatio poscebat & locus, vt si etiam Genios esse, falsum fuisset, eodem modo refutasset.

Aristoteles.

Verùm adhuc fortiùs confirmari hic locus potest ex libro 10. Ethicorum cap. 8. Vbi Aristoteles habet; eum, qui ex intellectu operatur, eúmque excolit, *Deo carissimum videri.* reddit causam proximè post. *Nam si aliquam* inquit *humanarum rerum curam Dij habent, sicut videtur*, hoc est apparet, ac certum est, *consentaneum est, ipsos re illa, quæ optima est, atque ipsis maximè cognata delectari, qui est intellectus: ebsque qui eam maximè amant, & honorant remunerari*, & cætera. Quibus verbis Aristoteles expresse innuit, custodes rerum hominum Deos; hoc est Angelos esse, seu vt ipsi loquebantur Genios, aut dæmones. (Non enim nouum est Aristoteli intelligentias ipsas vocari Deos, vt patet ex libro 12. Metaphysices cont. 50. vbi ait; Antiquorum, qui dixerunt *Deos primas substantias esse diuinè profectò dictum fuisse.*) Ex hoc enim loco sic argumentari possumus. Iis putat Diis hominem ex intellectu vitam traducentem esse carissimum, quos ipse ibi arbitratur curam rerum humanarum habere. Sed Aristoteles ibi putat, Genios rerum humanarum curam habere. Ergo Geniis putat illum hominem esse carissimum. Maior est certa ex verbis iam relatis. Minor probatur dupliciter. Primò quia Aristoteles ibi ait, Diis esse curam rerum humanarum. Ergo arbitratur, eos esse minores Deos seu dæmones, aut Genios; summus enim Deus vnus Aristoteli est, non plures, vt ostendit libro 12. Metaphysices cont. 56. Quod etiam fit verisimile; nam nomine Deorum curam rerum humanarum habentium, intelligere debet eos, qui vulgò putabantur hominum custodes. In exotericis enim libris vt modò diximus, loquitur Aristoteles ad vulgi captum, cuius opinio verissima erat, rerum humanarum curam geri à Diis Geniis, vt Mercurius, Hesiodus, Menander, Empedocles, Plato, Socrates & alij omnes arbitrati sunt; de quibus satis est dictum suprà. Vnde si aliud Aristoteles intellexisset nomine Deorum, qui hominum curam gerunt præter ipsos dæmones, Geniósque, se declarasset; ne in legentium mentes manifestus error irreperet. Secundò quia Deus summus Aristoteli prouidet omnibus entibus tanquam Imperator in exercitu, vt docet in eo cont. 56. ergo si hominis peculiari ratione curam habet, id faciet per administros duces; nempe per Angelos: Quibus hanc peculiarem curam Gentilitas attribuebat, vt diximus, & paulò post iterum ex Aristotele confirmabo. Itaque Aristoteli Deus omnia quidem singillatim curat, non tamen se solo sed per administros.

Tertius locus est libro 2. Magn. Moral. cap. 9. Vbi cum dixisset, fortunatum esse eum, qui ad bona consequenda impellitur præter rationem, eum autem impulsum nec esse Deorum curam, quia *Deum prospicimus dominum*, inquit, *vt bona malaque meritis distribuat. At fortuna, & ea, quæ a fortuna tam verè quam vt sors tulerit, fiunt. Quod si huiusmodi distributori Deo adscripserimus, malum ipsum indicem faciemus, neque iustum. Id nefas Deo deputare.* Similiter secundò, eum impulsum non esse à natura, quia *Natura semper causa est, cuius est; aut eius vt plurimum saltem, & eodem modo.* At fortuna nunquam eodem modo, verum temerè, & sine ordine, atque vt sors tulerit. Tandem concludit eum impulsum esse naturæ seu a natura. *Nam animæ inest* inquit *huiusmodi a natura, quo sine ratione impellatur ad ea, vnde bene habemus. Vt si quis roget ita habentem; cur nam id tibi licet agere? Nescio inquit, sed libet.* Addit similitudinẽ ad id explicandũ in primis appositã. *Simile propemodũ lymphaticis. siquidem lymphatici citra rationẽ ad aliquid agendũ impelluntur.*

Ex quo loco sic formatur ratio. Causa quæ hominem fortunatum impellit ad prospera consequenda, debet animo fortunati naturaliter inesse, non autem debet esse causa naturalis, quia Natura aut semper, aut plerumque idem, eodémque modo facit, vt diximus. Ergo debet esse libera; Quæ nimirum pro arbitrio impellat, vt ei visum fuerit. At huiusmodi causa libera impellens hominem non potest esse nisi aliqua natura intelligens homine præstantior. Tũc enim regit, impellitque hominem ad ea bona, quæ cum præter rationem hominis sint, ab eo ignorentur necesse est. Ergo ex Aristotele datur huiusmodi intelligens natura, homine præstantior, hominísque gubernatrix ac rectrix. Cum autem non sit Deus, nempe summus, ad quem spectat debita retribuere, infra Deum supráque hominem erit. Ergo natura erit Angelica; quod contendimus.

Immò vlteriùs sequitur, si hæc insit animæ à natura; hoc est ab ipso animæ exortu; debere inesse tanquam monitorem, ac vitæ comitem. Cùm enim hæc causa non possit ita omninò inesse, vt illi à natura sit insita; quia vt diximus, animus ipse propellitur, & ignorans ad bona ducitur, debet illi adiungi & inseri tanquam interior comes ac dux, & vt Philosophus loquitur tanquam forma assistens; cùm nullus alius modus, quo causa libera in animo insit, appareat; vt hac ratione hæc, quæ hic dixit Aristoteles, cum cæteris locis citatis benè consentiant. Nisi quòd hoc loco, & in cap. illo 17. lib. 7. Moral. Eudem. huiusmodi impulsum negauit esse à Deo; quod tamen in eo cap. 18. eiusdem libri septimi fassus est, vt vidimus. Quæ conciliari fortasse hoc pacto possent, si diceremus in eo cap. 18. veram quæstionis explicationem contineri. In cap. verò 17. dubitandi rationes proposuisse, vt clariùs in eo cap. 18. veritas doctrinæ traderetur.

Quod quidem verissimum esse patet ex verbis Aristotelis tum in fine cap. 17. tum in principio cap. 18. Nam Aristoteles in fine eius capitis docet, fortunam quidem esse causam multorum effectuum, sed non omnium. Quorundam enim causam

causam esse naturam, vnde supererat explicandum, quo pacto se ad eos effectus fortuna haberet, & ideo initio cap.18. rursus quęrit; an fortuna omnium sit causa prædictorum effectuum, vt sic melius explicet quæstionem. & præterea quomodo: ita vt quando & quid oporteat concupiscatur ab homine impulsu fortunæ, cuius etiam naturam explicat. Quamobrem solum in eo cap. 17. in fine longam disputationem ita concludit, vt significet, solum sibi propositum fuisse, *non omnes, quibus secunda fortuna videtur affluere, id ex fortuna, sed ex natura habere.* Quia vt suprà explicauerat, quidam ex cupiditate semper, & propellente natura, in ea bona incidunt, cum quibus alia adiuncta sunt, ex quibus dicuntur fortunati. Ergo vt videtur non à Deo & à Genio semper ita impelluntur. Quæ copiosiùs determinauit cap. 18. At hoc cap. 9. negat illum impulsum esse à Deo summo, qui pro meritis bona ac mala distribuet, quia iustus Aristoteli non esset, vt ex ipso vidimus. Hinc tamen non conficitur, non esse à Genio, ac proinde etiam à Deo summo, quatenus vt generalis causa cum causis secundis in res omnes cooperatur, vt paulò antè dicebamus. Nam Deum suam cum secundis causis efficientiam præstare etiam dum libera hominis voluntas operatur, patet ex primo Ethicorum cap. 9. Vbi etiam id rectè ex verbis Aristotelis explicant Eustratius, S. Thomas, & alij. De qua re infrà suo loco dicturi sumus abundantius. Ex dictis ergo constat, quàm concors Antiquitatis consensus in asserendis Angelis, iisque hominum custodibus sit.

Eustratius. S. Thomas.

Ex quibus vlterius colligitur. Primò licèt à Peripateticis nihil ex instituto de Geniis, seu dæmonibus, aut Angelis disputatum sit, tamen ab iis non negari, esse hos Angelos seu Genios; quandoquidem eos Aristoteles Peripateticorum princeps apertè concessit. Immò Philoponus Ammonij auditor expressissimè Angelos esse supponit, vt patet ex eius verbis apud Simplicium libr. octauo Physicorum com. 11. in Digress. contra Io. Grammat. Vbi eos nec ipse refutat Simplicius; qui etiam libr. 2. de Anima cont. 128. laudat Iamblicum negantem, esse solum quinque sensus, ob animalia homine perfectiora, ergo ob dæmones. Possem etiam afferre alios Peripateticos, immò & Aristotelem ipsum, qui apud Laertium in proœmio supponũt, Magiam esse, quæ in dæmonum inuocationibus tota occupatur, ac proinde dæmones hoc ipso agere in homines fateantur necesse est. Sic enim habet Laertius. *Ægyptiis antiquiores esse magos Aristoteles auctor est primo de Philosophia libro, duoque iuxta illos esse principia bonũ dæmonẽ, & malum. Alterum ex his Iouem, & Orosmadem. Alterum Plutonem & Arimanium dici.* In quam rem ait consentire Hermippum, Eudoxum, Theopompum, atque Eudemum, alióśque. Verùm ne in hac re diutiùs immoremur hæc dicta sufficiant. Sanè si Aristotelis libros omnes haberemus, non fuisset opus argumentis. Communissimam enim omnium sententiam liquidè probatam ab ipso, eiusque auctoritate confirmatam omninò teneremus.

Aristoteles. Philoponus.

Laertius.

Non prætcribo tamen vnam ex Alexandro Aphrodisiensi auctoritatem libro 12. Metaphysices cont. 48. Vbi nõ putat improbabile Alexãder, ex Aristotelis opinione dari plures substantias materię expertes, quæ non moueant cœlum, sintque Dij minores. Ergo sunt Angeli ad rerum A custodiam, & Genij. Non enim alios putarunt Angelos Ethnici, ac Peripatetici philosophi. *Quoniam cuipiam nihil obesse videri posset*, inquit Alexander, *quominus quæpiam alia substantia corporis expertes per se sint, quæ nullum motum afferant. Quod si fieri posset, non esset consentaneum, quod mobilia sunt, tot esse substantias incorporeas: idcirco tacitæ huic obiectioni respondit dicens. Si ergo quod optimum finem est fortium, id optimum & optabile. Omnis enim Deus, optimus est, licet non sit vt primus Deus.* Vult ergo esse alios Angelos præter motores.

Alex. Aphr.

Vnum tamen obseruandum hic videtur, quod A. Doctor q. 16. de malo a. 1. c. tribuit Peripateticis, nempe ab iis negari esse dæmones. *Peripatetici*, inquit, *Aristotelis sectatores non posuerunt, dæmones esse, sed ea quæ attribuuntur dæmonibus dicebant* B *prouenire ex virtute cœlestium corporum, & aliarum naturalium rerum.* Ex his ergo videtur A. Doctor Peripateticorum sententia arbitratus, negandos dæmones esse. Vt autem hæc non aduersentur iis, quæ ex Aristotele & Peripateticis diximus, intelligenda sunt vel ita vt negentur esse ob illos omnes effectus, ob quos à Platonicis dæmones asserebantur, eo quòd multi ex illis effectibus referri possint in alias causas. Vel ita vt negētur dæmones, quales nos asserimus; nimirũ ob culpas è cœlo deiectos prauam in omnes homines gerere voluntatẽ. Vel ita vt negentur non quidẽ ab omnibus Peripateticis, sed à recentiori- C bus sui temporis, nã hoc dogma fortasse ea ætate vigebat. Vel denique dici potest A. Doctorem ea scripsisse, cum nondum plenissimam veterum Peripateticorum cognitionem adeptus erat.

A Doctor.

Colligitur secundo meritò à Carpentario in Alcinoum de Doctrina Platonis Digress. 4. in Hieronymo Cardano requiri maiorẽ & in Christianam religionem pietatem, & in philosophãdi licentia moderationem. Nam in libro 16. de rerum varietate, & libro 19. de subtilitate nescio quibus leuibus rationibus, & philosopho prorsus indignis adductus negat, dęmones esse. Hanc suam vel opinionem vel impietatem eo quasi velo obtendere conatur, quòd illa dixerit non vt D Christianus, sed vt Philosophus. Aduersus quas nugas sic argui euidenter potest. Aut enim cum negat esse dæmones, loquitur de dæmonibus, vt eos Christiana religio asserit, aut vt ab ethnicis philosophis ponuntur, aut denique vt ab vtrisque confirmantur. Si primum illud Cardanus intelligat; videat quam longè absit à diuinarum literarum, sanctorúmque Patrum, & Catholicæ Ecclesiæ principiis; quandoquidem hęc ipsa omnia, vt iam ex superioribus dictis manifestum est, nihil certius, quam dæmones esse testentur: sin illud secundum velit, quæro ab ipso; quodnam fuerit illi adeò efficax argumentum, vt necesse illi fuerit ab omnibus, quotquot fue- E re philosophi, dissidere? At si tertium dicat, quæ tanta Cardano est philosophandi licentia, vt ea conuellere solus audeat, quæ & Ecclesia Catholica diuinis oraculis instructa, & Philosophi mira omnes consensione comprobarunt?

Carpentarius.

Cardanus.

Quare dicere potiùs debuisset Cardanus, & rectiùs, se ea neque vt Christianum, neque vt Philosophũ censuisse, quę non minus cum Christiana religione, quam cum vniuersa philosophia è diametro pugnant. Quemadmodũ neque is, vt Grammaticus loqueretur, qui orationem suam in vitia cum Grammaticis disciplinis pugnantia detorqueret. Nec vt Musicus occineret, qui

qui dissonis clamoribus inter modulantiũ concordes voces obstreperet: & sic de cæteris. Verùm hęc dentur Cardani licentiæ, qua turbidum eius ingenium, atque inconstans, quot interdum verba fundit, tot flagitia committit, vt in aliud propositum obseruat Scaliger in eundem Cardanum, exercitat. 307. num. 35. Vnde est, vt eius nonnullarum sententiarum vel nequitiæ vel impietates delendæ essent, teste eodem ibidem num. 30. Equidem tolerabilius arbitrarer, si in hos atque alios huiusc emodi farinæ, nostri ac superioris sæculi philosophos illud Lactantij lib. 3. cap. 24. conueniret. *Quid dicam de his*, inquit, *nescio qui, cum semel aberrauerint, constanter in stultitia perseuerant; & vanis vana defendunt; nisi quod eos interdum puto aut ioci causa philosophari, aut prudentes & scios mendacia defendenda suscipere; quasi vt ingenia sua in malis rebus exerceant, vel ostentent.* Hæc ille. Verùm iterum aduersus Cardanum ratione agemus seq. quæsito Difficult. 2. Vbi in prima sententia explicatius eius opinionem de dæmoniis referam. Atque hæc ex Ethnicorum, ac cæterorum sapientum auctoritate ad probandum Angelos esse, dicta sint satis. Cuius etiam rei fusior tractatio perficietur ex iis, quæ dicam; An Angeli sint incorporei. Nunc ergo rationes pro hac eadem materia illustranda in medium afferamus. Sit ergo

Scaliger.

Lactantius.

QVÆSITVM SECVNDVM.

Vtrùm ratione aliqua ex naturæ Principiis ostendi possit Angelos esse.

QVod sapientum sententiâ, diuinisque oraculis stabiliuimus, nunc argumentis discutiendum est. An scilicet ratione naturali, citra fidei diuinæ, sapientúmque certissima pronunciata, eosdem Angelos concedere necesse sit. Et quãuis verum sit, quod docet Aristoteles lib. 6. Ethicorum cap. 11. *Peritorum hominum, & prudentum pronunciationibus & opinionibus absque demonstratione non minus quam demonstrationibus attendendum esse:* propterea quòd ipsi cum rerum vsum habeant ex longa experientia, principia ipsa intuentur: ac proinde non videatur vlla alia ratio ad id probandum exigenda, quod ipsi concordi sententia definiuere; Tamen minimè dubium esse debet, quin si his opinionibus accedat etiam ratio ex naturæ principiis deprompta, multum quoque ponderis ad eiusdem rei veritatem confirmandam sit accessurum. Vt enim ait Aristoteles libro 10. Ethicorum cap. 8. cum *Sapientum opiniones cum rationibus consentiunt*, longè maiorem fidem doctrina ipsa conciliat. Tunc enim apparet sapientum sententiis non defuisse causam, qua ipsi permoti in eam doctrinam meritò conspirarint. Duplex autem hac in re difficultas existit. Prima quidem ex cœli motu, qui cum præstantissimus sit, omniúmque oculis pateat, maximè desiderium excitat inquirendi, an ab Angelis sit. Deinde verò ex aliis effectis, quæ creatam aliquam causam videntur poscere homine perfectiorem: Quia scilicet eò vires corporeæ naturæ, non pertingant. Sit ergo

Aristoteles.

A

PRIMA DIFFICVLTAS.

An ex motu cœli ostendi possit Angelos esse.

AD ea, de quibus hic præsentẽ quæstionem instituimus, rectè intelligenda, ponẽda nobis in primis sunt duo, quæ facile concedi ab omnibus possunt. Primum ponendum est; certum adeo esse debere apud Theologos, ex Ecclesiæ Catholicæ sensu, Angelos nunc re ipsa, & de facto orbes cœlestes conuoluere, vt in eo comprobando non sit nobis magnopere laborãdum in præsentia. Nam facili negotio ostendi B potest, Patrum Theologorúmque iudicio, non alios cœli motores esse quàm Angelos. Quanquam in hac re mittendum censeo, quod ad hanc materiam facere nonnulli arbitrati videntur ex Lactantio libro 1. cap. 5. Vbi ex Marone dicit cœli molem agitari mẽte, quasi dicere velit, volui ab Angelo. Hoc inquam mitto tanquam ad hoc præsens negotium prorsus inutile. Non enim ibi ex Marone Lactantius contendit, cœlo aut Mundo inesse mentem, nisi creatoris, & infinitam. Patet ex eius verbis, quia cùm Maro dicit

Lactantius. Maro.

C *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus*
Mens agitat molem, &c.

Hæc omnia Lactantius ipse interpretatur de Deo his verbis. *Ac ne fortè*, inquit, *quis ignoret, quisnam esset ille spiritus, qui tantam habet potestatem, declarat alio loco docens*

Lactantius.

——— Deum namque ire per omnes
Terrarum tractusque maris, cœlúmque profundum.

Vnde subdit, Deum Mundi fabricatorẽ ab Ouidio *in principio præclari operis sui, sine dissimulatione* dictum fuisse, & cætera. Imò similia, quæ sensu percipi non possunt, negat Lactantius libro 3. cap. 3. posse ab humano intellectu sciri, vt quantus sit Sol, an Luna globosa sit vel concaua, & D stellæ vtrùm adhæreant cœlo, an per aërem libero motu ferantur, vtrùm cœlum quietum sit, an incredibili velocitate voluatur, & cætera. *Hæc disputando*, inquit, *& coniecturis velle comprehendere, tale est profectò, quale si disserere velimus, qualem esse arbitremur remotissimæ gentis vrbem, quam nunquam vidimus, cuiúsque nihil aliud, quàm nomen audiuimus.* Quare non docet cœlum ab Angelo moueri. Quanquam neque Lactantio assentior, dum negat, hæc posse sciri. Quia vnà cum Theologis ac sapientibus rerum scientiam etiam à sensibus remotarum non negamus.

E

Patrum, Theologorúmque iudicio cœlum ab Angelo circumuoluitur.

§. 1.

QVare quod cœlum ab Angelo moueatur alij docent Patres. Sic enim sanctus Augustinus libro tertio, de Trinitate, capite quarto expresè ait, Deum vti omnibus rebus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ; *sed quemadmodum corpora crassiora, & inferiora, per subtiliora, & potentiora, quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vitæ,* &

S. Augustin.

& spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, & spiritus vitæ rationalis desertor, atque peccator per spiritum vitæ rationalem pium ac iustum, & ille per ipsum Deum. Vult ergo corpora superiora ordine suo, per spiritum vitæ, qui sunt Angeli sancti, regi, ac proinde moueri. Quod etiam prius dixerat S. Dionysius cap. 5. cœlestis Hierarchiæ, & cap. 8. de Diuinis nominibus, cum omnia ait administrari per Angelos. Hunc autem locum S. Augustini ad hoc propositum afferri, communiter Theologi obseruant ex A. Doctore p.p. q. 70. art. 3. & q. de spiritualibus creaturis a. 6. c. Idem patet ex eodem S. Augustino libro 83. qq. q. 79. Vbi ait sic. *Vnaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam.* Quod adeò Augustini sententia videtur certum, vt alicubi dubitarit, An illi iidem cœli rectores sint sui cœli anima informans. Nam in Enchiridio cap. 58. ob eundem vitalem spiritum qui orbibus mouendis destinati sunt, ancipiti sententia fluctuauit, Vtrum Sol & reliqua astra ad societatem pertineat Beatorum. *Sed nec illud quidē certum habeo,* inquit, *Vtrùm ad eandem societatem pertineant Sol & Luna, & cuncta sidera, quamuis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu & intelligentia videantur.* Quare libro 2. de Genesi ad literam cap. vlt. non dubitauit ipse, Vtrùm Angeli cœlo mouendo præficiantur cum dixit: *Solet quæri, Vtrùm cœli luminaria ista, conspicua corpora sola sint, an habeant rectores quosdam spiritus suos:* Sed vtrum sola corpora sine rectore informante, vt ita hæc cum cæteris dicta consentiant. Idem patet ex S. Gregorio libro 4. Dialogorum cap. 4. & 5. Idem & clariùs docuit & Iustinus Martyr in solutione trigesimæ quæstionis à gentibus propositæ, Vbi ait: *Omnes Angeli tum qui regunt tum qui reguntur, functionem suam implent cœlis & hominibus vtilem.* Et Athenagoras legatione pro Christianis dicit, Deum verbo suo Angelos in classes ordinasse, ac centuriasse, vt ipse loquitur *Vt elementa, cœlos, Mundum, & quæ in mundo sunt, vicésque, & ordines omnium moderarentur.* Quibus significant, cœlum administrari per Angelos: Non administratur autem, nisi dum rotatur. Hanc eandem partem etiam ij Patres docebunt, è quorum sententia q. sequenti art. 1. dicemus, cœlum intelligentibus spiritibus animari.

S. Dionysius. S. August. S. Gregor. Iustinus Martyr. Athenagoras.

Porrò quod Theologi eandem sequantur sententiam, patet ex Magistro & Scholasticis in 2. vel d. 9. vel 14. & 15. & ex A. Doctore p.p. q. 70. art. 3. Quorum aliquot citabimus infra in parte affirmante. Quam doctrinam sunt, qui colligant etiam ex sacris literis Iob 9. *Sub quo curuantur omnes, qui portant orbem.* Hi autem Angeli sunt, qui cœlum circumuehunt. Et Matth. 24. *Nam virtutes cœlorum commouebuntur.* Virtutes autem significare Angelos, sententia est Origenis, Chrysostomi, Bedæ, Euthymij, ac Theophylacti, vt notat noster Maldonatus in eum locum. Quomodo etiam Ecclesia canit in præfatione Missæ; *Cœli cœlorumque virtutes*; licèt aliter videatur ipsi Maldonato. Immò A. Doctor Opuscul. 15. cap. 18. ait, illud Lucæ 21. Virtutes cœlorum mouebuntur, *de sanctis Angelis omnes Doctores exponere* nempe cœli motoribus. Quocirca mirum non est, si A. Doctor q. 6. de Pot. a. 3. c. hanc esse fidei doctrinam doceat. Ibi enim de iisdem motoribus Angelis sic habet. *Fidei autem sententia est, quòd non solùm corpora cœlestia moueā: localiter, sed etiam alia corpora Deo ordinante ac permittente.* Ampliùs, sed aliquantò in censura parciùs, S. Bonauentura in 2. d. 14. p. p. d. a. 3. q. 2. c. dicit, *Hanc positionem Magistrorum esse tam in Theologia, quam in Philosophia, quia concors pietati fidei & rationi plurimum esse videtur.* Ex quibus manifestum est; periculosè nonnullos scholasticos locutos esse, vt dicam mox in prima sententia, dum ausi sunt affirmare; Vel absolutè nūc reipsa cœlum moueri à propria forma; vel certè tanquam verosimile. Constat ergo, communem Ecclesiæ Catholicæ sensum esse; Angelis à Deo demandatam esse curam de cœlestibus sphæris conuoluendis. Itaque positis iis quæ fidei sunt, naturali ratione agendum nunc est: & sensus Difficultatis est, Vtrum ex motu cœli, esse in rerum natura Angelos, euidenter possit ostendi.

Magister. Iob 9. Matth. 24. Maldonatus. A. Doctor. Luc. 21. S. Bonauentura.

Platoni atque Aristoteli cœlum non habet alium motorem quàm Angelum. §. 2.

Alterum ponendum est; præsentem difficultatem non esse vt differatur, Vtrùm auctoritate Philosophorum negari possit, cœli circumuolutionem esse ab Angelis, seu intelligentiis. Nam adeò hac in re præcipui, atque optimi Philosophorum clarè locuti sunt, vt non magnoperè sit disputandum, quodnam fuerit ipsorum de cœli circumductione consilium. Nam Plato hanc ob causam videtur cœlum, seu astra facere animatum. Quia vult, corpus cœleste suamet animâ circumduci, ex qua anima cœlum est quoddam diuinum animal. Vtrùm autē Platoni sit verè animatum, dicemus q. seq. art. 1. Nunc id firmum sit, Platonis sententiâ moueri ab intelligente anima, ac diuina. *Facta sunt,* inquit Plato in Timæo *astra illa erroris expertia, quæ diuina animalia sunt.* Ideóque in libro 10. de legibus scribit, vniuersa, quæ in cœlo sunt, quæ in terra, quæ in mari motibus animæ duci. *Quibus,* nempe motibus, *nomina sunt velle, considerare, curare, consultare, rectè & non rectè opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere.* Ideóque Marsilius Ficinus in argumento ad eum librum, Platonem ait non dissentire ab Aristotele, atq; Theophrasto; additque Plotinum, atque Hermiam in sideribus posuisse sensum longè præstantiorē, quàm sit in animalibus. Obseruat etiam Marsilius, Platoni in eo libro 10. nondum esse constitutum, vtrùm cœlum habeat assistentem, an informantem animam; Quod tamen à nobis infrà negandum erit. Hanc eandem Platonis sententiam; qua scilicet ratione cœlo animus dandus sit, explicat idem Marsilius in Platonis Symposium, & ex eo Carpentarius in c. 12. Alcinoi de Doctr. Platonis num. 10. Quam quæstionem prosecuturi sumus ex omnibus Philosophis q. seq. art. 1.

Plato. Marsi. Ficin.

Aristoteles autē multò constantiùs, apertiúsque sæpissimè docet, cœlum non moueri nisi ab intelligentiis.

Aristoteles.

Primus locus sit in libro 8. Physicorum cont. 78. vbi ex eo, quòd primus motor debet cœlum mouere æterno tempore, probare contendit, virtutis eum debere esse prorsus infinitæ, & idcircò eum non posse inesse cœlo, quod finitam habet magnitudinem, quia cœlum temporis momento moueretur. Quo argumento paulò aliter vtitur Aristoteles libro 12. Metaphysices cont.

cont. 40. Quia scilicet *nihil finitum infinitam potentiam habet, nulla autem est infinita magnitudo*, quæ infinitam mouendi vim contineat. Quæ omnia rectè ac primariò dicuntur de primo mouente simpliciter, *a quo tum cœlum tum natura dependet*, ex libro 12. Metaphysices cont. 38. Secundariò autem & proportionaliter applicari debent cæteris. Idem ergo Aristoteles diceret de reliquis cœli orbibus, eorum vnumquemque moueri à suo Angelo, cùm Aristotelis opinione vnius singularis motus vnum debeat esse mobile, vnúsque motor, vt patet ex 8. Physicorum cont. 49. 83. & 84. & alibi sæpè. Quocirca libro 12. Metaphysices cont. 42. ait, sicut prima mouētia vno tantum motu mouent orbes. (*Mouens autem primo sempiterno & vno motu,*) ita & mobilia, quæ mouentur motu æterno, moueri ab æterno, *& vnum ab vno.* Vnde sequitur, cum sint plures cœlestes orbes; à pluribus intelligentiis eos moueri necesse esse. Quod etiam ipse iterum expressit libro 12. Metaphysices cont. 43. *Necesse est,* inquit) *harum lationum vnamquamque à per se immobili, æternáque substantia moueri.* Quasi dicat, vnumquéque cœli motum peculiarem, & per se suum motorem seorsim deposcere.

Secundus locus est eodem libro 8. Physicorum cont. 52. Postquam enim in superioribus dixerat, Moueri per accidens, vt ipse loquitur, esse ad alterius motum moueri; ostendit fieri non posse, vt id, quod mouetur per accidens, perpetui motus causa sit efficiens. Hinc inferemus infrà q. seq. a. 1. Aristotelis sententiâ, id quo cœlum mouetur, formā corporis atque adeò cœli animam esse non posse. Quia quæcunque sit forma corporis, moueatur per accidens necesse est, quippe motu sui totius moueri debeat. Vt enim ait idem Aristoteles libro 2. Topicorū loco 24. non sibi inter se consentiunt illa duo, quæ aiebat Plato. Nimirum; ideas esse immobiles, easdémque esse in nobis. Rationem reddit: quia, *cum sint in nobis, impossibile eas immobiles esse. Nam motis nobis necessarium est, & quæ in nobis sunt omnia simul moueri.* Quod etiam docuit eodem libro 8. Physicorum cont. 51. Vbi idem argumentum prosequitur, nempe quod illud moueri per accidens debeat, quod est in alio quod mouetur. *Mutat enim, inquit, locum corpus, quare & id quod in corpore existit.* Si ergo Aristoteli non est forma corporis, quod cœlum voluit. Ergo est Angelus assistens & forma extrinsecus motrix, vt in sequentibus declarabitur fusiùs.

Tertius locus est libro 12. Metaphysices cont. 30. Ibi enim ex motu æterno cœli conficit, oportere esse aliquam sempiternam substantiam, cui in cœlo conuoluendo duæ conditiones insint. Vna quidem, vt actu semper moueat. Altera verò, quæ ex ea deducitur; vt scilicet non sit in potentia ad mouendum. Probat vtrumque: quia *si motiuum aut effectiuum est, non autem operans aliquid, non est motus. Possibile namque est non operari, quod potentiam habeat. Nulla igitur vtilitas erit, ne quidem si perpetuas substantias faciamus, quemadmodum qui faciunt formas, idest ideas, nisi aliquod principium insit, quod mutare possit.* Sensus autem est, vt etiam ipse explicat Aristoteles: Quia si actu, ac reipsa nihil moueat, nulla erit vtilitas, vt Idearū. Aut si est potētia ad motum, motus poterit non esse, atque ita nec æternus erit, aut perpetuus; Quod ipse putat absurdum; Vnde & concludit, *Oportet igitur esse tale principium, cuius substantia*

A *actus sit*; hoc est, cuius substantia non solùm sit potentia ad motum, sed habeat coniunctum actum mouendi, nempe à quo actu, motus actu sit in ipso mobili. Qui in intelligētiis erit actus voluntatis, vt infrà dicetur. Nam si hunc actum non haberet, esset solùm potentia ad mouendum, atque ita non esset substantia actu, eo modo quo requirit motus. Vt enim mox Aristoteles ibi subdit. Non omne quod potest, agit; licèt omne quod agit possit. *Nam omne quidem agens,* inquit, *posse videtur; potens verò non omne agere.* Debet ergò substantia esse actus, in quantum opponitur ei, quod solum est potentia mouendi; Nimirum; quæ actu, non potentia moueat. Ex quo etiam colligit, has substantias esse æternas; B quia scilicet semper actu mouere debent.

Quod argumentum nonnihil roboris habet ex ea parte, qua dicit, has intelligentias debere aliquid afferre vtilitatis vniuerso. Nam cùm sint eiusdem vniuersi partes, vt rectè ait A. Doctor p. p. q. 61. art. 3. in bonum eius conspirare debēt. Quod esse non potest, nisi & operationes conspirent. Sicut enim earum esse est propter totum, ita & earum operationes in bonum totius exerceri debent. Quod etiam manifestum est in partibus animalis. Nā ex eo quod eius partes sunt, puta hominis, earum quoque actiones, vt sensuum & reliquarum potentiarum eò tendunt, C vt suum totum perfectum, optimo modo, quo potest, vnaquæque constituat. Vt etiam colligitur ex eodem A. Doctore p. p. q. 65. art. 2. etiamsi oporteret, nobiliorem creaturam ad inferioris conditionis creaturam referri. Vt ait idem A. Doctor ibid. q. 70. a. 2. ad 4. *Nihil prohibet,* inquit, *dici quod dignior creatura facta est propter inferiorem, non secundum quod in se consideratur, sed secundum quod ordinatur ad integritatem vniuersi.* Quod dixit, vt non esse inconueniēs declararet, si cælestium siderum actio; Nimirum illustratio, & cætera; in bonum quoque terræ deriuetur.

Cùm ergo Aristoteles non existimauerit eorum Angelorum, qui supercælestes sunt; nempe, qui in cœlis sparsim degunt, vt suprà diximus, D nullam posse esse operationem in vniuersi bonum, præter cœli reuolutionem, hanc illis tanquam propriam destinauit, idcóque nullius vtilitatis eos fore putauit, si à cœli reuolutione desisterent. At verò idem Aristotelis argumentum, quâ nititur in eo; si Angelus habet potentiam ad motum, ipsum motum non fore æternum, ac perpetuum; non habet vim. Nam non omne, quod cessare potest à mouendo, desistet à motu. Vt enim suprà etiam ex Platone dicebamus, nec omne, quod dissolui potest, dissoluetur; sicut nec omne, quod in nihilum redigi potest, redigetur aliquando. Vt ille de cœlestibus Angelis, quos minores Deos appellabat, arbitratus E est; & nos catholica fide confitemur, vt infrà dicetur. Præterquam quòd, vt infrà dicemus; q. 53. quæsito 1. Difficult. 3. nec Aristoteli omne quod possibile est, ipsum re ipsa fieri; aut fore necessariò dicendum est. Vbi etiam explicabo, quia intelligentiæ, aliqua necessitate Aristoteli mouent cœlum, verùm rectè ab ipso dicatur, simpliciter non habere potentiam ad non mouendum. Fateor tamē, Aristoteli peculiarem fuisse causam, cur intelligentiis negaret potentiam ad mouendum. Nam existimauit, tempus, si aliquando debuit esse, necessariò debuisse æternum esse. Alioqui tempus ipsum prius non fuisset; nempe ante

eius initium, quo primo incæpit. Hoc autem putauit Aristoteles impossibile, quia prius illud, necessariò fuisset pars tēporis, cùm omne prius & posterius duratione ad temporis essentiam pertineat, vt ipse arguit libro 8. Physicorum à cont. 10. & libro 12. Metaphysices cont. 29. quæ sanè ratio licèt difficilis videatur; tamen alias eam rectè dissoluimus.

Quartus locus est eodem libro 12. cont. 35. Vbi ex motu & mobili æterno, quod cont. 34. dixerat, *non solum ratione sed opere palam*; Nimirum ex effectibus, quales sunt rerum generationes & destructiones, quæ Solis accessum, recessúmque consequuntur, concludit esse aliquem motorem immobilem, qui ita moueat, vt non moueatur, sempiternúsque sit, ac substantia & actu ens. Quæ ratio non in eo nititur, quod omne quod mouetur ab alio mouetur: Nam ne verbum quidem eius rei facit ibi Aristoteles; sed in hoc, vt liquet ex contextu, quia scilicet cùm videamus quædam, quæ mouentur & non mouent, vt sunt inferiora, quæ intereunt; quædam verò quæ mouentur & mouent, vt cœlum. ergo debet esse, quod mouet & non mouetur. *Cùm igitur id quod mouetur* inquit ibidem *& mouet, medium sit, est etiam aliquid, quod non motum mouet, quod æternum & substantiá & actu ens*, Quasi dicat motum mouens est medium, quia ex vna parte habet extremum, nempe quod mouetur, & non mouet; idque ea de causa, ne in infinitum detur processus. Ergo debet etiam esse medium ex alia parte, qua veniatur ad mouens non motum, ne huiusmodi quoque processus in aliam partem concedatur. Qua eadem ratione fit, vt motor non motus sit substantia, actúsque purus, ac sempiternus, quia primus motor est. Quo in argumento Aristoteles sumit vnum, quod probatione videtur indigere, nempe cœlum quod sempiterno motu mouetur, vt ipse opinabatur, moueri ab aliquo motore. Posset enim quis dicere; dari quidem huiusmodi substantiam immobilem actúmque suo modo purissimum; sed non qui sit æternus cœli circumductor; sed qui à primo ac summo ente procreatus sit. Quanquam Aristoteles, quia semper supponit ex probatis motum cœli æternum esse ab alio, consequenter intulit, motorem quoque esse æternum, vt quod sempiterno tempore mouetur; à sempiterno quoque mouente moueatur. Vtrùm quoniam nobis non est propositū, Aristotelis rationes veras, aut falsas esse in præsentia demonstrare; sed ipsum in ea esse sententia, vt cœlum moueri ab Angelis doceat, ideò hoc eius argumentum indicasse satis nunc sit. Vtrum autem & quo pacto necesse sit, cœlum ab Angelo moueri, dicam q. seq. ar. 1.

Sanè (ne rem maximi momenti taciti prætereiisse videamur) non est ambigendum, quin si Aristoteles Deo mouendi cœli curam tribuendam esse, censuerit, eius rationes longè aberrent à veritate. Hoc autem Aristotelem sentire satis perspicuum videtur ex adiunctis, & consequentibus in eo loco. Illum enim motorem ibi intelligit, cuius deinceps assignat conditiones. Nempe cont. 36. quod moueat sicut finis appetibilis; & est prima conditio. In cont. 37. quod habeat rationem perfectissimi intelligibilis, & summi appetibilis, quia habet rationem optimi; & est secunda. In cont. 38. quod sit immobilis ex eo, quod est ens necessarium, & quod *à tali principio tum cœlum tum natura dependet*; & est tertia. In cont. 39. Quod habeat summam in se delectationem, quia semper habet optimam operationem, nempe circa optimum intelligibile; & est quarta. Vnde etiam de Deo pronunciat illud aureis describendum notis. *Si igitur Deus benè semper se habet, vt nos aliquando, admirabile est. Quod si magis, adhuc admirabilius est.* Quibus verbis apertè significat Aristoteles, Deum contemplando se ipsum versari circa optimum obiectum, ex eoque summam existere in ipso Deo delectationem. Quam putat, quia eam habet Deus semper, & optimo modo, potius admirabilitate quadam considerandam, quam vllo explicationis genere prosequendam. *Si tanto* pulchre inquit ibi Aphrodisiensis Comment. suo 27. *melius, quam intellectus actu sese habeat Deus, vt verbis nequeat explicari; nimirum quo eum superat, hoc erit admirabilius. At excessus tantus est, quantum verbis consequi non sit. Deus igitur summa admiratione dignus est.* Hæc profectò consentanea visa mihi sunt cum iis, quæ regius Vates dixit ps. 64. *Te decet silentium Deus in Sion.* Sed pergamus ad aliam Dei conditionem. In cont. ergo 41. Quinta conditio est, quod scilicet habet potentiam infinitam, quia mouet tempore infinito; & consequenter ait, non posse esse in magnitudine. Probat eximio illo argumento quod suprà indicauimus. Quia scilicet illa magnitudo aut esset finita aut infinita. Non infinita, quia esse non potest. Non finita, quia *Nihil finitum infinitam potentiam habet.* Quod latè considerat Cardinalis Toletus libro 8. Physicorum q. 8. Hæc autem omnia in solum Deum conuenire, certum apud omnes est. ergo Aristoteles cœli mouendi curam Deo tribuit.

Psalm. 64.

Toletus.

Neque huic sententiæ nostræ officit, quod Aristoteles in cont. 36. vt retulimus, de hoc primo mouente ait, ipsum esse immobilem, ideóque mouere vt causam finalem. *Hæc enim sola* inquit *mouet non mota.* Quasi dicat, non esse ab illo efficienter cœli motum, sed tanquam ex fine. Ergo Aristotelis sententia Deus non mouet, tanquam principium efficiens. Hoc inquam non officit: Nam Aristoteles ibi solùm explicat, qua ratione immobilis motor moueat, nempe ea ratione, qua finis mouet non motus dum appetitum ad se absque sui mutatione allicit. Itaque est pura explicatio: Nam Aristotelem velle, Deum efficienter mouere cœlum, habemus ex hoc ipso cont. 35. Etenim vt vidimus, loquitur de motu in genere causæ efficientis, & ideò sermo est de mouente moto vt est cœlum & de moto non mouente vt sunt hæc inferiora. ergo in genere causæ efficientis, seu quoad efficientiam. Hæc enim duo mouentium genera; nempe quod mouetur & mouet, & quod mouetur & non mouet; non pertinent ad aliud genus mouentium. Vt ex g. cœlum, & terra. Neque enim mouent & mouentur vt finis; Qui non mouetur, vt dixit Aristoteles in eo cont. 36. Ergo cùm docet, primum motorem mouere, intelligit tanquam causam motus efficientē, quia eadem serie verborum non mutata significatione addidit illis duobus efficientium generibus, hoc tertium mouentium genus. Si ergo in reliquis duobus sermo est de mouentibus in genere causæ efficientis, crimen esset ab iisdem tertium genus excludere.

Imò id maximè confirmatur. Nam de iis causis mouētibus est sermo, inter quas medium est cœlum, quod est mouens motum vt vidimus: At

At cœlum mouens motum ibi non est medium, nisi inter causas efficientes. Neque enim esset medium si sumerentur diuersa causarum genera. Nam alioqui deberet esse medium vel inter duas causas finales, vel inter vnam efficientem & alteram finalem; Impertinens enim est ad hoc propositum aliud genus causæ. Primum dici non potest: quia debet esse medium inter ea quæ mouent & non mouentur, & inter ea quæ mota non mouent, vt diximus. At quod motum non mouet non est causa finalis, vt certum est, cum sit subiectum, agentis suscipiens actionem. Ergo non est medium inter duas causas finales. Nec secundum, quia hoc ipso cœlum moueretur à primo mouente in genere causæ finalis, ac proinde ipsum cœlum non esset medium quâ est mouens motum, quia esset primum mouens in genere causæ efficientis, cùm in hoc genere aliud prius non daretur. Quemadmodum primę causæ agentes, etiamsi moueantur à fine, non dicuntur causæ mediæ, sed simpliciter primæ. Qua ratione Sol est prima causa luminis, & cætera. Deinde quia Aristoteles vult, primum motorem esse immobilem, eo quod non mouetur primo motu, nempe circulari, ac proinde nec cæteris. At si putasset esse immobilem, quia solum mouet vt finis, non probasset esse immobilem, quia non mouetur primo motu; sed quia finis est mouens non motum suâ naturâ. Quemadmodum docet libro 3. de Anima cont. 54. Ergo.

Maior patet: quia in cont. 38. docet, illam primam intelligentiam immobilem mouere cœlum, non quouis motu, sed primo, nempe motu, qui est latio in orbem, & per illum motum cætera moueri; ac proinde ipsum motorem omninò esse immobilem; quia scilicet si mouet primo motu cœlum; ergo primus motus est in ipso cœlo, ac proinde non est in motore ipso, eo quòd mouens primo motu non mouetur eo motu, quo aliud mouet; vt si ignis prima calefactione calefacit aliud, ipse non calefit eadem calefactione, nec cæteris, quia cæteri motus sunt dependenter ab ipsa latione quâ sunt posteriores, vt ait ibidem cont. 41. Ergo sic nullo modo motor primus est mobilis. Quæ interpretatio est adeò ad Aristotelis mentem, vt nullus interpretum dissentiat. Sensit ergo, primam intelligentiam mouere in genere causæ efficientis. Nam, vt dixi, non fuisset opus, vt ad primum motum recurreret, vt primi motoris immutabilitatem confirmaret. Finis enim mouet ad omnes motus immotus ipse per sese, cum sit omnium causarum prima & primum mouens, vt alibi ostensum est.

Ex quo obiter intelligi potest, non rectè quosdam, vt dicam q. seq. art. 1. ex hoc Aristotelis loco colligere, in quocunque cœlo Aristoteli duplicem esse intelligentiam, quia altera debet mouere vt efficiens, altera vt amata & finis, vt etiam putat Alensis in eum cont. 36. Non rectè autem, quia Aristoteles id explicationis causa adduxit. & præterea esto id voluerit, non tamen eam conditionem credidit omnium intelligentiarū, sed primi motoris, vt diximus. Cuius proprium esse putauit Aristoteles, vt dupliciter cœlum moueret, & vt efficiens motus, & vt finis vltimus; quæ vltimi finis ratio ei solum debetur, quod optimum inter entia sit. Quæ ratio cęteris tribui non debet.

Alensis.

Quintus locus omnium etiam clarissimus eodem libro 12. a cont. 43. huic præsenti doctrinæ Peripateticæ extremam imponet manum. Eo enim loco Aristoteles ex instituto ostendere aggreditur, dari alias immateriales intelligētias, quarum vnaquæque suum per se deuoluat orbem cœlestem. Quod sibi ex eo persuadet, quòd necesse est, omne quod mouetur, ab alio moueri. Hoc namque principium libro 7. Physicorum à cont. 1. & libro 8. Physicorum à cont. 19. ad 34. multis argumentis stabiliuit. Ergo orbes quoque errantium astrorum ab alio per se mouebuntur; Atque ita necesse erit, quemlibet eorundem orbium per se à sua substantia æterna, immobilique circumagi. sua quidem, quia *Vnum* inquit in cont. 43. *ab vno.* Ab æterna autem substantia atque immobili, patet *ex præsuppositis, atque determinatis.* De primo nempe motore: Nam ex eo quòd sempiternus est motus, motor sempiternus etiam erit, cùm motus debeat esse ab alio. Et similiter ex eo, quòd cœlum est substantia, infert motorem quoque substantiam esse debere. Quia quod mouet, est prius & nobilius eo quod mouetur. Eadem ratione vtitur, vt probet, easdem substantias debere esse immateriales, seu, vt ipse loquitur, sine magnitudine, qua vsus est in ostendenda immaterialitate primi motoris. *Constat itaque* inquit *quod tot substantias necesse est natura sempiternas & immobiles secundum se, & sine magnitudine, ob causam prius dictam*: Nullam autem prius dixerat aliam, præter eam, quam in primum motorem attulit. Quia scilicet virtus infinita non debet esse in magnitudine finita. vt eo etiam loco interpretes exposuere.

Post hæc autem cum in cont. 45. 46. & 47. enumerasset orbes cœlestes ex sententia Mathematicorum Hesiodi, Eudoxi, & Calippi constituit cōt. 47. numerū eorumdem orbiū. Ex quibus denique cont. 48. concludit, tot esse intelligentias mouentes sempiternas, à materia abiunctas atque immobiles, quot sunt sphæræ deferentes ac referentes astra, quas ait esse quinquagintaquinque: Confirmat autem hanc de intelligentiarum numero sententiam ibidem: Quia si essent aliæ substantiæ à materia separatæ, certè deberent mouere aliquod cœlum. Quia omnis substātia separata, & impatibilis, debet constitui in optima sui dispositione; quam putat, ipsam toto cœlo effusam esse motionem, ita vt hic cœli motus earum substantiarum finis sit. Inter has autem substātias nobilitatis ordinem ponit, qui ipsorum orbium dignitati quadam proportione respondeat, vt dixerat cont. 43. Nec putat omninò absurdum cont. 50. has substātias appellari *Deos* ob earum diuinas actiones, quæ præsertim circa corpus diuinum; nempe cœlum, exercentur.

Ex his omnibus summatim sic concludi potest, omnes cœlestes orbes conuerti ab intelligentia, quæ sit a materia abiuncta, eo quòd moueat æterno tempore. Nam huiusmodi motor debet esse virtutis infinitæ, saltem quoad durationem ex libro 8. Physicorum cont. 78. ergo non debet esse in materia finita in qua defatigaretur. Præterea non debet moueri per accidens ibidem cont. 52. Si autem esset corporis forma, moueretur per accidens ad motum totius, vt dictum est. Nec debet Aristoteles existimari, tantum intelligentiis ipsis tribuisse, vt in earum voluntate, arbitrióque situm esse censuerit, mouendi

A uendi ac non mouendi cœli facultatem, ita vt nulla in ipsis saltem Dei imperio sit parendi necessitas. Hoc enim pacto possent à motu desistere, ideóque vt dixit lib. 12. Metaphysices cont. 50. earum nulla esset vtilitas, nec motus esset perpetuus, si ab illo cessarent. Ergo sunt immateriales motores. Accedit quòd datur mobile mouens medium, ergò debet dari mouens immobile extremum contextu trigesimo quinto, ibidem. Tandem ibidem à contextu quadragesimo tertio; Quia tot debent esse motores immobiles, quot sunt sphæræ astrorum deferentes & referentes, cum vnus motus ab vno tantum sit. Et ideo contextu quadragesimo-quarto, libro duodecimo Metaphysices tot ponuntur ab Aristotele intelligentiæ, quot sunt B orbes, qui conuoluuntur.

In hoc autem postremo loco Notanda sunt duo. Primum est, nobis hic non esse negotium; Vtrùm hæ rationes validæ sint. Solùm enim eò respeximus, vt Angelos cœli motores Aristoteli esse doceremus: remittimus autem earum examen ad tractationem de Deo. Vbi si Deo placet, ostendendum est, non esse efficaces nisi ex parte. Qua etiam de re multa infra docturi sumus, cùm de Angelorum loco disputabitur, & multò plura quæst. sexagesimaprima, de Angelorum creatione. Certe prædictæ rationes de numero intelligentiarum, déque earum fine falsæ simpliciter sunt, cùm non rectè ex cœli C conuolutione tantùm, constituendus sit earum numerus, vt etiam mox constabit ex Alexandro. Aristoteles autē, vt supra dicebam, loqui videtur de iis intelligentiis, quæ sparsim in cœlis degunt intra citimam superficiem primi mobilis. Absolute ergo earum finis non debet esse cœli motus, præsertim cum altior earum debeat esse felicitas, quæ rationalis naturæ est finis vltimus etiam Aristoteli, vt patet ex libr. 10. Ethic. à cap. 7. & deinceps.

mirum simpliciter, & in tota amplitudine entis. Quandoquidem is esse debet, *A quo tum cœlum tum natura dependet*, vt patet ex lib. 12. Metaph. cont. 38. aliásque conditiones habere debet, quæ infinitum illum faciunt in genere entis, vt constabit deinceps. Quocirca intelligentiæ simili quoque ratione erunt immobiles ex parte, nimirum ex hypothesi: posito quod huic motui sint addictæ. Sic enim non poterunt aliò mouere sese, vt dicam infra q. 53. quæsito 1. Difficult. 3. Quæ quidem omnia subindicasse videtur Alexander Aphrodisiensis libro 12. Metaphysices in cont. 48. vbi facit, Deos omnes; nempè motores cœlorum; esse quidem optimos, non tamen sicut summus Deus. *Dixeram*, inquit ibi Alexander, *totidem motores numero intelligi oportere, quot sunt ea quæ motu agitātur. Sed quoniam cuipiam nihil obesse videri posset, quominus quæpiam alia substantia corporis expertes per se sint, quæ nulli motum afferunt. (Quod si fieri posset, non esset consentaneum, quot mobilia sunt, tot esse substantias incorporeas, non plures neque pauciores) Idcirco ita huic obiectioni respondit dicens. Si ergo quid optimum finem est sortitum, id optimum & optabile. Omnis enim Deus optimus est, licet non sit vt primus Deus.* Sed de hac tota re alibi plura. Alex. Aphr.

Atque ex his constat, Philosophorum tam Platonicorum, quàm Peripateticorum sententiâ, cœlum ab intelligentia conuerti. Immò etiam A. Doctoris iudicio, qui omnium penè scriptorū opera legerat, à nullo seu philosophorum seu Theologorum id negatum videtur. Sic enim habet opusc. 1 c. a. 3. *Sed cœlestia corpora à spirituali creatura moueri, à nemine sanctorum vel philosophorum negatum legisse me memini.* Idem & liberiùs dicit p. p. q. 11 c. a. 1. c. in fine. *Et hoc non solùm à sanctis Doctoribus ponitur, sed etiam ab omnibus philosophis, qui incorporeas substantias posuerunt.* S. Thomas.

Constat ergo cœlum moueri ab Angelis. Ex quibus proposita difficultas existit, possitne ex cœli conuersione ac motu Angelos esse demonstrari.

D

Aristoteles non eodem modo, eadem attributa Intelligentiis adscribit ac Deo. § 3.

Aristoteles. Alterum est, Aristotelem hæc, quæ nunc dicemus, omnia tribuere intelligentiis, quæ ipsi Deo adscribit; nimirum esse primum motorem, à materia separatum, immutabilem, & virtutis aliquo modo infinitæ, vt vidimus: Nunquam tamen ait, eas esse primum intelligibile, & vltimum finem, optimúmque in natura; quæ de Deo expressè affirmauit, vt ex dictis constare potest. Quare constat, cum ait, intelligentias esse E separatas, immobiles, quia sunt virtutis infinitæ; ipsum non intelligere hæc de intelligentiis eodē prorsus modo, & ex æquo, ac de Deo intellitelligit. Nam licet eas dicat primos motores, intelligit tamen non simpliciter, sed ex parte, nimirum sui cœli, & quadam proportione ad motorem simpliciter primum. Ergo simili ratione intelligi oportet de virtute infinita, & de immobilitate, eam scilicet esse ex parte & non simpliciter, cuiusmodi est ea, quæ motori simpliciter primo conceditur. Atque ita Aristoteli erunt virtutis infinitæ quidem. ita vt nunquam in mouendo sint finem habituræ: Hoc enim illi satis est, licèt Deo altiore modo conueniat; Ni-

Quo sensu proposita difficultas examinanda deinceps sit. § 4.

Verùm hanc difficultatem bipartitò intelligere possumus. Vno modo vt constituamus, cœli motum nullo pacto posse esse à quauis cœli forma; vnde nec posse aliter per quamcunque potentiam, quàm à motore Angelo deriuari. Alio modo vt probemus, quamuis creari aliquod cœlum possit quod efficienter à sua ipsius forma moueatur: tamen adhuc debere congruentiùs ad huius cœli naturam, quæ nunc actu est, motricem ei intelligentiam assignari. Ponamus autem in præsenti, quousque infrà eius rei falsitas appareat, posse fieri aliquam cœlestem substantiam rotundam, immortalem, vt cœlum nunc est, inanimem, quæ pulsu interiore & suo rotetur, hoc est cuius motus circularis sit à propria forma, quæ anima non sit: Quæramusque; Vtrum ex cœli motu ostendi haud dubiè possit, Angelos nunc reipsa, cœli motores esse, vt ita in sensu difficiliore præsens quæstio ad vberiorem veritatis declarationem exagitetur. Pro qua re intelligenda

Notandum est, hanc quæstionem non posse dissolui

diſſolui; niſi duo tanquam certa ſtatuamus. Vnum quidem eſt, cœlum verè, ac re ipſa in orbem moueri circa mundi centrum; contra quoſdam quos refert Christophorus Clauius in primum caput Sphæræ Io. de Sacrobosco, qui putarunt, terram in gyrum duci quieſcente cœlo: [Clauius. Ioan. de Sacrobosco.] Quod fieri non poſſe, nunc accipimus à Mathematicis, à quibus eo citato loco demonſtratur; terram quidem quieſcere; cœlum verò circa cẽtrum agi. Quod etiam manifeſtè docuit Ariſtoteles libro 2. de cœlo cont. 43. & iterum à cont. 75. ibidem. [Ariſtoteles.] Vbi legi hac de re poſſunt Conimbricenſes libro 2. de cœlo cap. 5. q. 4. [Conimbricenſes.] Idem probat Ariſtoteles, ſeu potiùs ſupponit libr. 1. de cœlo à cont. 20. vbi ex motu circulari oſtendit, cœli naturam eſſe ab omnibus quatuor elementis diuerſam; ſimplicémque ob ſimplicem, diſtinctúmque ab elementorum motibus motum, qui cœlo debetur. [Ariſtoteles.] Verùm hoc in præſenti tanquam certum ponatur ex alibi dictis.

Alterum eſt; aſtra quæ in cœlo cernuntur, eſſe ipſis cœleſtibus infixa ſphæris, ideoque non ſeorſim, ſed ipſo ſuorum orbium motu circumuolui. Quam ſentẽtiam multis argumentis confirmant Ariſtoteles & Peripatetici eodem libro 2. de cœlo ab eo cont. 43. vſque ad 57. Et de Luna quidem cont. 49. dicit apertum eſſe argumentum, quod eius facies eodem modo ſemper apparet: Quod autem circumagitur perpetuò, variat ac mutat aſpectum. *At verò quòd non voluantur aſtra, manifeſtum eſt. Quod enim voluitur verti neceſſe eſt, Luna autem ſemper id parens eſt, quod facies vocatur.* Quæ ratio rectè quidem oſtendit, Lunam ipſam non rotari in ſe, ac circumuolui vt rotam: Quia hoc pacto eius facies ſurſum, deorſúmque variaretur; non tamen conficit, ipſam eundem partium ſitum retinentem circumduci per cœlum circa centrum Mundi non poſſe. Quemadmodum nunc infixa orbi eandem faciei diſpoſitionem retinens vnà cum ſuo orbe deuoluitur. Sed tamen quocumque argumento id demonſtretur, res iſta tanquam certa nunc à nobis ponatur tãquam communis omnium Theologorum ſententia, vt patet ex Magiſtro in 2. ſent. d. 14. & Scholaſticis, tum ibi, tum d. 15. & ex Ang. Doctore p. p. quæſt. 70. & alibi frequenter. [Magiſter. Scholaſtici. A. Doctor.]

Verùm quoniam quis dubiam hanc ſententiam exiſtimare poſſet; tum ob multorum Patrum auctoritatem, qui contra arbitrati ſunt, de quibus latè Benedictus Pererius in Geneſ. cap. 1. verſ. 16. & 17. q. 9. [Pererius.] Tum etiam ob quorundam recentiorum Mathematicorum doctrinam, qui omnia putant ſaluari poſſe per ſolum aſtrorum in ſuo cœlo motum, de qua re complures Moderni, quos non libet nunc referre; Nos præſentem Quæſtionem tractabimus, ac ſi cœlum ipſum in eoque aſtra voluantur; ita tamen vt eadem ferè argumenta, quæ cœli motui efficiendo, Angelum eſſe neceſſarium oſtendent, id ipſum quoque conficiant, ſi cœlo quieſcente ſola aſtra circum terram per cœli ſpatia conuertantur. Dixi *ferè*, nam vt obſeruabo infrà in Quarto *Colligitur*, non omninò eadem, aut par ratio eſt: cum cœlum ipſum totum in eodem ſuo loco ſemper vertatur; aſtra verò ſi in gyrum ducerentur, ſemper ſpatium mutarent aliud atque aliud. Itaque quærimus; an ex cœli aſtrorúmve circulari motu, qui nunc eſt, effici poſſit, vt Angelos eſſe demonſtremus.

Recenſentur qui negantem partem ſequuntur, eorúmque fundamenta. §. 5.

Partem negantem duo auctorum genera ſequuntur. Primum eſt eorum qui expreſsè dicunt non demonſtrari Angelos ex motu cœli, eo quòd, quamuis de facto putent cœlum ab Angelo moueri, tamen dicunt id non demõſtrari, nempe cœlum ſuâ natura, & virtute ſuæ formæ de facto non moueri, proindéque hinc non inferri, neceſſe eſſe Angelos dari ad cœli motum. Ita apertè ex recentioribus ingenioſè probat noſter Valentia p. p. Diſput. 4. quæſt. 1. p. 1. a quo non diſſentit noſter Gabriel Vaſquez p. p. Diſp. 178. cap. 1. [Valentia. Vaſquez.] Ait enim, non poſſe Angelos efficaciter ratione aliqua oſtendi, niſi deſumatur ab experimento in arreptitiis. Fundamẽtum exprimit Valentia, quia *ad motum cœli videtur ſufficere virtus aliqua cœlorum, maximè ſi cœli ſint anima præditi, quod verùm ita ſit, nequaquam euidenter definiri poteſt.* Ergo ad eorum motum non exigitur virtus Angelica.

Alterum eſt eorum qui arbitrantur aut probabilius, aut æquè probabile, cœlum vt nunc eſt, de facto moueri à propria forma inanimi. Id abſolutè affirmant nonnulli apud S. Bonauẽturam in 2. d. 14. p. p. d. a. 3. q. 2. quorum poſitionem vt probabilem ſequitur Gabriel Biel eadem d. 14. q. vn. a. 3. dub. 2. [S. Bonauentura. Gab. Biel.] vbi in vtramque partem argumenta diſſoluit. Ex hoc autem ſequitur, non eſſe Angelos neceſſarios ad cœli vertiginem. Videri poſſet alicui referri tertium genus eorum, qui cœlum faciunt animatum anima informante. Ex hoc enim negari poſſe videtur Angelica natura, quia poſſet cœlum volui ab ipſa anima, quæ hominis mente ignobilior ſit, quippe quæ cœlum minùs nobile, quàm hominis corpus informet: ideóque non dari ex hoc Angelos neceſſariò. Verùm vt conſtabit q. ſeq. a. 1. nec cœlum eſt eo modo, vt aſſerunt, animatum, nec hoc admiſſo, ſequitur negandum eſſe, dari Angelos, quia illæ cœli animæ eſſent naturæ, hominis mente nobiliores, vt ibidem dicetur. Solùm ergo argumenta facient pro ſecundo genere iam dicto, quæ omnia reuocari videntur poſſe ad hoc vnum. Quòd ſcilicet ratio potiùs ſuadet, cœlo non ineſſe aliam vim motiuam præter eam, quæ illi ex propria forma, eáque inanimi debetur. Quod multipliciter poteſt oſtendi.

Primò, quia nulla eſt neceſſitas ponendi vim cœli motricem, præter eam, quæ eſt cœleſtis corporis inanimi: quia omnes cœli motus ab ea fieri poſſunt; ſicut in cæteris elementis accidit, quorum motus proueniunt ab ipſorum formis per connaturales atque ipſis debitas motrices qualitates. Ergo non eſt quod Angelos aſſeramus. Quod etiam confirmari euidenter poteſt hac ratione. Etenim omnis forma, quæ ſubſtantiam conſtituit, eſt principium effectiuum eius operationis, quæ eidem ſubſtantiæ eſt connaturalis, & propria. Sicut enim ſubſtantia habet ſuum eſſe per ſuam formam, ita per eandem habet vt operari poſſit. Hinc eſt, vt Ariſtoteles libro 2. de cœlo cont. 17. dicat, *vnumquodque eorum, quorum eſt opus, eſt gratia operis*: [Ariſtoteles.] & ex eodem Ariſtotelis loco A. Doctor 1. 1. q. 3. a. 2. *Quælibet res eſt propter ſuam operationem.* [A. Doctor.] Idémque affirmat p. p. q. 65.

65.a.2.& q.105.a.5. Immò vnumquodque eò perfectiorem habebit operationem, quò perfectiorem habet formam, ex eaque perfectius esse. Hæc enim tantum relicta est nobis via, vt ex perfectione operationis eius, qui operatur, perfectionem metiamur. Neque alio argumento equum musca, & hominem equo dicimus nobiliorem. Vnde etiam est illud toties in Theologia decantatum axioma. *Modum operandi sequitur modum essendi*; de quo infrà dicemus copiosiùs. Ex quo sequitur cœlum, quod aliquam formam ac naturam habere debet, ex eadem forma posse habere & operationem, quæ ab ipsa tanquam à suo connaturali principio proueniat. Cùm ergo operatio cœli sit eius motus in gyrum, hic à propria forma, naturáque prouenìet. Ergo Angelus ad hunc motũ necessarius non erit. Confirmatur secundò, quia ex notis philosophandũ est ad ea, quæ sunt à sensibus remota, vt perpetuò fecit Aristoteles, & A. Doctor, vt infra fusè dicetur. Ergo cum videamus inter hæc inferiora, quæ nobis nota sunt, omnia corpora, etiam inanima, habere in se principium sui motus, id quoque asseri oportet in cœlo, cuius natura nobis ignota est.

Aristoteles. A. Doctor.

Secundò, quia indignum videtur, nobilissimã, intelligentémque substantiam cœlo alligari ad perpetuum motum, quomodo ne homo quidem vellet destinari ad tale munus. Cum enim creatura rationalis longè præstantioris operationis ac finis sit capax, nempe felicitatis, è dignitate illius non est in vertendo rotundo corpore quasi frumentaria mola occupari.

Tertiò, quia nulla potentia naturalis passiua est in aliquo subiecto, cui non respondeat naturalis actiua in eodem, vt patet ex Aristotele 3. de Anima cont.18. Hoc enim argumento vsus deducit, in anima oportere esse intellectũ actiuum, quia passiuus intellectus in ipsa cõcedendus est. Ergo cum in cœlo detur patibile principium motus, debet in eodem esse virtus effectrix illius. Ergo non mouetur ab Angelo saltem assistente, si quidem motus principium internum esse debet.

Aristoteles.

Quartò, quia non posset rectè explicari, quonam pacto cœli motus non esset eidem cœlo violentus. Illud enim est violentum ex Aristotele 3. Ethicorum cap.1. Quod sit à principio extrinseco, non conferente vim passo. Id autem cœlo cõtingeret, si ei extrinsecus ab Angelo accederet motus, ad quem nullam vim conferret, cum tantummodo passiuè se haberet. At certum esse debet, cœlo motum non esse violentum, quia vt probat Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 15. ne motus quidem præter naturam, nedum violentus, sempiternus esse potest.

Aristoteles. Aristoteles.

Denique quia Beatæ mentes in tres hierarchias distribuuntur; & quæritur, cuiusnam hierarchiæ sint Angeli horum orbium motores.

Pars affirmans, & resolutio propositæ difficultatis. §. 6.

Partem affirmantem sequuntur omnes Theologi citati. Qui vel supponunt motum cœli ostendere posse, intelligentias esse; vel probant. Quod præter ea loca, quæ citauimus in primo Ponendo, idem probat A. Doctor libro 3. contra

A. Doctor.

A Gentes cap.23. Cuius etiam citatur opuscul. 3. cap.171. Vbi nihil tale reperio. Idem supponit Alensis 2.p.q.87.m.3.a.4.ad argumenta. Et Scotus in 2.d.14.tota q.1. Capreolus in 2.d.9.q.1. art.1.& art.3. ad argumenta Aureoli. Durandus d.14.q.2. Ægidius eadem d.q.3. art.4. Vbi etiam ait: *Omnes rectè sentientes concedunt, esse aliquas intelligentias, appropriatas orbibus, mouentes orbes.* Ex philosophis idem supponunt, qui in ea Aristotelis loca citata cum eo in assignandis cœli motoribus consensere. Verùm licèt ita sit, tamen non est facile formare efficacem rationem, qua nostrum propositum probemus. Sit tamen in hac re

Alensis. Scotus. Capreolus. Durandus. Ægidius.

B Vnica propositio. Ex motu cœli efficaciter ostendi potest, Angelos esse, qui cœlum ipsum efficienter circumuoluant. Hæc propositio non aliter probari potest, quam si ostendamus, ex necessariis principiis sequi, cœlum actu moueri ab Angelis. Nam si necesse est; eum motum, Angelorum vi, ac opera, prouenire; certũ quoque est; ex ipso motu, qui de facto re ipsa est, Angelos esse, deduci posse. Quemadmodum quia necesse est, effectum esse à sua causa, rectè ea demonstrari posset esse, ex effectu, qui in rerum natura esse cerneretur.

Hoc igitur sic probant quidam. Nam oportet sit connexio inter has sensibiles res, atque intelligibiles: Hæc autem connexio non constaret, C si cœli motus non esset ab Angelo. Ideóque nulla alia est via, quæ nos in cognitionem Angelorum ducat. Ad id enim potissimùm respexere Peripatetici, quibus intelligẽtias esse perspectum fuit.

Verùm huic argumento nonnulla ad efficacitatem desunt. Primum quidem, quia qui negaret esse Angelos, nullam quoque fateretur sensibilium, intelligibiliúmque rerum creatarum connexionem esse. Non enim est connexio, atque vnio nisi inter ea, quæ sunt. Cùm enim omnis colligatio, nexúsque duarum sit rerum; vt patet ex A. Doctore 3.p.q.2. art.9. cap. Si non sint res, quæ colligantur, nec erit colligatio & nexus. D Negarent ergo propositionem argumenti. Deinde, esto aliqua debeat esse connexio, posset aduersarius obiicere, eam non esse per illum motum, quem fieri dicerent vel à suamet forma, vel proximè, & immediatè à solo Deo, & ita superesset ipsis edocendus modus, quo constaret, à Deo non fieri. Tertiò, quòd dicunt hanc solùm esse viam Angelos inuestigandi, falsum est. Nam alias quoque patere vias, dicam mox & Difficultate sequenti.

A. Doctor.

Immò apertè falsum est, Peripateticos huiusmodi vsos fuisse argumentis ad inuestigandas separatas substantias. Eorum enim ratiocinatio potissima est in eo, quòd cùm omne quod mo-E uetur ab altero moueatur, intulerunt oportere cœlum, quod mouetur, debere moueri à primo motore, & vnumquodque à suo; & cum debeant habere virtutem mouendi infinitam, oportere vnumquemque sine magnitudine corporeáque mole esse, vt ex Aristotele paulo ante docuimus. Quæ quidem ratiocinatio hac etiam potest premi difficultate. Nam primò si per ea verba *moueri ab altero* intelligunt, motum eius effici elicique ab altero; falsum id quidem videtur, etiam in ipsorum doctrina. Mouentur enim Aristotelis sententia ab altero elementa, cùm tamen ipsa suum sibi eliciant motum, vt patet ex libro 3. de

Aristoteles.

de cœlo cont. 28. vbi docet, in elementis esse naturam, quæ sit sui motus principium, quo velociùs vel tardiùs moueantur. Quod de natura efficiente, non autem de natura patibili asserit. Natura enim passiua ex se non poscit potius motum tardiorem, quam velociorem, cum ad vtrũque, & reliquos omnes sit indifferens. Ex quo libro 4. de cœlo cont. 24. etiamsi neget, elementa habere augendi seipsa alterandique principiũ; concedit tamen, in iis esse principium lationis. Qud est omninò concedere principium efficiẽs: nam patibile principium in elementis etiam est, vt augeantur atque alterentur, quæ tamẽ principia negantur, in illis esse, ibidem ab Aristotele. Quocirca optimè asserit libro 1. de cœlo cont. 89. elementa ab altero non moueri; nempe tanquam à principio eliciente in ipsis motum. Non ergo, quicquid mouetur ab alio, mouetur tanquam à principio eliciente ipsum motum. Et ita negaret aduersarius, cœlum moueri ab Intelligentia, quæ cœli motum efficiat. Sin autem secundo per ea verba velint, moueri ab altero tanquam à principio, quod mobili initium motus offert; hoc est quod ita constituit mobile, vt inde omninò in ipso sequatur motus; Quod alij dicunt principium mouens initiatiuè. Qua ratione id, quod elementum extra suum locum generat, v.g. aquam in aëre, dicitur mouere illud elementum aquæ initiatiuè, quia dum illam grauem gignit in alieno loco, causa proxima est, vt ea moueatur ad suum locum: quemadmodum etiã is, qui applicat ignem stupæ, dicitur causa eius combustionis, quia eius causa proxima est, & sic de cæteris.

Si inquam hoc intelligant per *moueri ab altero* vera est propositio, & Aristotelicæ doctrinæ in primis congruens. Vera, quia nulla prorsus res initia sui motus, nempe naturam, & qualitates generat. Vnde ex hoc principio magna cum euidentia inuestigari primus rerum auctor potest. Quia deueniendum est ad primum ingenitum, æternum, infinitúmque principium, à quo quæcumque sibi necessaria progignere non possunt, prouenire debent. Atque hoc argumento tanquam optimo & primo vsus est A. Doctor p. p. q. 2. art. 3. in prima ratione. Congruentem autem Aristoteli esse dicam 1. 2. q. 9. art. 1. Verumtamen hinc non absolutè concluditur, Angelos cœli motores dari. Nam moueatur cœlum initiatiuè ab alio, num ergo ab Angelo? Nequaquam, dicet aduersarius, sed à Deo, qui dum illi talem naturam impressit, initia quoque motus dedit, vt generans elemento; & ita, vt modò dicebam, superesset probandum, id non posse fieri à Deo, aut non debere. Vnde alio argumento ad id probandum opus esset.

A. Doctor.

Omissis autem cæteris rationibus, quæ vix probabiles videntur, probo ex natura rei seu à priori, ex motu cœli esse intelligentias. Est autem ratio, quam etiam indicat A. Doctor p. p. q. 70. art. 3. c. Quia illud corpus mouetur à causa intelligente ac libera, quod non potest moueri ab vlla causa determinata ad vnum & necessaria. Sed cœlum non potest moueri ab vlla causa determinata ad vnum & necessaria. Ergo mouetur à causa intelligente & libera. Hæc autem debet esse Angelus. Ergo debet ab Angelo moueri. Probandæ sunt singulæ propositiones, exceptis consecutionibus, quæ optimæ, notæq; sunt ex sese. Quantum verò attinet ad hanc postremam minorem subsumptam, eam probabo infrà in tertio corollario. Solùm ergo probanda vtraque syllogismi propositio superest.

A. Doctor.

Et primùm propositio argumenti maior est certa. Si enim vnum oppositum negatur de aliquo ente, alterum illi inisit oportet; si illa opposita adæquate diuidant largius membrum, seu membrum diuisum, sub quo sunt. Tunc enim inter ea nullum medium est, ac proinde alterum ex illis conuenire illi debet enti. Vt quia omnis causa, aut est naturalis determinata ad vnum, aut libera indifferens ad opposita, necesse est de quacunque causa; si negetur, eam esse determinatam: affirmetur ipsam esse liberam. Ratio est quia, vt ait Aristoteles libro 10. Metaphysices cont. 15. Quandocunque diuisio fit per membra, quæ contradictionem inuoluunt, negato vno membro, affirmari debet alterum. Nam *contradictionis non est medium. omne enim aut æquale aut non æquale.* Immò etiamsi contraria membra diuidentia sint; tamen si de eorum *susceptiuo*, inquit ibidem Aristoteles dicantur, necessariam faciunt propositionem disiunctiuam. Etenim *æquale*, inquit, *est inæquale non omne, nisi in susceptiuo æqualitatis tantum.* Vnde quia rationale & irrationale sunt membra, quæ sub animali quod diuidunt contradictionem inuoluunt, aut certè contraria sunt: omne animal, si rationale non est, irrationale sit oportet. Animal enim vtriusque ex se susceptiuum est, cùm ad vtrumque sit genus. Eius rei causa est: nam contraria tunc in eo susceptiuo induunt rationem contradictionis, vt ibidẽ ait Aristoteles. Forma enim, & quod se habet per modum priuationis, vt æquale, & inæquale in susceptiuo æqualitatis est contradictio, Ideò omne quod æqualitate affici potest æquale aut inæquale omninò dicendum erit ob prædictam causam. Vera ergo est illa propositio. Illud corpus quod moueri non potest à causa determinata ad vnum & necessaria; moueri debet à causa libera, & non determinata, quæ sit intelligens. Sola enim intelligens est libera, cuius intellectio proponere potest obiectum sub ratione boni, & sub ratione mali, vnde oritur indifferentia & libertas in voluntate, vt dicetur infrà præsertim de Angelorũ volũtate.

Aristoteles.

Assumptio autem, & minor argumenti patet: Quia omnis causa necessaria, & ad vnum determinata, cum se ipsa localiter mouet; habito termino motus, nempe *Vbi*, quiescit. Sic enim ignis, vbi ad suum locum naturalem pertingit, non amplius mouetur: eodémque modo graue deorsum. Idémque patet in cæteris elementis, & mixtis, grauibus & leuibus, quæ vbi proprium locum adepta sunt, illicò à motu cessant. Sic etiam animalia, cùm quod appetunt, consequũtur, quiescunt; nisi aliud appetendum illis delectabile proponatur. Cuius etiam ratio est: Quia, vt ait Aristoteles libro 1. de generat. & corrupt. cont. 55. *Habitibus præsentibus non amplius generatur*; Hoc est adepto fine cessat motus. Cùm quies in termino ad quem sit finis cuiuscunque motus, vt patet ex Aristotele libro 5. Physicorum cont. 53. & sequentibus. At cœlum nunquam quiescit, habito quouis *Vbi* ac loco, quæ sunt terminus motus localis. Nam quiescere vt docet Aristoteles libro 6. Physicorũ cont. 74. est *in eodem esse tempore aliquo & ipsum & partium vnamquamque. Tunc enim dicimus quiescere, quando in alio & alio nunc verum sit dicere, quod in* eodem

Aristoteles.

eodem & ipsum & partes sunt. Vt ergo aliquid quiescat, debent in eodem esse non solum totum, verum etiam eius totius partes omnes.

Quod dixerim, ne alicui venire in mentem possit, cœlum quiescere secundum totum, quia totum non mutat locum. Hoc enim falsum est: Nam si non omnes eius partes sunt in eodem, totum non quiescit, vt requirit Aristoteles; Vnde etiam falsum est cœlum non mutare locum, quia semper *Vbi* sibi intimum mutat, & locum ambientẽ, cui variè coexistit, ergo cœlũ non mouetur à causa necessaria, & determinata ad vnũ.

Quòd si dicas, hoc esse peculiare in cœlo ob motum circularem, qui cæteris corporibus non debetur. vt scilicet eius motus nullum habere debeat terminum. Contra hoc est. Quia incredibile omninò est naturam reperiri corporis, cuius motui nullus sit consentaneus terminus, cum quemcunque abiiciat ab sese, nulloque sit contenta in infinitum. Et tamen certum est quod egregiè obseruat Aristoteles libro 1. de Generat. Animal. cap. 1. *Naturam infinitum vitare solere: Infinitum enim fine caret. Natura autem semper finem quærit.* Adde etiam si ex notis philosophandum sit, naturam nunquam solitam esse abiicere vnum terminum, vt alium eiusdem omninò rationis adipiscatur, qui non sit illi futurus maioris emolumenti. Nunquam enim vna pars terræ aut aëris, aut cæterorum mixtorum vnum locum relinquit, vt alium eiusdem vtilitatis acquirat. Ergo etiam in corpore, quod mouetur in gyrum, negandum est motum fieri ab eius natura cum vnum terminum abiicit, vt alium eiusdem prorsus rationis acquirat. quandoquidem huius rei in natura nevestigium quidẽ reperitur.

Aristoteles.

Et confirmatur etiam: Quia omne, quod est in motu, est in potentia receptiua ad aliquid. Est enim motus *actus entis in potentia prout in potentia*, vt motum definit Aristoteles libro 3. Physicorum cont. 6. Hoc est in potentia, vt actum, ad quem mouetur, suscipiat; quia ad illum per motum transit. Et ideò motus, vt probat Aristoteles libro 5. Phys. à cont. 7. est transitus alicuius ex quodam in quiddam. Ergo si quod corpus habeat motum naturalem, erit in potentia susceptiua naturali ad illum actum. Omne autẽ corpus, quod est in potentia susceptiua naturali ad actum, est ad suum bonum. Actus enim est suæ susceptiuæ potentiæ bonum & perfectio. Vnde omnis potentia receptiua est quidam appetitus. Non enim alio modo dicitur ab Aristotele libro 1. Phys. cont. 81. materia appetere formas, nisi eo quòd est potentia ad formas, vt ibi communis interpretatio docet. Ergo omnis potentia receptiua naturalis est appetitus naturalis. Hic autẽ nihil est aliud, nisi inclinatio quędam ad bonum, & sibi conueniens, vt rectè docet A. Doctor p. p. q. 80. a. 1. ex analogia ad appetitum animalis. Ergo si cœlum mouetur à sua forma, & natura, debet habere appetitum, seu esse in potentia ad suum bonũ. Hoc autẽ patet esse falsum dupliciter: Tum quia nũquã illud bonũ assequitur, cum sit in continuo perpetuóq; motu: Tũ quia si quid boni cõsequitur, illud cõtinuò perpetuóq; abiicit.

Quod omninò est inconueniens in natura: quia eiusdem naturę est appetere suum bonum, cùm abest; illúdque retinere, cum adest, quatum fieri potest remoto contrario, Vt apertè docet A. Doctor p. p. q. 19. a. 1. & 2. & patet experientia. Aqua enim cum abest frigus, quo seruatur, illud

A appetit, ad illúdque se reducit quantum potest. Quod deinde cum habet, ad sui conseruationem tuetur, quousque agente contrario pereat. Vnde etiam manauit illud axioma apud Aristotelem libro 3. de cœlo cont. 19. Ibi quiescit elementum naturaliter, quo naturaliter fertur. Ratio autem esse potest, quia bonum, ad quod est appetitus, perfectio est appetẽtis. Nihil autem appetit sua natura suas perfectiones ac bona, ad quorum destructionem atque interitum propendeat. Est enim cuique enti naturale, non abiicere suas perfectiones, sed seruare. alioqui natura ad suum malum inclinaretur. Quod falsissimum apertè est, cùm malum sit obiectum fugæ, non prosecu-

B tionis, quæ solum ad bonum & appetibile tendit, vt certum est. Cæterùm hæc omnia meliùs confirmanda sunt ex sequentibus corollariis, & ex responsione ad argumenta.

Neque rectè dici potest, cœlum non abiicere bonum suum simpliciter, sed consequi semper aliud & aliud bonum. Nam, vt dixi, nullum ens abiicit suum bonum, vt aliud simile acquirat. Non enim vna pars terræ, si sit in suo loco, migrat aliò: Neque aqua, quæ suum frigus possideat, aliud simile acquirendum appetit, & sic de cæteris. Vt enim diximus, Omne quiescit naturaliter in eo bono, ad quod naturaliter tendit,

C cum sit illius perfectio, & quies.

An aliquod corpus sit in rerum natura, quod naturaliter tantùm in alterius bonum moueatur. § 7.

EX hac Propositione ita probata colligitur primò non rectè à quibusdam putari huic nostro similíque argumento responderi posse, quòd cœlum moueatur à sua forma, non tamen ad bonum proprium, sed ad bonũ vniuersi. Neq; esse absurdum; naturam instituisse aliquod cor-

D pus ad bonum vniuersi, non autem ad proprium sui ipsius. Quorum confirmatio esse etiam potest, quòd partes magis ad sui totius bonum, quàm ad suum respiciunt; Atque ita videmus, cùm periclitatur caput, in quo totius hominis vita consistit, manum vel brachium ad eius capitis defensionem se apertum in discrimen obiicere; Idémque dicunt de elementis ad replendum vacuum. Itaque dicerent argumento, omne quidem corpus, quod natura mouetur, tendere in proprium bonum, nisi pluris æstimari oporteat bonum vniuersi, ad quod quælibet natura magis propendet quam ad suum, eo quod natura maiorem propensionem rebus indidit in bonum totius, quam in bonum partis.

E Colligitur, inquam hoc non rectè dici, quia nullum corpus primariò mouetur naturaliter ad bonum alterius: sed primariò omnia mouentur naturaliter ad bonum suum. Nam quæcunque mouentur naturaliter; ex appetitu, & naturali inclinatione mouentur. Motus enim naturalis ex eo est naturalis, quod est secundum inclinationem rei, cuius est motus; in quo differt à violento, qui vt docet Aristoteles libro 3. Ethicorũ cap. 1. est *cuius principium extrinsecus est, nihilque ad id confert ille, qui cogitur.* Si autem quæ naturaliter mouentur, debent ex appetitu ac naturali inclinatione moueri, ergo debent moueri ad bonum proprium. Vt enim docet A. Doctor infrà q. 78. a. 1. ad 3. *Naturali appetitu quælibet potentia desiderat sibi*

Aristoteles.

A. Doctor.

sibi conuenientia. Adeò vt Aristoteles generatim

A

dixerit libro 8. Ethicorum cap. 2. amabile quidem esse bonum, sed vnicuique proprium. *Videtur* inquit *quod ipsi bonum est, amare vnusquisque, & esse quidem, quod absolutè bonum est, amabile, cuique verò, quod cuique est.* Quasi dicat, quod per se expetitur, proprium, non alterius est.

Quod quidem adeò verum iudicari oportet, vt bruta quæ tamen cognitione boni ducuntur, non excitarentur ad operandum, nisi eorum operationibus indita ab auctore naturæ quædam delectatio esset, quæ tanquam proprium bonum propter se ab ipsis brutis expeteretur. Hinc illa A. Doctoris doctrina planè aurea. p. 2. q. 4. a. 2. ad 2. *Quod apprehensio sensitiua non attingit ad communem rationem boni, sed ad aliquod bonum particulare*

B

quod est delectabile: & ideo secundum appetitum sensitiuum, qui est in animalibus, operationes quæruntur propter delectationem, &c. Cùm enim in sentiente appetitu ratio boni honesti non habeat rationem obiecti, solum delectabile bonum mouere talem appetitum potest, vt apertè colligitur ex Aristotele lib. 10. Ethic. cap. 2.

Aristoteles. Socrates.

Itaque amabile bonum cuique quod suum est, ex his verum esse constat generatim. Nec homines excipio si appetitu, non honestate ducantur. Immò Aristoteles hoc argumento improbat, quod Socrates apud Platonem aiebat, communia omnia oportere esse in ciuitate, vt

C

Respublica meliùs regeretur. Improbat autem, quia hominibus maxima cura est proprij, non communis boni, vt clarè docet libro 2. Politicorum cap. 2. *Habet præterea* inquit *quod dicitur nocumentum aliud. Quod enim multorum commune est, in eo minima adhibetur diligentia. Nam de propriis maximè curant homines, de communibus autem minus quàm quantum singulis competit.* Quamobrem si commune ciuitatis bonum, cuius tamen ciues participes nonnihil sunt, contemnitur; quantò magis refutabitur quod est omninò alienum? & ratio est, quam diximus: Quia naturalis appetitus non est, nisi ad suam perfectionem, sibique conueniens bonum; & multò magis qui actu

D

motum habet, quia est in potentia ad perfectionem suam, cùm sit in potentia susceptiua, seu in via ad actum, qui est perfectio subiecti, si motus sit à natura, vt dictum est. Si ergo cœlum mouetur à natura sua, debet esse in potentia ad suum bonum, & non tantùm ad bonum alterius. Quale esset bonum vniuersi, ex quo nulla in cœlum ipsum perfectio redundaret.

Sanè quoniam proportione quadam ex hominis voluntate ad rerum inanimatarum appetitum philosophamur, ex hoc firmissima redditur prædicta nostra ratio. Quia nisi amicorum bona, vt nostra apprehenderentur ac reputarentur, de eorum lucro nulla in nobis esset delecta-

E

tio. Est enim delectatio quidam amor, seu gaudium de bono nostro adepto, & coniuncto, vt docet A. Doctor 1. 2. q. 4. a. 1. Vnde quia amicorum bona apprehenduntur, ac si nostra essent (quia amicorum vna est anima ex Aristotele libro 7. Moralium Eudemiorum cap. 7. & ideo, omnia amicorum esse communia, docet Aristoteles 8. Ethicorum cap. 9.) delectatio & appetitus esse potest circa amicorum bona. Ergo vt sit huiusmodi appetitus, debet tendere ad bonum nostrum, saltem quod ita à nobis reputetur, Vt etiam patet ex illo 2. Politicorum cap. 2. Si ergo bonum vniuersi nec cœlo re ipsa sit bonum nec

A. Doctor.

Aristoteles.

tanquam bonum apprehendatur, non erit cœli naturalis appetitus, & inclinatio ad ipsum. Qui appetitus & inclinatio, vt docet A. Doctor q. 25. de Veritate a. 1. c. *potentia passiua est, quia mouetur ab appetibili*; Nimirum à bono sibi conueniente in quod propendet. *Sicut* inquit ibidem est *lapidem ferri ad locum deorsum.* Ergo est vt recipiat bonum suum.

A. Doctor

Quod verò dicitur de partibus, nihil aduersanti sententiæ fauet. Nam partes non suamet propria inclinatione ad seruandum caput, periculo se exponunt. Ille enim est animalis motus, non corporis. Vnde quis non videat, voluntate totius animalis imperante, ad totum ipsum animal seruandum id fieri? Non solùm quia huiusmodi corporis partes voluntati obediunt imperio despotico imperanti, vt docet Aristoteles libro 1. Politicorum cap. 3. *Nam animus quidem* inquit *in corpus, dominicum habet imperium*; Vnde S. Augustinus libro 8. Confessionum cap. 9. *Imperat animus* inquit, *vt moueatur manus, & tanta est facilitas, vt vix à seruitio discernatur imperium:* Verùm etiam quia, vt rectè notat Galenus libro 3. de Natural. facult. cap. 6. nulla pars in animali est, quæ moueatur ad bonum totius, sine vllo suo commodo, ac bono, etiam in ipso homine; qui vt ait Aristoteles libro 1. Politicorum cap. 3. citato, *omnium optimè, & corpore, & animo dispositus est:* & consequenter vbi partes maximè vnum faciunt, & longè perfectiore vnitate, quam partes vniuersi vnum. Si ergo in homine partes ad sui, non ad alterius bona commouentur, quantò minus cœlum ad bonum vniuersi, irrequieto, perpetuóque motu, se ipsum mouebit?

Aristoteles.

S. August.

Galenus.

Aristoteles.

Quod etiam adhuc magis manifestum est in cæteris, vel quæ procreata sunt propter aliorum perfectiones. Nam constat elementa, quamuis ad mixtorum compositionem referantur, non tamen habere potentiam motiuam à natura, vt in vnum locum confluant, vbi ea misceri oportet, vt mixta corpora componantur; nec aliter eò coguntur, nisi extrinsecus ab aliqua causa adigantur, atque vniantur. Quo pacto aqua ex aëre cadens, secúmque trahens aerem, halitúsque igneos, cum terra, & bitumine, aliísque corporibus, miscetur ad metalla, ad gemmas, & huiusmodi mixta generanda. Alioqui terra nisi pluuiis humescat, siccescat, dehiscátque necesse est. Neque ad bonum vniuersi aqua è fluuiis emergit, vt nimio terra Solis ardore æstuans tẽperetur: nisi fortè flumina ob pluuiarum copiam intumescant, atque ex alueo in terras redundẽt, vt in Ægypto solet accidere. Idem manifestè cernimus in aquis pluuiis, quæ vniuerso necessariæ sunt, quibus tamen aquis nulla data facultas est, vt ad mediam aëris regionem ascendant, vt inde in pluuias earum fiat resolutio; sed calore extrinsecus in aquam agente, in humidúmque halitum, leuem illam ad ascensum facit. Quid animalia, ac reliqua corpora? Nónne hominum causa facta sunt? Et tamen tantum abest, vt illis natura indiderit naturalem vim, qua hominem conueniant, vt etiam hominem ad suam vtilitatem deuorent; nec aliter illi obsequantur, nisi (quales sunt canes, & alia huiusmodi animalia) vt inde sibi emolumenta conquirant ad pastum, & vitam.

Tandem cùm vacuum rerum vniuersitati infestum sit, vt nihil rerum natura magis abhorreat, tamen ad illud vitandum, ne detur, nullum elemen

elementum, aut corpus sua natura propẽdet per potentias inditas, vt spontè eò concurrat, vbi vacui periculum est: sed vt patet in tubis, & cæteris instrumentis, quibus aqua, & alia corpora sursum trahuntur, necesse est magna vis adhibeatur, vt repugnantia, conatúsque obsistens superetur. Similiter si duo corpora plana, benè complanata, v. g. duo lateres humefacti coniunguntur, ita cohærent, ne detur vacuum: vt si vnus attollatur, alter etiam sequatur, sed non sponte sua; cùm vi trahatur ab altero, ideóque pondus, ac obsistentia sentiatur. Constat ergo nullam entibus dandam esse virtutem, qua in alterius tantummodo bonum motu inclinentur.

Quamobrem quod dici solet de pelicano, qui vbi pullos suos à serpente occisos videt, rostro suum pectus effodit, quousque pulli suo respersi sanguine reuiuiscant. Vel non omnino certum est: Licèt enim id testetur auctor epistolæ ad Præsidium inter opera S. Hieronymi tom. 9. Isidorus. tamen id dubium est S. Isidoro libro 12. Originum cap. 7. vbi de eo ait sic. *Fertur, si verum est, eam occidere natos suos, eósque per triduum lugere, dein seipsam per triduum vulnerare, & aspersione* S August. Psal. 101. *sui sanguinis viuificare filios.* Nec certius S. Augustino in psal. 101. in ea verba. *Similis factus sum pelicano.* Vbi antequam ea, quæ de illo dicuntur enarret, sic ait: *Vos sic audite, vt si verum est, congruat; si falsum est, non teneatur.* Deinde narrat, pullos non à serpente, vt dicebat ille auctor, sed ab ipso Pelicano, vt dixit Isidorus, rostro occidi. Quod etiam dicitur ab Alberto libro vigesimotertio de Animalibus, capite vigesimoquarto, pagina 194. colum. secunda, licèt addat, eundem Pelicanum eodem modo in vitam reuocare eos, qui serpentum morsu interierunt. Albertus. Quo magis videtur ab historiæ veritate recedere. Vel si verum est, facilis est solutio, quòd talis apprehensio mouet appetitum animalis, vt iucundum ei sit, statis temporibus exuberanti sanguine leuari. Quo fit, vt appetitus ille sit ad bonum suum, non alterius, alioqui ne esset quidem appetitus, sed magna in rerum natura insolentia, vt clarè ostensum est. Alia complura eruditè de pelicano habet, ex variis auctoribus deprompta, noster Lorinus in Psalm. 101. in illa Lorinus. verba citata.

An absolutè dari tale corpus queat.
§. 8.

COlligitur secundò, vtrùm per absolutam Dei potentiam dari possit natura, quæ in solum alterius bonum in orbem naturaliter circumducatur. Et quamuis aliquando visum sit nonnullis viris doctis, id non repugnare, tamen ex dictis contra sentiendum videtur. Nam omne quod mouetur, natura sua debet esse in potentia susceptiua ad aliquam perfectionem suam: sed illa, quæ moueretur in orbem, non esset huiusmodi: Ergo non potest dari talis natura: quia moueretur, vt ponimus; & non moueretur, quia non esset in potentia ad perfectionem suam. Assumptio est clarissima: Quia illa natura moueretur solum ad perfectionem alterius; ergo non esset in potentia susceptiua ad perfectionem suam, quia solum esset ad dandam alte-

A ri perfectionem, vt ponimus. Propositio probatur: quia omne quod mouetur, natura sua est in potentia naturali ad aliquem actum vltra ipsum motum. Est enim in potentia: quia eius quod mouetur, actus est motus, qui, vt diximus ex Aristotele libro tertio Physicorum Aristoteles. contextu sexto, *est actus entis in potentia prout in potentia.* Quòd etiam sit in potentia naturali patet: Quia tunc est in potentia naturali, quando motus elicitur ab ipsa potentia ex natura sua. Qua ratione aqua, dum frigesit, est in potentia naturali ad frigus, ad quod tendit; vt etiam contingit dum ad suum calorem, seu quantitatem congruentem tendit animal. Quòd verò debeat esse in potentia B naturali ad aliquem actum vltra ipsum motum, probatur: Quia omne quod mouetur, per motum tendit ad actum, qui est terminus motus; Et idcircò, quod mouetur, per motum est in potentia, prout in potentia. Quod significat tendere per motum ad vlteriorem actum. Hoc enim formaliter præstat ipse motus, vt mobile sit in via ad ipsius motus terminum. Ergo tendit ad aliquem actum vltra ipsum motum, & consequenter ad aliquam perfectionem.

Quòd denique sit in potentia susceptiua ad perfectionem suam, in quo tota vertitur hæc difficultas, probandum est. Probatur autem hoc pacto: Quia omnis potentia vel est actiua, vel C susceptiua, cùm omnis potentia sit principium vel transmutandi alterum, vel transmutandi ab altero; sic enim omnem propriè potentiam, seclusis iis, quæ propriè naturam potentiæ non habent, diuisit ac definiuit Aristoteles libro nono Metaphysices, contextu secundo. Aristoteles. Illa autem natura, quæ mouetur, non debet esse in potentia actiua tantùm, & nullo modo susceptiua, ad actum illum, ad quem est in potentia, vltra motum, vt diximus. Quia motus localis non est tantùm ad producendam formam in alterum, sed per se primo ad constituendum suum mobile in suo loco. Quocirca primò, & per se motus non est actus actiui, aut motiui; (Id enim est agentis, aut mouentis, quà talia D sunt) sed mobilis, hoc est tendentis ad actum, & ab ipso motiuo, vt expressè patet ex Aristotele libro tertio Physicorum, contextu decimoseptimo, & libro octauo Physicorum, contextu quarto. Atque hinc est, vt motus localis per se primò non faciat mobile in potentia nisi ad locum, sicut nec alteratio per se primò facit mobile in potentia, nisi ad qualitatem. Ergo mobile non debet esse in potentia actiua tantum in alterum, quia esset motiuum non autem mobile; sed etiam per se primò in potentia passiua in se, seu quod idem est in potentia susceptiua, ad illum actum vlteriorem, ad quem est motus, per quem proximè est in poE tentia. Ergo debet esse in potentia susceptiua ad suam perfectionem, quia debet esse in potentia susceptiua illius vlterioris actus, qui est perfectio illius, & quem per motum acquirit.

Neque responderi potest, fore tunc cœlum in potentia susceptiua ad actũ, vt aiunt, extrinsecũ, nempè locũ, eo quod solus locus extrinsecus est terminus motus localis. Hoc, inquam, responderi nõ potest duplici de causa. Nam primùm locus extrinsecus deberet esse perfectio eius, quod mouetur,

mouetur, vt diximus. Ergo eo habito quiesceret ipsum mobile cœlum. Neque enim fieri potest, vt potentia passiua, & susceptiua suæ perfectionis sit eiusdē perfectionis expultrix, cùm natura sit determinata ad vnum, non autem ad opposita. Hoc enim est solius potentiæ ex ratione, & dominio operantis. Ita enim Aristoteles libro 9. Metaphysices cont. 3. *Potentiarum*, inquit, *quædam irrationales, quædam cum ratione erunt.* Explicat vtrumque paucis post, *& quæ quidem cum ratione, omnes eædem contrariorum sunt: Irrationales verò vna vnius, vt calidum ipsius calefaciendi.* Ergo cœlum illud habito suo loco consisteret; nec vlterius moueretur. Deinde quia, cum motus constituat mobile in potentia susceptiua, falsum est, terminum motus esse solum locum, quem dicunt extrinsecum: Nam debet mobile esse potentia susceptiua actus, ad quem tendit per motum, locum autem extrinsecum non accipit mobile, quia ille locus extrinsecus est superficies ambientis, quæ superficies remanet in suo ambiente, nec de ipso transfertur in ipsum mobile. Ex quo etiam sequitur, non rectè eos dicere satis esse si illa potentia sit sui motus, & non vlterioris formæ. Ostensum enim est, mobile per motum tendere ad actum, ad quem tendit, per ipsum motum, ac proinde ad actum vltra ipsum motum. Repugnantia ergo, cur cœlum nullo modo possit moueri ex se, & suâ naturâ in orbem, consistit in hoc; quod esset in potentia ad actum suscipiendum, & ad eundem abiiciendum; quod non est naturæ necessariò operantis, sed intelligentis, ac libero arbitrio vtentis, de qua nullum posset esse dissidium, quominus ipsa possit, & nunc reipsa talis sit.

Aristoteles.

Eodémque argumento ostenditur, & quidem efficaciùs, non posse corpus esse, quod ex sese moueatur, vt nunc reipsa mouetur cœlum. Nam cœlum post magni iudicij diem, vt Theologi fatentur, à motu desistet, vt patet ex Ang. Doctore in 2. distinct. 11. quæstion. 2. artic. 6. ad 3. & in 4. distinct. 43. quæst. 1. artic. 3. quæstiuncula 1. c. & alibi. Ergo sempiterno tempore violenter quiesceret. Si enim motus est ex inclinatione naturæ, quies erit violenta. Vi enim quiescit vnde mouetur naturaliter. Sicut enim ait Aristoteles libro 3. de cœlo context. 19. Ibi manent naturaliter elementa, quò feruntur naturaliter. Vnde quia terra ad locum deorsum mouetur naturâ suâ, ibi quoque manet natura sua. Et contrà quia si ex aëre lapis sua inclinatione mouetur deorsum, quies in aëre erit illi violenta, quia erit repugnante inclinatione passi. Absurdum autem sempiterno tempore aliquid esse, aut violenter, aut præter naturam, vt expressè dicit Aristoteles libro octauo Physicorum cont. 8. & libr. 2. cœli cont. 18.

A. Doctor. *Aristoteles.*

Oportere naturam illam quæ cœlum mouet, intelligentem esse infra Deum, homine præstantiorem.

§. 9.

Colligitur tertiò, hanc naturam, quam cœli motricem esse ostendimus, intelligentem esse oportere ad circumducendum, Deo quidem inferiorem, homine tamen celsiorem, ac proinde Angelum aliquem. Quod enim Deo subiecta sit oportet, patet: quia non rectus esset philosophandi modus, si solum Deum cœli motorem diceremus; Rectè enim hoc quoque nomine Anaxagoræ sententiam improbat Aristoteles libro octauo Physicorum à cont. 2. & libro 1. Metaphysices capite secundo quod *tanquam machina vtitur intellectu ad Mundi generationem, & cum dubitat, propter quam causam necessariò est, tunc eum attrahit.* Rectè autem in hoc reprehenditur: Quia effectuum, qui secundum naturam sunt, causas particulares, atque creatas assignare debemus, si vrgens ratio non obsistat, ne causis secundis suam quoque efficientiam denegemus: Hic autem, quæ ratio conuincet, vt in solum Deum rerum gubernationem, cœli motum, quem scimus effectum esse maximè secundùm rerum naturam, referamus? Præterea esto, Deus vnum cœlum moueat, tamen cæterorum orbium lationes non sunt soli Deo adscribendæ. Connaturale enim est, vt diuersorum effectuum diuersæ etiam sint causæ. Et ideo vnus effectus vnam arguit esse causam, alter alteram, & tertius tertiam; vt alia causa est muris, alia leonis, alia eclipsis lunæ, alia Solis, & cætera. Cum enim omnis causa sit finita, determinatos, ac certos effectus habere debet: Quod adeò verum est, vt non solùm id verum sit, cum contrarij sunt effectus. Tunc enim, vt docet Aristoteles libro secundo de Generatione & Corruptione contextu quinquagesimosexto *contrariorum contrariæ sunt causæ*, sed etiam cùm effectus contrarij non sunt. Immò etiamsi ordinem inter se habeant. Tunc namque varias causas, saltem instrumentarias, huiusmodi effectus exigunt, vt visio, auditio, imaginatio, intellectio, volendi actus, & cætera sua determinata organa, vel determinatas facultates postulant, vt ita verum sit, quod ait Aristoteles eodem contextu quinquagesimosexto, *Idem & similiter se habens semper idem natum est facere.* Cum ergo tam varij sint orbium cœlestium motus, varios quoque motores habere debent, vt varij, & præcipui effectus variam causam, & præcipuam agnoscant. De quibus rectè Aristoteles dixit libro duodecimo Metaphysices, contextu quadragesimotertio, *vnum ab vno* tantummodo esse, vt scilicet mobili motor ex æquo respondeat, vt etiam obseruat Ang. Doctor infrà quæstione 117. Vnde & deinceps, optimè pro multitudine cœlorum numerum assignauit Angelorum, licet non debuerit ita præfixum numerum, vt plures non censuerit esse, vt suprà diximus. Quod etiam rectè obseruauit Ang. Doctor, cùm in 1. d. 37. quæstione 3. artic. 3. c. dixit *Philosophi vni orbi non attribuerunt nisi vnum motorem.* Est ergo natura intelligens, & Dei procreantis opus. Quod verò sit homine superior, est adeò per se notum, vt satis sit illam immensam cœli molem contueri, vt omninò sapienter, admirantésque dicamus, Quàm cœlo digna est illa natura, ad cuius conditionem spectet illa tanta tam immensæ voluendæ molis administratio?

Anaxagoras *Aristoteles.* *Aristoteles.* *A. Doctor.*

***

Astra non posse ex se moueri. §. 10.

COlligitur quartò, eadem ferè argumenta, vt suprà dicebamus, nobis vsui esse posse, vt ostendamus, si astra moueantur per cœli spatia, non posse ex se moueri naturaliter. Patet hoc pacto ex dictis: Nam tametsi astra, dum in orbem mouerentur, intra cœli crassitiem mutarent locum, non solùm secundùm partes, vt cœlum; verùm etiam secundùm totum, quia spatium aliud, & aliud continuò acquirerent: Tamen cùm omnia illa loca sint astris eiusdem rationis, & eodem modo ad ipsa comparentur, non possunt naturaliter nunc vnum acquirere, nunc alium, ob rationes iam dictas. Primò enim nulla natura abiicit vnum, quod est sibi bonum, vt acquirat aliud tale, quale est ipsum, vt diximus de aëre, ac de terræ particulis. Nihil enim melius affert illis motus in gyrum, quàm quies, & terminus in vno loco: Nullus enim motus expetitur, nisi ob terminum, ad quem est via. Secundò, quia nullum ens est solum ad bonum alterius, ita vt nullo modo sit ad suum cum moueatur, & cætera. Quæ omnia confirmanda sunt, vt de cœlo dictum est.

Satis fit argumentis partis negantis. §. 11.

EX his respondetur ad argumenta, quæ contrà attulimus. Ad primum dico, necessitatem asserendorum Angelorum esse, quia nulla naturæ vis, quæ determinata est ad vnum tendit, vt suum corpus moueat, nisi ad suam perfectionem: Quod falsum esset in cœlo, vt ostensum est.

In quo dispar est ratio inter cœli motum, atque elementorum, mistorúmque, grauium & leuium. Horum enim virtutes motrices institutæ sunt à natura, vt per eas corpora suum debitum locum adipiscantur, in iisque consistant. Vnde & sentitur difficultas, cum hæc corpora è suis extrahuntur locis. At verò in cœlo non esset talis virtus, quæ ad debitum cœlo locum moueret ipsum cœlum, in eóque contineret, vt dictum est. Negatur ergo consecutio argumenti.

Quod verò aliqui dicere possent, tunc etiam fore, vt cœlum moueatur ad propriam perfectionem; hoc est vt per motum temperatè hæc inferiora calescant atque illustrentur, quod est cœli perfectio, facilè refutatur. Primò quia agere in aliud siue temperatè siue effusè, non est perfectio agentis, quod vim agendi habeat, alioqui Deus aliquam in procreandis rebus perfectionem acquisiuisset. Deinde dico perfectionem agentis naturalis esse, vt agat quantum potest, nisi impediatur. Hoc enim naturæ inest, quæ non ex dominio suæ actionis aliquid efficit. Ad quam effectionem cœlum suo motu impeditur. Motus enim impedit applicationem, vt experientia patet. Quod autem agentia temperatè ad finem agant, hoc non ad agentiū bonum, sed in conditoris gloriam cedit. Quod *omnia suauiter, sapientérque disposuerit*, vt dicitur Sap. 8. Sap. 8.

Ad confirmationem respondeo, formam corporis esse quidem principium actiuum suarum operationum, vt probat argumentum, non tamen omnium, quæ illi sunt connaturales, sed illarum tantùm, ad quas eliciendas natura sua instituuntur. Aliàs etiam motus ignis in orbem sub lunæ concauo, esset effectiuè à forma ignis: Quia est illi naturalis, saltem secundùm materiam. Quo pacto motus cœli non erit naturalis ex eo, quòd natura cœli sit principium efficiens illius; sed naturalis, quia est in natura, quæ est principium receptiuum, etiam secundùm inclinationem passiuam. Ad hoc enim cœlum rotunditatem habet, ac volubilitatem. Ad argumentum ergo negatur maior, si sermo sit de omnibus operationibus, quomodocúque alicui corpori connaturalibus. Neque contra hoc sunt Aristoteles & A. Doctor locis in argumento citatis. Vnde concedimus cœli nobilitatem nos cognoscere ex operationibus; nempe quia sua luce illustrat vniuersum; in omnia corpora influit aliquid; est Mundi ornamentum; & alia complura habet, quæ cœli naturam corporum nobilissimam ostentant; tamen nego colligi hæc ex motu circulari, tanquam ex operatione, quæ à cœlo efficienter emanet, cum satis sint cæteræ, quas diximus; & motus cœli solum sit naturalis ob patibilem naturam, non effectricem motus.

Hinc autem non fit, si hæc propensio est ad motum, quietem post diem iudicij cœlo fore violentam: Nam principio passiuo vtrumque contrarium potest esse naturale. Vt materiæ quantum est ex se, æquè connaturalis est ignis atque aquę forma. in quo à principio actiuo differt, quod actiuum debet ex se determinatum esse ad vnum contrariorum, sua efficientia, non aliunde. At passiuum ab agente determinatur, vt ad alterum potiùs sit, quàm ad oppositum. Essentiale enim est principio, quod patibile à diuersis causis est, vt pro varietate agentium varias, pugnantésque formas pro rerum opportunitate suscipiat, vt est etiam in materia artis, quæ pro varietate artificum, variis subesse potest formis. Sanè cœlo tam quies, quàm reuolutio est naturalis secundùm inclinationem materialem: Quia vtrobique terminus motus; nempe Vbi, est illi connaturale. Siue enim moueatur, siue quiescat, est in suo loco amplissimo, & nobilissimo supra reliqua corpora, & ideò quies cœli se habet, vt quies in elementis, quæ est in termino ad quem, quæ naturalis est elemento, sicut motus ad illam est naturalis, ex Aristotele libr. 3. de cœlo cont. 19. vt modò dicebamus. Nonnulla huc spectantia vide in fine huius difficultatis.

Ad secundam confirmationem dicendum, nos hac in re maximè philosophari ex notis. Cùm enim videamus, nullum corpus moueri nisi ad perfectionem suam, rectè deducimus, cœlum quod volui non potest, ad huiusmodi perfectionem, ex sua natura efficienter non moueri: Corpora autem hæc inferiora habent quidem sui motus principium, sed tamen vt in propria loca tendant, ibique consistant tanquam in termino motus, vt diximus. Vt enim habet Aristoteles eodem cont. 19. citato, ibi quies est naturalis, quò motus naturalis tendit. Quæ cùm non videamus in cœlo, rectè atque ex notis negamus, in illo tale esse principium. Aristoteles.

Ad secundum argumentum respondetur, non esse absurdum motui cœli administrando Angelum deputari: Nam perfectio intelligentis naturæ

turæ creatæ maxima est rebus dominari, Deique regimen rectæ rationis regula imitari. Atque idcircò Aristoteles libro 12. Metaphysices cont. 30. & 48. vt etiam suprà vidimus, ad intelligentiarum excellentiam motum cœli spectare arbitratus est, vt si non mouerent, otiosas fore crediderit.

Aristoteles.

Dico *intelligentiis naturæ creatæ*: Quia earum potestas amplior, ac dignior est, si cæteris paribus imperare pluribus possint. Imperare enim est quoddam dominium. Et ideò, vt ait A. Doctor opusc. 20. lib. 3. cap. 12. Imperator trahit nomen à supremo dominio, quasi omnium Dominus. Est ergo perfectio, & dignitas naturæ rationalis. Et ideò cælo assignantur virtutes, vt dicam ad vltimum argumentum mox.

A. Doctor.

Ad tertium argumentum respondeo, bonum esse Aristotelis argumentum in eo loco de Anima. Verum est enim in omni natura; id est in omni genere, vt ibi se restringit, si datur potentia passiua, debere etiam actiuam dari; vnde si datur intellectus patibilis, datur etiam intellectus agens in anima; hoc est, in genere animæ, vt consecutio non latiùs pateat, quàm principia. Quamobrem si in genere corporum datur potentia passiua ad motum localem, datur etiam actiua. Hinc tamen non est consequens, vt detur vtraque potentia actiua & passiua in eodem corpore: Nam nec in sensibus hoc accidit ipso Aristotele teste, qui libro 2. de Anima cont. 52. docuit, actiua sensationum esse extra ipsum sentientem. Et libro 7. & 8. Physicorum, vt suprà vidimus, *Omne quod mouetur, ab altero moueri* definiuit. Immò falsum est, si datur potentia passiua ad circumuolutionem cœli in genere corporum, esse etiam oportere potentiam actiuam in genere corporum, quæ cœlum voluat.

Aristoteles.

Quòd si quis dicat, cur in genere animæ, si datur intellectus patibilis, debet dari intellectus agens, non autem si detur corpus cœleste mobile, debet etiam esse corpus cœleste mouēs? Respondendum est, discrimen esse ex eo, quod ibi ait in eo libro 3. de Anima cont. 19. *Semper esse honorabilius agens patiente.* Si ergo est intellectus patibilis in genere animæ, in eodem genere erit quoque intellectus agens patibili nobilior, eo quod non possit esse in alio genere, cum omne aliud genus sit anima minus nobile. Per animam autem intelligo siue sit anima informans, siue assistens. Vt in præsenti satis quoque sit, etiamsi ad ea, quæ sunt omninò separata, modò hominis animo assistant, recurramus. Ea enim ad hominē pertinere, & ab Aristotele animum vocari, dicam loco mox citando. Debet ergo esse intellectus agens in genere animæ, quia ad animum hominis spectare debet, siue vt solùm facultas, siue etiam alio modo, de qua re dicam infrà q. 53. art. 1. & vlt. Atque ita etiamsi intellectus assistens informante nobilior esset quoad substantiam, tamen adhuc in genere animi esset suo modo, vt ibi dicetur. At verò motor cœli potest esse nobilior cœlo, etiamsi in nullo genere corporum sit, & ideò nec requiritur, vt sit potentia, quæ cœlo insit, sed satis est, immò exigitur, vt motor ei assidens moueat, non forma cœli informans, vt probatum est.

Ad quartum respondeo, non sequi illum mótum esse violentum; quia, vt diximus, est secundùm inclinationem moti, quod est cōferre vim, nempe ex inclinatione ipsius mobilis. Difficultas est, an huiusmodi inclinatio sit in cœlo ob solam materiam, an etiam ratione formæ, si vtraque constet. Aliqui putarunt, eam esse tātùm ratione materiæ; id colligunt ex A. Doctore infrà q. 70. art. 3. ad 4. vbi ait, motum corporis cœlestis esse naturalem, *non propter principium actiuum*, inquit, *sed propter principium passiuum.* Verùm hæc responsio, & A. Doctoris ibi dictis repugnat, & falsa est. Repugnat quidem: quia subdit statim, quomodo intelligat esse propter principium passiuum. *Quia scilicet*, inquit, *habet in sua natura aptitudinem, vt tali motu ab intellectu moueatur.* Accipit ergo principium passiuum totum illud, quod habet aptitudinem, vt ab intellectu moueatur; nempe totam naturam cœli, vt condistinguitur à principio actiuo extrinsecus mouente, ratione cuius solius negat esse motum naturalem. Falsa verò est: Quia verè non solùm ratione materiæ, si cœlum eam habeat; verùm etiam formæ, cœlo est inclinatio ad motum passiua, quandoquidem illi debentur tales dispositiones, quæ arguunt eam eius ad motum propensionem.

A. Doctor.

Ex quo aliter est cœlo naturalis reuolutio, aliter igni in sua sphæra. Illi enim est naturalis ob inclinationem totius: Huic verò ratione partis materialis. Congruum enim est, vt cœlo magis ex natura conueniat reuolutio, quàm igni in sua sphæra. Simpliciter enim cœli debet motus dici naturalis, vt etiam eum nominat Aristoteles libro 1. de cœlo, cont. 5. & libro 2. cont. 10. cum tamen igni reuolui in sua sphæra sit simpliciter præter naturam, ex eodem Aristotele libro 1. cœl. cont. 9.

Aristoteles.

Ex quibus patet, non rectè dici in eo argumēto, si cœli motus esset ab Angelo extrinsecus, eidem cœlo fore motum violentum, cum fiat conferente vim passo; nempe ex eiusdem cœli naturali propensione. Vnde aio, nulla ratione esse illi violentum.

Neque obest si dicatur, ergo quies cœlo erit violenta. Si enim corpus habet naturalem inclinationem ad vnum oppositum, ergo habet repugnantiam cum altero, vt quia aquæ inclinatio est ad frigus, eidem aquæ repugnat calor. Hoc, inquam non obest: Quia cœli inclinatio est passiua, non actiua, vt diximus; inclinatio autem passiua est ad vtrumque oppositorum. Contraria enim versantur circa idem. Vna enim est eorum materia, teste Aristotele libro 2. cœli cont. 16.

Aristoteles.

Hinc collige, non esse parem rationem de aqua & cæteris similibus, quorum est inclinatio actiua determinata ad vnum contrarium. Si autem est ad vnum, ergo non est inclinatio ad aliud contrarium; quia contrariorum, vt paulò antè diximus ex Aristotele, contrariæ debent esse causæ. Ergo alterū contrarium esset illi violentum, quippe contra inclinationem.

Ad vltimum respondeo, Angelos mouentes cœlum esse de numero virtutum, vt ait A. Doctor opusc. 10. art. 17. & libro 3. contra gentes cap. 80. Quam doctrinam colligit ex illo Matth. 24. *Virtutes cœlorum commouebuntur.* Et addit A. Doctor. *Non video quod inconueniens inde sequatur.* Ratio huius esse potest: Quia nomen virtutum, vt Dionysius habet cap. 8. cælest. hierar. significat in Angelis diuinam quandam, ac stabilem vim in obeundis à Deo sibi iniunctis muneribus; quæ constantia ac firmitas maximè consideran

A. Doctor. Matth. 24. Dionys.

derãda est in iis, quæ vniuersi ordinem, & communium causarum regimen spectant. Cuiusmodi est cœlum, & eius motus. Ex quibus etiam patet, Angelos esse beatos: Quia ex reprobis non sunt, cùm diuinæ voluntati tam constanter obsequantur.

Vna superest soluenda obiectio aduersus ea, quæ dicta sunt, quæ colligi potest ex primo argumento primæ sententiæ in prima eius confirmatione. Nam vt ait Aristoteles libro 2. de cœlo cont. 17. *Vnumquodque, quorum est opus, est gratia operis:* Quod dici solet Vnumquodque esse propter suam operationem. Vt etiam habet ex Aristotele A. Doctor 1. 2. q. 3. a. 2. & p. p. q. 65. a. 2. & q. 105. a. 5. Ergo cœlum debet esse ob suam potissimam operationem, quæ est motus localis, ac proinde hic efficienter est à natura cœli. Respondeo, verum esse axioma. sed dico, cœlum non esse propter eam operationem, quæ illi ascribi non potest, Vt homo non est ad volandum. & hoc pacto diximus, motum esse in cœlo. Cæteræ tamen operationes, eæque præstantissimæ, vt illustrare orbem, influere suas virtutes, & cætera sunt, propter quas cœlum est. Neque enim decet, præstantissimum in naturæ vniuersitate corpus suis carere functionibus, quandoquidem ex functionum præstantia rei nobilitas apparet, vt suprà diximus in primo argumento primæ sententiæ, & in eius confirmatione.

Aristoteles.

A. Doctor.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrùm ex aliis Effectis necessariò colligatur Angelos esse, præsertim verò ex varia Locutione, & nonnullis aliis effectibus quos videmus Magorum opera fieri.

PLacet hoc loco hanc quæstionem expendere, vt præter intelligẽtias cœli motrices Aristoteli, cæterisque Philosophis perspectas, alios etiam Angelos, non ita omnibus manifestos, euidentibus rationibus esse statuamus: quos Antiquitas dæmones nominauit, vt superiori quæsito dictum est. Etsi autem à nonnullis veterum philosophorum de horũ similiúmque effectuum causis interdum dubitatum sit, nobis tamen nullo modo ambigendum est. Nam simul de veritate sacrarum literarum dubitaremus. Eáque conuellere necesse esset, in quibus nostræ religionis firmissima fundamenta sunt posita. Discutere tamen hanc veritatem, in præsentia est animus: Quando hæc scire & ad nostræ religionis confirmationem, & ad naturam Angelicam declarandam non parum pertinere potest.

Sententiam negantem sequuntur aliquot, qui vt nimium philosophi viderentur, parum Christiani videri maluerunt. Nam Hieronymus Cardanus (aduersus quem non ratione vt hic, sed omnium gentium auctoritate egimus superiore Quæsito Difficultate vltima in vltimo nostro corollario) libro 16. de rerum varietate cap. 93. post medium futilibus sanè argumentis nec sine summa leuitate negat dæmones esse, ac proinde Angelos omnes, quos Plato & Platonici ponebant; & ita omnes illos effectus, qui Angelis aut dæmoni tribui solent, ridiculè admodum vel reuocare conatur in causas corporeas naturales, vel negat ita esse. Præfatus autem erat, *se non Theologiam hic, sed naturalem philosophiam tradere.* Quod etiam libro 19. de subtilitate audet affirmare. Vbi hanc amentiam eo arbitratur posse se celare dicto; nempe quòd ea protulerit, *non vt Christianus, sed vt philosophus.* Immo in eo cap. 16. nescio an impiè magis, an falsò, addit. *Cùm oracula desierint esse ante Pharsalicum bellum, non est, vt defectus eorum ad Christi Natiuitatem trãsferatur.* Et suprà etiam dixerat, fortè, vt facetus quoque videretur. *Et forsan Pythia consenuerat: Dæmones enim vt homines, licèt serius ad mortem tendere.*

Cardanus.

Non differt à Cardani sententia Pomponatius, Cardano in similibus erroribus non impar, B in libro de Incantationibus. Vbi ita videtur affectus, vt non solum vana esse velit ea, quibus tanquam admirandis quibusdam operibus naturæ leges, & causas excedentibus, impulsi Platonici, & Christiani ad ponendos dæmones videntur: Verùm etiam contrà persuadere conetur; ea omnia commodè ad naturam referri posse, & è naturæ principiis deriuari. Vnde longè post medium eius libri sic habet. *Cùm itaque visum sit, quomodo singillatim ad vnumquodque respondendum sit, concludimus, quod si quis mirabilia, & occulta naturæ opera consideraverit, virtutes corporum cælestium, & intelligentias, humana & omnia inferiora curantes, nihil opus esse dæmonibus, neque aliis intelligentiis* C *videbit. Quandoquidem omnia hæc rectissimè fieri posse per prænominata, videbit. Quare nec Genios, nec particulares hominum custodes ponere oportet.*

Pomponatius.

Itaque negat, omnes Angelos, præter intelligentias, opinor, cœlo assidentes ad motum, de quibus suprà diximus. Cur autem hos dæmones non putet esse, reddit causam. *Genij enim nihil aliud sunt, quam hominum genituræ, quique bonas habent genituras bonos habent genios, qui malas malos. Sicut Bruti, & Cassij, & Genius Augusti erat potentior, quam Genius M. Antonij, quoniam meliorem genituram habuit.* Idque ait ex sideribus vates cognouisse. *Custodes etiam hominum sunt ratio, ac sensus, qui continuò inter se pugnant.* Postea addit, si est D resurrectio, ipsam esse naturalem, & posse arte procurari. Quoniam verò sibi apertè videbatur, effata nostræ religionis euertere, ad extremum in ipsa peroratione subiicit, se personam Peripatetici in hac doctrina induisse. Vnde quantum ad religionem attinet, *si quid in his dictis nostris offenderit, quod sanctæ Catholicæ Ecclesiæ aduersetur, vel ei minus placeat, illud totum reuoco, atque humiliter eius correctioni me subiicio.* Negat ergo, posse ex effectis Angelos esse demonstrari.

Ad hanc sententiam ex parte accedit Leuinus Lemnius. Qui licèt libro 2. cap. 1. de occultis naturæ miraculis rectè quidem doceat, spiritus aëreos, ac dæmones in hominum corporibus E solere se humori melancholico, sicut & in aëre, ipsis tempestatibus immiscere, tamen cap. 2. negat, quod potissimùm in hac re argumentum est ad hos Angelos demonstrandos. Negat enim, eos teneri à dæmone, aut spiritu, qui alienam linguam personant, quam nunquam didicerunt. Excitari enim ait animi notiones, quas ex Platone ingenitas esse autumat, dum vi morbi melancholici anima concutitur, spiritúsque efferuescunt. Quo fit vt recordentur multarum rerum, atque ita voces inauditas, sermonémque antea prorsus incognitum effundant.

Leuinus Lemnius.

Nec Petrus de Apono, quem Conciliatorem vulgò

Petrus de Apono.

vulgò nominant, abhorret omninò ab hac sententia, in eo quod ad humorem illum melancholicum causam ignoti sermonis refert. Nam in commentario ad lectionem 30. Problematum Aristotelis in problemate primo testatur se multos vidisse, qui atra bile purgata, curati sunt, sanæque menti restituti, tametsi prius mira ac supra naturæ vires, quædam ederent, nec dubium, quin pro dæmoniacis haberentur. Huc spectat, quod Pomponatius libro citato refert, Mantuæ se vidisse. Cùm enim quædam mulier cuiusdam Francisci Magretti sutoris vxor, secundùm diuersa idiomata loqueretur, à quodam medico sanitati restituta est hoc ipso, quòd melancholiam curauit. Eodem tendit, quod narrat Cardanus ex Erasmo (dignum patella operculum) in Encomio Medicinæ, quendam medicum potione curasse dæmoniacum lingua Germanica, quam nunquam antea didicerat loquẽtem: Qua potione magnam vermium copiam deiecerat. Ex quo facto idem Cardanus colligit, dæmones morbos esse, sed secretioris cuiusdam conditionis, & naturæ.

Pomponatius. Cardanus. Erasmus.

Quod verò attinet ad locutionem per ignotas linguas, censet Iulius Sirenus, fieri posse ex causis naturalibus, vt est apud Martinum Delrium libro 4. Disquisitionum Magicarum cap. 2. q. 6. sect. 1. Putat enim hos atra bili agitari, & turbatis speciebus varia idiomata proferre. Idem (sed tamen longè diuersa ratione, atque omninò Theologicè & ingeniosè) quod huiusmodi locutio euidenter non ostendat esse Angelos, nimirum eò quod possit à Deo fieri, docet Valentia p. p. disputat. 4. q. 1. p. 1. §. *Et si.*

Iulius Sirenus. Delrius.

Affirmantem sententiam veram arbitrantur alij, ex multis effectibus colligi euidenter Angelos esse. Ita ex Theologis princeps A. Doctor q. 6. de Potentia a. 10. c. ex recentioribus Molina in p. p. q. 50. art. 1. §. *Vt plerique.* Vasquez in p. p. disputat. 178. cap. 1. Victoria in relectione de arte Magica num. 10. & 11. Martinus Delrius q. 6. cit. sect. 1. & alij apud ipsum.

A. Doctor. Molina. Vasquez. Victoria. Delrius.

Ex Philosophis idem supponunt Plato in Timæo, & alibi; & alij cùm asserunt dæmones, vel ex rerum humanarum custodia, vel ex prestigiis, vel ex incantationibus, vel ex suppliciis, quibus homines vexant, vt vidimus superiore Quæsito difficultate vltima in posteriore parte difficultatis. Vbi etiam idem dixi ex Platonicis, ex Porphyrio, Iamblico, Proclo, Psello, & aliis ibi citatis. Quin etiam ante Platonem eadem fuit Mercurij Trismegisti, Hesiodique sententia, quorum verba eodem loco retulimus. Huc etiam spectare arbitror Aristotelem ipsum, ex quo in eadem Difficultate 2. diximus, nonnullos effectus oportere in Genios, atque dæmones referre.

Plato.

Sanè Porphyrius apud Eusebium Cæsariensem libro 5. de præparatione Euangelica cap. 1. queritur, quod Christi aduentu oracula, & dæmones esse desierint; Atque ita ex his effectibus fatetur, Angelos esse: Ex eo autem hæc verba refert. *Nunc verò miramur* inquit Porphyrius apud Eusebium *si tam multis annis ciuitas peste vexatur, cum & Æsculapius & alij Dij longè absint ab ea. Postquam enim Iesus colitur, nihil vtilitatis à Diis consequi possumus.*

Porphyrius. Euseb. Cæs.

In eodem ferè argumento fusiùs versatur Plutarchus in libro de Temporibus & causis, quibus regnante Tiberio Cæsare oracula defecerunt. Idem patet ex Apuleio in libro de Deo Socratis, Vbi ex effectibus, quos narrat, non dubitat, quin fuerit dæmon, quem nos dicimus Angelum. Idem etiam supponit Chalcidius commentario in Timæum Platonis, vbi Marsilius Ficinus, & alij, quos etiam in eadem difficultate 2. nominauimus. Eugubinus idem probat ex Platone, & aliis antiquis philosophis toto libro 8. de Perenni philosophia. Georgius Agricola libro de subterraneis animantibus, præsertim versus finem. Ioannes Fernelius de abditis rerum causis libro 2. De qua etiam re optimè disputauit Iacobus Carpentarius in cap. 13. Alcin. de Doctr. Plat. Digress. 4. Innumerabiles etiam ferè sunt, quos citat Martinus Delrius toto libro 2. Disquisitionum Magicarum viginti septem Quæstionibus comprehenso, vbi ostendit, effectus Magiæ non posse esse, nisi à dæmonibus, ad eámque rem sparsim citat suos auctores, qui huic sententiæ plurimum fauent.

Plutarch. Apuleius. Chalcidius. Eugubinus. Agricola. Fernelius. Carpent. Alcinous. Delrius.

Miros esse naturæ effectus. §. 1.

AD solutionem Notandum est, mihi certum videri, non omnes effectus, qui supra naturæ vires quomodocunque videri hominibus possunt, Angelorum, dæmonúmve opera existere. Multarum enim rerum natura, superat scientiam nostram, & fallit, vt ex S. Augustino animaduerti potest libro 21. de Ciuitate Dei cap. 4. & 5. Nam in cap. 4. multa mira esse docet, & supra quam eorum reddi ratio possit. Qualia sunt; Pauonis coctam carnem ad longissimum tempus absque vlla putredine seruari; calcem aquæ frigidæ immersam exardescere; Adamantem solo sanguine hircino vinci; Magnete trahi ferrum, ac circumduci, & cætera. In cap. 5. Quod in Sicilia sal igni admotus liquescat; Quod apud Garamantas fons sit *tam frigidus diebus, vt non bibatur, tam feruidus noctibus, vt non tangatur*; Quod in quodam Epiri fonte faces extinctæ accendantur; Pyritem lapidem Persicum tenentis manum, si vehementiùs prematur, adurere, & cætera. de quibus, atque aliis innumerabilibus ait, *nos non posse reddere rationem*, idque nos confiteri, *eo quod istis, & similibus miris Dei operibus infirma mortalium ratiocinatio vincitur*; fixam tamen nobis ait esse rationem, *ea non sine ratione omnipotentem facere.* Atque vt ad rem propositam propius accedamus, plerunque fit, vt humores varie in nostro corpore dominantes, varias, ac multiplices propensiones gignant, quæ magnam habere solent vim in corporibus nostris immutandis, vt in amore, odio, mœrore, ac vehementi lætitia accidere videmus, quæ aliquando hominibus varios efformarunt mores, atque adeò vel vitæ diuturnitatem, vel interitum attulere, vt Aristoteles initio libri Physiognomicæ, & Galenus vno ea de re libro scripto, mores animi temperationem corporis sequi docuerint; Ideo Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 5. pronunciauit. *Talis vnicuique finis apparet, qualis quisque est.* vbi rectè Eustratius.

S. August. Aristoteles. Galenus.

Sanè sola imaginatio tantum habet potestatis, dum humores vnà cum spiritibus corporis commouet, vt interdum supra communem naturæ ordinem effectus varios non solum in suo, sed etiam in alieno corpore excitare videatur. Nam solo medicamenti aspectu quidam purgantur. Alij sola opinione, quam de medici præstantia conceperunt, conualescunt. Solęque imagines,

gines, matrum animo attentiùs comprehensæ, fœtui notas eas imprimunt, quæ frequentissime inter homines spectari solent. Quo pacto Galenus in libro quem scripsit de Theriaca ad Pisonem narrat, mulierem quandam intuitu pulcherrimæ picturæ pulchrum infantem deformi marito concepisse; *Visu* inquit, *natura imaginem transmittente.* Nota etiam est historia Genesis 30. quod pecudes obtutu virgarum genuerunt fœtus similes virgarum coloribus. Ad quod explicandum doctè noster Pererius multa affert ex sanctis Patribus, Plinio, & aliis, quæ imaginationis vim in primis exprimunt in cap. 30. Genes. disput. 3. & 4. Multo etiam plura de eiusdem imaginationis vi commemorat noster Martinus Delrius libro 1. Disquis. Mag. cap. 3. q. 3. & apud ipsum Conimbricẽses, aliiq; complures & medici & philosophi. Legi etiam potest hac de re A. Doctor. 3. p. q. 13, a. 3. & libro 3. contra Gentes cap. 103. Rationem autem huius reddit in eo a. 3. ad 3. quia *imaginationi, si fuerit fortis, obedit corpus quoad aliqua*, nempe quoad motum localem, & alterationem, quæ habent ordinem ad imaginationem, secundum quam mouentur spiritus cordis, atque ita corpus alteratur.

Galenus.
Pererius.
Delrius.
Conimbricenses.
A. Doctor.

Quod ergo dicimus, est, quamuis effectus videantur nonnullis esse supra naturæ vires, ideóque superiori causę adscribendi; non tamen propterea id temerè affirmandum esse; Vnde in illo pecudum genere, tametsi graues auctores, & Patres etiam, eam rem ad miraculum referant; tamen aliorum etiam Patrum sapientissimorum iudicio naturæ vires non excedit; Quorum sententiam suis verbis relatam sequitur Pererius loco citato; nósque eam non improbabilem iudicamus, qui imaginationis vim magnam esse scimus. Quare videndum erit, vtrum ita effectus sit supra totius naturæ vires, vt superiorem causam creatam, eámque Angelicam poscere omninò debeat.

Pererius.

Quosdam effectus dari quorum causa in Angelos referri debet.

§. 2.

NOtandum est secundò, multa posse in medium afferri, quæ vim aliquam Angelicam efficientem euidenter exigunt. Cuiusmodi sunt ea omnia, quæ Magorum atque incantationum operâ fiunt, quandoquidem nullam aliam caussam inferiorem habere possunt, Nec Deum vt peculiarem auctorem sine causa secunda possunt agnoscere. Qualia ea omnia sunt, quæ in Deum solum referri sine turpitudine nequeunt, Nimirum omnia præsertim dæmoniacæ Magiæ opera. Nam quodcunque huiusmodi opus nititur fœdere, cum ipsis dæmonibus inito, vt ex Sanctis Patribus, ac Theologis, ac iurisconsultis ostendit Martinus Delrius libro secundo citato, quæstion. quarta. Cum enim dæmones cogi his artibus non possint, nisi pacto saltem implicito adigerentur, non accurrerent cum vocantur.

Neque verò in hac ratione supponimus, dari dæmonem, cum quo Magi paciscantur, quia id nunc ostendendum suscipimus; sed solùm dicimus, si ostenderimus, hosce effectus causam homine superiorem exposcere, eam oportere esse Angelum, hoc est naturam creatam, hominis animo præstantiorem, non Deum ipsum summum, a quo huiusmodi effectuum genera promanent. Cùm horum caussa solus Deus esse non possit; quandoquidem turpem conditionem, & peccati rationem ij effectus inuoluat necesse est, vnde sequetur aliam caussam requiri, quæcunq; illa sit, quam tamen ipsi magi dæmonem arbitrantur, & nobis etiam probandum erit. Quod verò Deus solus horum actuum, qui eam turpitudinem continent; hoc est, qui in despicientiam Dei, ac sanctorum fiunt, auctor esse non possit, neque eos suadere, aut tanquam sibi gratos admittere, nunc suppono, euidenti ratione demonstrari à Theologis 1. 2. q. 79. Hos ergo faciet ea causa, cum qua Magi, in contrahẽdis suis negotiis, turpiter implicantur, ita vt, ea auctore & suasore, Magi suas functiones exerceant, vt certum est. Sumo autem ea quæ fiunt à Magis quà Magi sunt. Hæc enim omnia, quòd turpitudinem peccati inuoluant, patet: quia omnia sunt mala vel ex obiecto vel ex circumstantiis actum inficiantibus; Nimirum vel ex persona, vel modis, ac fine illicitis; & ideò huiusmodi vsus est lege prohibitus, vt rectè docet A. Doctor q. 6. de Pot. a. 10. & q. 16. de Malo art. 9. & Quodlib. 4. art. 16. Quos etiam actus tanquam malas artes, ac Reipublicæ noxias à Platone libro 10. de legibus prohiberi diximus super. Quæsito Difficult. 2. in eius posteriore parte §. *Tertium casum*. Quod multò magis apud Christianos habere vim debet. Quo pacto rectè Tertullianus libr. de idololatr. cap. 9. *Post Euangelium* inquit, *nusquam inuenias aut Sophistas, aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut Magos nisi planè punitos* Eosdem porrò actus esse peccata, & quidem non parua patet ex illis pactis, quibus cum ea causa paciscuntur Magi. Quæ sunt execrandæ blasphemiæ, manifestæ idololatriæ, & alia nefanda peccata, quæ sigillatim numerat Martinus Delrius q. 4. citata. Si ergo hos effectus prouenire ab aliqua causa intelligente, quæ homini superior sit probatum sit; hoc ipso conficitur, eosdem effectus esse à natura Angelica creata, quia, vt diximus, à Deo solo esse non possunt. Vt autem id clarè ostendi possit, ad difficultatem propositam respondetur.

A. Doctor.
Plato.
Tertullian.
Delrius.

Resolutio difficultatis propositæ.

§. 3.

VNica propositio. Ij præsertim effectus, qui ex Magia, quam dæmoniacam vocant, qualis est variarum linguarum locutio, præstigiæ complures, & similes actus in eo, qui eas linguas ignorat, & cætera; euidenter ostendunt, Angelos re ipsa esse. Hæc propositio expressè est A. Doctoris quæst. 6. de Pot. a. 10. vbi expressè docet, & probat, hos effectus non posse vllo pacto referri in aliam causam, præterquam in dæmones. Dixi tamen *ij præsertim effectus*: Nam de omnibus disputare, nimis longum esset. Dixi *euidenter*: Quia ex notis, necessariisque principiis res agitanda est. Dixi *ostendere Angelos esse*: Quia ostendendum est, hos effectus necessario prouenire ex causa homini superiore, ac proinde à natura Angelica. Atque ita, cùm ij effectus suam causam postulent, talem esse

esse causam demonstrabunt. Solum ergo præsentis negotij erit conficere, vt ea opera è causa homini superiore prouenire comprobemus.

Probatur ergo; & primum de iis, quæ Magi operantur, quà Magi sunt, hoc pacto demonstro: Quia ij effectus, qui nullo modo fieri possunt à causa naturali, seu determinata ad vnum, seu nõ determinata ad vnum, necessariò sunt à causa intelligente homini superiore. Sed effectus Magorum, quatenus Magorum, nullo modo possunt prouenire à causa naturali, seu determinata ad vnum, seu non determinata ad vnum, Ergo necessariò sunt à causa intelligente, homini superiore. Consecutio est certa ex bona syllogismi forma. Propositio argumenti patet: Quia ij effectus, qui nullo modo fieri possunt à causa naturali, nullam habent causam in tota latitudine naturæ; Nimirum inter corpora, siue inanima sint, siue animata, modò non excedant humanæ naturæ perfectionem. Nam hanc talem causam cuilibet corpori superiorem nunc proponimus ostendendam. At si hi effectus in hac tota naturæ latitudine causam habere non possunt, necesse est aliquam aliam occultam habeant, quæ naturæ vires excedat: ergo cum nõ debeat esse determinata ad vnum, quia omnium causarum naturalium perfectionem superare debet, necesse est sit intelligens. Hæc enim sola, omnem huiusmodi perfectionem superat. Vnde oportet etiam vt sit libera, & indifferens ad opposita. Alioquin si intelligens ac libertate prædita non esset, nullo pacto esset quacunque naturali causa, atque adeò homine ipso præstantior: ergo sequitur huiusmodi causam esse homini superiorem. Præsertim quia est intelligens & ad ea potest, ad quæ vniuersa natura, etiam homine non excepto, non potest. Non enim aliter cognosci potest alicuius causæ excellẽtia, nisi ex excellentib. effectibus. Sic enim de facto dicimus, Intelligentias cœli motrices esse homini superiores, quia intelligentes sunt, & habent effectum præstantissimum, quo vniuersa natura pertingere non possit, vt etiam superiore difficultate diximus in prima sententia in primo eius argumento & confirmatione. Assumptio argumenti vt probetur, Notandum est effectus magiæ potissimum ad duo capita reuocari posse; Nam aliqui veri sunt effectus, aliqui apparentes ob præstigias, ob quas Tertullianus in Apologetico cap. 23. Magos appellat *circulatores*, & libro de Idololatr. cap. 9. *sophistas*. Narrat vtriusque partis innumerabilia planè exempla; eáque præclara, atque ex probatissimis auctoribus habet ferè singulis paginis Ianus Iacobus Boissardus toto libro de Diuinatione.

Tertullian.

Boissardus.

Equidem cæteris prætermissis vno aut altero ex vtroque effectus genere contentus ero, vt quamprimùm ad vim nostri argumenti pro nostra propositione reuertamur. Ex ludicro & deceptorio capite non infimum argumentum desumi potest ex iis quæ sunt apud ipsum Ianum Iacobum eo loco cap. 5. Narrat namque ibi tale euentum non multis ab hinc annis cuidam suo amico accidisse, viro inprimis nobili ac literato, cuius nomen ait se reticere ob illius viri auctoritatem ac reuerentiam. Cui dæmon per quendam magum illusit egregiè arte catoptromantiæ, quæ fit per speculum. Ad quod admouetur pura ab omni venerea labe puella, quæ in speculum fixis oculis intuens videt eorum formas, quæ quis, dæmonis opera, absens etiam longissimè videre cupit. Is ergo vir nobilis ob cædem patratam exulabat à patria, relicta vxore, quam ardenter amabat: Vtque exilij incommoda virorum doctorum familiaritate, & colloquiis leniret, in Academiis vitam degere constituit. Post aliquot menses, cum illum sciendi, quid eius carissima vxor ageret, cupido incessisset, celebrem ibi magum, non tam quia ei fidem adhibendam putaret, quàm vt eius vanas artes exploraret, consulit. Ab eo igitur sciscitatur, an in speculo intueri posset, qua tãdem in re etiam longissimè (distabat enim itinere decem dierum) absens eius vxor occuparetur. Promittit viro magus, se effecturum omnia, quæ vellet: præscri-

Ianus Iacob.

B bitur dies; conueniunt viri aliquot honesti, qui cuctorum testes adessent. Accersitur puella octo annorum, *Cui*, inquit, *soluuntur comæ, & aqua lustrali cum inuocatione, & susurratis exorcismis tinguntur: circulo incantato, & circumcirca magicis characteribus insignito media statuitur, & vt attentè contemplaretur in speculum iubetur.* Postquam autem ter interrogata esset à Mago, quid illa cerneret, póstque validas totius corporis contorsiones, perturbato vultu, terrificis oculis, trementi, atque interrupta voce tandem respondit. *Video, video, video. Quid inquit magus. Video hypocaustum amplum, ornatum picturis diuersis, & fornace excellentis ædificij; Video in abaco vasa argentea, deaurata, can-*

C *delabrum è laqueari dependens, scamna stromatibus, ac puluinis strata, super mensam pallium cum galero & gladio.* Et post pauca. videre se aït canem album cubantem prope fornacem, & nihil præterea. Mox ex improuiso exclamat puella, *Ecce*, inquit, *mulier formosa pileo tecta holoserico*, &c. *veste amicta est viridi*, &c. *nescio quid nigricans in vola manus sinistræ continet. quod pollice dextro saliua tincto explanat, & linit videns. conspicio iuuenem flaua cæsarie cincinnatum, qui ponè fornacem stat femoralibus in genua demissis.* Quibus auditis vir ille expalluit, & obmutuit. Nouerat enim illa omnia suæ domus esse solita ornamenta, vxoris domesticum

D habitum, &c. Sed illum adeo torsit eius iuuenis aspectus, vt vxorem læsæ pudicitiæ suspectam cogitauerit de medio tollere. Itaque celerem equum conscendit, in patriam properat, vrbem tamen ingredi non audet, in vicum proximum secedit, à rustica quadam muliere de vxore sciscitatur, de ea omnia castè narrari audit. Tãdem per eam rusticam epistolium, in quo inclusus erat annulus coniugij index, ad vxorem mittit. Vxor lætitia gestiens rus ad maritum aduolat. Ille in proximam syluam vxorem seduxit, vt eam iugularet. Tamen vxoris emollitus blanditiis, & forma, quærit ab vxore quid egerit illo certo tali die, Vtrúmne tali loco, tali habitu, &

E cætera fuerit: Quę illa ingenuè fassa est omninò, vt viderat in speculo puella. *Sed quid*, inquit vir, *in vola teniebas saliua madidum, quis fornaci astabat iuuenis femoralibus in genua demissis?* Illa rei nouitatem admirata, se parasse emplastrum respondit *Friderico fratri tuo, vlcere in coxendice laboranti. atque ille mihi rei testis futurus est.* Tandem vir exhilarato animo vxorem magna beneuolentiæ significatione complexus, & cætera rediit in exilium *execratus magicas fraudes & Diaboli illusiones*; quæ illum in vxorem castissimam accenderant.

Hoc primum in hoc ludicro genere. Illa enim puella, quæ non aderant, ac si præsentia essent,

essent, cernebat, præstigiisque dæmonum, absque rerum obiectarum præsentia, earum vel in oculis vel certe in phantasia formabatur imagines, quibus arbitrabatur se videre, ac si è speculo oculis obiicerentur, quæ ab oculis & à speculo remotissima erãt. Quos effectus certum est à nulla tunc causa, naturali modo, effici potuisse. Neque enim ibi præter dæmonem quicquam aderat, quod absentia per suas imagines præsentia faceret, ita vt intueri puella posset, aut certè ac si ea intueretur se haberet. Quod autem aït Paracelsus Magus huiusmodi specula arte fieri posse, quæ sua natura res absentes repræsentent; Magicæ falsitatis est; idque improbabitur infrà in secundo corollario.

Paracelsus.

In eodem ludicro præstigiosóque genere illud quoque admirabile censeri debet, interque dæmonis fallacias vix secundum, quod est apud Clementem Romanum libro 2. Recognitionum aliquantò post initium, vbi de Simone Mago sic loquitur, monens S. Petrum. *Sed & hoc indicare debeo, quod ipse ego vidisse me memini. Cùm esset aliquando Selene (id nomen erat mulieri) illa eius in turri quadam, multitudo ingens ad eam conuenerat peruidendam, & vndique circa turrim stabant; At illa per omnes fenestras turris illius omni populo procumbere, ac prospicere videbatur.* Post hæc verò de se dixit Simon Magus. *Pueri incorrupti, & violenter necati animam adiurationibus ineffabilibus euocatam assistere mihi feci, & per ipsam fit omne, quod iubeo.* Hæc quidem præstigiarum sunt. Nam quod mulier videretur per omnes fenestras, cum non posset simul in omnibus esse, delusiones, & captiones meræ erant. Decipitur enim sensus, aliterque res iudicatur, quam est. Sic etiam, quod animam euocaret, per eámque mira operaretur, fieri re ipsa nequaquam poterat ab illo; qui ius non habebat in animas, vt eis pro suo arbitratu vteretur tanquam instrumẽtis ad opera Deo infesta. Et hoc placeret auctoribus primæ sententiæ. Quod si vera dicantur esse, multo magis fauebit nostræ sententiæ, & recensebitur id altero capite, quod nunc subiicio.

Clemens Romanus.

Simon Magus.

At verò ex capite veri effectus, illud etiam libet hîc apponi, quod Magi Ægyptij Exodi 7. dicuntur fecisse, Nimirum conuersionem virgarum in dracones. *Fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quadam similiter; proieceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Et in aliis quoque multis cap. 8. dicuntur *similiter fecisse, ac Moyses.* Quos serpentes communior, ac solidior Patrum sententia, præsertim S. Augustini libro 3. de Trinitate cap. 7. & S. & libro 83. qq. q. 79. Theodoreti q. 18. in Exod. & aliorum est, veros fuisse; Quæ etiam est sententia A. Doctoris q. 6. de pot. art. 5. ad 8. Nec mirum, quia etiam quid simile docet S. Augustinus 18. de Ciuitate Dei cap. 17. & 18. de quibusdam auibus, in quas Diomedis socij conuersi dicuntur, ac de Iphigenia in ceruam; licèt *& de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in lupos, & cum similibus feris per illius regionis deserta viuebant*, aliter senserit. Quamuis autem cap. 18. dicat Augustinus, dæmonum opera vel arte non posse corpora veraciter in alia conuerti: Tamen *Diomedæas aues, quandoquidem genus earum per successionem propaginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed subtractis credo fuisse suppositas*, sicut cerua pro Iphigenia regis Agamemnonis filia.

Magi Ægyptij.

S. Augustin. Theodoret.

A. Doctor.

S. August.

A Veræ ergo opinione Augustini fuerunt aues, ac vera cerua, licet non vera conuersio: Tum quia Scriptura docet eos similiter, ac Moyses, fecisse, Tum quia Moyses fraudem detexisset, si præstigias non veros serpentes arbitratus esset; Nec in re tam graui Deus eum decipi passus fuisset, quemadmodum palam fecit, eas fuisse incantationes, vt colligitur ex illis verbis vtroque in capite. *Fecerunt autem malefici per incantationes similiter.* Quo autem modo id factum fuerit, alia quæstio est, eaque paulò infra examinabitur in tertio *Colligitur.*

Huc etiam referre placet, quod partim ad veros, partim ad apparentes effectus spectat, & B quod idem Martinus Delrius, vbi suprà ex Thoma Fazello Siculo de quodam Diodoro recenset, cuius verba miros effectus operabantur. *Is* inquit, *potenti carminum suorum vi homines in bruta animantia conuertere, omniúmque fermè rerum formas in nouas Metamorphoses transfundere, longissimísque à se spatiis dissitos, repentè ad se trahere posse videbatur.* Postea addit Catanenses iis portentis motos diuinum ei cultum exhibere procurasse. Præterea his aliud admirabilius subdit, cùm capitis reus cruci destinatus esset, *carminum præsentissima arte è Catana Bizantium, cuius imperium eo tempore Sicilia agnoscebat, & rursus è Bizantio Catanam, è lictorum manibus dilapsus paruo temporis interstitio per aërem deuehi se iussit.* Hoc autem, quod dicitur de C conuersione hominum in bruta, præstigiatoris est opus, dum vel bruta supponuntur amotis hominibus, vel certè sensus ludificabantur rerũ specie, quæ re ipsa nullo modo erant. Quod verò dilaberetur, & per aërem veheretur, nõ est quod horum veritati derogetur.

Delrius. Thomas Fazellus.

Verùm vtut res sint, ex his (præsertim de illa Selene, in qua minor videtur vis magorũ, quam in cæteris prædictis exemplis,) nunc formanda est Assumptionis nostræ probatio: Quod autem de his dixero, proportione de reliquis, tam veris, quam apparentibus, idem prorsus iudicium erit. Probatur ergo assumptio, quod scilicet effe- D ctus Magorum, vt Magorum, nullo modo prouenire possunt, à causa naturali, seu sit causa determinata ad vnum siue non, modò sit intra latitudinem causarum naturalium. Quia nulla causa in tota latitudine naturæ, habet vires, vt possit præstigiis suis, vel alicui multitudini idem corpus numero è pluribus locis multiplicatum ostendere, vel è speculo absentia corpora repræsentare, vel re ipsa temporis penè momẽto virgas vertere in dracones, aut carminibus, quæ modò diximus, patrata esse, in rerum natura reponere. Ergo hi effectus, qui sunt Magorum vt Magorum, non possunt prouenire ab huiusmodi causis. Antecedens probatur, nempe nullam omnino esse causam in tota latitudine naturæ, E quæ habeat vires ad illas præstigias. Quia nulla causa est, quæ possit non præsente obiecto, & sine specierum aut radiorum reflexione, aut refractione in medio, immutare oculorum organum; vt videat ea quæ non sunt, ac si præsentia essent conspectui. Exempli gratia Selenem illam multiplicatam in fenestris, cùm tamen reipsa non esset multiplicata.

Nã quòd videatur baculus integer in aqua tãquã fractus, id communi philosophorũ consensu prouenit vel ex specierum visibiliũ, si dantur: vel certè ex radiorum, qui ex oculo trãsmittuntur (si hoc verum sit) refractione in ipso medio; nempe

nempe aqua; ſicut colores apparent in Iride, & in collo columbæ. Vnde ſi medium, atque obiecta, organáque viſus ſe eodem habeant modo, nulla eſt cauſa, cur idem obiectum vni hoc modo, alteri alio modo videatur; Atque ita omnes eandem ædificij feneſtram eodem loco, ac ſitu ſine vlla variatione videre poſſunt. Alioqui ſi nulla poſita variatione ex parte obiecti, medij, ac potentiæ varia eiuſdem obiecti eſſet viſio, tolleretur omnis certitudo ſenſus circa ſua obiecta, nihilque certum inter homines eſſet. At eam Selenem videbant homines multiplicatam in omnibus feneſtris, medio, obiecto, ac potentiis, quantum erat ex ſeſe, eodem modo ſe habentibus, ſine vlla aut ſpecierum, aut radiorum reflexione, ſeu refractione, quia aër medius inter oculos aſpectantium, Selenémque, quæ aſpiciebatur, erat eodem modo, nec aptus ad variam illam repercuſſionem ſpecierum, vt illa eadem tam multiplici loco ab vniuerſo illo populo cerneretur, cùm tamen re ipſa, nonniſi in vno loco, conſiſteret. Immò hinc amplior oculorum deluſio apparet: Quòd ea, quæ re ipſa non ſunt, videntur tamen aliter; ſpecierum ſiue refractione, ſiue repercuſſu, non eodem modo cernuntur, ſi ex variis locis aſpiciantur, quia faciunt diuerſitatem aſpectus. Vnde eſt, vt nec Iris è minutis fontium guttis reſultet, nec colores in collo columbæ apparentes aſpici poſſint ex diuerſis locis, vt experimento certum eſt. Quo diſcrimine Ariſtoteles libro de ſenſu & ſenſili cap. 3. veros ab apparentibus colores diſcernit; & ideo negat aquam aëremve eſſe colorata. In his enim *quoniam in indeterminato accidit, non eundem colorem habent, accedentibus propè & procul nec aer, nec mare. In corporibus autem niſi contingens faciat tranſmutationem*; nempe medium aliquod impurum; *determinata eſt ea apparentia coloris.* Nulla ergo poteſt eſſe cauſa in tota latitudine naturæ, quæ earum præſtigiarum cauſa ſit.

Ariſtoteles.

Deinde confirmatur hæc ratio. Nam ſi quæ cauſa naturalis ad has præſtigias haberet vires, illa deberet eſſe cauſa neceſſaria, quæ ſcilicet tanquam obiectum neceſſariò tranſmitteret illas ſpecies ad organa, ex quibus ſpeciebus viſio circa illa multiplicata obiecta reſultaret. Non enim homo, qui ſolus eſt cauſa inter naturales, de quibus nunc loquimur, libera, ſolo ſuo imperio voluntatis, has videre rebus virtutes poteſt, vt per ſe clarum eſt, & deinceps patebit magis. At cauſa neceſſaria ad vnúmque determinata eſſe non poteſt. Quia neceſſariò iſta cauſa, poſitis iis, quæ ad actionem exiguntur, operatur. Quæro ergo, cur potiùs tunc, volente Mago, viſa multiplex ſit multitudini Selene illa? Nam ſi ille noluiſſet, id præſtigiarum non accidiſſet. Hoc enim ſibi laudi vertebat Magus, quod eius imperio ea contingerent. Num cauſa neceſſaria inter ea, quæ requiſita ſunt ad operationem, exſpectat imperium hominis? An non velit nolit homo, ignis applicatam ſibi ſtupam amburet? Aqua pluuia deſcendet? Ardens in meridie Sol calefaciet?

Mitto quærere, vbinam ſit illa cauſa, an extra organum viſus ſingulorum hominum, an intra? Nam vt ait Ariſtoteles libr. 4. Phyſicorū cont. 1. *Quæ ſunt, omnes exiſtimant, alicubi eſſe: quod verò non eſt, nuſquam eſſe. Vbi enim eſt hircocernus? aut ſphinx?* Et libro 5. Phyſicorum cont. 8. ait: *Quod autem non eſt, non eſt in loco, eſſet enim alicubi.* Adeò vt libro

Ariſtoteles.

A 4. cont. 47. doceat, ipſum *locum eſſe alicubi*, non tamen in loco, ſed in ſuo termino. Iam ſi intra, ergo in ſingulis, ne diſtet ab aliquo, in quo ille effectus reperitur. Cur ergo exſpectabat eius hominis voluntatem, vt illam tantùm Selenem multiplicem oculis redderet, cætera non item? Quid ſi extra? Nihilò meliùs ad has deluſiones erit. Eadem enim argumenta æquè in hanc partem ac in alteram militant; Nimirum cur exſpectabat hominis voluntatem? cur mulierem, non cætera obiecta multiplicaret? & cætera. Præterquam quod quæri vlterius poteſt, an diſtans ab aliquo? & quomodo erit actio, ſi inter agens & paſſum propinquitas requiratur? Quod & Ariſtoteles poſcit libro 7. Phyſicorum à cont. B 10. vſque ad 13. & A. Doctor p. p. q. 8. art. 1. Vbi non alio argumento probat, Deum vbique eſſe, niſi quia vbique operatur.

Sed eſto diſtet ab vnoquoque ea cauſa; quas vires habet in organum oculorum? Nam vt ibi producat ſpecies, quas dicūt viſibiles, aut quodcunque aliud ſit, quod neceſſe ſit, vt huiuſmodi organum tranſmutetur ad eam rei fictæ viſionem; cur non ſemper eadem agat, ſi diſtans poteſt, & quomodocunque ſe habeant oculi? Nam in ea tanta populi frequentia, quæ ad ſpectaculum conuenerat, fieri non poterat, vt omnium eadem eſſet diſpoſitio contuentium. Ergo eadem cauſa, etiam poſitis quibuſcunque diſpoſitionibus, eoſdem effectus habere poteſt. C Quæ quidem ſunt adeò manifeſtè falſa, vt indignum philoſopho ſit exiſtimare eius rei vllam naturalem, neceſſariámve cauſam aſſignari vel veroſimiliter poſſe.

Non ignoro tamen, quoſdam huiuſmodi vim cauſæ arbitratos eſſe, in verbis, atque humore melancholico conſiſtere poſſe. Verum hoc paulò poſt quantum roboris habeat, in diſceptationem accerſam, oſtendámque, eſto talis humor ſimilium effectorum ſit materia, nullo tamen modo cauſam eſſe poſſe efficientem, nec id ab Ariſtotelis opinione diſſentaneum. Conſtat ergo, quantum ad præſtigias attinet, verum eſſe, quod dicebamus in ea aſſumptione, Nihil reperiri poſſe in tota naturæ amplitudine, quod D ſiue cauſæ naturalis, ſiue cuiuſuis alterius, modò perfectionem humanæ naturæ non excedat, talibus ſit præditum viribus. Quo eodem argumento quæ de ſpeculo illo Magorum diximus, & quæcunque ſimilis doctrinæ adduci in medium poſſunt, reiicere quiuis facilè poterit. Neque enim in iis, & ſimilibus illorum effectuum cauſa faciliùs dari poteſt. Quanquam infrà in noſtris *Colligitur* peculiari argumētatione in Paracelſum aliter ſentientem, aut certè aliter malè docentem, non difficilè vtemur.

Paracelſus.

Nunc eadem aſſumptio probāda eſt, cum verus effectus cernitur, non autem fictus, vt idipE ſum de ſerpentibus, quos veros fuiſſe diximus, iam conficiamus.

Id autem expeditiùs oſtendo, ſiue hi ſerpentes re vera per veram conuerſionem fuerint, ſiue aliunde tranſlati; Quod, vt diximus, examinabitur infrà; nullius cauſæ naturalis, aut neceſſariæ aut liberæ virtute fieri potuiſſe. Nam ſi ex virgis re ipſa ſerpētes extiterunt; Quæ nam erat in aula Pharaonis cauſa, quæ repentè ſine vlla præuia diſpoſitione materiæ, in eas virgas, draconum animas inſpirarit? Certè nec aër ambiēs, aut lapides, reliquáque inanimata, aut homines

proferentur. Quibus omnibus imparem vim ad hos effectus inesse, nemo ignorat. Si alia causa occulta, quæ hominum ingenia latere ab aduersariis dicatur; Quæro, cur potiùs Magorum interuentu, atque verborum interpositione, quam iisdem nihil operantibus, & nullo pacto requisitis, virgæ illæ animabantur? Num vis aliqua, aut conditio erat posita in eorum imperio, vt causa, quæ de se necessaria est, serpentes generaret? Quod si hoc dicatur, iam ex dictis improbandum est. Dicant enim; Quænam causa naturaliter, & non liberè agens, hominis exspectet imperium, vt in actum exeat? Aut si exspectet interdum hominis nutum, vt aliquando videmus, canes non latrare, aut quidpiam simile facere, nisi ab homine ad eadem adigantur: Dent quidnam in natura repererint, quod vires miras atque insolitas induat, quia homo imperet. Iam si nihil faciunt Magi, fare, cur nunc excitetur potiùs eius causæ actio, quam priùs? Explica, quæ ponantur requisita, vt iis positis causa necessariò agat: Exinde quæratur, an præsens? An distans? & cætera, quæ modò dicebamus.

Sin autem aliunde asportati serpentes illi in aulam fuerint; Quæro eccuiusnam causæ naturalis velocitas tanta sit, tam improuisus aduentus, tam ad nutum Magorum, vt è longinquo serpentes, penè ictu oculi, pro virgarum numero, non alieno, sed certo, aptóque tempore, inspectante Pharaone, ac reliquo populo, sola virgarum proiectione transtulerit? Quid cùm deinde piscibus omnibus in immenso penè Nili alueo, eorundem Magorum opera, interitum attulit: Vt ibidem dicitur Exod. 7. & alia permulta; quæ vt Moysi virtutem diuinitus communicatam, atque auctoritatem eleuarent, patrabantur à Magis? Nullam ergo huiusmodi causam fuisse, constanter affirmandum est.

Diodor. Siculus. Tandem venio ad ea, quæ Diodorus Siculus magus carminibus miro modo efficiebat. Nam dilabebatur è lictorum manibus, atque in aere sublimis Bizantio Catanam, paruo temporis interstitio, ibat, redibátque. Quæ causa naturalis, aut necessaria, aut libera illa sit excogitari potest, quæ præstet, aut soliditatem aeri tantam, vt corpus graue sustineat; aut tam incredibilem velocitatem, celeritatémque pigro corpori, vt nulla ferè interposita mora tantum itineris conficiat: aut denique vires tantas, quæ vincula disrumpant, séque mira dexteritate è lictorum manibus sine vllo periculo eripiat? Quod si aliqui auctores, Angelorum aduersarij, adhuc obstinatiùs diceret, esse aliquam causam occultam, naturalem illam, & necessariam, quæ tamen nobis occulta sit. Contra hos erit manifesta ratio; quia si philosophari licet procul à ratione, quis vetat, quin dicamus, quodlibet fieri ex quolibet, & causas secundarias posse rem è nihilo facere, & alia complura, quæ philosophiam funditus euertunt, naturæque iura conuellunt?

Nullam inesse naturalem vim verbis, ad magorum opera patranda. §. 4.

Pomponatius. HIc dicent profectò verbis, eiusmodi virtutem inesse. Sic enim Pomponatius libro de Incantatione, licet aliud agat, de verbis tamē ait, A *Quod quamuis voces primò, & per se non immutent nisi auditum, secundario tamen, & per accidens mirabiles effectus habent producere, & præcipuè mentes humanas immutare.* Quam vim ex Plutarcho confirmat, exemplo earum Tullianarum orationum, quæ vehementer Cæsaris, aliorúmque animos commouerunt. Idem dicit de Musicæ harmonia, qua modò ad iram, modò ad amorem concitantur animi, & cætera.

Aduersus hanc responsionem non contēdam extorquere, quod vltrò ipse concedit; Nimirum nullam inesse vim primariò verbis ex se. Quod enim verba, aut ore proferantur, aut scripta sint, omnis energiæ expertia sunt. Si enim scripta sint, si vim à charta, aut atramento, aut ipsis characterum figuris non accipiant, B muta sunt, & veluti cadauer nihil spirant. Si ore enunciata audiantur, vltra significationem, quę hominum voluntate, & consuetudine verbis imponitur, vt habet Aristoteles libro 1. Perihermenias cap. 1. Aristoteles. nihil præter sonū, atque aëris fractionem habet, Quæ effectuum illorū causa esse non possunt. Vt enim ait A. Doctor 2.2.q.72.a.1. ad 1. Verba secundum essentiam suā; A. Doctor. *hoc est* inquit *in quantū sunt quidam soni audibiles, nullū nocumentum alteri inferūt, nisi fortè grauando auditum, puta cum aliquis nimis altè loquitur.* Itaque rectè ait, nullū inferre damnum, ex eo quod nulla verbis insit vis præter sonum, aërisque concussionē; Quæ sola, si nimia sint, offendunt. Quod verò attinet ad significationem C multum quidē obesse, ac prodesse verba queūt, vt ibi rectè obseruat A. Doctor; A. Doctor. Quia scilicet *in quantum sunt signa repræsentantia aliquid in notitia aliorum*, multum adiicere, vel detrahere honoris, vel existimationis possunt, vnde sequatur vel damnum, vel commodum aliorum: tamen id non præstant verba ex aliqua vi effectrice, quæ verbis ipsis indita à natura sit. Nam significatio, vt dixi ex Aristotele, est pro voluntate loquentium, atque ideò arbitraria. Quocirca quid ipsa possit influere physicè in ipsam verborum naturam, nemo videbit, etsi oculos lynceos demus, vt nubila transigat. Si enim arbitrium, ac voluntas hominis non habet in se vim tribuendi talem virtutem, quia D etiamsi id maximè velimus, non possumus, vt experimur manifestè; ergo nec verba talem virtutem ex significatione arbitraria habebunt. Quemadmodum quia nullus mortalium, immò nulla creatura potest ex arbitrio vim efficiendæ Gratiæ conferre in verba Sacramentorum, rectè negamus, eam ex creaturarum arbitrio dependere; sed solùm in diuinam auctoritatem hæc facultas refertur, à qua in huiusmodi Gratiæ effectus deriuari potest, vt certum Theologis est.

Quod verò ait Pomponatius, mentes hominum immutari verbis oratione compositis, & Pomponatius. E cætera; nihil Pomponatio fauet. Oratores enim non verbis nudis, nihilque significantibus, nec vesanis, ac ridiculis, quales sunt Magorum, modis; sed sententiarum momentis, ac rationum pondere, orationis structura, gestu, vultu, vocis flexione auditoribus, iudicibúsque persuadent. Qua ratione *audientes repræsentationes* inquit Aristoteles 8. Politicorum cap. 8. Aristoteles. *Omnes afficiuntur etiā sine melodiis & versibus*; Quia scil. audientes, talem vel talem notitiam, ex illa rerum in conspectu positarum serie, sibi formant, vt inde vel cōmiseratio, vel odiū, vel delectatio, siue

siue quæcunque alia animi affectio exoriatur. Similiter in Musicis ipse concentus, harmonicáque modulatio distrahit animum ab ira, lenit dolorem, temperat humores, idque ob proportionem, quæ illi est cum natura sentiente, præsertim cum homine. Nam, vt ait Aristoteles eodem cap. 5. *In melodiis ipsis sunt imitationes morum, & hoc est manifestum. Statim enim harmoniarum distincta est natura, ita vt qui audiunt aliter disponantur, nec eodem modo se habeant ad vnamquamque ipsarum, sed ad quasdam flebiliter*, & cætera, *ad quasdam verò mollius secundum mentem*, & cætera. *Phrygia verò distrahit, ac rapit animum.* De quibus etiam Musicæ speciebus nonnulla commemorat A. Doctor in expositione ad psal. 32. circa initium. Tandem Aristoteles concludit ibidem, quia Musica potest sua natura immutare mores, ad puerorum disciplinam esse adhibendam, & in ea pueros esse instituendos. Sanè Empedocles Musicæ arte iuuenem in cædem iamiam ruentem repressit; Pythagoras in altero libidinum faces restinxit; Antigenides Alexandrum ab epulis ad arma compulit, Dauid Saulem à dæmone agitatum liberauit, recreauitque, & cætera. Denique S. Augustinus libro 9. Confess. cap. 6. fatetur, se mirabiliter melodiis Ecclesiæ excitatum, commotúmque animo. *Quantum* inquit *fleui in hymnis, & canticis tuis suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter: Voces illæ influebant auribus meis*, & cætera. Hæc igitur ita cùm sint, cúmque ex natura tum aptæ orationis, tum dulcedine cantus moueantur animi; quid ad prodigiosos illos effectus, vt quis contra naturam aëri sublimis insideat, per aërem mira velocitate in dissita loca discurrat, compedes sine instrumentis frangat, & cætera, quę ex Theodoro illo relata sunt, conferre posse existimabimus? Præterquam quod quid simile habet compta oratio, & harmonica delectatio cum horrisonis sibilis, Magorúmque stridulis susurris? Vnde ergo poterunt huiuscemodi voces tales habere effectus?

A. Doctor.
Aristoteles.
Empedocles.
Pythagoras.
Antigenides.
Dauid.
S. August.
Theodor.

Concludam ergo verbis illis nullam virtutem inesse patrandi ea, quę Magi, quà Magi sunt, faciunt. Neque enim virtus huiusmodi potest esse aut supernaturalis aut naturalis. Non quidem supernaturalis: quia esset aliqua vis ad Gratiam supernaturalem vel immediatè, vt sunt bonæ, ac piæ cogitationes, ipsa gratia sanctificans, & cætera; Vel mediatè, vt vis miraculorum, donum linguarum, & cætera. At hoc falsum est: Quia Deus non infundit supernaturalem virtutem ad hos Magorum turpes actus iuuandos, qui in hominum perniciem sunt. Omnis enim supernaturalis vis, vt ostendit A. Doctor 1.2. q. 51. a. 4. est ad finem supernaturalem; hoc est ad vitam æternam homini consequendam. Vnde nec Deus tale quid promisit Ecclesiæ, cui nec se talia promisisse reuelauit, nec ad eius Gloriam cederet, si Magi inuocatione dæmonum supernaturalem virtutem in Dei veri detestationem verbis, aut rebus ingenerarent. Nam faciliùs homines fallerent, multóque compendiosiùs falsam religionem rationali creaturæ persuaderent. Immò cum Deus hos effectus velit, ne fiant; an ad illos peculiarem supernaturalem vim est præbiturus? Non etiam naturalis, siquidem nec verbis scriptis, nec voce prolatis eam inesse ostensum est.

A. Doctor.

Haud equidem ignoro Magos nonnullas his argumentis conatos esse adhibere responsiones,

A

quibus impiis suis doctrinis friuolè patrocinentur. Vt Primo, quòd literis ac syllabis sit quædam cum cælestibus corporibus, ac mentibus sympathiæ connexio. Secundò, quod illa verba sint maioris efficacitatis, quæ à digniore, sanctioréque dignitate instituta, & quę res sanctiores significant. Tertiò, quòd nomina propria radij quidam rerum, quas significant, sint; ideóque in ipsis vitam nescio quam latere.

Verùm aduersus hæc Magorum vel somnia, vel delitia, aut si mauis dæmonum commentationes præclarè arguit noster Martinus Delrius libro 1. cap. 4. q. 3. Disquisitionum Magicarum. Nam in primum dictum quęri potest, Vnde nam illis innotescat talis connexio? An ratione, an

B

traditione aliqua? Num ipsis, cùm ex his nullam afferant, à dæmonibus id reuelatum est? At meminerint, dæmones mendacissimos nullum spóte verum esse dicturos; nec ad id compelli à quoquam posse, præterquam à Deo. In alterum verò optimè Delrius ibidem. *Quia nec res sanctæ significatio* inquit *nec linguæ dignitas, nec probitas hominis instituentis vllam qualitatem physicam operatiuam possunt vocabulis imprimere.* Neque enim, vt suprà dixi, quantuncunque ad id velimus conari, quicquam præstabimus virium. Nec recurrant ad Deum. Is enim prohibet, non has promouet Magorum artes. In Tertium denique arguo: Quia vt ex Aristotele dixi, nomina ex arbitrio, & ho-

Delrius.
Delrius.
Arist.

C

minum consensione deriuantur. Ergo non sunt radij, qui è rebus immittantur in ipsa nomina. Præterquam quòd ij certè radij inessent aëri tanquam subiecto. In voce enim, aut aëris motu non inessent, quia substantiæ non sunt, & ferè momento euanescunt. At in aëre non sunt: Nam ex natura rei in omnes audientes producerent effectus suos. Neque enim fingere pro arbitrio cōditiones, aut causas, rectè philosophantium est. Cur ergo in vno potius, quam in alio? Non ero hic sollicitus minutas quasdam obiectiones examinare. Hoc enim onere me leuet quisquis eas apud nostrū Delriū videre sataget.

At tandem Pomponatius in eodem libro de

D

Incantationibus vim omnem verbis detrahit. *Quoniam stat* inquit pag. 86. *neque tales præcantatores elegantem habere orationem, immò multoties sunt verba eorum perridicula, & nullius prorsus significationis, neque etiam verba illa sunt cum concentu, vt delectationem vel tristitiam inferant.* Hic vides magnam opinor vim veritatis lector, quæ vel in hostibus tuetur dignitatem suam, quando vel obnitentes ad se trahat necesse est. Sed ea tamen inuitus rursus ab ea recurrit ad fidem, tanquam ad sacram anchoram. *Sed puto* inquit *in causa esse vehementem fidem habitam verbis illis*, & cætera. Quod dicit de eo qui præstigiis ægrotum sanat.

Pomponatius.

E

Verùm hæc ridiculè dicuntur. Primò enim fides hæc, seu rectiùs credulitas (nempè humana. nam eam etiam superstitionem vocat; quod de fide diuina impiè diceretur) nihil efficit in astantium corpus, aut animum. Actus enim intellectus, aut voluntatis imperat quidem suis facultatibus, quæ vt suprà diximus ex Aristotele, voluntati despoticè imperanti obediunt, nullam tamen vim habent in res exteras. Alioqui sibi quisque fortunam suam, aliorúmque faceret pro arbitratu, immò & ipsæ res pugnarent contrariis voluntatibus in contrarias partes motæ. Deinde, quia esto ægrotus ex ea fide humores temperet, vnde sanitas interdum consequatur,

3 *Stephani Rubali de Angelis.*

tamen id verbis non dandum, nisi vt occasioni, A ex qua ægrotus spem valetudinis concipit, & quiescit. Quamquam hoc experimentum rarum admodum est, & ideò plerumque fallax, nisi sua met lance perpendatur. Fallitur ergo Pomponatius, vt in plerisque aliis in hoc libro. Verissimè Ant. Mirandulanus. enim ab Antonio Mirandulano scriptum iudico libro 6. de singulari certamine, Pomponatium nec philosophum bonum, nec bonum Christianum hoc in opere se exhibuisse. Constat ergo nullam esse huiusmodi causam.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò illa verba, quibus antiquitus putabatur insita aliqua vis ob mirabiles effectus, ex se inania fuisse, licèt auctore dæmone ad illorū sonum magna illa prodigia patrarentur. Et quidem B fuisse inania, iam ostensum est, cum nullam virtutem potuerint habere siue naturalem siue supernaturalem.

Quòd verò auctore dæmone illa patrarentur, non dubium est; cùm illa cuiusuis causæ physicè operantis facultatem, viresque excederent, fierentque in cultum vel retinendum, vel augendum falsorum Deorum. Talia sunt illa verba Plinius. omnia de quibus Plinius libro 28. cap. 2. Licèt enim affirmet initio eius capitis, *maxime quæstionis, & semper incertæ esse, valeántne aliquid verba, & incantamenta carminum*: Tamen plurima exempla adducit incantamentorum, quæ mirificos habuerunt effectus, præsertim ob ipsorum verborum rectam pronunciationem, si ipsa ad rem facerent, vt de Vestalibus, quæ fugitiua mancipia nondum vrbe egressa, carmine apposité prolato, efficiebant, ne extra mœnia possent egredi. Ideóque ibi probat, ostentorum vires in auguris esse potestate, rerúmque magnarum facta sæpe mutari verbis. Quasi malè verba proferentibus, ac precantibus Dij consulere nollent, eo quòd ritè ab iis, si malè se gererent, non Plinius. colerentur, vt etiam ibidem fassus est Plinius, *Victimas*, inquit, *cædi sine precatione, non videtur referre, nec Deos ritè consuli*. Hinc silentium, & fauor, & bona verba in sacrificiis imperata: Nam malis nominibus, & barbaris vocibus religio peruer-Plutarchus. tebatur. Putabant enim, vt ostendit Plutarchus in libro de superstitione, huiusmodi barbara locutione *peruerti diuinam, atque à maioribus acceptam religionis auctoritatem*. Plura hac ipsa de re Martinus de Roa. rectè obseruata sunt à nostro Martino de Roa libro sexto singularium, capite primo. Quem verborum vsum à Dæmonibus traditum, constitit etiam inter ipsos infideles. *Magicæ artis*, Eusebius. inquit Eusebius libro quinto de præparatione Euangelica capite septimo, initio *Dij Gentilium & inuentores & Doctores fuerant. Unde namque homines, quibus rebus dæmones cogantur, quàm ab ipsis dæmonibus discere potuissent? Nihil enim nos illarum rerum scimus nec scire volumus. Sed ad redarguendum errorem Gentilium, & ad defensionem nostram idem ipse Porphyrius testis citetur, qui in libro de responsionibus ait, non solùm felicem conuersationem suam, verùm etiam quibus rebus gaudeant, & quibus alligentur Dij, hominibus significauerunt*, & cætera. Quibus omnibus manifestè constat, hæc verba nihil ex se virtutis habere, sed si quæ admiranda Magorum arte contigerunt, ea omnia dæmonum opera non verborum facultate contigisse.

In speculis nullam esse vim naturalem repræsentandi absentia aduersus Paracelsum, aliósque Magos.

§. 5.

Colligitur secundò, quæ diximus visa esse in speculo ab illa puella, fuisse ei dæmonis arte repræsentata. Nam nulla potuerunt causarum naturalium virtute, res tam distantes spectandæ obiici illi puellæ. Ergo id negotij opera dæmonis transigendum fuit: Quia à causa superiore, & non à Deo. Nam illa omnia fraudibus peragebantur, & in perniciem innocentis. Antecedens patet: Quia vt suprà dixi, nulla causa ibi aderat, quæ absentia faceret præsentia, eorúmque absentium imagines aut producere aut commouere posset in sensuum organis. Non enim astantes homines, aut aër, aut domus parietes, siue cubiculi supellex, & cætera. Quoniam verò Paracelsus magus, & hæreticus horum effectuum naturalem causam refundit in speculum, id in præsentia firmissimis Paracelsus. rationibus repercutiendum est. Is ergo ait libro 5. de speculi constitutione, tria esse genera C speculorum, quæ res absentes referunt oculis; ac si in conspectu positæ essent. *Nam in vno spectantur*, inquit, *omnes imagines hominum vt furum, inimicorum & aliorum. Similiter & formæ seu figuræ pecudum, armorum, pugnarum, obsidionum. Præterea omnia, quæ homines patrant, faciunt vel fecerunt; & siue dies, siue nox sit, in hoc speculo spectatur. In altero spectantur omnes scripti & dicti sermones, verba, consilia; vbi, & à quo ea dicta, & instituta sint cum illis omnibus, quæ in consiliis illis decreta & conclusa sint cum causis illorum omnibus. Sed hæc iam facta, & præterita esse oportet. Nihil namque futuri in illis videri potest. In tertio spectantur omnia scripta in literis* D *scriptisque, & quicquid calamo consignatum est, vtcumque secretissimum & abditissimum sit*. Hæc ille. Notat præterea nihil ab iis, pro quibus specula confecta non sunt, spectari, propterea quod pro certis, ac definitis hominibus fabricari ea oportet. Addit autem homini illi, ad quem huiusmodi specula directa sunt, *apparere omnia, quæ sub Orizonte sunt, aut facta sunt, tam in distantia, quam in propinquo, siue diu, siue noctu; siue clam, siue palam facta sint.*

Aio autem hæc & similia imperitè, ne dicam impiè dici. Nam primò ista specula aut habent hanc connaturalem virtutem ex materia speculi; Nimirum quæ figuræ subiaceat; Aut ex for-E ma, seu ex figura. Nihil enim aliud est natura in Aristoteles. quouis corpore, vt patet expressè ex Aristotele libro 2. Physicorum cont. 4. & 12. ac proinde nulla alia qualitas seu virtus est, quæ rectè dici possit naturalis, quæ corpori non conueniat ob alterum ex his. Vt patet ex eodem libro cont. 5. *Secundùm naturam*, inquit, *sunt quæcumque his insunt secundum se, vt igni ferri sursum*, & cætera. At ratione materiæ ea virtus nequit esse speculo naturalis: Quia quæcunque ad illam speculi materiam conflandam conueniunt, corpora sunt naturalia, ideóque quantumuis misceantur, nullam adipiscuntur virtutem, quæ sit

supra

supra naturam corporum naturalium. At supra A naturam omnium corporum naturalium est virtus transmittendarum imaginum ad oculos; quę imagines, referant corpora longè posita, & spectantibus ipsis absentia. In nullo enim prorsus corpore, ne initia quidem esse videmus imaginum transmittendarum, corporibus ipsarum non pręsentibus. Nulla enim corpora, quę alicui siue speculo, siue cuicunque obiecto, non sint in conspectu posita, etiamsi parum ab eo distent, modò interponatur corpus opacum, habere possunt vim in ipso producendi imaginem sui. Ratio est ex natura ipsarum imaginum; Quæ nunquam producuntur nisi per lineam rectam vsque ad corpus opacum, siue ab eo resiliant, si interdum contingat resilire, ac reflecti B è corpore opaco, & terso; siue non resiliant, & cætera. Quantum enim ad hoc attinet eadem est proprietas harum imaginum ac luminis, vt experientia perpetua obseruatum est, quod lumen semper per lineam rectam in suum terminum transit.

Ex quo etiam sumitur non infirma nostri argumenti confirmatio. Si enim nulla potest esse luminosorum corporum commixtio adeò perfecta, vt ea possint alicuius lucidi corporis lumen effundere ipso absente luminoso corpore. Verbi gratia quòd ea permista corpora lumen stellæ verè emittant, quæ sub Orizonte iam lateat. Ergo neque fiet mistio corporum, è qua corpus existat, quod tales imagines absentis corporis efformet, ita vt illud, quamuis absens, ipsis oculis spectetur, vt præsens. C

Video hos magos tanquam ad ignorantiæ asylum confugere posse ad temperamentum speculi, quod ab astris occultam vim ad eos effectus habeat. Possent enim dicere; cùm fiunt specula ad effectus visendos ad voluntatem alicuius verbi gratia Socratis, ea debere fieri sub tali astro, quod in Socratis actiones vim habet, & cætera, & similiter de aliis. Ex quo docent, non esse mirum, si soli Socrati ea specula repræsentent rerum naturas & D actiones.

Verùm hæc solutio perfugia quærit incognita, quæ philosophorum proborum nemini patuerunt. Quamobrem quæro primò, An illud Socratis astrum assignent, vt cæteri astrologi, nimirum quod puncto ferè temporis peragatur, vt fieri natiuitates solent? Si affirment, ergo specula nulla repræsentabunt, quia nunquam fient in eo momento, si quidem multo tempore indigent vt temperetur materia. Si negent; cùm in eo longo tempore etiam multorum aliorum astra dominentur, cur dicent ei soli subseruire specula, pro quo facta sunt?

Secundò quæro vt dixi. Vtrùm huius rei scientiam habeant, an coniecturam. Si scientiam: Sanè longa inductione obseruari oportuit mistorum corporum proprietates, sympathiam, proportionem, & cætera, quæ tali mistioni facere possunt. Sic enim cæterorum corporum scientia datur, cuius principia inductione comparantur, vt docet Aristoteles libro 2. Posteriorum capite vltimo. Quæro igitur quæ nam erit inductio, vt sciant attemperare materiam tot diuersorum corporum sub tali indiuisibili astrorum concursu; pro vnico indiuiduo? cum præsertim reliquæ scientiæ sua habeant principia, magnorum virorum testimonio comprobata, isti verò ne vnum quidem verum philosophum pro se habeant. Eodem modo dico, si coniecturis sciāt. Præterea etiam quia esto coniecturæ sint, tamen cum ipsæ sint fallaces, in re nostra necesse est sint fallacissimæ, quia nulla obseruatione possunt ita illustrari, vt hominem vel probabiliter certum reddant. Vnde enim principia, vnde signa, vnde auctorum fide dignorum testimonia, vnde experientiæ, & similia.

Aristoteles.

Denique contra est, quia cœli influxus non potest facere, vt absentia transmittant species in oculos intuentium, ac si essent ante oculos præsertim tam variarum rerum, tam inter se dissitarum, & cætera. Et si transmitterent, non possent restringi, vt in vnius solius oculos incurrerent, non autem in cæterorum. Ea enim, quæ naturaliter fiunt, respectu omnium se habent, si eodem modo ad illa comparentur, vt suprà dixi. Vnde si è speculo prodirent species, omnium intuentium oculos lacesserent, modò ad illud punctum eodem modo respicerent. Quod enim temperatum sit speculum illud sub astro Socratis, non posset facere, vt si naturaliter diffundat species per medium, in vnius Socratis oculos peruenirent, alioqui non diffunderentur. Quemadmodum magnes quia vim suam in medium fundit, proximum trahit ferrum; & ideò non trahet potius hoc, quam illud, modò sit eiusdem naturæ & conditionis, si suam vim in ferrum per interposita media distendat. Accedit etiam, quod explicandum ipsis esset, cum cætera specula species non emittant, sed reflectant ab obiectis corporibus, cur aliter hoc se habeat. Nec illud prætereundum, quod cæteri Magi vsi sunt speculis nostratibus sine vlla compositione mistorum, vt diximus de illo puellæ illius, & de illo apud Græcos. Quare non est vis naturalis siue ex materia siue ex forma. Sanè si talis vis è natura prodiret rerum, prophetia rerum præteritarum, & earum quæ sunt præsentis temporis nullo modo inter supernaturalia dona substantialiter reponenda essent. Vnde Elisæus non propheticè cognouisset quæ Giezi discipulus eius absens fecerat, & alia complura, quæ solùm essent cognitiones supernaturales, quoad modum. Quæ omnino absurdissima sunt, & contra ea, quæ determinant Theologi 2. 2. q. 171. a. 3. & alibi.

Elysæus Giezi.

Quod si ij soli Magi dicant, hæc posse fieri, séque interdum esse expertos facta esse; Quæro quisnam horum corporum, mistionisque vires temperiémque istis nugonibus reuelarit? Quodnam ipsi eius reuelationis testimonium proferant? cum eiusmodi res, quam nunc in examen vocamus, omnibus meritò incredibilis sit, nec E eam vllus hactenus mortalium siue studio, siue experimento, si dæmonum pactum tollas, ediscere potuerit.

Quæ quidem omnia; siue dicas rerum imagines ex obiectis ad organa prouenire, vt est communis philosophorum sententia; siue fieri visionem corpusculorum iactu ex oculis ad obiecta; nempe per extramissionem, eo modo istas magorum vanitates redarguunt, quia vtrobique obiectorum in conspectu positorum requiritur existentia, vt oculi res obiectas intueri valeant.

Deinde lubet à Mago sciscitari, an mysteriosa sit illa verborum textura, cum ipse in vno

vno speculo iunxit repræsentationem *furum, inimicorum, pecudum, pugnarum, obsidionum*, & cætera. Si enim mysteriis vacat; non video, cur potiùs hæc, quàm cætera promittantur. Sin autem putent, hæc potissimùm referri; quia ea potissimum scire homines cupiant. Ergo hæc non ex natura rei talem vim habent, cùm ad hominum voluntatem se accommodent, atque attemperent.

Paracelsus. Atque hoc quidem est quod Paracelsus dicere voluit, cùm putauit, vbi suprà, vt huiusmodi specula repræsentent, ea fabricari oportere in eius gratiam, cui obiecta repræsentanda sunt. Quod quidem vanissimum est, cùm ea, quæ ex natura rei talia sunt, non vni aut alteri sint talia, sed omnibus & semper, si eodem modo ad illa comparentur. Non enim lux est vni lux, nec color vni color, sed cuique, illi omnes æquè benè applicentur, lux erit & color, & quodcunque aliud ens appelletur. Constat ergo eam virtutem nō esse ei speculo naturalem ex materia.

Simili modo neque ex forma, hoc est ex figura speculi illa virtus prouenire potest. Nam primò figuræ nulla virtus conuenit per se, sed virtutis modus. Adeò vt ne motus quidem localis, qui maximè videtur in eam referri posse ob cœli rotunditatem, figuræ sit attribuendus. Quocirca

Aristoteles. Aristoteles libro 4. de cœlo cont. 42. *Figuræ, inquit, non sunt causa, vt ferantur simpliciter aut deorsum, aut sursum, sed vt velocius aut tardius. propter quas autem causas non est difficile videre.* Ergo illi speculorum formæ non est tribuendum, quod species visibiles è se emittat corpus. Vnde sequitur, vt per figuram corpus habeat quidem, vt versus hanc vel illam partem, hoc vel illo modo sit aspectabile; non tamen vt simpliciter sit aspectabile. Secundò, quia idem est corpus transmittere speciem visibilem alicuius, & in seipso repræsentari illud ipsum. Non enim alio pacto dicitur speculum, aqua, corpus tersum transmittere species rerum, nisi quia in ipsis repræsentari cernuntur. At repræsentari non conuenit speculo ratione figuræ, sed suæ formæ in tali figura, vt certum est; ergo nec virtus transmittendi species. Confirmantur hæc omnia, quia isti facultatem hanc videndi solent ad certos dies restringere, & certæ personæ tribuere, vt vidimus in casu allato. Quod latentis cum dæmona pacti indicium certum esse debet. Etenim si virtus in speculo est, & non extrinsecus adhibetur ope dæmonis, cùm plures simul idem speculum intuentur; Cur vnius oculi vno tempore certo ea vident, nec tamen cæteri: nec idem alio tempore videre eadem possunt?

Paracelsus. Secundò arguo in Paracelsum, vndecumque dicat talem virtutem emanare: Quia Paracelsus in illo triplici speculorum genere distribuit ita singulorum officia, vt in vno spectentur homines, hominumque actus; In altero scripti sermones, atque cōsilia, & cætera; In postremo scripta, & cætera.

Qua in re triplex fraus, errórque deprehenditur. Primus est, quod non cohæret sibi dum concedit posse sciri præterita hominum consilia, & negat futura. Si enim præteritorum consiliorum formæ è speculo naturaliter exiliunt, cur non & futura? quādoquidem ad speculi naturam eodem modo vtraque se habent. Nam si eius quod non est ampliùs, præsentia necessaria non est, vt primò rerum species producantur, ergo nec futuri. Si quidem nobis eam ob causam præterita repræsentantur, non futura, quod præteritorum, cum fuerunt nobis loco præsentia, species in animo insitæ sunt; quod futura non habent, quæ præsentia nunquam fuerunt. Cùm ergo in illis speculis talis præsentia localis non requiratur ad primas species, ac repræsentationes, proinde futura æquè ac præterita referri poterunt.

Alter est, quia vanissimè ait, sermones scriptos videri in vno, in alio scripta, quorum discrimen vix intellectu cognosci potest, ne dum re inanimi. Quæ enim est differentia ista inter sermones scriptos, & scripta? Num aliquam Magus edisseret a consulto dæmone? Nam si sermonum, qui iam cum voce abierunt, nec vllo modo permanent scripta è speculo repræsentari possunt, cur non & alia eorundem scripta, quæ sermonum non fuerunt, sed actuum? Sermones enim illi, cum nihil sint, conferre ad causam illam materialem nullo modo queunt. Sicut nec magus ille iampridem mortuus quicquam in causis naturalibus nunc imprimit, quo nunc vim influant in effectus suos. Præterquam quòd (quæ illi mago sunt familiaria peccata) consilia, hoc est animi motus concedit elucere posse in speculo, qui tamen à nullo mortalium, immo nec Angelorum deprehendi possunt, tantum abest vt in causis naturalibus referri possint. Quomodo enim hæc corpora imagines emittant eorum, quæ penitissimè in animo fixa hærent, nec vllo vnquam signo ex animo prodierunt?

Tertius est, quia quæri debet ab ipso, cur actiones vnà cum personis suis in vno cerni speculo possint, in eodem etiam non possint scripti sermones, & scripta? Item quas diuisionis leges Magus ipse seruauerit in partienda speculorum repræsentatione? Nam si diuisionem fieri oportet per opposita membra, vt auctor est Aristoteles libro 1. de partib. Animal. cap. 3. hoc est quorum vnum non contineat aliud (vnde rectè ibidem Aristoteles negat, animantia diuidi benè posse ita *vt alterum natatione, alterum colore distinguatur.* Quia scilicet, quæ natatione componuntur, colorata sunt) Ergo confusè Paracelsus condiuidit hominum actiones, & gesta ab eorūdem scriptis sermonibus, verbis, consiliis, & ab iis, quorum calamo consignata sunt. Aristoteles.

Sed iste Magus vel stolidè promittit tāquam naturalia, quæ non stolidè tanquam apertè falsa repudiāda sunt; vel vafer illa inanium obseruationum multiplicatione, quasi plurium retium iactu incautos, pluribus peccatis amat illaqueare. Denique debuisset plura speculorum genera enumerare. Nam prætermisit neces, morbos, sanitatem, vitam, victoriam, bella, & alia, quæ plus distant inter se, quàm actiones, & scripta, & cætera, quæ tamen ille diuisit. Quare huic Mago dæmon, opinor, non aperuit omnia speculorum genera. Addidisset enim, & illud celeberrimum speculum. Quod, vt ait Natalis Comes libro 9. suæ Mythologiæ paulò post initium *apud Achiuos fuit pertenui filo suspensum, & ad aquam fontis ibi existentis demissum, in quo agri peractis prius sacrificiis de more eius loci, vel certam sanitatem, vel certissimam mortem ex afferentibus sese imaginibus intuebantur.* An hoc etiam dicent ei datum esse ex natura corporum mistorum? Vt scilicet non solum præterita, verumetiam futura, quæ ex liberis hominum consiliis, vt neces, Natalis Comes.

&

& cætera speculo mortales intueantur. Constat ergo hæc omnia fuisse arte dæmonis fabrefacta, non autem vlla causarum naturalium virtute.

Ex quibus vlteriùs sequitur, his non rectè responderi ab eo, qui diceret, talem esse speculorum naturam, vt solùm posita tali vel tali conditione, sua obiecta repræsentent, non autem alio modo. Vt v.g. posito quod artifex intenderit fabricare speculum Paracelso, quod intuens sit virgo, quod prima diei hora, & similibus. Non rectè inquam responderetur. Nam illa conditio nihil prorsus immutat agens, aut passum; neque eorum est applicatio. Ergo remanent idem in quantum idem. *Idem autem & similiter se habens idem semper natum est facere*, vt ait Aristoteles libro 2. de gener. & corrup. cont. 56. Vnde videmus in cæteris corporibus, si nihil siue passum, siue agens immutentur, eodémque modo inter se comparentur, nullam aut nouã existere actionem, aut veterem deperdi. Nam si hic philosophandi modus valeret, quodlibet fieri posset ex quolibet posita tali conditione, vel tali. Nescio tamen quid huic argumento peculiare comminiscantur ij philosophi, qui vel concedunt nouarum relationum ortum ad termini positionem; vel de Angelo dicunt eandem speciem posita obiecti existentia ipsum repræsentare posse, vel alio simili modo philosophantur, de qua re infrà suo loco, cum eorum sententiam repudiabimus.

Aristoteles.

Disseritur de virgarum conuersione in serpentes. §. 6.

Colligitur tertiò, licèt illi dracones, quos Magorum operâ Pharao vidit, veri fuerint, vt dictum est; tamen non ita hactenus id dictum esse à nobis, ac si arbitremur eos vera virgarum in ipsos conuersione generatos fuisse. Scio enim controuersiam esse, Vtrùm ea fuerit vera conuersio, An non fuerit. Aliqui enim negant, vt Glossa in illum locum, Valentia 2. 2. Disput. 12. q. 6. p. 2. & alij viri docti. Fundamentum esse potest: Quia Angeli siue boni, siue rei virtus, non se extendit nisi ad motum localem, & ad applicanda passiuis actiua, vt est communis Theologorum sententia apud Gabrielem Vasquez in 1. 2. Disput. 218. & docet A. Doctor p. p. q. 100. art. 1. & 2. & nos dicemus suo loco. Ergo ex illis virgis non potuerunt tunc efficere Dracones Magi. Quoniam non poterant tunc tam breui spatio applicari actiua passiuis. Hæc enim suos effectus non gignunt, nisi per alterationes ac dispositiones præcedentes quæ tempus exigunt non momentum. Ergo quantumuis dæmones suam facultatem Magis impertierint, ij dracones effici ex prædictis virgis tunc verè nequiuerunt. Quare huic sententiæ conuenienter dicitur, diabolum non aduertentibus spectatoribus virgas subtraxisse, earúmque loco veros serpentes, virgis mole non impares, supposuisse, ídque tam subitò, vt Ægyptij spectantes crederent virgas illas in dracones mutatas fuisse. Cui rei quid simile etiam censet S. Augustinus libr. 18. de Ciuitate Dei cap. 18. cùm dicitur Iphigeniam Agamemnonis regis filiam in certam extitisse, aut socios Diomedis volucres factos, *Diomedeas autem volucres*, inquit, *quãdoquidem genus earum per successionem propaginis*

Glossa. Valentia. Vasquez. A. Doctor. S. Augustin.

A *durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed subtractis credo fuisse suppositas, sicut cerua pro Iphigenia Agamemnonis regis filia.*

Verumtamen quamuis vtro modo dicatur, perinde ad rem nostram sit; tamen vt hoc etiam obiter dicam, verior eorum mihi videtur sententia, quæ affirmat, re ipsa virgas abiisse in veros serpentes: Nam hoc primò docet S. Augustinus expresse libr. 3. de Trinitate cap. 8. & Theodoretus q. 18. in Exodum, vt paulò pòst referam eius verba. Et apertè asserit ex glossa Augustini A. Doctor q. 6. de pot. art. 5. ad 8. Nam vt ait A. Doctor ibidem *Scriptura nominat eodem vocabulo & virgas Magorum, & virgam Mosis, quam constat vere in serpentem fuisse conuersam.* Subdit autem, non fuisse miraculum, quia id factum est à B dæmone per quædam semina, *quæ habebant*, inquit, *vim putrefaciendi virgas, & in serpentes conuertendi.* Sanè probabile est reperiri huiusmodi semina ad rerum generationem, quæ dæmonum sagacitati perspecta sint. Sunt enim, vt ait ibi Augustinus cap. 7. & 8. & approbat A. Doctor q. 16. de malo art. 9. ad 10. *ex occultis elementorum finibus accepta*, quibus vsi sunt Magi Pharaonis cùm *fecerunt ranas, adhibendo quædam actiua naturalia.* Puto autem illa *ex occultis elementorum finibus* intelligi quasdam particulas elementis adC hærentes, quæ ipsi elementorum substantiæ affines sunt, & veluti illorum confinia. Vel certè ex finibus, nempe ex iis locis, vbi elementa copulantur; vbi scilicet aër, terra, aqua se contingunt. Ibi enim plurium animalium semina coalescunt, vel ab aliis animantibus relicta, vel ex putri materia conflata. Applicare autem potuit actiua, quæ nouerat dæmon exiguo tempore ad effectum efficaciora. Et ita oppositum argumentum dissolutum est. Moysis autem verè miraculum fuit, quia nullius causæ naturalis ministerio, sed Dei virtute factum est. Inter quod factum, & cætera Magorum rectè Theodoretus D q. 18. in Exodum assignat discrimen. Soluens enim quæstionem, quã proposuerat, Cur Deus Magis concesserit ab iis quædam signa fieri, quæ Moyses fecerat, respondit id factum esse, *Vt pateferet discrimen. Etenim mutabant illi etiam virgas in serpentes, sed virga Mosis illorum virgas deuorabat. Mutabant etiam aquam in sanguinem; Sed aquam in pristinam naturam reducere non poterant. Ranas quoque produxerunt; non tamen ab illis potuerunt liberare domos Aegyptiorum. Concessit itaque Deus incantatoribus vt hæc facere possent, vt Aegyptios castigarent: non tamen dedit illis, vt vltionem sedarent. Nam dum à Deo puniretur Aegyptiorum rex, non fuit contentus plagis à Deo illatis, sed præcepit incantatoribus vltionem augere. Itaque per eos Deus illum affligebat: qua-* E *si dixisset: Quia plecti te delectat, tuorum etiam seruorum operâ te castigabo, & per tuos te plectam. Cùm autem illum vehementius obdurari videret, hariolorum illorum facultatem cohibuit, vt qui maiora animalia; nempe ranas, antea produxerant, crabronem minutulum educere non possent; sed plagam illam esse digitum Dei confiterentur.* Et pergit alia in hanc sententiam optimè explicare. In qua tamen re obiter aduerte hæc Theodoreti verba longè post ipsum vsurpata esse à Michaële Glyca 2. p. Annalium. Ei enim prædicta verba tanquam eorum auctori ascribit Martinus Delrius lib. 2. Disquisit. Mag. q. 6. cum tamen is non auctor sit, sed transcriptor. Ea referam, vt scias lector furta latere non posse. Sic autem habet. *Et ipsi quidem virgas in serpentes*

S. Aug. Theod. A. Doc. S. Aug. A. Doc. Theod. Mich. Glyc. Delr.

serpentes commutabant. Verùm virga Moysis ipsorum virgas deglutiebat. Mutabant & ipsi aquam in sanguinem, sed immutatam semel naturæ priori restituere non poterant. Educebant & ipsi ranas, sed ab iisdem Ægyptiorum ædes repurgare non poterant. iisdem facultas erat Ægyptios vexandi, sed sedandi supplicij potestatem nullam habebant. Quin etiam ipsorum corpora Deus magis pustulis afflixit quam reliquorum, vt hinc manifestum fieret, non solum ipsos pœnas diuinitùs irrogatas inhibere non potuisse, sed etiam cum cæteris easdem supplicia pertulisse. Quæ omnia etsi rectè dicuntur, vt patet ex eius capitis septimi contextu, Deo sic ea omnia ad veritatem suæ gloriæ statuente; tamen citandus Theodoretus erat, non Glyca. tanquam huius sententiæ simpliciter auctor.

Concluditur hos effectus prædictos referendos esse in Dæmones. §.7.

COlligitur Quartò, euidenter conclusum esse, dari Angelos in rerum natura, vt ij effectus, quos nulli aut causæ naturali, aut etiam extra naturam, modò ad vnum determinatæ, dare possumus, ex Angelicæ naturæ præstantia prodeant, vt dictum est. Ad cuius rei fidem corroborandam longè plura, quæ nihilo minorem vim habeant, ex probatissimis auctoribus adduci possunt, vt de Diomedis sociis, & Iphygenia iam diximus. Alia nonnulla legi possunt apud eundem S. Augustinum ibidem, vbi etiam de Apuleij asino aureo. Innumerabilia etiam, eáque præclara, & quorum nonnulla nostro hoc tempore acciderunt, narrat copiosè Boissardus toto libro de diuinatione, & Martinus Delrius libro 6. Disquisit. Magic. cap. 2. præsertim sect. 3. q. 3. Inter quæ illud quoque videtur illustre diuinæ benignitatis, & dæmoniacæ tyrannidis argumentum, quod Grætij anno 1600. die 22. Martij, in Collegio nostro Societatis Iesu in conspectu Ecclesiæ gestum est. In quo chirographum cuiusdam adolescentis sanguine cōscriptum, ac dæmoni iam pridem traditum, mirantibus cunctis restitutum, & iussu Episcopi magno hominum concursu, & frequentia combustum fuit; Quæ singula tam euidenti argumēto rem hanc stabiliunt, vt dubitare, etiamsi velis, non possis, quin opera Angeli; nempe dæmonis, ea suo ordine acciderint. Legi etiam potest idem auctor libro 2. q. 18. Vbi quærit, Vtrùm homines in bestias possint dæmonis arte transformari; Idque rectè pernegat, aitque aliter sentienti anathematis imminere pœnam ex cap. Episcop. 26. q. 5.

S. August. Boissardus. Delrius.

Sermonem ignotarū linguarum in Angelos quoque referri oportere, non autem in species congenitas, aut in humorem melancholicum, &c. §.8.

COlligitur Quintò eum, qui variis ex improuiso linguis, quas nunquam didicerat, loquitur, nisi Angelorum virtute fari non posse. Atque vt omittam ea, quæ licèt Angelis bonis tribui debeant, tamen non repugnat, quin etiam

A Deo solo auctore fiant, quia turpitudinem nullam inuoluunt, Vt cùm ea, quibus nulla loquendi vis inest, locuta tamen sunt, vt de Asina Balaam Num. 22. de illa re, in qua Deus ad rubum incōbustum locutus Moysi fuit Exod. 3. de quodam iam interfecto Macarij iussu homicidam indicante libro 1. Exemplorum cap. 6. de venerabilibus Africæ confessoribus, qui persecutione Vvandalica radicitus abscissis linguis adhuc. clarè loquebantur; déque aliis multis apud Martinum Delrium libro 2. q. 19. Vt inquam hæc omittam, quæ cum possint in solum Deum referri, non ostendunt efficaciter dari Angelos, ea solùm in medium proferam, quæ cùm mala ex se sint, auctorem proximum causam aliquam creatam postulant. B Non tamen inter hæc annumero oracula, quæ apud Gentes dæmonum arte edebantur, vt suprà ex Trismegisto, & aliis monui. Quorum è magno aceruo illud inter celeberrima oracula fuit, quod narrat Valerius Maximus libro 1. cap. 8. de simulachro fortunæ, quod erat in Latina via ad quartum milliarium, eo tempore cum æde sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio vrbis, maternç preces repulerunt. Ait enim *non semel, sed bis locutum his verbis: Ritè me matronæ vidistis, ritè dedicastis.* Idem etiam narratur ab A. Doctore q. 6. de Pot. a. 5. in 3. argumento vt doceat, non fuisse miraculum, sed dæmonis opus. C Quo pacto administris Angelis asinam quoque Balaam fuisse locutam, docet eodem loco ad 3. Similia de serpente, qui Euam primam omnium hominum parentem decepit, docuit 2. 2. q. 165. a. 2. ad 4. & alibi. Rectè autem Lactantius libro 2. cap. 17. *Facilè se* inquit dæmones *in templis occulunt, & sacrificiis omnibus præsto adsunt, eduntque sæpè prodigia, quibus obstupefacti homines fidem commodent simulachris diuinitatis, ac numinis.* Nec cum capita abscissa loquebantur; quæ adeò certum est, non posse fieri ab vlla causa naturali, vt Aristoteles libro 3. de Partibus Animal. cap. 10. id quod apud omnes *in terra Caria* pro vero habebatur; nempe caput cuiusdam sacerdotis Iouis Olympij abscissum homicidam indicasse Cercidam D quendam, omninò negauerit, tanquam impossibile. *Sed fieri* inquit *non potest, vt caput præcisa arteria, & sine motu pulmonis loquatur, nec apud Barbaros, qui capita summa celeritate abscindunt, tale quid vnquam euenisse accepimus.* Non tamen Aristoteles videtur his verbis negasse absolutè, sed solum ex causis naturalibus, quia negat id posse contingere etiamsi celerrimè caput recidatur.

Num. 22. Exod. 3. Delrius. Valerius Maximus. A. Doctor. Lactantius. Aristoteles.

Hæc inquam non recenseo, ne nimium excrescat præsens disputatio. Solùm contentus ero iis, quæ quotidie videmus accidere in arreptitiis, vt quosdam hac in re aduersantes Philosophos, qui eam locutionem ex naturalibus causis esse censent, optimis rationibus redarguamus. E Primò quidem narrat Psellus libro de dæmonibus citato ex illo Marco, mulierē, nescio quam, quæ cum dæmone teneretur, Armenicè locutam, etiamsi Armenios vidisset nunquam, neque domesticis finibus esset egressa.

Psellus.

Simile huic est, quod expertum se testatur vir Medicinæ arte celebris Io. Fernelius libro 2. de abditis rerum causis cap. 16. de quodam nobilissimo Gallo, *qui* inquit Carpentarius Digressione 4. in Alcinoum, *inter nationis nostræ Episcopos mihi notus fuit, & quandiu vixit morum integritate bonis omnibus carissimus extitit, nupérque vita functus est.*

Io. Fernelius. Carpentar.

Hunc

Fernelius. Hunc narrat Fernelius ibidem, trium mensium spatio à dæmone vexatum, à præstantibus medicis, inter quos ipse Fernelius erat, curatum fuisse, vt Epilepticum ob frequentes, quibus corripiebatur, conuulsiones. Sed tamen *omnes* inquit Fernelius *longè aberamus à cognitione veri. Nam mense tertio primùm deprehensus est dæmon quidam totius mali auctor, voce, insuetisque verbis, ac sententiis tum Latinis, tum Græcis (quanquam ignorans linguæ Græcæ laborans) se prodens. Is multa assidentium, maximéque Medicorum secreta detegebat, ridens quòd eos magno periculo circumuenisset, quódque irritis pharmacis hoc corpus propè iugulassent. Quoties laborantem pater inuisebat, is procul à conspectu inclamabat. Appellentem huc arcete, & ab ingressione propulsate, aut torquem è ceruice detrahite. Ex hoc enim, vt Gallorum torquatis equitibus in more est D. Michaëlis imago propendebat. Si sacra, diuináque verba coràm legebantur, ferociùs subsultabat, & inhorrescebat. Cùm intermissio erat ferocia, laborans in quiete meminerat omnium eorum, quæ inuitum se protulisse fatebatur, & dolebat. Cæremoniis, & execrationibus compulsus dæmon negabat, se crimine damnatum, & spiritum se nuncupabat. Interrogatus quis esset, aut quomodo, & quæ hac tempestate moliretur, dixit multa esse sibi domicilia, in quæ se recondat, & in quiete ad alios demigrare; se in hoc corpus iniectum à quodam, cuius nomen non efferret; A pedibus ingressum in regiam, & à pedibus egressurum, cum præstitutus dies aduentarit. De aliis non paucis disserebat, quæ etiam ex aliis dæmonum laqueis irretitis interdum audiri solent.* Hæc Fernelius. Addítque, se hæc, non vt noua proferre, sed vt constet, dæmones aliàs intrò subeuntes in corpus, id ipsum variis & inauditis interdum modis lacessere; aliàs non intrò subire, sed vel vtiles corporis humores exagitare, vel noxios in principes partes traducere, vel hisce venas, aliósque ductus obstruere, vel instrumentorum structuras permutare; quibus ex causis morbi innumeri fiunt. *Horum* inquit *dæmones auctores sunt, scelerati, perditique homines ministri, omnísque eorum trans naturam est ratio.*

Lactantius. Quas etiam morborum causas priùs Patres indicarunt, vt Lactantius libro 2. cap. 15. *Qui* inquit dæmones *quoniam spiritus sunt tenues, & incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, & occultè in visceribus operti valetudinem vitiant, morbos citant, somniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, vt homines malis his cogant ad eorum auxilia recurrere.*

Cyprianus. Arnobius. Min. Felix. Idémque monuerunt S. Cyprianus, Arnobius, Minutius Felix, & alij, de quibus suprà dictum est. Hæc volui ex Fernelij ipsius verbis commemorare, cuius hac in re testimonium aduersariis suspectum esse non debet.

Carpentar. Aliud etiam narratur à Carpentario Digress. cit. huic quod ex Fernelio dictum est affine; De muliere quadam, quæ in agro Laudunensi *per multos menses à dæmone, statis tamen interuallis, & manifestis intermissionibus fatigata, multa loquebatur, & faciebat, quæ ad nostræ religionis confirmationem valdè pertinebant*, & cætera. Sed de variarum locutione linguarum mira sunt, & penè humanam fidem superantia, quæ passim à multis referuntur, quanquam virorum fide dignorum testimonio confirmata. Equidem cum Theologiæ iuuenis in nostro Romano Collegio operam darem, tale quidpiam multorum relatu accidisse memini; in quadam Ecclesia, prope montem Quirinalem, vbi dum dæmon in ænergumena quadam à sacerdote per Christum adiuraretur, vt ex illius corpore aufugeret, illa fœmina aduentantibus fortè nonnullis Collegij Germanici alumnis Germanicè cœpit loqui, cùm ne verbum quidem Germanum antea tenuisset. Sed res omnibus notas libens nunc prætereo.

Hos ergo loquendi modos, & similes effectus aio, ex dictis, vendicare sibi causam homine nobiliorem, quæ sit Angelus: Quod patet in eo nobili Gallo: Quia quod ille nobilis Gallus (idémque dictum volo de reliquis suo modo) loqueretur Græcè, & secreta panderet, non potest tribui humanæ naturæ, nec vlli causæ determinatæ ad vnum. Ergo debet tribui naturæ intelligenti, quæ sit homine superior: Non tamen Deo, quia ea causa, quæ loquebatur ignotis linguis, & aduentantem diuinabat, abhorrebat à signo Archangeli Michaëlis, & à verbis diuinæ scripturæ. Ergo ab aliquo Angelorum. Prima consequentia est certa ex dictis: Quia omnis effectus à nulla causa naturali, aut libera aut determinata ad vnum proueniens, intelligenti causæ ascribendus est, quæ sit homine superior. Antecedens probatur; &, quod nulli causæ determinatæ ad vnum, patet: Quia ordinatè loqui, ac sententiis vti, prærequirit in intellectu species ordinatas, atque in imaginatione phantasmata. Est enim sermo eorum, quæ sunt in animo nota, vt patet ex Aristotele libro 1. Periherm. cap. 1. Ergo opus est præfuisse causam disponentem, atque ea simulachra ordinantem. Non enim est ordinata locutio, si rerum imagines perturbentur in animo, vt manifestum est in amentibus, & in iis, qui orationem memoriter recitant, si confundentur imagines rerum dicendarum. Hęc autem causa sit oportet, intelligens. Ordinare enim, ac disponere nonnisi intelligentis est, cum sit actus rationis ad prudentiam spectans ex A. Doctore 2.2. q. 49. a. 6. & 7. Vnde Aristoteles ex vnitate ordinis, quo res inter se dispositæ sunt, ostendit libro 12. Metaphysices cont. 52. esse vnum Deum gubernatorem omnium rerum, vt etiam obseruat A. Doctor p. p. q. 47. a. 3. ad 1. Ergo ordo simulachrorum non erit à causa ad vnum determinata. Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles. A. Doctor.

Quod verò non sit à causa libera nempe à natura ipsa humana, eodem modo certum est: Quia eorum verborum, quæ nunquam nouit, non potest homo ordinatas, ac dispositas habere species in intellectu. Nam vt suo ordine disponantur in intellectu, prius oportet, earundem rerum simulachra ordinentur in imaginatione, vt certo constat experimento, & ratio manifesta suadet. Nam quorum imaginatio est perturbata, eorum intellectus nihil ordinatè concipit; Vt diximus manifestum esse in amentibus. At huiusmodi simulachra in eius hominis, quem diximus, imaginatione non possunt ordinari, quandoquidem ipsis, qui ignoto sermone fantur, eius sermonis simulachra non insunt; Quia verba, quibus res nominari oportet, ignorantur. Et ideò qui nunquam didicit Græcum idioma, aut characteres, Græcè loqui aut scribere nequit; quia eorum Græcorum verborum simulachris imaginatio cum careat, orationem eius idiomatis nescit mente contexere, ideóque ac multò minùs ore proferre, aut charta. Non ergo potest esse aut à natura humana huiusmodi locutio, aut à quauis alia causa determinata ad vnum.

Quæ argumenta adhuc euidentiùs concludant

dant in iis locutionibus, quæ vel ex capitibus à corpore resectis, vel è mortuorum cadaueribus promanarunt. Posterioris generis infinita propemodum exempla sunt. Illud vnum dicam, quod ex Platone commemorat Valerius Maximus libro 1. cap. 8. de Ere Pamphilio. Quem scribit Plato inter eos, qui in acie ceciderant, decem diebus iacuisse, biduóque, postquam inde sublatus esset, *impositum rogo reuixisse, ac mira quadam tempore mortis visa narrasse.* Cui etiam lubet addere aliud ex Phlegonte Tralliano Cæsaris liberto, qui in libello de mirabilibus, & longæuis tradit ex Hierone, Polycritum Ætolarcham quarto die post ductam vxorem Locridem obiisse. Tandem cum eius vxor *infantem binis pudendis peperisset masculino & fœminino*, & cætera, *perterritique propinqui fœtum in forum protulissent*, dum hac de re à sacrificulis consultatur, *subito Polycritus mortuus in concione extitit prope infantem atra amictus veste.* Iubet bono esse animo, *posteà summissa voce ita infit. Ego ciues*, & cætera. Quibus verbis futura ciuitati imminentia mala prædixit. Quæ nonnisi auctore dæmone fieri adeò ex dictis certum est, quam quod certissimum. Prioris verò generis illud mirabile est apud Antonium Confinium libro secundo Historiæ Hungaricæ Decade tertia, vbi narrat anno circiter tertio post fugatum exercitum, acceptámque à Turcis cladem, auditum esse inter cadauerum ossa subindè vocem ab iis, qui in eum campum descenderant, *Iesu Christi saluatoris, & Mariæ virginis nomina inuocantem:* loquaxque inter ea cadauera caput inuentum, quod dixit se Christianum esse, inconfessúmque in bello occidisse, ac beneficio Beatissimæ Virginis vsque ad illud tempus seruatum esse, vt delicta apud Sacerdotem ritè confiteri posset. Proinde Sacerdotem euocatum è proximo pago Pœnitentiæ Sacramento eius crimina expiasse, dixisséque insuper, se in vita semper maxima septem festa Virginis veneratione celebrasse, &c. Constat ergo, quod diximus, ea argumenta multò magis ostendere hæc ab Angelica natura, non autem ab humana, aut à quacunque causa ad vnum determinata esse profecta. Neque enim aut loqui mortuus, aut eius animus subire iterum suum corpus potest, & species rerum recuperare, quibus exerceatur locutio per corpus. Signum ergo euidens est, illud fuisse dæmonis, hoc Angeli opus. Quandoquidem illud non potuit esse à Deo immediatè solo, cum esset ad falsę religionis testificationem, ergo à Dæmone. Hoc verò est Angelo tribuendum, vt causis creatis, quoad fieri potest, effectus tribuamus. Id enim postulare rectum philosophandi ordinem, sæpè iam diximus, & sæpius repetetur.

Plato. Valerius Maximus. Phlegon. Trallianus. Hiero. Antonius Confidius.

Ex quibus vlteriùs duo intelligi possunt. Alterum, aduersus Leuinum Lemnium. Alterum, aduersus Pomponatium, Cardanum, & alios quosdam relatos in Parte negante suprà. Nam quod attinet ad primum, Leuinus cum nesciret, quo pacto explicari posset, externi sermonis ignarum ex improuiso vti eo sermone, ac si illi familiaris esset, secutus Platonis sententiam dixit, humore melancholico excitari notiones rerum. In qua re dupliciter labitur. Primum quidem in eo, quod concussionem notionum fieri vult melancholiæ concussione. Quo nihil esse potest absurdius: Nam primò constat, in aliis, qui arreptitij non sunt, sępe huiusmodi humorem commoueri, non tamen concuti notiones ad aliena idiomata. Imò rarò, & ferè nunquam, ac paucissimis accidere, quod ignoto sermone, reconditisque sententiis eloquantur. Sanè omninò incredibile videtur in tanta, ac tam varia eius humoris commotione, eam locutionem in vno, aut altero contigisse. Vt loco miraculi habeatur, cum tale quid accidit. Addo etiam & validius, esto sint ingenitæ hæ notiones, & eo humore concutiantur; Quæro quę causa sit, quæ illas imagines ordinet ad benè ac compositè loquendum, adeò vt alius etiamsi ingenio, ac memoria polleat, longo ac diuturno labore, in aliena lingua tantum facundiæ assequi non possit: vt experientia constaret, si quis ad eam rem omnem suam operam nauare vellet.

Leuinus Lemnius. Pomponatius. Cardanus. Plato.

Deinde errat Leuinus, qui animo ingenitas ac insitas rerum imagines, quæ ex obiectis per sensus animo ingenerantur, censet: Nam si Platoni subscribit in eo, quod hominis animus ante creatus sit, quàm suo corpori iungatur, essatis Christianę fidei contradicit, vt rectè id probat Valentia p.p. disp. 6. q. 8. p. 2. & Theologi vnà cum A. Doctore p.p. q. 90. a. 4. Quamobrem S. Leo ep. 93. ad Turibium cap. 10. aduersus Priscillianistas, qui contra sentiebant. *Eos Catholica fides*, inquit, *à corpore sua vnitatis abscidit, constanter prædicans, atq; veraciter, quod anima hominum, prius quam suis inspirarentur corporibus, non fuere.* & ideo S. Augustinus hunc errorem, quem aliquando significasse visus est libro 1. De animæ quantitate cap. 20. explicat, ac damnat libro 1. Retract. cap. 4. 8. 18. De qua re legendus est Carpentarius in Alcinoum de Doctrina Platonis Digressione 10. atque ea quæ nos infrà dicemus q. 51. a. 1. aduersus Origenem & Platonicos. Si verò putat Leuinus, has prædictas species ingenerari animo, dum in suo corpore creatur à Deo, proptereà quòd nexu corporis obscuratur, vt aiebat Plato. Primò quidem aduersatur Peripateticis ferè omnibus, qui vnà cùm Aristotele iamdiu, ac sæpius eam opinionem iugularunt, vt patet ex libro primo Metaphysices ab initio, & libro secundo Post. capite vltimo, & libro primo Post. context. comm. 4. Hinc libro tertio de Anima cont. 14. animam comparat tabellæ, in qua nihil sit conscriptum, & cont. 17. & 18. de eius intellectu ait. *Esse potestate omnia, & omnia fieri.*

Valentia. Theologi. A. Doctor. S. August. Carpentar. Leuinus. Peripatetici. Aristoteles.

Aduersatur etiam Theologis, qui negant, has rerum imagines congenitas. De qua re A. Doctor p.p. q. 84. a. 3. & 4. & q. 10. de veritate a. 5. & libro 2. contra Gentes cap. 83. Rationibus etiam Peripateticorum validè confutatur; quas nunc breuiter indicasse, satis sit. Primò, quia nulla forma, quæ animo indita sit à natura, impeditur ob naturalem nexum eiusdem animi cum suo subiecto. Etenim tantum abest, vt subiectum impediat facultates suæ formæ, vt potiùs eę in suo subiecto aptè, & congruenter suę naturæ exerceant suas functiones. Vt ignis forma in subiecto connaturaliter calefacit, anima bruti appetit, & cætera. Si ergo animo inditæ sunt species, ac rerum scientiæ, iis subiectum corpus non deberet esse impedimento, ne suos intelligendi actus obirent. Nam, vt ait Aristoteles libro secundo Posteriorum, capite vltimo. *Si quidem habemus ipsos*, nempe habitus, *inconueniens est. Contingit enim habere certiores cognitiones demonstratione, & latere.* Causa huius est, quam docet Aristoteles libro de incessu ani-

A. Doctor. Aristoteles.

su animalium capite 10. Quia scilicet *Natura nihil temere facit, sed omnia ex iis, quæ fieri contingunt ad id quod melius est.* Quæro etiam, cur abditarum scientiarum non recordamur concusso humore?

Nec dici potest latere, quousque imaginatio suis phantasmatis perficiatur. Quemadmodum licet habitus principiorum insitus à natura intellectui sit, tamen eius actus impeditur, quousque puer rerum sensilium simulachra adeptus sit. Hoc enim eius habitus natura postulat, vt in corpore nonnisi operante imaginatione suo munere intelligendi fungatur. Similiter & scietiæ, quas Plato insitas docuit, & cætera. Hoc inquam non rectè dicitur? Nam ille habitus non est perfectus sine speciebus, quæ acquirantur in facultate intelligente. Hæ autem species acquiri non possunt sine phantasmate in imaginatione, virtute intellectus agentis, vt sæpè infra dicturi sumus suis locis. Hinc ergo intellectus habitu principiorum perfectus non potest exire in actū, quia complendus quoque est iis adminiculis, ex quibus ipsa natura organa in corpore parauit. At illi habitus Platoni sunt completi, nec corpore egent, vt prodeant actus, qui perfecti essent, si corpore obscurati, non impedirentur.

Plato.

B

Quòd si dicant, non esse perfectos, sed egere phantasmate. Contra hoc est: Quia sensibus, & experimento fiunt noui, vt optimè docet Aristoteles libro 2. Posteriorum cap. illo vltimo. Quare non est, quòd illi sine vllo fine imprimantur. Deinde etiam idem patet: Quia habitus facultatibus insiti constantiam illis ac firmitatē præbent, vt semper eodem modo, ac sine errore operentur, vt patet in primis principiis, & in iis, qui iam habitus scientiales adepti sunt. Ergo pari modo si essent ij habitus, statim constanter operaremur, vbi primum notiones rerum obiectarum proponerentur. Vt si quis diceret *animum esse immortalem*, statim illi enunciationi assentiretur, quicunque eam propositionem audiret, sicut quicunque sciens, animam esse immortalem, illicò assentitur, cùm profertur. Quo pacto rectè dixit Aristoteles libro 2. Ethicorum cap. 1. Si virtutes essent naturales, nullus labi posset in turpia, quia honestè ex virtute semper ageret. Nihil enim *aliter, quam natura comparatum sit*, inquit, *vnquam assuescet*. Vt nunquam terra sursum ferri assuescere potest, vt suprà dixerat eodem capite Aristoteles. At hoc videmus esse falsum frequenti hominum experimento. Quandoquidem nec magno totius vitæ labore perfecta scientia comparatur, nec habita diutius retinetur. Rectè enim S. Augustinus libro 12. de Trinitate cap. 14. *Ad quas* inquit intelligibiles rationes *mentis acie peruenire, paucorum est; & cum peruenitur, quantum fieri potest, non in eis manet ipse peruentor, sed veluti acie reuerberata ipse repellitur, & fiet rei non transitoriæ transitoria cogitatio.* Denique quia Platonis sentētia non solido fundamento stabilitur: Nam putat, nostram scientiam idem esse atque reminiscentiam, vt patet in Phædro, Phœdone, & Menone. Quod apertè falsū est. Vt enim benè notat Themistius libro de Memoria & Reminiscentia capite 13. Cùm reminiscimur scimus eius rei nos priùs cognitionem habuisse. Hoc enim est reminisci. *Quia ipsum reminisci* inquit Aristoteles cap. 4. libri de memoria & reminiscentia, *est syllogismus quidam. Quod enim priùs aut vidit, aut audiuit, aut aliquid huiusmodi passus fuit, ratiocinatur reminiscens.* At quis vnquam in se expertus est, dum addiscit aut à Doctore, aut accurata consideratione, se recordari eorum, quæ addiscit? Equidem post tam multos annos, ex quibus Philosophiam, ac Theologiam aut discere aut docere cœpi, nunquam memini, me quicquam eorum cognouisse, quæ primùm cogitatione complexus sum.

Aristoteles. C

Carpen. Leuinus. Peripat. Aristot. D

S. August. E

Plato.

Themistius.

A

Notandum tamen hìc est, cùm negamus species rerum esse animo insitas, nos intelligere eas, quæ ex obiectis sensuum per sensus ipsos in animo formantur, siue eæ sint particularium obiectorum, siue vniuersalium, quæ ex particularibus abstrahuntur, vt Petri, Pauli, hominis, leonis, entis, & cætera: Nam si quæ sunt aliæ, quæ immediatè, ac proximè subseruiunt cognitionibus primorum illorum principiorum, alia quæstio videtur esse, *vt omne totum est maius sua parte, De quocunque verum est dicere esse vel non esse*, & similia. Quæ quæstio infrà examinabitur non solùm ob Platonem, & reliquos Academicos, verùm etiam ob plurimos Peripateticos, atq; adeo Aristotelem ipsum, qui aliquas rerum species animo congenitas esse, non videntur negasse, vt eo loco copiosiùs dicetur. Argumenta verò facta solùm militant in eas, quæ ex obiectis particularibus, siue particularium sint imagines siue vniuersalium: Quia horum nulla est reminiscentia, & constat de nouo in intellectu gigni. Idque sibi postulabat Leuinus concedi, dum docuit, excitari rerum notiones ad rerum particularium sermonem.

Leuinus.

Alterum, quod aduersus Pomponatium colligimus, est, ipsum errasse vehementer in eo, quod existimarit, hos effectus reduci posse in Intelligentias cœli motrices. Nam cum videret nullam esse causam in natura vniuersa, retulit in causas intelligentes, ac liberas, non tamen in alias, præter ipsas Intelligentias, quas solas dari arbitratus est, vt vidimus suprà. Peccauit autem vehementer non solum in veram Philosophiam; sed quod caput est, in veritatem sacrosanctæ nostræ fidei. In Philosophiam quidem: Nam Intelligentiæ, quæ cœlum rotant, eorum, quæ diximus, operum; nempe locutionum ex ignotis linguis, non possunt dici effectrices causæ, nisi applicando species intellectui, & simulachra phantasiæ, vt ex iis sermo ille ab eo prodiret ordinatus. Quæro autem à Pomponatio, an intelligentiæ, quæ cœlo assident, hæc effecerint distantes, an propinquæ? Non propinquæ, quia cœlo rotādo sunt destinatæ. Et ideò Aristoteles eas voluit esse in medio circulo, quem mouent, vbi maximè apparet eius motus lib. 8. Physicorū, cont. octuagesimoquarto. Adeóque eo tantùm munere occupari existimauit, vt pro diuersitate, ac numero circulorum, earum diuersitatem ac numerum constituerit libro duodecimo Metaphysices à contextu quadragesimotertio, vt suprà diximus. Quasi id tanquam firmum posuerit, nullum aliud eas subire posse munus. Ideóque eodem libro contextu trigesimo, vt etiam suprà diximus, si eæ cœlum non mouerent, earum *nulla esset*, inquit *vtilitas, ne quidem si perpetuas substantias faciamus.*

Pōponat. Aristotel.

Sequitur ergo, distantes esse ab his effectibus. At si distent; Quo tandem modo eorum causæ dicentur? Quia causæ creatæ in distans operari nequeunt. Præterea particularibus effectibus particulares

particulares assignandæ sunt causæ, si hoc commodè fieri possit. Quam ob causam meritò ab Aristotele arguitur Anaxagoras, qui vt superiore Difficultate diximus in tertio *Colligitur* in effectuum causis affirmandis, vbi dubitare nonnihil de causa poterat, ad intellectum recurrebat. Ergo non est quod Pomponatius confugiat ad Intelligentias motrices. Quæ causæ Aristoteli sunt generales: Quia non aliter Aristoteli in hæc infima vim suam influunt cæteræ intelligentiæ summo Deo inferiores, nisi secundum rationem mouentis & finis, vt optimè obseruauit A. Doctor p.p. q.50. art.3.c. Cuius rei rationem reddit eadem p.p. q. 110. art. 1. ad 2. optimam. *Quia Aristoteles non considerauit*, saltem vt plurimum, *aliquas operationes in inferioribus corporibus exerceri, nisi naturales, ad quas sufficiebat motus corporum cœlestium.* Aristoteles enim naturæ genius omnia ad causas naturales referebat, & cum eas causas afferre non poterat, negabat ferè eos quoque effectus, quos hominum generalis consensio confirmabat, vt suprà vidimus de execti capitis locutione. Denique contra est: Quia illi effectus arreptitiorum, & similium ab ea causa prouenire debent, quæ Deum oderit, & eius imperio, quantum in se est, refragetur; & ideò, vt diximus, Deum solum auctorem habere non possunt. At intelligentiæ illæ cœli beatæ sunt, ac proinde eiusdem Dei voluntati quam maximè addictæ, ergo non possunt eorum effectorum esse causæ. Verum ergo est, Pomponatium in veram peccasse Philosophiam.

Aristoteles. Anaxagoras. Pomponatius. A. Doctor.

Quòd verò in fidem Catholicam peccet Pomponatius, patet multifariam. Primò quidē quia absolutè ait, non oportere ponere hominum custodes nec Genios; cùm tamen nihil magis oporteat; si diuinis literis vlla fides habeatur. In quibus habetur: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* de qua re A. Doctor, & Theologi p. p. q. 113. & Thesaurus Catholicus longa seriè ex scripturis, & omnibus Patribus libro 4. de Angelis art.3. & deinceps. Præterea peccat, quia ait: *nihil opus esse dæmonibus*; cùm tamen certum sit, Dæmonibus homines impugnari, cùm dicat Petrus Apostolus in sua prima epistola cap.5. *Aduersarius vester Diabolus circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Quam ob causam ingens aduersus illos est nobis colluctatio, vt fusè etiam probat A. Doctor q.114. ibidem, & Thesaurus Catholicus eodem libro art.6. Sanè Ambrosius ad Ephes. cap. 6. in illud: *Non est nobis colluctatio*, &c. ait omnium tentationum quæ à perfidis hominibus ingeruntur, originem, in principem Diabolum esse referendam. *Certus Apostolus*, inquit, *quia exitia quæ à perfidis Dei famulis irrogantur, auctore Diabolo ministrantur.* Tertiò peccat, dum ait, Genios esse bonas vel malas genituras; Quibus indicat apertè, ex die, & hora Natiuitatis; fortunam hominis, ac euentum esse pronunciandum; idque ab Astrologis præcognosci, ac prænunciari posse, vbi tribuit non solùm maiorem, quàm par sit, astris efficientiam in euentus humanos, verùm etiam id ait, ab hominibus ac vatibus cognosci, quasi aliter esse non possit. Quod tanquam errorem ab Ecclesia Patrum, Scripturæque sacræ testimoniis damnatum reiicere, aliis non infimi nominis auctoribus cura fuit. Rectè autem aduersus horum deliria disputauit noster

Pomponatius. 1. Petri 5. A. Doctor. Ambrosius. Ephes. 6.

A Pererius in Genes. lib. 1. cap.1. vers. 14. disputatione integra aduersus Astrologos. Quartò maximè errat in fidem Catholicam Pomponatius illis verbis: *Custodes etiam hominum sunt ratio ac sensus.* Quasi existimet, his hominem sufficienter ad finem regi, ac gubernari sine diuinæ gratiæ auxiliis posse: Quod omninò hæreticum est, cum vix pares habeamus vires ad aliquod bonū morale perficiēdum. Id quod ex instituto ostenditur 1.2.q.109.art.9. vbi egregiè noster Gabriel Vasquez, Valentia, & alij recentiores.

Pererius. Pomponatius.

Tandem illa, quæ subiicit; nimirum: *si est resurrectio*, ipsam esse naturalem, & posse arte procurari, satis manifestè declarant contaminatum ipsius spiritum. Primò enim dubitanter loquitur *si est resurrectio*. Quod Catholico, qui vndecimum Apostolici symboli articulum nouerit: *Carnis resurrectionem*, nefas omninò est. Præterea quia licèt eorum, qui obierunt, in vitam reditus dici ex parte possit naturalis; nempe ratione animæ, & corporis, quæ vniuntur; tamen simpliciter dici debet supernaturalis ex parte principij, cuius virtute fit, vt ex doctrina A. Doctoris p.p.q.105.art.7.ad 2. & fusiùs libro 4. contra gentes cap.91. Et falsum est reperiri artem; qua possit quis partem materialem corporis in cineres penitus dissolutam integram restaurare; atque in ipsum animum iam vel in cœlo, aut alibi degentē, potestatem ac iura dominij exercere. At ille, quàm se hæc *vt Peripateticum* dicere profitetur? Quasi minus aberret à Peripatetica doctrina, quàm à Catholica veritate. Nam aut legit quæ Aristoteles scribit in lib. Postprædic. cap.1. de oppositis cùm ait: *Ex habitu in priuationem mutatio fit; à priuatione verò ad habitum impossibile est*; *Neque enim cæcus factus aliquis rursus vidit.* Vnde illa trita inter Peripateticos propositio extitit. *A priuatione ad habitum non datur regressus.* Eritne ergo inter Peripateticos is, qui cū primis Peripateticorum principiis sciēs ac prudens pugnare non veretur? Aut ea non legit. At Peripateticus nō est, qui Peripateticorum scita, quæ cunctis obuia sunt, ignorat. Quod autem in peroratione addit, se omniàque sua subiicere correctioni Ecclesiæ; nescio an satis ad malorum medelam. Certè verebuntur multi, nec iniuriâ: ne potiùs eiusmodi verba suo errori velamen obtendant, ne deprehēdatur dolus; quàm vt aperti errores Ecclesiæ Catholicæ iudicio; hoc est ipsius veritatis legibus vindicentur. Scilicet! qui vbique in toto illo opere Spiritus sancti diuina effata proculcare visus est; is credendus Ecclesiæ iudicio se submittere. Quare; quid aliud exspectare ab Ecclesia posset, quàm vt atramento à principio ad finem eius operis superinducto, omnes eius paginæ, cunctæque in omnem posteritatem lineæ deleantur?

B C D A. Doctor.

E Colligitur sextò contra Petrum Aponensem, Hieronymum Cardanum, Pomponatium, & si qui sunt alij, eos apertè falli, cum putant; sermonem illum incognitum humore melancholico excitari. Falluntur autem euidenter. Quia concusso illo humore non esset maior ratio, cur non etiam excitentur homines ad rerum notitias planè reconditas, & mortalium intellectui nondum notas, adeò vt de lignorum naturis, de abditis rerum causis, de lapidibus ac metallis, de cœli siderúmque corporibus, motibúsque disceptent. Si enim possunt linguam nunquam antea perspectam proferre; cur non & alias has rerum

Petrus Aponensis. Cardanus. Pomponatius.

nemini

nemini notarum disciplinas tradere, atque eulgare? Addo etiam vltra argumenta, quibus vsi sumus paulò ante contra Leuinum, rationem planè conuincentem. Quia si in motione eius humoris solueretur lingua ad loquendum ignoto idiomate in iis, quos à dæmone teneri dicimus, certè id fieret interueniente naturali motu instrumentorum, quæ ad loquendum hominis natura formauit. Locutio enim à quocumque humore fiat, si hominis verè sit, nonnisi per instrumenta linguæ, & cæterorum ad vocis formationem fabricatorum fieri necesse est. Alioqui eodem modo dicere possent, humore melancholico effici, vt homines clausis oculis, & sine vllo lumine naturaliter res extrinsecus obiectas videant, ambulent sine pedibus, occlusis auribus audiant, sermonem sine voce proferāt, & his complura similia. Cur enim hæc omnia humori melancholico ascribenda non essent, si pro arbitratu licet philosophari? At huiusmodi homines plerunque loquuntur, non modo lingua immoti, & interdum lingua extra os prominente ad mentum, sed etiam ore prorsus occluso. Ergo non erit illa locutio hominis, sed alterius in eo latentis, ac proinde alicuius substantiæ intelligentis, quæ nostros obtutus suis præstigiis eludat.

Aponensis. Cardanus. Pomponatius.

Quod verò ait Aponensis, curato huiusmodi humore, homines ad pristinam restitui conditionem; Quod etiam probare videtur illa Cardani & Pomponatij curatio, quam retulimus; solùm ostendunt; si vera sunt; dæmones quosdam humore illo melancholico delectatos, eo humore vi medicamenti deiecto ipsos quoque recedere. Quemadmodum etiam nonnulli, vt Porphyrius & alij apud S. Augustinum libro 10. de Ciuitate cap. 19. contendebant dæmones cadauerinis nidoribus delectari, licèt id negetur à S. Augustino ibidem. Vel etiam, vt ait Carpentarius Digressione illa 4. ipsos fingere, cogi se ad cedendum medicamento, vt hominibus facilius imponant, suámque naturam magis occultent, aut modum eum simulent, secūdùm quem in nonnullorum animis diutius regnant. *Itaque cedit*, inquit, *aliquando medicamentis, aliquando verò resistit, & in his propinandis medicorum diligentiam irridet. Quemadmodum nonnunquam leuioribus excretationibus deiicitur. Alias verò vel omnium maximis resistit, atque cunctatum, se nescio quod præstitutum tempus exhibet.* Sicut animaduerti potest in historia ex Fernelio cōmemorata. Et in altera, quam narrat idem de muliere in agro Laudunensi, vt antea dicebamus. Nam dum humorem illum Medici purgare vsu Antimonij conabantur, nouum carnificinam in illam mulierem exercuerunt. His etiam addo, quæ Martinus Delrius docet libro 2. Disquisitionum Magicarum q. 27. sect. 3. optimè animaduersum à Medicis Conr. & Valesio, frequentius à dæmoniis inuadi eos, in quibus bilis atræ maior est copia. Quia succus iste in primis idoneus est, vt homines in furorem, & insaniam vertantur; quod dæmones optant. Ideò atrabiliariis maximè insidiantur, & morbos vt plurimum afferunt melancholicos. Vnde consequitur quod cùm corporalem materiam non possint transmutare nisi actiua passiuis applicando, malè illos habere, si corporeis huiusmodi rebus adhibitis, dispositi . . . . corum malitiæ ac dolis aptæ expellantur. Vnde etiam ait licere obsessis petras vel herbas natura efficaces gestare, & cætera.

Porphyrius. S. August. — Carpentarius. — Delrius. — Conradus. Valesius.

Maior in Cardano pietas exigitur, ac de defectu oraculorum. §. 9.

Cardanus.

COlligitur vltimò, in Cardano desiderari non solùm pietatem Christianam, verumetiam veritatem philosophicam posse, cum illa duo non vereatur affirmare, Primum dæmones non esse. Quod asserit, non vt Christianus, sed vt Philosophus. Deinde oracula non desiisse, Christi seruatoris aduentu. Ac primum quidem præter ea, quæ modò in ipsum attulimus; si partem affirmantem secutus esset, rectè & vt Christianus & vt Philosophus sensisset; nunc verò quia contra vtramque veritatem, dæmones esse negauit, sicut verum est, ipsum non vt Christianum esse locutum; ita falsum est vt philosophum probè opinatum esse. In eo autem, quod dicit de oraculis, omninò fateor desiderari, vt superiore quæsito Difficultate vltima in fine dicebam, in Cardano & maiorem Christianę pietatis significationem, & minorem in philosophando licentiam. Ne inter Christianos sint, qui eius rei, quam veritas extorquet à nostræ religionis hostibus, fidem atque auctoritatem eleuare conentur. Hoc enim & Gentiles, & qui à Christiana religione defecerunt, atque adeò dæmones ipsi veritatis euidentia coacti apertissimè fassi sunt. Nam Porphyrius apud Eusebium libro 5. de Euangelica præparatione c. 1. quasi odio in Christum exardeat ob diuinorum, vt ipse putabat beneficiorum cessationem, sic odiosè conqueritur. *Nunc verò mirantur*, inquit, *si tam multis annis ciuitas peste vexatur, cùm & Æsculapius & alij Dij longè absint ab ea. Postquam enim Iesus colitur, nihil vtilitatis à Diis consequi possumus.* Hæc ille. Plutarchus etiam eadem de re pluribus disputat in libro de temporibus & causis, quibus regnante Tiberio Cæsare oracula defecerunt. Tandem refert Nicephorus Calistus libro 1. Histor. Eccles. cap. 17. Cæsarem Augustum post Christum natum, maximo sacrificio, quod Hecatombe dicebatur, Pythio Apollini instituto, quæsiuisse ab eo; Quemnam in Romano Imperio successorem esset habiturus. Cùm autem is consultus nihil responderet, illum iterato sacrificio causam silentij scire voluisse; tunc denique ab Apolline sic esse responsum.

Porphyr. Eusebius. — Plutarch. — Nicephor. Calistus. Augustus Cæsar.

Me puer Hebræus Diuos Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristémque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

His auditis Cæsarem, ait Calistus in Capitolio aram construxisse, cum hac inscriptione ARA PRIMOGENITI DEI. Quæ si Cardanus vel vidisset, vel considerasset, certè non tam liberè hanc veritatem inficiatus esset, si manifestæ impietatis notam apud rectè sentientes subire noluisset. Sed libet etiam, vt huius farinæ homines vehementius non solùm hostium nostrorum, sed etiam sanctorum, doctissimorúmque Patrum iudicio reuincantur, adiicere; virtutem impediendorum dæmonum, ac reprimendorum oraculorum, non solo Christi aduentu, hoc est dum Christus inter mortales mortalem vitam duxit, extitisse; sed quod magis est, in martyrum extincta corpora, in ipsúmque viuificæ crucis

Stephani Bubali de Angeio.

crucis signum ab eodem deriuatam esse. Qua in re maius lumē eorum oculos perstringet, quam vt abigi ab ipsis possit. Nobilis est historia apud S. Ioannem Chrysostomum in libro contra Gentiles de Daphnidis oraculo, quod ferre non potuit vicinum sepulchrum Babylæ martyris; neque eo illic permanente quicquam futuri respondere. Ibi enim Chrysostomus longè post medium eius libri ait, Iulianum apostatam, instaurato Idolorum cultu, ab eo oraculo magnis adhibitis sacris petiuisse, vt sibi iis de rebus, quas animo agitabat responsum daret. At ille dæmon, cum multis ante diebus tacuisset ob vicinum martyris sepulchrum, cauit *ne in eum sermonem declinaret, vt apertè testaretur per sanctum Babylam, ac vicinorum virtutem obstructum sibi esse os, ac propterea loqui nequaquam posse. Nimirum veritus, ne cultoribus suis ridiculus fieret.* Respondit tandem, *locum cadaueribus scatere; id quod oraculum arcet.* Quapropter Iulianus iussit, inde transferri martyris corpus. Quo translato Daphnidis templum illicò, Deo sic volente, conflagrauit. Quam conflagrationem mirè descripsit eo loco Chrysostomus, causamque eius incendij docuit esse, quod non benè sibi consuluerit dæmon, dum Iuliano persuasit martyris præclarissimi ossa inde asportari, & cætera. Item de signo crucis Lactantius libro 4. cap. 17. *Quanto terrori sit dæmonibus crucis signum, is sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cum inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominúmque mentes emotas, & malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat; ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus, & nomine magistri sui, & signo passionis excludunt. Cuius rei non difficilis est probatio. Nam cùm Diis suis immolant, sacra nullo modo litant, nec responsa potest dare consultus vates.* Legi potest noster Iacobus Gretserus, qui copiosè virtutem crucis aduersus dæmonum insidias, ac veneficia commemorat. Præsertim tom. 1. lib. 2. cap. 24. Vbi pontes, ianuas, terminos, columnas, aliáque loca vel idololatria, vel veneficiis polluta, vel dæmoniis infesta, erecta cruce expiari docet ex Patribus, & aliis; & multa deinceps de viis publicis, de nauibus, déque multis aliis, quæ crucis signo tuta redduntur. Nec plura de his.

Chrysost.
Iulianus Apostata.
Lactantius.
Iacobus Gretserus.

QVÆSITVM TERTIVM.

Vtrùm Angeli sint substantia sua incorporei.

Angelos esse non solùm qui cœli motores sunt, quos nimirum ex eiusdem cœli motu deprehendimus; sed etiam complures alios, Catholicis, & Philosophis, & certa demonstratione ex effectis, quæ reduci in aliam causam non possunt, hactenus ostensum est. Nunc ad Quæstionem quid sint Angeli veniendum rati, examinamus, an eorum substantia penitus omni corpore vacet. Quæ quæstio Quid sit, Quæstionem An res sit Aristotele teste subsequitur proximè. *Cùm enim cognouerimus* inquit libro 2. Poster. Analyt. cont. 2. *Quod est, quærimus quid sit.* Cùm autem ex dictis constet, Angelos esse substantias homine perfectiores, proximè quærimus, an sint corporati, an non. Quæ summo generi substantiæ differentiæ sunt proximæ: quandoquidem nullo interposito gradu eam diuidunt: Hanc autem Quæstionem non tractauit ex instituto A. Doctor; sed solùm dum supponit, se nomine Angeli intelligere substantiam incorpoream, ostendit art. 1. tales substantias incorporeas dari, quæ Angeli sunt, vt fusiùs obseruauimus suprà a. 1. in eius explanatione. Verùm est tamen, satis etiam ab ipso probari, Angelos esse substantias omninò incorporeas, cum in a. 2. ostendit, eos esse sine vlla materia, propterea quod intellectuales substantiæ sunt, quæ ad suam operationem, nempè ad actum intelligendi, nullo modo indigent corpore. Quam rationem in præsenti materia optimam, copiose ostendemus a. seq. dum idem A. Doctoris argumentum validissimum esse confirmabimus ex certissimis Peripateticorum principiis. Nobis autem nunc ad vberiorem doctrinam propositum sit, planè ostendere, Angelos esse substantias omninò incorporeas. Id autem examinari oportet in SS. Patrum, Philosophorúmque sententia tum ad rationem naturalem reuocabimus Quæstionem. Ac tandem multa in rem nostram ex A. Doctoris ratione deriuabimus. Nunc verò initium ducatur à Patribus. Sit ergo

Aristoteles.
A. Doctor.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Vtrùm Angeli Patrum sententia sint omnino incorporei. Et quid Catholico sentiendum sit.

Anceps Patrum hac in re opinio fortasse videbitur ei, qui diuisos Patres aliquo modo in vtramque partem animaduertit. Nec recẽtioribus satis fuit asserere, Augustinum Theologorum in primis magistrum hac in re fuisse perplexum, sed volunt etiam omninò Angelis vera tribuisse corpora. Vtrùm autem meritò, an falsò id dixerint, examinandum.

Augustin.

Referuntur ij Patres qui Angelis corpora attribuere videntur. § 1.

Partem negantem, Angelos esse incorporeos, sequuntur primò omnes ij, qui senserunt, illud cap. 6. Gen. *Videntes filij Dei*, & cætera. intelligendum esse de Angelis desertoribus. Putant enim, hos Angelos ob concupiscentiam fœminarum è cœlo excidisse, atque ex mulieribus vera generatione filios suscepisse. In quem errorem videtur sæpè lapsus Tertullianus vt libro de Idol. cap. 9. libro de cultu fœm. cap. 10. & libro 5. aduersus Marcionem cap. 18. Tametsi autem eius erroris Tertullianus ipse auctor non fuit; Nam ante ipsum idem sensere Ioseph Hebreus libro 1. Antiquit. Iud. Iustinus martyr vtraque Apologia, Clemens Alexand. lib. 3. & 5. Strom. vt paulò post, eorum ipsa verba referam; Tamen nemo in eum propensior videtur fuisse, eúmque adeò visus est probasse, vt & sæpè eius meminerit, & nō semel eundē verbis ornauerit. Sic

Gen. 6.
Tertullian.
Iosephus.
Iustin. mart.
Clemens Alexand.

Sic autem scribit libro de Habitu muliebri cap. 2. num. 17. Vbi magis ex proposito id tractat in contemptum fœminarum, eo quod, omnia ea in Angelos desertores referenda esse, censuerit, quæ ad instrumentum muliebris ornamenti, & gloriæ pertinent. *Nam illi* inquit *qui ea constituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur, illi scilicet Angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt, vt hæc quoque ignominia fœminæ accedat. Nam cùm materias quasdam, & benè occultas, & artes plerasque non benè reuelatas, seculo multo magis imperito prodidissent, si quidem & metallorum opera nudauerant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires euulgauerant, & omnem curiositatem vsque ad stellarum interpretationem designauerant, propriè, & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt: lumina lapillorum, quibus monilia variantur, & circulos ex auro, quibus bracchia arctantur; & medicamenta ex fuco, quibus genæ colorantur; & illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur. Hæc qualia sint interim ex Doctorum suorum qualitate, & eruditione pronuntiari potest. Quod nihil ad integritatem peccatores, nihil ad castitatem adamatores, nihil ad timorem Dei desertores spiritus, aut monstrare potuerunt, aut præstare. Si doctrinæ dicendæ sunt, mali magistri malè docuerunt necesse est; si mercedes pro libidine, nulla rei turpis merces decora est*, & cætera. Et post pauca ait, eosdem Angelos humani connubij pœnituisse, ideóque vt mulieribus incommodarent, ea, quæ iisdem ornamento esse poterant, in earum perniciem promulgasse. Nam & *post libidinum vaporata momenta cælum suspirabant, illud ipsum bonum fœminarum naturalis decoris, vt causam malitiæ remunerauerunt, ne eis profuisset felicitas sua, sed vt deuectæ de simplicitate & sinceritate, vna cum ipsis in offensam Dei peruenirent. Certi erant, omnem gloriam, & ambitionem, & affectionem per carnem placendi, Deo displicere.*

Id etiam habet libro de velandis virginibus cap. 7. *Si propter Angelos*, inquit *scilicet quos legimus à Deo, & cælo excidisse ob concupiscentiam fœminarum, quis præsumere potest, tales Angelos maculata iam corpora & humanæ libidinis reliquias desiderasse, vt non ad virgines potius exarserint, quarum flos etiam humanam libidinem excusat.*

Iustinus Martyr. Hoc eodem modo loquitur Iustinus martyr in priore Apologia, vbi loquens de Angelis ait. *Qui ab officio decedentes, victique fœminarum amore susceperunt ex iis progeniem, quam vulgus Genios vocat.*

Methodius. Huc etiam reuocari Methodius potest serm. de Resurr. vbi sic habet. *Diabolus prauus factus est circa concreditorum ipsi administrationem, & inuidiam contra nos concepit. Quemadmodum & qui postea carnes amauerunt cum filiabus ob concubitus amorem conuersati sunt.*

Euseb. Cæsar. Plutarchus. Eusebius Cæsariensis libro 5. Præparationis Euangelicæ cap. 4. his quoque ex Plutarcho cōsentit, additque hanc coniecturam, quod ex loco Mosis non benè intellecto acceperint Poetæ ea, quæ finxerunt de connubiis Deorum, ac mulierum; ac de Gigantibus, qui Diis bella mouerunt. Verba Eusebij sunt huiusmodi. *Vnde mihi suspicio nonnunquam incidit, ne ista illa sint, quæ ante diluuium à Gigantibus facta diuina scriptura tetigit, de quibus dicitur. Cùm autem vidissent Angeli Dei filias hominum, quòd essent speciosæ, elegerunt sibi ex illis vxores, ex quibus procreati sunt famosissimi gigantes à seculo. Suspicabitur enim quispiam, illos & illorum spiritus esse, qui ab hominibus postea Dij nuncupati sunt,* *pugnásque illorum tumultus & bella esse, quæ fabulosè de Diis scribuntur.*

Quod ipse quoque censuit Iulianus apostata apud Cyrillum in exordio libri noni aduersus eundem Iulianum. Ait enim, quos Moses nominauit Angelos Gen. 6. dixitque, nuptos esse cum mulieribus, eosdem a poetis appellari Deos, eorúmque cum fœminis coniugia decantari. Ex quibus inferebat Iulianus, gigantes extitisse ex mortalium & immortalium commixtione. *Vnde ex mortalis & immortalis commixtione declarasse inibi videtur Moyses gigantum genus subsistere.* Verumtamen quid sentiat Eusebius Cæsariensis, clariùs dicam, in secunda nostra propositione. Iulianus. Cyrillus. Gen. 6.

Lactantius quoque libro 2. cap. 15. eadem sentit, nisi quod existimauit, primum peccatum diaboli eam commistionem corporum præcessisse, cuius suasu Angelos hominum custodes se cum fœminarum corporibus miscuisse, ac mortiferè peccasse. *Cùm ergo numerus hominum* inquit *cepisset increscere, prouidens Deus, ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio terræ dederat potestatem vel corrumperet vel disperderet homines, quos in exordio fecerat, misit Angelos ad tutelam, cultúmque generis humani.* De his autem paucis post addit. *Itaque illos cum hominibus commorantes dominator ille terræ fallacissimus consuetudine ipsa paulatim ad vitia pellexit, & mulierum congressibus inquinauit.* Quos ait Diaboli satellites ex Angelis Dei factos esse. Illos autem, qui ex his generati sunt, nec homines esse nec Angelos; *sed mediam quandam naturam gerentes non esse ad inferos receptos, sicut in cœlum parentes eorum.* Atque ita ait, esse duo genera dæmonum, vnum cæleste, terrestre alterum, & terrestres esse *malorum quæ geruntur auctores, quorum idem diabolus est princeps.* Lactantius.

Iustinus in Apologia priore ad Senatum *Angelis* inquit *quos ea de causa parauit, prouidentiam, curationémque tradidit. Angeli autem qui hunc ordinem deseruissent, cum mulieribus concubuerunt, liberósque procrearunt, iique sunt, qui vulgò dæmones nominantur.* Ferè eadem docet in Posteriore. Iustinus.

S. Cyprianus de Disciplina & Habitu virginum num. 54. Vana esse ornamenta mulierum ait. *Quæ omninò peccatores, & apostatæ angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti à celesti vigore recesserunt.* Libro etiam de vanitate Idolorum à num. 49. ait vanitates idololatriæ dæmonum opera in Gentes manasse. *Spiritus insinceri & vagi, qui posteaquam terrenis vitiis immersi sunt, & à celesti vigore terreno contagio recesserunt, non desistunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Hos & Poetæ dæmonas nominant*, & cætera. Cyprianus.

Causam huius erroris eam esse, rectè notauit Iacobus Pamelius in Tertulliani Paradoxa paradoxo 1. Quod editio Septuaginta Interpretum Græca vetus, quam hi Patres secuti sunt post Philonem in libro de Gigantibus, vt testes sunt Ambrosius, Augustinus & Procopius erat οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, vbi nunc Latinè legitur *filij Dei* Gen. 6. Et eodem modò infrà vbi dicitur. *Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum*, & cætera. In eisdem Septuaginta codicibus habebatur. *Postquam enim ingressi sunt Angeli Dei*, & cætera. Ante versionem autem Hieronymi, versio Septuaginta interpretum tam Græca quàm Latina legebatur. Idcircò putarunt, Angelos Dei se cum mulieribus miscuisse. Pamelius. LXX. Interpret. Philo. Ambros. Augustin. Procopius. Gen. 6.

Notat etiam Pererius libro 8. cap. 6. Disputat.

tat. 1. hanc sententiam fuisse multis probatam tum quòd eam tantorum virorum auctoritas probabilem faceret, tum quòd libidinibus suis patrocinium aliquod quærentes haberi eam pro vera cuperent. *Verisimile est*, inquit Cyrillus lib. 9. aduersus Iulianum, *multos ea sententia turbari, & cõtemnentes meliora deliciarum amorem eligere, dum considerant quàm difficile & arduum ipsis sit, carnalibus voluptatibus omninò reluctari, & creauit etiam ipsos Angelos sanctos obscœnas affectiones sequi. Noxium enim est audire, ipsos Angelos sanctos corporum formositatibus affici, & oblectari tã prophanis & absurdis voluptatibus.* Vide Pererium p. 270. vbi errorem hunc ex Augustino, Cassiano, & Chrysostomo confutat.

Cyrillus.

Clem. Alex. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum nu. 5. in fine. *Iam verò*, inquit, *Angeli quoque quidem cùm fuissent incontinentes victi cupiditate sic è cœlo descenderunt*, & libr. 5. describit quosdam Angelos mulierum amore lapsos cœlestia eis consilia cõmunicasse. *Quibus illud quoque adiiciemus, quòd Angeli illi, quibus suprema sors obtigerat, delapsi ad voluptates, enunciarunt arcana mulieribus; & quæcunque ad eorum venerunt cognitionem, cùm alij celarent Angeli, vel potiùs reseruarint in aduentum Domini. Illinc profluxit doctrina prouidentia, & sublimium rerum reuelatio.*

Athenagor. Athenagoras in Apologia pro Christianis ad Antoninum, & Commodum Impp. post medium loquẽs de improbis Angelis, *Itaque*, inquit, *à statu suo defecerunt alij quidem amore capti virginum, & libidine carnis accensi.* Et paulò pòst. *Ex amatoribus igitur virginum gigantes vt vocant nati sunt.*

Seuerus Sulpitius. Eandem opinionem placuisse Seuero Sulpitio certum est. Eam enim apertis verbis affirmauit libro primo de Sacra Historia non procul ab exordio. *Qua tempestate*, inquit, *cum iam humanum genus abundaret, Angeli, quibus cœlum sedes erat, speciosarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt, ac natura suæ, originisque degeneres, relictis superioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis se mortalium miscuerunt.* Hæc ille magna asseueratione prodidit.

Ambrosius. Hanc eandem sententiam nonnulli tribuunt Ambrosio libro 1. de Virginibus, vbi sic ait. *Castitas Angelos fecit: Qui eam seruauit Angelus est, qui perdidit, Diabolus.* Et paulò pòst, *Quàm præclarum est, Angelos propter intemperantiam suam in sæculum cecidisse de cœlo; Virgines propter castimoniam suam in cœlum transiisse de sæculo!* Verùm vt rectè obseruat

Pererius. noster Pererius libro 8. in Genes. cap. 6. vers. 1.

Ambrosius. disput. 1. hæc opinio nunquam placuit Ambrosio, nec ipse dissimulat in libro, quem de Noe composuit, vbi cap. 4. explanans hunc locum

Gen. 6. Gen. 6. *Videntes Angeli Dei filias hominum*, & cætera. (Hæc enim lectio suo tempore vulgata ex septuaginta interpretibus) Angelos Dei interpretatur non substantias cœlestes, sed viros sanctos, quos scriptura etiam filios Dei appellare solet. *Plerunque Angelos*, inquit, *filios Dei vocat scriptura, quia ex nullo homine generantur animæ. Itaque veros fideles filios suos dici non est aspernatus Deus. Sicut ergo viri probabilis vitæ filij Dei vocantur, ita quorum carnalia sunt opera, hos filios dicimus carnis*, & cætera. Quin etiam super psal. 118. sermon. 7. & epist. 84. ad Demetriadem perspicuè ait, Primum peccatum diaboli ante hominem fuisse superbiam. Quare ad locum aduersarium re-

Pererius. spondet benè Pererius ibidem, Ambrosium ita locutum in libro de Virginibus, non quòd ita sentiret ipse, sed quò magnificentiùs castita- tis gloriam extolleret, opinionem illam de lapsu Angelorum propter intemperantiam libidinis attigisse. Quid verò sentiat Ambrosius, longè clarius ex his verbis, quæ post nostram secundam propositionem infra referam, apparebit. Ambrosius

Deinde ad hanc classem ij quoque spectare censentur, qui asserunt, Angelos esse corporeos, non quidem hoc crasso, sed subtiliore quodam, atque aëreo corpore, ac proinde dici interdum incorporeos. Inter quos recensentur Patres permulti tam Græci quam Latini. Nam Origenes libro primo περὶ ἀρχῶν in proœmio circa finem notat, Angelos aliquando quidem dici incorporeos propter corporis subtilitatem, quia eorum corpus sit veluti aura. Hinc Gabriel Vasquez in p. p. disp. 178. ait, nihil obstare huic Origenianæ doctrinæ, quod Origenes libro quinto contra Celsum paulò ante finem dicat, corporeas lacrymas Angelis non inesse. Neque quod in libro περὶ ἀρχῶν capite septimo Angelos appellet virtutes incorporeas: Nam eodem libro cap. 6. in fine docuerat, proprium esse Dei sine corpore subsistere. Origenes Vasquez.

Ab Origene videtur sumpsisse Cassianus Collat. 7. cap. 13. vbi contendit, nihil præter solum Deum corpore vacans esse. *Licèt enim*, inquit, *pronunciemus, nonnullas esse spirituales naturas, vt sunt Angeli, Archangeli, cæteræq; virtutes, ipsa quoque anima nostra. vel certè aër iste subtilis, tamẽ incorporea nullatenus æstimanda sunt. Habent enim secundùm se corpus, quo subsistunt, licèt multò tenuius quàm nos. Nã sunt corpora secundum Apostoli sententiam ita dicentis 1. Cor. 15. Et corpora terrestria, & corpora cœlestia. Et iterum seminatur corpus animale surget corpus spiritale. Quibus manifestè colligitur, nihil esse incorporeum nisi Deum. & idcircò ipsi tantummodo penetrabiles omnes spirituales, atque intellectuales substantias, eo quòd solus, & totus, & vbique, & in omnibus est*, & cætera. Omnia ergo sentit esse corporea: & incorporea dici posse, quæ subtilia sunt, vt aër. Cassianus. 1. Cor. 15.

Quo sensu intelligendum sit cum dicimus Angelos esse incorporeos.

§. 2.

PArtem affirmantem secuti sunt grauissimi quique Patrum ferè omnes ab antiquissimis etiam Ecclesiæ temporibus, vt patebit ex eorum longa serie, quam referam post secundam propositionem meam. Ad solutionem

Notandum est incorporeum esse illud, quod excludit rationem corporis, seu, vt alij loquuntur, corporeitatem. Vt enim apertè colligitur ex Aristotele libro 5. Metaphysices capite 22. de priuatione. In huiusmodi nominibus particula *in* negat eam formam, seu priuat eo, cui opponitur. *Inæquale namque dicitur*, inquit Aristoteles, *quod non habet æqualitatem; & inuisibile quod non habet colorem*, quo videri possit. Sic indissolubile est, quod non habet, vnde solui possit, & alia huiusmodi. Itaque incorporeum erit id à quo corporis ratio absit. Quo pacto Deus Optim. Maxim. incorporeus optimè dicitur; Animus noster, & id genus complura. Quia sunt talia essentiã suã, quæ à se rationem corporis remouent ac repellunt. Vt autem sciamus, quæ sit corporis ratio, quam excludi oporteat Aristoteles.

Notandum

Notandum secundò, corpus, si propriè sumatur, esse illud, quod trinam habet dimensionem. Aristoteles. Nam, vt ait Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 2. Corpus est id, *quod omniquaque diuisibile est*: Quod idem est, ac si dixisset, Quod vndequaque extensum est, ac proinde trina dimensione præditum est. Et ideò contextu 3. ibidem ait, solum corpus esse *è magnitudinibus perfectum, quia solum terminatum est tribus*. Vnde ait, cùm corpus *tripliciter sit diuisibile, omniquaque diuisibile esse*. In quo ait, differre corpus à cæteris dimensionibus, quod cætera metimur vna, vel altera dimēsione, vt linea superficies; corpus verò omni ex parte. Hinc fit, vt quoniam corpora physica hāc trinam dimensionem, tanquam connaturalem proprie- B tatem, sibi vendicant, dicta sint simpliciter corpora. Sic enim elementa dicuntur prima corpora; cætera ex his corpora mista, &c. Pro qua re

Notandum tertiò, nos plerunq; solere nominare substantias iis nominibus, quæ ipsarū substantiarum proprietates primariò significāt. Quo A. Doctor. pacto, vt rectè obseruat A. Doctor infrà q. 79. a. 1. Aristoteles. ad 1. Aristoteles animum nostrum intelligētem appellauit libro 1. de Anima cont. 65. *Intellectum*, nempe à præcipua eius facultate eiusdem animi S. August. propria. Quemadmodum S. Augustinus lib. 9. de Trinitate cap. 4. eundem animum dixit mentem. *Mens enim*, inquit, *& spiritus non relatiuè dicuntur, sed essentiam demonstrant*. Eodémque modo ait ibi- C A. Doctor. dem A. Doctor, Animam sentiētem dici sensum; & sic de cæteris. Ratio horū est ex eodem A. Doctore suprà q. 18. a. 2. c. Quia sic nominamus aliquid, sicut illud cognoscimus. Quoniam ergo rerum essentias cognoscimus per proprietates, idcircò easdē nominamus nomine proprietatum. Inde est, *vt plerunque*, inquit, *à proprietatibus exterioribus imponantur nomina ad significandas rerum essentias*. Quia scilicet cum proprietates illæ nobis notæ sint, earum nomina tanquam notiora trāsferimus ad ea, quæ occulta sunt, significanda. Vnde etiam fit, vt quandoque eadem nomina rerum proprietates, quandoque res ipsas signifi- A. Doctor. cent. Vtrunque ibidem A. Doctor rectè explicat D ex hoc ipso corporis nomine; Quod *impositum est*, inquit, *ad significandum quoddam genus substantiarum ex eo, quod inueniuntur in eis tres dimēsiones*. Ex his ergo

Notandum quartò, cùm quærimus, vtrùm Angeli sint incorporei, sensum esse debere, vtrùm Angeli natura excludat rationem corporis ex eo, quod trinam dimensionem, quæ corporis est proprietas, non admittat, sed reiiciat. Propterea quòd, cùm aliquid proprietates alicuius essentiæ reiicit, ipsam quoque essentiam, vnde proprietas manat, reiicere necesse est. Erit ergo Angelus incorporeus, si rationem corporis; nempe trinam dimensionem, ideóque essentiam, cui talis proprietas debetur, excludat. Quæ corpora, vt ait E Aristoteles. Aristoteles lib. 3. de cœlo cont. 65. sunt aut simplicia, aut composita. Itaque tum rectè Angelus dicitur incorporeus, si talis naturæ sit, vt illi ratio corporis, siue simplicis, siue compositi non conueniat. Pro qua re

Notandum est quintò, quoniam vnum oppositorum tot modis dicitur, quot alterum, vt do- Aristoteles. cet Aristoteles, tum alibi sæpè, vt dicam infrà, tū libro primo Topicorum cap. decimotertio, vbi, *Vt si sensibile dicitur*, inquit, *multipliciter, & insensibile multipliciter dicetur*, statuendum esse, quot modis aliquid habeat rationem corporis, seu esse corporeum, quod idem est: vt hinc sciatur & incor- A poreum, quod est corporeo oppositum, quotupliciter hic accipi debeat. Quod autem rationem corporis habet, seu quod est corporeum, bifariam potissimùm accipitur. Vno etenim modo habet rationem corporis, tanquam intimum sui prędicatum, atque essentiale, vt cùm dicitur Homo est corpus, Lapis est corpus. Et quæ hoc pacto corpora sunt, corporea quoque dici possunt. Nemo enim negaret, hominem esse corporeum, necnon & lapidem: Quia scilicet corporeum est quodcunque est quid corporis, nempe seu forma, seu materia sit quouis modo. Sic enim quantitas dicitur corporea, & corporum materia corporea est. Constat autem ea, quæ sunt B corpora, subesse tanquam species corpori generico; Atque ita esse aliquid corporis, quia sunt eius potestatiuæ partes. Homo enim, lapis, musca, leo, & cætera, species sunt corporis, ac proinde eius potestatiuæ partes, vt Logici loquuntur, possunt hęc omnia rectè dici corporea. Alio modo habet rationem corporis, non quia intimum illius prædicatum sit corpus, sed quia extrinsecus illam habeat, propterea quod eam respiciat tanquam aliquo modo terminum intrinsecum sui respectus, eo quod vel corpus, vel cum corpore aliquid aliud cōponat. Qua ratione anima & materia componit corpus primo modo; secundo autem modo accidentia materialia. C Et quæ ita inuoluunt rationem corporis, non tam propriè sunt corpora, quam corporea dici debent; Nempe ad corporis naturam spectantia. Et hoc modo animus dicitur corporeus, calor corporeus, & materia ob rationem modo dictā. Verùm hoc, quod est habere rationem corporis hoc posteriore modo, dupliciter adhuc intelligi potest. Aut enim ita corpus seu cum corpore cōponit, vt vel materia, vel forma materialis sit à materia in suo esse depēdens, vt est calor, anima bruti, & alia similia; Aut componit, vt sit forma immaterialis, Qualis est animus hominis tantū, qui corporeus dicitur, non quia materialis sit, D nempe in suo esse dependens à materia, sed quia corporis forma sit. Vnde non sequitur, omne quod est quouis modo corporeum, id quoque esse simpliciter materiale. Cùm simpliciter materiale sit, quod suum esse habet à materia sustentante dependens. Sic enim simpliciter omnis forma corruptibilis dicitur materialis. Cùm ergo non omne corporeum à materia hoc pacto dependeat, non sequitur, omne corporeum esse materiale simpliciter. Ex quibus etiam patet, trifariam aliquid dici corporeum posse. Vel primò quia sit corporeum, quia species corporis sit; Vel secundò quia corpus vel cum corpore componat; Vel denique quia corpus seu cum corpore componat tanquam forma illius E materialis. Ex his

Notandum est vltimò colligi clarè posse, quid intelligendum sit, cùm quærimus vtrùm Angelus sit incorporeus. Id enim, quod incorporeum dicitur, trifariam quoque accipitur. Aliquod enim est incorporeum, quia excludat rationem corporis, quæ sit prædicatum rei intimū: Quo pacto dicitur Deus incorporeus, & animus hominis incorporeus. Aliud verò incorporeū est, quia excludat etiam rationem corporis tāquam suæ habitudinis terminum intrinsecum, quia scilicet nec sit corpus, nec corpus seu cum corpore componat tanquam forma materialis; & ita Deus erit incorporeus, & animus hominis, &

quæcumque intelligens forma. Aliud denique A est incorporeum, quod nec sit corpus, nec corpus aut cum corpore componat, siue tanquã forma materialis, siue tãquam forma immaterialis: & hoc pacto Deus est propriissimè incorporeus, quia nec corpus est, nec subiectũ aut forma corporis quouis modo. Quæ enim hoc modo corporis ratione carẽt, omninò incorporea, & penitus à corpore abiuncta sunt, quia nec corpus cõponunt, nec cum corpore quidpiam aliud. Cuius generis non est animus hominis, nam licèt spiritalis substantia, & à corpore sit indepẽdens, quoad suum esse, tamen corporeus est in hoc sensu, quia ex eo & materia corpus conflari certum est. Cùm ergo quærimus hîc ex Patrum B sententia, Sitne Angelus incorporeus, illud præcipuè quæritur, vtrùm Angelus sit incorporeus primo modo, eo quòd scilicet non sit substantia, quæ corpus sit. Nam quòd Angelus non sit materialis forma corporis, omnes Patres apertè concedunt; Nam & hominis animum fatentur immortalem, atque immaterialem, ergo à fortiori idem de Angelis dicent. Quòd verò non sint formæ corporis etiam immateriales, disputabitur vnà cum A. Doctore q. seq. art. 1. vbi constituit Angelos non habere corpora sibi naturaliter vnita. Dixi tamen *præcipuè*: Nam reuera fiet, vt nunc inter disputandum, vtrumque ex Patribus conficiamus; Nimirum vt eorum auctoritate C probetur, Angelos nec esse corpora nec corporum formas vllo modo, vt suis Patrum locis animaduertet considerans eorum dicta. Quod etiam ex philosophis sequentibus difficultatibus eodem modo manifestum erit. Et ideò hoc totum ferè reuocandum in memoriam erit, vbicumque de Angelorum, vt ita dicam, incorporeitate agendum est; præsertim infrà q. 51. art. 1. vbi ostendit A. Doctor, Angelos suâ naturâ vnitos non esse corporibus, vbi nobis incumbet cura demonstrandi Angelos non esse orbium cœlestium formas. In hoc ergo sensu ad difficultatem respondetur.

Resolutio difficultatis propositæ, explicatúrque vera Patrum de Angelorum immaterialitate sententia. §. 3.

PRima propositio, Nullus inter Patres in hac materia non errantes est, cuius auctoritate probetur, Angelus naturâ suâ esse corporeus. Dico *naturâ suâ*. Ne hic quis obiiciat; An Angelorum, cùm ipsi pro varietate ministeriorum varia quoque corpora sumunt, sit tunc corpus aliquod. De qua re dicemus infrà q. 51. num. 2. Dico *inter Patres non errantes*: Quia illos Patres excipio, si qui sunt qui in eum errorem delapsi sunt, vt Angelis tribuerint ea corpora, quæ essent apta vt è mulieribus liberos susciperent. Quem esse errorem in fide dicã postea. His positis probatur nostra propositio hoc vnico argumento. Quia cuiuscunque ex Patribus non errantibus afferatur auctoritas, euidenter aut non est aduersus hanc propositionem, aut pugnat contra aduersarios. Ergo nullus Patrum hac in re non errantium est, cuius auctoritate Angelus naturâ suâ sit corporeus. Antecedens patet examinando singula Patrum complura dicta etiam vltra ea, quæ à Theologis dissentientibus solent afferri. Idémque iudicium erit de reliquis, si qui erunt, quorum auctoritas in præsenti prętermissa à nobis esse videatur.

In primis citatur Origenes libro 1. περὶ ἀρχῶν in prooemio. Qui, vt vidimus in prima sententia, tribuit Angelis, quòd subtili constent corpore, ac proinde incorporei dicantur, comparatione ad corpora crassiora. Vnde versus finem de tali corpore Angelico ait: *Et velut aura tenue, & propter hoc vel imputatur à multis, vel dicitur incorporeum.* Reddit rationem, quia in consuetudine hominum positum est, vt corpus, quod non est solidum, vel palpabile, *incorporeum simplicioribus vel imperitioribus nominetur, Vt si quis aërem istum incorporeum dicat, quandoquidem non est tale corpus, vt comprehendi tenerique possit, vrgentique resistere.* Quibus haud dubiè significauit, Angelos præditos esse corpore tenui, ac proinde non alia ratione esse incorporeos, nisi quia carent crasso, ac palpabili corpore. Vnde clarissimè eodem libro 1. cap. 6. in fine ait, se non posse intelligere. *Quomodo tot, ac tantæ substantiæ vitam agere, & subsistere sine corporibus possunt, cum solius Dei, id est Patris & Filij & Spiritus sancti naturæ id proprium sit, vt sine materiali substantia, & absque vlla corporeæ substantiæ adiectionis societate intelligatur subsistere.* Origenes.

Verùm hi loci euidenter nihil probant contra nostram propositionem: Nam ex aliis locis apertè ostendi potest, vt mox dicam, Origenem vel dubitasse, vel etiam nostram sententiam secutum esse. Quamobrem prædicti loci solùm probant, Origenem omni ferè ex parte Platonicum, ea etiam in re interdum secutum esse Platonem, sicut videtur eiusdem probare μετεμψύχωσιν, id est, transmigrationem animarum eodem libro 1. cap. vlt. Dico *videtur*: Nam verè in eo cap. vltimo in fine solùm damnat animarum nostrarum transmigrationem in bestias. Quare non improbat eam, quæ inter homines fieri à Platonicis putabatur. *Illa sanè*, inquit, *nos nequaquam recipienda censemus quæ & à quibusdam superfluè vel requiri, vel astrui solent, id est quod animæ in* D *tantum sui decessum veniant, vt naturæ rationales*, & cætera *in ordinem irrationabilium animalium vel bestiarum vel pecudum deuoluantur.* Sed tamen licet eo loco id apertè non doceat, tamen ei expressè id ascribitur à S. Hieronymo, vt notabo infrà in secunda propositione, cùm afferam eiusdem S. Hieronymi verba. Atque hanc solutionem, Hieronym. nempe Origenem in hac re Platonizare, tetigit A. Doctor q. 6. de pot. art. 6. ad 2. licèt addat, Ori- A. Doctor. genem fuisse etiam ambiguè locutum. Ad quod confirmandum videri posset locus aptus in cap. 7. eiusdem libri, vbi Angelos appellat incorporeas virtutes; & libro 5. contra Celsum versus E finem, vbi ait *corporeas lacrymas Angelis non inesse.* Quæ tamen solutio non placet recentioribus, vt vidimus in prima sententia.

In qua tamen re non est, quòd longiores simus: Nam nimis apertè se Origenes alicubi ex- Origenes. plicauit, qua tandem ratione intelligat, Angelos esse incorporeos. Verissimum namque est, ipsum in multis, sed præsertim, quæ ad hanc rem scripsit, inconstanter admodum docuisse. Postquam enim in multos errores inciderat, addidit hæc ipsa verba, vt ait S. Hieronymus in epist. 59. ad Hieronym. Auitum. *Hæc iuxta nostram sententiã non sunt dogmata, sed quæsita tantum atque proiecta, ne penitus intracta*

tractata viderentur. Quanquam hæc, vt docet S. Hieronymus in eadem epiſtola, addidit, *poſtquam lectoris animum vulnerauit.* Addo, Origenem non eſſe arbitratum, Angelos habere ſua naturâ adiuncta corpora, ſed eos arbitratum eſſe ob crimina corporibus conueſtiri, tandémque fore, vt ab omni corpore abſoluantur, vt infrà notabo, cùm ventum erit ad auctoritatem S. Hieronymi in noſtra propoſitione ſecunda in hac ipſa difficultate. Sanè id docuit Origenes de humanis animis expreſsè: Quos dixit, teſte S. Auguſtino libro 11. de Ciuitate Dei cap. 23. *Factos à Deo peccaſſe à conditore ſuo recedendo, & diuerſis progreſſibus pro diuerſitate peccatorum à cœlis vſque ad terras, diuerſa corpora quaſi vincula meruiſſe.*

Origenes. S. Auguſtin.

A

Quanquam, vt verum fatear, hoc quod eſt dicere, ſolum Deum ſubſiſtere ſine corpore, non ſignificat cæteras ſubſtantias eſſe è corpore conflatas. Nam ſenſus eſt, cum Deus ſubſtantiâ ſit ſimpliciſſimus, ſolus eſt ſine corpore, hoc eſt ſine compoſitione, cæteræ autem ſubſtantiæ, quia ad illam tantam ſimplicitatem non perueniunt, corporeæ ſunt, hoc eſt compoſitæ. Quod enim interdum compoſita dicantur corporea, & ſimplicia incorporea, dicam paulò infrà ex Damaſceno, & aliis Patribus; qui licèt ſentiant, Angelos eſſe incorporeos, tamen dicunt, eos comparatos ad Deum corpore, materiáque conſtare.

B

Minut. Felix.

Deinde citari poſſet Minutius Felix in Octauio longè poſt medium, vbi expreſsè habet, Angelos *terrenis labibus, & cupiditatibus degrauatos, onuſtos, & immerſos vitiis, ad ſolatium calamitatis ſuæ non deſinere errorem prauitatis infundere.* Ergo Angeli habent corpora, ſi terrenis cupiditatibus immerguntur. Purus enim ſpiritus terrena contagia non ſentit.

C

Verùm neque hic locus eſt è re aduerſariorũ. Etenim aut eſt contra ipſos, aut non pro ipſis. Nam ſi nomen ſpiritus propriè accipiatur, hoc ipſo dicet eſſe ſine corpore, quia eos ſpiritus eſſe docet. Sic enim loquitur proximè ante citata verba. *Spiritus ſunt inſinceri & vagi à cœleſti vigore terrenis labibus*, & cætera. Si verò dicant non accipi propriè, quæro vnde id habeât? Nam quòd ſint terrenis labibus immerſi, non arguit eos eſſe corporeos. Poſſunt enim vitiari terrena labe voluntate, & affectu non opere; ſicut ipſe videtur apertè explicare per ea, quæ ſubdit. Vitia enim, quibus ipſi deprauati ſunt, ait infundi, eo quod, nos *inductis prauis religionibus à Deo ſegregare* conantur, *præſtigias edunt*, & cætera. Itaque vult ſe contaminare terrenis labibus, quia ad eas homines impellunt. Vt conſultor eodem crimine peccat ad quod ſuadet. Eſto ergo purus ſpiritus non ſentiat, hoc eſt ſenſu non percipiat terrenas labes; contaminatur tamen affectu.

D

S. Cæſarius.

Tertiò citatur S. Cæſarius Nazianzeni frater in primo dialogo inter opera Nazianzeni tomo ſecundo in fine, vbi ait, *Angelos eſſe quidem incorporeos reſpectu naturæ noſtræ, habere tamen corpus ſecundùm ſuam naturam, vt ventus, aër, ignis. Corporæ enim ſunt ſubtilia, craſſæ materiei noſtræ expertia.* ergo docet, Angelos eſſe aliquomodo corporeos.

E

Verùm nego Cæſarium huius eſſe ſententiæ. Nam primò ait, *eſſe incorporeos reſpectu naturæ noſtræ*, & cætera. Ergo non habent corpora ex noſtrate materia: Ergo ſaltem non habent hæc corpora craſſa. Secundò, quòd nulla habeant, patet, quia eos dixit habere corpora, vt eſt aër, & cætera: Nimirum quibus appareant hominibus. Duplicem enim ibi Cæſarius quæſtionem tractat: vnam, cùm Angeli incorporei ſint, quomodo rem cum mulieribus habere potuerint. Et hanc diſſoluit; quia negat Angelos habere poſſe commercium cum mulieribus, idque putans eſſe *abſurdum, ſtultum, & blaſphemum.* Alteram: Quomodo apparere poſſint hominibus, ſi incorporei ſunt. Huic reſpondet poſſe, propterea quod illis corpus eſt ſubtile, vt aër, ignis. Senſit ergo habere corpora aſcititia, quibus appareât: non quibus ſint: Vnde cùm dixit, habere corpus *ſecundùm ſuam naturam* non intelligit, quod Angelicæ naturæ conueniat habere corpus, ſed eos habere adiunctum corpus vult; *ſecundùm ſuam naturam vt ignis, aër*, hoc eſt habere corpus, quod ſecundùm ſuam naturam ſit, vt ignis, & cætera; nempe ſubtile, & quod facilè euaneſcat. Vt ſenſus ſit, habere corpus natura ſubtile, vt eſt aër. Quare cum habent corpus, non craſſum habẽt, ſed ſubtile. Et ideò vt vidimus, ſubdit, *Corpora enim ſunt ſubtilia*, & cætera. Habent ergo corpora naturaliter ſubtilia, quibus in conſpectum hominum ſe dare poſſint, corúmque obtutibus obuerſari; non autem quibus Angelorum ſubſtantia componatur. Cùm Angelos eſſe incorporeos in ipſo quæſtionis titulo præſupponat.

Cæſarius.

S. Bernardus.

Quartò citatur etiam S. Bernardus ſerm. 5. in Cant. vbi ait, duplicem illum ſpiritum; nempe cœleſtem, & irrationalem indigere corpore, vt homini ſubueniant, & ita cõcludit: *Ille ergo*, nempe irrationalis, *vt iure ſeruiat; iſte vt piè ſubueniat, ambo proculdubio ſuis corporibus egent, vt iuuent.* Verùm ibi apertè S. Bernardus dubitat hac de re, & paulò poſt proponit rationes in contrariam partem: & tandem ait, rem eſſe dubiam, cuius ſolutionem *nolo*, inquit, *vt à me requiratis. Videntur Patres de huiuſmodi diuerſa ſenſiſſe, nec mihi perſpicuum eſt, vnde alterutrum doceam, & neſcire me fateor. Sed & veſtris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam.* Hæc ille.

Rurſus citatur libro 5. de conſideratione ad Eugenium cap. 4. vbi conuertit animum ad cœleſtium contemplationem; déque Angelis ipſis ſic ait. *Et primò quidem ciues ſpiritus eſſe illic potentes, glorioſos, beatos, diſtinctos in perſonas, diſpoſitos in dignitates, ab initio ſtantes in ordine ſuo, perfectos in genere ſuo, corpore æthereos, immortalitate perpetuos*, &c.

Verùm neque hic locus eſt firmus: Vbi enim hæc ipſe de Angelis enumerauerat, ſubdit ſic. *Hæc omnia legendo comperimus, fide tenemus*, & cæt. Certè non eſt putandus exiſtimaſſe, fide tenendum Angelos eſſe æthereos. Nam vbi hac de re ſpeciatim diſputat, apertè falſus eſt, ſe ancipitem ad vtramque partem eſſe ob diuerſas Patrum ſententias, vt dictum eſt. Quare arbitror, cùm dicit eſſe *æthereos corpore*, vel idem ſignificare, atque ſubſtantia ætherea, hoc eſt ſubtiliſſima; nempe ſpiritali; ſiue hæc ſit corporea, ſiue non ſit. Sicut cùm dicimus, animum eſſe ethereæ ſubſtantiæ; hoc eſt ſpiritalis, & alterius ordinis, quàm ſint elementa, ac reliqua corpora: vel certè loquitur de corpore Angelico, quod ab ipſis Angelis aſſumitur, cùm apparẽt, & quod illis ſæpè tribuunt ſacræ literæ. Conſtat enim, tunc eſſe corpus æthereum, hoc eſt ſubtiliſſimæ ſubſtãtiæ, ac quodam modo cœleſtis ob lucem, & alia ornamenta, quæ videntur è cœlo ſumpta, vt paulò poſt dicam in tertio loco S. Auguſtini. Vtrùm autem huiuſmodi corpora Angelicæ

licæ naturæ sint naturaliter indita, an non, nihil Bernardus definit, quia, vt dixerat, nescire se fatetur. Et hoc ait, esse fide tenendum. Vt enim dicam q. seq. a. 2. de fide est, Angelos interdum habere corpora, nempe assumpta, quibus se mortalium oculis visendos præbeant. Nihil ergo definit pro altera Quæstionis parte.

Nusquam ab Augustino affirmari Angelos esse corpore præditos. §. 4.

S. August. QVintò citatur etiam S. Augustinus plurimis in locis, in quibus potissimùm nituntur, qui volunt, hanc suam sententiam tutò sustineri posse. Primus locus est libro 3. de Genesi ad literam cap. 10. Vbi sic ait. *Quapropter etsi dæmones aerea sint animalia, quoniam corporum aereorum natura vigent: & propterea morte non dissoluuntur, quia præualet in eis elementum, quod ad faciendum, quam ad patiendum est aptius*, & cætera. His ergo videtur innuere Angelos aërei corporis naturâ constare.

Verùm non rectè affertur hic locus: Nam loquitur Augustinus non absolutè, sed ambiguè, nimirum apposita conditione, vt patet ex verbis paulò post subiectis, quibus ita concludit. Si ergo hæc ita sunt, non impedit ista distinctio nostra Scripturam, quæ *non ex aëre, sed ex aquis producta indicat volatilia* & cætera. Idem etiam confirmatur: Quia cùm paulò pòst disputasset, An dæmonis corpus ex cælesti in aëream naturam ob peccatum commutatum sit, eodem modo non sine conditione concludit. *Si autem transgressores illi, antequam transgrederentur, cælestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conuersa sint ex pœna in aëream qualitatem, vt iam possint ab igne, hoc est ab elemento superiori aliquid pati.* Et iterum paucis interiectis. *Et si quid de his transgressoribus Angelis diligentius requirendum est, alius erit accommodatior scripturæ locus.* Propositum enim solùm illud erat, si hic noster aër possit aërea corpora sustinere, posse etiam & aues.

S. Augustin. Secundus locus est in Epistola 3. vbi aiunt, id ab Augustino apertè dici. Ait enim, Deum esse inuisibilem *aspectibus corporalibus, etiam cælestibus, sicut suprà de Angelis, & potestatibus, & dominationibus dixit, quanto magis terrestribus.* Significat ergo, Angelos habere corporales oculos.

Verùm neque hic locus est ad rem: Nam negat ibi Augustinus, Deum videri, aut videri posse oculis corporeis, etiamsi futurum sit, vt corpora nostra magis ac magis, cum erunt rediuiua, perficiantur (quod sentiebat quidam Episcopus ibi, cuius nomen subticet Augustinus), eo quòd Deus non est corpus quoddam. Dicit ergo Augustinus, quantumuis nostra corpora fiant meliora, non tamen fore vnquam, vt Deum videant, quia Deus etiam cælestibus aspectibus inuisibilis est: Quod confirmat ex S. Hieronymi verbis. *Quantumlibet enim oculi corporis mutentur in melius, Angelorum oculis non æquabuntur.* Et infrà aliquantò post, *Quibus inuisibilis? nisi aspectibus corporalibus etiam cælestibus sicut suprà de Angelis & Potestatibus, & Dominationibus dixit, quanto magis terrestribus?* Itaque nego, Augustinum supponere ibi, Angelis inesse oculos; sed aio, ipsum loqui ex hypothesi siue possibili siue impossibili. Dato enim, quòd Angeli haberent oculos, ipsis quoque Deum fore inuisibilem. Quod verò loquatur ex hypothesi, non debet mirum videri: nam docet; *quantumlibet corporis oculi mutentur in melius*, ac melius, ergo loquitur ex hypothesi. Et rectè. Cùm enim Deus dicatur mente ac corde videndus, oculis autem inuisibilis, sequitur optimè, negari ibi ab Augustino, Deum quorumcunque oculis videri posse, etiamsi daremus oculos hominum atque Angelorum esse perfectissimos, & quauis perfectione præditos: Quia scilicet Deus extra illorum obiectum est. Interdum enim solemus de re, quam dicimus non posse fieri, negare etiam ea, quæ nec sunt, nec esse possunt. Vt cùm dicimus, Deum non posse vllis spatiis comprehendi, non solùm huius Mundi; sed ne infinitorum quidem Mundorum, si esse possent.

Tertius locus est ex epistola 115. in priore parte, vbi aiunt, hanc sententiam exprimi à S. Augustino, eo quod docet, aëreis, æthereisque animantibus esse sensum acerrimum, *in cuius comparatione noster ne sensus quidem esse putandus est.* ergo dantur aërei corporis Angeli. S. August.

Verùm locus hic efficax non est: Quæsitum enim ibi erat à Nebridio, quo fiat modo, vt nobis à superioribus potestatibus, vel à dæmonibus, & cogitationes quædam inserantur, & somnia. Respondet autem S. Augustinus, argumento desumpto à viribus animi in corpus. Nam si animus eorum, quæ percipit, sæpè vestigia figit in corpore, vnde & somnia, & iræ existunt, & alia huiusmodi, etiam non animaduertentibus nobis. *nequaquam est absurdum, eos qui aëreo vel æthereo corpore aliquid in corporibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, longè maiore vi facultate ad mouendum, quicquid volunt, non sentientibus nobis, & tamen inde aliquid perpetientibus.* Ait ergo à fortiori, posse eos spiritus, qui corpore aëreo vel æthereo in corporibus agunt, hæc ipsa præstare facilius. Quare non constat, vtrùm illa verba *aëreo corpore*; & cætera, significent ablatiuum, vt dicunt, instrumenti. Eo enim corpore tanquam assumpto instrumento agunt, quia per qualitates aëreas, nempè subtiles in corpora nostra dominantur, & ideò dixit, aliquid in corporibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, scilicet per meatus, in quos subtilia corpora immittunt. Sanè hoc erat satis argumento Augustini. Nebridius. S. August.

Neque obest, quòd de iis Angelis loquatur, quos paulo suprà vocauerat *aëreos, æthereósque animantes, quorum est sensus acerrimus.* Horum enim verborum sensus esse potest, eos esse aëreos, æthereósque animantes, quia viuunt in æthere, & aëre. Quomodo suprà quæsito primo diximus ex Platone, cui solet subscribere Augustinus, dæmonas vocari aëreos, & cætera. Sunt quoque acerrimi sensus, quia sunt perspicacissimæ intelligentiæ. Interdum enim actum intelligendi vocari ab auctoribus sensum, omnibus in confesso est. Immò, vt ait libro 8. cap. 5. Quintilianus, consuetudo iam tenuit, vt mente concepta, sensus vocaremus. Sic etiam Cicero primo de Oratore, hoc nos præstare ait feris, *quod exprimere dicendo sensa possumus.* Et hoc ipsum apertè docuit A. Doctor q. 16. de Malo a. 1. ad 2. vbi explicat etiam quendam Augustini locum libri primi super Genesim ad literam cap. 7. & libro 12. cap. 17. cùm ait, dæmones quædam vera cognoscere, partim quia ingeniis subtilioribus vigent, partim experientia callidiore, & cætera. Respondet autem transferri nomen sensus etiam ad intellectualem cognitionem, sicut etiam ipsa nomina sensuum, vt visus & auditus. Idem etiam Plato. Quintilian. Cicero. A. Doctor.

etiam patet ex q.67.infrà a.1.c.& alibi ſæpè. Vbi etiam id confirmat ex illo Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Quam etiam doctrinam ſæpiſſimè vſurpat S. Auguſtinus pluribus locis. Vnde libro 12. ſuper Geneſ. ad lit. cap.6.apertè facit triplex viſionis genus, nempè corporeis oculis,imaginatione,mente.Ex his ergo non debet deduci, Angelos verè eſſe corporeos, etiamſi animantes aerei, atque ætherei dicantur.

Matth. 5. S. Auguſt.

Verùm eſto Auguſtinus non intelligat aërem tanquam inſtrumentum; tamen neque hoc modo locus ille pro aduerſariis eſt; quia ad argumentum Auguſtini ſatis eſt, ſi Angelus ſit corporeus, id eſt ſubſtantia aërea, ac cæleſtis, hoc eſt ſpiritalis, ac ſubtiliſſima, quæ poſſit ea, quæ diximus,in corporibus imprimere. Sæpè enim, quod ſubtile eſt,aëreum, & quod magnæ dignitatis eſt,cæleſte nominamus. Inde enim qui verè ſpiritus ſunt, ſpiritus dicuntur, quia ſubtilis naturæ,vt optimè obſeruauit A. Doctor 1.d.10. q.1.a.4.c.initio. *Spiritus* inquit *nomen eſt ad ſignificandam ſubtilitatem alicuius naturæ; vnde dicitur tam de corporeis,quàm de incorporeis.* Et inde vult, quia ſubtilitas dicitur per remotionem à materialitate, immateriales ſubſtantias, etiam diuinas perſonas,dici ſpiritus. Immò idem S. Auguſtinus nomine corporis ſubſtantiam interdum ſumere ſolet. Nam epiſtola 28. apertè ait, Animam non eſſe corpoream,ſi corpus intelligatur, quod locum occupat; eſſe tamen corpoream, ſi corpus ſignificet quancùque ſubſtantiam. Idem ex Auguſtino dicam infra,cùm expendam paulò pòſt S.Gregorij Magni dictum quoddam. Præterquam quòd non video, cur intelligi non poſſit de corpore aſſumpto, ita vt illa efficiant in corpore aſſumpto,vt ſæpè tanquam Dei adminiſtri faciunt Angeli boni,vt mox dicam.

A. Doctor. S. Auguſtin.

Quartus locus eſt libro 3. de Trinitate cap. 11.docet enim,Angelos loqui,& cætera.

S. Auguſt.

Verùm ſolutio eſt in promptu.Loquitur enim de Angelis,cum corpora aſſumunt,vt appareant hominibus; & ideò verſus finem capitis ſic habet. *Cum Deus apparere dicebatur,voces illæ,ac ſpecies per Angelos factæ ſunt,ſiue ipſis loquentibus,vel agentibus ex perſona Dei,ſicut & prophetas ſolere oſtendimus; ſiue aſſumentibus ex creatura, quod ipſi non eſſent, vbi Deus figuratè demonſtraretur hominibus.* In aſſumptis ergo corporibus,vt in rubo, corporei videbantur, non autem ob naturam. Atque eodem modo,ne longus ſim,exponi poteſt, quod ait in pſ. 145. in ea verba. *Lauda anima mea Dominum.* Vbi ait,hæc verba a carne non proferri, & ſubdit. *Sit licet corpus Angelicum, inferius eſt quàm anima: conſilium ſuperiori dari non poteſt.* Senſit ergo, omne corpus animæ dignitati ſubeſſe, quamuis Angeli corpus ſit,nempè aſſumptum. Vel certè quamuis Angeli haberent corpus eo modo,quo paulò ſuprà dixi.

Pſal. 145.

Quintus locus eſt ex libro 11. de Ciuitate Dei cap.23. vbi apertè videtur corpora tribuere dæmonibus. Ait enim ſic *Aereum corpus poſſidet peſſimus dæmon,*& cætera; *Homo autem,*& cætera *luteum corpus accepit.*

Verùm hi auctores, qui hunc locum citant, non conſiderarũt ſcopum S.Auguſtini. Ibi enim diſputat aduerſus Origenem, qui dicebat, animas hominum pro meritis peccatorum ſuorum,*tanquam ergaſtula, quibus pœnaliter includerentur,corpora accepiſſe,ſuperiora,& leuiora,quæ minus;in- feriora verò,& grauiora,quæ ampliùs peccauerunt.* Arguit autem hunc errorem Auguſtinus,quia hinc ſequi neceſſe eſt,dæmonum corpus debuiſſe eſſe omnium hominum teterrimum. *Dæmones* inquit *quibus deterius nihil eſt,terrena corpora,quibus inferius & grauius nihil eſt,potius quàm homines, etiam mali, habere debuiſſent.* Hoc autem eſſe falſum, non eſt dubium. *Nam vt intelligeremus, animorum merita non qualitatibus corporum eſſe penſanda, aëreum poſſidet peſſimus dæmon. Homo autem & nunc, licèt malus,* & cætera *luteum corpus accepit.* Ex quo loco nihil aliud fit, niſi vt argumentum ſit ad hominem,vt dicitur. Nam nullus, ne Origenes quidem, conceſſit dæmonibus aliud corpus aereo vilius. Vnde non aſſerit, quod omninò ſit aëreum, ſed quod non qualitatibus corporum iudicanda ſint animorum merita, quandoquidem is,qui grauiſſimè peccauit Angelus,ſi corpus habet,non habet peſſimæ conditionis corpus.

S. Auguſt. Origenes.

Vt vt ſit de veritate ſententiæ,hæc ratio euincit tantum aduerſus Origenem, qui corpora aëreis, quibus ipſe quodammodo veſtiri putabat Angelos,vt paulò antè ex ipſo vidimus, non peiora ponebat in ipſis Angelis. Certè ſuperuacaneum eſt,quicquam ampliùs extorquere ab huiuſmodi loco: Quia huiuſmodi argumentationes frequentes eſſe ſolent, quibus non diſputetur de hypotheſi, ſed ſolùm de ſequela aduerſus aliquem ex eius principiis. Quod manifeſtè colligo ex verbis eiuſdem S.Auguſtini ibidem paulò ante verba citata. Sic enim exorſus eſt vrgere Origenem prædicto argumento. *Deinde debuit videre Origenes* inquit, *& quicunque ita ſapiunt,ſi hac opinio vera eſſet, Mundum ideo factum,* & cætera. Quaſi apertiſſimè ſignificare velit, ab Origene debuiſſe animaduerti, quæ ſequuntur ex eius poſitione non eſſe conſentanea iis, quæ ipſe de Angelis docuerat; nempè eos induere corpora. Alioqui cur debuiſſet animaduertere, ſi illi omninò noua ſunt argumẽtationis principia? Quocirca in priore argumento, quo vſus eſt ibi Auguſtinus in Origenem ex ſacra Scriptura, alio modo dixit; Nimirum ſe mirari, tantum virum non attendiſſe ſacras literas, quæ cum eius ſententia pugnabant. Peculiari ergo ratione putauit in ſecundo argumento Origeni fuiſſe videndum, ne concluſio ſcilicet principiis aduerſaretur. Sanè ſi id Origeni non fuiſſet conſtitutum, debuiſſet ab Auguſtino probari,non aſſumi,Angelos eſſe aëreæ corporaturæ.

S. Auguſt.

Sextus locus eſt ex libro 15. de Ciuitate Dei cap.23.Vbi videtur contendere,Angelos,etiamſi corporati ſint aëreo corpore, cum fœminis non potuiſſe corporaliter commiſceri.

Verùm hic locus tantum abeſt,vt aduerſariis faueat,vt deſtruat cæterorum locorum vim,nedum imminuat. Apertè enim ait à ſe, licèt ſuprà diſputauerit de Angelicis corporibus,adhuc tamen in ancipiti relictam eſſe hanc Quæſtionem,*Vtrùm Angeli,cum ſpiritus ſint,poſſint corporaliter coire cum fœminis.* Atque hoc vt magis declaret,clarè ait, licèt verum ſit, Angelos eſſe ſpiritus,cum ſcriptura dicat *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, tamen incertum eſſe, Vtrùm Angelis adiunxerit corpora, cùm eadem ſcriptura ibidem ſubdat. *Et miniſtros ſuos flammam ignis.* An verò ſignificare voluerit,ipſos charitate feruere. Fatetur tamen, eoſdem Angelos ſenſili corpore hominibus ſe viſendos obtuliſſe. *Sed vtrùm eorum corpora conſequenter adiunxerit dicendo. Et miniſtros*

stros suos ignem ardentem, an quod charitate spirituali feruore debeant ministri eius ambiguum est; Apparuisse tamen Angelos in talibus corporibus, & cætera. Addit postea, quia non potest negari, quin aliquando Fauni, & Syluani molesti mulieribus fuerint, *se tamen nihil hinc audere temerè definire, vtrum aliqui spiritus elemento aëreo corporati sentientibus fœminis misceantur*. Itaq; ex hoc loco certum est, & adhuc in illis libris nihil esse definitum, & Angelos esse spiritus, cum dicat scriptura. *Qui facit Angelos suos spiritus*, &c.

Septimus locus est ex libro 21. de Ciuitate Dei cap. 10. Vbi quærit, quonam pacto spiritus pati ab igne corporeo possint. Respondet autem, hoc posse fieri. *Quia sunt quædam sua dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est: Ex isto aëre crasso, atque humido, cuius impulsus vento flante sentitur.*

S. August. Verùm hic quoque locus aduersarios iugulat. Nā primò significat S. Augustinus, se ex propria sententia non tribuere dæmonibus corpus aëreum, ideò dixit *sicut doctis hominibus visum est*. A. Doctor. Vnde etiam A. Doctor p. p. q. 51. a. 1. ad 1. docet, S. Augustinum lib. 2. de Genesi ad lit. cap. 17. & lib. 3. ibid. cap. 10. hæc dixisse *non asserendo, sed opinione Platonicorum vtens*. Immo A. Doctor q. vn. de spiritualibus creaturis a. 1. ad 20. expressè docet, eo loco à S. Augustino *substantias spirituales non pati ab igne corporeo per modum alterationis materialis, sed per modum alligationis*: Quod mihi quoque verissimum videtur, vt patet ex eius verbis, quæ S. August. mox subiicio. Deinde dico à sancto Augustino statim adiici. *Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseuerat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certādum.* Nihil ergo certi constituit. Et vt indicet, se potius in partem contrariam flecti, subdit. *Cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris etiam modis, spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominis, etiam profectò ipsi incorporei, & nunc poterunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?* Nimirum ita vt igne corporeo sint inclusi, tanquam in carcere suis naturis discordiabili, & qui tristitiam dolorémque infligat incredibilem.

S. Augustin. Octauus locus est ex libro Enchiridion cap. 59. Nam ibi quærit S. Augustinus. Vtrùm Angeli habeant corpora tractabilia, an corpora quæ tractari nequeant, & respondet. *Quid enim opus est, vt hæc aut huiusmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine discrimine nesciuntur?* Ergo, inquiunt aliqui, supponit Angelos habere corpora, & negat nostra referre, corporane sint tractabilia an secus.

S. August. Sed hic etiam locus habet vim in ipsos aduersarios: Non enim solùm ibi S. Augustinus dubitat, Vtrùm corpora sint tractabilia, sed etiam *cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, vt non solùm cernerentur, verùm etiam tangerentur, & rursus non solida corpulentia, sed spiritali potentia quasdam visiones non oculis corporeis sed spiritualibus, vel mentibus ingerant, vel dicant aliquid non ad carnem forinsecus, sed intus in animo hominis*, & cætera. Ergo de his omnibus quæstionibus concludit, non esse opus, vt hæc negentur, aut affirmentur, ac proinde nullus locus aduersariis in re tanti ponderis fauet. Vt miror doctissimi iuxta ac religiosissimi Doctoris sententiam validè repugnantem in falsitatem trahi hactenus potuisse à plerisque doctissimis auctoribus. Quos arbitror, vt eos quantum possum excusem, non exactè vniuersam eximij doctoris, sparsamque in multis libris sententiam, quam ferè semper ancipitem sibi fuisse voluit, præ se ferre, vt hactenus à nobis sæpè obseruatum est.

Nonus locus est libro 8. de Ciuitate Dei cap. 15. Ibi enim negat, dæmones esse dicendos hominibus meliores, ex eo *quod habēt corpora meliora*. Supponit ergo, esse corpora aërea, non tamen meliora.

Verùm hic locus non rectè intelligitur ab aduersariis nostræ sententiæ. Reprehendit enim ibi Augustinus tripartitam animalium diuisionē, S. August. quam retulerat ex Apuleio Platonico cap. 14. Apuleius. initio; In Deos nēpe, dæmones, & homines. Itaut Deorum sedes in cœlo sit, hominum in terra, dæmonum in aëre, *& sicut eis diuersa dignitas est locorum, ita etiam naturarum*. Reiicit autē in cap. 15. ex eo quod fieri potest, vt inferius corpus anima melior inhabitet, deteriorque superius. *Alioqui multas sibi & bestias prælaturus est, quæ nos & acrimonia sensuum, & motu facillimo atque celerrimo, & valentia virium, & annosissima firmitate corporum vincūt.* Et tandem in ipsum Apuleium arguit. Cum enim dicat, hominem esse terrestre animal, ergo ex loco non debuit sumere corporis dignitatem. *Et ipse quidem Apuleius*, inquit, *dicit hominem terrestre animal, qui tamē longè præponitur animalibus aquatilibus, cū ipsas aquas terris præponat Plato*. Apuleius. Vult ergo Plato. vt vt dæmones corpora habeant, non posse inferri, dæmones homine esse meliores ob corpora meliora. Hęc enim Augustini disputatio contendit, vt ex corporibus melioribus, in quibus inhabitent dæmones, stabiliat ipsos non esse meliores: Esto habeant corpora, vel non habeāt. Quia de sequela in Apuleium erat tota contentio, non de hypothesi.

Decimus locus est ex eodē lib. cap. 16. vbi dæmones ait esse *Genere animalia: animo passiua: mente rationalia: corpore aërea: tēpore æterna*. Qui locus nonnullis apertissimus videtur.

Verùm hic inter omnes nullum habet pondus: Nam clarè constat, ibi Augustinum loqui S. Augustin. non è sua sed Apuleij sententia, vt patet ex initio eius capitis. *De moribus ergo dæmonum cum idem Platonicus loqueretur dixit, eos iisdem, quibus homines, animi perturbationibus agitari.* Et paulò pòst, cum affert eam definitionem, vt significaret, se non suo, sed alieno iudicio eam afferre, sic habet. *Breuiter autem eos definiens ait, dæmones esse genere animalia*, & cætera. Immò etiam, ne quis suspicari posset, se ei definitioni subscribere, expressè addit, in ea definitione contineri quædam, quæ Apuleij opinione, dæmones non solum nobiscum, sed cum Diis communia habent, Vt quòd sint genere animalia, mente rationalia, & cætera. Itaque cùm hoc putet absurdum, in genere animalis cum Deo conuenire, tota definitio improbetur ab Augustino, necesse est. Benè ergo aiunt quidam apud Magistrum in secundo d. 8. Magister. in p. p. d. Augustinum ibidem locutum esse ex Platonicorum sententia. Quod etiam affirmat sanctus Bonauentura ibidem artic. 1. quæstione 1. ad 1. S. Bonauent.

Vndecimus locus hic citari etiam potest ex sancto Augustino, in lib. vndecimo, super Genesim ad lit. cap. 13. vbi dicit, S. August. *In spiritu rationalis creaturæ bonum est hoc ipsum, quod viuit & viuificat corpus, siue aëreum, sicut ipsius Diaboli, vel dæmonum spiritus*, & cætera.

Ad

A.Doctor. Ad hoc dicit A.Doctor quæst.16.de Malo art. 1. ad 1. Augustinum *loqui de corporibus dæmonum secundum quod visum est quibusdam doctis hominibus, id est Platonicis.* Citatur etiam idem Augustinus ibidem libro tertio, capite 20. vbi ait dæmones habere corpora aerea. Ad quod etiam dicit A. Doctor de spiritual.creatu.q.vn.a.7. ad 1. Augustinum non loqui asserendo, sed secundùm opinionem Platonis, vt patet ex libro 21. de Ciuitate Dei cap.10.& sic de cæteris.

Duodecimus, vltimúsque sit locus ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus capite duodecimo, vbi expresè habet sic. *Creatura omnis corporea est, Angeli & omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant. Ex eo autem esse credimus corporeas intellectuales creaturas, quod localiter circumscribantur, sicut & anima humana, quæ carne clauditur,* & cætera. Ergo Augustini sententia Angeli habent corpus.

S. Augustin. Verùm hic locus non est dignus, qui explicetur à viris doctis. Ille enim liber tantum abest, vt sit Augustini viri acerrimi fidei nostræ defensoris, vt ne sit quidem viri Catholici. Legi potest A.Doctor. A.Doctor quodlib. 12. art. 11. & is auctor, qui edidit censuram illius ad initium libri.

S. Augustin. Nullus ergo ex tot S. Augustini locis est, qui à variis varij obiici solent, ex quo solide probetur (quod omnes ferè recentiores illi imponunt) Augustino Angelos esse ex aëreo vel æthereo corpore. Quin etiam, vt vniuersè de Augustini hac in re sententia nunc concludam (nam in sequenti propositione aliquid aliud addam) ipse libro 3. de Trinitate capite 1. hanc quæstionem adeò perplexam iudicauit, vt fateatur excedere vires intentionis suæ. *Sed fateor,* inquit, *excedere vires intentionis meæ, vtrùm Angeli manente sui corporis qualitate per hanc occultius operantes assumant ex inferioribus elementis corpulentioribus, quod sibi coaptatum est, quasi aliquam vestem mutet, & vertant in quaslibet species corporales etiam ipsas veras, sicut aqua vera in vinum verum versa est à Domino; An ipsa propria corpora sua transforment, in quod voluerint accommodata ad id, quod agunt.* Et quamuis his verbis videri possit Augustinus supponere Angelos propria habere corpora, dubitare autem, an verè in alia conuertantur, an eadem ipsa transformentur, tamen res non ita est. Quia paulò supra in eodem capite enumerauerat aliud membrum quæstionis, quod in dubium verterat, & non supponit; Vtrum scilicet quando Deus humanis se visendum præbebat aspectibus, ad hoc opus aliqua creatura formata sit. *An verò Angeli, qui iam erant ita mittebantur, vt ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de natura corporea in vsum ministerij sui, an ipsum corpus suum, cui non subduntur, sed subditum gerunt, mutantes,* & cætera. Quibus verbis in dubium vertit, an Angeli sumant corpora aliena, an suo fungantur, cum sua à Deo iniuncta munera obeunt. Ergo dubitat, an habeat suum corpus Angelus, an verò alieno vtatur: Hæc enim duo membra opponit ad suam dubitationem explicandam. Triplex ergo membrum est quæstionis, quæ Augustiniani ingenij vires excedit; Vtrùm scilicet Angeli sumant corpora, & an sua mutent duobus iam dictis modis; nimirum seu ea commutando in alia, seu retinendo sua, & alia superinduendo.

***

Expenduntur alia quædam Patrũ loca. § 5.

Sexto ex aliis Patribus in hanc partem citatur S. Basilius lib. de Spiritu S.cap.16.vbi sic Basilius. ait. *In cælestibus virtutibus, substantia quidem earum, puta spiritus est aëreus, aut ignis immaterialis iuxta id quod scriptũ est, Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Ea propter & in loco sunt, & sunt visibiles, dum iis, qui digni sunt, apparent in specie propriorũ corporũ.* Ergo putat Basilius Angelo inesse corpus aëreum, quod sit illi proprium, nẽpe naturale, non ascititium, extrinsecusque accedens.

Verùm etiam hęc sagitta retorquetur in sagittarios: Nam ibi docet, substantiam esse spiritum aereũ, & ignem immaterialẽ. Ergo sine corpore. Dicit autem esse aëreum, & ignem ob officia, quę illis Psalmi verbis denotantur. Cùm enim Angeli sint, id est, missi, subtiles ac veloces sunt, cum autem feruidi sint, instar ignis sunt. Itaq; Basilius ait, substãtia quidem esse spiritus, officio ac munere, aëreos atq; ignem. Vnde etiam ibi addit, esse in loco, fieriq; visibiles non ex sese, sed dum apparent specie corporum propriorum, quæ scilicet tunc induunt. Neganda itaq; est consecutio: Nam sunt propria corpora, nõ quæ sint à natura, sed quæ propria fiant tunc, dum cõparantur, sicut equus vel emptione vel donatione, &c. fit proprius alicuius, cuius non est à natura. Sed quid sentiat Basilius, infrà videbitur apertiùs.

Nazianzen. Citatur etiam S.Nazianzen.orat.34.38.& 41. Verum nihil ibi ad rẽ reperio. Quis verò sit Nazianzeni sensus, dicam infrà, hunc beatissimũ auctorem semper esse sui similem; hoc est esse inter cæteros hac de re optimè sentientes. Neq; enim A. Doctor. immeritò de Nazianzen. dixit A.Doctor, eius doctrinam tanti fieri in Ecclesia Catholica, vt nullus in eo quidpiam damnare ausus fuerit. Sicut nec in Athanasio, vt ex Hieronymo refert A.Doctor infra q.61. art.3.

Damascen. Citatur etiã S.Damasc.lib.2.de fide Orthodox. c.2.vbi dicit, Angelos esse immateriales & incorporeos, quantũ ad nos. *Nã omne ad Deum collatũ,* inquit, *crassum & materiale comperitur. Sola enim verè est immaterialis & corporea diuinitas.*

A.Doctor. Verùm hic locus nõ est solidus: Nam illũ soluit A.Doctor p.p.q.50.a.1.ad 1. Angelos comparatos ad Deum esse materiales & corporeos, non quòd re ipsa ita sint, sed quòd mediũ cõparatum cũ vno extremo videtur alterum extremũ; sicut tepidum comparatum ad calidum videtur frigidum. Cùm autem Angeli sint medij inter Deum hominésq; licèt ex se sint incorporei, tamen si cũ Deo cõponãtur, sunt corporei: Et hoc esse, quod ait Damascen. Quod à simili etiam confirmari potest: nam sæpe, vt ostẽdamus, aliquid in aliqua re aliud excedere, dicimus quod exceditur cõparatione illius alterius, non habere eam naturã, quam verè habet, vt si dicamus, vinũ dulce cõparatione mellis esse amarũ, & creaturas respectu Dei esse nihil. Sic etiã dici potest, Angelos cõparatè ad immaterialem illã diuinam, incorporeámq; substãtiam, esse corporeos, & materiales; non quia perdant naturam suam; sed vt significetur, maximam intercedere distãtiam inter vtrumque terminum, vt patet in exemplis allatis. Quæ quidem doctrina cum in se contineat veritatem, reiicienda nullo modo est.

Damascen. Damascenus tamen eo loco videtur aliò spectasse: Nam ibi ostendere conatur, quanta diuinitatis sit simplicitas, in qua cùm nulla prorsus sit

A fit compositio, nulla ratione Deus est corporeus siue materialis, quia non potest esse in eo ratio potentiæ susceptiuæ, ideóque nec ratio vlla materiæ quouis modo. At Angelus, si ad hanc Dei simplicitatem referatur, habet rationem materiæ, quæ veræ materiæ proportione respondet, ex qua aliquid fit. Quia est potentia, ex qua Angelicæ affectiones, & operationes enascuntur, & ita est materialis, & corporeus Angelus proportione quadam ex forma, & materia; & hunc esse Damasceni sensum, melius constabit infrà. Quam etiam solutionem tetigit A. Doctor q. 16. de malo art. 1. ad 7. Atque hæc ad Damasceni mentem. Quoniam verò hæc omnia eodem ferè recidunt, vix distinguenda sunt. Eadem ergo ratione dixerit S. Gregorius libro 2. Moralium cap. 22. Angelos, qui incorporei sunt, esse corpus comparatione summi, & incircumscripti spiritus. Vnde patet, aliam solutionem, quam obiter ibi quoque significauit A. Doctor, non esse ad mentem Damasceni. Dixit enim, *quod possibile est, Damascenum, quantum ad hoc, secutum esse Origenem, vt crederet & Angelos & dæmones naturaliter sibi vnita habere corpora, ratione quorum, comparatione ad nos, spiritus dicantur, in comparationem autem ad Deum, corporei.* Hanc tamen doctrinam aio non esse ad mentem Damasceni ob rationem dictam, cùm solùm ostendere ibi velit, maximam Dei simplicitatem. Vt enim diximus sumit corpus pro composito. Quod etiam obseruauit optimè A. Doctor q. vn. de spiritual. creatu. art. 1. ad 14. vbi hanc ipsam Damasceni auctoritatem iterum declarat. *Solus*, inquit, *Deus dicitur immaterialis & incorporeus, quia omnia eius simplicitati comparata possunt reputari quasi corpora materialia, licet in se sint incorporea, & immaterialia.* Hæc ille.

S. Gregor.

A. Doctor.

A. Doctor.

Citatur etiam S. Gregorius hom. 1. in Euang. quæ est de Epiphania, inquirens, cur Angelus pastoribus, Magis verò stella apparuerit; soluit quæstionem sic. *Iudæis*, inquit, *tanquam ratione vtentibus rationale animal, id est, Angelus prædicare debuit.* Ergo est corporeus, vt sunt animalia.

S. Gregor.

Sed facilè soluitur: Nam per rationale animal intelligit idem, quod viuens ratione vtens; nam alioqui putaret, habere sensum & appetitū, si esset propriè animal. Non valdè dissimili ratione interdum Deus dicitur corpus à Tertulliano, vt est apud S. Augustinum libro de hæresibus hæresi 86. vbi Tertullianum interpretatur Augustinus, vt Deum esse corpus, idem sit, atque esse substantiam, non autem nihil. Et hoc pacto sine dubio S. Athanasius dixit, Angelum esse animal rationale, in libello de Naturali communione similis essentiæ inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum in titulo de Angelis, quorum naturam describit his verbis, *Angelus est animal rationale, expers materiæ, hymnis dicendis aptum, immortale.* Vbi nequit intelligi propriè animal, sed mente viuens. Nam si propriè animal, quomodo materiæ expers? Ad hunc quoque Gregorij locum respondet A. Doctor p. p. q. 51. a. 1. ad 2. vt infrà dicam.

Tertullian.
S. August.

Athanasius.

A. Doctor.

Quis sensus sit verborum septimæ Synodi cùm dicitur: Angelos pingi posse, &c. §. 6.

DEnique ab omnibus recentioribus citatur, quod in septima Synodo; hoc est in Concilio Nicæno II. videtur Concilij consensione firmatum; Angelos esse corporeos: Nam Act. 5. refertur ex libro Ioannis Episcopi Thessalonicensis eiusdem Ioannis disputatio cum quodā Gentili de Angelorum natura, vbi is Episcopus reprehendit Gentiles, quòd malè existimarent, Angelos esse omnino expertes materiæ, ac proinde ab Ecclesia rectè solere depingi. Cuius dictis deinde Concilium consensisse, certum videtur. Referam eius verba, quia & res facessit negotium Theologis in hac materia, de qua disputamus; & è dignitate Theologi docentis est, res Theologis difficiles in medium proferre, & in veritatis quasi tribunal vocare. Sic ergo ibi

Concilium Nicænū II.
Ioannes Episcopus Thessalonicensis.

B apud Cōcilium loquitur Ioannes ille. *De Angelis, & Archangelis, & eorum potestatibus*, inquit, *quibus & nostras animas adiungo, ipsa Catholica Ecclesia sic sentit: Esse quidem intelligibiles, sed non omninò corporis expertes, & inuisibiles, vt vos Gentiles dicitis, verum tenui corpore præditos, & aereo siue igneo, sicut scriptum est, qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Sic autem multos sanctorum Patrum sensisse cognouimus, quorum est Basilius cognomento magnus, & Beatus Athanasius, & Methodius, & qui stant ab illis. Solummodo autem Deus incorporeus, & informabilis: Intelligibiles autem creatura nequaquam ex toto sunt incorporeæ, & imitabiles pictura existunt. Quare etiam & in loco existunt, & circumferentiam habent. Quanquam autem non sunt vt nos incorporei, vt pote ex quatuor elementis & crassa illa materia; nemo tamen vel Angelos, vel dæmones, vel animas dixerit incorporeas. Multoties enim in proprio corpore visi sunt, sed ab illis quibus Dominus oculos aperiuit. Nos igitur eos, non vt Deum, sed vt creaturas intelligibiles, & ministros Dei, non tamen verè incorporeos pingimus, & colimus. Quod autem forma hominis pingantur, in causa est, quod in ea visi sunt, si quando ministerium Dei apud homines obierunt.* Hæc cùm lecta fuissent, Tarasius Patriarcha veluti epilogo resumens, quæ iam ab eo lecta, ac dicta erant, exponit Concilio sententiæ illius summam his verbis. *Ostendit Pater*, nempe ille Ioannes Episcopus, *quòd Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possint, & vt homines apparuerunt.* Quæ

C

Tarasius.

D vbi proposita sunt Synodus sacra respondit: *Etiam Domine.*

Ex quo loco sic fit pro aduersantis sententiæ parte argumentum. Concilium ea omnia probat sua definitione, quæ approbanda lecta ab eo, & proposita illi sunt. Sed illi approbanda & lecta ab eo, & proposita sunt, Angelos esse corporeos, & tanquam corporeos esse pingendos, & cætera. Ergo Concilium approbat sua definitione ipsos esse corporeos, & tanquam corporeos depingendos. Minor argumenti est certa ex verbis relatis. Maior patet: Quia Concilium approbat aliquid, vt vidimus; Certè nonnisi quod

E propositum, & lectum ab illo est in hunc finem, vt ab vniuerso Concilio comprobetur: Cùm autem Concilium nihil restringat, sed generatim consensum præbeat omnibus, quæ proposita, & lecta sunt, sequitur quæcumque proposita & lecta sunt, à Concilio comprobari. Ergo de fide videtur definitum, Angelos esse corporeos, ex aëre compositos. Ex quo etiam argumento refellitur, quod nonnulli recentiores Theologi dicūt, Concilium stabilire quidem esse depingendos, non tamen esse corporeos. Refellitur inquam, quia generatim videtur statuere, quæ illi proponebantur, vt probatur iam facto argumento.

Refel

A Refellitur etiam secundò, quod alij dicunt, vtrumque quidem probari à Concilio, sed stabilem Ecclesiæ definitionem non esse nisi conclusionem. *Non enim definitur omne, quod pro ratione affertur*, inquit Valentia Disput. 4.q.2. p.1. ad 2. Idémque docet Gabriel Vasquez p.p. disput. 178.cap.5. & alij complures moderni. Contra quos est idem argumentum: quia Synodo videntur probari generatim, quæ dicta sunt. Aut certè assignandum esset, quæ particula definitionis colligatur, rationem posthaberi à Concilio, teneri conclusionem. Si autem omnia illa comprobet, omnia fide catholica tenenda sunt: Nam Côciliorum definitiones nihil aliud sunt, quam eorundem consensiones in aliquam veritatem. B Sanè si eiusmodi explicandorum dogmatum ratio introducatur, magna pars eorum, quæ in Conciliis stabilita sunt, ac certa, reuocari in dubium poterunt, tanquam ea sint, in quæ definienda Concilij auctoritas non sit satis. Quod certè Ecclesiæ Catholicæ magnum detrimentum afferret. (Valentia. Vasquez.)

Nec Scriptura aut Patres huiusmodi vnquam exceptionem tradidere. Immò generatim, atque amplè singula, quę in Conciliis decernûtur, aut docentur, omnibus Catholicis esse amplectenda verbis amplissimis iubent. Sic S. Athanasius in epistola ad venerabiles in Aphrica Episcopos non longè à principio ait. Arrianos frustra cogere aliud Concilium aduersus Nicænam Synodum, cùm scire debeat, *omnem plantationem, quam non plantauerit Pater cælestis, eradicandam esse*; C nempe quæcunque per ipsorum conciliabula tradi possunt: Quibus opponit ea, quæ in Nicæna Synodo scripta sunt, nempe hæc omnia æterna esse. *Verbum autem*, inquit proximè post prædicta, *illud Domini per œcumenicam Nicææ Synodum manet in æternum*. Ergo non solæ definitiones, sed simpliciter verba in ęternum manent. Sic etiam S. Gregorius absolutè libro 1. epistola 24. dicit anathema non recipientibus quinque generalia Concilia, quæ sub illo tempore celebrata erant. Quod adeò verum est, vt vel ipsa admissio personæ ad ipsum generale Côcilium declaret, ipsam esse Catholicam. Quod expressis verbis obseruatum est à S. Gregorio D Nazianzeno in epistola priore ad Clidonium. Vbi cum Apollinaristæ negarent, se esse hæreticos; propterea quod in Concilio quodam Catholico se receptos esse testabantur, Gregorius pollicetur, se id probaturum, si id, quod dicebât, verùm esse ostenderent. *Ostendam*, inquit, *hoc, & nos acquiescemus: Perspicuum enim erit, eos rectæ doctrinæ [illegible]atiri. nec enim res se aliter habere potest, si id [illegible]* Idem patet apud alios Patres; de [illegible] auctores, qui de Conciliorum auctoritate [illegible]erunt. Ratio etiam est in promptu: quia [Concili]um non minus repræsentat Ecclesiæ [illegible] veritatem in definitionibus, E quam in [illegible] fundamentis & rationibus; Vtrobique enim est congregatio in Spiritu sancto, ac proindè ipse in medio eorum est, Matth. 18.& semper dici potest, vt primum Concilium Act.15. confidenter dixit: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*, & cætera. (Athanasius. S.Gregor. Nazianzenus. Matth.18. Act.15.)

Quocircà aliter respondendum censeo, hunc Concilij locum non aduersari Angelorum simplicitati; Nam quod attinet ad definitionem, negamus Concilium definire ea omnia, quæ lecta, & recitata sunt. Nam, vt dicam mox, quædam sunt apertè falsa; sed ea solùm definire, quæ Concilio tanquam definienda proposita fuere; atque ita cum hac restrictione est vera maior, sed minor est falsa: Non enim alia proposita definienda sunt, nisi quæ Tarasius Patriarcha in summam collegit illo epilogo, quem retulimus: Nam cætera tanquam historia quædam recitata sunt ex illo libello; In summam autem collegit, quæ continentur illis verbis: *Ostendit Pater*, & cætera, in quibus duo solum, vt vidimus, continentur. Vnum quidem, *Quid Angelos pingere oporteat*. Alterum quod est veluti motiuum, & ratio, cur moueri debeat assensus Côcilij, *Quando circumscribi possunt, & vt homines apparuerunt*. In quibus duobus nihil continetur absurdi. Non enim dicit, quia sunt corporei, sed quia corporei apparuerunt. Vnde circumscribi possunt pictura aliqua. Nimirum in eo corpore, quod assumunt pro varietate apparitionum, vt specie ignis, fulguris, & cætera; & præsertim in figura hominis, in qua plerumque apparuerunt; Quæ doctrina nihil habet incommodi, & Conciliorum auctoritati mirè congruit: Falsa autem sunt illa ex illo Ioanne; Primùm, quia ait, Gentiles putare, Angelos esse incorporeos, vt patebit sequenti Difficultate. Deinde SS. Basiliû, & Athanasium Angelis tribuisse corpora, quod falsum esse diximus, & fusius patebit mox; Tertiò falsum apertissimè est, quod ait, Ecclesiam Catholicam ita sentire, vt ipse aiebat. Cuius dicti falsitas patebit, cùm referemus Patres & alios Doctores in secunda Propositione. (Tarasius. Basilius. Athanasius.)

Citari etiam solet Rupertus Abbas libro 1.de Trinitate cap.11.& libro 1.in Gen.cap.11. & libro 1.de Victoria Verbi Dei cap.26.& 28. Quibus in locis dicit esse corporeos. Verùm non est operæpretium omnes examinare; Non negarim tamen hunc auctorem in eo cap.28. dicere, oppositum posse etiam probabiliter affirmari. (Rupertus Abbas.)

Ex recentioribus clarè hanc sententiam docuit Caietanus in illud ad Ephes. 2. *Secundùm principem potestatis aëris huius*. Vbi ait, dæmones esse spiritus aëreos, & id consonare veræ philosophiæ, & rationi: Quia debet dari natura, quæ sit loco motiua scilicet motu progressiuo, eadémque intellectiua sine cæteris facultatibus, quemadmodum dantur cæteræ differentię seorsim à cæteris, vt nutritiuum tantùm, nutritiuum & sensitiuum, nutritiuum sensitiuum & locomotiuum, & nutritiuum sensitiuum locomotiuum & intellectiuum. Subdit tamen, se non intelligere; debere esse aëreos ex elemento aëris, sed quoddã subtile corpus nostris sensibus ignotum. Idem senserunt nonnulli alij recentiores, quorum aliquot nominat noster Suarez disputat.35. Metaphysica sect.3. num.9. Quorum interpretandorum aliis curam relinquo. (Caietanus. Ephes.2. Suarez.)

Quo pacto verum sit Patres omnes simpliciter consentire Angelos esse incorporeos, vbi maxima eorum pars recensetur, inter quos etiam quædam Augustini loca insignia afferuntur. § 7.

SEcunda propositio. Maxima, ac pręcipua Patrum pars sensit, Angelos esse incorporeos, ita vt dici verè possint in hanc veritatem omnes

Patres cõsensisse. Prior huius Propositionis pars efficaciter probatur enumerando omnes Patres, quorum testimonia de Angelorum natura extare possunt, indeque inferemus, maximam, ac præcipuam Patrum partem ab hac sententia stare; hancque simpliciter Patrum esse sententiam.

Dionysius Areopagita. Primus autem sit, Theologorum Magister, Dionysius Areopagita, cuius semper auctoritas tum per se magni fieri debet, tum præsertim in materia Angelicæ naturæ, vt infrà dicam. Is ergo cap. 4. de Diu. Nom. initio, cum ostenderet, Deo inesse bonitatem per essentiam suam, in cæteras verò creaturas deriuari ab ipso, quemadmodum radius à sole diffunditur, eámque multò meliùs communicari perfectioribus creaturis, vt Angelis, qui nobilioris sunt naturæ, sic subdit. *Propter ipsos* nempe radios diuinę bonitatis *subsistunt intelligibiles, & intellectuales omnes, & substantiæ, & virtutes, & operationes. Propter illos sunt, & viuunt, & vitam habent indeficientem, & imminorabilem à corruptione vniuersa, morte, & materia, & generatione mundo existentes, & ab instabili & fluxa, & aliquando aliter ferente variatione eleuata, & sicut incorporales & immateriales intelliguntur, & sicut mentes supermundanæ intelligunt*, & cætera. Quibus nihil dici potest apertius: Etenim omnes intelligibiles, intellectualésque substantias ait esse à corruptibilitate liberas, necnon & à materia, incorporales, & immateriales. Vt credam, Dionysio viro sanctissimo venisse in mentem hæc ipsa tam multis verbis explicare, ne vnquam de hoc tanti momenti dogmate in dubium eius sententia reuocari posset. Sunt ergo mentes supermundanæ, incorporales, & immateriales quoad substantiam, virtutes & operationes. Idem ferè ad verbum repetit cap. 7. cùm de Angelis ait, *Ab omni materia, multitudineque & admixtione soluta, ac liberæ mentes sine materia æqualiter*, & cætera. Vides ergo sine materia & compositione liberas, ac solutas mentes: Nec his contentus addit ad maiorem rei declarationem, de Cœlest. Hierar. cap. 1. & 2. & alibi sæpè, Angelos esse materiæ expertes, corpore ac figura, soláque mente concipi posse. Immò in eo cap. 4. de diu. Nom. longè post medium expressissimè docet, corpus nõ esse mali seu peccati causam, quia dæmones sine corpore peccare potuerunt. *Quoniam autem* inquit *neque mali causa est anima corpus, manifestum est ex eo, quod potest & sine corpore malum esse, sicut in dæmonibus.* Nullo igitur pacto dubitari potest, quin à S. Dionysio omne negetur Angelis corpus, etiam quod sit illis naturaliter vnitum, quemadmodum animæ rationali corpus humanum: Nam, vt vidimus, negat corpus esse causam peccati, quia fuit in dæmonibus peccatum; Quæ ratio omne corpus excludit.

S. Ignatius. Secundus sit S. Ignatius in Epistola ad Trallianos, vbi vocat Angelos spiritus sublimitatem, cum ait se intelligere posse cœlestia *Cherubim, Seraphimque excellentiam, & spiritus sublimitatem, & Domini regnum, & incomparabilem Dei patris omnipotentis diuinitatem.* At quomodo essent spiritus sublimitates, si aut corporea materia componerentur, aut materiam informarent?

S. Irenæus. Tertius sit S. Irenæus libro 2. cap. 54. vbi postquam cap. 53. improbauit errorem Gnosticorum, qui Demiurgum; hoc est rerum opificem, putabant esse *dominum animalem*, ostendit, ex eorum positione sequi, Angelos, & ipsos Gnosticos, qui se inter creaturas spiritales reponebant, esse nobiliores suo opifice, cum opifex illorum A animalis substantia sit, Angeli verò spiritales. *Animalem enim eum esse volunt*, inquit, *& per hunc facta esse non tantum quæ videntur hæc, sed & inuisibilia Angeli, Archangeli, Dominationes*, & cætera. Itaq; visibilibus nempe corporibus opponit Angelos. Ac ne putes, ipsum intelligere, Angelos habere corpora subtilia, inuisibilia tamen, quæ scilicet obtutum oculorum effugiant, pergit clariùs hoc pacto eundem errorem impugnando. Quia non possunt dicere Gnostici à Demiurgo *facta quidem esse materialia, vt puta cælum & vniuersum, qui intra eum continentur Mundum.* Quotquot autem spiritaliora his, *illa nempe quæ super cælum sunt, vt puta Principatus, Potestates, Angeli, Archangeli, Dominationes*, non esse facta ab ipso Demiurgo. Scriptura B enim *omnia, quæ prædicta sunt, visibilia, & inuisibilia ab vno Deo facta esse docet.* Ex quo patet, Irenæum opponere Angelos rebus materialibus, vt ita Demiurgum cõcludat minus nobilem esse, quã Angeli sint. Qui immateriales cũ sint, nobiliores esse oportet Demiurgo materiali, quippe animali.

Quartus sit S. Athanasius in libro citato *de Naturali communione*, & cætera, titulo *de Angelis*, vbi Angelum esse ait *Animal rationale, materia expers, hymnis canendis aptum, atque immortale.* Et in libro cui titulus est *Tractatus de Definitionibus* cap. *Quod dicitur Idioma*, negat, Angelos habere affectus & passiones. Ergo nec materiam. Ad hoc enim ponitur, vt sint patibiles. Alioqui nulla est ratio, cur ponatur, vt omnibus in confesso est. Athanas.

C Quintus S. Nazianzenus orat. 2. de Theologia versus finem, de natura Angelica ait, *Ne hãc quidem, tametsi corporis expertem, incorporeo modo cernere possumus, quæ propterea ignis, ac spiritus appellatur, aut efficitur. Deus enim, vt literis sacris proditum est, Angelos suos spiritus facit, & ministros suos flammam ignis*, & infra. *Sed sint sanè illi incorporei, vel quàm maximè ad hoc accedant, vides, quàm circa huiusmodi sermonem caliginemus*, & cætera. Ostendit enim, difficilem de iis esse sermonem, multóque difficiliorem de ipso Deo. Neq; officit quod dicat, *Aut quàm proximè*, quia non est dubitantis particula: Nam absolutè dixerat esse corporis expertes: sed concedentis; etiam posito quod ad incorpoream naturam proximè accedant, rem difficilem prorsus D de iis esse aptè, veréque loqui, vt argumento cõficiat, Deum esse ineffabilem. Et orat. 2. de Paschate ante medium loquẽs de Deo ait, primùm Angelos & cælestes spiritus cogitasse, *Atque ita* inquit *secundi splendores procreati sunt, primi splendoris administri, siue spiritus intelligibiles, siue ignem quasi immateriatum, & incorporeum, siue aliam quandam naturam, proximè ad eas quas diximus, accedentem, eos existimare oportet.* Cùm ergo dicat, esse spiritus intelligibiles, & ignem quasi immateriatum & incorporeum, non potest sentire, eos esse corporis ignei: Non enim ignis est quasi immateriatus, sed verè materiatus. Dixit autem *quasi*: quia est E particula similitudinis, & qua alluditur ad illud, quod figuratè dicitur in psalmo. *Qui facit*, & cætera; Vt sensus sit; sunt intellectuales spiritus, & instar illius ignis, immateriati tamen, & incorporei ob leuitatem & feruorem, quia in psalmo dicitur. *Qui facit*, & cætera. Quod verbis Damasceni mox citandi clarum fiet. Clarissimè etiam in Carmine quod idem scripsit in Laudem Virginitatis, vbi non longè post initium sic Angelorum naturam figurauit. Nazianzen.

— Leuius nil nanque est mentibus illis.
Pneumata sunt etenim, flammaque per aera puram
Curren

Currentes, prompte sublimia iussa capessunt.
His neque connubium, nec curæ, ægriq; dolores,
Non motus, turbas miseras in corde cientes.
Non etiam membris dirimuntur. & pòst.
His mens & simplex natura. —

Quamobrem si mentes sunt & simplex natura, ergo non sunt compositi ex corpore.

Basilius. Sextus sit S. Basilius hom. *Quod Deus non est auctor malorum* in fine, vbi de Diabolo sic loquitur. *Natura ipsius incorporea est secundum Apostolum dicentem, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus spiritualia nequitiæ.* Vbi etiam vides, opinione Basilij, id ab Apostolo definiri.

Epiphanius. Septimus sit S. Epiphanius hæresi 26. *Dæmon* inquit *spiritus est incorporeus* apud Valentiam p.p. disp. 4. q. 2. p. 1. Cuius etiam auctoritate longè melius probatur nostra sententia ex iis verbis, quæ scribit ipse eadem hæresi 26. post medium. Vbi Gnosticorum impudentiam, cùm aiebant, dæmones concipere fœtum in vtero, non aliter ridet, nisi quia *Multa est stultitia eorum, qui talia dicunt. Si enim dæmon à corporibus assumit, ac concipit, non amplius est spiritus sed corpus.* Ergo dæmones nullum habent corpus, sed spiritus prorsus incorporei sunt.

Nyssenus. Octauus sit S. Nyssenus libro de vita Mosis ante medium. *Verus sermo* inquit *ad nos vsque descendit, Angelos, qui natura incorporei sunt, in adminiculum cuique custodem constitutum fuisse.* Et orat. 4. de Oratione Dominica *Omnis* inquit *creatura rationalis partim in incorpoream, partim in corpoream naturam diuisa est: Est autem Angelica quidem incorporea, Altera verò species nos homines sumus; Atque illa quidem incorporea cum sit, sola mente comprehenditur.* Et quamuis addat, eam sola mente comprehendi, *Vt quæ nimirum à grauante corpore remota, atque seiuncta sit*; quia ait, se loqui *de hoc duro renitenti, ac pondere suo ad terram vergente corpore*: Tamen id non dixit, quia aliud corpus subtile concedat, qui Angelos in partem ei, quam simpliciter corpoream dixit, oppositam collocauit, sed quia putauit, non aliud corporis genus viuentibus posse assignari: & hoc sublato, sola mentis cogitatione rem comprehendi: Quod falsum esset, si extra hoc genus corporis, aliud subtile, & aëreum esse posset. Sensu enim sentiretur etiam, vt cum nobis apparent.

Theodoret. Nonus sit B. Theodoretus in Epit. diu. decr. cap. de Angelis initio. *Angelos autem, nec vt Græcorum Poëtæ, & philosophi in Deos referimus, nec in masculinum & fœmininum sexum incorpoream naturam distinguimus, nec intemperantis coitus, qua sub aspectum non cadunt, potestates accusamus.* Et paucis interiectis sic habet. *Immortali autem naturæ superuacanea est generis diuisio: Neque enim incremento opus habent: cum non diminuantur; neque coitu, cùm sint à corporibus liberi: & hac docet sacra Scriptura.* Et aliquantò pòst redarguit eos, qui putarunt, ex Angelorum cum fœminis commercio filios prodiisse; *Quando ergo audierimus sacram scripturam dicentem, Ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, ne incorporeos Angelos accusemus*, & cætera. Et libro 3. de Curandis Græcanicis affectionibus, de Angelis ait *Quot millia eorum spirituum ab initio esse sanxit, tot repente simul produxit, vt superfluus illis fuerit fœminarum vsus, qui vt immortales propagatione non indigent, ita incorporei commixtionem non patiantur.* Damnat ergo figmentum illud de Angelorum cum fœminis congressu ex eo, quod nec indigent commercio fœminarum ad sobolem procreandam,

A cum immortales sint, nec possunt incorporei spiritus, qui sexum masculinum non habent, corpora cum fœminis commiscere. Quæ vtraque ratio mirè naturam Angelorum exprimit, causamque, cur generare non possent Angeli, ex natura rei Peripateticè profert.

E Euseb. C. Decimus sit Eusebius Cæsariensis libro 4. de demonstratione Euangelica cap. 1. *Cum Deus vellet diuitiarum suarum thesauros pluribus impertiri, essetque iamiam omnem rationalem creaturam in lucem producturus, incorporeas videlicet quasdam, atque intellectuales diuinas potestates, Angelos, atque Archangelos materia expertes, & ex omni parte puros spiritus produxit.* Vt mirum sit, ipsum libro 5. de Præp. Euang. cap. 4. vt retuli suprà in Prima sententia,

B Angelos coisse cum mulieribus, opinatum esse, & filios suscepisse. Nisi fortè ibi ad suspicionem, hic ad veritatem dixit. Aut certa ea putauit in assumptis corporibus contigisse. Vel, quod magis reor, Plutarchi sententiam explicare voluit, eorúmque Gentilium, qui bella gigantum cum Deo commenti sunt. Quod tamen nunc aio, est, Eusebium pro nostra, non pro contraria sententia stare, existimandum esse.

Eucheri. Vndecimus sit Eucherius Lugdunensis, qui floruit circa annum Domini 450. serm. in Dedicatione Ecclesiæ. *Angeli* inquit *quando volunt corpus assumunt, quo videri, & tangi, loqui & manducare possint.* Et paulò pòst. *His autem ad tempus induuntur, quo cum se expoliauerunt, mox in eundem aërem resoluuntur.* Solum ergo adscititia corpora nouit;

C Quibus natura sua non alligentur, & multò minus, quibus ipsorum substantia conffetur.

Cyrillus Duodecimus sit Cyrillus libro 4. in Io. cap. 10. *Furoris* inquit *penitus plenum est, Angelos, qui natura incorporei sunt, rudiori vti alim nto putare. Patet: quia spiritus sunt, naturáque intellectus.* Quibus dici nihil clarius potest. Ex quo optimo loquendi modo duo animaduertenda diligenter sunt. Primum est, adeò certum esse, Cyrilli sententia Angelos carere corpore, vt putet amentis esse, aliter sentire. Alterum est, quod mirificè illustrat rationem A. Doctoris, quam significauit in hoc

D articulo, & qua in primis vtitur q. seq. a. 1. ad probandos Angelos incorporeos. Nempe ex eo ostendi à Cyrillo, Angelos carere corpore, quia naturâ sunt intellectus. Quod iisdem locis à nobis examinabitur accuratè.

Chrysost. Decimus tertius Ioannes Chrysostomus, qui luculenter in hanc rem scripsit hom. 22. super Genesim. Ponam eius verba ob duplex nectar, & veritatis, & eloquentiæ. *Quanta* inquit *dementia plenum fuerit dicere, Angelos deiectos, vt cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura copuletur corporibus?* Nónne vides hic, quàm eleganter exprimat, quod modò ex Eusebio dicebamus; nempe naturam immaterialem cum natura materia-

E li, & corporea, carnalem copulam habere non posse? Immò id esse dementia plenum, quod Cyrillus dixit plenum furoris. Sed ne putes, id aliquo modo esse possibile, pergit id magis declarans. *Annon audis, Dominum dicentem de Angelorum substantia: In resurrectione neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut Angeli Dei? Neque enim possibile est, incorpoream naturam talem vnquam concupiscentiam habere. Ad hac etiam cogitare oportet, quod hoc omnibus modis absurdissimum fuerit probare. Nam si sancti, & qui spiritum sanctum assecuti sunt, neque visionem Angelorum videre potuerunt. Enimverò vir desideriorum fermè animam expirasset,*

rasset, conspecta Angeli præsentia, non tamen substantia; sed transformatione solum quadam visa parum aberat, quin & animam relinqueret defectis viribus. Ita tantus ac talis vir penè absque spiritu iacebat. Quis enim etiam valdè insanus comprobaret talia verba dementia plena, quod incorporea & spiritalis natura corporis complexum ferret? His sanè veritatis telis vulnera in aduersarium adeò validè inflixit Chrysostomus, vt contrariam sententiam iugulet prorsus, nec nisi amentium dogma esse sibi persuadeat. Idem ad cap. 6. Isaiæ *Seraphim*, inquit, *dicuntur virtutes incorporeæ superna illius ac numerosissima multitudinis*, & cætera. Vbique ergo clamat incorporeos.

Isaiæ 6.

S. Gregorius. Decimusquartus sit S. Gregorius libro 4. Dialogorum cap. 29. Nam cum dixisset, incorporeũ teneri in hominis corpore, vt illud viuificet, ac proinde simili ratione posse teneri in ignẽ corporeo, vt crucietur, cúmque id incredibile Petro diacono, cum quo loquebatur, videretur, confirmat id Gregorius ex reprobis Angelis hoc pacto. *Dic quæso te apostatas spiritus à cœlesti gloria deiectos esse corporeos an incorporeos suspicaris?* Cui respondet Petrus; *Quis sanum sapiens, esse spiritus corporeos dixerit?* Vnde concludit Gregorius. *Si igitur Diabolus eiúsque Angeli, cùm sint incorporei corporeo igne cruciandi*, & cætera. Sentit ergo esse omninò incorporeos, nec sanæ mentis esse cui aliter videatur, vt mox dicam. Ex quibus patet, cùm dixit Angelum esse rationale animal, non intelligere animal corporatum, sed, vt ait A. Doctor p. p. q. 51. a. 1. ad 2. animal metaphoricè ob similitudinẽ rationis, quę est in animali, sicut dicitur Pratum ridet. Quare hîc etiam illud diligenter obserua, Gregorij sententia licèt in Petri persona loquentis, eos non *sanum sapere*, qui spiritus corporeos esse definiunt. Idem apertè colligitur ex eodem Gregorio lib. 4. Moral. in Iob. cap. 9. *Ibi duas*, inquit, *ad intelligendum se creaturas fecerat* Deus, *Angelicam videlicet & humanam*, &c. *Sed vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de corpore gestavit. Angelus namque solummodo spiritus; Homo verò & spiritus est & caro.* Ergo Gregorij sententia Angelus nec carneum quicquam, nec corporeum habet, qui solummodo spiritus est. nomine enim carnis corpus intelligit, quia alteram hominis partem significare vult.

A. Doctor.

Damascen. Decimusquintus sit Ioannes Damascenus lib. 2. de fide cap. 3. Ibi enim negat omninò, Angelis esse materiam, aut corpora siue aërea siue ignea. *Ipse Angelorum opifex ac procreator*, inquit, *vt qui eos ex nihilo in ortum produxerit, atque ad suam imaginem, effecerit naturam corporis expertem, velut spiritum quendam aut ignem materia vacantem. Quemadmodum ait David. Qui facit Angelos suos spiritus. His nimirum verbis eorum leuitatem, ardorem, feruorem, maximam penetrabilitatẽ, & acrimoniã describens.* En quod Nazianz. suprà dixit, *quasi ignẽ immateriatũ*, his verbis explicat Damascen. Dicuntur autem quasi ignis; immateriatus tamẽ ob leuitatẽ. Non ergo similitudo est ad substantiam ignis, sed ad qualitates. Pergit autem Damascenus, *Illúdque indicans, eos ad supera ferri, atque ab omni rerum cum materia coniunctarum cogitatione puros, ac secretos esse.* Hic etiam obseruabis opinor, quàm liberos ab omni materia eos faciat. Et infra his non contentus addit. *Iam verò cùm mentes sint, in eiusmodi quoque locis sunt, quæ mente ac ratione intelliguntur, non quod corporeo modo circumscribantur. Neque enim corporeo modo, quantum ad naturam attinet, figurantur, nec tribus dimensioni-*

Nazianzen.

A *bus constant.* Si his non remouet naturam corpoream ab Angelis, quæro quibusnam verbis apertius id significari possit? non enim solùm affirmat, eos non esse corporeos, sed etiam, quo sensu id intelligat, expressit. Si quidem negat, eos figurari, quia tribus dimensionibus, è quibus propriè sumitur ratio corporis, vt suprà latiùs patebit, non constent. Tandem alia quoque his adiicit non minus clara. Sic enim infra. *Quanquam autẽ illi vt corporis expertes, atq; ab omni corporea perpessione liberi nobis superiores sunt: Non tamen vt nulla in eos perpessio. Id enim soli Deo peculiare est*, & cætera.

B Decimussextus sit sanctus Hilarius libr. octauo de Trinitate lõgè post medium versus finem: vbi expressè docet, Verbum *esse imaginem Dei inuisibilem*, ac proinde non esse corporeum: Nam est imago Dei qui spiritus est, & ipsa imago est spiritus; vnde infert, non esse imaginem corpoream. Ergo inuisibile Hilario nõ est corporeum. Quod confirmat his verbis. *Si circumscribunt hunc spiritum, Christum, formali & corporali modo, non erit inuisibilis Dei imago corporea*, & cætera. Cùm ergo ibi inter inuisibilia reponat Angelos, censet, hos non esse corporeos. *Qui est*, inquit, *Dei imago inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. quia in ipso cõstituta sunt omnia in cœlis & in terra, visibilia, & inuisi-*
C *bilia, siue throni, siue principatus, siue potestates, siue dominationes*, & cætera. Supponit ergo esse spiritus non corporeos, quia inuisibiles. Hilarius.

Decimusseptimus sit sanctus Hieronymus in epistola ad Auitum, quæ est quinquagesimanona de erroribus Origenis, vbi inter alios eius errores etiam hunc enumerat, *Dæmones ob maiora delicta aereo corpore esse vestitos.* Quibus verbis si detestari videtur, Angelos vestiri corpore ob crimina, multò magis damnabit, eos habere corpora ex natura. Si enim non pugnat cum natura Angeli corpus; Quid quæso mali inde infertur, si ob crimina corpore vestiantur? Quod
D etiam patet ex iis, quæ dicit contra Origenem circa eiusdem epistolæ finem, vbi postquam damnauit transmigrationem animarum in varia corpora, & variationem naturæ spiritalis, hæc quoque subdit. *Si quis autem potuerit ostendere, incorporalem rationabilemque naturam, cum expoliauerit se corpore, viuere per semetipsam & in peiori conditione esse, quando corporibus vestitur, in meliori quando illa deponuntur, nulli dubium est, corpora non principaliter subsistere, sed per interualla ob varios motus rationabilium creaturarum.* Videtur ergo sentire, rationalem creaturam esse incorporalem, & absurdum esse vicissim exuere ac vestire corpora. Sanè Origenes, vt refert ibidem Hieronymus, non existimauit, omnem creatu-
E ram spiritalem vestiri aliquo corpore: Nam tot futuras transmutationes putauit, vt aliquando tandem corpora in nihilum redigenda sint. Vnde & quærit post medium eius epistolæ; *Quæritur etiam & tunc futura sint corpora, an sine corporibus aliquando viuendum sit, cùm redacta in nihilum fuerint, & incorporalium vita incorporalis esse credenda sit, qualem & Dei nouimus. Nec dubium est, quin si omnia corpora ad mundum istum sensibilem pertineant, quæ appellantur ab Apostolo visibilia, futura sit vita incorporalium incorporalis.* Ex quibus confirmari potest quod diximus ex Hieronymo, Origenem redargui, quod Angelos qui natura sua incorporei sunt, ob crimina intrudat in corpora; cum incorporalium vita incorporalis esse debeat. Hieronym.

Origenes. Hieronym.

Decimus

Isidorus. Decimusoctauus sit S. Isidorus lib. 1. sent. cap. 10. quod est de Angelis, vbi postquam dixit Angelum esse nomen officij, non naturæ, reddit rationem. *Natura enim spiritus sunt: Tunc autem Angeli vocantur, quando mittuntur.* Et idcircò longe infrà ait. Angelos, vt hominibus appareāt assumere corpora *de superno aere.* Quia scilicet nulla habēt quibus mortalium oculis cerni possint.

Anastasius Synaita. Decimusnonus sit S. Anastasius Sinaita tempore S. Gregorij Papæ tomo 1. Biblioth. veterum Patrum in libr. Quæstionum in Scripturam. q. 1. vbi titulus est *ex Theodoreto, de dubiis Scripturæ.* Ait enim sic. Si animus hominis esset imago Dei in eo quod in ipso non est aspectabile, *Dei imagines magis*, inquit, *vocarentur Angeli & omnes naturæ incorporeæ, vt quæ sint omninò liberæ à corpore, & mistum non habeant, quod est spectabile*, & cætera. Negat ergo Angelos habere mistum spectabile corpus, asseritque naturas esse à corpore liberas. Verum est tamen in eo quod negat, animum esse Dei imaginem modo iam dicto, cautè esse legendum: Nam Patres omnes volunt, animum esse Dei imaginem ob intellectum & voluntatem, vt videri potest apud Cardinalem Bellarminum libr. vnico de Gratia primi hominis cap. 2. Nobis tamen in præsenti sufficiat ab hoc auctore doceri, Angelos esse incorporeos. — Bellarmin.

Sophronius. Vigesimus sit S. Sophronius Archiepiscopus Hierosolymitanus tēpore Heraclij Imperatoris in Encomio SS. Archangelorum, &c. tomo 2. Bibliothecæ Patrum. *O diuini materiæq; expertes Dei exercitus*, inquit initio eius encomij, *O mentes rationeque præditæ intelligentiæ*, &c. *Vos estis quæ propter inconcussam stabilitatem, corporeæq; concretionis vacuitatem*, & cætera.

Ambrosius. Concludam vltimo loco auctoritate sanctissimi viri Ambrosij, de quo dubitatum erat in prima sentētia, & quem postremū enumero, vt eius auctoritas altius memoriæ insideat. Tantum enim abest vt is putet, Angelos esse corporeos, vt sæpè contrarium manifestè testatus sit. Et primum quidem affero locum ex eius commentariis in Pauli epistolas, si tamen eius dicendi sunt. Nam in cap. 1. epist. ad Hebræos, in ea verba *Et ad Angelos quidem dicit*, ait eum sermonem non dirigi ad solos Angelos, sed ad omnes virtutes, quæ supernis ministeriis funguntur. *Sciendum est enim*, inquit, quod Angelus non *est nomen officij sed naturæ. Qui etiam semper sunt spiritus, sed nō semper Angeli vocari possunt.* Sūt ergo spiritus incorporei. Non enim Ambrosius nomine spiritus intelligit aliquam substantiam aëream. Simpliciter enim spiritus contraponuntur corpori. Ideò enim & animus noster & Deus dicuntur sæpè spiritus. Immò & Diabolus ipse ab Ambrosio vocatur spiritus independenter ab aëreo componente, licèt non independenter ab aëre, in quo dominetur. Sic enim epist. ad Ephes. cap. 2. initio in ea verba *secundum principem potestatis aëris huius*, expressis verbis habet, Diabolum esse principem istius aëris. *Vt ostendat*, inquit, *quia hanc partem sibi vsurpauit ad exercendam dominationem. Alius est enim aër, alius princeps, sed quia in Mundo vel in aëre dominatur, spiritus aëris appellatur.* Sūt ergo spiritus. Eodem modo loquitur tractatu in Symbolum Apostolorum in fine; Vbi sæpè docet, Angelorum opera homines corporeos & graues fuisse in sublime elatos ab Angelis, qui sunt spiritus, vt Abacuc, Paulum, Philippum & alios. *Similiter*, inquit, *& Elias in corpore isto positus curru igneo, id est,* (Hebr. 1. — Ephes. 2.)

A *Angelorum subiectione, qui sunt spiritus & flāma ignis*; Nempe metaphoricè ob velocitatem. Expressissimè autem lib. 7. in Lucam cap. 12. in ea verba *Cōsiderate lilia agri* ait, florem huius mundi Angelos esse; rectèq; Salomoni viro maximo præferri, eo quòd non erat tanta gloria vestitus, vt & vnum ex illis agri liliis. Nam in Salomone *infirmitatem corporeæ naturæ veluti virtute quadam mentis adopertam operum gloria vestiebat. Angeli verò quorum natura diuinior expers manet iniuriæ corporalis vestè, licèt maximo viro, consideratione tamen nostræ iniuriæ præferuntur.* Negat ergo in Angelis esse naturam corpoream: Quæ causa est vt Salomoni præferantur. Et adhuc clariùs libro 1. in Lucam, capite primo in illud *Apparuit autem Angelus Domini*, docet, aliter Deum & Angelum apparere, aliter alia visibilia. *Non enim sensibilia*, inquit, *similiter videntur & is, in cuius voluntate est videri; naturæ autem est non videri*, & cætera. Itaque opponit naturæ sensibili Deum & Angelum: Quod non potest esse nisi quia, quà incorporei sunt, habent vt sensu percipi non possint. Atque hæ quidem omnes Patrum consentientes inter se sententiæ videntur. — Luc. 12. — Luc. 1. — B

Ex quibus manifestum est quod asserebamus in Propositione, ab hac nostra sententia maximam ac præcipuam partem Patrum stare. Maximam quidem, quia horum comparatione vix C cæteri numerantur. Dubios enim si tollas, tres residui non erunt. Præcipuam verò, quia non solùm in quoque sæculo prçstantissimos habet patronos, verùm etiam quos Ecclesia Catholica Doctores, & Theologia sibi duces elegit. Ex primæ sententiæ Patribus nonnullos esse pro nobis dicam in tertio Corollario; Quin S. ipse Augustinus, vt arbitror, etiam retractauit illā sententiam, quam dubiam illi visam de Angelorum corpore diximus: Nam libro 1. Retract. cap. 11. sic ait. *Angelorum sanctorum nomine omnem sanctam creaturam spiritualem in Dei secreto atque occulto ministerio constitutam nunc appellauerim, sed spiritus Angelicos sancta Scriptura nomine animarum significare* D *non solet.* Idem etiam patet ex cap. 16. eiusdem libri. *Quamuis in Scripturis*, inquit, *sanctis, animas dictas esse Angelorum, aut non omnino aut non possit facilè reperiri*, ac proinde rectè damnat quod alibi contra hoc dixerat. Cùm ergo soleat S. Augustinus spiritualem creaturam distinguere à corporali, negandum est, ipsum tunc sensisse, Angelos esse corporatos. Alioqui si valeret dicere Angelos esse Augustino spiritales substantias non in se, sed comparatè ad corpora; eadem ratione cùm nostrum animum appellat spiritum, dici posset, intelligi spiritum esse non in se, sed ad eadem corpora comparatum: Quod planè est absurdum, fideique Augustinóque non E congruens. — S. Augustinus.

Est etiam Augustini locus egregius in psalm. 103. vbi absolutè docet Angeli substantiam esse spiritum, & vtitur iisdem verbis, quibus vsus est Ambrosius in prędictam epistolam ad Hebręos, vt modò dicebam. *Spiritus*, inquit, *sunt Angeli, & cùm spiritus sunt non sunt Angeli: cùm autem mittuntur fiunt Angeli. Angelus officij nomen est, non naturæ. Quæris nomen huius naturæ? Spiritus est. Quæris officium? Angelus est. Ex eo quòd est, spiritus est: ex eo quòd agit, Angelus est.* Cùm ergo certum sit Augustino corpus & spiritus simpliciter opponi inter se, Angeli non erunt corporei. Quòd verò spiritus simpliciter in hoc sensu opponatur cor- — S. August.

pori, patet ex eodem Augustino libro 15.de Ciuitate Dei cap.23.initio. Ideò enim dubitat hoc pacto, nempe, *Vtrum possint Angeli cùm spiritus sint, corporaliter coire cum fœminis. Scriptum est enim*, inquit, *Qui facit Angelos suos spiritus, idest qui naturâ sunt spiritus, facit esse Angelos suos.* Quare naturâ vult Angelos esse spiritus corporeæ substantiæ oppositos. Dixi spiritus simpliciter, quia ratione alicuius adiuncti possunt intelligi corporei. Vnde ibidem Augustinus subdit. *Sed vtrum eorum corpora consequenter adiunxerit dicendo: & ministros suos ignem ardentem*, & cætera, *ambiguum est.* Vbi vides nomine spiritus, cùm Angelos appellat spiritus, intelligi substantias immateriales; Quibus vtrùm iungenda sint corpora, eo loco ambiguum est. Nobis nunc sufficit, spiritum Augustino hoc loco esse substantiam immaterialem. Vnde cùm Angelos spiritus vocat, immateriales esse sentit. Sanè in eo psalmo intelligi nomine spiritus substantias immateriales, sententia est Patrum Hilarij, Ambrosij, Didymi, Cyrilli Hierosolymitani, & Cæsarij S. Nazianzeni fratris, vt obseruāt recentiores expositores in eum locum. Constat ergo Patribus, Angelos esse incorporeos: Ad quorum etiam sententiam non difficile erit cæteros Patres in bonum sensum exponi, vt dicam infrà in tertio nostro Corollario.

Hilarius. Ambrosius. Didymus. Cyrillus Hierosol. Cæsarius.

Hinc posterior propositionis pars validè probatur: Nam plurimorum, ac sapientissimorum sententiæ non obest, vt communis censeatur; esto admodum rari dissideant. Illa enim est communis sententia, quæ plurimorum sapientum iudicio comprobatur, vtut aliqui extra chorum saltent. Præterquamquòd cùm constet esse communissimam sententiam inter Patres non errantes, simpliciter dici debet Patrum communis sententia: Nam vt verè sint Patres, debent esse veritatis patroni non aduersarij.

Non esse dubiam inter Patres sententiam, quòd Angeli careant corpore; & an aliqui in hac re errarint. §.8.

EX hac propositione ita probata colligitur primò non rectè recentiores Theologos p.p. q.50.art.1. & q.52. art.1. & Sixtum Senensem libro 5. Bibliothecæ sanctæ Annotatione 8. existimasse, hanc quæstionem de Angelorum corpore esse dubiam inter Patres. Non rectè inquā. Nam ij, qui expresè asserunt corpora Angelorum, longè aberrarunt à veritate Scripturarum; ij verò qui ancipites sunt, pro neutra sunt sententia. Non est ergo dubia sententia, ita vt Patres contrarias in partes diuidantur. Nam altera, vt dixi, pars communis Patrum est: In opposita autem non sunt expresè nisi qui veritatis fines excesserunt. Quin ipse Augustinus, qui Platoni valdè addictus est, nonnunquam fatetur, se eiusdem Platonis lectione deceptum, vt libro 1. de Ordine cap.11. tamen in hac quæstione nunquam ausus est Platoni apertè consentire. Adeò à Platone dissentientem partem vidit vir acerrimus præponderare veritate.

Sixtus Senensis. S. August.

At obiiciet nobis aliquis S. Bernardum ser. 5. in Cant. fateri: *Patres de huiusmodi re diuersa sensisse*, A *nec sibi perspicuum esse vnde alterutrum doceat.* Respondeo ipsum docere, Patres diuersa sensisse; & hoc verum est, quia alij affirmarunt corpora, alij ea de re dubitarunt, alij omninò ea negarūt; & res adhuc eius ætate explorata satis non erat, vt hoc tempore, quo Patrum sententias perspicaciùs Theologia scrutatur; idque in dies magis. Id autem non est asserere, rem esse dubiam inter Patres; An Angeli habeant corpora, quasi vtrinque sint pugnantes Patrum pro vtraque parte sententiæ; Quod à nobis iure negatum est, cùm ostenderimus omnes Patres, qua rectè sentientes sunt; hoc est non discrepantes à veritate Catholica, qui nimirum non posuerunt in Angelis corpora ad generationem liberorum, in B hanc nostram sententiam miro consensu conuenisse. Quapropter si in complectendis eorumdem Patrum sententiis nolimus errare, non habemus quemquam è Patribus in parte asserente corpora, quem tutò sequamur. Addo etiam, illos Patres, vt suprà significauimus, nō incongruè exponi posse de Angelico corpore, non quidem naturali, sed assumpto. Quo pacto etiam eos benignè interpretatur Ricardus in 2. d. 8. art. 1. q.1. ad 1. & quo etiam modo S. Bonauentura ibidem ad 3. ait intelligendum esse S. Bernardum.

S.Bernard. Ricardus. S. Bonauentura.

Colligitur secundò errasse eos, qui Angelorum corpora ad sobolem è mulieribus generan- C dam fecerunt, vt Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, cæterique quos retulimus; si tamen id verè senserunt. Errarunt autem primò ij, qui sibi persuaserunt, illud peccatum fuisse Angelis suæ dignitatis ruinam: Nam, vt eximiè ait S. Chrysostomus hom.22. citata in Genes. Scriptura sacra aliter docet, cùm ait Sap.1. Inuidia Diaboli mors intrauit in mundum. *Cæterum quid dicunt isti?* inquit ibi Chrysostomus, *certè aiunt fuisse illos quidem Angelos, sed quia ad iniquum hoc opus descenderunt, sua eos dignitate excidisse. En iterum fabulosius aliud. Quid igitur? Num exciderunt Angeli, & hac ruina illorum causa fuit? Verum scriptura nos aliter docet, antequam formaretur Adam, à sua dignitate excidisse diabolum. Ait enim sapiens, inuidia Dia-* D *boli mortem intrasse in mundum. Nam si non ante factum hominem excidit, quando in tanta dignitate manens inuidit homini? Neque enim consentaneum est, Angelum in tanta dignitate constitutum inuidisse homini corpus gestanti*, & cæter. Sanè Angelos ab initio mūdi peccasse, nimirum antequam Genes. 6. filij Dei ingressi sint ad filias hominum pulchras, palàm docet Christus Ioan.8. vbi ait, Diabolum fuisse mendacem & homicidam ab initio mundi. Propterea quod initio mundi cum primum creatus est homo, ei mortiferum peccati venenum propinauit, cum illum specie ser- E pentis induxit ad peccandum. Ex quo Ioannis loco cuncti Patres putant, Diabolum peccasse vel odio hominis, cum primùm factus est homo, vel quo sensu Augustinus tract.42. in Ioannem ait. *Ex illo ille homicida, ex quo potuit fieri homicidium, ex quo factus est homo*, & cætera. Vel animo & voluntate; nempe designatione homines futuros occidendi, si ante hominem conditum id propositi habuit, vt complures alij censuere, vt obseruat noster Maldonatus in illum locum. Immò peccatum primum Angelorum fuisse superbiam, constans est omnium Patrum, Theologorúmque sententia, & nos suo loco ostendemus, vt inde notanter ab Ecclesiastico cap. 10. dictum

Tertullian. Cyprianus. Lactantius. Chrysosto. Sap. 1. Ioan. 8. Maldonatus. Ecclesiastici 10.

dictum sit, *Initium omnis peccati esse superbiam.* A Non ergo luxuria, quæ cum mulieribus exercetur, fuit Angelis occasio ruinarum. Id enim peccatum luxuriæ mille annis post orbem códitum commissum fuisse notat Pererius Disputat. 1. cit. in Gen.

Lactantius. Iosephus. Iustinus. Coqueus. Cyrillus.

Secundò errarunt quoque ij, qui Angelis iam in beatitudinem transcriptis huiusmodi notam inusserunt, cuiusmodi est Lactantius, vt suprà vidimus, & Iosephus libro 1. Antiquit. Iudaic. cap. 4. & Iustinus, & alij, vt obseruat Leonardus Coqueus in librum 15. Augustini de Ciuitate Dei cap. 23. Nam, vt ait Cyrillus libro 9. aduersus Iulianum, *Perquam noxium est audire & credere, ipsos sanctos Angelos corporum formositatibus affici, & oblectari tam prophanis, & absurdis voluptatibus.* B

Theodoret.

Quod adeò verum est, vt à Theodoreto q. 47. in Genes. huius sententiæ auctores vocentur *nimis stolidi, & stupidi, qui existimarunt esse eos Angelos, putantes suæ forsan intemperantiæ patrocinium habituros, si Angelos eiusdem criminis reos tenerent.* Et adhuc eosdem acriùs exagitat in epitome diuinorum Decretorum cap. de Angelis, vbi ait. *Extremæ dementiæ est hominum incontinentiam Angelis tribuere.*

Cæsarius.

Nec minùs eos carpit Cæsarius Nazianzeni frater Dialogo 7. suprà citato inter opera Nazianzeni. Vbi *Absurdum,* inquit, *& planè stultum est, putare ipsos* Angelos *cubare cum mulieribus*; additque etiam esse *blasphemum.* Ratione etiam Theologica euinci possunt aduersarij: Nam vt suo loco C dicam, Angeli sancti ad visionem Dei claram euecti sunt, eo ipso momento, quo improbi è cœlo deciderunt. Ergo post illud instans nó potuerunt ampliùs in crimen incurrere, quandoquidem certum est, beatos post adeptam beatitudinem ita in gratia cófirmari, vt in peccatum labi nequeant: Tum quia beatitudo ac felicitas, sine perpetuitate non est.

Aristoteles.

Ver enim, inquit Aristoteles libro 1. Ethicorum cap. 7. prope finem *nec vna facit hirundo, nec vnus dies, & beatum hominem eadem modo nec vnus dies, nec vllum breue efficit tempus.* Si enim beatitudo explere debet appetitum perpetua sit oportet. Alioqui esset animus anxius ob non certam tanti boni futuram pos- D sessionem. Quandoquidem felicitatem finiri quoddam infelicitatis genus est, vt fusiùs ostenditur 1. 2. q. 5. art. 4. Ergo beatitudo non potest peccato interrumpi: Tum quia ipsa Dei visione beatus apprehendit omnem rationem boni, & nullam mali, quæ causa est vt beatus non possit se à Deo auertere, ac proinde nec in peccatum labi, quia in Dei amorem felici necessitate constringitur, vt ostenditur eadem 1. 2. q. 9. art. 2. Vbi id docet A. Doctor.

A. Doctor. Pamelius. Philastrius.

Plura in hunc errorem scripsere alij Patres; de quibus Iacobus Pamelius in Paradoxum 1. Tertull. Certè Philastrius libro de hæresibus cap. 108. inter hæreses recenset; Asserere, Angelos cum fœminis coisse, atque E extitisse gigantes.

Cassianus.

Vtrum autem eius rei falsitas possit ratione philosophica demonstrari, dubitari potest. Cassianus collat. 8. cap. 21. putauit, hoc vno argumento validè confutari, quod ob elegantiam referam eius verbis. Quia *si hoc aliquando secundum literam fieri potuisset, quomodo nunc quoque idipsum vel non rarò contingeret, vt absque semine vel coitu viri aliquos nasci similiter de mulieribus conceptu dæmonum cerneremus? cùm præsertim constet, eos libidinum sordibus admodum delectari, quas proculdubio per semetipsos exercere plusquam per homines mallent, si illud vllo modo potuissent impleri?* Quæ argumentatio quibusdam videtur eneruis duplici de causa. Primò quia eius erroris propugnatores dicerét, Angelos ea potestate semel tantum Dei permissu fuisse vsos, deinceps a Deo prohibitos, sicut possent quidem de facto nocere hominibus, vt Iobo nocuere, Deum tamen non sinere, vt ea potestate vtantur in alios.

Verumtamen hæc responsio non eneruat rationem Cassiani: Nam in dęmonibus manserunt integra naturalia, vt dicam suo loco, quorum vires licet diuina prouidentia fiat vt loco & tempore non exerantur, tamen nunquam generatim comprimuntur ita, vt interdum non prodeant foras. Hoc in aliis peccatorum generibus cernere licet, etiam in magnum detrimentum hominum: Nec assignari posset dispar ratio; præsertim cum sæpè visi sint dæmones incubi & succubi conari ad prolem; de qua re nos infrà accuratè disceptabimus, & fusè agit Martinus Delrius libro 1. Disquisitionum Magicarum cap. 3. q. 5. vbi narrat Buscoducis personatum dæmonem cum vxore concubuisse asserentem, vt sunt petulantes ebriosi, se dæmonem gignere velle; natum autem ex eo concubitu infantem Dæmoni facie similem, qui simul ac natus lasciuire ac saltitare cœpit: Quæ quidem generatio è semine hominis iniecto fuit, quia non posse suapte vi dæmones generare nos infrà ostendemus. Secundò dicerent propugnatores, vt ait Pererius ibidem, non esse incredibile multos qui filij hominum putantur, satu dæmonum esse generatos, si nimirum habent huiusmodi potestatem. Non enim discerni facile posse dicerent, dæmonésne sub specie & figura viri, an ipsi re vera viri fœminas inierint; de qua etiam re dicam fusius infrà.

Delrius.

Probatur ergo meliùs aduersus illam sententiam: quia Angeli non habent corpus aptum, nec instrumenta ad concoquendum semé: quod est cibi residuum concocti. De qua re vide quæ scribit idem Martinus Delrius libro 2. cit. q. 15. & quæ nos infrà dicturi sumus longè copiosius.

Si dæmones haberent corpus ad prolem, esset crassum, nostróque persimile, vbi etiam de sententia Tertulliani, ac de gigantum generatione. §. 9.

Tertulli.

COlligitur tertiò, illum errorem de Angelorum prole supponére, Angelos non quocumque corpore esse præditos, sed nostro crasso & terreo, quia debebat esse aptum ad prolificum semen, vt diximus; & ita hanc doctrinam concedit Tertullianus libro 2. contra Marcionem c. 9. vbi veram carnem humanam concedit Angelis. *Dehinc scito,* inquit, *nec illud concedi tibi, vt putatiua fuerit in Angelis caro, sed vera ac solida substantia humana;* Quod repetit cap. 11. num. 72. Negabat enim Marcion veram Christi carnem, & phantasticam asserebat; idque ex carne Angelorum confirmabat: Idémque videtur sentire de carne humana omnibus illis locis in quibus cómemorat, Angelos desertores duxisse filias hominum vxores.

Quæ tamen opinio est adeò absurda, vt non sit opus confutatione. Nam tot tantique effectus sunt,

sunt, qui ab Angelis tum probis tum impiis proficiscuntur, vt non possint explicari, si hæc ij crassa ac terrena gestent corpora. Illi enim expeditas habent cogitationes, incredibilem in se ipsis mouendis velocitatem, subtilitatem in penetrandis corporibus tantam, vt innumerabiles propemodum esse possint in vno hominis corpore, vt dicam q.seq.a. 1. & alia plurima, quæ cum corpore nostro crasso ac terreo nullo modo possunt consistere. *Corpus enim quod corrumpitur* inquit Sapiens Sap.9. *aggrauat animam*, & cætera: hoc est cum onerosum sit, reddit animum prægrauem, & quasi ferreis vinculis onustum, ne celerrimas agitet cogitationes, ne velociter se moueat, ne alia corpora peruadat. Vt meritò Plato in Cratylo luserit in nomine corporis; quod scilicet si fiat vnius literæ mutatio, meliùs significetur esse animæ sepulchrum, quàm corpus ipsum. *Etenim quidam corpus hoc* inquit, quod Græcè σῶμα dicitur *animæ σῆμα sepulchrum esse tradunt; quasi ipsa præsenti in tempore sit sepulta*, & cætera *& idcirco σῆμα sure vocari posse*. Hæc ergo nullo modo congruunt Angelis corpora. Præterea essent verè ac propriè corporei, quod negant Scripturæ, & alij Patres vt ex dictis patet. Immò ipsi Tertulliano tandem id totum displicuisse, visum est: Nam libro de carne Christi cap.6.num. 60. *Constat* inquit *Angelos carnem propriam non gestasse, vt puta natura substantiæ spiritalis; & si corporis alicuius, sui tamen generis; in carnem autem humanam transfigurabilis ad tempus, vt videri & congredi cum hominibus possint.* Idem apertius etiam libro de Resurrectione carnis cap.62. *Quia & Angeli aliquando* inquit *tanquam homines fuerunt, & pedes lauacro porrigendo, humanam enim superficiem induerant, salua intus substantia propria.* Non ergo sentit Angelos naturâ suâ habere humanam carnem, sed illos aliquando fuisse humana carne veluti personatos, vt opera illa, quæ hominis sunt, exercere viderentur.

Ex qua doctrina Notandum diligenter est, Tertulliani sententiam ancipitem esse in asserendo Angelorum corpore: Nam vt vidimus ex eius verbis, Angeli natura est *substantia spiritalis*: Quod si alicuius corporis est; sui tamen generis est. Itaque potius pendet in nostram sententiam. Absolutè enim ait, esse substantias spiritales, licèt postea dubitationem addat, vt suam sententiam aperiat, quodnam corpus sit, si sit. Ait enim, si corpus aliquod coniunctum habent, esse sui generis, hoc est quale requiritur. Itaque hic negat, quod alibi semper affirmat locis citatis; eos esse scilicet corpore ad generandum apto, nempè humano. Ex quo consequens est, vt neget omne corpus, quia alterius non meminit; Et ideò dubiè satis, conditione appositâ hic dixit, ne longius excurreret: *Et si corporis alicuius, sui tamen generis.* Corpus autem aereum nunquam tribuit Angelis, aut æthereum, ne cum Apelle consentiret; Qui ex aerea substantia Angelos creatos dixit, ac proinde mirum non esse aiebat, si Christi Optimi Maximi quoque corpus ex ætherea materia originem haberet suam: Quod ne Tertullianus concederet in libro de carne Christi cap. 6. vt modò diximus, veram Angelis carnem dedit, ascititiam tamen, atque extrinsecus inuolutam. Certè in hac Quæstione Vtrùm Angeli habeant corpora an non, non ita dubius Tertullianus fuit, quin sæpè in partem negantem vergat, vt rectè notauit etiam Pamelius in Tertullia-num Paradoxo 2. Cui consonum esse alium Tertulliani locum in Apologetico cap. 22. docet, Vbi Tertullianus Angelo ac dæmoni spiritales vires attribuit. Et fortè Tertullianus & alij Patres ea corpora humana ad generandos homines non tam asseruere naturalia, quam ascititia, vt videri, & cum hominibus congredi possent. Nam & Lactantius etiam in eo libro 2. cap.15. postquam dixit, Angelos congressos esse cum fœminis, eosdem vocat spiritus tenues & cætera. *Qui quoniam* inquit *sunt spiritus tenues, & incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, & occulti in visceribus operti valetudinem vitiant, morbos citant, somniis homines terrent.* Quæ quidem efficere non posset Angelus, si corporatus esset: Nam nec viscera quæcunque vellet penetrare posset; nec tanta illis virtus esset tot mira in tantulo temporis spatio efficiendi, vt infrà dicam.

Colligitur Quartò quid dicendum sit ad illam sacrarum literarum auctoritatem, qua nituntur Patres ostendere, gigantum generationem Angelorum operâ extitisse. Respondendum enim est, illum locum Genes.6. *Videntes filij Dei* nō posse intelligi nisi de hominibus ob quorum scelera Deus diluuium intulit Mundo, vt perirent: Quod patet ex ipso contextu, & benè obseruat Pererius in illud ca.6.vers.1. Nam proximè ad illa peccata carnalia Deus hominum scelere indignatus dixit. *Non permanebit spiritus meus in homine.* Ergo ob hominum non Angelorum peccata Deus diluuio Mundum obruere voluit; vnde etiam non multò pòst ait; *Delebo hominem*, & cætera. Ergo per filios Dei non significantur Angeli. Præterea quia malè legebatur ex Græco Angeli Dei, vt docet Cyrillus libro 9. aduersus Iulianum, licèt variæ fuerint lectiones eius loci, vt ex Augustino & aliis notat Pererius in eum locum cap. 6. vers. 2. Communis autem expositio est, quam tradit Pererius & sequitur noster Cornelius à Lapide in illum locum, filios Dei significare filios Seth & Enos, qui Enos ex cap.4. Gen. inuocare cœpit nomen Domini singulari quadam ratione; Seth verò teste Suida apud Pererium ibidem ob literarum inuentionem, rerúmque cœlestium scientiam adeò insignis est habitus, vt apud eius temporis homines ac deinceps, appellatus fuerit Deus, vt ibi etiam obseruat noster Cornelius à Lapide. Quo etiam nomine insignitus fuit Enos ex Cyrillo aduersus Iulianum libro 9. citato; idémque docet Cæsarius dialogo illo primo. Horum ergo, vt sic dicam, Deorum filij dicuntur filij Dei. Quanquam nō negarim alio modo posse intelligi filios Dei, nempè qui fuerunt insignes & magno in honore habiti. Mos enim est scripturarum, vt ibidem Cornelius obseruat, hoc modo loquendi, quo aliquid dicitur Dei significari magnum aliquid & eximium; vt cedros Dei, montes Dei, & cætera. Ingressi ergo hi sunt ad filias hominum; hoc est eas, quæ erant ex progenie Cain, quæ ob caducarum rerum amorem, qua in re progenitores imitabantur, dictæ sunt filiæ hominum. Auctores huius explicationis sunt A. Doctor p.p.q.51. a.vlt. S. Chrysostomus hom. 22. in Gen. S. Augustinus libro 15. de Ciuitate Dei cap.23. S. Cæsarius Dialogo illo primo citato, Theodoretus q. 47. in Genes. Cyrillus libro 9. contra Iulianum, Cassianus Collat.8. cap.21. Rupertus libro 4. in Gen. cap. 12. S. Athanasius in Quæstionibus ad Antiochum q. 19. Recentiores Theologi p.p.q.

50.a.

Molina. Valentia. Vaſquez. Pererius.

5 e.a.1. vbi Molina. Valentia etiam Diſputat.4. q.2.p.1. Gabriel Vaſquez Diſputat. 178.cap. 5. Pererius verſ.2.cit.& alij. Quamuis aliam hi recentiores ſequantur etiam expoſitionem,de qua modò dicebam; Nimirum vt filij Dei dicantur filij potentum,filiæ verò hominum quæ erant ex plebe. Quæ etiam expoſitio colligitur ex Hieronymo & aliis,de quibus Gabriel Vaſquez ibidem, Leonardus Coquens in cap.23.lib.15. de Ciuitate Dei. Nec mirum ſi ex iis gigantes geniti ſint. Neque enim id videri debet alicui incredibile & fabuloſum; cùm & gigantum ortus non rarò apud veteres & nouos authores celebrentur.Docet enim Auguſtinus in eo libro 15. cap. 23. Romæ non multò ante quàm à Gothis ea vrbs euerteretur, natam fœminam gigantum ſtaturæ ex parentibus conſuetæ magnitudinis, ac proinde ait,quòd gigantes ſint nati, non eſſe argumentum, eos fuiſſe progenitos ex Angelis parentibus. Subdit verò Auguſtinus ad hanc fœminam viſendam mirabilem fuiſſe factum vſquequaque concurſum, ne putetur ab aliquibus fabella. Immò ſubdit; *hoc fuiſſe maximæ admirationi,quod ambo parentes eius nec ſaltem tam longi homines erant,quam longiſſimos videre conſueuimus.* Quo autem pacto poſſint etiam operâ dæmonum naſci gigantes,docuit inter cæteros magnæ eruditionis Martinus Delrius libro 2.Diſquiſitionum Magicarum, vbi etiam de generatione gigantum multa notat ex hiſtoriis probatiſſimis, iiſdémque vetuſtiſſimis.

(Margin: Hieron. Vaſquez. Coqueus. S.Auguſt. Delrius.)

Quid in hac re Catholico ſentiendum ſit. §.10.

TErtia propoſitio, Catholicè ſentienti nullo modo licet opinari, Angelos eſſe corporeos: Nam primum non licet Catholico opinari contra communem ſenſum Patrum: Angelos autem non eſſe corporeos,ſentiunt communiter Patres. Nec licet opinari aduerſus omnes Theologos; Theologi autem omnes aſſerunt, Angelos eſſe incorporeos. Ita Alexander 2. p. q. 20.m.2. & 3. Magiſter in 2.d.8. Vbi Ricardus,& S. Bonauentura a. 1. q.1. Vbi etiam hic negat, habere vnita naturaliter corpora. Idem ſentit apertè Scotus in 2.d.1.q.6.initio, vbi ſupponit, Angelum eſſe creaturam merè ſpiritalem, & quærit quonam modo Angelus ab animo intelligente differat; idémque ſupponit tota d. 2. Durandus verò id aſſerit q.1. Gabriel ibidem q.1. Aureolus q.1.a.1. Capreolus d.9.q.1. a. 1. & a. 2. ad argumenta Aureoli. Idem ſæpè docuit A.Doctor de Pot.q.6.a.6.& q. vn.de Spiritu. Creatu. a. 5. libro 2.contra Gent.cap.46. & 50.ibique Ferrarienſis, & p.p.q.50.a.1.ibique Caietanus & Commentatores,vbi Molina a.1. Vaſquez diſputat.178.cap. 2. Valentia diſputat.4.q.2.p.1. Nec quenquam ex Theologis afferre aduerſarij authores pro ſe ſolent vno Caietano aut altero excepto; de quo Caietano ſequenti Difficultate in Prima ſententia rurſus ſermo erit, licèt hic neget Angelos eſſe corporeos.

(Margin: Alexander. Magiſter. Ricardus. Bonauent. Scotus. Durandus. Gabriel. Aureolus. Capreolus. A.Doctor. Ferrarienſis. Caietanus. Molina. Vaſquez. Valentia.)

Sed hic quæri poteſt, an hoc tempore, poſt Concilium Lateranenſe maximum, hæc tam communis Theologorum ſententia Catholica fide tenenda ſit, ita vt ſi quis contrà ſentiret; contra definitionem Eccleſiæ, & fidei dogma ſentiret. Molina §. *His non obſtantibus* negat, eum eſſe erroris damnandum; ait tamen, non tutè ſatis ſentire, *ſed temeritatis Caietanum culpandum, & quotquot poſt eam definitionem illi ſententiæ adhæſere. Quicquid Sixtus Senenſis libro 5. Biblioth.annotat. 8. dicat.* Hæc Molina. Valentia §. *Si quis autem* ex ſententia A.Doctoris q.16.de Malo a.1.ait, illum non fore hæreticum,ſed omninò temerarium;atque *etiam putari poſſet erroneus.* Vaſquez cap. 3. initio ait, hanc ſententiam *videri ab Eccleſia quaſi definitam*; in fine tamen capitis aſſentitur Sixto Senenſi dicenti, non eſſe definitam, & dubium eſſe inter Patres; Tamen *nullus ſine temeritatis nota iam poſſet oppoſitam ſententiam defendere.* Martinus Delrius lib.4.Diſquiſ.Magic.cap.4.q.5.ſect.5.verſus finem ait de quadam argumenti maiore propoſitione; nimirum, *dæmonem eſſe compactum ex corpore aëreo,eſſe erroneã,vel ſaltem prorſus temerariã.* Quibus apertè ſaltem negant, Catholico hanc admitti ſententiam ſine temeritate poſſe. Addo etiam A. Doctorem q.6.de Pot.a. 6. docere hanc noſtram ſententiam eſſe *fidei veritatem.* Vt etiam dicam q. ſeq. a.1. Quæſito 2.diffi.1. Vbi plura de hac re.

(Margin: Molina. Valentia. A.Doctor. Vaſquez. Delrius. A.Doctor.)

Quamobrem mihi videtur contraria ſententia non ſolùm temeraria, quia ſit contra omnes patres ac Theologos; ſed abſolutè erronea. Nam noſtra hæc videtur abſolutè definita in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. vt refertur cap. Firmiter de Summa Trinitate & fide Catholica, vbi docet Concilium, quæ firmiter ſunt credenda. Sic enim incipit. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod vnus Deus,*& cætera,& paucis poſt *Qui Deus omnipotenti ſua virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem,& corporalem,angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam. Diabolus enim & dæmones alij à Deo quidem creati ſunt boni;ſed ipſi per ſe facti ſunt mali.*

(Margin: Concil. Later.)

Ex quibus quatuor ſolutiones quæ ſolent dari, ne hoc ſit dogma fidei, refutantur. Prima eſt Valentiæ loco citato, qui ait in hoc Concilio non definiri, Angelos eſſe incorporeos, ſed obiter dici. *Id autem ſolum* inquit *in Conciliis certum aſſeritur, quod ex inſtituto in illis definitur.* Hæc autem reſponſio reiicitur: Quia quicquid ſit, Vt tùm alia etiam ſint certa in Conciliis, quæ non ponuntur in expreſſa definitione, quod mihi valdè ſuſpectum eſt (alioquì ſola ea, quæ in canone ponuntur, certa eſſent; quæ verò in capita diſtinguuntur, huiuſmodi certitudinem non haberent; Quod alibi refellendum à nobis eſt) hoc certè eſt inter ea dogmata, quæ Concilium ponit inter firmiter credenda, vt patet ex initio eius capitis. Si quidem docet, *Firmiter credimus,* & cætera, nempe quæ enumerare pergit. Ergo eſt ex iis quę fidei ſunt. Nec id obiter dicit Concilium. Non enim vnum potiùs definit quàm aliud, inter quæ proponit ibi firmiter credenda eodem verborum tenore. Qua eadem ratione refellitur Sixtus Senenſis,& alij, qui dixerunt, non fuiſſe mentem Concilij hæc definire. Refellitur autem, quia vt dicebam definit ea, quæ vult firmiter credi, & ſimpliciter teneri. Inter quæ eſt, Angelos eſſe creaturam ſpiritalem.

(Margin: Valentia.)

Secunda reſponſio eſt, Concilium non dicere, Angelum nullum habere corpus vnitum, ſed ſolum eſſe incorporeum: Poteſt autem aliquid eſſe incorporeum,& habere corpus adiunctum, vt eſt anima rationalis in homine. Quæ reſponſio manifeſtè reuincitur: quia Angeli dicuntur incorpo

incorporei, qua contradiltinguuntur non solùm ab iis quæ corpus sunt, sed etiam ab iis quæ licet incorporea sint, sunt tamen partes rei corporeæ. Quia Concilium opponit creaturam incorpoream tum Mundanæ creaturæ, tum humanæ ex spiritu & corpore conflatæ, vt patet ex verbis relatis, ergo creaturam incorpoream Cōcilium sumit, qua contradistinguitur a corporea simpliciter, nempè mundana; & a corporea, quæ sit composita ex spiritu, & corpore; nempe ab humana. Quam expresse Concilium appellat, *quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Itaque Angelus Concilio nec erit purè corpus, nec corpus ex spiritu conflatum, quale quid est homo; atque ita erit omninò incorporeus, hoc est, ne habens quidem corpus vnitum sibi. Nam Angelus non est pars alterius, vt hominis animus. Quid enim ex Angelo esset conflatum illud? Vbinam illius conflati, aut sacræ literæ, aut Patres vnquam meminere? Confirmatur, quia cum apud ipsas sacras literas, & sanctos Patres Angeli sint creaturarū nobilissimæ, non debent esse pars alterius compositi. Hoc namque compositum Angelis ipsis longè nobilius esset, vt homo suomet animo præstat. Ergo illius alicubi meminissent, vt hominis non solum animi meminere, etiamsi eius animus sit incorporeus.

Immò ex dictis Concilij manifestè sequitur, Angelos seu creaturas incorporeas non posse esse vllius compositi partes: Nam docet, hanc creaturam incorpoream fuisse cum Mundana conditam, antequam communes ex spiritu & corpore formarentur. Ait enim; *Deinde humanam quasi communem* &c. Ergo si creatura incorporea seu Angeli essent compositi pars, aut fuissent simul cum alia comparte creati; & hoc est contra Concilium, quia fuisset creatum compositum ex spiritu, & corpore ab initio, & non postea, vt Concilium definit: Aut fuissent creati sine altera cōparte; & hoc planè fuisset inconueniens à Concilio definiri. Non enim Deus creat prius partes alicuius totius, & postea totū ipsum. Cùm enim opera Dei sint perfecta, ipsum totū & perfectum vnà cum partibus creari dicendū est. Quo pacto A. Doctor infrà q. 90. a. 4. negat animū hominis creatum ante corpus fuisse, vt latiùs docebitur infra a. 4. ex Patribus. Et idcircò dixit Concilium, deinde humanam creatam fuisse, non solùm animum qui humanæ creaturæ pars est. Præterquàm quòd creatio est productio totius esse, vt ait A. Doctor suprà q. 45. art. 4. ad 3. & ideo ait, materiam solam non esse creatam sine forma. Ergo si commode dici potest vtrumque simul creari, non oportet asserere prius creatam esse partem, quam totum. Immò hoc est manifestè contra Concilium: Quia ab initio Deum ait condidisse vtramque simul creaturam; nempe corpoream & incorpoream; postea communem ex corpore & animo. Ergo si corpus fuisset Angelorum, quia corpus altera compositi pars est creatura corporea, & non cōposita ex spiritu & corpore, ab initio fuisset creatum. Vel ergo seorsim ab Angelis, & hoc absurdè diceretur: si enim partes eodem tempore creantur, cur seorsim & separatim? Neque enim cætera corporea, vt cœlum, terra, & homo ipse & reliqua cōposita ita creata fuerunt. Vel simul; ergo fuisset compositum creatum ex spiritu & corpore ab initio, non autem deinde vt definiuit Concilium. Sumit ergo Concilium creaturas incorporeas omninò à corpore liberas; etiam vt à comparte, non solùm vt a toto.

A.Doctor.

A

Confirmari potest: Quia Concilium ibi non loquitur de creatione, nisi rerum completarum in specie perfecta; & ideò non meminit seorsim creationis animæ, & materiei, & cæterarum formarum, sed simpliciter compositorum. Ergo supponit, Angelos esse creaturas completas, cum præsertim nomine Angelicæ creaturæ nō soleant auctores Ecclesiastici, ad quorum normam Concilium loquebatur, intelligere partem comparati compositi, vt est animus hominis, esset q; etiā Angelus si esset pars compositi alicuius. Quod rectè etiam notauit Durandus in 2. d. 8. q. 1. n. 4. vbi sic ait *Secundum communiter loquentes per nomen Angeli semper intelligitur quod est completum in specie, & non pars speciei.* Quare rectè S. Augustinus vt antè monuimus libro 1. Retract. cap. 11. *Spiritus Angelicos, inquit, sacra scriptura nomine animarum significare non solet.* Essent autem & significarentur nomine animarum, si partes vnius compositi esse verè putarentur. Ergo si definit Concilium, Angelos esse incorporeos, definit ipsos ne habere quidem corpus naturaliter sibi vnitum tamquam compartem.

Durandus.

B

S. August.

Tertia responsio esse potest, non definiri omnes Angelos esse incorporeos, sed bonos, non malos. Reiicitur autem: quia dæmones enumerat inter eos, qui naturam Angelicam habent. Nam non potest reddi ratio, cur Concilium dixerit. *Diabolus enim* &c. Quasi dicat, se non agere de creatione dæmonum separatim: Quia dæmones fuerūt creati boni, ac proinde inter Angelos. Non enim inter corpora, aut inter homines numerantur, sed inter creaturas incorporeas.

C

Vltima denique responsio posset esse, Concilium ibi nomine creaturæ spiritualis nihil aliud intellexisse, quàm illam ipsam, quæ communiter Angeli vocantur, siue ij sint propriè incorporei, siue non; de quo nondum quicquam cōstitutum erat. Quæ quidem responsio falsa est, & indigna Theologo: Nam, vt diximus, illā creaturam spiritualem Conciliū intelligit, quam opponit purè corporeæ, & ei quæ partim corporea est, partim spiritalis. Ergo illa debet intelligi, vt purè spiritalis, & nullo modo admixta cū corpore. Alioqui vtriq; eam non opponeret. Constat ergo Angelos incorporeos certa fide credendos esse, vt definitio Concilij consistat.

D

Ad eos verò Patres, quos in prima sententia retulimus, non est quod respōdeamus. Satis enim constat, ipsos dum mulieres Angelorum pellices faciunt, vel errasse ei attribuendo vera corpora, vt diximus; vel locutos esse de corporibus, quę ab Angelis ad speciē humani corporis referendam, plerunque sumuntur; de quibus corporibus infrà constabit. Inter hos recenseri possunt Tertullianus, & Eusebius, vt vidimus: Nec Lactantius, & Cyprianus inuiti trahentur, cum nullum ex eorum verbis obstare videatur, ne in veram Catholicamque sententiam spontè ducantur.

E

Tertullian. Eusebius. Lactantius. Cyprianus.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrùm aliqua efficaci ratione euinci possint Philosophi vt asserant Angelos naturaliter esse omnino incorporeos.

QVoniā Theologi probè sapientis est nosse, quidnam ipse demonstrando assequi possit, aut non

aut non possit, vt ea, quę fidei sunt, contra aduersarios roboret, ac declaret: ac præterea ad pietatem, religionemq; nostram recte pertinet, quid dæmones sint, & quomodo de his loquendum; eam ob rem conandum nobis erit, qui si non sapientis, certe Theologiam docentis personam gerimus, ostendere, quam infirmæ rationes illæ sunt, in quibus philosophorum ingenia niti possunt, vt Angelis sua corpora adstruant; & contra, quantum neruorum contrariis rationibus insit. Vt hinc non difficile quiuis constituat, improbè admodum se eos gerere, qui ab effatis catholicæ fidei in negandis Angelis siue simpliciter, siue vt eos Catholica asserit Ecclesia recedũt, quando nulla aut Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, aut euidentia rationis eos neque in Catholica veritate, neque in honesta philosophandi ratione continere potest.

Tametsi autem non ignoro, Platonem in Epinomide postquam multa de dæmonibus rectè admodum scripserat, subdidisse; mortali naturæ possibile non esse quicquam certi de his statuere. Quibus conspicuum fieri videtur, ipsum hæc quæ de dæmonibus tam copiosè scripsit, ex historia potius, atque ex communi hominum opinione, quam firmis ex recto philosophandi ordine petitis rationibus conscripsisse: Tamen quia tam constanter tum ipse tum qui eum secuti sũt, & alij dixerunt, Angelos habere aeria corpora, negandum nonnullis videbitur, contrarium certis argumentationibus ostendi posse.

Quibusnam Philosophis visum sit Angelos corporeos esse, eorumque rationes. §. I.

PArtem ergo negantem sequi videntur complures Philosophi asserentes, Angelos esse corporatos. Inter hos (Plato.) Plato apertissime in Angelis videtur asserere corpus aereum, vel æthereũ; Atque vt omittam plurimos eius rei locos, clarissimè id docet in Epinomide his verbis. *Horum quippe Dæmonum animalium alterum ex æthere, alterum ex aere est, ac neutrum conspici totum potest à nobis, sed quamuis hi dæmones prope nos sint, nunquam tamen manifestè nobis apparent*, &c. Idémque ille fusè tribuit (Eugubin.) Eugubinus libro 8. de Perenni philosophia à cap. 27. Idem Platonem sentire docet (A. Doctor.) A. Doctor q. 6. de Pot. a. 6. c. & de Malo q. 16. a. 1. c.

(Chalcidius. S. August.) Inde est vt Chalcidius Platonicus commentario in Timæum, & apud S. Augustinum libr. 8. de Ciuitate Dei cap. 16. dæmonem ex Platone definiat; *Animal rationis particeps, immortale, animo passibile, corpore æthereum.* Nec ab hac valdè differt (Apuleius.) definitio, quam tradit Apuleius in libro de Deo Socratis, cum ait esse; *Animal animo patibile, mente rationale, corpore aëreum, tempore æternum:* In qua re consentit (Psellus.) Psellus ex Marco, vt suprà diximus ex eius libro de dæmonibus, & alij apud Eugubinum ab illo cap. cit. 27.

(S. Augustin.) Multa quoque compendiosè refert sanctus Augustinus eodem lib. octauo de Ciuitate Dei capite decimosexto de Natura, ac conditionibus dæmonum ex Apuleio. *De moribus*, inquit, *dæmonum cùm idem* Apuleius *loqueretur, dixit eos eisdem, quibus hominis animi perturbationibus agitari, irritari iniuriis, obsequiis donisque placari, gaudere honoribus, diuersis sacrorum ritibus oblectari, & si quid in eis neglectum fuerit, commoueri. Inter cæteros autem dicit, ad eos pertinere diuinationes Augurum, Aruspicum, vatum, ac somniorum: Ab his quoque esse miracula Magorum. Breuiter autem hos definiens ait; dæmones esse genere animalia, animo passiua, mente rationalia, corpore aëria, tempore æterna. Horum verò quinque tria priora illis esse nobiscum communia: Quartum proprium: Quintum eos cum Diis habere commune.* (Hesiodus.) Hesiodus quoque, vt fusè ex insignibus auctoribus supra Quæsito 1. Difficult. 2. retulimus de dæmonibus, ait

Aëraque induti tota tellure vagantur.

(Orpheus.) Antiquissimus quoque omnium Poëtarum Orpheus, vt eodem loco fusiùs obseruauimus, implorat dæmones

Aërios, aqueos, cæli & conuexa tenentes.

quanquam his videntur dæmones aërei ex eo potiùs quòd aerem incolunt; quàm quòd ex aere constent; Eam tamen sententiam existimat (Plutarchus.) Plutarchus in libro, qui inscribitur *Quod oracula defecerunt* fecisse cæterorum ante Platonem, non tamen affirmat, Vtrum sine aëreo corpore, aut æthereo. *Plato*, inquit, *Pythagoras, Xenocrates, & Chrysippus priscos secuti Theologos, excellentiores hominibus dæmones esse affirmant, sed naturam eorum animo & corpore comunctam dixerunt. Quare voluptate quoque & dolore, alios magis alios minus affici. Et enim in hominibus, ita etiam in dæmonibus, virtutis & vitij diuersitas inuenitur.*

(Aristoteles.) Tandem etiam huc spectat Aristoteles, de quo dixi Quæsito 1. Diffic. 2. ipsum hoc dæmonis corpus significasse libro 5. Metaphysices cap. de substantia; & alij apud Eugubinum libro octauo cap. 27. & 33. qui etiam hanc sententiam probat. Idem patet ex Aristotele apud Plutarchum in libr. de Homero paulò post initium, vbi tradit (Homerus.) Homerũ Aristotelis opinione ex Genio natum.

Probari hæc Philosophorum sententia potest: Quia potiùs ostendi ex effectibus potest, Angelos esse corporeos, quam esse incorporeos; Nam Angeli vera ignis actione torquẽtur in inferno. (S. August.) Vt enim ait Augustinus lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 10. *Ignis est supplicio hominum attributus ac dæmonum*: Nihil autem recipit veram corporis actionem nisi corpus: Nullũ enim corpus agit in rem spiritalem; & ideò ibidẽ dicit S. Augustinus, etiam sua praua esse corpora dæmonibus.

Secundò, quia dæmones viuentis corporei exercent functiones: Nam ex dæmonis concubitu cum muliere aliquando vera proles nata est, (Delrius.) vt videri potest apud Martinum Delrium lib. 2. Disquis. Magic. q. 1 c. in 1. Axiomate, vbi etiam ait, hanc quoque doctrinam fuisse Platonis in Cratylo. Idémq; ex Aristotele modò retulimus, (Aristoteles.) dum Homerũ dicit ex Genio, hoc est ex dæmone fuisse progenitum. Et certe id tã multis Theologorum ac Philosophorum testimoniis cõprobatur, vt verendum sit ne pertinaciæ & audaciæ sit ab eis discedere. Ideircò (S. August.) S. Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. ait, eius rei creberrimam esse famam, & multos, qui id experti sunt, eadem confirmare. *Syluanos, Panes & Faunos quos vulgò incubos vocant, improbos sæpè extitisse mulieribus & earum appetiisse, ac peregisse concubitum.* Quod etiam ab iis adeò frequenter adhuc fieri ait; *vt hoc negare impudentiæ videatur.* At id fieri non potest, nisi Dæmon ex sua, & propria substantia corporea disposita per corporea organa more animantium (Aristoteles.) emittat semen prolificum. Et ideò Aristoteles libro 2. de Anima, contextu 34. ait naturalissimum operum, quæ in viuentibus sunt, esse generatio

generationem, idque esse opus vegetantis animæ, quæ alimento vtitur & nutritur. Ergo dæmon habet corpus viuens vtens alimento, è quo viuentium operà, qualis est generatio, prodeant.

Tertiò probari potest ex eo quod dæmones mortales sunt, & aliquando mortuos legimus: Plutarchus. Nam Plutarchus libro de defectu oraculorum scribit; certis temporum curriculis dæmones interire, corúmque vitæ nouies mille septingentos viginti annos esse tribuendos. Id quod confirmat ex eo, quòd cuidam nautæ Ægyptio, cui nomen Thamus in Italiam nauiganti ex ipso mari, edita voce imperatum sit, vt cùm ad paludes peruectus esset, nũtiaret Pana magnum esse mortuum. Id autem cùm ille fecisset, multorum gemitus cum admiratione permixtus in aëre & aquis exauditus est. Certum autem est, nihil posse esse morti obnoxium, quod viuens compositum non sit: Nam mors est separatio A. Doctor. animæ corpus viuificantis, vt patet ex A. Doctore 2.2.q.164.art.1.ad 7.

Caietanus. Ephes. 2. His omnibus accedat ratio Caietani super caput 2. epistolæ ad Ephesios explanãtis illa verba Pauli; *secundum principem potestatis aëris huius*; vbi non est veritus dicere, videri maximè consonum Philosophiæ & rationi, dæmones esse spiritus aëreo corpore naturaliter constitutos. Ratio autem est huiusmodi: Quia sicut vegetatiuum inuenitur sine sensitiuo, & sensitiuum sine motiuo secundum locum, & motiuum secundum locum sine intellectiuo; ita credibile est, intellectiuum reperiri sine sensitiuo, cũ motiuo tantum secundum locum, nempe progressiuo, vt ipse explicat; Et tales sunt dæmones. Ergo dæmones sunt intellectiui, & progressiui secundum locum, ac proinde habent instrumẽta corporea, quibus ad locum progredi possint.

Aliorum rectè sentientium opinio præsertim Platonis atque Aristotelis declaratur. §. 2.

PArtem tamen affirmantem sequi, & veritati Theologicæ, & Philosophiæ magis consentaneum est. Ita tenentur dicere ij omnes qui putant, se afferre rationes naturales, vt Angelis corpora è quouis genere detrahant, & expresse Ricardus. A. Doctor. præstant Ricardus de S. Victore libro 4. de Trinitate cap. 25. A. Doctor q. 6. de Pot. art. 6. & q. 16. de Malo art. 1. de spiritualibus creaturis q. vn. art. 5. & p. p. q. 50. art. 1. & q. 51. a. 1. Idémq; aperte patet ex scholasticis supra citatis in 2. d. 8. & ex recentioribus in p. p. locis citatis, vbi Gabriel Vasquez. Molina. Valentia. Vasquez disputat. 178. cap. 4. Molina q. 50. art. 1. Valentia disput. 4. citata q. 2. p. 1.

Iodocus Lorichius. Quam etiam sententiam Iodocus Lorichius probare nititur in suo thesauro nouo vtriusque Theologiæ, Verbo Angelus num. 3. quia scilicet cum Angelus sit natura suprema inter creaturas, conueniebat, vt esset sine corpore, & ipsi Deo quam simillima. Deinde probat ex operatione intelligendi. Nec valdè dissimiliter eandem sententiam Raymundus Sabundius ostendit in suo libro naturalis Theologiæ cap. 218. Raymundus Sabundius. quod est de Angelis. Hoc enim argumento vtitur: *Quia fieret*, inquit, *iniuria naturæ spirituali*, si Angeli non essent omninò incorporei. Id verò probat: Quia cũ natura corporalis habeat duos modos existendi, & diuisim & coniunctim cum creatura spiritali, vt in leone v. gr. qui est purè corporalis, & in homine, qui partim corporalis est partim spiritalis. Ergo creatura spiritalis etiam ipsa debet vtrumque existendi modum habere. Alioqui naturæ minus nobili plures modi existendi concederentur, quam nobiliori; atque ita fieret illi iniuria: At non haberet hos creatura spiritalis duos existendi modos, nisi Angeli essent omninò incorporei; quia nulla esset creatura spiritalis purè, sed solùm coniunctim cum corpore. Immò si per se datur creatura purè corporalis, ergo multò magis purè spiritalis, vt vniuersum sit perfectius.

Ad solutionem notandum est, non esse nobis cum iis philosophis controuersiam, qui cùm transcendere sensus non possent, negabant vllam substantiam esse, quæ corporea non esset, vt ait Aristoteles libro 4. Physic. cont. 52. & 57. Aristoteles. Quorum sentẽtias improbauit Aristoteles cum libro 8. Physic. à cont. 76. tum libro 12. Metaphys. à cont. 30. Quibus locis ostendit, primum motorem non posse esse corpus. Non est autem nobis cum huiusmodi Philosophis negotium præsens, quia non id agimus, vt Dei naturam inuestigemus, quam spiritalem ac omninò simplicem nunc ponimus ex iis, quæ demonstrantur à Theologis p. p. q. 3. Ex quibus etiam reiicitur sententia M. Varronis, qui apud S. Augustinum libro 4. de Ciuitate Dei cap. 31. & libro 7. M. Varro. S. August. ibidem cap. 6. existimauit dari quidem substantias incorporeas, eas tamen opinabatur adeò necessariò vnitas alicui esse corpori, vt Deus etiam esset anima mundi, ex qua totus mundus diceretur Deus, sicut homo ob suam animã dicitur sapiens.

Contra quem errorem quantum attinet ad Deum, satis sunt ea, quæ disputat A. Doctor q. 16. de Malo art. 1. A. Doctor. Quia scilicet omnis virtus, quæ corpori insideat, necesse est habeat determinatam actionem, secundum quod exigit corpus, cui insidet, vt animæ brutorum, & animus hominis, qua parte sentit & vegetat, quæ in suis functionibus exercendis determinatur à corpore. Cùm autem propria Dei actio sit actio mentis. (Non enim alia in Deo apponi potest) eius actio non potest alligari corpori. Neque enim eius mentis actiones restringi ad corpora debent, cum per eas omnibus rebus prouideat, & actus intelligendi in omne ens amplissimè ferri debeat. Ergo nulla eius actio à corpore restringetur, quæ ad omnia se debet extendere. Vt etiam infra vnà cum A. Doctore latiùs dicetur q. 53. art. 3. Immo paulò infrà ostendam, nullius mentis actiones, quæ menti quà mens est attribuuntur, adminiculo corporis exerceri, vt inde ostendam, Angelos, qui intellectus quidam sũt, debere incorporeos prorsus esse. Quod etiam adhuc accuratiùs examinabitur sequenti quæsito Difficultate prima.

Quamobrem Aristoteles libro 8. Physic. cont. 37. & libro 3. de anima cont. 4. rectè omninò, Aristoteles. ac iure optimo laudauit Anaxagoram, quod posuerit *mentem immixtam & impassibilem*, vt omnia Anaxagoras. moueat, & omnibus dominetur, atque imperet. Est enim imperium eius, qui inter omnia, quibus imperat, eminet, vt ibi A. Doctor obseruat.

In qua etiam veritate cõuenit Plato cum suis, Plato. qui

A qui Deum Patrem, & mentem, in qua sunt omnium rerum Ideæ, ab omni corpore & materia separatas ponebat in Timæo, vt etiam testis est Macrobius libro 1. in somnium Scipionis non admodum longe ab initio, & S. Augustinus libro 8. de Ciuitate Dei cap. 16. & libro 10. cap. 23. & fusius Iacobus Carpētarius in Alcinoum de doctrina Platonis Digressione 3. Quamuis autem in celebri illa tripartita diuisione, quam docet Plato in Timæo, & S. Augustinus libr. 8. de Ciuitate Dei cap. 4. refert, omne illud animal, in quo est animus rationalis, diuidat in Deos, homines, dæmones; Deos autem faciat cœlesti corpore, dæmones aëreo, homines terreno præditos; tamen id non de illo primo Deo, ac mente intelligitur, sed de reliquis Diis minoribus, vt etiam suprà à nobis indicatum est. Non est ergo præsens disputatio aduersus eos, qui negarunt omnem abiunctam à materia substantiam, siue creatam, siue increatam; sed tantum eos reuincere conabimur, qui Angelos negant omninò esse incorporeos sua natura. Pro qua re intelligenda

Macrobius. S. August. — Carpentarius. — Plato. S. August.

Notandum est secundò, neque præsentem difficultatem intelligi oportere de quacumque substantia incorporea: Nam de intelligentiis orbium cœlestium motricibus disputationem in quæstionem sequentem art. 1. libens reiicio, vbi de iisdem peculiaris agitanda controuersia est. Verùm scilicet sint eorumdem orbium formæ informantes an non; dissentientibus quibusdam, qui videri volūt nimis Peripatetici, à principiis nostræ fidei. Aduersus quos ad rei veritatem indagandam peculiari quæstione disceptare, operæpretium duxi. Itaque nunc de cæteris Angelis inquirimus, habeántne corpora aërea aut æthereа.

Verum est tamen me, si hæc disceptatio solùm aut secundùm veros Academicos, aut veros Peripateticos haberetur, nō admodum eam mihi fore difficilem, arbitraturum. Nā, cùm ostensum sit, iis Philosophis Angelos esse intelligentis naturæ; ex vtraque horum philosophorum parte facilis vtique probatio foret; illud nempe D principium intelligens esse substantiam incorpoream compositionis corporeæ ac materialis expertem.

Peripatetici. Peripateticis quidem, quia ipsis in confesso est, quemcumque intellectum immortalē esse, atque ex sese à materia seiunctum, quippe qui ex se nulla indiget materia; sed si in materia est ob potentias sentientes, quæ illi viam præmuniunt ad operandum, ipsam materiam exigit, vt est animus hominis. Cum intellectus immixtus sit oporteat, vt habet Aristoteles libro 3. de Anima à cont. 4. & libro 8. Physic. cont. 37. & alibi, & nos deinceps copiosè dicturi sumus. Ostenderem ergo facile Angelos, quorum nulla E est potentia sentiens, Aristoteli esse oportere sine vllo corpore. (Aristoteles.)

Plato. Nyssenus. Platoni verò res non minùs est certa. Nam vt ex ipsomet Platone refert Gregorius Nyssenus libro 5. de Natura hominis aliquantò ante finem, & A. Doctor q. vn. de spiritualibus Creaturis art. 2. c. Plato posuit substantiam intelligentem, quæ est hominis animus, vniri corpori per quendam spiritalem contactum, qui tunc est, cùm duo non aliter vniuntur, nisi secundùm quod alterum est mouens aut agens, alterum verò motum aut passum, etiamsi vtrumque, aut (A. Doctor.)

ex his alterum incorporeum sit. Quo pacto intelligentia cœlo assidens tangit cœlum contactu virtutis, & spiritali, dum illi assidet ad mouendum. Et hoc eodem modo Aristoteles primo libro de ortu & interitu cont. 45. 47. & 53. docuit, quædam esse quæ tangunt, non tamen tanguntur, propterea quod nihil ab eo, quod actionem suscipit patiuntur, vt ibi rectè animaduertit A. Doctor, & fusiùs explicat ex Platone. Quibus verbis virtutis contactum significauit, ex eo enim quòd à patibili non patiuntur, negat ea à patibili tangi; Quod est tāgi virtutis contactu; nimirum suscipiendo vel imprimendo actionem, saltem applicatione potentiæ B operatricis, vt infrà, cum agemus de loco Angelorum, disputabimus. (Aristoteles. — A. Doctor.)

His itaque consentaneè aiebat Plato in Timæo, vt iisdem locis referunt prædicti auctores, hominem non esse quid ex corpore animóque conflatum, sed ipsum animum corpore vtētem, vt his dictis declararet, animum esse in suo corpore vt nauta in naui, aut vt in curru auriga. Quod & sæpè infrà & longè accuratiùs ex aliis multis Platonicis, atque ex ipso Platone, Aristotele, & A. Doctore dicturi sumus. Sanè hoc pacto ac Platonicè quibusdam videbitur loqui Lactantius libro vnico de Opificio Dei cap. 1. cùm ait à Deo factum esse corpus hominis, vt animo tanquam domino seruiat, regatúrque C nutu eius; déque eodem corpore sic pergit. *Vas est enim quodammodo fictile, quo animus; id est homo ipse verus; continetur.* Videbitur ergo sentire, animum esse in corpore tanquam in vase, & vt nautam in naui. Sed quidquid sit de hoc, Plato ita, vt diximus, sensit. In qua re videtur Platonem tacitè subindicare Aristoteles libro 2. de Anima cont. 11. cùm dixit, esse *immanifestum, si sit actus corporis anima, sicut nauta nauis.* Quam tamen opinionem impugnare aggreditur cont. 24. ibidem 25. 26. & A. Doctor p. p. q. 75. art. 4. & q. cit. art. 1. (Plato. — Lactantius. — Aristoteles. — A. Doctor.)

Itaque si cum his philosophis nobis certandum esset, solum in eo noster versaretur labor, D vt ex plurimis ab vtroque desumptis locis, qui passim obuii sunt, ostenderemus, spiritales illas substantias quas Plato posuit corpori aërio vnitas, & Aristoteles intelligentes fecit, & nos Angelos dicimus, nullo modo corporibus natura sua iunctas esse, siue, quod idem est nullo modo corpus sibi naturaliter vendicare, tanquā comparte aut etiam totum. Id quod tamen infrà cum de cœli anima ex Aristotelis Platonisque opinione disseremus, copiosè constabit: quanquam cum Platone mitior est labor, vt postea videbitur: Quoniam verò res nobis tractanda simpliciter est aduersus quoscumque Philosophos, qui quouis modo Angelos suâ naturâ puE tant corpus sibi deposcere, ideò generatim atque absolutis rationibus agendum. Ideóque aliter ad difficultatem respondetur.

Resolutio difficultatis propositæ ex naturalibus euidentibúsque principiis. §. 3.

VNica Propositio. Naturali ratione euinci euidenter possunt Philosophi quicunque vt fateantur, Angelos nulla corpora naturaliter sibi

sibi poscere. Dico *naturali ratione*: Quia ex principiis natura duce notis, non autem ex fide diuina cum Ethnicis philosophis agendum esse constat, quando ij principia fidei nec concedunt, nec agnoscunt; &, Contra negātes principia non esse disputandum, patet ex optima doctrina Aristotelis libro 4. Metaphys. cont. 9. *Ridiculum* inquit *quærere rationem, qui nullius habet rationem, quatenus nullam habet rationem. Similis namque plantæ talis est prout talis est.* Dico *euidenter*; Nimirum ex principiis omninò necessariis. Quod bipartitò dici potest. Vel euidenter, quia nullo modo esse aliter possit; Quomodo euidenter vera est hæc Propositio: *Eadem propositio secundum eandem significationem non potest simul esse vera & falsa.* Vt quod nunc Petrus currat, & non currat. Alio modo: Quia licèt absolutè aliter esse possit, propterea quòd termini propositionis ex se non cogunt, seu necessitant intellectum ad assensum; tamen si res connaturali modo sit, non potest esse aliter, nec aliter enunciari; Vt euidens est; potentiam naturalem quantum est ex se, benè dispositam, & circa suum obiectum debitè illi applicatum, prodire in actum suum; vt visus in visionem, ignis in combustionem, & sic de cæteris; Tamen aliter absolutè fieri potest, si Deus vim suam adesse nolit, suum concursum subtrahendo, sine quo nullum agens quicquam virium habere potest; Quod tamen erit præter naturam rei, & non connaturali eique debito modo; Hoc pacto præter naturam fuit, ignem illum Babylonicum trium puerorum vincula Deo sic statuente non adussisse. Sic etiam Lucæ 24. discipulorum oculi, dum cum Christo confabularentur, *tenebantur, ne eum agnoscerent.* Vtrumque autem genus rectè suam dicitur habere euidentiam: Non enim est dubitandum quin Angeli, & quæcunque res est in vniuerso habeat suum ordinem, & conditionem debitam, vt connaturali modo, quantum fieri potest, sint. Nam ea, *quæ natura fiunt, semper vel frequenter fiunt* ex libro 2. Physic. cont. 77. *Nihil enim natura absque ratione frustraque facit*, ait Aristoteles 2. libro de cœlo cont. 59. & vt idem habet libro 8. de historia animalium cap. 2. *Carum cuique, & suaue est quod per naturam habetur.* Quæ omnia eò tendunt, vt doceamus; optimè omnia esse disposita, si ipsa aliunde non impediantur. Euidenter ergo probabitur propositio, si ostendatur, esse euidens aut ex ipsis terminis, aut certe ex connaturali existendi modo ipsam habere veritatem.

Aristoteles. | Luc. 24. | Aristoteles.

Quamobrem parum ad rem propositam interest, Vtrùm ij Angeli sibi interdum præter naturam corpora siue aërea, siue alterius generis sumant. Ex hoc enim non fit, vt ea poscant ex sua natura siue connaturali modo; Atque ideò dixi in Propositione, *Angelos non naturaliter sibi corpora poscere*, licèt aliter siue ex ipsorum voluntate, siue Dei imperio possit accidere. Vnde illa particula *naturaliter*, significat id, quod in re est necessarium, vt eiusdem rei natura sit in suo statu connaturali ac debito: Quemadmodum animus hominis naturaliter poscit sibi vniri corpus, cum quo hominem constituat; quandoquidem eius natura est, corporis actus organici, vt habet Aristoteles 2. de Anim. cont. 7. ac proinde illud poscit vt compartem.

Aristoteles.

Hoc posito probari posset propositio hoc pacto ratione A. Doctoris quæst. vn. de spiritua. Cre. a. 5. ex perfectione vniuersi: Quia scilicet Deus talem videtur voluisse vniuersi perfectionem, vt nulla ex possibilibus natura ei deesset. Cùm ergo possibilis sit natura spiritalis, quæ sit substantia intelligens separata à corpore, quam Angelicam nominamus, hæc ipsa natura Angelica separata à corpore concedenda est. Verùm hæc ratio tria inuoluit quæ probanda adhuc essent. Primum quidem: quia non vna tantum, sed multiplex, ac varia potest esse vniuersi perfectio; atque ita, vt dicam Difficult. sequen. cum non quæcunque vniuersi perfectio exigat, Angelicam substantiam esse, probandum superesset, concedendam esse talem vniuersi perfectionem, ad quam componendam Angelorum natura necessaria esset. Alterum: quia negarent aduersarij, Angelos sine corpore esse possibiles; atque ita id aliis argumentis confirmandum esset. Tandem quia dicerent, dari quidem aliquas substantias incorporeas, easque esse cœlo mouendo assignatas, reliquos autem Angelos ac dæmones, quos experientia diximus esse compertos, absque corpore non esse; Neque hoc impedire, quin vniuersum perfectum sit, quia his omnibus gradibus entis, nempè substantia tum corporea, tum incorporea, rerum vniuersitas exornatur. Neque tamen hinc sequitur quicquam à nobis A. Doctoris auctoritati detrahi: Quia difficult. seq. ostendam, ea ab ipso dicta esse, non simpliciter ad Angelos incorporeos probandos, sed congruenter ad principia fidei confirmanda; Et ideò loco citato ait, vniuersum esse perfectum, quia Genes. 1. *Dicuntur* inquit *singula bona, vniuersa autem valdè bona*; Atq; ita colligit, talem perfectionem debere esse vniuersi, vt ei non desit aliqua natura, aut gradus entis, vt perfectio quam diuina scriptura significat defendatur, vt fusius infrà dicetur.

A Doctor. | Gen. 1.

Secundò probari posset alia ratione quæ colligitur ex eodem A. Doctore ibidem ex ordine rerum: Quia scilicet ordo rerum est talis, vt ab vno extremo ad alterum non perueniatur nisi per medium. Ideóque sub cœlo est ignis, sub igne aër, sub aëre aqua, sub aqua terra, *secundùm scilicet conuenientiam nobilitatis eorum corporum.* Ergo cùm *Deus sit omnibus modis simplex* inquit ibi A. Doctor *non est possibile quod sub Deo immediatè collocetur corporalis substantia, quæ est omninò composita & diuisibilis, sed oportet ponere multa media, per quæ deueniatur à summa simplicitate diuina ad corpoream multiplicitatem.* Hæc autem media ait debere esse substantias incorporeas corporibus non vnitas, & substantias incorporeas corporibus vnitas, nempè Angelos & humanum animum. Ergo inter Deum corporatásque substantias debet vtraque substantia spiritalis incorporea interiacere.

A. Doctor.

Verùm hæc quoque ratio, licèt ex hypothesi, posito scilicet, quod dentur Angeli, rectè ostendat eos ad finem vniuersi, qui est optima dispositio, rerúmque apta collocatio, esse consentaneos; tamen ea ratione simpliciter philosophi non coguntur ad rem propositam concedendam: Nam primò dicent, rerum vniuersitatem satis conuenientem habere ordinem, si Deo rectore, cæterisque Angelis cœlum voluentibus res inferiores administrentur, etiamsi non æquè benè, ac esset si cæteri dæmones atque Angeli ad peculiarem rerum administrationem, vt de facto est admitte

mitterentur. Non enim ex omnibus quæ simpliciter fieri possunt, optima quæque iam facta dici debent: ne diuinæ omnipotentiæ cui semper meliora ac meliora in infinitum obiici facienda possunt, derogemus.

Deinde dicerent huiusmodi rationem non rectà incedere ab extremo ad extremum per media. Extrema enim sunt Deus simplicissimus, & corpora maximè composita. Debuisset ergo dicere, inter hæc duo extrema non debere esse transitum sine medio; quod nimirum sit medium inter omninò simplex & omninò compositum. non autem quod sit medium inter omninò spirituale, & corporeum, vt hæc ratio contendit; dum ait dandas esse substantias incorporeas, quæ non sint vnitæ corpori. Sic enim huiusmodi substantiæ non sunt medium inter omninò simplex, & omninò compositum, sed medium inter omninò spiritale purissimum, & spiritale iunctum corpori. ergo non recta incedit per medium inter extrema.

Tertiò quia etiamsi id totum demus, ratio tamen ad summum nihil aliud conficit, quam esse assignandum medium inter Deum & corpora; nempè substantias spiritales: Has autem si in cœlo degere concedamus, cedo argumentum reliquarum concedendarum. Hinc namque superesset demonstrandum, dæmones reliquósque Angelos, de quibus disserimus, non esse corporeos: Immò in ipsos auctores retorqueri ratio posset. Nam possent Philosophi dicere, hoc pacto plura, ac magis suo ordine disposita dari media, si aliqui ex Angelis corporei sint. Quandoquidem inter substantias corporeas intelligentes corruptibiles, qualis est homo, & substantias incorporeas intelligentes incorruptibiles, quales sunt intelligentiæ, interponerentur substantiæ intelligentes incorruptibiles, quæ mediam inter vtrasque naturam habent, nempe substantiam intelligentem corpoream incorruptibilem.

Addo non esse verum, naturam semper extrema seiungere per media, hoc est interponere naturam mediam inter extremas naturas. Extrema enim omnium corporum sunt quoad perfectionem, Vnum quidem cœlum corporum perfectissimum, cui vt corporum honorabilissimum, debetur honorabilissima regio, vt loquitur Aristoteles libro 2. cæl. cont. 34. & 73. & libro 3. de Partibus animal. cap. 4. & de quo corpore cœli, ipsum esse hominis corpore nobilius rectè docet A. Doctor p. p. q. 91. a. 1. ad 2. & alibi sæpissimè: Alterum verò, elementa corporum imperfectissima, quippe quæ sunt materia cæterorum, & ideò eorum formæ sunt omnium imperfectissimæ, vt etiam docet A. Doctor libro 2. contra Gent. c. 88. & tamen inuicem coniunguntur ita, vt ignis, qui vnum ex elementis est, sit cœlo finitimus quoad locum. Ergo non est necesse vt quæcunque extrema per media interposita connectantur. Quod etiam videri potest in aliis multis.

Ratio tamen A. Doctoris optima est ad eius institutum: Non enim affertur, vt simpliciter philosophis ostendat. Angelos esse incorporeos: Sed posito eo, quod in argumento *Sed contra* ex S. Dionysio docuit cap. 4. de diu. Nominibus Angelos esse immateriales & incorporales; rectè demonstrat, id omne aptè ad finem; nempè ad rerum ordinem, sapienterque factum esse.

Aristoteles. A. Doctor. A. Doctor. S. Dionys.

A Posset etiam tertiò probari ex ratione, quam suprà in parte affirmante ex Raymundo Sabundio attulimus; quia scilicet creaturæ spirituali iniuria fieret, & cætera. Verùm hæc ratio potius ad scientiam de moribus, quàm ad physicam pertinet. Tangit enim controuersiam, An sit iniuriosa creatio, qua pauciores Angelorum species haberent esse, quam corporum. Deinde dico nimium probare; si quid in præsenti re conficit. Nam nec in vna specie vnum tantummodo Angelorum indiuiduum esse deberet, quia in specie corporum plura sunt. Quod si respondeant, vnum esse indiuiduum ob nobilitatem speciei Angelicæ; Id quidem rectè dicitur; sed B aduersarij eodem modo responderent, compensari defectum Angelicarum specierum animo hominis, qui ad corporeas cæteras species excellit, vt vna forma corporis incorporea sua nobilitate exæquet omnem rerum cæterarum multitudinem. Tertiò dico, eam rationem nec dissoluere præsentem Quæstionis nodum: Non enim nunc contendimus; Vtrum debeat dari creatura omninò incorporea, vt ita creaturæ incorporeæ sint duo existendi modi; Nempè separatim omninò à corpore, & coniunctim cum corpore: Sed Vtrùm præter intelligentias cœli motrices omninò incorporeas alij dentur Angeli etiam incorporei, vt dictum est initio secundi Notandi. Denique quia Deus nulli facit iniuriam creaturæ, quia nihil creaturæ debet.

Raymundus Sabundius.

C Quod si dicant facere iniuriam intelligi ita, vt idem sit quod minus rectè facere. Contra hoc est: quia si Deus statuisset, Angelos reliquos non producere, iam eodem modo rectè fecisset, quàtum est ex parte efficientis Dei, ac nunc fecit, quia eadem infinita sapientia, eâdemque voluntatis rectitudine illa plura noluisset, qua nunc de facto hanc multitudinem voluit; sicut etiam nunc sapientissimè plures Angelos aut Mundos noluit, quos velle rectissimè potuisset. Et quamuis tunc pauciores essent creaturæ, aut non omnes gradus entis, hinc nulla refundi potest in Deum imperfectio. Neque enim quia aut plures non prædestinauit, aut non plures condidit D Mundos, idcircò imperfectio aliqua Deo accedit. Optimè enim quod Augustinus tract. 26. in Io. ait, huc referri potest. *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare.* Quia scilicet adeò perfectū est quod ipse Deus sua voluntate facit, vt omnibus esse debeat instar omnis rationis eiusdem rei rectissima voluntas. *An non licet mihi quod volo facere?* Matth. 20. dixit ille, cui se Christus meritò comparauit. Sed plura huc spectantia dicam Difficult. sequent.

S. August. Matth. 20.

Ex quibus etiam intelligitur; quid valeat ratio Iodochi Lorichij in eadem secunda senten- E tia: Nam si putat ex ea conuenientia philosophis demonstrare, Angelos esse incorporeos, apertè fallitur. Neque enim omne quod Deo congruens esse potest, iam factum est, cùm id sit prorsus impossibile, cum semper supersit aliud magis ac magis congruens, vt dixi suprà quæst. 19. & 23. De alia verò ratione; nempè ex natura intellectus; quia eadem est atque alia, qua vsus est A. Doctor, mox dicendum nobis est.

Iodocus Lorichius.

***

Corpus naturæ intelligenti non est tribuendum, cùm eius operationi non subseruit ideo Angeli corpore omninò carent.

§. 4.

MEliùs ergo probatur atque efficaciùs nostra Propositio ex solidioribus principiis naturâ perspectis. Nam nulla natura intelligens, cuius operationi non subseruit corpus, naturaliter indiget corpore. Sed quicunque Angelus est natura intelligens, cuius operationi non subseruit corpus. Ergo nullus Angelus naturaliter indiget corpore. Ergo non est corpori vnitus Angelus, si eo non indiget. Consequentia euidens est ex sua forma.

Maior probatur: Quia non propter aliam causam intelligenti naturæ adiungitur corpus, nisi vt alicui eius operationi, quæ sine corpore esse non potest, adminiculo sit, vt verbi gratia, quia anima rationalis non potest videre sine corporeo instrumento, natura adiunxit animæ in hunc finem tale instrumentum. *Visum enim*, inquit Aristoteles libro nono Metaphysices contextu decimoquinto, *habent animalia vt videant.* Ex quo etiam illud sequitur, quòd si aliqua operatio sit solius animæ, cui eliciendæ corpus non sit adiumento, ipsa anima separata esse possit à corpore, eaque operatione suomet iure non aliena ope vtatur. Quam legem cognoscendæ animæ separabilis vnicam sanciuit Aristoteles libro 1. de Anima, contextu decimotertio, ita vt si huiusmodi operatio à corpore auulsa non agnoscatur, nec anima ipsa separabilis sit. *Si igitur*, inquit, *est aliqua animæ operatio aut passionum propria, continget vtique ipsam separari; si verò nulla est propria ipsius, non vtique erit separabilis.*

Aristoteles.

Idque meritò: Nam sicut ex perfecta efficientia cognoscimus suæ causæ perfectionem, ita ex operationis separabilitate separabilem formam, eo quòd frustrà animus talem operationem corpore non indigentem haberet; Si eam habeat, in corpore necesse sit: Nec firmiore vllo effato vtuntur Aristoteles & Peripatetici ad animæ separationem atque immortalitatem libro tertio de Anima ab initio vsque ad contextum vigesimum primum. Nulla ergo natura intelligens, cuius operationi corpus non subseruit, indiget naturaliter corpore, quia corpus ob aliã causam non ponitur.

Quæ etiam doctrina optimè confirmari potest ratione, quam A. Doctor vsurpat quæstione decimasexta, de Malo, a. 1. c. Quia scilicet, vt ait Aristoteles libro secundo Physicorum, contextu vigesimosexto, forma non est propter materiam, sed materia propter formam, & ideò ait *ad aliam formam aliam esse materiam.* Ergo anima non vnitur materiæ, quia est tale corpus, sed potiùs contrà, quia est talis anima, ideò est tale corpus instrumentarium & organicum animæ operationibus subseruiens; alioqui non esset instrumentarium, nisi æquiuocè. Oculus enim est materia visus, quo deficiente non est ampliùs oculus nisi æquiuocè, vt docet Aristoteles libro secundo de Anima, contextu nono. ergo anima est in corpore, quod illi sit instrumentum ad operandum. Ergo vera est illa propositio; Nempe naturam intelligentem, sicut nec vllam aliam animam indigere naturaliter eo corpore, quod animæ operationi non subseruit, quia corpus ob aliam causam non ponitur. Idem etiam infrà confirmabitur latiùs.

A. Doctor. Aristoteles.

A

Minor autem sic ostenditur. Et primò quòd Angeli natura sit intelligens, ex suprà dictis apertum est. Quod verò operatio non indigeat corpore, patet: Quia non est alia operatio Angelorum ac dæmonum nisi intelligentia & voluntas, & vis motiua ad locum: Nam locutio, generatio, & aliæ etiam passiones, quæ aliquando ab Angelo visæ sunt prodiisse, rectè saluantur per eorum vim motiuam. Nec vlla vrgemur ratione ad alias in Angelis vires ponendas, vt clare constabit ex solutione argumentorum.

B

At ad has prædictas operationes non indigent corpore. Ac primò quidem non opus esse corpore ad intelligendum, ac volendum, ex instituto demonstrabo infra, a. 2. & q. sequenti, a. 1. Quòd verò non requiratur corpus vt se Angeli ad locum moueant, nunc probatur triplici argumẽto. Primum, quia corpus potiùs impediret tantam motus celeritatem, quanta scimus Angelos moueri sursum deorsum, antrorsum retrorsum, dextrorsum sinistrorsum, ac longissimas dissitásq; terras breuissimo temporis spatio peragrare, vt inde quæ geruntur annuntient.

C

Quod mirè paucis expressit Tertullianus in Apologetico cap. 22. numero 348. *Omnis spiritus* inquit, *ales est: hoc Angeli, & dæmones. Igitur momento vbique sunt. Totus orbis illis locus vnus est. Quid vbique geratur, tam facile sciunt quam enuntiant. Velocitas diuinitas creditur*, & cætera. Tale fuit miræ celeritatis index, quod Apollonio Tyanæo Magorum facilè principi accidit, vt narrat Philostratus in vita eiusdem Apollonij. Cùm enim Ephesi degeret Apollonius, eo penè momento, quo Romæ interfectus est à Stephano Domitianus, exclamauit, interfici ipsum Domitianum, hortatúsque est Stephanum, esset bono animo; Ac si spectaculo præsens ea omnia intuitus esset. *Eugè*, inquit, *Stephane, percute tyrannum*, & cætera. Ergo nuncius ille dæmon corpore caruit: Quia eo loci, ne si decies millies quidem ocyor omni vento fuisset, tam celeriter peruenisset. Idem dico de aliis compluribus de quibus lege Gellium libro 15. Noct. Attic. cap. 18. vbi aliud exemplum de quodam iuuene refert; Aimoinum lib. 3. Annal. cap. 22. de quodam Chariberto; Grillandum q. 6. num. 8. vbi aliud sui temporis, Nicolaum Remigium, qui libro 3. dæmonolatr. cap. 1 c. sui æui plura narrat.

Tertullian. Philostrat. Apollonius.

D

Gellius. Aimoinus. Grillandus. Nicol. Remigius.

Deinde neque egent ad alia mouenda: Nam nequit corpus vllum vires Angelicas iuuare ad mouẽda miris modis corpora, vt est aliò flumina ac montes transferre repentè, ciere ac sedare fluuios, fulgura emittere, classes integras tempestate obruere, dolia transuersa per nubes impellere, donec ea loco, quem animo destinarunt, superimpendant, & alia quę scribit Martinus Del. lib. 2. Disquis. Magic. q. 7. 8. 9. & deinceps, & in Anacephaleosi Monitione prima. Huc etiam spectat quod de conuersione virgarum in serpẽtes, ac de Præstigiis in hominum phantasia diximus suprà ex Augustino, & aliis; & quod dixit Plutarchus in vita Numæ Pompilij ipsum Numam, cum nihil haberet, opiparæ cœnæ apparatum momento temporis exhibuisse.

E

Delrius. Plutarch. Numa Pompilius.

Ad

Ad hæc inquam & similia nullo modo vires corporum, etiamsi gigantum lacertos ac neruos ponas, & monstra fingas, sufficere possunt ad huiusmodi motus. Nam in neruis omnes vires
Aristoteles. contineri docet Aristoteles libro 5. de Gener. animal. cap. 7. *Ideo homines* inquit, *cum ætate flerent, robustiores fiunt*. Vnde etiam sequi necesse esset, ipsos dæmones habere cor, à quo sit neruorum origo, teste eodem Aristotele libro 3. de Historia animalium cap. 5. Immò præterea adhuc sequitur, ipsos dæmones continere *humorem mucoris similem, albidum, glutinosum; quo ipsos neruos ali, & vesci certum est*, inquit Aristoteles eodem lib. 3. cap. quinto, quæ improbabilia prorsus sunt.

Nec dicere possunt aduersantes philosophi, esse corpus, vires, neruos & alia huiusmodi diuersæ rationis: Nam si corpus concurrit ad operationes corporeas in Angelis, id propterea esse debet, quia subministrare debet organa, & materiam Angelicis functionibus, vt spiritus animales & alia quæ requiruntur ad illas; Alioqui; cur exigunt corpus in Angelis? Sic enim in nobis ideò est instrumentarium corpus ad visionem, auditum, olfactum, & cætera; in quibus debita temperamenta ad sensiones sunt. Ergo aliquid proportionale in eo Angelico corpore fo-
A. Doctor. ret. *Relinquitur ergo*, inquit A. Doctor quæst. 16. de Malo a. 1. c. *quod hoc sit principaliter propter sensum, sicut & in nobis accidit. Vnde Platonici posuerunt dæmones animo passiua. quod pertinet ad partem sensitiuam.* Cùm autem sensus non possit esse sine tactu, qui est fundamentum omnium sensuum, vt
Aristoteles. habet Aristoteles libro secundo de Anima contextu decimoseptimo, sequitur corpus debere habere temperamentum primarum qualitatum, quod ad tactum necessarium est. Et ideò non potest huiusmodi corpus esse aëreum, aut quoduis aliud simplex, vt probatur libro tertio de Anima contextu 62. ergo essent illi humores, quos diximus, vel certè aliquid simile ex primis qualitatibus. Adde, quod mox & infrà sæpe confutabitur, ista sensuum diuersitas; ostendemúsque philosophos id sentientes nec Platoni nec Aristoteli, nec naturali philosophiæ consentientia tradidisse. Signum ergo est, hæc & alia, quæ per motum localem fieri ab ipsis queunt, ad nutum Angelicæ voluntatis fieri, vt colligitur
A. Doctor. ex doctrina A. Doctoris p. p. q. 110. a. 3. vbi concedit, ab ipsis fieri per motum localem, quæ voluntate possunt Angeli imperari, vt quemadmodum falsò dictum est ab illa Maga;

Mare, cœlum, terra, Tartarus seruit mihi.

S. August. Delrius. ita verè ab Augustino proditum sit apud Martinum Delrium lib. 2. citato q. 7. difficillimum esse homini intelligere, quousque se diaboli potestas extendat, de qua verissimè dictum est, *Non est potestas quæ comparetur ei*. Iob 41.
Iob 13.

Secundò probatur; non requiri corpus ad huiusmodi motum localem: Nam quæro, cuius materiæ illud sit, cœlestisne an sublunaris? Si cœlestis, cùm cœlũ sit solidissimæ substantiæ, vt Philosophi docent, atque ad solam conuolutionem aptũ, quomodo subseruire poterit tã variis Angelorũ motib. tam varias figuras suscipere, cùm tã variis formis Angeli apparẽt? Quomodo in quãtam libet magnitudinẽ se extendent, aut in paruitatẽ se contrahẽt, omniúmq; colorum species variabunt? Quod si dicant, ad hæc noua corpora assumi; Contrà est, quia nullum corpus videmus,

A quod ex alio corpore laruas sibi mutuet, cũ satis sit vnicuique sua forma, omnísque improbabilis philosophãdi modus à recta philosophia arcẽdus sit. Et præterea si cœleste illud corpus non est satis, sed aliis corporibus indiget, quæro causam, cur cœleste ponatur? cùm constet, corpora Angelis dari ad operationes. Tandem cum isti dicant, hos dæmones acerbissimè torqueri ab igne, certè materiam valde alienam Angelis indiderunt ab his cruciatibus, cùm impatibile cœli corpus affingũt. *cœlum enim*, inquit Aristoteles, Aristoteles. *ingenerabile & incorruptibile, & impassibile omnes mortales asseruerunt* lib. 2. de cœlo, cont. 30. Quod si non Peripateticorum, sed ex Platonis sententia loquerentur, nihilo tamen rectiùs eo modo phi-
B losopharẽtur, cùm Plato cœlum Diis cœlestibus assignet, non dæmonibus, quos diis cœlestibus inferiores sæpe statuit, vt suprà dictum est. Quocirca Aristoteles ibidem cont. 2. rectè dixit *cœlum & qui sursum est locum Antiqui Diis attribuerunt, vt potè quod solum est immortale.*

Si verò corpus dæmonum faciant sublunare; nempe aëreum, aut igneum, vt re vera faciunt; iam contrà duplex militat argumentum: Nam cõtrà est. Quoniã primò necesse est, ipsũ corpus esse dissolubile, ac proinde fateantur oportet, vel Angelos esse mortales, si ipsi consientur ex illo, aut certè ex vno sæpè transire in aliud corpus, cum ea dissoluuntur, si eorum corporum ipsi
C Angeli formæ statuantur. Quorum prius esse falsum, infrà a. 5. ostendetur: posterius verò non solum est falsum, verùm etiam philosopho indignũ. Quia vel id quod nullius corporis est actus, si Angelus est substantia completa, alicui corpori adnectũt necessariò, quod à Philosophia alienum est, & gratis asseritur: vel id quod verè est actus corporis, putãt, naturaliter in diuersa trãsferri corpora; Quasi vel ipsa semper præstò sint pro Angeli arbitratu, vel ipse Angelus sibi fingat, & quasi casas construat; in quibus inhabitet. Quæ absurdissima sunt: Primum quidem quia scimus omni actui determinato suum certum ac determinatum subiici corpus oportere, vt patet
D ex Aristotele libro 2. de Anima cont. 26. vbi do- Aristoteles. cet, animam non inesse cuilibet corpori, sed *in corpore huiusmodi*. Vnde redarguit veteres philosophos; quod non differuerint, *in quo, & quali* corpore anima esse debeat, quia, *non videtur*, inquit, *quodlibet recipere quodlibet.* Alterum est etiam absurdissimum: quia nullus actus alicuius corporis sibi format corpus illud, cuius est actus. Semper enim illud præsupponit: Tum quia subiectũ est prius iis, quæ sunt in subiecto, teste Aristotele lib. 1. Physic. cont. 52. Tum quia actus, vt ait Aristoteles libro 2. de Anima cont. 24. est in patiente benè disposito; nẽpe ab aliis causis. Nam si sibi
E actus formaret corpus; ergo in operando nõ dependeret à corpore, ac proinde neque in essendo, vt paulò ante dictum est.

Præterquam quòd vtriusq; eiusdẽ dicti patet absurditas, quia absque vlla ratione pro arbitrio proferuntur, neq; quantumuis maximè conẽtur, *diuinare facile est*, vt in simile propositum dixit Aristoteles primo de Anima cont. 47. & idcircò concludendũ restat, lõgè expeditius esse si Angelos faciant incorporeos. Vt enim ait Arist. lib. 1. de Anim. cont. 49. *Melius est intellectui nõ cũ corpore esse, quemadmodum consuetum est dici, & multis placet.*

Sanè Plato vt suprà vidimus, cùm animam Plato. faciat formam corpori assistentem non in-

formantem; multò magis id de Angelis dicet. Aristoteles verò eas formas omninò negat in varia corpora transire, quæ sunt corporis actus. Adeò vt etsi animũ nostrum separabilem putet à corpore, non tamen in aliud corpus immigrare arbitratus vspiam sit, cum id fabulosum reputauerit vbique. *Tanquam possibile sit*, inquit Aristoteles libro 1. de Anima cont. 53. *secundum Pythagoricas fabulas, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi.*

Aristoteles.

Secundò contrà est, quia corpus Angelicum oportet sit nobilioris naturæ, quàm corpus humanum, quippe naturaliter vnitum nobiliori enti: Quod manifestum est inductione per singulas species animantum. At corpus elementare non est nobilius corpore hominis: Nam vt rectè obseruat A. Doctor q. 6. de Pot. a. 6. c. Elementum cùm sit materia mixtorum, his non potest esse nobilius. Natura enim progreditur ab imperfecto ad perfectum in rebus, in qua ipsa ordinem esse vult. Sic enim prius viuens vita plantæ viuit, postea animantis, postremò hominis, vt docet Aristoteles libro 2. de Generatione animalium cap. 3. & vt ait idem Aristoteles libro 2. Ethicorum cap. 1. *Eorum quæ naturâ nobis eueniunt prius facultates accipimus, deinde operationes reddimus.* Ergo nobilius est corpus ex elementis conflatum, quam sint ipsa elementa.

A. Doctor. Aristoteles.

Nec dici potest esse nobilius corpus aëreum, vt est instrumentum ad operationes Angelicas, quàm corpus hominis, vt instrumentum operationis humanæ. Nam contra hoc est, quia corpus humanum non solum quia adiumento est præstantioribus operationibus, est nobilius cæteris; sed etiam quia in se perfectius esse debet, vt sit perfectius quà instrumentum est. Ex ea enim naturæ præstantia, & qualitatum constitutione habet, vt digniori muneri subseruiat. Hinc est (quod etiam ait Aristoteles libro 2. de Anima cont. 93.) vt *duri carne inepti mente, molles autem carne benè apti*, quia scilicet melioris habitudinis corpus ad nobiliores functiones natura fabrefecit: Corpus ergo non solùm quâ instrumentum, sed secundum substantiam debet esse nobilius, vt nobiliorem quoque rationem instrumenti habeat. Et ratio huius colligitur ex Aristotele libro 4. de Partibus animalium cap. 12. quia *Natura instrumentum ad officium accommodat, non officium ad instrumentum.* Quod idem est ac dicere nobilitatem natura ponit in instrumento, vt consentaneam rationem habeat ad destinatum munus. Itaque naturæ nobilitas ab ipsa ratione instrumenti supponitur, quasi in ea nitatur. Præterquam quòd ne in ratione quidem instrumenti est nobilior pennicillus ad pingendum, quàm calamus aureus ad scribendum, etiãsi ille ad nobilius opus referatur, hic ad minus nobile, si cætera paria sint.

Tertiò probatur non requiri corpus ad eandem vim mouendi Angelicam: Nam, vt rectè etiam argumentatur A. Doctor eadem q. 6. a. 6. c. corpus aëreum, si propriè sit aëreum, est eiusdem naturæ in omnibus suis partibus, cum sit sui semper similis vbique in illis. Ergo Angeli vel nulli parti vnientur, vel omnibus; & sic totus aër vbique aut esset vnus dæmon, aut multiplex. Quòd antiqui quidem posuerunt vt Thales; qui ob hanc causam omnia aiebat esse plena Diis, referente Aristotele libro 1. de Anima cont. 86.

A. Doctor. Thales.

In quem argumentatur simili ratione Aristoteles ibi, & deinceps. Primò quia *necesse est*, inquit, *ipsam animam aut similium partium esse, aut non inesse in qualibet parte totius.* Quia scilicet cum aër vbique sit similis, vbique erit anima, aut non est ratio, cur in aliqua parte non sit. Præterea quia, vt ait cont. 86. *Quæret aliquis; quam ob causam quæ in aere anima est, quæ in animalibus, melior & immortalior? Accidit autem vtroque modo inconueniens, & irrationabile.*

Aristoteles.

Quòd si dicant propriè non esse aëreum, sed aëri simile. Quæro, an cœleste, an corruptibile? an quod sit aptum ad dolores sentiendos? Quod denique ad arbitrium corpus ponant? In quos illud iactari potest, quod Aristoteles antiquis philosophantibus, vt eos redargueret, obiectauit libro 1. de Anima cont. 53. vt partim paulò ante significauimus. *Hi autem conantur dicere qualequid sit anima: de susceptiuo autem corpore nihil determinant. Tanquam possibile sit, secundum Pythagoricas fabulas, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi.* Constat ergo corpus non esse vsui ad illam vim motiuam Angelo. Quod verò non conferat ad intelligentiam & voluntatem, quod supererat probandum, patebit latè a. seq.

Impenetrabilitas corporum ostendit euidenter Angelos incorporeos esse. §. 5.

SEcundò probatur nostra propositio ex corporum impenetrabilitate: Afferam autem aduersus istos ethnicos Philosophos, quod narratur Matth. 5. quod quidem non affero, quia putem Gentiles assentiri Euangelio quà à Deo reuelatum est. Id enim improbi non solùm negant, sed rident facilè, sed quia historia est à viris fide dignis memoriæ mandata, & in celeberrima ciuitate ac frequentissimo inspectante populo peracta iussu eius, quem hostili animo dæmones ipsi auersabantur, & deinceps posterorum consensu contestata, vt immeritò fidem tam patenti veritati ethnici denegarent: Nam & nos plurima, ex illorum historiis admittimus, quæ longè paucioribus testibus, nec tam probatæ fidei auctoribus, vt nostri sanctissimi scriptores fuerunt, comprobantur, vt de oraculis penè incredibilibus, & cætera. Ibi ergo Domino Christo dæmonem interroganti, Quod tibi nomẽ est? respondit dæmon, *Legio. Multi enim sumus.* Legionem autem continere sex millia sexcentas sexaginta sex personas, docet S. Hieronymus super Matth. cap. 26. in illa verba. *Duodecim legiones.*

Matth. 5. S. Hieron. Matth. 26.

Ex quo sic fit argumentum. Nullum corpus potest simul esse naturaliter cum alio corpore penetratiuè secundùm vel omnes vel aliquas partes. Ergo illa legio non erat eorum, quæ haberent corpora, nimirum sibi naturaliter vnita, siue alio modo cohærentia, quia sine dubio etiam eo modo fuissent penetratiuè. Dummodò enim vnicuique Angelo adhæreat suum corpus, ibi debet corpus intimè esse, vbi est Angelus. Ergo perinde esset quoad penetrationem, ac si Angelus ipse corpus esset. Sicut quia animo hominis corpus annectitur, non separatur loco ab ipso hominis animo, sed ibi intimè est præsens, vbi ille adest. Vnde si animus Petri intimè

esset

esset in corpore Pauli, ibi quoque intimè esset corpus Petri, ac proinde penetratiuè.

Maior probatur: Quia experientia constat, corpora se mutuò excludere ex eodē loco quantumuis subtilissima sint. Ideóque rectè contra antiquos, qui ponebant animā esse corpus subtilium partium, infert Aristoteles libro 1. de Anima cont. 72. tanquam valdè absurdum, cum anima informet corpus, duo fore in eodem loco simul corpora. *Necesse est*, inquit, *duo in eodem esse corpora, si corpus aliquod anima.* Ergo putat inconueniens quodcunque corpus, vtut subtile sit, esse simul cum alio. Eodémque modo libr. 2. de Anima cont. 69. lumen non esse corpus ostēdit. *Neque enim*, inquit, *possibile est, duo corpora in eodem simul esse.* Similiter etiam libro 4. Physic. cōt. 8. aduersus eos qui locum faciebant corpus, ait. *Impossibile autem, corpus locum esse: In eodem enim essent vtique duo corpora.* Non ergo possunt esse plura corpora in eodem loco secundùm partes penetratiuè.

Aristoteles.

Quod ipsum patet manifesta ratione, ducta ab experimentis certissimis. Quia videmus duo quanta si iungantur semper esse vnum extra aliud, ita vt vnum non occupet locum alterius, etiamsi corpora liquida seu fluida sint, atque inter se misceantur. Vnde si aqua superinfundatur aquæ etiam in eodem vase, maior fiet aquæ magnitudo, tātumdémque loci occupabit vtraque aqua præexistens, & superueniens, quātum occupassent singulæ seorsim si iunctæ nō essent; Vt; si contineantur duabus phialis, quæ singulæ vnius palmi essent, si rursus in vna ponantur duorum palmorum, eius locus adæquatus illa erit: Quia vnaquæque suum palmatem locum exposcit. Cuius ratio à priori est: Quia quantitas, vt in Physicis ostensum est, est extensio partium, cui cōnaturalis est impenetrabilitas partium, si ad locum seu spatium cōparentur. Constat ergo nullum corpus posse simul esse cū alio corpore penetratiuè siue secundùm omnes, siue secundùm aliquas sui partes.

Minor autem sic ostenditur: Quia hæc millia dæmonum tam multa, vt eius phantasiam aut alias intimas partes immutarent, insidere eius organo cæterísque partibus intimis debuerunt; Quomodo ergo sine penetratione eò accesserūt? nunquid per meatus corporum quasi per continuos tubulos? At hoc est falsum: Tum quia sparsim in corpore meatus sunt, & non continui. Alioqui pateret via in quamcumque partem aperta contra experientiam: Qua videmus arborum folia, & alia similia, in quibus meatus cernuntur, aliter se habere: Tum quia, quodnam hoc genus animorū est, vt multò minutiora atomis corpora sibi poscant? quænā instrumentorū genera esse possunt illa tam minuta corpuscula, quibus animus ille vtatur, vt per ea tantas, ac tam incredibiles vires exerat? Certè videmus quo animalia sunt validiora, eò esse eorum corpora neruosiora, & materiæ solidioris. *Actio enim*, inquit Alexander in Problem. num. 73. *non solùm ratione essentiæ, sed etiam structura variatur.* Vt meritò Aristoteles libro 2. de Anima cont. 41. terminos magnitudinis ac paruitatis naturà præfixos esse dixerit: Quia scilicet in quantumuis paruo corpore nequeat anima suam promere actionem.

Alexander.

Quòd si quispiam dixerit, corpora se mutuò penetrare non posse, quia quantitatem habent;

A illa autem dæmonum corpora non habent quātitatem. Contra hoc est euidens argumentum, quia omne corpus ex eo dicitur corpus, vt suprà dixi ex philosophorum sententia, quod quātitate connaturaliter præditum est. Si ergo hac quantitate connaturaliter carent Angeli, corpora non habent; Esto habeant materiam aliquā. Quæ si extendi quantitate non debet suā naturā est spiritalis non corporea; quam posse dari in Angelis infrà ostendetur accuratè; vbi etiam negabimus, eam de facto Angelis inesse. Si autem debet extendi suā naturā, quantitatem reipsa habere debet. Non enim est, quòd auferant quod rei naturale est, cùm *naturā quæ sunt aut semper aut frequenter fiant* ex Aristotele libro 2. Phys. Aristoteles.
B cont. 77. Constat ergo ex his, vt opinor demonstratum esse, Angelos esse incorporeos, quod multò clariùs patebit, si ea coniungantur, quæ à nobis sequenti articulo secundo, & q. seq. art. 1. dicentur.

Platonici rectè dicerent Dæmones habere corpora, si verum esset ipsos agitari passionibus. §. 6.

EX hac propositione ita probata colligitur primò, rectè ab Apuleio & Calchidio, vbi Apuleius. suprà asseri, corpus esse dandum dæmonibus, si Calchidius.
C verum esset, quod ipsi aiunt, dæmones agitari perturbationibus, corpus inquam cui dæmon vel Angelus connaturaliter nectatur vt animus noster. Simpliciter tamen, tripliciter eos esse deceptos. Primum patet, quòd scilicet rectè id affirmarent, quia huiusmodi perturbationes, quas vt ait Cicero 3. de finibus Græci πάθη appellāt, Cicero. morbi sunt animi, vt formidines, libidines, iracundiæ, vt idem ait Tuscul. 3. At hæc non possunt poni in dæmonibus sine corpore, cum quo ipsi verè faciant vnum compositum substantiale, sicut animus hominis cum humano corpore facit hominem, non autem sufficit, vt fiat vnum quauis vnione: Ratio est, quam dixit Aristoteles Aristoteles. libro 1. de Anima cont. 14. Quia scilicet hu-
D iusmodi passiones non sunt aut solius animi, aut solius corporis, sed compositi ex his, & ideò dixit ibi, eas esse simul cum corpore, quia scilicet vtriusque ac proinde coniuncti sint. *Videntur enim*, inquit, *omnes passiones esse cum corpore, ira, misericordia, timor, mansuetudo, adhuc gaudium, amare, & odisse. Simul enim cum his patitur aliquod corpus.* Vnde ab A. Doctore p. p. q. 20. art. 1. ad 2. & q. 75. A. Doctor. art. 3. ad 3. & 1. 2. q. 22. ar. 2. ad 3. & q. 37. ar. 4. & sæpè alibi dictum optimè est, in passionibus animi aliquid esse, quod rectè dicitur quasi materiale, vt transmutatio corporis, & aliquid quasi formale ex parte appetitus.

E Ex qua duplici ratione docet Aristoteles libro 1. de Anima cont. 16. aliter definiendam esse iracundiam à Naturali, aliter à Dialectico. Aristoteles. Hic enim formale tantùm ponet relicta materia; dicétque esse *appetitum recontristationis*, aut aliquid eiusmodi. Ille autem à materia accipiet definitionem, ac dicet esse *feruorem sanguinis, aut calidi circa cor.* Idémque sua proportione dictum sit de amore, gaudio, tristitia, & cætera. Itaque huiusmodi passiones non tantùm aut ad corpus aut ad animum spectare dicendæ sunt, sed ad coniunctum ex corpore atque animo: Nā rectè

Aristoteles. omninò Aristoteles eodem 1. libro cont. 64. *Dicere irasci animam simile est, ac si quis dicat eam texere aut ædificare. Melius enim fortassis est non dicere animam misereri aut addiscere aut cogitare; sed hominem anima.* Ne autem hoc intelligi à quoquam de animo vt intelligente posset, subdit. *Intellectus autem fortassis diuinum quid & impassibile est*, & cætera. Quasi dicat, licèt hæ passiones, quas diximus esse animarum & corporum, sint totius coniuncti; non tamen eiusdem erunt coniuncti illæ operationes, quæ ab intelligente animo proficiscuntur. Animi enim istæ solius sunt, non totius, quando illis corpus nullo est adiumento; Intellectus enim aliud est animæ genus, cum sit diuinum quid & impatibile, vt accuratius dicam deinceps. Rectè ergo hi philosophi dixissent.

Secundum probatur, eos nimirum simpliciter triplici ratione errasse. Nam primo malè posuerunt has in dæmonibus passiones, cum ostensum sit, eos carere omninò connaturali corpore, ac proinde multò magis eo, cuius dæmon incumbat, vt forma informans, quale diximus requiri ab huiusmodi passionibus. Plato. Immò nec ij hac in re Platonis doctrinam amplectuntur; cum Plato vt vidimus, non faciat dæmonem corporis informantem formam, sed assidentem. Deinde errarunt, quia huiusmodi corpus putarunt æthereum, quia longè fecissent congruentius, si non solum patibilia corpora, verum etiam terrena posuissent.

Virgilius. *Hinc* enim, vt ait Poëta libro 6. Æneidos; nempè ex hoc terreno corpore,

— Metuunt, cupiuntque, dolent, gaudéntque, nec auras
Despiciunt clausi tenebris & carcere cæco.

Has enim ad animum passiones non recipit cæleste, aut aëreum corpus, quod incapax doloris est, qui sentitur in corpore per sensus: Nam temperiem primarum qualitatum habeat necesse est corpus illud, cuius sensus dolorem percipiunt: Prouenit enim dolor ex discordi qualitatum temperie, quæ sensibus molestiam afferat; S.August. & ideò S. Augustinus libro 14. de Ciuit. Dei cap. 7. dolorem corporis speciali modo ægritudinem A. Doctor. nominat, vt etiam obseruauit A. Doctor 1. 2. q. 35. a. 1. c. Sicut è contrario ex conuenientibus qualitatibus voluptas in corpore sentitur. Et quamuis sæpè à Philosophis dicatur oriri dolor ex diuisione continui, tamen proximè non est causa doloris, nisi prædicta qualitatum intemperies sit. Diuisio enim eatenus sensui noxia est, quatenus secum affert noxium obiectum sensus tactus, in quo potissimùm residet dolor corporalis, quod obiectum est inconueniens qualitatum temperatura; vt alibi dictum est fusius. Dico ergo; si hi philosophi loquantur de dolore in corpore, ob quam causam corpora dæmonibus addunt; vt scilicet sint animo patibilia, (nam ob animi molestiam quæ fit dolor intus in animo, nulla est necessitas ponendi corpus,) eos errasse, dum putarunt, Dæmonum corpora esse aut æthera, aut aërea; non autem mista, vt nostratia.

Ex hoc autem sequitur tertium erratum: Nam posito quòd dæmonum corpora sint mista vt nostra, non est quòd eos dæmones supra homines mortales collocent; Ideoque nec bona est illa tripartita animantium diuisio, quam commemorauimus ex Apuleio; Apuleius. nempe in Deos, dæmones atque homines, vt dæmones hominibus naturæ nobilitate antecellant. Cui similis est illa

A Hesiodi apud Eusebium Cæsariensem libro 5. Hesiodus. Eusch. Cæs. Præparatione Euang. cap. 4. qui diuisit rationalem naturam in quatuor genera, Deos primùm, deinde dæmones, tum heroas, postremò homines, licet libro 4. de Præparat. Euang. cap. 3. paulò aliter scripserit. Nempe antiquos Theologos primo loco Deum patrem omnium, atque regem, Deinde aliorum Deorum multitudinem, Tertio loco dæmonas, Quarto heroas posuisse. Non est inquam, cur dæmones homine præstantiores faciant. Hæc inquam non rectè aiunt. Vt enim ait S. Augustinus 8. libro de Ciuitate Dei S. August. cap. 16. loquens de dæmonum natura ex Platonicis. B *Quòd genere sint animalia non est magnum, quia hoc sunt & pecora. quòd mente sint rationalia, non est supra nos; quia sumus & nos; quòd tempore æterna, quid boni est, si non beata? Melior est enim temporalis felicitas, quam misera æternitas; quòd animo sunt passiua, quomodo supra nos est? quando & nos hoc sumus, nec ita esset, si miseri non essemus.* Legendus est Eusebius in eo cap. 4.

Improbatur quod Platonici asserunt, de conuersione animorum in lares, laruas &c. & quod Psellus ait de moribus Dæmonum. §. 7.

C Colligitur secundò, longè magis à veritate aberasse Plotinum, seu quicunque sit alius Plotinus. S. August. apud S. Augustinum libro 9. de Ciuitate Dei cap. 11. Cùm enim non posset inuenire modum, quo dæmones animo patibili explicarentur, excogitauit aliam rationem asserendi dæmones corporeos: Nam dixit, *animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri lares, si meriti boni sint; lemures seu laruas, si mali; Manes autem, si incertum sit, bonorum eos aut malorum esse meritorum.* Laruas autem dicit esse noxios dæmones ex hominibus factos: D Laruæ enim sunt nocturnæ terrificationes, imaginum; Manes autem sunt Dij inferni; Lares verò seu lemures idem fortasse quod genij. De qua re erudité Leonardus Coquæus in hunc locum Coquæus. S. Augustini de Ciu. Dei. Fallitur autem Plotinus, cuius fuisse hanc sententiam putat A. Doctor Plotinus. A. Doctor. q. 16. de Malo a. 1. c. Quia illud quod conuertitur in aliud esse desinit ita, vt aliud sit in quod conuertitur; non autem amplius remaneat ipsum, quod conuertitur, vt fusiùs dico in materia sacramenti Eucharistiæ, vbi ostendo; si panis & vinum vi formæ consecrationis non desinerent esse, hæc ipsa non dicerentur in corpus sanguinémque Christi transmutari, vt doctè obseruat Cardinalis Bellarminus libro 3. de Euchari- Bellarmin. E stia cap. 18. & nos dicimus copiosè 3. p. q. 75. a. 3. At hominis animus, cum sit immortalis, non desinit; Similiter nec dæmones aut Angeli. Ergo non fit huiusmodi conuersio. Præterea ratio à priori ex causa est: Quia vt loco citato fusiùs dico, duæ res non habent inter se transmutationem substantialem, nisi in aliquo communi altera incipiat esse cùm altera desinit, ex aliqua ipsarum rerum repugnantia in illo communi. Sic enim calidum transmutatur in frigidum in eadem aqua, & cætera. Quo pacto etiam si in vno instanti Petrus desinat incipiente Paulo, non transmutatur Petrus in Paulum, quia in aliquo communi non desinit Petrus ex aduentu repugnantis Pauli, & sic de cæteris. Benè tamen

panis

panis transmutatur in corpus Christi vi verbo-
rum; quia in iisdem accidentibus panis, repu-
gnat naturaliter adesse Christi corpus, adhuc
substantia panis in iisdem remanente,& cætera.
At non potest assignari hoc commune, sub quo
huiusmodi substantiæ mutuò ex naturali repu-
gnantia se excludant; vt per se patet. Non enim
est subiectum, cum Angeli atque animi humani
per se subsistentes sint: Non accidentia, quæ per-
eunt ad interitum subiecti: Non continens, quia
etiam ipsis fatentibus animi sunt incorporei,
nec suum esse habent ab vno tantum loco de-
pendẽs, immò à nullo prorsus loco, vt infrà pro-
babo & cætera. Ergo nihil est commune. Deni-
A. Doctor. que vt ait A. Doctor q. illa 16. a. 1. c. *Non est ratio-
nabile, animam à corpore separatam hic oberrare, quasi
locus ipsis destinatus pro meritis desit, atque ita Dei pro-
uidentia in re tam necessaria defuerit.* Quod alibi
confirmandum est.

Quod etiam præsertim dictum sit aduersus
eos, qui licet Christianam doctrinam in pluri-
mis consectentur: in quibusdam tamen ab eius
effatis (incertum an sponte) aberrarunt. Hanc sa-
nè transformationem tanquam in Christiana fi-
Origenes. de errorem maximum reprehendit in Origene
S. Hieron. S. Hieronymus epist. ad Auitum, quæ est 59. his
verbis. *Ita enim cuncta variari* dicebat Origenes
*vt & qui nunc homo est, possit in alio mundo dæmon fie-
ri, & qui dæmon est, & negligentius egerit, in crassiora
corpora relegetur; id est vt homo fiat; sicque permisceat
omnia, vt de Archangelo possit fieri Diabolus, & rursus
diabolus in Angelum reuertatur.* Et paucis interie-
ctis. *Qui vero non fuerint meriti, vt per genus homi-
num reuertantur ad pristinum statum, fient Diabolus &
Angeli eius & pessimi dæmones, ac pro varietate meri-
torum in singulis mundis diuersa officia sortiantur.* Per-
git, *Ipsósque dæmones, ac rectores tenebrarum in aliquo
mundo vel mundis, si voluerint ad meliora conuerti, fieri
homines, & sic ad antiquum redire principium.* Et post
pauca. *Ex quo consequenti ratione monstrari, omnes
rationabiles creaturas ex hominibus posse fieri, non semel
ac subito, sed frequentius, nósque & Angelos futuros
dæmones, si egerimus negligentius, & rursum dæmones, si
voluerint capere virtutes, peruenire ad Angelicam di-
gnitatem.* Et postea eum arguit, quod dixerit, ani-
mas & Angelos eiusdem esse naturæ & cætera.
Tertull. Hunc quoque errorem in Tertulliano improbat
S. August. S. Augustinus in libro de Hæresibus cap. 86. Vbi
eum ait sensisse animas hominum pessimas post
mortem in dæmonas verti. Sed tamen hanc in
Pamelius. Tertulliano notam negat esse, Iacobus Pame-
lius Tertulliani interpres in Antidoto ad Ter-
tulliani Paradoxa num. 11. Cuiuscunque tamen
sit, hæc heresis damnatur in 6. Synodo, & ab aliis
Patribus, vt idem Pamelius obseruat ibidem.
Equidem quantam voraginem vitiorum hic er-
ror aperiat pessimis moribus, satis clarè perspi-
S. August. cio. Quandoquidem, inquit S. Augustinus libro
illo 9. de Ciuit. cap. 11. *Quamlibet nequam fuerint
homines; vel laruas se fieri dum opinantur; vel dum Ma-
nes Deos, tantò peiores fiunt, quantò sunt nocendi cupi-
diores, Vt etiam quibusdam sacrificiis tanquam diuinis
honoribus post mortem se inuitari opinentur, vt noceant.*
Chrysost. Hinc est, vt S. Ioannes Chrysostomus in cap. 8.
Breuis enarrationis in Matth. non procul à me-
dio ad hoc propositum dicat, dæmones de mo-
numentis exiisse, perniciosum dogma imponere
volentes; nempe animas mortuorum dæmones
fieri; additque, plerosque Aruspicum occidisse
pueros, vt eorum animas ad sua veneficia habe-

A rent adiutrices. *In sepulchris autem dæmones* inquit
*versabantur perniciosum quoddam plurimorum menti-
bus ingenerare dogma cupientes. Mortuorum videli-
cet animas dæmones fieri. Quod sane vel à fidelium co-
gitationibus absit omninò*, & cætera. Idem iisdem
verbis habet hom. 29. in Matth. paulò ante
medium.

Colligitur vltimò, Vtrùm concedenda sint
quæ Psellus ex illo Marco de dæmonibus testa-
tur; nempè sex illa dæmonum genera corpore ac
moribus tam variis, vt retuli suprà Quæsito 2.
Difficult. 2. Et primò quidem quantum attinet
ad illa sex genera, non improbantur ab aliis:
Nam Tritemius Abbas in tomo historico in epi- Tritemius.
stola ad Maximilianum Imperatorem q. 5. Quod
B Psellus ex Marco breuiter scripsit, id de dæmo- Psellus.
num generibus ab eorum habitatione deductis
multò latiùs edidit, ita vt singillatim eadem ge-
nera iisdémque vocabulis enumeret, adiectis
variis eorum moribus. Quæ etiam explicat co-
piosè, & emendat nonnihil Martinus Delrius Delrius.
libro 2. Disquisit. Magic. q. 27. sect. 2. Ex quibus
etiam colligit, quosdam dæmones Sibyllarum
more, & habitu responsa dare solitos ad fallen-
dum. Apud Eusebium quoque Cæsariensem li- Eusebius.
bro 4. Demonstr. Euang. vt idem refert Marti- Delrius.
nus ibidem, eadem ferè genera recensentur. Ex
his etiam aliquot genera ab Orpheo, à Zoroa- Orpheus.
stre, à Platone & aliis. Vide apud eundem quæ Zoroaster.
C ipse de his scribit. Plura adhuc dæmonum ge- Plato.
nera ex Porphyrio Iamblico & aliis habes apud Iamblicus.
Boissardum libro de Magia & Geniis à cap. 2. & Boissardus.
deinceps, vbi etiam explicat horum magnitudi-
nem, actiones, aspectus & cætera; & rursus libro
de Magia cap. 1c. Multa quoque Olaus De re- Olaus.
bus Septentrional. lib. 3. à cap. 22. lib. 6. à cap. 9.
lib. 13. cap. 33. & alibi.

Secundò quod spectat ad corpora, omnia fal-
sa esse ostensum est, si de propriis atque ingeni-
tis corporibus sermo sit: Si verò de extrinsecus
formatis pro dæmonum voluntate siue ex aëre,
siue ex aliis elementis, siue ex cadaueribus, vt
oculis humanis conspici possint, verum id esse,
D dicam infrà. Atque his quidem corporibus se
transformant in Nymphas, in Faunos, in Sphyn-
ges, in Sirenas, in spectra, & nocturna terricula-
menta, in dæmones meridianos, in Thesauro-
rum custodes, in Lucifugos, & alios innumera-
biles modos. De quibus omnibus rectè iidem
auctores iisdem locis.

Tertiò quod de eorum moribus dicitur, illud
certum est, quamuis à Cassiano Collat. 7. cap. 32. Cassianus.
dicantur quidam dæmones non delectari ho-
minum tormentis, sed *derisu tantùm, & illusione
contenti fatigare eos potius quam nocere, & innocuis in-
terdum incubationibus hominum excubare*; tamen om-
nes dæmones grauissima mala hominibus opta-
E re; quod Eusebius libro 4. de Præparatione Euã- Euseb.
gelica à cap. 6. demonstrare aggreditur. Et rectè
quidem idem ipso initio cap. 6. *Quoniam* inquit
*alios bonos, alios malos dæmones putant, agè iam videa-
mus, certisque rationibus approbemus, malignos esse om-
nes dæmones; quamuis Gentilitas loco Deorum eos vene-
retur.* Additque eorum malignitatem ex eo po-
tissimùm apparere, quod iidem Dij Gentium Sa-
turnus, Iuppiter, Minerua & cæteræ inuisibiles
virtutes, quæ in simulachris, & per simulachra
operantur, non solum brutorum immolationi-
bus animalium, *quod iniustum & abominabile* in-
quit *Theophrasto & Porphyrio esse videtur.* Verum-
etiam

etiam cæde ac ſanguine hominum ſummopere A gaudent,&c. Rectiſsimè etiam S. Antonius apud S. Athanaſium in eius vita cunctis dæmonibus hoſtile odium in homines eſſe ait grauius in Chriſtianos, atrociſſimum in religioſos ac virgines in Deo ſacras. Si tamen Deus non ſinat eos nocere hominibus, gaudere hominum deriſu, ac deceptione, &c. Quibus poſſint in aliquod ſaltem leue peccatum inducere, vt in iocos, in riſus ſolutiores ad mentis vagationem, eo præſertim tempore, quo Deum oramus, in quæ vitia facillime vel boni pertrahuntur. Hinc collige eos dæmones, quos multos hominibus famulari in regionibus Septentrionalibus præſertim tradũt Moderni hiſtorici, malum aliquod ingens iiſdem machinari. Vnde vt refert idem Boiſſardus B libro de Pilariis cap. 8. Scandios populos, poſtquam opera Suecorum regum ad Chriſti cognitionem venire cœperunt, *ſi potiſſimum adultiores baptizentur, intra ſeptimum aut nonum diem a baptiſmo mori.* Illud verò quod ait Caſſianus de incubationibus, non ſemper eſt à dæmone, ſed plerunque è morbi vitio, præſertim ex humore melancholico, licet interdum ſit mera dæmonis infeſtatio. Demum quod aiunt, dæmonem emittere ſemen, ex dictis apertè falſum eſt: Nam ſemen, vt ait Ariſtoteles libro primo, de Generatione Animal. cap. 19. eſt ſuperfluum alimenti benè concocti; Quod etiam approbat A. Doctor p. p. q. 119. a. 2. Cuius etiam ſignum eſſe ait ex C eodem Ariſtotele libro ſeptimo de hiſtoria Animalium capit. 2. *Quia animalia magni corporis, quæ indigent multo nutrimento, ſunt pauci ſeminis ſecundum quantitatem ſui corporis, & pauca generationis, & ſimiliter homines pingues ſunt pauci ſeminis ob eandem cauſam.* Vbi etiam addit Ariſtoteles ſemen præparari vſu ciborum acrium, atque humidorum. Et Plutarchus de placitis philoſophorum libro quinto ex Pythagora ait: ſperma probiſſimi ſanguinis eſſe ſpumam, alimenti retrimentum, vt ſanguinem quoque & medullam. Cui etiam rei conſentit Auicenna libr. decimoquinto de Animal. capite tertio, & Albertus libro decimoquinto de Anim. tractatu ſecundo, capite quinto & D ſexto. Copioſè tamen multa, quæ hanc materiam confirmant, tradit Tiraquellus in legem Connubialem 15. à num. 9. & deinceps. Cum ergo dæmones non habeant corpora, nec cibis alantur, nunquam poterunt verè ex ſe ſemen emittere. Immò etiamſi aërea corpora haberent, vt illi volunt, non tamen in illis eſſet ſemẽ genitale. Quod emittere eſt proprium animæ vegetantis, cuius propria ſunt generare atque alimento vti, ſicut Ariſtoteles docet libro ſecundo de Anima contextu trigeſimoquarto. Ergo requireret corpus aptum ad huiuſmodi inſtrumenta, vt nimirum haberet ſanguinem, e quo E eſſent ſpiritus, quibus ſemen emitteretur. *Nihil enim præter ſine violentia ſpiritus proiici poteſt*, teſte Ariſtotele libro 7. de hiſtoria Animalium capite ſeptimo. Quæ non conueniunt niſi corpori ex elementis conflato, vt certum eſt. Fingere autem alterius generis ſemen ad hominem è matrice mulieris generandum, ratione philoſophantis non eſt, ſed philoſophiam in chimæras ac fabulas peruertentis.

S. Antonius. S. Athanaſ. Boiſſardus. Ariſtoteles. Plutarch. Pythagoras. Auicenna. Albertus. Tiraquell. Ariſtoteles.

***

Satisfit argumentis partis aduerſantis.

§. 8.

EX his reſpondetur argumentis in prima ſententia poſitis. Ad primum aio, S. Auguſtinum iis locis in ancipiti eſſe ſententia: Nam poſtquam ea verba protulit, ait. *Si autem quiſquam nulla dæmones corpora habere aſſeuerat, non eſt de hac re aut operoſa inquiſitione, aut contentioſa diſputatione certandum.* Et quæ dixerat ſuprà erant ex Platonis ſententia cum addat, *ſua dæmonibus eſſe corpora ſicut doctis hominibus viſum eſt.* Quare quod igni dæmones vrantur ſecundum corpora verum non eſt: Quo autem pacto crucientur infero igne, id quidem explicabitur ſuo loco. *Cum enim non dicamus* inquit ibidem Auguſtinus, *quamuis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum, etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt includi corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari?* Sanè A. Doctor q. vn. de ſpiritual. creatu. a. 1. ad 20. apertè docet, ſubſtantias ſpiritales non pati ab igne corporeo per modum alterationis materialis, *ſed per modum alligationis, vt Auguſtinus dicit*; nempe vt ipſe putat libro 21. de Ciuitate Dei cap. 10. vbi aliquid ſimile indicat.

S. Auguſt. Plato. A. Doctor.

Dæmones incubos non habere veras viuentis operationes: & quid de Pana Deo magno ſimilibuſque monſtris ſentire debeamus.

§. 9.

AD ſecundum nego dæmones veras viuentis exercere functiones, vt fusè probat A. Doctor q. 6. de Pot. a. 8. per totum, & nos etiam idem oſtendemus q. ſeq. a. 3. vbi eandem quæſtionẽ iterum ex inſtituto A. Doctor tractat. Non eſt autem dubium, quin ex dæmonis concubitu aliquando vera ſit nata proles ex muliere ſuccuba, ſed illum cõcubitum fuiſſe viuentis corporis pernegabo: Nam è viuentis concubitu per genitalia, ſeminis vera emiſſio eſſe debet, ac proindè eius origo eſt in ipſis animalium membris; cum ſit excrementum alimenti ſanguinei, quod vltimum in membra digeritur, vt docet Ariſtoteles libro 1. de Generat. Animal. cap. 18. & 19. & alibi vt diximus.

Quod ſi quædam mulieres veram fuiſſe ſeminis eiaculationem à dæmone teſtatæ ſint aliquando, deludãtur à dæmonibus neceſſe eſt: Nam cum dæmon ſpecie viri congrediatur cum illis, callidè eas decipit, ac ſi vir ageret. Nec nego poſſe ex dæmonis coitu naſci prolem, vt bene ſuadet argumentum, & fuſiùs infra dicetur, etſi dubitet hac de re A. Doctor. q. 6. de Pot. a. 8. ad 5. licèt magis inclinet ad partem affirmantem. *Cum etiam alias res naturales curent*, inquit Dæmones, *propria ſemina adhibendo*, vt etiam Auguſtinus dicit 3. de Trinitate capite 8. & 9. Abſolutè tamen dubitat noſter Pererius libro octauo in Geneſim Diſputat. 3. Hinc tamen antiquitas nouit Semideos, Hercules, Æneas, & alios de quibus ibidem Martinus, vbi etiam addit; Angliam habuiſſe

A. Doctor. A. Doctor. Pererius. Delrius.

Merlinus. Bellouacēs. habuisse Merlinum, vt ait Vincentius Bellouacensis libro 21. speculi: Pannoniam suscepisse Hunnos ex Arlunis strigibus Gothicis & faunis natos. In Hispania bicornes natos ex dæmonibus, & Cliuentium ducum stemma in dæmonem referri; nec deesse qui Lutherum non degenerem dæmonis prolem in hanc classem retulerint. Huc etiam spectant quæ fabulis seu allegoriis continentur poëticis, si quando aliquid veritatis habuerunt; nempe Semiramidem equi concubitum admisisse; Pasiphaen tauri; Europam quoque tauri; Olympiadem draconis; Lædam cygni; Alcmenam ficti Amphytrionis; Danaen auri impluuij, & omnes alios concubitus, quibus virgines & mulieres dictæ sunt à Diis violatæ. de quibus Boissardus libro de Magia incubi & succubi copiosè. Molina etiam p. p. q. 50. a. 1. auctor est, è dæmonibus sobolem nostris temporibus contigisse. Qua etiam de re Gulielmus Parisiensis libro de vniuerso. tertia parte secundæ partis frequentissimè. Quo admisso mihi placet responsio A. Doctoris in hac q. 51. a. 3. ad 6. quæ non multum absimilis est ei, quam modò referebam. Vbi *si ex coitu dæmonis* inquit, *aliqui interdum nascuntur, hoc non est per semen ab eis decisum, aut à corporibus assumptis, sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum.* Pergit in declarando modo quo id fiat, *Vt potè quod idem dæmon, qui est succubus ad virum, fiat incubus ad mulierem, sicut & aliarum rerum semina assumunt, cum ad aliquarum rerum generationem; vt Augustinus dicit 3. de Trinitate;* nempe cap. 8. & 9. Itaque vis hæc vitalis ad prolem non est in dæmone, sed in semine; atque ita enata proles non est dæmonis proles, sed hominis, cuius est semen acceptum, vt ibidem, vt ibidem rectè docet A. Doctor: Quæ etiam causa est, vt talis proles nunquam exoriatur ex dæmone succubo: Nam requiritur tractus temporis; vt semen in corpus organicum commutetur, quousque absolutissima illa humani corporis structura compleatur; & ideò continua vegetatiuæ animæ operatio in fœtu alendo, & alia penè innumera naturæ arcana requiruntur; quæ dæmon in assumpto corpore, vbi nulla sunt vitæ organa, non potest præstare. Pertinet autem ad fraudes dæmonis, vt cùm se parere fingit, aliundè subtractos liberos sibi supponat. Vtrùm autem ex dæmonibus incubis viri semine translato possint nasci gigantes ac Pigmæi, doctè disserit idem Martinus dicta q. 15. Denique quod Aristoteles ait in cont. 34. lib. 2. de Anima rectè probat quod dictum est.

Lutherus.

Boissardus. Molina.

Gulielmus Parisiensis.

A. Doctor.

S. Augustin.

A. Doctor.

Delrius. Aristoteles.

Platonici.

Ad vltimum dico; Platonicos asserere dæmones immortales, vt ex definitione retulimus in prima sententia; licèt non rectè; si qui voluerunt eos constare ex terrestri corpore. Deinde cum sint omninò incorporei, mori non possunt, vt ostendemus infrà. Quare quod dicitur de Pana, credo equidem historiam vti narratur fideliter scriptam esse: Sed nego ita accidisse, si ille verus dæmon fuit, & non potius monstrum. Mihi enim satisfacit Pererij sententia libro octauo in Genes. disputatione secunda in fine, vbi disputat de Semideis, Syluanis ac monstris, & de Deo Fauno; de quo narrat S. Hieronymus in vita Pauli eremitarum auctore. Ait enim hæc & alia similia dæmonum fuisse figmenta, & ludibria. Aut enim fuere inania spectra, & simulachra, aut monstruosa animalia, per quæ dæmon humanum sermonem, sensumque mentiebatur,

Pererius.

Hieronym. Paulus Eremita.

A Deo sic statuente ad fidei celebritatem. Quandoquidem & belluæ, ac monstra dæmonum simulachra veram fateri fidem cogebantur. Nec refert quod, vt ait ibi Hieronymus, corpus illud tale seruatum diu sit: Nam potuit dæmon sumere huiusmodi cadauer è bellua recens interfecta, ne breui putresceret.

Hic tamen notari oportet non deesse multos, qui putarunt vocem illam de Pana Deo magno, quam retuli in argumento primæ sententiç fuisse locutam de Christi saluatoris nostri morte, cùm audita sit anno decimonono Imperij Tyberij Cæsaris, quo anno constat Christum Dominum fuisse pro mortalium salute cruci affixum. B Accedit quod ipsi Arcades Pana vocarunt τὸν τῆς ὕλης κύριον; nimirum non solùm syluarum Dominum, verùm etiam vniuersæ materiæ; Ideò Pan dictus est quasi Deus Vniuersi. Vnde putant illam vocem non fuisse missam à dæmone, sed à bono Angelo: Nam dæmones licèt sæpè inuiti vera proloquantur, tamen id faciunt verbis ambiguis, vt homines magis ac magis in errorem inducant. Ita docet Boissardus libr. de Magia & Angelis cap. 2. pag. 36. Boissardus.

Superest hic respondere ad vltimam Caietani rationem in eadem prima sententia: Quæ tamen facili negotio refelli potest. Primò enim non benè colligit Caietanus, si reperiantur illi C gradus debere reperiri intellectiuum cum progressiuo; Nam supponit reperiri omnes graduum connexiones; Quod tamen est falsum; nunquam enim reperiet Caietanus intellectiuum cum solo sensitiuo, aut solo vegetatiuo. neque solum sensitiuum siue vegetatiuo. Ergo si non dantur huiusmodi coniugationes graduum omnes, ille non potest rectè inferre, dari intellectiuum cum sola progressione. Quod si dicat, illas non esse possibiles, hanc verò fieri posse. Contra hoc dupliciter insto: Tum quia non omne quod possibile est poni debet actu; Alioqui iam potentia Dei exhausta penitus esset: Tū quia nec est possibile, intellectum esse cum D sola progressione per organa corporea; hæc enim organa corporea non possunt esse immortalis naturç, ac cœlestis; nam ad motum progressiuum requiruntur nerui, quibus partes inflectantur, & ossa quibus consistant, vt docet Aristoteles libro de motu animal. cap. 5. & præterea spiritus, quibus partes propellantur, vt ipse habet cap. 6. Idcircò enim ait, *omnia animalia habere spiritum connatum, & ab illo robur accipere,* &c. Reddit postea rationem: *Nam opera motuum pulsio,* inquit, *& tractio sunt. Quare debet posse instrumentum augeri, & contrahi; Talis autem est spiritus natura.* Ergo huiusmodi corpora non possunt esse cœlestia, sed mista, quia variis qualitatibus disposita. Ergo non pos-E sunt esse sine sensitiuo. Quod si detur locus figmentis, fingatur quoque posse dari sensitiuum sine vegetatiuo. Deinde dico Caietani sentētiam carere omni ratione: Nam facultas ad locum motrix ideò datur animalibus, vt sibi prouideāt, quæ ad vitæ conseruationem necessaria sunt. Id enim appetibile est, quod animalia mouet, vt ait Aristoteles libro 3. de Anima cont. 49. & 54. Ergo talis motus absque ratione ponitur in Angelis, cùm possint alio motu moueri, vt dicam infrà suo loco. Immeritò ergo Caietanus putauit, eam sententiam esse maximè consonam philosophiæ & rationi, cùm vtrisque valdè aduersetur, discedátque à fidei pronunciatis.

Caietanus.

Aristoteles.

TERTIA

A

TERTIA DIFFICVLTAS.

Vtrùm ratione A. Doctoris efficaciter demonstretur Angelos incorporeos re ipsa esse in rerum natura, & an id sibi proposuerit A. Doctor.

A. Doctor. SEmper A.Doctoris ad articuli conclusionem ostendendam argumenta magnifacere soleo. Quippe quibus nulla aut maioris efficaciæ, aut magis ad suum finem, vt deinceps patebit, verior ratio afferri soleat. Si tamen interdum non in bono vt aiunt lumine inspiciantur, nõ ita firma eorum veritas nonnullis videri solet. Idcircò vel semper vel frequenter nobis erit de ratione articuli disceptandum. Vnde in præsenti quærimus de ea ratione, quam initio huius articuli primi proposuimus, quid virium habeat.

In qua tamen re Notandum est quod suprà diximus in explanatione ad hunc articulũ primum, A. Doctori non fuisse propositum in hoc articulo ostendere, Angelos esse incorporeos, sed solùm Angelos, quos nomine substantiæ incorporeæ intelligit, dari in rerum natura seu de facto esse. Quoniam tamen multis visum est, posse etiam eadem A. Doctoris ratione ostendi, non solum Angelos incorporeos dari, sed etiam Angelos esse incorporeos; Quia scilicet si ij qui substantiæ incorporeæ sunt dentur, ergo Angeli qui dantur sunt substantiæ incorporeæ. Ideò in præsenti examinandum est vtrumque saltem implicitè. An scilicet ratione A. Doctoris efficaciter demonstretur, siue Angelos incorporeos esse, siue Angelos qui sunt, esse incorporeos. Quæ quidem verè demõstrarentur, si ratio prædicta cõficeret, Angelos incorporeos dari: Nam si demonstretur dari, ergo demonstrabitur similiter eos, qui dantur, esse incorporeos vt diximus; sicut si demonstraretur homo animal rationale esse, demonstraretur quoque hominem, qui est, esse animal rationale: Ratio vtriusq; dicti est, quia idem est, demonstrari aliquid cui conuenit aliquod prædicatum esse; & esse illud, cui tale prædicatum conuenit. Est enim vt ait Aristoteles libro 3. Physic. à cont. 18. eadem via Athenis Thebas, & Thebis Athenas: Sunt enim diuersæ quidem aliquo modo propositiones; sed eandem reipsa significationem habent. In hoc ergo sensu, sed potissimùm & explicitè, Vtrùm Angeli incorporei dentur in rerum natura, examinabitur præsens difficultas.

Aristoteles.

Gregorius Valentia. Vasquez. Partem negantem sequuntur Gregorius de Valentia in hac p.p. Disput. 4. q. 1. puncto 1. & Gabriel Vasquez Disputat. 178. cap. 1. Dicunt autem esse tantùm congruentiam; Vasquez nihil obiicit; Valentia verò generatim, omne ad naturam Angelorum incorpoream comprobandam ex naturæ principiis argumentum improbat. Quod existimet nullam reperiri rationem, quæ necessariò concludat, aut ex natura Angelica, aut ex eius effectis esse Angelos incorporeos. Non quidem ex natura, quia non est necesse huiusmodi dari naturam, alioqui eam Deus non liberè procreasset: Nec ex effectis, quia quicunque effectus, qui Angelis ascribi potest, vt motus cœli, & cętera, potest referri vel in Deum vel in naturam ipsam cœli, præsertim si cœlum dicatur animatum. Ex quo etiam ait, rationem desumptam ex varia arreptitiorum locutione probabiliter quidem, non tamen euidenter demonstrare, esse has naturas. Quæ omnia subtili, vt solet semper Valentia, ingenio prosequitur latiùs.

Caietanus. Suarez. Partem affirmantem sequitur Caietanus in hunc articulum primum, Franciscus Suarez Disputat. 35. Metaphys. sect. 1. Qui vbi multa aduersus eam rationem proposuerunt, ea omnia amoliri conantur, vt eam solidam esse defendãt. Caput omnium eorum est: Vniuersum debet esse perfectum ex omnibus gradibus diuersi ordinis. Ergo in rerum vniuersitate necesse est Angelos dari. Qualem autem intelligant ordinis

B

diuersitatem non definiunt; Ex verbis tamen Suarez ibidem num. 6. arbitror gradum hunc diuersi ordinis esse eum, qui ponitur omninò nouus gradus entis, non autem sola species perfectior in aliquo genere.

Suarez. Addit idem Suarez ibidem à num. 11. Quia pertinet ad vniuersi perfectionem, vt contineat omnes rerum atque ordinis gradus; rectè quoque hinc inferri dari nunc reipsa ordinem gratiæ supernaturalis, vnionémque ipsam hypostaticam, & quodcumque aliud, modò habeat genus perfectionis alterius ordinis à cæteris substantiis, quæ in rerum natura sunt. Quibus verbis apertè denotatur quodcunque ad vniuersitatis perfectionem excogitari potest, modò sit

C

nouus entis, & ordinis gradus; quo scilicet constituatur noua rerum series, vt est ordo gratiæ, ordo vnionis hypostaticæ, ordo substantiarum à materia abiunctarum, ordo corporum & similium, id totum de facto reperiri factum à Deo censendum esse. Generatim autem quid sit id, quod nouum entis ordinem gradúmque faciat, ipse explicatiùs definire noluit, ne fortasse rem dubiam nimis apertè stabilire videretur.

A. Doctor. Hinc consentaneè docet, modò huiusmodi diuersa perfectio possibilis sit, ratione A. Doctoris eam re ipsa esse in mundo demonstrari: Huius fundamentum est, quia diuinæ sapientiæ ac bonitatis est, ne vniuersum deserat imperfectũ, hoc est sine omni gradu diuersarum perfectio-

D

num; Vt scilicet quemadmodum est gradus corporeus, ita quoque sit gradus spiritalis, gradus gratiæ supernaturalis, & eorum quæ naturam comitantur. Alioqui quomodo Deus fecisset omnia in numero, pondere, & mensura? Verùm licèt ex vtraque parte ingeniosè philosophatum sit; tamen ab vtrisque; nimirum tam negantibus, quam asserentibus; rationem esse validam, ex parte dissentiendum videtur, eo quod in proposita difficultate distinguendum sit.

E

Sensus ac resolutio propositæ difficultatis. §. 1.

NOtandum est aliud esse quęrere, Vtrùm aliqua ratio simpliciter probet, rem esse, aliud verò Vtrùm probet congruenter ipsam eandem rem esse, quæ aliunde esse scitur. Hęc enim probatio qua ex. gr. probatur, cœlum esse, differt ab ea qua ostenderetur, cœlum congruenter factum esse ad finem vniuersi, scilicet ob eius ad cætera mundi corpora conuenientiam, ac proportionem: Nam diuersa subiecti attributa: quæ affirma

affirmantur vel negantur in ipsa conclusione, diuersas quoque exigunt probationes, seu medios terminos ad consequentias inferendas, vt Logici loquuntur: In illa autem priore propositione attributum, quod in conclusione affirmatur, est ipsum cœli esse seu existentia: In hac verò posteriore est eiusdem existentiæ conuenientia, & dispositio, seu ordo ad reliquas partes. Quam mihi doctrinam insinuat ipse A. Doctor suprà q.32.art.1.ad 2. vbi ait ad aliquid probandum dupliciter afferri posse rationem. Vel primò, quia eius rei natura ostendatur, vt accidit in Physica, cum probatur; *Quod motus cœli sit vniformis velocitatis.* Vel secundò, quia rei iam positæ ostendantur congruere, quæ ponuntur. Quo pacto ait in Astrologia poni rationem eccentricorum, & epiciclorum; eo quod hac facta hypothesi possunt saluari phænomena circa motus cœlestes. Et primo quidem modo negat esse argumenta, quibus Trinitas esse ostendatur; concedit tamen secundo modo induci posse rationem; *Quia scilicet Trinitate iam posita*, inquit, *congruant huiusmodi rationes.*

A.Doctor. Hæc autem docuit A. Doctor ob eorum sententiã, qui aiebant dupliciter posse ostendi Trinitatem. Primò quidem quia nullius boni sine socio est iucunda possessio. Ergo plures personæ sunt in diuinis. Secundò ex processione Verbi & amoris in nostra mente. Quam secundam viam; nempe ex nostræ mentis actibus, fatetur eodem articulo in 2. argumento A. Doctor se secutum esse q.27. art.3. Verùm ait, hæc congruenter quidem ostendere poni Trinitatem, non autem probare simpliciter esse. Cùm enim ad Dei cognitionem homo non perueniat nisi ex creaturis, sicut ex cognitione effectus in notitiam causæ, non poterit homo ad Trinitatis notitiam vllo pacto peruenire, quia effectus ducunt quidem nos in notitiam omnipotentis, atque infinitæ causæ, non tamen Trinæ in personis. Vnde constat; A. Doctorem, licet interdum videatur probare rem esse; tamen re vera non tam probare rem esse, quàm rem congruenter esse. Hoc posito ad difficultatem respondetur.

Ratione A. Doctoris ostendi Angelos incorporeos congruere vniuerso, non autem ipsos esse incorporeos demonstrari. §.2.

A. Doctor. PRima Propositio. Ratio allata ex A. Doctore ostendit, non quidem Angelos incorporeos esse in rerum natura; sed posito quòd sint, & incorporei; iure optimo eos rerum vniuersitati congruere.

Prior propositionis pars probatur: Quia illa ratio non potest ostẽdere, Angelos incorporeos esse in rerum natura, cuius principia apta non sunt ad inferendam huiusmodi conclusionem. Talis autem est illa allata ex A. Doctore. Ergo ratio allata ex A. Doctore non potest ostendere, Angelos incorporeos esse in rerum natura. Minor probatur: quia neutra præmissa est necessaria, & negari rectè potest. Ergo neutra est apta ad eam conclusionem. Antecedens probatur, & primò de maiore patet: Quia non est necesse Deum in condendo mundo velle ipsum mundum adeò esse perfectum, vt contineat omnes gradus entis, qui inter se nullam habent necessariam connexionem; vt exempli gratia, si velit efficere aliquod corpus, *sit cœlum*, non est necesse, vt simul esse velit hominem aut Angelum. Nam cum liberè vtrumque velit, potest vnum velle prætermisso altero, cum inter se necessariò connexa non sint. Ergo si vnum sit, non necesse est, alterum quoque sit.

Id enim neque necesse est aut ex voluntate Dei, aut ex rerum natura: Non quidem ex voluntate Dei, nam Deus non necessariò sed liberè vult vtrunque: Neque ex rerum natura: quia vt diximus ex natura rerum inter se non necessariò coniunguntur. Quin etiam hoc differt liberum agens à necessario; Quod liberum nõ est determinatum ad vnum; sed ex electione vult, & quem vult effectum gignit; & idcircò A. Doctor infrà q.83.art.1. liberum præsupponit *iudicium rationis ad diuersa se habens, & non est determinatum ad vnum.* & art.3. docet, proprium actum liberi arbitrij esse electionem, qua *possumus vnũ eligere alio recusato.* Quod iisdem locis ipse ex Aristotele & aliis ex instituto probat. At verò necessarium non est nisi determinatum ad vnum, nihilque potest operari nisi id, ad quod eius natura determinata est; seu quod idem est non nisi pro materiæ dispositione, secundum id quod causarum nexus & concursus efflagitat. Vt calor calidum tantum si solus agat: si autem cum siccitate in materia disposita ad ignem, nonnisi ignem, & cætera.

Quamobrem cur Deus hunc mundum cõdiderit, & non alium; idque cur potiùs vno quàm alio tempore, cur hæc indiuidua, & nõ alia plurima, quæ esse potuerunt; id totum prouenit ex libero diuinæ voluntatis arbitrio: Quia omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ ad Ephes.1. hoc est prout ei libitum fuerit. Quemadmodum etiam dixit Apostolus, Deum se habere in diuidendis gratiis 1. Cor. 12. *Diuidens* nimirum *singulis prout vult.* Ex quo loco vtrunque miro modo, sed paucis verbis significauit Ambrosius libro 3. de fide ad Gratianum cap. 3. explicans illa eadem Apostoli verba citata *prout vult*, vt sensus sit, Deum suam gratiam partiri *prout vult; hoc est*, inquit Ambrosius *pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* De qua re latiùs dixi suprà q.23. quæsit. 1. Difficult. 1. Videtur ergo negari posse illa maior propositio argumenti A. Doctoris; nempe *Deum in vniuersi procreatione voluisse perfectam assimilationem effectus ad causam*; nempe vniuersi ad ipsum Deum: Nam si quis neget esse hos Angelos incorporeos, hoc ipso huic neganda esset illa propositio; scilicet *Vniuersum re ipsa esse perfectum ex omnibus gradibus entium diuersi ordinis*, eo quod Deus in condendo vniuerso voluerit ipsum sibi perfectè assimilare; Atque ita quicumque huiusmodi propositionem sic negare vellet, ex ea ratione cõuinci non posset, nisi efficaciore alio principio eadem propositio probaretur.

Addo etiam si quid valet illa propositio, potissimum in ipsos aduersarios validam vim habere: Nam probat etiam in ipso instãti exorientis mundi fuisse perfectam assimilationem mũdi cum sua causa, ac proinde in eo instanti creatos fuisse à Deo omnes gradus entis, quos ipsi contendunt postea progressione temporis debuisse procreari. Quia non est ratio, quin tunc quoque velle debeat perfectum bonum, si postea debuit: Potuit enim Deus æquè facilè ea tunc omnia

condere, quæ deinceps conſequentibus ſæculis producere voluit. Et tamen Deus ſex dierum *Gen.1.* ſpatio Mundum abſoluit, vt patet ex Geneſ.c.1. ſaltem ſecundum ornatum rerum, de qua re di- *A.Doctor.* ſputat A.Doctor infrà à q.78. Ideò enim poſtea debuit, ne vellet vniuerſum niſi perfectum. Ergo etiam in eo primo inſtāti debuit, ne aliquo temporis ſpatio vniuerſo ſua deſuiſſet perfectio. Alioqui cur Deus in rerum molitione aliquo actu condere imperfecta poteſt, aliquo non poteſt?

Quod ſi dicant non in quolibet actu, Deum debere velle Mundum perfectum, ſed ſolùm quando vltimò circa Mundum operari vult. Cōtra eſt: quia eadem ratione dici poſſet, nondum vltimò abſolutum eſſe Mundum vſque ad hoc tempus ſeu inſtans; quia vltimus actus, quo Deus operari vult, circa mundum nondum eſt; ſed olim erit; quando nimirum diuinæ eius ſapientiæ viſum fuerit. Quamobrem ita non probatur re ipſa nunc eſſe Angelos incorporeos, ſed ſuo tempore, quod ſoli Deo notum eſt, futuros eſſe: Ideóque aliter eſſet illis probandum, Angelos nunc reipſa eſſe de facto, & illam probationem, qua in hunc finem vterentur, dicam bonam eſſe, non hanc, qua vſi ſunt hactenus.

Præterea ſi omnes gradus entis requirerentur ad Mundi perfectionem, deberet etiam requiri vnio hypoſtatica, qua eſt homo Deus. Certum enim eſt, Chriſtum eſſe alterius ordinis à puris creaturis: & non eſſe ſolùm perfectiorem ſpeciem ſub aliquo genere; ſed omninò quid à cæte- *Suarez.* ris gradibus diuerſum, vt rectè concedit Suarez, & nos ſuprà retulimus ex illo. At hoc eſt falſum: Quia Deus ſine dubio eodem modo, quo nunc de facto voluiſſet perfectum bonum vniuerſi in eius procreatione; etiamſi Adam non peccaſſet; ne ſcilicet dicere teneamur, Adamo perſeuerante in Gratia, Mundum futurum fuiſſe imperfe- *A.Doctor.* ctum: Et tamen A. Doctoris ſententia, ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus non fuiſſet in Mundum venturus, vt patet ex 3.p.q.1.a.3. Quod adeò clarè docet, vt non detur interpretationi locus, vt vt aliqui aliter philoſophati ſint. Immò hinc ſequitur multis retrò ſæculis, nempe antequam Deus naturam humanam ſibi in hypoſtaſi corporaret, Deum non condidiſſe Mundum perfectum, quia fuit ſine maxima eius perfectione; nēpè ſine hac vnione hypoſtatica, ſi, quod ipſi fatentur, hæc ad perfectionem, abſolutionémq; Mūdi, requiritur.

Denique Quæro, quid ſit, Deum velle perfectionem vniuerſi, & perfectè illum ſibi aſſimilare? Aut enim eſt Deum velle omnem vniuerſi perfectionem ſimpliciter poſſibilem ſimul facere. Et hoc dici rectè nō poteſt: Deus enim nequit vllo pacto velle facere in vniuerſo, quod fieri in ipſo non poteſt: Non enim fieri poteſt, vt ſimul ſint, quæ deinceps ſuo ordine fieri oportet: Etenim non poteſt ſimul creare Mundos omnes, qui ſucceſſiue fieri poſſunt. Aut eſt Deum velle omnem perfectionem in aliquo genere determinato: Atque hoc quidem dupliciter peccat, Primò quia vt omittam ne in determinato quidem genere Deum poſſe Mundum facere ita perfectum, vt in eodem genere fieri perfectior non poſſit; Si velint in hoc determinato genere includi Angelos, ſumunt quod dubium, & in quæſtione repoſitum eſt. Secundò quia niſi determinetur, in quo genere huiuſmodi propoſitio intelligatur, ſimpliciter ſonat, hoc eſt generatim, & ſine exceptione; ita vt ſenſus ſit, modò Deus velit vniuer-

A ſum, debet illum velle perfectum in ſuo genere ponere; ideoque ſimpliciter propoſitio neganda eſt: Quia in ſimplici ſenſu falſa eſt, vt diximus. Ipſi autem non determinant in quo genere.

Immò nec determinare poſſunt: Nā primò cùm dicunt debere eſſe omnē perfectionē ſecundum omnes gradus perfectionis diuerſi ordinis, ita vt in rebus creatis nō tātum cōſtituatur perfectior ſpecies, ſed nouus entis gradus; hoc mihi videtur mirabile: Nā omnis noua ſpecies, ſiue perfectior, ſiue non, conſtituit nouū gradū in ſua categoria, vt ex.gr. poſita ſpecie animantiū carniuororum ſub animali genere, hoc ipſo fit, vt animal aliud ſit carniuorū, aliud non carniuorum; & ita nouus exiſtit entis gradus; nēpe nouum genus: Deinde B quæro; an nouus gradus perfectionis debeat eſſe in aliqua categoria & ſerie prædicamentorum, annon: Si negent, contra ipſos eſt prompta ratio; Quia omnes ſpecies contineantur oportet in aliqua categoria, ſeu prædicamento. Si affirment, ergo omnis ſpecies faciet nouum gradum ſub ſuo genere, vt modò dicebam.

Quod ſi iterū dicant, Deū debere velle perfectum bonū vniuerſi, hoc eſt gradus diuerſi ordinis, non cuiuſcunq; ſed ordinis in materia & extra materia, naturæ & gratiæ, creaturæ quæ vnita ſit ſuæ hypoſtaſi connaturali, & quæ ſupernaturali ac diuinæ; Quæro primò, cur non definiāt, quid tandē ſit gradus diuerſi ordinis, vt aliquam C generalem propoſitionē conſtituant, in qua veritas ſcientiaria philoſophico more cernatur? Nam quod dicunt de gradu in materia, & extra materiam, & cætera; ſumi debet tanquam exemplum ad declarationem propoſitionis generalis. Alioqui, cur illos potius entis gradus dicant, quā tam multos reliquos quos prætermittunt, ratio nulla in philoſophia aut Theologia conſtās apparet. Præterea eſto ea benè dicantur, iam manifeſtè ſumunt, quod argumentis demonſtrandum eſt: Is enim, qui negaret Angelos incorporeos eſſe, negaret etiam ſexcentas eiuſmodi propoſitiones, quæ nec confirmari ab aduerſariis poſſent, niſi verioribus principiis fulcirentur: Etenim quæ tandem neceſſitas cogeret Deum, vt hos gradus inter cæteros efficeret?

D Nam quod excogitarūt diuinæ id eſſe ſapientiæ & bonitatis, nihil omninò conficiant ad rem propoſitam: Quia quacūque Deus ratione creaſſet Mundum, ſemper illum ex ſapientia, & bonitate cōdidiſſet: Non enim quia aliquorū entium gradus omiſiſſet, aut quia hominem non redemiſſet, idcircò minus bonus, ac perfectus Deus fuiſſet, vt ex SS.Patrum auctoritate oſtendi 3. p. q.1.a.2. Ergo quamuis Mundus conditus eſſet minus perfectus, quam nunc eſt, non tamen propterea huiuſmodi mundus non conditus eſſet ex diuina ſapientia & bonitate. Quæcunque enim *operatur Deus ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, ope- E ratur, vt ait Apoſtolus ad Epheſ.1. Qua etiam ra- *Epheſ.1.* tione hic mundus, qui nunc eſt, licet imperfectior ſit aliquo creabili, eſt verè creatus ex diuina ſapientia, ac bonitate, quibus Deus omnia rectè atque in fines optimos ordinauit.

Denique hoc totum confirmatur ex dictis ſuprà q.19. de voluntate Dei: Nam Deus abſolutè non comparatè ad cætera bona procreat res extra ſe: Non enim fecit hunc Mundum, quia aut cæteris vidit meliorem, aut cum cæteris æquæ bonitatis, aut etiam minoris: Sed quia inter cætera entia, quæ ſibi à diuina ſapientia proponeban

bantur, sua diuina voluntate illum elegit. Ergo Deus perfectiones Mundi non vult comparatè ad æquales, aut ad minores aut maiores perfectiones; sed absolutè inter infinita obiecta sibi proposita per sapientiam has eligit, cæteras prætermittit. At si voluisset hos gradus entis determinatos, vt mundus esset perfectus; comparatè voluisset has Mundi perfectiones ad cæteras, quas solas noluit creare in mundo; quia voluisset has, quibus Mundus perfectus esset; recusasset cæteras limitatas, tanquam non sufficientes ad Mundi perfectionem; Quod est obiectum comparatè velle; nempè tanquam conducibilius ad finem; vt scilicet Mundus perfectus sit per has perfectiones: non autem per pauciores. Sic enim nos eligimus comparatè ex consultatione, cum conducibilius aliquid ad finem iudicamus, & eligimus, vt dixi 1.2.q.13.

Ex his ampliùs sequitur, non satis esse, vt res dicatur alterius ordinis, si habeat genus diuersæ perfectionis à cæteris substantiis, quæ nunc re ipsa ac de facto sunt, vt dicebat hæc positio. Non esse autem satis, patet: Quia hoc genus vel est summum in categoria substantiæ, vel non summum. Si summum, dico vel contendi quæ impossibilia sunt, vel certè nihil dici: Nam si summum substantiæ genus velint esse gradum illum, sub quo est omnis substantia tam corporea quam incorporea, iam nulla substantia dari poterit, quæ habeat genus diuersi ordinis ab iis, quæ sunt. Omnis enim substantia sub summo contineretur genere. Si verò velint, non esse summum genus; Quæro, quodnam genus erit? Aut enim dicent, hoc diuersum genus debere esse substantiam tantùm corpoream, aut aliud. Si primum; iam nihil dicunt: Quia quod debet dari genus à substantia corporea siue ab alio inferiori diuersum, hoc argumentis extorquendum, non simpliciter affirmandum est: Non enim id esse oportet, vt vniuersum sit perfectum: Tūc enim esset vniuersum perfectum, non quidem ea perfectione, quæ Angelos quoque contineat, sed perfectione quæ res corporeas comprehendat. Quemadmodū exempli gratia cœlū Lunę est perfectū non tamen ea perfectione, quę solem ac sydera cōcludat, sed ea quæ tali cœlo debeatur.

Id quod ex iis, quæ in vsum hominum accidunt confirmari clarè potest: Sunt enim ex.gr. studiorum ac literarum vniuersitates, seu gymnasia suo quidem modo perfecta, suisque numeris absoluta: Quæ enim non admittunt Iurisperitiam ac Medicinam, erunt alia ratione perfecta, atque ea quæ pro instituti sui ratione easdem disciplinas non excludunt. Ratio autem horum est, quam ex Aristotele libro 5. Metaphys. cont. 21. sumere possumus, quia *perfectum vno modo dicitur, extra quod non est accipere vllam particulam, & quod secundum virtutem, & quod est eius quod benè, & non habens excessum ad genus, vt perfectus medicus, perfectus latro*, & cætera. Vult ergo perfectum non vno tantum modo dici. Est enim aliquod simpliciter & omni modo; quo scilicet impossibile est dari perfectius quicquam, vt simpliciter perfectus est Deus Opt. Max. Est etiam perfectum in genere determinato, vt perfectus est Angelus si habeat ea, quæ illi connaturalia sunt in suo genere. Est perfectum Collegium & vniuersitas docentium, si benè omnia circa illa se habeant, & perfecta etiamsi in doctrina cæteris antecellat. Tunc ergo sine incorporeis Ań- (Aristoteles.)

A gelis esset perfectus Mundus, & in suo genere: quia nihil illi deesset ex iis quæ ad eius integritatem Deus sua sapientia constituisset ad finem sibi propositum in eo condendo, vt de Angelo diximus: esset etiam perfectus, quia bene se haberet vt de gymnasiis illis diximus: esset denique perfectus, quia perfectionis excessus alibi non esset, vt de latrone iam dictum est. Si verò dicant secundum; nempè non esse summum; sed inferius aliquod genus. Certè erit limitatum ad aliquod corporis genus; & ita redit argumentum factum: Quia scilicet quærendum est, cur debeat dari aliud genus? & cætera. Atque hæc de Maiore argumenti.

B Iam de minore dicendum est: Erat autem huiusmodi. *Sed hæc perfecta assimilatio non esset, nisi esset creatura spiritalis incorporea.* Quia scilicet hæc similitudo consistit in eo, quod creatura habet idem principium agendi atque Deus; nempè intellectum & voluntatem, & cætera. De hac ergo similiter aio, posse negari dupliciter: Primò, quia perfecta similitudo ad Deum per intellectum & voluntatem est vbicunque creatura est prædita intellectu & voluntate: Cùm autem hoc totum sit in homine corporeo, non est quod adhuc requiratur Angelus incorporeus. Si verò dicant, intelligendam esse propositionem de voluntate intellectúque magis perfecto; qui nimirum à corpore sint prorsus abiuncti; Quærendum est, vnde hoc ita intelligendum esse illis constet: Nam si obiiciant, ob maiorem mundi perfectionem; iam contra est, quia sequitur debere dari adhuc perfectiorem naturam, quàm sit illa quæcunque sit, quam ipsi ponant: Quia requirenda est maior perfectio in vniuerso. Et simili ratione refellendi sunt, qui aiunt, hominis intellectum ac voluntatem esse quidem inchoatam Dei similitudinem, Angelorum autem esse perfectam. Refellendi inquam sunt: Tum quia falsum est animi nostri non esse perfectam Dei effigiem, cùm homo simpliciter *ad imaginem & similitudinem Dei* creatus sit Genesis 1. Tum quia si de perfecta Dei similitudine sermo sit, nulli id creaturæ potest conuenire. Ob quam causam A. Doctor infrà q.93.a.1. hominis animum ait non esse ad Dei similitudinem ita perfectam, vt sit *secundùm æqualitatem*, reddit rationem, *Quia* inquit *in infinitum excedit exemplar hoc tale exemplatum*, & ideò in homine dicitur imago Dei non tamen perfecta, sed imperfecta. Ergo eodem modo de quacunque prorsus natura intelligente creabili dicendum erit, ipsam non esse perfectam Dei imaginem, quia infinitis partibus diuinum exemplar exemplati, hoc est naturę creabilis perfectionem superat. Ergo hæc non requiritur perfectio similitudinis. Neque hic dici potest, in Angelo esse perfectiorem imaginem, quàm in homine. Quamuis enim hoc verū sit, vt docet A. Doctor eadē q.93.a.3. Tamen ad rē propositā parū refert, sitne maior vel minor, eo quòd semper natura similior in infinitum dari potest. (C; D; Gen. 1.; A Doctor.; E; A. Doctor.)

Secundò falsa videtur eadem minor in eo, in quo tanquam in fundamento totius probationis structura niti videtur, Nimirum, *Tunc causa agenti effectum esse perfectè similem, cum ei assimilatur in eodem principio agendi*; vt hinc inferant; non fore vniuersum Deo perfectè simile, nisi creatura spiritalis esset, cuius principia efficiendi sunt intellectus & voluntas. Est igitur falsa: Quia nullum agens ex arte operans gignit effectum sibi similem

similem in natura, sed satis est ad perfectionem operis, vt tunc illud opus sit perfectum, cum est simile artifici in idea: *Omnia enim fiunt quodammodo ex vniuoco vt domus ex domo* ex Aristotele libro 7. Metaphys. cont. 30. (Aristoteles.) Quia scilicet habet perfectam similitudinem cum suo principio, quod est idea, qua constituitur artifex vniuocus. & eiusdem rationis cum effectu. Cùm ergo Deus non aliter nisi tanquam artifex creaturas procreet, vt docet A. Doctor p. p. q. 14. a. 8. & 1. 2. q. 93. a. 1. & (A. Doctor.) alibi sæpè, non est necesse nisi vt creaturas efficiat sibi similes in principio quidem agendi ex arte, nempe in idea; non autem in principio agēdi ex natura; Quod artificis non est. Immò nec potest Deus id simpliciter facere: Quia perfectam, vt dicebam modò, sui similitudinem nullo modo cum creaturis communicare potest; sed solum ex quadam analogia, quæ licet imperfectiore modo, verè tamen inter Deum hominisq; animum reperitur; Nec necessaria est maior, ne in infinitum progressio fiat, vt dictum est. Constat ergo, neutram præmissam esse ad propositum efficacem.

Altera nostræ propositionis pars non difficilè probatur: Quia posito quod Angeli incorporei sint, verum est dicere, Deum optimè se gessisse in iis creandis, eo quòd Deus in hoc opere condendo voluit & perfectam assimilationem sui, & perfectū vniuersi bonum. Perfectum inquā: quia quotiescunque aliquid est perfectius alio, dici simpliciter potest perfectum, hoc est perfectum sine additamento. (Aristoteles.) Vt enim dixi ex Aristotele lib. 5. Metaphys. cont. 21. Vno etiam modo *perfectum dicitur id, quod benè tale est, non habens excessum ad genus*; hoc est, quod benè tale est in aliquo genere, in quo nihil sit melius, vt perfectus musicus, perfectus latro, &c. Quod etiam approbat (A. Doctor.) A. Doctor. 1. 2. q. 55. a. 1. ad 1. Quin etiam vt ait A. Doctor 2. 2. q. 45. a. 1. ad 1. dicitur etiam perfectum, quod habet aliquam similitudinem cum eo, quod est perfectum simpliciter. Quoniam ergo in genere similitudinis cum Deo Angeli inter creaturas præstant: Longè enim magis Angelus ad Dei imaginem & similitudinem factus est, quàm homo, vt dicebam ex A. Doctore p. p. q. 93. a. 3. ideò rectè dici potest, Deum vt dicebam in Angelorum creatione decreuisse & perfectam sui similitudinem, & perfectum vniuersi bonum. (A. Doctor.) Hæc ergo A. Doctoris ratio efficaciter ostendit, Angelos congruenter à Deo esse factos ad rerum vniuersitatem, in qua perfecta Dei similitudo, bonúmque perfectum esset, non tamen probat, Angelos incorporeos re ipsa esse, vt ostensum est.

Hinc tamen nemo deducat, Deum voluisse hanc perfectionem comparatè ad alias minores perfectiones, vt paulò ante dicebam contra aduersarios: Id enim nullo modo nunc ex nostris dictis sequitur, quemadmodum suprà ex eorum doctrina sequi dicebamus. Ratio disparitatis est: Quia Deus voluit quidem has perfectiones, cùm Mundum tali modo perfectum esse voluit, non tamen recusando alias creare solas, quibus mundus non fuisset hoc modo perfectus; Quod suprà dicebam in argumento quo vtebamur in aduersarios. Voluit enim Deus absolutè hanc perfectionem inter innumerabiles, quæ à diuino intellectu proponebantur, non recusatis cæteris tanquam minus idoneis ad finem; Quod ipsi tenebantur fateri, & in quo sita est voluntas, qua comparatè volumus; quia scilicet vnum eligitur recusatis cæteris tanquam minus aptis ad finem præstitutum. vt fusiùs dixi 1. 2. q. 13.

An A. Doctor de recta probandi ratione deflexerit, & quis eius fuerit scopus in præsenti articulo. §. 3.

SEd aduersus traditam doctrinam, qua negauimus ostendi esse Angelos incorporeos argumento A. Doctoris, obiiciat aliquis. Ergo A. Doctor in hoc articulo de recta probādi via deflexit; quia aliud in titulo articuli proponit probandum, aliud verò argumento conficit. Titulus enim est, an Angeli incorporei sint; Quæ quæstio est circa eorum existentiam: probatio verò conficit, eos congruenter ad perfectam Dei similitudinem esse: Qui quidem error non debet tribui Magistro Theologorum præstantissimo. Respondeo A. Doctorem recta via incedere, & consentaneè ad quæstionem. (A. Doctor.) Nam & rectè quæstioni, quæ in titulo ponitur, satisfacit; & præterea conuenientiam doctrinæ occulta quadam ratione ostendit. Etenim in argumento *Sed contra* ratione Theologica ex principio fidei probat, Angelos incorporeos esse; ex illo nimirum Psal. 103. (Psal. 103.) *Qui facit Angelos suos spiritus*: Quem locum supponit tanquam notum intelligi debere de incorporeis substantiis. Deinde verò in corpore articuli, eam rem ostendit conuenienter esse; quia scilicet declarat, factum Dei non esse absque ratione, & conueniētia ad finem. Quemadmodum si quis probaret auctoritate dicentium, in India esse bellum; deinde ex fine ostenderet conuenientiam belli ob sedādos tumultus, quos aliunde esse sciebat; Nimirum quia redarguendi erant Indi, qui iniuriosa arma in innocentes sumpserant, & ob læsam Christianæ religionis maiestatem: Quod totum meliùs constabit ex propositione sequenti. Itaque dico ad argumentum, A. Doctoré non solùm quæstioni satisfacere, verùm etiam cumulatè eam probare, congruentiamque eius ostendere. Pro qua re sit

(A. Doctor.) Secūda propositio. Scopus A. Doctoris in prædicta naturali ratione huius articuli non erat ostendere ex principiis naturalibus, Angelos incorporeos esse, quos esse probat in argumento *Sed contra*. ex principiis fidei reuelatæ, sed solùm eos iure optimo Vniuersitati cōgruere. Probatur propositio primò ex certissimis A. Doctoris principiis. Nam quotiescunq; vtrùm aliqua substātia sit re ipsa an non, ignotum est; eam esse, cognosci à nobis naturali ratione non potest, nisi per eius effectus nobis notos, vt patet ex doctrina q. 2. a. 2. Vbi expressè ait A. Doctor causā demonstrari oportere per effectus cum nobis noti sunt. *Cùm enim*, inquit, *effectus aliquis nobis est manifestior, quàm sua causa, per effectum procedimus ad cognitionem causæ.* Itaque naturale putat esse semper ad causam ignotam nos procedere per cognitionem effectuum: Quia per aliud demonstrationis genus non proceditur, vt ibi ait, nisi per principia nota aut simpliciter aut quoad nos: Certum autem est, ad cognitionem eorum quæ nobis ignota sunt, nos non procedere per principia nota simpliciter, vt ad Deum & intelligentias, & cætera; & ideò

& ideò ibi ait, Deum eſſe cognoſcendum per effectus, quia Deum eſſe non eſt per ſe notum; & ita *quoad nos demonſtrabile eſſe per effectus nobis notos.* Quod etiam patet ex verbis Apoſtoli ad Rom. 1. cùm ait *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.*

Rom. 1.

Aristoteles.

Sane verè dixit Ariſtoteles lib. 1. Phyſic. in procœmio, Inditam nos habere a natura hãc philoſophãdi methodum, vt ex effectibus ad cauſas accedamus. *Innata enim eſt nobis,* inquit, *via vt ex notioribus nobis ad ea quæ natura ſunt notiora* procedamus. Immò vt ibidem ſubdit. *Neceſſe eſt ad hunc modum procedere ex manifeſtioribus nobis ad manifeſtiora natura & notiora.* Quod vſque adeò verum eſt, vt ne formas quidem materiatas ſubſtantiæ niſi ex earum effectibus cognoſcamus. Certum autem eſt Angelorum incorporeorum ſubſtantiam eſſe nobis occultam, vt potè ſubſtantiam, eamque immaterialem, & inter inuiſibilia Dei connumerandam. Ergo cognoſci non poteſt eſſe in rerum natura, niſi per effectus ſuos, qui nobis noti in hac vita ſolũmodo eſſe poſsũt. Cùm ergo A. Doctor per eam rationẽ, quam diximus non progrediatur ex effectibus ad occultã Angelorum naturam, ſequitur, eidem non eſſe curæ, vt ex ea Angelos incorporeos eſſe demonſtret efficaciter.

A. Doctor.

Secundò probatur propoſitio ex conſuetudine A. Doctoris, qui cũ res fidei tractat, ſolet vel ſimpliciter ſupponere eas eſſe, vel ad eas probãdas in argumento *Sed contra* afferre auctoritatem fidei, ex qua res illæ Theologico argumẽto probentur: In ratione verò corporis cõfirmare ſolet adducendo conuenientiam aliquam, qua res eædem, ex fide certæ, rectè ſe habeant ad ea, quæ fides diuina nos edocet. Et quidem, quod res fidei plerunq; non probet, ſed ſupponat, patet. E multis autem eius locis paucos indicabo: Nam p.p.q. 32.a.1. ſupponit Trinitatem eſſe, & ſolum quærit, *Vtrum poſſit per naturalem rationem cognoſci.* In 3. etiam p.q.60.a.1. Sacramenta eſſe ſupponit, inquirit verò, ſintne in genere ſigni. Eodem modo 2.2.q.1.a.1. An ſit fides nõ quærit, ſed orditur primã quæſt. probando, quid ſit obiectum illius. In 3. demiq; parte.q.1.a.1. Incarnationem eſſe nõ ambigit, ſolũ quæſt. inchoat, an fuerit cõueniens. & alibi ſæpè. Plerunque ergo rerum fidei veritatem ſupponit.

Quod verò ſæpè etiam res fidei argumento Theologico contentus oſtẽdat, in argumẽto *Sed contra*: Adiiciat autẽ in corpore rationẽ iiſdem rebus congruentẽ, vt diximus fieri in hoc articulo, probatur; & ne longius abeamus, in hac eadem q.50.a.3. quærit *Vtrũ Angeli ſint in aliquo magno numero.* Probat partẽ affirmãtem in argumento *Sed contra* è principio fidei Daniel. cap. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Hac probatione contentus idem amplius nulla ratione probat in corpore articuli, ſed hanc fidei doctrinã, quam S. Dionyſij auctoritate ſtabiliuit, conſentaneam eſſe rationi naturali ex eo confirmat, quod *quantò aliqua ſunt magis perfecta, tantò in maiori exceſſu ſunt creata à Deo.* Quod explicat in ſerie corporũ à cælo ratione deſumpta, quia hoc pacto cõſiſtit permanetq; perfectio vniuerſi: Quę quidem abſolutè falſa ſunt. Quid enim ſi cœlum ampliſſimum corporũ eſt; ergo neceſſe erit ampliſſimus inter cæteras creaturas ſit Angelorum numerus? Quis conſecutionem firmã crederet, ſi putaret cœlũ eſſe tãtæ magnitudinis ob corporũ

Dan. 7.

S. Dionyſius.

omnium complexum, Angelorum verò numerũ eſſe iuxta præſcriptas diuinę voluntatis leges: At certè vera ſint oportet, ſi eo ſenſu accipiatur; eo quod ſcilicet ea ratione declaretur, id eſſe cõſentaneũ rationi ex aliis rebus naturalibus; Nimirũ ex amplitudine corporum cœleſtium, quæ corpora inferiora *quaſi incõparabiliter* inquit excedũt. Vnde infert, mirum non eſſe, ſi ſuperiores intelligenteſq; ſubſtantiæ *excedant ſecundùm multitudinem ſubſtantias materiales quaſi incomparabiliter.* Quod ſanè cõſentaneè dicitur, poſito quod aliunde ille ingens Angelorum numerus ac multitudo ſciatur; nempe ex diuina reuelatione.

Idem patet ex q. 63. infrà a. 9. vbi inueſtigat Vtrùm tot Angeli peccauerint quot remanſerũt. Reſpondet in argumento *Sed contra* auctoritate ſacrarum literarũ ex 4. Reg. 6. plures fuiſſe bonos quàm malos; eo quod, vt habetur ibi cùm Eliſęus propheta vndiq; copiis hoſtiũ obſideretur, iuſſit omnes bono eſſe animo. *Plures enim nobiſcũ* inquit *ſunt quàm cum illis*: Quod ob defenſores Angelos dictum eſſe cõmunis expoſitio eſt. Ex quo infert A. Doctor plures ſtetiſſe Angelos, quam ceciderint. Eodem autem modo vt ſuprà aptam rationẽ in articuli corpore excogitat, vt id rationi naturali confirmationem habere ſtatuat: Quia *quæ contra naturam ſunt vt in paucioribus accidunt. Natura enim conſequitur ſuum effectũ vel ſemper, vel vt in pluribus.* Quæ ratio indigna tanto Theologo eſſet, ſi ratione naturali probari exiſtimaret, plures Angelos ſtetiſſe, quàm lapſi ſint: Nã eſto natura ferè ſemper conſequatur ſuum effectum: non valet tamen. Ergo pauciores peccauerũt: Quia peccatũ eſt e libero arbitrio, quo vt etiam hominũ experientia conſtat, in pluribus ad peccata pronũ eſt. Eſt tamẽ perſpicua ratio, atq. A. Doctore digna, ſi eò tẽdat, vt id quoq; ad rerũ naturas nobis notas proportionẽ habere ſtatuat. Quaſi dicat id nõ eſſe inconueniens, ſi à nobis affirmetur. Quandoquidẽ videmus in natura, plura eſſe quæ ſuum finem conſequuntur, quam quæ eo fruſtrentur.

4. Reg. 6.

A. Doctor.

Idem aio ex q. 64. a. 2. Vbi diſputat *Vtrũ voluntas dæmonis ſit obſtinata in malo*: ex pſ. 73. affirmat in argumento *Sed contra.* In corpore autem articuli adiuncta reſponſione ad 2. hanc affert rationem: Quia *Angelus immobiliter apprehendit, & voluntas immobiliter adhæret ita vt amplius pœnitentiæ capax non ſit.* Quæ ratio ſi obſtinationem ſententiæ in Angelis ex ipſorum natura ita eſſe probet, falſa omninò eſt: Quia ſi Deus vellet præuenire dæmones efficaci ſuæ gratię auxilio, illicò in Deum conuerterentur etiam opinione A. Doctoris, vt infrà multa dicam a. 4. & fuſiùs cum de illa materia diſputãdi occaſionem præbebit A. Doctor in eo a. 2. Vnde in eo art. talẽ obſtinationem nõ docuit eſſe ob naturam, ſed ob ſtatus conditionem, quia ſcilicet ſicut beati, qui non ſunt amplius in via, ſed in termino; nempe in patria, ad peccatum labi non poſſunt; ita nec dæmones, in quos ſententia lata à Deo eſt, vt irent in ignem æternum, non poſſunt in bonum reſurgere. Ergo dæmones ſunt quantum ex ſe pœnitentiæ capaces.

Rectè autem philoſophatus eſt, ſi quod contendimus, congruenter ad rerum naturas id in Angelis à Deo decretum, oſtendere velit: Quia in homine, cum quo Angelum comparat ibidem A. Doctor, ideò eſt flexibile arbitrium, quia cum ratiocinando nunc vnum, nunc aliud apprehendit tanquam ſibi bonum, arbitrium non immobiliter vni tantum adhæret: Hoc autem cum

A. Doctor.

cùm non sit in Angelo, cessat huiusmodi mobilis arbitrij ratio: Nam Angeli intellectus apprehendit non signorum atque accidentium inquisitione, sed vnica conceptione, quæ bona, maláve sibi atque aliis sunt: Et ideò non est, quod arbitrium nunc in vnam, nunc in contrariam partem flectant. Congruenter ergo ad rerum naturas docet ratio A. Doctoris, Deum vnico instanti viam Angelorum cõstituisse; quo elapso non forent amplius mobilis arbitrij aut pœnitentiæ capaces. Quæ meliùs infrà suo loco explicabuntur. Prætermitto alios plures locos, quibus hæc nostra doctrina stabiliri potest. Eadem ergo ratione in præsenti articulo, cum in argumento *Sed contra* probasset ex psal. 103. dari Angelos incorporeos, non amplius in corpore articuli idem conficere studuit, sed vberioris doctrinæ gratia declarauit, quam sapienter ad naturam vniuersitatis id factum sit ab opifice Deo.

A. Doctor. Tertiò denique probatur: Quia ratio illa A. Doctoris est probatio à priori ex fine seu ex causa finali: Quia scilicet ostendit, Deum voluisse Angelos incorporeos esse, vt vniuersum sit perfectum. Perfectio ergo vniuersi est finis Angelicæ creationis. Ergo priùs deberet nobis constare de voluntate Dei circa hunc finem, nempe circa perfectionem vniuersi, quàm de voluntate Dei circa Angelorum esse seu existentiam: Ratio est, quia quotiescumque sumimus voluntatem finis ad probandam voluntatem mediorũ, voluntas finis est notior voluntate mediorum; quia principia sunt complexione notio ra. *Semper enim*, inquit Aristoteles libro 1. Posteriorum cont. 15. *propter quod vnumquodque est, illud magis est.* At hoc est falsum & prorsus impossibile. Vnde enim nobis perspectum esse potest, Deum sibi proponere tanquam finem tantam vel tãtam perfectionẽ vniuersi? An ex natura rei? At quòd Angeli procreentur, non habet connexionem cum diuina voluntate libera circa cæteras creaturas: Quia non necessariò respicit potius tot certos rerum gradus, quam alios. Ergo superest, vt id nobis reuelatione certum sit. Ex hoc autem manifestè sequitur, ex reuelatione non ex natura rei probandam fuisse conclusionẽ: Quod optimè factum esse ab A. Doctore hic diximus. Posito enim quòd is noluerit, Angelos incorporeos esse, probare ex effectibus; necesse illi fuit, ex principiis diuinitus reuelatis eos esse ostendere; vt scilicet eas prætermitteret rationes, de quibus Philosophi potius est, quàm Theologi compendiosè Theologiam explanantis inquirere. Constat ergo de proposito ac scopo A. Doctoris in hoc articulo. Ex hac propositione ita probata

A. Doctor. Colligitur Primò, cur A. Doctor non solum hac, sed aliis quoque rationibus ad hoc ipsum probandum sit vsus alibi, vt libro 2. cont. Gent. cap. 46. & q. vn. de spiritua. creatu. art. 5. vt scilicet esset effectus, qui Dei similitudinem gereret pluribus modis: Nimirum in natura spiritali, in operando circa seipsum per actiones immanentes; nempe intellectu & voluntate, & circa alia per operationes transeuntes in mouendis corporibus, & præterea in cõtinendis rebus omnibus, non quidem in virtute efficiente, sed secundum formas intelligibiles, dum rerum concreatas habent imagines, & cætera. Colligitur inquam cur hæc locis citatis A. Doctor expressè-

A rit: Non enim hæc attulit: quia probent efficaciter, Angelos incorporeos esse, vt ostensum hactenus est; sed vt res, quam iisdem locis fidei diuinæ principiis esse firmauerat, quam rationi naturali congruenter asseuerentur, ostenderet. Quod quidem apertè etiam deducitur ex initio illius cap. 46. cont. Gent. vbi ait, se velle prosequi, quæ ad veritatem fidei pertinent. *Et ostendemus*, inquit, *quod ex diuina dispositione perfectionem rebus creatis secundum suum modum optimè assignante, consequens fuit quod quædam creaturæ intellectuales fierent.* Supponit itaque A. Doctor, Deum assignare perfectionem vniuerso ex libera voluntate sua, quia aliundè cogi non potest, atque idcircò ex ipso diuino arbitrio esse in rerum vniuer-

B sitate incorporeas creaturas. Ex hoc ergo deducit esse Angelos incorporeos congruẽter ad perfectionem, quam optimo cõsilio Deus in rerum vniuersitate constituere voluit.

Colligitur Secundò, vtrùm huiusmodi ratio sit *congruentia* vt volebat prima sententia. Negãdum enim est, si eam putent afferri ad probandos Angelos incorporeos esse: Nam eos supponit vt diximus, non probat illo argumento esse. Solum autem est efficax, vt ostẽdat, posito quod sint, congruenter esse ad rerum vniuersitatem: quia tanta perfectio incredibiliter dignitatem vniuersitatis exornat, ob naturæ similitudinem, quæ longè propinquior est ipsi Deo, quam similitudo, quæ est in hominis animo vt di-

C ctum est.

Vnum tamen contra facere videtur, quod A. Doctor ait initio corporis. *Necesse est*, inquit, *ponere aliquas creaturas incorporeas:* Id autem probat ratione prædicta. Ergo quod ea ratiocinatione probatur, est hoc; quod scilicet necesse sit Angelos incorporeos esse; Vnde paulò pòst eandem ratiocinationem sic concludit. *Vnde necesse est ponere ad hoc quod vniuersum sit perfectum, quod sit aliqua incorporea creatura.* Ergo ex mente A. Doctoris eo argumento concluditur, Angelos incorporeos esse simpliciter, non congruenter solummodò ad rerum vniuersitatem. Respõdetur non posse intelligi simpliciter esse necesse, quia id planè falsum esset, vt ostendimus: Quare solum A. Doctor.

D necesse erit ex aliqua hypotheli, nimirum ad perfectionem vniuersi, vt ipse conclusit verbis illis modò relatis; nempe *ad hoc quod vniuersum sit perfectum:* Quod idem est ac dicere, Angelos incorporeos esse, necessariò cõsentaneum est perfectioni vniuersi, quam Deus ab æternitate esse decreuit: Quod nos fatemur colligi illo articuli argumento. Id autem quod negamus est, ex perfectione vniuersi probari tanquam ex principio necessario, & naturaliter noto, Angelos incorporeos esse, quia tanta vel tanta vniuersi perfectio est ex libera voluntate Dei, ac proinde non necessaria, sed contingens. Quare

E nec nobis perspecta esse potest nisi reuelatione; ex qua solùm si argumẽto Theologico vtendum sit, probari conclusio debet. Dico *si argumento Theologico:* Nam philosophicè solùm ex effectibus tãquam per euidentes propositiones ostendi potest, vt diximus. Posito autem quòd Angelos esse probatum sit, diximus eam ratiocinationem concludere, eos congruenter esse ad finem vniuersi, quæ est perfectio ipsius. Neque hoc inusitatum esse A. Doctori patet ex iis, quæ diximus suprà in fine Notãdi, & in secunda nostra propositione.


Constat

Constat ergo hactenus demonstratum esse, dari Angelos incorporeos tum argumẽtis Theologicis ex Scripturis & Patribus, tum philosophicis ex effectibus, ac denique ratione à priori ex fine. Ex principiis verò sua natura certis eosdem congruere fini vniuersitatis, quem Deus sibi sua sapientia ac voluntate præstituit. Tandem hic animaduerte ea quæ in solutione argumentorum huius articuli docet A. Doctor, nempe quod Angelus semper sit mobilis, quia semper intelligat, & quod terminis localibus non circumscribatur, sed solis essentialibus, egere magna explicatione; quam in suos locos ob faciliorem methodum reseruamus: Nam aliquomodo circumscribi Angelus loco videtur, eo quod vbique non sit; & non semper vnum aliquod obiectum intelligere, sed varia; nec simul plura, vt dicetur. Nec plura de hoc articulo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Angelus sit compositus ex materia & forma.

In 2.d.8.q.5. a.1. Et 2. cont.Gent.c. 49.& 50. Et de spiritua. creatu.a.1.& quodl.9.a.6 Et opusc.3. c.74.& 95. & opusc.15. c.3.5.6.7.8. & 18. & opusc.30.c.6. &9.& opusc. 42.c.4.& 5. * tex.6.to.3.



D Secundum sic proceditur. Videtur quòd Angelus sit compositus ex materia & forma. Omne enim quod continetur sub aliquo genere est compositum ex genere & differentia, quæ adueniens generi constituit speciem. Sed genus sumitur ex materia, differentia verò ex forma, vt patet in 8. Metaphys. * *Ergo omne quod est in genere, est compositum ex materia & forma. Sed Angelus est in genere substantiæ. Ergo est compositus ex materia, & forma.*

Præterea In quocunque inueniuntur proprietates materiæ, ibi inuenitur materia. Proprietates autem materiæ sunt recipere, & substare. Vnde dicit Boëtius † *in libro de Trinitate. Quòd forma simplex subiectum esse non potest. Hoc autem inuenitur in Angelo. Ergo Angelus est compositus ex materia, & forma.*

† ante medium libri.

Præterea Forma est actus. Quòd ergo est forma tantùm, est actus purus. Sed Angelus non est actus purus. Hoc enim solius Dei est. Ergo non est forma tantùm, sed habet formam in materia.

Præterea Forma propriè limitatur, & finitur per materiam. Forma ergo, quæ non est in materia, est forma infinita. Sed forma Angeli non est infinita: Quia omnis creatura finita est. Ergo forma Angeli est in materia.

Sed contrà est quod Dionysius * *dicit 4. cap. de diu. Nomin. Quod primæ creaturæ sicut incorporales, ita & immateriales intelliguntur.*

* cap.4.non remotè à princ.

Respondeo dicendum, quod quidam ponunt, Angelos esse compositos ex materia & forma. Et hanc opinionem astruere nititur Auicebron in libro fontis vitæ. Supponit enim, quod quæcunque distinguuntur secundum intellectum, sint etiam in rebus distincta. In substantia autem

A *incorporea intellectus apprehendit aliquid per quod distinguitur à substantia corporea, & aliquid per quod cum ea conuenit. Vnde ex hoc vult concludere, quod illud per quod differt substantia incorporea à corporea, sit ei quasi forma, & illud quod subiicitur huic formæ distinguẽti quasi commune sit materia eius. Et propter hoc ponit, quòd eadem est materia vniuersalis spiritualium & corporalium: vt intelligatur, quòd forma incorporeæ substantiæ, sic sit impressa in materia spiritualium, sicut forma quantitatis est impressa in materia corporalium. Sed primo*
B *aspectu apparet esse impossibile vnam esse materiam spiritualium, & corporalium. Non enim est possibile, quòd forma spiritualis & corporalis recipiatur in vna parte materiæ: Quia sic vna & eadem res numero esset corporalis & spiritualis. Vnde relinquitur, quod alia pars materiæ sit, quæ recipit formam corporalem, & alia quæ recipit formam spiritualem. Materiam autem diuidi in partes, non conuenit nisi secundum quod intelligitur sub quantitate, qua remota remanet substantia indiuisibilis, vt dicitur in 1. Physic.* * *sic igitur relinquitur, quòd materia spiritualium sit substantia subiecta quantitati, quod est impossi-*
C *bile. Impossibile est ergo quòd vna sit materia corporalium & spiritualium. Sed adhuc vlteriùs impossibile est, quòd substantia intellectualis habeat qualemcumque materiam: Operatio enim cuiuslibet rei est secundum modum substantiæ eius: Intelligere autem est operatio penitus immaterialis: Quod ex eius obiecto apparet, à quo actus quilibet recipit speciem & rationem: Sic enim vnumquodque intelligitur, inquantum à materia abstrahitur, quia formæ in materia sunt indiuiduales formæ, quas intellectus non apprehendit secundum quod huiusmodi; Vnde relin-*
D *quitur, quod substantia intellectus est omninò immaterialis: Non est autem necessarium, quod ea quæ distinguuntur secundum intellectum sint distincta in rebus, quia intellectus non apprehendit res secundum modum rerum, sed secundum modum suum; Vnde res materiales, quæ sunt infra intellectum nostrum, simpliciori modo sunt in intellectu nostro, quàm sint in se ipsis: substantiæ autem Angelicæ sunt supra intellectum nostrum; Vnde intellectus noster non potest attingere ad apprehendendum eas, secundùm quod sunt in se ipsis, sed per modum suum secun-*
E *dùm quod apprehendit res compositas. Et sic etiam apprehendit Deum, vt suprà dictum est.* *

* videtur haberi text. 15.tom.2.

* q.3.art.3. ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd differentia est, quæ constituit speciem. Vnumquodque autem constituitur in specie secundùm quod determinatur ad aliquem specialem gradum in entibus; quia species rerum sunt sicut numeri, qui differunt per additionem & subtractionem vnitatis, vt dicitur in 8. Metaphysic. * *In rebus autem materialibus aliud est quod determinat ad specialem gradum scilicet forma, & aliud quod*

* 8. Met. tex.10.to.3.

determinatur, scilicet materia; Vnde ab alio sumitur genus, & ab alio differentia. Sed in rebus immaterialibus non est aliud determinans, & determinatum, sed vnaquæque earum secundùm se ipsam tenet determinatum gradum in D.116. *entibus; Et ideo genus & differentia* d *in eis non accipitur secundùm aliud & aliud, sed secundùm vnum & idem: Quæ tamen differunt secundùm considerationem nostram. In quantum enim intellectus noster considerat illam rem vt indeterminatè, accipitur in eis ratio generis; in quantum verò considerat vt determinatè, accipitur ratio differentiæ.*

Ad secundum dicendum, quòd ratio illa ponitur in libro Fontis vitæ; & esset necessaria, si idem esset modus, quo recipit intellectus, & quo recipit materia. Sed hoc patet esse falsum: Materia enim recipit formam, vt secundùm ipsam constituatur in esse alicuius speciei vel aeris, vel ignis, vel cuiuscunque alterius. Sic autem intellectus non recipit formam: alioquin verificaretur opinio Empedoclis, qui posuit, quod terram terra cognoscimus, & ignem igne. Sed forma intelligibilis est in intellectu secũdùm ipsam rationem formæ sic enim cognoscitur ab intellectu. Vnde talis receptio non est receptio materiæ, sed est receptio substantiæ immaterialis.*

* Apud Aristotelem lib. 1. de Ani. tex. 25. to. 3.

Ad tertium dicendum, quòd licèt in Angelo non sit compositio formæ & materiæ, est tamen in eo actus & potentia. Quod quidem manifestum potest esse ex consideratione rerum materialium; In quibus inuenitur duplex compositio. Prima quidem formæ & materiæ, ex quibus constituitur natura aliqua: Natura autem sic D.168. *composita non est suum* d *esse, sed esse est actus eius; vnde ipsa natura comparatur ad suum esse, sicut potentia ad actum. Subtracta ergo materia, & posito quod ipsa forma subsistat nõ in materia, adhuc remanet comparatio formæ ad ipsum* D.113. *esse vt potentia ad actum. Et talis compositio* d *intelligenda est in Angelis. Et hoc est quod à quibusdam dicitur, quòd Angelus est compositus ex quo est, & quod est; vel ex esse, & quod est, vt Boëtius dicit: Nam quod est ipsa forma subsistens: Ipsum autem esse est quo substantia est, sicut cursus est quo & currens currit. Sed in Deo non est aliud esse quo est, vt suprà ostensum est. Vnde solus Deus est actus purus.*

Ad Quartum dicendum, quòd omnis creatura est finita simpliciter, in quantum esse eius non est absolutè subsistens, sed limitatur ad naturam aliquam, cui aduenit. Sed nihil prohibet aliquam creaturam esse secundùm quid infinitam. Creaturæ autem materiales habent infinitatem ex parte materiæ; sed finitatem ex parte formæ, quæ limitatur per materiam, in qua recipitur. Substantiæ autem immateriales creatæ sunt finitæ secundùm suum esse, sed infinitæ, secundùm quòd earum formæ non sunt receptæ in alio; sicut si diceremus, albedinem separatam existentem A *esse infinitam quantum ad rationem albedinis, quia non contrahitur ad aliquod subiectum. Esse tamen eius esset finitum, quia determinatur ad aliquam naturam specialem. Et propter hoc dicitur in libro de causis, Quòd Intelligentia est finita superius, in quantum scilicet recipit esse à suo superiori, sed est infinita inferius, in quantum non recipitur in aliqua materia.*

Explanatio & Confirmatio eorum quæ hic dicuntur.

B

Respondet A. Doctor, Angelos non esse compositos ex materia & forma. Hanc propositionem probat dupliciter. A. Doctor. Primò quidem aduersus Auicembronem sentientem essè compositos ex materia nostrate. Auicembron. Quia forma spiritalis & corporalis non possunt recipi aut in vna eadémque parte materiæ: Quia alioqui vna & eadem numero res spiritalis esset & corporalis. Aut in diuersa: nam materiam diuidi in partes non est nisi per quantitatem, qua sublata remanet indiuisibilis, teste Aristotele libro 1. Physic. cont. 15. Aristoteles. Impossibile autem est, materiam spiritalium esse subiectum quantitatis. Ergo huiusmodi forma spiritalis neutro modo est in mate- C ria, ac proinde nullo modo.

Deinde absolutè probat, impossibile esse, substantiam spiritalem habere materiam quæcunque illa sit; nimirum tanquam sui partem: Quia operatio substantiæ intelligentis est intelligere, quæ est operatio penitus immaterialis, vt patet ex eius obiecto, quod est vniuersale abstractum à materia. Nam singulare, seu *indiuiduales formas intellectus non apprehendit secundum quod huiusmodi*. Ergo substãtia intellectus est immaterialis, quia operatio cuiuslibet rei est secũdùm modum substantiæ eius. Quod idem est ac si diceret. Illi cui conuenit modus operandi immaterialis, conue- D nit etiam modus essendi immaterialis, Vt ait Durandus in 2. d. 3. q. 1. n. 6. Durandus. Et in hoc sensu hoc principium examinabimus deinceps. Atque hæc quidem A. Doctor. Quæ innumerabiles habent difficultates tum absolutè, tum in opinione eiusdem A. Doctoris; quas examinare nunc diligenter oportet. Vt autem intelligamus articuli scopum, sine quo intelligi non possunt quæ dicuntur.

Notandum est, cùm constet ex superioribus Quæstis Angelos incorporeos esse, idque ab A. Doctore statutum sit superiore articulo argumento Theologico, & à nobis philosophico, A. Doctor. hic superuacaneum videri posse, iterum in hoc arti- E culo secundo disputari, Vtrùm Angeli incorporei componantur ex materia & forma. Necessariò enim videtur confici, si sunt incorporei nullo modo ex materia formáque componi; cùm id quod ex materia ac forma compositum est, corpus omninò esse debeat, proinde non incorporeum. Id quod etiam ipse habet A. Doctor libro 2. cont. Gent. cap. 50. in Prima ratione. *Vnumquodque compositum ex materia & forma corpus est.* Et ita si definienda sint composita, definiri debent per materiam & formam, vt patet ex Aristotele libro 8. Metaphys. cont. 6. Aristoteles. Videtur ergo A. Doctor in hoc articulo frustra quærere, An Angeli A. Doctor. sint

sint ex materia formáque compositi. Id enim est rursus vocare in controuersiam, quod proximo superiore articulo iam constitutum est.

Cui difficultati respondet Caietanus hic initio commentarij: Superiori quidem articulo solùm amotam esse materiam quantitati substratam, hic verò ab A.Doctore dari operam, *An ea substantia indiuisibilis quantitatiuè esset diuisibilis essentialiter, id est composita ex materia & forma.* A qua responsione non multùm distat noster Gabriel Vasquez in Annotatione ad hunc articulum secundum, vbi vult in hoc articulo disputari, vt remoueatur omnis quouis modo materia, cùm in articulo superiore sola materia quantitati subiecta reiecta sit.

A.Doctor. Vasquez.

Quorum sententia mihi nullo modo videtur probanda: Primò quia A.Doctor hic instituit argumentum contra Auicembronis sententiam, vt expressè patet ex initio corporis articuli, idémque præstitit in 2.d.3.q.1.a.1.c. Is autem asserebat, Angelos habere materiam eiusdem speciei cum nostrate. Ergo etiam hic ex instituto remouet materiam nostratem quantitati subiectam. Deinde quia ratio A. Doctoris excludit materiam sua entitate partibilem, & quantitati subiectam, vt patet in priore ratione. Ergo etiam hic reiicit materiam quantitati subiectam. Immò vt significet A.Doctor, se in priore ratione tantùm voluisse excludere materiam determinatam, nempe nostratem, quam affingebat Angelis Auicembron, sic enim posteriorem rationem exorsus est. *Sed adhuc impossibile vlterius est, quod substantia intellectualis habeat qualemcunque materiam. Operatio enim* & cætera. Ergo in posteriore tantùm ratione incipit excludere generatim materiam, non in priore, generatim inquam materiam qualemcunque, modò sit corporum, vt dicam Difficult. 2. initio. Ergo superesset ab ipsis explicandum, An velit A.Doctor in hoc articulo, aliquid noui ostendere diuersum à primo, quandoquidem & in ratione priore negat nostratem materiam, & in posteriore quamcunque materiam: nempè quæ possit esse corporum. Hæc enim propriè materia est. Quæ tamen satis videbantur demonstrata hoc ipso quod ostensum erat, Angelos incorporeos dari. In posteriore ergo absolutè negat materiam, quæ intelligendi actui repugnat: Quæ sine dubio est ea, quæ est materia corporum; nempè trinè dimensa, ex qua solùm denominari corpora posse diximus suprà. Et apertè confirmatur: quia eam materiam negat, cuius negationem habere debent substantiæ à corpore separatæ, vt ipse contendit A. Doctor. At hæ negationem habere debent non cuiuscunque materiæ & subiecti, sed solùm eius quod est verè materia; nempè materia quantitatis & corporum; seu, quod idem est, quæ sit pars compositi materialis substrata quantitati. Angelica enim natura, & substantia est suo modo verè materia, ex qua tum species tum operationes educuntur. Ex ea enim substantia Angelica extrahuntur operationes, species ac simulachra rerum, & si quæ sunt alia, quæ cum non creentur, educi oportet de aliquo subiecto.

Auicembrô. A.Doctor. Auicembrô.

A.Doctor. Dicendum est ergo, cur A. Doctor in hoc articulo in controuersiam vocet; Vtrùm Angeli ex materia, & forma constent, duplicem esse rationem. Alteram quidem: Nam cum articulo superiore non ostendisset scientiario modo Angelorum naturam esse incorpoream, solùm namque posita notione Angeli, argumento Theologico ostenderat Angelos dari, philosophico autem congruenter ad vniuersi perfectionem factos esse vt Diffic. vlt. ostensum est; nunc in præsenti articulo illud ipsum naturæ Angelicæ prędicatum ex necessariis principiis demonstrandum erat: Ideóque hunc articulum proximè post primum instituit. Vt ita post quæstionem An sit, quæratur de Angelo, Quid sit, eiúsque præcipuum attributum.

A

Alteram verò rationem, colligo ex eodem articulo initio corporis: Nimirum vt peculiari articulo sententiam Auicembronis de Angelorum materia refutaret; Vnde hîc actum non agit; sed quod perfectè nondum egerat, explet, suamque doctrinam impugnando aduersariorum rationes, validè confirmat: Causa verò, cur eius doctrinam amoliri voluerit peculiari modo in hoc articulo, in promptu est; Quia Auicembronis sententia erat, quamcunque substantiam incorpoream habere materiam; eo quòd omnis substantia, quæ cum corporea conuenit; hoc est quæ habet genus commune cum illa, debet habere communem materiam, & subiectum; ex quo conuenientia illa, seu commune genus desumatur; nempè materiam corpoream, quæ formæ incorporeæ distinguenti subiiciatur: Ita vt subiectum præbeat rationem communem vtrique substantiæ, corporeæ nimirum, & incorporeæ; forma verò distinguentem rationem, qua scilicet spiritalis substantia à corporea differt. Et quoniam hanc positionem multi eo tempore amplexi erant, vt docet idem A. Doctor in 2.d.3.q.1.a.1.c. ideóque ea ætate celebris, propterea decuit veritatis magistrum peculiari argumento eam opinionem ad veritatis normam examinare, errorémque refellere. Quoniam ergo posita hac Auicembronis sententia non videbatur sequi: *Angeli sunt incorporei, ergo sine materia.* Nam etiam in incorporeis erat materia suppeditans rationem communis substantiæ; Idcircò post superiorem Quæstionem hanc quoque proximè examinare voluit; vt scilicet eius doctrinam redarguens, planiorem sibi viam ad absolutam Angelicæ naturæ cognitionem sterneret. Atque hæc quantum attinet ad propositum articuli, atque ad A.Doctoris in hac Quæstione consilium; Nunc rationes, earúmque veritates disquiramus. Pro qua re sit

B Auicembrô. C D

QVÆSITVM PRIMVM.

Vtrùm & quo pacto vtraque ratione A. Doctoris efficaciter conclusio comprobetur.

E VIdebitur hoc fortasse nouum alicui, quod examinandis A.Doctoris rationibus peculiarem Quæstionem instituamus, cum iam penè in non paucorum auctorum consuetudinem abiisse videatur, vt argumenta quibus ad Angelorum naturas ac proprietates explicandas in singulis articulis vsus est A.Doctor, vt leuissimè dicam, posthabeant; & quid ipse in iisdem argumentis docet, nihili faciendum esse, plerunque contendant. Verùm vtvt isti obloquantur, equidem mirari satis non possum, eos Theologos, qui cùm eiusdem A. Doctoris doctrinam declarandam susceperint, toti sunt in iis, quæ con

conclusionibus continentur declarandis; rationũ verò momenta aut prætermittunt, quod quidem tolerabilius videtur esse, aut nulla esse ostendere conniuntur: Quod tantum abest à commentatoris laude, ac munere; vt mihi multò magis hostili animo agere, qui arma, vt ita dicam, in rationum principia moueat, quam amicum animum gerere, qui solas conclusiones defendere videatur. Quasi verò principia, è quibus conclusiones succum ac sanguinem quodammodo trahunt, quo alantur; minus ad stabilimentum doctrinæ, & docentis gloriam pertineant; quam conclusiones ipsæ, quæ nihil habent, in quo consistant, quam quod ex principiis ipsis in suam veritatem deriuatur. Cùm tamen certum sit longè secus esse. Impossibile enim est cum qui aberrat à principiis, ad veras conclusiones philosophico more prouenire. Vt enim ait Aristoteles libro 1. cæli cont. 33. *Quod in principio modicum est erratum in fine fit perquam magnum*; Quia scilicet si à principiis aberret à veritatis ianua longè deflectet. Quamobrem illud efficiunt, vt dum veritatem conclusionis admittunt, eiusque principium paruipendunt, quod A. Doctori cum multis aliis commune esse potest, laudent: Quod verò eius gloriæ tanquam proprium dandum est, infuscent ac detrahant. Nunquam autem video ab his auctoribus magis improbari rationes A. Doctoris, quàm in hac de Angelis materia, cùm tamen nusquam mihi magis eximia illa ingenij Angelici Doctoris vis, ac perspicacitas emicare videatur, quam in excogitandis argumentis, è quibus quæ sunt Angelicæ materiæ conclusiones propriæ depromantur; vt si is ex aliis diuinis eius scriptis nullam sibi laudem meritus esset, certè vel ex hac exigua Theologici operis parte, in qua de Angelorum natura differit, A. Doctoris cognomentum consequi meritò atque optimo iure potuisset. Itaque conandum deinceps nobis in singulis articulis est, vt detracta rationum, si quam nonnullorum vitio contraxerunt, rubigine, clarior earum, quoad nostrâ operâ præstari poterit, nitor appareat, & obuoluta in obscuro veritas lectorum oculis luce explicationis exposita, potentius ipsorum animos alliciat; Quorum deinde præstantissimis ingeniis & maiore copia ornatior, & vi argumentorum instructior apud cæteros sapientes in posterum gloriosior sit. Sit autem

Aristoteles.

PRIMA DIFFICVLTAS CIRCA PRIOREM rationem A. Doctoris.

Vtrùm rectè eadem argumentatione probetur aduersus Auicembronem in Angelis, materiam nostratem non esse tanquam partem componentem.

DIco *contra Auicembronem*; non autem simpliciter: Quia simpliciter & nonnihil superiore articulo à nobis ostensum est, & deinceps

A in consequentibus difficultatibus ex instituto demonstrabitur, Angelos esse incorporeos suâ naturâ atque substantia. Itaque videndum est, Vtrum aduersus Auicembronem, in quem argumentatur A. Doctor, vim atque efficacitatem habeat prædicta prior ratio.

Non videtur autem prædicta ratio vim habere. Nam primò ex Caietano obiicitur, vt ipse ait *dubitatum ula*. Negari enim potest, materiam diuidi in partes prouenire à quantitate. *Nam dici posset*, inquit, *materiam communem omnibus diuisam sic esse, quod per receptionem quantitatis facta est vna pars materia corporalium, reliquum verò materia remansisse non affectum quantitate, & sic esse materiam spiritualium.* Caietanus.

B

Alia difficiliora obiici possunt, quæ prætermisit Caietanus, fortè ob rei difficultatem, ne ingenium suum in earum solutione torqueret. Nam secundò obiici potest, quia non videtur absurdum, vt vna materia sit informata duplici forma; materiali scilicet & immateriali; vt in homine, Scoti schola materiam asserit carnis, Scotistæ. ossis, & cætera; quæ eadem materia est subiectum etiam animæ intelligentis. Ergo contra Auicembronem non infertur aliquod impossibile, vt putat A. Doctor. Tertiò obiici potest, Quia non sequitur id quod infert A. Doctor, A. Doctor. *vnam & eandem rem numero esse corporalem & spiritualem.* Quia materia in homine informatur

C

forma carnis, & forma animæ intelligentis, non tamen ob hanc causam est corporalis & spiritalis: Sed simpliciter est corporea; quia est extensa, & cum anima facit vnum corpus. Et similiter in Angelo esset extensa, & faceret corpus & spiritum opinione Auicembronis. Quartò obiici potest, quia falsum videtur, non posse formam spiritalem esse in subiecto quanto, vt patet in hominis animo. Probandum ergo esset, quod ait *Quod materia spiritualium sit subiecta quantitati est impossibile.* Immò dicere posset Auicembron, tantum abesse vt id impossibile sit, vt de facto materia quantitate affecta sit

D subiectum formæ spiritalis; nempe animæ intelligentis, vt dicebam. His tamen non obstantibus ad difficultatem respondetur.

Soluitur difficultas, ostenditurque quo sensu Auicembronis doctrina confutetur. §. 1.

VNica propositio. Rectè hæc prior ratio euincit Auicembronem, ne ex hac nostrate materia Angelus componatur. Pro qua re no-

E tari oportet, cùm disputat A. Doctor, Vtrùm A. Doctor. aliquid re ipsa sit in rerum natura hoc vel illo modo, non aliter disputare; nisi secundum quod illi naturaliter huiusmodi attributa conueniũt, non autem secundum quod miraculo, aut supernaturaliter illi absoluta Dei potestate attribui possunt, vt suprà obseruatum est, & ostẽdam 2.4. Ratio huius ex se satis aperta est: Quia cùm disputatur de iis quæ sunt re ipsa, & vt dixi de facto in aliqua substantia, Quæritur secundùm eum modum, qui rei est connaturalis citra miraculum. Non enim existimandum est, res ipsas de facto esse non connaturali modo, & vt ipsarum natura postulat, sed miraculosè vel

vel ſuis naturalibus formis carere, vel abundare non ſuis. Vt ſi dicatur, Vtrùm materia habeat coæuam quantitatem, Vtrùm Angeli habeant corpora ſibi vnita, Vtrùm cœlum ſit rotundum, Vtrum ſint quatuor elementa, Vtrùm in hominis corde reſideat animus, &c. Hæc omnia in controuerſiam non cadunt niſi ſecundum quod diſceptatur conueniántne hæc talibus rebus naturaliter. Cum ergo hic A. Doctor quęrat, Vtrùm Angelus ſit compoſitus materia noſtrate, rectè id debet intelligi, ſecundùm modum connaturalem Angeli, ita vt non quæratur de iis, quę miraculo & præter naturam Angelis poſſent aſcribi, vt quòd careat facultate intelligendi, ſit immobilis, &c.

Hoc itaque tanquam omninò indubitabili conſtituto probatur noſtra probatio: Quia principia eius rationis vera ſunt, & recta complexio deriuatur. Ergo euincit Auicembronem. Antecedens patet: Quia hæc eſt vera propoſitio & immediata. Si Angelus eſſet compoſitus ex materia noſtrate, forma eius ſpiritalis vel informaret eandem partem materiæ, quæ ſubditur formæ corporis vel diuerſam. Angelus enim haberet formam, quia eſſet compoſitus ex materia, ergo ex forma. Quandoquidem nihil componitur ex materia, quin etiam hoc ipſo componatur ex forma, cùm in ratione partis componentis correlatiua hæc duo ſunt ex Ariſtotele libro 2. Phyſic. cont. 26. Et præterea quia Auicembron aiebat, materiam ex qua eſt ratio communis ipſi ſubſtantiæ incorporeę & corporeæ, diſtingui per formas, ita vt per formam ſpiritalem ſit ſubſtantia ſpiritalis diuerſa à ſubſtantia corporea: per formam verò corpoream ſit ſubſtantia corporea diuerſa à ſpiritali, vt retuli ex A. Doctore in articuli explanatione. Eſt ergo vera illa propoſitio.

Rurſus ſecundò ſi forma ſpiritalis informat eandem materiæ partem, quam forma corporea rectè etiam ſequitur, vnam eandemque rem numero fore corporalem & ſpiritalem: Quia in eadem parte materiæ, quæ eſt Angelo pars componens, eſſet forma ſpiritalis & corporea: Ergo illa eadē forma corporea daret Angelo aliquod eſſe: Quia tanquam forma neceſſaria ipſum conſtitueret, alioqui cur poneretur in eadem materiæ parte? Ergo cum forma materialis in materia non poſſit dare niſi eſſe corporeum, daret Angelo eſſe corporeum; Atque ita eadem res; nempe idem Angelus, eſſet corporalis, eſſet quoque incorporalis: quia hoc dabat Auicembr. nēpe Angelum per ſuam formā incorpoream eſſe incorporeū & ſpiritalem: Ex quo vlteriùs ſequitur, ſi forma ſpiritalis Angelica informaret materiam lapidis, Angelum fore lapidem & Angelū: Quia ſcilicet vt dicebam illa forma lapidis conſtitueret Angelum. Alioqui, vt diximus, non eſſet ratio, cur Angelica forma in lapide poneretur.

Quod ſi dicatur hoc nec eſſe impoſſibile, nec abſurdum: Nam & forma carnis homini dat eſſe carneum, & anima dat eſſe hominis: Vnde eodem modo in Angelo poſſet dici eſſe lapideum, & corporeum, & eſſe ſpiritale. Contra hoc eſt primò, quia admiſſis etiam huiuſmodi formis partium (quod tamen vtrùm A. Doctori ſit verum non diſputo) tamen nulla forma eſt, quæ illi compoſito, quod eſt corporeum per vnam formam, tribuat etiam eſſe incorporeum & ſpiritale: Nam hoc prædicatum ſpiritale, & incorporeum inuoluit negationem ipſius gradus corporei, ſicut eſſe ingenerabile, & incorruptibile intimè remouet gradum, cui ſit potentia vt generetur vel intereat. Vnde quantumuis hominis forma ſit ſpiritalis, non dat tamen homini eſſe ſpiritale & incorporeum. Homo enim inter corporeas, non inter incorporeas ſubſtantias numerari debet, cum eſſentiâ ſua ſit corpus: Incorporeum autem eſt non corpus, ſeu carens ratione corporis. Deinde quia licet ſit impoſſibile ſecundum ſe, vt forma ſpiritalis, quæ cum materia noſtrate conſtituat compoſitum, non faciat hoc ipſo corpus, quia, vt diximus, corpus nihil aliud eſt niſi compoſitum ex materia & forma trinedimenſum, tamen peculiari ratione argumentum aduerſatur ipſi Auicembroni, ſi vltra formam ſpiritalem affirmet corpoream, quæ ſimul ſint in eadem materiæ parte. Hoc enim ipſo conuincitur, ſubſtantiæ ſpiritali dari duplex eſſe corporeum. Vnum quidem ab illa forma corporis, alterū à forma ſpiritali, quæ, vt diximus cū materia quanta facit corporeū; Atq; ita peculiari modo rectè dixit A. Doct. hoc eſſe impoſſibile. Quod intellige etiamſi diceret Auicembron (quod tamen ipſe dicere non poteſt) illam formam corporis eſſe Angelo partialem. Quia quemadmodum caro in homine licèt ſit forma partis; tamen verè ex ea tanquam ex materia homo eſt carneus: ita ex illa forma corporis verè Angelus eſſet corporeus. Formam ergo ſpiritalem informare eandem materiæ partem, quam corporis forma informat, eſt impoſſibile. Quia ipſa ſubſtantia eſſet ſpiritalis, eademque eſſet dupliciter corporea.

Dixi tamen, *quod dicere non poteſt Auicembron:* Quia Angelo non poſſunt aſſignari partes, quæ variis corporum formis conſtent, vt in homine, qui eget variis inſtrumentis ad ſenſus ſuos; quos Auicembron non concedet in Angelis, quos ponit incorporeos, & ſolùm materiam ponit, vt in genere cum corporibus congruat, vt vidimus. Quamobrem contra ipſum, vt etiam hoc obiter dicam, eſt alterum quoque validum argumentum: Nam neceſſariò poneret duplex eſſe ſubſiſtens in vno eodemque compoſito, Nimirum & per formam corpoream, & per formam incorpoream; Quod alibi dico eſſe prorſus impoſſibile, eo quod non eſſet vnum compoſitum nec vnitate naturæ, nec vnitate ſubſiſtentiæ: Nam vt rectè ait Ariſtoteles libro primo de Anima context. 92. & confirmat A. Doctor infrà q. 76. a. 3. nihil eſſet quod contineret; id eſt quod faceret vnam ſpeciem in compoſito. Quo pacto ſi homo haberet viuere ab vna forma, ſentire ab alia, intelligere ab alia, nihil eſſet quod faceret vnum hominem, vt Ariſtoteles eo loco ſententiam Platonis improbauit.

Denique hæc reſponſio non ſoluit argumentum quo dicebamus ſequi Angelum, ſi eius forma eſſet in materia lapidis, fore lapidem. Nam ſi vt dictum eſt, illa forma non eſſet partiaria in Angelo, ſed totalis, ergo Angelum conſtitueret. Non enim eſſet diſpoſitio, vt caro in homine ad ſenſus, vt iam dixi ex ipſo Auicembrone. Ergo conſtitueret Angelum, ſicut forma lapidis lapidem. Vnde Angelus eſſet etiam lapis vt deducebamus. Hactenus ergo conſtat, veram eſſe priorem illius propoſitionis partem; nempe formam Angelicam informare non poſſe eandem materiæ partem, quam forma corporis actuat.

Nunc probanda eſt altera pars eiuſdem propoſitionis

positionis; scilicet impossibile esse materiã formæ spiritalis esse quantitati subiectam: Quod quidem A. Doctor probare prætermisit, tanquã, opinor, ex iis, quæ in priore argumenti parte concluserat, notum esset. Suppono autem hic nomine formæ spiritalis ab A. Doctore intelligi non quamcumque; sed Angelicam determinatè: Tum quia non alia spiritalis forma intelligitur nisi ea; de qua aduersus Auicembronem disputatur, quæ sine dubio est Angelica, quam volebat esse in materia nostrate, vt cum corporibus commune haberet genus: Tum quia de forma hominis alia ratio est in doctrina A. Doctoris. Certum enim est hominis animum informare materiam quantitati subiectam, vt expresse patet infrà q. 76. art. 1. Vbi aperte ostendit, *Necesse esse dicere, quod intellectus, qui est intellectualis operationis principium, sit humani corporis forma*, & cætera. Alioqui nonnullam haberet operationem immanentem concurrente corpore. Hoc autem posito probatur hæc altera pars; nimirum esse impossibile, materiã formæ spiritalis; nempe Angelicæ; esse quantitati subiectam. Probatur autem: quia si forma illa spiritalis Angelica informaret materiam quantitati subiectam. Ergo compositum illud ex tali materia constitutum corporeum omninò esset. Non enim alia ratione homo ipse corporeus est, Nec alio modo cæteræ formæ sua composita faciunt corporea, vt dictum est. Ergo idem Angelus, qui Auicembronis sententia est incorporeus, esset intrinsece corporeus; immò corpus ipsum ex materia ac forma conflatum, vt homo. Quod diximus esse impossibile. Ex quo reliqua etiam planiora fient ex argumentorum solutionibus, quas paulò pòst subiiciemus.

A. Doctor. Auicẽbron.

Vnum tamen iis quæ diximus, pro Auicembronianæ sententiæ defensione aduersus A. Doctoris argumentum aduersari videtur. Nam dicere quis posset; Aliud esse Angelum constitui compositum corporeum ex materia; Aliud verò Angelum cum materia constituere compositum corporeum. Quod enim animus hominis cum materia compositum corporeum componat, verissimum est. Falsum autem quod compositum corporeum ipse sit. Dicerent ergo pro ipso Auicembrone ad argumentum A. Doctoris, formam Angeli esse in diuersa parte materiæ ab ea, quæ formam corporis sustinet; Hinc tamen non sequi, idem compositum esse corporeum & incorporeum, sed solum compositum quidem ex forma ac materia esse corpus & corporeum, Angelum verò qui est eius conflati forma, esse incorporeum.

Verumtamen qui ita diceret, satis se doctrinam Auicembronis, quam hactenus impugnauimus, non percepisse declararet. Is etenim arbitratus est, quamcumque substantiam incorpoream, quia genere cum corpore conueniebat, duos gradus habere: genericum qui e communi materia; & specificum qui e propria forma desumeretur. Itaque substantiam ipsam incorpoream, quæ genere cum corpore conueniebat, & à corpore differebat sua forma, componebat ex materia & forma. Alioqui nec in materia conueniret, nec per formam differret, sicut hominis animus non conuenit cum corporibus in materia, nec forma differt, quia neutram rationem seu neutrum gradum in se habet. Hoc itaque posito, quod clarè refert in hoc articulo A. Doctor, & clarissimè opusculo 15. cap. 3. & 4. optimè procedit in ipsum prior ratio: Quia Angeli incorporei, qui sua materia cum corpore ob gradum genericum conuenit, forma, vel informat eandem materiæ partem, quæ corporeæ formæ substat, vel diuersam. Si primum; idem Angelus erit incorporeus & dupliciter corporeus. Si alterum; ergo erit simpliciter corporeus & incorporeus, vt ostensum est. Qui ergo Auicembronis sententiam ita tueri volent, ab eiusdem opinione ac fundamentis longè digrediuntur, vt vidimus.

Ex his respondetur ad argumenta opposita. Ad Primam suam *dubitatiunculam* respondet Caietanus tripliciter. Primò A. Doctorem vidisse hanc fugam, & ideò aliam rationem subiunxisse. Sed hæc responsio detrahit auctoritati A. Doctoris; Quasi ipse viderit argumentum inualidum, nec confirmauerit; cùm potius Theologiæ summam scribenti inanes rationes prætereundæ sint, aut inanes demonstrandæ. Deinde quia duplex fuit scopus A. Doctori in his argumẽtis: Alter quidem aduersus Auicembronem ostendere, in Angelo materiam nostratem non esse; Quod conficit priore argumento: Alter verò ostendere simpliciter nullam inesse materiam; Quod præstat posteriore. Si ergo prior ratio futilis est aduersus celebrem illam Auicembronis sententiam, quam ex instituto reiicere conatur, plumbea intentauit tela, quod sanè indignum vel mediocri philosopho censeretur.

Caietanus. A. Doctor.

Secundò Caietanus respondet. *Et melius*, inquit, Quia illa etiam reliqua materia diuisibilis esset; quam à communi omnium rerum materia distinguebat Caietanus in dubitatiuncula. Nam *cum sit vna ante receptionem quantitatis*, inquit, *non est maior ratio, cur secundum hanc portionem vel illam affecta sit quantitate*. Ergo omnis materia siue subiectum sit Angelicæ formæ, siue corporum, esset subiecta quantitati. Ait autem esse absurdum, *ponere substantias spirituales actu vel potentia diuisibiles quantitatiue*. Sed neque hæc responsio satis est: Non diceret Auicembron, maiorem esse rationem, cur vna materiæ pars diuidua sit, alia non diuidua: Quia scilicet voluntate Dei vna pars ab alia distingueretur ob varia eius munera ac fines diuersos. Secundò quia deberet ostendere Caietanus, cur sit absurdum, substantias spiritales esse in materia, quæ actu caret quantitate, Immò cur sit absurdum, esse in materia actu quantitate affecta, cum id clarum sit in animo humano corpus informante.

Caietanus. Auicẽbron.

Tertiò respondet, *Et melius potest dici*, inquit, quia *Auicembron consentiebat pluralitati spiritualiũ*. Quo ergo modo materia sine quantitate diuisa fuit in plures Angelos? Sed hæc responsio nihilo melior cæteris est: Nam dupliciter responderet Auicembron; Primò Angelos esse in materia diuisa à Deo, ita vt partem quantitate affectam subiecerit corporibus, aliam partem quantitate carentem creauerit Angelis componendis; Et hoc esse absurdum, probandum esset; Secundò esto Angeli habeant quantitatem in materia, quid contrà obiiciat Caietanus exspectamus adhuc, vt de eius efficacitate sententiam aliquam proferamus.

Auicẽbron. Caietanus.

Dicẽdum ergo meliùs est ex dictis, Materiam non diuidi connaturali modo, nisi quantitati subiiciatur. A quãtitate enim vt à subiecto proximo prouenit, vt diuidi materia possit, vt patet

Aristoteles. tet ex eius definitione, quam tradit Aristoteles libro 5. Metaphysices cont. 18. *Quantum est diuisibile in ea quæ insunt, quorum singula hoc aliquid aptum est esse.* Et ideò quanti proprietates ibidem docet esse magnum & paruum, maius & minus, & cætera. & in libr. 1. Physicorum cont. 15. dicit remota quantitate substantiam fore indiuisibilem: Quam doctrinam amplectitur A. Doctor in hoc articulo, & libro 4. contra Gent. cap. 65. & de Pot. q. 9. art. 7. & alibi frequenter. Cùm ergo nihil ponendum sit in rebus intra limites naturæ acceptis, quod illis non sit connaturale, & vt rei natura postulat, quia quæ semper sunt in rebus aut frequenter, ea sunt secundùm naturã, teste Aristotele libro 2. Physic. cont. 77. non debet asseri, materiam in Angelos esse diuisam absque ea forma, è qua connaturaliter diuisio promanat: Quia aliquid præter naturam in Angelis poneretur. Ergo si alia pars materię in Angelis seiũcta est ab hac parte materiæ nostratis, vtrobique quantitas insit oportet.

A. Doctor.

Aristoteles.

Et hoc pacto excluditur quod aduersus Caietanum modò obiiciebamus; nempe dici posse has partes diuisas esse à Deo. Excluditur inquã, quia Deus nihil inordinatum, & à natura alienum in rebus ponit. *Natura enim,* inquit Aristoteles & rectè libro 1. de Generat. Anim. cap. 4. *quamcumque rem facit, aut quia necessaria est, aut quia melius est.* Et tritum est illud axioma inter Peripateticos, quod scribitur ab Aristotele libro 8. Physic. cont. 15. *Naturã quæ fiunt nihil inordinatum est. Ipsa enim est ordinis causa in omnibus.* Non debet ergo asseri, in Angelis materiam esse præter naturam & miraculo, vt diuisa sit absque forma, quæ est connaturalis radix diuisionis. Præterquamquod quantitas est proprietas materiæ nostratis, vt certum est inductione per singula. Ergo in Angelis esset sine sua proprietate; Vel certè hic apud nos quantitas non consequeretur materiã. Nam affirmare hic esse proprietatem, ibi verò non esse, est non ratione sed arbitrio philosophantis. Eadem enim ratione diceremus, ignem hic esse calidum, alibi frigidum, lucem hic excludere tenebras, alibi non item, & cætera. Quod autem A. Doctor loquatur connaturali modo, patet tum ex dictis, tum etiam peculiari ratione in hoc argumento: quia auctoritate Aristotelis libro 1. Physic. cont. 15. asserit *substantiam remanere indiuisibilem sublata quantitate.* Quod si per quamcunque absolutam facultatem intelligeret, non autem ex rei natura confirmasset absolutè, non ex naturæ genio Aristotele, qui principia physica nonnisi inductione cognosci docuit 2. Post. c. vlt.

Aristoteles.

A. Doctor.

Aristoteles.

A. Doctor.

At inquiet aliquis Esto concludat ratio A. Doctoris, si res substantiales connaturali modo se habeant. Tamen absolutè & de potentia Dei absoluta non ostendit suam positionem aduersus Auicembronem; nempe esse impossibile, Angelum componi ex materia nostrate: Quia absolutè dici posset, Angelum constare ex materia nostrate indiuidua; Nec tamen sequetur, Angelum ipsum esse corporeum.

Auicẽbron.

Respondeo, & simul impugnatur ista responsio: Aliud esse ostendere omninò simpliciter aliquid esse impossibile: Aliud verò illud ipsum esse impossibile ex hypothesi, posito scilicet quod res se debeant habere connaturali modo, & citra miraculum. Si enim ostendendum sit, aliquid esse impossibile priore modo, tunc ex eo solum

A debet deduci argumentum, quod rei repugnãtia sit ex ipsis terminis; hoc est inter prędicatum & subiectum rei, quæ impossibilis enunciari debet, ita vt ostendatur saltem mediatè prædicatum destruere rationem subiecti; vt hominem non esse hominem, quantitatem non esse quantitatem, & cætera. Cùm enim hoc tantummodo diuinæ omnipotentiæ denegandum sit, vt ostendit A. Doctor q. 25. art. 3. ibique Theologi, non alio modo probari debet aliquid absolutè esse impossibile, nisi huiusmodi repugnantiam sequi ostendendo. Quod non præstitit hìc absolutè A. Doctor, cùm inter cæteras propositiones, quibus in argumento illo priore vsus est, assumpserit auctoritatem Aristotelis, vt negaret materiã diuidi posse, quæ affecta non sit quantitate. At verò vt ostendatur impossibile ex illa prędicta hypothesi, debent sumi principia ex ipsa rei natura, vt si debeat confici, impossibile esse hominem volare, sic argui oportet ex rei natura. Nihil quod ex sua natura caret alis, & pennis aptis ad volandum, potest volare; sed huiusmodi est homo, ergo & cæt. Quòd si interdum omittatur illa particula *ex sua natura,* Id est, quia in consueto modo loquendi sine alia expressione intelligi solet. Hoc itaque posteriore modo dixi A. Doctorem esse argumentatum. Et rectè, Primò quia hoc illi satis erat, vt hominem euinceret, qui non de potentia absoluta loquebatur, sed putabat de facto ita esse, ac proinde in suo connaturali statu; quia, vt ipse ait cum habeant Angeli commune genus cum corpore debent ex materia corporum constare substantialiter. Secundò quia A. Doctor naturam Angeli inquirebat, non quid Deus circa Angeli naturam possit facere; & ideò dicit non posse in eo esse materiam nostratem, quia esset quantitati substrata, cùm hoc ei connaturale sit. Atque hoc quidem ad mẽtem atque consilium A. Doctoris explicandum.

A. Doctor.

B

C

Quid sequatur si materia asseratur in Angelis non substrata quantitati. §. 2.

D Tamen ad vberiorem etiam doctrinam dicendum præterea est, hæc eadem absurda sequi, etiamsi de potentia absoluta ponamus in Angelo materiã corporum actu quantitati non substratam. Vt enim forma cum materia faciat corpus, non requiritur vt materia sit actu quanta, sed satis est si natura sua extendi quantitate possit. Vnde etiamsi Deus à materia quãtitatem lapidis separaret, & reliqua accidentia, adhuc tamen retineret esse corporis ipse lapis, cùm sit illi substantiale prædicatum, & sic dico de cæteris. Non enim ex natura quantitatis prouenit vt aliquid sit corpus, sed intimè inuoluitur in natura compositi, quod ex materia corporum confletur. Ratio à priori est: quia corpus licèt, vt suprà diximus, sit quoddam compositum ita à quãtitate denominatum, tamen primariò est ipsa substantia, cui connaturalis est quantitas tanquam eius proprietas. Substantias enim cùm ignotæ sint plerumque per notiores proprietates denominamus tales vel tales, ac definimus. Vt lapidem dicimus substantiam, etiamsi à lædendo pede sit dictus lapis, ex quodam accidente, vt suprà etiam diximus. Substantia ergo

E

corporea est omnis illa, cui connaturaliter debetur quantitas vt proprietas. Talis autem esset substantia Angelica, etiamsi ipsa quantitas miraculo separaretur à materia. Quantitas enim ipsa corpori debetur ratione partis materialis non formæ, quam quantitas non consequitur nisi in tali vel tali figura, & cætera, cùm absolutè materiam comitetur semper & vbique. Ergo illa substantia Angelica esset corporea & incorporea modo prædicto.

A Doctor. Auicembrõ. Ex quibus vlteriùs sequitur posse sic formari A. Doctoris rationem, vt absolutè probet etiam de potentia absoluta in ipsum Auicembronem. Illa Angelica forma non potest esse in materia; siue in eadem parte vbi est forma corporis; siue in diuersa, quia Angelus vtrobique esset corporeus & incorporeus. Si enim esset, vbi est forma corporis; esset dupliciter corporeus. Si in diuersa; ergo debet esse in materia, quæ ex natura sua potest recipere quantitatem. Quandoquidem ea potest diuidi in partes eiusdem rationis, cùm sit materia corporum, vt dicebat Auicembron. Ergo Angelus esset corporeus; Quod est simpliciter impossibile, cum quod est incorporeum non possit esse corporeum. Ergo Angelus non est in materia. Atque hæc de prima obiectione.

Ad secundam obiectionem respondeo, Esto vna pars materiæ informetur duplici forma, quarum altera sit ei adæquata, altera inadæquata, vt materia carnis in homine; Tamen nego hoc impedire vim argumenti in Auicembronem. (Auicembrõ.) Nam ipse, vt diximus, dupliciter peccat; Primò in eo, quòd posuisset duplicem formam totalem, quod est impossibile. Secundò quia ex illa duplici forma, Esto altera sit partialis, putauit constitui posse compositum corporeum & incorporeum. Quod impossibile esse iam ostensum est.

Auicembron. At dices; Quid absurdi est, si diceret Auicembron; compositum esse corporeum secundùm formam partialem, secundùm verò formam totalem esse incorporeum? Respondeo triplici ex capite oriri absurditatem: Primò, quia si homo est carneus secundum partem; falsum est dicere; ipsum hominem esse, vt ita dicam, incarneum; Quia sensus esset, hominem non componi ex carne; Similiter Angelus non posset dici incorporeus, quia sensus esset; ipsum non constare ex corpore: Secundò, quia omnis forma in materia quanta facit corporeum. Ergo non posset dici incorporeus secundum formam totalem, vt supponit argumentum. Tandem, quia Auicembroni nulla erat ratio, cur in Angelo, partiarias formas affirmaret, vt diximus ante.

Ad tertiam obiectionem diximus; quo pacto sequatur, eandem rem fore corpoream & incorpoream.

Auicebron. Ad vltimam dico, disparem esse rationem de hominis animo, & de forma Angelorum ex Auicembrone: Nam animus hominis facit hominem corporeum non incorporeum, & ideò potest esse in materia quanta. At forma Angeli non potest facere Angelum corporeum, quia Auicembronis sententia vt diximus, est incorporeus. Ergo non debet esse in materia quanta: Quia omnis forma in materia quanta corporeum facit, vt ostensum est.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Circa posteriorem rationem qua diximus omnem materiam ab Angelis remoueri. Vtrùm efficax sit ad suam Conclusionem.

Qvòd A. Doctoris propositum in secundo huius articuli argumento sit excludere solùm materiam, quæ verè materia sit; nempè corporum, non autem aliam quæ quouis modo esse possit, patet dupliciter. (A. Doctor.)

Ratione A. Doctoris non excludi materiam spiritalem, sed corpoream ab Angelis. §. 1.

PRimò quia eam solam non aliam posterior allata ratio improbat: Nam ex eo probat, Angelum esse incorporeum, & nullam habere materiam, quia est intellectus; Intellectus autem est immaterialis: Probat autem hunc esse immaterialem, propterea quòd eius operatio est immaterialis, cum versetur circa vniuersale à singulari materia abstractum; ideóque immateriale: Per immateriale verò intelligit id quod non inuoluit materiam singularis corporis, esto inuoluat materiam vniuersalem. Solum ergo excludit materiam corporum singularem, ac proinde non omnem quouis modo materiam. Quod intellige non quidem ita vt A. Doctor putet, Angelos solùm carere materia singulari; conflari verò ex materia vniuersali. (A. Doctor.) Certum enim est, naturas vniuersales non dari in indiuiduis, nisi, vt aiunt, fundamentaliter. Sed ita vt quia carent hac singulari materia, putet ac probet, in iis nullam huiusmodi corporum materiam inesse. Vniuersalis enim materia, cum re ipsa non sit, singularia componere nequit. Quod ergo nunc dicimus est, A. Doctorem ostendere Angelos esse incorporeos, quia carent vera materia corporum; non autem quia velit excludere ab Angelis quicquid quouis modo rationem materiæ induere potest: (A. Doctor.) Quia immateriale appellat id quod materia corporum componente caret, ita vt etiam vniuersalia hac ratione apud ipsum immaterialia sint; Quæ alia ratione excluduntur, non hac ipsa quam explicamus.

Confirmatur hæc ratio: Nam si singulare aliquod componeretur ex materia & forma spiritali, Quod posse fieri ostendam Quæsito sequenti Difficultate secunda, tale singulare apud A. Doctorem & Aristotelem verè esset immateriale simpliciter. (A. Doctor. Aristoteles.) Ergo immateriale esset solũ, quia careret materia corporum; Nam haberet spiritalem. Vnde sequitur, A Doctoris cõsilium in hoc articulo, dũ conficit Angelos esse immateriales, (A. Doctor.) non esse vt ab illis excludat id omne quod habet rationem materiæ quouis modo, sed solùm materiam, quæ rem corpoream facit, quæ verè ac simpliciter est materia.

Antecedens duobus probatur argumentis: Primum quidem, quia si tale singulare daretur, esset per se, siue actu intellectile; Omne autem actu intellectile est immateriale simpliciter, ergo simpliciter esset immateriale. Vtraque præmissa patet ex A. Doctore infra q. 56. a. 1. ad 2. (A. Doctor.) Vbi ex eo quod singulare sit sine materia corporum

rum, illud putat esse actu non potentiâ intellectile: contra verò si materiam corporum habeat, putat esse potestate non actu intellectile.

Ex quibus clarè patet, ipsum existimasse; intellectile actu esse immateriale simpliciter; contra verò intellectile in potentia esse simpliciter materiale. Sic autem loquitur ibi. *Singularium quæ sunt in rebus corporalibus*; hoc est quorum est materia corporum, *non est intellectus apud nos*; hoc est non sunt actu intellectilia. Hoc enim esse intellectile actu affirmat de singularibus ab ista materia abiunctis. *non ratione singularitatis, sed ratione materiæ*, & cætera. *Vnde si aliqua singularia sunt sine materia sicut sunt Angeli, illa nihil prohibet intelligibilia esse actu.* Tribuit ergo esse intellectile actu ipsis singularibus à materia abiunctis, à materia inquam, ratione cuius dixerat singularium incorporalibus non esse intellectum. Ergo tale singulare ab hac corporum materia separatum erit intellectile & immateriale simpliciter; quod probandum erat. Quæ doctrina desumpta est ab Aristotele libro 3. de Anima. cont. 15. & 16. Quo loco ferè eadem habet verba, quæ retuli ex A. Doctore; nempè materiale esse non actu sed potestate intellectile. At quæ sine materia, sunt actu non potestate intellectilia. *In habentibus* inquit cont. 16. *materiam, potentiâ solum vnumquodque intelligibilium*, & cætera. *Ille autem* nempè intellectus, *intelligibile erat.* Hunc enim intellectum vt doceret esse immaterialem, ait esse intellectilem actu, & sine materia. Quandoquidem illum opponit iis, quæ materialia sunt, & potestate sunt intellectilia. Idem ergo est Aristoteli, aliquid esse intellectile potentiâ, & materia concretum: idémque aliquid esse intellectile actu, atque à materia prorsus auulsum & separatum. Vnde Aristoteli sola immaterialia sunt actu intellectilia, seu intellectilia simpliciter, vt fusè dicam infra q. 54. ex eodem Aristotele & omnibus Peripateticis. Quod ipse clarè dixerat in eo cont. 15. Nimirum *& ipse etiam* intellectus *est intelligibilis sicut ipsa intelligibilia.* Quæ intellectilia à materialibus ex aduerso diuiserat. Et præterea quia reddens rationem subdit: *In iis enim, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur*; nempè actu intelligibile. *In habentibus autem materiam*, & cætera. Vt iam retuli.

(Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles.)

Deinde probatur illud antecedens: Quia si aliquid singulare sit sicut est intellectus, illud debet esse immateriale simpliciter apud A. Doctorem, vt expressè patet ex q. 86. infrà a. 1. ad 3. vbi tale singulare si sit docet esse actu intellectile non potentia, ac proinde esset immateriale simpliciter, vt diximus. Ergo etiamsi daretur singulare compositum ex materia spiritali & forma, esset immateriale simpliciter apud A. Doctorem, quia tale singulare esset intellectus, cùm omnis substantia completa carens corporum materia sit intellectus apud A. Doctorem vt patet ex q. 14. suprà a. 1. Ibi enim probat, immateriale esse rationem, cur aliquid sit intellectus; seu, quod idem est, substantia intellectiua; & quò magis immateriale eò magis intellectiuum: & concludit. *Vnde cùm Deus sit in summo immaterialitatis, sequitur quod ipse sit in summo cognitionis* intellectiuæ. Intelligit autem per immateriale id quod seiunctum est à materia corporum quam docet impedire rationem cognoscendi. Vnde ex Aristotele libro 2. de Anima cont. 124. ait *quod planta non cognoscunt propter suam materialitatem.* Intelligit ergo materiam corporum, & rectè: quia materia spiritalis non impedit absolutè rationem intelligendi: Nam etiam substantiæ simplices, vt sunt Angeli, animusque noster habent rationem materiæ ad suos actus, species intellectiles, hypostasim, & cætera. Constat ergo non excludi nisi materiam corporum hic ab A. Doctore per hanc posteriorem rationem.

(A. Doctor. Aristoteles.)

Secundò probatur id ipsum, nempe materiam corporum tantum excludi hic ab A. Doctore. Quia eam materiam vult excludere A. Doctor, quæ simpliciter nomine materiæ significatur. Stant enim nomina pro suo significato simpliciter, vt cum dicimus, Æthiops non est albus, quia album simpliciter est, quod est secundùm potissimam partem, non autem quod est secundùm dentes, ideò non excluditur esse album ex ea minima parte, sed ex potissima. At materiæ nomine simpliciter significari constat materiam corpoream, non autem cæteras, quæ quouis modo materiæ rationem induunt nisi cum additamento. Vnde falsum dicitur simpliciter incorporeum constat ex materia & forma, cum tamen etiam incorporea habeant aliquid, quod non incongruenter dicatur materia, & aliquid quod forma. Substantia enim ipsa immaterialis est subiectum suæ hypostaseos; & ita illa hypostasis seu persona Angeli componitur ex aliqua materia, & ex aliqua forma. Quæ propositio vera est cum hoc additamento *aliqua.* Sanè Aristoteles & A. Doctor vt patet ex locis citatis aliam materiam simpliciter præterquam corporum, qua substantiæ essentialiter componantur, nunquam vel admiserunt, vel repudiarunt. Dixi *simpliciter.* Nam omne quod est informe, materia dici potest vt expressè docet A. Doctor q. vnica de spirit. creat. a. 1. ad 4.

(A. Doctor. Aristoteles. A. Doctor.)

Ex qua doctrina Colligitur quosdam Theologos non pugnare cum sententia A. Doctoris, dum arbitrantur, Angelos ex aliqua materia, formáque conflari. Non enim dicunt ex materia corporum, sed ex aliqua, vt Alexander 2. p. q. 20. m. 2. §. 1. vbi apertè ait, In Angelis esse aliquam materiam, ex qua componantur. *Etsi secundùm quosdam philosophos* inquit *Angelus est forma sine materia.* Quæ tamen ea sit, ipse non explicat: Solùm addit Angelo inesse compositionem *ex quo est, & quod est.* Quibus significat esse compositionem ex subsistentia & natura: Nam per subsistentiam tanquam per *id quo*, est id quod est; nempè persona, quæ est id quod simpliciter est, & operatur. Hoc autem contra quosdam philosophos aio; qui, vt infrà suo loco dicam, opinati sunt, intelligentias eodem modo simplices esse vt Deus, vt fortè aliqui tribuunt Aristoteli, & clarè ascribunt Auicennæ, & auctori libri de causis, contra quos profitetur se disputare Ricardus in 2. d. 3. a. 1. q. 2. Similiter S. Bonauentura in 2. d. 3. in p. p. d. a. 1. q. 2. contendit, Angelis esse materiam & formam, quibus tanquam partibus re inter se distinctis Angelica substantia construatur. Materiam inquam, non simpliciter: Hanc enim negauerat ipse & Alexander vt vidimus superiore articulo Quæsito secundo: Sed materiam, quæ sit *ratio mutabilitatis non solùm ad non esse, sed etiam secundùm diuersas proprietates & sit potentia ad esse*, vt colligitur ex eius rei probatione. Clariùs autem eandem materiam explicat q. 2. ibidem, vbi tandem concludit, eam non habere idem esse, quod materia corporum, habere

(A. Doctor. Alexand. Aristoteles. Auicenna. Ricardus. S. Bonauent. Alexand.)

bere tamen eandem essentiam; Nimirum, vt ipse A insinuat, in ratione partis componentis. Non ergo concedunt materiam corporum naturalium, sed aliam longè diuersam prorsus insinuant. Id quod monendos esse lectores censui: Tum ne vlla nota optimis Scholasticis, quod Angelos corporeos esse senserint, inureretur: Tum ne quis, si quenquam ex auctoribus videret asserentem aliquam Angelicam naturam creabilem esse, quæ ex materia spiritali, & forma intelligente constaret, eum A. Doctoris sententiæ aduersantem existimaret. Immo A. Doctor ad 3. expressè concedit Angelos componi *ex quo est & quod est*. vt Alexander.

A. Doctor. Alexander.

S Bonauent. Ricardus. Huic S. Bonauenturæ sententiæ non admodum dissimilia docuisse videtur Ricardus in 2. d. 3. a. B 1. q. 2. vbi docet, Angelos esse compositos ex materia & forma. Per materiam autem ait, se non intelligere materiam corporum; *sed omnem naturam possibilem, ex qua & alia natura magis actuali constituitur vnum per essentiam.* Vult ergo materiam Angelis inesse partem realem vnà cum forma compositum constituentem: Quod etiam probant eius argumenta, quibus ipse suam sententiam confirmare studuit: Quæ postea Quæsito sequenti referemus, & confutabimus. Similiter

Aureolus. Aureolus in 2. d. 3. q. 1. a. 3. apertè concedit materiam in Angelis, non quæ sit vt ipse ait trinè dimensa, sed quæ sit re distincta ab ipsorum forma, eò quòd *vna sit merè actus, & alia merè potentia, ex* C *quibus intrinsecè componuntur.* Vbi id etiam magis explicans ait: *Ita quòd sicut ignis est compositus ex vna natura possibili, quæ est passibilis, & ex alia, quæ est actus, sic in istis substantiis intellectualibus*, &c. Addit etiam ex eadem duplici substantia componi animam rationalem, & vnam ex illis dici intellectum possibilem, alteram intellectum actu.

Dico igitur: etiamsi hæc ab iis auctoribus asserantur, tamen contra eos non esse argumentatum A. Doctorem in hoc articulo: quia horum sententiam non reprobat, sed aliorum affirmantium esse materiam, quæ simpliciter materia est,

A. Doctor. vt confirmauimus ex A. Doctoris argumento posteriore, & ex significatione materiæ. Neque D obest quod A. Doctor dicat, *Impossibile esse quod substantia intellectualis habeat qualemcunque materiam.* Nam vt diximus non accipit materiam nisi simpliciter, quæ est corporum. Dixit autem *qualemcunque materiam*, propterea quod ipse arbitratus est, non vnius tantum generis esse materiam

Auicebron. Plato. corporum omnium, vt contra Auicembronem & Platonem, & alios ostendere conatus est infrà q. 66. a. 2. c. idque ob materiam orbium cœlestiũ, quam putauit non debere esse in potentia ad alias formas, si cœlum esse debeat omnis corruptionis expers. Vt ergo significaret, nullam Angelis inesse materiam corporum; siue quæ ortum E & interitum nesciunt, vt cœli; siue quæ iis obnoxia sunt, vt cęterorum, demonstrare se velle professus est, *Impossibile esse quod substantia spiritualis habeat qualemcunque materiam.*

Ex quibus vlteriùs consequens est, non rectè quosdam recentiores in suis Annotationibus ad hunc articulum obseruasse prædictorum Scholasticorum sententiam *occasionem huius disputationis sancto Doctori dedisse*; Vt nimirum posteriore hac sua ratione refelleret acriter eorumdem scholasticorum & quorumcunque materiam in Angelis ponentium sententiam: Nam, vt dixi,

A. Doctor. horum opinionẽ A. Doctor non reprobat; quandoquidem ij omnes, vt suprà vidimus, iisdémque citatis locis docent, materiã corporum non esse Angelis dãdam; quia sunt omninò incorporei, ac proinde immateriales, cui quidem doctinæ A. Doctor adstipulatur, non contradicit, vt vidimus. Vtrùm autem possit aut debeat poni aliqua in Angelis materia spiritalis, quæ sit pars ipsorum componens, ipse A. Doctor non disputat, à nobis tamen Quæsito sequenti accuratè examinabitur. Hoc posito inquirimus in hac difficultate, Vtrùm hæc posterior A. Doctoris ratio efficaciter excludat omnem materiam ab Angelis; hoc est omnem materiam, quæ verè materia sit, ac proindè corporum, quæcunque illa tandem sint; siue corruptibilia siue alio modo.

Proponuntur rationes pro parte negante, ac Durandi ratio expenditur, ménsque A. Doctoris declaratur.

§. 2.

IN Parte negante primò obiici potest ex Durando in 2. d. 3. q. 1. n. 7. Quia illud A. Doctoris, quod hic vsurpauit Axioma est falsum; Nempe *Id cui conuenit operatio immaterialis, habet quoque suum esse immateriale.* Nam conuenit homini vt principio *quod* operatio immaterialis, nempe intelligere; & tamen homo non habet esse immateriale. Ergo pari ratione posset Angelus esse compositus ex materia corporea, & forma spiritali; cui tamen cõueniret operatio immaterialis. Non ergo ex hoc principio excluditur materia corporea ex eo, quod Angeli intelligere est immaterialis operatio. Durandus. A. Doctor.

Secundò obiici potest. Quia falsa videtur doctrina in eo, quod asserit, intelligere esse immaterialem operationem: quia eius obiectum vniuersale absoluitur à materia: Nam vniuersale idem est, quod prædicatum naturæ præcisum à singularibus; seu, vt loquuntur Logici, à cõditionibus indiuiduantibus, vt animal rationale, leo, homo, lignum, lapis. At hæc non absoluuntur à materia: Nam homo, lapis, cœlum, & quodcunq; aliud naturale corpus, saltem infra Lunam, est essentiã suã compositum ex materia & forma. Vnde Aristoteles libro 7. Metaphys. cont. 37. & deinceps ait, hominis partes esse materiam, & formam vniuersaliter, Socratis verò hanc materiam, & hanc formam. Sic enim concludit eodem libro cont. 39. *Manifestum autem est quod anima quidem substantia prima, corpus vero materia, Homo verò vel animal quod ex ambobus vt vniuersale. Socrates autem*, & cætera. Ergo obiectum quod est vniuersale non absoluitur à materia vt contendit A. Doctor, ac proinde non rectè probatur ex obiecto à materia absoluto intelligendi actum esse immaterialem. Quam doctrinam amplectitur A. Doctor de Veritate q. 10. a. 5. c. & ibidem a. 4. ad 6. Aristoteles. A. Doctor.

Tertiò obiici potest: Quia falsum etiam est quod ait, indiuiduales formas in materia non cognosci ab intellectu. Nam illud cognoscitur ab intellectu, de quo intellectus ipse formare solet suas enunciationes, quibus aliquid de eo, vt tale est, affirmatur vel negatur. Nemo enim dubitat

dubitat, quin enunciationes omnes sint cognitiones: At de singulari vt de Petro, de hoc lapide & aliis quibuscunque format intellectus huiusmodi enunciationes, vt cum dicimus Petrum non esse hunc lapidem, esse hunc hominem, talis conditionis, &c. Ergo cognoscit formas in materia. Confirmatur: quia si non cognosceret huiusmodi indiuiduales formas, vel id esset ob intellectus nostri perfectionem vel ob imperfectionem. Si primum; Ergo eas debet cognoscere, siquidē & sensus ea percipit. Ergo multò magis intellectus, qui iis perfectior est. Si dicant secundum; aperte docent falsum, quia Deus & Angelus, qui intellectus perfecti sunt, indiuidua vt indiuidua optimè norunt.

B Quartò obiici potest: Quia falsum quoq; videtur, ipsum intelligendi actum esse immaterialem; quia eius obiectum à quo specificatur, immateriale est. Nam esto sit obiectum immateriale, tamen non debet præsupponere talem naturam esse ipsius actus, qualis est obiecti; cum tamē obiectum possit esse materiale, vt lignum, lapis, &c. & actus immaterialis, vt est intelligentia diuina circa hæc obiecta, & similia.

Quintò obiiciendo quæri potest; Quid sit, actum esse immaterialem? Nam si est, quia non componitur ex materia, omnis actus est immaterialis; Si verò ex eo quod non refertur ad materiale principium eliciens: Iam hoc ipso supponitur quod est probandum, & *petitur principium*, vt C aiunt Logici: Nam qui dicunt, Angelos esse materiales, dicent intelligentiam respicere compositum ex materia, à quo tanquam principio elicitur. Si denique dicunt eum esse immaterialem actum, qui non dependet à substantia illum sustentante. Contrà primò hoc est quia omnis actio cum sit accidens, alicui subiecto hærere debet, ac proindè ab eo sustentari. In qua re non est potior difficultas de actu intelligendi, quam de quouis ex cæteris accidentibus, siue materialia dicantur, siue immaterialia. Præterea falsum est, actum illum esse immaterialem, qui nō pendet à subiecto sustentante. Nam etiam gratia & D cæteræ formæ supernaturales accidentales, quæ immateriales sunt, cum non creentur, dependent à subiecto sustentante.

His tamen non obstantibus, veram & efficacē dicemus esse A. Doctoris rationem, vt deinceps patebit. Ad solutionem — A. Doctor.

Notandum est, quoniam argumentum Durandi molestum in hac potissimum materia esse solet, & nonnullis videtur solui non posse: & idcircò labefactare omninò id, in quo cardo vertitur præsentis difficultatis; nempe non posse esse principium materiale, si operatio illius sit immaterialis, vt contingit in homine; ideò prius E satisfacere Durandi argumento conandum esse; ne lector ob eius difficultatem, dum præsentis doctrinæ fundamenta iacimus, animum suspendat. Cuius solutio simul aperiet nobis viam inuestigandi quid sibi proponat A. Doctor in hac posteriore ratione; dum quid sibi ille velit per principium intelligendi explanabimus. — Durandus.

Obiicit ergo Durandus, vt vidimus, non sequi; Si Angeli operatio est immaterialis: ergo & substantia Angelica est immaterialis. Quod dicit in homine clarum esse. — Durandus.

Huic argumento respondet Caietanus in hoc articulo secundo §. *Ad hoc breuiter* benè sequi; quia *Angeli nomine intelligimus*, inquit, *omnes substantias completas in specie, &c. & supponimus quid nominis terminorum*. Cùm ergo dicitur, Angeli sunt *intellectuales*, id intelligitur *secundum se totos*, vt sensus sit, quia Angeli sunt secundum se totos intellectuales, debent esse immateriales. Et ita benè sequitur: ergo non sunt compositi ex materia & forma: Quia alioqui nimirum non essent intellectuales secundum se totos. — Caietanus.

Verùm hæc responsio & falsa in se est, & non est ad mentem Angelici Doctoris. Falsa quidem: quia esto intelligatur nomine Angeli substantia completa, tamen hinc non sequitur, esse intelligentes secundùm se totos, hoc est, secundùm omnes partes: Quia, vt arguit Durandus, Homo est substantia intelligens, non tamen secundum omnes partes. Quod si intelligat, ipsos Angelos esse intelligentes secundum se totos, quia simplex substantia sunt, cui conuenit intelligere; Contra hoc est, quia nihil probaret Angelici Doctoris ratio. Nam aduersarij dicerent, esse quidem substantiam intelligentem, non tamen esse substantiam simplicem, sed compositam ex materia. Ideòque restaret iterum concludendum, esse substantias simplices, non ex materia compositas. Quod verò non assequatur Angelici Doctoris mentē, patet; quia A. Doctor ostendit ex eo, quod substantia habet operationem immaterialem, ipsam quoque immaterialem esse. Aut ergo cum dicit in antecedente substantiam habere intelligentiam immaterialem; intelligit substantiam simplicem, vel compositam, vel vtrique communem, hoc est ab vtroque abstractam. Si primum; non probat, non esse compositam, sed sumit esse simplicem; atque ita aduersario falsum erit quod supponit. Si secundum; Ergo non rectè infert, Angelum esse immaterialem, vt probat Durandi argumentum. Si tertium, Ergo Durandus distingueret id quod consequens est, vt substantia quidem sit immaterialis, quæ est forma compositi, non verò ipsum compositum, vt accidit in homine. Atque ita patet rationem A. Doctoris non fore ad rem posita explicatione Caietani. — A. Doctor. — Durandus.

Quocirca notandum secūdò est A. Doctorem in ea ratione hoc sibi probandum proposuisse; *Impossibile esse quod substantia intellectualis habeat qualemcunque materiam*: Quæ verba proximè & immediatè antecedunt prædictam rationem. Qualemcunque inquam, vt diximus veram corporum materiam, ex qua componatur. Hoc autem intelligi oportet de substantia intellectuali, non quomodocunque, sed de ea quæ sit principium eliciens, atque in se recipiens ipsam intellectionem. Id quod luce clariùs significat eiusdem rationis consecutio. Sic enim concludit. *Vnde relinquitur*, inquit, *quod substantia intellectus est omninò immaterialis*. Quare apparet, sermonem esse non de eo, quod est principium quomodocunque *intellectuale*, etiam vt *Quod*; siue, vt alij loquuntur, *vt suppositum operans*; sed de substantia, quæ est intellectus: Qui intellectus est ipsum principium eliciens, actionisque subiectum, vt dicitur, *inhæsiuus*; quia scilicet cùm intellectio sit actio immanens, debet hærere suo principio. Hanc igitur conclusionem ex illo antecedente rectè conficit A. Doctor; Nimirum id cuius operatio est immaterialis, immateriale est, & nulla materia componitur. Ergo substantia intelligens, cuius operatio est immaterialis; nempe intelle- — A. Doctor.

intellectio, est omninò immaterialis. Subiecuit A autem A. Doctor aliam Minorem, quæ subsumi debuit; nempe: *Sed substantia Angeli & substantia intelligens* nempe quæ sit intellectus. Ergo substantia Angeli est omninò immaterialis. Cur autem huiusmodi Minor ab eodem A. Doctore suppressa sit, ratio duplex est in promptu.

Auicebron. Primò, quia eam tanquam ab Auicembrone in quem potissimùm hîc disputabat, datam accipiebat. Is enim concedebat, substantiam Angeli esse incorporeā, vt patet ex initio corporis, scil. ob intelligendi actum, ob conuenientiā tamen, quæ est inter Angelos atque substantias corporeas, materiam Angelis inesse asserebat, vt vidimus: ac proinde concedebat, eosdem Angelos esse intellectum, & principium intelligendi. Si B enim substantia est intelligens & incorporea, est etiam principium intelligendi: atque adeò intellectus: quia, vt paulò antè dicebā, omnis substantia incorporea est intellectus, vt fusiùs dicam q. 54. Concedebat ergo, eos esse substātiam, quæ sit incorporea & intellectus, vt animus noster est. Sed illi addebat materiam ad prædictā conuenientiā, sicut etiam de nostro intellectu philosophabatur. Aduersus ergo hunc philosophum

A. Doctor. A Doctor supponit, quod ipse dabat: substātiam Angeli esse incorporeā, proindéq; intellectum: ac totus fuit in ostendendo, intellectum qui est principium eliciens, ac suscipiens intelligendi actionem, non esse compositum ex materia. Ex quo facili negotio minore subsumpta; nempe, C *Sed Angelus incorporeus est intellectus, sicut animus incorporeus est intellectus, vt loquitur Aristoteles libr. 1. de Anima cont. 61.* & fusè disputabitur à nobis infrà q. 54. a. 4. ex Aristotele & omnibus Peripateticis, concludere omninò poterat. Ergo Angelus non est compositus ex materia, & forma.

A. Doctor. Secundò, quia rectè putauit A. Doctor illam ipsam Minorem virtute contineri in eo quod dixit hic. *Substantias Angelicas esse supra intellectum nostrum.* Nā si intellectu nostro nobiliores sunt, ergo ipsæ quoque substantiæ Angelicæ, intellectus sunt. Nihil enim si in eodem genere facienda comparatio est, intellectu potest esse præstantius, quòd intellectus, qui inter cæteras naturas præstantissimus est, non sit. Vnde quāuis, D substantiæ quæ ex intellectu componuntur & corpore, ipsi intellectui quo componuntur, antecellant, homo enim animo præstat: Tamen A. Doctor cùm Angelos nostro intellectui præposuit, non intellexit hoc pacto. Quia hæc potuit in eodem genere propriè inter se comparare, nempe tāquam simpliciter intellectus. Nam superiore articulo Angelos aliquo modo saltem ex principiis fidei intellectus esse probauerat. Dixerat enim in argumento, *Sed contra* eos esse spiritus, hoc est intellectus; Ideóque eos tāquam incorporeas substantias rerum vniuersitati congruere, vt ibi latè explicatum est. Itaque nunc ex E eo quòd Angeli, intellectus aliqui sunt, ostendit & rectè eos nulla constare materia.

Durandus. Quare ad argumentum Durandi ex his dictis respondeo, veram esse illam argumenti Maiorem, qua vsus est A. Doctor; Nempe, *Id cui conuenit immaterialis operatio, est immateriale:* Quia intelligitur de principio, vt aiunt, *elicitiuo & subiectiuo*, quod verum est; Vt sensus sit hic, vel alius huiusmodi. Id principium eliciens, cuius actus est immaterialis, est immateriale, vt patet in hominis animo, & cæteris. Atque ita Durandi instantia de homine concidit: Quia homo non est principium operationis, nisi vt subsistens operans, non autem vt in se recipiens illam: eam enim non recipit nisi ratione partis formalis. Idem confirmatur; quod scilicet A. Doctoris solùm consilium sit excludere omnem veram materiam, quæ sit pars componens ipsum intellectum: Nam A. Doctor eandem quæstionem tractans in 2. d. 3. q. 1. a. 1. Et de spiritualibus creaturis q. 1. a. 1. similes affert rationes, quibus manifestum esse potest, hanc quam diximus esse mentem illius; Quia scilicet materia non confert ad actum intelligendi: Ipsa enim *recipit formam contrahendo illam ad esse indiuiduale, forma vero intelligibilis est in intellectu absque huiusmodi contractione:* Quia, vt paulò pòst ait, est in intellectu, *secundum naturam communem & vniuersalem.* Vnde concludit, *Non est ergo substantia intellectualis receptiua formæ ex ratione primæ materiæ, sed magis per oppositam quandam rationem.* Et subdit: *Vnde manifestum est, quod in substantiis spiritualibus illa prima materia, quæ de se omni specie caret, eius pars esse non potest.* Contendit ergo eius principij non esse partem. Quod verum est; Quia scilicet materia potiùs intelligendi actui impedimento est, vt ex Aristotele & A. Doctore dicam deinceps, & q. seq. art. 1. copiose, quàm ad illum conferat ob intelligendi facultatem, quæ debet vniuersalium naturarum imagines recipere, non verò contractas ad singularia, vt melius patebit sequenti quæsito Difficultate prima. Cùm ergo actui intelligēdi materiā non prodesse dicat, si pars principij intelligēdi esset, sed potiùs obesse; clarum est, materiā illam excludi, quæ verè materia est, ne sit pars intellectus componens: Nam si id daretur, aut ipsa substantia intellectus non esset receptrix intellectionis; Aut certè non ita benè eandem eliceret intellectionem.

Ostenditur actum intelligendi esse immaterialem, ex eóque demonstrari eius principium substantiale immateriale esse oportere. §. 3.

POsito ergo hoc, quòd A. Doctor hîc loquatur de principio intelligendi, quod recipit in se actum ipsum, atque elicit, examinanda præsens Difficultas est, Vtrùm sit efficax ratio A. Doctoris ita vt omnem materiā remoueat ab Angelo, qui sit substātia intelligens, cuius operatio immaterialis est. Itaque difficultas hæc in duobus est, quæ ibi sumuntur ab A. Doctore: Alterum est, Vtrùm intelligendi actus sit immaterialis ex eo quòd est circa obiectum vniuersale, ac proinde immateriale: Alterum verò, Vtrùm rectè inferatur ex actu immateriali, principium eius actus elicitiuum, ac subiectum, debere esse immateriale. Ad cuius nodi dissolutionem sit

Vnica propositio, Vtrumque verum est, ideóque ratio hæc A. Doctoris posterior efficax omninò est. Hæc propositio habet duas partes: Primam quidem, vtrumque verum esse: Alterā verò rationem A. Doctoris esse efficacem. Prima propositionis pars; Nempe quod vtrumque sit verum, probatur. Et primò de illo, quod prius proposui in fine Notandi secundi; Nempe quod intel

intelligendi actus ex obiecto vniuersali sit immaterialis. Quod quidem in nostro intellectu demonstrandum est: Nam si intellectio nostra immaterialis est, multò magis id erit in Angelis, qui homine perfectiores sunt quoad substantiam, ac proinde quoad principium nobilissimæ operationis, quæ est actus intelligendi, vt suprà probatum est. Probatur ergo in nostro intellectu: Quia si id, quod per se est obiectum alicuius actus est vniuersale, tunc actus circa id obiectum est immaterialis; Sed obiectum per se actus intelligendi est vniuersale, non autem singulare. Ergo actus intelligendi est immaterialis. Minor probatur ab A. Doctore sæpè, vt q. 2. de Veritate a. 6. hic p. p. q. 14. a. 11. & q. 75. a. 1. Et ideò ait intellectum differre à sensu realiter per vniuersale & singulare hic q. 50. a. 1. & q. 8c. a. 2. ad 2. q. 84. a. 6. Quod adeò verum videtur opinione A. Doctoris, vt eiusdem opinione arbitrentur nonnulli inter principes Thomistarum, intellectum nostrum ne habere quidem species singularium, sed solum ad ipsorum cognitionem determinari, & à simulachro naturæ vniuersalis, quod in ipso est; & à phantasmate in phantasia, & cogitatiua, vt fusè contra Scotum, Gregorium & alios defendit Capreolus in 1. d. 35. q. 2. art. 1. concl. 4. & ad argumenta contra ipsam eandem conclusionem in eodem art. 1. & Caietanus p. p. q. 86. a. 1. Vbi id videtur colligi ex A. Doctore. Quod tamen aliis non videtur verum: Quia si intellectus formaret, inquiunt, propositionem hanc; Petrus est homo, intelligeret Petrum esse hominem. Ergo vno iudicio intelligeret per plura simulachra; nempe Petrum per phātasma, hominem per speciem intelligibilem. Cùm tamen, vt infrà q. 58. a. 2. constabit A. Doctoris sententia, intellectus non intelligat plura vt plura; hoc est non intelligat nisi per vnam speciem. Tunc ergo, vt ipsi arbitrantur, intelliget per vnā speciem in intellectu, quæ referat Petrum esse hominem, ita vt simulachrum Petri in organo imaginationis conferat, vt talis species intellectum possibilem determinans ad eiusmodi iudicium producatur ab intellectu agente. Quo pacto volunt esse veram Aristotelis doctrinam libro 3. de Anima cont. 29. 30. 39. *Et cum speculatur, oportet phantasmata speculari.* E quibus phantasmatis putant abstrahi vniuersalia tanquam per reflexam cognitionem.

Scotus. Gregorius. Capreolus. Caietanus.

A. Doctor.

Aristoteles.

Verùm vtut res sit, An & quomodo dentur species singularium materialium disputabitur ex instituto infrà q. 57. a. 2. & nonnulla dicentur infrà q. 54. a. 4. Quæsito primo Difficultate vltima; & vide quæ hic dico ad tertium. Itaque nunc probanda est illa eadem Minor; Quod nimirum obiectum per se actus intelligendi sit vniuersale non singulare. Probatur autem, quia obiectum per se intellectus esse vniuersale, singulare autem sensus, patet ex Aristotele non vno tantùm loco: Nam non alia de causa libro 1. Physic. cont. 49. dixit, *singulare esse notius secundùm sensum, vniuersale verò secundùm rationem.* Et libro 1. Poster. c. 20. in fine, seu comm. 170. docuit, *vniuersalem propositionem esse intelligibilem; singularem verò in sensu perfici*; idémque aliàs sæpe docuit; Nisi quia vniuersale est intellectus obiectum, & ideò illi notum est; singulare verò facultatis est sentientis, cui obiiciatur. Hinc libro 1. de cœlo cont. 92. apertè docuit ex eo quod cœlum est sensibile, ipsum oportere esse singulare, & formam habere in materia. *Quoniam igitur cœlum est sensibile, inquit, singularium vtique erit. Sensibile enim omne in materia existit.* Expressit ergo nihil esse posse sensibile, quod singulare, & in materia non sit. Ergo si obiectum intellectus sit ab obiecto sensuum diuersum, non erit singulare & in materia; ac proinde erit immateriale; nempe vniuersale, & si quid est aliud, in quod intellectus ferri oporteat, vt infrà videbitur.

Aristoteles.

Ratione etiam idem patet: Quia vniuersale & singulare à nobis percipi certum est. Ergo illud ab intellectu; quia non ab alia facultate: hoc verò à sensu; quia ab intellectu non percipitur, nisi vt vnà cum sensu operatur; quatenus nimirum operatione sensus determinatur, vt illud percipiat non aliud, vt suo loco explicabitur. Qua ratione intellectus ab Aristotele dicitur sensus libro 6. Eth. cap. 11. illis verbis. *Quorum, scilicet singularium, sane habere sensum oportet, is autem est intellectus.* Vt etiam obseruauit A. Doctor 2. 2. q. 49. a. 2. ad 3. Constat ergo per se obiectum intellectus esse vniuersale. Quod ipsum etiam probari potest ratione à priori: Quia intellectus propriissimè sumptus est ea animi intelligentis facultas, quæ in iis intelligēdis versatur, ad quæ non prodit foras per sensus, sed est solum circa ea, quæ intus in se legit, seu cognoscit, non autē simul cum sensu. Si enim vna cum sensu operatur, est quodāmodo sensus operatio non speciatim intellectus, vt copiosè à nobis ex Aristotele & Peripateticis infrà declarabitur q. 54. a. 4. vbi etiam distinguemus intelligibile a sēsibili obiecto. At sola vniuersalia inter obiecta rerum materialiū cognoscendarum intellectus legit intus, nec foras per sensum prodit: Quia vniuersalia intellectus non cognoscit vna cum sensu extra se, vt cognoscit singularia. Quæ quidē potissima causa est, vt quia intellectus præcipue prima ac generalissima principia cognoscit, ac legit intus in sese, sine vllo sensuum adminiculo, habitus qui intellectum ad eorū cognitionem firmat ac roborat, simpliciter ab Aristotele libro 6. Ethicorum c. 6. intellectus appelletur, vt fusiùs loco citato dicetur. Vera ergo est illa Minor; nempe obiectū per se intellectus esse vniuersale.

Aristoteles.

A. Doctor.

Aristoteles.

Maior autem eiusdem argumenti probatur: Etenim si id quod est per se obiectum actus est vniuersale, actus circa tale obiectum non est potentiæ affixæ organo corporeo. At actus qui est potentiæ non affixæ organo corporeo est immaterialis. Ergo si id, quod est per se obiectum actus, est immateriale, actus circa id obiectum est immaterialis. Hæc minor patet: quia actus, qui est potentiæ non affixæ organo corporeo, est actio propria principij operantis independenter à corpore: est enim operatio ad quam non concurrit corpus, quod solùm concurrere debet per organa potentiarum, quibus determinatur animus ad suum actū. Vt corpus ad visum concurrit per oculorum organum; ad auditionem per aures, & de cæteris. Ratio à priori est, quia corpus concurrit tanquam materia recipiendo ea, quæ ad actionem necessaria sunt: Et ideò dixit Aristoteles libro 1. de Anima cont. 15. passiones, quæ ab animo vna cum corpore exercentur esse *rationes in materia, Vt irasci motus quidam existit talis corporis.* & generatim cōt. 14. ibidem ostendens, quænam operationes animæ sint communes cum corpore, ait, esse *iram, mansue*

Aristoteles.

mansuetudinem, timorem, misericordiam, confidentiam, gaudium, amare & odire. Subdit rationem statim, cur hæ communes sint corporis. *Simul enim*, inquit, *cum his patitur aliquid corpus.* Ergo ratio, quæ est potentiæ non affixæ organo corporeo, est propria ipsius principij operantis independenter à corpore, quippe ad quam non concurrit corpus. Ergo principium hoc à quo actio illa elicitur, est immateriale non dependés à corpore, & à materia, ac proinde ab ea erit separabile suâ naturâ. In hac enim ratione philosophádi tanquam in firmissimo ac stabili fundamento niti suprà diximus vniuersam Aristotelæam de separabili anima doctrinam. *Si igitur* inquit Aristoteles libro 1. de Anima cont. 13. *est aliqua animæ separatio aut passionum*; nempè potentiarum, *propria; continget vtique ipsam separari: Si verò nulla est propria ipsius, non vtique erit separabilis.* De quo plura in probatione secundæ partis nostræ propositionis. Si autem eius operationis principium eliciens est immateriale; Ergo & operatio, quam in suo principio eliciente recipi oportet, immaterialis sit necesse est, vt sunt immanentes actiones omnes substantiarum immaterialium. Atque hæc breuiter de huius postremi syllogismi Minore: Cæterùm fusius hoc totum paulò post triplici Aristotelis auctoritate confirmabitur. & infrà tum q. seq. a. 1. tum q. 54. sæpissimè præsertim a. 2. & a. 4.

Aristoteles.

Maior nunc eiusdem argumenti sic probatur: Quia vniuersale non est applicabile potentiæ per organum corporeum. Ergo si per se obiectum actus est vniuersale, actus circa tale obiectum est potentiæ non affixæ organo: Quia certum est potentiæ affixæ organo corporeo obiectum actus ipsius applicari per organum corporeum: Quia potentiæ organo affixæ patiuntur ab ipsis obiectis per organum; Et ideò dixit Aristoteles libro 2. de Anima cont. 51. sentire esse quoddam pati ab obiectis, & cont. 59. dixit. *Actiua sensationis esse extra, vt visibile* & cætera.

Aristoteles.

Antecedens autem dupliciter probatur manifestè: Nam primò vniuersale nullam potest transmittere speciem, qua corporea organa immutentur, atque ad actum excitentur; Ideóque in sensuum organa nihil transmittitur nisi singularium simulachra; vt patet in omnibus sensibus tum interioribus, tum externis. Alioqui vniuersale sensibus percipi posset, essétque sensile, non verò tantummodo intellectile: Quod quidem pugnare contra Aristotelis doctrinam, paulò antè dictum est; & expresè contra ea quæ docet libro 1. cœli cont. 92. Præterea, quia nihil primò transmutat corporea organa, quod non sit à parte rei saltem secundùm partes componentes; quia organa corporea debent pati ab obiectis; &, vt diximus, ideò actiua sensionum extra sunt. At vniuersale non est à parte rei, nec in se, nec secundùm partes illius componentes. Ergo non transmutat organa corporea. Maior hæc patet in omnibus sensuum transmutationibus inductione; etiam quãdo chimeras, & montes aureos, quæ nunquam vidimus, imaginamur. Semper enim est aliqua causa singularis, quæ huiusmodi imagines efformat. Montis enim aurei est mons, & aurum; Quę, cum primò speciem imaginatio accepit, per sensus produxit: Et sic aio de cæteris, etiamsi species alterius generis ingeneretur in sensu; Vt videmus colores apparentes in Iride, collo columbæ, & cætera. Tunc enim causa singularis est illa radiorum repercussio, seu refractio in tali proportione, vt apti sint in sensu talem speciem transmittere. Ergo nihil primò transmutat organa corporea, quod non sit à parte rei.

Minor eiusdem argumenti probatur: Quia vniuersale ne secundum partes quidem componentes, esse potest à parte rei. Partes enim componentes corporei vniuersalis sunt materia & forma vniuersalis: Nam vt ex Aristotele dicebam in secundo argumento Partis Negantis, hominis partes sunt materia & forma vniuersales; Socratis verò hæc materia, & hæc forma. Ergo ne partes quidem componentes sunt à parte rei, cum nullum vniuersale sit à parte rei.

Quòd si quis dicat esse à parte rei ipsa indiuidua, quæ tali modo apprehensa faciunt speciem vniuersalem, quemadmodum lumen tali modo refractum efficit speciem coloris in oculo, qui tamen non est in re color. Contrà est manifesta ratio: Nam singulare quocunque modo per sensus percipiatur, cognoscitur singulare, siue sit sensus exterior, siue interior, etiamsi quantumuis cum aliis obiectis coniungatur: semper enim singularia referuntur, vt singulares soni, singularis harmonia, singularis imago Socratis, Corisci, & cætera. Ergo corporea organa non immutantur, nisi singularium rerum imaginibus. Cuius rationem assignat A. Doctor infrà q. 85. a. 1. & 86. a. 1. & alibi: Quia species productæ in materia, singularium esse debent. Hæc enim materia cùm constituat organum potentiæ, contrahit etiam obiecti actionem ad singularium imagines. Si enim constituit organum; ergo sensuum operationibus inseruit: Sensus enim est potentia organica. At sensus non sunt nisi circa singularia, vt suprà diximus ex Aristotele, & patet experientia, ex qua constat talem esse sensuum naturam. Vnde nunquam sensus præcidere potest rationem vniuersalem entis, corporis, & cætera; sed opus est comparãte intellectu, vt vnam huiusmodi rationem seiungat à cæteris; vt scilicet distinguat rationem, in qua plura indiuidua conueniant, & differentiam qua vnaquæque natura constituitur, atque à cæteris differt.

A Doctor.

Ex quibus omnibus constat, rationem cur actus sit immaterialis esse, quia est ab obiecto non applicabili suæ potentiæ per organum corporeum, ac proinde esse debet à principio quod operatur independenter à corpore, quod debet esse intellectus, non sensus, qui semper vnà cum organo corporeo operari debet, ac proinde sola substantia intelligens incorporea est. Quod etiam totum argumentum mirè expressit Aristoteles libro 2. de Generat. animal. cap. 3. vt inde apertè demonstret, Animum hominis intelligentem à corpore separari posse, proindéque immortalem esse. Verba eius, aureis describenda notis, hæc sunt. *Quorum principiorum actio est corporalis, hæc sine corpore esse non posse certum est. v. g. ambulare sine pedibus: itaque extrinsecus ea aduenire impossibile est. Nec enim ipsa per se accedere possunt, cùm ipsa inseparabilia sint. Neque cum corpore*; nimirum possunt accedere. *Semen enim excrementum alimenti mutati est.* Cum quo non accedit anima, quæ excrementum non comitatur, quia illud à se abigit. *Restat ergo vt sola mens extrinsecus accedat: Nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Concludit ergo solum intellectum esse separabilem ob actionem separabilem. cæteras

Aristoteles.

teras animas non item: Quia nec actio earum separabilis.

Actum intelligendi non manare ex principio, quòd organo corporeo affixum sit, ostenditur euidenter ex Aristotele. § 4.

VErùm quoniam permagni interest, hanc veritatem nosse, ideò illam minorem & eius confirmationem; Nempe, actum intelligendi esse potentiæ non affixæ organo corporeo; seu quod idem est, non requirere adiumentum corporei organi, ideóque eius principium non pendere à corpore; nec esse materiale, sed immateriale omninò, triplici euidenti Aristotelis testimonio firmare conabor. Licèt hæc omnia in alterum quoque dictum paulò post probandum deriuari possint, vt etiam significabimus. Aristoteles.

Primum ergo testimonium sit ex libro 3. de Anima cont. 7. Vbi negat, intellectum quicquam pati ab intellectili, quemadmodum sensus à vehementi sensili patiuntur, cuius causam reddit ex sensorio, eò quod scilicet sensus læditur, quia eius organum lædi potest, vt oculus ab incurrente in ipsum lumine. At intellectus non item, quia à corpore seiunctus est; Nimirum in operando. Sic autem habet. *Quòd autem non sit similis impassibilitas sensitiui, & intellectiui manifestum est ex sensoriis & sensu. Sensus enim non potest sentire ex vehementi sensibili, vt sonum ex magnis sonis; neque ex fortibus odoribus, & coloribus videre aut odorare.* Quibus primum vides sensum, omnémque facultatem corporeo organo indigentem, quæ sensus aliquis esse debet, oportere pati ab obiecto per organum corporeum: Quod paulò antè dicebamus. Deinde hanc passionem, si sit vehemens lędere ipsum organum, nempe sensorium, quod pati docet ab illo obiecto nimio. Huius ergo passionis radicem sitam esse docet in corporeo instrumento. Quid ergo intellectus? Pergit non sic esse intellectum. *Sed intellectus cum aliquid intellexerit valdè intelligibile, non minus intelligit inferiora, sed magis.* Quæ sit huius rei disparitatis causa, mirificè aperit illis verbis. *Sensitiuum enim non sine corpore est: Hic autem separabilis est.* Omnem ergo disparitatis causam refert in id, quod intellectus corporei instrumenti expers est, sensus non item: Ideóque intelligendi principium à corpore separari posse; non autem sensum, & quamcunque facultatem, quæ indiget corporeo instrumento. Idémque iudicium sit de horum principiorum actione, quam in illis recipi oportet, vt antè dicebamus. Quid hoc testimonio validius?

Alterum est ex libro 10. Ethicorum cap. 7. Vbi quia intelligendi actus non fit adiutore corpore, negat ipsum actum spectare ad hominem qua homo est. Sic enim habet de intellectus humani operatione contemplatrice, in qua constare ait hominis felicitatem. *Ac talis quidem vita præstantior esset, quam homini conueniat. Non enim quatenus homo ita viuet, sed quatenus diuinum quid in ipso inest.* Negat ergo intelligentiam esse actum hominis; Quia non est actus totius coniuncti; quia ad illam eliciendam non concurrit homo secundum vtramque partem sui, secūdum quam homo est homo. Quandoquidem illa corpus tanquam principium non efflagitat: Idcircò enim addit, hoc diuinum cuius intelligentia est actus in homine, *tanto præstare composito, quanto eius operatio ab operatione distat, quæ ex virtute alia existit;* Nempe quæ est principium vitæ ciuilis, ac bellicæ, de quibus proximè dixerat. Horum enim principium vult esse ipsum compositum; quod compositum negat esse principium ipsius contemplatricis actionis. Vbi vides, quia intellectio excedit dignitatem compositi corporis, etiam principium eius esse vltra hanc dignitatem, & incorporeum, vt benè argumentabatur A. Doctor, vt in eius ratione monuimus. Simile quid vtrique loco omninò dixerat libro 1. de Anima cont. 66. vbi etiam cum cæteras actiones hominis dicat totius esse coniuncti, intelligentiam tamen vult esse solius intellectus, propterea quòd animus illas non sine corpore exprimit; hanc verò nullo corporis adminiculo promit. *Ipsum* inquit *intelligere & ipsum speculari marcescit alio quodam interius corrupto;* organo videlicet phātasiæ, aut spiritu deferente phantasmata; *ipsum autem impassibile est.* En intelligendi actum impassibilem, licèt quodam interiore destructo ipse quoque marcescat; id est languescat ob sensuum connexionem. Ergo ipsum intelligendi principium non eget organo corporis, vt intulimus ex 3. de Anima. A. Doctor.

Rursum actum intelligendi non esse coniuncti, sed ipsius animi intelligentis; Quod diximus ex illo cap. 7. patet ex verbis eiusdem cont. 66. eiusdem libri primi proximè sequentibus. *Cogitare* inquit *amare & odisse non sunt illius;* nempè animæ, *passiones, sed huius habentis illud, secundum quod illud habet;* hoc est conflati ex illa. Ideò subdit; *Quare & hoc corrupto* conflato, *neque meminit neque amat* animus. *Non enim illius animi erat, sed communis, quod quidem destructum est.* Verum est ergo; quia huiusmodi actiones existunt non ex sola anima, sed etiam iuuante corpore; eas esse *communis*; id est totius. Ad cuius interitum eæ quoque deperduntur. At non ita ipsum intelligere. Et ideò proximè ponit particulam aduersantem *autem* hoc pacto: *Intellectus autem fortasse diuinum quid & impassibile.* Id ergo quod concedit actibus, qui sunt cogitatio, amor, & odium, negat intelligentiæ, quia hæc duo contra ponit Aristoteles, vt diximus per particulam *autem*: At illis concedit esse actus totius coniuncti. Quare ait, eo intereunte prædictos actus desinere esse. Ergo intelligentiæ negat esse actum coniuncti, & eo intereunte desinere esse, licèt debilis fiat. Concludendum ergo ex his est, principium actionis, quæ est intellectio, operari independenter à corpore: Quia hic actus non est coniuncti actus, ac proindè principij est formalis, non autem corporis. Neque officit quod Aristoteles vtatur particula *fortasis*. Non est enim id signum dubitantis, Vtrùm intellectus sit impassibilis. Id enim paucis verbis antè absolutè protulerat: *Ipsum autem esse impassibile*, vt modò retulimus: sed significat ancipitem adhuc esse sensum in eo quod sequitur proximè. *Fortasis diuinum quid.* Vtrùm enim intellectus sit quidpiam diuinum hîc non omninò constituit Aristoteles; sed alibi frequenter, vt cap. illo 7. lib. 10. Ethicorum, vt modò diximus, & eodem libro cap. 8. & libro 12. Metaphysices cont. 39. & libro 1. ibidem sum. 2. cap. 1. Vbi intellectum appellat *causam Mundi*; & libro Aristoteles.

bro 4. de partibus Animal. cap. 10. ait. *Hominis substantiam esse diuinam; officium autem diuini esse intelligere atque sapere*; & alibi.

Tertium est ex eodem lib. 10. Æthic. cap. 8. vbi discrimē ait esse inter virtutes morales, & actionem contemplandi. Quod morales virtutes *connexæ cum affectibus sunt, & circa compositum versantur*; & idcircò *compositi virtutes humanæ sunt*. Ex quo infert, felicitatem, quæ ex illis esse potest, eodem modo compositi esse. *Et vitam igitur*, inquit, *quæ secundum ipsas traducitur, & felicitas eiusmodi erunt*; id est illius eiusdem compositi: Hoc autem ipsum pernegat intellectus operationi. Pergit enim, *Mentis autem separata est: de ipsa enim hoc tantummodo est dictum.* Quibus verbis adeò clarè docet, hoc differre mentis actiones à cæteris, quod cæteræ sunt compositi, ac proinde non separabiles: Mentis verò non sunt compositi, sed ipsius mentis, ac proinde separatæ; vt vel à proteruo ac pertinaci assensum extorquere possunt. Ex his ergo constat verum esse, quod ait A. Doctor, intellectionem esse immaterialem, eò quod in obiectum vniuersale, & immateriale respiciat. Immateriale inquam dupliciter; & quia non recipitur eius species in subiecto materiali, quia non transmittitur per organum, vt cætera obiecta singularium materialium; Et quia eius principium auulsum est à materia singularium; quod est esse aliquomodo immateriale: Non autem quia omnem excludat omninò materiam, sed singularem, vt deinceps etiam dicam.

A. Doctor.

Superest nunc in eadem priore propositionis nostræ parte probandum illud alterum, quod posteriore loco proposui in fine notandi secundi; nempe rectè ex materiali actu principium immateriale deduci. Quod tametsi ex iam dictis demonstrari potest; Quia nimirum si tale principium, corporeum & materiale non est, vt ostendimus, ergo immateriale sit oportet, cum nihil detur tertium: Tamen quia argumentis abundamus, adhuc melius ostendi non difficile potest. Nam primo probatur ex regula illa Aristotelæa libro 1. de Anim. cont. 13. vt eius verba citauimus. Nimirum si operatio separabilis est, & principium à corpore separabile est; quod idem est, ac dicere, si operatio non pendet à corpore, ac proinde immaterialis: Ergo nec principium eius à corpore pendebit, ideoque est à materia separabile, vt ex Aristotele probatum est. Itaque si certum est, operationem separabilem esse à corpore, quia eo non eget, vt à suo principio prodeat; ergo certum est & principium talis operationis esse separabile, quia in operando non indiget corpore. Deinde probatur eadem sequela; Nempe ex immateriali actu principium materiale deduci: Quia ea vsus est Aristoteles quatuor locis manifestè; quos ex libro 10. Ethicorum, & libro secundo de Generatione Animalium modò retulimus, & nunc sua lance pendimus.

Aristoteles.

Primus ergo est in illo cap. 8. vbi in eodem ordine collocat operandi principium, & ipsas operationes. Vt enim vidimus, ex eo, quod *Virtutes illæ ciuilis vitæ humani compositi sunt*, deducit. *Et vita igitur quæ secundum ipsas traducitur, & felicitas eiusmodi erunt.* Et rursus quia mentis actus seiunctus est, docet & ipsam mentem, corpoream non esse. Eodémq; modo ibidem cap. 7. argumentatur ex diuinitate intellectus ad diuinitatē operationis eiusdem. *Si igitur intellectus*, inquit, *diuinum quid est, si ad hominem respiciamus, sic vita, quæ ex intellectu traducitur, si humana vita comparetur, diuina etiam ipsa est.* Existimat ergo, si operatio pēdet à corpore, & ipsum principium corporeū esse; hoc est ad corpus pertinere; Et contra: si corpus operatio non exigit, nec ipsum principium corporeum esse. Vt pari ordine procedere velit hæc duo principium & operationem.

Alter locus est euidentior ex cap. 7. citato, vbi non solum supponit actum naturalem & principium esse eiusdem ordinis, verùm etiam tātò cæteris principiis præstare principium, quantò eius operatio cæteris antecellit operationibus. Cum enim dixisset, hominem dum contemplandi functionem exercet, nō viuere vt hominem, sed quā diuinū, quod in ipso est: De hoc diuino principio subdit. *Quanto autem id præstat composito, tanto quoque eius operatio ab operatione distat, quæ ex virtute alia existit.* Ex quo loco optima ratione patet eadē nostra consecutio: Quia ea proportione debet principium alicuius operationis naturalis excedere principia operationum cæterarum, qua eius operatio cæteras operationes. Sed operatio intelligēdi excedit cæteras in eo quod immunis est a corpore; seu in præstantia immortalitatis, & immaterialitatis, vt ostēsum est. Ergo & principiū in eadem præstātia cætera principia oportet excedat. Maior patet; tum ex Aristotele, vt vidimus; tum hac ratione. Quia nisi detur hæc proportio, nulla nobis relicta est via indagandi principiorū perfectionem, eorúmque à materia separationem. Ita enim Philosophi ex operatione animorum immortalitatem, interitúmque confirmarunt. Quis enim Dei, Angelorumque perfectiones indagare queat, si hic philosophādi modus ex operatione repudietur?

Tertius tandem locus apertissimus est, & planè euidens ex illo capite tertio, libro secundo, de Generatione animalium. Vbi, vt modò vidimus, negat cætera principia præterquam intelligendi esse à corpore separabilia, eo quòd eorum actio non est separabilis. Contrà verò in intellectu accidere, vt is separabilis sit, nam & eius actio separata est. Ex quo constat operādi principium, & ipsam operationem Aristoteli reciprocari quoad separabilitatem à corpore, atque adeò quoad esse immateriale.

Ostenditur, non obstare quod aliqui dicunt, nempe intelligendi actum pendere à corpore vt ab obiecto. §. 5.

Ex quibus vlteriùs sequitur, non rectè quosdam, qui volunt videri nimis acuti, & parum pij, distinguere in doctrina Aristotelis, vt doceant intellectionem non esse immaterialem. Dicunt enim, dupliciter posse operationem pendere à corpore; Nimirum siue à corpore vt subiecto; hoc est, vt ab organo potentiæ; siue à corpore vt obiecto; quia scilicet versari debeat circa obiecta materialia, seu phantasmata. Vnde dicunt, si neutro modo pendeat à corpore operatio, ipsam esse immaterialem: sin autem pendeat altero

altero ex his modis non eſſe immaterialem. Intellectionem autem Ariſtoteli licet non pendeat primo modo, pendere tamen ſecundo: quia oportet vt phātaſmata ſpeculari, intelligentem ipſe docet libro 3. de Anima cont. vigeſimonono & trigeſimo.

Ex dictis ergo aio ſequi, hos non rectè ſententiam Ariſtotelis intellexiſſe: Nam primò Ariſtoteles his omnibus locis citatis requirit ad ſeparabilitatē, ac proinde immaterialitatē, vt operatio illius non ſit coniuncti, quemadmodum cæteræ actiones, quibus eliciendis concurrit corpus inſtrumento corporeo; ſed principij formalis propria. Ergo ſatis eſt Ariſtoteli, vt principium ſit ſeparabile & immateriale, ſi eius operatio non pendeat à corpore vt à ſubiecto per organa corporea, etſi pendeat à corpore vt ab obiecto: Qualem ipſi dicunt intellectionem hominis eſſe. Quod vtrùm Ariſtoteli ſit verum, infrà erit in controuerſiam vocandum. Conſequentia eſt certa: Quia ſi ſatis eſt operatio, quæ ſit principij propria non concurrente corporeo inſtrumento. Ergo non refert ſiue pendeat à corpore vt obiecto, ſiue non pendeat.

Ariſtoteles.

Antecedens probatur breuiter perpendendo propoſitos Ariſtotelis locos. Et primus ſit in eo libro 10. Ethicorum, cap. 8. Virtutum moralium, ex eo quod compoſiti ſunt actiones à compoſito elici. Sic enim infert. *Et vitam igitur*, nempè actiones, *quæ ſecundum ipſas* virtutes morales *traducitur eiuſmodi erunt*; nempe illius eiuſdem compoſiti; ac proinde ſeparabiles à corpore non ſunt. His è diametro opponit mētis operationem, quam ex eo quod compoſiti non eſt, ſed ſolius animi, ait eſſe ſeparabilem. *Mentis autem ſeparata eſt* operatio. *De ipſa enim hoc tantummodo eſt dictum*; in qua deinde reponit felicitatem. Clariſſimè ergo patet, Ariſtoteli ſatis eſſe, vt operatio ſeparata ſit, ac proinde immaterialis, & non corporea, ſi non ſit coniuncti; opponatúrque cæteris, quæ ab illo promanant.

Alter locus ſit libro tertio de Anima contextu ſeptimo, vbi etiam proptereaquod talis intellectus actus, qui in homine eſt, non eſt compoſiti per organa corporea, colligit principium eius actus eſſe ſeparabile non corporeum, eóque immateriale. Poſtquam enim dixit, hoc differre ſenſuum actionem ab intelligendi actu, quòd illa non editur, ſi vehemens ſit ſenſile: Hæc verò roboratur, ſi maximum ei intellectile obuerſetur. Reddit cauſam huius rei his verbis, quæ paulò ante retuli. *Senſitiuum enim non ſine corpore eſt: Hic autem* intellectus *ſeparabilis eſt.* Ergo ad eiuſdem actionis immaterialitatem (eſt enim in principio ſeparabili & immateriali) ſatis fuit Ariſtoteli eam eſſe ſine corporeo organo, eſto non ſit ſine phantaſmate, ac proinde eſto non ſit ſine corpore vt obiecto.

Tertius ſit locus planè euidens libro primo de Anima cont. 66. Quo loco eandem prorſus ſententiam, eodémque modo docuit. Nam vbi actum intelligendi dixit eſſe ſolius intellectus, non autem totius compoſiti, ſicut cæteras actiones hominis eſſe oſtenderat, quod per organa corporea ederentur, vt antè dicebam ex eius verbis; infert ipſum eſſe impaſſibilem hoc eſt immaterialem, & à corpore independentem, tametſi marceſcat aliquo interius corrupto; nempe organo phantaſiæ. *Ipſum*, inquit, *intelligere & ipſum ſpeculari marceſcit aliquo interiùs corrupto, ipſum autem impoſſibile eſt.* Id eſt intellectio in hominis animo perſeuerat etiam poſt mortem, quod cæteris actibus non conuenit, qui homine deſtructo amplius eſſe nequeunt. Sic enim concludit ibi Ariſtoteles proximè poſt relata verba, cùm enumeraſſet quoſdam actus ipſius coniuncti; nempe cogitare, amare, odiſſe & cætera. *Quare*, inquit, *& hoc corrupto* compoſito *neque meminit, neque amat* animus, *non enim illius erant* actiones, *ſed communis; quod quidem deſtructum eſt: Intellectus autem fortaſſe diuinum quid, & impaſſibile:* Quam particulam fortaſſe diximus paulò antè non eſſe dubitantis de impaſſibilitate. Ergo Ariſtoteli intellectio eſt immaterialis, etiamſi ſuggerens phantaſmata; nempe phantaſiæ organum marceſcat; Ergo etiamſi pendeat à corpore vt obiecto.

Ex quo loco ſic euidentem pro noſtra ſententia conficio duplicem argumentationem. Primam quidem, quia actus omnis, qui eſt impaſſibilis, eſt immaterialis. Sed intelligere, quia non eſt actus corporei organi eſt impaſſibile. Ergo intelligere, quia non eſt corporei organi eſt immateriale. Minor eſt Ariſtotelis, vt vidimus. Maior patet: Quia idem eſt impaſſibile, & à corpore ſeparabile. Hanc enim dictionem Ariſtoteles contraponit verbo *marceſcit*. Ait enim. *Intelligere, & ſpeculari marceſcit aliquo interius corrupto; ipſum autem impaſſibile eſt.* Quod marceſcit ſignificat deſinit eſſe. Senſit ergo impaſſibile idem eſſe atque incorruptibile, & immateriale, atque vt ita dicam immarceſcibile. quia ſcilicet ipſa actio ex ſe nullam habeat dependentiam à corpore, ideoque ſit impaſſibilis actione corruptrice, quæ principium deſtruat, vt accidit in cæteris actionibus corporeis vitalibus. Ariſtoteles.

Qua eadem ſignificatione eandem particulam vſurpauit Ariſtoteles paulò poſt, vt retuli in verbis citatis. *Intellectus autem*, & cætera impaſſibilis eſt; hoc eſt immaterialis ac ſeparabilis. Alteram verò: quia ratio, cur compoſito corrupto non recordetur aut amet animus, Ariſtoteli eſt, quia actiones ſunt *Communis, quod quidem deſtructum eſt.* Quaſi principio diſſoluto actiones quoque, quæ ab illo manant, euaneſcant, vt amare, meminiſſe. Ergo actiones, quæ à compoſito non pendent, ſed ſolum ab animo ſunt, conſiſtere poſſunt, (non dico eaſdem numero, quia ſcio euaneſcere poſſe) etiam deſtructo compoſito. Sublata enim cauſa adæquata, quæ ſimpliciter aſſignari debet in ſcientiis, tollitur effectus. Vt ſi ratio, cur quis eat in forum ſit, vt videat ibi amicum, ſublato amico è foro, non ibit ille amplius in forum. Et idcircò Ariſtoteles ex aduerſo poſuit intellectum illis verbis *non meminit*, & cætera, quia actiones hæ ſunt *communis, quod quidem deſtructum eſt*, nempe poſt mortem. *Intellectus autem*, & cætera. Ergo cenſet poſt compoſiti diſſolutionem eſſe actum intelligendi, quia eius principium, ſcilicet intellectus, permanet deſtructo compoſito. Ariſtoteles.

Poſtremus nunc ſit locus cæteris multis prætermiſſis omnium euidentiſſimus, & quo cæteri iam adducti validiores reddantur. Is autem eſt lib. 2. de Generat. anim. cap. 3. vbi, vt etiam ſuprà referebam, tradit hanc aptiſſimam regulam dignoſcendæ ſeparabilitatis actionis, cuiúſque

eiúsque principij, ac proinde independentis à corpore, ideóque immaterialis. *Quorum*, inquit, *principiorum est actio corporalis, hæc sine corpore esse non posse certum est, vt ambulare sine pedibus.* & post concludit. *Restat ergo vt sola mens extrinsecùs accedat. Nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Eam itaque corporalem actionem vocat, quæ intimè inuoluit organa corporea, quibus eliciatur, vt ambulatio inuoluit pedum instrumenta. Vnde mentis actionem incorpoream, & à corpore non dependentem appellat; & eius principium à corpore separatum putat: Quia eo pacto, vt ambulatio, instrumenta corporis non flagitat. Ergo etiamsi mentis actio flagitet corpus vt obiectum; nempe phantasmata, erit Aristoteli immaterialis, eiúsque principium separabile. Atque hæc sit prima ratio in hos pseudo-Peripateticos.

Secundò, vt etiam eorum fundamentum euertamus, contra eosdem est: quia non omnis intellectio Aristoteli pendet à corpore vt obiecto. Nam, vt dicam infrà ex instituto q. 54. ex Aristotele & Peripateticis, datur aliqua actio intelligendi, quæ non postulat phantasmata, vt sunt multa axiomata primæ philosophiæ, & fortasse etiam huiusmodi est notitia, qua homo intueri potest intelligentias abstractas opinione Aristotelis. Ibi etiam dicemus, quid significet illud; oportet intelligentem vti phantasmatis.

A. Doctoris rationem veram efficacémque esse, & quo modo. §. 6.

A. Doctor. SEcunda propositionis pars; scilicet quòd hęc ratio A. Doctoris vera & efficax sit, probatur ex dictis: Quia hæc ratio ex certis, constantibúsque principiis conflatur, nec caret debita syllogismi forma. Ergo hæc ratio posterior efficax omninò est. Quod non careat debita forma patet: Quia sic construi potest argumentatio. Id in quo tanquam principio eliciente recipitur actus immaterialis, est immateriale; seu, quod idem est, nulla componitur materia. Sed substantia, quæ est intellectus, est id in quo tanquam in principio eliciente recipitur actus immaterialis, quia in eo eliciente recipitur intelligentia, quæ est actus immaterialis, quandoquidem versatur circa vniuersale, ac proinde immateriale obiectum. Ergo substantia intellectus nulla componitur ex materia. Sed Angeli substantia, cùm sit incorporea, est substantia intellectus, vt sumit & datum ab Auicembrone, (Auicẽbron.) & certum ex dictis, vt ostẽdemus. Ergo substantia Angeli nulla componitur ex materia. Quem syllogismum habere debitam argumentationis formam, nemo non videt, cum sit in prima figura. Quod verò principia sint certa & constantia, patet ex eorum veritate, quam hactenus demonstrauimus.

Solùm potest esse difficultas in duobus. Primò quidem, Vtrùm hoc ipso quod Auicembron (Auicẽbron.) dabat, Angelum esse incorporeum, concederet etiam, eius substantiam esse intellectum. Nam potuisset dicere, nõ omne incorporeum esse intellectum. Ad quam dubitationem respondeo affirmando: quia hoc ipso quod aliqua substantia incorporea est, intellectus est; & ideò ex Aristotele & Peripateticis (Aristoteles. Peripatetici.) clarè infrà ostendo q. 54. A art. 4. frequenter, animũ nostrum rectissimè vocari intellectum, & longè meliùs quam mentem, aut animum: Quia est forma spiritalis. Vnde Aristoteles 1. de Anima, præsertim cont. 65. (Aristoteles.) vt etiam suprà dixi, animum vocat intellectum. A quibus non est verisimile, Auicembronem (Auicembrõ.) dissentire, quia id notum videtur ex ipsis terminis; & saltem non habemus quicquam quod aliter suadeat; cum præsertim hoc pacto si conficiatur argumentatio nulli non videatur recta: Nimirum omnis actus, qui est spiritalis substantia, est immaterialis & intelligens, ergo est intellectus. Nam per intellectum nihil aliud intelligere volumus, nisi substantiam immaterialem, & intelligentem, vt Peripatetici loqui solent. B De quibus eo loco dicam.

Secundò cum A. Doctor (A. Doctor. Auicembrõ.) statuisset aduersus Auicembronem ostendere, Angelos qui sunt intellectus; esse penitus immateriales, cur de intellectu, cuius obiectum est vniuersale, locutus est? Id enim rectè quidem probat de humano intellectu, non Angelico. Is enim non minùs nouit singularia, quàm vniuersalia, etiam teste A. Doctore infrà q. 57. art. 2. Respondeo voluisse philosophari ex notis. Nondum enim quicquam certi constitutum erat de cognitionis Angelicæ obiecto; Quod docturus erat q. 56. & deinceps. Et ita tacitè argumentatus est à fortiori. Nam si actus intelligẽdi, & intellectus eius principium C est immateriale in nobis, quanto magis in Angelis, qui cunctis mortalium ingeniis, intelligentiáque præstant, vt omnibus in confesso est.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, eos non rectè philosophaturos, qui dixerint, Esto operatio Angeli, quæ intelligentia est, non exigat corpus, arguátque principium quantum est ex se immateriale; tamen ex aliis functionibus Angelo debet inesse corpus; vt scilicet Angelus moueatur in locum, & cætera: Nam vt probat Aristoteles (Aristoteles.) 6. Physic. cont. 37. & à cont. 86. ad 90. Impartibile moueri non potest: Quia partim deberet esse in termino ad quem, partim in termino à quo, atque ita haberet D partes. Et sic dico de cæteris actibus, qui Angelo ascribi possunt. Colligitur, inquam, hos absurdè esse philosophaturos: Nam primò concedere debent, eius intellectionis immaterialis principium immateriale omninò esse, sicut & ipsa operatio. Quod modò cõficere nitebamur. Nam vt principium, cuius sunt plura operandi genera, à corpore suâ substantiâ non dependeat, satis est, si vnum operationis genus corporis opem non exposcat: Quod quidem manifestum est in hominis animo. Etsi enim huic multæ naturales vires sunt, quæ vnà cum corpore exercentur, vt visiones, locutiones, cæterique sensus: E Tamen vt eius immortalitatem statuat Aristoteles, vna tantùm operatione, cui corpus nõ subseruiat contentus est, vt vidimus ex locis citatis, in quibus intellectum abiunctum esse à corpore sentit ob intelligendi impatibilem ac separabilem vim, etiamsi alias habeat operationes ex ciuilibus virtutibus, quæ vnà cum corpore exercentur, vt diximus ex Aristotele lib. 10. Ethicorum cap. 7. & 8. & ex primo libro de Anima cont. 66. Quamobrem eodem libro primo de Anima cont. 13. cit. non dixit, si omnes animi functiones sint eius propriæ, ipsum fore sua substantia separabilem, sed *si aliqua est animæ operatio,*

tio, aut passionum propria, continget vtique eam separari: si verò nulla, non erit vtique separabilis. Ergo Aristoteli sufficit aliqua.

Cuius etiam ratio euidenter apparet: Nam si est aliqua, quæ animo separato inesse potest; ergo cessãtibus cæteris, eam facultatem promere poterit animus in aliquo genere operationũ, atque ita suum in rerum natura consequetur finem, qui est operatio. Nam vt ait Aristoteles libr. 2. cœli cont. 17. *Vnumquodque quorum est opus, est gratia operis:* Quæ etiam est vna ex causis, cur Aristoteles libro illo 10. Ethicorum cap. 7. & 8. posuerit in ipsa contemplatione felicitatem, quia hæc eiusmodi est, vt etiamsi cæteræ prodire non possint aliquo corporeo impedimento: perpetua, ac constans sit oportet: *Et præterea assiduissima; Contemplari siquidem assiduè magis, quam operari quippiam possumus*, inquit cap. 7. & infrà versus finem ibidem, *Quatenus licet immortalem se reddere*, per hanc homo conari debet. Quam etiam Deo sufficere ait, vt viuat felicissimus cap. 8. *At viuere Deos existimant, quare & operari.* Viueret ergo illa separatus animus, intelligendo. Neque si ab Aristotele ignoretur modus, quo sine corpore viuit animus, propterea neganda est illi vita: Nam constat, multa nobis necessariò concedenda, quorum agendi ac viuendi modus ignoratur. Latet enim nos quo pacto Deus viuat, filium generet, & cætera: Quo etiam pacto Angeli moueantur; in loco sint, & cætera: Nescimus etiam, qua ratione materia sustentet formas, & cum iis vnum compositum conflet, & alia innumerabilia, quæ tamen esse non dubitamus, fatemúrq; iis indita sua esse operandi principia, & cætera.

Aristoteles.

B

Secundò negandum esse dico, in Angelis esse alias operationes, quæ necessariò corpus efflagitent: Nam potiùs vt superiore art. ostendimus, omnes operationes persuadent, nullum in iis esse corpus. Nam quod de loco motúque dicũt, nihil probare compertum erit infrà q. 52. & q. 53. Vbi etiam Aristotelis dictis in eo libro 6. Physicorum satis erit factum. Multa etiam de iisdem operationibus Angelorum q. 54. & alibi infrà. Tertiò dico; esto alia sint principia operandi, vt in hominis animo, tamen hinc non sequi, intellectum esse compositum ex materia. Sed solùm sequi ad summum, Angelos materiæ coniungi, vt hominis animus. Quanquam ne hoc quidem sequitur, cum Angelus nullius sit forma composita. Alioqui hoc ipsum compositum nobilius esset Angelo, cum vnumquodque conflatum ex partibus, sit partibus suis nobilius. Quid autem est inter creaturas, quod Angelis nobilitate præferendum sit? Verùm vtrùm Angeli sint corporis alicuius actus examinabitur q. seq. a. 1.

C

D

Dionysius. Colligitur Secundò rectè S. Dionysium cap. 7. de diu. Nomin. dixisse. *Intellectuales Angelicarum mentium virtutes simplices & bonos habent intellectus.* Et post pauca eas dixit *ab omni materiali multitudine mundas existere.* Quasi velit dicere, ex eo quòd Angeli ipsi intellectuales substantiæ sunt, & non quomodocumque; sed ipsæ virtutes intelligendi (vt discrimen inter Angelos & homines assignaret; quod scilicet homo habet quidem virtutem intelligendi, non tamen ipse virtus est intelligendi, quam habet ratione suæ formæ; At Angelus ipse est virtus intelligendi; nẽpe originaria), eos esse simplices, ab omni materia

E

A liberos: Nam intellectualis virtus idem videtur esse, atque intellectus ipse substantialis. Sic enim animus hominis est virtus intelligendi, quia est principium originarium intellectionis. Certè si hoc spectauit, vt mihi videtur, profundè, & ex intimis sapientiæ fontibus Angelicarum substantiarum simplicitatem longè à corporibus dissimilem hausit. Neque enim profundiùs ipse Aristoteles, aut quiuis alius antè, hanc intellectus naturã eiúsque proprietates penetrauit vnquam, vt ex dictis patere potest.

Satisfit obiectionibus, magísque declaratur quo pacto intellectus obiectum sit immateriale. §. 7.

EX his respondetur ad obiectiones, quas suprà attulimus. Ad primam autem Durandi patet ex dictis in fine secundi Notandi suprà, vbi etiam argumenti formam in respondẽdo religiosè seruauimus. Ad secundam obiectionem respondeo, intellectionem esse immaterialem, quia eius obiectum est immateriale. Non quidem quia non possit esse ex materia vniuersali tanquam ex parte componente, vt rectè probat obiectio, & nos suprà fassi sumus, sed quia non componitur ex materia singulari, ac proinde applicatur modo immateriali; hoc est non per species corporeas transmissas in organum materiale; quo pacto cuncta materialia suis potentiis, hoc est sensibus applicãtur: Sed solùm in intellectu patibili immateriali imprimuntur ab intellectu agente, eorum obiectorum, quæ ab intellectu percipiuntur, simulachra, vt dicemus infrà suo loco & q. 54. art. 4. fusissimè. Cuius quidem intellectus agentis munus est formare species vniuersalium è rerum simulachris seu phãtasmatis, quæ in organo imaginationis continentur. De qua re disputat A. Doctor in hac p. p. q. 79. art. 5. & de spirit. creat. q. vn. art. 10. & q. vn. de An. a. 4. & alibi, & nos infrà q. 54. a. 4. disputabimus latiùs. Et hac ratione vniuersale A. Doctori esse immateriale, eo quòd sit à materia indiuidua seiunctum, patet ex verbis eius in hoc art. 2. Ait enim, *Vnumquodque intelligitur in quantum à materia abstrahitur, quia formæ in materiis sunt indiuiduales formæ, quas intellectus non apprehendit inquantum huiusmodi.* Solùm ergo vult esse immateriale; vt sic dicam obiectiuè, seu vt alij loquuntur repræsentatiuè, non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo. Nam in actu primo est species ab intellectu vt dixi agente producta, quæ naturam sine suis singularibus intellectui refert in actu primo illum determinando, vt notitiam exprimat naturę tantum absque singularibus. In actu autem secundo: quia eadem natura in actu secundo; nempe nostra cõceptione intelligitur sine rationibus indiuiduum constituentibus. Quod etiam fusiùs explicat idem A. Doctor infrà q. 79. art. 3. & alibi. Est ergo immateriale dupliciter: Primo quidem modo, quia est immateriale in repræsentando; nempe per speciem immaterialem non pendentem ab organo corporeo. Alio etiam modo: quia est immateriale; eoquod, vt modo dicebam, est auulsum à materia singulari, qua simpliciter materiale constituitur in ratione obiecti, vt dictum est in probatione Maioris nostri primi argumẽti

Durandus.

A. Doctor.

Aristoteles. nostræ propositionis. Et hoc pacto Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 92. omne sensile ait esse singulare in materia, quasi velit contraponere vniuersali & sine materia, quod est intellectus obiectum. *Quoniam cælum est sensibile* inquit *singularium vtique erit: sensibile enim omne vtique in materia existit.*

Ad tertiam obiectionem dico quærere quod difficile est paucis statuere; Vtrùm scilicet intellectus noster intelligat singularia, quod videtur A.Doctor. expresse negari ab A.Doctore p.p.q.12.a.11. ad 1. Quod etiam probari videtur posse: Quia intellectus illud solùm cognoscit, cuius in se species habet; At solas species vniuersalium in se habet, nam habet species auulsas à conditioni- B bus quæ indiuiduum complent. Et ideò obie- Aristoteles. ctum est vniuersale ex Aristotele libro 1. Poster. cont. 181. aliàs 43. & libro 1. Physic. cont. 49. Et Capreolus. hanc sententiam diximus suprà à Capreolo & Caietanus. Caietano existimari esse A.Doctoris. Verumta- A.Doctor. men non placet mihi ob ea, quæ verè A. Doctor docet infra q.86.a.1. Ait enim intellectum nostrum, licèt *directè non sit cognoscitiuus nisi vniuersalium*, tamen *indirectè & quasi per quandam reflexionem posse etiam cognoscere singulare.* Explicauerat autem hoc magis, quia, vt dixerat q. 84.a.7. non intelligit *secundum species intelligibiles, nisi conuertendo se ad phantasmata, in quibus eas species intelligibiles intelligit.* Hoc est nisi se conuertat ad obiecta phantasmatum, in quibus obiecta vniuersalia specierum intelligit. Sumit enim species pro obiectis, vt sæpè alibi.

Debet ergo tunc se conuertere ad huiusmodi singularia, in quibus vniuersalia sunt. Vnde ait in ea q.84.a.7. *Ideò necesse est ad hoc quòd intellectus intelligat suum obiectum proprium, quòd conuertat se ad phantasmata, vt speculetur naturam vniuersalem in particulari existentem.* Quia vt suprà dixerat, natura lapidis, & cuiuscunque alterius rei materialis cognosci verè & perfectè non potest, *nisi secundum quod cognoscitur vt in particulari existens*; Quia scilicet ex eo; quod Petrus est animal & Paulus est animal, cognoscit hominem esse animal, & cætera. Itaque vult singularia cognosci indirectè: Quia ea cognoscit dum phantasma determinat intellectum, vt vtatur imagine singularium. Atque ita dici puto *indirectè*: Quia conuertit se ad phantasmata, hoc est ad obiecta sensuum, dum scilicet determinatur à phantasmate, vt singulare cognoscat, vt ex. gr. determinatur à phantasmate Petri recepto in phantasiæ organo, vt intellectus eliciat Petri cognitionem, & sic de cæteris huiusmodi singularibus. Tunc enim quodammodo deflectit ab ea via recta, qua tēditur ad vniuersale, quod illi est proprium & connaturale obiectum, ad quod scilicet eius natura informata per cōnaturalem speciem fertur: Et hoc pacto ait in ea q.86.a.1. c. in fine, intellectum *formare hanc propositionem Sortes est homo*; nimirum indirectè ob prædictam declinationem à recto intelligendi tramite quodammodo extra suum obiectum; nempè vniuersale. Quod intellectus se solo non determinatus à sensibus, & quà intellectus est, apprehendit. Itaque indirectè significat; quasi aliena via; nempè sensuum, quibus intellectus se accommodat, singularia cognoscit. Quod ipsum colligo ex q. 10. de Veritate a. 5. Vbi id aliis verbis dixit; Nimirum, *Mentem se per accidens singularibus immiscere, in quantum continuatur viribus sensitiuis quæ circa particularia*

A *versantur.* Quasi explicet quod diximus; Nempè ab intellectu singularia cognosci indirectè, dum sensus ad illa tendit, cui intellectus se accommodat, non autem dum ipse per se operatur non operante sensu.

Hinc tamen non licet inferre, intellectum intelligere plura vt plura: quia horum omnium est vna in intellectu species intelligibilis, licet phantasma concurrat vt dicam infra q.58. a. 2. Hoc ergo posito ad obiectionem dico, intellectum cognoscere singularia quidem, non tamen tanquam proprium obiectum intellectus, quà intellectus est, secundum quod per se operatur, ac directè tendit in suum obiectum, sed quà indirectè tendit ad ea, ad quę extrinsecus determinatur cognitione sensus vt diximus. Ex hoc autem nihil sequitur aduersus doctrinam A. Doctoris. Non enim docet, sola vniuersalia esse obiectum intellectus quocunque modo, sed obiectum ipsius intellectus per se accepti; Hoc est non alio principio determinati; id est per sensum: Quia quà intellectus est, foras ad singularia sensibilia non prodit, sed intelligit obiecta, quæ extra per sensus non cognoscuntur, ac proinde sunt verè intelligibilia, vt Peripatetici, & Plato loquuntur, vt infrà ex Aristotele & Peripateticis obseruabo pluribus quæst. 54. art. 4. Verumtamen, vt de intellectu humano sileam, sanè intellectui Angelico, qui sen- Peripatetici. Plato. Aristoteles. C sus non habet adnexos, singularia etiam sunt obiecta. Neque hoc negat A. Doctor, vt patet ex quæst. 57. infrà a. 2. & ibi à nobis explicabitur. Argumento autem satis est, intellectum qui cognoscit vniuersale, non determinari organo corporeo, ac proinde eius actionem immaterialem esse, eiusque principium à corpore non dependens; idque multò magis conuenire in intellectum Angelicum, qui vt omnibus in confesso est, longè humano præstantior est. A.Doctor.

Ad confirmationem autem respondeo, id nostro intellectui non accidere simpliciter, siue ob perfectionem siue ob imperfectionem, vt rectè D in obiectione probatur, sed ob talem perfectionem & naturam, cum qua nonnihil imperfectionis admixtum est. Nam ex eo quod intellectus noster immaterialis est, debet habere obiectum immateriale aliquo modo; ad quod scilicet non pertingat sensus per corporea organa, vt ita in hoc quoque intellectus à sensibus distinguatur: Hoc autem obiectum, quod ita est proprium intellectus, vt non sit sensus, est vniuersale, & non singulare sensile nisi indirectè vt dictum est; ex quo nihil in nos probat obiectio. Addo etiam, eum argumentandi modum in multis non valere. Posset enim alioqui ostendi cœlum non esse immortale, quia hoc vel oritur ex perfe- E ctione vel ex imperfectione. Non primum: quia homo est cœlo perfectior, qui tamen immortalis non est. Nec secundum: quia lapis, qui cœlo est perfectione inferior, mortalis est. Et sic in compluribus similibus eodem modo arguere inaniter possemus.

Ad Quartam obiectionem nego præsupponi talem naturam esse actus, qualis est obiecti. Certum enim est, obiectum interdum esse substantiam, actum verò qualitatem. Sed quod ait est, si obiectum est immateriale, actum circa illud non posse esse corporeū: quia immateriale non transmittit sui simulachrum in organum corporeum; & ideò

& ideò quia vniuersale suo modo immateriale est, actus quo apprehenditur à corporeo organo independens est, proindéque immaterialis, vt conclusum est. Vnde concedimus quod obiectio sumit; nempè posse esse actum immaterialem circa obiectum materiale; negamus tamen id quod concludere contendit ex aduerso; nempe actum materialem posse esse circa obiectum immateriale. Imparem enim dicimus rationem in hoc consistere: Quòd actus materialis debet elici per speciem materialem, ac proinde per immutationem corporei organi vt probatum est. Quod non potest fieri ab obiecto immateriali, quia vi sensus non agit, cùm nullam habeat cum eo proportionem; & ideò obiectum materiale non est sensibile sed intelligibile. Alioqui sensus apprehendere Deum posset, & qualitates supernaturales & cætera: quod nulla potentia fieri posse ostendi solet p.p.q.12.a.3.vbi id ostendit A.Doctor. At verò actus immaterialis potest esse circa corporalia nam horum potest esse species immaterialis in intellectu; quæ nimirum producatur à causâ perfectiore, vt à Deo; quod accidit in Angelis; vel ab intellectu Agente, vt fit in hominis animo.

A.Doctor.

Itaque ratio discriminis est: quia actus materialis ob suam imperfectionem non potest elici nisi à sensu, qui determinari debet per speciem materialem in organo corporeo; & ideò est materialis à corpore depēdens, in qua relucere non potest obiectum immateriale; quod à corpore & materia abiunctum sit oportet. Habet enim hoc materialis species, vt nihil supra materiam eleuatum repræsentet. Cùm enim ipsa sit in materia, ab ea quasi labem contrahit, vt à materia ne in repræsentando quidem, quandoquidem neque vt sic dicam in essendo se attollat. Ad cuius rei explicationem plura dicam quæst. 57. At actus immaterialis hoc non habet: Nam species perfectiores, & vniuersaliores prærequirit, in quibus perfectioribus elicere potest imperfectius, vt in essentia diuina, quæ est perfectissima substantia relucent omnia imperfectiora entia. Quare in specie rei perfectioris potest repræsentari imperfectior; In imperfectiore autem repræsentari perfectior non potest; Quemadmodum accidit in Agentibus materialibus, in quibus perfectiora producere possunt imperfectiora, non contrà; Idque ob talem vim perfectiorem in agendo, quæ perfectiorem essentiam talium virium originem esse demonstrat.

Ad vltimam obiectionem respondeo; Actum esse immaterialem, esse versari circa obiectum immateriale; Aut, (quod suprà diximus, eodémque recidit,) est esse à principio quod in eo actu eliciendo non pendeat à corporea materia. Hoc enim ipso non est actus corporeus, ideóque immaterialis est, vt dictum est. Neque hoc est principij petitio. Ostendimus enim, cur actus immaterialis, qui per corporei organi transmutationem non elicitur, debeat esse à principio, quod nulli corpori aut materiæ sit affixū. Quod verò in obiectione dicitur, omnem actum pendere à subiecto, cùm sit accidens, verum est: Sed ex hoc non sequitur, omnem actum, qui à subiecto pendet, esse materialem. Illum enim tantummodo materialem esse definimus, qui à subiecto corporeo sustentatur; illum verò esse immaterialem, qui tali subiecto non indiget, esto alteri subiecto hæreat tanquam eius forma; Id verò cognoscimus ex eiusdem actus obiecto. Hoc enim si applicabile sit organo corporeo, eius circa illud actus erit materialis. Secus; si non sit applicabile vt ostensum est.

Itaque non est non componi ex materia, aut non referri ad compositum, & ad materiam, sed respicere obiectum non applicabile ipsi potentiæ per organa corporea; ideóque quod applicabile non sit dependenter ab organo corporeo. quod in ratione obiecti est esse immateriale, quia circa illud versari non potest actus materialis; nempe qui corporeo organo hæreat, ab eóque dependeat, vt ostensum est; vt & ipse à corpore absoluatur, & principium illius non referatur ad materiam tanquam ad principium sustentans. Quod actum ipsum eiúsque principia immaterialia arguere, ac omninò demonstrare, patet manifestè ex dictis.

QVÆSITVM SECVNDVM,

Vtrùm simpliciter ostendi possit ex eo quòd Angeli sunt intelligentes, eos nulla constare materia, siue corporea siue spiritali, tamquam parte componente.

Ex superiore Quæsito solùm habemus, Angelorum substantiam non conflari ex materia corporata: Et nostrate quidem ob rationem A.Doctoris; Quam primo loco posuit in hoc ar. 2. Nulla verò corporata, quęcunque sit, ob rationem posteriorem eiusdem articuli; & hanc non omninò simpliciter diximus allatam esse ab A. Doctore, sed posito quod Angeli substantia sit intellectus, quod diximus adhuc simpliciter & omninò non fuisse probatum: Ideò nunc absolutè inquirimus; Et primò de materia corporata; deinde de spiritali. De corporata autem inquiro ex eo, quòd Angeli sint intelligentes: Quod dico; quia non pono, Angelos esse intellectus; sed inquiro: Pono autem nunc, ipsos esse intelligentes; quia ex suprà dictis apertè ostensum est, Angelos dari homine perfectiores, ideóque naturæ intelligētis eos esse oportere, ne quod in rerum natura præstantissimū conceditur homini, Angelis homine excellētioribus denegetur. Sit autem

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm absolutè ex actu intelligendi ostendi possit nulla corporata materia Angeli substantiam componi.

Ex parte negante est Primò, quia intelligentis operatio est intellectio: At hæc non excludit compositionem, nisi in suo principio eliciente, & recipiente, quod scilicet sit subiectum illius: Nam compositionem à principio intelligente vt *Quod* non excludit, vt patet in homine, & probat argumentum Durandi suprà relatum. ergo possent Angeli esse intelligentes vt *Quod*; & ita non ostenditur, eos non esse ex materia compositos, eo quòd simpliciter sunt substantiæ intelligentes. Secundò, quia non est absurdum concedere, intellectum qui sit forma

forma materiæ, eo quòd illi sit connaturale esse in suo composito, cuius nullum aliud sit munus nisi intelligere: Hoc enim non inuoluit pugnantia. Ergo illud compositum esset homine perfectius, quia forma eius esset nobilior; Quandoquidem esset purus intellectus, & solum informaret corpus, nullámque cum eo exerceret operationem; hoc est nullis esset sensuum potentiis præditus, vt ita nullis corporeis organis ad suos promendos actus indigeat: ob quam solam caussam hominis animus est actus corporis organici. Vnde talis intellectus esset quidem actus corporis, quia vt ponimus constitueret vnum, sed non esset actus corporis organici, quandoquidem talibus instrumentis ad functiones vitales opus ei non esset. Neque tunc dici posset illam naturã, quam ita statuimus non fore Angelum. Etenim nulla creatura intelligens est nobilior homine, quæ inter Angelos non connumeretur. Quod autem hoc non repugnet, patet: quia Angelus ille constaret ex actu & potentia proportione sibi mutua respondentibus, nempe corpore & animo. Ergo non repugnat talem dari naturam. Cur ergo reipsa non dicemus ita esse?

Durandus. Ex parte affirmante probat Durandus in 2. d. 3. q. 1. num. 10. duplici argumento; quod referemus in Propositione. Alij recentiores in hunc art. quamuis conueniant cum A. Doctore in eo, quòd Angeli natura non coalescat ex materia, tamen nullam afferunt naturalem rationem, cui

Auicẽbron. nitantur: Sed solùm negant Auicembroni Angelorum conuenientiam cum corpore, quæ est genus ad vtramque speciem, esse sumendam ex

A. Doctor. materia. A. Doctor idem probat sæpissimè, vt in 2. d. 3. q. 1. art. 1. De spiritua. creatu. q. 23. art. 1. libro 2. contra Gent. c. 49. & 50. & alibi: Quamobrem hic totus nostris humeris incumbet labor, quem libens diuino fretus auxilio suscipio; cùm probè sciam, nihil quod Deo auctore fit incassum agi. Dei enim nec consilium vllum, nec inceptum frustra esse potest. *Neque enim frustrà,*

Cicero. *ac sine caussa*, inquit Tullius, *quid facere Deo dignum est, quod abhorret etiam ab hominis constantia.*

Sensus propositæ difficultatis duplex, ostenditurque non repugnare posse dari naturam corpoream cuius sensus sint longè perfectiores quàm hominis, ideóque perfectior intellectus. §. 1.

Notandum est, cùm nomine Angeli suprà dictum sit, debere intelligi naturam intelligentem homini superiorem, bifariam posse intelligi propositam difficultatem. Primò vt sit natura intelligens, quocũque modo sit homine perfectior. Secundò vt sit quidem homine perfectior, nullã tamen cognitionem ex se promat, nisi quæ intelligentia sit; hoc est purus intelligendi actus. Quo pacto Angeli ponũtur à sacris scriptoribus, vt dicetur infrà q. 54. a. 5. Hæ enim difficultates inter se longè differunt; Nec pro vtraque parte ratio eadem sufficit. Nam posset ab aliquo asseri perfectior natura intelligens, quæ tamen sensibus polleat perfectioribus, & intellectu longè diuersæ perspicacitatis; & ita non esset solius intelligentiæ actu præditus Angelus; sed sensibus quoque polleret humano fa-

A stigio superioribus. Vt ergo plenè quoad potest propositæ difficultati satisfaciamus, vtroq; modo in præsentia ad vberiorem doctrinam disceptandum est.

Ac primò quidem quod attinet ad priorẽ difficultatis partem, nulla mihi videtur esse ratio ex intelligendi actu, quæ ostendat non esse possibilem naturam intelligentem homine præstantiorem concretam ex materia, melioribusq; sensibus instructam. Nam nulla videtur esse repugnantia, quin possit aliquis intellectus informare materiam pluribus ac nobilioribus organis dispositam. Pluribus quidem, quia haberet sensus proprios circa alias qualitates creabiles, aut

B etiam circa illa sensilia, quæ communia dicũtur, vt circa quãtitatem, motũ, &c. Nobilioribus verò, in quibus esset tale qualitatum temperamentum, & animæ instrumẽta adeò efformata, vt per ea ad animum omnium sensilium simulachris pateret accessus. Ita vt per oculum intellectus omnium colorum ac luminũ discrimina ad longissima queq; interualla cognosceret; sicut etiam per aures omnium sonorum naturas; per gustatũ cuiuscunque saporis genera perciperet. Et sic de reliquis.

Quorum deinde exteriorum sensuum tanta esset perfectio, vt in sensum communem, atque hinc ad phantasiam simulachra, quæ verè perfe-

C ctéque sua referrent obiecta transmitterent. Vt quemadmodum nonnulli sensus hominis, si cõparentur ad sensus brutorũ longè excellentiores sunt; atq; adeò omnes in eo, quod sunt via ad notitiã intellectus: ita ij, qui essẽt eius naturę intelligentis, quos dixi, sensus omnibus hominis sensibus antecellerent, quâ aditus & via ad intellectum formam præstantissimam essent. Vnde est, vt quemadmodum quia corpus hominis debet esse optimè dispositum ad naturam sentientem, quæ intelligentiæ inseruit, necesse erat homini inesset conuenientissimum organum tactus, quo cunctis animantibus præstaret ob certam eius cognitionem, vt probat A. Doctor p. p. quæstion. A. Doctor.

D 76. a. 5. & q. vn. de Anima a. 8. & non obscurè colligitur ex Aristotele libro secundo de Anima contextu 94. Aristoteles. Vbi ait *Molles carne*; qui sunt boni tactus; *aptos mente videmus*: Ita corpus eius intelligentis naturæ longè meliorem deberet habere organorum constitutionem; vt facultatis longè nobilioris, longè etiam diuinior functio esset. Porrò illa intelligendi facultas insita suapte vi acri ac peracuta intelligentia principia teneret probè, conclusiones erueret subtiliter ex natura, vt nos ex arte: ex suis differẽtiis vnamquamque rem accuratè constitueret, modò intra sui obiecti ambitum continerentur. Quin etiam intellectus agens præsentibus phantasmatis eas

E species procrearet in intellectu patiente, quibus etiam substantiarum latentes naturas, modò cõpositi materiati sint, peracutè intueretur.

In qua re non apparet quæ possit repugnantia assignari vt talis natura præpotentis Dei facultati denegetur. Sanè S. Augustinus lib. 2. de S. August. Genesi ad literam non longè ab initio, quem sequitur A. Doctor quæst. vn. de Anim. a. 8. c. esse in A. Doctor. hac sententia videtur. Nam A. Doctor cum disputasset de humani corporis fabrica, eámq; dixisset, maximè animo intelligenti congruere, tametsi defectus in eodem corpore non desint, subdit. *Nec potest obuiari per hoc, quod Deus potuit aliter facere. Quia in institutione naturæ non quæritur quid*

Deus

Deus facere potuit, sed quid rerum natura patiatur vt fiat, secundum Augustinum super Genesim ad literam. Sentirent ergo Deum posse facere præstantiora corpora naturæ intelligentis, quàm vt etiam huius generis homini congruere satis videantur. Quod etiam repetit p. p. quæstione septuagesimasexta, a.5. ad 1. Et cõfirmari validè potest: Quia cuicunque naturæ imperfectæ in aliquo genere debet posse respondere alia natura in eodem genere magis ac magis perfecta in infinitum, vt in genere beatitudinis hic, quia potest dari imperfecta, potest etiam magis ac magis esse perfecta non solùm in eadem specie, verùm etiam in diuersis, vt est beatitudo naturalis & supernaturalis. Idem dico si in genere instrumenti datur imperfectum, potest dari perfectius & perfectius. Item in genere corporis elementa sunt imperfectissima, vt docet A. Doctor 2. contra Gent. capite 88. & de spiritual. Creatu. a. 2. & quæstione vnica de Anima a. 1. & 7. In eo tamen dantur mixta perfectiora in infinitum. Et sic in genere animatorum vt vermis est animal imperfectum, homo est longè perfectius animal. Ergo in genere compositi intelligentis, in quo est quid imperfectissimum homo, debet dari posse etiam in diuersa specie compositum magis, ac magis perfectum. Et ratio est, quia quolibet finito, per potentiam Dei absolutam dari potest perfectior species, vt potest dari in genere sentientium species nobilior leone: in genere Angelico præstantior Michaële. Cur ergo in genere compositi intelligentis non possit dari superior homini? Nulla ergo adduci potest repugnantia. Alioqui clarè constaret hominem esse summè perfectum in genere compositi intelligentis: Quandoquidem eo Deus nullum perfectius creare posset; Quod absurdum planè est, cum nulla species creata sit in suo genere summè perfecta. Vt autem melius videamus nihil absurdi hinc sequi.

A. Doctor.

Notandum secundò, quatuor potissima videri argumenta contra allatam doctrinam facere posse. Primum est: quia esto possit corpus perfectioris constitutionis, quam sit corpus hominis esse; non tamẽ indè probatur, fore ipsum diuersæ naturæ ab hominis corpore, quia erunt in eadem specie perfectiores sensus: vt visus, gustatus, & cæteri perspicaciores; & pari ratione animus intelligens erit quidem in cognoscendo acutior atque amplior; non tamen illi danda est alia natura. Ex quo non conficitur, Angelum creari posse corporeum, quia debet vt aliquid sit Angelus perfectioris naturæ esse, quã hominis secundum substãtiam essentialemq; definitionem: nõ autẽ plus minus in eadẽ natura corporea. Secũdò, quia illud compositũ quod fingimus esset mortale, quippe cõstãs materia contrariorum, ac proinde dissolubile: Angelus autẽ immortalis esse debet. Tertiò, quia non posset assignari figura eius compositionis corporeç. Nam ideò homo est staturæ erectæ, quia abundat calore cordis, vt docet A. Doctor p. p. q. 91. a. 3. & q. de Anima a. 8. Ille autem Angelus haberet aliud temperamentum; & ita non esset vultu ad sydera erectus. Denique quia homo est quid ex omnibus rebus cõpositum, ergo corpus alterius naturæ non posset esse perfectius: Non enim posset esse perfectius nisi constaret ex pluribus; quemadmodum non potest aliquid videri perfectius nisi in eo plura cernantur, vt patet ex A. Doctore suprà q. 12. a. 7.

A. Doctor.

A & 8. Antecedens patet: quia vt ait A. Doctor eadẽ q. 91. a. 1. Homo *de genere spiritualium substantiarum habet in se animam rationalem, de similitudine cœlestiũ corporum habet elongationem à contrariis per maximam æqualitatem complexionis: Elementa verò secundum substantiam; ita tamen quod superiora elementa prædominantur secundum virtutem, quia vita præcipuè consistit in calido, quod est ignis, & in humido quod est aëris: Inferiora verò elementa abundant secundum substantiam. Aliter enim non posset esse mixtionis æqualitas, nisi inferiora elementa quæ sunt minoris virtutis, secundum quantitatem in homine abundarent. Et ideò dicitur corpus hominis de limo terræ formatum, quia limus dicitur terra aquæ permixta. Et propter hoc homo dicitur minor mundus, quia omnes creaturæ mundi quodammodo* B *inueniuntur in eo.* Ergo ex omnibus rebus compositus est homo. Legi potest Gregorius Nyssenus libro de Opificio hominis cap. 30. vbi hominis structuram copiosè, accuratéque descripsit. Tandémq; cõcludit, solam hominis animam, quæ tale corpus requirit, esse perfectã, *confirmantibus in hoc sententiam nostram affectionibus eius vniuersis.* Quasi arbitretur nihil posse creari perfectius homine.

A. Doctor. Nyssenus.

Verumtamen hęc argumenta non difficili negotio resoluuntur. Dico enim ad primum, illud compositum fore diuersæ rationis ab homine tum quoad corpus tum quoad animum. Nam corpus deberet esse iis animi facultatibus instru- C ctum; quæ aliam longè diuersam corporis temperationem efflagitant; aliam scilicet carnem, neruos alios, ossa diuersa &c. Vt quemadmodum licet equus, & leo, & homo habeant neruos & carnes, quæ tamen non sunt eiusdem naturæ, ita illud compositum alterius, ac longè perfectioris naturæ easdem partes haberet, & fortè aliis diuersis primis qualitatibus à nostris affectas. Quorum ratio esse posset, quia materia, vt ait Aristoteles libro 1. Physic. cont. 90. & 91. est propter formam; ita scilicet vt eius dispositio talis sit, qualem postulat forma; *sicut in iis quæ faciũtur artem, vt lapides & lateres, si domus* esse debeat. Neq; D est mirum amplissimæ diuinæ potestati hęc tam multa & diuersa subiicere: Quandoquidem nihil illi non subiectum sit oportet; quod extra limites veri entis non sit.

Aristoteles.

Quod verò spectaret ad animum, longè diuersa ac præstantior eius natura foret: Quippe sensuum omniũ acrimonia vigeret, intellectuq; nobilissimo inter omnes corporum formas, aut certè hominis animo naturà suà nobilior. Nã ad eius perfectiones nunquam hominis animus, quantumuis suis organis perficeretur, peruenire posset. Ergo esset naturæ excellentioris diuersæ. Quia illa differunt specie, quorum sunt diuersæ operationes naturales. Ex his enim colli- E gitur distinctio naturarum, vt diximus. Sed illius compositi intelligentis, & hominis essent diuersæ operationes naturales: Nam sensus essent diuersi, quia plura apprehenderent, & nobiliori modo, vt diximus; & intellectus introspiceret naturas rerum occultas, quas nequit hominis intellectus. Posset enim eius natura exigere vt intellectus agens præsentibus talibus rerum perfectè per sensus apprehensarum phantasmatis in intellectu potentiæ substantiarum simulachra produceret. Quemadmodum nunc de facto præsente phantasmate singularium vniuersalium imagines gignit. Neque tunc essent species quas

vocant abstractiuas. Non enim à singularibus abstraherentur, sed positis phantasmatis accidentium intellectus agens proprias gigneret. Quod si velint esse abstractiuas, eo quod à phãtasmatis abstrahantur, hoc est eo quod illis positis producuntur; esto ita sit, modò constet quid intelligamus per illas. Neque erit hoc absurdum, concedere hoc etiam in doctrina Peripatetica; qui, vt infrà suo loco dicam, arbitrati sunt, nos tandem posse proprias habere species substantiarum à materia separatarum, nedum earum quæ in materia consistunt. Essent ergo diuersæ operationes, ideóque naturæ diuersæ. Simili argumẽto vsus est A. Doctor p.p.q.76.a.7. in argumento *Sed contra*, vt probet animam hominis specie distingui ab Angelo. Vt autem ad reliqua respondeamus

A.Doctor.

Notandum est tertiò, dupliciter posse nos philosophari de eo composito. Primò vt haberet sensus contemperatos ex his primis qualitatibus, quæ sunt principia actionum corporum; & quæ in animantibus temperationem sensus tactus, & cæterorum organorum efformant. Et hoc pacto non dubium, quin illud compositum esset mortale, vt homo; licet intellectus, qui eius est forma, sit immortalis. Ratio est quam benè tetigit A. Doctor q.vn. de Anima art. 8. de corpore humano. *Quod enim hoc corpus*, inquit, *sit corruptibile, defatigabile, & huiusmodi defectus habeat, consequitur ex necessitate materiæ. Necesse enim est, corpus sic mistum ex contrariis subiacere talibus defectibus.* Esset ergo ex sua natura obnoxium morti, quia contraria illa, quibus corpus illud conseruaretur ex sua natura possent è subiecto obnitentibus suis contrariis expelli. Et hanc solam causam Aristoteles assignauit, cum libro 1. de cœlo cont. 20. ostendit, cœlum non esse corruptibile, quia contraria non habet, Vt etiam magis patebit Difficult. seq. in argumentis pro nostra propositione.

A.Doctor.

Aristoteles.

Ad quam eandem causam reduci debet alia, quam idem Aristoteles sæpè affert, vt libro 7. Metaphysices cont. 27. & libro 2. de ortu & interitu cont. 51. cum ait, materiam interitus causam esse. *Materia*, inquit eo cont. 51. *generabilibus causa est, quod possibile sit & non sit.* Quia nimirum vt ait in libro de longitudine & breuitate vitæ cap. 2. *Quæ materiam habent contraria habent.* Seu, vt dixit libro 4. Physic. cont. 84. *Vna est materia contrariorum:* Nam à contrariis inseparabilis est, vt clarè docuerat libro 1. de ortu & interitu cõt. 34. Dixi autem suâ naturâ. Non enim nego posse à Deo id quod suâ naturâ dissolui potest, conseruari, & ita esse aliquo modo incorruptibile vt erunt corpora beatorum; quod tamen vt benè docet A. Doctor p.p.q.97.a.1. c. non est esse incorruptibile secundùm naturam, sed secũdùm formam; quæ v.gr. in beatis est Gloria, vt ibidem docet ex S. Augustino ep. 56. ad Dioscorum. Illud ergo compositum esset mortale.

Aristoteles.

A.Doctor.

S.August.

At inquies, facilius ad interitum vergeret huiusmodi compositum, quam hominis; quia delicatior esset temperatio, proindéque contrariis patentior. Respondeo non sequi: Nam posset illius animi vis validius obsistere cõtrariis agẽtibus; & ita eius virtus fortior ad conseruationem suarum dispositionum esse quàm hominis. Certum enim est præsente animo melius conseruari in corpore dispositiones, à contrariisque defendi, quàm eo absente, vt experimento constat. Vbi enim primùm expiratur anima, vix momento corpus consistit, cùm tamen præsente anima vigeat diu. Atque vt ne respondeas, id experimenti nõ posse à nobis animaduerti, cum cadauer non habeat easdẽ dispositiones, eo quod mutetur substantia vt Thomistæ putarunt, afferam rationem generalem ad id comprobãdum: Nam omnis forma substãtialis inditam vim habet obsistẽdi contrariis; licèt quibusdam maior, quibusdam minor vis huiusmodi insit. Quemadmodum enim cuilibet formæ vis indita est suas qualitates aut formas conseruãdi; ita etiam virtus aliqua illi connaturalis esse debet easdem dispositiones tuendi à contrariis. Non enim alio modo seruari possunt dispositiones contrariæ, nisi suis corrumpentibus contrariis obsistendo: Sic enim plantæ obsistunt frigidissimæ terræ, & brumalibus niuibus, ne exiguum illum calorẽ, quo anima seruatur, amittãt. Sic pisces in aqua frigidissima. Sic etiam Adamas non minùs duritiã suã ictibus ne frangatur, quàm naturâ ignibus ne incalescat obstat. de quibus rectè Plinius libro 37. cap. 4. ait sic. *Ita respuentes ictum, vt ferrum vtrimque dissultet, incudésque etiam ipsæ dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura, & nunquam incalescens.* Sic libro 36. cap. 19. *Amiantus alumini similis nihil igni deperdit.* Denique aliquid simile omnibus formis respectu sui contrarij a natura ad sua seruanda composita tributum videmus. Vt meritò libro 2. de An. cont. 39. redarguerit Aristoteles Empedoclem asserentem, plantas sursum deorsúmque crescere, quoniam terra, ignique componuntur, quorum terra illas deorsum trahit, ignis sursum attollit. Meritò inquam redargueerit, eo quod oportuisset in plantis poni formam, quæ cõtrarias in partes elementa tendentia contineret, ne plantarum partes nimium distraherentur, ac propterea plantæ ipsæ emorerentur. *Ad hæc autem quid est*, inquit, *quod continet quæ in contraria feruntur, ignem & terram? Distraherentur enim nisi aliquid erit prohibens.* Idémque in Platonem ait, qui triplicem animam in hominis corpore asseuerabat libro 1. de Anima cont. 91. Quibus verbis clarè docet Aristoteles formas substantiales id quoque præstare, vt contraria coërceant, ne in sui compositi destructionem commoueantur.

Thomistæ.

Plinius.

Aristoteles. Empedocles

Plato.

Aristoteles.

Posset ergo dici (quandoquidem de possibilibus sermo est) tantam fore vim eius animi, vt diutius obsisteret contrariis, ideóque longioris vitæ, præsertim quia longè perspicacius noxia; & medicamenta nosset, quę nobis adhiberi possent. Quemadmodum positis rebus, vt nũc sunt, prudentiores & temperatiores homines vitam, quæ teste Aristotele libro de iuuentute cap. 2. *est calidi conseruatio sicut mors est corruptio*, longissimè protrahunt, eiusdem calidi & humidi conseruatione dum aduersa vitant, vtilia procurãt. Immò nihil prohibet, quin dicatur animo eius corporis formæ virtutem inesse, quæ longissimam vitam in eo toto produceret atque sanctissimam. Vt enim docet A. Doctor infrà q. 97. a. 1. c. & ad 1. *Immortalitas primi status*; nempe in statu Innocentiæ, *erat secundùm vim quandam supernaturalem in anima residentem, non autem secundùm dispositionem corpori inhærentem.* Quare posset dari animo talis virtus connaturalis producendæ ad longissimum tempus vitæ. Si enim potest dari ad immortalitatem, ergo multò magis ad tempus quamuis longissimum. Neque obest quod solùm

Aristoteles.

A.Doctor.

A. Doctor. lùm A. Doctor loquatur de qualitate supernaturali; quasi putet, naturalem talem dari nó posse qualitatem. Non enim supernaturalem vocat, quia supernaturalis fuerit secundùm substantiam, quæ scilicet nulli substantiæ posit esse connaturalis. Quod enim supernaturale est secundùm substantiam, id debet esse relatè ad vitam supernaturalem seu gloriæ. Hac enim tãtummodo ratione habitus dicuntur infusi, ac proinde supernaturales ab A. Doctore 1.2.q.51. a.4. Nisi enim finis sit supernaturalis, nec media erunt supernaturalia. *Quia habitus*, inquit, *oportet esse proportionatos ei, ad quod homo disponitur secundum ipsos*; nempe ad finem supernaturalem excedẽtem facultatem rerum; qui est beatitudo, vt proximè dixerat, *ideò necesse est, quod etiam habitus ad huiusmodi finem disponentes excedant facultatem humanæ naturæ*, omniúmque substantiarum creatarum; Quia scilicet finis iste excedit omnium illarum facultatum, cum nulli substantiæ posit esse connaturalis beatifica visio. Ergo vis illa, quę erat ad solã corporis conseruationẽ intra limites naturæ, solùm erat homini supernaturalis nó cuilibet naturæ. Atque hæc de primo.

A.Doctor.

Alio modo philosophari de illo composito possumus, vt haberet sensus cõtemperatos quidem, sed altiore temperamẽto quam sint humani; Vt nimirum alio modo esset gustatus, tactus & cæteri, ad quorum actus non esset opus primis qualitatibus; sed rerum species immortali modo trãsmitterentur ad organa sine vlla actione corrumpente: quodammodo ea ratione qua corpora gloriosa impatibilia sunt. Nec gustaretur cibus, qui vi caloris digerendus ad viuentis substantiam esset; sed facultate animi ad contactum corporis sentiretur quædam suauitas, quæ nostro gustatui quadam proportione responderet. Et sic de cæteris ita vt nullis contrariis remouerentur huiusmodi organorum temperationes. Quamobrem illa perpessio non esset sui organi corruptrix sed perfectrix: qua ratione concedit A. Doctor eam futuram fuisse in statu Innocentiæ infrà q. 97. a. 2. Quæ vtrùm possint fieri annon mihi nec liquet nec curandum in præsenti est. Cuius tamen rei erit infrà disputatio.

A. Doctor.

Tamen si hoc detur fieri posse, ad argumentum dicendum est; si priore modo philosophemur, tunc illum Angelum fore quidem corruptibilem ac mortalem, vt probat argumentum; sed tamen esset Angelus, si nomine Angeli intelligatur natura intelligens homine perfectior. Non tamen si significetur natura incorporea, vt eos verè de facto diximus esse. Nunc enim contendimus argumento ex intellectu non posse probari Angelum; Nimirum naturam intelligentem, etiamsi demus eam homine perfectiorem, omninò incorpoream esse, vt dictum est: Sin autem posteriore modo; dico fore immortalem; idque ex natura sua. Nam licèt esset ex hac nostrate materia compositus ille Angelus, non tamen esset potentiã ad contraria, quorum vi eius forma extrudi posset à materia, nempe vi naturalis agentis: Ratio huius est manifesta, quia potest aliquid, quod quantum est ex se; hoc est præcisè ab iis, quæ adiungi possunt, sit potentiã ad aliud; ex aliquo posito non esse amplius potentia ad illud. Vt v.gr. Oculus ex se est potentiã ad videnda obiecta, non tamen potentiã est ad ea videndã, secundum quod tenebris om-

A ma circumfunduntur, seu quà tenebricosa sunt. Non enim videndi facultas, & potentia est ad eliciendam visionem, si medium non possit illustrari: at secundum quod tenebricosa sunt, non possunt illustrari *in sensu* vt dicunt *composito*. Quamuis enim illud, quod in tenebris est illustrari possit, non tamen quà tenebricosum est. Quia duo quæ inter se pugnant, cohærere possent. Vt licet is qui stat, sedere possit, tamen impossibile est stantem sedere. Quamobrem Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 119. ait, fieri non posse quempiam *stare simul & sedere*, quemadmodum, *Diametrum commensurabilem esse; non solum falsum, sed impossibile.* Aristoteles.

B Simili ratione aio, eũ qui põderosis cõpedibus adstringitur nó posse ambulare, dum ita adstringitur: sicut nec magnetem trahere ferrum posse præsente adamante. *Qui dissidet cum magnete*, inquit Plinius libro 37. cap. 4. *in tantum, vt iuxta positus ferrum non patiatur abstrahi, aut si admotus magnes apprehenderit rapiat, atque auferat.* Quod ipsum dico de cæteris innumerabilibus. Licet ergo illa materia quantum est ex se seiuncta ab aliis impedientibus posset subiici contrariis; non tamen secundum quod habet formam, quæ contraria arcet, ne vllo pacto in ipsam introducatur. Quod optimo exemplo clarius fiet, quo eodem loco Aristoteles vsus est, Vbi ait, eum qui stat habere quidem simul potentiam sedendi, non tamen potentiam vt simul sedeat, ac stet. *Sed non sic vt* Plinius. Aristoteles.

C *simul sedeat & stet, sed alio tempore*, quia scilicet subiectum cum forma repugnante non potest alteram oppositam in se suscipere. Etenim ratio potentiæ ad illam formam oppositam non est attributum seu prædicatum materiæ, posito hoc adiuncto; nempe forma opposita, sed eo secluso; vt nimirum materia habeat potentiam ad contraria cum hoc requisito, si scilicet careat forma repugnante, vt etiam dixi de potentia videndi, cæterisque similibus. Sicut etiam contrà: Potest alicui conuenire ratio potentiæ simul cum alio, quo sublato illa cesset. Vt intellectus informatus lumine gloriæ potest videre Deum, non tamen denudatus. Quod autem possit esse talis forma ad arcendum contraria, accipimus ex hy-

D pothesi: Quia nimirum organa eius compositi rerum simulachra susciperent, non contrarias qualitates. Vt verò reliqua argumenta refellamus:

Notandum quartò, veram quidem causam, cur hominis erectus ad sydera sit vultus, esse calorem cordis, si assignanda sit causa veluti materialis. Vt Ira est efferuescens sanguis in corde, vt patet ex Aristotele libro 1. de Anima cont. 16. At causa efficiens erit semen tali modo prolificum: cuius virtute talis materia contemperata eo pacto fuit; finalis erit diuinorum contemplatio, & sensuum vsus, vt docet A. Doctor p. p. q. Aristoteles. A. Doctor.

E 91. ad 3. a. 3. & q. vn. de Anima a. 8. c. Vniuscuiusq; enim materiæ finis est ipsa forma, & eiusdẽ formæ actiones. Et ideò animæ oportet corpus esse organicum tali vel tali modo, vt talibus vel talibus facultatum operationibus aptè subseruiat. Vt enim mox dicam, ratio instrumenti ex fine desumenda artifici est. Quare quicquid sit de causa materiali, quæ nobis non ita facilè apparere potest, spectaret ad Deum illa eum forma figurare, quæ fini præsentissimarum operationum congrueret. Quamuis enim homo sit Angelo æqualis in assecutione beatitudinis, vt ait

A.Doctor. A.Doctor 4.lib.cont. Gent.c.55.num.21. tamen operationem esse finem vniuscuiusque rei docet A.Doctor p.p.q.73. art.1. & nos fusius infrà docebimus in probatione Maioris nostri argumenti pro nostra propositione. Negandum ergo est non posse figuram assignari, vt certè esto à nobis assignari non possit, tamen certum est fieri posse.

Ad vltimum esto homo sit minor mundus, atque ex omnibus quodammodo rebus concretus eo modo, quo sumitur in argumento; tamen non ex hoc solùm est desumenda nobilitas corporis. Nam corpus vt organicum eo nobilius sit oportet, quo altior est operatio, ad quam est instrumentum. Nam in instrumentis tota ratio speciei à fine sumitur, vt patet ex Aristotele libro 2.de Anima cont.38. Vbi ait. *Congruit instrumenta dicere diuersa aut eadem ex operibus.* Præterea esset nobilius corpus ex eo quòd perfectiore natura constaret, etiamsi esset simplicius corpore hominis, quemadmodum cœlum est simplicius mistis inanimatis, quibus tamen ipsum cœlum longè est nobilius. Quod rectè intelligimus ex immortalitate, luce, figura, amplitudine, stellarum multitudine, varietate, & pulchritudine, & similibus. Immò ex his ipsis cœlum esse nobilius corpore hominis, & quocunque terrestri corpore docet A.Doctor.q.5.de Veritate a.9.ad 13.& hic p.p.q.91.a.1. ad 2. licèt etiam fateatur non esse conueniens ad hominis operationes, & dicat hominem esse cœlo nobiliorem. Pari ergo ratione dicimus, illud compositum esse homine nobilius ob formam excellentiorem, & corpus quoque esse præstantius ob naturam licèt simpliciorem. De Nysseno autem nulla est prorsus difficultas. Is enim de facto loquitur; nihil autem docet quid possit fieri: Colligit enim eam animi præstantiam ex eius actionibus quæ comparatè ad cæterarum formarum functiones longè perfectius suum principium esse significant; Non tamē easdem actiones comparauit vspiam ad rerum possibilium operationes; atque ita non docet nostrum animum præ illis esse perfectum. Ex his ergo constat nullo argumento hanc sententiam reddi debiliorem. Atque ita de priore Quæstionis sensu ex primo Notando satis dictum sit.

Ad posteriorem ergo veniamus, & Vtrùm efficaciter probetur; si Angelus intellectionem inter cognitiones solam habeat, eum esse incorporeum. Quæ quidem Quæstio adhuc dupliciter intelligi potest, vt arbitror. Primò quidem si philosophemur, Vtrùm efficaciter ostendatur, omnem huiusmodi Angelum de facto debere esse incorporeum. Secundò Vtrùm ostendatur efficaciter de potestate Dei absoluta nullum posse esse nisi corporeum. Nam hæ duæ Quæstionis partes diuersæ ita inter se sunt, vt non eadem probatione stabiliri possint. Si enim, vt suprà dixi Quæstio sit de potestate absoluta, id debet ostendi esse ob intimam repugnantiam eius intelligentis formæ cum corpore, cum quo aliquod totum componere non possit. Sin autem Quæstio intelligatur de facto philosophandum est ex iis, quæ connaturalia sunt in rebus. Hoc enim ipso quod ostenditur aliquid inordinatum in aliquo, eiúsque naturæ non consentaneum; simul probatur illud in rerum natura de facto esse non posse, ne aliquid in natura præter naturæ ordinem esse concedatur. Cùm tamen in natura nihil concedi debeat esse, quod rerum naturæ dissentaneum sit. Eximiè enim dixit Aristoteles libro 2.de cœlo cont.34. *Inordinatio nihil est aliud, quam quod præter naturam.* Et idcircò aduersus Platonem, qui in Timæo scripsit: *Antequam factus esset Mundus, elementa inordinatè mouebantur*; & contra alios, qui infinitorum putarunt inordinatum fuisse motum, docet. *At verò hoc absurdum est ac impossibile, quod infinitum est, inordinatum habere motum*, & cætera. Nam vt ait Aristoteles libro 8. Physic.cont.15. Natura *ipsa est causa ordinis in omnibus.* Et ideò omne, quod est in natura, habet optimum quod potest, nisi impediatur. Quia vt idem ait libro 2. de Partibus animalium cap. 14. *Natura semper rei melioris auctor est quoad eius fieri potest.* Vnde egregiè A.Doctor p.p.q.99.a.1.cum nos docere vellet rectum philosophandi ordinem in iis, quæ supra naturam sunt, & in iis quæ naturalia sunt, sic habet. *Ea quæ sunt supra naturam, sola fide tenemus: quod autem credimus, auctoritati debemus. Vnde in omnibus asserendis sequi debemus naturam rerum præter ea, quæ auctoritate diuina traduntur, quæ sunt supra naturam.* Sensit ergo ea esse asserenda, quæ naturæ congruunt, vt etiam statim explicat, non quæ à natura dissident. Ex quo principio ostendit in statu innocentiæ non futuros fuisse pueros statim post Natiuitatem aptos ad mouendum corporis membra. propterea quòd *in pueris ob maximam cerebri humiditatem nerui, qui sunt instrumenta motus, non sunt idonei ad mouendum membra.* Quamobrem nisi aliter constet, sola in rebus naturalia asserenda sunt. Nos autem ad pleniorem doctrinam in vtroque sensu ad Difficultatem respondere conabimur.

Aristoteles. Plato. Aristoteles. A.Doctor.

Si natura intelligens nullam, præter actum intelligendi, aliam sentientem habeat cognitionem, de facto neque est composita ex materia corporea, neque cum materia corporea facit vnum substantiale, explicatúrque Aristotelis Peripateticorúmque sententiâ, quo pacto intellectus humanus in hac vita percipere substantias immateriales queat: Quibus Platonis doctrina subscribit. §.2.

Prima propositio: Potest efficaciter ostendi ex actu intelligendi, non posse de facto eam naturam esse compositam ex materia corporea, quæ natura præter ipsam intelligentiam non habeat aliud cognitionis genus. Hæc propositio est Durandi in 2.d.3.q.1. eámque puto colligi ex A.Doctoris locis citatis suprà In Parte Negante. Vbi ex intellectione negat, Angelum esse corporeum: Quia corpus intelligentiam non adiuuat nisi per sensus.

Durandus. A.Doctor.

Posset primùm probari hæc propositio argumento Durandi vbi suprà num.10. Quia *si Angelus est compositus ex materia & forma, aut illa forma est separabilis à materia, aut non. Si sit separabilis, Angelus erit corporalis, quod negatur ab omnibus. Si non sit separabilis. Contrà: Forma quæ est separabilis est perfectior illa, quæ non est separabilis; Quia minus dependet. Sed anima, quæ est forma hominis, est separabilis à materia;*

Durandus.

*teriæ;forma autem Angeli,vt tu dicis, non est separabilis. Ergo perfectior & nobilior erit forma hominis,quam forma Angeli. Ergo homo erit perfectior Angelo; Quia perfectio rerum mensuratur secundum perfectionem formarum. Hoc autem est inconueniens.*Ergo & cætera.

Hæc tamen ratio claudicat,vt dicitur vno pede. Nam qui diceret, Angelo materiam inesse ex qua componatur, diceret Angelum esse corporeum; nec referret, vtrum ab aliis negetur. Probandum autem esset, hoc esse absurdum ex natura rei, non autem ex eo quòd negatur ab aliis,si ratione non auctoritate agendum sit.Præterea dicerent formam hominis ideò esse separabilem ex se à materia; Quia pereunte composito naturaliter corruptibili ipsa remanet,vt potè forma substantialis spiritalis à materia independens. At intellectus qui esset forma Angeli etiam spiritalis non esset ex se separabilis;non quidem quia ex se non sit independens à materia,quandoquidem intellectus est: sed quia eius compositum non esset naturaliter corruptibile, si daretur eius materia non affecta contrariis qualitatibus secundo modo supra explicato in Tertio Notando. Dixi *ex se & ex sua natura.*Quia comparatè ad Dei potestatem absolutam separari posset, vt etiam Quantitas ac reliqua cœli accidentia Deo separabilia sunt. Immò & forma substantialis,quæ à cœli materia distinguitur re ipsa apud A. Doctorem, cùm tamen cœlum eiusdem sententiâ corruptibile non sit, vt ipse expresse docet infrà q. 97. a. 1. & alibi sæpissime. A. Doctor.

Durandus. Quod si vt puto,est error in textu,& velit dicere Durandus,sequi Angelum esse corruptibilem;(Vbi tamen in contextu habet *corporalis*) si eius forma esset separabilis. Id quidem verum esset,si esset separabilis vi agentis naturalis;probandum tamen esset ratione, ipsum Angelum debere esse incorruptibilem, non auctoritate,vt dictum est. Neque pro Durando dicere quis posset,illum Angelum fore corruptibilem:quia materiam haberet; principium corruptionis. Non inquam hoc dici rectè potest.Materia enim eatenus principium corruptionis est, quatenus potentia est ad plures formas,contrariisque subiicitur. Hanc enim corporum interitus causam assignari ab Aristotele diximus Notando tertio. At posita illa forma Angelica eo modo quo ibidem philosophati sumus; Materia nec est potentia ad formas, nec contrariarum qualitatum subiectum est,vt ibidem ostendimus.Et hoc pacto in primo libro de cœlo docuimus etiam posita in cœlo nostrate materia, non sequi cœlum esse corruptibile. Cuius talis forma esse potest, vt contraria suâ naturâ arceat. Ex quo etiam vlterius patet,illum Angelum ex natura sua fore incorruptibilem,non tantum extrinsecus ex defectu causæ. Haberet enim sibi substantialem rationem,quia esset interitus expers;nempè formam qua substantialiter constituitur. Aristoteles.

Durandus. Quocirca probat secundò Durandus ibidem num. 11. *Quia illa substantia, quæ non habet aliam cognitionem nisi intellectiuam, non indiget materia nec vt parte componente nec vt subiecto, Sed Angelus non ponitur habere aliam cognitionem nisi intellectiuam. Ergo non indiget materia.* Minorem probat. Quia *supponitur* inquit *ab omnibus; & posset probari,quia nulla cognitio superior est intellectiua, nec est aliqua ea inferior nisi sensitiua: sensitiua autem non est nisi in organo composito ex contrariis, quod est corporale.* (Intellige

A vt suprà corruptibile:)*& ita repugnat Angelo, cum sit incorporalis* id est incorruptibilis. *Nullam ergo cognitionem habet Angelus præter intellectiuam.* Maiorem probat sic: Quia cùm materia sit propter formam,vt dicitur libro 2. Physic. nempè cont. 91. vt diximus; forma nunquam vnitur materiæ, *nisi indigeat ea quoad esse,vel quoad operari: forma autem Angeli non indigeret materia quoad esse, nisi poneretur Angelus corporalis:*id est corruptibilis,*nec quoad operari, quia operatio intellectiua* non potest dependere à corpore,nisi vt obiecto propter phantasmata. Quod est ponere in Angelo cognitionem quoque animæ sentientis.

Verùm hæc ratio valdè quidem efficax esset, si duo confirmarentur à Durando. Primum est, Durandus.
B Angeli formam non vniri corpori, quia eo non indiget nec quoad esse,nec quoad operationem. Nam si quis diceret ex aduersariis, licèt Angeli forma non indigeat corpore; quippe quæ, cum sit intellectus subsistens,ex se est,tamen eam poscere suum corpus tanquam compartem cum qua componat totum. Quia nimirum ipsa sit sua natura corporis actus, quemadmodum intellectus est actus hominis, qui quidem licèt non indigeat corpore vt sustinente, indiget tamen corpore vt comparte ad hominem componendum: Quandoquidem ipsius hominis est principium primum quo intelligimus; vt animum hominis definiuit Aristoteles libro 2. de Anima cont. 24. Si quis ergo ita philosopharetur, redarguendus esset à Durando aliqua alia ratione,quæ adhuc à nobis desideratur. Vnde ne hanc philosophandi rationem quis improbet tanquam gratis confictam, & nullo argumento philosophico fultam, hoc ipso argumento vtar Difficultate sequenti,vt non repugnare demonstrem, Angelum esse compositum ex materia & forma spiritali. Alterum quod Durando confirmandum esset,est Angelum non habere aliam cognitionem præter Intelligentiam: Nam hoc quoque demonstrandum superest, vt sit solida ratio; Nam illud ipsum quod dicit, *si haberet sensitiuam esset corruptibilis*, probatione indiget; nec omninò supponendum, cum sensus esse non repugnet in corpore incorruptibili, vt suprà dicebam. Aristoteles. C Durandus. D

Meliùs ergo probatur propositio nostra hoc pacto.Illa substantia intelligens, quæ nullo modo indiget corpore ad suam operationem,nullo modo indiget corpore nec vt sui parte, neque vt comparte ad conflandum aliquod totum. Sed Angeli substantia est intelligens,quæ nullo modo indiget corpore ad suam operationem. Ergo nullo modo indiget corpore nec vt parte sui, nec vt comparte ad conflandum totum; hoc est ad compositum. Si autem non indiget, ergo nec componitur corpore, nec est forma corporis.
E Alioquin esset aliqua compositio in natura,quæ omninò superuacanea esset, hoc est quæ ad nullam operationem propriam,ac proinde ad nullum finem ipsius rei intrinsecum necessaria esset: Quod certè concedere in natura valdè absurdum est. *Deus enim & natura nihil frustra faciunt*, vt Aristoteles docet libro 1. cœli cont. 30. & libro 2. cœli cont. 50. & 59. Frustra autem illud esset, quia animus ille sine vlla indigentia corpori iungeretur; & ideò nullam formam videmus corpori iunctam nisi eo indigeat. Quocirca, vt ait Aristoteles 1. cœli cont. 102. *Sola hæc ponenda sunt rationabiliter,quæcunque in multis aut in omnibus* Aristoteles. Aristoteles.

omnibus videmus esse. Cùm ergo formæ corporibus iungantur ob aliquam ipsarum formarum indigentiam siue ad operationem siue ad compositũ, ibi non est rationabiliter asserẽdum corpus, vbi talis non est indigentia: Quod pleniùs multò habebis infrà in primo *Colligitur*.

Minor autem argumenti est certa: Nam quòd Angeli substantia sit intelligẽs, suprà probatum est. Quod corpore non indigeat ad suam operationem, patet: Quia nulla est ratio, quæ cogat asserere, in Angelis esse aliam operationem vltra eorum intelligentiam. Nam si quæ essent argumenta, maximè illa, quæ suprà a. 1. Quæsit. 3. reiecta sunt; nempe ad generationem, & alia huiusmodi, ad quæ Angelum non indigere corpore satis supra ostensum est, vt etiam meliùs dicam in respõsione ad ea, quæ initio Difficultatis proposita sunt.

Quod autem aliquis arbitrari posset, intelligẽtiam aut præsupponere cognitionem sensuum, aut ipsam esse dependentem à corpore: Id quoad vtrumq; apertè falsum est. Nam superiore Quæsito Difficult. vltim. ostendimus, actũ intellectus esse immaterialem, quia est circa obiectũ immateriale, ideóq; eius principium non posse esse in corporeo organo, ideóq; tale principium immateriale esse omninò oportere, vt ibi dictum est. Quod autẽ intellectus nõ præsupponat ex se sensus, probatur: Quia licèt in homine eos requirat ob seriem, atq; vt aiunt subordinationem facultatum cognoscentiũ, tamẽ intellectus ex se hanc sensuum antegressionem nõ prærequirit. Et certè in intellectu Angelico cùm nullum signum sit, ex quo sensuum functiones animaduertamus, sensuum operationem Angelis tribuere nullo pacto debemus. Quia vt diximus ex Aristotele lib. 1. cœli cont. 102. *Sola hæc rationabiliter ponenda sunt, quæ in multis aut in omnibus videmus*. Quam ob causam lib. 2. de cœlo cont. 34. definit illam esse *Naturam rerũ, quam habent plures & pluri tempore*. Quasi eandem propositionẽ inculcarit. Ergo quæ nullo modo apparent ex operationib. aut ex aliis signis, non rationabiliter Aristotelis sẽtẽtiã ponuntur. Sanè Aristoteles vt suprà docuimus in substantiis, quæ cœlũ circumducũt, nullũ sensum agnouit cum eas voluerit omnis corporis expertes esse. Ergo intellectus, quã intellectus, nullum prærequirit sensum. Immo Peripateticorum sẽtentiã licèt intellectus noster si intelligẽtiæ initia spectemus, quibus ille ex visis notiones colligit, vix quicquã præ se ferat, in quo cum corpore nõ communicet, vt rectè obseruat Carpentarius lib. 2. Descript. Nat. cap. 11. n. 5. tamẽ cũ in iis notionib. exercitatus ac purior in intelligendo factus est, tũc propriè induit rationem intellectus, & ad eas formas aspirat, quæ re & ratione à materia separata sunt: atq; ita ex se ea intueri potest, quæ ab Aristot. lib. 3. de Anim. cont. 15. simpliciter dicũtur *intelligibilia*, cũ de intellectu nostro sic ait. *Et ipse etiã intelligibilis est, sicut ipsa intelligibilia*. Quem locũ ad intellectus nostri immortalitatẽ comprobandam rectè expendit Carpentarius suis in Alcinoum commentariis Digressione 10.

Aio autem intellectum nostrũ ea quæ sunt purè intelligibilia aliquãdo intelligere Aristotelis sententiã, hoc est substantias à materia separatas & formas à materia nõ pendentes, quæ suprà dixi Aristoteli esse purè intelligibilia. *Ex hoc enim*, inquit A. Doctor infrà q. 79. a. 3. c. *aliquid est intelligibile quod est immateriale*. Vnde ea purè sunt intellectus obiectum. Vt enim ait Auerroës Disp. 6. in Algazelem in solutione 2. dub. Intellectus nihil est aliud nisi comprehensio intelligibiliũ, vt etiã ex aliis fusiùs dicã infrà q. 54. a. 4. Addit etiam res fieri intellectiles, quatenus intellectus eas separat à materia: Quã esse Aristotelis omniúmq; Peripateticorum sententiam paulò post, & infrà ead. q. 54. a. 4. dicetur. Probatur autem purè intellectilia aliquando ab intellectu nostro percipi opinione Aristotelis: Nã felicitatẽ posuit hominis in harũ substantiarũ separatarũ contẽplatione vt apertè patet ex libr. 10. Ethicor. cap. 7. & 8. Quam felicitatẽ in lib. 1. Ethic. cap. 10. dixit esse eius, *qui ex perfecta virtute operetur*; Nimirum secũdum virtutem sapientiæ, vt ex illo cap. 7. & 8. patet: Quam sapientiam lib. 6. Ethicor. cap. 7. originem, caput, & scientiarum speculatiuarum principia prima posuerat. Quod etiam animaduertit A. Doctor p. p. q. 88. a. 1. c. in quinta ratione. Huc etiam spectat quod idem docet Aristoteles libro 12. Metaph. cont. 39. Deum intelligẽdo se, feliciter *se habere semper, vt nos aliquãdo*. Ergo Aristoteli nos aliquando felicitatem illam, quam Deus habet, assequimur; Nimirum cognoscẽdo separata. Immò & cognoscendo animum nostrum & nos ipsos. Si enim animus Deo sit aliquando simillimus, qui Deus se semper cognoscit; Ergo & nos aliquando nos ipsos; Hoc tamen discrimine, quod Deus se semper intelligit, animus aliquando; quæ etiam cognitio est substantiarum separatarum; nam, vt iam diximus ex illo cont. 15. libr. 3. de Anima, intellectus noster est etiam intelligibilis, sicut ipsa intelligibilia. Ergo cognoscendo se ipsum cognoscit purè intelligibilia. Persimile quid dixit idem Aristoteles libro 10. Ethicorum cap. 8. vbi ait *Diis beata vita tota est; hominibus autem eatenus, quatenus similitudo quædam eiusmodi operationis in ipsis inest*. Cùm ergo similitudo beatitudinis non sit nisi in contemplatione substantiarum separatarum: Circa enim alia obiecta non est similitudo; sequitur hanc hominib. aliquando communicari. Atque ita falsum est, Aristoteli intellectum etiam hominis in quouis intelligendi actu præsupponere sensus ac phantasmata seu operationem phãtasiæ. Quandoquidã ipsa intelligibilia nullo modo per sensus aditum sibi ad intelligentiam patefaciunt, cùm sint extra ambitum omnis sentientis facultatis.

Eandem sententiam sequuntur Peripatetici; Quorũ aliquot nunc breuiter in mediũ afferam infrà copiosiùs eadẽ de re disputaturus, vt omniũ consensum ostendã in affirmanda intellectus nostri immaterialitate siue à materia seiunctione. Et primò quidem Theophrast. Aristot. discipulus apud Priscianũ Lydum lib. de phantasia & intellectu inter opera Marsilij Ficini tom. 2. postquam cap. 19. declarauit, in iis quæ sunt sine materia, idẽ Aristoteli esse intellectũ & intelligibile (quod ipse ibi appellat *intellectũ*; id est obiectũ quod intelligitur, & ab intellectione denominatur intellectũ, sicut à visione visum;) ideóq; intellectũ nostrũ, qui est separatus à materia, eundẽ esse intellectũ atq; intelligibile cap. 20. Mouet quæst. *Cur igitur nos non semper intelligimus, si quidem in nobis est intelligens & intellectum. Eadẽ namq;* inquit, *sunt ambo?* Respõdet tandẽ ipsum materialia nõ semper intelligere, quia nõ sũt intelligibilia actu, sed potẽtiã ope intellectus agẽtis. De immaterialib. verò substãtiis nõ ita expressè definit. De iis tamẽ c. 15. apertè dixerat Priscianus idẽ ex Theophr. eas ab intellectus

intellectu noſtro cognoſci his verbis. *Deinceps verò Theophraſtus quemadmodum Ariſtoteles duo ponit genera ſpecierum, alias quidem materiales, alias verò immateriales.* Et poſt. *Quoniam igitur intellectus, qui dicitur in potentia, vtraſque ſpecies contemplatur, inquirit Theophraſtus vnà cum Ariſtotele, quomodo ſpeculetur vtraſque, & quomodo ſpecies materia exiſtentes etiam quadã abſtractione cognoſcat* &c. Immaterialia ergo contemplatur intellectus noſter, quia vtraſque ſpecies contemplatur. Immateriales enim contemplatur per ſe, materiales verò nonniſi abſtractione intellectus. Hæc ex Theophraſto.

Simplicius. Simplicius in expoſitione ſua vltima ad cont. 39. libro 3. de Anima ait, intellectum noſtrum etiam in hac vita poſſe ſine vllo phantaſmate intelligere primas notiones mentis, ac ſubſtantias ſeparatas: & confutat Alexandrum, quod putarit omnem intellectionem eſſe à phantaſmate dependentem. *Vel ex his*, inquit, *non omnem intellectionem imaginationem ſimul agentem habere Ariſtoteles docet.* & paulò poſt. *Primas intellectiones eas vocat, quæ ſubſtantiarum cognoſcendarum vim obtinent, formaſque illas in primis cognoſcere valent, quæ ſine materia ſunt.* Deinde addit, aliam rationem eſſe cum noſter intellectus corporalia concipit: Tunc enim non ſine phantaſmate contemplatur; quod Ariſtoteles eo loco docet. Aliam verò cum verſatur in primis notionibus. Nam phantaſmatis *prima illæ notiones ne omninò quidem vtuntur, neque ad prima illa, quæ extrinſecus collocata ſunt, vergunt, atque in ſeparata illa vita elucеſcunt.* Et ita Alexandrum arguit aſſerentem vtrinque parem eſſe doctrinam. *Neque ita interpretari debemus, vt primæ illæ intellectiones ſint, quemadmodum hæ*; nempe quæ circa ſenſilia, *vt Alexander vult* &c.

Alexander. Simplicius. Quanquam meo iudicio immeritò hæc Alexandro Simplicius impingit. Nam Alexander libro ſuo 2. de Anima cap. 18. cui titulus eſt. *Cur Ariſtoteles intellectum, qui extrinſecus aduenit, admiſerit*, perſpicuè docet, noſtrum intellectum poteſtate, ſeu materialem cum perfectus fuerit intelligere illud quoque, quod eſt per ſe intelligibile: reddens autem huius rei cauſam ſubdit hæc verba. *Quemadmodum enim ambulandi poteſtas, quam homo cum natus eſt habet, in actum prodit per progreſſum temporis ipſo perfecto, atque adulto; eodem modo intellectus perfectus tum quæ naturâ ſunt intelligibilia intelligit, tum etiam ea, quæ ſenſilia ſunt, intelligibilia ſibi reddit tanquam exiſtens actuum.* Vbi duo genera intellectilium vides Alexandri ſententiâ concedi tanquam noſtri intellectus obiecta. Vnum quidem quod abſtrahatur à ſenſilibus, quæ intellectilia virtute ſua facit. Alterum quod his opponit; nempe quæ naturâ ſuâ intellectilia ſunt, ergo non ex ſenſilibus, corporeiſque rebus, ac proindè quæ naturâ ſuâ ſint materiæ prorſus expertia. Itaque verbis Simplicij in hac re ſtandum non eſt, cùm Alexandrum ſuam ſententiam explicantem habeamus. Vtrùm autem hoc pugnet cum iis, quæ Alexandro tribuuntur dum exiſtimatur facere animam mortalem, affirmabunt, qui opinantur, hæc duo eſſe inter ſe connexa. Si enim animus noſter immaterialia cognoſcit, ipſe non pendet à corpore, ac propterea immortalis eſt. Sunt enim hæc duo adeò inter ſe cohærentia, vt alterum diuelli ab altero nequeat. Ideóque in Alexandro vtrumque reprehendit Auerroës libr. 3. de Anima comm. 36. Putauit namque conſentanea Alexandrum docuiſſe; malè tamen vtrumque. Ait enim Alexandrum propterea negare intellectum *materialem*, ideſt quem dicunt patibilem poſſe cognoſcere ſeparata immaterialia: Quia putat corruptibiles eſſe huiuſmodi facultates ob animi interitum, idéoque aſſerere intellectum ſeparata cognoſcentem eſſe ſeparatum; Nimirum illum eſſe, *qui de foris venit*; nempe agentem.

Alexander. Auerroës. Qua in re etiam labitur Auerroës dupliciter. Primò quia negat, Alexandro intellectum noſtrum percipere immaterialia; cum tamen ipſe doceat illa ipſa intelligi ab intellectu adulto & perfecto. Ex quo eſt alter Auerrois lapſus: quia putat Alexandro cognitionem circa ſeparata eſſe ipſius intellectus agentis propriam; & tamen Alexander eam tribuit quoque ei intellectui, qui per progreſſum temporis perficitur, cui quemadmodum ambulandi poteſtas ſuo tempore prodit in actum, ita ipſe vtrumque genus ſeparatorum intelligit, vt patet ex verbis citatis. Confirmatur: quia illi intellectui Alexander tribuit cognitionem ſeparatorum, cui tribuit cognitionem ſenſilium abſtractorum. Ait enim intellectum perfectum intelligere, *tum quæ natura ſunt intellectilia, tum ea quæ ſenſilia ſunt* &c. Sed cognitionem ſenſilium abſtractorum tribuit noſtro vt certum eſt. Agens enim ea ſenſilia non ſibi reddit intellectilia, cùm intellectus agens Alexandro Deus ſit, vt omnes conſentiunt, & dicam infrà q. 54. a. 4.

Auerroës. Alexander. Quamobrem quid dicet Auerroës: Contradicétne ſibi Alexander, ſi putauit animum hominis mortalem? Affirmabunt quidem vno omnes ore & meritò, vt patebit q. 54. a. 1. Mihi certè Alexandrum videri aut docuiſſe animi immortalitatem, aut ſecum ipſum ſolidè pugnaſſe alibi dico copioſè; & pluribus dicam infra q. 54. a. 1. Sanè Alexander & Plutarchus apud Philoponum 3. An. ad cont. 10. dicunt, immateriale non poſſe cognoſci niſi ab immateriali. Sed hoc in præſenti nihil ad rem. Alexander. Plutarchus. Philoponus.

Philoponus. Ariſtoteles. Philoponus quoque libro 3. de Anima comm. ſuo ad cont. 46. idem ſupponit vbi de Ariſtotele ſic loquitur. *Nunc dicit quod intellectus potentia eſt propriè intelligibilia, quando ea intelligit actu.* & fusè lib. 3. de An. ad cont. 36.

Themiſtius. Themiſtius etiam accedit, qui libro 3. de Anima cap. 51. poſtquam propoſuit dubitandi rationem, qua videbatur probari intellectu potentiâ nihil immateriale apprehendi, quia ab intellectu agente nihil materiale intelligitur. *Tamen contra eſt*, inquit, *Videtur enim intellectus materialis etiam hac facultate præditus proculdubio, vt res penitus à materia abiunctas poſſit comprehendere.* Idque confirmat ea argumentatione. *Nam qui naturas materiales intelligit incernendo & amoliendo materiam, longè facilius intelligat neceſſe eſt, quæ per ſe abſtracta diſpendium huius operæ nobis remittunt.* Quod etiam rurſus alio argumento putat ſe ſtabilire. *Non enim eò inferior eſt intellectus Potentia intellectu Agẽte, quod genera immaterialia hic non attingat, ſed eò, quòd hic nec ſemper attingit, nec ſemper intelligit; ille ſemper attingit, & ſemper intelligit.* Quibus alludit ad ea quæ modo diximus ex Ariſtotele.

Auerroës. Themiſtius. Idem habet Auerroës libro 3. ibidem comm. 36. Vbi licèt rationes Themiſtij non probet, aſſentitur tamen eius doctrinæ: additque hominem in extremo vitæ eò pertingere poſſe, vt intelligat ſubſtantias ſeparatas. Et quanquam mirum nonnullis non videtur, ſi horum duorum opinione intellectus abſtracta concipiat, cùm ij exiſti

existimentur asserere vnum intellectum in omnibus. De hac tamen re nihil in præsenti disputare constituo multa infrà dicturus q. 54. art. 1. Vbi etiam iterum ex Aristotelis Peripateticorúmque sententia hanc materiam vocabo in disputationem; ostendámque ibi & a. 4. eiusdem q. nullum Peripateticorum asserere vnum intellectum potentia in omnibus hominibus. Nec Auerroem ipsum semper sibi consentanea fassum esse.

Aristoteles. Peripatetici. Auerroes.

Denique hanc fuisse sententiam A Doctoris, & apud ipsum etiam Aristotelis patet ex lib. 9. Metaphysices cont. 22. circa finem, vbi hæc scribit A Doctor. *Ex quo patet*, inquit, *quod secundum sententiam Aristotelis humanus intellectus potest pertingere ad intelligendum substantias simplices; quod videtur sub dubio reliquisse 3. de An.* Quem A. Doctoris locum perpedit Zimara in Tabula verbo, *Intellectus anima nostra*. Explicat enim verba illa Aristotelis lib. 2. Metaphys. cont. 1. Nempe, *intellectus animæ nostræ se habet ad ea, quæ manifestissima sunt naturæ, sicut oculi vespertilionum ad lumen Solis*. Ait autem sic. *Vbi considera*, inquit, *quod secundum Auerroem exemplum illud non dicit impossibilitatem, sed difficultatem. Et licèt Beatus Thomas, & Scotus cum sequacibus studeant istam Auerrois impugnare sententiam; aduertant tamen, istam fuisse Aristotelis opinionem: Nam in 9. Primæ Philosophiæ loquens Aristoteles de intellectione talium rerum simplicium, & abstractarum inquit; Ignorantia talium non est sicut cæcitas. Cæcitas enim est, si intellectiuum nō habeat aliquis. Quem locum exponens S. Thomas ab ipsa tandem veritate coactus dixit, ex quo potest, & cætera. Quod fuit sententia Theophrasti, Alexandri, Themistij, & omnium antiquorum scriptorum, vt patet in 3. de Anima comm. 36.* Hæc ille. Id verò de A. Doctore dixit, opinor, quia p. p. q. 84. a. 7. expressè negat, ac probat, non posse à nobis quicquam intelligi, nisi *intellectus conuertatur ad phantasmata*. Videmus enim ex læsione organorum sensuum multos intelligere desiisse. Quæ tamen si rectè intelligantur pugnātia non sunt, vt mox dicetur. Sane A. Doctor in 4. d. 1. q. 1. art. 2. quæstiuncula 2. docet, in statu innocētiæ hominē ex sensibilibus cognitionem non accepisse. Quare videtur docere, non esse homini naturale quæcūque nouit, ope sensuum ea percipere; sed postea ex peccato hæc contigisse.

A Doctor. Aristoteles. Zimara. A Doctor.

Huic Peripateticorum sententiæ multò expressiùs fauent quæ docet Plato: Nam vt refert Aristoteles libro 1. Metaphys. cont. 6. & ex eo A. Doctor p. p. q. 88. a. 1. c. posuit formas illas à materia separatas ac subsistentes, quas ideas vocabat esse propria obiecta nostri intellectus; atque ita primò ac per se à nobis intelligi: exinde verò reliqua. *Secūdùm opinionem Platonis*, inquit A. Doctor *substantiæ immateriales non solum à nobis intelliguntur, sed etiam sunt prima à nobis intellecta*. Et vt idem Plato in Phœdone, & Menone ait: Animus priùs quam cum corpore coniungeretur, in æterna rerum omnium cognitione viguit; licèt postea corpori immersus superioris vitæ obliuiscatur; ideóque similis efficitur non quidem nudæ tabulæ sed rasæ: In qua non omninò sed magna ex parte rerum imaginēs obliteratæ sunt; quæ postea recordatione renouantur; Cui rei alludit Poeta

Peripatetici. Plato. Aristoteles. A. Doctor.

——— *Noxia corpora tardant*
Terrenique hebetant artus, moribundáque membra.

Quem cognoscendi modum prosequitur etiam Marsilius Ficinus libro 2. epistolarum, & lib. 13. de immortalitate animarum præsertim cap. 3. & 4. & in argumentis ad citatos dialogos Platonis. Sed in his falli nonnihil Platonē suprà diximus; & infrà fusiùs Opinor autem hos omnes Philosophos ad hæc docenda eo argumento esse compulsos, quòd viderint nonnullos extasi corripi, atque abalienatis animo sensibus omnem prorsus corporis motū quasi iam vita functi essent amisisse. Nam tale quiddam legitur de Mercurio Trismegisto in Pimandro initio, vbi se in contemplatione naturæ defixum ait sensibus corporis sopitis, edoctúmque à diuina mente esse; quo pacto animi *Deo fruantur, atque id summum bonum eorum, quibus cognoscendi sors competit*, & cætera. Idem ferè de se Platonem narrasse testatur Auctor operis de secretiore sapientia secundum Ægyptios libro 1. cap. 4. Apud Conimbricenses libro 3. de Anima cap. 8. q. 8. art. 3. *Ego sæpius animo contemplans relicto corpore visus perfrui summo bono, cum voluptate incredibili. Quare si hæc quodammodo attonitus agnoscens me esse partem quandam superioris mundi, atque adeptum sentiens vitæ immortalitatem sub luce maxima, quæ neque oratione exprimi potest, neque auribus percipi, neque cogitatione comprehendi. Tandem verò hac contemplatione defessus intellectus recidit in phantasiam.* Quod videtur desumptum ex eo loco Trismegisti, vbi ferè eadem describuntur. Quamuis autem dicat se intuitum lucem, & cætera. Tamē hæc explicandi gratia proferuntur. Aliis namque verbis nullo modo potuissent hæc hominibus significari. Nam dicit ea se vidisse quæ cogitatione nō possunt comprehendi. Sanè si vere ea vidisset animo, quæ Deus illi diuinitus potuisset reuelare, non fuisset mirum, ea nec cogitatione comprehendi, nec verbis explicari potuisse. Sic enim verè Paulus, 2. Cor. 12. & apertè fassus est in eo ad cœlum raptu se vidisse arcana Dei, quæ non licet homini loqui, non solùm quia arcana erāt; sed quia cogitationem humanam, omnémque verborum explicationem superabant.

Ficinus. Plato. Trismegistus. Plato. Conimbricenses. 2. Cor. 12.

Verùm incredibile non est aliquādo antiquis euenisse, quod etiam naturaliter, hoc est nō per raptum supernaturalem suo tempore factum testantur plerique apud S. Augustinum lib. 14. de ciuit. Dei cap. 24. vt de quodam Restituto Presbytero. *Q̄ quando ei placebat; rogabatur autem vt hoc faceret ab eis, qui rem mirabilem corām scire cupiebāt, ad imitatas quasi lamentantis cuiuslibet hominis voces ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo; vt non solùm vellicantes atque pungentes minimè sentiret, sed aliquando etiam igne vreretur admoto sine vllo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere; non autem obnitendo sed non sentiendo non mouere corpus eo probabatur, quòd tanquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus; hominum tamen voces, si clariùs loquerentur tanquam, de longinquo se audire postea referebat.* Quæ tamen à sensibus animi abalienatio non fuit ad rerum immaterialium notitiam, nihil enim eius rei ibi meminit Augustinus, cùm solùm illi propositum sit declarare, multos miris modis adeò suorum membrorum dominatores fuisse, vt quæ vellent de suo corpore naturaliter facerent etiam *extra vsitatum naturæ* modum, vt ipse ibi loquitur. Vnde conficit Augustinus, si hæc contingere potuerunt in corpore corruptibili, facilè esse credendum *ante inobedientiæ peccatum, corruptionisque supplicium ad propagandam prolem sine vlla libidine seruire voluntati hu-*

S. August. Restitutus Presbyter. S. August.

mana

mana membra potuisse. Crediderim tamen hæc, si naturalia sint non tam abalienatione sensuum prodiisse, quàm vi imaginationis in aliquo obiecto defixæ. Aliter enim non video, qui hæc fieri potuissent sine vlla animi cogitatione. Sed quomodo hæc facta fuerint, parum nunc nosse refert. Satis enim est hæc perspecta veteribus fuisse, vt similibus de causis dicere potuerint, animum aliquando in substantiarū intellectualium cogitatione defigi.

Cuius rei affirmandæ multò maior occasio se porrigebat, cùm è raptu homines prodigiosa euenta supra naturalium causarum cursum se vidisse narrabant, vt diximus ex Mercurio & Platone. Quibus non dissimile est etiam illud apud Platonē libro 10. de Rep. vbi narrat, *Eron Armenium genere Pamphylium cum inter cadauera cæsorum in prælio decem diebus iacuisset mortuus domum relatum, secundo post die cum esset imponendus rogo, reuixisse, ac prodigiosa quædam narrasse, quæ illo tempore apud inferos vidisset.* Admirabilius est quod Plinius de Hermotimo scripsit libro 7. Naturalis historiæ cap. 52. Vbi *Reperimus*, inquit, *inter exempla Hermotimi Clazomenij, animam relicto corpore errare solitam, vagámque è longinquo multa annunciare, quæ nisi à præsenti nosci non possent, corpore interim semianimi: donec cremato eo inimici qui Catharidæ vocabantur remeanti animæ veluti vaginam ademerint.* In quo facto mirum est non solùm fuisse sopitos sensus, verùm etiam animo destitutos. His ergo fortè & similibus adductos philosophos crediderim, vt intellectum substantias materiæ expertes percipere posse opinati sint.

Plato.

Plinius. Hermotimus.

Quæ tamen non cogunt ad assensum, si de perfecta intelligentia, & vt vocant intuitiua per proprias eorum imagines, idque naturæ viribus intellexerint. Potuit enim diabolus suis præstigiis huiusmodi abalienationem à sensibus efficere, ligando aut soluendo sensus exteriores eo modo, vt explicat & probat noster Martinus Delrius libro 2. Disquisit. Magic. q. 15. Aut certè Deo sic statuente aio patrata esse si naturalia fuerint. Nam quæ supernaturaliter acciderunt, vt de Paulo & Mose ac cæteris docent sacri auctores, Deo adiutore patrata sunt. Qua de re A. Doctor 2.2. q. 175. art. 1. Atque eos quidem raptus mentis maximam habere significationem immortalitatis ex eo potissimum certum est, quod animo tunc nulla ratione corpus materiam subministrat ad operandum: Nec potest forma verè materialis connaturali modo, immò nec simpliciter, vt Theologi probant p.p. q. 12. adeò perfici à Deo, vt immaterialia obiecta per proprias imagines videat. Vt mirari etiam debeamus Pomponatij impietatem, qui cùm hoc argumento premeretur dicere est ausus, hanc ecstasim infirmitatem esse tantùm & ægritudinem cerebri. Qua corporis ægritudine vtinam potiùs laborasset ipse, quàm animi. Illam enim mors abstulisset, nec toties ab impuro eius ore veritas contaminari potuisset.

Delrius.

A. Doctor.

Pomponatius.

Non præteribo hic tamē ad Peripateticorum sententiam quam retulimus confirmādam, sententiam Cardinalis Toleti viri tum pietate tum doctrina inter celeberrimos quosque & Philosophos & Theologos reponendi. Nam libro 3. de Anima q. 21. post 3. concl. apertè fatetur posse in hac vita sapientum animos intelligere sine vllo phantasmate etiam naturaliter. Sic autem habet §. *Diximus tamen* versus finem eius quæ-

Toletus.

A stionis. *Non est negandum quod etiam in hac vita per reuelationem ex Deo acceptam aliquando contingat, intellectum intelligere sine imaginatione. Immò etiam in scientia & contemplatione sapientis rerum abstractarum non caret idem maxima probabilitate*, & cætera. Nam *cùm supra omne corporeum se mens eleuet sapientis, sine imaginatione est: vt videtur illa altissima & vltima intellectio & contemplatio omni relicto corpore. Et tale quid etiam accidere videtur in ecstasi, & quandoque in infirmitate, aut prope mortem absorptis omninò sensibus, & imaginatione.* Et paucis post probat multa hoc pacto intelligi posse naturaliter. *Nam habet, inquit, potentiam quæ sic potest cognoscere.* Quæ quidem posui ex tanto viro libenter, ne in hac re pij quoque, ac sapientissimi moderni auctores desiderentur. Constat ergo veram esse illam

B Minorem; Angeli substantiam intelligentē nullo modo indigere corpore ad suam operationē. Atque hæc de Minore nostri argumenti.

Maior autem illa probatur; Nempe: *Illa substātia quæ nullo modo indiget corpore ad suā operationem, nullo modo indiget corpore nec vt sui parte, nec vt comparte ad totum.* Quia si non indiget corpore ad operationem; ergo non requiritur corpus ad finem proprium atque intimum illius substantię. Certum enim est, cæteros fines esse remotiores, quàm sit propria rei operatio, secundùm quam ad cæteros fines quælibet res refertur, vt patet ex A. Doctore p.p. q. 65. a. 2. c. & q. 105. a. 5. c. Vnde Aristoteles libro 2. de cœlo cont. 17. simpli-

A. Doctor. Aristoteles.

C citer dixit, *Vnumquodque quorum est opus est gratia operis.* Quasi velit significare, operationem esse simpliciter cuiusque rei finem. Id quod expressè docuit lib. 1. de Partibus Anim. cap. 5. vt infrà dicetur fusius a. 4. Et ratione idē patet: Nā vnumquodque est propter suum bonum & perfectionem, quia omnia bonum appetunt, & ideò homo appetit felicitatem tanquam vltimū finem, quia est vltima perfectio hominis, vt probatur 1.2. q. 3. Bonum autem & perfectio hominis est eius operatio, vt docet Aristoteles 1. Ethicorum cap. 7. & probat A. Doctor 1.2. q. 3. a. 2. Si autem corpus non requiritur ad finem & perfectionem illius substantiæ; Ergo non pertinet ad illā substantiam, nec tanquam eius pars nec tanquam

Aristoteles. A. Doctor.

D eius subiectum. Ad nullum enim finē proprium respiceret in natura, atque ideò frustrà esset. *Frustrà enim est calceamentum, cuius nulla est calceatio*, inquit Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 32. cùm tamen certum sit *Deum & naturam nihil facere frustrà*, vt ibidem docet Aristoteles, & sępè alibi, vt suprà diximus. Constat ergo, illam substantiam, quæ nullo modo indiget corpore ad operationē, nullo modo indigere corpore nec tanquam subiecto nec tanquam comparte: Quia nullo modo est ad finem ipsius. Ex hac propositione ita probata

Aristoteles.

E Colligitur primò non rectè responderi huic argumento, si dicatur, finem illius materiæ corporis proximum esse subiici illi substātiæ intelligenti, & cum ea constituere totum; & idcircò tunc substantiam habituram suum finem in natura, nempe quia eius materia esset illius formę subiectum. Nam vt ait Aristoteles libro 2. Physicorum cont. 91. *Materia est propter formam.* Hoc inquam non rectè dicitur. Nam materiam esse propter formā, nihil est aliud, nisi materiam habere talem vel talem dispositionem, quales requirit forma ad suum finem intimum, nempe ad operandum, vt manifestum ibi est tum ex verbis

Aristoteles.

N Aristo

Aristoteles. Aristotelis cum exemplis doctrinam prædictam explicat; tum ex eius ratione. Ait enim formam esse materiæ finem. *Quoniam si domus est, tale hac oportet fieri & esse ex necessitate.* Et rursus. *Et quoniam sanitas hoc est, hac oportet fieri ex necessitate & esse.* Hæc enim apertè significant talem oportere esse materiæ dispositionem, qualem requirit forma ad suum finem. Quia talis debet esse domus qualem requirit eius forma ad suum finem; nempè ad commodam habitationem: & talia oportet accommodare medicamenta, vt apta sint ad sanitatem, quæ est ipsorum finis. Quemadmodum etiam patet in artibus, vt ipse Aristoteles explicat cont. 92. Serra enim necesse est habeat tales vel tales dentes, vt secet. *Hi verò non nisi ferrea sit.* Ergo materia disponi debet ad operationem formæ. Ergo non solum est propter formam, sed ita propter formam vt aptetur ad eius finem, nempè operationem. Sublato ergo fine hoc materia non est propter formam.

Aristoteles. Ratio autem Aristotelis est, quia finis est instar primi principij; quod sumitur ex definitione ad conclusiones eruendas. *Et finis cuius gratia, & qui principium est à definitione.* Ita vt finis sit principium in praxi, quẽadmodum prima principia in speculatione. Finis autem qui est instar principij primi est ipsa formæ operatio. Vt si quæratur cur serra debeat esse ferrea? dicet, quia debet habere dentes duros: Si rursus, cur hoc? Quia ad ligna secanda; Quod fieri nequit, nisi serræ sint ferrei dentes. Idem dico de fræno & reliquis ex arte, vt quod syllogismus ita fiat ex primis principiis, est vt scientiam certam atque euidentem pariat in conclusione debito modo ex illis deprompta. Similiter dico de aliis. Vt quòd ad ligna dissecanda est, debet esse ferreum & dentatum: Sed serra est ad ligna dissecanda. Ergo & cæt. Atque ita cessante hoc fine non est quod ferrum sit subiectum eius figuræ, quæ serram constituit. Ergo pari ratione cessante fine, qui est formæ operatio, nõ est quod sit tale compositum ex materia. Et ita videmus in natura nullum esse animal, nec plantam vllam ad cuius finem; nempe operationem; corpus à natura efformatum non sit. Vt patet in dispositione, atque ordine membrorum tum in animalibus tum in plantis, & cæteris rebus. Plantæ enim ideò folia habent circa fructus, quia fructibus dandum erat cooperimẽtum: Radices verò quas

Aristoteles. Aristoteles libro 2. de Anima cont. 6. dixit esse *ori similes*, proptereaquòd inde debuerunt trahere alimentum; & sic de cæteris. Ita & non aliter anima est actus corporis organici potentiâ vitam habentis; nempè potentis operari, vt alibi ex Aristotele diximus libro 2. de Anima cont. 6. & 7. Instrumentum enim non refertur nisi ad opus tanquam ad finem vt docet Arist. lib. 1. de Partibus c. 5. vt mox dicetur.

Colligitur secundò, nec rectè posse dici corpus illud fore ad finem formæ eo quòd esset, vt illa forma connaturali modo eliceret suam operationem, nempè in suo toto. Quemadmodum quamuis animus suum intelligendi munus obeat, corpore nihil adiumenti conferente, tamen dum extra corpus est, præter naturam degit; & connaturalius intelligit in corpore, quia est corporis forma. Ita & illa forma intelligens licèt extra corpus fungi suo intelligendi munere posset; tamen quia actus corporis esset, connaturalius intelligentiam suam in corpore promeret,

A Ad hunc ergo finem connaturalem esset corpus.

Neque hoc inquam rectè dici potest: Quia illa forma non est actus corporis, sine cuius adiumento illa omnes suas functiones exercet. Videmus enim omnem formam in operando corpore adiutore vti. Ergo nec ex Aristotelæa lege, nec probabiliter affirmaretur talis forma: Quandoquidem sola ea asserere debemus, quæ in omnibus vel pluribus videmus. Alioqui rueret omnis principiorum firmitas, quæ inductione robur habent, omnisque philosophandi vis retunderetur. Negari enim posset omne quod ex contrariis constat corruptibile esse: Omne quod viuit vita plantæ enutriri alimẽto & cætera; Quia

B dicere quis posset arbitratu suo posse aliter esse; & sic de cæteris. Sanè si talis de facto natura esset, aliquod nobis aliunde datum esset signum, vt ea à nobis saltem non dico improbabiliter, sed non à cæteris naturalibus compositionibus aliena poneretur. Itaque forma est actus corporis quo instrumẽto vtitur ad operationem: Quæ causa est vt corpus hominis inter omnia animantia oportuerit redigi ad æqualitatem complexionis. Debuit enim esse conueniens organum ad sensiones promendas, potissimum autem ad tactus. *Ad cuius organum requiritur* inquit A. Doctor infrà q. 76. a. 5. c. *Quod sit medium* A. Doctor.

C *inter contraria, quæ sunt calidum & frigidum, humidum & siccum & similia, quorum tactus est apprehensiuus. Sic enim est in potentia ad contraria, & potest ea sentire. Vnde quanto organum tactus fuerit magis reductum ad æqualitatem complexionis, tantò perceptibilior erit tactus* & cætera. *Et propterea homo inter omnia animalia melioris est tactus.* Quia nimirum homo debuit esse animalium prudentissimum; & ideò hunc sensum certissimum habet teste Aristotele libro Aristoteles. 2. de Anima cont. 94. *Vnde & prudentissimum animalium* inquit *est*. Ergo corpus animi instrumentum debet esse ad operationem tanquam ad finem. Sicut enim tale corpus est ad talem operationem, ita & corpus simpliciter ad operatio-

D nem simpliciter. Legendus est A. Doctor infrà A. Doctor. q. 91. a. 3. Vbi hanc rem latè examinat. Sic etiam Aristoteles libro 9. Metaphys. cont. 15. dicit nos Aristoteles. oculos habere vt videamus, non autem nos videre vt oculos habeamus: Et generatim libro primo de Partibus Anim. cap. 5. optimè confirmat quod contendimus in præsenti. *Cùm autem* inquit *omne instrumentum rei alicuius gratiâ sit, & partes corporis gratia alicuius esse videamus. Id autem ipsum esse alicuius gratiâ nonnisi pro aliqua actione sit; patet iam totum etiam corpus constare alicuius gratiâ actionis plenioris.* Ergo & partes corporis & corpus ipsum, quia instrumenta in aliquam actionem tanquam in finem Aristotele teste referun-

E tur. Quam doctrinam vt magis ipse Aristoteles confirmet, illicò rationem subdit ab similitudine optimam. *Non enim* inquit *sectio serræ gratiâ facta est, sed serra sectionis gratiâ, cum sectio quædam vsio sit*, id est vsus & actio. *Quapropter corpus totum animæ gratiâ conditum est; & membra officiorum gratiâ constant, & munerum, ad quæ singula accommodantur.* Vnde quoniam actiones compositorum sunt finis, ab actionibus ordiendum sibi esse dicit. *Primum igitur actiones tum omnibus communes, tum eas quæ singulis generibus, speciebusque habeantur, exponi oportebit*, & cætera. Quibus patet non esse concedendum corpus, quod operationibus compositi non subseruit.

Non

Non poſſe dari ſubſtantiam purè intelligentem ex materia corporea concretam, & cur. § 3.

SEcunda propoſitio. Probabile mihi videtur non poſſe abſolutè dari naturam purè intelligentem ex materia formáque concretam. Dico *prob ibile*: Quia non inuenio euincentem rationem: Nam argumenta Durandi, quibus ipſe fortè putauit ſimpliciter improbari, naturam Angelicam poſſe eſſe compoſitam, facilè reiici poſſunt, vt ex dictis patet. Probari autem propoſitio poſſet: Quia illa natura compoſita non eſt poſſibilis, cuius partes non poſſunt eſſe aptæ ad finem ſui compoſiti: nempe ad operationes: Sed eius naturæ purè intelligẽtis partes; nempe materia & forma non poſſunt eſſe aptæ ad compoſiti operationes. Ergo, & cætera. Maior ex dictis certa eſt. Minor autem probatur: Quia corpus illud non confert ad promendam puram intelligentiam, vt probatum eſt. Ergo non poſſet eſſe aptum ad illius compoſiti operationem. Verùm in hac ratiocinatione minor non eſt efficax, vt repugnantiam probet: Nam dici poſſet corpus aptum eſſe ad intelligentiam; non quidem quia ad eam adiumentum afferat vt diximus: ſed vt ſecundùm connaturalem ſtatum ſuæ formæ ipſa actio eliciatur, nempe in ſuo toto. Poteſt enim corpus, vt dicebam modò de hominis animo, licèt non ſit adiumento ad ſuæ formæ actum ſimpliciter eliciendum; conferre tamen ad eundem actum ex parte, & ſecundùm aliquod eius eſſe; nempe vt ſit ex ſuo principio connaturali modo ac ſtatu ſe habente. Et quamuis nos in *Secundo Colligitur* oſtenderimus, id de facto non debere aſſeri, ne gratis ac temerè aliquid in rerum natura eſſe defendatur, præſertim repugnante conſueto naturæ in cæteris ordine; tamen hoc non probat ſimpliciter fieri non poſſe. Nam repugnat quidem naturali conſtitutioni, quam nunc ex rerum natura colligimus, vt in centro terræ lateat aliquis cæleſtis orbis ſuis aſtris ornatus, quia nullus apparet quis ſit eius finis; Tamen ex hoc non oſtenditur, eſſe impoſſibile ſimpliciter vt talis orbis ibi deliteſcat. Quia ſi eſſet aliquis, hoc ipſo finis illi conſtitutus eſſet à Deo in vniuerſo. Et hac ratione dicam Difficultate ſeq. poſſe Angelos reperiri, qui ſint compoſiti ex forma & materia ſpirituali; Negabo tamen Difficult. vlt. tales eſſe de facto.

Durandus.

Probatur ergo meliùs noſtra propoſitio, quia Illa natura intelligens non poteſt abſolutè conflari ex materia corporea, cuius operationi deberet materia eſſe impedimento; ſed materia corporea eſſet impedimento naturæ purè intelligentis operationi. Ergo natura purè intelligens non poteſt conflari ex materia. Maior eſt certa: quia impoſſibile eſt, vt principia, quæ conſtituũt ſuum totum, ſint impedimento eius operationi: Nam ex principiis tanquam ex naturis oriri debent actiones non impediri, cum natura ſit principium ſui motus, vt dicitur libro 2. Phyſicorum cont. 3. Ergo tale compoſitum non poteſt eſſe. Minor probatur: Quia intellectus ille deberet vel accipere imagines à rebus, vel eas congenitas habere. Non à rebus: Deberet enim eas accipere per corpus & organa ſenſuum. Rectè

A enim A. Doctor infrà quæſt. 76. a. 5. c. hæc duo connexa exiſtimauit; nempè *non habere naturaliter ſibi inditam notitiam veritatis, ſicut Angeli*; Et eâdem *notitiam veritatis colligere ex ſenſibilibus per viam ſenſus*. Rectè inquam: Si enim debet animus colligere notitiam ex rebus. Ergo etiam ex rebus corporeis; ac proinde per actionem aliquam corporis in ipſum animum cognoſcentem. Non enim videtur quinam alius aptior modus excogitari poſſit. A. Doctor.

Nam ſi dicatur, Deum ad præſentiam obiecti producere ſpecies in intellectu ipſius animi, aut ipſum animum in ſe producere; dupliciter refellitur. Primò enim innaturale eſſet in eo animo, vt cum non debeat accipere ſpecies à rebus, ſed

B à Deo vel à ſeipſo, eas nõ haberet ab initio creationis; & ideò natura Angelica, quam Theologi ponunt purè intelligentem, habet omnes rerum ſpecies naturaliter congenitas. At non eſt aſſerẽdum in creatura, quam Deus faceret ſua poteſtate abſoluta, quicquã innaturale. Non enim nunc præſens controuerſia eſt; An Deus poſſit producere Angelum purè intelligentem, qui quouis modo ſit corporeus ſiue naturali ſiue innaturali modo: Sed vtrum poſſit fieri talis animus purè intelligens, vt ſua natura corpus habere debeat tanquam compartem, ac proinde ex quo debeat oriri connaturales proprietates. Ergo eius natura exigeret tanquam connaturalem proprieta-

C tem eas produci ſpecies ab initio, quandoquidem obiectum nihil conferret ſua præſentia. Nullum enim agens præſentiam alterius requirit, niſi vel vt ſit cauſa adiuuans, vt cum alter trahens additur alteri, qui ex ſe trahere non poteſt; vel ſit conditio, & approximatio paſſi ad agens, vt ignis applicetur ligno, aut contra: Quorum neutrum tunc eſſet.

Quod ſi dicas, præſentia obiecti determinari agentem cauſam vt ſpecies producat, quemadmodum intellectus agens in homine determinatur à phantaſmate præſente. Contrà eſt manifeſta ratio: Nam agens intellectus ideò determinatur ad producendum ſpecies, quia eas efficit pro

D intellectus Potentiæ exigentia. Talis enim natura eſt intellectus animæ noſtræ, vt ob ſeriem ſuarum potentiarum eas rerum flagitet ſpecies, quarum rerum phantaſmata habet in organo imaginationis. Quo etiam pacto determinari aliquo modo dicitur Deus pro cauſarum naturalium indigentia, vt creet animum intelligentem, cùm materia eſt rectè diſpoſita ob ſeriem nexúmque cauſarum. At in re propoſita nulla eſſet ſeries aut cauſarum connexio, pro quarum exigentia Deus aut intellectus eas imagines efficeret. Præſentia enim localis obiecti non exigit, vt in intellectu alterius fiant tales ſpecies. Etſi enim exigit præſentia obiecti, vt habeat fa-

E cultatem expeditam ſpecies tranſmittendi ad organum viſus; tamen non exigit, vt in alterius intellectu hæ ſpecies ſint. Immò ſi in intellectu noſtro ſpecies producuntur etiam non præſente obiecti præſentia locali, abſurdum eſt in intellectu perfectiore, ac proinde qui minus à præſentia obiecti dependere debet, talem requiri præſentiam. Adde hæc gratis dici, talem naturam exigere ex ſe ſpecies, quæ oriantur ſolùm ex obiecti præſentia. Deberet ergo ille intellectus accipere ſpecies à rebus per organa ſenſuum. At hoc eſſe non poteſt: Nam nulli eſſent ſenſus, per quos tanquam per

fenestras ad animum transmitterentur. Ponimus enim esse purum intellectum.

Habet ergo species congenitas. Ergo ille intellectus liber à corpore in intelligendo, deberet res intueri per proprias sibi inditas species in corpore tanquam in carcere inclusus: Quod quidem videtur esse aliquod ipsi connaturali operationi obstaculum impedimentúmque, atq; à rerum naturis abhorrens. Præterea quænam eius corporis esset figuratio apta? Rotundáne, an quadrata? & cætera: Quandoquidem quælibet ad operationem perindè esset, vt accidit lapidi, qui quamlibet figurationem extrinsecus accipit. Esset ergo portentum ac monstrum; nec posset non impedire operationem; quæ tale corpus indignaretur potiùs tanquam animo incongruens, quam commodum vllum ex eo caperet. Quemadmodum cùm quis abiicit à se vestem, quæ illi potiùs impedimento sit, quàm aut vlli ornamento aut vtilitati. Non ergo est hoc probabile. Denique si animus hominis, cui tamen corpus plures sensus ad operandum aperuit sapientum iudicio conclusus in corpore suo tanquam in carcere aut sepulchro censetur, idq; non aliam ob causam nisi quia nobilissima intelligētia impar videtur nacta domicilium: Quid tandem de illo corpore existimassent, quod vndique occlusos ad animum haberet aditus? Neque enim aut manus aut caput haberet; non pedes, non pectus, nullam denique instrumentariam partem. Animum autē hominis esse in corpore veluti in carcere docuit Plato in Dialogo qui inscribitur Meno: Ideóq; in Cratylo docet, corpus esse dictū σῶμα quasi σῆμα id est sepulchrum. Cui simile est quod à Philolao Pythagoræo dictū cōmemorat Theodoretus lib. 5. de Curat. Græc. affect. nempe ob quædam supplicia animam corpori coniugatam, & quasi consepultam. Eodem recidunt quæ ex Homero scribit Plutarchus in lib. de Homero; & Clemēs Alex. lib. 3. Strom. Vnde Seneca epist. 65. *Corpus hoc*, inquit, *pondus atque animi pœna est*, & cætera. Porphyrius etiam apud sanctum Augustinum libr. 12. de Ciuit. Dei cap. 26. & libro 22. cap. 26. dicit, Vt anima sit beata *omne corpus fugiendum esse*; licèt hoc inconueniens dogma reputetur ab A. Doctore 1. 2. q. 4. a. 6. c. Et rectè; quia cùm naturale sit animæ esse cum corpore, fieri non potest vt corpus in beatitudine perfecta ab animo excludatur, & ideò ibidem ostendit A. Doctor, ipsum *ad beatitudinem omnibus modis perfectam requiri*.

Plato. Philolaus. Theodoret. Homerus. Plutarch. Clem. Alex. Seneca. Porphyrius. S. Augustin. A. Doctor.

Ex hac propositione ita probata colligitur, hoc ipso quod est substantia purè intelligens, esse ex se speciem completam sine corpore. Quod euidenter patet: Quia esset actus per se subsistens, quia intelligens; nec tanquam actus à corpore dependens ad componendum totum, quia non posset esse actus corporis, vt ostendimus: Multò minus tanquam materia ad aliam formam substantialem; Quia actus per se subsistens non est materia ad alium actum substantialem; Vt anima non est materia alterius actus substantialis, cum quo faciat vnum in genere substantiæ. Nam materia ideò contrahitur per actum, quia ex se non habet speciem & actum, & determinatas operationes nisi per formas. Ergo esset species completa ex se illa substantia.

Ex his respondetur ad argumenta, quæ opposuimus in parte negante. Ad primum enim

A dico, substantiam purè intelligentem excludere corpus tanquam partem totius, quia aut superuacaneum esset, vt diximus in prima Propositione: Aut impossibile ob impedimentum ad operandum, vt in secunda. Ad secundum dico eodem modo, illum actum intelligentem non esse connaturaliter in toto ex materia conflato, cuius operationes non eliciantur, conferente aliquid corpore ex parte principij, sed potius impediente; Vt probatum est in vtraque propositione. Vnde ad illud quod additur, nego fore hinc rationem actus, illinc potentiæ: Etenim actus corporis non est illa forma, ad cuius operationem corpus non potest esse dispositum.

B Qua ratione Aristoteles negat animam, qua intelligens est, hoc est qua principium est intelligendi, constituere compositum nempe hominem libr. 10. Ethicor. cap. 7. Quia eius vita est quid diuinum, & non est hominis, quâ hominis, vt suprà vidimus. Vnde expressiùs libro secundo de Anima, contextu vndecimo dixit, *Nihil prohibet quasdam separari, propterea quod nullius corporis sunt actus*. Nimirum secundùm vim intelligendi præcisè. Et ideò libro primo de Partibus cap. primo probat, secundùm hanc considerationem, nempe quâ intelligens est: Physici non esse tractare de Anima. *Intellectus enim siue mens*, inquit ibi Aristoteles *intelligibilium est*. Quo pacto C negat esse motus alicuius, nempe corporei, principium; ac proinde secūdum eam rationem; nempe quâ intellectus est, corporis actum esse. Quin etiam A. Doctor infrà q. 76. a. 1. ad 1. idem docet expressè, nempe animum esse separatum à corpore *secundùm virtutem intellectiuam. Quia virtus intellectiua*, inquit, *non est virtus alicuius organi corporalis, sicut virtus visiua est actus oculi. Intelligere enim est actus, qui non potest exerceri per organum corporeum, sicut exercetur visio*. Itaque negat animum secundum virtutē intellectus, hoc est, secundum rationem qua intellectiua est, esse corporis actum: Quod confirmat ex Aristotele libr. 3. de Anima contextu sexto & septimo dicente. *Quod* D *intellectus est separatus quia non est virtus alicuius organi corporalis*. Licèt optimè addat ibidem animam, *cuius hæc virtus est, esse corporis formam*. Vnde infrà quæstione nonagesimaseptima a. 3. c. posuit discrimen inter animam & spiritum in ipsa anima rationali: Quod anima *dicitur secundum illud quod est sibi commune, & aliis animabus, quod est vitam corpori dare*, & cætera: *Sed spiritus dicitur secundum illud quod est proprium sibi, & non aliis animabus; quod scilicet habeat virtutem intellectiuam* immaterialem. Hæc ergo secundum quod est intellectiua, & immaterialis, non est forma corporis, quia id opponitur rationi animandi. Ad alia E quæ in eo argumento adduntur, ex dictis responderi facilè potest.

Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrùm constari absolutè possit Natura purè intelligens ex materia spiritali.

IN Parte negante videri potest Gabriel Vasquez in Annot. ad art. 2. Vbi *Nullam*, inquit, materiam

Vasquez.

materiam hactenus videtur concessisse nisi corpoream. Verè tamen hanc sententiam aperte non affirmat aut negat. Quemadmodum nec Gregorius de Valentia, nec Suarez. Quamuis enim ille hic Disputat. 4. q. 1. p. 4. in 2. ratione Primæ Assertionis putet argumento A. Doctoris confici, vt omnis omninò materia negetur in Angelis. Hic verò Disput. 35. Metaphys. sect. 3. n. 6. supponat in Angelis nec posse esse materiam, nec compositionem ex partibus essentialibus, ac distinctis, quia *huiusmodi compositio*, inquit, *non inuenitur nisi in rebus quantis & corporeis.* Tamen neuter facit huius materiæ spiritalis mentionem; atque ita neuter negat, hanc materiam esse possibilem. Qua etiam ratione nec Caietanus ad hanc negantiũ partem spectabit. Nam etsi hic a. 2. §. *Ad hoc breuiter dicitur* expresè doceat, *rationem literæ manifestè concludere, quod substantia intellectualis vt sic est immaterialis, id est independens in esse à materia. Hoc enim ex operatione & obiecto probatur:* Tamen per materiam nihil spiritale intelligit, sed corpoream substantiam, partémque corporis materialem.

Valentia. Suarez. A. Doctor. Caietanus.

Valentia. Caietanus. Cuiuscunque tamen hæc sententia sit, probari potest ratione, qua ex A. Doctore vsi sunt Valentia & Caietanus, quæ sic formari potest. Illa natura non potest ex materia spiritali componi, in qua non potest materia conferre ad principiũ suæ intellectionis: Sed materia nõ potest conferre ad principium intellectionis; Quia hæc intellectio, cùm sit merè spiritalis, solũ spiritale principium flagitat. Ergo natura illa purè intelligens non potest esse ex materia spiritali. Minor patet: Quia nihil illa materia subministraret formæ intelligenti: Ergo nihil conferret ad principium. Secundò probari potest ratione, quam indicat Gabriel Vasquez: Quia vbi nõ potest esse transmutatio substãtialis, ibi non potest esse materia. *Ideo enim ex Durando*, inquit, *& Henrico rectè negatur in cœlo materia.* An in illa natura intelligente nulla esse posset transmutatio substãtialis, alioqui substantia spiritalis non esset incorruptibilis. Ergo, &c. Tertio probari potest; Quia si posset dari illa materia spiritalis, deberet cõposito materiali esse imperfectior; quia materia illa nõ esset substantia simpliciter; hoc verò esset. Perfectior autem est substantia simpliciter, quàm quod est substantia ex parte. Sicut perfectius est calidum simpliciter, quàm calidum remissum secundùm duos gradus, &c. Quod enim plures gradus entis habet, perfectius eo est, cui pauciores insũt. At absurdum est substantiam spiritalem esse materiali imperfectiorem.

Vasquez.

S. Bonauent. Ricardus. Aureolus. In Parte affirmãte sunt Alexãder, & expressiùs S. Bonauentura, Ricardus & Aureolus: Quorum verba superiore Quæsit. Difficult. 2. initio retuli. Nam de facto eam in Angelis esse putant. Mitto eos, qui de facto Angelos materiam corpoream habere putãt, quos suprà validissimis argumẽtis refutauimus. Vnde nec ad hanc sententiam pertinere possunt; nisi quod multò fortius tenentur dicere, posse fieri Angelum ex materia spiritali: Quandoquidẽ hæc magis ad naturã intellectus accedit, quàm corporũ materia, vt ex dicendis in hac ipsa Difficult. constituendũ est. Ad solutionẽ

Notandũ est: Quia ex dictis hactenus constat, Angelos nihil esse aliud nisi creaturas intelligẽtes homine perfectiores, ac proinde substantias intelligentes completas, atque, vt superiore Difficult. ostẽdimus, omninò incorporeas, necessariò hinc inferri, non posse dari creaturam intelligẽ-A tem completam atque incorpoream, quæ Angelus non sit, nimirum siue bonus siue malus; Quia illi natura ac definitio Angeli conueniret. Itaque idem est quærere de huiusmodi natura, Vtrum possit ex materia spiritali componi, atque de Angelo. Pro qua re

Notandum secundò, nomine materiæ spiritalis nos intelligere eam substantiam, quæ tanquã subiecta pars simul cum comparte forma vnum totum facit, ita tamen vt non sit materia apta ad corpus constituendũ; eo quod scilicet extendi ac diuidi quantitate non possit: sed omninò indiuidua ac simplex in se sit, nec formæ materialis capax vllo modo. Quemadmodũ omnium sentẽtiã B substantia animi nostri cõparata ad suos habitus atq; actus materia quidẽ ipsa est: Quia cum habitu facit compositum accidentis: est tamen spiritalis materia; quia nec dilatari quãtitate potest, nec formam materialem est apta suscipere. Ergo nõ potest esse corporũ materia; quę materia quãtum est ex se, quantitati subiecta est: Qua ratione corporum est, vt ex Aristotele suprà dixi. Si autẽ est materia & nõ corporũ; ergo spiritalis esse debet. Quodcunq; enim est re ipsa siue materia siue forma, aut corporeũ aut spiritale sit oportet. Hæ namq; differentiæ oppositæ sunt, & ex æquo genus entis diuidunt. Quod de formis manifestum est. Aut enim fiunt ex materia corporum; aut non C fiunt. Si non; ergo independentes à materia, ac proinde per se subsistentes & spiritales. Si fiunt, ergo sunt corporeæ. Vnde A. Doctor infrà q. 90. a. 2. c. eodem argumento vsus est, vt probet animam nostram nulla ex materia fieri. Posito ergo quod daretur huiusmodi compositum, eius forma esset spiritalis, quia educi ex materia non posset. Nam esset per se subsistẽs, quippe intelligens, suam tamen illam materiam respiceret tanquam verus actus formaq; illius. Non quidem illa corporea, ne animus spiritalis dicatur naturæ corporeæ. Non etiã ex spiritali, Quia *sic substantiæ spirituales inuicem transmutarentur*; Quia scilicet non essent per se subsistentes, sed depen-D derent à materia eas sustentante, ac proinde possent transmutari. Quod ponit tãquam per se absurdum: Nam cùm animus noster qui est infima substãtia inter spiritales, vt benè docet A. Doctor infrà q. 76. a. 5. & q. 79. a. 2. per se subsistat, ideóq; nõ possunt inter se trãsmutari Ergo multò magis formæ intelligẽtes perfectiores erũt per se subsistentes, ac proinde nec poterunt inter se cõuerti.

Aristoteles. A. Doctor.

A. Doctor. At dicet aliquis. Ergo A. Doctor ponit tãquam certũ, quamcũq; formã in materia spiritali posse transmutari in aliã. Respondeo, id verũ quidem esse de forma, quæ è materia educitur per causas secundas. Ostendit enim in eo articulo, animam rationalem non posse fieri nisi per creationem. E Aliàs si fieret *ex materia præiacẽte*, Ergo vel corporea vel incorporea. Supponit ergo fieri & educi ex præiacente materia, ac proinde per causas naturales, aut secũdarias. Nã in rerum natura Deus solus nihil facere solet ex præiacente materia. Vnde formæ cœlestium corporũ, & alia quæ à solo Deo esse habent in materia, vnà cum materia procreata sunt, non autem ex præiacẽte materia facta. Immo A. Doctoris opinione etiam quæ à solo Deo in ipso exordio mundi cõdita sunt: vnà cum materia cõdita sunt; Cùm materia informis nullo modo præcesserit, vt ipse probat infrà q. 66. a. 1. Si ergo animus nõ fieret per creationem à solo Deo, educeretur ex materia præiacente vi

A. Doctor.

te vi causarum secundarum. Omnis autem substantialis forma huiusmodi opinione A. Doctoris non desinit esse, nisi per transmutationem; quia scilicet excluduntur à subiecto successione formarum incompossibilium; quod est in alias transmutari, vt nunc suppono ex alibi dictis. Itaque ponimus illum animum subsistentem suâ intrinsecâ naturâ incorruptibilem. Atque ita præsens quæstio erit, Vtrùm dari absolutè queat huiusmodi substantia Angelica ex vtraque prædicta parte concreta. In hoc ergo sensu ad difficultatem respondetur.

Non repugnat dari substantiam ex materia spiritali conflatam, cur, & quomodo. §. 1.

VNica propositio. Non repugnat absolutè, hoc est diuinâ omnipotentiâ talem Angelicam substantiam dari. Probatur propositio ratione à priori: Quia neque repugnat ex partibus substantiam componentibus, neque ex proprietatibus consequentibus, neque ex actu ipso intelligendi. Ergo nullo ex capite repugnat: Omnis enim repugnantia oritur, aut ex causarum natura, aut ex consequenti effectu & proprietate. Antecedens patet, quod repugnantia non sit ex principiis essentiæ: Et primùm non ex parte formæ; Quia substantia spiritalis intelligens potest esse actus materiæ corporeæ ad faciendum vnum in genere corporis; ergo multò magis poterit esse actus materiæ incorporeæ, cum qua magis conuenire potest in ratione actus ac potentiæ; Hoc etenim pacto genere propinquiore conueniunt, nempe in genere spiritali. Deinde neque ex parte materiæ: Quia si potest dari substantia corporea, quæ sit subiectum recipiẽs formæ materialis: Ergo & materia spiritalis, quę sit potentia, & subiectum formæ spiritalis. Pari enim proportione se habet materia corporea ad formam corporis, & materia incorporea ad formam spiritus. Vt enim habet Aristoteles libr. 2. Physic. cont. 26. *Materia, & forma sunt inter se relatiua*; hoc est se mutuò respiciunt. Immò si materia corporis potest esse ita pars subiecta, vt cum forma spiritali totum corporatum componat; cur non poterit dari materia spiritalis ita pars subiecta, vt cum forma sui ordinis; nempe spiritali, totum spiritale constituat? cum ex hac parte maior sit quam ex illa inter potentiam actúmque proportio. Confirmatur: quia substantia spiritalis potest esse materia spiritalis qualitatis; ergo & formæ spiritalis substantialis. Aut cedo, cur sit hinc maius absurdum? Nulla ergo repugnantia ex partibus essentiæ.

Quod verò non repugnet ex proprietatibus probari potest: Quia si qua assignari posset repugnantia, duæ potissimùm dicendæ essent. Vel primò, quia illud totum esset dissolubile, ac proinde corruptibile: certum enim est, vnumquodque in ea diuidi posse ex quibus est; vt apertè docet Aristoteles libro 3. Physic. cont. 45. libr. 6. cont. 3. libro 1. cont. 65. libro 3. cœli cont. 15. & libro 3. Metaphys. cont. 15. Vel secundò, quia in eo composito non conferret ad compositi operationes. At neutrum obstat. Nam primum non sequitur: etenim esto dissolubile sit ab eo agente, à quo vniri possunt eius partes; non tamen sequitur esse corruptibile; Nam quemadmodum cœlum opinione Thomistarum licet à Deo quidem sit dissolubile, quia ab ipso conflatum est ex materia & forma, tamen non est simpliciter corruptibile. Propterea quod illud est corruptibile, quod vi cõtrariorum agentium destrui potest, vt ostendi fusè ex Aristotele & Peripateticis in 1. lib. de cœlo, & nonnihil dixi super Difficult. Notando tertio; Pari etiam ratione illud compositum diuidi in suas partes à Deo quidem posset; non tamen simpliciter corruptibile esset. Confirmatur, quia licet à Deo vtraque compositi cœlestis pars sit vnita ad faciendum vnum, non tamen simpliciter est generabile, quia vi agentis naturalis generari non potest: ita licèt à Deo dissolui possit vtraque pars; non tamẽ simpliciter est corruptibile, quia vi agentis naturalis dissolui nequit. De qua etiam re vide infrà ad articulum 5.

Sanè si Peripateticè de corruptibili atque incorruptibili disceptandum sit, non aliter dicendum est, nisi vti diximus; Nempe illud esse corruptibile quod aliquando vi agentium perdere suum esse potest; sicut illud est generabile, quod aliquando potest suum esse accipere eorumdem agentium virtute. Hæc enim duo, vt ait Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 127. & 129. reciprocantur. Ita vt si generabile sit, & corruptibile quoque esse debeat; & contrà de incorruptibili & ingenerabili. Cuius rationem affert, quæ manifeste indicat, vtrumque dici de corpore comparatè ad naturale agens; Quia scilicet si corruptibile sit, non est necesse sit semper; ergo fuit generabile ab agente scilicet naturali; respectu cuius dicitur generabile. Contrà verò si incorruptibile sit; ergo necesse est sit semper; ergo ingenerabile ab eodem agente, à quo sempiternitas non dependet. Nam à Deo dependere potest, vt patet ex Aristotele libro 12. Metaphys. cont. 38. Quod verò hic Aristotelicus sensus sit, patet ex eius verbis in cont. 126. eiusd. libri primi de cœlo. & sequenti. *Necesse est*, inquit, *si corruptibile sit, generabile esse*, & cætera, *si ingenerabile, & incorruptibile*, & cætera: *Sin autem non se inuicem sequuntur incorruptibile & ingenerabile, non necesse est aut ingenerabile, aut incorruptibile sempiternum esse.* Ergo ingenerabile quia semper est, est etiam incorruptibile; & contrà quia semper est ingenerabile est; quia scilicet agens materiale in illud nõ potest. Quæ omnia manifestè confirmantur ex verbis in fine eius libri cont. 140. Vbi totam illam de corruptibili & incorruptibili disputationem cõclusit ita, vt corruptibile dixerit quòd est alterabile; incorruptibile verò inalterabile contrariis qualitatibus. *Et naturaliter*, inquit, *& non vniuersaliter considerantibus impossibile est aut quod sempiternum erat prius, corrumpi posterius, aut quod prius non erat sempiternum esse. Corruptibilia enim omnia & generabilia, & alterabilia sunt. Alterantur autem contrariis ex quibus constant, quæ natura sunt, & ab eisdem ipsis corrumpuntur.* Hæc ille. Constat ergo illud compositum licèt à Deo solui possit, non tamen fore corruptibile; quia non esset contrariis subiecta materies. Quam etiam sententiam expressè docuit A. Doctor infrà q. 75. art. 6. Vbi probat: *Dato etiam quod anima* rationalis *esset ex materia & forma composita, vt quidam dicunt, adhuc oportere eam esse incorruptibilem.* Rationem eius rei talem subiungit: *Non enim inuenitur corruptio nisi vbi inuenitur contrarietas: Generationes enim &* corru-

Aristoteles. Aristoteles. Thomistæ. Aristoteles. Peripatetici. Aristoteles. Aristoteles. A. Doctor.

corruptiones nonnisi ex contrariis in contraria sunt. Vnde corpora cœlestia quia non habent materiã contrarietati subiectam incorruptibilia sunt. Ergo cùm in anima nulla esset contrarietas, esset incorruptibilis. Idem habet prorsus & fusiùs q. de potentia a. 9. c. Sed vide plura hac de re infra a. 5.

Præterea quæro, Vtrumnam sit magis absurdum; Possene à Deo compositum in suas partes resolui, an entitatem Angelicam simplicem in suum vt ita dicam, nihilum à creatore conuerti? Sicut ergo hoc meritò non reputatur quicquam absurditatis continere; ita neque illud tanquam inconueniens deduci debet. Immò cùm necesse sit, omnem creaturam subiectam esse imperio creatoris, ab eiúsque arbitrio pendere, oportet etiam vt pro eius voluntate desinat esse: Neque potiùs in vna hoc creatura asserendum est, quàm in alia. Denique non repugnat ex parte actus intelligendi; quia si potest esse intelligentia in anima informante verum corpus; cur non possit esse in animo spiritale compositum constituente?

Iam si quis dicat secundum, Nempe materiam debere conferre ad operationes compositi, quia materiæ munus in composito cognoscente est, non solum vt totum componat; verùm etiam vt species subministret ad cognitiones atque appetitiones, quemadmodum homini suggerit phantasmata. Vnde A. Doctor infrà q. 84. a. 4. c. (A. Doctor.) *Maxime, inquit, corpus est necessarium animæ intellectiuæ ad eius propriam operationem, quæ est intelligere, quia secundum esse suum à corpore non dependet.* Ex quibus ait, si non acciperet animus species à rebus, sequi, vt animus *frustra corpori vniretur.* Si, inquam, hæc dicantur. Contrà est: Nam primò impar est ratio de hominis animo, ac de illo Angelo, cuius formã in materia spirituali reponimus. Noster enim animus, cùm sit spiritalis, vix vllum nobis videri posset cum materia corporum habere commercium, nisi inter vtramque hominis partem communio operationis esset, vt in hunc finem à natura instituta coniunctio esset vtriusque. Cùm enim tanta inter ipsas distantia intercedat, communis vtrique operatio vtramque partem copulare debuit. Alioqui frustra omninò eas vnire natura visa esset: Quia nulla prorsus finis necessitas apparere potuisset; cum præsertim intellectui melius sit si absque corpore sit, vt suprà diximus. Hæc autem ratio in illo Angelo locum non haberet. Etenim etiãsi materia illa spiritalis nullas intellectui Angelico species subministraret, tamen finis vtriusque partis planè esset manifestus, eo quod vnaquæque spiritalis illa pars, quia per se imperfectè subsisteret, alterius cõsortium ad perfectam subsistentiam flagitaret, etiamsi in vnum operandi finem materia illa non concurreret. Secundò in homine ideò materia suggerit has rerum imagines, quia intellectus humanus in hac vita pendet à sensibus, quos natura instituit, vt quæ sensus ipsi perceperint, ea intellectui denuntiẽt. Alioqui frustra dati à natura essent sensus. At in Angelo illo nulla esset huiusmodi ratio ex materia spiritali, quia nec vlli sensus, isque Angelus congenitas sibi à Deo species exigeret, vt nunc qui sunt Angeli, eas poscũt. Neque ex ratione materiæ præcisè aduersus hæc quicquam ostenditur: Hoc enim materiæ debet esse satis, si tanquam pars formæ subiecta faciat suum totum. Ergo non est necesse, vt toti suggerat species.

A Quod etiam patet: quia integra ratio materiæ saluatur in corpore sanctorum, qui felicitatem adepti sunt; in quibus tamen quoad quasdam sensiones, vt gustatus, & fortè etiam tactus quoad quædam, vt docet A. Doctor in 4. d. 44. q. 2. a. 1. quæstiuncula 4. nullus viget sensus. (A. Doctor.)

Verisimilius diceretur, materiam suo modo semper debere principio agenti esse adiumento: Ad actionem verò quæ recipitur in suo principio eliciente non potest esse adiumento; atque ita in ea compositione frustra esset. Verùm contrà primò quia licèt de facto verum sit, materiã vnà cum forma actiuè cõspirare in effectum externum totius coniuncti: Qua ratione dixi 3. p. q. 84. Quæsi. 2. Diffi. 1. ex sententia A. Doctoris (A. Doctor.)
B ibidem a. 1. ad 3. & q. 86. a. vlt. in c. Actus pœnitentis, qui in sacramento pœnitentiæ materia sunt, habere vim efficiendi gratiam in hominis animo, quæ eius sacramenti effectus est: tamen quid impedit, ne sit aliqua materia, quæ nullam habeat in aliquo composito efficientiam? vt post exsuscitationem mortuorum materia non ampliùs ad intellectionem phantasmata suggeret, vt docet A. Doctor 1. 2. q. 3. a. 3. c. Vbi ait ex S. Augustino in epistola ad Dioscorum, quæ est 56. In beatitudine illa perfecta quæ exspectatur in cœlo, sensus habituros ex perfectione animi suam perfectionem. (A. Doctor. S. August.) *Quia post resurrectionem*, inquit, *ex ipsa beatitudine animæ fiet quædam refluentia in corpus, & in sensus corporeos, vt in suis operationibus*
C *perficiantur.* & ibidem ad 3. ait. *Quod in perfecta beatitudine perficitur totus homo, sed in inferiori parte per redundantiam à superiori.* In quo putat situm esse discrimen inter hanc imperfectam præsentis vitæ, ac perfectam in cœlo beatitatem. Quod in hac *è conuerso à perfectione inferioris partis proceditur ad perfectionem superioris.* Ergo loquitur de perfectione in cognoscendo, dum per suas facultates homo in actum prodit.

Quibus apparet, longè aliter A. Doctori visum esse de sensuum operatione post resurrectionem in hoc diuino opere, atque in 4. d. 44. q. 2. a. 1. quæstiuncula 3. & 4. Vbi sensuum operationes docuit in beatitudine per species ab obiectis impressas fore eliciendas. Qua de re (A. Doctor.)
D alibi. Nunc constat posse esse, atque adeò de facto aliquando fore, vt materia non conferat ad operationes animorum. Immò materia nunc licet phantasmata subministret, non tamen proximè ad intellectionem operatur, cum animus intelligit vniuersalia: & intelligit idem & diuersum: esse non esse & cætera. Quo pacto ex Aristotele libro 1. de Anima cont. 17. & A. Doctore q. 76. a. 1. constat, intelligere non esse per instrumentum corporeum, vt suprà dixi, & fusiùs deinceps dicetur, & infrà q. 54. a. 4. Ergo in nostro proposito materia saltem poterit non proximè ad intelligentiam se habere, vt præbens imagines; sed vt principium mediatum; quia scilicet (Aristoteles. A. Doctor.)
E subiectum sit formæ eliciẽtis operationem; non verò comprincipium in ipsam immediatè influens. Quod magis cõfirmandum est in sequentibus *Colligitur*, vbi assignabitur differentia huius compositi, & compositi materialis, de quo superiore Difficultate disputatũ est. Ex hac Propositione ita probata

Colligitur Primò non posse deduci ex superiore Difficultate argumentum illud, quod primo loco posui ibidem pro Parte negante. Id inquam non potest: quia non ex hoc est impossibile

le compositum ex materia corporea & forma purè intelligente, quia nihil collatum foret adiumenti ad operationem principij formalis. Hanc enim impugnauimus rationem in secunda propositione; sed quia potiùs impedimento foret intelligentiæ quam adiumento. Esset enim veluti illius formæ carcer, & figuræ non aptæ ad compositionem: Hæc autem materia spiritalis non esset carcer, sed compars: Nec figurari oportet quod figurari nequit. Immò materia responderet suæ formæ, & mutuam proportionem ad constituendum totum perfectissimo modo haberent.

Colligitur Secundò, non rectè suprà in Parte Affirmante dici à recentioribus hactenus nullam agnitam esse materiam nisi corpoream, vt affirment, in Angelis nullam materiam esse posse. Nam primùm grauissimi Theologi alias spiritales materias de facto arbitrati sunt inesse Angelis, vt vidimus in Parte affirmante. Deinde eam supponit possibilem esse A. Doctor infra q. 90.a.2.c. cùm negat, animum rationalem posse educi ex materia siue corporea siue spiritali: Quod non idcircò negauit propterea quod talis materia sit impossibilis; sed ex consequenti absurdo, Quia formæ spiritales inter se transmutari possent, vt paulò ante retulimus. Tertiò etiamsi de facto nullam hactenus esse compertum esset; tamen ex hoc non constaret, nullam aliam præter corpoream à Deo creari posse: Quod solum ex naturæ repugnantia comprobandum est. Illustrantur enim magis indies ingenia, nouæque consecutiones quotidie ex notis principiis eruuntur. Tandem infra a.4. Quæsito 2. Diffic. 1. in secundo *colligitur* manifeste reperies A. Doctoris opinione posse dari materiam nõ corporum, ex qua Angeli componantur.

A.Doctor.

A.Doctor.

Colligitur Tertiò aliud fundamentum requiri ad negandum, huiusmodi concretum esse de facto; aliud verò ad negandum illud esse possibile; sicut etiam superiore Difficultate dictum est: Nam vt sit possibile, satis est ostendere non esse repugnantiam, vt hactenus fecimus. Vt verò de facto non sit philosophandum est ex signis, quæ apparent; ne gratis atque improbabiliter affirmetur, quod philosopho ratione vtenti damnandum magnopere est, vt etiam dicam sequenti Difficultate.

Satisfit argumentis aduersantium. § 2.

EX his respondetur ad argumenta negantia. Ad Primum distinguo Maiorem. Dupliciter enim materia potest conferre ad principiũ operationis, quod est forma: Primò quidem tanquam principium conferens suam vim agendi, vt alter equus iuuat alterum in trahendo currum. Alio modo vt conferat vt principium sit secundùm connaturalem ac sibi debitum statum. Qua ratione corpus hominis vbi à mortuis diuina virtute reuocatum erit; Quamuis nullam vim agendi tribuat hominis animo, vt diximus. Immò quamuis nunc de facto immediatè nullam vim agendi conferat in principium intelligendi, nempe in hominis animum, quia intelligit, tamen ex coniunctione cum corpore hoc habet principium intelligendi, vt operetur secundùm connaturalem statum. Et ideò in beatitudine perfectio corporis requiritur, vt docet A.Doctor 1.2.q.4.a.6. Vnde S.Augustinus libro 12. super Genes. ad lit. cap. 35. ait, in animo esse naturalem quendam appetitum corpus administrandi. Neque enim, vt ait A.Doctor ibidem a. 5. ad 1. animus habet suam naturalem perfectionem nisi in corpore, *secundum quam est corporis forma.* Nam pars non est naturali modo nisi in suo toto. Dico igitur quamuis corpus non adiuuet in beatitudine animum, vt beatitatis efficiens, conferre tamen ad ipsum animum, vt sit in connaturali ac debito statu. Ne scilicet cum sit pars alicuius totius sit sine sua compare, cum qua totum ipsum constare debet.

A.Doctor. S.August. A.Doctor.

Ad secundum dico ex transmutatione colligi primò, esse materiam in corporibus. Nunquam enim in eius rei cognitionem venissemus, nisi substantialis mutatio esset in rebus, vt fecit Aristoteles libro 1. Physic. sæpe, præsertim cont. 52. & 60. At verò postquam compertum est, materiam esse in aliquibus corporibus; posse nos quoque in cæteris, vbi nullus interitus cernitur, à paritate rationis eandem esse materiam iure affirmare. Quod quidem in cœlo Thomistarum, ac ferè omnium sententiâ manifestum est. In quo etiamsi nulla substantiæ transmutatio animaduertatur, ex aliis eius affectionibus concluditur, cœlo quoque suam materiam inesse. Immò addo: esto nullibi colligatur de facto esse materiam nisi ex mutatione formarum; tamen vt dicatur esse possibilis, satis est, si nulla appareat repugnantia; ex qua sola apparere nobis absoluta impossibilitas debet vt dictum est.

Aristoteles.

Ad Tertium respondeo primò, falsum esse, substantiam simpliciter perfectiorem esse quacunque parte cuiuscunque substantiæ simpliciter: Nam anima rationalis perfectior est quacunque musca, & culice: Et vnus gradus scientiæ perfectior est quocunque calore simpliciter, hoc est quantumuis intenso: Eodémque modo ramentum auri quacunque massa plumbea meritò nobilius existimabitur. Ratio à priori est: quia illa quæ sunt altioris ordinis, nũquam exæquari possunt perfectione eorum, quæ ordinis inferioris sunt, vt rectè S.Dionysius dixerit cap. 7. de diu. Nomin. *Supremum infimi infimum supremi esse.* Falsum præterea est quod dicunt; Quod habet plures entis gradus esse perfectius: Nam hoc pacto res compositæ simplicibus antecellerent, vt homo compositus ex multis nobilior esset Angelo simplicissimo. Verumtamen vt clarior sit doctrina posset distingui ea propositio. Si quid enim habeat plures huiusmodi gradus in eadem categoria & ordine in recta linea vera est propositio, vt homo est perfectior animali; & animal viuente; secus in diuerso ordine, Vt tametsi calor centum gradus entis contineat in se, tamen adhuc vnus luminis gloriæ gradus longè perfectior eo erit. Nisi fortè secundùm perfectionem quam dicunt extensiuam aliter videatur. Sed quod dico verum est simpliciter, & sine additamento.

S.Dionysius.

Dixi tamen in eadem categoria & ordine per rectam lineam: Nam si fiat comparatio inter ea plura, quæ sub eodem genere continentur, sæpè falsum est; Quod habet plures gradus esse perfectius alio, quod simplicius est. Vt cœlum quod simplicius lapide est, longè lapidis naturam perfectionémque excedit. Et sic de compluribus aliis, quæ nunc recensere non est necesse.

VLTI

VLTIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm in Angelis de facto talis ex materia spiritali compositio detur.

S.Bonauent. Ricardus. Aureolus. IN Parte Affirmante sunt S. Bonauentura, Ricardus, & Aureolus, quos citauimus. Probat autem primò S.Bonauentura: Quia *in Angelo est ratio mutabilitatis, non tantum ad non esse; sed secundum diuersas proprietates possibilitatis, indiuidualitatis, & limitationis*, & cætera. Ergo est compositio ex materia & forma. Secundò probat Ricardus: quia *idem respectu eiusdem non est agens & patiens simul. Cùm ergo Angelus moueat se ipsum de vno ad aliud velle, de vna cogitatione ad aliam, & de vno loco ad alium, debet in ipso esse vna res, per quam ipse se mouet, & alia res per quam ipse mouetur.* Quarum illam dicit esse formam, hanc verò materiam. Deinde probat auctoritate S.Augustini libro 12. Confess. circa medium, vbi ait, *Omne mutabile insinuare notitiæ nostræ quandam informitatem, qua formam capit.* Ergo insinuat in Angelis esse materiam & formam. Probat etiam ex Boëtio, & Auerroë. Quæ nunc libens prætereo, ne rebus hisce minutis nimium retardetur nostra progressio. Præterquam quod quid Auerroi videatur infrà dicturi sumus q. 54 a. 1. & deinceps.

Tertiò generatim probat Aureolus de omni substantia intelligente creata siue sit Angelus siue hominis animus, eas oportere conflatas esse ex materia & forma; idque multipliciter. Sed seligam firmiora, eáque breuiora faciam. Nam hæc omnia fusiùs reperies apud Capreolum in 2. d. 3. q. 1. a. 2. contra Primam conclusionem. Probat autem in omni principio intelligente oportere esse aliquid, quod substantialiter sit pura potentia ad formam, & aliquid quo ipsa potentia formetur: Potissimum autem probat, intellectum esse puram potentiam ad actum, antequam intelligat ex eo principio quod habet Aristoteles libro 3. de Anima cont. 4. & 5. & ab Auerroe ibidem his verbis vsurpatum. *Recipiens debet esse denudatum natura recepti*: Ita vt sententiâ Aureoli sensus sit, Ipsum intellectum debere quidem esse aliquid reale, *quia recipiens non potest esse nihil*: Sed tamen ita *vt careat omni actualitate*, vt ipse loquitur. Cùm enim omnis actualitas sit intelligibilis, si intellectus haberet aliquam actualitatem, ipse quoque esset intelligibilis. At non est: Si quidem intellectus est pura potentia ad omnia intelligibilia, ac proinde debet carere omni actualitate; hoc est omni natura & actu. Itaque argumentum Aureoli primum est huiusmodi. Quod potest aliquid recipere debet eo, quod recipi potest, esse denudatum; sed intellectus potest omnia recipere; Nimirum omnia quæ sunt actu intelligibilia. Ergo his omnibus est denudatus. Ergo omni actualitate; hoc est omni forma, quæ actu potest esse intelligibilis.

Nec valet si respondeas debere quidem esse denudatum omni natura quam potest recipere. Ergo solis naturarum imaginibus, quia hæ solùm possunt recipi. Contra hoc enim occurrit Aureolus primò, Quia si intellectus esset aliquid actualitatis, hoc ipso non posset recipere imaginem sui, *quia reciperet se inquit in suo simili, & assimularetur sibi ipsi.* Affert exemplum albedinis, quia A *sicut albedo non potest recipere albedinem, ita nec speciem albedinis.* Secundò instat: Quia Aristoteles loco citato ponit quattuor propositiones, ex quibus concluditur expresè propositum. Prima quidem est. *Sicut se habet sensus ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia, sed sensus ad sensibilia debet esse denudatus à toto genere sensibilium. Ergo intellectus à toto genere intelligibilium. Sed omnis actualitas est intelligibilis. Ergo debet esse denudatus ab omni actualitate.* Secunda est oportere intellectum esse immistum. Ex quo sic arguit Aureolus, Intellectus cum illis misceri non debet, de quibus potest ferre iudicium, & quæ possunt intelligi, vt ait ex Commentatore: *Sed omnis actualitas est intelligibilis. Ergo oportet intellectum esse impermixtum omni* B *actualitate.* Tertia & quarta clarè faciunt pro illo, vt ipse ibi arbitratur in secundo argumento. Nam Aristoteles in Tertia dicit, *Quòd oportet* inquit Aureolus *non vnitam naturam habere, sed oportet quod sit tantùm in potentia.* In Quarta dicit, *quòd intellectus noster nihil est eorum quæ sunt ante intelligere, & intelligitur hoc de entibus actualibus, de quibus potest iudicare.* Ergo nulla est intellectus natura ac forma, sed est pura potentia. Tertiò instat ex dictis Auerrois: Nam lib. 3. de Anima com. 17. ait de intellectu. *Non habebit naturam aliam nisi possibilitatis, vt denudetur ab omnibus formis intelligibilibus, & sensibilibus.* & comm. 18. ibidem dicit de eodem. *Est in potentia non in actu omnium entium.* & C infrà. *Intellectus possibilis differt à prima materia in hoc quod est in potentia ad omnes formas vniuersales: Materia autem non, quia non est cognoscens.* Et pergit in aliis huiusmodi dictis Auerrois. Quòd si dicas Aureolo: intellectum non habere aliquam naturam eo quod non habeat species rerum intelligibilium, quia est sicut tabula rasa, & cætera: comparatè autem ad has species esse puram potentiam. Contrà rursus instat: quia Auerroes ait: *Si Aristoteles sic intelligeret, mendacium diceret cùm dicit, si intellectus esset aliqua natura in actu, impediret eum ne posset iudicare de alia.* Quia scilicet per species posset iudicare de cæteris, etiam posito quod haberet aliquam naturam: Quod negat Aristoteles. Atque hæc Primo loco. D

Secundum Aureoli argumentum, quo probat hanc sententiam, est ex S. Augustino, qui libro 13. Confess. cap. 8. dum exponit illud. *In principio creauit Deus cælum & terram*, ait de iis verbis quinque expositiones dari; eas autem omnes veras esse: Inter has autem ponit eam, quæ dicit, terram esse illam materiam, ex qua fieret omnis visibilis atque inuisibilis creatura. Ergo Angelus licèt sit inuisibilis creatura, tamen constat ex aliqua materia. Tertiò probat: quia alioqui substantiæ spiritales exæquarent diuinam simplicitatem. Præterea dæmones patiuntur ab igne. Est in Angelis realis motus tum localis, tum alterationis. Quæ E omnia indicant, eas substantias habere materiam aliquam, quæ ad formas potentiâ sit.

Nullam ex materia spiritali compositionem de facto dari in Angelis, probabilius est. §. 1.

PArtem tamen negantem veram esse existimo; & magis ad mentem S. Dionysij. Cuius auctoritas plurimi facienda est; præsertim in asserendis Angelorum attributis. Immò hæc sententia non obscurè

[Margin notes: Ricardus. S.August. Boëtius. Auerroes. Aureolus. Capreolus. Aristoteles. Auerroes. Aureolus. Aureolus. Aureolus. Aristoteles. Aureolus. Aristoteles. Aureolus. Auerroes. Aureolus. Auerroes. Aristoteles. Aureolus. S.August. S.Dionysius.]

A. Doctor. obscurè potest colligi ex A. Doctore in hoc ar. 2. ad 3. Cùm enim in articuli corpore remouisset ab Angelis omnem & solam materiam corporum, vt ostendimus superiore Quæsit. Diffic. vlt. supponit ibi ad 3. nullam aliã esse materiam, ex qua Angelus cõponatur. Illam enim ait solam compositionem in Angelis esse intelligendam; quę sit potentiæ & actus; nempe essentiæ & ipsius esse. Ergo nullam prorsus supponit aliam materiam. Sic autem loquitur. *Sublata ergo materia*, inquit, *& posito quod ipsa forma subsistat nõ in materia, adhuc remanet compositio formæ ad suum esse, vt potentia ad actum; & talis compositio est intelligenda in Angelis.* Ex quibus interpretatur auctoritatem Boetij, quæ huic sententiæ contradicere videtur, nempe Angelum esse cõpositum *ex quo est, & quod est.* Quasi velit esse compositum ex aliqua forma & materia. Exponit autẽ hoc dictũ, vt in Angelo sit *Quod est* ipsa forma subsistens, quæ est potẽtia, & quodammodo materia ad actum. Sit etiam *Quo est*; nempe ipsum esse, *quo substantia est, sicut cursus est, quo currens currit.* Eandem doctrinam tradit A. Doctor infrà q. 75. a. 5. ad vltimũ. Quo loco cùm etiam negasset in articuli corpore, animum nostrum constare ex materia tam spiritali quàm corporea, vt paulò superius vidimus, docet non sequi hinc animum hominis esse actum purum. Quia *in substantiis*, inquit, *intellectualibus est compositum ex actu & potentia, non quidem ex materia & forma, sed ex forma & esse participato. Vnde à quibusdam dicuntur componi ex quo est & quod est. Ipsum enim esse est quo aliquid est.* Quibus verbis apparet, nullam A. Doctori prorsus materiam de facto concedendam rebus spiritalibus esse præter potentiã quæ sit essentia, & actum qui sit esse. Quod etiam confirmabitur infrà a. 4. Quæsito 2. Diffic. 1. in secundo *Colligitur.* Et ideò ad difficultatem respondetur, & sit

Boetius.

A. Doctor.

A. Doctor.

Vnica Propositio. Angeli de facto non componuntur ex materia spiritali eo modo quo supra diximus accipi à nobis hoc loco materiã spiritalem. Probatur propositio primò, quia id significant S. Dionysij auctoritates, dum docet, eos esse sine vlla materia, &c. Cuius dicta si commodè vsurpari possint simplici suo significatu, non est quod in alienũ consensum detorqueantur. Sanctus ergo Dionysius Areopagita de cœlesti Hierarchia capit. secundo, ait. Theologiam variis vsam esse figuris ad humanum captum, *vt eos describeret spiritus qui formis carent.* Si formis carent, ergo materia. Et cap. quarto de Diu. Nomin. non longè ab initio de Angelis sic habet. *Et sicut incorporales & immateriales intelligũtur, & sicut mentes supermundanæ intelligunt.* Sunt ergo non solum incorporales, sed etiam immateriales, nimirum carentes quacunque materia, quæ sit compositionis pars. Nam alioqui satis fuisset dicere incorporales. Hoc enim ipso significari cõstat, non esse ex materia corporea compositos, nec propriè esse quid corporeũ. Nam corporale vtrumque aptum est significare. Et cap. 7. ait de iisdem *Ab omni materia multitudine soluta*, & cætera. *sine materia æqualiter*, & cætera: Quæ compositionem omnem excludere videntur. Ratione probatur. Eorum enim, quæ nobis occulta sunt, nihil asserere debemus, cuius nullum sit signum, aut firma coniectura ex aliis, quæ in pluribus aut omnibus cernimus; Vt difficultate prima suprà dictum est ex Aristotele libro secundo cœli cont. 101. At nullum est signum, nec firma coniectu-

S. Dionysius.

Aristoteles.

A ra, quod Angeli sint conflati ex materia spiritali & forma. Ergo Angelorum nullam huiusmodi asserere compositionem debemus. Patet Minor: quia nulla est operatio, quæ eam naturam nobis compositam indicet. Nam intellectus est forma simplex in homine, & materialem compartem sibi nullam vendicat. Immò naturale illi est vt in eodem principio, à quo elicitur, recipiatur. Nec pendet etiam à comparte quæ totum constituat, & quæ cæteras actiones totius coniuncti iuuet, vt de homine diximus, cum in Angelis nulla sint organa. Ergo multò minùs pendebit à comparte, quæ nihil in intelligentis operationem confert. vt esset materia illa spiritalis. Quæ
B clariora erunt quæstione 55. cum de speciebus agetur.

Nec satis esset dicere, pertinere ad perfectionem vniuersi, vt quoniam sunt species rerum corporearum simplicium, vt cœlum est opinione nõnullorum; & compositorum, vt cætera corpora; ita sint quoque species rerum spiritalium simplicium, & compositarum. Hoc inquam non satis est: Primò, quia si hæc paritas quicquam valet, ostenderet, plurimos esse spiritus compositos, simplices numero paucissimos, licèt præstantissimos. Ita enim corpora nobilitate, atque amplitudine præcipua maxima quidem sunt, numero tamen pauca, cætera innumerabilia.
C Deinde quia hæc spirituum discrimina non requiruntur ad hanc vniuersi perfectionem, quæ nobis ex effectibus patescit. Licèt Deus potuisset velle ampliorem in vniuerso perfectionem, qua alia cõplura cõtinerentur. Quod verò de facto contineatur, nihil est quo probetur, nisi velimus dicere intra eius perfectionis cancellos, quam scimus à Deo de facto constitutam esse, tot Angelorum genera contineri, vt nulla species, quæ ad Angelorum varietatem facere poterat, prętermissa à Deo sit. Quod sanè dici nec potest nec debet; cum semper finita in infinitum Deo possibilia sint. Neque hinc sequitur, vniuersum esse imperfectum, si tales species desiderentur.
D Quia solùm sequitur non habere de facto eam generum varietatem, quæ tunc esset, si eæ quoque species vltra cæteras essent à Deo conditæ. Neque enim ad perfectionem nostræ vniuersitatis, in qua tot scientiarum genera profitemur, exigitur professio Canonum aut Medicinæ, licèt ad alterius perfectionẽ, vbi est amplior disciplinas profitentium numerus, ex principis voluntate requiratur. Constat ergo de facto, Angelis non inesse partes essentiales totum cõstantes, quæ materia & forma sint spiritales.

Ex his respondetur ad argumenta negantia. Ad Primum enim ex sancto Bonauentura dico, S. Bonauent.
Non omne quod mutationi subiicitur constare ex materia, quæ sit altera substantialis com-
E positi pars. Nam si non detur progressus in infinitum, deueniendum est ad simplicem formam, vt in homine est animus intelligens, qui tamen ab enumeratis mutationum speciebus non est alienus, cum omnis creatura mutari possit aliquo mutationis genere. Nam prætterquam quod potest in nihilum verti, potest etiam semper vlterius perfici, vel suas ex se effundendo proprietates, & cætera, vel à superiore causa. Negatur ergo consequentia argumento: Ratio est, quia hæc inconstantia ex hoc vno proficisci potest, quod substantia Angeli creata est ex nihilo. Quod enim

enim creatum est, quantum est ex se & ad perfectionem tendere potest efficientiâ causarum; & ad ruinam ex defectu causæ conseruantis. At rationem indiuiduam habet ex hoc, quod hoc est verbi gratia, hoc lignum, hoc scamnum. Non enim res sunt hoc vel illud à materia tanquam à principio formali, vt animus & materia ipsa; sed suamet hæccheitate, vt Scotus loquitur, & alibi probatum est. Eodem modo aio de limitatione, quæ cuique rei conuenit ex eo quod est talis ex sese. Seu vt loquitur A. Doctor ad 4. *substantia immateriales sunt finitæ secundum suum esse* inquit, &c. *quia determinatur ad aliquam naturã specialem.* Quod idem significat atque nos diximus; nempe esse limitatas ac definitas ex se & ex sua natura. A. Doctor.

Ricardus. Ad Primum Ricardi respondeo, eandem rem, seu eandem rei entitatem posse habere secũdum diuersas potentias rationem agentis & patientis. vt ex. gr. idem intellectus, eadem facultas videndi, &c. in hominis animo habet rationem principij efficientis, quâ est vis determinata per imagines ad actum eliciendum: Habet quoque rationem patientis, quâ ex ipsa educitur actus, in eâque sustinetur. Et hoc commune est omni facultati, à qua profluunt actiones illæ, quæ remanẽt in suo principio, à quo eduntur, de quibus Aristoteles libro 9. Metaphys. cont. 16. Non autem hinc absurdum illud oritur, quod aliquid sit actu & potentia relatè ad vnum atque idem seu respectu eiusdem. Hoc enim rectè absurdum, atq; impossibile esse docet Aristoteles libr. 8. Physic. cont. 4. & lib. 3. cont. 8. Vt si quid habeat actu id, ad quod dicitur esse potentiâ. ex. gr. Si quid esset actu calidum & potentiâ ad eundem calorem. Tunc enim apertè conficitur, vt substantia habeat eundem calorem quo caret. Id quod apertè impossibile est. Si quidem haberet & simul non haberet eandem formam numero. Hoc inquam non est in re proposita: Nam illa Angeli natura, quam ponimus simplicem, est quidem actu substantia; est tamen potentiâ ad eas operationes, quibus ipsa eas eliciendo subiicitur, & ad alia accidentia quæ in ipsa ingenerantur; Quod nullam repugnantiam inuoluit, non enim sequitur Angelum habere vnam formam, eamque simul non habere. Non ergo ex hoc habet Ricardus, Angelos esse ex materia & forma compositos. Aristoteles. Ricardus.

Negandum illi quoque est, in Angelo esse illas distinctas partes, per quarũ alteram moueat, per alteram moueatur. Hoc enim non reperitur nisi in corpore organico animantium: At verò in re simpliciore hoc non datur. Cùm enim graue deorsum mouetur, per eandem formam mouet & mouetur: nam non potius mouetur per materiam quàm per ipsam formam: Immò magis per formam, quæ principium est eliciens motum ac recipiens. Quippe in ipsa non minor est propensio ad eliciendum, quàm ad recipiẽdum motum; Quandoquidem est actus immanens, ac proinde idem est principium eliciens ac recipiens. Idem ergo à fortiori dicetur in Angelis, quæ sunt substantiæ omninò impartibiles. Nego igitur esse huiusmodi partes necessarias. Quod autem dicere posset ex Aristotele, *Omne quod mouetur ab alio mouetur*, non facit ad rem. Intelligenda enim huiusmodi propositio est, vt infra suo loco dicam etiam in motu Angelico; eo quod etiam Angelus moueatur ab alio, à quo habeat actũ primũ. Nempè facultatem expeditam se mouendi; vt elementa moueri dicuntur à Generante, &c. non autem quod ab alio moueantur, quod eorum motum eliciat. Ad id enim satis est virtus motrix hærens ipsi corpori. Aristoteles.

Ad Augustini auctoritatem dico, verum quidem esse, omne mutabile habere informitatem, & proinde esse capacem alicuius formę ad quam est mutabile. Non est autem Angelus mutabilis ad aliam substantiam; cuius nego esse capacem, sed ad locum, ac cognitiones, & alia accidentia si quæ sunt. Et ita habebit informitatem, cum iis carebit, iisque efformari poterit. Immò retorqueri potest argumentum. Quia Angelus non habet informitatem, seu carentiam vllius formæ substantialis quam de nouo possit adipisci. Ergo non habet materiam substantialem, quę est ad recipiendas varias substantiarum formas. Id enim neque Ricardus cõcedit neque verum est. Non enim est vlla in Angelica natura substãtialis transmutatio aut aliud huiusmodi signũ, quo in cognitionem huiusmodi substantialis potentiæ ad substantialem formam venire possimus. Nec par est ratio de materia corporum; cùm ea sit ad finem formæ. S. August. Ricardus. Aureolus.

Ad Argumenta Aureoli. Primo autem dico ipsum loqui pugnantia dum ipsos propositionis terminos profert: Nam quod negat concedit eadem propositione. Si enim est aliquid actu, quia in eo intelligibilia recipiuntur, cur negat habere actualitatem intelligibilem? omne enim quod actu est actualitatem habet, atque ita per ipsum Aureolum intelligi potest. Deinde id quod intelligibilia suscipit est ipse intellectus, & natura intelligens, vt patet ex Aristotele libr. 3. de Anima cont. 14. *Quoniam*, inquit, *potentiâ quodammodo est intelligibilia intellectus, sed actu nullum antequam intelligat.* Vnde dixerat eodem libr. cont. 3. intellectum potentiâ, esse intellectile; *& similiter se habere, sicut sensitiuum ad sensibilia, sic intellectum ad intelligibilia.* Quapropter ibidem cont. 6. laudat eos qui dixerunt, *Animam esse locum formarum, nisi quod non tota sed intellectiua; neque actu sed potentiâ formæ:* Hoc est non est locus qui actu contineat intellectilia, sed potestate. Ergo non est materia, sed intellectus quod intellectilia suscipit, ac proinde non est necessaria materia, cum qua intellectus totum faciat, vt intellectilia suscipiat. Ergo ipse intellectus, & natura intelligens non est pura potentia ad ipsa omnia intelligibilia. Nullus enim actus, præsertim spiritalis & à materia non pendens, est pura potentia ad omnia prorsus intelligibilia; quia ipse actu est, & per se intelligibilis. Vt enim ait Aristoteles libro tertio de Anim. cont. 15. de humano intellectu. *Et ipse etiam intelligibilis est sicut ipsa intelligibilia.* Quare nescio quomodo hæc non viderit Aureolus. Aristoteles. Aristoteles.

Verùm vt his Aureoli argumentis pleniùs satisfiat ad singula respondendum erit. Et primò quidem ad illud axioma *Recipiens debet*, &c. dico illud non esse Aristotelis effatum; sed Auerrois Axioma. Cuius Auerrois auctoritas iamdiu apud graues Peripateticos cœpit vilescere; Tum quia ob Græci sermonis ignorationem barbarus interpres diuinam illam Aristotelis de hominis animo doctrinam incredibili planè barbarie infuscauit. Quod rectè ostendit Theophilus Zimara lib. 1. de An. in cont. 43. pagin. 51. col. 3. initio, & libro tertio de An. in cont. 20. pag. 331. col. 1. & eodem libro 3. in cont. 29. pag. 350. col. 3. Tum quia is Auerrois est mos, vt nihil vsque adeò absurdum sit, quod ipse non asseueret tutandæ suæ Aureolus. Aristoteles. Auerroës. Zimara.

suæ opinionis causa, vt idem obseruauit libro 2. de Anima in cont. 113. pag. 223. col. 1. Ideóque in sententiis veterum recensendis sæpè damnat ea quæ non nouit, vt idem notat libr. 1. de An. in cont. 27. pag. 38. col. 1.

Quæ sit Aristotelis mens in eo pronunciato, Alienum iuxta apparens prohibet & obstruit, &c. §. 2.

Aristoteles. ARistotelis autem in eo libro 3. cont. 4. hoc effatum est; nempe *Alienum iuxta apparens probibet & obstruit.* Ex quo infert cont. 5. *non esse rationabile ipsum* intellectum mistum esse cum corpore. Quia eidem intellectui affectiones corporeæ inhærerent, organoque ipse constaret, atque ita aptus non esset ad omnia contuenda: Eadem prorsus ratione sicut videmus ex. gr. ægrotantis linguam, quæ infecta humore cholerico atque amaro sit, nihil dulce posse percipere, sed omnia ei amara videri. Similiter & cùm oculi pupilla aut vas aliquod vitreum aliquo determinato ac certo colore aspergitur, species quæ per illud corpus pertranseunt sua obiecta eodem colore colorata repræsentant, & sic de cæteris. E quibus deducit Aristoteles ibi, nullam intellectus nostri corporatam esse posse naturam, his verbis. *Quare neque ipsius*, inquit ibidẽ, *vlla est natura, nisi hac quod possibilis.* Nulla inquam eorum de quibus sermo erat; nempe corporatorum, cum quibus miscendus non erat, ne quid ad sui intelligentiam viam sepiret atque obstrueret. Et hoc patet: Tum quia id Anaxagoræ auctoritate confirmat Aristoteles: Ait enim de eodem intellectu, *necesse esse, quoniam omnia intelligit, immistum esse sicut dicit Anaxagoras, vt cognoscat: Nam alienum* & cætera. Anaxagoras autem aiebat, vt refert idem Aristoteles libro 1. de An. cont. 31. & 34. illud *immistum* esse, quod ex principiis corporeis non constaret: Tum quia res spiritalis apposita non obstruit viam ad cognitionem; sed tantummodò res corporea; Et ideo vt diximus, oculus aliquo colore affectus cæteros non videt; & primæ qualitates in organo tactus cæteris in eodem gradu, impedimento sunt, ne sentiantur; & denique quicũque sensus in homine, quia organo corporeo indigent, seipsos nosse non possunt.

Anaxagoras. Aristoteles.

Ad quod confirmandum quid opus est argumentis? cùm habeamus ipsum Aristotelem hæc ipsa manifestè declarantem iterum in cont. 6. ibidem. *Quare nec corpori ipsum permistum esse*, inquit, *rationi consentaneum est.* Immò ne quis hæc in dubium vertere vtcunque possit, reddit huius rei causam ipsam, quam diximus his verbis: *Qualis enim quidam fieret; nempe calidus aut frigidus, ac propterea instrumentum aliquod esset; non aliter quam sensitiuo: nunc autem nullum est.* Quibus verbis duplicem assignat causam: Quia scilicet obiecta ei intellectui si corporatus esset, viderentur obiecta taliter affecta, qualis ipse esset; nempe calidus aut frigidus: Et præterea organo corporeo addictus esset, ac sensus ipse. Negat ergo intellectum esse corporeis rebus mistum, vt omnium sit capax, eúmque, ob ipsum, esse instrumento corporeo vacantem.

Aristoteles.

Itaque ea est natura intelligentis animi, vt quoniam *possibilis est*; hoc est potens est omnia suscipere intellectilia, ac semet quoque cognoscere, nihil sit eorum, quæ cognitionem siue cæterorum, siue sui ipsius impediunt; nempe corporatorum, vt dictum est. Vbi nota particulam illam *possibilis*. Hæc enim sententia Aristotelis significat id quod potest fieri. Ita enim *possibilia sunt*, inquit Aristoteles in libro artis Rhetoricæ ad Alexandrum cap. 1. *quæ fieri natura possunt.* Vnde libro 9. Metaphysic. cont. 7. dixit: *Possibile est illud, cum si extiterit actus, nihil sequitur impossibile.*

Aristoteles.

Verùm quoniam multis modis aliquid fieri potest, intellectus hic non dicitur possibilis fieri, nisi quia potest fieri hoc & illud; nempe secundum esse intelligens; Quia scilicet recipere possit imaginem huius vel illius obiecti. *Est enim intellectus potentia intelligibilia*; vt ait Aristoteles ibidem cont. 14. ad quæ non est potentiâ, nisi quia suscipere potest eorum imagines, quas suo tempore recipit. Quemadmodum ergo materia eo quod formas corporum recipere potest; est possibilis fieri, vt ita dixerim, subiectiue. (Nam sic apertè Aristoteles libro 1. Physic. cont. 60. materiam dixit fieri compositum. *Oportet*, inquit, *semper aliquid subiici quod fit & hoc*, & cont. 62. *Necesse est*, inquit, *subiici aliquid quod fit.* & cõt. 64. declarat, quomodo *subiectum fiat hoc.*) Ita etiam intellectus est possibilis fieri omnia, nempe rerum omnium imagines, quæ rerum sunt formæ secundum esse intelligibile, recipiendo.

Aristoteles. Aristoteles.

Atque hanc esse mentem Aristotelis patet primò, quia cont. 8. ait de intellectu. *Cùm autem singula factus est, vt sciens dicitur.* Ergo non aliter intelligit Aristoteles, intellectum fieri formas nisi eo modo, quo fit sciens: Sciens autem fit recipiendo rerum imagines, & deinde suos habitus, & cæt. Ergo eodem modo intellectus fiet forma seu intelligibile, quia ipsorum imagines recipit. Deinde quia cont. 14. ait intellectum esse quidem *potentia ipsa intelligibilia, actu autem nullum antequam intelligat.* Quod etiam dixit in eo cont. 8. Quibus verbis intelligi oportet postquam intellectus intellexit; hoc est postquam intelligendi actum exeruit, ipsum esse actu. Ergo fit actu intellectus post intelligentiam. Nimirum in actu primo per species, quæ in ipso remanent; quibus positis potest per seipsum operari. Quod apertè patet ex cont. 8. vbi ait tunc intellectum esse actu, *cum potest per seipsum operari.* Et ideò ibidem subdit *esse tunc potentia quodammodo, non tamen similiter vt erat, antequam addisceret vt inueniret.* Intelligit ergo intellectum fieri potentem operari adeptione specierum, & per actum primum. Nam posito actu secundo nullo modo remanet potentiâ, cùm sit perfectus vltimo actu.

Aristoteles.

His ergo verbis significat, quandocunque non habet cognitionem, esse adhuc potentiâ quodammodo; non tamen simpliciter vt priùs. Priùs etenim erat potentiâ simpliciter, & vt alij loquuntur in prima potentia, quia nullo modo erat actu formarum imaginúmque adeptione, quæ actum primum ad intelligendum constituunt: Nam ad illud intellectus debet esse in potentia prima, per quod ipse fit in actu primo. Fit autem in actu primo per species vt diximus. Et idcircò Aristoteles dixit, postquam intellectus intellexit, non esse similiter in potentia sicut priùs. Quia scilicet postquam intellexit, imaginésque acquisiuit, iam tunc est in potentia secunda; nempe ad actum secundum.

Aristoteles.

Ex his ergo tria palàm sunt, Vnum est, intellectum nihil esse eorum, quæ cognoscit; nempe corporatorum, quia non esset expeditus ad omnia. Alterum est, ipsum esse potentiâ ad rerum intelligibilium species antequam obiecta perceperit. Tertium est, idem esse intellectum potentia, & intellectum possibilē Aristoteli. Nam idem est esse potentiâ speciem intelligibilem, & possibile fieri speciem intelligibilem. Ergo esse hoc pacto potentia, est posse suscipere: Intellectum igitur possibilem fieri species idem est ac posse suscipere species, vt diximus; Atque ita vtrobique eadem est definitio.

Aureolus. Iam ergo ad argumenta Aureoli dico primò, intellectum debere esse denudatum natura recepti, posse bifariam accipi; Vel in sensu Aristotelæo; vel in se & simpliciter. Si primo modo; aio, non haberi talem apud Aristotelem enunciationem, sed solùm illam, quam diximus, vt inde perspicuum esset, intellectum nō esse quid corporeum, ne rebus cognoscendis intelligens facultas reddatur impotens. Si secundo modo; aio, ipsum intellectum debere esse denudatum natura recepti, verum omninò esse. Nam quod ab intellectu recipitur sunt formæ intelligibiles ex sensibilibus rebus vt diximus. His autem est denudatus intellectus; quia est tabula nuda, vt docet Aristoteles eodem lib. 3. cont. 14. Aristoteles.

Quòd si quis dicat, intellectum cognoscere seipsum, atque ita esse speciem sui ipsius, nec indigere superueniente specie, quia est debito modo sibi applicatus, vt Angelus; ergo non est denudatus omni specie. Contrà est argumētum duplex. Primò, quia si sequamur sententiam A. Doctoris p. p. q. 87. a. 1. Intellectus humanus est etiam potentiâ ad speciem sui, quia dum hic viuit, debet ab intellectu agente eius species præsente aliquo phantasmate imprimi. Secundò etiamsi demus, intellectum humanum non indigere specie ab ipso diuersa, vt videntur velle ex Peripateticis nonnulli, tamen ipsa intellectus substantia non est proximè eius imago, nisi iamdiu intellectus se exercuerit in intelligendis cæteris obiectis materialibus; Atque ita tunc erit potentia ad sui speciem proximam, licet non ad remotam, nempe ad suæ substantiæ vnionem per modum speciei intelligibilis, vt scholæ loquuntur; Quia nimirum eius substantia etiamsi intellectui sit semper præsens, quia tamen non potest seipsum intelligere nisi post acquisitam rerum scientiam: ideò sibi non vnitur per modum speciei intelligibilis, nisi post eiusdē scientiæ adeptionem. Vnde est, vt Aristoteles illo cōt. 8. dixerit: Vbi intellectus rerum notitiam comparauerit, *& ipse seipsum tunc potest intelligere*; vt scilicet acquisita rerum scientia, non ampliùs sit potentia simpliciter, vt priùs, sed modo quodam vt dicebam. Quemadmodum etiam suprà q. 12. diximus, intellectum creatum nondum perfectum atque absolutum à lumine gloriæ esse potentiâ ad vniendam sibi diuinam substantiam in ratione speciei intelligibilis, licèt substantialiter intimè illi vnita ea sit ob eius immensitatē; Quam tamen sibi nectit tāquam intelligibilem speciem, hoc ipso quod per lumen gloriæ eleuatur in rationem supernaturalis potentiæ, fitq; potens ad eliciendam visionem beatorum, vt eo loco declaratum est. Atque hæc sit prima respōsio ad Aureoli argumentum.

A.Doctor. Aristoteles.

Secunda responsio est. Esto intellectus, de quo ibi sermo Aristotelicus est, sit denudatus à natura recipiendæ rei; nempe de intellectu humano potentiæ seu possibili, vt ipse clarè profitetur eodem con. 4. illis verbis. *Dico autem intellectum, quo intelligit & existimat anima*; tamen id non probat, hoc necessarium esse in omni intellectu. Alioqui idem ostenderetur de diuino. Immò de intellectu substantiarum à materia separatarum longè secus diceret, qui in æternis esse & posse idem esse vult, vt ait libro 3. Physic. cont. 32. *Posse*, inquit, *ab ipso esse nihil differt in perpetuis*. In quibus quidem substantiis non videtur qui fieri possit vt cōcedatur intellectus possibilis. Nam nec videtur vnde possit esse noua intellectio Aristotelis opinione, qui ne Deus mutari concedatur, æternitatem rerum, quæ à Deo solo dependent, asseruit, de qua re magis ex instituto disseremus infra q. 54. a. 1. Existimauit autem intellectum hominis esse potestate intelligibilia, quia eius est mutari, & noua addiscere ex causis in hunc finem tum sensuum immutatione, tum virtute intellectus agentis idoneis. In Angelis autem non est intellectus agens aut possibilis, nisi valdè impropriè, vt dicam vnà cum A. Doctore infra q. 54. art. 4. Quæsit. 2. Difficult. 1. & deinceps. Atque hæc quidem quod attinet ad hanc præsentem de Angelico intellectu quęstionem fuissent satis.

Hominis animum non componi ex materia spiritali aduersus Aureoli argumenta. §. 3.

Verùm quoniam ipse Aureolus profitetur magnum his argumentis inesse pondus, iisque se non solùm Angelos, verùm etiam hominis animum compositum ostensurum, accuratiùs ad argumenti formam pro viribus respōdendum duxi; vt hinc appareat, in neutram partem quicquam huiusmodi rationibus inesse virium. Ad argumentum ergo dico: Esto sit vera Maior, Minorem tamen esse falsam. Quia intellectus nequit omnia intelligibilia recipere secundùm entitatem ipsorum realem, sed solùm secundùm imagines, vt Aristoteles docuit eodem libro cont. 38. vbi ait *lapidem non esse in anima, sed lapidis formam*; nimirum speciem. His ergo intelligibilibus formis denudatus esse debet intellectus, vt ibi in argumento dictum est. Ad primam autem eius impugnationem dico, non esse absurdum, recipere se in aliquo suo simili; hoc est recipere se in sua imagine, siue quod idem est, recipere ipsam sui imaginem: Nam oculus recipit etiam suas imagines e speculo repercussas ad ipsum oculum. Vnde quod ait de albedine nō facit ad rem. Albedo enim cum non habeat rationē subiecti, nec semet nec sui imaginem recipere potest. At intellectus & huiusmodi similes facultates naturam subiecti habent, & ideò his imaginibus subiici possunt, quemadmodum & superficies, quæ accidens vt sit, tamen ab Aristotele alterius accidentis subiectum iure affirmatur, vt patet ex libro 5. Metaphys. cont. 23. vbi explicans quid significet *secundùm quod* vno modo significari ait, *in quo fieri aptum est, vt color in superficie*; Quasi velit indicare immediatum proximúmque subiectum esse superficiem accidentis, vt etiam ibi Alexander

Aureolus. Aristoteles. Alexander vterque.

A. Doctor. Aristoteles. vterque, atque A. Doctor explicarunt. Simili modo locutus est Aristoteles libro 4. physic. cont. 24. Vbi ait aliquem *esse album quia superficies alba sit*. Idémque significat in illo cont. 23.

Ad secundam instantiam dico; & ad Primam Aristoteles. Aristotelis propositionem, proportionem illam inter sensum atque intellectum accipi oportere, vt eam Aristoteles adducit libro illo 3. cont. 3. Nimirum in eo quod vterque tam intellectus quàm sensus suscipiendis formis accommodatus est. Nam cont. 2. ex hypothesi; Quod nimirum si intellectio est, sicut sensio intuierat; cùm sensio passio quædam, aut quidpiam simile passioni sit, necessario putandum, intellectionem quoque esse huiusmodi. Vnde summo verborum compendio rursus infert: impatibilem oportere esse intellectum. Quia scilicet, si nec sensio, nec intellectio propriè est ea passio, quæ noxia est, & à contrario fit cum interitu alicuius formæ; sed potiùs ea quæ propria est potentiæ cognitricis, qua nihil subiecto perit, quin potiùs perficitur: impatibilis erit intellectus, passione nimirum destruente. Nam per aliud genus passionis est potiùs perfectibile, quia per eam suum finem perfectionémque consequitur.

In hoc ergo sensu impatibilem esse dixit intellectum. Vnde cont. 3. seruata eadem intellectus cum sensu similitudine dixit; vtramque facultatem esse susceptricem formarum, & potentiâ ad illas. Addit tamen discrimen; nimirum. *Non similiter se habere sicut sensitiuum ad sensibilia, sic intellectum ad intelligibilia*; Quia scilicet hæ facultates, vt explicat cont. 7. duplici discrimine secernuntur: Nam primò sensus ita à sensili patitur passione quodammodo corruptrice, vt cum oculus intuetur solem, exinde non potest inferiora sensilia cognoscere. At intellectui nihil tale accidit: nam præstantissima intelligibilia contemplatus non solùm quæ obscuriora sunt cognoscit; verumetiam firmius, meliúsque considerat. Secundò, quia sensus neque sine corpore cognoscit neque est: Intellectus verò citra corporis opem cognoscit atque est. Cuius ratio Aristoteles. rei posterior diligenter notanda est ipsis Aristotelis verbis; cur nimirum sensus ex vehementi sensibili patiatur, non autem intellectus ex forti intelligibili. *Sensitiuum* inquit *non sine corpore est: Hic autem separabilis est.*

Hoc posito dico ad argumentum; intellectum se habere sicut sensus in eo, quod vterque est potentiâ formæ, quas suscipere potest; nec aliam Aristoteles. horum similitudinem ponit ibi Aristoteles. Vnde concedimus argumento, sicut sensitiuum nullam naturam habet formarum quas suscipit, ita nec intellectiuum principium vllam habere naturam intellectilium corporeorum. In sensu autem, quem sibi fingit Aureolus, negatur conse- Aureolus. quentia, quia supponit paritatem in eo, quod sicut sensus nullam habet naturam obiectorum, ita nec intellectus suorum, ac proinde nullam. Quod falsum est.

Ad Secundam propositionem diximus, intellectum debere esse immistum ex corporeis qualitatibus: Atque ita negatur argumenti Maior, si per *misceri* intelligat ex intelligibilibus nullum esse, quemadmodum sensus non debet vllam habere naturam eorum, de quibus potest ferre Aureolus. iudicium, vt videtur velle Aureolus. Sin autem per *misceri* intelligat propriè componi, conceditur Maior, & totum argumentum; quia damus

A libenter, intellectum seu animam intelligentem non esse compositam, sed simplicem entitatem. Verùm hoc pacto si intelligatur argumentum nullius sententiam feriret.

Ad Tertiam, & Quartam propositionem dictum est, quo pacto nihil sit eorum quæ intelligit, & ad ea sit potentiâ, & negatur consequentia, quia est pura potentia ad formas nō ad suam naturam, secundum quam est subiectum earundem formarum. Ad Tertiam instantiam dico, ruinosam grauibus Peripateticis censeri Auerrois auctoritatem; & ita in eius solo non iacimus nostræ doctrinæ fundamenta; Si tamen velimus eius dictorum aliquam rationem habere exponi possunt de potentia & actu, vt Aristotelæa verba interpretati sumus. Eodem enim ferè B modo loquitur.

Ad secundum Aureoli argumentum respondeo Primùm, æquè facere contra ipsum Aureolum Augustini auctoritatem: Nam ostenderet Angelos componi ex nostrate materia, eo quod ex terra extiterint. Deinde dico, me non reperire eo in loco tale dictum Augustini. Tertiò respondet Capreolus a. 3. ad 5. Aureoli contra primam conclusionem; S. Augustinum fortè retulisse opinionem Platonicorum: dixisse autem, eas esse veras; hoc est non esse contra fidem. Præterea ex A. Doctore de spiritualibus creaturis a. 1. ad 4. Augustinum cum dicit eandem esse materiam visibilium & inuisibilium, intelligere in- C formitatem vtriusque substantiæ. Visibilium quidem, quia nondum ea massa perfecta formis suis erat. Inuisibilium autem, quia natura spiritalis nondum conuersa ad Verbum erat, à quo illuminaretur. Verùm mihi hunc locum diligentiùs indaganti nullus alius potuit occurrere, nisi vnus in cap. 1. libri de Mirabilibus sacræ scripturę to. 3. inter opera S. Augustini, vbi apertissimè dicitur. *Ex informi materia, quam ipse Deus prius ex nihilo condidit, cunctarum visibilium, & inuisibilium rerum; hoc est sensibilium, & insensibilium; intellectualium, & intellectu carentium species multiformes diuisit.* Quare non est, cur in bonum sensum trahatur hic locus, cùm manifeste quid significet D ex ipsis verbis constet: Dico autem hunc librum non videri S. Augustini opus, quia nec stylus, nec doctrina S. Augustinum referunt. Immò A. Doctor 3. p. q. 45. a. 3. ad 2. ait, hunc librum *falsò adscribi S. Augustino, & non esse authenticum.* Sanè libro 2. cap. 4. dum de cyclis differit, satis declarat, auctorem suum post annum Domini sexcentesimum vixisse, & ambulare in mirabilibus. Quod verò attinet ad Augustini sententiam de corporum materia, An ea sit omnium vna, vide infrà q. 61. a. 2. ad 1. & q. 66. a. 2. ad 1.

Ad vltimum argumentum dico, Deum esse omni ex parte simplicissimum, nullámque omninò compositionem admittere: Angeli autem E componuntur ex essentia & subsistentia. Subsunt suis accidentibus, nempè speciebus intelligibilibus, suis actibus intelligendi, & motui locali. Quare non exæquant diuinam simplicitatem. Quòd autem dæmones patiantur igne corporeo, dupliciter potest intelligi: Primò ita vt verè in eis ingeneretur corporea qualitas, qua crucientur; Quemadmodum animantia igne torquentur; & hoc modo non patiuntur, nam spiritalis substantia non est eius qualitatis capax. Alio modo ita vt crucientur ab igne, eo quòd vi in eo detineantur tanquam in carcere; & hoc

Aureolus. S. August. Capreolus. Aureolus. S. August. A. Doctor. S. August. S. August. A. Doctor.

A.Doctor. & hoc pacto concedit igne eos torqueri A. Doctor q. de spiritual. Creatu. a. 1. ad 20. De vtroque enim modo prædicto ibidem sic habet. *Substantiæ inquit spirituales non patiuntur ab igne corporeo per modum alterationis, sed per modum alligationis, vt Augustinus dicit; vnde non oportet quod habeant materiam.* Id autem significat S. Augustinus libro 21. de Ciuit. Dei cap. 10. Quam etiam solutionem suprà de Angelorum immaterialitate attulimus. Ad illud de motu loeali dico, motum localem non arguere materiam: Nam etiam formæ mouentur. *Motis enim nobis necessarium est & quæ in nobis sunt omnia simul moueri.* Axioma Aristotelis est expressum libro 2. Topic. loco 24. & libro 8. Physic. cont. 51. Quo effato destruit positionem Platonis de Ideis, quas dicebat quiescere, atque immobiles esse. *Attamen* inquit ibi Aristoteles, *cùm sint in nobis, impossibile est immobiles esse.* Ibi inquam; loco illo 24.

S.August.

Aristoteles.

Ex dictis contra Aureolum manifestè Colligitur primò, multò minùs quàm Angelum hominis animum componi ex materia & forma, contra quod ille videbatur asserere. Nam si Angeli non componuntur, qui substantiæ integræ completæque sunt, multò minus animus qui corporis est forma, ac proinde nec partes habere potest, quæ materia ac forma sint. Vt enim probat A. Doctor p. p. q. 75. a. 5. & q. de Spiritual. Creatu. a. 6. c. Si anima intelligens esset composita ex materia & forma, iam vel esset forma corporis secundùm se totam, vel secundùm aliquam partem sui. Si primo modo; ergo nulla eius pars esset materia. Hæc enim cum sua forma substantiali facit integrum substantiale compositum completum; Nec alteri tanquam subiecto hærere potest: nisi pro arbitratu philosophandum sit, & non ex notis: quod tamen supra impugnauimus. Si secundo modo; *illam partem* inquit A. Doctor *dicemus esse animam, & illam materiam, cuius primò est actus, dicemus esse animatum.* Quod verissimum est. Illud enim est animatum, cuius anima est actus. Itaque frustra esset huiusmodi rerum multiplicatio. Deinde quia, vt etiam suprà indicauimus, si anima componeretur ex materia, ea vel esset spiritalis vel corporea. Si corporea; ergo animus non intelligeret vniuersalia: quia vt ibidem ait A. Doctor esset affixa organo corporeo, nec cognosceret nisi singulare, eadem prorsus ratione quemadmodum facultates animæ sentientis nonnisi singulare percipiunt, vt antè diximus, & infrà dicturi sumus q. 54. a. 4. ex Aristotele & Peripateticis. *Materia enim est principium indiuiduationis formarum,* inquit ibi A. Doctor, vt patet in sensibus. Si spiritalis; id ideò esset vt animus subsisteret: At hoc habet sine materia & se ipso. Quia non fit ex materia, à qua sustineatur. Tandem Quæro, Vtrùm separabilis sit animus, qui est forma, ab illa materia, quæcunque est, annon? Si affirment; Ergo se ipso subsistit procul à materia. Si non; ergo educitur de potestate materiæ, eique hæret: Quod pugnat cum natura intellectus. Qui vt operatur non adiutrice materia, ita eius esse ab ea minimè pendet. Vt suprà ex Aristotele & firmis rationibus ostensum est, & sæpiùs efficaciùs ostensuri sumus.

Aureolus.

A.Doctor.

A.Doctor.

A.Doctor.

A.Doctor.

* * *

A

A. Doctoris argumentum quo hominis animum per se subsistere ostendit, ad mentem Aristotelis esse. § 4.

Colligitur secundò vt hoc etiam obiter dicamus in eos, quibus noster animus vilis esse solet, optimè atque ad Aristotelis mentem ratiocinatum esse A. Doctorem infrà q. 75. a. 2. & q. Vn. de An. a. 2. c. cùm demonstrare nititur, hominis animum per se subsistere, & nullo modo materię esse hærentem hoc argumento; Nempè ex eo quod incorporeus est immaterialis est; Ergo subsistens, non autem materiæ hærens. Repugnat enim actum immaterialem materiæ hęrere, quippe qui ex ea educi nequit, ac proinde nec sustentari. A.Doctor.

B

Antecedens autem sic probat ad Aristotelis mentem optimè. Forma quæ omnia corpora cognoscere potest, nulli organo corporeo affixa est; Sed animus hominis intelligens est forma, quæ omnia corpora cognoscere potest. Ergo nulli organo corporeo affixa est, ac proinde est immaterialis. Quia nimirum, vt suprà ostendi, forma quæ nullo organo corporeo indiget ad operandum, nec in esse dependet à corpore, ideoque immaterialis est. Maiorem probat quia forma, quæ *potest cognoscere aliqua, oportet, vt nihil eorum habeat in sua natura.* Quia nulli ex his organo corporeo sit affixa ex sua natura, quia illud, cui inesset, naturaliter impediret cognitionem aliorum. Vt enim dixerat Aristoteles in eo cont. 4. lib. 3. de An. *Iuxta apparens prohibet extraneum*, vt dicebamus ad argumenta Aureoli. Ergo si huiusmodi forma organo corporeo affixa esset, non posset omnia corpora cognoscere, quia non posset suum organum, nec alias qualitates, quibus eius organum affectum esset apprehendere. Et ideò, vt dicebamus ibidem ex Anaxagora apud Aristotelem, *Oportet intellectum quoniam omnia intelligit, immistum esse* cum corpore; & ideo quia pupilla, est receptiua omnium colorum, caret omni colore, & quia organum tactus affectum suis qualitatibus est, non potest sentire alias corporum qualitates, quæ saltem suos gradus non excedant; & sic de cæteris. Auditus enim organum cùm intus sonos percipit ex aliqua humorum perturbatione, nec sonos extrinsecus audit. Et hanc rationem prosequitur A. Doctor in eo art. 2. de An. & nos deinceps ex Aristotele, cæterisque philosophis omnibus, & firmioribus principiis confirmabimus.

C

Aristoteles.

D


Anaxagoras. Aristoteles.

A.Doctor.

E

ARTICVLVS TERTIVS,

Vtrùm Angeli sint in aliquo magno numero.



AD Tertium sic proceditur. *Videtur quòd Angeli non sint in aliquo magno numero. Numerus enim species quantitatis est, & sequitur diuisionem continui: Hoc autem non potest esse in-*

2. d. 3. q. 1. a. 3. & 2. cont. Gent. c. 91. & 92. & Pot. q. 6. a. 6. c. fin. & opusc. 15. c. 2. 3. 4.

in Angelis cùm sint incorporei, vt suprà ostensum est *. Ergo Angeli non possunt esse in aliquo magno numero.

* Art. 1. huius Quæst.

Præterea quantò aliquid est magis propinquum vni, tantò minùs est multiplicatum, vt in numeris apparet. Natura autem Angelica inter alias naturas creatas est Deo propinquior. Cùm ergo Deus sit maximè vnus, videtur quòd in natura Angelica inueniatur minimum de multitudine.

Præterea proprius effectus separatarum substantiarum videtur esse motus corporum cælestium. Sed motus corporum cælestium sunt secundùm aliquem determinatum numerum paucum, qui à nobis apprehendi potest. Ergo Angeli non sunt in maiori multitudine, quàm motus corporum cælestium.

Præterea Dion.* dicit 4. c. de diu. nom. quòd propter radios diuinæ bonitatis subsistunt intelligibiles, & intellectuales omnes substantiæ. Sed radius non multiplicatur nisi secundum diuersitatem recipientium. Non autem potest dici quòd materia sit receptiua intelligibilis radij, cùm substantiæ intellectuales sint immateriales, vt suprà ostensum est. * Ergo videtur quod multiplicatio substantiarum intellectualium non possit esse nisi secundum exigentiam primorum: scilicet cælestium, vt ad ea quodammodo processus prædictorum radiorum terminetur. Et sic idem quod priùs.

* cap. 4. aliquãtulum à principio.

* Art. 2. huius Quæst.

Sed contrà est quod dicitur Dan. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.

Respondeo dicendum quod circa numerum substantiarum separatarum diuersi diuersimodè processerunt. Plato enim posuit * substãtias separatas esse species rerum sensibilium: vt poste si poneremus, ipsam naturam humanam esse separatam. & secundum hoc oportebat dicere, quòd substantiæ separatæ sint secundum numerum specierum sensibilium. Sed hanc positionem improbat Aristoteles †, ex eo quòd materia est de ratione specierum sensibilium. Vnde substãtiæ separatæ non possunt esse species exemplares horum sensibilium, sed habent quasdam naturas altiores naturis rerum sensibilium. Posuit tamen Aristoteles, * quod illæ naturæ perfectiores habent ordinem ad sensibilia ista secũdùm rationem mouentis & finis; & ideò secundùm numerum primorum motuum conatus est adinuenire numerum substantiarum separatarum.

* Ita refert Arist. 1. Metaph. t. 6.

† lib. 1. Metaph. t. 31. per multos text. t. 3.

* lib. 12. Metaphys. t. 43. t. 3.

Sed quia hoc videtur repugnare documentis sacræ Scripturæ, * Rabbi Moyses Iudæus volens vtrumque concordare, posuit, quòd Angeli secundùm quod dicuntur substantiæ immateriales, multiplicantur secundum numerum motuum vel corporum cælestium secũdùm Aristotelem *. Sed posuit quòd Angeli in Scriptura dicuntur etiam homines diuina annunciantes. Et iterum virtutes rerum naturalium, quæ Dei omnipo-

* lib. 2. Perplexorum c. 4. & 6.

* lib. 12. Metaphys. t. 43. to. 3.

A tentiam manifestant. Sed hoc est alienum à consuetudine Scripturæ, quòd virtutes rerum irrationabilium Angeli nominentur. Vnde dicendum est, quod etiam Angeli secundùm quod sunt immateriales substantiæ, in quadam multitudine maxima sunt, omnem materialem multitudinem excedentes. Et hoc est quod dicit Dion.* de cælest. hierar. Multi sunt beati exercitus supernarum mentium infirmam & constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum commensurationem. Et huius ratio est: quia cùm perfectio vniuersi sit illud quod præcipuè Deus intendit in creatione rerum,
B quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt creata à Deo. Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinẽ, ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundum multitudinem. Videmus autem quod corpora incorruptibilia, quæ sunt perfectiora inter corpora, excedunt quasi incomparabiliter secundum magnitudinem corpora corruptibilia. Nam tota sphæra actiuorum & passiuorum est aliquid modicum respectu corporum cælestium. Vnde rationabile est quod substantiæ immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales quasi incom-
C parabiliter.

* cap. 14. in med. illius.

Ad primum ergo dicendum, quòd in Angelis non est numerus, qui est quantitas discreta causatus ex diuisione continui, sed causatus ex distinctione formarũ, prout multitudo est de transcendentibus, vt suprà dictum est*.

* q. 11.

Ad secundum dicendum, quòd ex hoc quòd natura Angelica est Deo propinqua, oportet quòd habeat minimum de multitudine in sui compositione. Non autem ita quòd in paucis
D saluetur.

Ad tertium dicendum, quòd ratio illa est Aristotelis 11. Metaphys. Et ex necessitate concluderet si substantiæ separatæ essent propter substantias corporales. Sic enim frustra essent immateriales substantiæ, nisi ex eis aliquis motus in rebus corporalibus appareret. Non est autem hoc verum, quòd substantiæ immateriales sint propter corporales: quia finis nobilior est his quæ sunt ad finem. Vnde etiam Aristoteles dicit ibidem, quòd hæc ratio non est necessaria, sed probabilis. Coactus autem fuit hac ratione vti:
E quia ad cognoscendum intelligibilia non possumus peruenire nisi per sensibilia.

Ad quartum dicendum, quòd ratio illa procedit secundum opinionem eorum qui causam distinctionis rerum ponebant esse materiam. Hoc autem improbatum est *. Vnde multiplicatio Angelorum neque secundum materiam neque secundum corpora est accipienda, sed secundum diuinam sapientiam diuersos ordines immaterialium substantiarum excogitantem.

* q. 47. a. 1.

Expla

Explanatio & Confirmatio eorum quæ hîc dicuntur.

A.Doctor. RESpondet A.Doctor, Angelorum numerum excedere omnem materialem multitudi-
S.Dionyſ. nem. Probat primò auctoritate S. Dionyſij cap. 14. cœleſt. Hierarch. id expreſsè docentis. Deinde affert rationem miro excogitatam ingenio: Quia quanto res ſunt perfectiores, tãto maiori exuperantia res omnes creatas excedunt. Sed Angeli longo interuallo cæteris rebus creatis ſunt perfectiores. Ergo maxima exuperantia excedunt res cæteras creatas *& quaſi incomparabiliter*. Minor eſt certa. Maiorem probat à pari ex corporibus: Quia hac de cauſa cælum corporum præſtantiſſimum ſua magnitudine excedit ſuprà quàm cum eo comparari poſſint cætera corpora corruptibilia. Hoc enim ſpectat ad vniuerſi perfectionem, quam Deus potiſſimum in in rebus eſſe vult.

Contra quam rationem triplex obiectio fieri poteſt. Prima eſt, quia videtur falſa maior & eius probatio: Nam corpora viua nobiliora ſunt cor-
A.Doctor. poribus non viuis, vt etiam fatetur A. Doctor in hac p.p. quæſtione 3. a. 1. in fine c. Cœlum autem non eſt corpus viuum, quia non eſt animatum, vt ipſe docet quæſtione ſeq. a. 1. & nos ibi dicemus. Ergo cætera corpora viua cœlo ſunt nobiliora. Ergo falſum videtur in tanto maiore exuperantia res creatas eſſe à Deo, quanto cæteris ſunt perfectiores. Quandoquidem cœlum ſua immenſitate miro interuallo excedit omnia viuentia corpora.

Secunda: quia nobilitas entium non videtur vera cauſa, cœleſtis ad cætera corpora exuperantiæ. Nam cœlum eſto ſit nobiliſſimum corporum, tamen nõ ideò cætera entia excedit, quia eſt nobilius: ſed quia ita erat neceſſariũ ad vniuerſi finem, nempe vt elementorũ, ac miſtorum orbis cœli complexu concluſus participaret vndique cœleſtes illas qualitates ſeu influentias, quæcumque ſint, quæ à cœli luminaribus in cætera corpora deriuantur. Alioqui quod de Angelis dicitur, idem probaretur de hominis animo: Quia nimirum cùm longo interuallo cæteris rebus infra Angelos ſint animi humani per-
A.Doctor. fectiores, vt patet ex A. Doctore p.p.q. 70. art. 2. ad 4. Vbi animum cœlo præfert; deberent proximè accedere ad numerum Angelorum, & cæterarum rerum numerum ſuperare; Quod tamen patet eſſe falſum.

Tertia eſt: Quia ſi tanta Angelorum multitudo pertinet ad perfectionem vniuerſi, vel id eſt ex libero diuinæ volũtatis arbitrio, vel omninò ex natura rei; nempe ex vniuerſi conſtitutione. Hoc poſterius dici nõ poteſt: Nam ſicut Deo fuit liberum cõdere has vel illas creaturas, quæ tantam vel tantam vniuerſi perfectionem componerent; ita etiam non cogebatur tot vel tot Angelos creare, vt dicebam ſuperiore art. Quæſito vltimo Difficult. vlt. Si prius; ergo eſto cœlum habeat ampliſſimam naturam, non tamen Deus debuit creare Angelos tam magno numero, quo creaturas cæteras ſuperent. Quod enim liberè, vt ex arbitrio fit, nulla debiti neceſſitate fit. Vt
S. Auguſtin. enim ait S. Auguſtinus libro 5. de Ciuit. Dei cap. 10. Quod fit voluntariè non fit ex neceſſitate.

Stephani Bubali de Angelis.

A

Conſilium A. Doctoris, in afferenda huius articuli ratione declaratur. §. 1.

AD harum difficultatum ſolutionem Notandum eſt ex dictis art. 1. ſuprà quæſito 3. Difficult. 3. not. 1. certum eſſe, hanc rationem ſimpliciter non probare tantam Angelorum multitudinem; neque id ab A. Doctore eſſe propoſitum. Primum patet ex argumento tertiæ ex modò propoſitis difficultatibus, & ex dicto loco citato. Quia ſcilicet liberum fuit Deo, vniuer-
B ſum tantæ perfectionis cõdere. Ergo ſimpliciter id non fuit neceſſariũ. Secundum probatur tum ex dictis ibidem in ſecunda propoſitione; tum etiam apertè ex A. Doctoris verbis in hoc a. ad A.Doctor.
4. vbi ait: *Multiplicationem Angelorum neque ſecundum materiam, neque ſecundum corpora eſſe accipiendam, ſed ſecundum diuinam ſapientiam diuerſos ordines immaterialium ſubſtantiarum excogitantem.* Refert ergo A. Doctor, quod tanta vel tanta Angelorum multitudo ſit, in ipſam diuinam ſapientiam; ſecundum quam Deus voluit tot Angelorum determinatos ac certos ordines procreare.

Relinquitur ergo (quod diximus in ea Difficultate 3. in prima propoſitione) vt hæc ratio ab
C A. Doctore non afferatur vt ſimpliciter, & ex natura rei immenſum Angelorum numerum concludat; ſed ſolùm vt oſtendat hanc ipſam multitudinem congruere perfectioni vniuerſi: quam Deus ſuæ diuinæ ſapientiæ conſilio excogitauit atque eſſe in rebus voluit. Quod enim de facto tot Angeli ſint, non poteſt ex natura rei, ſed ſolo Theologico argumento defendi. Id quod A. Do- A.Doctor.
ctor prudenti conſilio præſtitit in hoc art. Nimirum tum ex ſcripturis in argumento. *Sed contrà*; tum auctoritate Dionyſij ſummi Theologi in ar- S.Dionyſ.
ticuli corpore qui in eo cap. 14. conſpicuè hanc tantam innumerabiliumplanè Angelorum multitudinem docuit. His more ſuo rationem con-
D uenientiæ attexuit ad rem fidei declarandam; Quod muneris Theologi eſt.

Sanè A. Doctor q. 6. de Pot. a. 6. c. cùm hanc A.Doctor.
ipſam rationem proponeret, priùs docuit, *doctrinam fidei certiſſimè à Platonis, & Ariſtotelis doctrina diſcordare*, in hoc *quòd ponimus multas ſubſtantias corpori nõ vnitas plures quam aliquis eorum ponat*. Cuius rei rationem ſubdit his verbis. *Quæ quidem poſitio rationabilior videtur propter tria. Primò quia ſicut corpora ſuperiora digniora ſunt*, &c. Itaque hac ratione vſus eſt non quidem ad probandum multitudinem Angelorum, ſed doctrinam fidei declarandam tanquam per rationem congruentem, *& rationabiliorem*.

E Optimè autem eo argumento hoc fidei dogma declaratur ex proportione cœli ampliſſimi corporis ad cætera quæcũque eiuſdem cœli ambitu concluſa corpora, vt ejuſdẽ argumenti explicatione oſtendi poterit vt deinceps conſtabit.

Quo pacto verum ſit corpora & ſubſtantias nobiliores, excedere ignobiliora. §. 2.

EX quibus reſpondetur ad primã obiectionẽ. Aio enim, corpus viuũ dici poſſe bifariã. Vno

quidem modo, vt sit corpus includens vitam: Vt homo dicitur corpus viuens, leo, musca & cætera. Alio modo vt corpus sit, quod vitæ subiectum est. Qua ratione caro viuentis dicitur viua, os, neruus, & cætera. Et hoc pacto corpus erit altera compositi pars, quæ cum anima totum componit. Ex quo dixi vnà cum A. Doctore 3.p.q.76.art.2. corpus Christi viuum sub speciebus panis consecratis vi formæ consecrātis poni. Dico ergo, corpus viuum primo modo nobilius esse non viuo corpore, non autem secundo; vt homo cœlo præstat, non hominis corpus. Et quidem A. Doctor in ea q.3. art.1. non aliter corpus accepit. Nam ibi ostendit; si Deus esset corpus, fore vt esset viuum. Sumpsit ergo corpus includens vitam. Sic enim Deus esset, si corpus esset. Non enim altera pars compositi esset Deus; sicut corpus hominis non est homo. Atque ita dico cœlum esse nobilissimum corporum etiam eorum, quæ viua sunt secundo modo; ideóque amplissimum debere esse inter omnia.

A. Doctor.

Atque hinc vlteriùs sequitur, licèt corpora viuentia, vt homo, leo, musca, & cætera cœlo nobiliora sint; tamen hęc non debere sua magnitudine cœlum excedere. Nam quamuis anima sit cœlo nobilior; tamen corpora cœlum nobilitate excellit, vt apertè docet A. Doctor infrà q. 91.a.1. ad 2. & alibi; Et rectè omninò q.6. de Pot. a.6. ad 13. ad hoc propositū docet corpus humanum & quantum attinet ad eam partem, quæ animo subiicitur, esse minus nobile quam cœleste corpus, & quantum attinet ad informandi rationem. *Perfectiori enim modo*, inquit, *forma cœli perficit materiam, cui præbet esse incorruptibile, quàm anima rationalis corpus.* Quæ ratio valet, etiamsi opinione A. Doctoris darentur formæ partiales in viuēte: Quia etiam iis positis adhuc cœli forma perfectius suam materiā informaret. Si quidem cum illa constitueret corpus omnis interitus expers. Quamobrem non debent mole sua cœlo maiora esse: quia cœlo sicut dignitate ita mole & quantitate concedunt. Hæc enim moles, & quantitas propria corporis sunt.

A. Doctor.

Quòd si quis diceret, corpus viuens etiam secundo modo cœlum dignitate superare; quia habet plures formas, ac proinde plures gradus entis, vt gradum ossis, carnis & cætera. Tunc contrà est primò: quia negarent Thomistæ, has esse formas, quas dicunt partiales. Deinde esto hoc sit, tamen longè nobilior est cœli simplicitas omnium corporum compositione. Ratio est aperta: quia corpus simplicius nobilius est composito, si aliundè ex proprietatibus aliud non appareat: Nam vt ait Aristoteles libro 2. de cœlo cót. 66. tanto aliquid *est melius, quanto propinquius fuerit optimo.* At corpus simplicius Deo simplicissimo propinquius est. Ergo cœlum quod est corpus etiam elementis simplicius, vt docet A. Doctor opusc. 3. cap. 9. erit nobilissimum; nec aliud proprietates indicant. Immò hoc confirmant potius. Quia cœlum habet præstantissimas qualitates, atque vim in omnia corpora: Quod etiam patet ex nobilissimo loco, quē obtinet cœlum. Nā vt ait Aristoteles libro 3. de Part. Animal. cap. 4. *Natura rem nobiliorem in locis nobilioribus constituere solet, nisi quid maius impediat.* Quin etiam cœlo tanquam nobilissimo corporum datam esse superam regionem arbitrati sunt veteres apud eundem Aristotelem libro 2. de cœlo

Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles. Aristoteles.

A cont. 73. *Honorabilissimo enim putant*, inquit, *honorabilissimam competere regionem:* Quæ nimirum in sublimi posita cernitur: Nam vt idem ait Aristoteles eodem libro 2. cont. 34. *Diuinior est locus, qui sursum est eo qui deorsum.* Ideóque *omnes & barbari & Græci quicunque putant esse Deos, eum qui sursum est locum Deo tribuunt*, teste eodem Aristotele libro 1. de cœlo cont. 22. Quæ rationes cessant in cæteris elementis atque corporibus.

Aristoteles.

Ad secundam obiectionem respondeo etiam hanc inter cæteras causas cœlestis exuperantiæ posse numerari; nempe nobilitatem, ob quam Deus voluerit, illud corpus amplissimum esse; Quod obiectio non impugnat. Nam quod dicitur de hominis animo non vrget. Vt enim dixi, B non possunt multiplicari intellectus humani, quin multiplicentur eorum corpora; atque ita mole & quantitate deberent cœlum excedere; Quod diximus esse inconueniens.

At inquies, multa animalia sunt perfectiora, quæ infimis pauciora sunt, vt leones pauciores sunt, quàm culices: est etiam vna phœnix, muscę quamplurimæ & cætera. Ergo nobilitas non facit ad hanc amplitudinem. Respondeo aliud esse quærere, Vtrùm semper Natura, quæ nobiliora sunt, faciat ampliora; Aliud verò Vtrùm ex eo quòd Deus id amplitudinis in corpore præstantissimo fecerit, rectè colligatur, congruenter C quoque idem esse factum in spiritibus nobilissimis. Nam quod attinet ad priorem quæstionem: negandum est, semper quæ nobiliora sunt, ea esse ampliora. Nam sæpè accidit, vt infima ex necessitate materiæ sint plura, quàm summa; cùm scilicet conspiratione causarum, necesse est existere plures ignobiliores effectus, vt plures culices quàm leones; & vnam Phœnicem, plurima muscarum genera, & cætera. Id tamen non est agentium causarum propensioni per se ascribendum; sed materiæ sic dispositæ ab ipsarum causarum concursu, dum in perfectiores suos effectus propendent. His igitur causis non per se, sed per accidens, est id consilij vt plures sint viliores, quam digniores effectus. Quem etiam ad modum Aristoteles libro 1. Physic. cont. 80. D non ascribit rerum interitum materiæ ipsi per sese. Ipsa *enim permanens*, inquit, *cum forma causa est eorum, quæ fiunt, sicut mater.* Sed materiæ cum priuatione: cum qua videtur *ad maleficium* facere, & rerum perniciem machinari. Producerent ergo quantum est ex parte ipsarum causæ efficientes præstantissimos quosque amplissimósque effectus, pluresque quàm viliores: nisi materiæ aliter ac per accidens dispositæ necessitas obsisteret.

Aristoteles.

Quocirca dicendum esset, esto plures sint viliores effectus, quàm nobiliores; id tamen esse per accidens non per se ex causis efficientibus. E Ex hoc autem magis firma redditur A. Doctoris ratio præsens. Nam sicut ex eo quod inter effectus per se ipsorum agentium præstantissimi essent quāplurimi, nisi impedirentur: Ita inter effectus diuinæ potestatis nobilissimi sunt amplissimi, quia nullo impedimēto ipsa retardari potest. Quanquā neque huiusmodi argumentum A. Doctoris ratiocinationi aduersatur. Quia solùm ex amplitudine cœli nobilissimi corporis colligit; amplissimum esse numerū Angelorum, rectè definiri: quia sunt nobilissimi spiritus. Hæc enim rectè deducuntur, esse, optimo consilio, facta à Deo. Vt enim se habet nobilissimum corpus,

A. Doctor.

corpus, in exuperantia, ad cætera corpora; ita nobilissimæ substantiæ ad cæteras substantias. Sed Deus rectè ad vniuersi perfectionem nobilissimum corpus voluit maximo interuallo excedere cætera corpora. Ergo rectè etiam Deus ad eandem vniuersi perfectionem voluit nobilissimas substantias excedere maximo interuallo cæteras substantias. Itaque quicquid sit de naturæ, quæ impeditur vario causarum concursu, effectibus, certè valebit ex congruenti rerum perfectione ratiocinari ad Dei effecta, cum nullum obstat impedimentum.

Ad Tertiam obiectionē patet ex dictis: Nam explicatum est esse quidem multitudinē Angelorum ex libera Dei voluntate, ac proinde potuisse non esse: probari tamen ex analogia corporum, eam congruenter esse factam à Deo, vt esset tanta vniuersi perfectio, quam Deus sibi mente præfixerat. Itaque concessis reliquis, quæ in obiectione dicuntur, distinguendum tamen est, quod in vltimo consequēte dicitur, *ergo Deus non debuit*, & cęt. Nam si illæ particulæ *non debuit* significent. *Non fuit necesse*, vera est consequentia: sin autem significent, *Non decuit* Deum ita facere falsa est. Ad rem autem nostram satis est, si debuit hoc secundo modo; nimirum quia id optimo consilio fecit, & congruenter ad ea, quę videmus inter corpora, vt diximus: & hoc solùm A. Doctor contendit: Deum scilicet rectè fecisse; hoc est Deum decuisse tantam Angelorum multitudinem creare; Vt quantò cœlum ob nobilitatem amplius est cæteris corporibus, tantò etiam cœlestes spiritus reliquas substantias numero ac multitudine superarent. Ex quibus etiam ruunt Durandi machinæ in 2. d. 3. q. 4. n. 8. vbi obiicit, quod pari modo probaretur, personas diuinas esse innumerabiles, quia perfectissimæ. Ruunt autem quia non probat, simpliciter ita esse ex natura rei A. Doctor. Sed posito quod ita voluerit Deus, rectè fecisse, vt diximus ad vniuersi ampliorem dignitatem, vt causa reddatur ex fine, quem Deus liberè sibi præstituit; nō autem necessariò ex rei natura.

(Marg.: A. Doctor. — Durandus. — A. Doctor.)

Maximam esse Angelorum multitudinem Scripturæ & Patres docent. §. 3.

HIs ita explicatis, quæcunque attinent ad seriem contextus, & argumenti efficacitatem; superest nunc de ipsius consequentis veritate videamus, quam diximus ab A. Doctore supponi ex principiis fidei; nempe Deū creasse maximam Angelorum multitudinem, quæ ferè incomparabili interuallo cætera entia superet. Esse autem maximam & innumerabilem Angelorum multitudinem certū Catholico est: Nam id apertum est ex sacris literis. Vt Matth. 26. dixit Christus, *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quo loquendi modo certum est Christum voluisse ingentē Angelorum multitudinem significare. Nam vt rectè obseruat noster Maldonatus in eum locum, Christus seruator noster duodecim discipulis qui vnà cum Iuda duodecim erant, opponere voluit ipsas duodecim Angelorum legiones, ac propterea nec plures nec pauciores nominauit,

(Marg.: A. Doctor. — Matth. 26. — Maldonatus.)

A vt significaret posse se pro duodecim hominibus duodecim, eóque amplius legiones Angelorū habere, ne illos nulla hominum multitudo terreret, quibus singulis ad custodiam Angelorum plusquam integra legio delegaretur. Quo etiam pacto in vnius Elisæi auxilium libro 4. Reg. cap. 6. tanta Angelorū multitudo missa est, vt montem vndequaque operiret. *Et ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.*

Quod quidem maximè spectat ad amplitudinem diuinæ maiestatis declarandam. Quemadmodum enim præpotentum regum mos est, vt si milites in alicuius gentis defensionem mittant, exercitū pro sui imperij dignitate numerosum B eò proficisci iubeant: Sic omnipotentis Dei infinita maiestas ad suorum electorum tutelā plurima se Angelorū atque infinita patrocinia promptissima habere significat, cùm ipsis opus esse animaduertit iuxta illud Prouerb. cap. 14. *In multitudine populi dignitas regis est, & in paucitate plebis ignominia principis.* Quam Dei maiestatem videtur voluisse describere Daniel cum dixit cap. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* A quo vix differt alter locus Apoc. 5. *Audiui vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium.* Iob 25. *Nunquid est numerus militum eius?* In quem locum ait S. Gregorius lib. 7. Moral. cap. 9. aliàs 7. multitudinem Angelorum nobis esse innumerabilem.

(Marg.: 4. Reg. 6. — Prouerb. 14. — Daniel. 7. — Apocal. 5. — Iob 25. — S. Gregor.)

C Quæ etiam doctrina expressè patet ex Patribus. Nam Clemens Romanus libro 8. Constitut. Apostol. cap. 12. *Te adorant*, inquit, *innumerabiles Angelorum copia*, & cæter. *dicentes vna cum millibus Archangelorum, & centum millibus Angelorum*, &c.

Athenagoras Apologia pro Christianis, *Magnum etiam numerum Angelorum*, inquit, *& ministrorum Dei esse fatemur*, &c.

S. Athanasius serm. 3. contra Arrianos: *Multi Archangeli, multi throni, multæ potestates & Dominationes, millies millia, & decies millies centena millia ministrorum assistunt*, &c.

S. Irenæus libro 2. cap. 6. *Multi*, inquit, *sunt & innumerabiles circa factorem Angeli, quemadmodum omnes confitentur prophetæ, dena millium denum millium assistere ei, & multa millium ministrare.*

D S. Hilarius ad Psal. 118. post initium. *Meminimus assistentes nobis choros Angelorum, & plenum cœlestibus mysteriis mundum*, id est Angelis. De his enim antecedentia & consequentia.

S. Hieronymus in cap. 7. Dan. in ea verba *Millia millium*, sic ait; *Non quòd iste ministrorum Dei numerus definitus sit, sed quod maiorem multitudinem humanus sermo explicare nequiuerit. Ista sunt millia, & ista sunt myriades, de quibus in psalmis legimus currus Dei*, &c.

S. Nyssenus hom. 15. in Cant. *Hæ igitur potestates cum à Deo ordinatæ sint, cùmque ordo ille copiarum vltramundanarum, quasque mente tantum intelligimus, æternùm non confusæ manent*, &c. Est ergo vltra copias mundanas.

E At quàm copiosè Chrysostomus? Is enim homil. 2. de Incorrupt. Dei natura. *Millia Angelorum sunt innumerabilia, mille millia Archangelorum*, & cætera. *Denique genera cœlestia innumerabilia*, & cætera. Hom. etiam 4. in Genes. argumento à fortiori ostendit tametsi diuina amplitudo clarè ex corporeis creaturis patescere potest: tamen longè admirabiliorem ex Angelorum multitudinis consideratione reddi. *Quod si sola visibilia sufficiunt*

(Marg.: Clemens Romanus. — Athenagoras. — S. Athanas. — S. Irenæus. — S. Hilarius. — S. Hieron. — S. Nyssenus. — Chrysost.)

ciunt nobis inquit *ad docendam potentiæ conditoris magnitudinem: Vbi & ad inuisibiles veneris virtutes, & mentem extenderis ad Angelorum exercitum, Archangelorum supernarum virtutum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Cherubin, Seraphin: Quæ mens quis sermo sufficiat enarrare magnificentiam eius inenarrabilem*? Viden' quot exercitus enumeret? Angelorum & cætera. Vt in tanta beatorum spirituum dignitate nihil magis ad conditoris laudem, quam ipsorum exercitus; nempe multitudinem contempletur. Sanè etiam ipse Deus optimus se Deum exercituum nominat. Quasi summa eius inter creaturas gloria sit in amplissima multitudine dominari.

Cyrillus Alexand. Sophronius. Sanctus etiam Cyrillus Alexandrinus libro 1. in Genes. *Millia millium Deo ministrant* inquit *& decies, centena millia ei assistunt*. His placet Sophronium virum sanctissimum Archiepiscopum Hierosolymitanum ante annos circiter mille in libro, qui inscribitur *Angelorum encomium*, & habetur in Bibliotheca veterum Patrum to. 2. vbi eloquentissimè Angelorum excellentiam describit. Inter cætera autem sic habet de solis Angelis & Archangelis; Nam de thronis & cæteris antea dixerat. *O vos reliqui Angeli & Archangeli, cœtus cœlestis, corona impenetrabilis, multitudo immensa, exercitus innumerus*, & cæt. *Quantitas cogitationes omnes excedens* &c. *Ordo infinite multiplex*, &c. *Vos ij estis, qui* &c. *cœlum & æthera repletis*. Vbi exaggerari vides immensam multitudinem, qua non solum æther, sed cœlum ipsum refertum est. Denique S. Bernardus serm. de lamentatione Virginis. *Angelorum millia millium, qui ad Christi sepulchrum conuenere, dulces ei ac deuotas exequias, & victoriam decantabant*, & serm. 5. de verbis Isaiæ ante medium. *Agmina Angelorum* inquit *templum*; id est cœlum *replent* &c. Constat ergo maximam esse Angelorum, eámque innumerabilem multitudinem, & solum superest, vt de ea distinctius inquiramus. Hic tamen non prætermittam quod

S. Brigitta. scribit S. Brigitta lib. 4. Reuelat. cap. 11. sibi à Deo reuelatum esse. *Si computarentur omnes homines qui nati sunt ab Adam vsque ad nouissimum qui nasciturus est in fine Mundi, plusquam decem Angeli inuenirentur pro vnoquoque homine*. Hæc illa. Vt hinc profectò intelligamus, quanta vniuersorum Angelorum multitudo sit. Si quidem qui nostri curam gerunt, ex infimo sunt ordine, vt ex

A. Doctor. Patribus docet A. Doctor infrà q. 113. a. 3. Reliqui verò superiores ordines quò nobiliores, eò sunt numerosiores. Quamobrem si infimus ordo minimùm decuplò est omnibus hominibus, qui quouis tempore fuerunt, sunt, erúntque maior; Quantò tandem summi ordinis numerum cæteris omnibus ordinibus ampliorem esse existimabimus? Verùm ad disputationem accedamus. Sit ergo

QVÆSITVM VNICVM,

De Angelorum Multitudine.

A. Doctor. QVoniam ex A. Doctore in hoc art. dictum est, numerosissimam esse Angelorum multitudinem; idque & supponi ex principiis fidei & Patrum sanctorum testimoniis firmari; discutienda nunc sunt ea, quæ ex iisdem principiis obturbare hanc veritatem possunt: Ideoq; quanto superent interuallo homines, ac cæteras Mundi res, ex scriptura & Patribus examinandum. Quando naturalia principia ad has conclusiones non suppetunt. Et ideò Aristoteles naturæ Aristoteles. Genius non aliter certum ac definitum substantiarum separatarum numerum in cœlo constituit, nisi ex cælestium orbium circumuolutione, vt suprà dictum est. Et quamuis ex eius sententia suprà etiam conati simus ostendere, alios Angelos esse, tamen quot illi sint, quantave eorum multitudo, nihil ferè ex eius scriptis colligi potest. Non tamen prætereundæ sunt cæterorum philosophantium de hac Angelorum multitudine sententiæ. Tametsi hi non tam argumentis, quàm consensione populorum, dæmonum magnum esse numerum statuerunt. Ab his autem primùm ordiamur. Sit ergo

PRIMA. DIFFICVLTAS,

Vtrùm Antiquis Philosophis sit Magnus Angelorum siue Dæmonum Numerus.

QVoniam præsentis Quæstionis enodatio ex iis, quæ in primi articuli declarationem dicta sunt, magna ex parte haberi potest; hìc non multi erimus in accumulandis Antiquorum hac de re sententiis; sed præcipua solùm ipsorum dicta indicasse satis nunc nobis sit.

Quare Dicendum breuiter est, veteres Philosophos maximum esse dæmonum numerum arbitratos esse. Hìc autem, vt dixi, non comprehendo Aristotelem, cuius doctrina ratione naturali non Gentium auctoritate ferè vbique fulcitur.

Genios custodes hominum bonos ac malos, Aristoteli ac veteribus philosophis. Multa quoque de viarum, fontium, &c. præfectis. §. 1.

Aristoteles. Homerus. Plutarch. QVanquam ne Aristoteles quidem excludendus est. Nam & Genios concessit, cùm Homerum ex Genio natum esse docuit, vt ex eius verbis apud Plutarchum dixi suprà a. 1. Quæsit. 1. Difficult. 2. in priore eius parte: & custodes hominum eos esse affirmauit in Moralibus Eudemicis, vt ostendi eadem Difficult. 2. in 2. Proposit. nostra. Quare & Aristoteli plurimi atque innumerabiles erunt Angeli siue dæmones, quandoquidem Geniorum numerus penè infinitus censebatur. Propositio nostra probatur exponendo quam breuissimè ipsorum dicta, quibus id euidenter docetur. Et primò

Trismegis. Mercurius Trismegistus in Pimandro cap. 9. *Nulla profectio mundi pars est* inquit *Dæmonum præsentia destituta*; & pergit enumerare quæ dæmonum opera vbique etiam in hominum cogitatione fiunt: Et in Asclepio cap. etiam 9. docet, dæmones occupasse omnia Idola ac statuas, ex iisque responsa dedisse hominibus: Quæ argumento sunt, ipsum sensisse, eos esse innumerabiles.

Min. Felix. Ad quæ fortè respexit Minutius Felix in Octauio

uio cum variorum effectuum atque innumerabilium eos auctores vbique facit. Quasi velit significare apud illos veteres exploratum fuisse, dæmonum multitudinem fuisse absque numero. *Illi igitur impuri spiritus* inquit *vt ostensum à Magis, à philosophis, & à Platone sub statuis & imaginibus consecrati delitescunt* &c. *Dum inspirantur interim vatibus, dum phanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus inuoluta* &c. *Vitam turbant, omnes inquietant*; & alia quam plurima narrare pergit. Sicut etiam Lactantius lib. 2. cap. 15.

Lactantius. Orpheus. Eugubin. Orpheus etiam apud Eugubinum libro 8. de perenni philosophia c. 33. significat, omnia esse dæmonibus plena illis versibus, quos suprà etiam retuli a. 1.

Dæmonáque imploro, sanctum pariterque malignum,
Aerios, aqueos, cæli, & conuexa tenentes,
Terrestres, infernósque, & circum omnia euntes.

Homerus. Eugubinus. Homerus quoque teste eodem Eugubino ibidem omnem turbam spirituum noxiorum vocauit dæmonas, atque ita sentit, plurimos esse. Idémque colligitur ex iis, qui cuique homini Genios & custodes assignarunt. Inter quos Hesiodum, Socratem, & Platonem fuse recensuimus suprà a. 1. Quæsit. 1. Difficultat. 2. Proposit. 2.

Hesiodus. Socrates. Plato.

Hesiodus. Clemens Alexand. Inter quæ illud præclarè refertur ex Hesiodo à Clemente Alexandrino libro cui titulus est, *Adhortatoria ad Græcos* lógè post initium ante medium illius, vnde colligere possumus, innumerabiles ipsis fuisse dæmones hominum custodes. etsi ibi numerum finitum pro infinito ponat.

Dæmonium inquit *decies ter habet nam millia tellus*
Immortalia queis hominum custodia cessit.

Empedocles. Plutarch. Ad hanc senténtiam accessit Empedocles apud Plutarchum in libro de Tranquillitate animi longè post medium. *Sed Empedoclis potius probanda est sententia* inquit Plutarchus, *qui vnumquemque nostrum postquam est natus, arripi gubernarique à duplicibus fatis, Geniisque docet.* Ex quo ait, non rectè dictum esse à Menandro, vnum nobis tantùm dari illis verbis.

Menander.

Vnicuique in lucem cum primò editur
Genius bonus vitæ magister totius
Assistit.

Non tamen negat adesse quoque & malum.

Lactantius. Quod quoq; veteribus exploratum esse scribit Lactantius lib. 2. cap. 15. *Adhærent* inquit *singulis hominibus, & omnes ostiatim domos occupant, ac sibi Geniorum nomen assumunt* &c. Scitum est illud fatiloqui Ægyptij de M. Antonio apud Plutarchum in vita eiusdem M. Antonij. Cùm enim prænunciasset Antonio auspicatissimam & summam eius fortunam à Cæsaris fortuna obscurati, vt ipse Plutarchus loquitur, suasit vt ab adolescente Cæsare se quàm longissimè seiungeret; cuius causam dicti subiiciens ait. *Huius enim Genium formidat Genius tuus; qui erectus & celsus vbi solus est: illo appropinquante demissior redditur & ignauior.*

M. Anton. Plutarch.

Plutarch. Id confirmans ibi Plutarchus docet, experimento compertum, id rectè obseruatum ab Ægyptio fuisse: Nam cùm quotidie quacunque in re mitterent sortem, victũ perpetuò Antonium fuisse notat. Suum etiam genium expertus est Marcus Brutus apud Plutarchum in eius vita, cum se eius visendum oculis subiecit, atque ita fatus est. *Tuus sum Brute malus genius in Philippis me videbis.* Vbi etiam obserua, hic quoque signi-

Marcus Brutus.

A ficari duos cuique assistere Genios malum ac bonum.

His consentiunt Euclides Socraticus, & Lucillius libro 9. Satyrarum apud Censorinũ libro 2. de Natali die. Subscripsitque his Seruius in illud 6. Æneidos. *Quisque suos patitur manes.* Vbi manes putat positos esse Geniorum loco. Cuius hæc sunt verba. *Cùm nascimur,* inquit, *duos Genios sortimur. Vnus est qui hortatur ad bona: alter qui deprauat ad mala; Nec incongruè dicuntur Genij, quia cum vnusquisque genitus fuerit, ei statim obseruatores deputantur: Quibus assistentibus post mortem aut asserimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem,* &c. Euclides. Lucillius. Censorinus. Seruius.

De his etiam Geniis vide quæ scribit Plutarchus libro 1. de placitis Philosophorum cap. 8. vbi quod Genij sint tribuit Thaleti, Pythagoræ, Platoni, ac Stoicis. *Thales, Pythagoras, Plato, Stoici esse aiunt Genios substantias animæ præditas.* Quin etiam ipse Homerus teste Plutarcho in libro de Iside & Osiride, *appellatione Genij, qui Græcè dicuntur dæmones, vtitur de bonis ac malis.* Plutarch. Thales. Pythagoras. Plato. Stoici. Homerus. Plutarch.

B

In quo vides opinor discrepare Eugubinum à Plutarcho, cùm ille dixerit, vt modò vidimus, ab Homero turbam noxiorum spirituum vocari dæmonas: Hic verò, qui dæmones Græcè dicuntur tã boni quàm mali, genios vocari. Ergo Homero dæmones sunt tam boni quã mali, si Græcè voluit loqui. Sed de Homeri sententia vide, quæ scripsimus suprà art. 1. Quæsit. 1. Difficult. 2. in priore, & posteriore eius Difficultatis parte. Plutarchi sententiæ, nimirum Genios Græcè dæmones dici; subscripsere Tertullianus, Lactantius, & alij, de quibus eodem loco dixi. Eodẽ Plutarcho teste eodem ipso libro, Genij quos ait esse dæmones custodes asseruntur à *Platone, Pythagora, Xenocrate, & Chrysippo priscorum Theologorum imitatione.* Postea subdit hæc ipsa verba, quæ ex ipso de Homero iam retulimus. Eugubinus. Plutarch. Homerus.

C

Plutarch. Tertull. Lactantius. Plato. Pythagoras. Xenocrates. Chrysippus.

His addo Platonicos omnes. Apuleium libro de Deo Socratis. *Dæmon,* inquit, *qui nobis præbitus est, vita edita trahit custodiam suam veluti ad iudiciũ, & illic in causa dicenda assistit, & siqua commentitur redarguit, & siqua vera dicit assentitur: ita vt illius testimonio feratur sententia,* &c. Apuleius.

D

Meminit etiam Plotinus vniuscuiusque hominis Genij Enneade 3. lib. 4. cap. 3. & 5. & præter ea, quæ ex ipso diximus suprà art. 1. quæsi. 1. Difficult. 2. in posteriore eius parte, cap. 6. ait, dæmonem illum custodem deducere quidẽ animos ad inferos; non tamen necesse esse, vt reuertatũt ad custodiam, etiãsi animus ab inferis reuocetur. *Dæmon hic, de quo verba facimus,* inquit, *deducere animam ad inferos dicitur,* &c. & paulò infrà. *Rursus si reuertatur huc anima, vel eundem, vel alium sumit dæmonem, secundùm vitam quam acturа sit.* Ait etiã ibi. *Dæmon animabus pœnam luentibus imminet, ac forsan non tam vita tunc illis est, quam iudicium atque pœna.* Plotinus.

E

Maximus etiam Tyrius ser. 26. multã dæmonũ copiam facit, cum pro varietate naturarum singulorum hominum, varios etiã constituit dæmones custodes. Cùm enim de variis eorumdem dæmonum effectibus disseruisset, tandem in fine illius sermonis ita cõcludit. *Ad summam,* inquit, *quot sunt hominum naturæ, totidem etiam dæmonũ esse oportet.* Maximus Tyrius.

Ad extremum libet hic apponere verba Iamblici dæmonum in hominum animũ officia describentis amplissimè. Cuius doctrina vsui esse

poterit

poterit ad sensum intimiùs percipiendum, tum A Aristotelis libro septimo Moralium Eudem. capite 17. & 18. dum de Genio disputauit; quem vt dixi a. 1. Quæsit. 1. Diffic. 2. loco citato appellat aliquid ratione intellectuque præstantius; Tum etiam Simplicij, cuius adducam testimonium infra q. 54. a. 4. (Aristoteles. Simplicius.)

(Iamblicus.) Is ergo Iamblicus libro de mysteriis cap. cui titulus est: *Vnde proprius Dæmon veniat* &c. Quod caput versus libri finem positum est; Inter cætera hæc præcipuè docet de dæmone cùm homo in lucem editur. *Quem* dæmonem inquit, *cum primum anima ducem accepit, adstat ipse dæmon suppletor subinde vitarum. Hic animam vt dixi descendentem alligat corpori, commune eius animal ipse curat. Vitam animæ propriam dirigit, & quandocunque ratiocinamur* B *exhibet ratiocinandi principia: agimusque talia, qualia is adducit in mentem, gubernátque nos, quousque sacris operibus expiati Deum subeamus pro dæmone ducem. Cui posthac dæmon ita cedit, vt vel vacet eo præsente, vel conducat ad idem.* Quæ quidem licèt aliqua ex parte vera non sint, tamen nonnulla veritati non parum fauent, vt dicam suo loco. Quæ verò dicit de Dei præfectura intellige sic: vt detur superior dæmon homini digniori, vt mox explicabo ex sententia Procli. (Proclus.)

(Iamblicus.) Iis quæ diximus subiecit Iamblicus quæstionem; An plures adsint vnicuique dæmones alij alia gubernantes in homine; vt alius sanitatem, alius pulchritudinem &c. curent. Cui negando C respondet, cum vnus ad hæc sit satis. Affirmat tamen cap. seq. penes vnum superiorē dæmonem, qui eorum, qui circa generationem sunt, dux & præses est, curam esse, vt suum dæmonem ad vnumquemque demittat. Reddiderat autem huius rei causam his verbis. *Semper enim*, inquit, *in sacrarum operationum ordine per superiora numina inferiora vocantur.* Quod Theologi dicunt, à superiori illuminari inferiorem: de qua re A. Doctor tota quæst. 106. (A. Doctor.)

(Proclus. Marsf. Ficin.) Tandem afferam Procli dicta in commentario ad Alcibiadem priorem, vt est apud Marsilium Ficinum in librum Procli de anima & dæ- D mone cap. cui titulus est *Tria de Anima & dæmone*, vbi Proclus apertè affirmat inter dæmones alios esse summos, alios minores, &c. Summósque dici Deos comparatè ad inferiores, ideóque Socratis dæmonem vocatum esse Deum. *Dæmones diuini*, inquit, *in dæmonum genere summi sunt, & ante omnes Deorum participes: & quidam adeò antecellunt, vt Dij frequenter appareant. Ideo dæmon Socratis Deus appellatur, tanquam ex ordine dæmonum summus.* Hæc ille. Ex quo intelligi par est præstantioribus excellentiores dæmones ad custodiam dari, eósque ob naturæ perfectionem vocari à Gentilibus Deos.

(Horatius.) Iisdem etiam antiquitas sacrificabat, vt est E apud Horatium libro tertio Carminum Ode decimaseptima.

—Cras Genium mero
Curabis, & porco bimestri.

(Landinus.) vbi nonnulla rectè Christophorus Landinus ex veterum consuetudine. E quibus tamen Geniis, vt ait Lactantius libr. 2. cap. 15. multa mala hominibus irrogabantur. *Qui quoniam spiritus sunt tenues*, inquit, *& incomprehensibiles insinuant se corporibus hominum, & occultè in visceribus operti, valetudinem vitiant, morbos citant, somniis terrent*, & cætera.

Horum ergo putabatur ingens multitudo ac numerum omnem excedens, sicut etiam de Laribus similis ferè naturæ; quos Gentiles arbitrabantur Deos esse vniuscuiusque familiæ custodes. Plautus in prologo Aululariæ. *Ego lar sum* inquit, *familiaris ex hac familia. Unde exeuntem me aspexistis.* Quocirca Tertullianus in Apologetico cap. 13. Deos domesticos fuisse scribit; Et Arnobius libro 3. contra Gentes ait fuisse domorum custodes. (Plautus. Tertull. Arnobius.)

Multò innumerabiliores erunt si his addantur, qui triuiorum, viarúmque atque vrbis curam agere putabantur. Vicorum quoque & itinerum quidem fuisse patet. Nam & idem Arnobius ibidem scribit. Vulgus arbitrari, Lares vicorum atque itinerum Deos esse. Hinc Græci vicos cognominarunt λαύρας, Vrbium verò custodes fuisse docet Ouidius libro quinto Fastorum. (Arnobius. Ouidius.)

Stant quoque pro nobis, & præsunt mœnibus vrbis, & cætera.

& libro 2. Fastorum & alibi. Prudentius etiam libro 2. contra Symmachum notat veteres affinxisse singulis Genios, regnis, domibus, thermis, insulis, portubus, &c. De quorum etiam multitudine multa scribit Andreas Tiraquellus in Annotat. ad Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4. Genialium dierum, verbo *lares quoque*, & deinceps. & cap. 26. versus finem. Plura etiam erudite Andreas Victorellus in aureo libello de custodia Angelorum pag. 96. 135. & 144. Cæsar etiam Ripa in libro Italico idiomate conscripto, cui titulus est *Iconologia* in verbo *Genio* ait veteres etiam figurasse Genium bonum pulcherrimis capillis, platano redimitum, manu gestantem colubrum; séque talem vidisse insculptum quodam in numismate: Malum autem figurari solitum oblongis pilis, promissa barba, vultu tetro atque horrido. Alio etiam modo dicit formari bonum; Nimirum læto puerum vultu, frontémque papauere coronatum, dextra gerentem spicas, læua racemos vuæ, repertámque eius statuā tali epigrammate inscriptam in basi. Quod hic referam ad huius rei confirmationem (Prudentius. Tiraquell. Alex. ab Alexand. Victorellus. Ripa.)

Quis tu late puer? Genius. Cur dextera aristam
Læua vuas? vertex quidve papauer habet?
Hæc tria dona Deûm, Cereris, Bacchi, atque Soporis:
Namque his mortales viuitis & Genio.

Refert etiam Romæ repertam esse basim, vbi incisis literis scriptū erat IOVI CVSTODI & GENIO THESAVRORVM. & in antiquis inscriptionibus sæpè cerni, Genio Coloniæ, Centuriæ, Decuriæ, Fontis, loci, horreorum, Seianorum, Thesaurorum, & alia huiusmodi. Vnde planè constat tales peculiares Genios antiquitus obseruatos esse, eorúmque maximam multitudinem creditam.

Verumtamen arbitror multos ex Philosophis non tam suo ingenio, quàm sacrarum literarum magisterio edoctos illa docuisse; præsertim ex Ægyptiis; è quibus veteres complures philosophi doctrinam rerum cœlestium hauserunt. Nam Anaxagoram, & Pythagoram in Ægyptum esse profectos, & cum Ægyptiorum, Hebræorúmque sapientibus familiariter versatos esse docet Theodoretus libro secundo de Cur. Græcor. affect. & de Pythagora & Erippo idem commemorat Origenes libro primo contra Celsum. Quin etiam Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum Pythagoram & circumcisum fuisse vt ab Ægyptiis (Anaxagor. Pythagoras. Theodoret. Pythagoras. Erippus. Origenes. Clem. Alex.)

Ægyptiis philosophiam disceret, & cum Prophetis versatum. *Pythagoras*, inquit Clemens, cum *iis ipsis* prophetis Ægyptiorum, cum quibus proximè dixerat versatum fuisse Thaletem, *propter quos etiam fuit circumcisus, vt adyta ingrediens Ægyptiorum mysticam disceret Philosophiam, & cum Chaldaeorum & Magorum versatus est præstantissimis, & eam quo nunc vocatur Ecclesiam significat id quod apud ipsum est ὁμακοεῖον.* Quæ res etiam incredibile excitauit in Platone studium, vt perlustrarit Ægyptum, & ab Hebræis quoque præceptoribus veram Dei doctrinam magna ex parte perceperit, vt testatur idem Theodoretus libro primo.

Plato. Theodoret.

S. Augustin. Atque hæc causa fuit sancto Augustino, vt libro octauo de Ciuit. Dei capite vndecimo dixerit, se in magna varietate Philosophorum inter se, & à Christianis dissidentium, solos veteres Academicos, qui à Platone initium acceperunt, dignos reperisse, cum quibus ipse de Religionis veritate disceptet. Vt mirum nemini esse debeat, si Clemens Alexandrinus Platonem appellet *ex Hebrais Philosophum*. Cuius illud tanquam celebre dictum refert ibidem; Agricolis, vbi apud se ne fodiendo quidem repererint aquas, eas ab aliis esse procurandas. *Inopia enim non succurrere non iustum est.* Significans doctrinam cum inter nostros deest, ab externis nos accipere oportere; Quod ipse docet lib. 8. de legibus.

Clem. Alex. Plato. Euſ. Cæsar.

Sanè in re proposita de Angelorum multitudine & custodia scribit Eusebius Cæsariensis libro decimotertio de præparatione Euangelica capite septimo, *Platonem scribere non dubitasse, vnicuique datum esse dæmonem*; & illum Socratis dæmonem fuisse Angelum; & alia complura, quæ verisimile est non nisi ex Hebræorum fontibus hausisse. Quod ergo his Philosophis contigit, credibile quoque est, Mercurio & cæteris Poëtis contigisse, vt ab Hebræis, Ægyptiisque has veritates in sua scripta deriuarent. Nam vt Tertullianus in Apologetico contra Gentes capite quadragesimoseptimo ait, *Quis poëtarum, quis Sophistarum, qui non omninò de Prophetarum fonte potauerit? Inde igitur Philosophi ingenij sui sitim rigauerunt, vt quæ de nostris habent, ea nos comparent illis.* Et pergit hoc eleganter probare. Et idcircò ibidem paulò ante dixerat de Christianorum veritate. *Antiquior omnibus, ni fallor, veritas est: Et hoc mihi profuit antiquitas præstructa diuinæ literaturæ, quo facilè credatur, thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientiæ.* Quibus verbis vt notat Iacobus Pamelius in eum locum Tertulliani num. 589. imitatur Iustinum martyrem oratione ad Gentiles, Clementem Alexandrinum libro primo & libr. quinto Stromatum: Ipsum verò Tertullianum deindè imitatus est ferè ad verbum Minutius Felix in Octauio.

Tertullian. Pamelius. Iustin. mart. Clem. Alex. Minu. Felix.

In qua tamen re non video, quo pacto Pamelius hanc in Minutio ad verbum imitationem agnoscat. Solùm enim sic ait. *Animaduertis Philosophos eadem disputare quæ dicimus; non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi de diuinis prædicationibus prophetarum vmbram interpolatæ veritatis imitati sunt.* Hæc ergo diuersa videntur, & nō vlla imitatio.

Plato. S. Augustin. Eusebius. Sed tandem Platonem Philosophiam ab Hebræis didicisse idem habet sanctus Augustinus libr. octauo de Ciuitate Dei capite vndecimo, & Eusebius libro 11. de Præpar. initio, & latissimè toto libro duodecimo, sed vt concludam verbis

A S. Augustini eodem cap. 11. vbi agit de Platone, *vndecunque ista didicerit, siue præcedentium eum veterum libris, siue potius quomodo dicit Apostolus ad* Rom. 1. *Quod notum est Dei manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit.* Sanè consensione populorum, & illustrante naturæ lumine, multiplicem huius doctrinæ veritatem aspernari non modò non sunt ausi; verùm etiam suum eidem assensum Philosophi non immeritò præbuere. Quamobrem meritò A. Doctor infrà quæst. centesimadecima a. 1. c. docuit, omnia corpora regi per Angelos. *Et hoc non solum à sanctis Doctoribus ponitur* inquit *sed etiam ab omnibus philosophis qui incorporeas substantias posuerunt.* Quanquam ea, quæ est ipsorum sacrorum lux splendidissima, B *non satis intelligentes*, vt loquitur Tertullianus ibidem, *vt adhuc subnubila, etiam ipsis Iudæis obumbrata, quorum propria videbantur*: non paucis errorum maculis asperserunt. Quod ipsum significauit Minutius Felix vbi suprà proximè post verba citata. Ait enim Pythagoram, & Platonem conditionem renascendi corrupta & dimidiata fide tradidisse. Nam corporibus dissolutis solas animas volunt & perpetuò manere, & in alia noua corpora sæpius commeare. Addunt istis & illa ad detorquendam veritatem in pecudes, aues, belluas hominum animas redire, vt ipse ibi loquitur. Hoc itaque solum in præsenti constat, veterum philosophorum sententia, C Angelos esse quamplurimos, atque adeò innumerabiles.

Rom. 1. A. Doctor. Tertullian. Min. Felix. Pythagoras. Plato.

Platonicorum quoddam celebre dictum explicatur ex A. Doctore. §. 2.

TAndem hîc quoque disputari posset, quo pacto cum Platone, qui vt suprà vidimus posuit tantam Angelorum multitudinem, possint conuenire Platonici, cùm dicunt vt ex ipsis refert A. Doctor quęst. Vn. de spiritualibus Creaturis art. 8. ad 10. *Quod substantiæ quo sunt primo vni propinquiores, eo sunt minoris numeri.* Verumtamen optimè ibi A. Doctor docet Platonicos absolutè Angelorum multitudinem innumerabilem non negasse, vt nos suprà vidimus; sed solum multitudinem veluti materialem, quæ sit indiuiduorum in eadem specie. Probabile enim est, Platonem ipsum censuisse, omnes Angelos differre inter se specie, quarum differentiarum est multitudo formalis. De qua re hîc plura dicere non attinet; Fusiùs quædam ibi A. Doctor. Nūc veritatem è Scripturarum, sanctorúmque oraculis audiamus. Sit autem

D A. Doctor. Platonici. Plato. E

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm numerus Angelorum Patribus sit amplior quàm numerus omnium specierum in cæteris rebus creatis.

POsset quoque hęc ipsa difficultas ex Philosophorum Ethnicorū sentētia examini subiici. Nam & ipsi visi sunt longè plures dæmonas posuisse

posuisse quàm homines, cùm etiam singulis vnum aut etiam duos dæmones à Deo datos arbitrati sint. Verùm quia ignoratur; An singulis diuersum à cæteris dæmonem assignatum putauerint; An idem plurium custos fuerit; idcirco prætermissa hac in re philosophorum opinione hanc controuersiá apud solos Patres discutiam ac resoluam.

Partem ergo negantem sequuntur quidā viri docti ex recentioribus. Inter quos quidam magni nominis ait, se non videre quicquam certi in hac re, quod *aut ratione aut auctoritate definiri possit*. Et quod non ratione sic probat, *Quia cùm numerus Angelorum fuerit ex sola Dei voluntate productus, nulla ratione nisi ex reuelatione de eo constare nobis poterit*. Hinc ait, Durandum in 2. d. 3. q. 4. nihil ausum definire, sed solùm in eo laborare, vt A. Doctoris rationes aliorúmque reiiciat. Quod verò neq; auctoritate, probat; Quia si qua esset, potissima esset illa ex S. Dionysio c. 14. cœlest. Hierar. Vbi tamen nihil ad rem continetur. Postquam enim dixit ex illo Dan. 7. *Millia millium*, &c. vt ostenderet ex eo loco Angelos esse innumerabiles subdit. *Multi enim sunt beati cœlestium mentium exercitus, qui infirmum & contractū numerorum corporeorum, quibus vtimur modum superant*, &c. Et concludit, ab ipsis solis Angelis definiri. Ergo S. Dionysius non docet, numerum Angelorum maiorem esse quam corporum, sed solùm excedere hunc nostrum contractum numerandi modum. Atque ita non est sermo de rebus numero subiacentibus, sed de breui ipsa enumeratione, quæ nobis ampla non est, sed contracta, vt non sufficiat ad Angelorum numerum explicandum. Vbi enim peruentum est ad decies centies millies millionū, cæteros quosque numeros nullo modo noster intellectus capere potest. Maximus enim numerus est per multiplicationem maximorum numerorum supra seipsos; scilicet denarij cētenarij, millenarij vt patet ex A. Doctore infrà q. 112. art. 4. ad 2. in fine vbi etiam citat S. Dionysium. Secundò probari potest ex S. Dionysio cap. 4. de diuinis nominibus. Quod etiam argumentum affert contra se A. Doctor in huius articuli argumento 4. Ait enim omnes Angelicas substantias subsistere propter radios diuinæ bonitatis. *Propter radios*, inquit, *diuinæ bonitatis subsistunt intelligibiles intellectualésque omnes substantiæ*. Ergo videtur indicare esse tantum propter orbes cœlestes atque ita paucissimos esse Angelos. Radij enim diuinæ bonitatis sol & sydera & cœlestis natura videntur esse, cætera simpliciter non emittunt radios.

Partem affirmantem expresè docuit A. Doctor hoc art. 3. & q. 6. de ver. a. 6. & infrà q. 112. art. 4. ad vlt. Quem sequuntur Caietanus eodem art. 3. Ferrariensis libro 2. contra Gentes cap. 92. §. *Aduertendum circa conclusionem*. Gregorius de Valentia hic Disputat. 4. q. 1. p. 3. §. *Probatur autem*. Molina a. 3. hic Disput. 1. & alij nonnulli; cum quibus ad Difficultatem respondetur. Et sit

Vnica propositio. Numerus Angelorum maior est, quàm cæterarum omnium rerum species apud sanctos Patres. Probari posset primò ex S. Dionysio cap. 4. cœlest. hierar. Vbi expresè docet, cœlestes spiritus non solùm dignitate, sed copia cætera omnia superare. *Sanctæ cœlestium spirituum distinctiones eis & quæ solùm sunt, & quæ sine rationis vsu viuunt, & quæ humana viuunt ratione, diuina illius participationis dignitate & copia longè præcellunt*. Ergo distinctiones Angelorum; id est numerus non solùm dignitate naturarum, sed etiam copia; id est multitudine cætera omnia siue solum habeant esse, siue etiam sensus, atque adeò humanam intelligentiam, longè præcellit: Ergo maior est cæteris omnibus rerum speciebus. Verùm hic contextus est falsus, licèt ita citetur ab auctore thesauri Catholici libro 4. de Angelis a. 1. Nam alij codices tum Perionij, tum nostri Lansfei fideliores non habent illam particulam *copia*, vbi nititur argumentatio.

Secundò probant A. Doctor hic a. 3. Molina ibidem Disputat. 1. & alij ex illo loco S. Dionysij cap. 14. quem retuli in Parte negante: Verumtamen ambiguus videtur sensus, & legitimè illum explicasse prima facie visus est noster Vasquez Disp. 189. cap. 2. vt vidimus. Quare nisi hic locus firmetur magis, non videbitur satis ad propositam rem aptus. Id tamen nos infrà præstare conabimur in secundo nostro *Colligitur*. Nam & magni momenti doctrinam continet; & valdè huic nostræ propositioni, quam puto verissimam, fauet; præsertim accessione auctoritatis A. Doctoris; & ideò dicam, ita intellectum locum maximè facere ad rem præsentem.

Probari tertiò posset auctoritate S. Gregorij libro 17. Moral. cap. 7. Vbi docet, plures esse qui ministrant quàm qui assistunt. Ergo sunt plures, quam rerum omnium species. Nam vltra custodes specierum sunt quoque numerosi Angelorum chori Deo assidentes. Verùm hæc ratio non difficile soluitur ab aduersariis. Etenim huiusmodi argumentis respondere solent quidam recentiores non esse certū; An qui ministrant, & speciebus dominātur, tot numero sint quot species: An verò iidem dominentur pluribus. Si autem hoc affirmetur; esto sint assistentes & administratores, non tamen inde sequitur esse plures quam rerum species. Quare vt hæc ratio firma sit, fulcienda magis est ne labascat. Addo etiam difficultatis nonnihil esse in rectè intelligendo illo sancti Gregorij loco; In quo declarando laborat A. Doctor q. 112. a. 4. ad 2. De eo tamen dicam infrà Diff. 4. in fine.

Firmiùs ergo probatur primò auctoritate A. Doctoris, vt vidimus in Parte Affirmante, & dicam in secundo *Colligitur*; Deinde expressā auctoritate S. Bernardini Senensis eximiè arcana cœlestia diuinitus edocti. Nam tomo 4. ser. 48. de amore misericordiæ fol. 272. sic habet. *Dionysius in suo libro Hierarchiæ dicit, quòd solùm Angeli in Paradiso existentes sunt plures, quàm sint stellæ, quàm sint arenæ maris ac terræ, quàm sint folia & herbæ, & quàm sint omnia quæcunque creata*. Quibus verbis omninò mihi videtur respicere in hunc locum, quem citauimus. Quippe non video, quis alius esse possit. Idem colligitur ex verbis Cassiani, qui collat. 8. cap. 12. affirmat, omnem hunc aërem inter cœlum ac terram vsquequaque diffusum, incredibili malorum spirituum densitate constipatum, quos tamen satis vtiliter humanis aspectibus prouidentia diuina subtraxit. Ergo plures sunt, quàm omnes rerum materialiū species; Alioqui non ita sua densitate aërem constiparent: Nam nec rerū species ita superficiem terræ complent.

Secundò probatur propositio ratione Theologica, quæ in Sanctorum auctoritate nititur. Nam

Nam ille numerus excedit omnes rerum materialium ſpecies, qui magna exuperantia excedit numerum omnium hominum, qui quocunque tempore erant, aut futuri ſunt in rerum natura. Sed numerus Angelorum excedit illum tantum hominum numerũ. Ergo numerus Angelorum excedit omnes rerum materialium ſpecies. Maior patet, quia maior eſt numerus ſingularium hominum, quàm numerus ſpecierũ materialium. Nam paucæ admodum ſunt ſpecies ſimplicium corporum, quæ cœlo, elementiſque definiuntur; Species autem miſtorum in triplici ſunt differentia. Aut enim ſolum habent eſſe ſine vita vt lapides: Aut vitam vegetantem ſine ſentiente, vt plantæ: Aut denique etiam ſentientem vt animantes. Non eſt autem veroſimile, harum ſpecierum numerum non ſuperari ab hominibus, qui vbique omni tempore ſunt; Quorum totidem centena millia vel vna in vrbe Roma præterierunt; Quid in reliquis mundi partibus exiſtimandũ? Quot denique erunt ij, qui ante mundi exitium in lucem edentur? Cùm tamen quæ ſint animantum, herbarum, atque lapidum ſpecies aut magna ex parte notæ ſint omnes, aut ſaltem valdè probabile ſit, quæ humanã fugiunt notitiam, centenarum denum milliũ ſummam non excedere. Sanè ſemper in rerum natura ſunt ſpecies eædem; Homines verò ſingulis ferè ſæculis ne dicam ætatibus noui ſucceduut. Atque ita eſto rerum ſpeciebus impar ſit numerus hominum vnius ætatis aut ſæculi, tamen toties renouatæ multitudinis numerum longè omnibus illis ſpeciebus ampliorem eſſe, quis dubitet? Si ergo aliquis numerus excedat multitudinẽ hominum; excedat quoque numerũ materialium ſpecierum neceſſe eſt, cum certum ſit, illũ numerum qui quingentorum hominũ cumulum ſuperet, ſuperare quoque cumulum trecentorum. Itaque Maior dubitationem non habet.

Minor probatur: Quia tot debent eſſe cuſtodes hominum Angeli, quot numero homines, vt ex Patribus oſtendam Difficult. ſeq. Et præterea ſunt alij longè plures. Ergo excedit numerũ omnium hominum.

Vltra Angelos hominum cuſtodes, eſſe eos quibus Prouinciarum, nationum, &c. incumbit cura, Patrum ſententia eſt. §. 1.

QVod verò ſint alij plurimi Angeli, probatur: Quia ſunt Angeli præſides ſingularum prouinciarum, vt eſt communis Patrum ſententia. Nam id expreſsè docet S. Dionyſius cap. 9. cœleſtis Hierarchiæ, vt habet tranſlatio noſtri Lenſlæi. *Theologia*, inquit, *hierarchiam noſtram Angelis attribuit, cum populi Iudæorum principem Michaëlem appellet.* En princeps populus cuſtodem principem Angelorum habuit, *alióſque aliarum nationum.* Hîc etiam vides quamcumque nationem ac gentem ſuum deſtinatum cuſtodẽ poſſidere. Reddit rationem hoc pacto: *Statuit enim Deus*, inquit, *terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei.* Deinde ſubiungit, errores gentium non eſſe tribuendos *Angelorum præfecturis*, ſed naturæ ipſorum in malum pronæ. Et poſt pauca docet. Ad primum omnium principium

S. Dionyſ. — Lenſleius.

A ab Angelis, *qui vnicuique nationi præfecti ſunt*, eos deduci, qui eos duces ſectantur. Et paucis interiectis ait. Pharaoni ab Angelo, qui Ægyptiis præpoſitus erat; & Babyloniorum principi a ſuo, Dei *poteſtatem per viſa miſſam eſſe.* Quibus omnibus clariſſimè patet, nullam eſſe gentem, aut populum cui ſuus Angelus non præſideat Dionyſij magni ſententiã.

Sic etiam Clemens Romanus libro 2. Recognitionum cùm ait. *Eſt vniuſcuiuſque gentis Angelus, cui credita eſt gentis ipſius diſpenſatio.* Idem clarè videre eſt apud Clementem Alexandrinum lib. 6. Stromatum, vbi *per gẽtes ac ciuitates*, inquit, *ſunt diſtributæ Angelorum præfecturæ.* Similia colliguntur ex Athenagora, licèt non ita expreſſerit ciuitates; ſed communi vocabulo dixit, Mundum & quæ in mũdo ſunt. *Magnum numerum*, inquit Athenagoras legatione pro Chriſtianis circa annum Domini 180. *Angelorum & miniſtrorum Dei eſſe fatemur, quos*, &c. *Deus in claſſes ordinauit, centuriauitque, vt elementa, cœlos, mundum, & quæ in mundo ſunt, viceſque & ordines omnium moderarentur.* B

Clemens Romanus. — Clemẽs Alexandrinus. — Athenagoras.

Id tamen expreſſiùs docuerunt S. Gregorius Nazianzenus orat. 32. ante medium. *Tum etiam ad Angelos*, ait, *quibus huius vrbis cura commiſſa eſt.* Et rurſus in fine. *Præter omnia & ante omnia clamabo: Valete Angeli huius Eccleſiæ præſides, meæque præſentiæ ac peregrinationis.* Quo dicendi modo clarè ſignificat non ſolùm ciuitatibus, ſed etiam Eccleſiis Angelos præſides cuſtodéſque eſſe conſtitutos. S. Baſilius libro 3. contra Eunomiũ non lõgè ab initio, *Angeli omnes vt appellationis vnius, ſic eiuſdem etiam ſunt naturæ inter ſe. Attamen alij ipſorum gentibus præpoſiti ſunt; Alij verò fidelium ſingulos conſequuntur.* Quibus etiam vides, hos eſſe vltra Angelos ſingulorum hominum cuſtodes. Et præterea cum dicit *gentibus*; intelligi oportere, populis; non gẽtilibus vniuerſis. Cur enim vnus omnibus gentilibus tantum: & ideò dixit *ipſorum gentibus*, quaſi dicat ſingulis populis. S. Hieronymus in cap. 10. Dan. in illa verba. *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi.* Vbi ſic ſcribit. *Videtur mihi hic Princeps Perſarum eſſe Angelus, cui Perſis credita eſt, iuxta illud quod in 32. cap. Deuter. legimus. Quando diuidebat altiſſimus gentes, & diſſeminabat filios Adam iuxta numerum Angelorum Dei.* Vbi videtur loqui de bono Angelo, vt Pererius notat ibi in Danielem libro 12. Idem docent ex eodem Scripturæ loco, eodem modo explicatæ Iſidorus Peluſiota libro 2. epiſtola 55. & Theodoretus q. 3. in Geneſim. *Statuit terminos gẽtium pro numero Angelorum Dei.* Et in commentario ad illa verba vbi docet. *Ex his quæ hoc loco tradit Daniel docemur, ſingulis Angelis vniuſcuiuſque noſtrum demandatam eſſe curam*, &c. *Archangelis verò illud munus eſſe iniunctum, vt gentium ſint præfecti.* His nihil clarius dici poteſt: Nam vltra hominum cuſtodes, qui Angeli ſunt, gentium præſides vult eſſe Archangelos.

C — D — E

Nazianzenus. — S. Baſilius. — S. Hieron. — Daniel. 10. — Deuter. 32. — Pererius. — Iſidorus Peluſiota. — Theodoret.

Idem patet ex S. Gregorio libro 17. Moral. c. 8. *Certa Angelorum miniſteria diſpenſandis ſingulis quibuſque gentibus, ſunt prælata.* Et pergit declarare, quomodo interdum inter eos Angelos, qui ſuis populis patrocinantur poſſit eſſe diſſenſio: Scilicet; *cum ſubiectorum mores aduerſum ſe vicissim præpoſitorum ſpirituum opem merentur ipſi, qui præſunt ſpiritus, contra ſe venire referuntur.* Denique idem docet S. Iſidorus libro 1. ſent. cap. 10. aliàs 12. ſent. 20. Vbi ait. *Singulæ gentes præpoſitos Angelos habere* dicun

S. Gregor. — S. Iſidorus.

dicuntur, *quod ostenditur testimonio Angeli Danieli loquentis: Princeps regni Persarum restitit mihi.* Hanc quoque sententiam amplectitur A. Doctor infrà q. 113. a. 3. c. ibique commentatores omnes. Constat ergo esse Angelos præsides prouinciarum. Quod autem ij Angeli diuersi sint ab iis, qui custodes sunt hominum, expresse patet ex dictis ex Theodoreto & Basilio: Et docet A. Doctor infrà q. 113. a. 2. & ratione etiam patet: Quia vt dicemus sequenti Difficult. Vnus Angelus, qui est custos vnius hominis, alteri non est rector, sed diuersi sunt. Ergo etiam diuersi erunt præsides prouinciarum à singulis tutelaribus hominum.

A. Doctor. Theodoret. Basilius. A. Doctor.

Quod etiam ratio suadet, quia ideò sunt diuersi, quia vnus homo ab altero iure ac meritò dissentire potest, cùm aliter atq; aliter in varios fines dirigendi sint. Vt enim ait A. Doctor in eodem a. 2. ad 3. tametsi homines sint natura pares, non tamen à Deo æqualiter ad finem prædestinantur, nec per eadem media ad vnum: Similiter alij sunt reprobi, & variis criminibus inquinantur; & sic de singulis. Ergo præsides etiam oportet esse diuersos vt suos iuuet, etiamsi inter ipsos dissensio sit, vt diximus ex Dan. 10. cùm Angeli Persarum & Iudæorum dissentientibus sententiis decertabant. Quo etiam pacto A. Doctor in eadem responsione ad 3. oportere ait Angelos esse diuersos, quia & munera diuersa sunt.

A. Doctor. Dan. 10. A. Doctor.

Præter hos Angelos sunt etiam alij, quibus incumbit cura elementorum, & omnium specierum materialium, vt est sentẽtia A. Doctoris hic q. 110. a. 1. c. Vbi ait, omnia corporalia regi per Angelos non solum à SS. Doctoribus poni, sed etiam ab omnibus Philosophis, qui incorporeas substantias posuerunt; Et ibidem ad 3. ait, *Doctores sanctos posuisse sicut Platonicos, diuersas rebus corporeis substãtias spirituales esse præpositas*. Ad quam propositionem stabiliendam citat quosdam Patres ea de re ita loquentes. Origenes enim hom. 14. in Numeros, licèt citetur homilia 13. *Opus est* inquit *Angelis ipsi mundo, qui sint super bestias, & Angelis qui præsint exercitibus terrenis: opus est Angelis qui præsint animalium natiuitati, virgultarum, plantationumque, & cæteris pluralibus incrementis: & rursum Angelis opus est, qui præsint operibus sanctis*, &c. Vidésne hic, varios esse Angelos variis rebus patrocinantes? Non ergo verum est quod ait ille vir doctus ex recentioribus, Patres non explicare, Vtrùm diuersi sint. S. Augustinus libro 83. qq. q. 79. initio. *Vnaquæque res visibilis in hoc Mundo habet potestatem præpositam, sicut aliquot in locis Scriptura diuina testatur.* Sic etiam S. Damascenus libro 2. de fide cap. 4. initio expresse docet, Diabolum fuisse ex Angelis eum, *qui terrestris ordinis principatum tenebat, cuique custodiendæ terræ cura à Deo commissa fuerat*, &c. Hic quoque vides, vnum esse Angelum terræ caput atque custodem.

A. Doctor. Origenes. S. August. Damascen.

Hanc Damasceni sententiam videri posset docuisse Lactantius libro 2. cap. 15. Vbi ait, Deum ne fraudibus suis Diabolus, *Cui ab initio terræ dederat potestatem*, vel corrumperet vel dispergeret homines, misisse Angelos ad tutelam, curámque generis humani &c. Ergo Deus terræ dederat potestatem Diabolo. Attamen longè aliter sensit Lactantius: Nam putauit, Diabolum fuisse à Deo creatum, & peccasse, antequam fabricaretur Mundus. Quo viso Deum præfecisse illum Malo, sicut Angelorum principem Bono. Vt patet ex eodem libro c. 9. *Cùm autem Deus* inquit *ex his duobus alterum bono, alterum malo præpo-*

Lactantius.

A *suisset, exorsus est fabricam Mundi*, &c. Itaque dederat potestatem inferendi mala, non custodiendæ terræ. Quanquam etiam his habes Lactantij sententiã, Angelos rerum præfecturas Dei volũtate gerere. Quod quidem facit ad rẽ præsentem.

Quam etiam sententiam apertè docuit Andreas Cæsariensis circa annum Domini 500. explicans illum locum Apocal. 14. Qui habebat potestatem supra ignem &c. sic habet. *Hinc discimus, Angelicas potestates præpositas esse creaturis; hanc quidem aquis; hanc autem igni; hanc autem alicui parti creaturæ* &c. His nihil dici clarius potest, quo declaretur, Angelos hos esse diuersos. Idem probatur manifeste ex Scripturis sanctis. Nam Apoc. 14. dicitur. B *Alius Angelus exiuit de altari, qui habet potestatem super ignem*: Et ibidem cap. 7. *Vidi* inquit *quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos ne flarent*. Et infrà. *Quibus datum est nocere terræ & mari* &c. E quibus omnibus habes & sacrarum literarum pronunciatis, & perspicuis sanctorum Patrum testimoniis certissimum apud Theologos debere esse, cuncta hæc corpora, & alia quæ diximus regi, gubernaríque ab Angelis.

Andreas Cæsariensis. Apoc. 14. Apoc. 14. Apoc. 7.

Quocirca rectè monet Molina q. 110. a. 1. piè explicandum esse Hieronymum, dum Abacuc c. 1. in illa verba. *Mundi sunt oculi tui* &c. damnat illum librum stultitiæ, *in quo scriptum est, quendam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus, & in hanc similitudinem piscibus quoque & arboribus & bestiis* C *vniuersis proprios in custodiam Angelos designatos*. Videtur enim his verbis stultos eos esse credere, qui talia corpora Angelorum curæ subesse docuerunt. Attamen non est quòd Hieronymum Doctorem maximum tantæ inscitiæ insimulemus. Nam videtur solùm negare Hieronymus peculiarem quãdam Angelorum prouidentiam, qualem erga homines habent, ita vt *eandem rationabilium*, vt ipse proximè antè loquitur *quàm irrationabilium prouidentiam esse dicamus*. Hac enim ratione ibidem suprà negat, Deum huiusmodi rebus prouidere. Quod etiam dixi suprà q. 14. a. 6. Quare non negat Angelis rerum genera administrari; D sed solùm eodem prouidentiæ genere, vt homines regi. Constat ergo SS. Patrum sententiã suos esse cuique homini, & vltra hos nationibus singulis, rerúmque naturis vniuersis Angelos deputatos, ac proinde excedere omnem naturarum specificarum materialium multitudinem. Ex hac propositione ita probata

Molina. Hieronym. Abacuc 1. Hieronym.

Colligitur primò non rectè eos dicere in parte negante, nihil certi in hac re definiri posse. Ostendimus enim ex certissimis Patrum principiis Theologica conclusione certissimum esse, Angelos amplioris multitudinis esse, quam cæteras species omnes. Nec verum est id non posse sciri nisi diuinitus reueletur. Satis enim est, si E sanctorum Patrum oraculis tanquam certissimis Theologiæ principiis, vnde hæc deriuetur consecutio concludatur: vt in aliis permultis similibus certum est. Quod autẽ dicit ex Durando non magni refert; Quid is, cuius animus semper est ad A. Doctori contradicendum paratus, & qui non admodum in Patrum doctrina versatus sit, senserit. Præterquamquòd ipse num. 11. fatetur apertè, Angelos plures esse, quàm species. *Quia non sunt* inquit *species rerum in tam excessiuo numero, sicut de Angelis dicitur Dan. 7. & Iob 25.* Itaque hoc saltem audet definire, quod in præsenti re contẽdimus, plures Angelos esse, quam species. Sed

Durandus.

quis

A quis non miretur hos auctores, qui cum semper doctrinæ Durandi occludere soleant aures, nunc vel ad mentitam eius doctrinam, aliorum etiam aures patere velint?

Confirmatur celebris auctoritas Dionysij de multitudine Angelorum. §. 2.

S.Dionys. Vasquez. A.Doctor.

Colligitur secundò auctoritatem illam S. Dionysij, etiamsi aliquo modo rectè perpendatur à Gabriele Vasquez vt diximus in Propositione; Tamen eam rectè & non solùm probabiliter, sed etiam efficaciter afferri ab A.Doctore. Nam si numerus Angelorum superat contractum modum rerum corporearum, debet necessariò superare multitudinem ipsam rerum, non solam ipsam numerandi rationem, siue vt Philosophi loquuntur, debet superare numerum numeratum, non solum numerum numerantem. Quod patet euidenter: Quia si solum numerum abstractum superari existimasset Dionysius, non dixisset cótractum numerorum corporeorum, quibus vtimur, modum superare; sed numeros quibus vtimur omnes. Nam ad numerorum species abstractorum nihil interest sit corporum an literarum &c. Significauit ergo superari modum contractum corporum numeratorum; Hoc est contractum modum, qui esse potest in omnibus corporibus, extra quem corporeorum numerorum modum vagantur numeri Angelicorum spirituum. Vt numerus idem sit quòd multitudo & quantitas, quo pacto apud Latinos sæpè sumitur. Cicero. *Magnum* inquit Cicero libro 3. de offic. *vir bonus Alexandria Rhodum frumenti numerum aduexit.*

Immò ampliùs confirmatur: Quia non dicit contractum modum, quo vtimur in enumerandis corporibus; sed *contractum corporeorum numerorum modum, quibus vtimur*; nempe corporibus. Quorsum enim hæ particulæ apponerentur, si numeros illos à rebus auulsos intelligeret? Debuisset enim dicere superat numerandi modum, quo vtimur, vt diximus. Cùm ergo dixerit, excedi modum numerorum corporeorum, apertus sensus est; excedi omnes angustos limites numerorum corporeorum; nempè omnem multitudinem rerum corporearum. Alioqui non significasset quod volebat Dionysius, S.Dionysius. amplissimum illum numerum Angelorum, si modum solummodo numerandi superari docuisset. Quid enim admiratione dignum dixisset, si solam numerandi rationem, quam homines communi vsu tenere solent significare voluisset? Nam & species herbarum etiam ipsa hominum indiuidua, & alia huiusmodi complura talem numerandi rationem superare certum est. Quæ hominum indiuidua superari multitudine Angelorum illi ipsi recentiores fassi sunt, vt patebit initio sequentis Difficultatis. Est ergo amplior Angelorum numerus, quam omnium materialium specierum. Quod mihi tantò magis animo hæret, quantò minùs de hac re video A. Doctorem, ac Bernardinum illum potiùs cælestem quàm Senensem: sanctos, ac Theologos omnes, excepto vno alteróve Theologo dubitasse. (A Doctor. Bernardinus senensis.)

Ex his respondetur ad argumenta Partis affirmantis. Ad primum enim probare nostram propositionem iam dictum est. Ad secundum negatur consequentia: Nam Angeli subsistunt beneficio diuinæ bonitatis; quæ beneficia metaphoricè dicuntur radij ob similitudinem quæ intercedit. Sicut enim radij proficiscuntur ex natura Solis ad res illustrandas; ita etiam beneficia seu dona Dei manant ex natura bonitatis. Scitum enim est illud etiam ex S. Dionysio cap. 4. S.Dionysius. de diu. Nomin. Nempè *Bonum esse diffusiuum sui*; ita vt ad rationem boni vt explicat A.Doctor 3. A.Doctor. p.q.1.a.1. pertineat, se in alia diffundere. Subsistunt ergo Angeli ob radios diuinæ bonitatis: Propterea quòd diuinæ essentiæ quæ bonitas est, vt docet idem S. Dionysius eodem libro cap. 1. S.Dionys. A.Doctor. B & comprobat eodem a. A. Doctor, beneficio; seu quod idem est diuinorum beneficiorum ex diuina essentia veluti radiorum emanatione habent suum esse, in eóque conseruantur. Hoc enim subsistere est; id est consistere ac permanere. Quę igitur in eo argumento adducebantur, inania prorsus sunt. Neque enim soli cælestes orbes recipiunt diuinos radios, hoc est beneficiorum diuinorum emanationes atque effluxus. Aliter soluit A.Doctor in hoc a. ad 4. Quam solutionem vide apud ipsum.

C

TERTIA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Sanctorum Patrum sententiâ sint plures Angeli quàm homines.

Partem negantem sequi videntur è recentioribus nonnulli perdocti viri in hunc articulum, quos tanquam doctrina excellentes semper suspiciam. Quamuis enim Partem affirmantem probabiliorem existiment, concludunt tamen. *Si aut testimonijs Scripturæ & Patrum, aut ratione sola agendum esset, nihil de hac re conijcere possemus, vt monstratum est.* D *Vnde enim constare nobis posset, eundem Angelum in custodiam multorum hominum iterum, atque iterum non delegari?* Probari enim posse dixerat primùm plures esse Angelos quàm homines ex eo quòd singulæ ciuitates, regna, & saltem homines habent Angelum ad sui custodiam delegatum: *Non est autem verosimile, eundem Angelum successiuè diuersorum hominum curam habere.* Sunt ergo plures Angeli quàm homines: præsertim cùm custodes Angeli sint solùm ex infimo ordine, vt ipse docet alibi infrà. Hos ergo singulos nobis singulis datos Angelos negat hic auctor constare posse. Immò plures esse homines quàm Angelos videtur ostendi posse ait argumento desumpto ex cap. 12. Apocal. vbi di- Apocal. 12. E citur Draco traxisse secum tertiam partem stellarum; hoc est Angelorum, qui ipsum imitati Diaboli facti sunt. At hæ ruinæ teste Augustino libro 22. de Ciuitate Dei cap. 1. & in Enchiridio c. 28. 61. 62. & Beda in illud ad Ephes. *Proposuit restaurare omnia in Christo*, & Anselmo libro 1. Cur Deus homo cap. 18. ex hominibus reparandæ sunt: Quod etiam Gregorius homil. 44. in Euang. docuit. Ergo maior est hominum quam Angelorum multitudo. (S.August. Beda. S.Gregorius.)

Verumtamen neque hoc solidum esse ait argumentum. Nam S.Athanasius in libro de Quæstionibus ad Antiochum Principem q. 2. cum retulisset primò, quosdam asseruisse Angelorum numerum maiorem esse quam hominum; Immò S.Athanas.

nonaginta partibus excedere ex illa parabola Lucæ 15. Deinde alios sentientes æquum vtrorumque numerũ esse ob illud ex Deuteron. 32. *Constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei*, vt legunt Septuaginta, has tãdem quæstiones indefinitas reliquit. Præterea ait etsi certum est, sedes Angelorum supplendas esse ex hominibus, incertum tamen esse, an tot homines in ea sint asciscendi, quot Angeli ceciderunt. Ex quo Isidorus libro 1. de summo bono cap. 12. num. 13. cùm docuisset Angelorum numerum ex ruina malorum deminutum restaurandum esse ex hominibus, subdit tamen illum soli Deo esse notum.

Luc. 15. Deut. 32. Isidorus.

Addit etiam idem author vir doctus nõ constare an fuerit tertia pars Angelorum qui ceciderunt: Nam illa pars stellarum, quas de suo loco Draco detraxit, non significat Angelos qui cum Lucifero ceciderunt, sed tertiam partem hominum, qui in Ecclesia Dei lucebunt sicut stellæ, vt interpretatur Ricardus libro 4. in Apocal. Glossa 1. Tandem fatetur pro parte affirmãte solùm esse S. Brigittæ reuelationem, cuius auctoritati multum deferendum esse ait. Nam tradit ex Dionysio Carthusiano in cap. 14. S. Dionysij Cœlest. Hierar. fuisse S. Brigittæ diuinitus indicatum, ita esse plures Angelos quàm homines, vt vnicuique hominum decem possint in custodiam designari. Hæc ille auctor inter præcipuos Theologos nostri temporis enumerandus.

Ricardus. S. Brigitta. Dionysius Carthusian. S. Dionys.

Ad hanc sententiam accedere videri possunt Caietanus eodem art. & Ferrariensis libro 2. cõtra Gentes cap. 92. §. *Aduertendum circa conclusionem*. Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 3. §. *Probatur autem*, vbi dicunt, numerum Angelorũ esse maiorem, quàm sint omnes species rerum, licet non sit maior quam indiuidua. Quod etiã asserit Ludouicus Molina hic a. 3. Cùm autem probabile sit, plures esse homines numero quam rerum species, dicere videri possunt non esse plures quàm homines. Verùm ex his auctoribus adhuc non colligitur, Angelos esse pauciores quàm homines: Nam solùm dicunt, non esse plures, quàm omnium specierum indiuidua; non tamen asserunt, pauciores esse quàm homines. Immò Valentia §. *Secundo probatur* apertè docet, vnicuique hominum datum Angelũ esse ad custodiam ex sanctis Patribus, & præterea alios multos esse Angelos. Fateor tamẽ esse ab hac parte Molinam a. 3. vbi ait *argumenta hanc rem dubiam in vtramque partem efficiunt*. Atque vtriusque argumentis respondere conatus est. Nec dissentit noster Franciscus Suarez p. p. lib. 6. de comparatione prædestinatorum & reproborum cap. 3. in fine. Vbi ait, In hac quæstione *Ego nihil certũ neque satis probabile affirmare possum*.

Caietanus. Ferrariensis. Greg. de Valentia. Molina. Valentia. Molina. Suarez.

Angelos plures esse quàm homines, Patribus certum est.

§. I.

Sed tamen his non obstantibus pars affirmãs omninò videtur probabilior ac certior. Eámque apertissimè docuit A. Doctor in hoc art. 3. c. cùm dixit; *Angelos esse in quadam maxima multitudine omnem materialium multitudinem excedẽtes*. Quod

A. Doctor.

A saltem intelligi oportet quoad numerũ indiuiduorum in eadem specie. Quomodo enim excedere simpliciter dicerentur omnem materialium multitudinem, si ne vnius quidem speciei indiuiduorum multitudinem superaret: Idem patet ex eius ratione: Si quidem quæ in corporibus cœlestibus ob corporis præstantiam est ad cætera corpora magnitudinis proportio: ea est in Angelis ob eorum nobilitatem multitudinis ad rerum inferiorum multitudinem comparatio. Ergo saltem excedere debet indiuidua cuiuslibet speciei: Quia amplitudo cœli excedit etiam multitudinem indiuiduorum cuiusque speciei. Quanquam hæc ratio longè plus probat, vt dicam seq. Difficult. Ideo ad Difficultatem respondetur & sit

B

Vnica Propositio. Angeli sententiâ Patrum sunt plures, quàm sint omnes homines, quotquot vnquam fuerunt, atque erunt in omnem posteritatem. Posset hæc propositio probari: Quia vnusquisque homo habet suum Angelum; & præterea sunt alij. Ergo sunt plures Angeli quàm homines. Verùm respondent Gabriel & Molina, non esse certum an iidem Angeli varios sibi deinceps succedentes homines custodiant. Quod si esset; Esto quisque habeat suum custodem Angelum, tamen non sequitur, tot Angelos esse quot homines, cùm iidem Angeli multis mortalium successione temporũ præsidere possint. Posset probari secundò ratione, qua vsus est Raymundus Sabaudius libro suo Theologiæ naturalis tit. 219. Quia si Deus adeò multiplicare voluit creaturas sibi dissimiles, nempe corpora. Ergo multò maiorem esse voluit multitudinem rerum spiritualium, *quæ sunt*, inquit, *sibi similes & vniformes*. Verùm hæc ratio nec in se bona est, nec ad rem facit nostram: Quia hic disputatur quid Patres senserint; non quid ratione ostendi possit. In se verò non est bona. Dicerent enim aduersarij, incertum esse quid Deus sua libera voluntate decreuerit. Immò creaturas nobiliores pauciores esse debere, vt id quod est perfectius, magis accedat ad vnitatem. Quam ob causam Platonici vt est apud A. Doctorem infrà q. 112. a. 4. ad 2. dicebant: *Quod quanto sunt aliqua vni primo principio propinquiora, tãto sunt minoris multitudinis*. Contra quod superest arguendum ad veritatem.

Gabriel. Molina. C Raymundus Sabaudius. D A. Doctor.

Probatur ergo melius propositio primò ex Patribus, qui eam non obscurè docuerunt. Nam primò sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi decimaquinta dicit, homines cum Angelis comparari, vt centesimam partem ad integrum centenum numerum. Sic enim scribit: *Cogita primum quantum sit Romanorum genus: cogita quot gentes barbarorum nunc viuentes; & quot ante centum annos mortui; cogita quot ante mille annos sepulti sunt; cogita eos qui fuerunt ab Adam vsque ad hodiernam diem: Magna quidem hæc multitudo; sed hæc tamen parua est. Plures enim Angeli nonagintanouem oues sunt illæ; Tu verò centesima, quoniam vnum tantùm est genus humanum.* Nónne ergo plures Angeli, & nonaginta nouem partibus erunt homini superiores: Pergit autem probare idipsum ex loci, in quo Angeli commorantur amplitudine. *Nam pro locorum magnitudine cogitandum est. Si hæc nostra terra tanquam centrum est in medio cœli, & tantam habet multitudinem, quantam habebit multitudinem cœlum, quod terram ambit? Et cœli cœlorum habent certè immensam multitudinem. Scriptum est enim,* mille

Cyrill. Hierosolym. E

mille millia ministrabant ipsi, & decem millia myriadum assistebant ei. Non quod tanta solùm esset multitudo. Sed hac maiorem propheta dicere non poterat. Quę adeò clara sunt, vt nullus sit interpretationi locus.

Eucherius. Eadem comparatione vsus est Eucherius Episcopus Lugdunensis antiquus auctor circa annum Domini 450. Dominica tertia post Pentecostem. *Idem*, inquit, *significant decem drachmæ quod centum oues. Vna quoque drachma, & vna ouis perdita idem significant, nouem verò quæ restant nouem ordines Angelorum sunt*. &c. Quasi velit nullam esse immortalium Angelorum cum hominum multitudine comparationem. Si quidem denarij & centenarij numeri ad vnitatem, quæ non est numerus, sed numeri initium, vix vlla potest esse proportio, cum significetur numerus infinitis penè partibus reliquos superans, vt dicam seq. Diffic. ex Patribus.

Hilarius. Idem sensus est S. Hilarij in Matth. canon. 18. *Atque vt ingentem*, inquit, *esse in cœlis lætitiam reditu humanæ salutis ostenderet, comparationis posuit exemplum eius qui oues nonaginta nouem in montibus reliquisset*, &c. *Ouis vna homo intelligendus est, & sub homine vno vniuersitas sentienda est; sed in vnius Adæ errore omne hominum genus aberrauit. Ergo nonaginta nouem non errantes multitudo Angelorum cœlestium opinanda est, quibus in cœlo est lætitia, & cura salutis humanæ.* Hic quoque vides quæ sit vt cum Mathematicis loquar, habitudo omnium hominum opinione sancti Hilarij, si cum vniuersis Angelis comparentur.

Ambrosius. Luc. 15. Sed adhuc expressiùs S. Ambrosius aureo ore loquens in cap. 15. Luc. libr. 7. in eam parabolam de ouibus. *Diues igitur pastor* Christus, *cuius omnes nos centesima pars sumus, habet Angelorum, habet Archangelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit.* His apertiùs dici non potest quod inquirimus. Hæc enim Christi diuitias ostendunt amplissimas, & innumerabilium gregum infinitam multitudinem, quando inter subiectas Christo Pastori oues centesimæ partis rationem generis humani vniuersitas obtinet.

S. Gregor. In eandem sententiam sanctus Gregorius homilia 34. in Euang. eadem exposuit verba. *Ipse* inquit, *centum oues habuit* Deus, *cùm Angelorum substantiam & hominum creauit. Sed vna ouis tunc periit, quando peccando homo vitæ pascua dereliquit. Dimisit autem nonaginta nouem oues in deserto, quia illos summos Angelorum choros reliquit in cœlo*, &c.

Athanasius. Quin etiam sanctus Athanasius in sermone in ea Christi verba. *Profecti in pagum inuenietis* &c. Supponit Angelos esse illas nonagintanouem oues, quas Saluator reliquerat, vt perditum hominem redimeret. *Idcirco venit Saluator*, inquit, *relictis nonagintanouem ouibus, quæ non errauerant.* Quæ autem non errauerat præter Angelicam naturam? *Vt inde profectus quæreret ouem errabundam, illam que inueniens*, &c. Vnde verò profectus nisi è cœlo, vbi has oues bonus pastor reliquerat? Supponit ergo hos Angelos esse hominibus nonagintanouem partibus ampliores. Patrum ergo sententiâ plures sunt omnibus hominibus Angeli.

***

A

Angelos tutelares varios vnicuique non eosdem vnquam destinari; vbi etiam de Dæmone aduersario disputatur. §. 2.

SEcundò probatur nostra propositio ratione Theologica; quæ tandem tanquam in principia in auctoritatem SS. Patrum resoluetur. Quia si Angeli qui homines custodiunt, semper ad singularium hominum diuersitatem sint diuersi, ipsi Angeli custodes tot debent esse quot homines: Et, si vltra hos custodes sunt alij, ne-
B cesse est simpliciter Angelos plures esse quàm homines. Sed de facto Angeli, qui homines custodiunt; sanctorum Patrum sententiâ semper ad diuersitatem singularium hominum sunt diuersi, & vltra hos custodes sunt alij. Ergo ipsi Angeli custodes tot debent esse quot homines, & necesse est simpliciter Angelos plures esse quam homines. Maior patet ex ipsis propositionis terminis, quia hoc modo multitudo singularium hominum, numero Angelorum custodientium ex æquo respondebit; quia pro numero singularium hominum numerari possunt Angeli custodes; Ab iis autem, qui vltra eos sunt, qui hominum curam gerunt, homines su-
C perantur; quia vltra numerum eorum Angelorum, quibus hominum cura commissa est, supersunt alij. Ergo homines superantur numero Angelorum. Minor probatur, & primò quod diuersi Angeli sint diuersorum hominum custodes res est certa, & sine temeritate negari non potest, vt fatetur Gabriel Vasquez Disputatione 245. capite primo, Quia omnes Patres docent, vnicuique hominum cuiuscunque conditionis sit, singularem Angelum custodem deputari à Deo: Nam vt dicitur Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* In quem locum Matthæi celeberrimum in tota Ecclesia est illud sancti Hieronymi pronuncia-
D tum. *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Vasquez. Matth. 18. Hieronym.

S. August. Quem etiam locum laudat S. Augustinus, siue quisquis ille sit auctor libri sanè pij de diligendo Deo, siue Meditationum inter opera Augustini tom. 9. Sic autem cap. 12. eius libri ait. *Maximum æstimo & illud fuisse beneficium, quòd Angelum pacis ab ortu natiuitatis meæ ad me custodiendum vsque ad finem meum mihi dedisti. Vnde quidam sanctus ait, Magna est dignitas animarum vt* &c. Eleganter sanè Tertullianus libro de Anima cap. 37. Inde vsque à conceptu fœtui præesse Angelum docet. *Omnem autem*, inquit, *serendi, struendi,*
E *fingendique paraturam aliqua vtique potestas diuinæ voluntatis administra Angelus modulatur quamcumque illam rationem agitare sortita. Hac æstimando etiã superstitio Romana Deum finxit Alemonam*, &c. Sed tamen de hac materia fusiùs ex Patribus & Scripturis idem Vasquez ibidem, & Valentia Disput. 8. hîc q. 6. p. 3. Molina q. 113. Disput. vn. Thesaurus Catholicus libro 4. de Angelis art. 3. Iacobus Pamelius in locum citatum Tertulliani, & nos suo loco fusiùs dicemus. Tertullian. Vasquez. Valentia. Molina. Thesaurus Catholicus. Pamelius.

Quod verò semper sint diuersi; ita vt qui vnius curam sustinet aut sustinuit, alteri nõ præficiatur,

Iustinus martyr.

ficiatur probatur. Primò ex S. Iustino martyre q. 30. ad Gentes, qui mirè expressit hanc sententiã. Quærens enim quæ munia obeant Angeli custodes, qui nunquam deficiunt, etiamsi homines variis mortalium euentibus minuantur, respondet nunquam eos deserere siue animũ siue corpus. *Quibus*, inquit, *ministrorum mandatum vt homines sequantur, custodes semper augentur, minuuntur nunquam. Aut enim vtrumque simul, animã inquam & corpus, aut animam post diuortium eius à corpore sequuntur vsque ad restituendi siue renouandi Mundi tempus.* Sentit ergo eosdem non præfici aliis, sed perseuerare in custodia suorum.

A. Doctor.

Secundò probatur: quia id videtur docere A. Doctor infrà q. 113. a. 2. c. Vbi inquirens, An suus cuilibet homini sit Angelus; affirmat ob causam ex paritate ad reliquas rerum species desumpta. Quia scilicet cùm Angeli custodes diuinæ prouidentiæ executores sint, se ad rerum custodiendarum curam habent, vt diuina prouidentia disponit. Quæ prouidentia præcipuè respicit rerum perpetuarum ordinem, non autem ea quæ corruptibilia sunt, *nisi in quantum ordinat ipsa ad res perpetuas.* Ergo respicit homines singulares, quandoquidem homo non solùm est perpetuus secundùm speciem, sed etiam secundùm cuiusque animum. Ex quo argumento concludit ibi A. Doctor, Angelum cuique homini suum esse. *Prouidentia Dei comparatur*, inquit, *ad singulos homines, sicut comparatur ad singulas species rerum corruptibilium; non autem ad earumdem specierum singularia: Sed diuersi ordines Angelorum deputantur secundùm Gregorium diuersis rerum generibus. Vnde etiam rationabile est, vt diuersis hominibus diuersi Angeli ad custodiam deputentur.*

A. Doctor.

E quibus verbis duo colligo. Vnum est, singulos homines custodiri à suo proprio Angelo ex præscripto diuinæ prouidentiæ tanquam quid perpetuum vt cæteras rerum species. Ergo is qui vnum custodit est eius perpetuus custos & non alterius. Alterum est, Angelum dari speciebus quidem rerum corruptibilium, quia perpetuæ: non autem earum singularibus, quia interitura quandoque sunt. Sed apertissimè id videtur docuisse ad 3. ibidem, vt super. Difficult. dictum est, & mox confirmabo sequenti ratione.

A. Doctor.

Tertiò probatur eadem Minor ratione, quæ desumitur etiam ex A. Doctore eodem art. 2. ad 3. Quia quandocunque hominum est inæqualis dispositio ad finem vltimum, ibi præsidum Angelorum est diuersitas; Nimirum quia regendæ sunt diuersæ voluntates per diuersa media ad varios fines, ac proinde debet esse præsidum diuersitas. Vnde & inter custodes interdum in quibusdam resistentia narratur, vt notat S. Gregorius libro 17. in Iob cap. 8. Est ergo diuersitas. Sicut etiam in orbibus cœlestibus varij præsides destinantur, quia diuersis motibus orbes illi mouendi sunt. Nulla enim est Deo egestas, vt vnum Angelum pluribus hominibus accõmodet. Quod quidem fundamentum habetur ex naturalibus, ex quorum analogia philosophandum est ad supernaturalia. Natura enim nullum organum in viuentibus facere solet ad plura officia vt ait Aristoteles lib. 4. de Part. Anim. cap. 7. *Instrumentum*, inquit, *non idem ad vsus dissimiles haberi, si fieri potest*, &c. *Nihil enim tale natura facere solet quale per inopiam ars.* Ergo idem erit in Angelis.

S. Gregor.

Aristoteles.

Quocirca si ad varias etiam tentationes, varij etiã adhiberentur Dæmones: ergo multò magis variis hominibus varij Angeli destinantur. Quosdam namque Dæmones acriùs nos in quędam peculiaria vitia incitare, quàm alios, docet Origenes hom. 15. in Iosue. Hieronymus in cap. 6. ad Ephes. in ea verba. *Non est nobis colluctatio.* Vbi, *Sunt quidam*, inquit, *Dæmones amoribus & amatoriis canticis seruientes, vt Propheta quoque commemorat dicens, Spiritu fornicationis seducti sunt*, &c. & post pauca. *Alij verò iracundias & furores & bella committere. Alij præesse inimicitiis & inter homines odia concitare*, &c. Idem quoque apertè putat ex Cassiano collat. 7. cap. 17.

Origenes. Hieronym. Ephes. 6.

Cassianus.

Ex quo sequitur, suũ cuique homini dari Angelum, ob eam quoque causam quod inter homines varia est naturæ conditio, atque ad finem propensionis varietas, vt vario quisque modo ad illum dirigendus sit. Sanè scitum est illud Terentianum. *Suus cuique mos est.* Quò idem allusit, in Phormione, vbi è tribus aduocatis primus ait, secundus negat, tertius deliberandum esse censet. Vt verè etiam ab eodem dictum sit. *Quot homines, tot sententiæ.* Quin etiam Apostolus 1. Cor. 7. ne cuiquam dubium esset, vnumquemque diuersis gratiæ beneficiis dum se suauiter naturarum diuersitati Deus accommodat, ad finem supernaturalem præueniri ac promoueri, dixit, *Alius quidem sic, alius verò sic.* Quod in eum locum obseruarunt Ambrosius, & alij apud nostros Benedictus Iustinianus, & Cornelius à Lapide ibidem. Ergo constituendi erant à Deo diuersi diuersorum hominum custodes Angeli. Atque hoc totum argumentum virtute continetur in prædicta responsione ad 3. Vnde etiam ibi A. Doctor, vt doceat esse diuersos Angelos pro diuersis hominibus ait, pro variis hominibus varia etiam esse obeunda munera saltem maiora in vno quam in alio. *Et sic*, inquit, *maius officium est custodire vnum hominem quam alium.* Qua etiam ratione constat, nobiliores Angelos, & superiorum ordinum dari iis, qui inter homines excellunt. Sũt ergo diuersi Angeli custodes, nec vnus, & idem pluribus deputatur.

Terentius.

1. Cor. 7.

Ambrosius. Benedictus Iustinianus. Cornelius à Lapide.

A. Doctor.

Quod ergo plures alij præter custodes sint probandum est: Probatur autem primò, quia vltra Angelos custodes adsunt hominibus etiam Angeli reprobi sanctorum Patrum sententiã: Nam Hermas inter Patres Gręcos, & sancti Pauli Apostoli discipulus circa annũ Domini 126. libro 2. Mandato 6. & habetur to. 5. Bibliothecę veterum Patrum sic loquitur. *Duo sunt Genij cum homine, vnus æquitatis, & vnus iniquitatis. Et ego dixi illi, Quomodo Domine scire potero, quod duo sunt Genij cum homine? Audi inquit, & intellige. Æquitatis Genius tener est, lenis, & verecundus mansuetus & quietus. Cùm ergo in cor tuum ascenderit, continuò loquitur tecum de iustitia, de pudicitia*, &c. *Accipe nunc & Genij iniquitatis opera. Primùm iracundiæ*, &c. *opera illius euertunt seruos Dei*, &c. Nomine Genij intelligit Angelum tum bonũ tum malum. Ergo sentit vnicuique adesse duos Angelos.

Hermas.

Eadem est sententia Gregorij Nysseni libro de hominis opificio longè post initium, sed ante medium libri. *Verus sermo*, inquit, *ad nos vsque descendit, qua creditur postea quam in peccatum nostra natura lapsa est, non omninò à clementia diuina neglectam, neque absque suo patrocinio demissam, sed Angelorum, qui natura incorporei sunt, aliquem in adminiculum, cuique constitutum fuisse, naturæque nostræ corruptorem in omnibus contra annitentem prauum aliquem*

Nyssenus.

A *quem, atque male; cum dæmona ad mali vincẽdum homines impellentem ad ſingulos deſtinaſſe.* Hæc Nyſſenus.. Ergo huius etiam ſentẽtia duo adſunt contrarias in partes Angeli.

Caſſianus. Serenus Abbas.

Idem omninò Ioannes Caſſianus collat. 8.cap. 17. ſcribit ex ſententia Sereni Abbatis initio. *Quod vnicuique noſtrum duo cohæreant Angeli bonus & malus Scriptura teſtatur. De bonis quidem Saluator. Ne contemnatis vnum de puſillis iſtis,&c. De vtriſque liber Paſtoris pleniſſime docet.* Et malum quoque dari colligit ex illo pſal. 108. *Et diabolus ſtet à dextris eius.* Idem ſignificat Theodoretus, licet non perſpicuis id verbis aſſerat. Nam ad cap. 10. Danielis ſic ſcribit. *Ex his docemur ſingulis Angelis vniuſcuiuſque noſtrum creditam eſſe curam, vt cuſtodiant, tueãtur, & à praui dæmonis nos liberent inſidiis.* B Vult enim vnumquemque impugnari à prauo dæmone. Ergo ſupponit, vnumquemque à ſuo dæmone concitari ad malum.

Pſal. 108. Theodoret.

Origenes.

Sed clariùs id Origenes libro 3. Periar. cap. 2. ait. *Quod etiam per Angelos vel bonos vel malos aliqua humanis cordibus ſuggerantur,* nõ dubium eſſe. Additque. *Sed & de Paſtoribus liber hæc eadem declarat dicens, quòd boni Angeli ſingulos quoſque homines comitentur; &, ſi quando bonæ cogitationes cor noſtrum aſcenderint, à bono Angelo ſuggeri dicit: Si verò contrariæ, mali Angeli dicit eſſe inſtitutum.* Quod deinceps dicit ex Apoſtoli Barnabæ epiſtola quadã, quæ apocrypha creditur. Tertullianus in libro de Anima cap. 39. *Cui*, inquit, *hominum non adhærebit ſpiritus nequam ab ipſa etiam ianua natiuitatis* C *animam aucupaturus?* Et colligi poteſt ex 2. Cor. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis*, vt docet Gregorius Valentia p.p. Diſputat. 8. q. 6. p. 4. & Vaſquez p.p. Diſputat. 245. cap. 2. Non abſimiliter Lactãtius libro 2. cap. 14. *Hi ſpiritus*, inquit, *contaminati & perditi per omnem terram vagantur, & ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia inſidiis, fraudibus omnibus cõplent. Adhærent enim ſingulis hominibus,&c.* Huc quoque fortaſſis Hieronymus reſpexit in Comment. ad Epheſ. cap. 6. in ea verba paulò ante citata. *Non eſt nobis colluctatio,&c. ſed aduerſus,&c.* cùm dixit, hanc eſſe omnium Doctorum opinionem, *Quod aer iſte qui cælum ac terram medius diuidens, inane appellatur, plenus ſit contrariis fortitudinibus,* cum quibus, ait, lu- D ctationem nobis eſſe continuam; Quia ſcilicet quiſque ſuũ vel ſuos habet aduerſarios. S. Chryſoſtomus hom. 5. ad cap. 1. ad Coloſſ. *Si ergo habemus Angelum*, inquit, *modeſtè nos geramus tanquam nobis adſint quidem pædagogi: Nam adeſt etiam dæmõ. Propterea oramus etiam & dicimus petentes Angelum pacis, &c.* Sunt ergo pædagogi non pędagogus, nam dicit, adeſſe quoque dęmonem. S. Hieronymus ad cap. 10. Danielis vt arbitratur A. Doctor in 2. d. 11. 2. p. q. 1. a. 5. c. initio, & p.p. q. 113. a. 8. c. intelligi etiam poteſt de dæmone, cùm loquitur de Principe Perſarum. *Angelus Perſarum faciens pro credita ſibi prouincia, ne captiuorum omnis* E *populus dimitteretur.* Putat ergo A. Doctor, hunc locum ſignificare malum Angelum, qui impedimento erat, ne Dei populus liberaretur. Citatur etiam Beda ad cap. 12. Act. Apoſt. Verùm hic ſolius Angeli cuſtodis curam commemorat.

Barnabas Apoſtolus. Tertullian.

2. Cor. 12.

Valentia. Vaſquez. Lactantius.

Hieronym. Epheſ. 6.

Chryſoſt.

Hieronym. Daniel 10. A. Doctor.

Beda.

Magiſter. Bernardinus Senenſis.

Eſt tamen ſententia Magiſtri in 2. d. 11. ibique Scholaſticorum, & S. Bernardini Senenſis to. 4. ſer. 48. de Amore Miſericordiæ fol. 271. *Quælibet anima habet duos Angelos, vnum Dei & ſpiritus; Alterum carnis, qui ſemper ſunt contrarij.* Non minus expreſſit hanc ipſam ſententiam S. Antiochus

S. Antiochus

A qui ante annos mille vixit ſub Heraclio Imperatore circa annum Domini 614. in libro Homiliarum hom. 61. & habetur tom. 2. Bibliothecæ veterum Patrum. *Duo Angeli*, inquit, *dati ſunt homini aſſeſſores. Vnus quidem iuſtitiæ amantiſſimus: alter verò malitiæ omnis inuentor maligniſſimus.* Et declarare pergit vtriuſque in cor hominis effectus. In eundem ſenſum locutus eſt S. Gregorius libr. 1. in Iob cap. 16. *Non enim*, inquit, *miniſtrant Deo ſolummodo boni qui adiuuent, ſed etiam mali qui probent. Non ſolùm qui à culpa redeuntes ſubleuent, ſed etiam qui redire nolentes grauent.* Videtur etiã idem docuiſſe auctor imperfecti hom. 5. in Matth. & alij. Quam doctrinã, vt vidimus, veteres Patres ex antiquo libro Paſtoris magnæ apud eos au- B ctoritatis probare ſolent. Voluit autem Diabolus dæmoniorum princeps in adminiſtratione regni ſui Deum imitari; Vt ſcilicet ſicut Deus ſingulis hominibus ſingulos Angelos præficit; ita & ille ſingulis ſingulos dæmones opponit. Conſtat ergo vltra cuſtodes Angelos alios quoque eſſe.

S. Gregor.

Auctor imperfecti.

Secundò id ipſum probatur: Nam Angeli hominum cuſtodes omnes ferè ſunt ex infimo ordine, vt docet A. Doctor q. 113. cit. a. 3. & cõſentiunt ibi Commentatores, & Vaſquez eadem Diſputat. cit. cap. 1. & nos ſuo loco dicemus. Ergo vltra cuſtodes ſunt & alij. Idem confirmandum eſt ex aliis Patribus; Qui, vt dixi ſuper. Difficult. aiunt vltra Angelos hominum cuſtodes C non deeſſe alios, qui ſint Gentium præſides, & prouinciarum, ac ſingularum ſpecierum. Ergo ſunt alij vltra cuſtodes hominum.

A. Doctor. Vaſquez.

Ex hac Propoſitione ita probata Colligitur primò, Non ſolùm ſi nomine Angeli comprehendamus dęmones, ipſos plures eſſe quam homines vt oſtendimus, verùm etiam ſi ſolùm bonos ac beatos intelligamus. Patet ex dictis: Quia ſicut oſtenſum eſt, Angeli cuſtodes ſunt ex infimo ordine. Ergo vltra illos remanent alij innumerabiles, cum præſertim vt deinceps conſtabit valde probabile ſit, quò ſuperiores ſunt ordines, eò eos quoque eſſe numeroſiores. Præterea idem patet ex verbis citatis S. Cyrilli & aliorum Pa- D trum, qui ad Angelos beatos putarunt nos comparari vt centeſimam Chriſti gregis partem, vt dictum eſt. Vt meritò non indignam, quæ diuino afflatu atque inſtinctu edita ſit, doctrinam illam exiſtimemus; quam ex S. Brigittæ reuelationibus vidimus ſuperiore Difficultate; Nempe Angelos cuſtodiendis hominibus creatos decuplo, eoque amplius ſuperare omnium hominum numerum: Cùm oſtenſum ſit, tam magnam eſſe Angelorum multitudinem ex aliis argumentis, vt ſoli beati centum partibus, hoc eſt innumerabilibus homines vincant.

Cyrillus.

S. Brigitta.

Colligitur ſecundò S. Athanaſium non contradicere noſtræ propoſitioni: Nam tametſi in E neutram partem definiuit quæſtionem; tamen nuſquam quod ſciam, quæ à nobis aſſeruntur, improbauit. Sanè in ipſa quæſtionis propoſitione ſupponit, numerum Angelorum eſſe maiorem. Sic enim quærit: *Quantum igitur Angelorum numerus hominum multitudinem ſuperat?* Et licet nihil ex ſe quæſito reſpondeat, nec quicquam ipſe definiat, cæterorum tamen Patrum, quos citauimus, definitioni ſtandum eſſe, nemo ignorat. Neque enim ex ancipiti vnius Patris ſententia res videri debet dubia; vbi cæterorum conſenſus accedit. Quandoquidem nec ſi quis Pa-

Athanaſius.

ann̄i ante oculos tuos. Conſueto itaque loquendi modo dicitur draco traxiſſe magnam dæmonum multitudinem vt tertia pars videri poſſet.

Hoc igitur poſito non videtur veroſimile,tot homines euehendos ad gloriam eſſe, quot dæmones in mundo ſunt:Nam ſinguli homines,vt diximus, habent ſuum vnum ſaltem dæmonem aduerſarium deputatum ac certum. Ergo ſaltem hoc pacto impoſſibile eſt, vt par ſit dæmonum numerus atque hominum ſaluandorum. Quod ſi quis dicat, non eſſe vnum dæmonem ſingulis hominibus aſſignatum, ſed vnum multis tentandis ſatis eſſe: Primum hæc reſponſio habere difficultatem videtur in iis Patribus,qui eodem modo vnum aſſignant dæmonem aduerſarium,atque cuſtodem Angelum,aiúntque aërem hunc eſſe dæmonibus conſtipatum: Deinde verò quamuis non omninò ſit eadem ratio atque de Angelis,quorum multitudo Dei maieſtatem commendat; Et quia peccatum eſt contra inclinationem naturæ, ideóque in paucioribus reperiri debet; Quo argumento probat A.Doctor infrà q.63.a.9. plures Angelos in cœlo remanſiſſe quàm peccaſſe; ergo non ſunt tot impugnatores dæmones, quot Angeli cuſtodes;Tamen non eſt negandum aliquo ſimili argumento eadem de dæmonibus poſſe conficere,quæ de Angelorum cuſtodia ſtabiliuimus. Etenim & homines reprobi variis mediis vtuntur ad fines varios,& ſua cuique dæmoni cura ſollicitandorum hominum incumbit. Vt enim docet A.Doctor infrà q.109.a.2.Quemadmodum in dæmonibus ſunt naturæ diuerſæ; ita & diuerſæ actiones ac munera. Vnde vt ante dicebam,varij dæmones variis vitiis præficiuntur. Quare videtur dicendum,ſingulis ſingulos dæmones aduerſarios eſſe conſtitutos. In qua tamen re vnum concedendum videtur, nullam fortaſſe eſſe rationem,cur vnus dęmon,qui vnius tentandi curam ſuſcepit,non poſſit eo homine vita functo, alterius tentandi munus ſubire. Quod de Angelis ob peculiarem rationem negatum eſt; Atque ita non eſſet neceſſe, tot dæmones eſſe,quot homines in omni poſteritate reperientur. Sed hanc controuerſiam nunc,alibi ſuo loco tractādam relinquamus.

A.Doctor.

A.Doctor.

Dico tamen, ſi non eſt neceſſe pro ſingulis hominibus tot multiplicare dæmones, fortè parem dici poſſe ſaluandorum numerum cum dæmonum multitudine. Tunc enim non erit tantus dæmonum numerus,vt non poſſit beatorum hominum animis exæquari. Immò huc fortè reſpexerunt Patres illi,quibus perſuaſum fuit plures homines gloriam aſſecuturos, quam dæmones de cœlo lapſi ſint. Quod Anſelmus docuit libro Cur Deus homo cap. 18. & S. Auguſtinus libro Enchiridij cap.29.& 62.& libro 22.de Ciuit. Dei cap. 1. Quanquam neuter id abſolutè certóque, ſed dubitantis in modum apertè doceat. In eo enim cap.1. ſic loquitur Auguſtinus de natura humana,quam Deus ſua Gratia donauit,*vt inde ſuppleat,& inſtauret partem, quæ lapſa eſt, Angelorum, ac ſic illa dilecta ac ſuperna ciuitas non fraudetur ſuorum numero ciuium, ac fortaſſe vberiore lætetur.*Quod etiam dixit in eo cap. 29. apertiſſimè ferè iiſdem verbis.

Anſelmus.
S.Auguſt.

At parem ſaltem numerum nonnulli ex Pauli ad Epheſ. 1. colligunt; cum dicit inſtauranda omnia per Chriſtum, *Quæ in cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo.*Ergo erit inquiunt par numerus vtroque: alioqui non reſtauraretur, ſed maneret defectus. Sed re vera alius eſt illius loci ſenſus. Illud enim verbum *inſtaurare* ſignificat,vt ibi legit Hieronymus recapitulare; hoc eſt ad vnum caput redigere. Vt ſenſus ſit,omnia reſtauranda eſſe in Chriſto: Quia omnia ſub illo tanquam ſub vno capite reuocanda erant,vt vnum idémque ſit Angelorum hominúmque caput, & dux; nempè Chriſtus Deus. Sic enim Chryſoſtomus, Theophylactus,Theodoretus, Anſelmus,& alij; & ibi doctè obſeruant noſter Iuſtinianus &Cornelius à Lapide.

Epheſ.1.

A

Chryſoſt.
Theophyl.
Theodoret.
Anſelmus.
Iuſtinianus.
Cornelius à Lapide.

Nec inficior aliquot Patres ex eo loco docuiſſe reparandas eſſe ex hominibus cœli ruinas.Sic enim S.Auguſtinus cap.illo 62. *In Chriſto* inquit *inſtaurantur quæ in cælis ſunt, cùm id quod inde in Angelis lapſum eſt,ex hominibus redditur.* Et S.Gregorius libro 31.Moral. cap. 19. *In ipſo quippè reſtaurantur* inquit *quæ in terra ſunt,dum peccatores ad iuſtitiam conuertuntur. In ipſo inſtaurantur ea quæ in cælis ſunt,dum illuc humiliati homines redeunt, vnde apoſtatæ Angeli ſuperbiendo receſſerunt.* Sed quod dicimus eſt:Eſto ex eo loco aliqui Patres doceant, homines in cœlum extollendos ad vacuas Angelorum replendas ſedes; tamen id non neceſſariò Pauli verbis ſignificari,vt dictum eſt.

S.Auguſt.

B

S.Gregor.

Sed eſto hoc etiam demus: Tamen dico hos Patres ſupponere, Angelos qui inde ceciderunt non fuiſſe tertiam Angelorum partem, vt argumentum aduerſus noſtram ſententiam concludere nititur.Si enim fuiſſet tertia pars, nullo pacto potuiſſent ſedes illę quantumuis magno hominum beatorum numero repleri, vt dictum eſt. Aut certè tertia pars intelligi poſſet de infimo Angelorum ordine; Quam expoſitionem non improbat A.Doctor infrà q.63.a. 9.ad 3. Ex quo certum eſſet infinito penè numero plures remanſiſſe Angelos, quàm de facto ſint praui dæmones. Quandoquidem hic paruus numerus ferè cum illa numeroſiſſima beatorum Angelorum multitudine nullam proportionem habet. Similiter dico ad locum ex Pſ.109.*Implebit ruinas* &c. Si intelligatur de ruinis Angelorum reparandis. Nam ſi de aliis ruinis, vt illum locum exponit Molina in hoc art. & alij, nihil ad nos.Conſtat ergo argumentum non facere contra noſtram doctrinam de numero Angelorum.

C

A. Doctor.

Pſal.109.

D

Molina.

Non deſunt etiam alij qui docuêre implendas ruinas,non æqualitate numeri,ſed excellentia gloriæ,qua plerique homines donandi erant; nempè Beatiſſ. Virgo, inſignes martyres,ac celebres ſanctitate viri.Itaque negandum argumento eſt, vel verè fuiſſe tertiam partem reproborum Angelorum comparatione ad Angelos qui remanſerunt, aut numeri æqualitate ipſam replendam.

Vnum tamen aut alterum ſupereſt dubium ſoluendum ex S.Gregorio homil.34.in Euangelia,quod magni ponderis videtur eſſe. Nam ibi negat beatos homines pauciores futuros quàm Angeli qui remanſerunt, cùm dicit. *Superna illa ciuitas ex Angelis & hominibus conſtat, ad quam tantum credimus humanum genus aſcendere, quantos illic contigit Angelos remanſiſſe.* Ex quo videtur ſequi; Ergo Angeli qui remanſerunt, non excedunt beatorum hominum numerum,ac proinde pauci ſunt, ſi homines beatos non excedunt. Reſpondeo,ſi eo pacto,vt verba eius ab aduerſariis accipiuntur,intelligendus Gregorius eſſet, profectò hominum multitudo omnes cœleſtis militiæ

E

S Gregor.

litiæ spiritus adeò superaret Gregorij sententiã, vt vix inter hominum Angelorúmque multitudinem vlla esse posset comparatio. Nam quantula particula hominum saluandorum est, si reproborum rationem habeas? Quot enim infideles, quot hæretici, quot schismatici, quorum vel diuturnæ, vel perpetuæ sectæ fuerunt, impiorum supplicia apud inferos perferunt? Ex Fidelibus verò quot à fide, atque à religione apostatæ? Quot vsque in finem vitæ, vitiis dediti spem sibi omnem immortalitatis ademerunt? Quot repentè in scelera prolapsi in ipso ferè mortis articulo exitio sibi fuere? Vt etiam vel ipse Gregorius homilia decimanona in Euangelia id à Seruatore de solis dictum fidelibus arbitretur, *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Quæ si ita essent, cur tantopere sacræ literæ exaggerarent cœlestium administrorum multitudinem, atque agminum copias, si saluandis hominibus tam paucis pares sint? Cur diceretur Daniel. 7. *Millia millium*, & cætera, & Iob 25. *Quis est numerus militum eius?* Quem tamen tamen numerum dicit idem Gregorius libro decimoseptimo Moralium, capite nono esse nobis infinitum, licèt Deo numerabilis sit. Hunc ergo locum tanquam Achillem veretur ex citatis recentioribus nonnemo, & quasi resisti ei nõ possit, nihil ei respondet.

Gregorius. Dan. 7. Iob 25.

Dico igitur, nullam ex illis mihi particulis, in ea Gregorij sententia, significare numerum videri. Quia particulæ *tantum* & *quanti* nisi aliq addantur ex se ad magnitudinem tantummodo contrahuntur; non autem ad numerum, vt Grammatici norunt. Sensus ergo videtur, humanum genus tantum ascendere; hoc est ad eam magnitudinem attolli; quantos contigit Angelos remansisse; hoc est quanti sunt Angeli; nempe in Gloria; Vt integer sensus sit. Tam magnæ futuros homines in cœlo felicitatis, quantæ sunt Angeli ipsi, qui gloriam consecuti sunt, non qua præditi sunt omnes: sed quales sunt ex eis aliqui. Est enim propositio indefinita, quæ in materia non necessaria ex parte intelligi potest, & vt aiunt Logici particulari enunciationi æquiparatur. Itaque non videtur Gregorius homines beatos velle numero Angelorum exæquare, sed beatitati. Vt inter homines non desint, qui Angelorum gloriæ parem felicitatem in cœlo possideant. Atque ita nihil contra nos.

Gregorius.

Neque est nunc à nobis recens excogitatus loquendi modus; sed iamdiu vsu receptus apud omnes Grammaticos: vt *quantum* plerunque intelligamus pro eo quod in aliquo genere magnitudinem habet. Sicut cum dicitur. Quantus erat in diuitiis Crassus? Quantus Cæsar in bello? Quantus in concionando Paulus? & cætera. Quorum sensus est. Quantas diuitias possidebat Crassus? Quantæ fortitudinis erat Cæsar in bellando? Quanta gloria splendet in cœlo Paulus? & cætera. Sic ergo tantum ascendent in gloria homines; quantos nempe in eadem gloria scimus remansisse Angelos. Quam ob rem non erat, cur illi recentiores Theologi tantopere hanc Gregorij auctoritatem reformidarent, vt silentio responsionem omnem inuoluerent.

Alterum dubium soluendum superest ex illo Deuteronomij 32. vbi secundum versionem Septuaginta interpretum sic legitur. *Posuisti terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei.* Ergo videtur Scriptura innuere esse determinatum Angelorum numerum, vt tot sint Angeli quot gentium termini. Sed facilè respondetur, iuxta Hebraicam versionem legendum esse *iuxta numerum filiorum Dei.* Vt sensus sit, Deum quando constituit gentibus regiones mundi, terminos earum cõstituisse, vt optimam seruaret partem, quæ abundè sufficeret iuxta numerum filiorum Israel; hoc est pro numero ac multitudine filiorum Israel. Nec dissentit lectio Septuaginta, quia pro Angelis Dei filij Israel intelligi possunt, vt etiam diximus supra a. 1. cum explicauimus, Angelos Dei ingressos esse ad filias hominum.

Deut. 32.

QVARTA DIFFICVLTAS.

Vtrùm Angeli sint plures quàm quæcunque singularia simul cuiuscunque speciei materialis.

SI difficile nobis fuit superiore difficultate decernere; Angelos plures omnibus hominibus esse: Sine dubio longè magis ardua erit hæc controuersia præsens, in qua aliquid, quod omninò incredibile, & à iudicio penè dixerim hominum abhorrens videatur, statuendum est; Nempe Angelorum numerum omnia omnium corporum simul indiuidua superare. Quoniam tamen, si quid in hac re sciri potest, id ad hanc materiam pertinet; nostri muneris sit, vt difficultatem huius rei ne prætereamus; præstantibus ingeniis occasionem daturi, vt quæ præclarè excogitarint in medium ad veritatem proferant. Quando nihil tam cordi philosopho esse debet, quam vt ad veram rerum cognitionem, certámque scientiam modo quamaptissimo perducatur. Ergo

Partem negantem ferè omnes recentiores Theologi secuti sunt, vt Caietanus hîc a. 3. Ferrariensis §. citato, Valentia p. 3. vbi suprà, Molina a. 3. disputatione prima, Vasquez disputatione illa 180. capite secundo ac multò magis hac de re ambigit Suarez loco citato super. Difficultate in Parte Negante. Probant: Quia non videtur credibile tam magnum esse numerum Angelorum, vt superet minutissima arenarum grana, pulueris atque aëris atomos, ac denique omnium rerum exigua quæque corpora. Addunt etiam omnes ij auctores (Suarem excipio) A. Doctori in hoc nihil aliud fuisse propositum, quam ostendere, Angelos rerum species omnes multitudine superare; idque colligunt ex quæstione sexta de Pot. a. 6. & libro secundo contra Gentes capite nonagesimosecundo, & tandem infrà quæst. 112. a. 6. ad 2. vbi *apposuit* inquit hîc Caietanus *natura nomen dicens, quod excedunt omnes naturas corporeas, & in quæstione sexta de Pot. Dei a. 4. in c. apposuit nomen speciei dicens, quod excedunt omnes species materialium.* Ergo signum est, ipsum solum comparare Angelorum numerum cum numero naturarum, non indiuiduorum.

Caietanus. Ferrariensis. Valentia. Molina. Vasquez. Suarez.

Caietanus.

Pars

Pars affirmans vera, mentique A. Doctoris conformis efficacibus Patrum testimoniis, eorúmque argumentis confirmatur. §. 1.

PArs tamen affirmans mihi verior videtur, & SS. Patrum testimoniis consentanea magis. Eam docuerunt viri sanctissimi Carthusianus de quatuor Nouissimis. Antoninus 3.p.tit.31.cap.6. §.1. vbi expresse ait *excedere omnem multitudinem rerum materialium*: Et probat argumento A. Doctoris, quia quantò aliqua sunt perfectiora, tanto plura creata sunt. Huc quoque reuocari potest Æneas Gazæus Platonicus, & Philosophus Christianus, qui vixit sub Zenone Imperatore in libr. quem inscripsit *Theophrastus*; & habetur tom. 8. Bibliothecæ Veterum Patrum; Vbi post medium sic ait de Angelis tum bonis tum malis. *Plenum est totum cœlum, plenus etiam æther Angelorum atque dæmonum; itémque plenus aër, plena terra, plenum mare, plena denique quæ sub terra sunt omnia; ac quemadmodum ait quidam sapientum nostratium; adeò nihil est in rerum natura vacuum, vt ne sit quidem quò capillum iniicias. Sed etsi mortalium in decies millenos annos hæc externis sensibus exposita vita producatur, nunquam tamen opinor tantæ Angelorum atque dæmonum multitudini humanarum animarũ numerus par erit.* &c. Vides hîc lector, quantus hic auctor putet esse numerus Angelorũ, vt ne sit quidem capillo locus vbi non sit aliquis ex his Angelus? Nec te terreat, quod idem auctor paulò pòst asserat, bonorum animos in campis Elysiis acturos sempiterna conuiuia; quod ait à Platone & Socrate constanter affirmari. Nam hæc solùm attulit ex dictis illius sapientis, cuius meminerat, & cuius solummodo dictum comprobauit quoad Angelorum numerum copiosum; Est enim & pius, & catholicam veritatem docet; Præsertim mysteria nostræ fidei de Deo atque indiuidua Trinitate. Quanquam non nego nonnulla ibi doceri, quæ pia explicatione videntur indigere, vt legenti occurret facilè.

Hanc etiam partem affirmantem sequitur noster Petrus Ribadeneyra in Festo S. Michaelis; docétque, hanc sententiam esse Ecclesiæ: Eandémque sententiam multis conatur ostendere Raymundus Sabaudius in sua Theologia naturali titulo 219. vt etiam eius rationem retuli super. Difficult. in nostra Propositione. Huc fortè accedit Iodocus Lorichius in Thesauro nouo vtriusque Theologiæ verbo *Angelus* numer. 4. Etsi ibi enim nullum planè verbum dicit, An Angeli ampliores sint omnium rerum indiuiduis simul, tamen quia hanc nostram sententiam non improbat, eadémque fidei pietate; qua plures piè asserit Angelos esse quàm homines, credere facilè potest plures esse quàm omnia indiuidua; ideò puto huc quoque eundem auctorem referri posse. Sic autem loquitur. *Num Angeli plures sint, quàm rerum corporalium species: vel plures quàm hominum animæ præteritorum, præsentium, futurorum, piè quidem & rectè creditur ita esse; sed sciri euidenter aut demonstrari non potest.* Ex antiquioribus idem expresse affirmat Ægidius in 2.d.3.p.p.quæstion. secunda a. 2. in resolutione secundi dubij. Vbi expresse probat ex proportione nobiliorum corporum, *quod multitudo spirituum excedat multitudinem omnium corporum*, &c. Quare ad difficultatem respondetur, Et sit

Vnica propositio: Plures sunt Angeli, quàm quarumcunque specierum omnia singularia simul. Hæc propositio mihi videtur A. Doctoris: Quod, primùm patet ex eius verbis; Nam hic a. 3. in c. docet, substantias immateriales esse *in quadam multitudine maxima omnem materialem multitudinem excedente.* Generatim ergo ait, immaterialibus substantiis omnem rerum multitudinem imparem esse. Vnde ergo aut ex quibus particulis restringi debet ad solum specierum numerum? Deinde patet ex ratione, quæ etiam hoc ipsum ostendit. Illum enim docet *excessum* oportere esse in substantiis immaterialibus secundùm numerum supra res materiales; qui est corporum cœlestium secundùm magnitudinem super cætera corpora. Sed cœlestium super cætera corpora excessus secundùm magnitudinem, non solùm est secundùm corpora quoad speciem, sed etiam quoad singulares omnes substantias simul, omnes enim huiusmodi singulares substantiæ intra cœli ambitum continentur. Ergo hic excessus secundùm numerum debet esse in Angelis super res materiales, non solùm quoad speciem, sed etiam quoad numerum.

Confirmari potest ex eadem ratione: Quia si ea non intelligeretur generatim de excessu secundùm omnem numerum simpliciter absque restrictione, non rectè afferretur ad conclusionem A. Doctoris: Quod patet, Nam ideò affertur, vt ex Angelicæ naturæ præstantia ostendat Angelorum multitudinem esse ampliorem rerum corporearum multitudine, vt patet ex contextu. Quæro ergo cur hæc naturæ nobilitas potius ostendatur excessu multitudinis Angelicæ supra naturas speciésque corporeas, quàm suprà omnium illarum indiuidua? Si dicant, id esse ex eo quod nobilitas Angelorum solùm præstat naturis corporum, non ipsorum indiuiduis: hoc apertè falsum est; Nam impossibile est, aliquam specificam naturam esse præstantiorem alia, eiusque indiuidua non esse eiusdem ignobilioris naturæ indiuiduis nobiliora. Non enim hominis natura potest esse naturâ equinâ nobilior, nisi etiam præstet ipsis equis; & sic de cæteris. Ratio enim indiuidui est quidam suæ naturæ modus, & intra eius naturæ limites; ac proinde quo non potest extolli indiuiduum ipsum supra suæ naturæ excellentiam, exempli gratia, Modus essendi Bucephali non tribuit ipsi, vt excellentior sit, & supra suæ naturæ ordinem; hoc est supra id quod equi natura deposcit. Sin autem dicant, Angelos & quoad naturam, & quoad indiuidua esse nobiliores cæteris quibuscunque indiuiduis; Cur ergo ex nobilitate, generatim non erit ostendenda amplior multitudo, quàm cæteræ omnes indiuiduorum corporalium multitudines? Vt ita indefinita A. Doctoris propositio definiri, restringique non debeat? Quocirca si non habet veritatem eius argumentatio, nisi restringatur terminis minus significantibus, non rectè ipsa vt sonat ab A. Doctore affertur.

Idem prorsus atque explicatiùs patet ex cap. 92. cit. cont. Gent. num. 3. vbi ait, ordinem vniuersitatis

uersitatis exigere, *vt quod est in rebus nobilius, excedat quantitate vel numero ignobiliora.* Ergo Angeli qui omnibus corporibus nobiliores sunt, omninò corporum omnium numerum excedere debent, quia quantitate non possunt. Quod ex magnitudine cœli confirmat, vt in hoc art. ex quo concludit sic. *Excedunt igitur in numero intellectuales substantiæ separatæ omnium rerum materialium multitudinem.* Vbi opinor vides, vim rationis in hoc esse positam, vt magnitudo orbium cœlestium cum magnitudine inferiorum corporum etiam singularium, & numerus substantiarum separatarum cum multitudine rerum materialium comparetur. Cùm autem multitudo rerum non solùm significet naturas vniuersales, verùm etiam singulares; necesse est, vtrumque genus comprehendi. Nec refert quod q. 6. de Pot. a. 6. c. & q. illa 112. a. 4. ad 2. naturæ vocabulo vtatur. Nam cùm hîc & cap. illo 92. ostensum sit, Angelos excedere omnem multitudinem rerum, facile erat cuique, quid nomine *naturæ ac speciei* ibi significaretur. Hæc namque omnia non solùm naturas à singularibus auulsas, verùm etiam ipsa singularia denotare solent. Singularia enim naturæ humanæ sunt quædam naturæ, rerúmque species quædam, & natura ac specie distinguuntur à leone. Itaque cùm naturæ ac speciei nomen singularia ipsa sub eadem natura significet, non est quod talem nunc illi significationem denegemus.

Vnde cùm dicitur: Natura ac species humana Christi sanguine redempta ad cœlestia vocatur: Christus satisfecit pro peccato generis humani, &c. Sẽsus apertus est pro cuiusuis hominis peccato satisfactum esse; &, Quemcũque hominem Christo salutis restauratore ad cœlum destinari, &c. Cuiusmodi locutiones passim non solùm apud A. Doctorem, sed etiam apud Cõcilia & Patres obuiæ sunt. Ratio etiam huius rei esse potest: Quia quandocumque significari debent omnia singularia vnius naturæ; nec potiùs vnũ, quàm aliud rectè tunc vsurpari naturæ, quæ omnibus communis est, nomen potest. Vt cùm definitur; *peccatum originale esse peccatum naturæ, seu inordinatam naturæ dispositionẽ.* Vtroque enim modo loquitur A. Doctor 1. 2. q. 82. a. 1. Tunc quia æquabiliter omni homini conuenit, ad hoc significandum naturæ nomen vsurpatur; Vt idem sit esse peccatum naturæ, ac esse peccatum omnium indiuiduorũ illius naturæ; Vt apertè colligitur ex eadem q. a. 4. in argumento *Sed contra*; idémque dico de multis aliis similibus. Cùm ergo A. Doctor ait, *Angelos superare omnem multitudinem materialium specierum*, idem est ac si dixisset superare omnem multitudinem indiuiduorum, quæ continentur sub omnibus naturis materialibus.

A. Doctor. Concilia. Patres. A. Doctor. A. Doctor.

His positis probatur nostra propositio primò auctoritate S. Dionysij in eo 14. cap. de cœlesti Hierarchia, qui vt vidimus super. Difficult. in *Secundo Colligitur* docet, Angelos esse supra *omnem contractum numerorum corporeorum modum.* Ergo excedunt Angeli omnia singularia quorumcumque corporum. Secundò probatur manifesta auctoritate S. Cyrilli, eiúsque argumento, qui vt suprà vidimus, Catechesi 15. vt ostendat maximum esse numerum Angelorum, & nonaginta nouem partibus generis humani multitudinem superare, subdit hanc rationem. *Nam pro locorum magnitudine cogitandum est*, inquit, *si hæc nostra terra tanquam centrum est in medio cœli, & tantam habet multitudinem; quantam habebit multitudinem cœlum, quod terram ambit? & cœli cœlorum habent certè immensam multitudinem. Scriptum est enim Millia millium, &c. Non quod hæc tanta solùm esset multitudo, sed hæc maiorem Propheta dicere non poterat.* Ex quibus patet, omnem omnium rerũ multitudinem superari. Siquidem ex amplitudine cœli eam colligit.

S. Dionys. Cyrillus.

Quod vt manifestiùs appareat, ex eius dictis sic formo ratiocinationem meam. In ea proportione multitudo cœlestium ciuium multitudinem rerũ, quæ in orbe terrarum sunt, exuperat, qua ambitus cœli terræ orbem excellit. Sed ambitus cœli terræ orbem excellit proportione, quæ est amplissima; nempe circuli ad centrum, quæ excedentia tanta est, vt nulla sit ratio seu comparatio, sicut nec puncti ad lineam. Ergo multitudo cœlestium ciuium, multitudinem rerum, quæ in orbe terrarum sunt, sine vlla comparatione exuperat. Minor est à S. Cyrillo expressa. Maior etiam patet ex eodẽ Cyrillo: Quia multitudo cogitandá est pro locorum magnitudine; hoc est habita proportione, & comparatè ad locorum magnitudinem. Ergo pro rata portione debet esse multitudo ad multitudinem, qua est amplitudo loci ad amplitudinem loci. In qua propositione nititur S. Cyrilli consecutio illa. *Si terra habet tantam multitudinem, quantam habebit multitudinem cœlum quod terram ambit?* Quasi extorqueat tanto interuallo maiorem, quanto cœlum terra vniuersa maius est. Cyrillus.

Qui argumentandi modus cum in hac materia optimus sit; quandoquidem illa cœli empyrei vastitas ad inhabitandum facta est, quemadmodum terra ad sustinendum & continendum; suadet mihi, vt alio simili vtar pro nostra propositione argumento. Nam cuiuscũque rei perfectio est, vt quoad fieri potest, eius capacitas expleatur. Sic enim terrarum campi frugibus, littora arenis, maris locus aquis, aquæ suo loco & tempore piscibus, ciuitates hominibus, aeris quædam spatia volucribus, fodinæ suis metallis, ac cæteris similibus rebus complentur. Et ratio horum est; quia hæc omnia loca sunt veluti potentia, quæ suo actu absoluitur; quia vt docet Aristoteles libro 9. Metaphys. cont. 16. Perfectio omnium rerum, quæ tendũt in finem, actus est, in quo natura acquiescit: *Quemadmodum enim docentes*, inquit Aristoteles ibi, *cùm discipulum ostendunt operantem, putant imposuisse finem; Similiter etiam & natura* cum scilicet assecuta erit id, ad quod procreata est, finem imponit operi, & quiescit. Cùm ergo cœli empyrei amplissima spatia, quæ ad cœlestes animos continendos facta sunt, capacia sint innumerabiliũ animorũ, plus quàm littus arenarum, aër volucrum, mare piscium, &c. eiusdem cœli perfectio postulat, vt iis omnibus creaturis spiritualibus compleatur: ne meritò nobis exprobrarent infideles, quod Deum nostrũ facimus, qui *se vacua iactet in aula, & circum se vacua atria lustret.* Aristoteles.

Sanè domus, quæ inhabitandi causa facta est, nulla alia re, quàm quotidiano habitatore constituitur. Sic enim Aristoteles libro 1. Politic. cap. 1. domum concludit esse. *Quotidiana igitur*, inquit, *societas secundùm naturam constituta domus est.* Sic etiam & pagum ibidem dixit propagatio- Aristoteles.

nem

nem eorũ, qui plures domos inhabitent. Quemadmodum & ciuitates docet cap. 2. initio, esse *societatem quæ ex pluribus pagis conficitur*, &c. *constituta quidem viuendi gratia, existens* verò, hoc est perseuerans *bene viuendi gratiâ*. Ergo si cœli amplissimũ corpus est veluti domus & immensa quædam ciuitas, debet plurimo habitatore compleri. Rectè enim Aristoteles libro 7. Polit. cap. 4. eorum dictum comprobauit, qui *putant magnam debere esse beatam ciuitatem*; eámque esse *magnam ex numero habitantium*. & quamuis magnam non ita velit esse, vt à Principe regi nequeat; tamẽ quàm maximam putat esse oportere modò gubernari queat. Cùm ergo huiusmodi difficultas non sit in cœlo, maximéque beata ciuitas sit, quid impediet, ne tota eius capacitas quamplurimo habitatore referta sit?

Aristoteles.

Tertiò probatur auctoritate S. Bernardini Senensis serm. cit. cuius ego in materia de Angelis magni facio sensum; quippe haud ignorem, quãtopere cœlestium contemplationi addictus fuerit. Is ergo sic ait, simplici quidem sermone, sed cœlesti. *Dionysius in suo libro Hierarchiæ dicit, quòd solùm Angeli in Paradiso existentes sint plures quàm sint stellæ, quàm sint arenæ maris ac terræ, quàm sint folia & herbæ, & quàm sint omnia quæcúmque creata.* Vidit nimirum hic perspicaci intellectu, verum esse Dionysij verborum sensum, quem nos suprà confirmauimus vtriusque viri sanctissimi tum A. Doctoris tum Bernardini Senensis afflatu, vt opinor edocti. Cùm enim mihi aliàs persuasissem ex verbis Gabrielis Vasquez, aliter intelligendum esse Dionysiũ, nescio quo pacto ea cogitatio mentem meam verberauit, vt hæc Dionysij dicta melius penderem, quando viri tam cœlestes in vnam eandémque Dionysij sententiam conspirarunt.

S. Bernardinus Senensis. Dionys. A. Doctor. Bernardinus Senensis. Vasquez.

Quartò mihi etiam probari videtur propositio auctoritate eorum Patrum, qui genus humanum dixerunt centesimæ partis rationem habere ad cœlestes spiritus. Videntur enim eò spectasse, vt asseuerarent, innumerabilibus partibus homines inferiores esse Angelorum multitudini. Nam Patres putarunt, homines esse centesimam partem comparatè ad Angelos. Ergo putarunt, Angelos centuplicato plures esse, quam homines; seu quod idem centuplicis numeri rationem habere ad illos, aut centies tantum esse, quot homines. At quod aliquis numerus centies alium superet, est infinitis partibus, & sine vlla comparatione superare apud Scripturas & Patres, ita vt supra illum nullus numerus sit. Sic enim accipitur illud Matt. 18. *Centuplum accipietis*; hoc est summa bona, atque infinitis partibus absque comparatione meliora, quibus videlicet nihil erit melius, accipietis; vt ibi explicat noster Maldonatus, & alij.

Matth. 18.

Idemque obseruat S. Augustinus epist. 89. longè post medium versus finem. Vbi hortatur diuites, vt suas pro Christo diuitias dimittant. *Vt accipiant*, inquit, *in hoc sæculo centuplum, cuius numeri perfectione significantur omnia.* Quasi dicat parua dimittant, vt bona, quibus nulla sunt meliora, percipiant. Eandem sententiam docuit libro 20. de Ciuit. Dei cap. 7. *Ipsa centum*, inquit, *pro vniuersitate aliquando ponuntur, quale illud est, quòd Dominus omnia sua dimittenti & eum sequenti promisit dicens. Accipiet in hoc sæculo centuplum: Quod exponens quodammodo Apostolus ait. Quasi nihil habentes, & omnia possidentes.* Quare arbitratur Augustinus, centuplum significare summum & maximum quod omnia includit. Eundem sensum docuit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 63. vbi etiam hunc numerum ex occasione piscationis Petri ad rẽ, quã de agimus explicat apertè. *Significat autem*, inquit centenarius vt mihi videtur numerus gentium plenitudinem. *Plenissimus enim numerus est, qui decem decadibus constat. Quare Dominus noster quoque Iesus Christus modò centum se habere oues dicebat, plenitudinem rationaliũ creaturarum hoc numero significans; modò fertilissimum agrum centum producturum affirmabat plenitudinem*, &c. At vltra numerum perfectissimum & plenissimum nullus maior numerus inuenitur in rebus, quia ille esset plenior. Patres ergo dum dicũt, Angelos esse centuplo plures hominibus, significant se intelligere eos summo numero, quo amplior non sit, homines excedere; ac proinde docent; nullũ dari numerum Angelico maiorem, si ille summus est; sicut centuplo nihil putant esse maius, vt dictũ est. Ex quibus etiam facili argumento deduci potest, nullum esse rerum numerum, quem tanta illa multitudo non vincat. Quorsum enim homines tantopere superare dicerentur Angeli, si à cæteris rebus excederentur?

Maldonatus. S August. Cyrillus Alexandrin.

Denique probatur propositio ratione S. Cyrilli & nostra quam formauimus, & præterea ex comparatione cæterarum rerum ad cœlestia; quandoquidem quæ inferiora & corporea sunt, si cum cœlestibus spiritibus componantur, nihil est adeò perfectum, quod non multis partibus ab ipsis superetur. Ergo si possit sine absurdo dici; quod etiam multitudine hæc omnia illi cedunt; iure, & ex iis, quæ nobis nota sunt, & Peripateticè pronunciantur.

Cyrillus.

Mirum tam paucas intelligentias in cœlo ab Aristotele poni, & magis mirum ab eodem alias plures extra cœlum collocari. §. 2.

EX hac Propositione ita probata Colligitur primò, mirum planè videri posse Aristotelem, qui cùm omnium gentium effatum illud probasset libro 1. de cœlo cont. 22. cœlum Dei domicilium esse. *Omnes enim homines de Diis habent existimationem, & omnes eum qui sursum est locum Deo tribuunt & barbari & Græci, quicunque putant esse Deos, tanquam videlicet immortali immortale coaptatum sit. Impossibile enim aliter:* Tamen tantæ maiestatis plenissimam atque amplissimam regiam omni habitatore quodãmodo denudauerit. Quandoquidem aut nullas aut ferè nullas in orbibus cœlestibus nisi eorundem orbium motrices substantias esse arbitratus est, vt significat libro 12. Metaphys. cont. 48. vbi ait, nullam in cœlo esse intelligentiã, quæ alicuius orbis motor non sit; ac proinde ferè nullum cœli incolam posuerit præter Deũ, qui tamen cœlo non indiget, cùm omnia sint plena Deo, vt dicã alibi. Quod perinde est absurdum, ac si fabricaretur amplissima ad habitandum domus, vnus eam tamen solus incoleret. Quæ quidem omnia à naturæ lumine dictatis abhorrent. Et meritò: quia omne vacuum domicilium suo fine frustratur. Frustrà enim est illud, cuius finis nullus existit, vt patet ex Aristotele libro 2. Physic. cõt. 62.

Aristoteles. Aristoteles.

A Vt cùm ambulatio est purgationis gratiâ, *Si non facta fuerit ambulanti, frustra dicimus ambulasse, eo quod ambulatio frustra fuit.* At Deus & Natura nihil faciunt frustrà, vt docet Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 30. & aliis sexcentis locis.

Sed quod magis mirandum videtur, illud Aristoteles. est: Quod cùm Aristotelis opinione plures aliæ substantiæ separatæ sint concedendæ, quam sint orbium motrices, tamen non in cœlo collocandæ sint. Aristoteles enim libro cœli cont. 100. planè, postquam docuisset, extra cœlum non esse corpus, ideoque nec locum esse, nec vacuum &c. de Intelligentiis, quæ supra extimam lationem sunt, sic loquitur. *Quapropter neque quæ illic sunt, atque nata sunt in loco esse, neque* B *tempus facit ipsa senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extimam posita sunt lationem, sed inalterabilia & impassibilia optimam habentes vitam, & per se sufficientissimam perseuerant toto æuo.* Hæc Aristoteles ibi. Ex quibus verbis constat, primum esse sermonem de substantia immortali, quia ait ea perseuerare toto æuo optimam degentia vitam. Deinde non esse sermonem de Alexander. corpore cœlesti. Quod non rectè putauit Ale- A.Doctor. xander apud A.Doctorem ibi: Contra quem A- Simplicius. lexādrum etiam arguit Simplicius ibi commentario suo 97. Nam cœlum non est super extima C latione; quin potius est sub illa, si quidem Aristoteles. motus est in eo quod mouetur, vt patet ex Aristotele libro 3. Physic.à cont. 6. Nec de eo verè dici potest, nullam habere transmutationem, cùm transmutetur perpetuò locali motu. Ter- Aristoteles. tium est Aristotelem necessariò loqui de substantiis separatis à materia, vt etiam obseruat Simplicius. loco citato Simplicius. Nullum enim ens Aristoteli est immortale, nisi aut cæleste corpus, aut substantias intelligentes separatas à corpore, vt nunc pono ex alibi probatis: Ergo concedit esse substantias separatas; & hoc etiam ibi A.Doctor. vidit A.Doctor.

D Quod si dicas, Quomodo hæ substantiæ se- Aristoteles. paratæ collocantur ab Aristotele extra cœlum, cùm ibi nihil sit? Respondeo sine dubio eas collocatas esse extra cœlum super extima latione; hoc est super vltimo cœlo, quod mouetur, vt planum est ex verbis relatis: Quo autem modo ibi eas posuerit, non explicauit: Certum autem Aristoteli est ibi, nullo eas contineri corpore; quia extra cœlum, & super extima latione probasse se putauit, nullum esse corpus; Vt patet tum ex loco citato; tum etiam ex eodem libro cont. 97. Aristoteles. & libro 2. cœli cont. 27. Et quamuis Aristoteles non solùm libro 1. de cœlo cont. 22. sed etiam libro 2. cont. 1. commendet eorum sententiam, qui vt dixi Diis cœlum tanquam domicilium E tribuerunt; Tamen in cœlo solùm substantias motrices posuit; vt vidimus, cæteras extra cœlum ne in cœlo otiarentur veluti ablegauit. In Aristoteles. qua re cùm nulla ratio suppetat, cur Aristoteles ita senserit, solùm coniecturis agendum est. Fortassis opinatus est, nihil ponendum esse in rerum vniuersitate, quod sua actione aliquid emolumenti in ipsam vniuersitatem non conferret. Quod videntur significare illa verba eius cont. 48. lib. 12. Metaphys. *Si enim aliæ sunt, vtique mouebunt.* Quoniam tamen non videbatur illi verisimile, perfectissimas substantias nullo ferè esse numero, si solæ motrices essent, eas iudicauit degere extra cœlum contemplationi addictas, perpetuaque felicitate perfruentes. Equidem adhuc nullum vidi auctorem, cui fuerit cordi ista conciliare; Immò ne significatam quidem hanc hactenus difficultatem ab vllo esse.

Non ignoro tamen alium in finem, locum illum ex lib. 12. Metaphys. propositum, aliter explicatum esse ab A. Doctore in hoc art. 3. ad 3. A Doctor. Ait enim non fuisse Aristoteli propositum in eo Aristoteles. libro, eam rationem afferre vt necessariam, sed solum tanquam probabilem. *Nam Aristoteles dicit ibidem* inquit A. Doctor, *quod hæc ratio non est necessaria, sed probabilis. Coactus autem fuit hac ratione vti, quia ad cognoscendum intelligibilia non possumus peruenire nisi per sensibilia.* Vtrùm autem hæc ad Aristotelis mentem dicta sint, supersedeo in præsenti disputare. Certum tamen est primùm Aristotelem in eo contextu dixisse, tot substantias separatas esse, quot orbes; idque *rationabiliter arbitrandum esse. Quod enim necessarium est relinquatur potentioribus dicendum.* Deindè tamen certum etiam est, postquam ea dixit, subdidisse rationem illam; Nempè, *si aliæ sunt vtique mouebunt.* Quocirca non quidem necessarium putauit, tot esse intelligentias quot dixerat; quia incertum illi erat, an tot tantummodo cœlestes orbes essent, quot à Mathematicis illius temporis acceperat. At videtur tamen necessarium existimasse, nullam in cœlo degere intelligentiam, quæ non moueat. In eo enim errasse videtur, quod in ipso cont. 48. finem earum dixit esse cœli motum; esto enim ex diuino imperio moueant: non tamen earum finis, motus esse potest.

Sed tamen hæc veritatis non contradicendi studio in medium afferre volui, ne prætermittat lector in exponenda Aristotelis mente aliquid Aristoteles. etiam verisimilius, si potest, inuestigare. Sanè Simplicius in eo commentario citato illum lo- Simplicius. cum ex cont. 100. lib. 1. cœli putauit omninò difficillimum. Quem ait *obscurè dictum. Non enim viri excellentes tantam de illo haberent dissonantiam.*

Cur mirum esse non debeat tantam Angelorum multitudinem in cœlo degere, & quid ea de re senserit Plato ex Tertulliano, confirmaturque ex Aristotele. §. 3.

COlligitur secundò, hunc tantum Angelorum, quem diximus, numerum non solùm esse supra numerum rerum materialium, qui iam re ipsa est, sed supra omnem numerum, qui vnquam erit vsque ad Mundi finem. Probatur; Quia alioqui ipse Angelorum numerus, minor tandem aliquando rerum corruptibilium multitudine esset, quod negatum est. Neque mirum cuiquam videri debet, aut incredibile tantam asseri multitudinem Angelorum: Nam quod in nobis huiusmodi admirationem excitat, est quia cogitatio nostra immensitate illa obrui videtur: Tamen admiratio ista dispellitur, si vt S. Cyril- S. Cyrillus. lus ait, *multitudo pro loci magnitudine cogitetur*: Quo pacto nulli videbitur incredibile. Vnde si ei, qui viderit maritimi littoris vastitatem, non videbitur incredibile si audiat, plura arenarum grana esse, quàm singularia omnium animantium, eo quòd littorum conditio est, vt tanquam in sinu minutas illas atque innumerabiles arenas contineant: Cur supra fidē videri debeat numerosior illa Angelorum multitudo ei, cuius menti ratio illa

illa insideat; conditionem esse præstantissimi omnium corporis, quod cœlestium domicilium est, vt quemadmodum est cęteris omnibus simul domiciliis capacius, ita & frequentiore, quàm cætera simul, populo inhabitetur? Immò hoc non tantùm pertinet ad loci amplissimi maiestatem, verùm etiam maximè diuinam omnipotentiam commendare valet; vt scilicet sit tot millium exercituum imperator. Neque enim splendidiore pompa natalitia sua illustrare Deus voluit, cùm maximè orbi terrarum cælestium diuitiarum apparatus exponendi erant, quàm innumerabilium ostensione Angelorum, qui cœli regem comitarentur, quasi nulla alia re regni illius amplitudinem aptius hominibus ostendere posset, *Et facta est*, inquit Lucas Euangelista cap. 2. *cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum.* (Luc. 2.)

Eodem apparatu (vt etiam prophana subseruiant veritati) Deorum maximum arbitratus est Plato maximè insigniri, si eum tali Angelorum multitudine stipatum describeret. *Plato* inquit Tertullianus in Apologetico cap. 24. *Iouem magnum in cœlo comitatum exercitu describit Deorum pariter & dæmonum.* Et præclarè omninò Aristoteles libro 3. Politic. cap. 12. post medium ait, Regibus congruere multitudinem virtute præstantem. *Regibus* inquit *congruit multitudo, quæ natura apta sit ferre genus virtute præstans ad principatum ciuilem.* Ergo summo atque infinito regi, quo nullus est maior, congruet multitudo, qua nulla sit maior in Mundo. Ergo superare oportet omnem rerum multitudinem, non solùm populorum. Etenim contingere potest, vt saltem pluribus regibus subsint populi, ac gentes omnes; quæ successione temporum sunt, quorum potestate longè amplior, atque infinities ferè maior debet esse maximi regis dominatio in eos, qui in proprio illo Dei regno versantur. Concludam hoc totum argumento, quod ex mellitis Ambrosij dictis accipio libro 2. de Abel & Cain cap. 3. *Quam beata* inquit *ciuitas, quæ plurimos iustos habet, quam celebrabilis omnium, quomodo benedicitur tota de parte, & beatus, atque perpetuus eius status existimatur.* Iam sic arguo: si beata illa ciuitas, quæ multos iustos habet, & beatior quę plures; certè quæ est omnium beatissima, id est cœlum, nullo rerum numero beatorum ciuium multitudo superari debet. Sicut enim est beatissima, quia eius beatitati nulla rerum felicitas comparabilis est; ita nec vllus rerum numerus eius beatorum ciuium multitudini conferri debet. Quæ dixerim, non quòd iis rationibus ostendi putem ita oportere esse de facto, quod suprà negabamus a. 1. fieri posse, cùm id totum ex diuino arbitrio pendeat: Sed vt nihil incongruens; immò rationi maximè consentaneum esse demonstremus, si adeò Angelorum multiplicemus numerum, vt nulla ei rerum omnium quantacunque copia exęquari queat.

(Margin: Plato. — Tertull. — Aristoteles. — Ambros.)

Satisfit argumentis, explicaturque difficilis sancti Gregorij locus. § 4.

Ex his autem respondetur ad argumentum, quod in Parte affirmante ex admiratione sumebatur; Nempe quod aliquid incredibile afferamus. Ostensum enim est; non solùm non esse incredibile; sed Dei amplitudini ac loco esse maximè consentaneum. Vna tamen videtur Gregorij Magni auctoritas obstare libro 17. Moral. cap. 9. Vbi ait de Angelis *plures esse qui ministrant, quam qui assistunt.* Si autem sunt plures qui ministrant; ergo sunt plures Angeli atque Archangeli, qui hæc inferiora custodiunt, quàm qui assistant. Constat enim ex eodem Gregorio homil. 34. in Euangelia solùm ex infimis ordinibus Angelos mitti, vt etiam ille putat ex S. Dionysio de cælesti Hierarchia cap. 7. 9. & 18. se didicisse: Hi autem Angeli, & Archangeli sunt rerum custodes. Ergo qui assistunt non sunt dimidia parte plures quàm homines & rerum species; quippe qui assistunt sunt pauciores. Vnde sequitur, quia homines & rerum species non exæquant omnia prorsus specierum singularia, Angelos esse pauciores quàm omnia rerum singularia. Respondeo totam hanc difficultatem esse, vt explicetur, quid Gregorius significet per administros Angelos; Et quidem quod attinet ad homil. 34. eos intelligit tantùm, qui *ex minorum Angelorum agminibus foras ad explendum ministerium vel visibiliter vel inuisibiliter mittuntur*; *scilicet quia ad humana solatia aut Angeli, aut Archangeli veniunt.* Ergo ij hoc loco sunt administri, qui foras extra cœlum ad homines veniunt. At verò in eo cap. 9. per administros intelligit quicunque *ad explenda* inquit *officia ministeriorum veniunt.* Huiusmodi autem sunt, quicunque non solum mittuntur ad homines & res corporeas, sed etiam ij omnes, qui cæteros etiam Angelos illuminant, vt ait A. Doctor p. p. q. 112. a. 2. ad 1. Et hoc pacto fortè putauit Gregorius esse plures. Quia scilicet pauci sunt, qui erga alios aliquod non obeant munus; & ita purè Deo assistant, vt ab omni curatione atque administratione vacent. Vnde non est mirum, si administratores sint plures, quàm qui assistunt. Nego ergo argumento, administros hoc pacto acceptos, esse solùm rerum materialium, hominúmque custodes; sed esse ferè ipsam totam Angelorum vniuersitatem. Et sic nihil concludit argumentum.

(Margin: Gregorius Magnus. — S. Dionys. — A. Doctor. — Gregorius.)

Neque huic expositioni obest quod Gregorius ait ibi. *Assistunt enim illæ proculdubio potestates, quæ ad quædam hominibus nuncianda non exeunt.* Quasi velit dicere, in hoc differre assistentes Angelos ab administris; quòd illi ad hominibus nuncianda non exeunt; hi verò veniunt. Non obest inquam: quia illa particula *hominibus* significat quodcunque sit illud, ad quod mittuntur; hoc est quodcunque sit illud, in quod effectum habeant. Sic enim interdum generatìm dicuntur omnes Angeli mitti ex A. Doctore loco citato. Posuit autem *hominibus* tanquam rem notissimam explicationis gratiâ, non definitionis; Vt sensus sit; illi assistunt qui nullo modo mittuntur ad alios, hoc est qui suam operam in alios non exercent. Vtrùm autem sint Angeli, qui nullo modo ne alios quidem illuminent, de hoc in præsenti nihil dico. Nam Gregorij mentem hîc tantùm aucupamur. In præsentia ergo id constet, saltem plures esse, qui mittuntur, esto sint aliqui, qui purè assistant, nihil in alios influendo lùminis. De qua re suo loco disputabitur q. 112. Quod tamen fortè sibi Gregorius persuasit, quia aliquot putauerit in Dei semper contemplatione defigi. Vel fortè dici potest Gregorium

(Margin: Gregorius. — A. Doctor. — S. Gregor. — Gregorius.)

gorium putasse, non omnes infimi ordinis mitti, sed multos quoque assistere. Quamobrem dixit, in hoc ordine plures esse qui mittuntur, quàm qui à ministerio vacant, non tamen plures esse simpliciter. Ex hoc autem nihil sequitur contra ea quæ decreta sunt. Quod si hæc interpretatio alicui non placet, fateatur, Gregorium in asserenda tanta Angelorum multitudine non fuisse sollicitum; non tamen propterea hoc à Theologis negandum esse, cùm cæterorum Patrum sententiæ ac rationi consentaneum maximè sit. Nobis tantùm videtur hæc expositio non facilè destrui posse, vt Patris eximij mẽtem in eo quod verum putamus, ostendamus qua par est veneratione à nobis non dissentire.

Hic posset etiam in controuersiam vocari, posito quòd Angelorum multitudo tantopere rerum, quæ aliquando & fuerunt, eruntque in Mundo numerum excedat: Quanta sit huiusmodi numeri exuperantia supra numerum omnium reliquarum rerum. Cùm enim non videatur ratio, cur sit certus aut determinatus in tot indiuiduis potiùs quàm in pluribus, videtur apertè sequi esse numerum infinitum; quod est planè absurdum. Respondeo tamen ad quæstionem breuiter, nulla ratione posse sciri quantus sit ipse excessus; cum nec diuinitus, quid credi oporteat, reuelatum sit; nec ratione naturali indagari possit ex effectibus. Non sequitur autem ipsum esse infinitum: Nam etsi non sit maior ratio, quantum est ex parte ipsorum Angelorum, vt tot sint nec plures, nec pauciores. Tamen pertinet ad diuinam sapientiam, vt certum, definitúmque numerum constituat, qui illi videbitur ad finem potior. Rectè enim do-
A.Doctor. cuit A. Doctor in hoc a. ad 4. *Multiplicationem Angelorum, neque secundum materiam, neque secundum corpora accipiendam esse, sed secundum diuinam sapientiam diuersos ordines.* (Addimus & nos, tantam vel tantam multitudinem) *immaterialium substantiarum excogitantem.* Quo etiam loquendi modo vsus est tertia parte, quæstione septima, a. 12. ad 2. Cùm enim super. a. 11. statuisset, Christi Domini nostri gratiam habitualem non esse infinitam quoad entitatem, videbatur opponi posse argumentum, quo conficeretur, eam oportere esse infinitam. Quandoquidem cum personæ dignitas infinita sit, non est ratio, cur ad certum intentionis gradum coarctetur. Cui tacitæ difficultati respondet ibi ad 2. dignitati vnionis, quæ in Christi humanitate residebat, correspondisse *talem gratiæ mensuram secundum definitionem diuinæ sapientiæ.* Ac si diceret, talem quidem gratiæ gradum, ac mensuram non esse à nobis ex natura rei assignabilem; sed tamen eius terminos designandos esse à diuina sapientia,
Sap. 11. cuius est; vt dicitur Sap. 11. omnia in numero, & pondere, & mensura disponere. Nec dissimili ratione soluit quod obiici solet; Cur prius & prius Verbum diuinum non induerit carnem ad homines saluandos 3. p. quæstione prima a. 5.
S.August. ad 2. vbi ex sancto Augustino libro de Perseuerantia capite nono ait Deum aliis non subuenisse. Quia de illis *in sua prædestinatione occultè qui-*
Origenes. *dem, sed aliud iustè indicauit.* Rectè etiam Origenes libro primo Periar. capite octauo versus finem. *Tantum numerum*, inquit, *rationabilium creaturarũ, vel irrationabilium, vel quomodolibet appellandæ sunt, credendum est fecisse Deum, quantum sufficere posse perspexit*; Nempe vt paulò inferiùs di-

A cit: quantum sibi sciret *ad ornamentum Mundi posse sufficere.*

ARTICVLVS QVARTVS,

Vtrùm Angeli differant specie.



AD quartum sic proceditur. Videtur quòd Angeli non differant specie. Cùm enim diffe- 2. d. 3. q. 1. a. 4. & 2. cont. Gent. c. 91. 92. 93. Ra. 4. & Spirit. a. 9. & opusc. 30. lect. 6. & 9. princ. & opusc. 32. cap. 161.
B rentia sit nobilior genere, quæcunque conueniunt secundùm id quod est nobilissimum in eis, conueniunt in vltima differentia constitutiua, & ita sunt eadem secundùm speciem. Sed omnes Angeli conueniunt in eo, quod est nobilissimum in eis, scilicet in intellectualitate. Ergo omnes Angeli sunt vnius speciei.*

2. Præterea magis & minus non diuersificat speciem. Sed Angeli non videntur differre ab inuicem nisi secundùm magis & minus,
C *prout scilicet vnus alio est simplicior, & perspicacioris intellectus. Ergo Angeli non differunt specie.*

3. Præterea Anima & Angelus ex opposito dicuntur. Sed omnes animæ sunt vnius speciei. Ergo & Angeli.

4. Præterea. Quanto aliquid est perfectius in natura, tanto magis debet multiplicari. Hoc autem non esset, si in vna specie esset vnum tantùm indiuiduum. Ergo multi Angeli sunt vnius speciei.

Sed contrà est; Quod in his, quæ sunt vnius
D *speciei, non est inuenire prius & posterius, vt dicitur in 3. Metaphys.* Sed in Angelis etiam* * lib. 3. Metaph. t. 11. t. 5.
vnius ordinis sunt primi & medij & vltimi, vt dicit Dion.† 10. cap. Angelicæ hierar. Ergo Angeli non sunt eiusdem speciei. † c. 4. & 10. cœl. Hier. à med.

Respondeo dicendum quod quidam dixerunt, omnes substantias spirituales esse vnius speciei etiam animas. Alij verò, quod omnes Angeli sunt vnius speciei, sed non animæ. Quidam verò, quòd omnes Angeli vnius Hierarchiæ, aut etiam vnius ordinis. Sed hoc est impossibile. Ea enim, quæ conueniunt specie & differunt nu-
E *mero; conueniunt in forma, sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia & forma, vt dictum est suprà*,* * A. 1. huius quæst.
sequitur quòd impossibile sit esse duos Angelos vnius speciei, sicut etiam impossibile esset dicere, quòd essent plures albedines separatæ, aut plures humanitates: cùm albedines non sint plures, nisi secundùm quod sunt in pluribus substantiis. Si tamen Angeli haberent materiam, nec sic possent esse plures Angeli vnius speciei. Sic enim oporteret quòd principium distinctionis vnius ab alio esset materia

teria; non quidem secundùm diuisionem quantitatis, cùm sint incorporei, sed secundùm diuersitatem potentiarum. Quæ quidem diuersitas materiæ causat diuersitatem, non solùm speciei, sed generis.

Ad primum ergo dicendum quòd differentia est nobilior genere sicut determinatum indeterminato, & proprium communi, non autem sicut alia & alia natura. Alioquin oporteret quòd omnia animalia irrationalia essent vnius speciei, vel quòd esset in eis aliqua alia perfectior forma, quàm anima sensibilis. Differunt ergo specie animalia irrationalia secundùm diuersos gradus determinatos naturæ sensitiuæ. Et similiter omnes Angeli differunt specie secundùm diuersos gradus naturæ intellectiuæ.

Ad secundum dicendum, quòd magis & minus secundùm quod causantur ex intentione & remissione vnius formæ, non diuersificant speciem. Sed secundùm quod causantur ex formis diuersorum graduum, sic diuersificant speciem. Sicut si dicamus, quòd ignis est perfectior aëre; & hoc modo Angeli diuersificantur secundùm magis & minus.

Ad tertium dicendum, quòd bonum speciei præponderat bono indiuidui. Vndè multo melius est, quod multiplicentur species in Angelis, quàm quòd multiplicentur indiuidua in vna specie.

Ad quartum dicendum, quòd multiplicatio secundùm numerum cùm in infinitum protendi possit, non intenditur ab agente, sed sola multiplicatio secundùm speciem, vt suprà dictum est*. Vnde perfectio naturæ Angelicæ requirit multiplicationem specierum; non autem multiplicationem indiuiduorum in vna specie.

* q. 47. a. 1.

Explanatio eorum quæ hic dicuntur.

A. Doctor.

RESpondet A. Doctor, impossibile esse, vt Angeli etiam vnius hierarchiæ, atque vnius ordinis sint eiusdem speciei, & solùm differant numero. Probat: quia quæ specie conueniunt & differunt numero, conueniunt in forma, sed distinguuntur secundum materiam. At Angeli non distinguũtur secundum materiam; quia nullam habent, ex qua scilicet componantur, vt ostenderat articulo primo & secundo. Ex quo infert, impossibile esse, vt duo sint Angeli vnius speciei, quemadmodum impossibile est, duas esse albedines separatas, cum albedines plures non sint nisi ex subiectis pluribus. Ad quæ examinanda erit Quæsitum proximè sequens. Verùm antequam de huiusmodi distinctione disputetur, consideranda in hoc artic. quædam videntur; Quæ Angelicus Doctor posteaquam de articuli quæstione disseruit, subiecit. Cùm enim dixisset, Angelos non distingui solo numero; quia carent materia, vt vidimus: Addit tamen proximè ad illa verba hypothesim quandam perdiffi-

A cilem; Nimirum *si tamen Angeli haberent materiam, nec sic possent esse plures Angeli vnius speciei.* Quod probat: quia tunc principium distinctionis vnius ab alio esset quidem materia, sed non secundùm diuisionem quantitatis: essent enim Angeli incorporei. *sed secundùm diuersitatem potentiarum*; ac proinde non solùm specie, verùm etiam genere differrent. Quæ quidem incredibile est, quantâ premi possint difficultate: Ideò etiam suo Quæsito examinanda erunt. Nunc autem circa articuli conclusionem, eiúsque rationem sit

B

QVÆSITVM PRIMVM,

Circa articuli conclusionem, eiúsque rationem; an & quomodo Angeli differant specie.

HÆc controuersia inter Theologos non infima est; & cuius explicationi plurimùm Thomistarum desudat industria. Cùm A. Doctor ea in hoc articulo constituere videatur, quorum doctrinæ innumerabilibus cæterorum Theologorum argumentis, ab vniuersis Gymnasiis reclamatur. Nullo enim pacto putant verum esse posse, vt Angeli in eadem specie plures solo numero differentes non possint esse. Quod hoc art. videtur asserere A. Doctor, cæterique ferè Thomistæ defendunt. Ideò nobis enitendum pro viribus est, vt inter dissidentium difficultatum senticeta, quà occulto A. Doctoris tramite, quâ aperta aliorum via in conspectum veritatis accedamus. Prætermittemus in hac disputatione Patrum sententias recésere peculiari articulo, cum vix vlius in hoc spinosum subtilitatũ genus sua dicta coniecerit, cùm id Theologorum, Philosophorúmque proprium sit. Vnde erit quidem hæc exagitanda controuersia etiam philosophicè, non tamen nisi inter Theologos dissentientes. Nam ex puræ philosophiæ officinis nihil video depromi ad rem posse. Constat enim, Ethnicos philosophos nihil hac de re ex instituto disputasse, cum toti fuerint vel in asseuerandis dæmonibus, vel in explicandis eorum passionibus, ac muneribus. De eorum verò inter ipsos essentiali distinctione altum ferè vbique silentium. Quod putarim ex eo accidisse; quod, vt sæpè suprà monuimus, ipsi non tam accurata Angelicarum naturarum atque effectuum disquisitione, quàm omnium gentium ac populorum consensione dæmones esse affirmarunt. Tametsi non inficias ibo, quin nonnulla ex eorum præsertim Peripateticorum ac Platonicorum dictis huc spectantia colligantur; Quæ accuratè inter disputandum ipse perpendam; cùm plurimum ad veritatem facere possint, quid ipse hac in re Peripateticorum princeps, eiúsque magister Plato iudicauerint; præsertim cum eiusdem Aristotelis auctoritate tota huius rei A. Doctoris disputatio nitatur. Sed quod nunc dicimus est, Philosophorum his de rebus doctrinam vel quia non adeò explorata sit, vel quia vix quicquam certi contineat, non esse in peculiarem quæstionem redigendam, cùm satis esse possit, si ea inter Theologorum gazas exquiratur. Sit ergo

A. Doctor.

C D E

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm de facto Angeli & hominis animus differant inter se specie Patribus, Philosophis ac Theologis. Et vtrùm vel omnes vel plures Angeli sint vnius speciei. Vbi multa in Origenistas & Platonicos examinantur.

PArtem affirmantem sequuntur varij auctores; Qui tamen diuisi sint in varios dicendi modos, quos hic omnes examini subiiciendos duximus, ne quid prætermittatur quod ad veritatem conducat.

Origenis error refertur, cùm asseruit Angelos, hominisque animum esse æqualis naturæ, vbi quædam de Tertulliano ac Platonicis indicantur. §. 1.

PRimus est eorum qui arbitrantur, nō solùm Angelos inter se, verùm etiam hominū animos inter se, & cum Angelis esse eiusdem speciei. Ita nonnulli, quorum nomen supprimit A. Doctor in hoc art. eos tamen infrà q. 75. a. 7. & q. vn. de Anima a. 7. exposuit: Præcipuè verò docuit esse Origenem libro 1. Periar. cap. 5. & 8. *Origenes*, inquit in eo priore art. 7. *posuit, omnes animas humanas, & Angelos esse vnius speciei.* Cur id crediderit Origenes est, quia quicquid diuersitatis in huiusmodi substantiis reperiri potest, id totum putauit esse accidentarium, & ex libero dimanás arbitrio. Vt autem intelligatur Origenis ita opinantis doctrina, videnda sunt quæ ex eo refert A. Doctor suprà q. 47. a. 2. Nimirum omnia, quæ primùm à Deo in mundi exordio creata sunt, æqualia ab ipso etiam quoad naturam facta esse.

A.Doctor. Origenes. A.Doctor.

Primùm autem conditas esse creaturas intelligentes tantùm. In quibus deinde inæqualitas ita exorta est ex libero arbitrio, vt pro varietate siue conuersionis in Deum, siue ab eodem auersionis, inter eas discrimina exorirētur. Atque *illæ* quidem *rationales creaturæ*, refert ex Origene ibidem A. Doctor, *quæ ad Deum per liberum arbitrium conuersæ sunt, promotæ sunt ad diuersos ordines Angelorum pro diuersitate meritorum. Illæ autem quæ auersæ sunt à Deo sunt corporibus alligatæ diuersis secundùm diuersitatem peccati.* Hæc igitur fuit Origeni causa asserendorū inter Angelos, animósque discriminum. Quod totum ab Origene dictum esse breuiter subindicabo ex verbis ipsius Origenis, dum fundamenta huius doctrinæ iacio eiusdem ferè verbis. Probat autem Origenes hanc sententiam in eo cap. 5. circa medium primò sic. Quia absurdum est, malignos spiritus substantia & naturâ suâ; & ex conditionis necessitate esse malos, quemadmodū nec bonum aut virtus, substantialis esse potest bonis, cùm solius Dei sit proprium substantialiter esse bonū. Ergo non est ex natura, talis vel talis perfectio seu dignitas, sed ex merito. *Non* enim *per conditionis prærogatiuam prælatæ sunt*, inquit, *& suppositæ substantiæ rationales his quibus præesse, vel in quos potestatem exercere dicuntur.* Deinde ne tantùm de his rebus difficillimis ratione agere, & *ex coniecturis tantummodo in assensum cogere auditores* videatur, id probat ex Scripturis, *quarum auctoritate*, inquit, *hæc credibilius astruantur.* Exponit autem hos ac similes Scripturarum locos.

Origenes.

Primum locum promit ex Ezechielis cap. 28. De Angelo enim, qui cecidit è cœlo in persona regis Tyri dicitur. *Tu signaculum similitudinis & corona decoris in delicijs Paradisi fuisti*, &c. *ex qua die creatus es, posui te cum Cherubim*, &c. *Peccasti, & à monte Dei eieci te*, &c. Si autem beatus factus à Deo est Angelus, & postea ob peccatum è cœlo ruit, *per hæc manifestissimè demonstratur*, inquit Origenes, *quod sancta VIRTVS hæc, fuerit beata in terrámque demersa, non per naturam.* Alter locus est ex Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* &c. *Ergo manifestissimè*, inquit Origenes, *per hæc ostenditur cecidisse de cœlo is vtique, qui prius erat Lucifer*, &c. ac proinde *ostenditur neque substantialiter vel naturaliter esse aliquid immaculatum, neque substantialiter pollutum, & per hæc consequens est in nobis esse, atque in nostris motibus, vt vel beati & sancti simus, vel per desidiam*, &c. *in perditionem vergamus. In tantum vt si vnus perfectæ malitiæ peccatum suum neglexerit, vsque ad eum statum deueniat, vt ea quæ dicitur contraria VIRTVS efficiatur*; hoc est habeat dignitatem naturæ Angelicæ vel hominis, &c. Alios etiam similes locos eodem cap. 5. deprompsit Origenes ex Euangelio. Vt cum Lucæ 10. dixit Christus. *Vidi Satanam sicut fulgur è cœlo cadentem.* & alibi. Quibus idem conficere studet, quod suprà retulimus.

Ezechiel. Isaiæ 14. Lucæ 10.

Sed cap. 8. alio argumento vtitur hoc pacto: Quia si *naturaliter tales facti sunt* Angeli & Animæ, *in hoc factoris inæqualitas accusaretur.* Hoc autem est absurdum: Quia *à iustissimo moderatore omnium credendum est Deo hæc omnia pro meritis, virtutibus ac præmiis cuiusque vigore & ingenio deferri.* Sequelam probat: Quia non pro meritis sed pro arbitrio hoc vel illud officij genus huic vel illi deputasset. Ex quo concludit. *Hæc omnia officia promeruisse* Angelos & animos *ex suis quemque meritis & studiis ac virtutibus, quæ ante mundi huius compagem gesserint.* Vt ex. gr. quòd Raphaëli medendi opus, Gabrieli libellorum prouidentia, Michaëli mortalium precum, supplicationūmque cura ascribatur: id prouenit ex meritis ipsorum mundi creationem antecedentibus. Similitérque quòd alij in Angelorum ordine descripti sint, agántque sub illo vel illo Archangelo: Quòd alius Ecclesiæ Smyrnensium, &c. sit præpositus: Alius curam Petri gerat, &c. Confirmat: quia alioqui nisi ita dicatur, periculum est, *ne incurramus in illas ineptas, atque impias fabulas eorum, qui* naturas spiritales siue Angelos siue homines à conditoribus diuersis manasse finxerūt. Videtur enim absurdum, vni eidémque conditori diuersas naturas rationabilium creaturarum attribui; si nimirùm ille conditor *nulla existente meritorum causa aliis potestatem dominationis iniungat, alios subiiciat dominatibus; aliis tribuat principatum, alios subiectos faciat principibus esse.* Tandem in eodem cap. 8. idem docet de hominis animo, nisi quod Platonicis negat, eos posse adeò delinquere, *vt in ordinem irrationabilium animalium vel bestiarum vel pecudum deuoluantur.* Atque hæc Origenes. Quem alij quoque secuti sunt, vt Ruffinus, vt patet ex epist. 63. inter epistolas Hieronymi Ruffinus.

Ioãnes Episcop. Ierosol. Epiphanius. Hieronym. nymi & Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, vt Epiphanius refert epist.60. ibid. & Hieronymus epist.61.& 62.ibid.

Origenes. Hieronym. Ex quibus omnibus palàm esse potest verè Origeni à Hieronymo tribui, quæ de eo scripsit ep.59.ad Auitum; vbi quid cauendum sit in libris Periar.monet. Quid enim ille senserit his de rebus mira breuitate sic habet. *Ita cuncta variari dicebat Origenes*, inquit, *vt & qui nunc est homo possit in alio mundo dæmon fieri: & qui dæmon est, & negligentius se gerit in crassiora corpora relegetur; id est vt homo fiat, sicque permiscet omnia, vt de Archangelo possit diabolus fieri, & rursus diabolus in Angelum reuertatur*,&c. Et rursus: *Qui vero non fuerunt meriti, vt per genus hominum reuertantur ad pristinum statum, fierent diaboli, & Angeli eius, & pessimi dæmones* &c. Postea etiam subdit, *ex quo consequenti ratione monstrari omnes rationales creaturas posse ex hominibus non semel ac subitò, sed frequentius nosque, & Angelos futuros dæmones si egerimus negligentius; & rursus dæmones si voluerint capere virtutes peruenire ad Angelicam dignitatem*. Hæc Hieronymus. Quæ etiam alibi ex Origene significauit, vt pòst dicetur. S August. Subindicat etiam S. Augustinus libro 11. de Ciuit. Dei cap.23. eũdem errorem Origenis; licèt non ita clare vt Hieronymus ipsum explicauerit.

Tertullian. S. August. Ad hanc sententiam, seu mauis errorem accessit Tertullianus teste Augustino libro de hæresibus ad Quoduultdeum hæresi 86. De quo sic ait. *Dicit sane ipsas animas hominũ pessimas post mortem in dæmones verti*. Quæ conuersio non est substantiæ in substantiam, qua ratione dicimus aquam conuerti in aerem, & totum panè in corpus Christi, cùm conficitur venerabile Sacramentum, per transubstãtiationem. Nam ibidem refert ex eo Augustinus, ipsum sensisse, animam hominis immortalem esse; licèt *eam effigiatum corpus esse contendat*. Ergo non putauit substantialiter conuerti in dæmonem. Quamobrem relinquitur, vt putauerit substantialiter remanere, & fieri dæmones, vt referebamus ex Origene; ac si viuendi modo & virtute agendi eadem animæ substãtia dæmon euadat. Eius doctrinæ fundamentum, in quo ipsa nitatur nullum refert Augustinus. Tertullian. Origenes. Plato. Sed puto nihil aliud esse nisi quod Tertullianus, multoque magis Origenes Platoni addicti eam acceperint à Platone, quem idem Tertullianus libro de Anima cap. 23. omnium hæreticorum *condimentarium* appellauit.

Plotinus. S. August. Quòd enim Platonici ita senserint, manifestum est ex Plotino apud S. Augustinum libro 9. de Ciuit. Dei cap.11. vbi ipsum *autumasse docet, animas hominum dæmonas esse, & ex hominibus fieri lares, si meriti boni sint; lemures seu laruas, si mali. Manes autem Deos dici, cùm incertum est, bonorũ seu malorum esse meritorum*. Plato. Hesiodus. Quin & ipse Plato in Cratylo inter initium illius & medium ex Hesiodo se huic sententiæ subscribere professus est loquens in persona Socratis. *Scisne*, inquit, *quos Hesiodus δαίμονας esse* dicit: Subdit, hos esse aureum genus hominum. *Ex hoc* autem hominum *genere* ait, *post fata fieri dæmones sanctos terrestres, optimos malorum expulsores, & custodes hominum; Nempe arbitror, illud vocari aureum genus non ex auro constitutum, sed bonum atque præclarum, quod inde conijcio, quia genus nostrum ferreum esse dicit. Annon putas si quis nunc ex nostris bonus sit aurei hunc generis ab Hesiodo æstimari* &c. Postea ait. Non alios esse bonos, quàm prudentes, hancque ob causam eos dæmones vocatos esse, quia prudentes fuerint, & rerum gnari. Hinc laudat Poëtas qui dixerunt, bonũ cum è vita migrat, magnam dignitatem præmiúmque sortiri, fierique dæmonem appellatione sapientiæ. Ad hunc autem modum ait se asserere δαίμονα, id est sapientem omnem esse hominem, quicunque sit bonus; & viuentem, & vita functum dæmonium esse, rectéque dæmonem nuncupari. Plato. Quibus omnibus videtur Plato, nullum discrimen inter hominis animũ dæmonémque ponere, nisi accidentarium sapientiæ, vt ille dæmon verè sit, qui sapiens prudentiaque præditus sit.

Rationes, cur hi Philosophi in hanc sententiam venerint, videntur posse esse huiusmodi. Primò enim quæcunque habent eandem operationem propriam & naturalem sunt eiusdẽ speciei. Sed Angelus & hominis animus habẽt eandem operationem propriam & naturalem; nempe intelligere. ergo sunt eiusdem speciei: Neque obest quod homo intelligat per discursum, Angelus non item: Nam primò hanc differentiam Philosophi prædicti non agnoscebant; Deinde simplex intellectio, & discursus prouenit ab eadem intelligendi facultate, qua nouimus principia, & conclusiones. Ergo hæc naturam diuersam non possunt indicare. Secundò, quia quorum est idem finis, eorum est eadem natura: Quandocumque enim aliqua respiciunt eũdem finem, eorum ad illum est vna eadémque propésio; ac proinde vna eadémque natura. Sed idem est finis animorum atque Angelorum: Nam si naturalem quæras, est felicitas naturalis, quæ in contemplatione æternarum substantiarum consistit; quam hominum Deorúmque; hoc est Angelorum eandem esse patet ex Aristotele lib.10. Ethic. cap.7.& 8. Aristoteles. Si verò supernaturalem, idem faciliùs patet, quia nõ est alia vtrisque beatitas, quam Dei visio; & ideò Matth. 22. dicitur *filij resurrectionis erunt sicut Angeli Dei in cœlo*. Matth.22. Tandem quia quod Angelus corpori nõ vniatur, animus verò sit in corpore, non videtur indicare essentiale discrimen: Etenim animus à corpore separatus idem prorsus est quoad essentialia, atque erat corpori iunctus. ergo non est essentiale discrimen. Plura de hac materia argumenta habes apud A. Doctorem q.vn.de Anima.a.7.

Omnes Angelos esse vnius speciei, nonnulli Theologi putarunt, & cur. §. 2.

Alter dicendi modus est eorum qui supponunt, animum quidem ab Angelo differre specie; affirmant tamen, ipsos Angelos inter se non specie, sed numero tantùm esse diuersos. Hunc modum apertè sequitur tanquam probabiliorem S.Bonauentura in 2.d.9.a.vn.q.1.c. S.Bonauent. Vbi licet alibi dixerit, vt dicam in Tertio modo, omnes aut plures esse eiusdem speciei; Tamen docet *videri magis Theologicam & probabilem positionem, nisi occurrat manifesta auctoritas in contrarium, quod omnes Angeli sint eiusdem speciei, sicut & omnes homines*. Neque obstare ait quòd inter Angelos sint ordines. Nam etiam *inter homines sunt gradus, & ordines & quoad naturalia, & quoad officia commissa, siue dignitates, & quoad gratuita, salua semper vnitate speciei*. Eandem sentẽtiam absolutè & tanquam

Albertus Magnus. quam veram priùs docuit Albertus Magnus in sua Summa Theologica 2. p. q. 8. in solutione Quæstionis. Vbi cum tres recitasset Theologorum opiniones, tertiámque dixisset esse eorum, qui putarunt, *omnes Angelos esse vnius speciei, differre tamen hierarchiis & ordinibus*; nempe accidentibus & muneribus, subdit Albertus; *Quia hæc sententia sanctis congruit, & in eam magis consentire videntur, ideò videtur huic opinioni consentiendum esse, sicut persuadent rationes vltimò inductæ.*

Marsilius. Thomas ab Argentina. Citantur à quibusdam pro hoc dicendi modo Marsilius in 2.q.3.a.1.& Thomas ab Argentina d.3.q.1.a.3. Verùm vterque accedit ad oppositam sententiam. Ille enim ibi conclus.2.apertè asserit probabile esse, non esse probabile omnes Angelos esse eiusdem speciei; probátque dupliciter, quia & ratio & auctoritas id persuadent: Et conclus.8.ait, probabilius esse, de facto plures esse in eadem specie. Hic verò art.2.§.*Quantum ad secundum* ait, licèt dubitari possit in vtramque partem; *Credo tamen* inquit *probabilius esse tenendum, quod nunc de facto omnes Angeli differant specie.* Quamobrem vix ex Scholasticis Theologis quenquam alium reperiri puto, qui huic dicendi modo apertè cõsentiat; Nostrum tamen Martinum Becanum reperio, qui p.p. Theologiæ Scholasticæ cap.1.de Natura Angelica q.4.in 4. conclus. postquam dixerat, probabile esse nec omnes differre specie, nec omnes esse eiusdem speciei, subiungit; multos Patres docuisse, omnes esse eiusdem speciei, vt Damascenus, Nyssenus, Athanasius, Basilius. Qua in re fortè huic sententiæ fauere voluit. Non enim dubitandum, quin ea sit plusquam cæteris probabilior sententia, cui multorum sanctorum Patrum auctoritas patrocinetur.

Martinus Becanus.

Damascen. Nyssenus. Athanas. Basilius.

S.Bonau. Cuiuscunque tamen ea sententia sit, probari sic potest. Primò eam probat S. Bonauentura vbi suprà: Nam quodcunque procul à sua origine recedit dispergitur. Contra verò quod ad originem accedit, colligitur; sicut patet in numeris, luce, aquis &c. Sed Angeli maximè accedunt suæ origini nempè Deo. Ergo colligi eos oportet, maximámque habere vnitatem. Cùm ergo non possint vniri secũdùm numerum, reliquum est vniantur secundùm completam, atomámque speciem. Secundò: quia Natura spiritalis corpori iuncta est vnius speciei; Ergo & separata. Si dicas, hoc prouenire ex corpore, quod mortale est. Contra: Quia ex corpore non est formarum sumenda distinctio, sed potius corporum ex formis: Non enim forma est propter materiam, sed materia propter formam. Immò si congrueret, spiritales formas esse diuersas, quid impediret, ne corpora quoque diuersa ab initio facta essent? Tandem prætermissis cæteris, quorum soluendorum se dabit occasio deinceps, probat: Quia ruina Angelorum reparatur per hominem, qui est idem specie. *Si ergo congruè reparatur* inquit *& congruè reparatur, videtur quod omnes ruentes fuerint vnius speciei.* Cùm autem de quolibet ordine aliqui lapsi sint, sequitur omnes omnium ordinum esse eiusdem speciei. Sic S.Bonauentura totidem ferè verbis.

Albertus. Aliter probat Albertus. Primò enim docet; Cùm omnes Angeli sint eiusdem nominis, non est ratio, cur non sint vnius naturæ; cùm præsertim Dionysius dicat omnes esse cœlestis essentiæ. Secundò, quia sicut militia regis est vnius naturæ, dignitatibus diuersa; ita & militia æterni regis vna erit, etiamsi ordinibus differant milites. Tertiò, quia eodem modo omnes Angeli perfici supernaturaliter possunt per vnam eandemque formam, nempe per Gloriæ lumen. Ergo est vna ratio perfectibilis per illam formam, & vna natura Angelorum. *Quorum enim* inquit Albertus *est vna perfectio secundum virtutem, quam nati sunt suscipere, eorum est vna natura communis secundum speciem*: Quod inductione probat. Quartò, quia si distinguendi specie essent, id propterea diceretur, quia diuersitas naturarum cognoscitur ex diuersitate donorum, quibus Angeli diuersi inter se sunt. *At hoc nihil habet probabilitatis* inquit Albertus *quia in eadem natura secundum speciem, sicut in homine diuersitas virtutis, est ex diuersa perspicacitate intellectus, vel diuerso conatu ad cultum illius virtutis, vel ex diuersa nobilitate naturæ ex puritate aut impuritate proueniente.* Cur ergo similiter dici non possit in Angelis?

Dionys.

Albertus.

Molina. Addunt recentiores, ab hac sententia non dissentire Patres. Quamuis enim Molina noster in hoc art. 4. putet probabile non omnes esse vnius naturæ: Tamen putat à Patribus significari, omnes Angelos in vnam naturam specificam cõuenire: Quos Patres referam in proximo Tertio dicendi modo, eorúmque verba perpendam; Basiliúmque dicam in fine Difficultatis apertè huic sententiæ fauisse, vt interpretationi nullus sit locus.

Basilius.

Angelos eiusdem ordinis solo numero differre alij senserunt; Alij verò rem esse incertam. § 3.

Tertius dicendi modus est eorum qui dixerunt, omnes Angelos saltem eiusdem ordinis differre solo numero. Eos autem vocant eiusdem ordinis, qui non solùm ad eandem hierarchiam pertinent, verùm etiam in eadem hierarchia habent eundem ordinem. Nam constat, vt ex S.Dionys. cælest. Hierar. docet A. Doctor in hac p.p.q.108.a.1.& deinceps, vniuersam proborum Angelorum multitudinem in tres hierarchias distributam esse, earúmque quamlibet in tres alios vt vocant, ordines diuidi; Vt videlicet in Prima sint ordines Seraphinorum, Cherubinorum, & Thronorum: In secunda verò Dominationum, Virtutum, ac Potestatum: In Tertia Principatuum, Archangelorum, & Angelorum. Aiunt igitur hi auctores: Esto Angeli diuersorum ordinum specie differant; tamen qui sunt vnius ordinis non differunt nisi solo numero. Id expressè sensit Gregorius de Valentia hic disputat.4.q.1.p.5. eámque fusè probat, vt mox dicam.

S.Dionys. A.Doctor.

Valentia.

Alexander. Eadem est aperta sententia Alexandri 2. p. q. 20.m.6.a.2. Quæ etiam sententia adeò arrisit S. Bonauenturæ in 2.d.3.p.p. d.a. 2.q. 1. vt eam *esse sanam, & Catholicam*; huic verò aduersantem *præsumptionem* dixerit. Id quod probat ipse dupliciter, sitque primum in hac sententia argumentum. Tum quia nulla videtur ratio, quæ contrà obstet: Tum etiam quia sicut è Scripturis nouimus multos esse Angelos, ita ex iisdem colligimus, plurimos eadem exercere munera, eandémque operationem. Ergo non erunt ij saltem diuersæ speciei. Idem tenuit Gabriel in 2. d. 3. q. vn. conclus. 3. Cuius argumentum paulò post expli

S.Bonauent.

Gabriel.

explicabitur eius ipsius verbis.

Huc etiam refero eos, qui etsi non distinguũt de ordinibus; putant tamen de facto plures esse in eadem specie, vt Marsilius & Thomas ab Argentina locis in superiore dicendi modo citatis, Molina in hoc a.4.concl.2. Possent quoque reuocari ad hunc dicendi modum alij, qui ita dubitant, Verùm de factò sint plures, vt eo modo loquendi in hanc partem pendere videantur, vt noster Gabriel Vasquez disputat. 181.c. 2. & 3. Licet enim cap. 3. dicat, nihil certi constare, quid nunc re ipsa sit; tamen cap. 2. ex Patribus ostendere nititur, plures vnius speciei de facto esse.

Marsilius. Thomas ab Argentina. Vasquez.

Deinde probat Alexander: quia sicut decentior est dispositio in aula regis, *si multi, quam si vnus in vno officio seruiret, vt si sint multi pincernæ, quam vnus solus; & ita de cæteris officiis*: Ita in aula cælestis regis *decentior erit dispositio* si sint plures in eadem specie.

Alexander.

Tertiò probat Gabriel hoc pacto: *Nulla tota species intellectualis est damnata. Aliqui Angeli sunt damnati. Ergo aliqui non sunt tota species; & per consequens sunt eiusdem speciei cum aliis non damnatis, cum quibus constituunt totam speciem.* Maiorem probat ex S. Augustino. Quem locum profert etiam Valentia & alij. Nam S.Augustinus in Enchiridio cap. 29. ait, ex eo non fuisse redemptam vniuersam naturam Angelicam, quemadmodum tota humana: Quod tota natura humana in peccatum incidit, Angelica verò non item. *Placuit itaque* inquit *vniuersitatis creatori, atque moderatori Deo, vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat in perpetua damnatione remaneret* &c. *Alia verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis & originalibus & propriis tota perierat, ex eius parte reparata, quod Angelicæ Societatis ruina illa Diabolica minuerat, suppleret. Hoc enim promissum est resurgentibus sanctis, quod erunt æquales Angelis Dei* &c. Ergo nulla tota species periit in Angelis seu damnata est. Ex his autem ait Valentia hoc totum falsum fore, si tota Angelica natura esset in vno tantùm singulari, nam in eo tota illa natura cecidisset, totàque natura damnata esset.

Gabriel. S.August. Valentia. S.August. Valentia.

Quartò probat Molina, Valentia, & Vasquez ex S. Basilio libro 3. aduersus Eunomium, qui ostendere adnitebatur, Spiritum sanctum diuersæ à cæteris diuinis personis esse naturæ, ex eo quod Spiritus idem sanctus inter ipsas erat ordine postremus, Cõtra vrget S.Basilius id non esse consequens. Nam & inter Angelos est suus ordo: & tamen ipsorum postremus naturam non habet à cæteris diuersam. Ergo saltem sententia Basilij inter Angelos eiusdem ordinis non erit diuersitas naturarum.

Molina. Valentia. Vasquez. S.Basilius. Eunomius. S.Basilius.

Quintò probant iidem ex S.Athanasio q.4.ad Antiochum. *Vna* inquit *& eadem est essentia Angelorum, sicut etiam vna est essentia hominum.* & q. 8. sic loquitur. *Substantia certè vt hominum sic & Angelorum est vna.*

Athanas.

Sextò Valentia probat ratione, Quam etiam innuerat S. Bonauentura: Quia illa naturarum diuersitas à societate & amoris coniunctione videtur abhorrere. Similitudo enim amorem conciliat. Ergo cùm Angeli eiusdem ordinis sint eodem munere coniunctissimi, cur non erunt vnum atque idem naturâ? Alij probant ex S.Damasceno in libro Primarum institutionum cap. 30. *Intelligendum est* inquit *eas quæ sola indiuidua continent, species infimas vocari. Cuiusmodi sunt Angelus, homo, equus.* Ergo Angeli non magis natura diuersi sunt, quam homines inter se, atque equi. Addunt etiam S. Anselmum libro 2. Cur Deus homo cap. 21. *Omnes* inquit *Angeli sunt vnius naturæ.*

Valentia. S.Bonau. Damascen. Anselmus.

Denique probari potest ratione, quia nullos videmus effectus, aut operationes, quibus in cognitionem veniamus harum diuersarum naturarum in Angelis eiusdem ordinis, etiamsi non habeant eadem munera. Ergo non oportet multiplicari has naturas specie diuersas. Antecedens probant: Quia differentiam munerum & ordinum possunt omninò ex Gratia habere, aut etiam ex natura simul. Potest etiam vnus alterum illuminare naturaliter; non quia superioris sit intellectus secundùm speciem, sed quia intra eandem perfectiorem habeat intellectum, vt inter homines.

Quartus denique dicendi modus in hac sententia est eorum, qui etiam dicunt, neutram partem posse sciri, sed omninò incertam esse. Quem modum sequitur Gabriel Vasquez Disputat. 181. cap. 3. qui ait, nihil in hac re sciri certò posse, Idémque prius docuit Molina a.4.§. *Licet autem.* Id autem primò probat Vasquez in fine eius c.3. ex S. Augustino libro contra Origenistas ad Orosium cap. 10. & 11. Vbi ait, *Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates &c. firmissimè credo & differre inter se, indubitata fide teneo, sed quantum ista sint, & quomodo differant nescio.*

Vasquez. Molina. Vasquez. S. Augustin.

Deinde probat ex S.Damasceno libro 2. de fide cap. 3. Sic enim ibi de Angelis loquitur. *Ac de essentia quidem æqualisne naturæ inter se, an dispares sint, haudquaquam compertum habemus. Solus ille scit, qui eos creauit Deus, quique omnia perspecta atque explorata habet.* Sentiunt ergo hi Patres, hanc rem dubiæ esse considerationis: Quæ etiam sunt argumenta Molinæ, vbi suprà. Secundò probat ratione: Quia quacunque ex parte Angelos consideremus, satis se res incertam offert. Nam tametsi vt modò dicebamus, diuersa sint eorum munera; hinc tamen non rectè sequitur, horum diuersas esse naturas, quia ea munerum diuersitas potest ex Gratia prouenire. Immò neque id sequitur si illa munerum diuersitas proueniat ex natura. Nam potest vnus alteri esse superior, ita vt intra speciem eandem intellectum perfectiorem habeat, cæterásque naturales affectiones, sicut inter homines quoque contingere videmus.

Damascen. Molina.

Partem negantem veriorem esse, explicatúrque quid sit differre specie. §.4.

PArtem tamen negantem Angelos esse eiusdem naturæ specificæ siue eodem siue diuerso ordine contineantur, docuit A. Doctor in hoc art.4. & libro 2. contra Gentes cap. 93. & q. vn. de Spiritua. Creatu. a. 8. Ægidius Quodlib. 2. q. 7. Heruæus in 2. d. 3. q. 2. a. 2. Capreolus ead. d. a. 1. & a. 3. ad argumenta toto penè art. Caietanus de ente & essentia cap. 4. q. 7. Ferrariensis libro illo 2. contra Gent. cap. 93. Fundamentum autem omnium communissimum, cui hæc doctrina incumbit est: Quia in Angelis nulla est materia, quæ distinctionis numericæ principium est. Ergo specie non numero eos distingui oportet. Ad hanc

A.Doctor. Ægidius. Heruæus. Capreolus. Caietan. Ferrariensis.

Iodocus Lorichius.

hanc etiam sententiam accesserunt aliqui recentiores, vt Iodocus Lorichius in thesauro nouo vtriusque Theologiæ verbo *Angel* *a* num. 5. Expresse enim habet, vnumquemq; Angelorũ esse vnam speciẽ incommunicabilẽ, sicut & humana natura, si ab omni materia esset abstracta, quia esset vna species indiuisibilis. Addit tamen non esse negandũ, potuisse Deũ creare Angelos vnius speciei solo numero differentes ex Dominico

Bagnes.

Bagnes opusc. 16. Quæ duo non video, quomodo inter se consentiant, vt infra dicetur. Melius hanc

Estius.

sententiam docuit Gulielmus Estius in 1. d. 3. §. 2. vbi docet probabilius esse, omnes Angelos differre specie, quia omnis distinctio numerica à materia petẽda est. Vndè si esset albedo separata aut humanitas, non essent plures; nempe de facto B & connaturali modo. De potentia enim absoluta ipse ibidẽ probat posse creari plures Angelos vnius naturę specificę. Ad cuius rei solutionẽ duas ponemus eiusdẽ materię propositiones: Alteram quidem quæ Theologicis; Alteram quæ philosophicis rationibus comprobetur. Vt ita nõ solum aduersus Origenem, & si qui sunt alij, qui scripturis sanctis & Patribus confutari possunt, agamus: verùm etiam philosophi naturalibus ex lumine rationis petitis argumentis reuincantur.

Sit ergo prima ac Theologica propositio. Angelus & hominis animus eiusdem naturæ specificæ non sunt. Hæc propositio est aduersus primum dicendi modum directò. Eam verò docet

A. Doctor. Albertus. Alensis. Altissiodorensis. Marsilius. Magister. Scotus. S. Bonauent. Gabriel. Ricardus. Ægidius. Bassolis. Thomistæ recentiores. Caietanus. Ferrariensis.

A. Doctor infra q. 75. a. 7. & in 2. d. 3. q. 1. a. 6. libro 2. cont. Gent. cap. 92. & 93. & q. vn. de Anima a. 7. Albertus in 2. Tr. 2. q. 9. Alexander Alensis 2. p. quæst. 20. m. 5. Altissiodorensis libro 2. suæ sum. tract. 10. cap. 3. princip. in quæst. 2. incidente. Marsilius vbi supra conclus. 1. Magister in 2. d. 1. vbi Scotus q. 6. S. Bonauentura a. 3. q. 1. Gabriel q. 6. Ricardus a. 5 q. 4. Ægidius d. 3. p. p. q. 2. a. 5. Bassolis d. 3. quæst. 2. Thomistæ recentiores p. p. q. 75. a. 7. Vbi Caietanus & alij; Et cont. Gent. loco citato, vbi Ferrariensis. Vt autem probetur nostra Propositio

Aristoteles.

Notandum est materiam & formam alicuius cõpositi non esse simpliciter species seu naturas specificas. Cùm enim ipsũ totũ sit species simpliciter, partes illius erunt partes speciei, non autẽ species simpliciter. Hoc etiã patet ex Aristotele in prædicamento substantiæ: Nam secundas substantias, quas dixerat esse genera & species, negat esse in subiecto. *Secundarum verò*, inquit, *substantiarum commune quidem etiam sit, quod nulla est in subiecto.* Cur id cõstat? *Homo enim*, inquit, *de subiecto quodam homine dicitur, in subiecto vero non est: Non enim in quodam homine homo est.* At materia & forma sunt hoc pacto in subiecto, cùm in quodam homine sint. Ergo materia & forma simpliciter non

A. Doctor.

sunt species. Atque ita A. Doctor in ea q. 75. a. 4. ad 2. & a. 7. ad 3. aperte docuit, *Animam non esse proprie in specie, sed compositum.* Ex quibus aliqui a-

S. Bonauent.

pud sanctum Bonauenturam loco citato dixerunt, non esse quærendum Vtrùm Angeli & animus hominis differant specie. Hoc enim ipso supponitur anima esse in specie; Quod falsum est, cùm sit speciei pars. Sed tamen hi auctores non rectè philosophantur. Pro qua re intelligenda.

Notandum est secundò, Quodcunque ens singulare habere suas rationes formales, seu vt Philosophi loquuntur sua prædicata essentialia & quidditatiua, quibus primò & per se constitua-

A tur in suo esse, & tali natura. Etenim omne ens singulare est aliquid, de quo aliqua verè enunciari possunt, vt quod sit vel substantia, vel accidens, vel forma, vel materia, vel compositum &c. Et quoniam non omnia quæ sunt in mundo

Melissus. Parmenides. Aristoteles.

sunt vnum, quod stolide Melissus ac Parmenides arbitrabantur apud Aristotelem libro 1. Physic. cont. 6. Ideò necesse est, vt de quolibet prædicari possit idem vel diuersum, si cum aliquo ente

Aristoteles.

comparetur. Vt enim docet Aristoteles libro decimo Metaphys. contextu vndecimo, *Omne ad omne aut idem aut aliud est*; Nempe aut idem aut diuersum, vt eodem contextu vndecimo expresse habetur. Vnde cont. duodecimo dixit *Omne quodcunque sit ens, aut idem est aut diuersum:* Nam si conueniat cum alio, in eo in quo cõuenit erit idem, vt si conueniant in natura Generica, vt Homo & Leo, erunt idem genere Homo & leo: si in specifica, vt Bucephalus & Baiardus erunt idem

Aristoteles.

specie, vt habet Aristoteles libro 1. Topicorum cap. 6. & apertiùs libro 5. Metaphys. cont. decimosexto. Sunt ergo plura rei prædicata. Ex his autem pluribus prædicatis, quæ de quocunque singulari ente dici queunt, quædam oportet inter se priora esse, posteriora quædam. Pro qua re

Notandum tertiò prædicata rei priora & posteriora; seu, quod idem est, prædicata rei, quę aliquem inter se habent ordinem, dupliciter in- C telligi posse. Vno modo quia habeant ordinem superioris & inferioris per lineam rectam in sua categoria, vt viuens, Animal, Homo, Petrus: Secundùm quem ordinẽ id quod superius, & vniuersalius est, prius est suo inferiori & minùs vniuersali, quod est eo posterius. Hac etenim ratio-

Aristoteles.

ne Aristoteles in Postprędicam. cap. de Priori docuit ea esse priora, à quibus *non conuertitur esse quod est esse consequentia*; Idest à quibus aliud non infertur, quod ab ipsis deducitur esse, vt si animal est, non sequitur esse hominẽ; Nec si vnum est, sequitur esse duo: à quibus tamen illa cõsequi necesse est: siquidẽ, si homo est; animal est. Et si duo sunt, etiam vnum est, vt ibi patet ex Aristotele. Alio D modo quia habeant ordinem non quidẽ vniuersalioris, & minus vniuersalis; sed qui est inter causam, & id quod ab illa in suo esse dependet; Qualis est inter solem & lucem, lucis ad calefactionem, hominis ad risibile, & sic de aliis; Quæ quidem esse priora & posteriora mox dicã. Iam ergo ad rem propositam aio, vtroq; ordine oportere poni in quocũque ente singulari prædicata seu rationes, quæ de illo dici possunt. Ac de primo quidem illo ordinis modo, patet hac perspicua ratione. Nam necesse est quodque singulare paucioribus prædicatis ab aliquibus differat, pluribus ab aliis, ac proinde magis conueniat cum illis, quam cum his, vt calor à calore differt E solo numero, cùm in natura caloris vterque conueniat: à siccitate autem non solo numero, verùm etiam natura specifica differat necesse est, licèt conueniat in natura qualitatis. At à quantitate nõ solùm numero & natura specifica, verùm etiam tota categoria distinguetur; Idémque de cæteris dictum sit. In quolibet ergo singulari ordo prædicatorum priorum; nempe superiorum magis vniuersalium; illorum nimirum, quæ genere; & inferiorum, quæ specie sola distinguuntur; reperitur. Idem ordo ostenditur in aliis prædicatis. Pro qua re

Notandum quartò. quæ ordinem habent causæ seu originis respectu aliorum, quæ ab illis deriuantur

deriuantur; semper esse priora illis ipsis, quæ deriuantur, etiamsi quoad esse reale reciproca sint, vt animal & sensitiuum, rationale & risibile &c. Aristoteles. Hoc docet Aristoteles in Postprædicamentis cap. de Priori apertissime. *Alter priorum modus*, inquit, *est eorum quæ conuertuntur secundum esse consequentiam. Nam quod alteri quomodolibet causa est, prius natura dici potest.* Ratio huius est facilis: Nam illud est alio prius: quod in suo esse non pendet ab illo alio, non contra, vt patet ex Aristotele cap. cit. Quomodo pater non pendet à filio, vt ipse qui est pater sit; filius tamen ab ipso patre pendet, si quidem ab eo generari debet. Vnde sequitur vt si variis modis huiusmodi sit dependentia, variis etiam modis aliquid dicatur prius. Quod Aristoteles. obseruat Aristoteles tum in Antepræadicamentis, tum etiam libro 5. Metaphys. cap. de Priori vtroque loco. Quamobrem quia subiectum non pendet in suo esse à forma, hæc autem ab illo; dicitur subiectum prius forma. Prius inquam ratione ac conceptu seu natura sua; quia scilicet vt eius actualis existentia intelligatur, non debet inuolui existentia formę; benè tamen inuoluitur existentia subiecti, si forma intelligatur esse connaturali modo. Aristoteles. Atque ita Aristoteles in eo libro 5. Metaphysices cap. de Priori. *Primò quidem*, inquit, *subiectum est prius*; nempe formâ, *propter quod & substantia prior*; iis nempe formis quæ substantia non sunt. Eodémq; modo libr. 1. Physic. cont. 52. dixit *subiectum prius prædicato*. Eadémque ratio de cæteris erit. Nunc ergo dico, ea prædicata in aliquo singulari esse aliis priora ordine causæ & originis, quæ in suo esse vel conceptu non pendent ab aliis, quæ tamen ipsa ab illis pendeant. Pro quare

Notandum est quintò ex dictis clarissimum esse, in omni singulari ente debere dari prima rei prædicata siue ordine superioris & inferioris, siue ordine originis in iis quę reciprocantur. Deueniendum enim necessariò est ad aliquod primum, quo non sit aliud prius, ne in infinitum progressio detur, quicunque ille sit ordo secundùm prius & posterius. Ex quo vlteriùs duo sequuntur: Vnum est, In quocunque ente singulari dari prædicata essentialia, quibus illud constituatur. Probatur manifestè consecutio: Quia prędicata essentialia rei non sunt alia nisi illa, quæ per se primò de re dicuntur, seu in primo dicendi modo per se. Nihil enim aliud continet definitio rei essentialis, quæ rei quidditatem essentiámq; complectitur, nisi prima illa prædicata in primo Aristoteles. dicendi modo per se, vt patet ex Aristotele libro 1. Poster. contextu commenti 30. aliàs 9. *Per se autem sunt quæcunque sunt*, inquit, *in eo quod quid est, vt triangulo inest linea, & punctum lineæ: substantia enim ipsorum ex his est, & in ratione quod quid est insunt.* Alterum est in quocunque singulari ente concedenda esse prædicata primum & vltimum. Primum quidem quia debet dari summum genus, suprà quod nullum aliud sit: Vltimum verò quia debet dari infimū, infra quod non sit aliud prædicatum essentiale, sed tantum indiuidua ratio. Vtrumque patet: Quia sunt priora & posteriora ordine superioris & inferioris. Ergo debet dari summum atque infimum, ne infinitas prædicatorum vlla ex parte concedatur.

S. Bonauent. His ita constitutis patet explicatio nostræ Propositionis aduersus eos qui apud S. Bonauenturam, vt vidimus Notando primo, hanc quæstionem improbabant. Etenim cùm dicimus, Ange-

A lum hominisque animum non esse eiusdem speciei, non supponimus ipsum animum esse in specie simpliciter; immò potius contra supponimus esse hominis partem formalem, vt sumemus in argumento nostræ propositionis: Sed solùm dari volumus, ipsum animum habere suo modo naturam suam speciemque atomam; nempe proximum genus cum sua contrahente differentia; si quidem ostensum est, in omni ente singulari dari essentialia prima prædicata suo ordine disposita ab infimo ad summum. Ergo infimum, quo essentialiter constituitur animus. Quod non potest esse nisi definitio propria talis naturę sub qua non est aliud prædicatū inferius. Vt exēpli gratia infimum prædicatum Petro essentiale est homo, seu definitio hominis; Quo prædicato nul- B lum datur inferius essentiale, etiamsi natura definita, quæ suo modo est species atoma, non sit simpliciter species. Quo etiam pacto Philosophi quoque disceptant, Vtrùm forma & materia sint diuersæ speciei an eiusdem. Et in hoc sensu Aristoteles animum humanum definiuit Aristoteles. tanquam in specie atoma libr. 2. de Anima cont. 24. *Principium quo primo intelligimus* putans se in ea definitione posuisse proprium specificúmq; animi prædicatum, quo eius natura per infimum prædicatum, differentiámque vltimam explicari debeat adæquatè.

Itaque cùm hæc certa sint, & quid nomine C speciei in ipso hominis animo intelligamus, constet, probanda nunc est nostra propositio. Et quoniam vt dixi in aduersantem sententiam consensere tam ij qui è scripturis sacris eruere conati sunt suam conclusionem; hoc est qui Theologico more philosophati sunt; quàm ij qui philosophicè ex naturalibus principiis se ratiocinari arbitrabantur: Ideò vtroque argumentandi genere in præsenti vtemur aduersus vtrosque. Sed priùs in hac propositione comprobanda Theologicæ rationes agmen ducent.

Propositio probatur Theologico argumento. D § 5.

Eam autem propositionem sic probat Theologicè Alexāder vbi suprà. Nam *Angelica substantia est libera, vertibilis immutabiliter: Anima verò siue spiritus rationalis, est vertibilis mutabiliter. Vt Deus sit substantia libera inuertibilis in bonum & malum; Angelus verò & anima rationalis substantia libera vertibilis in vtrumque*; Sed ita vt Angelus immutabili modo; Anima autem mutabili. Ergo sunt diuersæ substantiæ. Explicat autem, quid sit esse vertibile immutabiliter, & mutabiliter; Atque Angelum posse quidem verti in bonum E & malum; sed facta in alterum ex his conuersione ibi determinari de natura sua; & ita ait ex sancto Damasceno, *Quod Angelus est insuscepti bilis pœnitentiæ*: atque ita est vertibilis immutabiliter; Animam verò esse vertibilem nunc in bonum nunc in malum; & ita verti mutabiliter de natura sua; Vnde ait naturas esse diuersas. *Propter quod*, inquit, *videntur in esse Theologico conuenienter distingui.* Subdit autem, cùm hæ res altissimæ sint speculationis, acquiescendum esse ei, qui potiorem rationem Theologicam reperire potuerit.

Alexander. Damascenus.

Verùm hæc ratio non conficit, naturas esse diuersas. Quòd enim Angelus sit naturæ vertibilis immutabiliter non videtur verum ob duplex argumen

argumentum. Nam primò Angelus si per dispositionem liberi arbitrij primam gratiam accepit à Deo, vt Thomistæ affirmant, & videtur docere A. Doctor q. 63. a. 6. se in bonum honestum ac diuinum applicuit; & tamen eo relicto ad malum culpæ voluntariè prolapsus est. Ergo habet naturam vertibilem mutabiliter. Deinde esto postquam vel malo vel bono Angelus adhæserit, non se ab eo diuellat: Tamen nego id prouenire ex Angelica natura: Dici enim potest id esse à Deo, qui se statui ipsorum Angelorum accommodauit; Quia scilicet Deus post vnum actum meriti statim cōtulit Angelis bonis beatitatem, in quo statu nullum potest esse peccatum; Angelis verò malis post illud superbiæ crimen vltima statim supplicia destinauit; ideóque illicò desierunt esse viatores, atque in termino constituti sunt, ex quo cùm non ampliùs regressio detur, non oportuit eos ab eo amoueri. Quæ doctrina apertè est A. Doctoris q. 64. infra a. 2. c. *Causam*, inquit, *huius obstinationis in dæmonibus oportet accipere non ex grauitate culpæ, sed ex conditione naturæ status. Hoc enim est hominibus mors, quod Angelis casus.* Vnde apertiùs q. 16. de Malo a. 5. c. in fine docuit, Angelos esse immutabiles extrinsecus. *Ex parte verò extrinseca*, inquit, *immutabiles sunt, vel in bono vel in malo post primam electionem, quia tunc finitur in eis status viatoris: Vnde non pertinet ad rationem diuinæ sapientiæ, vt vlterius dæmonibus gratia infundatur, per quam reuocentur à malo primæ auersionis, in qua immobiliter perseuerant.* Ergo in carentiam, vt sic dicam, diuinæ gratiæ refert immutabilitatem dæmonum. Idémque clariùs docet ad 3. vbi ait, Deum esse causam status Angelorum, in quo obstinatè ad malum proni sunt, *non impertiendo gratiam.* Et sic ait aliquos dici fuisse obduratos. Dicerent ergo aduersarij, Angelos quantum est ex se esse vertibiles, sed statu impediri ne vertantur; sicut etiam accidit in hominibus, qui vel beati in gloria ad malum labi, vel æterno affecti supplicio conuerti in bonum nequeunt.

Quod si quis pro Alexandro dicat prouenire ex natura, vt Angeli suum vltimum consequantur statum post vnum actum, propterea quod ipsorum natura est, vt non indigeant longo tempore ad viam conficiēdam, quemadmodum homo. Cùm enim Angeli immobiliter apprehendant veritatem, & quid faciendum sit vel non faciendum, adhærēt etiam immobiliter ei, quod ratione indicarunt: Quia non succurrit illis amplius iudicium in contrariam partem, in quam reflectantur. Quemadmodum etiam homines ita primis principiis cognitis adhærent, vt dissentire ab illis deinceps non possint. Atque hæc doctrina est A. Doctoris locis iam citatis. Ergo radix immobilitatis ipsorum est natura, secundum quam differunt ab hominis animo. Cæterùm quamuis non dubitem quin huiusmodi explicatio optima sit, si ponamus quod verum est; nempe Angelos specie differre ab hominis animo, quia talis via congruit Angelicæ naturæ, non homini qui longo indiget tempore ad sua iudicia stabilienda; Tamen in aduersarios non militat validè argumentum. Nam aduersarij responderent primò falsum esse, Angelos immobiliter apprehendere veritates omnes: Nam supernaturalem mobiliter apprehenderūt. Quandoquidem priùs Angeli habuerūt fidem, ac proinde veritati fidei consenserunt, consecutionemque beatitatis à Deo sperarunt, vt suo loco dicam; postea tamen à fide apostatarunt, atque à spe gloriæ delapsi sunt. Ergo supernaturalibus mobiliter adhæserunt. Immò frequenter accidit, vt de rebus supernaturalibus tantum coniecturis Angeli ducantur. Vt enim ait A. Doctor 3. p. q. 41. a. 1. ad 1. ex Augustino libro 9. de Ciuit. Dei cap. 21. per quædam temporalia virtutis effecta dæmones Christum esse filium Dei coniectabant, à quibus coniecturis dissenserunt deinde, eò quod quædam in eo signa infirmitatis humanæ considerarunt, & ideò eum tentare, experirique voluerunt. *Atque hoc*, inquit A. Doctor *significatur Matth. 4. vbi dicitur, quod postquam esuriit accessit tentator*, &c.

Quocirca licet Diabolus sciret Dei filiū venturum, tamen *venisse per infirmitatem corporis non putabat*, vt loquitur Ambrosius libro 4. in Lucam cap. 14. & subdit A. Doctor 3. p. q. 44. a. 1. ad 2. *Sed postmodum visis miraculis ex quadam suspicatione coniecturauit, eum esse filium Dei*, diúque ancipiti in vtramque partem iudicio fluctuasse ex Chrysostomo, & Beda fusè ibidem explicat A. Doctor. Ergo res supernaturales iudicio naturali dæmones mobiliter apprehendebant. Ex quo vlterius sequitur, absolutè potuisse Angelos circa res fidei initio creationis suæ coniecturis duci, an essent veræ; vt homines faciunt, ac proinde potuisse Deum longiorem illis constituere viam. Quæ si dicantur, improbanda Alexandro essent, vt eius ratio efficax in aduersarios sit. Secundò: quia esto Angelis debita fuerit ob naturam immobilis apprehensionis, talis via: Tamen supererat Alexandro conficiendum; hanc immobilitatem prouenire ex natura specifica ex parte essentiæ, non autem ex parte materiæ, seu ex parte naturæ indiuidualis, quia solum videtur discrimen esse secundum maiorem vel minorem mobilitatem. Nam constat ex Aristotele libro 10. Metaphysices cont. 25. in eadem natura specifica esse diuersas proprietates etiam in pluribus indiuiduis eius speciei ob solam materiæ diuersitatem, vt clarè patet in masculis fœminísque in eadem specie, vt ibidem ostendit Aristoteles. Quam proprietatum varietatem proportione quadam in substantiis spiritualibus reperiri dicerent aduersarij, vt ita Angeli in eo conuenirent, quod ob suam indiuiduam perfectionem immobiliter apprehendāt: Animi verò hominum, qui eum gradum perfectionis naturâ suâ non assequuntur, mobiles in iudicando sint. Deum autem potuisse creare Angelos & nostros animos in indiuidua inæqualitate docet Magister in 2. d. 30. & probare conatur Ricardus in 2. d. 3. a. 5. q. 2. Quod etiam significauit Albertus in prima sententia vt retulimus. Quamquam nunquam hoc probabiliter dici affirmarem, vt ea quæ constituunt speciem ab Angelis diuersam, non differant essentiali natura ab ipsis Angelis. Sed quod nunc dicimus est, multis indigere Alexandri rationem, vt confirmetur, validáque sit. Qua de re dicam infrà in primo *Colligitur* post argumenta philosophica.

Secundò probat S. Bonauentura vbi suprà. Quæ enim sunt similia specie vel simul producuntur, vel vnum facit ad alterius propagationem. Sed animæ non simul cum Angelis sunt productæ; nec Angeli faciunt ad animarum propagationem. ergo non sunt similia specie. Neque

que hoc argumentum ait ostendere similem rationem, quod hominum animi debeant simul procreari: Nam patris animus facit ad propagationem prolis, & sic de cæteris. Verùm hæc ratio licet probabilis sit, tamen vt pugnacior sit, nonnihil in ea desideratur. Obiiceret enim aduersarius, fuisse peculiarem rationem, cur animi simul cum Angelis creati non fuerint. Angeli enim non erant destinati animandis corporibus, & ideò nihil fuerat expectandum Deo, vt necesse fuerit, vnum creare post alium. At animi cõtrà quia suum vnicuique corpus animandum erat, prius oportuit corpora efformari, in quæ spiritus postea induceretur. Prius enim vt dicebam Notando quarto, est subiectum iis, quæ in subiecto sunt. Nec priùs decuit condi hominem, quàm terra, in qua homo collocaretur; nec volucres prius à Deo factæ sunt, quàm aër, per quẽ ipsæ volitarent. Accedit etiam quod Scriptura significat, non simul facta esse astra cum cœlo, cum quo tamen sunt eiusdem rationis. In principio enim vt scribitur Genes. 1. Deus creauit cœlum & terram, postea diuisit ab aquis aquas, terráque produxit herbam virentem iuxta genus suum. Et postquam *factus est dies tertius, Dixit Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem*, &c. Alij aliter probant. Sed prætermissis cæteris

Genes. 1.

Probatur meliùs nostra propositio Theologicè sic. Illa substantia, quæ naturâ suâ est actus corporis, differt specie ab illa, quæ sua natura actus corporis nõ est. Sed animus hominis est naturâ suâ actus corporis, Angeli nõ item, vt Patres & Scripturæ docent. Ergo differt specie animus ab Angelis. Maior probabitur infrà philosophicè.

Animum humanum esse corporis actum, probatur ex diuinis litteris, & sanctis Patribus, & Conciliis. §. 6.

MInor nunc probatur. Et primò quòd animus sit corporis actus; Patet primùm ex Scripturis, quæ supponunt per animum viuere hominem, ederéque vitę munia. Quod clarissimè dicitur Genes. 2. vbi cùm plasmatum esset Adæ corpus, Deus illi *insufflauit spiraculum vitæ*; nempe spiritum, animúmque quo viuat; & ideò statim subditur; *Et factus est homo in animam viuentem*; Hoc est, si Hebraismus resoluatur; factus est homo habens animam facientem ipsum viuere. Siue, quod eodem recidit: Factus est in hominem viuentem. Plerumque enim anima sumitur pro homine in Scripturis, vt rectè explicat noster Pererius libro 4. in Genesim cap. 2. versu 7.

Gen. 2.

Est etiam idipsum manifestum ex Patribus, quos tantò libentiùs placet indicare, quãtò minùs id reperio ab aliis factum. Id verò docuit Tertullianus libro de carnis resurrectione c. 5. *Et insufflauit*, inquit, *in faciem eius, & factus est homo; hoc est limus in animam viuam*. Ergo per animum factus est homo viuẽs. Ergo est actus anima. Athanasius etiam q. 29. ad dicta & interpretationes S. Scripturæ, hoc ipsum eximiè docuit. *Quemadmodum*, inquit, *super cæco fecit lutum, & eius oculos illiniuit, vt ostenderet quod ipse sit qui ab initio formauit hominem ex luto; ad eundem modum fecit in discipulos declarans se esse, qui spiritum dat & vitam hominibus per primitiuam illam inspirationem, quam in Adam inspirauit.* Alludit ergo ad illam inspirationem, qua Deus Adæ vitam infudit, insufflando animam seu spiritum vitæ, quo fit homo, & viuit. Quem locum videtur imitatus S. Cyrillus Alexandrinus libro 12. in Io. cap. 56. *Deus Pater per proprium Verbum*, inquit, *de limo terræ, vt scribitur hominem formauit, anima decorauit, & sui spiritus participatione muniuit. Insufflauit enim in faciem eius spiraculum vitæ*, &c. Deinde ait, idem Dei Verbum in nouam vitam perditum hominem reduxisse. *Vt ergo ipsum esse discamus, qui ab initio naturam nostram creauit, & Spiritu sancto signauit, rursus in ipso initio renouandæ naturæ sufflatione spiritum discipulis largitur*, &c. Optimè Ambrosius in Psal. 118. Octonario 10. in ea verba, *Manus tuæ Domine fecerunt me*, &c. *Vita ergo nostra*, inquit, *cœpit ex inspiratione diuina: Sed hæc vita secessione animæ corporisque dissoluitur*, &c. Vides iam, vitam hominis esse ex illa inspiratione, per quam animam insufflauit? Est ergo hominis actus, hominis animus: Quia hoc tanquam per formam viuit homo, suásque edit operationes. Clarissimè Theodoretus q. 23. in Genesim. Deum enim ait declarare illis verbis voluisse, animam *esse spiritum creabilem, inuisibilem, expertem corruptionis corporeæ*.

Tertullian.

Athanasius.

Cyril. Alex.

Ambrosius.

Theodoret.

Idem apertè patet ex Lactantio, lib. 2. cap. 12. in fine. vbi ad hunc ipsum locum Geneseos alludens ait. *Ipse corpus effinxit* Deus *ipse animã qua spiramus infudit*. Similia & expressiùs repetit in c. 13. *Ficto corpore*, inquit, *spirauit ei animam de vitali fonte spiritus sui, qui est perennis*, &c. Neque audiendus est is qui inter Lactantij errores illum quoque numerat, quòd animam dixerit creatam in cœlo in cap. 13. eiusdem libri. Nõ enim Lactantius ibi absolutè dixit animũ in cœlo procreatum à Deo, sed quasi è cœlo aduectum corpori immissum esse. Sic namq; habet post relata verba in eo cap. 13. *Constat enim*, inquit, *ex anima & corpore* homo, *id est quasi è cœlo è terra, quandoquidem anima qua viuimus velutì è cœlo oritur à Deo, corpus è terra, cuius è limo diximus esse formatum.* Quamobrem solùm vult quasi è cœlo esse animum, quia cùm sit spiritalis, ac perpetuus nobilissimęque substantiæ, cœlum tanquam patriam agnoscit. Opponit enim Lactantius animum corpori, quod ex vilissimo luto formatum est. Alio etiam modo idem auctor animum è cœlo intellexit, lib. 6. de diuino cultu c. 1. vbi etiam hunc locum citat, quia nimirum è cœlo illi vita ac lumen est. *Nam sicut in secũdo libro docuimus*, inquit, *cæli ratio in animo, terræ autem in corpore est*, &c. *quia vita & lumen è cœlo est*, &c.

Lactantius.

Afferam etiam Hieronymi hac super re testimonia, cui à Ruffino illud quoque immeritò obiectum fuit, quòd animas humanas cum Origene creatas in cœlo putaret, vt patet ex eiusdẽ S. Hieronymi Apologia prima & secunda aduersus Ruffinum. Hieronymus ergo epist. 61. ad Pammachium sic dè Adami animo scribit. *Quãdo*, inquit, *plasmauit Deus hominem ex limo, & per gratiam propriæ insufflationis ei animam tribuit, vtrum illa anima*, (extorquere enim conatur à Ioanne Hierosolymitano, num sentiat cum Origene quem ibi damnat Hieron.) *fuerit ante ac subsisterit, & postea Dei insufflatione donata est, an in sexto die quando corpus ex limo formatum est, & esse & viuere, Dei potestate susceperit?* Quam posteriorem partem

Hieronym. Ruffinus. Origenes.

Hieronym.

Ioãnes Ierosol. Origenes.

tem contendit verum dogma esse, *& Ecclesiasticum, secundùm eloquia Saluatoris, Pater vsque modo operatur & ego operor, & illud Zachariæ Qui format spiritum hominis in ipso.* Quare sentit Hieronymus à Deo inspiratum esse Adamo animũ per quem esse & viuere, Dei potestate susceperit.

Ruffinus. Non dissimili ratione vrget Ruffinum libro 2. aduersus ipsum non longe ab initio, vt hanc ipsam veritatem ab ipso eliciat circa Christi seruatoris animum. *Si dicis* inquit *filium Dei humanæ naturæ carnem atque animam suscepisse, oro te vt absque stomacho respondeas, Anima ista quam suscepit IESVS, erátne antequam nasceretur ex MARIA? An in origine virginali quæ de Spiritu sancto nascebatur cum corpore simul creata est? Vel iam in vtero, corpore figurato, statim facta & missa de cælo est? E tribus vnum quid sentias scire desidero. Si fuit antequam nasceretur ex MARIA: nec dum ergo erat anima IESV, & agebat aliquid, ac propter merita virtutum facta est anima eius.* Quæ sententia in Origene damnabatur. *Si cœpit ex traduce: Humanarum igitur animarum quas æternas fatemur*, hoc est perpetuò duraturas, *& brutorum animantium quæ cum corpore dissoluuntur, vna conditio est. Sin autem figurato corpore statim creatur & mittitur, fatere simpliciter & nos scrupulo libera*, &c.

Hieronym. Idem habet Hieron. epist. 150. ad Hebidiam q. 10. initio. Epist. 8. ad Demetriadem. In priore Apologia aduersus Ruffinum post epistolam 66. In Apologia secunda aduersus Ruffinum circa medium, Epistola 27. ad Eustochium, epist. 65. & alibi sæpe. Vide etiam quæ dico post, in primo corollario.

Epiphan. Ad extremum proponam quæ dicit S. Epiphanius epistola 60. inter epistolas S. Hieronymi à quo illa in Latinum versa est, vt aliorum etiam doctissimorum virorum testimonio hic Origenis error obrueretur. Ibi ergo Epiphanius postquam hanc Origenianam hæresim recensuisset, confutassetque, addit quod nunc è re nostra est. *Et si hoc verũ est*, &c. *Vbi illa benedictio est, ad Adam & ad semen eius, Crescite & multiplicamini. Iam enim non erit benedictio sed maledictio, iuxta Origenem qui Angelos vertit in animas*, &c. *Quasi Deus non possit generi humano animas per benedictionem dare*, &c. Patet ergo ex his animum esse corporis actum qui corpus non antecessit, & quo corpus animatur & viuit.

Multò etiam magis id docuerunt Patres ij, qui in hominis animum insufflatam à Deo Gratiam significari illis verbis docuerunt. Etenim hoc ipso conficitur, hominem eo constitui animo, qui sit Gratiæ diuinæ capax; vt scilicet per illum homo Gratiam consequatur, tanquam per suam formam, & actum. Alioqui si actus non sit, quomodo Gratiam homo ipse consequetur?

Cyprianus. Sic S. Cyprianus epist. 84. ad Pompeium. Ait enim baptismo accipi Gratiam Spiritus sancti; sicut primus parens accepit diuina inspiratione. *Vt spiritum iam natus accipiat*: qui scilicet baptismate abluitur, *sicut in primo homine factum est. Ante enim eum Deus plasmauit, & tunc insufflauit in faciem eius flatum vitæ. Nec enim potest accipi spiritus, nisi prius fuerit, qui accipiat.* Adhuc etiam certiùs id nos docent, qui vnà cum animo infusam esse Gratiam tradunt.

Ambros. Inter quos est S. Ambrosius libro de Noë & Arca cap. 25. vbi dicit, Moysem in principio Geneseos instruxisse nos de insufflatione animæ, *vt non laberemur* inquit *opinionibus diuersis philosophorum, qui sibi constare non*

A *possunt* &c. *Nos igitur huiusmodi diuisionem teneamus, & separemus quod est rationabile animæ, cuius substantia est spiritus diuinus*; Nempe quia Gratia est vita animi nostri. *Sicut ait Scriptura, quia insufflauit in faciem eius spiritum vitæ.* Apertiùs S. Cyril-

Cyrill. Alex. lus Alexandrinus libro 2. in Io. cap. 3. *Et sufflauit* inquit *in faciem eius spiraculum vitæ. Simul enim & vitam creaturæ Spiritus immisit, & characterem suum, vt Deum decet impressit; & sic rationale animal ab artifice Deo constitutum mandatum ad salutem accepit.*

Nazianz. Adhuc clariùs Nazianzenus orat. 5. ad Eunomianos, quæ est secunda de Filio. *Duplicem* inquit *vim inspirationis ab eo consequimur, & spirationem vitalem omnes; & Spiritum sanctum ij, quotquot eius capaces sunt.* In eandem sententiam loquitur

S. August. Augustinus; licèt paulò aliter significet, animum

B prius creatum fuisse; quod tamen perinde nobis est, siquidem fatetur animum Gratiâ ornatum vitam homini tribuere: Nam libro 13. de Ciuit. Dei cap. 15. dicit, *animum non tunc primo homini datum*, cum nimirum Deus insufflauit, *sed tunc viuificatum* Gratiâ hominem ipsum. Constat ergo ex literis diuinis & Patribus, animum intelligentem esse hominis seu corporis actum.

Concilium Viennense. Quod postea iure meritò definitum est in Cõcilio Viennensi sub Clemente V. tali videlicet decreto, quod refertur in Clementina Vnica de summa Trinitate & fide Catholica: *Doctrinam omnem seu positionem* inquit Concilium *temerè asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animæ*

C *rationalis seu intellectiuæ verè ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneum & veritati catholicæ inimicum prædicto sacro Concilio approbante reprobamus. Definientes, quod quisquis deinceps asserere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiua non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus.* Ex quibus apertè habemus, quantopere ex fide Catholica certum sit, animum esse hominis actum, quando tam perspicuis, grauibúsque verbis Spiritus sanctus, qui nec falli, nec fallere potest, huiusmodi doctrinam voluit esse in Ecclesia Catholica declaratam. Hoc ipsum postea his non contentus iterum constitui voluit in Concilio Lateranensi

Concilium Lateranense. D sub Leone X. sess. 8. vbi damnantur ac reprobantur ij, qui animam intelligentem aut mortalem esse, aut vnicam in cunctis hominibus formam dixerunt. *Cum illa* inquit Concilium *non solùm verè & per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verumetiam immortalis* &c. Certum ergo Catholico sit, animum intelligentem hominis actum esse.

Sed quòd sit actus ex sua natura facilè sic probatur: Nam primò impossibile est actum aliquem componere hominem, qui est vnum per se, & in vna specie substantiæ, cúmque non esse suâ naturâ talem actu, qui naturaliter compo-

E nat, vt Philosophicè paulò pòst probabitur. Deinde patet hoc ipsum: Nam Concilia, vt vidimus, definiunt animam esse formam corporis per se & essentialiter. Ergo suâ naturâ. Præterea animus habet naturalem inclinationem, vt quàm diutissimè actuet, informétque suum corpus, illúdq; perficiat. Ergo suâ naturâ talis actus est. Omne enim quod habet naturalem propensionem ad subiectum informandum, naturâ suâ est aptum illud informare, quandoquidem illa naturalis propensio est à natura; alioqui naturalis non esset, vt patet ex Aristotele libro 2. Phy-

Aristoteles. sic. cont. 4. Esse autem talem propensionem ad

corpus

Ephes. 5. Gen. 2. corpus patet ex Paulo ad Ephes. 5. Vbi ait, viro diligendam esse vxorem quia viri caro est. Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis*, & caro de carne mea. *At nemo* inquit ibi Apostolus *carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam.* Insitum enim est omnibus hominibus à natura, vt se suaque corpora tueantur, ac seruent quamdiutissimè. Adeò vt neque ij ipsi, qui se ob dolores lacerant, corpus suum, *sed corruptiones eius & pondus oderint*, inquit S. Augustin. Augustinus libro 1. de Doctrina Christiana c. 24. & concludit. *Non itaque nullum corpus*, sed incorruptum & celerrimum volunt habere. quę multò magis vera sunt in iis, qui penè se ob Dei amorem corporis vexatione conficiunt. Id enim agunt, vt illud ipsum, immortalitate donatum superinduant corpus. Rectè enim idem Apostolus 2. Cor. 5. lus 2. Cor. 5. *Qui sumus in hoc tabernaculo* inquit *ingemiscimus grauati, eo quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita.*

Chrysost. Quo loco obseruat Chrysostomus tacitè refelli hæreticos diuersitatem corporum astruentes. Neque enim Apostoli de alio atq; alio corpore sermo est, sed de diuersa tātum eorundèm corporum conditione. *oportet enim corruptibile hoc* 1. Cor. 15. inquit Apostolus 1. Cor. 15. *induere incorruptionem* &c. nempe cùm rediuiui ad gloriam transferemur. Tertull. Quem locum sic explicat Tertullianus libro 5. in Marcionem c. 12. *Vt deuoretur* inquit *mortale hoc à vita per superindumentum demutationis*; & aliis verbis libro de Resurrectione carnis c. 42. *Vbi deuoretur mortale à vita; id est caro ab illo superindumento celesti, & eterno.* & fusiùs cap. 54. *ostenditur* inquit *quomodo mortale deuoretur à vita, dum indutum immortalitate absconditur, & tegitur* &c. Constat ergo, animum esse actum corporis suâ ex naturâ, non aliunde extrinsecus. Atque hæc de hominis animo Theologorum more dicta sint satis.

Nunc verò probandum superest, quod in altera eiusdem Minoris parte posueramus; nempe Angelos ex sua naturâ non esse actum corporis. Eius autem rei erit facilior probatio; Et primò quòd non sit actus corporis, probatur: Primò quia ostendimus supra a. 1. Quæstit. 3. Difficult. 1. Patrum non errantium sententiâ Angelos omninò esse incorporeos. Immò non solum incorporeos, quia ex materia formâque compositi non sint, verùm etiam quia non habeant corpus sibi naturaliter vnitum, quod in dæmonibus S. Dionys. clarum est ex verbis S. Dionysij cap. 4. de diu. Nomin. longissimè post medium; vbi probat corpus non esse peccati causam, nam dæmones peccarunt, qui absque corpore sunt. Cuius verba expressa habes in ea Difficultate Prima in secunda propositione; vbi etiam idem aper- Theodor. tè docet Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum cap. de Angelis. Ait enim Angelos neque incremento neque coitu opus habere, *cum sint a corporibus liberi* &c. idque doceri à sacra Scriptura. De qua re ibi alios Patres complures eodem modo loquentes considera diligenter. Illúdque etiam argumento est, quia si corpori vnirentur Angeli, sequitur aliquam naturam intelligentem esse Angelo nobiliorem; nempe quod ex Angelo est compositum: quod ibi diximus à Scriptura & Patribus, & Conciliis longè multúmque alienum esse. Sed iterum accuratiùs vnà cum A. Doctore hæc Quæstio tractanda est a. 1. seq. q. Si ergò Angeli non habent sibi vnita corpora, ergo non sunt actus illius.

A Probo nunc non esse actus corporis ex suâ naturâ. Etenim si per se & sua natura non essent incorporei; & sine corporeis membris; id certè esset casu & ex accidenti aliquo seu præter naturam. Quæcunque enim alicui per se non conueniunt, ea si conueniunt, per accidens & præter naturam saltem conuenire oportet, vt album homini, ambulanti coruscatio &c. vt certum philosophis est. Quo etiam modo sine corpore esse conuenit animo humano cum à corpore separatur, quia contigit, corpus eius mortale defecisse. At Angelos corpori non esse vnitos per accidens & præter naturam, est falsum: Quia quod per accidens est B & præter naturam, non est ex se diuturnum. Hoc enim argumentō vsus Aristoteles libro primo Aristoteles. cœli contextu decimoquinto demonstrare se firmiter putauit, cœlum non esse ignem. Præterea quod motus in orbem, quo cœlum moueri constat, igni est præter naturam. Ergo non diu cœlum circumduceretur: Quia *quæ præter naturam sunt citissimè corrumpuntur.* Idémque docet libro secundo cœli contextu decimooctauo. Ergo Angeli deberent tanquam formæ saltem aliquando vniri corporibus, ne semper præter naturam essent.

Immò hoc eodem argumento ostendere nititur C titur Angelicus Doctor libro quarto contra A. Doctor. Gentes capite septuagesimo nono futuram esse mortuorum exsuscitationem ad vitam; eo quòd nimirum *contra naturam animæ est absque corpore esse: Nihil autem quod est contra naturam potest esse perpetuum.* Quæro ergo quando vnquam Angeli aut fuerint, aut vnquam futuri sunt corporum formæ? Humanorúmne corporum, an aliorum? Vtrumque enim censuerunt Origenes & alij in Prima sententia. Origenes. Non primum: quia humana corpora, cùm primum incipiunt esse, aptantur ad suum animum, qui ad illa animanda creatur, vt vidimus ex Patribus D & Scripturis, cùm verò animata esse desinunt, in cineres resoluuntur. Non secundum: Quia ne fingi quidem potest, quando hæc præparentur ad Angelos suscipiendos. Nam quod interdum Angeli hominibus apparent, nihil obest. Ea enim corpora sacrarum literarum & Patrum auctoritate ascititia sunt, ex aere præsertim elementisque conflata, vt peracto munere statim ex oculis euanescant. Nec iis Angelica substantia nectitur tanquam forma, sed tanquam motor, vt ex instituto disputabitur q. seq. a. secundo. Nec fingere pro arbitrio corpora philosophum decet. Denique innaturale omninò fuisset, si Angelorum substantia forma esset corporis, eos in cœlo empyreo creatos absque corpo- E re fuisse. Quid enim Deo expectandum fuisset, quin illos statim indueret corporibus, quibus naturâ suâ necti debent?

Sanè quia Deus cuncta quæ fecerat vidit valdè bona, ea quæ à Deo procreata sunt initio Mundi oportuit esse perfecta, ac proinde connaturali modo esse debuerunt. Ergo si Angelica substantia naturâ suâ corpus exigeret, absque corpore creata à Deo non fuisset. Hic enim arguendi modus validus visus est A. Doctori p. p. quæst. nonagesima, a. 4. A. Doctor. eóque probauit, nec primi parentis, nec aliorum subsequentium animum ante corpus creari potuisse. Si enim quæ naturâ fiunt, nihil inordinatum est; vt docet Aristoteles libro 8. Physic. Aristoteles. cont.

cont. 15. quantò magis suo ordine disposita, quæ à naturæ auctore fiunt, esse oportebit? Neque alio opinor fundamento Patres tam constanter asseuerant, animas ante corpus non fuisse à Deo conditas, nisi quia illa ipsa inspirari debet in corpore, cuius natura flagitat in corpore, esse. Vnde Leo Papa in epist. 93. ad Turibium cap. 10. huiusmodi doctrinam supponit esse fabulam; hoc est delirationem potiùs, quàm dogma veritatis. *Quam impietatis fabulam* inquit *ex multorum sibi erroribus texuerunt. Sed omnes eos Catholica fides à corpore suæ vnitatis abscidit, constanter prædicans atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuère.*

Leo Papa.

Quin etiam hoc argumentum expressit S. Chrysostomus apud Iustinianum Imperatorem in epistola ad Menam Episcopum Constantinopolitanum, quam apud Baronium reperiri paulò pòst dicam. Vbi apertè docet, quia animo inhabitandum est in corpore, priùs à Deo corpus formatum fuisse, quàm animum conditum. Sic enim philosophatur. *Curnam*, inquit, *si anima pretiosior est corpore, quod inferius est prius fit, ac demum quod maius est ac nobilius?* Respōdet autem sic. *Annon vides dilecte in ipsa creatione idem hoc factum esse. Quemadmodum enim cœlum & terra, Sol & Luna, cæteráque omnia fabricata sunt, ac postremùm homo, cui eorum imperium mandandum fuerat: Sic in plasmatione hominis priùs formatur corpus, tum anima, quæ honorabilior est.* Id confirmat optima similitudine. *Nam vt expertia rationis*, inquit, *quæ ad vtilitatem & obsequium parabantur, ante hominem extitere, vt parata ministeria haberet*, & cætera. *Ita corpus ante animam fabricatum est, vt cùm anima induceretur, propria officia posset motu corporis exequi.* Quæ manifestè docent, Deo, vt connaturali modo res conderet, prius præparandum fuisse corpus, quod futurum erat subiectum animi, quàm animus producendus. Eodémque prorsus modo locutus est ibidem Gregorius Nazianzenus. Vbi postremo loco formandum esse hominem docuit: *quia ei tāquam regi oportuit*, inquit, *priùs regiam aulam subsistere, ac deinde regem induci, omnium iam quasi satellitio stipatum, ac munitum.* Ergo multò id magis de Angelis dicendum foret, qui hominis animo nobiliores sunt. Verè enim ac sapienter Aristoteles libro 2. cœli cont. 50. naturæ docet semper maiorem incumbere curam rei melioris, quàm deterioris. Vnde ait absurdum planè esse, astris si à se mouerentur, non constituta à natura fuisse organa ad motum. Si quidem quæ curam animalium habuit, astra *quæ tam pretiosa sunt*, despicere non debuit. Ergo multo magis Deus curam habuit rei nobilioris, & Angelorum si cæterorum habuit. Non sunt ergo Angeli corporum formæ; idque suâ naturâ.

Chrysost.
Baronius.
Nazianzen.
Aristoteles.

Angelos ob peccata factos esse actum corporis, fabula atque impietas est, & multa Patrum dicta aduersus Origenis errorem referuntur.

§. 7.

S. Leo. Origenes.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, rectè dici impietatis fabulas à S. Leone, vt modò vidimus, Origenis aliorúmque sententias; nempe Angelos esse eiusdem naturæ cum hominis animo, eósque ob crimina migrare in corpora, rursúsque è corporibus redire in naturam suam. Ac primùm quidem probo esse fabulam, deinde veniam ad impietatem. Est autem fabula, vt etiam eam vocat S. Hieronymus ep. 61. ad Pammachium, vt dicam paulò inferius. Nemo enim sanæ mentis commentitium, confictúmque non arbitrabitur; dum audit, Angelos migrare in corpora ob patratā crimina. Primò quia Angelus non est suâ naturâ corporis forma, vt ostensum est. Ergo si vnitur corpori non potest vniri vt forma, quā verè fiat vnum. Si quidem si Angelus non est corporis actus suâ naturâ: Ergo illi non conuenit esse principium, quo primo viuimus, & cætera. vt actum corporis organici definiuit Aristoteles libro secundo de Anima cont. vigesimoquarto. Quamobrem, quantumuis Deus corpori Angelum iungeret; non daret tamen Angelus illi corpori vitam: neque constitueretur homo, qui est vna natura integra. Angelus enim & corpus duæ essent naturæ integræ, ac proindè vnam non facerent; & Angelus qui essentialiter est nobilioris naturæ, quàm homo, quocunque homine præstantior semper sit necesse est. Immò etsi demus posse ex Angelo fieri vnam compositam naturam cum aliquo corpore; non tamen ex Angelo fieret vna composita natura cum hominis corpore. Ratio huius rei est apertissima. Etenim anima, quæ facit vnum compositum cum corpore hominis, debet habere facultates sentientes, quibus in animum se insinuent externa obiecta, vt per oculum visibilia obiecta videantur; per nares olfactentur odores, & cætera. Vt re ipsa vnusquisque in se experitur, cùm videt, audit, gustat & cætera. At Angelus qui suâ naturâ non est corporis forma, vt ostensum est, non habet huiusmodi facultates, quæ sunt eius animi, qui naturâ suâ corporis est forma, vt probatum est, & patet ex eius definitione.

Hieronym.
Aristoteles.

Neque est quod dicas, tunc infundi à Deo has vires, vt Angelus in pœnam sui sceleris corpus inhabitet. Hoc namque magis fabulosum est. Nulla enim forma, quæ suâ naturâ non sit anima sentiens; potest habere vires ad sentiendum. Quantumuis enim poneret Deus in forma lapidis vim videndi, eamque formam sic affectam poneret in hominis corpore, non videret illa lapidis forma; & sic de cæteris. Quorum ratio generalis est, quia nullus vitæ actus elici potest, qui ab ipsa vita substantiali non emanet, & non recipiatur in suo vitali ac substantiali principio; Vt infrà copiosiùs demonstrabitur. Adde, illam potentiam non fore in suo connaturali subiecto, nempe in ipsa vita quæ est anima. Ergo nec constitueretur corpus naturale viuens. Quod per ipsam animam habere debet suas connaturales facultates, non autem quæ præter naturam, & multò minùs portentosas. *Oportet enim*, inquit Philosophorum magister libro secundo de cœlo contextu centesimo octauo, *vnumquodque tale dicere esse, quale quod naturâ solet esse, & quod est, sed non quod vi & præter naturam.* Itaque nihil ei quod naturale & secundùm naturam, asseri debet, adscribendum est quod illi sit præter naturam:

naturam; Vnde homini illi eſſent illæ facultates naturales, quia ſemper ineſſent ex hypotheſi, & præter naturam, quia eius naturæ nõ deberentur.

Hieronym. Hinc etiam optimè S. Hieronymus epiſt. 27. ad Euſtochium longè poſt medium negat de corporibus naturalibus quicquam eſſe affirmandũ aut negandum, quod ad illud ipſum naturalem aptitudinem non habeant: *In reſurrectione mortuorum*, inquit, *non nubent neque nubentur, ſed erunt ſimiles Angelorum. Vbi dicitur non nubent neque nubentur, ſexuum diuerſitas demonſtratur. Nemo enim de lapide aut ligno dicet, Non nubent, neque nubentur, quæ naturam nubendi non habent, ſed de iis quæ poſſunt nubere*, &c. Quin etiam ſi homo eſt, quòd per animam eſſentialiter conſtatur; vt oſtendimus; quia debet componi eius eſſentia ex animo, qui naturâ ſuâ ſit eius corporis actus; impoſſibile omninò eſt etiam per abſolutam Dei potentiam, per alium actum, qui non ſit ille ipſe animus, hominem conſtitui: Sicut nec album per aliam formam eſſe poteſt album, quæ albedo ipſa non ſit. Secūdò quia Paulus ad Romanos cap.

Rom. 5. 5. per vnum ait hominem peccatum introiſſe in hunc mundum, nempe in homines. At hoc eſſet falſum, ſi quælibet anima ob priora ſcelera ſuo corpori copularetur, cum prius eſſet peccato inquinata, quã homo naſceretur ex Adami ſemine, per cuius propagationem omnes nos filios iræ naſci conſtat.

Sed antequam ad impietatem huius erroris veniam, vt commentitiam eſſe fabulam, ac prorſus ridiculam, in qua nec verè, nec veriſimiliter res contineantur, apertiùs exponamus in mediũ.

Cicero. (cuiuſmodi fabellas ridere ſolet Cicero libro 3. de finibus, cùm narrabatur exectum à filio cœlum; vinctum itidem à filio Saturnum &c.) proponam aliquot ex vigintitribus argumentis,

Cyrill. Alex. quæ miro ingenio excogitauit S. Cyrillus Alexandrinus ad hos ipſos errores, de quibus nunc agitur, redarguendos, lib. 1. in Io. cap. 9. Ea autem ſolùm breuitatis cauſa curſim indicabo. Primò igitur, ſi Angeli ob crimina relegantur in corpora, in iiſque obliterantur rerum ſpecies ac notitiæ. *Quomodo venientes in hunc Mundum illuminari dicuntur? Illuminatio enim maiorem afferre Gratiam videtur; & honoris certè, non ſupplicij eſt. Non punitur autem qui honoratur, nec cruciatibus vexatur, qui lumine diuino participat.* Quare certum eſt, non puniri cõnexu corporis animum, qui ipſo corpore magna bona adipiſcitur.

Deinde ſi Angelus ante corporis formationem fuit: ergo ante corpus mens fuit, atque integer puruſque intellectus. At ſi dum in corpus deſcendit, illuminatur; neceſſe eſt, antequam veniat, lumine careat; *Quomodo ergo intellectus integer ac purus erit, ſi tunc tandem illuminari cœpit quando in hunc mundum, atque in carnis molem deſcendit.*

Prætereа ſi in corpus Angelum detrudit Deus ob prius commiſſa crimina, vt rerum experientia cupiditatis ſuæ turpitudinem diſcat, redeatque deinde in priſtinum ſtatum per pœnitentiam, certè hic modus non fuit dignus Deo ad morborum curationem. Liberandus enim potiùs à prauis cogitationibus videbatur, quàm in profundum turpiſſimorum motuum immergendus. Si enim cùm peccati fomite caruit, à peccato non fuit immunis; ille ipſe Angelus incenſione carnis, impulſione dæmonum, exemplorum inſtigatione, domeſticorum ſuaſu &c. à peccando deſiſtet?

Mirum autem eſt, quàm hunc errorem proculcet Cyrillus iis argumentis, quæ ex peccatorum ſeu condonatione, ſeu vindicatione deprompſit: Cyrillus. Nam eſto ſcelera fuerint cauſa, cur Angelus ſiue animus in corpore includatur: Quæro quonam pacto per baptiſma, cæteráque ſacramenta conſequatur animus remiſſionem peccatorum, ſi nonniſi per peccatum in corpore incluſus detineatur? *Non modo enim*, inquit, *fideles illicò è corpore non euolant; Verùm etiam* poſt mortẽ *immortaliter ſe victuros cum corporibus credunt.*

Addit etiam in veteri lege Leuit. 20. cautum Leuit. 20. eſſe, vt ij qui leuiùs peccarunt, viuere permittantur; qui grauiùs, morte plectantur; innocentes alliciantur præmiis, vt diutiùs viuant. Iam ſi, vt pœnas luat, animus corpori iungitur, expediuiſſet, *ſceleſtos ad viuendum potius inuitari, innocentes verò contrà, citiùs ab hoc corpore, hoc eſt à ſupplicio liberari.*

Accedit quòd Deus cùm beatum Abraham benediceret, quaſi ſtellas cœli innumerabiles ſuos fore pollicetur. Similiter & Moyſes cùm multitudinem Iudæorum vidiſſet, admirans *Ecce* inquit Deuter. 1. *multitudine ſtellæ cœli hodie eſtis*; Deuter. 1. adiicitque orans, Dominus Deus patrum noſtrorum addat ad hunc numerum multa millia. Quæ potiùs deteſtanda, non optanda, nec à Deo promittenda fuiſſent; ſi vltio criminum ſit, in corpore degere &c. Sic etiam Anna 1. Reg. 1. peccaſ- 1. Reg. 1. ſet, cùm à Deo filium poſtulauit. Nec non Ezechias 4. Reg. 10. cum vitam ſibi prorogari petiit. 4. Reg. 10. Iniurioſè Deus Hieremiam è lacu eduxit. Hierem. 39. Nec beneficè Danielem in lacu leonum Hierem. 39. cuſtodiuit. Nec piè tres pueros ab incendiis in vitam reſeruauit. Nec iniuriarum vltor aquis diluuij perdidit omnem carnem. Plura alia legi apud ipſum poſſunt, quæ nec minoris elegantiæ ſunt; nec minùs efficaciter feriunt aduerſarios.

Denique concludo poſtremum huius fabulæ Hieronym. actum pulcherrimo Hieronymi viri ſanctiſſimi, eiuſdemque doctiſſimi argumento in epiſtola vigeſimaſeptima ad Euſtochium, vbi docet cùm dicitur Matt. 22. & Lucæ 20. nos in reſurrectio- Matt. 22. ne futuros inſtar Angelorum *ſed erunt ſimiles An-* Luc. 20. *gelorum*, &c. *Non ſubſtantiam Angelorum, ſed beatitudinem & conuerſationem nobis Deum promittere. Quando enim dicitur, eritis ſimiles Angelorum, ſimilitudo promittitur, non natura mutatur*, &c. Quem etiam arguendi modum vſurpauit libro 2. aduerſus Iouinianum longè poſt medium. Cùm enim Scriptura docet; nos futuros vnum quid cum Deo, ſicut Pater vnum eſt cum Filio; id intelligi oportere ait ſecundùm gratiam, non ſecundùm naturam; vt ſimus vnum cum Deo tanquam Filij cariſſimi; Quemadmodum cùm dicitur, Dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. *Vides ergo*, inquit, *quod nos in conſortium ſubſtantiæ eius aſſumimur, non naturæ eſſe, ſed Gratiæ*, &c. His ergo ſatis conſtat, has eſſe commentitias atque aniles fabulas, nec dignas quæ veriſimilitudinem vllam habere à ſapientibus iudicentur. Quare hoc ipſo nomine ſæpè aplantur à Patribus in epiſtola Imperatoris Iuſtiniani paulò pòſt citanda.

Venio nũc ad impietatem; quàm notã meritò Leonem Pontificem diximus his fabulis inuſſiſſe. Eum autem errorem ita Hieronymus auerſa- Hieronym. tur, vt grauibus eum à ſe verbis abigat epiſtola 61. ad Pammachiũ ante mediũ. *Animas verò hominũ*, inquit, *ex Angelorum ruina, aut ex conuerſione fieri, neque credidimus aliquando, neque docuimus. Abſit enim*

Ioan. Hierosolym.

enim. Et alienum hoc esse à prædicatione Ecclesiastica confitemur. Hanc autem impietatem vt auertat magis, paulò post Ioannem Hierosolymitanum errores Origenis profitentẽ sic arguit ex creatione animi, quem in Adam Deus ab ipso mundi exordio inspirauit. *Quando*, inquit, *plasmauit Deus hominem ex limo, & per gratiam propriæ insufflationis ei animam tribuit. Vtrum illa anima fuerit ante & subsisteris, & vbi versata sit, quæ Dei postea insufflatione donata est; an in sexto die quando corpus ex limo formatum est, & esse & viuere Dei potestate suscceperit? De hoc taces, & quid quæratur scire dissimulans in superfluis quæstionibus occuparis.* Et non multò post hoc dogma ait, ex officinis Platonicis extitisse. Quod olim ipse in Platone risit. *Pertrahuntur in medium vestra mysteria, & de gentilium fabulis dogma contextum Christianis auribus publicatur. Hoc quod vos miramini olim in Platone contempsimus. Contempsimus autem, quia Christi stultitiam recepimus.* Vbi obserua, tale dogma veritati, ac pietati Christianæ aduersari. Nec his satis contentus alio Hieronymus respuit eam impietatem argumento; Nimirum ex mortuorum reditu ad vitam. Ex ea enim doctrina sequitur manifestè quod impiissimum est; nempe resurrectionem esse contra naturam, ac proinde non esse confitendam. *Si fuit anima*, inquit, ante Adam, certè *vixit & egit aliquid*, alioqui ad modum glirium torpuisset, *necesse est vt aliqua causa præcesserit, cur quæ prius sine corpore fuit postea circumdata sit corpore. Et si animæ est naturale esse sine corpore; ergo contra naturam est esse cum corpore; ergo resurrectio corporis contra naturam erit*, &c. Hæc in hanc impietatẽ Hieronymus, quibus arbitratus est Ioannem illum vehementer vrgeri; ideoque conqueritur, cur ille taceat, obiectísque nihil respondeat.

Hieronym.

Concil. Bracarense I.

Extat etiam ante mille annos aduersus hunc impiissimum errorem definitio Concilij Bracarensis primi in tom. 2. Concil. quod etsi prouinciale fuit, tamen ex præscripto sedis Apostolicæ damnata est hæresis Priscillianistarum aliorúmque hæreticorum errores, vt obseruat Cardinalis Baronius ad annum Domini 563. num. 14. & 15. In hoc itaque Concilio can. 6. aduersus hos hæreticos constitutum infallibili decreto est. *Si quis animas humanas dicit priùs in cœlesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpora humana in terram deiectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* Vbi vides renouatam Ecclesiæ Catholicæ accuratam diligentiam in huiusmodi erroribus detestandis. Siquidem priùs tempore Hieronymi & Leonis Papæ; immò aliorum etiam ante tempora Hieronymi, Patres omnes in has confutandas insanias exarserunt. Leges apud Cardinalem Baronium ad annum Domini 538. longissimam epistolam Iustiniani Imperatoris ad Menam Constantinopolitanum Patriarcham *aduersus impium Origenem, nefariásque eius sententias.* Sic enim titulus habet. Potissimus autem error, qui ibi ex S. Athanasio, Nazianzeno, Petro Alexandrino, Basilio, Theophilo item Alexandrino, Nysseno & aliis damnatur, est assertio animorum ante corpora. In qua conscribenda epistola memineris lector, vt maiorem ei adhibeas fidem, nihil laborasse Imperatorem, qui eodem Baronio teste ibidem ante eius epistolæ initium legere nesciuit; sed Menę Apostolicę sedis Vicario atque Pelagij, id ipsum Apostolica auctoritate tractantium opus integrum fuisse. Quam epistolam Imperatoris nomine, vt ne illi ab aduersariis

Baronius.

Athanasius. Nazianzen. Petr. Alexan. Basilius. Theophil. Alexandr. Nyssenus.

A contradiceretur, Catholici edẽdam ac promulgandam rectè sapientérque curarunt.

Denique consideranti mihi, cur tãtopere grauissimis Patribus, atque adeò vniuersæ Ecclesiæ curæ fuerit, vt hic Origenis error radicitus ex hominum pectore euelleretur, venire in mentem illud solet. Quod cùm animaduerterent sapientissimi viri, si hisce similibúsque sententiis tempestiuè non occurreretur, fore vt in fideliũ mentibus altiùs omnium impietatũ criminũmque radices infigerentur, omnem adhibuere machinam ad huiusmodi falsitates quàm citissimè demoliendas. Quis enim non libẽtibus auribus combibat, quæ ad eius excellentiam in primis spectare arbitretur, si qui *amant, ipsi sibi somnia fin-* B *gunt?* Vndecunque enim nobis blandimur, qui quidpiam impensè cupimus. At quæ excellentia maior inter creaturas excogitari potest, quæ vltra Angelicam nobilitatem sit? Quod argumentum persequitur S. Aug. li. 9. de Ciu. Dei c. 11. vt pòst dicam. Hoc ergo errore in hominum animis inducto nihil tam firmum aio inter nostræ fidei fundamenta reperiri, quod iis cogitationibus veluti machinis non labefactetur. Primum quidem quæ ad hominis creationem in sacris literis tam exquisitis verbis commemorantur, illicò falsa videbuntur. Nam vt ait Imperator Iustinianus epist. cit. Cùm dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; se- C quitur, solum corpus ad imaginem, ac similitudinem Dei factum esse; siquidem præexistebat animus, atque in corpus veluti in vas immissus est. *Quomodo autem*, inquit, *corpus imago incorporei esse possit?* Item cùm Scriptura narrat Adæ Euæq; Deum benedixisse, id omnibus incredibile prorsus erit, cùm animæ peccatis contaminatæ maledictione potius quàm benedictione dignæ sint. Quæro etiam, cur solum Adam Deus à principio plasmauerit? An solius Adæ anima peccauerat? Vt propterea Deo vnum solũmodo corpus, veluti vnius rei carcer fabricandum fuerit. Cur sceleris reus Angelus supplicij causa in Paradisum deliciarum in omnium animarũ imperium translatus est, vnde ipsum Adam vel vnicũ cri- D men eiecit? & similiter aio de cæteris, quæ ad creationem respiciunt.

S. August.

Imperator Iustinianus

Deinde aio sequi diuinam prouidentiam, qua omnia sapienter à Deo reguntur, penitus è medio tolli. Nam si ob pœnam criminum Angeli corporibus illigantur vt resipiscant, fatuè hoc remedium excogitauit Deus, siquidem horum corporum ea cõditio est, vt is locus plus ad peccandum incitet, quàm refrænet; Atque ita deterioris cõditionis Deum faciunt quàm homines; qui vt improbi ne peccent, vincula, carceres, compedes ad peccata cohibenda statuerunt, non publica lupanaria. Insipientis etiam fuisset, E quem in carcerem damnes, eiusdem imperio subdere carcerem, & quæcunque in mũdo sunt: *Dominari piscibus maris*, &c. Ideò enim S. Gregorius Nazianzenus in epist. cit. omnium postremum hominem à Deo esse conditum dixit, eo quòd vt paulò ante dicebam, illi priùs regia præparanda erat, tum in eam regem induci, omnium iam quasi satellitio stipatum ac munitũ. *Quod sanè pœna non est*, inquit, *sed singularis prouidentiæ ac beneficij significatio.* Nec minor insipiencia fuisset, quem pœna afficias atque ignominia, hoc ipso eum præ cæteris honorare. Cætera namque Deus verbo ac voluntatis suæ significatione

Nazianzen.

catione extare voluit: Vbi verò ad fabricandum hominem ventum est, suis ipse manibus, diuinique afflatu numinis terram ornauit, hominémque composuit, vt ibidem Patres considerarunt.

Quid hîc ego de quatuor homini nouissimis dicam? Num mors erit pœna peccati? Quod docet Apostolus ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Quandoquidem liberari è carcere, à vinculisque solui summi beneficij loco reponendum est. Præterea, Num supplicio mortis ob peccatum primus humani generis parens afficiendus erat? Nónne oportuisset probos ac iustos viros mortem oppetere, vt vinculis, & supplicio liberi essent; Contrà verò, viuere scelestos ac nefarios, vt dignas luerent pœnas? Quorsum iudicij magni diem reformidaremus, si vera non sunt, quæ omnibus comminatur Apostolus 2. Cor. 5. *Oportet omnes nos manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit?* Nam vt ait S. Cyrillus apud Iustinianum Imperatorem loco citato. *Cur propter sola propria corporis manifestari nos oportet, nec potius propter ea, quæ ante corpus, si animam antè fuisse noras, & ante peccasse? si verò ob ea sola peccata quæ in corpore designauimus, adducimur ad iudicium, non vtique habemus corpore antiquius peccatum.* Quid iuuat toties spé nostrã, resurrectionis recordatione recalescere, si corpora ad supplicium induimus? Quid denique aut inferorum perpetuas pœnas obiiciet peccantibus Christus, aut bene merentibus gloriam æternam proponat, si dæmonum pœnæ finem sunt aliquando habituræ, nec ipsius gloriæ secura sit possessio? Hæc & alia plura argumenta subindicarunt Patres in epistola iam citata, quæ eo loco legenda sunt. Multa quoque habet Epiphanius epistolà citata inter epistolas S. Hieronymi 60.

Ex quibus omnibus concluditur hunc Origenis errorem esse omnium impietatum seminarium, funditúsq; aut omnia aut præcipua diuinæ fidei decreta conuellere, nec solùm reddere, vt ait epist. cit. S. Nazianzenus, *ignauos homines in Dei præceptis exequendis, eósque auertere ab angusta & arcta via, inque lata ac spatiosæ errorem inducere*: verùm etiam omnem vitiorum voraginem aperire. Sic enim in simili Platonicorum sententia optimè S. Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 11. docuit. *In ea opinione quantam voraginem aperiant sectandis perditis moribus quis non videat si paululum attendat*, &c.

Idem ferè inconueniens ex Epiphanio suprà significauimus. Sed nō pigeat hic ascribere Hieronymi in hunc impium errorem graues censuras, tum vt eum damnaret quantum posset, tum vt ab hoc crimine quàm maximè se purgaret contra Ruffinum & alios.

Primò quidem epist. 8. ad Demetriadem eam hortatur, ne callidis hæreticorum de humano animo doctrinis decipiatur, credens *animas fuisse in cœlestibus, & propter quædam antiqua peccata damnatas, & in corporibus humanis vt ita dicam sepultas*, &c. & subdit. *Hæc impia & scelerata doctrina olim in Ægypto & Orientis partibus versabatur, illarúmque partium polluit puritatem, & quasi hæreditario malo serpit in paucis, vt perueniat ad plurimos*, &c. Epist. 27. ad Eustochium, appellat *veteratorem callidum* eum qui Paulæ Eustochij parenti, cœperat huiusmodi de hominis animo proponere quæstiones, sibíque illico curam incumbere iudicauit, *nequissimæ viperæ ac mortiferæ bestiæ resistendi*, &c. In priore Apologia aduersus Ruffinum post epistolam 66. longe post medium cùm se ab ista hæresi purgasset, fatetur Ruffino, malè se appellasse Origenem diligentem lectorem. *Fateor enim*, inquit, *non debui dicere, sed Blasphemum.* Postea addit *duas esse hæreses* in hac ipsa materia de animo. *Vna dicit*, inquit, *omnes rationabiles creaturas in Angelos transformari. Altera asserit vnumquodque in restitutione mundi, id fore quod conditum est, verbi gratia quia ex Angelis Dæmones sint, rursus Dæmones Angelos fieri, & animas hominum*, &c. In epist. 150. ad Hebidiam q. 10. initio cùm Origenis de animo opinionem retulisset, ei opponit Ecclesiæ sensum his verbis. *Nobis autè nihil placet nisi quod Ecclesiasticum est, & publicè in Ecclesia dicere non timemus, ne iuxtà Pythagoram & Platonem & discipulos eorum, qui sub nomine Christiano introducunt dogma gentilium*, &c. In Apologia secunda etiam aduersus Ruffinum circa medium, vt se maximè detestari probet hoc Origenis peruersissimum dogma ait. *Probo ego inter multa Origenis mala, hæc maximè hæretica, Dei filium creaturam, Spiritum sanctum ministrum, mundos innumerabiles, æternis sibi seculis succedentes, Angelos versos in animas hominum, animam Saluatoris fuisse antequam nasceretur.* Et persequitur alios multos errores enumerare, vt etiã præstitit in epist. 59. ad Auitum. Ex quibus constat quantopere Hieron. exagitauerit profligaueritque has Origenis blasphemias de hominis animo, quantaque cura earum suspicionem à se abigere studuerit.

Vnde non decuit Ruffinum has Hieronymi gloriæ caligines offundere, nec amicitiæ nitorem in tanta dissidia maculare. Quod enim ille obiectabat ex illo loco ad Ephes. 1. *Elegit nos ante mundi constitutionem*, nempe Hieronymum nō refutasse Origenem cùm eius errorem ipse retulerit ibid. facilè refellitur ab ipso Hieronymo in priore Apologia aduersus Ruffinum citata. *Certè in expositione ista nullum crimen est*, inquit, *& Origene dicente contraria, nos Ecclesiasticum sensum secuti sumus*, &c. Quamobrem obiter obserua lector Hieronymum non propria sed aliena recitasse tum alibi, tum præsertim in caput 3. Ecclesiastis, vbi animas fuisse ante corpora memorauit. Expresse enim habet sic. *Alij verò hunc locum intelligunt, meliores esse dicentes qui mortui sunt*, &c. *Animas enim nostras antequam ad corpora ista descendant, versari apud superos, & tamdiu beatas esse, quamdiu cœlesti Hierusalem & choro perfruuntur Angelico.* Patet enim hæc ex aliorum sententia commemorari vel ex eo, quòd illa duo verba infiniti temporis, *versari, esse*, aliunde regi non possunt, nisi ex illo participio *dicentes*. Nec mirum si hæc inserantur etiam in piis commentariis, quia vt ait Hieron. epist. illa 61. Munus commentatoris est, vt aliorum quoque, non solùm suas expositiones intexat. Sed nunc satis constet hunc Origenis errorem maximum censeri.

Discrimen inter Angeli, animique operationes ex Dionysio. §. 8.

Colligitur secundò rectissimè à S. Dionysio cap. 7. de diuinis nomin. assignatas esse Angelo

gelo, hominisque animo diuersas operationes; A Ita scilicet vt *intellectuales Angelicarum mentium virtutes simplices ac bonos habeant intellectus, non à sensibilibus &c. aut à rationibus diffusis congregantes diuinam cognitionem* &c. Eo quòd nec emendicent species à rebus, nec ratiocinatione, aut progressione vtantur; sed simplici contuitu in veritatem tendant, cùm quidpiam cognoscunt. Contra verò intelligentes animi non statim ipsam veritatem apprehendant; sed è signis, accidentibusque, quæ rerum substantias circumplectuntur, se in veritatem varia progressione insinuant. Id enim significat illis eiusdem Dionysij de humano intellectu verbis; Nimirum sed *diffusiue & circulo circa existentium*; nempè *substantiarum veritatem* B *circumeuntes ab vnicius mentibus* multiplici varietate deficiunt. Rectissimè inquam hæc dici aio ab ipso Dionysio. S.Dionys. Nam quandocunque naturæ intelligentes se habent ita, vt vna sit forma corpori, alia penitus à corpore sit abiuncta, necesse est illam congregare species ab obiectis sensibilibus, atque à principiis ad conclusiones progredi: Hanc verò rerum simulachra simul habere, simplicique mentis aggressu res obiectas contueri. Sed vt suprà ostendimus, Angeli & hominis animi naturæ intelligentes ita se habent, vt humani animi sint corporis formæ; Angeli verò sint à corpore penitus abiuncti, quia suâ naturâ non egent corpore. Ergo necesse est, animos à sensibilibus congregare species, ac ratiocinatione ad conclusiones progredi per principia; Angelos verò habere simul rerum simulachra, simplicique aggressu res obiectas intueri.

Argumenti Maior probatur; & primò quoad priorem partem: Quia natura intelligens, quæ est forma corporis, eget adiutore corpore ad suas cognitiones. Nisi enim corpori vniantur ad vnum vtrique communem finem; nempè operationem, frustra vnirentur, vt expressè atque ingeniosè docet A.Doctor infrà q.55.a.2.c. A.Doctor. Ratio est manifesta ex Aristotele: Nam animus intelligens non vnitur corpori nisi vt instrumento ad operandum; Quod apertè docet Aristoteles Aristoteles. libro 1. de Anima cont. 53. & idcircò definitur animus *Actus corporis organici* libro 2. de Anima cont. 6. & 7. Ergo debet vniri ad finem, qui sit operatio. Hinc est vt pro varietate finis & operationis, variè etiam debeat subiectum animæ corpus esse dispositũ, vt ei fini subseruire queat; Vt probat A.Doctor A.Doctor. infrà q. 76.a. 5. præsertim ad 3. Quia scilicet instrumentum ad operandum aptè compositum sit oportet ad suum finem. Quam ob causam veteres Philosophi meritò ab Aristotele Aristoteles. reprehenduntur eodem cont. 53. quòd toti fuerint in animorum explicanda natura; *de susceptiuo autem corpore nihil amplius determinent, tan-* E *quam possibile sit secundum Pythagoricas fabulas, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi.* Itaque vnitur animus corpori, vt vnà cum illo suas functiones obeat. Vnde sequitur, vt animus non habeat species innatas eorum, quæ per corpus, ac proinde per sensus, qui ex corporeo organo cõstant, apprehendit. Hoc enim pacto corpus instrumentum est animæ; Quia nimirum suggerente species corpore determinatur animus ad sentiendum hoc vel illud obiectum, quod per species in animam agit. Quod etiam rectè obseruat A.Doctor A.Doctor. infrà q.101.a.1.c. ex quo infert in statu innocentiæ non futuros fuisse pueros scientia perfectos in pueritia, cùm debeant perfici tempore successione per sensus. *Est autem* inquit *naturale homini, vt scientiam per sensus acquirat; & ideo anima vnitur corpori, quia indiget ad suam operationem. Quod non esset, si statim à principio scientiam haberet non acquisitam per sensitiuas virtutes. Et ideò dicendum est quòd pueri non nascerentur perfecti in scientia.*

Ex hoc autem vlteriùs fit, vt per discursus ex vna in aliam veritatem animus ipse perueniat. Neque enim omnia immediatè per sensus nouit, sed quædam immediatè per sensus, vt cuncta sensilia; quædam verò ex signis notioribus ad ea quæ abdita sunt, quadam inquisitione peruadit. Ob hanc enim causam *innata est nobis via, vt à notioribus & manifestioribus nobis ad manifestiora naturæ & notiora* progrediamur auctore Aristotele Aristoteles. libro 1. Physic. cont. 2. Quocirca & animus hominis, *rationalis* dicitur à Dionysio S.Dionys. cap. 7. de diu. Nomin. cit. Quod ab A. Doctore A.Doctor. comprobatur infrà q. 58.a.3. & q.79.a.8. & alibi; Quia nimirum ratiocinatione vtitur, vt ad veritates abditas sibique ignotas deueniat. Quare constat, illam animam quæ corporis est actus, nec habere simulachra rerum obiectarum simul, nec simplici impulsu semper in ipsas res obiectas tendere.

Nunc verò probatur eadem maior quoad alteram partem. Etenim forma illa seu substantia, C quæ penitus ab omni materia seiungitur, nullo adiutore indiget corpore ad suas functiones, & idcircò non est expectandum, vt temporum successione ab obiectis perficiantur, absoluanturq; earum substantiarum intellectus: qui à rebus materialibus pati non possunt, vt ostendit A.Doctor A.Doctor. infrà q. 84.a.6. & nos infrà q.54.a.4. demonstraturi sumus. Debuerunt ergo ipsi intellectus ab initio creationis ab auctore naturæ suis rerum imaginibus cumulari, vt dicemus infrà q. 58.a.3. Ergo ex rebus sensibilibus non congregant simulachra formæ penitus immateriales, ac per se auulsæ à corpore. Hinc fit vt nec ipsæ D ratiocinantes sint; quia scilicet si habent omnium suorum obiectorum species, non est illis notius vnum ex obiectis quàm aliud; sed omnia æquè illis applicata cùm sint, æquè etiam in omnia ferri potest intellectus, vt ostendit etiam A.Doctor A.Doctor. eadem q.58.a.3. vt ibi ex instituto defendetur. Verum ergo est illam substantiam penitus immaterialem nec cõgregare species, nec ratiocinari. Vnde tales substantiæ eodem art. ab ipso Dionysio S.Dionys. & A. Doctore A.Doctor. rectè appellantur *simplices mentes*, vt opponuntur *rationalibus*; quod repetitur q. illa 79.a.8.

Ex his quoq; vlterius deducitur improbè philosophatum esse Origenem Origenes. vbi suprà in primo dicendi modo, cùm putauit animas ante corpus creatas ob scelera detrudi in corpus: Nam si fuissent ante corpus, ergo aliquid nouissent: quia aliquid ante corpus debuissent intelligere. Non enim Angeli & naturæ spiritales absque sua operatione sunt, vt paulò antè indicaui ex S. Hieronymo. Hieronym. *Oportet enim*, inquiunt Patres illi apud Iustinianum Imperatorem epist. cit. *eas, si ante erant, scire quo loco essent: aut quomodo huc aduenissent.* Præsertim quia non peccassent nisi malè volendo, ac proinde non sine aliqua cognitione. At ante corpus nihil intellexerunt. Experimur enim, nos nihil vnquam recordari eorum, quæ ipse Origenes fingit animos ante corpora appetiuisse. Recordaremur autem, si quid ab ipsis gestum esset. *Quemadmodum*, inquiunt ibidem Patres

tres, *post obitum sciunt & norunt, quæ ante obitum egere*, &c. *Dicit enim Dominus noster in Euangelio*, &c. diuitem illum in inferno rogasse Abraham vt mitteret Lazarum *in domum patris mei. Quinque enim fratres habeo, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*, & concludit. *Si animæ ante corpora fuissent, cognoscerent ea, quæ ante corpus fecissent, quemadmodum post emigrationem è vita reminiscuntur ea, quæ in corpore gesserunt.* Aduersus hunc etiam errorem efficaciter disputat S. Augustinus libro 12. de ciuit. Dei cap. 20. Atque hæc de probatione Theologica. Nunc philosophicè iterum est perinde probanda propositio, ac si nihil hactenus dictum sit.

S. August.

Eadem propositio ostenditur demonstratione philosophica. §. 9.

SEcunda & philosophica propositio, Angelus & hominis animus naturâ specificâ differũt. Hæc propositio est omnium eorumdem auctorum, quos in prima propositione citauimus, & aliorum philosophorum, qui deinceps nominabuntur; præsertim Aristotelis, vt patebit in vltimo *Colligitur*. Primò probari posset ratione A. Doctoris qua vtitur q. 75. a. 7. in hac ipsa materia, quam sic format Caietanus ibi. Substantiæ incorporeæ aut ponuntur formæ subsistentes, aut compositæ ex materia & forma; Sed vtrouis modo non possunt duæ esse eiusdem speciei. Maiorem ait non esse dubiam. Minorem probat: Quia dato quòd sint formæ subsistentes, adhuc sequitur esse diuersas specie. *Non enim* inquit ibi A. Doctor, *potest intelligi quod aliqua forma separata sit, nisi vna vnius speciei, sicut si esset albedo separata, non posset esse nisi vna tantùm.* Idem sequitur, si detur compositio in illis ex materia & forma. Cùm enim diuersæ sint aliquo modo, aut ista diuersitas nascitur ex forma, aut ex materia. Si ex forma; ergo sunt diuersæ speciei ob rationem dictam. Si ex materia; ergo ex quantitate, quæ in incorporeis esse non potest. Verùm hæc ratio penè innumerabilibus oppugnatur argumentis à Scoto & aliis. Sed de ea dicam Difficul. 3. quantum ad id quod ait, formas subsistentes oportere esse diuersæ speciei. Quantum verò attinet ad aliam partem; nempe quid sequatur, si essent compositæ ex materia & forma, disputabitur à nobis Quæsito seq.

A. Doctor. Caietanus.

A. Doctor.

Scotus.

Secundò probari potest ex ratione quæ placuit S. Bonauenturæ vbi supra q. 1. in c. Quia cõstat hominem & Angelum non solùm specie, sed etiam genere differre. Ergo & perfectio seu forma, quæ dat speciem homini, ab Angelo differt: Hæc autem est anima. Ergo anima specie differt ab Angelo: Cæterùm hæc ratio nonnihil maioris firmitatis exigit, vt labefactet Platonicorum placita; Nam primò respondere possunt, Animam non esse hominis formam; sed ipsam esse hominem, vt ipsi sæpè dicunt; corpus autem esse hominis vehiculum & carcerem, in quod anima detruditur ob peccata. Quare in ipsos nunc probandum esset, rem non ita se habere. Deinde adhuc conficiendum superest, cur necesse sit, formas compositorum differre specie, si composita ipsa distinguantur specie. Dicerent enim formam, quæ sit ens completum, posse cum corpore constituere totum. Quod totum

S. Bonau.

A differt specie ab ipso Angelo, eo quod aliam habet essentialem definitionem. Sicuti de facto homo essentiali definitione differt ab eius animo. Hic enim essentialiter est actus corporis organici; Homo verò nõ est actus corporis, sed ipsum corpus est ex animo conflatum. Eodem modo labefactari posset ab aduersariis ratio Gabrielis in ea q. 6. in Prima Concl. qui arbitratus est se ostendere, ex eo quòd animus potest perficere corpus; Angelus non item; eos esse diuersæ speciei. Negarent enim vtramque partem aduersarij, vt iam de argumento S. Bonauenturæ dicebam. Sed cæteris omissis

Gregorius.

Meliùs & à priori probatur nostra propositio sumpto eodem argumento, quod posuimus antea in nostra Theologica probatione: Quia scilicet; Illa substantia, quæ naturâ suâ est actus corporis organici, differt specie ab illa substantia, quæ suâ naturâ non est actus corporis organici. Sed animus hominis est substantia, quæ naturâ suâ est actus corporis organici; & Angelus est substantia, quæ naturâ suâ non est actus corporis organici. Ergo hominis animus, & Angelus differunt specie. Huius argumenti consecutio, quia manat ex bona argumenti forma, non eget probatione. Vtraque itaque propositio demonstranda in præsenti est.

B

Et primò quidem Maior sic ostenditur: Quia eius substantiæ, quæ suâ naturâ est actus corporis vltimum prædicatum essentiale est diuersum ab eo, quod est vltimum prædicatum essentiale ei substantiæ, quæ suâ naturâ non est actus corporis. Illa autem, quorum vltima prædicata essentialia sunt diuersa, ostendimus differre specie suprà in vltimo Notando. Ergo illa substantia quæ suâ naturâ est actus corporis, differt specie ab ea, quæ suâ naturâ non est actus corporis. Maior huius argumenti probatur; Et primò ostendamus, quodnam sit hoc vltimum prædicatum essentiale in ea substantia, quæ sit actus corporis. Deinde ostendemus vtriusque diuersitatem. Probatur ergo: Quia ei quod est suâ natura actus corporis, est essentiale prędicatum ipsa aptitudo ad informandum corpus, aut certè erit essentiale id, vnde sequitur talis aptitudo. Sed ne sit Quæstio de vocabulo, illud vnde oritur illa informandi vis, vocetur nomine suæ proprietatis aptitudo tanquam nomine notiore. Quod vsitatum esse inter Theologos & philosophos nemini dubium est. Sic enim substantias materiales vocamus corpus, quod est trinæ dimensionis; sic ipsam differentiam leonis dicimus rugibilitatem &c. Dico igitur; ei, quod est suâ naturâ actus corporis, esse essentiale prædicatum ipsam informandi corporis aptitudinem. Quod patet: quia debet rei essentia esse prima radix eorum omnium, quæ de re talem habente essentiam affirmantur, essentia enim sunt prima rei prædicata & radix cæterorum, cum cætera ab ipsa dependeant; non contrà, vt diximus in Notandis. Ergo huiusmodi aptitudo saltem in origine; seu, vt loquuntur, radicaliter erit ei substãtiæ essentialis.

C

D

E

Neque hoc negabunt Platonici, & quicunque sint, qui ratione philosophentur: Etenim nunquam distinguunt essentiali definitione formas inter se, nisi huius doctrinæ veritatem agnoscant. Quo enim modo dicent equi animam differre ab anima muscę essentialiter, nisi dicant illam esse quæ suâ naturâ apta sit esse actus corporis

Platonici.

poris ad hinniendum dispositi; hanc verò quæ apta sit informare corpus tali modo aptum ad tales operationes &c. Ergo ei substantiæ, quæ suâ naturâ est actus corporis, est essentialis aptitudo illa,& essentiale prædicatum illius. Quòd autem sit vltimum prædicatum probatur manifestè: Quia ei substantiæ, quæ est actus corporis,esse actum corporis est differentia illius: Cætera enim prædicata cum cæteris communia sunt,vt quòd sit substantia,quòd pars compositi, &c.Ergo est vltimum prædicatum illius,licèt,vt talis actus est, sit talis aptitudo: Tamen hoc ad rem præsentem non facit, cum solum nunc sermo sit de actu corporis præcisè à differentiis. Immò si de eo disputetur non præcisè à differentiis,maiorem habet vim argumentatio. Si enim differt hæc substantia ab alia ob prædicatum essentiale communius. Ergo multò magis differet secundum prædicata magis particularia; Vt quoniam differt equus à lapide in ratione viuentis, multò maior erit differentia ob peculiarem animalis equique naturam.

Iam si illius substantiæ, quæ est suâ naturâ actus corporis prædicatum essentiale vltimum est aptitudo ad informandum corpus, sequitur vltimum illius essentiale prædicatum esse diuersum ab eo, quod est vltimum in ea substātia, quæ naturâ suâ non est actus corporis: Quòd erat Maior probanda. Quòd verò sequatur patet: Quia ei substantiæ, quæ suâ naturâ non est actus corporis, non est essentialis aptitudo ad informandum corpus. Si enim esset essentialis huiusmodi aptitudo, conueniret illi eidem substantiæ,vt suâ naturâ esset actus corporis. Quod enim essentialiter rei conuenit, secundùm naturam eidem conuenit.Ergo huiusmodi substantia habet illud vltimum essentiale prædicatum, atque ita secundùm vltimum essentiale prædicatum differunt,ac proinde sequitur, quod conficere adnitebamur,huiusmodi substantias specie essentiali differre.

Animum natura sua esse actum corporis Angelum non item, philosophicis argumentis demonstratur. §. 10.

NVnc de primi argumenti Minore philosophandum est; Nempe animum hominis naturâ suâ esse actum corporis organici; Angelum naturâ suâ non esse. Et primò quoad priorem partem probatur illa minor: Nam quòd hominis animus sit corporis actus facilè sic ostenditur; Quia actus hominis est id, quo primò habet homo suas operationes, id est quo tanquam primo principio homo intelligit, ac ratiocinatur. Ergo est actus corporis organici,ac dispositi ad hunc ratiocinandi finem. Neque enim alio modo ostendimus, cæteras animas aut formas esse actum suæ materiæ,nisi ostendendo eas esse id,quo compositum habet suas operationes, vt verbi gratia,anima equi est id quo equus hinnit, ambulat,&c. Et hoc pacto Aristoteles libro 2. de Anima,cum vellet ostendere,rectam esse eam animæ definitionem,quam cont.7.ibidem tradiderat; nempe animam esse actum corporis organici; rursus cont. 13. aliam definitionem statuit inuestigandam, qua eius prioris congruentiam demonstraret: Tandem cont. 24. hanc definitionem tanquam ad id aptam posuit, nempe animam esse *id quo primo viuimus, sentimus, mouemur, intelligimus*. Ergo putauit rectè ostendi,aliquid esse actum corporis organici,ex eo quod per illum suas operationes compositum eliceret. Idque rectè quidem: Quia compositi non potest esse aliud principium operandi nisi eius essentia,quæ est radix operationum. At essentia compositi est forma saltem potissima. Vnde etiam forma dicitur ab Aristotele *quodquid erat esse*; nempe quidditas 2.Phys.cont.28.& lib.8.Metaph. cont. 5. & *Ratio* compositi sæpe,vt libr. 1. Phys.cont. 69. & libro 7. Metaph. cont. 53. & libro 8. Metaphys. cont.illo 5.

Aristoteles. (margin, left)
A (margin)
Aristoteles. (margin)
B (margin)

Deinde esse actum corporis patet: quia ratiocinari non est solius animi sed coniuncti, vt aperte docet Aristoteles libro primo de Anima contextu 66.quia scilicet corpus subministrando phantasmata ad illum actum concurrat, ipsum necesse est. In quo differt à puro intelligendi actu, qui animi solius est non coniuncti, vt ibidem docet Aristoteles. Hæc enim ab ipso opponuntur ibi. Cùm enim dixisset de actu intelligendi ipsum esse impassibilem &c.Subdit *Cogitare autem & amare, aut odisse non sunt illius animi passiones sed huius habentis illud, secundum quod illud habet*; nempe secundùm quod habet tale principium formale,quod est ipsum compositum.Ergo homo per aliquod principium formale primò intelligit: Hoc autem certum est, non posse esse nisi animum intelligentem. Ergo animus intelligens est forma & actus hominis,ac proinde corporis organici ad tales operationes.

Aristoteles. (margin)
C (margin)

Tertiò id ipsum probatur: Quia certum est, hominem viuere, & multò præstantius, quam equus, leo, musca: Non est autem id certum; nisi quia videmus hominis operationes vitales non solum sentiendi, verumetiam ratiocinandi, & intelligendi, esse hominis,quâ homo est; Vnde veram hanc propositionem esse dicimus, & per se. Homo quâ homo est,& à cæteris distinguitur,ratiocinatur,vt rectè obseruat A.Doctor infrà quæstione 76.art.1. Ergo homo formaliter constituitur per vitam quæ sit primum principium ratiocinandi. Sicut enim omne viuens constituitur formaliter per aliquam vitam,quæ sit vitalium actionum origo; Ita & tale viuens efformari debet formaliter per talem vitam, talium actionum vitalium originem; nempe intelligendi per composita iudicia ac per ratiocinationes. Tale autem formale principium non potest esse nisi animus intelligens.Ergo homo per animum intelligentem, tanquam per suam vitam ac formam seu actum constituitur. Ergo animus is est actus huius corporis, ex quo homo componitur.

D (margin)
A. Doctor. (margin)
E (margin)

Denique vlteriùs id ipsum probatur manifesto argumento: Quia homo est animal rationale mortale essentialiter. Per hanc enim essentiam homo differt à cæteris.Ergo eius forma est ratiocinandi principium. Vt enim ait Aristoteles libro octauo Metaphysices, contextu sexto omnis compositi differentia ab eius forma deriuari debet, vt differentia leonis ab anima leonis, &c. *Videtur enim*, inquit, *ea quæ ex differentiis ratio fit, formæ & actus esse*; non materiæ, vt paulò ante dixerat. Ergo animus

Aristoteles. (margin)

animus, qui est ratiocinādi principium, est actus hominis, & corporis organici. Constat ergo animum hominis esse actum corporis.

Quòd verò sit actus sua natura patet primò, quia alioqui nō posset facere vnum compositum per se. Hoc enim est, quod constat ex actu qui naturaliter suam materiam formet: nam alioqui esset aliquid præter naturam. Vnde Aristoteles libro 2. de Anima cont. 7. & alibi frequenter. *Non oportet*, inquit, *quærere, si vnum est anima & corpus, sicut neque ceram & figuram; neque omninò vniuscuiusque materiam, & id cuius materia.* Quia scilicet id per se pateat; sitque ex natura rei notum per se, & non aliunde sit causa quærenda; sicut figura facit vnum cum cera, quæ suam figuram connaturalem habere debet: nec aliam causam assignamus, cur figurari debeat. Alioqui cur non quærendum esset?

Secundò, quia ei substantiæ, quæ est actus primus, & est anima, non conuenit prædicatum hoc; nempe esse actum primum, extrinsecus & per accidens; sicut conuenit quanto esse album: Nam sicut illa substantia, quæ est prima materia, non est potentiâ ad formas per accidens & extrinsecus, cùm ipsa ex se sit apta in actu primo, vt suscipiat formas, sitq; ex se subiectum primum, ex quo aliquid fit, vt definitur lib. 1. Physic. cont. 81. Ita & forma non est actus ad materiam per accidens, cùm ipsa per se debeat esse suæ materiæ actus primus, cùm hæc duo se mutuò ex se respiciant, sintque relatiua, vt patet ex Aristotele lib. 2. Physic. cont. 26. Ergo per se & suâ naturâ habeant oportet proportionem actus & potentiæ. Ratio autem huius esse potest: Quia nulla substantia potest esse primus actus materiæ per aliquam formam sibi superadditam. Sublata enim quacunque forma superaddita, ipsa substantia, quæ est actus, intelligitur adhuc actus primus; nempe apta ad informandum; quia saltem intelligitur apta, vt habeat illam formam, quæ requiritur ad informandum in actu secundo. Ergo intelligitur apta in actu primo ipsa ex se ad informandum. Quemadmodum anima intelligitur ex se apta in actu primo ad intelligendum, quia intelligitur apta suscipere facultatem & species, quæ ad ipsum intelligendi actum secundum requiruntur.

Tertiò probatur ratione à priori. Quia ille actus ex sua natura est actus primus corporis, cui subseruit per se & suâ naturâ corpus tanquam naturale instrumentum ad naturales eius, atque immanentes functiones. Sed hominis animo corpus subseruit per se & ex sua natura, tanquam naturale instrumentum ad naturales eius atque immanentes actiones. Ergo hominis animus est ex sua natura actus primus corporis. Maior probatur, quia nullum corpus subseruit tanquam instrumentum per se & sua natura actionibus immanentibus alicuius actus, nisi ille actus sit ex sua natura actus illius corporis, vt patet inductione per singula corpora. Non enim equi corpus subseruit visioni, & aliis similibus functionibus immanentibus aliorum actuum, sed sui connaturalis actus; & sic de cæteris; Cuius etiam ratio est: Quia inter instrumentum, & id cuius est instrumentum proportio aliqua naturalis sit oportet. Non enim natura fabricat instrumenta quæcunque ad quemuis effectum: sed determinata ad determinatum & connaturalem effectum, vt semen ad suum connaturalem fœtum, oculum ad visionem suam connaturalem, & sic de aliis. Vt enim ait Aristoteles libro de Iuuentute & Senectute capite vndecimo. *Natura vnum ad vnum opportunū instrumentum facit. Nihil enim facit frustra natura.* Ergo corpus non erit per se instrumentum ad operationes nisi connaturales. At non possunt operationes illæ immanentes esse connaturales corpori, nisi ex eo quod sunt sui connaturalis actus: Vt non est operatio connaturalis corpori equino, nisi quia elicitur à connaturali forma equi, &c. Erunt ergo illi actus ex sua natura actus corporis illius, quod subseruit tanquam instrumentum per se ad operationes immanentes. Minor illa probatur: Quia corpus hominis à natura habet fabricata sua instrumenta ad varias immanentes functiones humani animi, vt ad videndum, ad audiendum, imaginandum, &c. licèt non ad purè intelligendum. Ergo corpus hominis per se & suâ naturâ subseruit animo humano ad varias functiones.

Quartò probatur alia ratione à priori: Quia ille actus est suâ naturâ actus corporis, qui est per se naturalis operationis principium in eodem corpore. Sed animus hominis est per se principium naturalis operationis in eodem corpore. Ergo suâ naturâ est actus corporis. Minor est manifesta: Nam in corpore hominis naturales operationes sunt sentire & intelligere, cuius principium est animus ipse hominis. Maior probatur: Quia quod est principium per se naturalis operationis in aliquo, est ipsa natura illius. In vnoquoque enim *natura est principium motus & quietis eius, in quo est*; teste Aristotele libro secundo Physic. cont. 3. Omne autem, quod in aliquo est natura, est connaturalis materia, & actus eius in quo sunt. Nihil enim in aliquo est natura præter materiam & formam illius, ex quibus ens naturale componitur, vt patet ex Aristotele libro secundo Physicor. contextu 12. 21. & 81. Ergo animus hominis est connaturalis actus hominis, ac proinde ex actus suâ naturâ. Nam esse actum suâ naturâ est esse connaturalem actum alicuius materiæ in aliquo composito: Neque in cæteris alio modo actus sunt suâ naturâ actus.

Quintò probatur etiam alia ratione à priori: Quia quandocunque in aliquo actu est naturalis propensio ad suum subiectum, ille actus est suâ naturâ actus illius subiecti. Sed in hominis animo est naturalis inclinatio ad suum subiectum; nempe ad corpus hominis. Ergo animus hominis est suâ naturâ actus corporis hominis. Maior est euidens: Quia nunquam naturalis propensio in actu est, nisi à natura actus: Quia naturale est quod à natura manat, vt docet Aristoteles libro secundo Physicor. context. 4. Neque enim vllo alio pacto Aristoteles mortem vocauit secundùm naturam; nisi quia est ex aliquo principio, quod est natura; & sic de aliis. Ergo si talis actus habet naturalem inclinationem ad subiectum, suâ naturâ est actus illius subiecti. Minor probatur: quia animus appetit esse in corpore, illúdque fouet & conseruat, cum eoque desiderat immortaliter esse quoad fieri potest, vt patet experientia. Vnde sapienter Aristoteles libro tertio Ethicor. cap. sexto dixit *mortem maximè esse omnium rerum horribilem.* Quippe terminus est huius nexus, & vt ita dixerim societatis, in quam maximè propendet animus.

Atque

Atque hæc tota sit probatio prioris partis nostræ Minoris quam posueram.

Probatur nunc eiusdem Minoris altera pars; nempe Angelum suâ naturâ non esse actum corporis organici. Primò quidem quia, vt dicam q. seq. a. 1. Plato omnésque Platonici negarũt, dæmones atque Angelos vniri corporibus, tanquã formas informantes: sed tanquam eius motores; Quod etiam suprà indicauimus: & patet, quia ob peccata trudũtur in corpora Platonicorũ sententiã. Ergo non sunt corporis actus ex sua natura. Deinde idipsum eodem articulo fusè ostendetur auctoritate Aristotelis, & manifesta ratione, eo quòd illis corpus non subseruit ad operationes immanẽtes. Tertiò probatur eo argumẽto, quod suprà in probatione Theologica posuimus: Nam si essent actus corporis organici, aut essent actus corporis humani, aut alicuius cæterorum animãtium. Non enim sunt alia corpora organica. At neutrius generis corporum sunt actus, vt ibi probatum est.

(Plato. Platonici.)

Confirmatur manifesto argumento: Nam si sunt actus corporis organici, aut sunt actus corporis determinati, aut cuiuscunque. Non primum, quia illud non posset esse mortale neque immortale: Nam corrupto illo mortali animus ille remaneret solutus à corpore, vt hominis animus, nec migraret in aliud; neque enim aliud illi substitueretur, cum nihil sit, quod talem corporum mutationem indicare possit. Immortale verò non posset esse, quia non esset organicum ad functiones immanentes, vt ad tactum, & visiones; Præterea esset perpetuum corpus illius actus, ac proinde non esset eiusdem speciei cum hominis animo, qui est actus corporis organici mortalis, non immortalis. Non secundum; quia nullus actus est corporis organici, nisi ad determinatas operationes vitales, quarum ipse sit principium. Ergo non potest esse actus cuiuscunque.

Quartò probatur, quia nobis satis est, Angelum non esse actum suâ naturâ corporis organici ad operationes humanas. Hinc enim apertè conficitur non esse eiusdem speciei cum hominis animo, quod nunc contendimus. Sequitur enim apertè esse diuersa prædicata essentialia humani animi & Angeli. Nam essentiale prædicatum animi est, vt sit actus eius corporis, quod aptum sit ad operationes vegetandi, sentiendi, ac ratiocinandi. Eius enim corporis est essentialiter actus, cum quo facit vnum; quod essentialiter sit viuens, sentiens, intelligens; aptúmque ad suas functiones; quo pacto differt à cæteris actibus, qui aliorum sunt actus. Ergo esto Angelus sit actus alicuius corporis, tamen adhuc non erunt eadem Angelorum humaníque animi essentialia prædicata. Et quamuis Platonis opinione animus intelligens non sit vegetans neque sentiens; vt videtur referre ex Platone Aristoteles libro 1. de Anima cont. 90. Tamen certum esse debet omnibus, animum rationalem saltem ex sua natura requirere tanquam naturales dispositiones vim vegetandi & sentiendi; quod ex sua natura non requirit Angelus. Ergo sunt diuersa essentialia prædicata, & non sunt eiusdem speciei.

(Plato. Aristoteles.)

Denique probatur: Nam si Angelus naturâ suâ esset actus corporis, compositum illud quod ex Angelo conflaretur & corpore, nobilius Angelo esset; Nam totum est nobilius suis partibus, quæ comparatione totius sunt quid imperfectũ, cùm totum & perfectum idem sint; vnde & habent eandem definitionem auctore Aristotele libro 5. Metaphys. cont. 11. vbi de perfecto; & cont. 21. vbi de toto. At de Angelo verissimè ac simpliciter dicitur, quod Aristoteles de animo dixit ex parte, libro 1. de Anima cont. 82. *Animo aliquid esse melius & præstantius impossibile est.* Nullus autem veterum, aut recentium philosophorum dixit Angelica natura dari quicquam præstantius inter creaturas. Sed vide vltra hæc, quæ dicam in nostris *Colligitur.*

(Aristoteles.)

Non posse animum sola natura indiuiduali differre ab Angelo. §. II.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò. Non posse animum hominis differre ab Angelis solâ naturâ indiuiduali, ac proinde non posse nostris argumentis responderi, vt nos obiecimus argumento Alexandri in prima nostræ propositionis probatione. Probatur autem ex dictis non differre sola ratione indiuidui: Nam quæcumque in natura essentiali, & prædicatis quidditatiuis differunt inter se, non differunt sola ratione indiuidui. Sed animus hominis & Angelus differunt in natura essentiali, & prædicatis quidditatiuis. Ergo non differunt sola ratione indiuidui. Maior ex terminis certa est. Quia quæcumque differunt sola ratione indiuidui, non habent aliã differentiam, per quam differant; alioquin non differrent sola ratione indiuidui, sed aliqua etiam alia. Ergo non differunt naturâ essentiali & prædicatis quidditatiuis. Minor probatur: quia Animus in natura essentiali & prædicatis quidditatiuis habet vt sit actus corporis organici, non autem in sola ratione indiuidui; Vnde si definiatur animus secundùm suam speciem; hoc est secũdùm id quod vltimò, & essentialiter conuenit omnibus animis hominum in quid, definietur per *actum corporis organici*, vt fecit Aristoteles libro 2. de Anima cont. 6. & 7. siue, quod idem est, per *principiũ, quo primo viuimus, sentimus, & intelligimus*, vt præstitit eodem libro cont. 24. Ergo in natura essentiali, & prædicatis quidditatiuis habet, vt sit actus organici corporis. Neque enim aliunde cognoscimus, aliquam naturam esse rationem specificam, nisi quod eam scimus vltimò, atque essentialiter conuenire omnibus eius indiuiduis in quid; Vt esse hominem, leonem, &c. Cùm ergo animus humanus differat ab Angelis in eo quod sit actus corporis organici; seu in eo, quod sit principium, quo primo viuimus, &c. vt suprà ostensum est, necesse est differat in natura essentiali & prædicatis quidditatiuis; quæ essentialiter & in quid de ipso animo dicuntur. Hoc enim intelligimus, cùm asserimus specificam differentiam; ne sit alioqui quæstio de vocabulis. In eos enim difficultatem præsentem instituimus; qui volebant, animos esse eiusdem naturæ cum Angelis, ita vt non plus differret animus noster ab Angelis, quàm animus Petri ab animo Pauli, eo quod animum putarunt esse Angelum corpori tanquam carceri mancipatum: Quæ omnia nostris hisce argumentis explosa atque detrita sunt, cùm nulli Angelorum cõueniat esse actum corpo-

(Alexander. Aristoteles.)

corporis;quod tamē omni animo humano conuen t eſſentialiter vt dictum eſt.

Ex quibus vlteriùs ſequitur, quod modò dicebam, quæ obiecimus Alexandri argumento non poſſe in noſtras rationes intorqueri. Is enim ex eo quod intellectus Angeli eſt immobilis apprehenſionis, deducebat Angelum differre ſpecie ab hominis animo. Quod tametſi rectè dici putabam; tamen aiebam, adhuc vlteriore egere probatione; nempe quia oſtendendum erat, eam in apprehendendo immobilitatem oriri ex ratione ſpecifica, non tantum indiuiduali: Nam etiam inter homines vnus magis, alter minùs immobiliter apprehendit, & variæ proprietates vt maris & fœminæ ex variorum indiuiduorum complexione enaſci poſſunt. Quæ quidem noſtris argumentis reiiciuntur. Siquidem oſtenſum eſt à priori differre eſſentialiter ob eſſentiales in vtriſque differentes rationes. Quas rationes non poſſe eſſe indiuiduales, nunc confirmo, explicando ampliùs dictorum veritatem. Etenim cum aliqua definiuntur per definitionem, qua reſponderi rectè poteſt ad interrogationem factam per *quid eſt*, tunc non ratio eorum indiuidualis, ſed eſſentia ipſa definitur. Cùm enim interrogatio facta per *quid eſt* petat rei eſſentiā, non rationem indiuidualem, vt patet ex Ariſtotele libro 1. Top.cap.4. & libro 2. Poſter. cont. com.40.aliàs 8.ſi per definitionem tali interrogationi ſatisfacimus, certum eſſe debet, eam continere eſſentiam, non rationem indiuiduam; & idcircò ſæpè docet Ariſtoteles, definitionem eſſe orationem explicantem *ipſum quod quid eſt*, vt libro 2. Poſter. cap.10. & cap.4. iam citato, Ergo, cum rectè, quærenti quid eſt animus? reſpondeatur; *Eſt actus corporis organici*, &c. is non ſignificabit prædictis verbis rationē indiuiduam animi, ſed ſpecificam; in quam omnia animorum indiuidua conueniunt. Neque aliter aſſignari ratio ſpecifica vllo pacto poteſt.

Alexander.

Ariſtoteles.

Marem & fœminam non neceſſariò diſtingui ſpecie. §.12.

QVod verò dicitur de mare & fœmina, quæ intra eandem ſpeciem habent varias proprietates; Id quidem verum eſſe aio; ſed hęc duo non eſſe ſpecies diuerſas, facilè patet. Primò à poſteriori. Idem enim indiuiduum eandem eſſentiam (nempe eandem formam, eandémque materiam) retinens poteſt nunc fœmina nunc mas euadere. Quod ſæpè contigiſſe patet ex ſcriptoribus fide dignis, qui hæc miracula poſteritati tradidere. Plinius quidem libro 7.cap.4. *Ex fœminis*, inquit, *mutari in mares, non eſt fabuloſum.* Additque Caſſini puerum ex virgine, factū. Aliam mulierem nupſiſſe etiam, mox barbam & virilitatem prouenisse, vxorémque duxiſſe. Rurſus ait ſe in Aphrica vidiſſe L. Coſſitiū mutatum in marem ipſo nuptiarum die, vixiſſéque, dum hæc ipſe Plinius proderet. Cuius teſtimonium magni facit A.Gellius libro 9. Atticarum noctium cap.4. Idémque plurimi alij auctores produnt, quos luculenter refert noſter Martinus Delrius libro 2. Diſquiſit.Magic. tota q.22. vbi ex Hippocrate, S. Auguſt. aliiſque claſſicis auctoribus huiuſmodi mutationes cōfirmare pergit. Sed quid veteribus exemplis opus eſt, cum

Plinius.

A.Gellius.

Delrius.
Hippocrates
S Auguſt.

A ſuppetant noua, quæ in noſtros pene dixerim oculos incurrerunt?

Seligam vnum è multis, quod anno 1619. hic Romæ dum hæc Deo propitio ſcribimus, ad ſacrum Pœnitentiariæ forum, delatum eſt, vt ab eo is qui è fœmina in virum cōmutatus eſt, votorum relaxationem impetraret. Rem autem ipſam mihi dominus Felix Contilorus excellentis ingenij vir, & non minùs ſcientiæ Theologicæ, quàm iuris prudentiæ laude conſpicuus qui apud Reuerendiſſimum ac ſapientiſſimum dominum Coccinum Romanę Rotæ Auditorem celeberrimum, & eiuſdem ſacræ Pœnitentiariæ Datarium integerrimum Theologi munere fungitur, per litteras teſtificatus eſt his verbis.

Felix Contilorus.

B *N. mulier Hiſpana, ætatis quindecim annorum, muliebria tantùm ſigna præ ſe ferens, licet virilitatis ſtimulos pateretur, ingreſſa eſt monaſterium monialium, ibique ſeruatis de iure ſeruandis profeſſionem emiſit, in cóque ſtatu duodecim annos permanſit.*

Poſt dictum tempus cùm quadam die duobus ab hinc annis validè agitaretur in menſurando tritico, repentè perfectus maſculus euaſit; ita vt modo nulla appareant muliebria ſigna, ſed tantum ſigna virilitatis; & vlteriùs lanuginem in facie, prima ſigna pubertatis oſtendat. Cùm igitur ob hanc cauſam eiecta fuerit è monaſterio, & hodie ſtimulos carnis patiatur, petit à ſacra Pœnitentiaria declarari; An vota in Monaſterio mulierum emiſſa ſeruare teneatur in religione virorum eiuſdem ordinis, vel ſaltem reſponderi quid agere debeat. Hæc

C ille.

Quibus liquet etiam in huiuſmodi transformationibus non eſſe verum quod nonnulli dicunt, non tam hos ex fœminis viros factos, vt fœminæ eſſe deſierint, quàm ad fœmininum ſexum, maſculinum acceſſiſſe. Hoc inquam falſum eſſe, propterea quod vt retulimus in eo viro, nullum omnino muliebre remanſit ſignum.

Deinde idipſum patet ex cauſa & à priori: Nam vt ait Ariſtoteles libro 10.Metaphyſ.cont. 25. Ideò mas, & fœmina non differunt ſecūdùm ſubſtantiam, quia ſola differentia eſt in materia, & corpore, non in ratione ſeu definitione eſſentiali, ſicut æneus & ligneus circulus. *Quare idem ſemen*, inquit Ariſtoteles *aliquam paſſionem*

Ariſtoteles.

Ariſtoteles.

D *paſſum*; nimirum ſi plus vel minus ſpirituum, caloriſque contineat, *aut fœmina, aut mas fit.* Conſtat ergo non eſſe diuerſas ſpecies: Siquidem vtrumque eſt ab eadem cauſa paulò aliter ſe habente.

Tandem idem etiam patet à priori ex natura rei, non eſſe hanc diuerſitatem naturarum: Nam per marem & fœminam non reſpōdetur ad quæſtionem *quid eſt*. Si enim quærat quis; quid eſt Socrates? non rectè reſponderet is qui diceret; eſt mas; ſed, eſt homo, aut animal rationale. Sicut ſi quæratur; Quid eſt circulus: dicendum nō eſt, eſt ligneus, aut aureus; ſed per eius definitionē,

E quæ contineat quid eſt, de qua Euclides libro 1. Element. defin. 15. Benè tamen reſponderetur per marem aut fœminam, ſi quæſtio fieret, cuius ſexus futurus ſit partus Antoniæ? viriliſne an muliebris: &c. Quod autem de hoc dixi, proportione ſua de cæteris ſimilibus dictum ſit.

Euclides.

Colligitur ſecundò; An rectè aſſignari poſſit tanquam eſſentiale inter hominis animum, Angelúmque diſcrimen, quòd animus ſit vnibilis corpori, Angelus non vnibilis. Hoc enim video dictum eſſe à præſtantiſſimis Theologis. Id enim docuit Alexander 2.p.q.20.m.5.in c. Ait enim, ſi phyſi

Alexander.

ſi phyſicè ſit aſſignanda inter animum & Angelum differentia, eam aſſignari debere: Quod *Intelligentia Angelica ſit ſeparata ſecundum ſubſtantiam, anima verò vnibilis* corpori. Vnde ad 7. ait, alias differentias eſſe hac poſteriores.

S.Bonauent.

S. etiam Bonauentura in 2.d.1.p.2.a.3.q.2.c. in fine ait. *Illud, quo anima eſt vnibilis corpori, dicere quid eſſentiale* &c. *Et ita penes illud* inquit *rectè ſumitur ſpecifica differentia, ſecundùm quam differt anima à natura Angelica.* Quare ad vltimum apertè ait. *Si quid poteſt eſſe differentia animæ, videtur quod hoc maximè ſit.*

Gabriel.

Gabriel ibidem q.6. idem habet aliis terminis concluſ.1.& dub.1.ad 3. Ait enim *poſſe perficere corpus eſſe animæ eſſentiale*; & per hoc ab Angelis diſtingui. Et ad hoc ipſum Dubio 3. in fine citat Occamum Quodlib.4. q.1.

Occam. Ægidius.

Huic tamen contradicunt Ægidius in 2.d. 3.p. 1.q.2.a.5. Videtur enim improbare huiuſmodi differentiam; nam in fine corporis concludit, primam differentiam eſſe, quod *anima tenet notabiliter inferiorem gradum in ordine entium, quàm Angelus.* Addit tamen ſi quęratur, quænam inter alias differentias ſit propinquior differentiæ eſſentiali iam aſſignatæ eſſe vnibile & non vnibile.

Scotus.

Scotus etiam in 2.d.1.q.6.§. *Contrà, Forma eſt finis materiæ*, apertè negat poſſe id aſſignari tanquam prædicatum eſſentiale animæ; ſed contendit, hoc eſſe poſterius ipſa natura animæ; nempe quod ſit talis natura: Quæ autem iſta natura diſtinctè ſit, non explicat ipſe magis.

Baſſolis.

Scotum ſequitur Baſſolis in 2.d.3.quæſt.2.art.3. Licet enim per hoc eſſe vnibile probet diſtingui; negat tamen, id eſſe à priori. *Quia iſta vnibilitas* inquit *in anima eſt reſpectus quidam habitualis, fundatus in anima, & poſterior ipſa.*

Verumtamen ex dictis aio, licèt non ſit negandum, vnibile corpori eſſe prædicatum eſſentiale in ipſo animo, tamen non eſſe vltimum prædicatum, per quod tanquam à priori animus ab Angelo diſtinguatur. Probatur hoc poſterius dictum: Nam vltimum eius eſſentiale prædicatum eſt eſſe actum primum corporis taliter organici &c. ſeu Principium quo primò intelligimus, vt ſuprà paulò ante oſtenſum eſt. Ergo eſſe vnibile corpori non eſt vltimum eſſentiale prædicatum animi. Si quidem eſſe vnibile non eſt idem prædicatum, quod eſt eſſe actum primum, cùm eſſe vnibile ſit etiam prædicatum omnium eorum, quæ corpori quouis modo vniri poſſunt. Ergo per illud prædicatum tanquam à priori animus diſtingui non poteſt ab Angelo. Quandocunque enim aliquid à priori diſtinguimus ab alio, ſumi oportet eius principium primum quo conſtituitur vltimò. Idem namque eſt vnicuique principium quod conſtituit & quod diſtinguit, vt eſt rationale in homine, rugibile in leone &c. Et idcircò tale principium differentia nuncupatur, eo quod differre facit à cæteris id, cuius eſt differentia, cum differentia eius propria ſit, ac proinde non communis, vt docet Ariſtoteles libro 1. de part. Anim. cap. 3.

Ariſtoteles.

Primum autem ſic probo: Quia eſſe vnibile corpori in animo idem eſt ac poſſe facere vnum cum corpore: Hoc autem eſt eſſentiale animo, quandoquidem vnibile tali modo; nempe tanquam actus ad tale corpus, eſt ipſa eſſentia animi. Ergo eſt prædicatum ſuperius ad animi eſſentiam, quę eſt tali modo vnibilis.

Scotus. Ægidius. Baſſolis.

Quod verò aiunt Scotus & Ægidius & Baſſolis, prius eſſe talem naturam ad ſe, quàm ſit ad aliud; verum quidem eſt in iis quæ tranſcendentali relatione non conſtituuntur. Secus in iis, quorum natura eſt ipſa relatio tranſcendens, qualis eſt Animus, qui eſſentialiter actus eſt primus, reſpiciens per ſe ſuum corpus. vt alibi in lib.2.de An. oſtenſum eſt.

Ariſtoteles.

Sanè; ſi hæc vera non eſſent, non rectè ex eo quòd anima eſt actus dixiſſet Ariſtoteles libro 2. de An. cont.7. non oportere quærere, *Si vnum eſt anima & corpus, ſicut neque ceram & figuram, neque omnino vniuſcuiuſque materiam, & id cuius eſt materia.* Quod omninò repetit libro 8. Metaphyſ. cont.15. Si enim in ipſo animo, qui eſt actus, alia ei ratio prior eſſentialis ineſſet, cur non eſſet quærendum, cur faciant vnum; ſi prior ratio, vnde ratio actus manet, offerri quęrenti poteſt: Neque enim hac melior illa eſſet Quæſtio, qua quæritur, cur homo ſit riſibilis? Atque hanc ſententiam apertè indicaſſe mihi videtur A. Doctor infrà q.75.a.7.ad 3. vbi ait, *animam ex natura ſuæ eſſentiæ habere, vt ſit corpori vnibilis.*

A.Doctor.

Ergo hoc vnibile corpori cenſet eſſe inter ea, quæ animo eſſentialia ſunt. Crediderim tandem, illos Theologos, quos retuli, cum docuerũt, *vnibile* eſſe animi differentiam, qua ab Angelo differt, intellexiſſe vnibile ipſum non quouis modo: Nam & Angelus ipſe vnibilis eſt corpori ſaltē tanquam motor illius; ſed vnibile, tanquam actum, ſuo tali corpori.

Gabriel.

Quod Gabriel docuit explicatiùs; cùm vt vidimus, dixit, poſſe perficere corpus. Actus enim eſt, corpus materiámque perficere. Quare omnes auctores in hac re concordes videntur eſſe. Niſi quod Ægidius putat, ſe aſſignaſſe differentiam animæ, cùm dixit, animam notabili gradu eſſe Angelo inferiorem.

Ægidius.

Quod tamen; ſi rectè conſideretur, aut nihil explicat, aut ſi quid ſignificat, per talem gradum intelligere debet talem qui ſit, ipſum eſſe corporis formam.

Animum humanum conuerti in lares, Dæmones, &c. ſomniantium deliria, aduerſus Platonicos. §. 13.

Platonici. Tertullian.

COlligitur tertiò, impoſſibile eſſe, quod Platonici & Tertullianus in primo dicẽdi modo ſomniarunt, nempe animos humanos conuerti in lares, dæmones, manes, lemures &c. Ita nimirum vt animus verè fiat dæmon mutatione quadam non ſubſtantiæ in ſubſtantiam, quia vt in eo dicendi modo obſeruauimus, animus hominis his auctoribus immortalis eſt; ſed mutatione quadam accidẽtaria, vt ibidem dictum eſt. Id inquam impoſſibile eſſe, colligi ex dictis aio. Etenim primò ij auctores ſupponunt, eiuſdẽ eſſe ſubſtantiæ Angelum atque hominis animum; quod hactenus falſum eſſe demonſtratum eſt. Deinde falſa quoq; ſunt principia, quibus ipſorum nititur concluſio; nempe animos in eas ſubſtantias verti in criminum pœnã. Supplicia enim ac pœnæ ideò irrogantur, vt dolorem aliquẽ inferant, non voluptatem, cum omnis pœna conſtituta ſit, vt eius metu homines ad virtutẽ reuocentur; teſte Ariſtotele libro 10. Eth. c. vlt. Et ideò de ratione pœnæ eſt, vt docet A. Doctor p.2 q. 87.a.2. vt ſit contra voluntatem. Cùm enim *ſint medicationes quædam* inquit Ariſtoteles lib.2. Ethi. c.3. *quæ per contraria fieri conſueuerunt*, debent cum voluntate pugnare. At ſi verum eſſet, animos humanos verti in lemures &c. hoc Ethicorum opinione

Ariſtoteles. A.Doctor. Ariſtoteles.

nione nullum prorſus animo dolorem inferret, A aut diſplicentiam,cuius metu animi ipſi ad virtutem reducerentur; quin potiùs ad vitia longè ampliores patefaceret aditus:Nam vt ante indicauimus optimè docuit S. Auguſtinus libro de Ciu.Dei 9.c.11.*In hac* Platonicorũ *opinione quantam voraginem aperiant ſectandis perditis moribus,quis non videat,ſi vel paululum attendat? Quandoquidem quamlibet nequam fuerint homines; vel laruas dum ſe fieri opinantur,vel dum manes,Deos;tantò peiores fiunt, quantò ſunt nocendi cupidiores,vt etiam quibuſdam ſacrificiis tanquam diuinis honoribus, poſt mortem ſe inuitari opinentur vt noceant.* Expediret enim Ethnicorum opinione peccare, ſi crimina in cauſa ſint, vt peccator in digniorem ſtatum eueheretur;eique diuini honores tribuerentur. Veteres B enim aliis laribus primitias frugum & vuarum ſacrificabant, vt obſeruauit Leonardus Coquæus lib. nono de Ciuitate Dei capite 11. Ad lemures verò,hoc eſt ad nocturnas terrificationes placandas dies ſacrificiorum menſe Maio dictus erat. Quem diem feſtum *lemuria* vocabant.De quorum ritibus atque origine vide quę fusè ex aliis ſcribit Theatrum vitæ humanę Volum.17.lib.1.Titulo *ſuperſtitionis materia.* Manes etiam; hoc eſt Dij inferi inter numina læua numerabantur, quos veteres ſacrificiis placabant, ne nocerent: de qua re idem Coquæus ibidem.

S. Auguſt.

Coquæus.

Deinde illud quoque perridiculum eſt,quod C ij Platonici dicunt in eo primo dicendi modo; Nimirum;incertum eſſe, an meriti ſint boni aut mali ij,qui Dij manes fiunt.

Platonici.

Quæro enim,quibus incertum ſit?Nempe dicent;iis,quorum arbitrio inſidet iudicãdi auctoritas:Quid enim refert,ſi cæteri merita ignorẽt? At quo pacto hæc incerta eſſe iis poſſint,quibus iudicandi vis in omnes incumbit?Si enim iis incertum aliquid eſt; ergo non ſunt in iiſdem meritorum cauſis ſupremi iudices. *Sicut enim videmus in ſpeculatiuis* ſcientiis inquit A. Doctor 1.2. q.74.a.4. *quod vltima ſententia de aliqua propoſitione datur per reſolutionem ad prima principia*, eò quòd tunc certus omninò intellectus ſit,vt poſſit ferre de ipſa propoſitione iudicium, & in practicis D vltima ſententia debet eſſe penes eos, qui omninò de re iudicanda certi ſint. Quia ſcil.quandiu res incerta eſt,remanet aliquid iudicandum; Ergo *adhuc ſuſpenſum eſt iudicium, quaſi non data ſententia finali.* Ratio eſt etiam huius: quia, vt ait Angelicus Doctor 3. p. quæſt.59. a.1. ipſa ratio iudicij debet eſſe ratio ac lex ſapientiæ,& veritatis. Ergo vltimi iudicij omnino debet eſſe ſumma ſapientia & veritas.

A.Doctor.

A.Doctor.

Quæ cauſa eſt, vt iure optimo commiſſa ſit finalis iudicandi cura ipſi filio Dei, qui eſt ſumma ſapientia & veritas, qui nec falli poteſt,nec E fallere. *Ideò propriè* inquit ibi A. Doctor *iudiciaria poteſtas attribuitur filio Dei.* Vnde rurſus eadem q.art. 5. quia in hac vita non poteſt eſſe perfectum iudicium, concludit, propter hoc oportere eſſe finale iudicium; *in quo perfectè id, quod ad vnumquemque hominem ſpectat quocunque modo, perfectè,& manifeſtè iudicetur.*Ergo ſi illis incertum eſt,vtrum aliqui ſint boni vel mali meriti, non erat iis danda ſumma poteſtas iudicandi, quandoquidem diſcernere non valent,cuiuſnam meriti ſint. Minùs inſipienter ij philoſophi dixiſſent,eos iudices certos eſſe, nec malè nec benè meritos eſſe in vita eos, qui manes fiunt: Cum

A.Doctor.

autem dicant incertum illis,an ſint boni vel mali meriti, ridiculè tales iudices ſummis iudiciis præpoſuerunt. Tandem ſi bene meriti non ſunt, cur eos inter manes Deos enumerari volunt?An quia diuinitatis honor dignus minimè ſit, vt in præmium virtutis & meritorum proponatur? Accedit quòd cum Deorum manium ſtatus non ſit hominum conditioni æqualis, debet ipſe vitâ hominis eſſe vel deterior, vel nobilior. At ſi nobilior, cur non virtutum remuneratio eſt? Si deterior,cur tali pœna afficitur,qui nihil malè meritus eſt?

Angelus cùm ſit ſubſtantia completa, nequit vnum per ſe cum corpore facere, vbi multa aduerſus tranſmigrationem animorum in varia corpora. §.14.

COlligitur vltimò ab his Ethnicis philoſophis abſurdiſſimè affirmari, Angelos immitti in varia corpora ob priora crimina, fieríque hominum, aliorúmque animos.Primò,quia Angelus ſuâ naturâ non eſt actus corporis organici, vt ſuprà oſtendimus in vtraque propoſitione; Ergo oportet, vt Angelus per ſe ſubſiſtat tanquam completa & perfecta ſubſtantiæ ſpecies. Si enim eſt perfectior homine vt oſtendimus a.1. Ergo per ſe ſubſiſtit, eodémque modo idem horum Platonicorum ſententia patet:quia ante peccatum per ſe ſubſiſtebãt à corpore auulſi, ſi corpus peccati ſupplicium eſt. At ſubſtantia illa; nempe intelligens, quæ per ſe ſubſiſtit, & non eſt actus corporis, ſpecies perfecta, atque abſoluta eſt: Quia nullius compoſiti pars eſt, & natura nobiliſſima. In quo ipſi conſentiant neceſſe eſt, qui fatentur, Angelos nobiliſſimæ eſſe naturæ, nec partes alterius ex ſua natura, ſi corpus illis carcer eſt, naturæque repugnans. Si autem Angelus eſt ſubſtantia completa, nequit cum corpore facere vnum per ſe qualis eſt homo, equus, leo &c. Optimè namque Ariſtoteles libro primo Metaphyſ.contextu trigeſimoſeptimo docuit, non eſſe parem rationem de pluribus vnitatibus ad vnum numerum conflandum, atque de multis naturis integris ad vnum per ſe conſtituendum, propterea quod impoſſibile ſit, duas integras ſpecies in vnam coire; Quod dixit ad Platonis ideas improbandas. *E multis numeris vnus numerus fit* inquit; *ex ſpeciebus verò quomodo ſpecies vna?* Cuius ratio eſt: Quia quæcunque perfecta ſpecies eſt vna natura per ſe. Ergo etiam coniuncta cum alia perfecta ſpecie retinebit ſuam integram naturam, ac proinde in aliam tertiam non coaleſcet. Vnde quantumuis vniantur calor & frigus, nunquam facient vnam ſpecie qualitatem: Nec ſi Petrus & Paulus ſe intimè penetrent, aliud quidpiam per ſe vnum conſtituent, etiamſi ad miracula, Deique omnipotentiam recurratur.

Ariſtoteles.

Quocirca in miraculorum miraculo; hoc eſt in myſterio incarnati Verbi, vt fieret vnum per ſe, ſublata eſt ab Humanitate hypoſtaſis, vt ea humanâ formâ careret, quæ perſonalitate Verbi, tanquam actu ſupplenda erat. Ergo ſemper ad vnum per ſe requiritur in partibus actus & potentiæ ratio, quæ in naturis

integris non reperitur, ideoque neque in eo verbi diuini humanæque naturæ nexu coaluit naturarum vnitas, sed solius personæ ob rationem dictam. Nec tibi molestæ sint formæ partium in viuentibus. Quandoquidem non sunt duæ naturæ totius, sed vna hominis, leonis, &c. Neque enim illæ partes faciunt vnam naturam totius specificam, quæ solùm vnam continuatione variis dispositionibus affectam materiam formant, vt alia ex alia annexa, & omnes inter se aptè colligatæque partes sint, de qua alibi disputatum est. Non posset ergo Angelus constituere hominem quantumuis relegetur in corpora: Quod & ipsis Platonicis in confesso est, qui nolunt corpora ab animo regi, nisi tanquam à nauta nauis, vt suprà indicaui, & fusiùs dicam quæstione seq. a. 1.

Deinde contra hos Platonicos est, quòd migrationem eorundem animorum in varia corpora asseruerunt: Quod certè perquam falsum, atque ab omni philosophica veritate alienũ esse nemo sanæ mentis inficiabitur. Etenim nullum corpus viuens sine sua anima, quæ est vita & forma illius, consistere potest saltem connaturali modo. Illicò enim abeunte anima putrescit ac fœtidum est.

Aristoteles.

Vita enim, vt ait Aristoteles libro de Iuuentute & Senectute cap. 14. *est mansio nutritiuæ animæ cum calido.* Idcircò vt rectè docet libro 2. de An. cont. 16. *Viuere propter hoc principium* animæ vegetantis *inest omnibus viuentibus*, nempe in mortalibus. Ergo quantumuis Angeli ingrediantur corpora, iisque præsideant, ipsa corpora non viuent, nec consistent: Quia non sunt ipsorum anima & vita.

Aristoteles.

Quamobrem rectissimè Aristoteles libr. 1. de Anima cont. 53. veterum philosophorum de Anima sententias improbauit, quòd cùm de ipsa anima disputarunt, *de susceptiuo corpore nihil ampliùs determinarunt.* Quasi corpus nullam cum animo symmetriam, proportionémque habere debeat, sed quodlibet vsui esse cuilibet animæ possit. Quod adeò falsum est, vt meritò ibi ab

Aristoteles.

Aristotele inter fabulosas narrationes computetur. *Tanquam possibile sit*, inquit, *secundum Pythagoricas fabulas quamlibet animam quodlibet corpus ingredi.* Rationem optimam affert. Ita enim se habet ad corpus anima, sicut ars ad instrumentum; Quia scilicet sicut ars vtitur determinatis instrumentis, ita & anima determinato corpore, & idcirco anima est actus corporis instrumentalis. Malè ergo tradunt, has animarum trãsmigrationes. Cùm enim vnumquodque corpus formetur à natura accommodatum ad suum animum, ei suâ naturâ seruire debet, non alteri.

Aristoteles.

Hinc est, vt sapienter Aristoteli visum sit libro duodecimo Metaphysices, contextu 16. & 17. vt causæ efficientes effectum suum tempore præcedant, non tamen formales causas sua effecta præcedere.

Licèt context. 17. addat nihil prohibere, quin aliqua formarum; nempe animus intelligens post corporum interitum remaneat. Quòd enim remaneat; ratione scimus necessaria; quia immortalis est, & extrinsecus aduenit; hoc est non in semine continetur, vt cæteræ animæ. At quòd fuerit ante corpus, nulla ratio cogit affirmare; immò potiùs contrà euidenter concludimus. Si enim ante corpus fuisset animus, vtiquè aliquam mentis functionem obiuisset ipse: Cur enim otiosus æternitatẽ dormienti similis transA egisset? Viuere enim debuisset animus cum sit vita. ergo & operari. Quo argumentationis genere vsus quoque fuit Aristoteles libr. 10. Ethic. cap. 8.

Aristoteles.

Viuere, inquit, *Deos omnes existimant; quare etiam operari. Non enim vt de Endimione dicitur dormire eos oportet.* At recordaremur tales vel tales exercuisse nos operationes, si editæ essent. Quod enim corpori nectatur animus, non potest esse in causa, vt ipse animus earum rerum, quas nouit, obliuione capiatur. Nam quæ naturali nexu iunguntur, non sunt impedimento, sed potiùs conferunt ad operandum, præsertim si iungãtur ad finem operandi, vt animus eiusque corpus, vt suprà dixi. Natura enim non adaptasset instru-B menta ad finem, sed potiùs impedimenta interposuisset. Hoc autem nefas est de Naturæ prouidentia dicere, multóque minùs de Naturæ auctore Deo sentire. Vnde sapienter naturæ obseruator acerrimus Aristoteles libro 4. de Gener. Animal. cap. 1.

Aristoteles.

Natura simul *& facultatem*, inquit, *cuiuis dat & instrumentum.* Id autem maximè cernitur in viuentibus, quorum singulis facultatibus siue sentiendi siue vegetandi ex æquo respondẽt sua instrumenta.

Quamobrem hæc omnia à natura formata essent ad supremam animi functionem, quæ est intelligentia, tum eliciendam, tum conseruandam, si ea in animo ante formationem cor-C porum fuisset.

Aristoteles.

Natura enim, inquit Aristoteles libro 2. de Gener. animal. cap. 2. *perinde ac prudens paterfamilias nihil solet admittere, ex quo facere aliquid commodi possit. Dispensat autem in cura rei familiaris, ita vt cibus optimus detur liberis, deterior seruis*, &c. *Sic in ortu ipso natura ex materia sincerissima, sensoria; ex excrementis, ossa*, &c. Ergo ad seruandam præstantissimam cognitionem omni ope conata fuisset. Sanè quia materia est propter formam tanquam propter finem, vt docet Aristoteles lib. 2. Phys. context. 23. & sæpe alibi, ac proinde tale corpus est, vt perfectionibus animi subseruiat, vt instrumenta vsui sunt suo artifici:

Aristoteles.

quod etiam docet idem Aristoteles libro primo D de An. contextu 53. non potuit corpus perfectionibus sui animi impedimenta obiicere. Vide quę ad hoc propositum docet A. Doctor infrà quæst. 84. a. 4.

Sed validè confirmari potest, corpus non inducere obliuionem in animam eorum quæ ipsi aliquando nota fuerunt. Quia si induceret, maximè quia vt docet Plato in Phædro, & libro de-

Plato.

cimo de Rep. ex coniunctione cum hac terrena quasi fæce contrahit labem animus, obliterantúrque rerum species. Hoc autem est falsum apertè. Nam corpus non aduersatur intelligentiæ, nisi dum illi obstrepit per sensuum phantasmata corporea. Quæ res sæpè impedit, quo E minus attendat ad ea, quæ scit, animus; & ea quæ vult, cogitet. Neque enim alio modo impedimento corpus est intelligendi actibus. Vnde si tali modo non aduersetur, nullo modo intellectionem impediet eorum, quorum habet species & habitus. Ex quo illud est axioma Peripateticorũ, *Habitibus vtimur cum volumus:* Quod apertè colligitur ex Aristotele libro 2. de Anim.

Aristoteles.

cont. 55. vbi de sciente ait, *Quia volens potens est speculari nisi aliquid prohibeat eorum, quia extrinsecus sunt*: & libro 3. de Anima cont. 8. apertè ait, cùm intellectus acquisierit species, non esse ampliùs intellectum potestate, sed actu. *Hoc autem tunc accidit*, inquit, *cùm potest operari per seipsum*; Quia scilicet

scilicet adeptis speciebus rerum, iis potest pro arbitratu intellectus vti, nec corpus vllo pacto interponet obstacula. Si ergo Animus suis speciebus formatus ante corpus erat, non retardabitur mole corporis, quin quando volet prodat in actus suos.

Tandem quis risum contineat, cùm audiat; varios Angelos ob varia crimina in varia corpora immitti pro varietate peccatorum? Nam esto sint formæ corporum Angeli, nónne sequetur homines esse diuersæ speciei, si contingat varios Angelos variis hominum corporibus illigari? Quid si multi eadem culpa teneantur, vt solare corpus animare debeant? Num idcircò plures soles creabuntur? Ergo sol iste non est à Deo conditus ad illustrandum, sed ad peccatorum carnificinam. *Quid stultius* inquit sanctus Augustinus libro vndecimo de Ciuitate Dei, capite vigesimotertio, *dici potest, quàm per istum solem, vt in vno mundo vnus esset, non decori pulchritudinis, vel etiam saluti rerum corporalium consuluisse artificem Deum; sed hoc potius euenisse, quia vna anima sic peccauerat, vt tali corpori mereretur includi? Ac per hoc si contigisset, vt non vna sed duæ; immò non duæ, sed decem vel centum similiter æqualitérque peccassent, centum soles haberet hic mundus. Quod vt non fieret: non opificis prouisione mirabili ad rerum corporalium salutem, decorémque consultum est; sed contigit potius tanta vnius animæ progressione peccantis, vt sola corpus tale mereretur.* Hæc Augustinus.

Quæ quidem adeò stulta sunt, vt posteriores Platonicos aliquando puduerit stultitiæ suæ. *De quo ludibrio* inquit sanctus Augustinus libro septimo de Gen. ad lit. capite nono, (loquitur de huiusmodi transmigratione) *quorundam philosophorum etiam eorum posteri erubuerunt; nec eos hoc sensisse, sed non rectè intellectos esse dixerunt. Et credo ita esse* & cætera.

Cui ego quoque assentior. Neque enim credibile est, tales ineptias viris sapientibus videri potuisse verisimiles. Sed puto eos allegoricis verbis veros sensus adumbrare voluisse. *Vnde procliuius* inquit ibidem Augustinus capite decimo in fine *& ipse crediderim, quod etiam eorum posteri sectatores illos homines, qui primitus hoc in suis libris posuerunt; in hac vita potius intelligi voluisse quadam peruersitate morum ac turpitudine, homines pecorum*, ac dæmonum, laruarúmque *fieri similes, ac sic quodam modo in pecora* (addo in manes ac laruas) *commutari. Vt hoc dedecore obiecto eos à cupiditatum prauitate reuocarent.*

Sanè explicari non potest; Cuius voluntate fiat hæc transmigratio; quo auctore corpora aptentur, quandiu probari debeant, vt satis appareat, eos resipuisse: & alia multa, quæ consideranti facilè occurrent. Legi de hac re potest A. Doctor libro secundo contra Gentes, capite octuagesimotertio, vbi plurima argumenta contra hanc sententiam proponit. Eandem opinionem improbat Irenæus libro secundo aduersus hæreses capite vigesimonono, Tertullianus libro de Anima capite vigesimoquarto, Sanctus Augustinus locis citatis, & libro primo Retract. capite quarto, Nyssenus libr. quarto, capite septimo, & alij non pauci. Constat ergo philosophos hac in re longè à veritate aberrasse.

***

Satisfit argumentis Origenis & aliorum. Vbi An & quo modo creaturæ bonæ sint, & à beatitudine neminem posse decidere. §. 15.

Ex his respondetur ad argumenta primi modi in Prima sententia. Ad ea enim quæ ex Origene initio eius sententiæ dicuntur; nego id diuersitatis, quòd inter Angelos, animósque est esse ex voluntate & peccato. Ostensum enim est naturarum quoque discrimen non solùm meritorum esse. Ad primum dico, verum quidem esse, nullam substantiam naturâ suâ esse malam, sed omnia quæ facta sunt à Deo ex se esse valde bona, si naturam rerum spectes, rationémque entis, vt philosophi loquuntur. *Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, Gen. 1. & deinceps; Nec à bono Deo rerum auctore poterant manare nisi bona. *Si quærimus* inquit S. Augustinus libro 11. de Ciu. Dei cap. 21. *quis fecerit, Deus est. Si per quid fecerit: Dixit fiat, & facta est. Si quare fecerit; quia bona est: Nec auctor est excellentior Deo: Nec ars efficacior Dei verbo: Nec causa melior, quàm vt bonum crearetur à bono Deo.*

Hoc autem subdit vidisse Platonem, qui causam condendi mundi non aliam credidit, quàm vt à bono bona opera fierent. *Hanc etiam Plato causam*, inquit Augustinus *condendi Mundum iustissimam dicit, vt à bono Deo bona opera fierent: siue ista legerit; siue ab iis qui legerant fortè cognouerit; siue acerrimo ingenio inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspexerit*, &c. Vnde cap. 24. & 25. in Manichæos atque in Origenem inuehitur, quod putauerint illi quidem, creaturas quasdã esse malas, ac proinde à malo Deo factas: Hic verò; causam Mundum fabricandi fuisse, *non vt conderentur bona, sed vt mala cohiberentur*. Qua in re libr. 14. de Ciu. cap. 5. Platonicos Manichæis proposuit. Nam *Platonici*, inquit, *non sicut Manichæi desipiunt, vt tanquam mali naturam terrena corpora detestentur*, &c.

Neque tamen hinc concedimus, creaturas esse bonas essentialiter; sicut Deus: Nam dicimus, solum Deum simpliciter esse essentialiter bonũ, etiam bonitate entis; cætera autem esse bona per deriuationem bonitatis ab ipso, vt ostēdit A. Doctor suprà quæstione 6. a. 3. sicut enim Deus est ens essentialiter à se, ita & bonus à se essentialiter: creaturæ autem sicut non habent rationem entis nisi ab alio, & vt aiunt participatiuè; ita nec rationem boni, nisi ab ipso. Ergo simpliciter creaturæ non sunt bonæ essentialiter: quia non habent essentialem bonitatem à se sicut Deus; non tamen negandum est, eas esse bonas essentialiter cum hoc additamento; nempe essentiã & bonitate deriuata.

Quanquam Origenes aliam bonitatem intelligit, cum negat ibi creaturas esse essentialiter aut bonas aut malas; nimirum bonitate & malitia in genere moris, seu virtutis & vitij. Quo pacto verissimum est, creaturas non esse ita bonas, aut malas essentialiter; solique Deo conuenire esse bonum bonitate virtutis atque honestate volendi essentialiter, quia nullo modo potest intelligi eius voluntas in vitia flecti. Atque ita Origeni concedo talem vel talem bonitatem in creaturis intellectualibus esse ex merito, atque ex dono Dei gratuito.

Negamus tamen prælationem naturalẽ, qua vnus Angelus in alium potestatem exercet esse ex merito, cùm sit ex nobilitate naturæ indepédenter à voluntate ac meritis eius, qui alios nobilitate antecellit, vt docet A. Doctor infrà q. 108.a.4.& 8.& ideò in dæmonibus, vbi nulla est ratio meritorum, remanet huiusmodi prælatio ob naturæ præstantiam : *Quamdiu durat mundus*, inquit glossa 1.Cor.15.*Angeli Angelis, Homines hominibus, & dæmones dæmonibus præsunt.* Quam doctrinam approbat A.Doctor infrà q.109.a.2. Vnde non est similis ratio Angelorum atque hominum. Quod enim inter homines est ex dignitate morali seu munere;nempe aliis præesse;hoc Angelis conuenit ex natura, vt patet ex eodem A.Doctore infra q.109.a.2. & nos ibi ex instituto dicturi sumus.

A.Doctor.

Ad primum autem Scripturæ locum ex Ezechiele 28.verum quidem esse aio multorum Patrum sententiâ, ea verba intelligi de reprobis Angelis; quos Patres citat noster Vasquez p.p. disp.227.cap.2.Sed tamen dico;nullum esse,qui illis verbis significari dixerit, Angelum fuisse eiectum de beatitudine ob scelus in beatitudine patratum. Beatitudo enim est summi boni secura possessio.Itaque ad argumentum dico, Angelos illos fuisse in deliciis Paradisi, quia in cœlo empyreo cum cæteris sociis Angelis eximia gratia donatus à Deo fuit; ab eoque statu amplissimæ gloriæ,quantum fas est de creaturæ intelligentis nobilissimæ ornamentis & naturæ & gratiæ dum erat in via coniectari,fuisse deiectum,vt suo loco infrà explicabitur; vnde concedimus argumento, inde cecidisse non naturâ, sed culpâ. *Nemo enim naturâ*, inquit Augustinus lib.14.de Ciuit.Dei c.6. *sed quisquis malus est,vitio est malus.*

Vasquez. S.August.

Nec est impossibile, creaturam in gratia Dei constitutam è gratia suâ culpâ decidere,vt dicemus loco citato. Non potuisse autem è beatitudine decidere,clarius est,quam vt nunc probandum sit.Quæ enim esset beatitas illa, quæ absq; eius perdendæ metu non possideretur? Vnde excusari non potest sententia Origenis ab erroris nota, qui certis interuallis ac dimensionibus sæculorum euntibus ac redeuntibus amitti acquirique beatitudinem sibi persuasit. Nam *quis hæc audiat?* inquit Augustinus libro 12.de Ciuit. Dei cap.20.*quis credat?quis ferat?quæ si vera essent, non solum tacerentur prudentiùs, verùm etiam doctores nescirentur. Nam si hæc illic in memoria non habebimus; & ideò beati erimus; cur hîc per eorum scientiam grauatur ampliùs nostra miseria?si autem ibi ea necessario sciturì sumus,hîc saltem nesciamus, vt hîc felicior sit expectatio, quàm illic adeptio summi boni: quando hîc æterna vita consequenda exspectatur,ibi autem beata, sed non æterna quandoque amittenda cognoscitur.*Hęc ille singulari planè doctrina disseruit.

S.August.

Sed audiamus rationem, cur beatitas illa felicitatis nomine indigna foret;si eius amittendæ metus vllus in beatorum mentibus insideret. *Quid enim illa*,inquit,*beatitudine falsius, vbi nos futuros miseros aut in tanta veritatis luce nesciamus; aut in summa felicitatis arce timeamus? Si enim venturam calamitatem ibi ignoraturi sumus,peritior est hîc nostra miseria,vbi venturam beatitudinem nouimus. Si autem nos illic clades imminens non latebit, beatiùs tempora trãsigit anima misera, quibus transactis ad beatitudinem sublevetur;quàm beata, quibus transactis in miseriam reuoluatur; Atque ita spes nostra infelicitatis est* A *felix, & felicitatis infelix. Vnde fit vt quia hîc mala præsentia patimur, ibi metuimus imminentia, veriùs semper miseri quàm beati aliquando esse possimus.* Non igitur ex beatitudine; Angelorum casus extitit.

Ad secundum locum,vtvt intelligi debeat. satis enim suprà de eo diximus,dico; neminem asserere,Angelos esse substantialiter, aut beatos, aut miseros.Nec inficiamur,in nobis esse situm, vt vel diuinâ gratiâ adiuti gloriam cõsequamur; vel ex nostra culpa suppliciis æternis deputemur. At negandum Origeni est, posse quépiam Angelorum suis vel meritis vel demeritis ad eum statum peruenire,vt fiat vel alius Angelus, vel alius hominis animus. Quantumuis enim B meritis cresceret non fieret, quod substantialiter est superior Angelus;Nec si quis Angelorum peccatis omnium dæmonum premeretur, animus hominis posset euadere. Cùm enim sit naturarum diuersitas, vt ostensum est, semper quantumuis perficiatur donis gratuitis inferior Angelus est, superiori erit inferior naturâ suâ;& similiter de aliis.Quo pacto nunquam aqua potest adeò perfici, vt terræ naturam induat, nisi desinat aqua esse,vertatúrque in terram. Atque hac ratione A. Doctor infrà q.108. a. 8. dixit, A. Doctor. quantumuis homines assumantur ad ordines Angelorum quoad gratiæ quantitatem,nũquam tamen assumi posse ad ordines Angelorum quo- C ad naturam. *Quia semper*,inquit, *remanebit naturarum distinctio.* Non ergo illi iidem Angeli nunc dæmones, nunc humani animi euadunt quoad naturæ gradus. Immò addo,licet homines assumi possint ad gradus Angelorum quoad gratiã. *Filij enim resurrectionis erunt æquales Angelis in cœlis.* vt dicitur Lucæ 20. Tamen vnum Angelum, Lucæ 20. ne quoad gratiam quidem posse alteri æquiparari.Rectè namque A. Doctor eodem a. 8. ad 1. docuit, quoniam *gratia Angelis datur secũdùm proportionem naturalium, &c. ideò sicut inferiores Angeli non possunt transferri ad naturalem gradum superiorum,ita nec ad gratuitum*, vt ibi nobis incumbit probandum ex proposito. Ex quibus patet ad alium locum ex Lucæ 10.Satan enim decidit de Lucæ 10. D cœlo, sed beatitatem nondum erat assecutus vt dictum est.

Ad argumentum autem Origenis ex cap. 8. respondeo,non esse accusandum creatorem, nec de eius opere conquerendum, etiamsi creauerit Angelos,animósque diuersarum naturarũ.Quin potiùs summis laudibus extollẽdam eius sapientiam,ac bonitatem,& potestatem,quod tot perfectissimarum substantiarum naturas ad mundi ornamentum, ad suam declarandam gloriam, bonitatémque procreauerit. Non enim ita cœlum syderum splendore ac varietate mortalium oculos delectat, atque illa cœlestium spirituum E innumerabilis multitudo,incredibilisque naturarum maiestas animos omnium in admirationem diuinæ gloriæ rapit, vt etiã patebit in propositione sequenti,ac deinceps.

Sed ab Origene quæro;cur ex hoc ipso accusanda foret factoris inæqualitas? An quia diuersos fecerit Angelos ab hominum animis? At hoc necesse erat ex natura rei, si homines & Angeli producendi erant. Si enim homines formari oportuit;animo suo & corpore non scorpionibus aut ranis erant componẽdi.Nec si Angeli è nihilo eruendi; naturas culicum aut passerum formare debuit Deus. Neque enim ignorari ab Orige

Origene oportuisset, rerum naturas indiuiduas, vt numeros ex se necessariò esse, ita vt si vna vel ipsis addatur vel detrahatur ab ipsis differentia, amplius eædem naturæ non sint, sed hoc ipso aliæ diuersæ intelligantur. *Quemadmodum de numero ablato aut addito aliquo*, inquit Aristoteles libro 8. Metaphysices cont. 10. *ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diuersus, etiamsi minimum auferatur aut addatur: ita nec definitio, nec ipsũ quid erat esse erit amplius ablato aliquo, aut addito.* An verò, quia omnes Angeli vnius naturæ creandi fuissent à Deo, & in eodem gradu gratiæ constituendi? At placuit Deo ex tanta nobilissimarum naturarum varietate, & copia palàm facere, quanta sit conditoris maiestas, cui tanta ac tam varia Angelorum copia famulatur. Quam quidem maiestatem emicare voluit, cum Matth. 26. dixit Petro. *An putas quia non possum modo rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quibus Christus ingentem multitudinem, ac varietatem Angelorum innuere voluit. Siquidem vt numerum significaret, duodecim legiones opponit duodecim discipulis. Quasi vt suprà dixi, vellet indicare posse se pro duodecim hominib. duodecim habere legiones. Vt varietatem verò ostenderet, legiones nominauit, in qua sunt duces, centuriones, milites, &c.

Aristoteles. Matth. 16.

Quòd si inter Angelos est naturarum diuersitas; ergo congruum fuit, vt pro mensura naturalium, in eos quantitas gratiarum collata fuerit, vt ostendit A. Doctor infrà q. 62. a. 6. ibique nos docebimus. Neque ex hoc est iniquitas apud Deum; si inæqualibus inæqualem tribuat gratiã. Tum quia *In his quæ dãtur ex gratia*, inquit A. Doctor suprà q. 23. a. 5. ad 3. *potest aliquis pro libito suo dare, cui vult plus, & minus; dummodo nulli subtrahat debitum absque præiudicio iustitiæ; & hoc est quod dicit Paterfamilias Matth. 20. Tolle quod tuum est, & vade. An non licet mihi, quod volo facere?* Tum quia spectat ad infinitam sapientiam, vt gratiam Angelorum, quantum fieri potest, eorum naturalibus aptaret; vt quemadmodum inter corpora; quæ sunt præstantiora quoad naturam, sublimioribus locis collocari oportuit, vt docet Aristoteles libro 2. de cœlo cont. 34. & 73. & libro 3. de Partibus Animalium cap. 4. ita & qui nobiliores sunt spiritus propinquiores ad Deum perfectioribus gratiarum donis extolli consentaneũ fuit, vt vasa aurea & argentea, quæ in magna domo esse oportet teste Paulo 2. ad Timoth. 2. pro nobilitate materiæ sumptuosioribus quoque artificij generibus ornarentur. Quæ doctrina apertè colligitur ex S. Damasceno libro 2. de fide c. 3. de qua tamen re q. 62. a. 6.

A. Doctor. Matth. 20. Aristoteles. 2. Tim. 2. Damascen.

Ex his autem optimè respondetur ad confirmationem Origenis ibidem. Nego enim si rectè philosophemur, periculum esse, ne incurratur in errores Manichæorum. Si enim constituamus, vt diximus, omnia à Deo, eáque bona facta esse. Nihil ergo mali à malo Deo factum est.

Origenes.

Non debuit autem id Origeni arduum videri, vt nulla habita meritorum ratione Deus nobiliores creaturas, & præstantioribus gratiç donis ornatas ignobilioribus præposuerit. Id enim in Angelis est naturæ nobilitas, quod in homine est moralis dignitas: vt antè dicebamus ex A. Doctore infrà q. 109. a. 2. Sed ab ipso Origene quæro, quænam merita præcesserint in eo, qui inter homines mortalium conditione ad regni gubernacula destinatur? Quorũ meritorum ab institutione suæ naturæ fuit homo, vt cunctis rerum generibus præpositus sit? Quod si hæc inter homines iure meritòque fieri censentur, cur reprehendi possit in Deo, quod præstantioribus naturis dederit dominandi potestatem in cæteras minùs nobiles, & summa sapientiã, quę gratiæ diuinæ sunt rerum naturis aptauerit?

Qua enim ratione vniuersi ordo, ac pulchritudo seruari posset, si infima per media, media per summa non regerentur ac propagarentur? *In iis enim*, inquit S. Augustinus libro 11. de Ciuit. Dei cap. 16. *quæ quoquo modo sunt & non sunt quod Deus est, à quo facta sunt, præponuntur viuentia non viuentibus, sicut ea quæ habent vim gignendi, vel etiam appetendi, iis, quæ isto motu carent; & in iis, quæ viuunt præponuntur sentientia non sentientibus, sicut arboribus animalia; & in iis, quæ sentiunt præponuntur intelligentia non intelligentibus, sicut homines pecoribus; & in iis quæ intelligunt, præponuntur immortalia mortalibus; sicut Angeli hominibus. Sed ita præponuntur naturæ ordine.* Nam alium deinceps explicat ordinem, quo ex modo æstimandi inter homines res vna præfertur alteri. *Vnde nos admonet* idem Augustinus inquit cap. 22. ibidem *diuina prouidentia non res insipienter vituperare, sed vtilitatem rerum diligenter inquirere, & vbi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ita credere occultam, sicut erunt quædam quæ vix potuimus inuenire*, &c. Demum ad ea, quæ addunt Tertullianus & Platonici diximus in nostris *Colligitur.*

S. August. Tertullian. Platonici.

Diuersas esse operandi facultates Angelis atque humanis animis. §. 16.

AD rationes nunc respondendum est; & primò ad primum negatur Minor. Etsi enim Angelus atque hominis animus conueniunt in actu intelligendi secũdum genericam rationem; non tamen in specifica in qua differunt. Cùm enim, vt ostẽsum est, animus suâ naturâ sit corporis actus & forma, naturale illi est operari dependenter à corpore (excipio puras intelligendi actiones); nempe determinatus è corporum, rerũmque corporalium simulachris, ac phãtasmatis in organo corporeo receptis, quod nõ potest conuenire Angelis, qui suâ naturâ forma corporis non sunt. Vnde animo hominis cõnaturales sunt sentientes facultates, quæ naturæ Angelicæ repugnant. Immò ipsa intelligendi vis, quæ per intelligibiles species determinata elicit suos actus, saltem circa sensibilia, nõ aliunde species habet, quam à phãtasmatis abstractas. Quæ causa Aristoteli fuit, vt ratiocinationes libro 1. de Anima cont. 66. amorem, odium, nõ animi passiones esse dixerit, sed coniuncti. *Cogitare autem, amare & odisse non sunt illius*, nempe animi passiones, *sed huius habentis illud secundum quod illud habet.* Constat ergo diuersas esse animorum atque Angelorum operationes etiã ipsius intellectus, nedum sensuum. Angelus enim, vt infrà cõstabit suo loco, nec à phãtasmatis, nec à rebus ipsis suas emendicat species; & ideò nec per discursum intelligit; sed simplici contuitu.

Aristoteles.

Vnde ad primam improbationem dico; philosophos quoque hæc omnia cognouisse; Nimirum eos, qui Angelos sine corpore esse censuerunt.

runt. Horum enim sententiâ corporalia non agunt in immaterialia, vt dicam q. 54. ac proinde species habent aliunde insitas, quàm à corporibus obiectis. Quod sane Catholicis persuasum esse debet, qui corpore impediente negant animum nostrum transire posse in omnium rerum, quarum species habent, cognitionem. De Peripateticis verò res est prorsus certa, qui intelligentias putarunt ad cognitionem non esse in potentiâ saltem eo modo, quo infrà explicabitur. Si ergo non emendicant ab obiectis species, nec proinde vnum ex alio prius noto inuestigant, quonam modo secundùm hos philosophos ratiocinari verè queant Angeli? Sed hæc fusiùs q. 58. a. 3.

Peripatetici.

Ad secundam improbationem dico, ab eadem quidem intelligendi facultate prouenire simplices apprehensiones & ratiocinationes; sed connaturali modo eam facultatem poscere, vt è phantasmatis ope intellectus Agentis species promantur in intellectu, quibus determinatus eliciat suos actus. Et ideò dicitur ab Aristotele intellectus *possibilis*, seu *potentiâ*; nempe ad species, vt patet ex cont. 6. & 8. libri 3. de An. vt latè disputabitur q. 54 infrà a. 1. At Angeli intellectus nec discurrit, vt diximus, nec simplices apprehensiones habet ex similibus speciebus, quæ è phantasmate abstrahantur. Ergo signum est, diuersos esse actus intelligendi, quia diuersis suâ naturâ formis determinari debet principium eliciens.

Aristoteles.

Quæ doctrina est A. Doctoris q. vn. de An. a. 7. ad 1. Nec obiiciat quis, idem esse obiectum intellectionis Angelicæ & humanæ. Nam negandum est, naturale obiectum esse idem omninò. Rationes enim substantiales repræsentantur homini per alienas species accidentium; Angelo per proprias, vt etiam causæ occultæ ab homine cognoscuntur per signa & effectus; quæ tamen Angelo patent, vt sunt in sese. Sed hæc alibi fusiùs. Negandum ergo est argumento, quamuis intelligere & ratiocinari in homine sit eiusdem facultatis, eundem esse intellectum specie in homine & Angelo, eo quòd in homine species intellectum determinantes deriuantur suâ naturâ à phantasmate, non item in Angelo. Quam solutionem tetigit A. Doctor eodem a. 7. ad 2.

A. Doctor.

Ad secundum argumentum nego, eundem esse finem naturalem proximum hominis, & Angeli: Nam vniuscuiusque finis proximus est operatio vt suprà dixi, & infrà pluribus dicetur: Hæc autem operatio nõ est eadem, vt diximus. Quod verò felicitas sit contemplatio illa substantiarum: esto. Non tamen illa est finis proximus, sed vltimus. Vt enim patet ex Aristotele 1. Ethic. cap. 6. & deinceps, & 1. 2. q. 1. a. 6. & deinceps felicitas est vltimus finis humanæ vitæ. Idem dico de beatitudine supernaturali esto sit idem, tamen aio esse finem vltimum non proximum. Nec solutio hæc omninò differt ab ea, quam significauit A. Doctor loco citato ad 10. Ait enim *quòd ea quorum vnus est finis proximus, & naturalis, sunt vnum secundùm speciem; Beatitudo autem æterna est finis vltimus & supernaturalis.* Quæ totidem verbis repetuntur infrà q. 75. a. 7. ad 1.

Aristoteles.

A. Doctor.

Ad vltimum dico, quòd animus naturâ suâ vniatur corpori, Angelus verò non item, indicare inter vtrumque essentiale discrimen: Nam si suâ naturâ poscit animus esse cum corpore, sua naturâ debet esse actus illius. Ergo hoc est illi essentiale prædicatum; Quod cùm non insit in Angelo, sequitur, Angelum, & animum differre essentiali prædicato, vt ostensum est argumentis nostræ propositionis. Indicant etiam illa, vt diximus suprà, vt ostendatur, animum esse corporis actum: Quòd semper cupit esse cum corpore, quia vbicunque sit ad societatem corporis aspirat. In qua re desipiunt ij, qui corpus simpliciter carcerem animi putarunt. Vnde meritò ex Virgilij carmine eos reprehendit S. Augustinus libro 14. de Ciuitate Dei c. 5. vbi miratur Æneas quod à patre audiuerat, nempe animas reuertendi ad corpora desiderio teneri.

Virgilius. S. August.

O Pater, anne aliquas ad cælum hinc ire putandum est
Sublimes animas; iterúmque ad tarda reuerti
Corpora, quæ lucis miseris tam dira cupido?

Atque hæc quidem, quantum attinet ad discrimen inter Angelos animúmque humanum. Quæ longius examinari oportuit: Tum quia aliorum vestigiis tritum non peregimus iter: Tum quia res tanti momenti non erant ieiunè atque exiliter pertractandæ.

Nunc porrò vertenda Quæstio est ad solos Angelos relicto hominis animo. An scilicet ij inter se omnes an aliqui differant specie intelligendo speciem modo iam explicato; hoc est prædicatis essentialibus: Quod affirmauit Secundus ac Tertius dicendi modus.

Angelos quoque eiusdem ordinis differre inter se specie.

§. 17.

His tamen non obstantibus sit

Tertia propositio: Probabilius est; de facto Angelos eiusdem etiam ordinis inter se specie; hoc est essentiali naturâ differre. Hæc propositio est contra secundum, ac tertium dicendi modum in Prima sententia. Ad huius autem rei probationem non vtar argumento secundæ sententiæ; Quod in tertiam sequentem difficultatem reiicio examinandum; sed duplici ratione eam sic ostendo. Primam quidem mihi colligo ex A. Doctore in hoc articulo in argumento, *sed contra*. Quia scilicet in singularibus eiusdem speciei non datur prius & posterius secundum naturam substantialem: Nam si sunt eiusdem speciei ac naturæ, nulla horum potest inæqualitas excogitari secundum naturam. Vbi enim est identitas, ibi non potest esse inæqualitas; Quia nimirum cùm omnis identitas sit quædam vnitas, vt docet Aristoteles 5. Metaphys. cont. 16. non potest inæqualitatem habere, quæ debet esse inter plura. Sed inter indiuidua eiusdem speciei est identitas naturæ. Eadem enim sunt, quorum substantia vna teste Aristotele eodem loco. Vnde libro 3. Metaphys. cont. 11. absolutè ait. *In indiuiduis non est* inquit *dare prius & posterius*, Nimirum ob rationem allatam. Sed in Angelis etiam eiusdem ordinis est prius & posterius secundum naturam. Ergo Angeli etiam eiusdem ordinis non sunt eiusdem speciei.

A. Doctor.

Aristoteles.

Inter

Inter [Angelos est] ordo dignitatis secundum [naturam] substan[tialem]. § 18.

Minor probatur: Nam inter ipsos est ordo dignitatis secundùm naturam substantialem. Cùm enim S. Dionysius cap. 10. cœlestis Hierarchiæ apertè docet in Angelis etiam eiusdem ordinis esse summos, medios atq; infimos, id non potest tantummodo intelligi secundùm diuinæ Gratiæ dignitatem; quia vt docet A. Doctor infrà q. 62. a. 6. & q. 108. a. 4. & nos iisdem locis fusiùs dicemus; Gratia diuina in Angelos fuit collata pro cuiusque naturæ capacitate. Ergo supponit diuersitatem naturarum; quod vni plus Gratiæ, alteri minus datum fuerit.

S. Dionys. — *A. Doctor.*

Hanc ob rem remansit huiusmodi ordo in dæmonibus, dum vnus alteri subditur, eodémque modo, quo prius erant, dum in Angelorum ordinibus subdebantur. Vt rectè probat A. Doctor infrà q. 109. a. 1. & 2. Ergo debet talis ordo etiam esse secundùm naturam: non autem secundùm naturam singularem, vt videntur dicere noster Gabriel & alij; Sed specificam & substantialem. Natura enim perfectior qua singularis est, non hoc ipso imperat cæteris, quæ sunt eiusdem naturæ: Id quod, si ex notis philosophãdum est, apertè patet ex iis, quæ inter homines accidere videmus. Quorum nemo alteri præest ad imperandum ob perfectiores conditiones naturæ indiuiduæ; Quæ potiores sine dubio interdum sunt in eo qui obtemperat; sed ob dignitatem moralem, aut externas facultates, ac potentum amicitias. Licèt verè cæteris animantibus ob dignitatem naturæ specificæ præsit homo, quà homo est, vt patet ex Aristotele libro 1. Politicorum cap. 3. Quam ob causam A. Doctor eadem q. 109. a. 2. ad 3. quia dæmones non sunt æqualis naturæ, verissimè ait; imparem esse dignitatis gradum: naturalémque esse inter ipsos, vt aiunt, prælationem. *Quod non contingit* inquit *in hominibus, qui naturâ sunt pares.*

A. Doctor. — *Gabriel.* — *Aristoteles.* — *A. Doctor.*

Aristoteles.

Et quamuis Aristoteles eo loco & c. 4. quosdam homines faciat naturâ seruos, quo significare videtur naturam indiuiduam ac singularem, naturaliter seruam esse sui Domini; tamen si rectè intelligatur, Aristoteles ab hac nostra doctrina non dissentit. Nam cap. 3. definit, eos esse naturâ seruos, quibus vtile est seruire; & ideò fœminam naturaliter parêre viro; hunc fœminæ imperare. Quam etiam definitionem repetit cap. 4. Quamobrem eodem cap. 3. non longè à fine generatim dixerat. *Hi sunt naturâ serui, quibus melius est, vt imperetur.*

Aristoteles.

Ex quibus liquet quid illud *naturâ* Aristoteli ibi significet. Non enim denotat tantùm secundùm naturam substantialem, & Physicas conditiones naturam indiuiduantes: Quia hoc pacto nulla est ratio, cur vni melius sit aut seruire aut imperare, quàm alteri. Immò potest mutatis rerum conditionibus quod vni nunc est melius, postea alteri melius esse; sed etiam secundùm rerum conditiones, ac statum, quæ positis variis causarum euentibus consequuntur talem singularem, physicámque naturam. Ex. gr. Quòd is aut ille fortunæ bona possideat; quòd alter ope indigeat aliena, quòd hic magnos patronos habeat, is multorum odiis prematur &c. Hac enim ratione, vt optimè obseruauit A. Doctor 2. 2. q. 57. a. 3. ad 2. potest quis naturaliter esse seruus; hoc est ex natura rei indigere subsidiis diuitum ac potentum. Nam posito tali rerum statu, hominúmque conditionibus ex variis euentibus: Melius est huic quod alteri subiiciatur, quam quod alteri imperet. cum id rerum natura; hoc est rerum atque euentuum conditio exigat, non contrà.

A. Doctor.

Quocirca concludit ibi A. Doctor, seruitutem esse quid *pertinens ad ius Gentium*; ideóque non esse ex iure naturali præcisè; sed admisso Gentium iure, quo dominia ac seruitutes constituta sunt: Quia scilicet positis illis conditionibus naturaliter, hoc est, vt rerum status, ac euentuum casus postulat, hic vtiliter seruit, ille dominatur. Ita nimirum suadente ratione, si res ita vel ita se habeant.

A. Doctor.

Nec tamen negarim ex natura ipsa indiuidua quandam esse aptitudinem, vt hic seruiat, ille dominetur. Vt qui ratione præcellit aptus sit ad dominandum; qui verò corporis viribus ad seruiendum, modò cætera paria sint. Vt enim ait Aristoteles eo cap. 3. *Natura vult & facit differentia corpora seruorum & liberorum.* Hæc ergo ratio; nempe vicissitudinis euentorum, & fortunarum alternatio & similium, cum in dæmonibus esse non possit; restat, vt sola naturarum diuersitate vnus alteri dominetur. Ex quo etiam manat vt, quod rectè etiam obseruat A. Doctor infrà q. 108. a. 3. Angelorum in eodem ordine sint diuersa munera; etiamsi nos lateat, quæ ea sigillatim sint. Quia Angelos perfectè non videmus. Id enim est: quia cuicunque naturæ diuersitati, munerum quoque diuersitas respondere debet.

Aristoteles. — *A. Doctor.*

Cur in eadem specie multiplicari debeant indiuidua. § 19.

Secundò probatur propositio ex natura rei, & à priori. Quia idcircò in rebus inferioribus singularia indiuidua multiplicantur in eadem specie, vt natura quæ in singulari corruptibili conseruari non potest, multiplicatione singularium suo ordine sibi deinceps succedentiũ perpetuetur, vt perspicuis verbis docet Aristoteles libro 2. de Anima cont. 35. *Propterea quòd nihil contingit corruptibilium idem & vnum numero permanere secundùm quod potest participare vnumquodque, sic communicat, hoc quidem magis, illud verò minus, & permanet non ipsum, sed quale ipsum, numero quidem non vnum, specie autem vnum.* Causam autem huius ex fine assignauit cont. 34. *Vt ipso semper ac diuino esse participent secundùm quod possunt. Omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia quæcunque agunt secundùm naturam.* Causa ergo cur singularia multiplicentur est naturæ perpetuitas. Ideò dixerat libro 12. Metaphys. cont. 49. *Quæcunque plura numero materiam habent*; Nempe pronam in formarum interitum, vt sit speciei in pluribus succedentium singularibus continuatio, naturæque series retineatur: Quod quidem clariùs docet libro 1. de cœlo cont. 92. *In omnibus sic videmus* inquit *quorumcunque substantia est in materia, plura & infinita esse ea, quæ sunt eiusdem speciei.* Dixit autem *videmus* vt significaret se hanc huius propositionis veritatem experientia & inductio

Aristoteles.

A inductione colligere, non autem eam eſſe manifeſtam ex ipſius propoſitionis terminis, vt plerique opinati ſunt. Quæ ergo ſunt plura numero, eorum materia corruptibilium formarum eſſe debet. Non enim videmus hæc eſſe plura numero niſi in iis, quorum materia pereuntibus formis ſubiecta eſt. At Angeli perpetuantur ſuâmet naturâ indiuiduâ, & ſingulari, quæ immortalis eſt, vt dicam art. ſequent. Ergo non ſuppetit cauſa, cur dicamus, Angelos eſſe plures numero in eadem ſpecie : Immò potior cauſa eſt, vt id pernegetur : Nam ceſſante cauſa effectum quoq; ceſſare commune axioma eſt, & patet ex Ariſtotele libro 2. Phyſic. cont. 37. vbi ait, adeò connexas eſſe in ſuis effectibus cauſas actu, vt *actu quidem exiſtentes* cauſæ *& ſingulares, & ea quorum ſunt cauſæ*, nempe effectus, *ſimul ſint & non ſint; vt hic medens cum hoc qui ſanatur*, &c. Ergo ſi in Angelis immortalibus nulla eſt materia ; quæ eſt multitudinis cauſa in eadem ſpecie, non debet in iis aſſeri hæc in eadem ſpecie multitudo.

Ariſtoteles.

B

Eandem omnino multiplicandarum rerum cauſam, earum nempe mortalitatem elegantiſſimis verbis expreſſit, ineptè diis vtrumque ſexum à gentibus tribui ſi immortales ſunt oſtendēs Lactantius lib. 1. diuin. Inſt. cap. 8. *Si ſunt immortales atque æterni, quid*, inquit, *opus eſt altero ſexu? Nimirum vt generent: Ipſa progenie quid opus eſt? Cùm ſucceſſione non egeant, qui futuri ſunt ſemper? Nam profectò in hominibus cæteriſque animantibus diuerſitas ſexus atque coitio & generatio nullam habet aliam rationem; niſi vt omnia genera viuentium, quando ſunt conditione mortalitatis obitura mutua poſſint ſucceſſione ſeruari.* Totam igitur cauſam rerum in eadem ſpecie ac natura multiplicandarum, Lactantius refert in naturæ ſpecificæ conſeruationem, ſi ea in ſuis indiuiduis mortalis ſit: ac proinde vbi id cauſæ ceſſet, plures eiuſdem naturæ negat, rectè aſſeri poſſe.

Lactantius.

C

Huic etiam cauſæ adſtipulatur Theodoretus in Epitome diuinorum Decret. capite de Angelis. Cuius verba citabo infrà art. quinto Quæſito vnico, Difficultate prima in noſtræ propoſitionis probatione.

Theodoret.

Neque valet quod reſpondere conantur Molina, Valentia, & expreſsè docet S. Bonauentura, & colligitur ex Alexandro, vt vidimus. Non hanc ſolùm eſſe cauſam, cur ſit multiplicatio ſingularium in eadem ſpecie, ſed etiam eam; nimirum vt Dei bonitas, ſapientia & maieſtas manifeſta fiant, dum plures eiuſdem naturæ adminiſtros habet. Hoc inquam non valet : Primò, quia hoc abſque ratione dicitur. Et certè argumentum, quo nunc vſi ſunt ipſi, æquè facit in ipſos. Oſtenderet enim Angelos non ſolùm vnius ordinis eſſe vnius naturæ, ſed omnium etiam ordinum, quia plures eiuſdem ordinis haberet adminiſtros.

Molina, Valentia. S. Bonauent. Alexander.

D

Deinde contrà eſt : quia ſi illa philoſophandi ratio probanda eſt, quæ ex notis ad ignota progreditur; cùm videamus vt ex Ariſtotele diximus, quæcunque ſunt plura numero materiam habere: huiuſmodi pluralitas ibi neganda eſt, vbi nulla materia ſit, oportet. Eam ob rem benè obſeruauit A. Doctor libro 2. contra Gentes cap. 93. & de ſpiritualibus creaturis q. vn. a. 8. Solem ac Lunam, ac reliquorum ſyderum orbes corruptionis omni expertes, vnum ſolùm in eadem ſpecie ſingulare eſſe; eo quòd ſcilicet rerum natura ſuperuacaneum ſit, plura eiuſmodi indiuidua procreare. Tertiò contrà eſt; quia longè perfectiùs

A Doctor.

E

illa diuina attributa declarantur, ſi Angelorum diuerſæ ſint ſpecies, quàm ſi ſolo numero differant. Nam etiam tunc diuina bonitas pluribus naturis communicabitur. Planè dum illa plura maxima varietate, ac pulchritudine ornantur, artificis ſapientia ſplendet magis. Quandoquidem rerum præſtantiſſimarum varietas incredibile eſt, quantum commendet artificem.

Qua ratione obſtupeſcentes conſideramus florum, herbarum, lapidum ſpecificas naturas tam multiplices, ac multò magis quàm cùm ſimiles cernimus; cùm illa rerum varietas animum delectet magis ac rapiat. Maieſtas denique quantò clarior erit, ſi plurimos habeat adminiſtros excellentioris atque excellentioris naturæ, obſequiis addictos ſuis? Nec dubium eſſe poteſt, quin artificis ſapientia plus admirationi ſit, ſi generum artificialium operum ſit varietas, quàm in eadem ſpecie indiuiduorum. Vt ſi aurifex non annulos aureos modò, ſed & torques, crateres, ſcyphos, canthoros, & reliqua id genus vaſa conflet exornétque. Conſtat ergo probabiliùs aſſeri, Angelos omnes diuerſarum naturarum eſſe inter ſeſe.

Improbabile eſt omnes Angelos eſſe vnius ſpeciei, argumentiſque aduerſantibus ſatisfit.

§. 20.

Ex hac propoſitione ita probata Colligitur primò contra ſecundum dicendi modum in Prima ſentētia, lōgè improbabiliùs aſſeri omnes Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei, quàm ſi ſolùm dicatur eos qui eiuſdem ordinis ſunt in eadē ſpecie differre numero. Probatur ex dictis: Quia rationes allatæ multò magis probant, ſaltem non omnes eſſe eiuſdem ſpeciei, quæ oſtendunt ſingulos ſpecie differre. Nam certum eſt, plus declarari diuinæ potentiæ artificium ſi varias (ſaltem plurimas) ſpecies creauerit, quàm ſi vnam tantùm; & ſic dico de iis qui imperant, & ſimilibus.

Præter has autem communes rationes, peculiares quoque eidem dicendi modo aduerſantur: Nam primò ex S. Dionyſio conſtabit infrà q. 55. a. 3. quod etiam ibi probat A. Doctor, Angelos quo magis ſuperiores ſunt atque altioris ordinis, eò vniuerſaliores ſpecies habere, quibus plura comprehendant connaturali modo; ergo eſt varia natura ſaltem in aliquibus, cui naturarum varietati debeatur naturaliter ſpecierum diuerſitas.

S. Dionyſius. A. Doctor.

Non enim ſatis eſt diſcrimen inter ipſos Angelos in ratione indiuiduante. Nam contra hoc eſt primò : quia diſcrimina indiuiduorum in eadem natura ſpecifica in nobis & cæteris, quę nobis nota ſunt, oriūtur ex varia qualitatum complexione, quæ in eadem ſpecie magis minúſque ſuſcipiunt. Vt quoniam melior fuit diſpoſitio in Petri ſemine; quàm in ſemine Pauli, exorta eſt robuſtior complexio in filio Petri, quàm in eo, qui genitus eſt ex Paulo, &c. Immò hinc fortè perfectior animus (ſi id detur) in ratione indiuidua, quia perfectior forma aptari debet materiæ perfectiùs diſpoſitæ, de qua re alibi. At in Angelis nulla eſt ſimilis comple-

complexio quæ perfectiùs in eadem specie indiuiduum exigat. Ergo de facto non est dicendum esse perfectiores species ob perfectiorem rationem indiuiduantem.

Deinde contra est & fortius. Vniuersaliores enim species non sunt perfectiores tantùm in indiuidua natura, sed etiam in essentialibus prædicatis: Quia non solùm aut eadem repræsentant perfectiùs, aut plura solo differentia numero, sed etiam plures naturas, vt patebit q. citata. Ergo sunt in illis vniuersalioribus speciebus plurium naturarum repræsentationes, & diuersæ; Ergo prædicatis essentialibus distinguuntur.

Quo pacto in intellectu nostro notitia circa hominem prædicatis essentialibus diuersa est à notitia circa colorem, equum, leonem &c. Ergo sunt diuersæ naturales proprietates essentialiter distinctæ: Hoc autem posito necesse est conueniant diuersis essentiis. Etenim ex diuersis naturalibus proprietatibus essentialiter distinctis nō solùm diuersa indiuidua; verùm etiam eorum essentialem diuersitatem, naturámque colligimus, vt Angeli, & hominis, equi, muscæ.

Secunda peculiaris ratio est: quia, vt ostensum est superiore articulo, Angeli plures sunt, quàm omnium rerum species, & omnium specierum indiuidua simul. propterea quod docuit, cœlum amplissimum Angelorum domicilium esse creaturis intelligentibus refertum. Quandoquidem hic Mundus inferior plenus est suis indiuiduis ac varietate specierum, etiam ad ornatum, vt patet ex q. 72. infrà. Ergo & cœlum quod pulchrius hoc mundo inferiore est, debet hac Angelorum varietate esse ornatum, præsertim cùm rerum ordo poscat, vt infima per media, & media per summa gubernentur. Cur ergo hoc inter Angelos esse negandum videatur?

Nec difficile est illius secundi modi argumenta destruere. Ad primum enim S. Bernardi respondeo primò, argumentum, si quid probat, nimium probare. Nam eodem modo ostendi posset, Angelos non esse nisi duos numero distinctos, quia maximè accedunt ad suam originem; nempe Deum; Ergo minimùm debent dispergi ac distingui. Ergo duo sunt. Nam si plures duobus non minimùm dispergerentur. Hoc autem ipsi nec concedunt, nec concedere possunt. Cùm scripturæ apertè doceant, millia millium ministrabant ei, vt diximus super. art.

Deinde dico, probandum fore, omnes Angelos maximè accedere ad suam originem. Dici enim potest, licèt maximè accedant ad naturam diuinam, si comparentur omnes cum natura corporea, quia Deo naturæ nobilitate sunt, quàm corpora propinquiores: Tamen cùm inter ipsos sit quidā naturalis nobilitatis ordo, nego omnes Deo esse proximos: Quia qui nobilissimi inter ipsos sunt, ij Deo propinquissimi; cæteri verò nonnihil distarent per interpositos nobilissimos. Quamobrem ad argumentum dicerem, non esse necesse vt omnes colligantur in vnam speciem, sed summos esse vnius speciei, cæteros in varias dispergi naturas: atque ita non efficitur, omnes vnius esse naturæ atomæ.

Tertiò dico, licet de facto sit aliquis qui proximus sit Deo, eò quòd superiorem non habeat; Tamen simpliciter nullum esse qui ad Deum ita accedat, vt nō possit eo alius esse nobilior. Quolibet enim finito aliud maius & perfectius dari potest. Cùm ergo dicitur in argumento, Angelos debere esse vnos vnitate specifica, quia proximi Deo sunt: dicendum videtur, quia de possibili Angeli qui sunt, non sunt proximi simpliciter, non oportere eos esse vnos. Tandem dico, esto detur proximus Deo Angelus summus, tamen eius naturam nō debere multiplicari; quia quod proximum est Deo, debet quammaximè simile Deo esse. Ergo quoad vnitatem naturæ in specie & numero; ita vt non sit alius eiusdem speciei, quia hoc pacto maximè acceditur ad vnam numero essentiam, qualis est diuina. Nam quòd vna sit in tribus personis, impossibile est in creaturis.

Ad secundum dico, naturam spiritalem corpori iunctam, esse vnius speciei, quia debet multiplicari numero, quod in vno indiuiduo ob mortalitatem seruari perpetuò non potest, vt dixi in argumentis secundæ nostræ propositionis. Quid enim esset mundus inferior, nisi homine tanquam rerum omnium præside ac fine regeretur: Certum namque est, omnium harum rerum hominem esse finem suo modo. *Vtimur enim*, inquit Aristoteles libro 2. Physicor. contextu 24. Aristoteles.
omnibus quæ sunt tanquam propter nos. Sumus enim quodammodo & nos finis. Et apertiùs libro 1. Polit. capit. 5. versus finem docet: quia nihil imperfectum, aut frustra facit, omnia *hominum gratiâ fecisse naturam.* Quod etiam docet A. Doctor q. 3. de Pot. A.Doctor.
a. 18. ad 5. At si causa finalis mouere cesset; cæteræ quoque ab operando desistent causæ. Quoniam teste Aristotele libro secundo Physic. cont. 78. *In* Aristoteles.
quibuscunque aliquis finis est: huius causa agitur quod prius quodque consequens est.

Itaque negatur consecutio ipsi argumento. Non enim est par ratio de creatura spiritali, quæ nexum cum corpore habet, ac de separata à corpore. Illam enim, vt diximus, multiplicari numero oportuit ad finem vniuersi. Hæc verò eadem atque vna consistere posset; nec plures in eadem specie vniuersi ordo deposcit, vt dictum est.

Quod verò ibi additur ex parte est verum; nempe ex mortali corpore prouenire, vt indiuidua hominis multiplicentur. Concedimus enim, id esse verum, assignando causam materialem: (non tamen simpliciter causam, quæ est finalis, & causa causarum, vt habet Aristoteles libro 5. Aristoteles.
Metaphys. cont. 3.) Materialis enim causa cùm sit omnium agentium, & formarum conceptaculum, origo est, vt expellantur nunc hæ nunc illæ formæ, atque ita composita materialia dissoluantur. Quam ob causam rectè Aristoteles libro 1. Physicorum cont. 80. materiam priuatione Aristoteles.
affectam in maleficium procliuem esse dixit. Quamuis ergo materia sit propter formam, non debet tamen aliter esse quàm est. Omnis enim corporum forma intra cœli complexum materiæ contrariorum susceptricis, ac proinde maleficiorum matris sinu recipitur, ac fouetur.

Ad tertium & vltimum respondeo, reparari sedes Angelorum hominum gloriâ, etiamsi homines sint vnius speciei: Nam gratiarum diuersitas, vt non multò antè dicebam, datur hominibus non quidem iuxta naturalium mensuram, sed pro meritis, & pro sacramentorum diuersitate, & pro Dei arbitrio, qui *diuidit singulis prout vult* ad Ephes. 1. Ergo eueuntur homines ad diuersos gradus Angelorum, si gratiæ spectentur. In Ephes. 1.
qua gratiarum varietate collocati erant Angeli iuxta naturarum Angelicarum perfectionem. Itaque hominibus eiusdem naturæ quidem, sed

variis

variis gratiarum gradibus affectis reparatur eorum Angelorum loca, qui variis è sedibus & gratiarum & naturæ ad inferos prolapsi sunt. Quamobrem si reparandæ eædem ruinæ aliis Angelis forent, nō vnius tantum naturæ Angeli assumendi essent, sed vt prius erant, si connaturali modo vt nūc factum est; nempe habito respectu ad subiectas substātias; simile negotium peragendum esset. Atque hæc ad argumēta sanctissimi Bonauenturæ.

Albertus Magnus. Iam ad argumenta Alberti Magni dicendum est. Ad primum autem respondeo; non omnia illa, quæ habent vnum nomen, esse eiusdem speciei. Nam alioqui homo, equus, leo, musca, &c. quia vnum nomen habent; nempe animal, eandem quoque naturam haberent. Quare oportet, vt argumentum probetur ostendere, esse vnum nomen, quod alia nomina sub se non contineat, quæ species diuersas significent; vt est nomē homo, leo, &c. Quod non videtur posse fieri: Nam saltem Cherubim, Seraphim & cæteri ordines sumere videntur species diuersas propter munerum varietatem, quę specificam naturam supponunt, vt diximus. Idémque esset de singulis, si singulorum proprietates apparerent, quia posset singulis imponi nomen specificum, quamuis vnicum esset indiuiduum, vt dicimus Phœnicem, &c. Et quamuis S. Dionysius omnes Angelos vocet cœlestes essentias; non tamen hoc ipso censet esse vnius infimæ naturæ. Probandum enim esset vt diximus, esse nomen illud infimæ naturæ non generis. Ad secundum argumentum dico potius contra suos auctores facere. Etenim si militia habet duces ac milites inter Angelos; ergo est aliquod discrimē inter ipsos naturarum. Quia, vt ostendimus, prælatio originaliter saltē, non est nisi ob naturam nobiliorem. Vnde hæc prælatio remanet inter dæmones, qui omni gratia denudati sunt, vt dictum est. (S. Dionyſ.)

A. Doctor. Ad tertium aio, diuersitatem specificam sumēdam esse ex perfectionibus naturalibus non supernaturalibus, vt rectè docuit A. Doctor q. vn. de Anima ad 4. Ostensum autem est suprà argumentis nostræ propositionis secundæ, varias esse perfectiones naturales, quæ in Angelis naturarum varietatem denotant. Vnde ad argumentum in forma respondeo, concedendo antecedens, & negando consecutionem. Quamuis enim omnes naturæ intelligentes sint perfectibiles vna supernaturali forma, non tamen sunt vnius naturæ. alioqui ostēderet etiam humanos animos esse eiusdem naturæ cum Angelis. Vnde negatur inductio, vt patet ex dictis. Ad quartum concessa maiore negatur minor; & ad eius probationē respōdeo, quòd vnus homo sit alio perspicacior, &c. prouenire ex varia habitudine corporis, quod cessat in Angelis, vt fusiùs modò dixi in Primo *Colligitur*.

In eos qui dubiam de distinctione Angelorum specifica sententiam esse contendunt, eorúmque satisfit argumentis. §. 21.

Colligitur secundò contra quartum dicendi modum in prima sententia, nihil facere contra nos, quæ afferuntur ab iis, qui dubiam sententiam complexi sunt. Non enim tanquam A omninò certum negamus, esse plures Angelos in eadem specie. Nulla enim euincens ratio in mentem venit. Immò quis sanæ mentis certò asserat, ea talia vel talia esse, quæ in obscuritate diuinæ voluntatis, arbitriique reposita sunt? *Quis enim nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Quod quidem si affirmare auderemus, rectè à S. Bonauentura præsumptionis nostra sententia notaretur. (S. Bonauent.)

Nam quòd quidam Thomistę comminiscuntur, id asseri certò posse, quia singularia nō possunt esse plura nisi per materiam, apertè S. Bonauentura ibidem ad 1. *falsum* esse dicit, & suis refellit optimis argumentis. Itaque cùm dicimus, verisimilius esse ob rationes dictas, B reprehendi non debemus. Immò nec reprehensione digni sumus, si dicamus quod verè nunc asserimus; hanc esse sentētiam certam eo pacto, quo certę existimantur illæ sententiæ, quæ eo probabilitatis genere confirmantur, vt nulla probabilior ratio excogitari possit. Vt in physicis; quòd cœlum sit rotundum; quintæ ab elemētis naturæ; moueatur ab assistente Angelo, &c. In Theologicis; quòd Sacramenta physicè agant: quòd non detur species Dei, vt vocant, impressa in Beatorum intellectu ad Deum cognoscēdum, &c. Cùm enim ratiocinamur ex iis, quæ nobis nota sunt, déque iis, quæ à sensibus sunt remota, *si similia concluserimus*, inquit Aristoteles libro C 1. Ethic. cap. 3. *eodem etiam modo vnusquisque debet ea, quæ de aliquo dicuntur admittere*; hoc est in similibus optima ratio est à pari, si aliter non possit. Rationem eius rei pulcherrimam affert. *Est enim* inquit, *eruditi, eatenus exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei natura potest.* Certum autem est de rebus superis exactiorem afferri non posse doctrinam ea, quam nobis nota subministrant: quæ quidem summa censeri debet. Nam nulla alia relicta nobis est via, quàm vt ex notioribus nobis ad naturæ notiora procedamus, vt patet ex Aristotele libro 1. Physic. cont. 2. Et ideò Aristoteles libro 1. de Partibus Animalium cap. 5. initio dixit. *Partem illam æternam, atque diuinam minus contemplari propterea possumus, quod admodum pauca illius, sensui patent, quorum beneficio tum de ea parte diuina, tum de iis quæ* D *nosse cupimus, facultas nobis cogitandi, indagandique suppeditetur.* Sed tamen illa, quātulacumque est, earum rerum cognitio modò, vt diximus, ea rationum firmitate stabiliatur, qua firmior haberi nequeat, magni à philosophantium ingeniis æstimari debet. Nam vt ibidem paulò pòst ait Aristoteles, *Res illas superiores leuiter attingere plus ob earum excellentiam oblectamur, quam si hæc inferiora teneamus.* (Aristoteles. Aristoteles.)

Neque verò Patrum testimonia iis, quæ diximus certa, aduersantur. Esto enim S. Augustinus fateatur ignorare se, quomodo sint Angeli; E non tamen ex hoc negatum posteris est ad res absconditas coniecturis, & verisimilitudine perduci. Eodem modo dico ad S. Damasceni auctoritatem, rem quidem non esse omninò exploratam, tamē probabilius atque adeò tāquam certum posse asseri, quod modò dictum est. Quocirca non erat, cur dubiæ partis auctores in eo laborarent, vt ostenderent tantùm, rem hanc esse incertam; Quid verò veritati magis consentaneum esset, vnde philosophorum industria atque ingeniorum solertia micat, reticerent. Certum enim est, faciliùs quid res non sit, quàm (S. August. Damascen.)

quam quid sit, sciri posse. Ad rationem autem eiusdem partis respondeo; Esto illa diuersa munera sint ex diuina gratia, tamen hoc ipsum arguere diuersitatem naturarum, modò dictum est. Addo etiam quamuis plures Angeli eodem aliquo munere fungerētur, tamen vnumquemque habiturum suum proprium aliud munus, etiamsi ea nos laterent. Si enim Angelorum officia, corúmque distinctionem cognosceremus,

A. Doctor. *perfectè etiam*, inquit A. Doctor infra q. 108. a. 3. *sciremus, quòd quilibet Angelus habet suum proprium officium, & suum proprium ordinem in rebus, & multò magis quàm qualibet stella, etiamsi nos lateat.* Hæc ille. Itaque dico, quamuis officia sint ex gratia, tamen ea distinguere quoque naturas tanquam signa posteriora. Quia distinctio graduū & exe- B

A. Doctor. cutio officiorum, vt ait A. Doctor eadem q. 108. a. 7. *in Angelis est secundum differentiam gratiæ & naturæ.* Vnde *vtraque differentia*, inquit, *in Angelis remanebit post diem iudicij.*

Satisfit argumentis probantium Angelos esse vnius speciei ex Patribus. §. 22.

COlligitur tertiò, verùm contraria sentētia, quæ multitudinem Angelorum in eadem specie ponit, digna sit, quæ sobria & Catholica dicatur potiùs, quam hæc nostra, & A. Doctoris, quam stabiliuimus. Certè quæ pauciores naturas ponit, magis sobriè sentit: Nobis tamen præstat, in Angelica gloria splēdidiùs commorari; neutram tamen negarim esse Catholicam, quando neutra à Catholica fide discordat. Hanc tamen nostram contrariæ sententiæ ob rationum momenta prætulerim: Nam eorum argumētis partim satisfactum iam est; partim sic dari potest facilis responsio.

S. Bonauent. Ad primum enim Sancti Bonauenturæ, nego, non esse aliquas rationes cogentes, quantum in hac materia licet, ad assensus omnibus eius sententiæ argumentis potiores. Ad aliud eiusdem ibidē dico, verum quidem esse è sacris literis elucescere nobis varia Angelorum officia; nego tamē ex iisdem haberi, idem esse multorum officium, eandémque operationem, vt dictum est. Ad secundum quod argumentum est

Alexander. Alexandri dico, in aula regis fore maiorem decentiam, si multi pincernæ nobilitatis varietate præstantes conspiciantur, vt notum est. Ad ter-

Gabriel. Valentia. S. August. tium Gabrielis & Valentiæ ex S. Augustino; respondeo, naturam Angelicam simpliciter apud Scripturas accipi solere pro vniuersitate Ange-

Matth. 22. lorum, vt patet cùm Matth. 22. dicitur de sanctis, cos futuros in cœlo sicut Angeli Dei, & 1.

1. Cor. 13. S. Dionys. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Sic etiam S. Dionysius cap. 7. de Diu. nom. ait;

S. August. Angelos *non congregare cognitionem ex rebus visibilibus*, &c. & alij sæpè. Cùm ergo ait S. Augustinus, Angelicam naturam non totam cecidisse, verum est de vniuersitate Angelorum. Quòd autem hanc intelligat; patet, quia eam cōtraposuit naturæ humanæ, quam pro hominum genere sumit; hoc est pro hominum vniuersitate. Ergo totam naturam Angelicam intelligit pro vniuersa Angelorum multitudine: non autem pro vno singulari. Paulò aliter etiam soluit hoc argumē-

A. Doctor. tum A. Doctor q. vn. de spiritua. creatu. a. 8. ad 1.

A *Loquitur*, inquit, *hic Augustinus de omnibus Angelis sicut de vna natura propter vnum modum ordinis ad beatitudinem, licet differant secundum speciem naturæ.* Hunc autem vnum ordinem dixerat. *Quia tota*, inquit, *natura Angelica vno modo nata est peruenire ad beatitudinem, vel ab ea deficere irreparabiliter; scilicet statim ad electionem.* Ad quartum respondeo, sanctum Basilium in ea tunc fuisse sententia: Basilius. Adeò enim apertè loquitur, vt nullus sit explicationi locus.

Scio equidem, hunc ipsum locum afferri ab A. Doctore opusc. 1. cap. 25. enodarique hoc pacto; quòd Basilius loquatur de Angelica natura generica, in qua Angeli inter se non differunt; sicut nec homo & leo qua animalia sunt. Verùm hæc solutio mihi prorsus difficilis videtur. Etenim Eunomius, aduersus quem disceptat, aiebat, vt patet ex S. Basilio initio eius libri, se à Patribus accepisse, in Trinitate Filium esse ordine ac dignitate secundum, Spiritum verò sanctum esse tertium. Ex quo dicto ipse Eunomius concludebat. Si dignitate & ordine est secundus; ergo & naturá. Respondet Basilius; id non sequi; quia potest quis dignitate secundus esse comparate ad alterum, à quo tamen naturá non differat. *Quod inde patet*, inquit Basilius: *Angeli enim omnes, vt appellationis vnius, sic etiam eiusdem sunt naturæ inter se, attamen alij ipsorum gentibus præpositi sunt; alij verò fidelium singulos consequuntur.* & infrà. *Nam quemadmodum Angelorum alius princeps est,* C *alius subditus, & tamen omnes Angeli naturâ sunt vnum, & in dignitate quædam diuersitas, in natura verò communitas est.* Responsio ergo consistit in hoc. Vt enim probet, non sequi, Filium esse naturá secundum à Patre, etiamsi diuersa sit dignitas, atque ordo inter ipsas personas diuinas: infringit tanquam per exceptionem generalis regulæ illud principium, quod erat basis ac fundamentum Eunomianæ argumentationis; nempe *quæ sunt diuersa ordine ac dignitate, sunt etiā diuersa naturâ.* Infringit autem hac obiectione, quia Angeli sunt dignitate atque ordine differentes, tamen sunt vnius naturæ. Intelligit ergo de naturæ specificæ vnitate; alioqui exemplum, Eunomio, non argumento Basilij satisfecit. Is enim dixisset; diuinas personas, vt dignitate impares sunt, ita na- D turá propria singularum differre, licèt in natura seu ratione generica conueniant: Quod quidem iure refugiebat Basilius. Cui certum erat, personas diuinas vnā naturam numero habere communem, licèt personalitatibus distinguantur. Necesse ergo est, vt Basilius Eunomij argumentationem euincat, intelligat; Angelos, tametsi ordo sit inter illos, esse vnius naturæ. Vt ita, esto sit ordo inter diuinas personas, rectè negetur inter ipsas easdem, naturæ diuersitas. Immò epist. 141. circa medium dicit, *Arrianos*, quos *ingratas creaturas* vocat, nō rectè ex eo quod Chri- E stus dicit: *Pater maior me est*, arbitrari, Patrem esse filio maiorem secundùm naturam. *Angelum namque maiorem Angelo*, inquit, *& hominem homine iustiorem, & volucrem volucri velociorem dicimus. Itaque si collationes inter eos, qui sunt eiusdem speciei, fiunt: Pater verò per collationem dictus est Filio maior, consequenter Filium Patri esse homousium.* Hæc ille. Ex eo ergo, quòd comparatio debet esse in eadem specie, conficit Basilius, Filium Patri debere esse consubstantialem. Cùm ergo hanc eandem comparationem, secundùm quam vnus Angelus dicitur maior, dicat in Angelis reperiri, eos

[Margin: A. Doctor. Basilius. — Eunomius. Basilius. — Eunomius. — Basilius. — Basilius. Eunomius.]

reputat vnius esse speciei.

Basilius. Solum videtur dictis illud obstare, quòd S. Basilius in eo priore loco docet: Non enim solum ait esse vnius naturæ Angelos solum, sed etiam beatos omnes, atque omnes stellas. *Gloriosorum inquit est vna natura, & stellarum omnium natura est*, cùm tamen constet esse naturas diuersas. Ergo eodem modo intelliget, Angelos esse vnius naturæ, solum generice. Veruntamen crediderim ego, intelligendam esse vnam naturam beatorum, qua beati sunt, quia hoc pacto in vnum solum obiectum gloriæ tendunt; nempe in diuinam essentiam. Nam alioqui nō in Eunomium, vt diximus, sed in Basilium ratio militaret. De stellis autem mirum non est, quādoquidem Basilij & ferè Patrum sententia astra omnia in eodem discurrunt cœlo, vt alibi dixi. Ad quintū ex S. Athanasio respondeo, eodem modo; si tamēn ij libri sunt illius; quod negat Sixtus Senensis in annotationibus ad S. Athanasium: Quod valide videtur probari ex eo, quòd citantur ibi auctores Athanasio posteriores. Deinde responderi posset eo modo, quo ad Basilium docentem *primam eorum esse de natura igne*. Respondet A. Doctor in 2. d. 14. q. 1. a. 2. ad 1. Vbi ait; auctoritates sanctorum Patrum in Philosophicis *non esse maioris auctoritatis, quàm dicta Philosophorum quos sequuntur, nisi in hoc; quod sunt ab omni infidelitatis suspicione separati*. Quare dici posset, hanc de Angelis doctrinam, vtrum distinguantur natura, an singularitate a Philosophis acceptam non infringere nostras, & A. Doctoris validiores rationes.

Athanas. Sixtus Senensis. Basilius. A. Doctor.

Nazianz. Videntur etiam contra esse S. Nazianzenus carmine in laudem Virginitatis non longe ab initio, vbi de Angelis sic habet.

—— *omnes*
Inter se miro iungit concordia nexu:
Idem quisque sibi; natura est omnibus vna;
Vnaque mens, magnique Dei rapiuntur amore.

Nyssenus. Ergo illis Gregorij sententiâ est vna natura. S. Nyssenus in libro de opificio cap. 17. vbi cùm dixisset, homines, si primus parens non peccasset, *non nisi quæ est in coniugio ad generis* nostri amplificationem opus fuisset, mouet dubitationem, quonam modo id credibile esse tibi persuadeat; & respondet, eodem modo futuram fuisse propagationem quo Angeli sunt orti, nempe per creationem. Si quis enim ita miretur *eum* inquit *vicissim rogabimus; Quomodo Angeli sint orti, quóue pacto, cùm ad infinita propè multa sint diffusi; & vna natura, & tamen multi esse nequeant*. Itaque putat Angelos multos esse in vna natura.

Nazianz. Cæterùm neuter locus nostræ sententiæ opponi rectè potest. Etenim Nazianzeni sensus liquidò patet. Cùm enim dicat esse vnam naturam, vnamque mentem, non potest intelligere vnam simpliciter nec numero, nec specie. Cur enim significari necesse sit? Intelligit ergo vnam; id est similem. Id enim patet ex eo quod sequitur, *similique Dei* &c. Nam si denotare voluisset vere vnam, subdidisset etiam; *vnoque Dei rapiuntur amore*: Ex vna enim natura vnus amor exprimitur. Cùm ergo dixerit ex natura illa similem amorem: signum est, ipsum nomine *vnus* significare voluisse *similem*. Nec nouum est; vocem illam *vnum* plerumque *similem* significare. Vt exitus omnium vnus fuit: Vnis moribus viuunt: *Rege incolumi mens omnibus vna*. & alia complura.

Nyssenus. Nysseno autem perinde est, siue accipiatur vna in specie, siue in summo genere. Constitutum enim illi erat, vt dixi, ostendere, homines multos potuisse propagari sine coniugio; quemadmodum Angeli vnius naturæ; nempe quomodocunque sit vna, nullo coniugio numero multi sunt.

Ad rationem quæ est sextum argumentum respondeo, si quid probat, id nimium esse; nempe nullum esse officiorum discrimen, vt sit ea similitudo, quæ amorem conciliat. Quocirca dico, esse inter Angelos amoris coniunctionem non solùm ob perfectam charitatem, quæ est vera ac summa amicitia, & inter Deum atque homines, & inter ipsos homines propter Deum, vt alibi dicitur, verumetiam ob plurima beneficia, quæ à superioribus in inferiores Angelos deriuantur, quales sunt illustrationes, quas ij à superioribus edocentur ad statum naturæ, gratiæ & gloriæ pertinentes; de quibus A. Doctor infrà q. 106. a. 1. quæ cùm ad locupletanda sint ingenia, mirum est, quantopere inter beneficia maxima reponantur. Quod idem optime vidit Aristoteles, cum apud Laertium in eius vita dixit, *Dijs, parentibus, ac magistris parem referri gratiam non posse*. Accedit quòd quilibet Angelus diligit alios amore naturali sicut se ipsum ob vnitatem naturæ, secundum quam conueniunt, vt docet A. Doctor hic q. 60. a. 3. nosq; ibi dicemus fusius. Neque obest, quòd amicitia inter æquales sit oportet. Non enim est necesse, vt sint æquales natura, sed proportione, vt docet idem A. Doctor in 4. d. 14. q. 2. a. 1. q[la]. 2. in c. Ratio eius est, quia amicitia fundari debet in ea bonorū communicatione, quæ cuilibet quadam proportione respondeat. Vt patet ex 1. 2. q. 65. a. 5. c. & 2. 2. q. 23. a. 1. & 5. c. & alibi. Optime etiam, licet aliter, huic eidem argumento respondit olim A. Doctor q. vn. de spiritualibus Creaturis a. 8. ad 5. Ait enim; Angelos, quia ob vniuersalem cognitionem, quam de rebus habent, respicere magis vniuersale bonum & commune, quam priuatum: ideoque eorum voluntatem maxime ferri in bonum vniuersale, & commune vniuersi; hinc fieri, vt si specie different, *magis diligant se inuicem, quod magis pertinet ad perfectionem vniuersi, quam si in specie conuenirent, quod pertineret ad bonum priuatum vnius speciei*. Quæ tamen solutio vt vera sit, intelligi debet de voluntate bonorum Angelorum, quæ recta est, & ad honesta procliuis; secus de voluntate dæmonum ob peccatum deprauata, quæ cum ab omni honestate abhorreat, in actus prauos prona est. Vnde & omnis deliberatæ voluntatis actus in dæmonibus *semper est malus*, vt docet A. Doctor infra q. 64. a. 2. ad 5. & nos ibi explicabimus. Ad sanctos Damasc. & Ansel. vltimamque rationem responsio mox patebit in vltimo *Colligitur*.

A. Doctor. Aristoteles. A. Doctor. A. Doctor. A. Doctor.

Colligitur quartò, quid sentiēdum sit de fundamento Partis affirmantis. Cùm enim nos tantum tanquam verisimilius & ad rerum naturam magis accommodatum affirmemus Angelos natura substantiali differre, & certum, ex analogia ad ea, quæ nobis nota sunt; non vtique arbitrabimur; argumento, quo ea sententia vtitur, ostēdi repugnātiam. Verùm quoniam hac de re multa dicenda sunt, vt A. Doctoris mentem explicemus, hæc atque alia eiusmodi ad examen accersam Tertia sequenti Difficultate.

A. Doctor.

Colligitur vltimò quid respondendum sit S. Damasceno, quem in nostram sententiam armāt in eo c. 3. Cuius an sit illud opus dubitat Molina hic. Alij verò aliter dicūt. Mihi tamē clara videtur

Damascenus. Molina.

detur solutio. Ait enim, illas esse species infimas, quibus sola indiuidua singularia numero diuersa continentur, vt Angelus, homo, equus. Non quòd ipse Angelus accipi debeat, vt à viris doctis accipitur passim pro vniuersa spiritalium naturarum amplitudine, sed vt vulgò significari solet, abstrahendo scilicet à differentiis contrahentibus, ac si vna esset species. Exempla enim, quæ ad rem declarandam exponuntur, debent ea esse, quæ vulgaria sint, & notissima. Et ideò non solum Angelum pro exemplo ad vnam speciem declarandam posuit; sed etiam equum, canem &c. Cùm tamen certum sit, si hæc ad veritatis normam examinentur, nullo modo dici posse species infimas, quando canis & equus sub se tam multas contineant equorum, canúmque species. Obiicit etiam Molina locum ex S. Anselmo libro 2. cur Deus homo cap. 21. vbi vltra ea quæ obiecimus ex ipso in tertio dicendi modo suprà, ait, vnum Angelum non potuisse per alium Angelum saluari, quemadmodum homo per hominem redimi potuit. Eius causam docet, quia quamuis omnes sint eiusdem naturæ, non sunt tamen eiusdem generis, sicut homines. Ergo Angeli sunt eiusdẽ naturæ. Cui quidẽ testimonio putant aliqui satisfieri non posse.

Molina. Anselmus.

Equidem tamen facilè dixerim, ideò negari à S. Anselmo, Angelum redimi non potuisse per alium, quia quamuis sint vnius speciei; hoc est: esto sint vnius speciei; Hæc enim particula *quamuis* interdum est concedentis, vt quamuis homo volaret, homo tamen esset; non tamen sunt eiusdem generis: hoc est eiusdem generationis, & deriuationis ab vno capite, sicut sunt homines. Sumit ergo *genus* pro prosapia & familia ab vno. Sic enim inquit Porphyrius cap. de Genere *Orestem quidem dicimus habere genus à Tantalo, Hylum ab Hercule* &c. Sic etiam aliquem dicimus prognatum genere summo. Itaque ad argumẽtũ in eo tertio modo nego affirmari esse vnius naturæ. Ad vltimum diximus, quinam sint effectus, vnde colligamus Angelos differre specie; nimirum diuersa munera quæ in ipsis esse nouimus: quæ, vt ostendimus, arguunt naturarum diuersitatem. Addo etiam, quamuis nullus esset effectus, satis id perspicuũ fore ex eo quòd in Angelis cessat ea ratio, cur in eadem specie indiuidua multiplicentur, vt dictum est.

Anselmus.

Porphyrius.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm possibile sit plures numero Angelos esse in vna specie atoma.

NOn hìc agimus ex mente A. Doctoris, cuius in hac re consilium Tertia Difficultate expendere constituimus: sed absolutè ex natura rei per quamcunque potentiam; sit ne possibilis Angelorum multitudo in eadem specie, disceptamus. In qua controuersia, quæ apud Theologos scholasticos celeberrima est,

Partem negantem sequuntur ij omnes, qui putant A. Doctorem ab hac ipsa parte stare, eiúsque sententiam tueri nituntur; Quos sequenti Difficultate in Prima sententia commodiùs referam. Probant ferè omnes, eo; quòd apud ipsos putatur firmissimum argumentum. Quia scilicet omnis pluralitas in eadem specie

A. Doctor.

A debet esse aut compositorum materialium, aut certè eorum quæ materiam tanquam connaturale subiectum respiciunt; vt fortius confirmabo Tertia, & Quarta Difficultate. Cùm ergo Angeli nec sint composita materialia, nec vllo modo esse possint in materia tanquam in subiecto, nulla Angelorum pluralitas in eadem specie esse poterit.

Sed non desunt alia huic sententiæ argumenta validiora. Primò, quia vt colligitur ex A. Doctore q. de spiritual. creatu. a. 8. in prima ratione; Omnis substantia, quæ necessariò constituitur per differentiam formalem sibi propriam, differt necessariò specie à quacunque alia substantia. B Sed vnusquisque Angelus est substantia, quæ necessariò constituitur per differentiam formalem sibi propriam: Ergo vnusquisque Angelus differt necessariò specie à quacunque alia substantia; atque ita inter se distinguantur specie necesse est; quia vnusquisque à quocunque alio. Maior probatur: quia differentia formalis alicuius naturæ propria eam naturam constituit in sua specie, ac proinde eam distinguit à cæteris. Ergo substantia, quæ necessariò constituitur per formalem differentiam sibi propriam, differt necessariò specie à quacunque alia substantia. Minor probatur: quia vnaquæque C Angelica substantia constituitur per differentiam eius, quod est forma seu actus; nempe Angelus. Ergo constituitur per formalem differentiam. Quod verò hæc sit propria vniuscuiusque; patet: quia illa, quæ est in vno, non est in alio. Ergo quilibet constituitur per propriam.

A. Doctor.

Confirmari potest ex Aristotele, qui 10. Metaphys. cont. 25. docet, marem à fœmina non differre specie, quòd hæ sunt differentiæ materiales. Ergo vbicunque sunt differentiæ non materiales sed formales, erit distinctio specifica à cæteris. In vnoquoque autem Angelo sunt huiusmodi differentiæ non materiales, sed formales: D Quia ipsi sunt actus & forma, & nullam materiam habent. Ergo in vnoquoque est differentia constituens speciem, & distinguens specie à cæteris vnumquemque. Huic rationi similia sunt, quæ habet Ægidius, vt iam dico.

Aristoteles.

Secundò probat Ægidius in 2. d. 3. p. 1. q. 2. a. 3. Si Angeli sunt formæ per se subsistentes, nihil erit in Angelis nisi ipsæ formæ, & quæ formas consequuntur. *Si ergo aliquid sit in vno*, inquit, *quod non sit in alio, vel hoc erit ex diuersitate formarum, vel ex diuersitate sequentium formas. Si sit ex diuersitate ipsarum formarum; ergo Angeli differunt secundùm formas, vel differunt secundùm formales differentias. Dicere autem quòd Angeli differant secundùm formam, & non dicere quod differant secundùm speciem, est dicere quod* E *differant secundùm speciem, & non differant secundùm speciem, cùm idem sit forma quod species*, &c. Si dicantur differre secundùm ea quæ formas consequuntur. Contrà instat Ægidius: Quia *cum non possimus dare differentiam in sequentibus formam, nisi demus differentiam in ipsa forma, oportet quoscunque duos Angelos differre secundùm formam.*

Ægidius.

Reiicit autem Ægidius quoddam responsum, quod dari posset; nempe duos illos Angelos differre secundùm alia, quæ sunt in ipsis: Nam in Angelis nihil est aliud nisi forma, & quæ è forma promanant. Vnde *si vnus habeat*, inquit, *nobilius esse quàm alius, vel nobilius intelligere, vel nobilius quodcunque aliud, quod sit in eo; hoc est, quia habet nobiliorem essentiã, & nobiliorem formam.* Quod ipsum

Ægidius.

confirmat ob imparem rationem, quæ interest inter Angelos & corporalia. *Nam etsi in istis*, inquit, *indiuiduis materialibus possumus ponere differentiam per accidentia sequentia materiam absque eo, quòd ponamus in eis differentiam secundùm speciem, in formis tamen per se existentibus non possumus ponere differentiam nisi per accidentia, vel per quæcunque alia sequentia formam*, &c. idémque *nisi ponamus illa differre specie & forma.*

Ægidius. In quo argumentandi genere obserua lector, tametsi Ægidius initio eius rationis profiteatur, se non loqui de potestate Dei absoluta, *sed secundùm naturæ cursum, & secundum hunc ordinem, quem videmus.* Tamen argumento, si validum est, absolutè probari, nullo modo fieri posse Angelos, qui specie non differant: Si quidem necesse est sit discrimen vel per formam, quæ est natura essentialis; vel per ea quę ex natura essentiali exoriuntur, quæ essentialem diuersitatem præsupponunt.

A. Doctor. Ægidius. Tertiò probatur ea ratione, quam tertio loco significat A. Doctor q. cit. de spiritualibus creaturis a. 8. c. eáque etiam vsus est Ægidius vbi suprà: Quia omnis forma separata à materia in se habet totam perfectionem illius speciei, quam in se concludit. Sed quilibet Angelus est forma separata. Ergo quilibet Angelus habet totam perfectionem suæ speciei. Vnde sequitur, si quilibet habet totam perfectionem speciei, ergo & formalia, & quæ consequuntur ex formalibus; nempe proprietates, & rationem indiuiduantem. Quapropter extra illud vnicum indiuiduum, in quo hæc omnia sunt, non posse dari aliud indiuiduum. Quia extra totum nihil est illius totius. Totum enim & perfectum idem sunt, vt patet ex Aristotele libro 5. Metaphys. capit. de Perfecto. Aristoteles.

Maior argumenti probatur: Etenim quod aliquod indiuiduum non habeat totam naturam speciei, inde est, quod naturam specificam participat, vt sunt indiuidua materialia. Cum enim sint in materia, non sunt ipsa essentia formæ, sed ex forma componuntur, vt homo non est humanitas, nec animus rationalis. Ergo quæcunque forma separata à materia, quæ naturam specificam non participat, sed est ipsa forma subsistens, necessariò debet habere totam essentiam, ac proinde ea omnia, quæ ab ipsa essentia deriuantur. Vnde si esset albedo aut humanitas separata, tota ibi materia esset, nec possent esse plures, vt sæpe docet A. Doctor, & videbimus seq. Difficult. A. Doctor.

Minor autem non habet dubitationem: Quia quilibet Angelus est forma & actus independens à materia. Ergo est forma separata ab omni subiecto. Atque hæc mihi præcipua videntur argumenta, quæ hanc sententiã probare possunt.

Posse plures Angelos esse in eadem specie communior sententia est, & probatur variè. §. 1.

Alexander. Albertus. S. Bonauent. Gabriel. Ricardus. Durandus.

PArtem affirmantem sequuntur ferè omnes Theologi: Eam enim docuit Alexander, Albertus, Sanctus Bonauentura, Gabriel, Ricardus, Durandus & alij, de quibus superiore Difficultate in prima, & secunda sententia. His addo Marsilium in 2. quæst. 3. a. 1. conclusion. 3. Rubionum dist. 3. quæstione quarta, conclusion. 2. Atque ex Thomistis Capreolum, Ferrariensem, Bagnes, & alios, vt patebit Difficultate sequenti. Quin etiam idem puto sensisse Ægidium, cùm dixit, vt vidimus modò in secundo argumento primæ sententiæ, se in his argumentis non loqui de potentia absoluta, sed secundùm naturalem cursum. Ex recentioribus iam citauimus multos in superiore Difficultate, vbi suprà; & præter illos Ioannes Estius in secund. sentent. distinct. tertia, §. 2. idem nouissimè scripsit; aitque, sententiam hanc omnium ferè esse Doctorum. Immò puto certissimam sententiam esse Aristotelis, vt patebit in fine secundi argumenti nostri pro nostra Propositione. Ad solutionem huius Difficultatis sit

Marsilius. Rubionus. Capreolus. Ferrariensis. Bagnes. Ægidius. Io. Estius. Aristoteles.

Vnica Propositio. Potestate Dei absoluta possunt plures Angeli esse in eadem specie atoma. In hac propositione demonstranda incredibile est, quantopere auctorum secundæ sententiæ laboret industria: Quod vt apparere possit, aliquot præcipuorum auctorum rationes examinandas proponam.

Alexander. Ea primò probari potest argumento Alexandri secunda p. quæstione vigesima, artic. 2. Vbi ex eo plures Angelos in eadem specie putat esse de facto, Quia non repugnat creaturæ, vt vna essentia communicari pluribus indiuiduis possit. Ergo Deus, cùm non sit inuidus, communicauit de facto naturam Angelicam pluribus.

Antecedens probat; quia etiam ipsa diuina essentia, licèt sit in se omnino indiuisa; tamen se communicat pluribus diuinis personis. Ergo se communicat pluribus *secundùm suum modum.* Vnde sequitur essentiam creaturæ posse communicari secundùm suum modum pluribus personis. Secundum suum inquam modum; nempe diuisam in pluribus. quia impossibile est, vt alio modo; nempe indiuisa; communicetur pluribus. Vnde ait ita de facto esse: neque enim Deus est inuidus, qui cùm possit naturam præstantissimam, suique simillimam partiri in plures, nolit illos plures eiusdem naturę participes esse. Vix ab hoc argumento differt ratio S. Bonauenturæ in ea d. 3. p. 1. a. 2. q. 1. in tertia ratione. Contendit enim, esse plures Angelorum personas in eadem specie eo quòd Angeli sunt Deo propinqui quoad naturæ perfectionem. S. Bonauent.

Alexander. Attamen hæc ratio, ingeniosè quidem ab Alexandro excogitata, non demonstrat, quod cupit: Etenim non est necesse, vt si diuina natura insit in pluribus personis; quæcunque natura creata hoc ipso in plures partibilis sit: Nam aduersarij dicerent; naturam per se subsistentem à materia penitus auulsam indiuiduam esse se ipsa, ideóque ei repugnare, vt diuisa in pluribus sit. Quapropter conficiendum esset Alexandro, ea in re nullam esse ex natura rei repugnantiam. Quod enim de natura diuina obiiciunt, hoc ab aduersariis declinaretur, si dicerent; Summæ perfectionis esse, vt eadem natura sit in pluribus personis; nec posse communicari, vt vna natura etiam diuisa sit in multis, nisi in iis creaturis, quæ multitudinem in eadem specie habere possunt ob materiam, quam ipsi omnis multitudinis radicem, originémque statuerunt.

Neque

Neque enim omne, quod perfectionis est in Deo, & cum creaturis imperfectioribus communicabile, id ipsum quoque cum creaturis perfectioribus communicabile esse debet, vt patet in ipsa potentia generandi filium, quæ quidem perfectissimo modo est in Deo; Nempe in Patre æterno; minus perfecte in creaturis, quæ generāt sibi simile in natura, vt docet A. Doctor suprà q. 33. a. 2. ad 2. nullo tamen modo in Angelis, qui alium Angelum sibi in natura similem gignere nequeunt, cùm omnis Angelus è nihilo eruendus sit per creationem, non per generationem in rerum naturam producendus. Et similiter respōderi posset ad rationem S. Bonauenturæ. Cui etiā quia fortè erat celebre argumentum illius temporis, respōdet A. Doctor speciatim q. Vn. de spiritu. creatu. a. 8. ad 7. breuiter tamen & perpaucis, vt videre est apud ipsum.

A. Doctor. S. Bonauent. A. Doctor.

Secundò probat Ricardus eadem d. 3. a. 5. q. 1. quia *illæ creaturæ sunt in eadem specie, quæ habent vniuocam similitudinem in essentia, nec se in aliquo gradu completæ suæ essentiæ excedunt.* Sed plures Angeli huiusmodi vniuocam similitudinem habere possunt. quia *esse plures Angelos tales nullam contradictionem includit, siue habeant materiam siue non*; Hoc tamen videtur hoc modo ibi à Ricardo confirmari. Addit enim Angelos, etiamsi in natura essent eo modo similes, adhuc fore distinctos, quia suâmet essentiâ distinguerentur; cum, vt suprà probauerat, vnumquodque sit vnum *numero formaliter per essentiam suam in quantum indiuisibilis salua integritate sua.*

Ricardus.

Hæc quidem ratio est aliquantò firmior; sed tamen dupliciter eius Minor vltima impugnari potest. Nam primò incertum est, quid significare velit Ricardus cum ait, vnumquodque esse vnū numero formaliter *per essentiam suam in quantum*, &c. Cùm enim illa particula *per* significare possit *habitudinem principij secundum omne genus causæ*, vt optimè obseruat atque explicat A. Doctor in 1. d. 32. q. 2. a. 2. c. Vt cùm dicimus, Ignis est calidus per calorem; cœlum mouetur per Angelum; corpus sublunare est corruptibile per materiam cōtrariorum; homo ambulat per sanitatem; hoc est propter sanitatem (quanquam hoc minus rectè sonet) debuisset explicari quid significet illa particula *per*, ne sensus ambiguus in falsitatem potiùs deflectatur.

Ricardus. A Doctor.

Secundò contra illam sic potest argui. Aut enim cùm dicitur, aliquid esse vnum numero per essentiam, significatur causa formalis; vt cum dicitur, homo est homo per animam rationalem: Qua ratione Aristoteles libro 5. Metaphysices cont. 25. eam particulam explicauit teste A. Doctore loco citato; Aut significatur origo ipsius vnitatis; ita quidem, vt sensus sit; est vnum per essentiam; hoc est vnum ab essentia, tanquam à suæ vnitatis origine. Quemadmodum si dicatur; Homo est risibilis per differentiam suam essentialem. Altero enim ex his modis illam particulam *per* sumi oportet, quia aliam habitudinem seu finis, seu alterius causæ habere non potest.

Aristoteles.

At neutro modo facit pro Ricardo illa propositio. Nam si vnumquodque est vnum per essentiam suam, tanquam per rationem formalem, sequitur apertè, eandem essentiam specificam in duobus indiuiduis esse non posse: Quod cum Ricardi doctrina ex aduerso pugnat. Sequela patet: nulla enim forma potest duorum effectorum formalium esse causa formalis; Vt vna albedo

Ricardus.

A vnius albi causa est non duorum; & sic de aliis. Et ratio est clarissima, quia effectus formalis est re ipsa sua forma in subiecto. Ergo si est vna forma, est vnus effectus; non duplex, quia re ipsa esset duplex forma. Ergo essentia illa quæ est forma, vt vnus Angelus siue quodcunque aliud sit vnum numero, non potest esse causa formalis, vt aliud indiuiduum sit vnum numero.

Quod si dicat aliquis; essentiam hanc, non essentiam simpliciter esse causam formalem, vt hoc indiuiduum sit vnum numero. Contra hanc responsionem est: Tum quia hoc pacto non dissoluitur quæstio; Nam adhuc quæri potest ab ipso, per quam formam essentia sit hæc? Si enim B seipsâ: Ergo eadem essentia non potest esse in alio. Si alio formali principio; detur, quodnam illud esse oportet. Tum quia si non est essentia simpliciter; ergo non est hoc vnumquodque per essentiam tanquam per causam formalem. Nam essentia vniuscuiusque indiuidui, essentia simpliciter est; vt essentia Petri, Pauli, Martini est Humanitas &c. Si verò dicat; esse vnum per essentiam tanquam per originem; Cedo formam, cur sit formaliter vnum. Alioqui Thomistæ dicent, principium indiuiduationis esse materiam signatam; & ita eluditur Ricardi argumentum.

Immò nec potest hoc pacto essentia dici origo, vt hoc sit hoc: Si quidem si vt vult Ricardus, C essentia sit in pluribus, non potest esse origo, vt vnumquodque sit hoc. Cum enim essentia sit exempli gratia in Gabriele, & Raphaele, non potest ipsa esse origo in Raphaele, vt Gabriel sit hoc. Vbicumque autem est origo, ibi debet esse quod deriuatur ex origine. Alioqui, si sit sine illo; eius origo non est. Neque enim aliunde colligimus rationem animalis non esse originem risibilis; nisi quia videmus, non quodcunque esse risibile, quòd animal sit; & idcircò in huiusmodi proprietatum causis siue origine assignandis, illud spectari debet auctore Aristotele libro primo Posteriorum contextu trigesimosexto & trigesimoseptimo, aliàs contextu vndecimo, vt huiusmodi causæ reciprocentur cum effectibus, vt D prædicatum sit *secundùm quod ipsum*: Quod eo libro fusè docuimus. Si eadem essentia, quæ est in Raphaele, non est origo in Raphaele, vt Gabriel sit hoc: ipsa non est origo, vt quodlibet eius speciei indiuiduum sit hoc. Confirmari potest: quia cùm essentia ipsa indifferenter sit in hoc aut illo indiuiduo, cùm non postulet magis in vno recipi quàm in alio, non debet ipsa dici origo, vt hoc sit hoc: quia non necessariò ab illa manat hoc, aut illud: Quod in scientiis, quæ sunt de obiecto necessario, animaduerti debet, vt nimirum necessariò ex origine, seu causa effectus deriuentur.

Ricardus. Aristoteles.

E Tertiò probat Marsilius in ea quæstione tertia. a. 1. conclus. tertia. Quia Deus potest facere alium mundum huic quoad omnia similem. Ergo & Angelos, qui sunt præcipuę Mundi partes, posset his, qui nunc sunt, similes procreare, atque ita essent eiusdem speciei; nempe duo Raphaeles, duo Gabrieles, &c. Non dissimili modo argumentatus est Thomas ab Argentina dist. tertia quæstione secunda, a. 2. Ex eo enim quòd Deus potest *producere duas materias solo numero differentes sine formis substantialibus infert; ergo poterit duas formas producere solo numero differentes sine materia substantiali.* Non enim magis conuenit

Marsilius. Thomas ab Argentina.

Scotus. Marſilius. Argentina. Eſtius.

materiæ ex ſe, vt ſit multiplicabilis, quàm formæ. Huc etiam refero argumentum Scoti in eadem d. 3. q. 7. Quo vſus etiam eſt Marſilius; quod etiam confirmare pluribus nititur Argentina, & recentiores magni facere ſolent, Eſtius loco citato & alij. Si enim Deus de facto creat plures animas rationales numero in eadem ſpecie, cur non poſſit & plures Angelos eiuſdem ſpeciei?

A.Doctor.

Verùm his rationibus ſatisfacient contrariæ ſententiæ auctores, ſi dicant: Quæ materialia ſunt, poſſe multiplicari numero in eadem ſpecie; quia materiam principium numericæ multiplicationis in ſe contineant, vt videtur indicare A.Doctor infrà q. 75. a. 7. Si ergò Deus crearet alium mundum ſimilem huic, non crearet Angelos ſimiles in natura ſpecifica, ſed ſimiles in natura generica; vel etiam ſimiles ſecundùm varias proportiones naturarum. Quare alio argumento probandum eſt, id poſſe à Deo fieri. Eodem modo dici poſſet ad illud de materia: poſſe Deum creare varias vnius materiæ partes, quæ aptæ ſint diſtingui ſuis quantitatibus, ſicut & varias formas, quæ ſuis materiis congruant. Harum enim formarũ naturæ ſunt multiplicabiles, quia cohærere poſſunt cum variis diſtinguendi principiis; nempe quia proportionem habẽt cum materia, quæ poteſt affici quantitate; ideóque, quæ ad multiplicationem idonea ſit. Quo etiam pacto expreſsè A. Doctor infrà q. 76. a. 2. ad 1. docuit, humanos animos multiplicari numero ob cõgruentiam & proportionem, quam habent ad diuerſas materias. Ex quibus imparem docet eſſe rationem animarum & Angelorum. Nam *licèt anima intellectiua*, inquit, *non habeat materiam ex qua ſit, ſicut nec Angelus*; *tamen eſt forma alicuius materiæ; quod Angelo non competit. Et ideo ſecundùm diuiſionem materiæ ſunt multæ animæ vnius ſpeciei. Multi autem Angeli vnius ſpeciei eſſe omnino non poſſunt*; Quia ſcilicet nulli materiæ, ex qua diuiſio ortum habet, in eadem ſpecie non congruant; nec, vt ſic dicam commẽſurentur tanquam actus ſuarum potentiarum.

In quo tamen aduerte, extra quæſtionem ab his auctoribus omnes argumẽtationum neruos intendi, vt oſtendant, materiam non eſſe formale principium indiuiduationis, propterea quod tam hominis animus, quàm cæteræ quæcũque formæ ſint ſeipſis, non materiâ tanquam formali principio indiuiduæ: Quaſi arbitrentur, ſe hoc principio veluti huius ſententiæ arce expugnato, triumphi gloriam reportare poſſe.

A.Doctor.

Sed vt non ita eſſe oſtendam, dico huiuſmodi argumenta aduerſarios non ferire; atque eſſe extra quæſtionem: Etenim vel hoc ipſo loco intelligi poteſt, A.Doctori materiam non eſſe formale principium indiuiduationem conſtituẽdi. Si quidem animus rationalis ſeparatus, fatente ipſo, indiuiduum quoddam eſt. Vt enim ibidem ad 2. docet; animus noſter *destructo corpore remanet in ſuo eſſe; & eadem ratione multitudo animarum eſt ſecundùm multitudinem corporum, & tamen destructis corporibus remanent animæ in ſuo eſſe multiplicatæ*. Idémque dixerat eadem q. a. 1. ad 6. Quo autem pacto materia ſit principium indiuidui conſtituendi A. Doctoris opinione, dicam Difficultate ſeq. Quamobrem non erat, quòd ij Theologi; præſertim Marſilius, Argentina, & Eſtius locis citatis laborarent in eo probando; quod animus ex ſe ſit indiuiduum ſubſtantiæ, ac proinde potuiſſe creari ante corpus, vt inferrent nõ eſſe in-

Marſilius. Argentina. Eſtius.

A diuiduum per materiam. Non enim hîc vertitur præſentis controuerſiæ cardo, vt diximus.

A.Doctor.

Sed vt amolirentur hac in re A. Doctoris fundamenta, eò machinas vertere debuiſſent; nempe oſtendendo, non eſſe animas, & formas indiuiduas ob comparationem ſeu reſpectum ad materiam: Quod quidem non video, quanam ratione conficiant. Quamuis enim dicantur tales eſſe ſeipſis & ſua entitate, tamen hinc non deducitur, præciſè ab hac relatione, eſſe indiuiduas ſeipſis: De qua re Difficultate ſequenti.

Scotus. Durandus. Marſilius. Eſtius. A.Doctor.

Quartò probat Scotus vbi ſuprà, Durandus q. 3. n. 4. Marſilius atque Eſtius locis citatis. Quia *ſi Deus poteſt*, inquit Scotus *hunc Angelum in hac* B *ſpecie anihilare. Isto anihilato, poteſt iſtam ſpeciem de nouo producere in aliquo alio indiuiduo; nõ autem in iſto ſecundùm illos, qui ſunt iſtius opinionis*; nempe ſecundùm A.Doctorem, vt Scotus putat ex 4. d. 44. q. 1. *Quia homo ſecundùm iſtos non poſſet reſurgere idem numero, niſi anima intellectiua maneret eadem numero.* Ergo tunc per productionem illam poſt anihilationem eſſet alius Angelus eiuſdem naturæ.

A.Doctor.

Hæc tamen ratio nec aduerſus A.Doctorem, nec ſimpliciter ſolida eſt. Primò quidem nõ ſimpliciter: Dicerent enim aduerſarij auctores, Deum poſſe quidem reproducere Angelum, qui iam abiit in nihilum; eundem ſcilicet numero; non tamen alium numero diſtinctum, eo quòd C talis productio repugnantiam inuoluit; cuius improbandæ doctrinæ aduerſariis incumbit cura: Huc enim, velut in iugulum quæſtionis, intendenda tela; alioqui cùm aliò argumenta vertunt, in auras iaculantur.

A.Doctor.

Deinde quòd nec aduerſus A. Doctorem ſit argumentum, patet. Is enim in 4. ſentẽt. loco citato non negat hominem fore eũdem numero, ſi animam eius Deus deſtruat; Quia ſi eadem anima, & corpus idem repararentur, idem ſine dubio homo erit: Poſſe autem reparari diuina poteſtate corpus idem numero; nempe reuniri eaſdẽ partes materiæ, ibi ex inſtituto probat A. Doctor. Ergo & eundem repararet animum, ſi Deus eum conſeruare deſiiſſet: Quid enim im- D pediat?

A.Doctor.

Quod autem A.Doctor ibi aſſerit, eſt, *Nõ poſſe dici reſurrectionem, niſi anima ad idem corpus redeat: quia reſurrectio eſt iterata ſurrectio: Eiuſdem autem eſt ſurgere & cadere.* Vt patet ex q. 1. a. 1. quæſtiũcula 1. Solùm ergo cùm ſupponat remanere eundem animum, quia immortalis eſt, totus eſt vt oſtendat, oportere redire idem corpus, vt ſit eiuſdem hominis reſurgentis, non alterius vita: Quod ſine dubio ea, quæ ipſe ſubiungit, apertè declarant. *Vnde reſurrectio*, inquit, *magis reſpicit corpus, quod poſt mortem cadit, quàm animam, quæ poſt mortem viuit. Et ita ſi non eſt idem corpus quod anima reſumat,* E *non dicetur reſurrectio, ſed magis noui corporis aſſumptio.*

Verùm eſt tamen, ibi quæſtiũcula 2. ad 3. aſſeri ab A.Doctore, ſi in homine eſſet anima ſentiens ab intellectu diſtincta, vt quidam poſuerunt; Quia hæc obeunte homine interijſſet, in reſurrectione non futuram fuiſſe eandem animam ſentientem, *& per conſequens nec idem animal, nec eundem hominem.* Hoc autem non dixit quòd putet, eundem effectum ſemel destructum redire non poſſe diuinâ poteſtate; ſed quòd non putet, eſſe multiplicanda miracula, vt res quãtum fieri poteſt congruant ad naturam ſuam, ſublatis nõ neceſſa-

necessariis miraculis: Quo pacto ibi in quæstiũcula 3.c. docet, non esse necesse, vt materia, quæ priùs erat sub pupilla v.gr. iterum redeat eidem pupillæ subiecta. Hoc enim esset nouum miraculum, quod non est necesse ponere ad corporis resurgentis identitatem. Sic ergo si anima sentiens corrupta esset, ait non fore eundem hominem citrà nouum miraculum, etiamsi idem rediret corpus, &c. Quod cùm non colligatur esse debere, negat fuisse futurum eundem hominem, ac proinde nec futuram veram resurrectionem. Sic autem ait initio eius quæstiunculæ. *In hac quæstione differt considerare, quid fieri possit sine identitatis præiudicio; & quid fiet, vt congruentia seruetur,* &c. Quòd autem Deus A. Doctori possit iterum reparare effectum iam redactum ad nihilũ patet expressè ex quolib. 4. q. 3. a. 2. opusc. 9. q. 82. fine & alibi.

Scotus. Quintò probat Scot⁹ eadẽ q. 7. Quia *omnis quidditas quantũ est de se communicabilis est, etiam quidditas diuina. Quia nec ex perfectione repugnat sibi, vt patet de essentia diuina; nec ex imperfectione repugnat; quia conuenit generabilibus, & corruptibilibus. Nulla autem est communicabilis identitate numerali, nisi sit infinita. Ergo qualibet alia est communicabilis, & hoc cum distinctione numerali.*

Cæterum hæc ratio ferè corruit ex dictis ad Alexandri argumentum. (Alexander.) Dico enim, quod aliquid communicabile pluribus sit, neque ex perfectione simpliciter oriri, neque ex imperfectione simpliciter. Quemadmodum de pluribus aliis idem dicendum etiam ipsi Scoto est. (Scotus.) Siquis enim ab eo sciscitetur: An potentia videndi, generandi & similes oriantur ex perfectione, an ex imperfectione? Quid respondebit ipse? Si dicat ex perfectione. Contrà est, quia potentia videndi non est in Deo; nec in Angelis inest generandi vis. Si ex imperfectione. Contrà quoque est illud, quod lapides animantibus imperfectiores nec generant, nec videre possunt. Tenetur ergo eodem modo dicere, atque nos modò dicebamus: Ex neutro scilicet simpliciter capite esse; quòd aliqua natura esse in pluribus possit. Sed esse ex eo, dicent auctores partis aduersantis, quod sit summæ perfectionis, essentiam indiuisam tribus personis communicari, partibilem verò essentiam pluribus inesse, ex perfectione rerum materiam aliquomodo spectantium prouenire. Hoc si dicerent, danda opera Scoto esset, vt ostenderet, hæc non verè dici.

Quod si absolutè quæratur, vnde ipsum esse communicabile in plures personas nasci dicendum sit? In primis dico quæstionem hanc apud vtriusque partis auctores difficilem iudicari oportere. Dicant enim ipsi; vnde sit, vt aliqua natura videre possit; generare possit? & nos eodem modò ad propositam difficultatem respondebimus. Deinde tamen dico, satisfaciendum huic esse quæstioni eodem prorsus modo, quo rationem assignamus, cùm quæritur; vnde sit, vt natura creabilis ab omnipotente sit. Par etenim quæstio est; nec solutio debet esse dissimilis. Vtrumque enim creatoris omnipotentiam respicit; siue quæratur, cur aliquid sit creabile; siue cur aliqua natura sit absolutè pluribus personis communicabilis, disceptetur. Neutrum enim nisi relatè ad summam potestatem, à qua nihil repugnat esse, nisi quod contradictionem inuoluere intelligitur. Dico ergo auctore Theologiæ magistro A. Doctore (A. Doctor.) suprà q. 25. a. 3. c. aliquam naturam à Deo esse creabilem absolutè *ex habitudine terminorum. Possibile quidem,* (idemque est, ac si diceretur creabile.) *quia prædicatum non repugnat subiecto, vt Sortem sedere: Impossibile verò absolute; quia prædicatum repugnat subiecto, vt hominem esse asinum.* Quod nunc pono esse verissimum ex disputatis eodem loco. Pari ergo ratione ad quæstionem aio, quòd natura sit communicabilis pluribus personis, propterea esse, quòd plures personas ipsa natura non respuit. Et si quidem descendatur ad eius naturæ veluti species, nempe ad increatam & creatam: Increata ita personas non respuet, vt etiam ob infinitatem indiuisa tres personas poscat: Creata verò ita personas non respuit; vt, si communicetur, in plura indiuidua partibilis esse debeat. Constat ergo nihil validè probari.

Denique, vt cæteræ rationes sileantur, probat idem Scotus. (Scotus.) *Quia qualibet quidditas creaturæ potest intelligi sub ratione vniuersalis absque contradictione. Si autem natura esset hæc, contradictio esset intelligere eam sub ratione vniuersalis, vel vniuersalitatis. Quia ratio intelligendi repugnat omnino suo subiecto intellecto.* Quod Scotus probare prætermittit; sed facilis est eius probatio, vt post patebit.

Sed tamẽ hæc ratio, licet mihi videatur optima, si suis principiis vera ostendatur: Tamen vt iacet, nonnihil languet; Negari etenim potest Maior argumenti. Qui namque dicunt; eam in vno tantum indiuiduo consistere essentialiter, dicent eam esse essentialiter singularem, ac proinde non posse intelligi vniuersalem absque cõtradictione: Nam vniuersale est, quod vnum est aptum esse in pluribus, vt patet ex eius definitione lib. 1. Periher. cap. 5. singulare verò, quod de vno tantùm dicitur, nec de pluribus dici potest, vt expressè habet Aristoteles eodem loco. (Aristoteles.) Quare vniuersale & singulare opponi inter se docuit idem Aristoteles libro primo Poster. cont. 5. Quare probandum superest Scoto; illam naturam ex se intelligi posse communem pluribus; non autem intelligi debere singularem. Deinde etiam posito quod hoc intelligi possit sine contradictione; Tamen possunt dicere aduersarij, non posse multiplicari prouenire non ex ipsa natura secundum se, sed ratione singularitatis, quæ naturæ rationem consequitur; sicut risibile, quod cõsequitur hominis naturam: Quod refutandum esset argumento aliquo.

Probatur ergo propositio meliùs dupliciter.

Angelici Doctoris sententia est plures Angelos esse posse in eadem specie. §. 2.

ET primò quidem, ne quis hanc sententiam putet A. Doctori aduersantem esse, Primum probo ipsum A. Doctorem (A. Doctor.) huic eidem sententiæ patrocinari manifesto eius argumẽto, quod ponit libro primo Sententiarum d. 34. q. 1. a. 1. initio corporis, vbi expressis verbis dum discrimen assignat, cur in Deo sit idem natura & subsistentia, non item in creaturis, ait esse, propterea quòd in illis, in quibus est distinctio inter subsistentiam & naturam, oportet sit aliquid materiale contrahens naturam communem ad esse singulare: Cùm autem hoc non sit in Deo, nulla debet huiusmodi inter hypostasim & naturam

turam esse diuersitas. Verba eius, quia permagni ad præsentem difficultatem interest, vtrum hæc vere dicantur ab A. Doctore, fideliter hic apponere non pigebit. *Dicendum, inquit, quod persona & essentia omnino re in diuinis non distinguuntur. in illis enim, in quibus aliud est essentia quam hypostasis, vel suppositum; oportet quod sit aliquid materiale, per quod natura cōmunis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare. Vnde illam determinationē materiæ vel alicuius, quod loco materiæ se habet, addit in creaturis hypostasis supra essentiam & naturam. Vnde non omnino in creaturis ista idem sunt. In Deo autem non est natura istius subsistens per aliquod, ad quod determinatur sicut per materiam; sed per se ipsum est subsistens, & ipsum suum esse subsistens est. Vnde natura est ipsum quod subsistit, & esse in quo subsistit: Et propter hoc in Deo omnino idem est quod est, & quod, & quo est.* Hæc A. Doctor.

A. Doctor.

Ex quibus verbis sic conficio argumentum probandæ nostræ propositionis gratia. Omnis natura in qua aliud est essentia, & aliud hypostasis seu suppositū, est multiplicabilis in plura numero indiuidua sub eadem specie. Sed omnis natura creata etiam Angelica est natura in qua aliud est essentia, aliud hypostasis seu suppositū. Ergo omnis natura creata etiā Angelica est multiplicabilis in plura numero indiuidua sub eadē specie. Minor patet ex verbis A. Doctoris: Nam *hypostasis addit supra essentiam & naturam in creaturis determinationem materiæ, vel alicuius, quod loco materiæ se habet. Vnde non omninò ista in creaturis idem sunt.* In quo creaturas à Deo distinxit, vt in verbis expositis vidimus. Ergo etiam natura Angelica est, in qua aliud est hypostasis, aliud essentia, quia Deo hac ipsa re ex aduerso creaturæ cōtraponuntur. Maior apertè probatur: quia in omni natura, in qua est aliud essentia, aliud hypostasis; *oportet quod sit aliquod materiale, per quod natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare.* Hæc enim verba manifestè ab eo scripta retulimus. Ergo omnis natura, in qua aliud est hypostasis, aliud essentia, est communis pluribus: Si quidem in ea est quid vel materia vel loco materiæ, per quod natura communis indiuiduatur. Omnis autē natura cōmunis pluribus est multiplicabilis in illa plura, quibus est communis. Non enim aliter natura potest esse communis, nisi tanquam vniuersalis, quod per inferiorum differentias contrahi, coarctarique vel ad species vel ad singularia possit, vt etiam ipse A. Doctor apertè fatetur ibidem ad 4. Vbi ait *quod est commune secundum rationem, sed per additionem alicuius proprij contrahitur & determinatur, sicut genus per additionem differentiæ, & species per materiam indiuiduatur.* Ergo omnis natura, in qua est aliud essentia, aliud hypostasis, est multiplicabilis in plura indiuidua. Ergo omnis natura creata, etiam specifica (quia etiam in hac est aliud essentia, aliud hypostasis, & non minùs quàm in natura generica) est multiplicabilis in plura indiuidua numero sub eadem specie.

A. Doctor.

Ex his A. Doctoris dictis duo animaduertenda sunt pro iis quæ seq. Difficult. dicturi sumus intelligendis. Primum est; non solùm non esse principium indiuiduationis materiam, si absolute loquendū sit; sed ne requiri quidem ordinem ad materiam, vt sit indiuiduum substantiæ. Patet huius dicti ratio: Nam clarè docet, in iis substantiis, quarum hypostasis differt à natura, oportere esse aliquid materię, vel aliquid loco illius, quo natura communis indiuiduetur, vt vidimus. Ergo materia propriè nullo modo requiritur ad indiuiduum, cum sufficiat aliquid loco materiæ, ipsi materiæ proportione respondens. Vnde decepti sunt complures A. Doctoris sectatores, qui materiam signatam ita ad indiuiduantem rationem flagitant, vt sine ea nec esse nec intelligi indiuiduū posse opinentur. Alterum est; omne illud quod naturam ad esse singulare determinat, ab ipso A. Doctore vocari aliqua ratione materiam; siue sit propriè materia, siue aliud quiduis esse deprehendatur. Idcircò enim dixit, vt vidimus. In ea natura, quæ à suo supposito differt, *oportere esse aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur.* Explicans autem, quid sit id materiale, ait, ipsum esse *materiam, vel aliquid loco materiæ*: quod in substantiis abstractis docet esse ipsam determinationem, quam addit hypostasis supra naturam seu essentiam, vt ex dictis liquidissimè apparet. Quæ animaduertenda seriò duximus, ne tam nouus atque illustris A. Doctoris pro veritate locus, in obscuritate silentij in posterum, sicut hactenus, delitesceret.

A. Doctor.

Omnis natura quæ est indifferens ad plura, est multiplicabilis in pluribus indiuiduis, quod conuenit omni naturæ creatæ. § 3.

SEcundò probatur nostra propositio ratione, quam Scotum dereliquisse diximus. Verùm antequam venio ad argumentum principale, Pono, omnem naturam creatam saltem ratione præscindi posse ab eius forma indiuiduante; ac proinde omnem naturam creatam posse intelligi sine eo, quòd intelligatur ipsa hæc aut hæc. Alioqui necessariò intelligeretur hæc aut hæc; & ita ratione saltem non præscinderetur. Quòd autem ratione saltem natura præscindi possit à conditione & forma indiuiduante, probabo infrà Diffic. vlt. hoc eodem quæsito. Hoc autem posito sic arguo ad probandam propositionem nostram. Omnis natura, quæ in sui ratione indifferens est ad plura indiuidua, est diuina potestate multiplicabilis in plura illa indiuidua. Sed omnis natura Angelica in sui ratione indifferens est ad plura indiuidua. Ergo omnis natura Angelica est diuina potestate multiplicabilis in plura indiuidua, ac proinde in plura indiuidua sub specie atoma. Alioqui non omnis natura esset multiplicabilis.

Maior probatur: quia natura, quæ in sui ratione est indifferens ad plura, ex se non magis poscit vnum, quàm aliud indiuiduum. Ergo quātum est ex se, multiplicabilis est in hoc & in illud, Quo pacto natura humana, quia ex se non magis poscit esse in Petro, quam in Francisco, in vtroque esse ac multiplicari potest. Nec si non magis vnum poscit, quàm aliud, ad aliquod vnum tantùm determinari potest. Etenim natura, quæ ex se est indifferens, non potest esse ad vnum tantùm determinata. Hæc enim duo opponuntur ita inter se, vt alterum excludatur ab altero. Immò indifferens est, quod nullā habet determinationem. In quo causa libera à necessaria differt; vt infrà fusiùs dicetur.

Scotus.

Ex

Scotus. Ex hoc autem improbatur, quod vltimo Scoti argumento obiiciebamus; Nimirum etiamsi natura ex se non est determinata, tamen ex aliquo naturam consequenti; nempe singularitate; quæ ex natura sequatur, determinari posse. Hoc inquam reiicitur facilè nostra hac argumentatione. Impossibile namque est, ex natura quantum est ex se indifferenti, sequi necessariò singularitatem, per quam tanquam per quid consequens illa determinetur, vt in vno tantùm singulari esse debeat. Nam primò nullum oppositum est id, ex quo manat alterum oppositum, vt ex calore non fluit frigus &c. ergo nec ex natura indifferente oriri potest determinatio. Vnde quia ex natura diuina oritur, vt sit in tribus suppositis, non potest dici indifferens ad illa, B quia scilicet determinata est, vt necessariò sit in illis.

Secundò, quia quæcunque naturaliter & necessariò oriuntur ex aliquo, naturaliter & necessariò illi conueniūt. Ergo si ex natura indifferente naturaliter & necessariò oriretur singularitas determinans naturam ipsam, ipsa naturaliter & necessariò esset determinata, ac proinde nūquā in aliquo priori etiā rationis posset intelligi indifferens ad illas formas determinantes. Quēadmodum animus rationalis nunquā intelligitur indifferens ad suas potentias, cùm hæ necessariò fluant ab illo: Nec voluntas indifferens ad actus necessarios est; quia necessariò consequuntur ex voluntate. C Alioqui si posset voluntas in aliquo priori intelligi indifferens ad suum actum necessarium, ille procederet ex voluntate indifferente, ac proinde libera: Vnde actus idem esset liber ac necessarius; Quod pugnantia includit: De qua infrà etiam dicemus latiùs. Ratio horum generalis esse potest: Quia nulla proprietas manat ab aliquo, quæ saltem non in illo radicetur, seu sit in illo tanquam in radice seu origine. Ergo si ex natura manat necessariò singularitas determinans ipsam ad singularitatem, ipsa natura est radicitus determinata, ac proinde non potest indifferens esse, quia necessariò determinatur per consequentem formam, vt dictum est. D Constat ergo, illam maiorem argumenti veram esse.

Minor probatur: quia illud est indifferens ad multa, quod ab illis saltem ratione auelli potest, nec ad vnum ex illis ne radicitus quidem, est determinatum. Quod ex terminis notum est: sic enim non poscit ex se determinationem vllam, quandoquidem funditus omninò tollitur determinatio. Quo pacto natura humana est indifferens ad Petrum & Paulum: causa libera ad hunc & illū actū determinatè: quantitas ad hanc & illam figuram, & sic de cæteris. Sed omnis natura Angelica ratione præscindi saltem potest à singularitatibus, vt ponimus ostendendum Difficult. vlt. E nec ad vllam singularitatem radicitus determinatur. Ergo omnis natura Angelica in sui ratione est indifferens ad plura indiuidua. Minor hæc, quoad posteriorem sui partem, sic probatur: Quia illud est radicitus determinatum ad aliquam formam, ex quo illa forma tanquam ex radice pullulascit. Sed ex nulla natura Angelica huiusmodi singularitas pullulascit. Nam intelligi potest eadem natura specifica, siue cum hac, siue cum alia singularitate. Ergo nullius determinatæ singularitatis est radix, quia ideò posset intelligi cum alia. Porphyrius. Quo pacto Porphyrius cap. de Accid. docuit, naturam posse quidem intelligi cum opposito accidente, non tamen cum opposito proprio: Quod verò posset intelligi patet: Nam v. gr. ponamus naturam Michaelis esse sic definibilem essentialiter. *Est substantia spiritalis mundi motiua*; Ita vt hæc particula loco essentialis differentiæ intelligatur. Sicut equi differentiam intelligimus esse vim ad hinniendum. Iam dico, hanc totam naturam spiritalem Mundimot uam posse intelligi eandem, siue intelligatur cum singularitate Gabrielis, siue cum singularitate Michaëlis. Quemadmodum intelligimus eandem naturam Solis; Nempe substantiam corpoream fontem dici; siue hic sit sol, siue mente fingamus alium, vt ex Aristotele mox dicemus. Ergo pari ratione de Natura mundi motiua.

Quamobrem rectè Aristoteles libro 7. Metaphysic. cont. 55. Solis similitudine, Platonis definitiones de Ideis illis suis improbauit. Aristoteles. Aiebat enim Plato, ideas quia erant indiuidua corruptionis expertia definiri posse; Plato. nempe quòd idea esset substantia vna participabilis pluribus. Negat autem Aristoteles, etiam indiuidua singularia inmortalia tanquam vnum singulare essentialiter definiri posse hoc argumento. Aristoteles. Vel enim definirentur per eorum accidentia, vel per eorum substantiam seu formam & essentiam. Non primum: etenim definitio substantiam rei significare debet, non accidentia: ex quo reprehendit eos, qui Solem definiebant astrum, *quod circuit terram, quod nocte absconditur.* Iis enim ablatis adhuc erit sol. *Si enim steterit*, inquit, *aut apparuerit, non erit amplius sol; sed inconueniens est, si non Sol enim substantiam quandam significat.* Nec secundum: Quia eadem essentialia possunt applicari alteri indiuiduo eiusdem rationis; scilicet si fiat alter talis sol, qualis iste nunc cernitur. Ergo non erit propria solis huius defin tio; quæ tamen vt recta sit cum definito reciprocari oportet. *Item quæcunque in alio co tingunt* inquit ibi Aristoteles, *veluti si alter fiat talis, patet quod erit sol. Communis ergo ratio. At sol singularium erat, sicut Cleon aut Socrates.* Hæc Aristoteles. Quibus apertum est: nullam naturam, siue corporalium, vt solis; siue spiritalium, vt Platonis idearum, habere hoc, vt vnius determinantis singularitatis sit radix; sed posse intelligi, pluribus communicabilem; quod erat probandum. Aristoteles.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, non esse recurrendum ad materiam tanquam ad necessarium principium, sine quo nullo pacto indiuiduum esse possit. Nam id nec opinioni A. Doctoris, nec Aristotelæis pronunciatis consentaneum rectè dici potest. Immò ab euidentibus principiis naturæ lumine notis discordat: Quandoquidem nulla natura creata determinatam singularitatem aut inuoluit tanquam essentiale prædicatum, aut tanquam materiam, atque ex se manantem proprietatem, formámque deposcit. Qua in re creatura differt à natura diuinitatis: Quæ singularitatem essentialiter includit, & personarum Trinitatem quasi proprietatem ex mediante diuino intellectu & voluntate posito debito originum ordine, radicaliter, vt sic dicam, nostro intelligendi modo consequentem exigit. Dico *mediante diuino intellectu* &c. quia Durandi Gregoriique sententia nullo pacto admittenda est, dum dicunt omnes personas immediatè ab essentia promanare. De Durandus. Gregorius.

qua

qua re noster Suarez lib. 1. de myster. Trin. cap. 5.

Colligitur secundò in creandis pluribus Angelis eiusdem specificæ naturæ, nullam inuolui repugnantiam, ac proinde id non esse omnipotentiæ diuinæ denegandum. Patet ex dictis: Nam omnis natura creata potest intelligi indifferens ad plura, vt ostẽsum est. Ergo nulla natura creata intelligitur determinata per aliquam singularitatem, siue essentialem, siue necessariò ex essentia consequentem. Non autẽ repugnat id, quod à nulla singularitate determinatur, posse intelligi esse in pluribus. Si enim id repugnaret propterea esset, quia ex se est aliquo modo determinatũ ad vnum; Et ideò singulari, ex eo quod est determinatum ad vnum, repugnat esse in pluribus. Vnde quantum attinet ad hoc, singulare & vniuersale opponuntur, vt ex Aristotele diximus, & patebit magis Difficult. seq. in secundo *Colligitur*. & apertè docet A. Doctor primo Poster. lect. 4. in fine. Si ergo nulla creata natura est determinata ad vnũ, non repugnat intelligi esse in multis; atque ita non inuoluit repugnantiam, si plures Angeli sint eiusdem naturæ. Plura Diffic. seq. & vlt.

Aristoteles.

A. Doctor.

Aduersaria argumẽta nihil virium habere. §. 4.

EX his respondetur ad argumenta Partis negantis. Et ad vniuersale fundamentum illius, negandum est; materiã propriè dictam esse principium indiuiduans, vt dictũ est, & fusius in seqq. Difficultatib. declarabitur. Ad primum autem dico, veram esse Maiorẽ, eiusq; probationẽ in bono sensu. Eã enim Scotus in ea q. 7. distinguit. Quæcunque enim differentia substantiæ, si propria sit & formalis, hoc est ipsi naturæ essentialis, eam constituit in specie, eámq; à cæteris discernit: secus verò, si sit formalis, hoc est quomodocunque in ipsa forma. Possunt enim in forma esse accidentia aliqua, vt albedo quantitati inest.

Scotus.

Sed ad Minorẽ dico, Angelum non constitui hoc pacto per differentiam formalem; hoc est essentialẽ, & indiuiduo Angelico propriam: Nam quęcũq; ponatur essentialis, adhuc alteri & alteri indiuiduo Angelico potest communicari. Omnis enim differentia essentialis in indiuiduo creato est differentia naturæ specificæ vel genericæ; Nam differentia indiuidui, quà tale est, non est nisi principium indiuiduans. v. gr. Petri erit esse hoc, & appelletur *Petritas*; quæ simpliciter Petro non est essentialis: Quia essentiale distinguitur ab eo, quod essentiã & naturam contrahit ad indiuiduum, quà indiuiduum est. Ergo omnis differentia essentialis est communis pluribus indiuiduis, quæ possunt esse, ac proinde nullius determinati indiuidui propria erit, etiamsi ponatur vnicum in eadem specie indiuiduum reperiri, vt de sole ipso dicebamus.

Ad probationem autem Minoris dico, vnamquemque Angelum constitui quidem per formã & essentiam eius, qui est actus, vt argumentum docet; Non tamen sequitur, eam differentiam, quam dicimus Angelo essentialem, esse eius propriam, alterique non communicabilem. Vnde quamuis sit propria ita vnius, vt de facto non sit in alia; non tamen absolutè est eius propria. Qua ratione hanc controuersiam in præsentiarum discutimus, qui de potestate Dei absoluta rem examinamus.

Ad confirmationẽ respondeo, negando consecutionem argumento: Nam cùm Aristoteles eo loco docet, differre materialiter marem ac fœminam, intelligit ex varia dispositione materię; nempe ex vasis & conceptaculis ad formandum fœtum: nõ autem intelligit materialiter; hoc est principio indiuiduate. Nam etiam vnus mas ab altero, principio indiuiduante discernitur. Cùm tamen marem & fœminam magis differre sentiat, peculiari nempe ratione. Vnde simpliciter non est verum, vbicunque non sunt differentiæ materiales, ibi esse specifica discrimina. nisi per differentias materiales aliter intelligatur; nẽpe vbi non sint tantùm differentiæ materiales; hoc est, solæ rationes indiuiduales differentes, ibi concedi potest, naturarum esse diuersitatem. Sed hinc nihil in nos damus argumento.

Aristoteles.

Ad secundum Ægidij respondeo, antecedens, in quo tota eius ratio vertitur, falsum esse, si sumat formã pro essentia, non autem pro ipsa Angeli entitate indiuidua. Nã falsum est, quicquid est in Angelo aut esse formã; hoc est essentiã; aut ea, quæ essentiam consequũtur; nempe proprietates. In nullo namque indiuiduo hęc duo tãtùm rerum genera reperiuntur. Vt ex. gr. in Petro non est solùm humanitas, quæ est essentia Petri; nec solæ proprietates essentiæ, vt esse ratiocinatiuũ, risibile, &c. Sed etiam est principium indiuiduãs species visibiles, humores, & alia accidentia, quę essentiam non necessariò comitantur. Certum enim est principium illud, quod in Michaele est ratio essentiam determinans ad ipsum, nõ sequi ex essentia. alioqui cõtra ea quæ diximus, essentia esset radicitus determinata ad Michaelẽ ipsũ.

Ægidius

Quod si quæras; Vnde ergo erit tale principium: respondẽdum est, id non sequi ex vllo antecedente; sed esse ipsam naturam entitatis, quæ est substantia Angelica, & indiuidua, quæ talis est ex se. Quod vniuersè in omnibus indiuiduis dici oportere, ostensum à nobis est in Metaphysicis. Nã vnaquæque entitas realis seipsa est hęc, & non per aliam formam re ab ipsa distinctam. Entitas enim huius materiæ, quæ est in Petro, seipsa est hæc: Animus Petri seipso est hic, & sic de similibus. Si rursus quæras formalem rationem, cur hæc entitas sit hæc; dixi aliàs in Metaphysicis cum Scoto esse Hæccheitatem. Sed hęc vlteriùs exquirere alterius loci est.

At dices; esse hoc vel illud est modus essẽtiæ; Ergo sequitur essentiam. Respondeo, non esse propriè modum, quia propriè modus modaliter distinguitur à re, cuius est modus: Illa autẽ hæccheitas ratione solùm distinguitur, vt diximus. Neque omnis modus, qui est in aliquo, sequitur essentiam illius. alioqui omnes modi, qui sunt in Petro, essent quoque in Paulo, quia eandem essentiam comitarentur.

Itaque dico, non sequi, sed intelligi esse naturaliter in essentia, vt cum illa constituat entitatem v. gr. huius animi, huius quantitatis, huius Angeli, &c. Quod autem est in aliquo, vt cũ illo tertium quid componat, nõ est necesse sequatur ex illo, in quo est. Vt animus hominis naturaliter est in corpore, vt hominem conflet, nõ tamen sequitur ex corpore. Verum est tamen, sequi ad talem actionem agentis, quæ natura sua tanquam terminum requirit talem vel talem entitatem, in qua sit talis modus, &c. Sed de hoc egimus aliàs in Metaphysicis.

Ad ea verò, quæ ibi addit Ægidius; In Angelo quicquid est nobilius siue sit esse siue intelligere, hoc prouenire ab essentia. Respondeo, si restringatur propositio ad esse, & ad operationes.

Ægidius.

esse

esse veram; Non tamen si absolutè sumatur de quocunque sit in Angelo, vt dictum iam est. Similiter & ad alia, quæ ibi subiunguntur, iam respondimus.

Scotus.

Ad tertium respondet Scotus eadem q. 7. ad argumenta. *Si aliquod*, inquit, *indiuiduum ex hoc solo, quod est sine materia, habet totam in se speciei perfectionem, quæ ex se nata est esse in infinitis, quantum est ex se. Igitur videretur habere perfectionem infinitam ex sola carentia materiæ. Quicquid autem potest habere perfectionem infinitam, habet eam; & ita in qualibet specie esset perfectio infinita. Et per consequens perfectio speciei non esset finita vel determinata per limitationem differentiæ vltimæ, quæ vltimatè speciem constituit addita generi. Quod est falsum, & contra omnes prædictos.* Alia multa ibi addit ad eius propositionis examen. Quasi dixerit A. Doctor, aliquid habere totam perfectionem speciei ex hoc quod abiungitur à materia.

A. Doctor.

Scotus. A. Doctor.

Verum pace Scoti dixerim, non respondet ad mentem A. Doctoris, & ad propositiones argumenti. Cùm enim in eo argumento dicitur; Omnis forma separata à materia habere totam perfectionem suæ speciei; nec intelligitur de forma materiali, quæ a materia separetur, nec de tota perfectione amplificabili in alia & alia indiuidua in infinitum, quæ duo Scotus dici putauit in responsione, vt vidimus modò.

Primum patet: quia sermo est de forma per se subsistente, non per accidens, vt est quantitas in Venerabili Eucharistia, eo quod sit actus per se, vt dicam Diffic. seq. Ergo non intelligit acquiri perfectionem ex separatione actuali à materia.

Alterum etiam probatur: Nam illa forma separata per se subsistens habet totam perfectionem speciei, quæ perfectio illi naturaliter debetur, quia non est in potentia ad aliud nec ex se, nec ratione partis; quemadmodum omne compositum materiale, quod non habet totam perfectionem suæ speciei v. gr. humanitatis: quia est in potētia ratione suæ partis ad aliā formam humanitatis; seu vt sit aliud indiuiduum humanitatis. Potest enim materia, quæ est Petri, fieri indiuiduum quod est Paulus.

Itaque non sequitur, vt vult, esse infinitam. Non est tota nisi quatenus remouet potentiam ad aliud eiusdem speciei indiuiduum, vt contraponatur compositis materialibus; quod non arguit infinitatem. Et hoc faciebat ad institutum A. Doctoris, qui negat esse multiplicabilem Angelicam naturam, eo quòd tota perfectio speciei est in vno; Quia cum nulla sit potentia ad aliud, nulla suæ speciei caret perfectione, ne extensiuè quidem. Et hoc etiam est quod indicauit idem A. Doctor in 1. d. 43. q. 1. a. 1. c. Vbi ait, omnem essentiam, si abstractè non in materia consideretur, esse infinitam.

A. Doctor.

A. Doctor.

Itaque ad argumentum respondeo, & concedo totum, nempe quemcunque Angelum habere totam speciei perfectionem, quæ est in rerum natura & connaturali modo; hoc est vt rerum vniuersitas exigit, ac proinde connaturali modo nihil esse eiusdem speciei extra illum Angelum. Simpliciter tamē posse ab omnipotēte fieri aliud indiuiduum eiusdem speciei. Tunc autem fore totam in vno sed non totaliter, vt philosophi loquuntur. Sicut etiam Deus est totus in quocunq; corpore, sed non totaliter, quia extra illud est quoque in alio. Idemq; dico de animo humano, qui est totus in pede, totus in capite, &c.

A Ad probationem Maioris dico, indiuidua materialia habere quidem totam essentiam suę speciei, quia species sunt sicut numeri indiuisibiles ex Aristotele 8. Met. cont. 10. Sed quia ipsa ratione partis sunt in potentia ad aliud, dicuntur peculiari modo non habere totam naturam speciei quia scilicet illud nō habet aliquod totum, quod est in potentia ad aliquid illius totius; & ita verum quidem est, hominem non esse simpliciter humanitatem, etiam in sensu reali & identico: Quia est alia in potentia in eius parte materiali; sed benè est sua humanitas. At verò Angelus simpliciter est natura v. gr. Mundimotiua, quia ipse non est in potentia ad aliam nec in se, nec ratione partis suæ. Et hoc modo intelligendum esse A. Doctorem patebit magis Diffic. seq. Quamuis si in rigore loquendum sit, nullum suppositum sit sua essentia: Quia abstracta non prædicantur in quid & in recto de suo supposito, vt vel Logicis notum est.

Aristoteles.

B

A. Doctor.

TERTIA DIFFICVLTAS,

Vtrùm A. Doctor existimet absolutè impossibile ex rerum repugnantia plures Angelos in eadem specie esse.

C

Thomistæ ob rei difficultatem non omnes: Immò neque iidem eodem modo de A. Doctoris mente consentiunt.

Partem affirmantem consectantur Capreolus, Heruæus vbi supra in secunda sententia primæ Difficultatis, Caietanus de ente & essentia cap. 4. q. 7. ad quem locū remittit huius articuli disputationē hic a. 4. Ægidius in Correctorio a. 12. in p. p. Idem sentiunt Valentia hic Disputat. 4. q. 1. p. 3. Estius in 2. d. 3. §. . & nonnulli alij in hūc art. In quo etiam sensu Scotus, Durandus & alij in 2. d. 3. q. 5. A. Doctorem impugnarunt.

Capreolus. Heruæus. Caietanus. Ægidius. Valentia. Estius. Scotus. Durandus.

D Fundamētum horum est, quia id apertè significant verba A. Doctoris hic & alibi frequenter. Nam hic a. 4. & libro 2. cont. Gent. cap. 93. planè asserit *esse impossibile*, Angelos plures esse eiusdem naturæ, & de spiritua. Creatu. q. vn. a. 8. sic habet. *Si Angelus est*, inquit, *forma simplex abstracta à materia, impossibile est etiam fingere, quod sint plures Angeli vnius speciei.* Rationem eandem in hoc art. posuit. *Quia quæcunque forma*, inquit, *quantumcunque materialis & infima, si ponatur abstracta vel secundum esse vel secundum intellectum, non remanet nisi vna in vna specie.* Hoc deinde confirmat à pari ex albedine separata his verbis. *Si enim intelligatur albedo absque omni subiecto subsistens, non erit possibile ponere plures albedines; cùm videamus, quòd hæc albedo nō differt ab alia, nisi per hoc quòd est in hoc vel in illo subiecto; & similiter si esset humanitas abstracta, nō esset nisi vna tantùm.* Patet igitur, quia Angelus est separatus à materia, ac per se subsistens, non posse esse plures in eadem natura. Cuius rationem esse putat, quia omnis rerum, quæ solo numero differunt in eadem specie, distinctio; per materiam necessariò esse debet. Ergo omnis forma, quæ à materia sit abiuncta, vna tantùm in vna specie esse potest: nōn plures.

A. Doctor.

E

Quæ doctrina frequēs est apud A. Doct. Nam idem præter locos iam dictos docuit suprà q. 44. a. 1. & infrà q. 75. a. 7. Quo posteriore loco etiam addit

A. Doctor.

Origenes. addit contra Originem, hominum animos ab Angelis specie ac natura differre, non solo numero. *Quia in substantiis incorporeis non potest esse diuersitas secundum numerum absque diuersitate secundum speciem.* Ratio huius ibidem est ei, quam diximus non solùm simillima, sed etiam prorsus eadem. *Quia cum non sint*, inquit, *composita ex materia & forma, sed sint formæ subsistentes; manifestum erit, quod necesse erit, in eis esse diuersitatem in specie.* Et rursus confirmat his verbis. *Non enim potest intelligi quòd aliqua forma separata sit nisi vna vnius speciei: sicut si esset albedo separata, nõ posset esse nisi vna tantum. Hæc enim albedo non differt ab illa nisi per hoc quod est huius vel illius.*

B Adeóque certa visa est ei hæc sentẽtia, vt nullam in suis scriptis doctrinam tam sæpe inculcarit. Sentit ergo non solùm non posse esse; sed ne intelligi quidem. Quod certe non esset verum, nisi esset rerum ipsarum repugnantia; & vt dicitur contradictio ex ipsis terminis. Nam si secus esset, haberet rationem entis: planéque indubitatum est sapientibus; omne quod habet rationem entis intelligi posse; cum cuiuscunque entis proprietas sit, vt ipsum sit intelligibile, vt ostendimus in Metaphysicis.

Pars negans esse absolutam impossibilitatem amplectenda est iuxta mentem A. Doctoris, expenditurque insignis eius pro hac re locus. §. 1.

A. Doctor. PArtem negantem esse huiusmodi absolutam impossibilitatem ex rei natura etiam A. Doctoris opinione sequuntur alij, vt ex Thomistis citatis aliqui; Ferrariensis. Vt Ferrariensis apertè libro 2. contra Gent. cap. 93. § *ad hoc dicendum*: Idemque expresse docuit Capreolus. Capreolus in 2. d. 3. q. 1. a. 3. ad 2. Durandus. Durandi contra 4. concl. §. *Quanto dicitur*, &c. Bagnes. Dominicus Bagnes in hunc art. 4. & alij ex recentioribus non pauci. Fundamentum omnium est: Quia A. Doctor opusc. 16. contra Auerroistas *De Vnitate intellectus* apertè ait; Multiplicari intellectus, repugnantiam non inuoluere. Ergo cùm locis citatis dicit esse impossibile, non intelligit impossibile simpliciter per quamcunque potestatem: sed alia ratione. In qua assignanda, Capreolus. non eodem loquuntur omnes modo. Capreolus enim ait sumi impossibile secundùm ordinem Ferrariensis. rerum nobis notum. Ferrariensis verò vno ex his tribus modis intelligit. Primò quia *sit impossibile secundum multiplicationis modos nobis notos*, in quo non differt à Capreolo. Secũdò quod sit impossibile, *quia non sunt de facto.* Tertiò vt intelligatur impossibile *secundùm opinionem Aristotelis, qui posuit non posse corpora cælestia propter ipsorũ perfectionem secundùm numerum in eadem specie multiplicari.* Ergo multò minùs putaret, posse multiplicari intelligentias. In qua tamẽ ego re Ferrariensis. Aristoteles. Ferrariensi non consentio. Quippe verum non esse aio, non posse absolutè Aristoteli corpora cœlestia multiplicari: Nam vt vidimus superiore Difficultate in fine nostri secundi argumẽti pro nostra propositione, inde negat Aristoteles, posse Solem & reliqua indiuidua immortalia quà indiuidua sunt definiri, quòd eorum definitio si substantialis sit, necesse est conueniat aliis sini-

A libus indiuiduis, si fierent; ac propterea non esset huius solius indiuidui. Quam materiam copiosiùs ex Aristotelis opinione tractãdi, se infra dabit occasio. Ad solutionem

A. Doctor. Notandum est primò, vt obscuram A. Doctoris hac in re mentem, quoad licet inuestigemus; nobis non solum respiciendum esse ad vnum vel alterum eius locum, etsi sibi inter se consentiant; Verum multò magis ea ponderanda esse quæ tradit, vbi ex instituto & accurate de aliqua re disputat; etiamsi ibi aliis aduersari nonnihil videatur locis. In hac autem proposita quæstione ille mihi singularis videtur locus, vbi agit de intellectus vnitate contra Auerroistas. Qui est inter A. Doctoris opuscula decimum sextum. Ibi enim sibi proponit, funditus euertere Auerrois atque ei consentientium errorem: Auerroes. Quòd vnus sit intellectus numero in omnibus hominibus, ita vt intelligens animus, quo cuncti mortales suam promunt intelligentiam, vnus numero in omnibus sit. Qui error vt Christiano generi in primis perniciosus, ex instituto, edito peculiari opusculo ab A. Doctore A. Doctor. tuendæ diuinæ fidei gratia validè confutatur. Proponam autem eius verba, non solùm vt huius quæstionis obscuritatem ipsorum luce illustremus; verùm etiam vt ipsorum verborum duplex nectar tum veritatis tum magisterij delibemus. C Is ergo loco citato §. *Restat autem* hæc verba habet, quæ fideliter vt ab ipso scripta sunt, referam. Quippe quæ totius huius construendæ doctrinæ tanquam basis ac fundamentum à nobis deinceps supponentur. *Valde autem ruditer argumentantur*, inquit, *quod Deus facere non posset, quòd sint plures intellectus eiusdem speciei; credentes hoc includere contradictionem. Dato enim quòd non esset de natura intellectus, quòd multiplicaretur, non propter hoc oporteret, quòd intellectum multiplicari includeret contradictionem. Nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quod tamen habet illud ex alia causa. Sicut graue habet ex sua natura, quod non sit sursum: tamen graue esse sursum, non includit contradictionem. Sed graue esse sursum secundùm suam naturam contradictionem includeret. Sic ergo si* D *intellectus naturaliter esset vnus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis. Quod non tantum dicimus propter propositum, sed magis ne hæc argumentandi forma ad alia extendatur. Sic enim possent concludere, quod Deus non posset facere, quòd mortui resurgant, & quod cæci ad visum reparentur.* Hactenus A. Doctor. In qua re

Notandum est secũdò, Ex his verbis nos posse quinque colligere; in quibus vt notabimus, niti oportet explicationem tradendæ deinceps doctrinæ. Primum autem est: A. Doctorem, vt A. Doctor. Auerroistæ. E diximus, disputare contra Auerroistas; Qui aiebant vnum esse intellectum; hoc est vnam substantiam intellectu præditam in omnibus hominibus immaterialem & per se subsistentem, quæ tanquam forma omnes homines rerum intelligentiam habeant. Id quod patet tum ex verbis citatis, tum ex initio eius opusculi, vbi perspicuè hoc se impugnaturum A. Doctor profitetur. Et A. Doctor. ratio est omninò euidens: quia non potuerunt putare Auerroistæ, intellectum, qui est affectio Auerroistæ. quædam intelligentis substantiæ, atque eius accidens, separatim in se absque subiecta substantia consistere. Cùm quod ait Aristoteles lib. 5. Aristoteles. Metaphys.

Metaphys. cont. 35. Accidens dicatur, quod inest alicui præter eius substantiam. *Dicitur etiam accidens*, inquit, *vt quæcunque existunt in vnoquoque secundùm se non existentia in substantia.* Nec nouum est apud Aristotelem, ac Peripateticos, intellectum frequenter vsurpari pro substantia intelligente, quod copiosè infra probabitur à nobis q. 54. a. 4. Alterum est, ipsos Auerroistas arbitratos esse, nō posse multiplicari hunc intellectum à Deo; existimantes in eius multiplicatione repugnantiam inuolui; propterea quòd suā naturā non sit multiplicabilis, vt patet ex initio horum verborum, quæ posuimus, *Credentes hoc includere contradictionem.* Tertium est; intellectum abstractum, ab omnique materia seiunctum, qualem arbitrabantur illi Auerroistæ, A. Doctoris sententiā multiplicari numero posse à Deo, vt vidimus. *Posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa.* Neque in hoc quicquam absolutè repugnans comprehendi.

Auerroistæ.

Ex quo etiam sequitur, eiusdem A. Doctoris opinione multiplicationē in eadem specie posse etiam fieri in iis, quæ materiam non respiciunt, quod valdè animaduerti oportet. Nam Auerroistæ illi ab A. Doctore in eo quoque reprehenduntur, quòd ponebant intellectum illū, quem abstractum putarunt, à Deo non multiplicabilem, *credentes hoc includere contradictionem.* Ergo intellectus abstractus A. Doctoris opinione multiplicabilis in eadē specie est. Quartum est, posse dici aliquid pugnantia includere secundùm suam naturam: etiamsi simpliciter cōparatè ad Deum nihil repugnās contineat. *Dato enim quod non esset de natura intellectus*, &c. Quamobrem rectè dici posse; Vt mortuus ad vitam resurgat; Vt cæcus in pristinum oculorum visum redintegretur, impossibile est; nempe secundùm suam naturam: Deo tamen impossibile non est. Vt autem hæc omnia altiùs animo infigantur,

A. Doctor.

Auerroistæ. A. Doctor.

Notandum est tertiò, quintum quod colligi ex A. Doctoris mente oportet, optimè confirmare omnia illa quæ dicta sunt; Nempe non satis esse ad mentem A. Doctoris quod dicunt aliqui recentiores; nimirum A. Doctorem ibi asserere: Id quod non conuenit rei ex principiis naturalibus, posse illi conuenire simpliciter: Non tamen docere posse ea multiplicari numero, quæ non habent materiam. Dico inquam hoc non satis esse: Nam docet expressè posse supernaturali causa fieri, quod implicat pugnantia ex suis naturalibus: idque A. Doctor docet, vt ostendat, supernaturaliter multiplicari posse intellectū, quem immaterialem; id est à materia omninò abiunctum, vnúmque in omnibus hominibus asserebant Auerroistæ, vt vidimus. alioqui nec ipsorum doctrinam impugnasset A. Doctor, nec confirmasset suam. Hoc enim primo loco illi constituendum erat, vt multiplicabilem ostenderet intellectum illum, quem illi multiplicari non posse asseuerabant; nempe intellectum possibilem, quem dicunt substantiam abstractam esse à materia. Vt hinc deinde conficeret, multiplicabiles quoque esse hominum animos, etiāsi corporum formæ ponerentur. Nam frustra concutere tentamus alicuius auctoris conclusiones, nisi earum principia euertamus, è quibus ille idem auctor suæ conclusionis veritatem semper posset ostendere.

A. Doctor.

Auerroistæ. A. Doctor.

Et hanc ob causam A. Doctor improbat eo loco, intellectum non posse multiplicari; vt fal-

A. Doctor.

A sum ostendat, quod inde consequens erat; nimirum intellectum in omnibus hominibus esse vnum. Vult ergo carentiam materiæ non impedire, quominus absolutè plures fieri intellectus queant. Neque esse bonam argumentandi rationem, si quid fieri natura non possit, id nec Deo ipsi esse possibile. Ideoque concludit, se eadixisse non tantum *propter propositum*; nempe vt ostenderet, multiplicari posse intellectus substantiam; *sed magis ne hæc argumentandi forma ad alia extendatur.* Quod bene illustrat exemplo de graui, vt declaret posse Deum facere, quod naturaliter nullo modo potest esse. Ex his ergo euidenter constat, A. Doctori Angelos omni materia carentes multiplicari posse in eadem specie, & videndum superest, quo pacto A. Doctor intelligendus sit cùm ait, id esse impossibile omninò, nec intelligi, aut fingi posse, vt dictū est in parte affirmante.

B

Duplex impossibilitatis genus ex Aristotele & A. Doctore, & quo pacto hic accipi debeat. §. 2.

PRo hac re Notandum quartò ex his est, aliquid esse impossibile dupliciter. Primò quidem absolutè eo quòd implicationem absolutè & simpliciter redarguentem demonstremus; Nimirum vel in ipsis terminis enunciationis inclusam, vel ex illis consequentem. Vt si quis dicat fieri posse, hominem non esse hominē. Tunc enim prædicatum subiecto repugnans est. Et hominem esse leonem. Tūc enim ex prædicato deduci potest, quod est leo esse non hominem, &c. Atque hoc quidem adeò est impossibile, vt ne possit quidem fieri per Dei absolutam omnipotentiam: Quia scilicet quod repugnantium terminorum implicationem includit, nullam entis rationem habet: ac proinde nec fieri à Deo potest. Quandoquidem omne quod fit ens aliquod sit necesse est. Quocirca creaturam aliquam fieri quæ non sit creatura: infinitam esse quantitatem in eorum opinione, quibus id impossibile omninò visum est, & alia similia; quia entis rationem non continent, rectè impossibilia dicimus esse.

C

D

Alio modo dicitur impossibile, quia vel difficilè fieri possit, vel non soleat fieri, vel certè, si secundùm rerum dispositionem nobis notam meritò censeatur, fieri non posse. Vt cùm dicimus impossibile, vt is, qui ab exortu cæcus est, aliquando videat; vt animus hominis corpori rectè disposito à Deo nō infundatur; vt Sol crastina die non oriatur: vt Deus alium mundum creet: Meritis sua præmia non retribuat, &c. Cuius vtriusque impossibilitatis expressa mentio est apud Aristotelem libro 1. de cœlo cont. 111. *Impossibile*, inquit, *dicitur dupliciter: Aut enim simpliciter, quia non est verum dicere quod factum vtique erit, aut quia non facile, neque cito aut bene.* Vbi tamen animaduerte cùm ait Aristoteles, impossibile simpliciter esse, *quia nō est verum dicere quod factum vtique erit*: intelligere id quod in ipsis terminis inuoluit repugnantiam. Repugnant enim hæc duo ex sese. Quòd scilicet falsum sit quod verum est: Nam illa prædicta verba hoc significant. Verum enim est affirmare quod futurum est.

E

Aristoteles.

est. Si ergo hoc dicatur non esse verum; terminorum repugnantia est.

Vnde non placet, quod quidam dixerunt, Aristotelem hic docere. Impossibile simpliciter esse illud, quod nunquam futurum est. Non placet autem duplici ex causa. Primò, quia id est contra Aristotelis mentem, vt ex verbis allatis patet. Deinde quia falsum est Aristoteli, impossibile esse quod futurum non est. Nam eodem libro 1. de cœlo cont. 119. hæc duo planè distinguit, vbi docet; Cùm tu sedes, aut citharam non percutis, *falsum quidem esse dicere te stare aut citharizare, non autem impossibile.* Etsi enim nunquam esset futurum, vt sedens surgeret, tamen non est impossibile vt ille surgat vt mox patebit. Quamquam vt rectè pergit Aristoteles, *simul stare, & sedere, & diametrum commensurabilem esse, non solùm falsum est, sed etiam impossibile.* Quibus declarat impossibile absolutè & simpliciter: quia in ipsis enunciationis terminis apparet, repugnans esse quod dicitur. Est ergo impossibile & simpliciter & ex causis naturalibus. Pro qua re meliùs explicanda

Aristoteles.

Notandum est Quintò, vtrumque impossibilium genus apertiùs alibi exprimi ab Aristotele: Nam libro 9. Metaphysic. cont. 8. negat expressè primum illud genus posse vllo modo esse; reprehenditque, qui dixerunt ea possibilia quidem esse, nunquam tamen futura. *Si enim hoc possibile est, non tamen erit,* inquit, *quænam impossibilia sint hoc modo fugiunt nos, vt si quis dicat diametrum commensurari, non tamen commensurabitur, non cogitans quidnam impossibile sit;* Quia scilicet hoc impossibile non distinguunt à possibili. Vnde subdit proximè. *Nihil enim prohibet aliquid possibile existens aut esse aut fieri: non esse nec futurum esse.* Hoc ergo impossibile est ob terminorum repugnantiam.

Aristoteles.

Alterum genus impossibilium ex causis naturalibus, hoc est secundùm quod rerum vniuersitas postulat, significauit apertissimè eodem libro nono cont. decimoseptimo. Vbi negat in cœlo possibilem esse quietem, eo quòd asserit cœlum non esse potentiâ nisi ad vbi seu ad motum & ad quale. idcircò subdit contextu decimooctauo. *Neque timendum esse ne quando stet Sol: Quod metuunt quidam naturales; Non enim fatigantur, cùm hoc faciunt* astra, *eo quòd motus eis non est circa contradictionis potentiam, quemadmodum corruptibilibus; ita vt laboriosa sit eius continuatio.* Impossibile ergo putauit, solem quandoque stare. Sed tamen vt dixi, id putauit non simpliciter impossibile, sed ex connaturali modo agendi in causarum vniuersitate. Nam libro 7. Metaphysic. context. 55. vt antè dicebamus, improbauit Solis definitionem; nempe esse astrum quod *circuit terram, aut quod noctu absconditur;* eo titulo quia potest Soli non competere hæc definitio. *Si enim steterit, aut apparuerit non erit ampliùs sol.* Ergo putauit simpliciter non repugnare Soli quod stet, aut quod nocturnis horis appareat. Secus eam definitionem minimè reiecisset, quasi possit non conuenire Soli. Hoc ergo duplex impossibilium genus etiam Aristoteli perspectum fuisse, nemo ex Peripateticis inficiari debet.

Eandem impossibilium diuisionem paucis complexus est, explicauitque aliis tamen verbis Angelicus Doctor q. 6. de Pot. a. 1. ad 11. Vbi vnum facit impossibile logicum, seu mathema-

A. Doctor.

A ticum, *Et huiusmodi* inquit *impossibile contradictionem claudit, & per se est impossibile,* nec potest fieri à Deo. Vocat autem Logicum, seu Mathematicum; quia, vt ipse ibidem ait, Logicus & Mathematicus considerat tantùm res secundum sua principia formalia, ac proinde nihil est illis impossibile, nisi quod est contra formalem rei rationem. Alterum facit impossibile physicum, cuiusmodi est id, quod in natura est impossibile, relatè scilicet ad causas secundas, vt is qui cæcus est videat, mortuus rediuiuus sit. Et hoc Deo impossibile non est. Quia *nihil prohibet* inquit *Deum posse facere ea, quæ sunt agentibus inferioribus impossibilia.*

B Concludendum itaque ex dictis est. Cùm hîc & alibi ait A. Doctor, Angelos in eadem specie multiplicari, fieri non posse: non debere eius sententiam intelligi primo modo, vt ipse fatetur opusculo citato. Ergo satis apertè sequitur, vt sit tantùm impossibile secundo modo. Et quidem in hac re rectè sentiunt Ferrariensis & Capreolus in Parte Negante; Dum opinione A. Doctoris negāt Angelorum pluralitatem in eadem specie repugnare primo impossibilitatis genere; licèt quoad secundæ impossibilitatis explicationem illis non omnino assentiendum sit, vt non multò pòst explicabitur.

A. Doctor. Ferrariensis. Capreolus.

C Verumtamē hoc etiam posito, nimirum quòd A. Doctor intelligat non posse Angelos multiplicari in eadem specie, hac posteriore impossibilitate, difficile admodum videtur, quo pacto hoc impossibilium genus vocetur simpliciter impossibile: Nam solùm videtur eorum impossibilium, quæ ex parte, & vt dicitur secundum quid impossibilia sunt; nempe secundùm determinatas ac certas causas, scilicet secundas: non autem absolutè secūdùm omnes, ita vt dici possit impossibile sine additamento, & simpliciter. Et tamen A. Doctor absolutè dixit, impossibile esse, Angelos multiplicari numero, vt vidimus.

A. Doctor.

D Pro qua tamen re

Notandum sextò, familiare esse A. Doctori, philosophari in rebus remotissimis à sensibus, secundùm principia nobis nota. Primùm quidem remouendo ea omnia, quæ absque ratione & gratis dicuntur. Cùm constet id, quod ait Aristoteles libro 2. de cœlo cont. 59. esse verissimum. *Naturam nihil absque ratione & frustra facere*, atque ita de naturalibus non sine ratione philosophandum. Quo pacto ibidem Aristoteles ostendit, hoc eodem principio astra debere esse orbiculatæ figuræ; quia cùm ex se immobilia sint, eam figuram habere debuerunt, quæ huic immobilitati congrueret; quam rotundam esse contendit, *propterea quod nullum habet organum ad motum.*

A. Doctor. Aristoteles.

E Deinde excludendo etiam ea, quæ fieri citra miraculum non possunt. Qua de re locus insignis A. Doctoris est in hac p. p. quæstione 99. a. 1. c. Vbi; *in omnibus*, inquit, *asserentes sequi debemus naturas rerum præter ea, quæ auctoritate diuina traduntur, quæ sunt supra naturam.* Cui consonant ea quæ docet eadem p. p. quæst. 101. a. 1. *Vbi auctoritas* inquit *deficit, sequi debemus naturæ conditionem.*

A. Doctor.

Id quod adeò vsitatum est A. Doctori, vt vel in eo sacramento, quod est miraculorum omnium plenissimum, nolit plura esse miracula, quàm quæ ex vi verborum sacramentalis formę significantur, vt ipse expresè docet 3. p. q. 77. a. 1. & 5. vtrobique in c. Adeò vt quia non significatur

A. Doctor.

catur in Eucharistiæ forma, quod redeat materia prima panis, quæ iam verbis consecrationis esse desiit; cùm Christus sub panis accidentibus esse cæpit: neget cum ex quantitate sacramentali generentur vermes &c. huiusmodi animalia componi ex materia. Arbitratur enim ne in eo quidem sacramento, multiplicari ea oportere miracula, ad quæ ponenda nulla eiusdem sacramenti necessitas, aut ex notis ratio nos cogat. Vult ergo ea animantia solum ex forma substātiali & quantitate constare; Vt patet ex eodem a. 5. & nos latè diximus ibidem, rectéque explicat Ferrariensis libro 4. contra Gentes cap. 66. Quem philosophandi modum ex notis, & remotis iis, quæ pro arbitrio absque ratione dicuntur, ab Aristotele comprobari suprà a. 2. diximus Quæsito 2. Diffic. 1. & a. 1. Quæsito vlt. Diff. vlt. Dico ergo posita hac trita philosophandi ratione rectè dici *simpliciter*; hoc est sine additamento, quæ consueto naturalium rerum cursui repugnant, esse impossibilia. Pro cuius probatione

Ferrariensis.

Notandum est septimò, Hanc A. Doctori impossibilitatem ita explicatam, rectè simpliciter impossibilitatem nominari, probari posse. Primò, quia consuetum id omninò est A. Doctori: Nam 3. p. q. 75. a. 6. c. apertè ait, in venerabili Eucharistiæ sacramento sub accidentibus panis facta consecratione non posse remanere formam panis. Quia neque in sua materia remanere potest. Esset enim totus panis, quod falsum dixerat. *In alia autem materia remanere non posset, quia propria forma non est nisi in propria materia.* Hoc ergo simpliciter dicitur impossibile, cùm tamen solùm sit impossibile ex connaturali rerum modo. Nam Deo possibile esse vnam formam è sua in alienam transferre materiam quis neget?

A Doctor.

Clarius etiam est, quod ibi subdit; Nimirum eandem formam panis non posse remanere à materia separatam; quia *iam esset forma intelligibilis actu & etiam intelligens, nam omnes formæ à materia separatæ sunt tales.* Quæ si citra rerum naturam intelligantur, omninò falsa sunt: Nam si absoluta Dei potestate separata sit forma lapidis, num hoc ipso esset forma intelligens? Num quia quātitas in eodem Eucharistiæ sacramento auulsa manet à subiecto, idcircò inter intelligentes formas reputanda? Similiter eadem 3. p. q. 77. a. 1. c. negat, accidentia panis, peracta consecratione, posse remanere in aëre circumstante tanquam in subiecto, eo quòd *aër* inquit *non est huiusmodi accidentium susceptiuus*; aitque *non posse esse quod vnum accidens idem numero manens sit quandoque in hoc, quandoque in illo subiecto.* Quibus simpliciter negat, ac si putaret, esse impossibile simpliciter. Et tamen id non ita est. Nam ibidem ad remouendam aduersariorum responsionem; Quod scilicet id Deus miraculosè faciat: subdit, non quidem hoc esse Deo impossibile: sed hoc ita non fieri de facto, cùm verbis consecrationis talia miracula non significentur. *Nec potest dici* inquit *quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis; quia verba consecrationis hoc non significant; Quæ tamen non efficiunt nisi suum significatum.*

Innoc. III. Vnde quamuis ex Innoc. III. referat eadem q. 77. a. 8. ad 1. accidentia in calice mutare subiectum, eo quòd afficiunt liquorem si apponatur. *Cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur*: Tamen ait, non sic est intelligendum, vt idem numero accidens verè migret secundùm substantiā suam, sed secundùm actionem per quam accidentia immutant vicina subiecta, & *afficiunt liquorem appositum.*

Dicit ergo simpliciter hæc fieri non posse, si naturalibus sese habeant modis, rerúmque naturæ congruentibus. Hoc enim pacto nec vna forma transfertur in aliam materiam, nec separata manet, nisi sit intelligens: Quæ omnia quia eo loco copiosè explicantur à nobis, nunc prætermitto ea de re plura disserere. Deinde id ipsum probo ex consueto nostro loquendi more: Nam hoc pacto simpliciter & rectè dicimus; Impossibile esse crastino die non oriri solem: Eum, qui iam morti proximus est, non posse viuere: Ædificium quod optimè fundatum ac constitutum sit, non posse corruere: Animum non posse corpori rectè disposito non infundi; & alia his similia, quæ omnium auctorum consensione roborari possunt. Ratio horum omnium est: Quia illud potest simpliciter proferri, cùm sine vlla explicatione solet intelligi id quod significatur. In communi autem modo loquendi, cùm hæc dicimus, intelligitur sine vlla explicatione de impossibili naturaliter, & secundùm causarum ordinem constitutum: Hæc namque in mentem veniunt, cum hæc audiuntur, si nihil aliud apponatur.

Itaque cum optimus philosophandi modus sit philosophari ex notis, seclusis iis, quæ absque ratione, & non sine miraculo dicerentur, rectè simpliciter dicitur, non posse Angelos multiplicari numero in eadem specie: Quia non solum nulla est ratio, ob quam id asseratur; verumetiam rationes contrariæ valdè obstant, vt dictum est super. Difficult.

Materiam siue signatam siue non signatam non esse A. Doctori principium formale indiuiduationis. §. 3.

SEd contrà obiiciat aliquis ex fundamento A. Doctoris satis apertè ostendi, ipsum existimasse certam multiplicandis eiusdem speciei Angelis repugnantiam esse: Quia materia signata eius opinione est principium constituens ipsum singulare indiuiduum; siue, vt dicunt, principium indiuiduationis. Ergo cùm in Angelis non sit tale principium, non potest esse prædicta multiplicatio. Antecedens ex multis locis probari posset, si alibi de eo disputatum non esset. Respondetur primò A. Doctoris sententiā, materiam siue signatam, siue non signatam, non posse poni tanquam principium formale, quo singulare indiuiduum constituitur. Nam primò id patet in Angelis. Licet enim differant specie, in singulis tamen speciebus est verè aliquod singulare indiuiduum, vt manifestum est ex A. Doctore in hac q. 50. a. 3. vbi concedit esse Angelorum multitudinem plura numero distincta continentem. Et ad Primum ait, *In Angelis esse numerum, non qui est quantitas discreta, causatus ex diuisione continui; sed causatus ex distinctione formarum, prout multitudo est de transcendentibus*: Deum autem esse maximè singularem & indiuiduum, qui diuinitatem suam pluribus, qui Dij sint,

A.Doctor.

A.Doctor.

A.Doctor.

sint, impertiri non potest, ostendit A. Doctor p.p. q.11.ab art.3. Ipsas quoque personas diuinas esse indiuiduas, patet ex A. Doctore q.2. de Pot.a.1.ad 3. *In filio*, inquit, *ipsa relatio filiationis tenet locum omnium principiorum indiuiduantium in rebus creatis. Propter quod dicitur proprietas personalis: ipsa autem natura diuina tenet locum speciei.* Vnde ibidem ad 10. *Quia*, inquit, *alius filius in diuinis esse non potest, ipsa filiatio est proprietas personalis ipsius, & hoc quo, vt ita dicam, indiuiduatur.* Est ergo ratio rei singularis indiuiduæ propriè, etiam vbi nulla est materia, & consequenter materia nequit esse principium formale illius.

A.Doctor.

Præterea est insignis ille locus ex libr.1. sent. d.34.q.1.a.1.initio cap. Vbi, vt obseruauimus super. Diffic. in primo nostro argumento pro nostra propositione, generatim docuit, naturam communem indiuiduari vel per materiam; vel per aliquid loco materiæ. Ergo vt natura communis intelligatur fieri singularis indiuiduatione, non requiritur materia ipsa, nec ordo ad materiam, vt ibi ex verbis A.Doctoris ostendimus. Immò ne in ipsis quidem substantiis compositis ex materia, hęc potest esse forma eiusdem indiuidui. Sicut enim forma est rei compositæ forma; ita hæc forma est huius rei singularis forma. Nam materia ex se eadem numero variarum substantiarum pars componens absolutè esse potest, forma autem magis propria huius est.

A.Doctor. Immò A. Doctoris sententiâ potissimum ex forma sumi debet identitas indiuidui & singularis: Nam constat corpus variari mutatione ac deperditione partium; quia tamen animus idem est, simpliciter dici idem indiuiduum. Quod etiã patet: quia in resurrectione, quælibet particula materiæ redire non poterit, cum eadem potuerit esse plurium. Ergo potissimum dicetur idem numero ex forma.

A.Doctor. Et ne hæc videatur ratio ab A.Doctoris mente aliena, affero locum egregium ex hac p. p. q. 47.a.1.c. Vbi negat esse verum quod antiqui aiebant; entia distinctionem suam sortiri siue à materia, vt volebat Democritus; siue à materia & efficiente causa, vt Anaxagoras. Vtrumque refellit duobus argumentis. Primum quia sua etiam est materiæ distinctio. Ergo hanc oportet in altiorem causam referre. Deinde quia *distinctio rerum est per formas proprias: Non ergo distinctio est in rebus propter materiam.* Quasi dicat, formæ potissimum attribuendam esse distinctionem: Nam etiam ea, quæ est in materia, distinctio, est per formas seu ex formis, ad quarum distinctionem materia distinctionem suam habet. Sanè

Aristoteles. Aristoteles libro 7.Metaph.cont.49.dixit, actum esse qui res distinguit: Quod verum præsertim est in sententia eorum, qui materiam negant actu esse, nisi per formam; Quod Thomistis omnibus mirè placet.

Secundò aio, materiam siue signatam siue alio modo, ne requiri quidem ad rationem, quæ rem singularem facit. Patet eodem argumento, quia sublata omninò materia Deus atque Angeli sunt res singulares atque indiuiduæ. Ergo ad eam rationem non requiritur. Præterea, quia satis

A.Doctor. est aliquid loco materiæ, vt ex A.Doctore antè diximus, per quod natura communis contrahatur ad esse singulare. Ergo etiamsi omninò absit materia & ordo ad ipsam, erit verè singulare. Tertiò aio, ne opus quidem esse materia, vt formæ compositi materialis sint plures nume-

A ro in eadem specie etiam A.Doctoris opinione. Nam infrà, quæstione 76.a.2.ostendit, humanos animos in eadem specie pro hominum multiplicatione esse multiplices: Et tamen certum est, eosdem animos auulsos à materia subsistere posse per sese, vt ipse probauerat q. 75. a. 2. & 6. Ergo ne in iis quidem formis materia necessariò postulatur, cùm illæ formæ à materia non dependeant, vt subsistant indiuiduæ ac singulares. Itaque negandum absolutè est, materiam siue signatam siue quouis modo, aut esse principium formale rei indiuiduæ, aut ad illud necessariò requiri. Vt autem quam breuissimè explicemus, quæ sit A.Doctoris mens in ea toties affirmanda sententia.

B Notandum octauò est, per materiam signatam nihil aliud ab A.Doctore intelligi, nisi materiam ipsam quantitate, reliquisque accidentibus affectam, quibus est hæc numero materia & nõ alia. Quod ipse planè docuit q. 2.de Verit. a. 6. ad 1. & q.16.de Malo a. 1. ad 18. & in scripto super Boëtium de Trinit.q.4.a. 2. & sæpè alibi. Idémque colligitur ex hac p. p. q.3. a.3.& q.44.a.1.& in hac quæstion.50.a.4.& alibi frequenter. Idémque etiam expressit Capreolus in 2.d.3. quæst.1. a.3.ad argument.con.2.conclusion. Quamuis autem magna sit controuersia inter Thomistas; quonam modo verum esse possit, materiam signatam rei indiuiduæ principium esse: Qua de re multa Suarez Disputation. 5. Metaphys. integra section. 3. Vbi etiam omnes ferè eius explicandæ sententiæ modos confutat; Tamen iis omnibus prætermissis, vt veram A.Doctoris sententiam inuestigare conemur, illud diligenter expendere oportet, quòd materiam quantitati subiectam dupliciter videtur fingi posse constituere rem indiuiduam. Vno quidem modo rem ipsam indiuiduam intimè componendo; & hoc pacto non debet intelligi, eam rei indiuiduæ esse principium. Ratio est luce clarior, quia non potest esse res composita sine suo principio componente. Ergo non posset res indiuidua secundùm rationem rei indiuiduæ esse sine materia affecta quantitate, si hæc est principium componens; quod ex dictis patet, falsum esse in Angelis, animo humano, & cætera. Addo etiam ne in cæteris quidem formis materialibus, siue sint substantiæ siue accidentia, id verum esse. Hæ namque si diuina potestate à materia seiungantur, erunt quidem indiuiduæ; non tamen eas componente materia. Pro qua re A Doctor. Capreolus. Suarez. C D

Notandum est nonò, Non facere contra hanc doctrinam, quod ex A.Doctore retuli in Parte affirmante, cum dicit; Si esset albedo separata, eam fore vnam numero, nec participari à pluribus posse. Nam primò id dictum non oportet accipi absolutè & comparatè ad diuinam omnipotentiam, vt rectè obseruat Capreolus vbi suprà ad 2.Scoti. Quod etiam colligi potest ex A. Doctore Quodl. 7. a. 10. Vbi quærit, Vtrùm à Deo fieri possit, vt albedo aut alia qualitas separata sit indiuidua sine quantitate, & apertè respondet posse diuino miraculo fieri, *vt albedinis natura absque quantitate subsistat, tamen illa albedo non esset; sicut hæc albedo sensibilis; sed esset forma quadam intelligibilis ad modum formarum separatarum, quas Plato posuit.* Hæc ille. Vnde deinceps discrimẽ assignat inter quantitatem atque albedinem separatas, quod quantitatem A.Doctor. E Capreolus. A.Doctor.

quantitatem indiuiduam separatam imaginari possumus, vt duas lineas, &c. At verò *plures albedines eiusdem speciei sine subiecto imaginari est impossibile.* Quod pertinet ad id quod dixerat, hanc albedinem sensibilem non esse. Vnde proximè subiicit. *Et sic patet quod albedo non indiuiduatur nisi ex subiecto;* Nimirum vt sub sensum cadat imaginationis; &, vt ipse dixit, ita vt eam imaginari possimus. Tunc enim foret indiuisibilis. Indiuisibilium enim nec sēsus nec imaginatio est, cùm sensile omne quantum sit, necesse est. Vt enim ait Aristoteles libro de sensu & sensili capit. 8. in fine. *Quod sensibile omne magnitudo est, & non est indiuisibile sentire; manifestum est.* Negabit ergo A. Doctor, illam albedinem sine subiecto cadere posse sub phantasiæ sensum, non autem negabit eam sine subiecto indiuiduam esse posse, si ad diuinam omnipotentiam comparetur, nec hac ratione plures esse posse separatas, vnquam negaturus est.

Aristoteles.

B

A.Doctor. Quod etiam illustri eiusdem A. Doctoris auctoritate confirmatur: Quia in hac p.p. quæst. 47. a. 2. c. totam rationem, cur inter res omnis expertes interitus sit vnum tantùm indiuiduum, non refert in absolutam rei repugnantiam; sed in id, quod frustra ad conseruationem speciei ponerentur plura. *Videmus*, inquit, *quod in rebus incorruptibilibus non est nisi vnum indiuiduum vnius speciei, quia species sufficienter conseruatur in vno.* Ergo quantumuis res sit à materia separata, non idcirco non est multiplicabilis in plura, quæ speciem participent, quia id omninò sit impossibile, sed quia inutiliter est ad speciem suam. Idem etiam patet in hac ipsa quæstione a. 3. ad 4. Vbi respondet huic argumento; nimirum quòd Angeli non sunt plures, quia sunt veluti radij diuinæ bonitatis. Vnde cùm radij non multiplicentur, *nisi secundum recipientium diuersitatem*, Angeli multiplicari non possunt, qui nullam habent materiam recipientem. Huic ergo respondet referendo diuersitatem atque Angelorum multitudinem in *diuinam sapientiam diuersos ordines excogitantem*; non autem in materiam, quam negat esse causam distinctionis, vt dixerat q. 47. a. 1.

C

Quòd si aliquis diceret, sermonem esse de diuersitate secundùm speciem. Contrà est, quia absolutè loquitur de distinctione, & nondum reiecerat distinctionem Angelorum in eadem specie. Præterquam quòd dixisset facilius esse diuersitatem ex materia in eadem specie. Eam verò quæ secundùm speciem est, Deo disponente constitui. Huc etiam mirè facit, quod ex insigni illo loco in 1. distinct. 34. quæstione prima a. 1. paulò antè dicebam; nempe rem indiuiduari interdum per aliquid loco materiæ, vt significet non semper exigi materiam, vt aliquid sit indiuiduum. Vult ergo eam distinctionem esse à forma, quæ diuinæ sapientiæ optimè explorata est. Vt sicut forma simpliciter se habet ad res simpliciter distinguendas, ita hæc ad has; ipsa verò se ipsa distinguendi principium sit. Vt ita in omni rerum serie deueniatur ad primum. Atque hæc de primo modo. Vt autem alius modus intelligatur,

D

E

Notandum est decimò, alio modo materiam posse esse principium rem indiuiduam constituendi; Nimirum ita vt nullo modo ipsa principium intimum sit, sed extrinsecùs accedat, vt causa determinans agentis actionem, per

A quam potiùs hunc effectum numero gignat, quàm alium; atque ita sit principium rei indiuiduæ, hoc est principium originarium, vnde prouenit, vt sit hic numero, & indiuiduus effectus, & non alius. Qua ratione si aurum esset origo, vt in eo efformaretur statua Cæsaris, non autem Platonis, aut cuiusuis alterius, diceretur principium indiuiduæ statuæ. Ab eo enim origo esset, vt hoc numero indiuiduum esset exclusis aliis.

Atque hoc quidem modo mihi videtur A. Doctor materiam existimasse indiuidui principium esse; nimirum tanquam originarium principium extrinsecùs determinans causam effectricem. Probatur autem, quia non est necesse, vt materia indiuiduum componat, vt probatum est. Ergo non requiritur, vt principium intimè constituens indiuiduum. Immò ipse A. Doctor suprà quæstione vigesimanona, a. 1. apertè ait: *substantiam indiuiduari per se ipsam, sed accidentia indiuiduari per subiectum. Dicitur enim hæc albedo, inquantum est in hoc subiecto.* Quod etiam habet quæstione nona de Potentia, art. 1. ad 8. Ergo sentit, materiam non esse principium indiuidui constituens, alioqui fieret substantia indiuidua non se ipsa, sed per aliquid sui, nempe per materiam, & præterea falsum id de formis substantialibus esset, quibus materia non potest esse principium componens, cum sit eis subiecta. A.Doctor.

A.Doctor.

Quam equidem doctrinam primùm colligo ex eodem A. Doctore suprà quæstione tertia, a. 3. Vbi expressè docet, formas abiunctas se ipsis esse indiuiduas. *In his*, inquit, *quæ non sunt composita ex materia & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuidualem, id est per hanc materiam, sed ipsæ formæ indiuiduantur*, & cætera. Similiter ex illa distinctione trigesimaquarta, quæstione prima, a. 1. vbi docet naturas communes indiuiduari vel per materiam, vel per aliquid loco materiæ, vt vidimus. Materia ergo non pertinet ad principia indiuiduum componentia. Atque ita reliquum est, vt sit principium originarium modo explicato, quia nullus restare alius modus videtur. Secundò, quia hunc modum apertè significat A. Doctor infià quæstione septuagesimasexta, a. 2. ad 1. cùm ait, *Secundùm diuisionem materiæ esse plures animas vnius speciei*, ideóque plures Angelos eiusdem speciei esse non posse. Quibus verbis denotat, materiæ diuersitatem esse ad diuersitatem animorum. Quod etiamsi fingere cupias, non potest aliter intelligi, nisi vt materiæ diuisio sit principium originarium extrinsecus determinans, vt Deus agens eam indiuiduam animam procreet, quæ corpori sic disposito conformetur. A.Doctor.

A.Doctor.

Quod etiam manifestè deducitur ex eodem A. Doctore p. p. q. 85. a. 7. vbi expressè docet: *Quantò corpus est meliùs dispositum, tantò meliorem sortiri animam, quia actus & forma recipitur secundùm materiæ capacitatem*, & cætera. Ergo materiam putat non alio modo esse principium talis animæ, quàm suâ dispositione talem sibi exigendo, quod est esse originarium, atque extrinsecus determinans efficientem causam. Et ideò ibidem ad 3. clarissimè ait, *diuersitatem formæ, quæ non prouenit nisi ex diuersa dispositione materiæ, non facere diuersitatem secundùm speciem, sed secundùm numerum.* Rationem docet: *Sunt enim diuersorum indiuiduorum diuersæ formæ secundùm materiam* A.Doctor.

riam diuersificata. Itaque diuersæ numero formæ sunt ob diuersas dispositiones materiales. Quod idem est, atque esse principium extrinsecus determinans effectricis causæ actionem. Nimirum quia materia tali modo disposita tales indiuiduas in se formas sibi congruentes ab efficiente deposcit. Id quod est determinare agens ad talem formam numero potius quàm ad aliam. Est ergo materia principium indiuidui non constituens, sed originarium & extrinsecus determinans agentem causam, vt multiplicentur indiuidua in rebus corruptibilibus A. Doctoris opinione: Est autem materia eiusce rei origo: Quia aliunde prouenire non potest: Nam agens quantum est ex se, indifferens est ad hanc vel illã efficiendam formam, vnde si variè disponatur materia ad agentis actionem, erunt varij effectus. Atque ita rectè omninò dicitur materia vario modo disposita, origo talium aut talium indiuiduorum, ac proinde multiplicium in hac aut illa specie, vt ex locis A. Doctoris citatis planum est.

A. Doctor.

Resolutio difficultatis, & nonnulla loca ex A. Doctore declarantur de Filio Dei, Ideisque Platonicis, & formis separatis per se subsistentibus. § 4.

A. Doctor.

HIs positis ad difficultatem respõdetur, & sit Vnica Propositio. Nullo modo A. Doctor absolutè existimauit esse impossibile, Angelos multiplicari numero in eadem specie.

Probatur primò: Quià id apertè docet in opusculo 16. citato: Vbi accuratè disputauit de multiplicatione naturæ intelligentis, vt ostẽsum est Notando Primo.

A. Doctor.

Deinde, quia nullum est argumentum, quo ex A Doctore huiusmodi impossibilitas ostẽdatur. Nam si quod esset, certè illud: Quia materia est multiplicationis indiuiduorum principium. Hoc enim argumento in hoc art. & alibi vtitur, vt vidimus. At hoc non probat absolutè: quia materia non est nisi principium originarium sua dispositione extrinsecus determinans efficientem causam, vt hoc efficiat potiùs quàm illud. Vnde si necessaria sit causa, ex necessitate vnum illud procreabit; si verò agat ex libero arbitrio, vnum quidem etiam determinatum gignet; sed nonnisi vt rerum naturis se accommodet, & secundum modum, & cursum earum connaturalem effectus producet; Et hoc modo determinabit agens infinitum, si ad rerum exigentiam dare effectus velit. Alioqui pro arbitratu suo nulla præiacente materia, innumerabilia indiuidua multiplicari possunt, Vt plures animi humani, ipsæque plures materiæ, plures albedines separatæ &c. Vt ostendimus ex A. Doctoris sententia in Notandis.

A. Doctor.

Tertiò probatur: quia nunquam A. Doctor negauit possibile esse, Angelos multiplicari in eadem specie, quia id repugnantiam contineat: Nam id solùm ostendit, vel quia nõ datur prius, & posterius in eadem specie; vel quia carent materia vt suprà vidimus, quæ solùm procedunt ex connaturali causarum dispositione & cursu.

A Vnde vt diximus in Notandis ex q. 47. a. 2. agens infinitum ne quicquam præter naturæ ordinem faciat, vnum tantum indiuiduum in rebus immortalibus procreat; ne cum satis commodè species seruetur in vno, quicquam in Mundo frustrà faciat. Quod etiam indicat A. Doctor infrà q. 119. a. 1. c. A. Doctor.

Certè vbi A. Doctor absolutè ostendit repugnare, esse plura indiuidua eiusdem naturæ, alio quam ex materia, vsus est argumento. Vt cùm suprà q. 11. a. 3. ostendit, non posse esse plures Deos. Id enim conficit, non quia Deus caret materia. Nam & in Angelis natura communis indiuiduatur per aliquid proportionale materiæ, vt modò vidimus ex d. illa 34. Sed quia Deus est B suâ essentiâ singularis. Quare nullo modo ab aliis Diis eius natura participabilis est. *Illud enim,* inquit, *vnde Sortes est homo, multis cõmunicari potest, sed id vnde est hic homo, non potest communicari nisi vni tantum.* Quo pacto Deus est, quia *Deus secundùm idem est Deus, & hic Deus.* Atque ita consentaneè docet; *Si Sortes per id esset homo, per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures Sortes, ita non possunt esse plures homines.* Quæ omnia optimè verèque dicuntur. Hanc ergo rationem in ea de Deo doctrina firmanda vsurpauit; non autem illam ex materia, quia arbitratus est ex hac ratione repugnantiam ostendi: ex illa verò nonnisi fore aduersus connaturalem agendi modum. Plu- C ra huc spectantia dicentur in solutione contrariarum ratiocinationum.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, quomodo idem A. Doctor intelligendus sit q. 2. de Pot. a. 4. c. ad finem, cùm dicit, in diuinis *non posse esse plures filios in eadem specie existentes, cum ibi non sit materia, quæ est principium distinctionis secundùm numerum in eadem specie.* Quibus significare videtur absolutè per quamcumque potestatem, vbi non est materia, ibi nec plura secundùm numerum esse indiuidua eiusdem naturæ. A. Doctor.

Colligitur inquam ex dictis, intelligi oportere hunc locum secundùm connaturalem generandi modum, quem videmus in rebus. Duo D enim in eo art. A. Doctor facit; Vnum est absolutè ostendere, non posse esse plures Dei filios: & hoc probat ex absoluta impossibilitate. Quia scilicet in diuinis nulla est alia ratio Filium cõstituens, *nisi sola relatio filiationis, quæ etiam est eius personalis proprietas, & qua non solum est Filius, sed etiam hoc suppositum, vel hæc persona.* Ex qua verissima doctrina optimè infert, ipsum esse Filij non posse in quouis alio reperiri: quia *suppositum esset communicabile, quod est contra rationem suppositi indiuidui vel personæ.* Filius ergo Dei non potest nisi vnus esse. A. Doctor.

Quod argumentum, vt meliùs intelligi pos- E sit, sic formo. Quandocumque filius constituitur in esse filij per aliquid incommunicabile, non potest esse nisi vnus filius. Sed Filius Dei constituitur in esse filij per aliquid incommunicabile. Ergo Filius Dei non potest esse nisi vnus. Maior est certa: Nam si essent plures filij, hoc ipso ratio filij esset communicabilis, quia pluribus communicaretur. Minor patet ex verbis relatis; quia constituitur per ipsius proprietatem; &, vt dixit A. Doctor per hoc suppositum singulare, quod est ratio incommunicabilis. Esse enim communicabile *est contra rationem,* inquit, *indiuidui suppositi vel personæ.*

Remouet

Remouet statim quandam responsioné; nempe si quis diceret, Quod vna filiatio constituit hunc filium, alia alium: Remouet autem hanc responsionem optimo argumento; quia scilicet oporteret, *Quod esset in diuinis materia, aut aliquid aliud distinguens, quam relatio*: Nempe ratio constituens filium non deberet esse relatio, quæ est huius propria, sed vel materia, vel aliquid aliud. Ergo non sola materiâ distingui indiuidua, patet.

Alterum est: quia cùm idem alia quoque ratione ostendisset; nempe quia Deus pater naturâ determinatur ad generationem filij: *Natura autem determinatur ad vnum.* Impugnat quod dicere quis posset; nimirum esse plures filios in eadem specie. *Sicut*, inquit, *apud nos accidit.* Hoc B inquam impugnat, quia *ibi non est materia, quæ est principium*, &c. quæ ratio etiam optima est, quia non affertur simpliciter, sed ad eam responsionem impugnandam; Nimirum quia *possunt esse plures sicut apud nos.* Nam si Pater natura, quæ est determinata ad vnum, generaret plures filios in eadem specie, sicut inter nos contingit, hoc ipso præsupponeret materiam, in quam suam efficientiam effundat, sicut inter nos contingit. Cui etiam impugnationi ratio congruit, Quia scilicet cùm agens naturâ non arbitrio plura potest, debet ex materia tanquam ex originario principio ad vnum potiùs determinari, quàm ad aliud: Quia non est, vnde causæ efficientis indifferens ad plura facultas determinetur, vt dictum est. C

A.Doctor. Colligitur secundò, quid intelligat A. Doctor, quod sæpè ait de formis separatis a materia vt p.p.q.44.a.1. *Si albedo esset per se subsistens, non posset esse nisi vna, cum albedines multiplicentur secundum recipientia.* Item q.vn.de Spiritu. Creatu.a.1. c. *Sicut si esset albedo ab omni recipiente & subiecto separata esset vna tantum; ita impossibile est quod sit suum esse subsistens nisi vnum tantum.* Ex quo colligit, vnum tantum esse Deum, qui est suum esse subsistens. Sic etiam q.16.de Malo a.3.c.ex eo quòd Deus est suum esse subsistens infert, *impossibile esse duos esse Deos, aut duas albedines per se subsistentes.*

Colligitur inquam harum & similium doctrinarum legitimus sensus: Nam dupliciter accipi possunt albedo & aliæ formæ per se subsistere. Primò enim vt subsistant diuino miraculo, vt omnes formæ materiales si separentur: aut D etiam naturaliter, vt animus hominis separatus; cùm tamen naturâ suâ sint formæ aptæ esse in materia, quæ ipsis naturaliter subiiciatur. Et hoc pacto non debet A. Doctoris doctrina explicari. Nam certum est, nullam formam, aptam materię inesse, si separetur, necessariò debere esse vnam tantùm in rerum natura; nec vllo pacto posse esse plures, Vt patet in quãtitate in Sacramento Eucharistiæ, & in animo humano post sui coniuncti interitum. Nam certum est, nec illas quantitates, nec animos hominum, hoc ipso, quo à subiecto separantur, coire in vnam numero, aut substantiam, aut quantitatem; cùm suam naturam indiuiduã post separationem retineant à quolibet alio ente distinctam. E

Alio modo, vt subsistant data hypothesi impossibili, non tanquam formæ aptæ, vt materiæ insint; sed tanquam suâ naturâ separatæ; immò etiam, vt ipsæ essent sibi suum esse subsistẽs.

A Doctor. Et hoc pacto intelligit A. Doctor, & vera est eius doctrina, & vtrumque nunc probandum. Primum autem esse de mente A. Doctoris patet primò ex illo art.3.de Malo cit. *Deus enim*, inquit, *per suam essentiam est ipsum esse subsistens nec est possibile esse duo huiusmodi, sicut nec possibile foret, esse duas ideas hominis separatas, aut duas albedines per se subsistentes.* Itaque albedinem per se subsistentem intelligit, quæ sit suum esse subsistens, ita vt illa particula *per se* sit per se in primo dicendi modo inter eos, quos enumerat Aristoteles lib. 1. Poster. Analyt.cont. 32. idem significans, quod essentia suâ. Quemadmodum Plato dicebat, suas illas ideas subsistere. Nam dicit duas non posse esse per se subsistentes, sicut nec possibile est, duos esse Deos, aut duas ideas hominis: plures autem Deos dixit ex eo repugnare, quia Deus *per suam essentiam est ipsum esse subsistens.* Ergo hoc pacto debet etiam intelligi albedo, vt sit paritas in similitudine qua afferuntur. Aristoteles. Plato.

Quod etiam patet de Ideis Platonis, qui eas esse posuit in rerum natura eo modo, quo Aristoteles eas dixit esse in solo intellectu. Nam posuit omnium rerum species separatas, vt hominis, equi, &c. Ideòque eas vocabat per se hominem, per se equum, vt ex Aristotele refert A. Doctor supra q.6.a.4. & infrà q.84. a. 4. *Plato*, inquit A Doctor, *posuit formas rerum sensibilium per se sine materia subsistentes, sicut formam hominis, quam nominabat per se hominem, & formam vel ideam equi, quam nominabat per se equum, & sic de aliis.* Quæ omnia ait refutari ab Aristotele libro 7. Metaphys. a cont. 44.vsque ad 58. Plato. Aristoteles. A.Doctor. Aristoteles.

Itaque illa idea suâ essentiâ erat subsistens, quia subsistentiã non participabat ab alio. Opinatus namque est Plato, Ideas ne à prima quidem causa quoad suam existentiam dependere, quippe tria rerum principia statuebat, Deum, Ideas, Materiam, vt patet ex Parmenide, & docet idem A. Doctor in 2.d.2.q.1.a.1.& Magister eadem d.1. Vnde quod est Deus suâ essentiâ subsistens simpliciter, hoc erat Platoni Idea in determinata rerum specie, vt homo suâ essentiâ subsistens, equus, &c. Nam cætera indiuidua talis speciei erant, secundum quod eius Ideæ naturam imitabantur, vt patet ex eadem q. 6. a. 3. Subsistens ergo albedo intelligi debet per se in primo modo dicendi. Deinde idem patet ex illa q.44.a.1. Nam albedini per se subsistenti opponit ibi eam, quæ multiplicari potest *secundum recipientia.* Ergo illa cui hæc albedo opponitur, est ea quæ nõ est apta inesse subiecto: Nam alioqui multiplicari posset secundùm recipientia, vt potest multiplicari ea, quam illi opposuit. Ergo ea est quæ subsistit in primo modo dicendi instar Platonicarum Idearum; Quia scilicet quemadmodum illæ Ideæ in nullo recipiente esse poterãt; nempe in nullis indiuiduis, in quibus tanquam naturæ & quidditates ipsorum reciperentur; sic nec illa albedo recipi potest. Plato. Parmenides. A.Doctor. Magister.

Denique eodem modo probatur ex illo art.1. de spiritu. Creatu. vbi parem facit rationem in hoc: Quod sicut albedo separata ab omni subiecta materia & recipiente esset vna tantum; quia vt diximus, esset per se subsistens in sua specie: ita impossibile est, vt sit nisi vnum esse subsistẽs. Paritas autem consistit in eo, quod sicut albedo ex eo quod est suum esse subsistens determinatum in vna specie, non potest in ea specie multiplicari: ita id quod est simpliciter ipsum esse subsistens, simpliciter non potest multiplicari. Id enim est, Sicut se habet simpliciter ad simpliciter,

citer, ita tale ad tale. Constat ergo de A. Doctoris mente.

Nunc verò probatur secundum; nempe veram hanc esse doctrinam; si nimirū albedo aut quiduis aliud ita per se subsisteret, ipsam non posse esse nisi vnam. Hoc autem probatur dupliciter. Primò, quia vt aliqua natura alicui insit indiuiduo, non debet ipsa inter sua intima attributa includere subsistentiam. Quia alioqui illud indiuiduum, cui inesset, dupliciter subsisteret; Nimirum & suâ essentiâ, & ratione indiuiduâ: Quod omninò intelligi non potest communicari alteri tanquam natura in indiuiduo multiplicabilis. Quia quod est essentiâ suâ subsistens, est ab omni alio subsistente seiunctum, non in eo inclusum. Et ideò in natura intelligente subsistens, nempe persona. *incommunicabilis alteri* definitur, vt disputatum est suprà q. 29. a. 1. vbi id docent Theologi. Ergo esset incommunicabilis cuicumque indiuiduo.

Secundò, quia id quod in pluribus indiuiduis esse potest tanquam eorum natura & essentia, non potest esse singulare & indiuiduum. Hoc enim ideo est indiuiduum, quia partiri in plura non potest; de qua re optimè Angelicus Doctor suprà q. 13. a. 9. *Singulare* enim inquit ibi, *ex hoc ipso quod est singulare, est diuisum ab omnibus aliis. Vnde omne nomen impositum ad significandum aliquod singulare est incommunicabile & re & ratione. Non enim potest in apprehensione cadere pluralitas huius indiuidui.* At illud quod est suâ essentiâ subsistens, est indiuiduum, cùm ei natura indiuidui competat, quæ est vt *sit indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*; Quæ est indiuidui definitio ex A. Doctore suprà q. 29. a. 4. Quo potissimum nomine reprehenduntur Ideæ illæ Platonis vniuersales ab Aristotele lib. 3. Metaphys. cont. 14. Quia *singulare dicimus* inquit *vnum numero; vniuersale verò quod in his.* Cōstat ergo illam formam non posse fieri plura.

A. Doctor. A. Doctor. Aristoteles.

Colligitur tertiò huic nostræ traditæ doctrinæ non aduersari, quod ait A. Doctor in ea q. 13. a. 9. nempe *formæ simplices per se subsistentes, si intelligerentur, vt sunt in se ipsis, non possent communicari nec re nec ratione.* Cùm autem Angeli sint formæ simplices A. Doctori, ac per se subsistentes; Ergo non possunt communicari nec re, nec ratione. Atque ita, dicent aduersarij, tantum abesse vt plures Angeli A. Doctori possint esse in eadem specie re ipsa, vt ne intelligi quidem possit eorum natura communis pluribus indiuiduis. Colligi inquam aio ex dictis; hunc locum nobis aduersum non esse: Nam ibi per formas simplices ac per se subsistentes A. Doctor intelligit, vt modò dicebamus, eas, quæ intimam sibi habent subsistentiam atque essentialem, vt Deus. Eas enim formas ac naturas se intelligere docet, quæ non habent suppositum à se distinctum. Omnis autem creata substantia suppositum à se distinctum habet A. Doctori, vt ostenditur 3. p. q. 2. Quod ipse expressè docet de Angelis suprà q. 12. a. 4. in c. Vbi *quædam* inquit *sunt, quorum natura sunt per se subsistentes non in materia aliqua, quæ tamen non sunt suum esse; sed sunt esse habentes, & huiusmodi sunt substantiæ incorporeæ, quos Angelos dicimus.* Quibus patet, ab omni substantia creata distingui suppositum, quia distinguitur esse. Ergo intelligit naturam ac formam simplicem, cui sit essentiale suppositum, sicut enti increato ac Deo; Qualem naturam optimè docet, ne ra-

A. Doctor. A. Doctor.

A tione quidem esse communicabilem pluribus. Nam, vt ibi probat, talis natura est essentialiter singularis, & hæc.

Quòd verò has formas intelligat non creatas substantias, patet ex verbis A. Doctoris ibidem. Sic enim se declarat, de quibus formis disserat. *Formæ verò* inquit *quæ non indiuiduantur per aliud suppositum, sed per se ipsas; quia scilicet sint formæ subsistentes, si intelligerentur secundum quod sunt in se ipsis, non possent communicari nec re nec ratione.* Formæ ergo, quæ communicari ne ratione quidem possunt, non habent aliud à se ipsis suppositum. Et confirmatur: Quia has formas contraponit naturę humanæ, & naturæ Solis; In eo quòd hæ naturæ, solis scilicet & humana possunt esse communes pluribus; B illæ autem formæ non item, quia sunt indiuiduæ ex se, nec *indiuiduantur per aliud suppositum.* Ergo non debet esse aliud suppositum, quale est in homine, & sole. Sed in his est aliud, quia est ab ipsa ipsorum natura distinctum. Ergo in illis non debet esse distinctum, ac proinde non debent esse substantiæ creatæ. Sanè omnem substantiam creatam habere suppositum à se realiter distinctum expressè docuit A. Doctor in 1. d. 34. q. 1. a. 1. initio c. Vt obseruauimus ex eius verbis in insigni illo loco relatis super. Difficult. in primo nostro argumento pro nostra propositione. Ad argumentum igitur aio: Angelos Angelico Doctori esse quidem formas simplices & per se subsistentes; sed illud *per se* C distinguendum esse. Sunt enim per se subsistentes; non quidem quia subsistentia illis conueniat in primo dicendi modo per se, quia illis esset essentialis, & non distincta à natura Angelica. sed per se in alio dicendi modo. Quia talis subsistentia est veluti passio & proprietas, quæ naturam ipsam connaturaliter comitatur. Summa itaque dictorum sit: Quod est per se & essentialiter subsistens, non est pluribus commune. Potest autem esse pluribus commune, quod est subsistens per se in alio modo dicendi, & huiusmodi diximus esse Angelos.

A. Doctor. A. Doctor. A. Doctor.

Colligitur quartò: Etiamsi materia signata sit D principium originarium indiuiduorum animorum in homine, vt suprà diximus; non tamen animos esse indiuiduos relatè ad hanc numero materiam. Ratio est: quia animus noster non ita determinatè respicit hāc numero materiam, vt aliam etiam informare similem non possit: Nam accessione nouæ materiæ, & veteris decessione decursu temporis, necesse est animus varias materiæ partes informet. Vnde non diuersum constitueret hominem, etiamsi illi alia numero materia subijceretur; vt etiam patebit post iudicij diem, cùm aliqui ex rediuiuis aliam induent materiam: si ea, quæ fuit ipsorum, facta saltem ex parte deinceps aliena sit. Solum au- E tem quod diximus est, talem materiam determinare agens, nempe Deum, vt talem illi proportionatum animum creet.

Colligitur quintò, An rectè senserit Ferrariensis vbi suprà in 2. & 3. Impossibilitatis modo: Nam cùm ait plures Angelos dici impossibiles, quia de facto non sint, non rectè ait. Multa enim non sunt de facto, quæ etiam naturâ possibilia sunt, vt etiam suprà retuli ex Aristotele 9. Metaphys. 8. Constat enim multas futuras rerum generationes, si homines applicare vellent effectrices causas patientibus. Cùm verò putat esse impossibile ad mentem Aristotelis, non omnino

Ferrariensis.

nino verum est, vt notaui suprà. Quamuis autem videatur existimasse Aristoteles, rationem cur indiuidua multiplicentur, materiam esse; vt quod conseruari non potest in se se, perpetuetur in specie, vt ex ipso suprà retuli: Tamen vtrùm id putarit ita necessarium, vt aliter fieri absolutè non possit, ex his non debet affirmari tanquam certum. Nam quòd ita fieri debeat, si ex nobis philosophemur, hoc satis videtur ad Aristotelis effata explicanda. Quid autem is de Deo senserit, ac de eius potestate, non ita facilè ex ipso constitui debet. Sanè contra Ferrariensem facit quod de Sole diximus: Sed de hac etiam Aristotelis de Deo sententia multa infrà dicenda sunt. Cùm verò A. Doctor hanc rationem tanquam fundamentum ejus doctrinæ posuit, non tam videtur ad mentem Aristotelis respexisse, quàm ad rectum philosophandi modum, in quo Peripateticam doctrinam niti, fulcirique sæpè suprà dictum est.

Aristoteles. A. Doctor.

Colligitur sextò Quo pacto intelligi debeat; quod A. Doctor sæpè docuit; nempe *materiam principium esse distinctionis secundum numerum in eadem specie.* Vt q. 2. de Pot. a. 4. & q. 3. a. 10. c. & q. vnica de Spiritu. Creatu. a. 1. ad 9. & ad 19. & alibi; Vt cùm dicit, materiam & quantitatem esse principium indiuiduationis 3. p. q. 77. a. 2. & de Verit. q. 2. a. 6. ad 1. & alibi. Id enim est quia multiplicatio indiuiduorum in eadem specie prouenit ex partitione materiæ affectæ quantitate. Ex eo enim quòd vna pars materiæ ab vna forma perficitur, alia verò ab alia, multiplicantur indiuidua, & ita materia cum quantitate huius multiplicationis initium est modo suprà explicato.

A. Doctor.

Satisfit argumentis contrariis. §. 5.

EX his respondetur ad argumenta huic opposita in Parte affirmante. Ad primum enim locum dico, impossibile esse: Secundùm enim connaturalem rerum modum meritò impossibile hoc apparet, vt dictum est. Ad illum locum de Spiritu. Creatu. dico, cùm ait A. Doctor esse impossibile fingi, non posse id absolutè omninò intelligi. Nam si fingere possumus chimeram, aliáque complura impossibilia, cur in eadem specie fingere non possumus Angelos multiplicari? cùm id præsertim intellexerint doctissimi Patres, Basilius & alij, grauissimíque Theologi, quibus de facto Angeli sunt diuersæ speciei. Immò ipse A. Doctor suprà q. 13. a. 9. apertè ait, naturam diuinam opinione eorum, qui plures Deos existimarunt, pluribus communicari; licèt reipsa non possit. Ergo quandoque impossibilia fingimus. Quare puto intelligendum esse, quòd non possimus apta ratione fingere, philosophando scilicet ex ordine rerum nobis noto. Quia nimirum materia est origo plurium in rebus, quæ perpetuæ non sunt, vt scilicet natura perpetuetur in specie, vt suprà diximus. Eodémque modo dico, albedinem separatam subsistentem non posse multiplicari; Nimirum vel connaturali modo, vel vt sensibilis remaneat, iuxta varios locos A. Doctoris. Non enim est necesse, vt eadem verba semper vbique, eodémque modo vsurpentur. Separata ergo albedo multiplicabilis non est ob defectum originarij principij; nempe subiectæ materiæ, vt dictum est.

A. Doctor. Basilius. A. Doctor.

Ad rationem autem ibidem dico similiter,

A quamcunque formam abstractam esse vnam in vna specie, quia quà abstracta est, non est multiplicabilis. Et si quidem per se atque essentialiter subsistit, nullo modo multiplicari potest, vt dictum est. Sin autem non essentialiter, solum consentaneè ad naturam rerum neganda multiplicitas est.

Ad paritatem autem satis diximus, quo pacto illa albedo, & illa humanitas esset vna. Si enim suâ essentiâ subsisteret, omninò non esset multiplicabilis; si verò subsisteret per accidens conseruante illam Deo, tunc & per accidens non esset multiplicabilis, quia careret principio originario, vnde connaturali modo multiplex fuit. Ad B locum ex q. 44. a. 1. suprà dictum est in Secundo & Tertio *Colligitur.* Ad q. 75. a. 7. concedo in substantiis incorporeis non esse diuersitatem secundùm numerum tantùm, quia substantia immortalis satis in vno indiuiduo perpetua est. Ad rationem similiter, & exemplum aio; non posse intelligi, si secundùm rei naturam philosophandum sit, vt dictum est.

Aliter etiam soluit noster Suarez Disputat. 5. Metaphys. sect. 3. n. 33. Nimirum accidentia separata non fore distincta secundùm esse sensile, & quoad nos; quæ doctrina vera est, eámq; scripsit A. Doctor opusc. 32. cap. 3. in fine cum ait. *Materiam sub certis dimensionibus esse causam indiuiduationis, non quòd dimensiones causent indiuiduum,* C *cùm accidens non causet suum subiectum, sed quia per dimensiones certas demonstratur indiuiduum hic, & nunc, sicut per signum proprium indiuidui, & inseparabile.* Ergo materia est principium indiuidui demonstrabilis. Verumtamen A. Doctor ait quidem ibi quantitate distingui secundùm esse sensibile ipsa indiuidua; tamen non dicit, nullo modo distingui, antequam rationem sensilem induant. Immò contra omninò ait alibi; Nempe distingui per materiam secundùm quod indiuidua sunt. Nam opusc. 29. declinando ad finem ait. *Quod cadit sub ratione particulari est hoc aliquid per naturam materiæ: Quod autem cadat sub sensum* D *externum est per quantitatem.* Ergo aliud principium distinguit singulare, quà sensum mouere potest; aliud verò singulare substantialiter. Cui loco nescio an hæc solutio aptari possit. Quare præstat sequi priorem nostrum respondendi modum, quem ex ipso A. Doctore deduximus.

Suarez. A. Doctor. A. Doctor.

VLTIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm sit possibilis species rerum creatarum, quæ esse non possit nisi in vno indiuiduo.

E EX Parte affirmante sunt ij, quos diximus, negare Angelos multiplicari posse numero sub eadem specie: Ij enim non solùm possibilem putant huiusmodi creaturam; verumetiam affirmant eam esse de facto; nempe Angelicam. Sed absolutè ac generatim videtur probari posse, quia nulla repugnantia afferri potest. Et certè communis Doctorum consensus tenetur hoc affirmare, quia eadem substantialis differentia, quæ contrahit genus, speciémque constituit, potest esse ratio constituens indiuiduum; Ita vt ex. gr. eadem, vt sic loquar Gabrieleitas faciat Angelum,

Angelum & Gabrielem. Sanè si dicatur, hoc esse non posse, assignanda esset ratio, cur eadem differentia indiuidualis non possit constituere naturam specificam.

Partem tamen negantem supponunt cæteri auctores, qui aiunt, Angelos plures esse posse in eadem specie. Generatim enim loquuntur, eorumque rationes non magis id probant in vna, quàm in alia specie. Quod patere potest consideranti ea, quæ superiore Difficultate diximus in secunda sententia, & in argumentis nostræ propositionis.

Expenditur ratio ob quam repugnare debet naturam esse in pluribus indiuiduis.

§. 1.

AD solutionem, Notãdum breuiter est, si repugnat aliquam naturam vnius speciei participari à pluribus indiuiduis; ideò esse, quia ad eius essentiam pertineat singularitas, & ratio indiuidua. Nam si eius rei natura ab his separari cogitatione posset, nihil sanè inuolueret repugnans, quin posset intelligi communis pluribus. Quò pacto quia humanitas abstrahi intelligentia potest à conditionibus indiuiduis, potest intelligi in plura indiuidua propagari, vt de natura Solis apertè docuit A. Doctor supra quæstione decimatertia, a. 9. Idémque de quacunque natura creata, in qua essentia distinguitur à supposito docuit in 1. distinction. 34. quæstion. 1. a. 1. initio. In his enim natura communis contrahitur ad singulare per determinationem, quæ à supposito deriuatur, vt sæpè secunda & tertia Difficultate supra dictum est; Quod cum non habeat natura diuina, quæ intime & sua essentiâ singularis & subsistens est, rectè A. Doctor tum in ea distinction. 34. tum etiam suprà quæstione tertia, a. 3. negauit, in pluribus indiuiduis esse posse. Eam ob causam, vt suprà ex eodem indicauimus: *Si Sortes per id esset homo, per quod est hic homo, non possent esse plures homines, quemadmodum non possunt esse plures Sortes.* Ratione etiam idem confirmatur, quam tetigimus Difficultate secunda in nostris argumentis pro nostra propositione: Quia si possit natura intelligi communis, Ergo singularitas nec est illi essentialis, nec ex ea sequi necessariò intelligi debet; Quia saltem illi esset essentialis tanquam in radice, vt ibidem fusius ostendimus. Immò posset poni in definitione essentiali illius, loco differentiæ. Certum enim est, cùm essentiales differentiæ nobis sunt ignotæ, nos vti proprietatibus illarum loco. Vt cùm hominem dicimus animal rationale; nempè aptum ad ratiocinandum &c. Quod si neutro modo dicatur esse essentialis. Ergo illa in sua essentia est indifferens, vt insit pluribus, quia non est ex se singularis, & non magis est vnius quàm alterius; atque ita illi non repugnat, vt sit in multis. Spectaret ergo singularitas atque indiuidua ratio ad eius naturæ essentiam, vt pluribus communis esse non posset. Pro qua re

Notandum secundò, illud ad alicuius naturæ essentiam spectare, quod de illa affirmari potest vel vt genus, vel vt eius prima differentia, quæ illam naturam primò constituat, vt nunc suppono ex Logicis tanquam exploratum, & Philosophis omnibus datum; & multa diximus Difficultate prima. Vt essentiæ hominis est, quod homo sit animal ac rationale, quia vnum genus est, alterum differentia, qua homo est homo. Singularitas ergo deberet esse differentia constituens eam Angelicam naturam, cùm eius genus esse non posset. Si quidem nulla singularitas, quæ vnius propria est, potest esse genus, quod pluribus commune esse debet. Verùm vt hæc singularitas eam speciem tanquam differentiam constituat; debet quidem eius speciei genus contrahere; sed non satis est quodcunque cõtrahat. Nam debet restringi proximum & vltimum genus ad speciem; hoc est infra quod non sit aliud genus in ea serie prædicatorum.

Ratio est manifesta: Quia si singularitas non restringeret genus illud vltimum, non constitueret speciem infimam, sed mediam, & quam vocant subalternam; atque illa natura hoc ipso esset communis multis speciebus, cum certum sit, omnem speciem mediam esse genus, ideóque in plures species partiri posse. Quemadmodum gradus sensitiuus (vt hæc sit exempli loco) quoniam coarctat viuens, quod non est genus vltimum in categoria substantiæ, constituit animal, quod est species media, & genus in plura partibile. Vltimum ergo genus coarctare debet in ea specie Angelica, & ita speciem infimam constare, de qua nunc quærimus, possitne esse ita vnius indiuidui in natura Angelica, vt ea natura specifica non possit pluribus indiuiduis esse communis. Pro qua re

Notandum tertiò, cùm dicimus singularitatem contrahere debere genus vltimum sibique proximum, id bifariã intelligi posse. Primò quidem vt contrahatur illud genus per aliquid ex rei natura distinctum ab ipso genere in eamet indiuidui entitate, quæ constituitur. Quemadmodum forma substantialis Petri materiam indifferentem ad multa contrahit ad hoc determinatè indiuiduum; vt scilicet sit Petri & non Pauli, aut alterius, in eodémq. Petro à materia reipsa distinguitur.

Secundò ita vt contrahatur per aliquid solùm nostra cogitatione distinctum, nón tamen sine fundamento in reipsa, quo pacto rationalitas contrahit animal ad speciem hominis, quæ in eadem hominis entitate nihil ex natura rei diuersum est ab animali, Quia nimirum intellectus ipsi animali rationalitatem coniungendo, intelligit animal restringi ad hominem, vt non amplius sit indifferens ad bruta, sed sit hominis; etiamsi in ipsa hominis entitate nulla inter ipsum genus & differentiam realis distinctio sit, saltem Thomistarum opinione, qua rectè putant, has rationes in eadem entitate coire, vnúmque esse reipsa. Iam ergò cum dicimus, singularitatem generi iungi, illúdque contrahere; non intelligimus primo modo, sed secundo. Nam satis est, si mente concipiamus in eadem entitate rationem generis ex se latè patentem, & rationem quæ illam amplitudinem ad vnum tantùm speciem limitet, & coarctet. Vt apertè docet A. Doctor in hac quæstione 50. a. 2. ad 1.

Hoc ergo pacto quærimus; Vtrùm talis natura specifica intimam suæ essentiæ inuoluens singularitatem dári vllo pacto queat; ita scilicet, vt nulla

vt nulla ratione possit esse nisi in vno indiuiduo tanquam tota essentia illius. Non enim quæro, Vtrum possit esse in pluribus terminando per suam subsistentiam alienas naturas, vt Verbum diuinum est in Humanitate Christi, & potuisset esse in omnibus, si ea terminare eodem modo voluisset Deus. Et ideò dico tanquam tota essentia illius, vt Humanitas est in Petro, Paulo, Martino, &c.

Omnem naturam creatam intrinsecè esse multiplicabilem in plura, sententia communis esse debet.

§. 2.

AD Difficultatem ergo respondetur, & sit Prima Propositio. Omnis natura creata specifica potest esse in pluribus indiuiduis. Pro hac Propositione citare auctores Theologos nequeo, quia eam expresse non exagitarunt: Nam toti sunt, vt probent, dari posse plures Angelos in eadem specie, non tamen Vtrum omnis creata natura specifica possit hoc ipso, quod creata est, pluribus inesse; quod nos in præsentia probandum suscipimus. Tamen hanc propositionem tenetur defendere ex recentioribus noster Suarez Disputatione quinta Metaphysices, sectione 2. Vbi ostendit omnem naturam creatam indiuiduam esse ac singularem per aliquid à sua essentia diuersum. Idem supponunt Molina hic a.4. Gabriel Vasquez Disputation. 181. capit. tertio, Gregorius de Valentia Disputatione quarta, quæstione prima, p.3. Vbi dicunt rationem, qua aliquid indiuiduum est, debere esse extra gradum specificum, ac genericum: Quod etiam sentiunt alij apud ipsos. Ex quo etiam patet, omnes ferè negare, dari posse naturam specificam, quæ vnius tantum indiuidui sit propria, & pluribus non communis. Probatur autem nostra propositio hac vnica ratione; & à priori: Quia omnis illa natura specifica, quæ intimè & in sua essentia non inuoluit singularitatem & rationem indiuidui, potest esse in pluribus indiuiduis. Sed omnis natura creata est natura intimè, & sua essentia non inuoluens singularitatem & rationem indiuidui. Ergo omnis natura creata potest esse in pluribus.

Suarez. Molina. Vasquez. Valentia.

Maior probatur: Quia vt diximus Notando primo, Natura abstracta à singularitate & à ratione indiuidui non est potiùs vnius, quàm alterius; & ita natura est natura humana, leonis, equi, &c. Si enim abstracta à singularitate intelligitur, hoc ipso non intelligitur determinata ad vnum. Ergo intelligi potest vniuersalis, & apta esse in pluribus, vt nunc suppono ex Logicis in Porphyrio. Porphyrius.

Minor probatur; & primò eorum sententia qui dicunt, existentiam esse rationem indiuidui, quâ indiuiduum est, clara probatio est. Nam existentia nullius naturæ creatæ attributum intimum, atque essentiale est; alioqui natura creata necessariò existeret sicut Deus, quoniam cui existentia essentialis est, necessariò est, vt ostendit A. Doctor suprà quæstione tertia, a. 4. Secundò probatur eadem minor vniuersè, quia nullius A naturæ creatæ, ratio indiuidui est essentiale prædicatum; Nimirum vel genus vel differentia. Ergo omnis natura creata est natura non inuoluens in sua essentia rationem indiuidui, quia iam eam inuolueret tanquam essentiale attributum, ac proinde vel tanquam genus vel tanquam differentiam.

A. Doctor.

Antecedens probatur; & primò quòd non sit genus, perspectum est; quia genus est commune multis; Ratio verò indiuidui est vnius propria. Deinde quod non sit differentia essentialis; nimirum vltima; nam de mediis idem iudicium est, atque de genere, Probatur tripliciter. Primò quia differentia essentialiter vltima, hoc distat à differentiis mediis, seu subalternis; Quod B illa prædicari debet de pluribus differentibus numero in quale quid: hæc verò de differentibus specie; Sicut differt species infima ab intermediis teste Porphyrio in cap. de specie. At ratio indiuidui determinata ad vnum indiuiduum vt ad naturam Gabrielis, Michaëlis, Bucephali, &c. non potest nisi de vno prædicari. *Singulare enim*, inquit Aristoteles libro tertio Metaphysices, contextu quarto, *dicimus vnum numero*. Ergo ratio indiuidui non est differentia naturæ. Secundò, quia si ratio ac forma indiuidui constituit indiuiduum, non potest explicari, quomodo possit esse differentia essentialis naturæ. Nam C idcircò in Socrate, exempli gratia, id quo est hic homo non est differentia essentialis hominis, quia est ratio indiuidui; alioqui dicere possemus, rationem illam qua Socrates est hoc indiuiduum, esse differentiam essentialem naturæ Socratis, eandemque rationem esse differentiam essentialem & indiuidualem illius; atque ita Socratem natura & essentia à Platone differre. Tertiò quia omnis differentia essentialis vltima debet esse latior ac superior comparatione indiuidualis rationis: At ratio superior, quæ contrahi per inferiorem debet, non debet eadem esse atq; inferior & contractior.

Porphyrius. Aristoteles.

Maior hæc probatur: quia omnis differentia D essentialis vltima est illa, quæ genus vltimum de sua amplitudine limitat ad speciem infimam, vt rationale restringit animal ad hominem. Omnis autem differentia contrahens genus vltimum est latior ac superior comparatione rationis indiuidualis, quia quod generi vltimo proximè subiicitur est species infima, de qua tanquam de suo proximo inferiore prædicatur; non autem indiuidua, quæ per intermediam speciem generi subiecta sunt, vt animali proximè subiicitur homo, leo, equus, quia nihil interponitur in serie prædicatorum; non autem Petrus & Socrates, inter quæ & animal interiacet homo. At nisi differentia essentialis esset supe- E rior comparatione ad indiuidualem, non contraheret genus, quod proximè de specie, qua specie interiacente de indiuiduo diceretur, sed æquè proximè de vtroque. Vt si Petritas, vt sic loquar, contraheret animal æquè proximè ad Petrum, atque ad hominem: illud ipsum animal æquè etiam proximè tam de Petro, quàm de homine, non autem de Petro per interiectam speciem diceretur, & sic de cæteris.

Quod quidem si aduersarij concederent, idque absurdum non reputarent, contra ipsos duplex argumentum facit manifestè. Primum est: quia eodem pacto dicam de facto, Petrita

Petritatem esse Petri tum essentialem, cum indiuidualem differentiam: Nec posset doctrina impugnari nisi ex eo, quod ratio indiuidui inferior esse debet comparatione differentiæ, genus vltimum ad speciem atomam contrahentis. Alterum est: Quia facerêt inanem quæstionis sensum. Non enim quæstio est; Vtrum ratio indiuidui ex. gr. Petritas Gabrieleitas possit in plura partiri indiuidua. Quia certum est, rationem indiuiduã hoc ipso quod indiuidua est, diuiduam esse non posse, ideoque nec in plura partibilem; quia indiuiduum diuideretur. Sed quæstio est, Vtrùm natura Petri seu Gabrielis communicari cum pluribus possit, nimirum natura quæ sit superior rationi indiuiduali Gabrielis & Petri. Vt si ponamus in Gabriele Angelum esse genus, differentiámque esse id, vnde oritur facultas mouendi Mundi, quam liceat nũc vocare Mundimotiuam, est quæstio: Vtrùm natura Gabrielis; nempe esse Angelum Mundimotiuum, in pluribus indiuiduis esse possit. Quod si tu hanc naturam dicas esse, non speciem infimam, sed intermediam, eo quod habeat essentialem differentiam inferiorem; nempe Gabrieleitatem. Contra hoc est, quia ego meliore ratione dicã, speciem infimam esse, eo quod solam habeat indiuidui rationem, inferiorem tum proportione ad cætera indiuidua nobis nota; tum ex definitione speciei infimę, quam nobis philosophorum sapientissimi tradidere. Atque ita vel potiùs ab hac nostra parte victoria disputationis stabit; vel certè in neutram partem, etiã apud non æquos iudices, inclinabitur.

Secunda propositio. Nulla natura creata specifica possibilis est, quæ in vno tantùm indiuiduo esse necessariò debeat. Probatur Propositio: quia inuolueret manifestam repugnãtiam. Nam singularitas & ratio indiuidui, quæ eius esset solius propria, esset etiam eius differentia specifica; atque ita quod est proprium vnius, esset commune multis; Quod est esse proprium & non proprium, quod implicationem redarguentem demonstrat, vt patet ex dicta superiore Propositione.

Ex dictis Colligitur, Vtrùm communis sententia concedat, huiusmodi naturam esse possibilem: Nam si Caietanum excipias, & quosdam paucos, omnes id apertè negarunt, dum docent principium indiuidui in omni natura debere esse vltra differẽtiam specificam. Ita apertè Suarez disp. 5. Metaphys. sect. 2. Vbi habet, omnem naturam creatam esse indiuiduam ratione, quæ diuersa sit ab essentialibus eius attributis. Gregorius de Valentia hic Disput. 4. q. 1. p. 3. dum dicit rationem indiuiduã debere esse extra gradum specificum. Idémque apertissimè docuere Molina hic a. 4. Gabriel Vasquez Disputat. 181. cap. 3. & facile colligi potest ex antiquioribus Theologis, quos superioribus Difficultatibus ex eo probasse vidimus, Angelos posse in eadem natura multiplicari; quod natura creaturę debet esse communis, non vnius indiuidui.

Caietanus. Suarez. Valentia. Molina. Vasquez.

Sanè Aristoteles, & A. Doctor apertè nostræ sententiæ subscripsère, dũ ille negat posse quoduis indiuiduum singulare; nempe creatum definiri; quia definitio, quæ substantiam explicat, nullius indiuidui propria esse potest. Hic verò affirmat, cùm in omnibus creatis substantiis differat suppositum ab essentia, necesse esse naturam communem contrahi ad singulare per eam

Aristoteles. A. Doctor.

A determinationem quæ prouenit ab hypothesi, vt ostensum est. Sunt etiam alij Theologi, qui huc referri possunt, qui apud hos recentiores citantur, sentiuntque, omnes Angelos posse in eadem specie plures esse. Dum enim id probant, supponere videntur, rationem indiuiduam esse extra speciem cuiuscumque rei creatæ.

Atque ita patet consensione Theologorum negandum esse, vnam naturam creatam vnius tantùm esse indiuidui. Immò nonnulli recentiores, vt Molina & Valentia locis citatis arbitrantur, aduersantem sententiam tãquam erroneam habitam esse Parisiis; Quod Valentia refert ex Henrico, Ricardo, Durando. Tres autem articuli Parisienses sunt huiusmodi. Octauus scilicet, *Dicere quod quia Intelligentia non habent materiam, Deus non possit plures eiusdem speciei facere, error est.* Item art. 96. *Dicere quod Deus non potest multiplicare indiuidua sub eadem specie sine materia, error.* Item 91. *Dicere, quod formæ non possunt recipere diuisionem, nisi secundum materiam error.* Quos etiam articulos plurimæ cẽset esse auctoritatis, Estius in 2. d. 3. §. 2. Verùm quanti hi articuli sint ponderis, aliorum esto iudicium. Legi de his potest Capreolus in 2. d. 2. q. 1. ad 1. Gregorij, Gabriel Vasquez Disp. 188. c. 2.

Molina. Valentia. Henricus. Ricardus. Durandus. Estius. Capreolus. Vasquez.

B

Ex his respondetur ad argumenta in ratione dubitandi. Negamus enim omnia, quæ ibi assumuntur, vt explicatum est.

C

QVÆSITVM SECVNDVM,

In quo de posteriore huius articuli quarti parte disseritur.

Doctrinam præsentis articuli in duas partes distributam initio eius explicationis esse diximus. Priorem, in qua articuli responsio, eiusque ratio comprehendebatur, satis hactenus Quęsito superiore discussimus. Posteriorem deinceps exponamus pro viribus, si satis pro rei difficultate non possit. Negotium autem in hac re facesset illa A. Doctoris in hoc art. hypothesis. *Si nimirum Angeli haberent materiam, nec sic possent Angeli esse plures vnius speciei.* Vbi enim priore argumento conclusisset, Angelos non differre numero in eadem specie, propterea quòd materia carent, ne solùm hoc pacto videretur posse quæstio transigi, alio etiam modo ex hypothesi, Quæsito responderi posse ait; Vnde & aliis vtitur principiis. Nam tametsi ponamus, Angelos habere materiam, ne sic quidem ait solo numero differre. Cuius rei difficiliorem, quàm ipsa conclusio, probationem affert. *Sic enim*, inquit, *oporteret, quod principium distinctionis vnius ab altera esset materia, non quidem secundum diuisionem quantitatis, cum sint incorporei, sed secundum diuersitatem potentiarum. Quæ quidem diuersitas materiæ causat diuersitatem non solum speciei, sed generis.* Quoniam tamen huc spectantes difficultates omnes quodam inter se nexu coniunguntur, vt diuersis quæstionibus separari nequeant, conabor eas omnes vnica difficultatę complecti. Sit ergo

A. Doctor.

D

E

VNICA

VNICA DIFFICVLTAS.

An & quo pacto vera sit sequela illa apud A. Doctorem, nimirum etiamsi Angeli haberent materiam, adhuc eos non posse plures esse in eadem specie.

MVlta sunt, quæ hanc doctrinam difficilem ac prorsus à veritate alienam reddere videntur. Vt autem omnia, quæ caliginem offundere possunt, discutiamus, proponam præcipua argumenta, quæ difficilem eam doctrinam quouis modo reddunt.

Proponuntur difficillimæ rationes dubitandi. §. 1.

ET primò quidem, quia si rationem, cur Angeli non possint esse plures numero, dixerat paulò antè esse, propterea quòd *quæ conueniunt in specie & differunt numero, conueniunt in forma, & differunt materialiter.* Ergo censuit, materiã esse totam rationem, cur indiuidua in eadem specie distinguantur. Si ergo ponatur in Angelis materia, hoc ipso intelligitur causa sufficiens ad ea indiuidua solo numero distinguenda. Quomodo ergo verum esse potest, Angelos ne si habeant quidem materiam distingui numero posse.

Deinde idipsum videtur significari ex ratione, quam subiungit statim. Ait namque si distinguerentur numero plures Angeli vnius speciei, *oporteret quod principium distinctionis vnius ab alio esset materia secundum diuersitatem potentiarum*; ex qua materiæ diuersitate ait oriri diuersitatem generũ, nedum speciei. Ergo fatetur principium distinctionis numericæ esse materiam. Quare si ponit materiam, cur neget esse numericam distinctionem?

Tertiò adhuc difficilius est quod iisdem verbis innuit. Requirit enim ad eandem distinctionem vnius ab alio materiam *secundùm diuersitatem potentiarum.* In quibus duo quæro. Primum est, cur exigat ad plures numero distinguendos Angelos materiam diuersarum potentiarum? Nam si ad hanc ipsam distinctionem satis illi, immediatè antè visa fuit communis materia, quæ vnam ad formas generalem potentiam habet; cur paucis post verbis, diuersæ rationis materiam necessariam esse docet? Alterum verò est, cur materiam istam diuersarum potentiarũ putet *causare diuersitatem non solùm speciei sed generis?* Nonne possent ex diuersis materiis cõponi substantiæ eiusdem rationis, si formæ substantiales diuersæ inter se non sint? Constat enim si formæ eiusdem naturæ sint quãtumuis in diuersis materiis reponãtur, specificam diuersitatem in suis compositis non constituere. Nam vt ait Aristóteles libro 10. Metaphys. cont. 25. non idcirco differt circulus æneus à triangulo ligneo, quia ænei, & lignei sunt, sed quia circulus & triangulus. *Nec æneus & ligneus circulus,* inquit, *siue triangulus æneus & circulus ligneus ob materiam specie differunt; sed quoniam in ratione contrarietas inest.* Si ergo eædem formæ substantiales essent, ex diuersitate materiarũ numeralis distinctio inter Angelos petenda non esset.

Sed esto consentur diuersa ista composita; Quæro, cur oporteat ipsa esse diuersorum generum? si enim aduersarij obiiciant, materias esse vnius rationis in Angelis, diuersæ tamen à materia nostrate naturæ; Cur Angeli ex ea materia erunt diuersorum generum; si affirmari possit, omnes esse vnius speciei?

Quartò, quia non videtur rectè colligi ab A. Doctore, oportere in Angelis poni materiam diuersarum potentiarum, ex eo quòd Angeli sunt incorporei. Primò enim si Angeli sunt incorporei, nullam debent habere materiam quantitati subiectam, quia ex huiusmodi materia substantiæ corporeæ necessariò componũtur. Ergo quænam erit huiusmodi materia, quæ quãtitati non subsit? omnis enim materia quæ propriè sit materia, corporum etiam quãtitatis subiectum est, vt ex A. Doctore suprà a. 2. dictum est. Præterea quia si materiam spiritalem hic nomine materiæ intellexit; quænam poterit illius esse potentiarum diuersitas? Siquidem materia spiritalis non est id, ex quo educi possit forma substãtialis. Nulla etenim substantialis forma spiritalis esse potest, quæ intelligens non sit, ac proinde quæ per se non subsistat. Forma autem substantialis, quæ cum materia spiritali faceret vnam substantiam, immaterialis ac per se subsistens esset: quia non educeretur ex materia corporea. Ergo esset immaterialis forma, intelligens, per séque subsistens; Vnde materia illa nõ haberet potentiam ad has formas, quemadmodum nec materia corporum est potentia ad humanũ animum, qui ex ea non educitur. Ergo non esset materia diuersarum potentiarum. Immò cur, vt dicebamus, non possit esse vnius rationis, vt Angeli in vnica tantummodo specie componantur?

Contrà tamen est A. Doctoris auctoritas; quæ vt decet, instar demonstrationis nobis esse solet. Si enim, vt ait Aristoteles libro 6. Ethic. cap. 11. *Peritorum hominum & seniorum seu prudentum pronunciationibus, & opinionibus absque demonstratione non minus quàm demonstrationibus attendendum est;* Quantò tutiùs atque honestiùs nos Theologorũ sapientissimi pronunciatis fidem adhibebimus, qui ex eius doctrinæ fontibus tantò plus veritatis haurimus, quantò altiùs dictorum sapiẽtiam consideramus?

Variè sumi materiam ab A. Doctore, & quo modo eam hoc loco denotet. §. 2.

AD solutionem Notãdum est primò, nullum quod sciam reperiri auctorem ex iis, qui A. Doctoris mentem suis commentationibus illustrare quoquomodo conati sunt, qui has difficultates animaduertere visus sit. Quin ipse Caietanus, cui explicãdi contextus plerunque non infima cura fuit, hæc omnia alto vbique silẽtio, ac si nullibi dicta essent, præterire duxit; siue quia difficultatum mole perterriti, ardua potius declinanda, quàm periculosè transigenda iudicarint; siue quia id laboris suscipere, nullum ferè operæpretium duxerint. Nobis autem, etsi, vt est in prouerbio, *in arduis cunctanter agendum esse* scio, tamen enitendum pro viribus est, vt quæ claritatem aliquam Angelicæ doctrinæ afferre possunt,

possunt, ea in Theologorum cōspectum, lucémque proferantur. Quoniam verò hę difficultates potissimùm ex eo existere videntur, quod incertum est, quid nomine materiæ hic intelligatur; ideò primum omnium tanquam basis ac fundamentum, quo sensu hoc ipsum nomen apud A. Doctorem accipiatur, statuēdum est. Pro qua re

A.Doctor.

Notandum est secundò, materiam si simpliciter accipiatur, nihil esse aliud A.Doctori, nisi *quod est in genere substantia, vt potentia quædam intellecta præter omnem speciem & formam, & præter priuationem.* Ita eam expresse declarauit ipse q. vn. de spiritua. creatu. a. 1. c. vbi ex instituto, *quid nomine materiæ significetur, considerandum esse ait.* Quamuis autem videatur hæc materiæ descriptio applicari posse omni substantiæ, quæ quouis modo rationē subiecti habeat respectu formæ substantialis, etiamsi spiritale subiectum esset, de quo suprà dicebam a. 2. Tamen ipse apertè in fine corporis ibi indicare voluit, nomine materiæ solam materiam corpoream quantitati subiectam intelligēdam simpliciter esse. Cùm enim dixisset, si omnis potentia nominetur materia, & omnis actus forma, sic *in substantia spirituali esse compositionem formæ & materiæ*, subiungit statim. *Sed tamen hoc non est propriè dictum secundum communem vsum nominum.* Atque in hac quidem materiæ acceptione suprà a. 2. fundauimus in A-

Auicebron. A.Doctor.

uicembronem rationem A. Doctoris optimè probasse, Angelos nullam habere materiā; nempè simpliciter. Ex quo multò difficilior redditur præsens Quæstio. Nam cùm concedatur simpliciter materia in ipsa hypothesi, ex qua materia Angeli componantur, aperta videtur contradictio, si posita illa materia negetur, Angelos distingui numero, quia eam paulò antè dixerat esse principium numeralis distinctionis. Pro qua re

A.Doctor.

Notandum est tertiò, quamuis materia propriè & simpliciter sit respectu formę substantialis, vt diximus, tamen sępè etiam sumi ab A.Doctore pro ea substantia, quæ sit potentia ad aliquem actum substātialem, etiamsi non sit actus ex quo & materia confletur ipsum essentiale compositum. Id verò patet primò: Quia eodem art. 1. cit. expresse concedit, omnem potentiam ad actum esse aliquo modo materiam. Vnde substantias spiritales hoc pacto ait componi ex materia & forma: Quia, ex actu & potentia constare docet omnem creatam substantiam, quæcunque illa sit. Quæcunque enim natura creata est potentia ad suum esse tanquam ad actum, vt ipse docet. Et corpoream quidem ait duplici constare potentia & actu, ac proinde duplici materia & forma. *Nam primò quidem* inquit *materia est vt potentia respectu formæ, & forma est actus eius: & iterum natura constituta ex materia & forma est vt potentia ipsius esse, in quantum est susceptiua eius.* At in substantiis spiritalibus, quibus nulla corporata inest materia, docet vnicam esse tantùm rationem potentiæ & actus, ideoque vno tantùm modo materiam formámque reperiri. Nam *remoto* inquit *fundamento materiæ si remaneat aliqua forma determinatæ naturæ per se subsistens non in materia, adhuc comparabitur ad suum esse, vt potentia ad actum.* Vnde sequitur, vt ipse paulò pòst docet, naturam & esse tanquam materiam & formam se mutuò respicere. Ergò materia est ipsa essentia comparata ad esse suum, quod actus illius est.

Deinde hoc totum apertissimè constat ex eo,

A quod A.Doctor in 1. d. 34. q. 1. a. 1. generatim

A.Doctor.

docet: Nam quia omne id quod recipere potest alterum, rationem potentiæ susceptricis, & id quod recipitur, rationem actus habet; ideò essentiā quæ recipitur in supposito vocat actum; suppositum verò materiam seu loco materiæ; Nimirum determinantis naturam communem ad esse singulare; idque ait esse in omni natura creata. *In illis enim* inquit *in quibus aliud est essentia, quam hypostasis vel suppositum: oportet quòd sit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare. Vnde illam determinationem materiæ, vel alicuius quod loco materiæ se habet, addit in creaturis hypostasis supra essentiam & naturam. Vnde non omnino in creaturis ista idem sunt.*

B In qua distinctione naturæ & suppositi creaturas Deo contraponit. Hinc etiam patet iure optimo ab eodem A.Doctore in 2. d. 2. q. 2. a. 2. ad 4.

A.Doctor.

asseri *de mobilibus atque immobilibus materiam dici æquiuocè*; hoc est, non eodem prorsus modo; sed proportione & similitudine quadam. Quod confirmat, quia etiam *in Mathematicis, quæ abstrahunt à materia sensibili tantùm*, reperitur materia, vt ex Aristotele libro 8. Metaphysices cont. 2: 3. & 15.

Aristoteles.

docet. Quam Mathematicorum materiam communi vocabulo vocant intelligibilem ex proportione ad sensibilem, nempe quantitatem. Nam quantitas, quæ intellectu & imaginatione abstrahitur à corporibus Physicis, recipit varia

C figurarum delineamenta, quæ veluti proprietates, actúsque illius sunt. Ergò omne id, quod est quouis modo potentia ad actum recipiendum, materia A.Doctori esse non inconditè dici potest.

A.Doctor.

Quamobrem cùm constet quid nomine materiæ A.Doctori significetur, statuendum superest, quonam modo hic sumi debeat, vt ad difficultatem propositam satisfiat. Pro quā re

A.Doctor.

Notandum quartò similes probationes variis locis vsurpatas esse ab A.Doctore, sed non eadem prorsus ratione. Quibus quia non parum ad enodationem præsētis nodi iuuari possumus, idcirco eas referre operæpretium puto. Vna est infrà q. 75. a. 7. vbi cùm ostendisset hominis ani-

D mum atque Angelos specie differre, quia nō habent materiam quæ numeralem tantùm differentiam in eadem natura constituit; addit. *Idem etiam sequeretur, si huiusmodi substantiæ essent compositæ ex materia & forma*; Quod sic ostendit. Nam aut specie distinguerentur materiæ Angelorum & animorum inter se; Aut non specie distinguerentur. Hoc secundum dici non potest; quia tunc solùm distinctio non esset inter ipsos Angelos & animos, *nisi secundum distinctionem quantitatiuam, quod non habet locum in incorporeis substantiis.* Si primum dicatur, Ergo necesse est, sit etiam distinctio formarum; Quia *diuersæ materiæ sunt propter habitudinem ad diuersas formas*, ac proinde necesse

E est specie differāt formæ, ac proinde Angeli, qui ex illis conflantur. Quæ ratio conuenit quidem cum argumento huius articuli in eo quòd ponit diuersas materias respectu diuersarum formarum. Tamen hæc differt ab illa, quòd hæc non probat esse diuersas materias; illa verò probat, vt vidimus.

Eodem ferè modo argumentatus est q. vn. de spiritualibus creaturis a. 8. sed cuius argumentum non parum ad huius articuli doctrinam accedit. Ait enim si Angelus componatur ex materia & forma, *necesse est dicere, quòd materiæ diuersorum Angelorum sint aliquo modo distinctæ.* Vel er-

ga

go diuersæ in ratione materiæ; vel diuersæ secundùm diuisionem quantitatis. Si detur prius. Ergo quia materia vt materia est potentia ad actum, sequitur esse diuersas materias ad diuersos actus. *Et ita sequitur* inquit *quod non solùm specie, sed & genere differant.* Si dicant posterius; Contrà quia huiusmodi *distinctio materiæ non potest esse in diuersis Angelis, cùm Angeli sint incorporei, & omninò absque dimensionibus quantitatiuis.* In qua argumentatione constat, negari solùm materiam quantitati subiectam; ex alia verò inferri genericam inter Angelos distinctionem. Quod quomodo verum sit in præsenti inquirimus. Pro qua re

Notandum est quintò huic difficultati, vt mihi sanè videtur non parum lucis attulisse, quod idem A. Doctor explicatiùs quàm alibi docuit ad eandem Quæstionem determinandam q. vn. de An. a. 7.c. Ibi enim cùm negasset Angelos atque animum esse eiusdem speciei, quia non habent materiam, per quam solo numero distinguantur ea quæ sunt in eadem specie, subdit eadem facta hypothesi tale argumentum, quo materia corporum sublunarium ex vna parte, cæteræ verò materiæ ex alia parte reponuntur. Sic enim habet. *Si tam in Angelis quam in anima sit materia de se vna, sicut omnium corporum inferiorum est materia vna diuersificata tantum secundum formas, oportebit etiam quòd diuisio illius vnius ac communis materiæ sit principium distinctionis Angelorum ab inuicem, & ab anima.* Si autem materia est principium distinctionis respectu harum formarum; Ergo eadem materia eiusdem rationis independenter à formis in se diuisa est, ac proinde per quantitatem qua informetur. Vt enim habet Aristoteles libro 1. Physic. context. 15. subtracta quantitate remanet substantia penitus indiuidua. Ergo si per hanc materiam Angelus, hominisque animus discernantur, sequitur Angelos si componantur ex hac materia quanta, ipsos esse corpora. *Quæ enim componuntur* inquit *ex materia dimensioni subiecta sunt corpora; Quod nullus sanæ mentis dixerit; præsertim cùm probatum sit quòd intelligere non potest esse actus corporis.* Excluditur ergo ab Angelis materia inferiorum corporum: Ex cæteris autem materiis infertur Angelos fore diuersos specie hoc pacto. Si enim fuerint materiæ diuersæ, *id esse non potest* inquit *nisi secundùm ordinem ad formas diuersas. Sicut ponitur quòd corporum cælestium & inferiorum non est vna materia communis; & sic talis materiæ differentia speciem facit diuersam.* Itaque ex his habemus, materiam quantitati subiectam negari simpliciter in Angelis; cæteras verò materias facere ad specificam diuersitatem. Ex quibus etiam patet, A. Doctorem semper ferè eodem modo in hac materia esse argumentatum, vt positâ materiâ in Angelis, adhuc sequi ostendat ipsos vel specie, vel etiam genere diuersos esse; Quod an rectè ac verè dicatur in præsenti indagamus.

A. Doctor. Aristoteles. A. Doctor.

Resoluitur quæstio, ostenditurque si Angeli componantur ex materia, eam debere esse non subiectam quantitati, proinde Angelos fore diuersos specie. §. 3.

Itaque ad Difficultatem respondetur, & sit Vnica propositio. Rectè sequitur, si Angeli haberent materiam, eos fore distinctos specie, vel etiam genere, vt A. Doctor intulit in hoc articulo. Probatur: quia, si Angeli componantur ex materia, verum est, non posse ex materia quantitati subiecta componi. Ergo deberent componi ex alia materia, quæ quantitati suâ naturâ subiecta non sit; si autem dentur Angeli ex alia materia, sequitur eos differre vel specie, vel etiam genere. Ergo; etiam si Angeli componantur ex materia, sequitur, eos fore distinctos vel specie, vel etiam genere. Vltima hæc consecutio non eget probatione. Antecedens probatur: Quia ita ponimus Angelos cóponi ex materia, vt tamen ea facta hypothesi remaneant incorporei. Sic enim hæc Quæstio ab A. Doctore hic & aliis locis citatis vt vidimus, disputatur, ac proinde in præsenti difficultate aliter fieri hypothesis non debet. Non enim nunc probandum nobis est; Quocunque modo Angeli materiam habeant, sequi; eos naturâ specificâ distingui. Nam esset alia non præsens ad mentem A. Doctoris, eiusque vim argumenti demonstrandam controuersia Non possunt ergo componi ex materia quanta. Certum enim est, omne illud, quod ex materia quanta componitur, corpus esse, vt suprà ostendimus ex Aristotele articulo primo Quæsito 3. Difficult. 1. Neque aliter intelligimus corpus, cùm philosophicè de corpore disseritur.

A. Doctor.

Prima autem argumenti consecutio per se euidens omnibus est. Nam si componuntur ex materia, ergo aliquam habent; Vel ergo eam, quæ quanta est; vel aliam, quæ quanta non sit. Non quæ quanta est; Ergo ex alia componuntur, quæ quanta non sit; idque ex sua natura; Nā nihil præter naturam affirmari debet de substantiæ præstantissimæ parte, cùm id ne in aliis quidem imperfectissimis substantiis asseri debeat, vt dixi super. Quæsito Difficult. 1.

Iam probo illam Minorem; Nempe sequi, si detur Angelos componi ex alia materia, eos differre vel specie vel etiam genere. In qua stabilienda propositione quicquid est præsentis negotij positum est: Quia videntur etiam posita diuersitate materiæ, à materia quanta adhuc posse Angeli habere materiam & formam eiusdem rationis inter se, ac proinde non specie, sed numero in eadem specie inter se esse diuersos. Probatur autem sic: Nam non est ponenda in Angelis materia diuersa à materia quanta, nisi vnusquisque Angelus sibi propriam, atque à cæteris essentiâ suâ diuersam materiam poscat. Ergo si ponitur diuersa ista materia in Angelis, vnusquisque Angelus habebit propriam materiam, atque essentiâ suâ diuersam à cæteris. Ex hoc autem manifestè sequitur, Angelos esse diuersæ speciei aut etiam generis. Nam materia essentialiter diuersa in singulis non potest multiplicari nisi ob varietatem formarum tanquam propter finem. Nam vt docet Aristoteles libro 2. Physic. cont. 23. & alibi. Materia est propter formam tanquam propter finem. Ex quo probat, eiusdem scientiæ esse materiam ac formam considerare; eo quòd finis, eorúmque quæ sunt ad finem consideratio ad eandem scientiam spectat. Ergo si formæ non sunt diuersæ essentialiter, non exigent materias diuersas in essentiâ: Quia possunt formæ vnius speciei easdem specie materias informare. Vnde vt rectè ait Scotus in 2. d. 3. quæst. 6. §. *Contra. Forma est finis materiæ.*

Aristoteles.

Non propter aliam causam membra cerui differunt à membris leonis, nisi quia anima differt ab anima. Similiter nec ob aliam causam materia omnium hominum eodem modo formatur, nisi quia eadem est in omnibus hominibus specifica forma. Et ratio est: quia cùm corpus & materia sit animæ instrumentum, & instrumentum non sit diuersum nisi vbi finis est diuersus; necesse est, corpus ac materiam non esse diuersam, nisi vbi finis, seu anima sit diuersa. Quod argumentum vsurpauit Aristoteles lib. 1. de Anima context. quinquagesimosecundo, vt veterum de animarum transmigratione sententiam euinceret. Cum non omne corpus eidem animæ aptari possit; sed pro varietate finium oportere ea quoque diuersitatem habere. Sanè natura absque necessitate finis diuersa entia non facit, nam illa superfluerent in natura; Quod maximè est absurdum. Nihil enim temere natura actum est, teste Aristotele libro primo de partibus animalium cap. 5. Adeò vt ipse rectè obseruarit libello de Iuuentute, & senectute cap. 11. *Naturā vnum ad vnum opportunum instrumētum facere: Nihil enim facit frustra: duobus autem existentibus, alterum vtique frustra esset.*

Aristoteles. Aristoteles.

Sequitur ergo si materia essentialiter diuersa esset in vnoquoque Angelo, diuersas quoque fore formas essentialiter; atque ita fore vt Angeli inter se vel specie vel etiam genere distinguantur. Necesse enim est composita, quorum diuersæ sunt in vnoquoque materia & forma, essentialiter inter se specie differre: Immo necesse est ea genere diuersa esse, cùm non possint in proximo genere conuenire. Nam si quæ habent communem materiam, formam autem diuersam, oportet diuersæ sint speciei. Ergo quorum non solùm formæ, verùm etiam materiæ sunt diuersæ, eorum debet esse generica diuersitas, cùm maior differentia sit, secundùm vtramque partem, quàm secundùm alteram differre. Longè enim minùs ea conueniunt inter sese, inter quæ plus discriminis interponitur. Quare rectè Aristoteles libro decimo Metaphysices, contextu duodecimo, tanquam certissimum axioma pronunciauit. *Omne differens aut genere, aut specie differt. Genere quidem, quorum non est communis materia*, &c. Et apertiùs libro quinto Metaphysices, contextu trigesimotertio, definit ea *esse genera diuersa, quorum primum subiectum diuersum est.* Itaque verum est quod sequi dicebamus, Angelos fore diuersæ speciei, aut etiam generis, si in illis materia diuersa à materia quanta ponatur.

Aristoteles.

Porrò antecedens illud stabilire oportet, vnde hanc sequelam deriuabamus; Nimirum non esse ponendam diuersam in Angelis materiam à materia quanta, nisi vnusquisque Angelus sibi propriam, atque à cæteris essentialiter distinctam materiam poscat; Et quoniam hìc tota ratio A. Doctoris consistit, diligenter hoc perpendendum est. Probatur autem ab Angelico Doctore. Nam si habent materiam diuersam à materia quanta; ergo Angelis non sunt satis materiæ, quæ solo numero distinguantur; sed debent esse diuersæ secundum potentias essentialiter. Huiusmodi enim materia, quæ ab alia solo numero differt, habet à quantitate numeralem distinctionem. Huius enim materiæ corporum proprium est, vt numero eius partes sub iisdem, & sub diuersis formis materialibus distinguantur. Ergo essentialiter differre debent.

A.Doctor.

A Verùm huic rationi responderi potest, huius materiæ corporum proprium esse, vt quantitati subiecta diuidatur in plures numero partes. Ea verò, quæ in Angelis esset, esset diuisa non quidem diuisione quantitatis, quia faceret corpus, sed se ipsa per suam numeralem formam, quà est hæc. Vnde essentialiter diuersæ materiæ non essent in Angelis; sed quæ numero se ipsis diuersæ essent, ac proinde nec formæ diuersæ speciei essent, sed vnius. Neque necessarium est vt differant secundùm potentias essentiales: Quia posset materia vnius Angeli exempli gratia, Gabrielis habere eandem potentiam essentialem ad Raphaelem & alios: determinari tamen ad hunc numero Angelum per formam indiuiduantem, seu per suam Hæccheitatem, vt formæ Gabrielis potiùs, quàm aliorum subiecta sit. Queadmodum hæc aut illa materia per dispositiones materiales fit huius formæ lapidis, & non alterius.

B

Secundò posset cõfirmari eadem ratio A. Doctoris: quia vnaquæque materia sui Angeli debet esse essentialiter potentia ad suam tantùm formam, nempe ad hanc numero, & non ad aliam. Quia tantùm vnum Gabrielem cum illa forma, per se constituere debet, non cum cæteris, cum quibus nullam subiecti rationem habere potest. Alioqui si esset potentia ad varias Angelorum formas, Angelus quisque ratione suæ materiæ esset corruptibilis. Illud enim est corruptioni obnoxium, cuius materia potest induere aliam formam, ac proinde suam exuere. At Angelos esse corruptibiles negabimus articulo sequenti.

A.Doctor. C

Sed hæc ratio non est firma: Primò enim negandum est, Angelos fore corruptibiles; nec vera est eius probatio. Nam corruptibile illud est, quod vi agentis naturalis & secundarij potest desinere esse in rerum natura; non autem quod potest solius omnipotentis voluntate destrui, vt ex instituto dicam articulo sequenti. At illud Angelicum compositum non posset interire aut dissolui, nisi omnipotentis voluntate. Sicut enim non potuerunt illæ partes vniri, nisi diuina virtute; ita nec dissolui. Propterea quod nexus ille ob præstantiam naturarum, non ab alio præterquam à Deo effectore, & conseruatore dependeat. Si enim talis corporum coniunctio in rerũ natura reperitur, vt à solo Deo non ab alia efficiente causa gigni oporteat, vt materia & formæ cœlestium corporum Thomistarum opinione; Quantò id firmiùs cùm Angelicæ formæ ac materiæ in suos Angelos copulantur affirmandum est. Deinde quia necesse est; vnaquæque materia essentialiter sit ad plures formas eiusdem speciei possibiles. Ratio ex superiore Quæsito in promptu est: Etenim si materia Angelica esset ad vnam tantùm formam numero; non autem ad alias eiusdem speciei possibiles; Ergo vna tantùm materia & forma esset possibilis in vna specie non plures. Materia quidem: quia esset potentia ad vnam tantùm formam specie & numero, vt ipsi volunt. Forma verò: quia essentialiter esset actus illius tantùm numero materiæ. Neque enim ratio actus latiùs patere debet, quàm ipsa potentia, cuius est connaturalis actus.

D

E

Immò si ex notis philosophandum sit, multò angustiùs se actus habet, quàm potentia. Licèt enim materia huius lapidis spectet omnes formas,

formas; Tamen huius lapidis forma huius solius materiæ sinu concludi debet, cum de subiecto in subiectum migrare non possit, & sic de cæteris. Nec ipse humanus animus aliam connaturaliter informare materiam potest, quàm quæ suis organis ad illius operationes aptè fabricatur à natura. Ergo non est dicenda materia, quæ in Angelis esset, ad vnam tantùm numero formam respicere. Huc etiam accedit, quod in rebus creatis essentia non est idem formaliter, quòd conditio indiuidua atque Hæcceitas, latiusque patet vt ostendi super. Quæsito, Difficultat. vltim. Ergo materia, quæ in Angelis esset potentia essentialis ad formam, non esset ad hanc numero formam. Quandoquidem essentialis illa potentia Hæccheitate vniuersalior ad hanc formam numero determinaretur per suam Hæccheitatem, sicut in cæteris accidit. Animus enim hominis quia distinguitur, vniuersaliórque est sua Hæccheitate, rectè dicitur esse ad hominem; hunc verò animum ad hunc hominem, & similiter in aliis. Quemadmodum ergo animus hominis ex se est ad hominem constituendum; & hic animus ad hunc hominem; & sicut materia cœli opinione Thomistarum est ad formam cœli in tali specie; & hæc materia huius partis est ad hanc partem &c. Sic pari ratione materia Angeli ex se esset ad formas in Angeli tali specie; hæc autem ad hanc formam: Nec ratio esset, cur ab hac nota philosophandi ratione discederemus.

Meliùs ergo probatur illud antecedens ex dictis super. Quæsit. Diffic. 2. & 4. ob connaturalem scilicet philosophandi rationem. Quia non sunt ponenda plura indiuidua in eadem specie, nisi vbi id exigit conseruatio specierum ad reparandum indiuiduorum earum interitum. Quo pacto diximus esse plures materiæ partes, plures humanos animos, &c. vt cuiusque speciei natura, quæ in vno mortali composito indiuiduo consistere non posset, successione aliorum atque aliorum indiuiduorum perpetuaretur. Ergo cùm nulla specierum conseruatio in Angelis immortalibus postulet, vt plures sint eiusdem materiæ partes; hæ non essent in Angelis asserendæ: Quæ omnia iisdem locis firmata à nobis sunt. Verum ergo est quod in illo antecedente dicebamus; Nimirum non esse ponendam in Angelis materiam à materia quanta diuersam, nisi vnusquisque Angelus sibi propriam atque essentialiter diuersam poscat. Quia semper vnumquodque indiuiduum sibi peculiarem materiam à cæteris essentia diuersam poscit, nisi aliter conseruatio specierum persuadeat. Atque hoc quidem argumentum posuit A. Doctor locis suprà citatis in 2. & 4. Difficult. eóque manifestè iisdem ferè terminis vsus est q. Vn. de spirit. creatu. a. 8. in 2. Rat. in argum. *Sed contrà*, & lib. 2. cont. Gent. cap. nonagesimotertio, in 3. Rat. vbi eam optimè explicat Ferrariensis.

Addi etiam huic rationi potest aliud argumentum, quod ibidem A. Doctor magni videtur facere; quod sine dubio hanc nostram rationem valdè confirmat; Quod etiam argumentum indicauit in hoc art. 4. ad 3. Nam ad perfectionem vniuersi longè plus conducit specierum diuersitas, quàm indiuiduorum in eadem specie multiplicatio. Longè enim dignior est natura ac differentia specifica, quàm differentia & principium indiuiduans *præter speciei rationem existens*. Ergo si multiplicetur natura materiæ ex hypothesi in Angelis, multipliciter esset vniuersi perfectio dignior, quam si solo numero materiæ partes distinctæ reponantur. Ergo hoc magis affirmandum in ea hypothesi esset, quam illud. Hinc rectè aliam rationem A. Doctor deducit ibidem; Nimirum *in corporibus cœlestibus non inueniri nisi vnum indiuiduum vnius speciei. & vnumquodque eorum ex tota materia suæ speciei*; Quia scilicet cum corpora sint immortalia, non sunt multiplicandæ numero materiæ: ideoque dixit vnumquodque constare ex tota sua materia, non quidem possibili, sed quæ de facto ac reipsa sit. Quod Ferrariensis ibi ait desumptum esse ex doctrina Aristotelis libro primo cœli, contextu nonagesimosecundo, & deinceps. Sed re vera Aristoteles loquitur ibi non de cœlo, sed mundo: Probat enim, *non contingere esse plures mundos, si iste est ex tota materia; quemadmodum & est.* vt patet ex cont. 93. Quia scilicet nihil est vnde colligatur, extra hunc mundum superesse aliam materiam, ex qua alia rerum vniuersitas condita à Deo sit.

Margin: A.Doctor. Ferrariensis. Aristoteles. Ferrariensis. A. Doctor. A.Doctor.

Posita in Angelis materia, eam fore principium indiuiduationis, quo sensu ab A. Doctore vsurpetur, nec absurdum eidem esse, posse dari Angelos ex aliqua materia compositos. § 4.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò quid intelligat A. Doctor in hoc articulo in eadem ipsa ratione, cùm docuit, dato quod Angeli constarent ex materia, tunc *oporteret quod principium distinctionis vnius ab alio esset materia, non quidem secundùm diuisionem quantitatis, cùm sint incorporei, sed secundùm diuersitatem potentiarum*; nempe distinctionis non numeralis, (quia ait debere esse principium distinctionis vnius ab alio non secundùm diuisionem quantitatis in materia eiusdem rationis, seu in eadem materia secundùm varias eius partes. Ergo non intelligit principium distinctionis secundùm numerum in eadem specie. Talis enim distinctio eandem specie materiam postulat, non diuersas secundùm varias potentias essentiales. Hæc enim facit varias species; non eandem in suis compositis, vt ostensum est.) Sed distinctionis, quæ ex diuersitate materiarum existit; nempe quæ, vt ipse ait in fine c. *causet diuersitatem non solum speciei, sed generis*; Quod difficilem videtur habere sensum: Nam nullum subiectum est causa, vt sint naturæ diuersæ. Quod enim naturas distinguit, forma & actus est non materia, vt patet ex Aristotele libro decimo Metaphysices, contextu vigesimoquinto. Et ideò forma est rei quidditas, non materia, vt patet ex Aristotele libro secundo Physicor. cont. 28. & libro octauo Metaphysices, contextu tertio, & alibi; Quibus in locis docet, formam *esse quod quid erat esse rei*.

Dico tamen colligi ex dictis, id rectè ab A. Doctore affirmari, quia posita materia in Angelis, tunc foret principium originarium distinctionis specificæ, aut etiam genericæ. Positis enim mate

Margin: A.Doctor. Aristoteles. A.Doctor.

materiis secundùm essentias ac potentias essentiales diuersis, hoc ipso debent poni formæ essentialiter diuersæ: Nam vt antè dicebam, diuersa essentialiter subiecta non vnius speciei formas exigunt: Etenim licèt contrà accidat; Nimirum vt diuersæ formæ vnius speciei materiam requirant, si composita ipsa in interitum pendeant; vt scilicet ex eodem subiecto nunc vna, nunc alia forma pro temporum vicissitudine, causarúmque varietate exoriatur; Tamen nunquam connaturali modo fiet, vt formæ eiusdem rationis diuersas materias informent. Hoc enim ipso, quod sunt diuersæ materiæ, sunt diuersæ essentialiter potentiæ; ergo propter diuersas formas; alioqui vna potentia satis esset. Itaque materia est principium originarium; non quidem simpliciter, quia finis est prima effectuũ origo, cum sit causa causarum, teste A. Doctore supra q. 5. a. 2. ad 1. & à quo agens, quod est vnde primum principium motus mouetur, vt patet ex Aristotele lib. 12. Metaphys. cont. 37. sed ex hypothesi, & ordine executionis: Nam posita in Angelis materia verè enũciamus ipsam oportere in singulis diuersam esse essentialiter, ideóque consequens esse, vt in ea connaturaliter sint formæ diuersę rationis ob rationes dictas.

A. Doctor. — Aristoteles.

Colligitur secundò non reputari ab A. Doctore impossibile, dari Angelos compositos ex aliqua materia & forma, modò remaneant ipsi incorporei. Patet, quia non negat, sed admittit id posse fieri. Quandoquidem ex ea hypothesi ait, non sequi, Angelos distingui numero in eadem specie. Ergo non videtur existimare id esse impossibile. Et quamuis etiam ponantur hypotheses impossibilium, vt inde disputetur de sequela, vt cùm dicitur ab eodem A. Doctore suprà q. 36. a. 2. c. *Si Spiritus sanctus non esset ab eo*; id est à Filio, *nullo modo posset ab eo personaliter distingui*; Tamen in hoc art. nihil videtur afferi, per quod significet poni impossibile. Solet enim A. Doctor, & qui de huiusmodi consequente disserunt, antequam ponant antecedens impossibile, significare, se quidem iudicare ipsum esse impossibile, sed se id dare, & non concedere; quod ponunt, vt veritas consequentis appareat, vt patet in illo art. 2. & alibi. Sanè in q. vn. de spirit. creatu. a. 8. vbi eadem quæstio exagitatur, simpliciter loquitur, ac si id possibile esse arbitraretur.

A. Doctor. — A. Doctor.

Immò eadem q. a. 1. in argumento *sed contra* auctoritate S. Dionysij ostendere conatur, non solùm materiam quantitate affectam, verùm etiam omnem prorsus materiam Angelis esse denegandam; nusquam tamen in tam multis locis, in quibus hac de re disserit, probat, has materias esse impossibiles omninò. Signum ergò est, non reputari impossibile, tales Angelos in rerum natura absoluta Dei potestate dari. Immò posse esse in Angelis materiam, quæ corporum non sit, expresse docet quæstione sextà, de Pot. a. 6. ad 4.

S. Dionys.

Satisfit argumentis quæ magnam ingerebant difficultatem. § 5.

EX his respondetur ad argumenta, quæ contra hanc A. Doctoris sententiam posuimus

A. Doctor.

A in ratione dubitandi. Ad primum enim dico, rationem quidem originariam numeralis distinctionis inter indiuidua eiusdem speciei esse materiam quantitate affectam, vt diximus; Non tamen hanc poni materiam in Angelis, cùm ex hypothesi ponitur, eos constare ex materia; Immò materia quantitate affecta apertè negatur, atque infertur, aliam oportere esse materiam, quæ diuersæ sit essentiæ, vt explicatum est; Atque ita nulla verborum repugnantia est.

Ad secundum nego haberi apud A. Doctorem illa verba, quæ sumuntur in argumento; nempe *si distinguerentur numero*, &c. Potiùs enim A. Doctor ait si Angeli haberent materiam, nec B sic possent *esse plures Angeli eiusdem speciei*. Quamobrem tantum abest, vt ponat in Angelis ex hypothesi illam diuersitatem numeralem ex materia, vt ex materia diuersarum potentiarum assumet *diuersitatem non solùm speciei, sed generis*. Negatur ergo antecedens argumenti: Vnde consecutio supponit falsum; nempe negari & affirmari ab A. Doctore materiam, quæ sit principium distinctionis; cùm eam neget non affirmet. Ad tertium nego requiri materiam diuersarum potentiarum ad distinctionem numeralem. Solùm enim ait, posita in Angelis materia, ex illa sequi, materiã esse essentialiter diuersam in vnoquoque eo modo, vt ostensum est.

A. Doctor. — A. Doctor.

C Vnde ad primum, quod ibi quæritur, dico falsum supponi in argumento, nempe exigi materiam ad distinctionem numeralem. Aio enim, solùm exigi ad principium distinctionis vnius ab alio materiam tãquam originem distinguendi. Ex eo scilicet quòd posita materiã sequitur, eam esse in vnoquoque diuersam essentiã suã. Hinc quia connaturali modo debent in ea formæ essentialiter diuersæ inesse, sequitur ex ea hypothesi tanquam ex originario principio non solùm specificam, verùm etiam genericam fore distinctionem, vt dixi in Primo *Colligitur*. Neque ad hanc distinctionem satis visa est A. Doctori communis materia, quam solùm immediatè docuerat esse principium numeralis diuersitatis. Itaque rectè sequitur vario modo distinguendis D indiuiduis varias quoque materias tanquã originaria principia assignari oportere, vt ipse A. Doctor in doctrina præsentis articuli præstitit.

A. Doctor.

Ad alterum quod quæritur diximus in nostra ratione, cur harum materiarum diuersitas genericam in Angelis diuersitatem demonstret. Ad id quod additur respondeo, non eandem esse rationem de formis, quæ ex artificio fiunt, ac de formis substantialibus, quas à Deo immediatè in materiã procreari oportet. Nam posito quod Deus formas illas in diuersis materiis creare velit ad vnum ens connaturali modo per se E componendum, eas creare debet, quæ sint eius materiæ actus, non alterius. Ex solis enim potentia & actu connaturalibus composita fiunt. Et ideo rectè Aristoteles libro 2. de Anima cont. 7. & alibi, non esse quærendum ait, cur ex anima & corpore vnum fiat, quia se habent inter se, vt potentia & connaturalis actus, vt nunc suppono. Si ergo diuersæ sint potentiæ essentiales, ad diuersos substantiales actus respicient tãquam ad diuersas suas connaturales formas, à quibus speciem sortiuntur. Alioqui, vt antè ostẽdimus, non essent ponendæ plures potentiæ. Quare diuersæ substantialiter formæ, quæ diuersas materias.

Aristoteles.

-terias informent ad varia per se composita constanda, esse debent.

At non est ita de formis ex arte manantibus, cùm enim accidentia sint, in diuersis corporibus suscipi possunt; Vt idem specie calor potest variis elementis ac mistis etiam connaturali modo inesse; non tamen eadem anima nisi in tali determinato corpore, vt suprà ex Aristotele definiuimus. (Aristoteles.) Possunt ergo diuersæ materiæ corporum esse naturaliter capaces variorum accidentium, quæ illis communia sunt, non tamen possunt esse diuersæ materiæ, quæ formarum vnius speciei tanquam sui connaturalis actus sint subiecta, cùm materiæ diuersæ esse debeāt, eò quòd diuersæ sint earum essentiales potentię. Ergo relatè ad varios actus substantiales, quorum suscipiendorum sunt potentiæ.

At dicet aliquis, cur diuersæ materiæ nō possunt informari formis vnius speciei? Num quia non existeret vnum compositum per se absolutè; An quia non esset connaturali modo?

Respondeo ex iam dictis, quia absolutè non esset vnum per se. Est enim essentialis illa diuersitas in materia, eò quòd sit essentialis potentia ad has formas determinatas, quas per se respicit non ad alias, ad quas alia materia est. Alioqui non video quo pacto possit intelligi diuersitas essentialis in ratione potentiæ, vt hic loquitur A. Doctor (A. Doctor.), nisi intelligantur variæ illæ potentiæ ad varias formas. Sicut materia cœli, si diuersa est essentialiter à nostrate, non alio modo intelligitur, nisi quia hæc nostras est ad formas compositorum corruptibilium, illa cœli ad composita immortalia. Sic quoque diuersitas est in potentia visiua, & intelligente, quia tendunt ad varios actus, non ad eosdem, &c.

Quod potissimum verum esse oportet in materiis spiritalibus, quæ nullis præuiis dispositionibus formas substantiales recipere debent: Qualis esset materia Angelica, quam ponimus. Neque enim fingi potest, quales dispositiones recipere oporteat materia immortalium formarum; & ideò nulla solet in cœlestibus dispositio ad formas illas concipiendas assignari. In iis ergo materiis potissimum debet diuersitas potentiarum sumi à diuersitate formarum substantialium. Oportet enim, vt omnis diuersitas in materia sit ad diuersas formas aliquo modo. Vt enim docet Aristoteles (Aristoteles.) libro 2. Phys. cont. 26. *Ad aliam formam alia materia est.* Saltem per varias dispositiones, quibus determinetur ad hanc potius, quam ad illam. Ergo vbi nulla requiritur dispositio, sua essentia determinata est.

Verùm de hoc aliàs. Nobis in præsenti satis est, si connaturali modo debeant esse diuersæ formæ pro essentiali diuersitate materiæ, quia ex hoc satis apertè concluditur, posita materia in Angelis si connaturali modo philosophandum sit, eos fore diuersorum generum, nedum specierum, id quod A. Doctor (A. Doctor.) contendebat. Atque ex his patet ad ea, quæ in eodem argumēto congerebantur.

Ad quartum respondeo fore ex se indiuiduā omninò eam materiam, quæ in Angelis poneretur, ita vt quantitate extendi non possit. Esto etiam non sit simpliciter materia, quā corporum esse diximus.

Ad aliud ibidem dico, spiritalem materiam posse esse diuersam secundùm potentias, non è quibus educantur formæ spiritales (quæ si substantiales sint, intelligentes ac per se subsistentes esse debent vt rectè probat argumentum) sed in quibus reciperentur formæ ipsæ spiritales, ex quibus & materia illa vnum per se existeret, vt diximus suprà a. 2. sicut etiam materia nostras habet potentiam ad animum humanum. Falsum enim est, nostratem materiam non habere essentialem potentiam ad nostrū animum; si quidem cum eo hominem constituit, vt alibi ostensum est. Negatur ergo cōsecutio argumenti. Ad vltimum dixi, cur non possit esse materia vnius rationis.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm Angeli sint incorruptibiles.


AD quintum sic proceditur. Videtur quòd Angeli non sint incorruptibiles. Dicit enim Damascenus * de Angelo, quòd est substantia intellectualis, gratia & non natura immortalitatem suscipiens.

2. Præterea Plato dicit in Timæo † O Dij Deorum quorum opifex idem paterque ego, opera siquidem vos mea dissolubilia natura. Hos autem Deos non aliud quàm Angelos intelligere potest. Ergo Angeli natura sua sunt corruptibiles.

3. Præterea secundùm Gregorium * omnia in nihilum tenderent, nisi ea manus omnipotentis conseruaret. Sed quòd in nihilum redigi potest est corruptibile. Ergo cùm Angeli sint à Deo facti, videtur quod sint corruptibiles secundùm suam naturam.

*Sed contrà est quod Dionys. * dicit 4. cap. diu. nom quòd intellectuales substantiæ vitam habent indeficientem ab vniuersa corruptione, morte & materia, & generatione mundæ existentes.*

*Respondeo dicendum, quòd necesse est dicere Angelos secundùm suam naturam esse incorruptibiles. Cujus ratio est: quia nihil corrumpitur, nisi per hoc quòd forma eius à materia separatur. Vnde cùm Angelus sit ipsa forma subsistens, vt ex dictis * patet, impossibile est, quòd eius substantia sit corruptibilis. Quòd enim conuenit alicui secundùm se, nunquam ab eo separari potest. Ab eo autem cui conuenit per aliud, potest separari, separato eo secundùm quod ei conueniebat. Rotunditas enim à circulo separari non potest: quia conuenit ei secundùm seipsum. Sed æneus circulus potest amittere rotunditatem per hoc quod circularis figura separetur ab ære. Esse autem secundùm se competit formæ. Vnumquodque enim est ens actu secundùm quod habet formam. Materia verò est ens actu per formam. Compositum igitur ex materia & forma desinit esse actu per hoc quòd forma separatur à materia.*

Marginal notes: 1. d. 3. q. 1. a. 1. c. & d. 7. q. 1. art. c. Et 2. con. Gent. c. 54. & 91. ad 6. & Pot. q. 5. a. 3. & 4. c. Et opusc. 9. c. 47. — * lib. 2. orth. fid c. 3. — † circa finē quinti folijā princ enumerando. — * lib. 16. Mor. c. 18. non procul à princ. — * cap. 4. parum à princ. — * art. 1. & 2. huius quæst.

Sed si ipsa forma subsistat in suo esse, sicut est in A *Angelis, vt dictum est, non potest amittere esse. Ipsa igitur immaterialitas Angeli est ratio quare Angelus est incorruptibilis secundum suam naturam. Et huius incorruptibilitatis signum accipi potest ex eius intellectuali operatione. Quia enim vnumquodque operatur secundum quod est actu, operatio rei indicat modum esse ipsius. Species autem, & ratio operationis ex obiecto comprehenditur. Obiectum autem intelligibile cum sit supra tempus, est sempiternum. Vnde omnis substantia intellectualis est incorruptibilis secundum suam naturam.*

Ad Primum ergo dicendum, quod Damascenus accipit immortalitatem perfectam, quæ includit omnimodam immutabilitatem, quia omnis mutatio est quædam mors, vt Augustinus† *dicit. Perfectam autem immutabilitatem Angeli nonnisi per Gratiam assequuntur, vt infrà** *patebit.*

† lib. 3. con. Maximinũ cap 12. à medio ep. 6. & in ep. ad Dioscorum ferè circa medium.

* q. 62.

Ad Secundum dicendum, quòd Plato per Deos intelligit corpora cælestia, quæ existimabat esse ex elementis composita. Et ideò secundùm suam naturam erant dissolubilia; secundùm voluntatem diuinam semper conseruabantur in esse.

*Ad Tertium dicendum, quòd sicut suprà dictum est**, *quoddam necessarium est, quod habet causam suæ necessitatis; vnde non repugnat necessario nec incorruptibili, quòd esse eius dependeat ab alio sicut à causa. Per hoc ergo quod dicitur, quòd omnia deciderent in nihilum, nisi continerentur à Deo, & etiam Angeli: non datur intelligi, quòd in Angelis sit aliquod corruptionis principium; sed quòd esse Angeli dependeat à Deo, sicut à causa. Non autem dicitur aliquid esse corruptibile per hoc quòd Deus possit illud in non esse redigere subtrahendo suam conseruationem; sed per hoc quòd in se ipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ.*

* q. 44. a. 1.

Explanatio & Confirmatio eorum quæ hic dicuntur.

RAtionem huius articuli vel fere omnes paruipendunt Theologi, vel certe detorquent E in alienum sensum. Mihi inter cæteras optima videtur, & quam maxime a priori, atque ex caussis ad conclusionem procedere, vt patebit dum eam ad syllogismi formam reducemus.

A. Doctor.

Respondet ergo A. Doctor latius, quam quærit; Nimirum *necesse esse dicere Angelos suâ naturâ esse incorruptibiles*. Quia scilicet confici putat necessaria ratione, Angelos corrumpi non posse, Probat hanc responsionem A. Doctor duplici ratione; quarum tamen posteriorem dicit esse à signo: vt priorem putare videatur absolute necessariam. Nos priorem prius explicabimus, accuratéque stabiliemus. Deinde de posteriore breuiter agendum erit.

Vnde probetur substantiam immaterialem oportere esse incorruptibilem §. 1.

PRior ergo ratio, licet non facilè ad syllogismi formam colligatur, tamen sic eam formari posse puto ex eius propositionibus, & verbis ipsius contextus, quæ fere in corpore articuli explicite ponuntur. Omnis forma immaterialis est sua naturâ incorruptibilis. Sed Angelus est forma immaterialis. Ergo Angelus suâ naturâ est incorruptibilis. Minorem suprà a. 1. B & 2. præsertim ex ipso intelligendi actu probauerat. Maior autem explicite non ponitur; sed implicite his verbis significatur, nempe. *ipsa immaterialitas Angeli est ratio, quare Angelus sit incorruptibilis ex sua natura*. Quæ quidem propositio æquiparatur huic: Omnis substantia immaterialis est sua natura incorruptibilis. Sicut cùm dicitur Rationalitas est ratio, cur homo naturâ suâ sit risibilis virtute continet hoc enunciatum: Omnis substantia rationalis naturâ suâ est risibilis.

Verùm quoniam non est controuersia, Vtrùm Angeli sint substantiæ immaterialis quocunque C modo: Non enim in dubium reuocatur; Vtrùm sint substantia immaterialis, qualis esset materia spiritalis si daretur. Constat enim Angelos esse substantias operatrices: Ideò formauimus maiorem illam his verbis. *Omnis forma immaterialis est suâ naturâ incorruptibilis.* His enim contractioribus terminis propositio propinquiùs ad rem nostram accedit.

Probat ergo hanc Maiorem A. Doctor. Quia Omnis forma quæ per se subsistit, est suâ naturâ incorruptibilis. Sed omnis forma immaterialis per se subsistit. Ergo omnis forma immaterialis est suâ naturâ incorruptibilis. Minor proba- D tione non eget: Quia omnis forma immaterialis est independens à subiecto sustentante; quod est per se subsistere, & alteri tanquam subiecto non hærere. Vbi aduerte, formam propriè immaterialem esse substantiam immaterialem. Nam accidentia dependent à subiecto sustentāte, cui hærent, ideoque aliquo modo materialia sunt, quia è subiecto, quod materiæ rationem habet, educuntur; etsi non simpliciter, si sint in subiecto immateriali. Maior probatur: quia forma, quæ per se subsistit, non est separabilis à materia; nempe cui hæreat. Nam vtrum sit separabilis à materia, cui iungatur, vt forma per se subsistens, ostensurus est q. seq. a. 1. Ergo est incorruptibilis. Consequentia patet: quia ex hoc & composita materialia, & formæ ipsæ sunt corruptibilia, quia formæ ipsæ separantur à materia, cui hærent, vt homo, lignum, calidum siccitas &c. Antecedens notum est ex ipsis terminis: quia si per se subsistit, non hæret materiæ: Hærere enim subiecto est sustentari ab ipso, ac proinde non esse per se ab illo independenter. Atque hæc videtur sufficiens A. Doctoris ad conclusionem probandam efficaxque ratio.

A. Doctor.

Verumtamen quia obiici huic rationi poterat formas per se subsistentes interire posse, non quidem quia separabiles ipsæ sint à materia cui hæreant, vt rectè probatum est; sed quia ipsarum esse separari potest ab ipsa formæ essentia seu substantia, atque amitti; Aliæ quædam probationes

A.Doctor. bationes ab A.Doctore interponuntur; opinor, vt tacitæ huic obiectioni occurratur. Docet namque A.Doctor, formas has per se subsistentes nō posse amittere suum esse ex eo quòd omni formæ conuenit suum esse secundùm se non per aliud: Quod autem rei conuenit secundùm se, nec amitti nec separari ab eo potest; Vt quia circulus secundùm se est rotundus, *rotunditas à circulo separari non potest.* Benè tamen *æneus circulus amittere potest rotunditatem per hoc quod circularis figura separetur ab ære*; quia scilicet huiusmodi figura conuenit æri per aliud; nempe per formam circuli, quæ ab ipso ære distincta est. Ipsi enim æri non debetur suâ naturâ. Ergo nulla forma ex se potest amittere esse.

Qua ratione vnicuique conueniat esse per formam, & ipsi formæ secundùm se. §. 2.

MAiorem huius argumenti, nempe Quòd omni formæ conueniat suum esse per se, quia magna non caret difficultate, confirmat hoc pacto. *Vnumquodque enim est ens actu secundùm quod habet formam*, ita vt etiam *ipsa materia sit ens actu per formam.* Ergo vnicuique cui conuenit esse, conuenit per formam. Ergo esse suum conuenit formæ secundùm se. Illi enim aliquod attributum conuenit secundùm se, ratione cuius illud ipsum attributum conuenit aliis. Vt ex.gr. Quia albedo est ratio, vt substantia disgreget visum; albedini conueniet secundum se disgregare visum, ne in infinitum in rerum prædicatis progrediamur.

Quòd verò vnumquodque, etiam materia, sit ens actu per formam, non probat A.Doctor hic, sed supponit. Hoc autem certum mihi videtur: Nam & compositum & ipsa materia talem vel talem actu speciem in rerum natura obtinent per formam. Ergo & composito & materiæ conuenit esse actu in tali specie per formam. Ergo esse actu in tali specie conueniet formæ secundùm se; nempe tanquam primæ rationi atque origini, ex qua tale esse in alia deriuetur.

Neque obstat, quòd hinc sequi videatur, posse formam amittere esse suum, eo quòd cùm forma non sit ratio, vt esse seu existere conueniat materiæ; quæ per se propria existentia existit non existentia formæ, non debet illi secundùm se conuenire ipsum esse, seu existere. Hoc inquam non obstat: Nam vt forma nō possit amittere suum esse, satis est, si illi ipsum esse seu existere in tali specie conueniat secundùm se. Ex hoc enim sequitur, esse in tali specie amitti non posse, si vera sunt quæ diximus; Nimirum quæ alicui secundùm se conueniunt, ea ab eo separari non posse, vt ostensum est. Si ergo esse in tali specie nec amitti nec separari potest à forma, sequitur, formam ipsam non posse corrumpi & A.Doctor. desinere esse: Quod A. Doctor sibi argumento dari contendit. Quæ omnia non minùs vera sunt, quàm perspicua consideranti.

Nam quæ obiici possunt, veritati non officiūt: Primò enim obiici potest, quòd hinc sequatur, omnes formas materiales esse incorruptibiles, quia à nulla formâ separari potest, esse actu in tali specie; quod formæ conuenire diximus secundùm se. Deinde, quia falsum est, formæ con-

A uenire esse actu: nam formæ id conuenit per rationem, quæ est existentia, ita vt forma ipsa existat per existentiam suam; quæ A. Doctoris opinione realiter ab ipsa essentia distinguitur. A.Doctor. Ergo sicut compositum potest amittere suum esse per separationem formæ à materia, ita etiam & forma subsistens poterit amittere esse per separationem existentiæ ab essentia. Hæc inquam & similia quæ obiici possunt, non sunt veritati impedimento.

Ad Primum enim dico non sequi formas materiales esse incorruptibiles: Quia eo modo conuenit formæ esse actu in tali specie, quemadmodum illi conuenit esse formam in tali specie. At B formis materialibus non conuenit esse formam in tali specie, nisi in materia cui nituntur. Ergo hoc etiam pacto illi conueniet esse actu in tali specie; nimirum in materia; Vnde si à materia separentur, hoc ipso non conuenit illis ampliùs esse actu in tali specie, quia nec esse formam habent. Itaque nego, omnes formas materiales esse incorruptibiles: quia esse non conuenit ipsis secundùm se; hoc est independenter à quocunque alio vltra suum esse; cùm illis conueniat in materia; seu, quod idem est, posita ipsarum vnione in materia.

In quo dispar est ratio à formis per se subsistentibus: quia illis conuenit esse actu indepen- C denter ab alio quocunque, qui Deus non sit; Vnde independenter à quacunque forma ac ratione, quę in ipsis poni debeat vltra suum esse, conuenit illis esse actu. Dependentia verò ipsarum formarum per se subsistentium à Deo non est vltra suum esse, cùm ipsum esse dependeat intimè à Deo. Ergo quousque desinat esse hæc à Deo dependentia, semper illis conueniet esse actu, etiam posito aut sublato quocunque alio. Quocirca illis conuenit esse actu per se, hoc est intrinsecus ex suis naturalibus, non extrinsecus per alias formas, quemadmodum conuenit formis materialibus vt dictum est.

Qua in re obseruari oportet, quod ab A.Do- A.Doctor. D ctore in hoc articulo ad 3. video animaduersum: Nam cùm dicitur alicui conuenire aliquod prędicatum per se, & non per aliud, non est perinde accipiendum, ac si nulla eius prædicati sit causa efficiens, ratione cuius ipsum subiecto conueniat. Alioqui nihil in rebus creatis conueniret alicui per se: Quandoquidem iis omnibus omnia attribui debent dependenter ab effectore Deo. Vnde quòd aliquid sit à se omnibus modis, ita solius Dei proprium est, vt cum creaturis communicari nullo pacto queat. Cùm ergo dicitur aliquid alicui non per aliud conuenire; sensus esse debet non conuenire per aliud tanquam per formam, sed immediatè ex se illud habere. Quo pacto homini conuenit rationale per se; albedini disgregare visum; quantitati ex- E tensio &c. Ratio est, quia conuenire per se & per aliud opposita sunt; vt etiam patet ex contextu articuli. Qua ratione circulo conuenit rotunditas; non autem æri. At conuenire per aliud in communi significatione est conuenire per aliud tanquam per formam, quæ non sit ipsum cui conuenit. Quo pacto composito & materiæ conuenit esse actu; substantiæ conuenit extendi & similia. Quanquam non nego conuenire per aliud sæpè confundi solere cum eo, quod conuenit per accidēs; nempe per formam, quæ alteri accidat; Quod tamen hic non videtur

tur ex A. Doct. cõsilio: quippe qui vult Esse non conuenire cõposito per se, sed per formam; quam certum est composito quod ex ea conflatur non accidere, sed ei esse essentialem, vt homini animus intelligens, &c.

Ex quibus iterum intelligi potest, formis immaterialibus suum esse conuenire per se: materialibus verò per aliud. His namque materialibus formis conuenit esse per vnionem, quam cum materia habent, tanquam per formam aliquam ab alio, nempe a materia sustentante dependentem, vt dicebamus: igitur non per se, sed per aliud. Secus in immaterialibus formis dicendum est; si quidem ex superuenientibus his formis nullo modo indigēt vt sint; ideoque per se suum habent esse, non per aliud tanquam per formam modo iam explicato. Quemadmodum patet in ipso ratiocinante hominis animo, qui est formaliter, non propterea quod à materia cui vnitur, sustinetur; sed quia ex se subsistens est.

Hinc quoque aliud sequitur, quod præsentis difficultatis obscuritatem dilucidare possit magis. Etenim formæ, quæ per se non habent suum esse, sunt aliquo modo in potentia physica ad interitum. Contra verò formæ, quibus per se conuenit esse suum huiusmodi potentiam physicam nullo modo habent. Quod sanè colligitur apertè ex A. Doctore q. 5. de Pot. a. 3. & 4. in cor. vtrobique. Ea namque quæ non habent suum esse à se, à materia necessariò in ipso suo esse dependent; ac proinde sunt in potentia physica ad non esse. Nam quorum esse à materia pendet, iis quoque conuenit aliquo modo vt sint potentiâ ad non esse: non quidem immediatè; sed intermedia materia à qua pendent; dum scilicet materia quæ sustinet vnam formam, retinet potentiam ad aliam formam, qua præcedens expelli ab ipsa materia debet, atque ita desinere. A qua potentia liberæ prorsus sunt formæ per se subsistentes. Cùm enim per se subsistant, à materia suum esse non accipiunt; ac propterea Physicam potentiam nec in se, nec in alio habent vt corrumpantur: vt patet ex hoc articulo quinto ad tertium, & nos fusiùs dicemus Quæsito sequenti. Difficultate secunda & tertia. A. Doctor.

Atque hinc apparet quod dicebamus, confirmari scilicet posse traditam ab A. Doctore doctrinam. Nam quotiescunque aliquid est potentiâ ad interitum, ex se non habet vt sit actu, sed per aliud: ergo cùm formæ materiales sint potentiâ huiusmodi; secus immateriales; sequitur illas ex se non habere actu esse; has verò habere illud ex sese. Quod etiam latiùs mox dicam, & infra Diffic. 2.

Ad secundum dico; Esto existentia ab essentia re distinguatur tamen argumétum dupliciter solui posse. Primo quidem, nego falsum esse, formæ per se subsistenti, hoc est entitati formæ per se subsistentis, conuenire esse actu per se; cùm hoc ei non conueniat per aliam formam vltra entitatem eius, cui dicimus conuenire per se. verbi gratia non conuenit vltra entitatem Gabrielis vt Gabriel ipse sit actu. Cùm enim in ea entitate inuoluatur existentia, etiamsi illi conueniat per existentiam, non tamen id est ratione formæ alicuius vltra entitatem, vt suprà diximus. Qua ratione esse, non conuenit per se aut composito, aut formæ materiali. Non quidem formæ: quia vltra entitatem formæ, requiritur vnio in ipsa materia. Vt enim verbi gratia ignis ratione suæ formæ debeat esse actu in rerum natura, oportet formam eius vniri materiæ. Sublata enim vnione per quam materialis forma sustentari debet in materia, à qua in suo esse pendet, non potest forma ignis existere. Non etiam composito.

Quamuis enim compositum simpliciter includat formam, ac proinde forma non sit absolutè vltra totā entitatem illius; Tamen est peculiaris ratio, vt aliquo pacto dicamus formam esse vltra totam entitatem compositi, nempe in quantum compositum habet alteram partem componentem scilicet materiam; atque ita esse ei non conuenit per se sed ratione formæ. Nam cùm composito materiali & corruptibili (de his enim sermo est in præsentia) conueniat simul, esse

A & potentia ad non esse; debent in eo distingui partes, ratione quarum duo illa diuersa attributa de eodem dici simul possunt.

Certum namque est illa duo non posse eidem secundùm se absolutè simul conuenire. Si enim conuenit homini secundùm se vt sit rationalis, hoc ipso nequit ei attribui vt non rationalis esse possit: quia alioqui simul conuenire eidem possent opposita ei quod conuenit secundùm se; quod falsum est. Quoniam si vnum oppositorum de aliquo secundum se dicitur, alterum de eodem nullo modo simul dici potest. *Opposita enim* inquit Aristoteles libro decimo Metaphysices, contextu decimoseptimo, *non contingunt simul esse.* atque ita nec de eodem dici simul: quod tamen sequi necesse est; siquidem quod secundùm se conuenit perpetuò dicitur, ergo adueniente altero vtrumque simul de eodem diceretur. Aristoteles.

B Oportuit ergo ne de eodem simul eadémque ratione opposita dicerentur, distingui in huiusmodi composito partes: ob quarum vnam ascribi possit vt sit potentiâ ad non esse; ob alteram verò vt actu sit. Atque ita A. Doctor hic docuit rectè, composito conuenire esse per aliud; nempe ratione formæ, quæ necessariò distinguenda est tanquam aliud ab ipso composito, quatenus, vt dixi, hoc habet alteram partem, materiam scilicet, à qua aliud est forma vltra totam illius entitatem: in quo diximus diuersam esse rationem ab existentia formæ, quæ existentia nullius rationе partis est vltra totam entitatem formæ. A. Doctor.

Cōfirmari idipsum magis adhuc potest; quia quamuis non possit intelligi cōpositum præcisè à sua forma quam intimè inuoluit; tamē eius forma intelligi rectè potest aliud præcise à composito secundum se; nimirum ob varias proprietates. Quædam enim non conuenire composito secundū se, quæ ratione partis eidē attribuuntur indubitatum est: sic namq; esse actu non conuenit Petro secundum se, quod tamen ei attribuitur dum eiusdē Petri animus suum corpus informat, & similia. *Quod enim* inquit A. Doctor in hoc ar. *alicui conuenit secundum se, nunquam ab eo separari potest.* Quo pacto docet rotunditatem competere circulo, non æri. Itaque concludendum est; formis per se subsistentibus, absolutè attribui esse per se, quia id habent non ratione alterius extra entitatem suam; atque adeò ne ratione quidem alicuius partis; quod nec formis nec composito materialibus concedi debet eo modo vt explicatum à nobis est. C A. Doctor.

Vnde ad argumentū negatur eius consecutio. Nam compositum ita habet suam formam, vt ratione materiæ verè sit potentiâ physicâ ad non esse eiusdē formæ, per realem separationē ipsius à materia. At forma subsistens non est potentiâ physicâ ad nō esse suę existentiæ, per realem separationem illius ab essentia formæ, esto re existentia ab essentia distinguatur. Vtrumque enim auferri simul debet, cùm neutrum remanere seorsim possit. Præterquam quod si connaturali modo agendum sit, forma ac proinde esse actu à composito ratione materiæ separatur vt dixi: At esse actu nunquam separatur ab ipsis immaterialibus formis. Nam vt ipse docet q. vn. de spir. creat. a. 1. cor. in fine: Tametsi natura creata sit potentia ad esse, nempe ad existentiam; tamen in substantiis immaterialibus, huiusmodi *potētiam semper suus actus comitatur:* quia eam potentiam docet esse *ab actu inseparabilem.* saltem naturaliter. Vnde non est potentia physica ad non esse, vt etiam paulò pòst dicam in Notando. D E

Deinde respōdeo; aliud esse alicui cōuenire poni in actu per suā formā; aliud verò conuenire, vt cōtinuetur in ipso esse actu per suam formam. Nam certū est ei, quod ponitur in actu, conuenire hoc ipsum poni in actu formaliter per existentiam: quia aliunde hoc non oritur tāquā à forma. At verò vt in eodē esse actu persistat, nego ei cōuenire per existētiā: sed aio id oriri ex natura talis formę. Etenim ex eo q̄ est forma subsistēs, nō habet potentiā ad nō esse vt diximus: & ideo nihil est quod cum illa pugnet ad interitū. Cōuenit namq; hominis animo persistere actu, nō quia existit, sed quia intelligens est forma, ac subsistit in se se. De hoc autem

autem esse actu aio potissimum locutum esse A.Doctorem. Cùm optime probat, Angelos esse incorruptibiles, quia eorum naturæ per se conuenit, vt persistant in esse actu, atque ita sint incorruptibiles.

Negatur igitur consequentia argumenti, quia quòd compositum possit amittere suum esse separatione formæ à materia, ex eo est, quòd formæ illius non conuenit esse actu nisi in materia, quæ est potentia ad contrarias formas. Vnde non conueniet formæ materiali esse actu, nisi donec contrariarum causarum expugnatione amoueatur. Quibus agentibus forma simul eodem temporis momento materiam informare, atque esse actu desinet. Licèt enim conueniat formæ materiali persistere in esse actu, tamen id non ei conuenit, nisi dum ei à contrariis permittitur in materia degere, vt patet ex A. Doctore q. 5. de Pot. a. 3. & 4. in c. At verò formæ subsistenti conuenit esse actu, non vt sic dicam concessione contrariorum, sed vt dixi per se & suapte vi ac naturâ; adeóque nego, formam subsistentem posse amittere esse per existentiæ separationem, si sermo sit à causa naturali, vt mox dicam; quæ disparitas apertè significatur ab A. Doctore hîc a. 5. ad 3. & q. illa 5. vtroque a. iam citato.

Cùm dicitur forma per se subsistens non posse amittere esse, non est intelligendum comparatè ad absolutam Dei potestatem. §. 3.

NOtandum autem hîc est, vt eximij argumenti vis altiùs legentium animis insideat, A.Doctorem cùm ait formam subsistentem *non posse amittere esse*, non intelligere comparatione ad diuinam potestatem. Certum enim est, quicquid aliunde pendet, si dimoueatur à causis suis, interire: eámque ob rem, si Deus subtrahere vellet suam efficientiam, à qua omnis natura dependet, illam formam perituram. Et hoc apertè in hoc a. 5. ad 3. concedit A. Doctor, Angelum posse desinere esse, si Deus subtrahendo suam conseruationem, vellet illum redigere in nihilum: Sed intelligere cõnaturali modo per potentiam aliquam physicam, quam in se vel in aliquo sui, à quo pendeat, habeat, & pro consueto rerum ordine, ac dispositione, quam in rebus constitutam scimus, & citra omnia ea, quæ fingi miraculo, & absq; apta ratione possent, vt sæpè supra diximus, vt hinc etiam liquidò appareat, A.Doctorem semper sui similẽ vera ac trita philosophãdi ratione è rerũ naturis sibi & cõclusiones, & conclusionũ principia deriuare. Et ideò ait in eadem solutione tertij; Angelum dici incorruptibilem *per hoc quòd in se ipso non habet vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ.* Vnde etiam est illud argumentum A. Doctoris q. 5. de Pot. a. 4. c. in fine. Vbi ostendit, Deum conseruare substantias immateriales sempiterno tempore, *quia in eis non est potentia ad non esse.* Quod asserit propterea quòd res immateriales *contrarietate carent.* Vnde earum proprietatem docet esse sempiternitatem, quam Deus naturarum cõditor nulli rei detrahere solet. Quæ si diligentiùs animaduertissent Caietanus & alij, maiore veritate quàm subtilitate A. Doctoris sententiam explicare potuissent. Quæ omnia nunc prætermitti malo, quàm in controuersiam reuocare.

Ex obiecto sempiterno rectè inferri immortalitatem principij quod circa illud per operationem versatur: idq; maximè ex sententia Aristotelis. §. 4.

ATque hæc de priore ratione A. Doctoris, qua ferè vsus est etiam infrà q. 75. a. 6. vt animum hominis immortalem esse statueret. Nunc ad posteriorem veniamus, quæ etiam insinuatur eodem articulo sexto de hominis animo. Est autem huiusmodi.

Illa substantia cuius operatio habet pro obiecto aliquod sempiternum, est incorruptibilis suâ naturâ. Sed Angelus est substantia, cuius operatio habet pro obiecto aliquod sempiternum. Ergo Angelus est incorruptibilis suâ naturâ. Maiorem probat: Quoniam si operatio apprehendit sempiternum, eleuatur supra materiam, & non est affixa organo corporeo, atque ita est independens ab organo corporeo. Ergo & animus principium est independens à corpore & materia. Nam *operatio rei indicat modum essendi ipsius*, inquit A.Doctor hîc; Nempe quia ex eo quòd operatio eleuatur supra materiam, eleuatum quoque principium ostẽditur. Si ergo principium est immateriale, ergo incorruptibile.

Rectè tamen obseruat Caietanus hîc §. *circa consequentiam*, ex sempiterno obiecto non inferri ab A. Doctore sempiternam esse operationem; sed illam esse in ordine sempiternorum; hoc est inter ea quæ sunt eleuata supra tempus ac motum; Quales nullæ sunt sensuum actiones. Vnde si operatio est eleuata supra conditiones temporis, ac motus; Ergo & principium illius: Quia ad eundem spectare ordinem debet. Et hoc dixit A.Doctor in eo argumento. *Quia enim inquit, vnumquodque operatur secundum quod est actu, operatio rei indicat modum essendi ipsius.* Vt inde ex eo quod operatio ea spectat, quæ eleuata supra tempus sunt, inferat etiam ipsum esse principij, esse eleuatum supra tempus quantum ad eius substantiam attinet. Quo eodẽ ferè modo argumentatus est A.Doctor supra a. 2. cùm ex obiecto immateriali ostendit, Angelos nulla materia cõstare. De qua re quoniam satis eo art. diximus, & plura dicturi sumus q. seq. a. 1. hanc argumentandi rationem pluribus non confirmabo.

Solùm quod attinet ad rem nostram illud obseruari placet, Peripateticis tanquam optimum argumentum probari, quod ex sempiterno obiecto ad immaterialitatem atque incorruptibilitatẽ principij progreditur. Aristoteles enim nullam operationem circa immortale obiectum, nisi immortali, atque incorruptibili substantiæ aptari debere aliquando fassus est. Sic enim lib. 15. Ethic. c. 7. versus finẽ docet: Homo *nõ quatenus homo est ita viuet* ex intellectus perfecta operatione, *sed quatenus diuinum quid in ipso inest*, nẽpe animus intelligens, immortalis. Vt enim dicam Difficult. vlt.

vlt. infrà, apud veteres hæc duo confundi solēt, *diuinum & immortale*. Significat ergo Aristoteles, illam præstantissimam intellectus operationem, quæ immortalia spectat, quę scilicet est immortalium substantiarum contemplatio, hominisque felicitas, congruere non homini qui mortalis est, sed animo intelligenti diuino atque immortali.

Theognides. Solon. Eustratius. Aristoteles. Vnde & paulò pòst arguit Theognidis aut Solonis quædam pronunciata tanquam non rectè dixerint, vt est apud Eustratium ibi. *Mortalis es, ideò cogita mortalia*. Hæc namque vera essent, si in nobis nihil diuinum esset atque immortale. Sed quoniam dixerat in nobis esse aliquid diuinum Aristoteles, ideò subdit, debere hominem, *quatenus licet immortalem se reddere, omniaque efficere, vt ex præstantissimo omnium, quæ in ipso sunt, vitam traducat*. Quibus expressè significat: Quoniam diuinitas quædam nobis indita est, immortalia perspicienda esse, non mortalia. Ergo immortalium cognitionem putat reciprocari cum animo immortali.

Aristoteles. Sed adhuc apertiora Aristotelis, aliorúmque habemus loca, quibus docemur immortalia immortalibus attribuenda esse. Nam libro 1. de cœlo cont. 22. laudantur veteres, quòd benè cœlum Deorum domicilium fecerint. Neque enim aliter possibile erat, si immortale immortalibus aptandum est. *Omnes homines*, inquit, *de Diis habent existimationem; & omnes qui sursum est locum Deo tribuunt; & barbari & Græci, quicunque putant Deos esse; tanquam videlicet immortali immortale coaptatum sit. Impossibile enim aliter*. Eadē prorsus habet libro 2. de cœlo cont. 2. *Cælū autem*, inquit, *& qui sursum est locum antiqui quidem Diis attribuerunt, vt pote quod solum est immortale*. Constat ergo obiectum immortale rectè denotare principium eius actionis immortale atque incorruptibile. Atque hæc quidem de Maiore illa.

Quid sit sempiternum obiectum, & an vniuersale sit huiusmodi. §. 5.

MInor eiusdem argumēti faciles habet probationes: Nam quòd Angelus sit substātia intelligens, iam suppono ex hactenus dictis: Quòd verò eius operatio versetur circa obiectum sempiternum, patet dupliciter. Primò quidem, quia, vt ait A. Doctor in hoc art. *Intelligibile, quod est obiectum intellectus, cùm sit supra tempus, sempiternum est*: Quod supponitur & non probatur ab A. Doctore. Sed tamen ostendi potest hoc pacto: Quia intelligibile est illud, quod est immateriale, & nulli prorsus sensui subest; Vt ex Aristotele, Peripateticis, & A. Doctore dicam q. seq. a. 1. & fusiùs ostendam infra q. 54. a. 1. & 4. Hoc autem est supra tempus & motū; ideóque sempiternum est. Ac de substantiis quidem separatis apertè patet, eas esse supra tempus ac sempiternas; quia æuo non tempore definiuntur; Quod etiam patebit ex iis, quæ mox subiiciam de vniuersalibus.

A. Doctor.

De vniuersali probari potest, quia sunt rerum essentiæ secundùm se, hoc est non vt sunt in singularibus, proprietatésque ex iis manantes, quæ in tempore non sunt. Ea etenim propriè sunt in tempore vt docet Aristoteles libro 4. Phys. cont. 117. & 118. quæ sub temporis mensuram cadunt; quæ scilicet ita tempore comprehenduntur, vt sub aliqua eius parte siue præteriti siue futuri contineantur, à toto tamen tempore excedantur; cuius rei rationem affert: Quia quæ sunt in tempore ita continentur tempore, quemadmodum ea, quæ sunt in numero ab ipso continentur numero, & quæ sunt in loco continentur à loco. Quæ autem sunt in numero & loco, minora sunt ipso toto numero, & toto loco; ergo & quæ sunt in tēpore; & ideò negat cōt. 117. quæ semper sunt esse in tempore. (Aristoteles.)

Cuius etiam signum docet esse, quia *dicere consueuimus*, inquit, *quod tabescit tempus, & senescūt omnia tempore, & obliuiscimur propter tempus*. Vt his tribus vocabulis denotet, omnia tempore tandem tabescere, siue animata sint, siue vitæ expertia. Nam *tempus edax rerum* dicitur, quòd omnia atterat atque consumat; animata autem senescere, homines obliuisci. Vniuersalia autem his temporis vicissitudinibus non sunt obnoxia. Neque enim hoc tempore aut motu sunt rerum essentiæ; déque iis affirmantur proprietates potiùs quàm alia. Ergo non sunt in tempore, sed supra tempus, ac proinde supra motum. Alioqui essent in tempore, si motibus subiecta essent, vt probat Aristoteles loco citato; ergo sempiterna sunt, vt rectè deducit A. Doctor; nempe quia inuariabili modo omni in infinitum tempore ea obiici oporteat, tanquam necessaria atque immutabilia. Similem consecutionem formauit etiam Aristoteles libro 6. Ethic. cap. 3. vbi ait. *Scibile necessario est; ergo æternum. Quæ enim necessario sunt absolutè sunt æterna. Quæ autem sunt æterna, generationi & corruptioni minimè subiacent*. De qua vniuersalium sempiternitate satis disputatum est in Logicis; cùm qua ratione vniuersalia sint scientiarum necessaria ac sempiterna obiecta, disputatum est ibi, atque decretum. Ob quam causam necesse non habeo ea quæ hic Caietanus ad intelligibilis sempiternitatem docet, excutere diligentiùs. Constat ergo intelligibile esse sempiternum. (Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles. Caietanus.)

Secundò probatur eadem Minor à fortiori ex q. 75. a. 6. infrà. Nam si intellectus noster *apprehendit esse absolutè, & secundùm omne tempus*, vt ibi loquitur A. Doctor, ac proinde quæ sempiterna sunt, tempori non subiicit, vt cùm apprehendimus vniuersalia, & sempiterna, quà sempiterna sunt, spectamus, ideóque existit desiderium, quo naturaliter desideramus esse semper; quātò magis Angeli, quorum intelligentiæ magis aptari possunt huiusmodi obiecta: ipsorum sempiternitatem intueri, & comprehendere poterunt. Sed de hac re plura dicemus, cùm de obiectis Angelicæ intelligentiæ disserendum erit. Cùm ergo ex his constet de A. Doctoris mente; Nunc ad doctrinæ veritatem accedamus. Pro quare sit

QVÆSITVM VNICVM,

Vtrùm & quomodo Angeli sint incorruptibiles.

AD naturæ Angelicæ nobilitatem declarandam hoc attributum in primis facit, quòd substantiæ perpetuæ immortalésque sunt, ideóque

que diuinæ. Nam ex hoc quòd cœlum immortale est, siue, vt Aristoteles ait, æternum; huiusmodi res appellauit diuinas ipse Aristoteles libro 1. de Part. cap. 5. initio; vbi de substātiis, quæ naturâ constant ait, *partim esse ingenitas, immortalesque sæculis omnibus, partim ortus participes atque interitus.* Et subdit. *Sed partem illam æternam, ac proinde nobilem ac diuinam minus contemplari possumus, quòd admodum pauca illius sensui patent.* *(Aristoteles.)*

Ex qua deinde causa esse ait, vt earum contemplatio etsi exigua ac planè rudis videri debeat; tamen cæterarum rerum caducarum certissimis scientiis anteponenda sit. *Res namque illas superiores tametsi leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam, amplius oblectamur, &c.* Quin etiam Apostolus Paulus 1. ad Tim. cap. 6. maximum sibi visus est Deo præconium detulisse, cùm inter diuinas laudes, illud tanquam præcipuum pronunciauit: *Rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, &c.* Nec compendiosiùs Dei maiestatem describere potuit Aristoteles, quàm cùm eam illis verbis definiuit libro 2. de cœlo cont. 17. *Dei autem operatio immortalitas est, hoc autem est vita sempiterna.* Vtque ad fastigium omnis laudis hominem extolleret, libro 10. Ethic. cap. 7. cum immortalitatem spectare debere docuit; *quatenus licet immortalem se reddere, omniáque efficere, vt ex præstantissimo omnium, quæ in ipso sunt, vitam traducat.* *(1. Tim. 6. — Aristoteles.)*

Quamobrem optima ratione A. Doctor hanc tantam Angelorum dignitatem peculiari articulo confirmare voluit, vt dum immortalitatem Angelorum docet, eorumdem naturæ gloriam, amplitudinémque commendet. Vt autem nos distinctius ea de re disputemus, sit *(A. Doctor.)*

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Sacrarum literarum ac Patrum testimoniis Angeli naturâ suâ sint incorruptibiles & immortales.

EX Parte negante videntur hæc esse. Primò ex Scripturis. Nam 1. Tim. cap. 6. dicitur de Deo *Qui solus habet immortalitatem.* Ergo nō Angeli. Secundò ex Patribus complures apertissimè non solùm docent, sed etiam probant, Angelos esse immortales non naturâ sed gratiâ Dei, vt fatearis omnes hac in re Platonis in Timæo sententiam secutos esse. Patet ex S. Iustino libro quæstionum q. 13. *Quorum immortalitas, inquit, ex alterius voluntate pendet, ea immortalia esse nō possunt. Itaque solum Deum immortalitatem habere dicimus.* Vnde in libro contra Aristotelem circa initium docet, voluntatem Dei in causa esse, quod cœlestia, & inuisibiles virtutes *in incorruptione permaneant.* Sanctus quoque Ambrosius libro 3. de fide cap. 2. *Neque Angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est creatoris;* Ideoque docet ibi, solum Deum habere immortalitatem, cuius verba referam infrà in solutione primi argumenti. Item S. Cyrillus Alex. libr. 8. Thesauri circa medium. *Etsi Angelus immortalis quædam res est per voluntatem & gratiam Saluatoris; sed tamen quoniam ortum habuit, & esse cœpit, occidere quoque potest & non esse.* Et paulo pòst; *Solus Deus propriè immortalis est, quia naturaliter id habet; cætera* *(1. Tim. 6. — S. Iustinus. — S. Ambros. — Cyril. Alex.)*

A *per gratiam sicut creaturæ.* Idémque refert Iulianum ex Platone asserentem ipse Cyrillus libr. 2. in Iulianum longe ab initio. *Idcircò quoniam nati, estis quidem mortales, & solubiles omnibus modis, sanè neque soluemini, &c.* Quod etiam Platonis dictum ex Timæo adducit A. Doctor in hoc art. arg. 2. S. Damascenus libro 2. de fide cap. 3. initio. *Angelus est essentia intelligens, &c. naturâ; immortalitatem diuinitus consecuta.* & non longè infrà: *Immortalis item non quidem naturâ, sed gratiâ est Angelus. Ita enim natura comparatum est, vt quod ortum habuit, finem quoque sit aliquando habiturum. Solus enim Deus semper est.* S. Bernardus libro 5. de consideratione ad Eugenium cap. 4. paulò post initium, vbi de Angelis ait, eos *esse perfectos in genere suo, corpore æthereos, immortalitate perpetuos, non creatos, sed factos; id est gratiâ, non naturâ; mente puros, affectu benignos, religione pios, &c.* Concilium Constantinopolitanum tertium; quod est sexta Synodus vniuersalis sub Agathone Papa in 13. Actione definit ea quæ in sua epistola Sophronius quondam Patriarcha Hierosolymorum scripserat, *esse cum vera fide conuenientia, Apostolicisque & sanctorum, & probabilium Patrum doctrinis paria, vt pote quæ orthodoxa, &c.* Inter cætera autem, quæ in ea epistola continentur, illud quoque de Angelis erat. *Sensibilia quidem fini temporali supposuit: intellectualia verò & inuisibilia hæc meliori dignitate dignatus est; & nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur. Iuxta quod sensibilia diffluunt, atque pertranseunt; non tamen sunt immortalia per naturam, neque in essentiam incorruptibilem transeunt; sed gratiam eis largitus est à corruptione & à morte coercentem. Sic hominum animæ permanent incorruptæ: sic Angeli immortales perseuerant, non natura re vera, sicut asserui, incorruptam propriéve immortalem habentes essentiam: sed gratiam à Deo sortiti sunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis prouidet.* Quibus & aliorum sanctorum verbis denotari patet, Angelos naturâ suâ esse corruptibiles, conseruarique Dei gratia opitulante, ne corrumpantur. *(Iulianus. Plato. Cyrillus. Plato. A. Doctor. Damascen. — S. Bernardus — Concil. Cōstantinop. III. — Sophronius.)*

Ex Parte verò affirmante clarissima sunt Scripturarum & Sanctorum testimonia, vt mox patebit. Ad solutionem

Notandum est, Certum esse apud omnes Catholicos, Angelos sacrarum literarum, & Patrum testimoniis esse ita immortales, vt nunquam illis vlla sit exitum allatura mors. Hoc enim primum patet ex Ps. 148. vbi de cœlestibus atque Angelis dicitur, *Deus statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi.* Item præmia Angelorum bonorum sunt æterna, sicut supplicia improborum æterna sunt. Et de præmio quidem dicitur Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.* In cœlis enim vt dicitur Apocal. 21. *Mors vltra non erit, &c.* Vnde ad Angelorum perpetuitatem fore, vt hominū animi perpetui consequentur, habetur expressè Lucæ 20. *Illi qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores, neque vltrà mori poterunt: Aequales enim Angelis sunt.* De supplicio autem dicitur Matth. 25. *Ignem æternum paratum esse diabolo & Angelis eius.* Et subditur. *Ibunt hi in supplicium æternum; Iusti autem in vitam æternam.* Quare Scripturarum auctoritate certum Catholico est, Angelos fore perpetuos. Cui doctrinæ consentanea est sententia Patrum, quorum verba retuli in Parte negante; idémque ex aliis clariùs infrà patebit. Ratione Theologica ex fidei effatis idem ostendo: Quia Concilium *(Psal. 148. — Matth. 18. Apoc. 21. — Lucæ 20. — Matth. 25. — Concilium Lateranēse.)*

Y Latera

Lateranense sub Leone X. sess. 8. in Bulla eiusdem Leonis, quæ ibi ponitur, initio illius definitur, animam esse immortalem ex eo quòd manifestè constet ex Euangelio, cùm Dominus ait, *Animam autem non potest occiaere*: Quod saltem intelligi oportet, vt nunquam sit finem habitura. Hoc autem multò magis conuenire debet Angelis, qui homine sunt nobiliores ex psalmo 8. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*. Id enim secundùm naturam accipiendum esse, patet ex Paulo ad Hebræos 2. vbi hunc locum applicat Christo, quem tamen gratiæ donis cuicunque creaturæ longo interuallo præferri, dubium non est.

Psal. 8. *Hebr. 2.*

Itaque non est hîc præsens difficultas; Vtrùm Angeli sint immortales, saltem conseruatione diuina: Quo pacto erat homo conseruandus in statu innocentiæ, vt expresse docet ex S. Augustino A. Doctor infrà q. 97. a. 1. c. Sed difficultas in præsenti examinatur in hoc sensu; Vtrùm scilicet huiusmodi immortalitas conueniat Angelo secundùm eius naturam; hoc est, eo modo quo rei natura postulat, vt explicabo sequenti Difficultate. In hoc ergo sensu ad difficultatem respondetur. Et sit

S. Augustin. *A. Doctor.*

Vnica Propositio, Angeli Scripturarum & Patrum testimoniis naturâ suâ sunt immortales. Ex vno autem Scripturarum loco Propositionis veritatem deriuare contentus ero. Nam nullum reperio locum, in quo hæc propositio explicatè, perspicuéque doceatur. *Nolite* inquit Christus Matth. 10. *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Quo ex loco Concilium Lateranense citatum improbat Philosophos asserentes *de natura animæ, quod sit mortalis*. Ergo si natura animæ non est mortalis, natura animæ est immortalis. Cuicunque enim naturæ alterum ex his conuenit, vt inductione patet.

Matth. 10. *Concilium Lateranēse.*

Et ratio est manifesta: Quia hæc duo sunt opposita negatione & affirmatione eiusdem: Nimirum quia aut illa natura potest desinere esse, vel non potest desinere esse; & ita vel est mortalis vel immortalis. Nam vt ait Aristoteles in postprædicamentis cap. 1. Opposita per affirmationem & negationem verum & falsum diuidunt. Immortale enim illud est quod desinere non potest. Si autem natura animæ est immortalis, & desinere non potest; ergo anima suâ naturâ est immortalis. Quia idem est aliquid esse suâ naturâ tale, & naturam illius esse talem. Vt idem est; Homo suâ naturâ est intelligens, & natura hominis est intelligens. Meritò autem ex illo loco Matt. 10. Concilium definiuit, animum esse immortalem: Quia si animum non potest homo occidere, id debet ex eo esse, quod suâ naturâ animus non potest interire vlla creatarum causarum vi, & facultate. Hoc enim significat quod ait; *Animam autem non possunt occidere*. Vt enim Christus solum eum timendum doceret, qui in gehennam conijcere potest corpus & animam: dixit; *Nolite timere eos* &c. Quasi diceret, Vos nullius rei creatæ timore debetis esse solliciti, quorum animus nullius creatæ causæ efficientia destrui potest. Quod autem nulla creatarum causarum vi interire potest, immortale suâ naturâ est, vt dicam seq. Difficult.

Aristoteles.

Immortalitas animo hominis, multóque magis Angelis naturalis est. §. 1.

QVòd autem dicere quis posset, creatarum causarum vi animum interire posse quantum ex se, nisi Deus impediret; quales futuri sunt omnes homines, cùm post iudicij diem reuiuiscent, rectum philosophandi euertit modū. Nam eadem ratione Philosophus diceret, animas belluarum fore perpetuas, etsi mortales sint, quia Deus eas velit cōseruare; esto hoc à nobis ignoretur. Quia hoc pacto Deus se naturis rerum non accommodaret. *Sic enim Deus* inquit A. Doctor q. 5. de Pot. a. 4. c. *vnamquamque naturam instituit, vt ei non auferat suam proprietatem*. Vnde non prohibet quin materia contrariorum agentium appropinquatione contrarias, pugnantésque formas suscipiat. Nec impedit, ne ignis pabulum consumat si applicetur, nisi fortè id miraculo in argumentum fidei dandum sit; Quod omnes fatebuntur illicò supra naturam à Deo suâ omnipotentiâ factum esse. Deus ergo nihil vnquam perpetuum facit, quod sit præter eius cæterarúmque causarum naturam. Quocirca verum est effatum illud Aristotelis libro 2. Physic. cont. 77. *Quæ naturâ sunt, aut semper sic fiunt, aut frequenter*. Ergo naturale est, non præter naturam quod semper est.

A. Doctor. *Aristoteles.*

Sane si hic noster philosophandi modus non probetur, in cuiusque arbitrio positum erit negare vel affirmare ea esse naturalia, quæ videmus inter causas, effectúsque semper accidere. Posset enim quilibet eadem ratione dicere, aquę naturale non esse frigus, nec igni calorem &c. sed Deum ista substantiis præter earum naturam indidisse. Immò nec naturales causas quicquam agere; sed omnia Deum, præsentibus rebus hoc vel illud, moliri. Quod erroneum esse, & à fide auersum alibi ostendimus copiosè. Naturale ergo sit, quod semper est. Vnde eximia Aristotelis illa mihi videtur esse sententia libro 2. de cœlo contextu 108. *Oportet vnumquodque tale dicere esse, quale quod naturâ solet esse, & quod est; sed non quod vi, aut præter naturam*. Non ergo illa animi perpetuatio est, nisi secundum naturam. Quod autem dicitur de corpore glorioso, dico esse naturale hoc pacto; quia consentaneum est, vt animo immortali corpus quoque immortale aliquando coniungatur, ne perpetuò contra naturam sine comparte consistat. Quod argumentum Angelico Doctori persuasit, vt libro 4. contra Gentes cap. 79. concluderet. *Immortalitas igitur animarum exigere videtur resurrectionem mortuorum futuram*.

Aristoteles. *A. Doctor.*

Etenim si naturale est etiam illud, quod alicui conuenit ex inclinatione materiæ, vt rectè docet A. Doctor q. 5. de Malo a. 5. c. quia etiam illa, quæ materiam, quæ est aliqua natura sequuntur, teste Aristotele libro 2. Physic. cont. 4. 12. 21. & 81. naturalia dici possunt; Multo maiore ratione etiam illud erit naturale, quod formæ propensioni accommodatum aptúmque est; si vt docet Aristoteles lib. 2. Physic. cont. 12. forma magis natura est quàm materia. Vnde est, vt licèt rerum interitus & mors; si materiam, quæ affecta est contrariis spectemus, naturales sine dubio dici queant: Tamen quia hę passiones vniuſ

A. Doctor. *Aristoteles.*

vniuscuiusque rei formæ repugnant, simpliciter contra naturam appellantur a philosophis. Quo A.Doctor. pacto, vt etiam optimè obseruat A. Doctor eodem a.5. ab Aristotele libro 2. cœli cont. 37. Aristoteles. *Corruptio seminum & omnis defectus sunt contra naturam particularem huius rei determinatæ per formam.* Iam ad rem præsentem, propensio animæ ad nexum corporis est illi adeò insita, vt violenter extra corpus sit, quemadmodum leui violentum est detineri extra locum sursum. *Secundùm se* inquit A.Doctor. A.Doctor infrà q.76.a.1. ad 6. *conuenit animæ corpori vniri, sicut secundùm se conuenit corpori leui esse sursum. Et sicut corpus leue manet quidem leue, cùm à loco proprio fuerit separatum, cum aptitudine tamen & inclinatione ad proprium locum: ita anima humana ma-* B *net in suo esse, cùm fuerit à corpore separata, habens aptitudinem & inclinationem naturalem ad corporis vnionem.*

Quocirca licèt corporum, postquam reuiuiscent è mortuis, immortalitas non sit naturalis, si ad materialem causam, quæ affecta contrariis est, & ad efficientem, quæ supernaturaliter agit, cùm iterum animum cum corpore suo nectit, respiciamus, vt patet ex A. Doctore infrà q. 105. a. 7. ad 2. Tamen dicimus esse naturalem, quà congruenter fit ad animum, qui corporis forma suâ naturâ est. *Vnde si in natura* inquit A. A.Doctor. Doctor q. illa 5. de Malo a. 5. c. *inueniri potuisset* C *aliquod corpus ex elementis compositum, quod esset incorruptibile, proculdubio tale corpus esset conueniens animæ secundùm naturam.* Id confirmat optima similitudine. *Sicut si posset inueniri ferrum infrangibile, & rubiginem non contrahens esset conuenientissima materia ad serram, & talem artifex quæreret. Sed quia talis inueniri non potest, accipit qualem potest.* Itaque vt corpus immortali animo aptaret, immortale, quoad fieri potest in rerum creatione; *Deus qui est hominis institutor; & hanc necessitatem suâ omnipotentiâ potuit prohibere, ne in actum prodiret*; corporis videlicet corruptio, *sua virtute contulit homini ante peccatum, vt à morte præseruaretur, quo vsque tali beneficio se reddidit peccando indignum.* Itaque concludimus etiam corporum immor- D talitatem futuram homini naturalem, quia vt A.Doctor. ibidem concludit Angelicus Doctor, *secundùm rationem formæ esset ei conueniens immortalitas: ad quam tamen præstandam naturæ principia non sufficiunt. sed aptitudo quædam naturalis ad eam conuenit homini secundùm animam, complementum autem eius est ex supernaturali virtute sicut Philosophus dicit in 2. Ethic. capite primo, quòd habemus aptitudinem ad morales virtutes ex naturâ, sed perficiuntur in nobis per consuetudinem, & in quantum immortalitas est nobis naturalis, mors & corruptio est præter naturam.* Constat ergo animam esse suâ naturâ immortalem ex illo loco Matth. 10.

Ex quo sic ostendo immortalitatem Angelorum. Ea quæ animo hominis, quà naturæ in- E telligenti, attribuuntur, potiori ratione conueniunt Angelis quà intelligentes sunt. Sed animo hominis quà naturæ intelligenti conuenit ex sacris literis, vt immortalis sit. Ergo idem conuenit Angelis ex sacris literis, quà naturæ intelligentes sunt. Minor patet ex dictis: Quia ex sacris literis habemus, conuenire hominis animo immortalitatem secundùm eius naturam. Ergo quà natura intelligens est: quia non potest dari alius gradus nobilior, secundùm quem immortalitas sit illi naturalis. Maior patet: quia quæ conueniunt animo hominis, quà A natura intelligens est, conuenire debet omni naturæ intelligenti. Vt quia conuenit homini, quà natura ratione vtens est, ridere posse, conuenit omni naturæ ratione vtenti &c. Prædicatum enim vniuersale, *& secundum quod ipsum*, est quod cum subiecto reciprocatur, teste Aristotele lib. 1. Posteriorum à cont. com. 36. & deinceps. Aristoteles. Ergo perfectiori naturæ intelligenti perfectius conuenit. Vt si conuenit homini ratiocinari, etiam conueniet perfectiori homini perfectiùs ratiocinari &c. Constat ergo è sacris literis hoc deduci.

Patres docent Angelos immortales esse. §. 2.

Secundò probatur propositio ex Patribus. Primò ex S. Dionysio Areopagita loco, quem S.Dionys. citat A.Doctor in argumento. *Sed contrà*; nempe cap. 4. de diu. Nomin. non longè à principio, vbi ait intelligentes substantias non posse imminui morte &c. *Intellectuales substantiæ vitam habent indeficientem & imminorabilem à corruptione vniuersa, morte, & materia, & generatione munda existentes.* Ergo non est potentia in illis, vt deficere possint. Quod autem est huiusmodi immortale est: quia non potest desinere esse, vt diximus, & meliùs deinceps constabit.

S.Athanasius libro de communi essentia Pa- S.Athanas. tris, & Filij, &c. cap. de Angelis ait: *Angelum esse animal rationale, expers materiæ, hymnis dicendis aptum, immortale.*

Methodius serm. de resurrectione. *Is qui ex ni-* Methodius. *hilo fecit, & construxit immortalium naturam, non in Angelos & ministros solùm construxit*, &c.

S.Basilius ps. 44. ait, Angelos nō senescere aut S. Basilius. adolescere, sed perpetuò remanere in eo, quo creati sunt statu *seruata simplici, & eadem immutabili propria naturæ substantia.* Ergo ait substantiam esse immutabilem secundùm propriā naturam.

Theodoretus in epitome diuinorum decreto- Theodoret. rum cap. de Angelis, postquam dixit, incorpoream Angelorum naturam non esse in masculinum & fœmininum sexum distinguendam, ait. *Immortali naturæ superuacanea est generis diuisio. Neque enim incremento opus habent*, &c. subdit rationem. *Quæ enim ab interitu aliena est natura non eget incremento.* Ergo ab interitu est aliena ipsa Angeli natura, ac proinde immortales sunt secundùm naturam; Quæ idem sunt, vt suprà diximus. Et de cur. Græc. affect. lib. 3. de Diis & Angelis ait, superfluum illis futurum fœminarum vsum: *qui vt immortales propagatione non indigent; vt incorporei commixtionem non patiuntur*, &c. Ergo ita Angeli sunt immortales, vt sunt incorporei. Sed incorporei sunt ex suâ naturâ ipsi Theodoreto, vt vidimus suprà a. 1. Ergo & immortales sunt secundùm naturam.

Idem habet Fulgentius libro de fide ad Pe- Fulgentius. trum cap. 3. Nam de Angelis beatis ait, eos à felicitate *naturali conditione non deficere.* Et addit: *quia collato simili diuinitus incorruptionis, atque immutabilitatis munere, nihil in se sentiunt immutationis.* Munus incorruptionis intelligit idē, quod immunitatem à peccato, quam diuinitus habent; atque ita superioribus non contradicit.

S.Isidorus libro 1. sent. cap. 1. docet, licèt Deus S. Isidorus. immortalis, & immutabilis sit, *Angelos tamen & animas immortales esse, sed immutabiles non esse; ideòque solus Deus dicitur immortalis, quia solus incommuta-*

bilis est. Sentit ergo esse immortales ex sua natura: Nam ex gratia possunt etiam esse immutabiles tam Angelus quàm hominis animus.

S. Damascenus. Sanctus Damascenus libro secundo de Fide capite tertio, Angelorum *natura*, inquit, *immortalitatem diuinitus est consecuta*. S. Basilius. Sanctus Basilius in Psalm. 44. Angelos ait non mutari. Quoniam in quo statu creantur *in eo perpetuo*, inquit, *remanent, seruata simplici & eadem immutabili propria natura substantia*. Dicunt ergo esse immutabilis naturæ & immortalis. Huius etiam rei rationē optimè tradidit Damascenus in libro de decr. & plac. &c. capite septimo. Damascen. Nam *quod vacat corpore*, inquit, *id rationis est particeps & immortale, vt animus, Angelus, Dæmon*.

S. Iulianus. Sanctus etiam Iulianus Archiepiscopus Toletanus libro primo de Origine humanæ mortis: qui habetur tomo octauo Bibliothecæ Veterum Patrum, capite secundo, hoc discrimen esse ait inter hominem & Angelos. Quòd homo etiam in statu innocentiæ mori poterat, Angelus autem nequaquam. *Non enim*, inquit, *eodem modo quo Angelos condiderat Deus, ita & homines condidisse credendus est. Vt etiamsi non peccassent, mori omninò non possent. Sed ita conditus est homo, vt perfunctum obedientiæ munere sine interuentu mortis Angelica eum immortalitas sequeretur, æternitásque beata*. Itaque quòd natura Angelica habet immortalitatis, hoc hominibus meritò datum fuisset, tāquam obedientiæ præmium.

Quamobrem alia est immortalitas, quæ primi hominis fuit ante peccatum; alia verò quæ est beatorum. Illa enim erat quæ solum actum moriendi excludebat: Hæc verò quæ etiam moriendi potentiam tollit: Quia scilicet posito quòd beatitudinem sempiternam possideant, deficere ab ea non possunt homines ampliùs. Id quod verum esse testantur verba sancti Augustini libro 22. de Ciu. Dei capit. vltim. S. August. vbi de vtraque immortalitate hominis sic habet. *Sicut enim prima immortalitas fuit, quando peccando Adam perdidit, posse non mori; nouissima erit, Non posse mori. Ita primum liberum arbitrium*, &c. Constat ergo, hominis in statu innocentiæ fuisse diuersam immortalitatem ab immortalitate Beatorum, ac proinde Angelorum.

Concil. Lateranense. Denique vt cæteros sileam, idem clarè colligitur ex Concilio Lateranensi sub Leone decimo Session. 8. cit. Si enim definiuit hominis animum esse immortalem suá naturá. Ergo à fortiori id quoque definitum censeri debet de Angelis; quandoquidem longè potior ratio stat ab illis ob intelligendi nobiliorem facultatem, modúmque per se subsistendi longè præclariorem. Præter hos alia plura aliorum Patrum testimonia afferam in solutione ad 1. & plura seq. Diffic. dicam huc spectantia.

Quàm certum sit Angelos esse immortales. §. 3.

EX hac propositione Colligitur, rectè sentire eos, qui hanc nostram sententiam arbitrantur, si non certam ex fide, saltem proximè certam ex fide. Valentia. Vt Valentia hîc disputat. 4. quæstion. 1. p. 4. §. *Quod autem*. Sic enim ait. *Etsi enim non omninò ex fide compertum est; tamen à Theologis existimatur fermè certum ex fide, ita vt id negare sit temerarium & erroneum*. Molina hîc a. 4. ait, adeò Molina. A. Doctor. certam esse A. Doctoris conclusionem, vt contrarium sit periculosum in fide. Quibus ego assentior, addóque ob nostrum argumentum à nobis ex Scripturis depromptum, non minùs certam reddi hanc A. Doctoris cōclusionem, quàm plurimæ aliæ huiusmodi, quæ fide Catholica censentur stabilitæ. Vt quòd Christus sit risibilis, &c. Quia scilicet deducitur ex vna de fide, & altera nota lumine naturæ per necessariam consecutionem: Quod etiam fit in re nostra. Nam hæc propositio est naturæ lumine clarissima: Quod conuenit perfectionis hominis animo, quâ intelligens est: id quoque conuenire debet Angelicæ naturæ. Iam si fiat hæc Minor de fide: Sed hominis animo, quâ intelligens est, hoc perfectionis conuenit, vt sit immortalis secundum suam naturam; sequitur euidenti conclusione: ergo hæc perfectio, quòd sint immortales secundum naturam, conuenit Angelis.

Sanè censetur de fide certum, Angelis beatis opus esse lumine gloriæ, quo eorum intellectus eleuetur ad Deum videndum; & tamen id solùm definitum est de homine contra Beguardos, & Beguinas in Concilio Viennensi sub Clemente V. Concilium Viennense. vt diximus suprà q. 12. quæsito 1. Difficult. 2. Proposit. 2. Quia tamen est eadem ratio etiam de Angelis, eodem etiam modo definitum esse existimatur. Præsertim cùm in nostræ Propositionis veritatem Scripturæ, Patrésque consentiant, adeò vt etiam qui contrariam in partem trahuntur, nostræ sententiæ quā maximè faueant, vt patebit ex solutione argumentorum.

Solum Deum habere immortalitatem quo pacto verum sit. §. 4.

EX his respondetur ad argumenta contraria. Ad primum enim ex sacris literis; quo scilicet modo dicatur solus Deus immortalitatem habere, varias Patrum proponam explicationes; quia omnes optimæ, & Angelorum, animorúmque immortalitati apertè subscribunt. Prima explicatio est dicentium, Apostolum loqui de immortalitate à peccati morte. Sic S. Ambrosius Ambrosius. pulchrè libro 2. de fide ad Gratianum Imperatorem cap. 3. *Non sunt*, inquit, *fragilia comparanda diuinis: Vna sola substantia diuinitatis est, quæ mori nescit. Vnde & Apostolus cùm sciret & animas & Angelos immortales, quòd solus Deus immortalitatem habeat, prædicauit. Nam & anima moritur. Anima enim quæ peccat, ipsa morietur. Nec Angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est creatoris. Neque ad præiudicium trahas, quod non moritur Gabriel, non moritur Raphaël, non moritur Vriel; & in ipsis enim naturæ capacitas vitio obnoxia; sed non obnoxia disciplinæ*. Hic ergo habes, reliquas creaturas rationales immortales esse, & solùm esse mortales ob vitij capacitatem; atque ideò in voluntate creatoris omnium esse immortalitatem; hoc est, vacuitatem à peccato, & propterea concludit infrà. *Alia ergo immortalitas quæ donatur; Alia quæ sine capacitate immutabilitatis est semper*. Et hoc modo intelligit Sanctus Damascenus in priore loco. S. Damascenus. Nam in eo capite multis docuerat prius Angelum esse

esse mutabilem ob arbitrij libertatem; & ideò postea docuit esse immortalem gratiâ; quia Dei ope fit, vt in peccatum labi non possit. Aliter soluit A.Doctor hic ad 1. In posteriore verò intelligit vt S.Cyrillus infrà. A.Doctor. S.Cyrillus.

Secunda expositio est aliorum, qui dicunt, Deum solum habere immortalitatem; hoc est esse omni ex parte immutabilem; quia nullo modo mutari possit. Ita S. Augustinus libro 7. de Genesi ad literam capite vltimo, vbi postquam negauit, animum hominis esse de Dei substantia, aut esse id, in quod alia commutentur, sed creatum dixit ex nihilo, subiunxit se asserere; *Quòd sit immortalis secundùm quendam vitæ modum, quem nullo modo potest amittere; secundùm quandam verò mutabilitatem, qua potest vel deterior, vel melior fieri, vt non immeritò mortalis possit intelligi, quoniam veram immortalitatem solus ille habet, de quo scriptum est; Qui solus habet immortalitatem*, &c. Eodémque prorsus modo loquitur idem Augustinus libro tertio contra Maximinum capite duodecimo. *Immortalitatem autem Deus dicitur habere solus, quia est immutabilis solus. In omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid nõ esse quod erat. Proinde ea ipsa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercunque secundùm modum suum nunquam desinit viuere; habet tamen pro ipso suo modo quandam mortem suam; quia si iustitiæ viuebat, & peccat, moritur iustitiæ: Si peccatrix erat, & iustificatur, moritur peccato.* Idémque ait postea de Angelis; & tandem concludit. *Cuicunque igitur creaturæ rationali præstatur, vt peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ, ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cuiusque gratia sed naturâ suâ*, & cætera. Quæ omnia totidem verbis dicuntur à sancto Anselmo in eum locum 1. ad Tim. 6. Quorum sententiæ subscripsit Isidorus, vt paulò ante retulimus ex eius verbis. Volunt ergo Deum esse solum immortalem, quia est solus immutabilis, & liber à peccandi mortalitate. S.August. S.August. S.Anselmus. Isidorus.

Tertia explicatio est eorum, qui tribuunt Deo soli immortalitatem, quia ipse ex se eam habet, ita vt simpliciter deficere non possit, animos verò & Angelos nonnisi à Deo, in cuius potestate est, vt ad interitum ruant. Ita sanctus Hieronymus in caput primũ epistolæ ad Titum aliquantò post initium eius commentarij. Explicans enim cur dicatur Deus solus verax, & omnis homo mendax, subdit. *Et nisi fallor quomodo solus dicitur habere immortalitatem, cùm & Angelos, & multas rationales creaturas fecerit, quibus dedit immortalitatem; ita & solus dicitur esse verax, non quòd & cæteri non immortales & veritatis sint amatores, sed quòd ille solus naturaliter sit & immortalis & verax; cæteri verò ex largitione illius immortalitatem consequantur; & aliud sit verum esse, & quid habere per semet, aliud in potestate donantis esse quod habeas.* Ex quibus apparet immortalitatem Deo ex se conuenire, cæteris rationalibus ex largitione; non quidem quòd ex natura sua eam non habeant, quia est illis connaturalis; Vt esse veracem, & cætera, vt diximus. Sed quia si Deus vellet, in nihilum redigi possent. Et in eandem sententiam loquitur sanctus Augustinus de Natura boni capite trigesimonono. *Sicut ergo*, inquit, *dicitur homo bonus, non tamen sicut Deus, de quo dictum est; Nemo bonus nisi solus Deus: Et sicut dicitur Anima immortalis, non tamen* A *sicut Deus; de quo dictum est; Qui solus habet immortalitatem*, & cætera: *Et sicut homo dicitur sapiens, non tamen sicut Deus, de quo dictum est: Soli sapienti Deo. Romanor. 16. Sic dicitur Ignis æternus, non tamen sicut Deus, cuius solius immortalitas est vera æternitas.* Constat ergo ex his, nos Patrum sententiâ habere, Angelos esse naturâ suâ immortales; posse tamen a Deo illis vitam auferri; & esse eo modo, vt sequenti Difficultate dicam. Hieronym. S.August.

Ad Iustinum dico, ipsum loqui apertè de immortalitate, quæ à nullo alio prorsus pendeat: Et hoc pacto cæteri eam non habent, eâ tamen sunt præditi, quæ illis connaturalis est ob eam rationem, quam sequenti Difficultate B dicam. Itaque loquitur vt sanctus Hieronymus. Ad Ambrosium modò diximus quid per immortalitatem ibi velit. Ad Cyrillum respondeo; ipsum apertè fauere Angelorum immortalitati: Nam postquam ea verba scripsit; nempe occidere posse quæcunque ortum habent, continuat hanc rationem. *Nam quæ naturis præcipue insunt, ea respectu Creatoris Dei nihil sunt. Quare sicut ignis combustiuus quidem est, sed non Deo, sic etiam Angelus immortalis quidem est, sed non Deo.* Sensus ergo est, esse quidem immortales ex suâ naturâ, sicut naturâ suâ ignis est combustiuus; tamen si comparentur cum Deo, non habent eam naturam; Quia scilicet nolente C Deo cessaret & in Angelis immortalitas, & in igne vis amburendi. Ratio est assignanda, quia nulla vis denegante Deo suum concursum ad actiones, est completa facultas ad actum suum; Vt in igne illo Babylonico non erat vis comburendi tres pueros, quia aliquid ex parte actus primi deerat; nempe Dei voluntas, quæ ad integram vim necessaria est. Atque ita etiam dicam de immortalitate sequenti Difficultate. Cùm autem subdit sanctus Cyrillus, Angelum esse immortalem ex voluntate & gratia Saluatoris, quo etiam modo retuli ex Sophronio; sensus quoque est quia, vt rectè notat Valentia p.citat. vocabulo gratiæ nonnun- D quam significatur naturale donum à libera Dei voluntate pendens. Quod etiam patet ex sancto Augustino in Psalmum cẽtesimũquadragesimumquartum. *Attendamus*, inquit, *gratiam Dei, non solum quâ fecit nos, sed etiam quâ refecit*; Et docet debere nos Deo gratias agere pro gratia qua creati sumus non præcedentium operum meritis. Idem patet ex sancto Hieronymo epistola centesimatrigesimanona ad Cyprianum presbyterum non longè à principio. *Ita & homo*, inquit, *à principio conditionis suæ Deo vtitur adiutore: & cùm illius sit gratiæ, quòd creatus est, illiúsque misericordiæ quòd subsistit & viuit, nihil boni operis a-* E *gere potest absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, vt sua per singula opera gratiam non negaret.* Et Innocentius I. in epistola vigesimaseptima ad quinque Episcopos, vbi idem confirmat; Nimirum naturale donum vocabulo gratiæ nonnunquam accipi posse. Quo eodem modo A.Doctor in 2. distinct. 26. quæstione prima, a. 1. ad 2. docet, licèt antonomasticè gratia dicatur id quod homines & Angelos trahit ad diuinam amicitiam, *& ad societatem suæ fruitionis*; tamen *omnes naturales bonitates gratiam dici posse, quia gratis à Deo dantur.* Sunt ergo Angeli ex gratia immortales; hoc est habent naturam immortalem ex Iustinus. Hieronym. Ambrosius. Cyrillus. S.Cyrillus. Sophronius. Valentia. S August. Hieronym. Innocent. I. A.Doctor.

dono ac libera Dei voluntate, qua congruenter ad rerum naturas operetur; quia scilicet nō omnino ex seipsis vt Deus ipse, sed dependenter à Dei voluntate immortalitatem habent; & ita patet ad Sophronij verba relata ex 6. Synodo: Nam largitur Deus immortalitatem sicut & naturam, eam creando: Vnde immortalitas, licèt illis sit connaturalis, tamen est ex dono liberæ voluntatis. Qua ratione Sol naturaliter est lucidus, non tamen independenter à voluntate Dei; vt meliùs explicabitur Difficult. seq. Notando Primo, & deinceps. Ad S.Bernardum dico, posse iungi illas particulas *Gratiâ non naturâ* cum illis sequētibus, *Mente puros*. Aut certè cùm dicit, *Non naturâ*, debet exponi, vt non sint à se, vt Deus est immortalis, vt dixit S.Hieronymus. Ad illud de Platone dico, ipsum non dissentire ab iis quæ diximus. Facit enim ipse minores Deos perpetuos quidem, sed voluntate summi Dei, vt explicabitur Difficult. seq.

S.Bernard.

S.Hieron. Plato.

B

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm naturali ratione demonstrari possit Angelos esse sua natura incorruptibiles seu immortales, ex eo quòd substantiæ immateriales sint.

PArti neganti fauere possunt primò hæ rationes, quæ potiùs probare videntur, Angelos esse mortales. Nam illud non est naturâ suâ immortale, quod naturâ suâ potest amittere esse. Sed Angelus naturâ suâ potest amittere esse: Ergo Angelus naturâ suâ non est immortalis. Maior patet: quia id quod potest naturâ suâ amittere esse, mortale est naturâ suâ. Neque enim aliter A.Doctor hoc a.5. ostendit, Angelos esse incorruptibiles; nisi quia cùm formæ sint subsistentes, non possunt amittere esse. Minor probatur: quia Angelus naturâ suâ est subiectus causæ, à qua destrui potest; nempe Deo, qui potest liberè eum velle destruere. Ergo naturâ suâ potest amittere esse. Id enim quod naturâ suâ subiicitur causæ à qua destrui potest, potest etiam naturâ suâ amittere esse. Sicut quia potest naturâ suâ homo occidi gladio, potest etiam gladio suum esse amittere naturâ suâ.

A.Doctor.

Secundò, quia si Angelus esset naturâ suâ immortalis, maximè quia eius natura caret principio corruptionis, vt videtur significare A. Doctor hic ad 3. Sed hoc est falsum. Nam hoc ipso quod natura est ex nihilo facta, habet principiū vt desinat, & corrumpatur. Nam vt super. Difficult. diximus ex SS.Cyrillo & Damasceno, naturâ comparatum est, vt quicquid ortum habet, finem sit aliquando habiturum. Quin etiā Aristoteles hoc argumento vsus est sæpè libro 1. de cœlo; Vbi cont. 140. concludit. *Impossibile esse aut quod sempiternum erat priùs, posteriùs corrūpi, aut quod priùs non erat, posteriùs sempiternum esse.* Cùm ergo cōstet, Angelos initium sui esse habuisse vt corpora, dicendum videtur in ipsis esse potentiam corruptionis, & interitus, vt est in corporibus.

A.Doctor.

S.Cyrillus S. Damascenus.

Partem affirmantem comprobat ratio A.Doctoris, quam optimam esse diximus in eius explicatione. Ad solutionem

A.Doctor.

A

Quàm multipliciter dicatur incorruptibile atque immortale. §.1.

NOtandum est ex Aristotele libro 1. de cœlo cont. 110. Quæcunque multipliciter dicuntur, nō debere de illis determinari, ac si simpliciter dicerentur. Rationem eius docet ibi Aristoteles, quia *necesse est intellectum se indeterminatè habere, si quis eo, quod multipliciter diuiditur, tāquam indiuisibili vtatur.* Cùm enim ambiguum sit, quonam sensu accipi oporteat id, quod multiplicis est significationis; necesse est suspensus intellectus cohibeat assensum. Et idcircò subdit Aristoteles ibi. *Immanifestum enim, secundum quā naturam ipsi accidit quod dictum est;* hoc est, incertum namque est quid ex illis multis significetur, cùm nomen illud profertur. Incorruptibile autem & immortale vario modo solere vsurpari ab auctoribus, certum est, tum ex Aristotele eodem libro 1. cont. 116. vbi multas eius acceptiones tradit, tum etiam quia incorruptibile opponitur corruptibili: Tot autem modis dicitur vnū oppositum, quot dicitur & alterum, vt explicat Aristoteles libro 1. Topic. cap. 13. Quod colligitur etiam ex eodem Aristotele lib. 1. de cœlo cont. 101. & 2. de cœlo cont. 40. & libro 1. de Anima cont. 85. Quo postremo loco ait, *Vnam partem contrarietatis sufficientem esse indicare seipsam & oppositam:* Corruptibile autem variis modis dicitur.

Aristotele. Aristoteles. Aristoteles.

C

Vt autem aliquid certi hac de re statuamus, illud non ignorandum est, quòd corruptibile illud est, vt docet Aristoteles eodem libro 1. de cœlo cont. 120. *Quod potentiam habet, vt non sit;* hoc est vt significat A. Doctor in hoc a. 5. quod potest amittere esse; quæ quidem licet verè dicantur; tamen aliquid ampliùs explicari oportet. Nam cùm corruptibile sit illud, quod potest corrumpi seu destrui, quia passionem aliquā denotat, debet explicari comparatè ad aliquam causam, à qua pati dicatur; & ideò debet definiri esse illud, quod ab aliqua certa causa corrumpi potest. Qua ratione mensurabile est, quod ab alicuius mensura definiri, ac deprehendi potest; patibile ab aliquo patibile; vt patet ex Aristotele libro 5. Metaph. cont. 20. Vnde licèt corruptibile sit id, quod potest amittere esse, aut quod potentiam habet, vt non sit. Tamen vt sit completa definitio, addi oportet *ab aliqua causa.* Cuius ratio est, quia eorum quæ sunt ad aliud, definitio dari debet non sine illo ad quod respiciunt. Nam ne intelligi quidem possunt huiusmodi respectus sine suo termino, vt alibi dictum est. At corruptibile est ad illud à quo corrumpi potest. Corruptibile enim ab aliquo est corruptibile; sicut patibile ab aliquo patibile, &c. saltem relatione intelligentis; vt colligitur ex Aristotele 5. Metaphys. cont. 20. & de qua etiam re multa infra dicentur.

Aristoteles. A. Doctor.

D

Aristoteles.

E

Aristoteles.

Hoc autem modo sumptū corruptibile duobus modis, vt facit ad rem nostram, intelligi potest: Primo quidem modo latissimè pro eo, quod quacunque ratione potest suum esse amittere, & à quacunque causa; & hoc pacto omne quod creatum est, corruptibile est. Ratio est manifesta. Quia omne quod creatum est, à Deo liberè ipsum conseruante pendet. Nihil enim postquā factum à Deo est, necessariò debet persistere in esse:

A.Doctor. esse: Quia hoc ipso nullam simpliciter acquirit necessitatem essendi, *nisi vt probat* A. Doctor q.5.de Pot.a.3.c. *ex suppositione sua diuinæ ordinationis & præscientiæ, qua sic ordinauit & præsciuit, vt res in perpetuum;* vel certè tanto vel tanto temporis spatio *in esse teneret.*

Quamobrem cùm quæcunque res creata libera Dei voluntate conseruetur in suo esse, poterit suum amittere esse, & in nihilum redigi, si Deus suam conseruatricem efficientiam subtrahere velit, vt ait A.Doctor hoc a.5.ad 3. Vbi approbat illud S.Gregorij pronunciatum libro 16. Mor.cap.18. *Omnia in nihilum tenderent, nisi ea manus omnipotentis conseruaret.* Quod etiam S.Damascenus dixit libro 1. de fide cap.3. *Deum esse qui vniuersam hanc rerum molem coagmentauit, eamque tueatur & conseruet, eique perpetuo prospiciat.* Sed hoc ipsum Scriptura sancta aperte docet. Nam Sap.11. dicitur. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses:* Et Act.17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Et præclare omninò Iob 6. vt declararet, quàm facile sit Deo res omnes momēto destruere, dicitur. *Soluat manum suam & succidat me.* Quasi dicat; si me ex manu sua, qua vniuersa sustinentur dimittat, corruet vita præceps in interitum.

A.Doctor. S.Gregor. S.Damascenus. Sap. 11. Act. 17. Iob 6.

S.August. Rationem huius rectè assignat S. Augustinus libro 4. super Gen.ad lit.cap. 12. dissimilitudine sumpta ab ædificatore. *Neque enim, inquit, sicut structuram ædium cum fabricauerit quis abscedit atque illo cessante atque abscedente stat opus eius; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen suum subtraxerit. Proinde & quod Dominus ait. Pater meus vsque modo operatur Io. 5. continuationem quandam operis eius, qua vniuersam creaturam continet atque administrat, ostendit.* Neque tamen hîc sequitur. Deum esse causam tendendi in non esse.

S.August. Quod recte negat S.Augustinus libro 83. qq. quæst.3. Nam Deus nullius esset causa motus in creatura, quo in non esse tenderet. A.Doctor. Desisterent enim esse creaturæ *per hoc,* inquit A.Doctor in eo a. 3.ad 1. *quòd Deus desine et rebus dare esse;* nempe vitalis influxus cessatione. Quod fieret nolendo amplius eas continere in esse. Hoc ergo pacto non est negandum, Angelos esse corruptibiles: D Quoniam cùm creaturæ sint, in nihilum redigerentur, Deo influxum illum vitalem subtrahente. Plato. Et in hoc consensit Plato in Timæo, cùm Deus pater alloquitur minores Deos, quos suprà diximus esse Angelos. *Dij Deorum quorum ego opifex & pater sum, hæc attendite. Quæ à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt,* &c. Consentiunt etiam Patres qui in parte negante super. Difficult. dixerunt, Angelos Deo volente perpetuò conseruandos. Tullius. Sane præclarè Tullius dixit libro de Senectute. *Vt nanim, vt ædificium idem destruxit facillimè qui construxit; sic hominem eadem optimè quæ conglutinauit natura dissoluit,* &c. Sed vt alium modum E explicemus,

Notandum est secundò, corruptibile alio modo sumi posse strictiore significatione, vt illud sit corruptibile, quod potest amittere esse, non solùm subtrahente Deo concursum: sed etiam actione agentis creati. Quo pacto omnia corpora, eorúmque partes, quæ sunt infra cœlum, corruptibilia sunt; vna prima materia, atque hominis animo exceptis. Nam quæcunque vel corpora simplicia sunt, nempe elementa, vel ex his composita, ea omnia subiacent contrariorum dissidio, ideóque ab ipsis perimuntur cùm esse desinunt. Aristoteles. Nam vt ait Aristoteles libro primo de cœlo context. 140. *Alterantur contrarijs ea ex quibus constant quæ natura sunt, & ab eisdem ipsis corrumpuntur.*

A Quocirca corruptibile relatè ad causam secundam, à qua suscipere potest corruptricem actionem hoc pacto dici debet. Aristoteles. Quemadmodum enim vt ait Aristoteles libro 5. Metaphys. cont. 20. Actiua & passiua relatè inter se dicuntur *secundùm actiuam, & passiuam potentiam, & potentiarum actiones, vt puta calefactiuum & calefactibile quoniam possunt;* nempe inter se agere & pati; Ita & corruptibile ad corruptiuum dici debet secundùm potentiam, & potentiarum actiones; B quoniam possunt eodem modo agere patíque inter sese. Non enim dubium esse potest, quin corruptibile ab eo, quod corrumpendi vim habet, patiatur cùm actu corrumpitur. Nam vt patet ex libro 1.de cœlo cont.20. Quod *corrumpitur in subiecto quodam & à contrario & in contrarium corrumpitur.* Ergo corruptibile dicitur secundùm potentiam passiuam comparatè ad illud contrarium, cuius actione interimi potest.

Atque hæc quidem simpliciter à Philosophis & Theologis corruptibilia dici solent, quæ nimirum causam efficientem creatam habent, cuius actione interire possint. Nam quæ solùm Dei voluntate deficere possunt, ea incorruptibi- C lia sunt, vt orbes cœlestes; Hominis animus, Materia prima, Aristoteles. quam Aristoteles libro primo Physicorum, contextu 82. dicit *ingenitam atque incorruptibilem.*

His ergo duobus oppositis modis dicetur incorruptibile; Si nimirum vel primò nullam prorsus sui interitus causam habeat: Et hoc modo, vt diximus, Angeli non sunt incorruptibiles, quia Deo volente deleri possint & occidere. Neque hoc pacto præsentis sensus est difficultatis; Vtrùm demonstrari possit, Angelos esse immortales. Demonstrari namque liquidò potest eos esse mortales, vt modò ostensum est. Vel secundò si nullam habeant causam creatam, cuius effectione amittere suum esse possint. Et hac tantùm ratione simpliciter vt dixi, res creatæ dicuntur immortales, atque incorruptibiles. Alioqui nullam rem creatam, quantumuis cunctis rebus caducis superiorem, simpliciter possemus dicere incorruptibilem: Quod quidem repugnat rectæ philosophiæ, dum cœlos intelligentésque animos incorruptibiles meritò docet esse.

Aristoteles. Sane præter hanc Aristoteles nullam cœlo aliam agnouit inesse immortalitatem. Nam tripliciter ostendit cœlum esse incorruptibile. Primò enim cōt.20.lib.1.de cœlo dixit, omne quod corrumpitur, nempe *vt quod* à contrario corrumpitur. Cœlo autem nullum est contrarium: quia motui circulari nullus est motus contrarius, ex quo tanquam à signo constare debet cœlo contraria nulla esse. Secundò in cont.22. Vbi ex eo quod in cœlo nunquam visæ sint mutationes, infert cœlum omnis interitus expers esse. Et tandem ibidem, quia homines putant cœlum esse sedem Dei, *tanquam videlicet immortali immortale coaptatum sit.*

Neque contra hoc dicat aliquis ex libro de Animalium motu cap.2. Aristotelem putasse, *cœlum esse incorruptibile, & indissolubile ex necessitate;* Quasi velit omninò esse ens necessarium, nulloque pacto dissolui posse. Aristoteles. Non enim Aristoteles ibi loquitur de necessitate quouis modo;

do; sed de ea, quæ est potiùs causarum naturalium ordine, atque efficientia: Ita vt neget aptum esse, vt agentium contrariorum suscipere actiones possit; nempe elementorum, mistorúmque corporum. Ait enim: *Si motus excedentes sint &c. continget vtique dissolutum esse cælum. Quid enim prohibet hoc accidisse? Si quidem non impossibile est.* nempe si aptum sit contraria suscipere. Quod ipsum clariùs patet ex libro 1. de cœlo cont. 140. Vbi longissimam de cœli immortalitate dissertionem a cont. 101. eiusdem libri inchoatam conclusit his verbis. *Et naturaliter autem, & non omne saltem considerantibus impossibile est; aut quod sempiternum erat prius, corrumpi posteriùs; aut quod prius non erat, posteriùs sempiternum esse.* Subiungit rationem qua fortiùs idem suadetur. *Corruptibilia enim omnia generabilia sunt. Alterantur autem contrariis, ex quibus constant* &c. Ergo corruptibilia intelligit, quæ contrariis agentibus dissolui possunt naturâ suâ. Itaque si licuit Philosophis cœlum simpliciter existimare incorruptibile; quia eius natura nullius causæ contrariæ viribus mori potest; Quantò meliùs hominis animum, & Angelos immortales esse dicemus; si ostenderimus, nullam omninò causam creatam esse, quæ substantiam Angelicam, humanúmque animum possit extinguere. In hoc ergo posteriore sensu inquirimus, Vtrùm demonstrari possit, Angelos incorruptibiles esse ex eo quòd immateriales substantiæ sunt.

Demonstrari ex principiis simpliciter necessariis potest, Angelos esse incorruptibiles & immortales, eo quòd capaces non sunt corruptricis actionis. §. 2.

AD Difficultatem ergo respondetur, & sit Vnica Propositio. Demõstratur ex principiis simpliciter necessariis, Angelos naturâ sua immortales esse ex eo quòd substantiæ immateriales sunt. Probatur propositio: quia huius demonstrationis principia ex immaterialitate Angelorum sunt simpliciter necessaria, & conclusio recta; nempe si ratiocinatio ita construatur. Quæcunque substantia in suo esse à materia non pendet, ea est naturâ suâ incorruptibilis. Sed Angeli sunt substantia, quæ in suo esse non pendet a materia. Ergo Angeli naturâ suâ sunt incorruptibiles. Aio huius demonstrationis principia esse simpliciter necessaria; atque ita si hoc constiterit, hoc ipso conclusum erit; Angelos immortales esse, demonstrari posse ex eo, quòd a materia sint abiunctæ substantiæ. Vtraque propositio probanda nunc.

Et primùm probatur Minor ex dictis: Quia omnis substantia in suo esse à materia dependens est, vel quia est forma materiæ hærens, vel ex materia compacta. Non enim est alius pendendi a materia modus; & hoc omnes intelligimus, cùm dicimus substantiam à materia pendentem. At Angeli sunt substantiæ nec materiæ hærentes, nec ex materia compactę vt ostensum est a. 1. & 2. Ergo sunt substantia non pendens à materia.

Maior probatur: Quia substantia à materia non pendens non est capax corrumpentis actionis. Quod autem est hoc pacto incapax, est suâ A naturâ incorruptibile, quia non subiacet corrumpentis causæ actioni.

Ratio huius est duplex. Alteram conficio ex antedictis. Etenim quæ à causis secundis corruptibilia sunt, ea contrariis subsint oportet; vt eorum actionibus forma rei corruptibilis pereat, vt dictum est. Ergo si substantia incapax sit corrumpentis actionis, non est corruptibilis à secundis causis. Altera est huiusmodi: Quia substantia semper ex se permanet in suo esse nisi ab alio remoueatur. Immò vnumquodque adeò in sui conseruationem propendet naturâ suâ, vt naturalissimum, hoc est ad quod natura maximè inclinat, dicatur ab Aristotele libro 2. de Anim. B cont. 34. perpetuare seipsum, etsi nequit in sese, saltem generando aliud, *quale est ipsum*. Ergo quãtum est ex se nisi ab alio auferatur esse, perpetuabitur. Si ergo substantia non sit capax corruptricis actionis, non est corruptibilis, sed perpetua. Aristoteles.

Illud ergo probandum est, substantiam à materia in suo esse non pendentem, corruptricis actionis capacem non esse: Probatur autem: quia, si esset capax eius actionis, deberet esse capax tanquam illius subiectum. Non enim esset capax in eo in quo ipsa esset tanquam in subiecto, vt sunt materiales formæ, vt paulò pòst di- C cam: Quia ipsa à subiecto non pẽdet, à quo supponimus esse abiunctam. At nullum subiectum est capax eius actionis, quæ non sit perfectio eius aliqua, & velut habitus illius. Et ideò Aristoteles libro 8. Metaphys. cont. 14. dicit materiam seu subiectum esse in potentia ad formam, vt ad habitum suum, quo scilicet conuestitur, ornatúrque. Ergo & ad suam absolutionem. Aristoteles.

Vnde capacitas, quæ est ex natura, est quædam naturalis propẽsio seu potestas ad formam aliquam quæ subiectum perficiat; quia scilicet patibile subiectum recipere actum suũ ab agente potest. Prius enim est posse recipere actum, D quàm recipere. Quod Aristoteles libro 3. Metaphys. cont. 19. aliis verbis dixit; nempe potentia præcedit actum. Idem repetit libro 9. Metaphys. cont. 7. & libro 12. Metaphys. cont. 32. Illa ergo capacitas est quædam recipiendi actus potentia: nulla autem potentia est nisi ad suum actum; nempe ad perfectionem, absolutionémque subiecti. Aristoteles.

Hinc optimè Aristoteles libro 1. Physic. cont. 81. negat contrarium appetere aliud cõtrarium; seu, quod idem est, habere capacitatem, & potentiam susceptiuam alterius contrarij. *Corruptiua enim sunt* inquit *sibi inuicem contraria*: Quare nihil propendet in aliud tanquam eius capax nisi sit actus, & perfectio physica illius. Quam et- E iam ob causam docet ibidem, materiam, quam cont. seq. dicit esse potentiam ad formam, appetere ipsam formam, tanquam *turpe pulchrum, & famina marem*. Ergo substantia auulsa à materia non est capax actionis corruptricis: Quia actio, quæ subiecti destructio esset, eius perfectio & absolutio nullo modo esset. Aristoteles.

Ex quibus vlteriùs sequitur, nullam prorsus actionem destruere subiectum in quo recipitur; sed formam quam illa actio secum in eodem esse non patitur; vt in rebus patet ex materia formáque compositis, quæ quidem non tollunt è medio Materiam subiectam, sed formam, cùm scilicet ipsa substantia materiæ suscipit nouam actionem, quæ cum præcedente forma pugnat. Immò

Ariſtoteles. Immò hoc ipſo argumento Ariſtoteles libro 1. Phyſic. cont. 82. oſtendit, materiam eſſe ingenitam, nulloque modo per actionem perimi poſſe. Nam de materia, *quatenus eſt ſecundum potentiam* ait *incorruptibilem & ingenitam neceſſe eſſe ipſam eſſe. Si enim fiat ſubiici aliquid oportet primum, ex quo inexiſtente fiat*. Ergo nequit generari, quia generationi ſupponitur. Item nec corrumpi, quia debet eſſe aliquid permanens; quod ſcilicet corruptricem formæ actionem in ſe ſuſcipiat. Impoſſibile ergo prorſus eſt, vt actio ſuum ſubiectum, ſubſtantiámque materiæ corrumpat.

Ratio etiam à priori eſt: quia quod cum alio non pugnat, illud non deſtruit, vt calor non deſtruit humidum &c. At actio cum ſuo ſubiecto non pugnat: Neque enim illi opponitur, cùm ſit actus illius, & in eo naturaliter conquieſcat; ſed cum ſuo contrario pugnat. Contraria autem ſunt circa idem libro 4. Phyſic cont. 84. Vnde tantum abeſt, vt actus opponatur ſuo ſubiecto, vt oppoſita non ſint oppoſita, niſi in eodem ſubiecto recipiantur, ex eodémque permanente ſe excludant. Ex quo commune illud Ariſtoteles. Peripateticorum pronunciatum, quod Ariſtoteles ſcripſit libro 1. de ortu & interitu cont. 54. *eandem eſſe materiam oppoſitorum*. Ergo actio & ſubiectum neceſſariò ſimul eſſe debent, & nulla actio deſtruit ſuum ſubiectum. Conſtat ergo eſſe neceſſaria principia huius demonſtrationis.

Sed contrà obiiciat aliquis. Formæ materiales non ſunt capaces actionis corruptricis, quia eius non ſunt ſubiectum. Ergo formæ materiales eſſent immortales. Hoc enim argumento diximus demonſtrari, formas per ſe ſubſiſtentes eſſe immortales.

Reſpondeo; formas materiales eſſe capaces actionis corrumpentis, non quidem tanquam ſubiectum illius, vt probat argumentum, & nos diximus; quia ſubiectum perficitur ſuis formis; ſed ſunt capaces in ſua materia, in qua cùm ſint, ſubiacent contrariis pugnantibus formis. Itaque ex eo quòd ſunt in ſubiecto capaci, ipſæ dicuntur capaces corruptricis actionis, quatenus in ſubiecto hoc habent, vt expelli ab eo poſſint. Hoc auté non militat in formas per ſe ſubſiſtentes, quæ, vt diximus, nec capaces in ſe ſunt, nec in ſuo ſubiecto, quod diximus in noſtro argumento.

Secundò probatur propoſitio optima ratione A. Doctor. A. Doctoris, cuius principia ſunt omninò neceſſaria, & concluſio ex illis optimè elicitur, vt in eius explanatione confirmauimus. Conſtat ergo oſtendi ex principiis ſimpliciter neceſſariis, Angelos eſſe immortales, quia ſubſtantiæ immateriales ſunt; nempe in ſuo eſſe à materia nõ pendentes, nec proximè ſecundùm ſe, nec per ſubiectum in quo ſunt.

Angelos eſſe annihilabiles à Deo & quomodo, an per potentiam intrinſecam. §. 3.

Ex hac propoſitione ita probata Colligitur primò, quomodo Angeli poſſint in nihilum redigi, ſeu quomodo ſint annihilabiles à Deo. Non enim ſunt annihilabiles, quia capaces ſint actionis, per quam in nihilum conuertantur, quaſi illa actio ſit in Angelos & ſit veluti motus A & via, qua Angelus migret ad nihilum. Eius rei ratio patet ex dictis: quia nec Angelus, nec quæcunque res ſubiecta eſt capax actionis corruptricis, ſed ſolius actionis perficientis, abſoluentíſque rem ipſam ſubiectam, vt oſtenſum eſt. Eſt ergo annihilabilis negatione conſeruatricis efficientiæ; Deo ſcilicet ſubtrahente vitalem illum ac ſalutarem vt ita dicam ſpiritum, quo conſeruantur quæcunque ſunt. Siue hæc conſeruatio ſit actio à re, quæ ſeruatur diſtincta; ſiue non diſtinguatur.

Id autem ex actu voluntatis Dei nolentis ampliùs rem illam ſeruare, tãquam ex origine promanat, vt ſignificauimus paulò ſuperiùs, & alibi dicetur copioſiùs. Vnde diſparem rationem B agnoſcimus inter corruptionem, & annihilationem ſubſtantiarum. Quòd earum corruptio, qua forma ſubſtãtialis deſinit eſſe, eſt vera actio agentis, recipitúrque in ſubiecto, & quæ oppoſitionẽ habet, vt in eadem materia ſit ſimul cum præcedente forma. Quæ forma ideò eſſe deſinit; quia adueniente forma oppoſita excluditur à ſubiecto, deperítque.

At verò annihilatur res, non actione vera, ſed defectione conſeruantis cauſæ, vt docet A. Doctor infrà q. 104. a. 3. ad 3. nempe quia Deus non vult ampliùs, rem illam eſſe, vt dixi. Ex quo A. Doctor. etiam eſt, vt corruptio poſſit etiam à cauſis creatis eſſe, quia eſt in ſubiecto corruptionis cauC ſa, nempe admittente contrarium. Annihilatio verò à ſolo Deo, cuius ſolius eſt pro ſuo arbitratu conſeruatricem illam vim ſubtrahere abſque vlla corruptrice actione, quæ è ſubiecto ſuſtinente eliciatur. Quare optimè A. Doctor A. Doctor. 1. d. 8. q. 3. a. 2. c. & q. 5. de Pot. a. 1. ad 6. ait, annihilationem nec eſſe motum, nec mutationem, quia nihil ei ſubiicitur: quæ etiam eſt cauſa, vt ea nullum ſit malum, vt ait de Pot. illo a. 1. ad 14.

Colligitur ſecundò, Vtrùm Angelus ſit annihilabilis à Deo. Hoc enim dupliciter intelligi poteſt. Primò quidem quia poſſit in nihilum redigi abſoluta Dei poteſtate; hoc eſt nulla facta D hypotheſi diuini decreti de gubernandis creaturis, ſecundùm naturalem earum propenſionem; & hoc pacto ex dictis Notando primo colligitur, Angelum eſſe annihilabilem à Deo, & quamcunque creaturam, vt probat A. Doctor infra q. 104. a. 3. & q. 5. de Pot. a. 3. Quia po- A. Doctor. teſt amittere ſuum eſſe ſubtrahente Deo vim illam rebus ſalutarem. Neque enim alio modo ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes amitterent eſſe. Ergo annihilarentur, quia deſinerent omninò in nihilum. Nullus enim eſſet alius terminus, in quem deſinerent, nec abirent in potentiam ſubiecti: Quod eſt annihilari, vt patet ex A. Doctore infra q. 104. a. 4. ad 3.

E Secundo modo, quia de potentia Dei ordinata; hoc eſt, ſuppoſito decreto Dei diſponentis omnia *ſuauiter* pro cuiuſque rei inclinatione; & ſic nihil à Deo annihilabile eſt, vt patet ex eadem q. 104. a. 4. c. & q. illa de pot. a. 4. Quia ſcilicet, vt ipſe ait, nulla res habet ad id naturalem propenſionem, vt oſtenſum eſt. Ergo facta hypotheſi de Dei decreto volentis rerum naturis conſentanea præſtare, nihil annihilari poteſt. Ratio etiam eſſe poteſt: quia dona Dei perpetua ſunt, niſi aliunde ex aliqua cauſa deficiant. Dicitur enim Sap. cap. 1. *Creauit enim Deus vt* Sap. 1. *eſſent omnia*. Ergo non vt huiuſmodi creaturas deſtrue

destrueret ipse per sese. Quod apertè significa- A
Rom. 11. uit Apostolus ad Rom. 11. cùm dixit *sine pænitentia sunt dona & vocatio Dei.* Quasi dicat, Deum non pœnitere eorũ beneficiorum, quibus creaturas ornat.

A. Doctor. Quamobrem rectè A. Doctor 3. p. q. 76. a. 6. ad 3. docuit, Christi corpus sub accidentibus panis in Venerabili Eucharistiæ Sacramento tamdiu permanere, quandiu ea accidentia conseruantur, vt ibi dictum est latiùs. Cùm ergo Angelus nullis aliis ex causis deficere possit, non est annihilabilis à Deo de Potentia ordinata: &
A. Doctor. hanc rationem significauit A. Doctor 3. p illo a. 6. cit. in corp. vbi probat, Christum sub illis Eucharistiæ speciebus desinere non posse, nisi species ipsæ esse desinant: *Quia illud quod de se habet* B *esse indeficiens, non potest esse deficiendi principium, sed alio deficiente hoc desinit esse in eo.* Ex quo concludit. *Cum Christus habeat esse indeficiens, & incorruptibile, non desinit esse sub Sacramento.* Itaque cum Angelo ex se, & ex cæteris causis competat esse immortale, non est annihilabilis a Deo rebus omnibus congruenter earum naturis prospiciente.

Aliam etiam optimam rationem colligo ex illa q. 5. de Pot. a. 4. Sic enim Deus vnamquamque naturam instituit, vt ei nõ auferat proprie-
A. Doctor. tatem suam. Vnde A. Doctor illud glossæ affert ad Rom. 11. Deum videlicet, *qui est naturarũ conditor contra naturas non agere; etsi aliquando in argumentum fidei in rebus creatis aliquid supra naturam operetur.* At substantiarum immaterialium, quæ C contrario corrumpente carent, ideoque in illis non est potentia ad non esse, vt in explanatione nostra dictum est, naturalis proprietas est sem-
A. Doctor. piternitas. Ergo *sicut igni*, inquit A. Doctor, *non aufert naturalem inclinationem qua sursum tendit, ita non aufert rebus prædictis sempiternitatem, vt eas in nihilum redigat.*

Aristoteles. Quo etiam pacto Aristoteles libro 9. Metaphys. cont. 17. ipsis naturis consentanea tradidisse videri potuisset, cùm dixit; *Non esse timendum ne quando stet Sol, quod metuunt quidam naturales. Non enim fatigantur cùm hoc faciunt, &c. ita vt laboriosa sit eis motus continuatio*; nisi eius ingenium in sole caligasset, dum æternas rerum generationes, necessariosque orbium cœlestium motus asseruit. Nam quòd hæc ita æterna esse dixerit, vt D Deum necessariæ non liberæ in agendo volũtatis arbitratus sit, vt infrà suo loco dicetur: ostendemus enim multa potuisse ab æterno Deũ creare, quæ non creauit reipsa, longéque aliter, ac de facto fecit, Aristotelis opinione. Sed quòd existimauerit, Deum voluntate æterna nõ potuisse velle effectum nouum in tempore, qui effectus nonnisi ab ipsa Dei voluntate dependeat. E. gr. opinatus est, Deum non potuisse ab æterno velle quòd hodierna die Sol stet, qui eius opinione æterna Dei voluntate hactenus æternum motum habuit.

In hunc verò errorem incidisse videtur, propterea quod, si æterna voluntas efficax fuit ad Solis motum; Ergo nisi mutetur voluntas diuina in contrarium actum; nempe vt nolit amplius Solem moueri, Sol semper mouebitur. Impossibile autem est, Deum immutabilem mutari. Ergo nullus erit effectus nouus, qui à solo Deo pẽdeat per æternam voluntatem. De qua re infrà suo loco plura.

Colligitur tertiò non esse verum, quod aliqui recentiores comminiscuntur; nempe Angelos esse corruptibiles, seu annihilabiles à Deo per potẽtiam, quam suâ naturâ habent intrinsecam ad annihilationem: Quod licet examinãdum sit Difficult. seq. tamen nunc aio, nõ esse verũ, quia potentia est ad perfectionem subiecti, nõ autem ad sui destructionem; præsertim vt in nihilum tendat. Illa etenim potentia vtq; esset receptrix alicuius actus; Quia omnis potentia est aut actiua aut passiua. Ergo illa potentia posset recipere in se annihilationẽ. Quæ nullo modo est actus, sed potiùs subtractio vitalis influxus. Immò etiamsi esset actus, non posset in ea potentia recipi. In eo enim ipso momento, quo res in nihilum redigitur, nõ est. Ergo in ea re non est actio, quæ sit annihilatio. Esset enim ac non esset vnico res momento. Quod repugnantiam inuoluit.

Ex his respondetur ad argumenta Partis negantis. Ad 1. negatur Minor, vt patet ex dictis. Vt autem explicemus melius, quo pacto Angelus naturâ suâ dici possit à Deo annihilabilis; an scil. potentia aliqua naturæ intimâ, vel alio modo, & videamus; Quãnam ratione verum sit, quod in vniuerso est corruptibile sit, an non: Sit

---

TERTIA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Angeli sint annihilabiles à Deo natura sua, & an per Potentiam aliquam ingenitam ad annihilationem & quomodo.

Recentiores nonnulli Theologi, viri in primis docti, in hunc art. existimarunt, omne quod est annihilabile à Deo, esse annihilabile per quandam physicã potentiã sibi ingenitã, qua illud ens verè dici possit sua naturâ esse annihilabile. Probant primò auctoritate Scholasticorum Alexandri p. p. q. in. 3. Bonauenturæ in p. Alexander. d. 8. p. p. d. a. 2. q. 2. Ricardi ibidem a. 2. q. 2. Sco- Bonauent. D ti q 5. §. *ad quæstionem*, & in 4. d. 49. q. 6. §. *Iti* Ricardus. *duo sunt*, Ochami in 2. q. 7. Gabrielis ibidem d. Scotus. 2. q. 1. a. 2. concl. 6. Qui omnes pronunciant, Ochan. Gabriel. creaturam ex se esse mutabilem, non secundum accidentia tantum, sed etiam secundum substantiam desinendo; idque suapte natura creaturæ conuenire. *Quod autem conuenit alicui naturæ suæ ab intrinseco* inquit *conuenit*; hoc est secundum aliquam ingenitam potentiam.

Secundò probant nonnullis SS. Patrum testimoniis. Nimirum ex eorum aliquibus, quos super. Difficult. 1. retulimus in Parte negante ex eo quod negant, Angelos esse immortales ex sua F natura, sed habere aiunt immortalitatẽ per gratiam. Ergo naturâ suâ volunt esse mortales; quod non esset, nisi eorum naturis huiusmodi physica potentia inesset.

Cui argumento satisfieri negant posse ab iis qui respondent esse mortales vel per potentiam quam vocant Logicam; seu vt ipsi dicunt per nõ repugnantiam ad interitum; Quæ est doctrina Caietani in hoc a. 5. Vel esse mortales, quia sunt Caietanus. immortales negatiuè; quia scil. neutram illis cõueniat secundum aliquam realem potentiam; cùm ex se nec sint mortales, nec immortales.

Non

Non inquam satisfieri putant his dictis. Nam contra primum obiiciunt: Quia Patres negant, naturâ sua Angelos esse immortales. Ergo mortales naturâ suâ. Contra secundum verò obiiciunt, quia mortale & immortale opponuntur, sicut mortale & non mortale. *Vel ergo*, inquiunt, *Angelorum natura ex se mortalis est, vel immortalis*, hoc est vel ex hoc in se realem potentiam habet, vt desinat esse, vel non habet. Si non habet; ergo ex se non mortalis est, ac proinde immortalis. Si habet; erit mortalis.

A. Doctor. Tertiò probant ratione ex principiis A. Doctoris p.p. sup. q. 25. a. 3. Vbi ait res possibiles ex se talis naturæ esse, vt à Deo produci possint. Ergo debent etiam esse talis naturæ ex se, vt à Deo destrui possint.

Quartò probari potest ex Argumentis super. Diffic. in Parte Negante; Quia scilicet natura Angelica subiicitur ex natura sua Deo, à quo potest destrui; Ergo per potentiam realem, & per reale principium corruptionis.

Caietanus. Alij verò negant esse huiusmodi realem potentiam. Vt Caietanus suprà q. 9. §. *ad horum euidentiam*; Vbi ait; Cùm dicitur creatura potest non esse, non significari esse creaturæ potentiam ad ipsum non esse, sed alterius esse potentiam, qua possit non esse; nempe Dei à quo redigi possit ad non esse. Vnde ait, non tam hanc affirmantem propositionem esse veram; nempe, *Creatura ex se non est*; quàm hanc negantem; nempe, *Creatura non ex se est*. Quemadmodum cùm dicitur; *Aër non ex se est illuminatus*. Itaque concludit, creaturam realiter posse non esse, non potentia reali, quæ in ipsa sit; sed in alio, qui possit ei conferre esse.

In creatura autem solùm esse quandam potentiam, quam vocant Logicam; quia scilicet illi non repugnat non esse; & hanc doctrinam ait A. Doctor. esse A. Doctoris libro secundo contra Gent. cap. 30. & 55. & quæst. 5. de Pot. a. 3. *Dicere autem*, sub-Caietanus. dit Caietanus *quod repugnat fidei, est summæ ignorantiæ, qualis moderno tempore regnare videtur apud quosdam Parisienses, qui præfatum S. Thomæ capitulum suspectum habent.*

Durandus. Eandem explicandi rationem prius docuit Durãdus in 1. d. 8. p. p. d. q. 3. n 4. vbi dicit, creaturam posse annihilari per potentiam quæ est in altero; nempe in Deo; hoc est *per subtractionem influentiæ ipsius*. Quia creatura potuit fieri ex nihilo per potentiam, quæ solùm est in Deo, non autem in creatura. Ergo pari ratione potest reduci in nihilum per potentiam, quæ sit in Deo. Non enim vt annihiletur requiritur *in creatura, vt sit potentia subiectiua ad annihilationem*.

Quòd si quæras, quid ergo est, creaturam esse potentiã, vt annihiletur? Respondet, nihil esse aliud, quàm posse *esse terminum à quo potentiæ diuinæ influentiam suam subtrahentis*. Quemadmodum posse creari *est posse esse terminum ad quem potentiæ diuinæ creantis*. Fatetur tamen Durandus, has non esse propriè mutationes, quibus id quod mutatur, nunc aliter se habet, quàm priùs: Quod non contingit neque in creatione, neque in annihilatione. Doctrinam de hac Angelorum mutabilitate, quantum facit ad rem nostram, se-Auctor concordiæ. Ferrariensis. quitur Auctor concordiæ A. Doctoris in concordia dubij 122. & Ferrariensis 2. contra Gent. cap. trigesimo, §. *Si quis autem*.

***

A

Non esse necesse cùm quid dicitur potens, in eo esse realem potentiam, & cur.

§. I.

AD solutionem Notandum est hanc difficultatem positam esse in eo, vt nimirum explicetur, quis sensus huius propositionis sit; *Res creata potest secundùm suam naturam ad nihilum redigi à Deo*. Nam hoc ipso aperte significari videtur aliqua potenB tia ex parte creaturæ, quæ ipsi annihilationi subiiciatur. Creatura enim ipsa est, quæ potest tendere ad nihilum. Ergo ex parte ipsius videtur esse potentia. Vt enim cùm dicimus; Homo potest ridere, ambulare, &c. significamus in homine esse potentiam ad ridendum, ad ambulandum &c. Ita cùm dicimus; Angelus potest annihilari; debemus significare potentiam in eo esse aliquam ad actum annihilationis. Quod contendunt recentiores, quos diximus.

Verumtamen si rectè is dicendi perpendatur modus, non est necesse denotetur aliqua realis potentia ex parte creaturæ. Etenim eodem prorsus modo dicitur, substantia hominis, lapidis, C & cætera, secundùm suam naturam potest creari à Deo, non tamen concedendum est in lapide esse potentiam, quæ ipsum creandi actum suscipiat. Alioqui cùm priùs sit subiectum, quàm ea quæ in ipso sunt, vt docet Aristoteles Aristoteles. libro 1. Physicor. context. 52. *Subiectum enim*, inquit, *principium & prius videtur esse prædicato*: hoc ipso in re creabili daretur aliquid reale, antequam ipsa tota rei substantia crearetur: quod creationem ipsam susciperet. Ergo priùs esset creatura, quàm esset creatio, quod omninò est impossibile.

Quod argumentandi genus adeò validũ Ari- Aristoteles. stoteli visum est, vt hoc solo probarit lib. 1. Phys. D cont. 82. materiam primam esse ingenerabilem. *Si enim fiat, subiici* inquit *aliquid oportet primum ex quo inexistente fiat. Quare erit antequã fiat*. Putat ergo si quid subiiciatur actioni, priùs esse subiectum ipsum, quàm sit actio quæ recipitur in ipso. Ergo materia sua actione priùs esset; atq; ita esset independẽter ab ipsa actione, acproinde per actionem non habet suum esse; quia esset antequam fieret, quod est impossibile.

Similiter negandum est, omne quod quouis modo dicitur potens, habere in se realem potentiam: Nam paries potest videri ab oculo; & tamen ad ipsum oculum non habet aliquam in se realem potentiam; sicut nec sensibile ad sen-E sum, nec intelligibile ad intellectum, vt expressè docet Aristoteles libro quinto Metaph. cont. Aristoteles. 20. vt infrà fusè dicetur. Ratio horum est, quam Aristoteles eodem contextu assignat, quia quædam sunt, quæ ad aliud respiciunt ac referuntur ea prorsus relatione, qua illud aliud ad ipsa refertur. Nam postquam dixit referri *scibile & intelligibile eo quod aliud ad illud dicitur*, reddit rationem ex definitione intelligibilis: *Nam intelligibile significat quod eius est intellectus*. Vult ergo intelligibile non aliter esse intelligibile, hoc est posse intelligi, nisi quia intellectus potest esse ad ipsum.

Ex qua doctrina sequitur, quædam esse quæ significan

significantur à nobis, quasi in ipsis sit potẽtia ad aliud; cùm tamen eam non habeant in sese, sed solùm ita denominentur ex aliqua alterius potentia, quæ sit ad illa ipsa. Vt intelligibile dicitur esse id quod potest intelligi solùm hoc ipso quòd hominis potentia intelligendi sit ad ipsũ. Sic etiam creabile est, circa quod potest esse omnipotentia Dei, quæ potest illam rem è nihilo creare.

Nec nouum est aliqua subesse nominibus relationem significantibus; quæ tamen non habeãt in se relationem, quæ scilicet in ipsis rebus significatis per ea nomina sit, sed tantùm habeant relationem quæ sit in alio quod ipsa respiciant. Nam Deus non dicitur creator (quod nomen relationem significat. Est enim creator qui condidit creaturas) nisi per relationes creaturarum ad ipsum. *Neque enim est inconueniens*, inquit A. Doctor suprà q. 13. a. 7. ad 4. *quod à relationibus realiter existentibus in re Deus denominetur.* Cuius doctrinæ rationem affert ex Aristotele ex libro illo Metaphys. loco citato. Eodem modo Deus dicitur Dominus vt ibi explicat in c. a. Et paries dicitur posse videri; Quantitas posse diuidi, &c. extrinsecùs; nimirum à potentia quæ est in alio.

A. Doctor. Aristoteles.

Et quamuis in huiusmodi denominationibus, vt loquar cum Logicis, inuoluatur aliqua relatio, quæ in ipsa re denominata formatur ab intellectu; Vt cùm dicitur Deus rerum Dominus, vt ibi explicat A. Doctor; tamen ad rem præsentem nihil facit, cùm nobis satis nunc sit, non esse necesse in re, quæ dicitur potens, insit potentia, cùm res possit extrinsecùs potentiâ alterius potens dici.

Angeli quia possunt deficere à suo esse, annihilabiles sunt, & suâ naturâ, non tamen per potentiam intrinsecam & quomodo. §. 2.

Hoc posito ad Difficultatem respondetur. Et sit

Prima Propositio. Angeli naturâ suâ annihilabiles à Deo sunt. Probatur hoc vnico argumento ex natura ipsa rei. Quia illud naturâ suâ est annihilabile à Deo, cuius natura intimè pendet à Deo liberè eam conseruante in esse: Sed Angeli natura intimè pendet à Deo liberè eam conseruante in esse: Ergo Angeli naturâ suâ sunt annihilabiles à Deo. Minor patet: quia natura Angeli adeò intimè in suo esse pẽdet à Deo conseruatore, vt non per aliud ab ipsa distinctum pendeat; sed suâmet conditione, atque entitate, vt ipsa substantia Petri, Pauli, lapidis, &c. Ergo intimè pendet non extrinsecùs. Quod verò pendeat à Deo liberè eam conseruante, probatum est superiore Difficultate Notando primo, & optimè etiam probatur ab A. Doctore infrà q. 104. a. 1. & deinceps. Maior patet, quia id, cuius natura intimè pendet à Deo liberè eam conseruante in esse, potest suâ naturâ non conseruari ab illo; atque ita desinere in nihilum. Non conseruari quidem: quia quod liberè fit, potest non fieri. Vt enim docet A. Doctor q. 5. de Pot. a. 4. c. *Voluntas Dei absolutè considerata*; hoc est non facta aliqua hypothesi, vt ibidem explicat, *ad opposita se in creaturis habet, eo quòd non magis ad vnum, quàm ad alterum obligatur*, & paulo pòst. *Voluntas diuina quantum est de se potest velle aliquid, & eius oppositum.* Ergo quod liberè fit, potest non fieri. Non enim aliter voluntas ad vtrumque oppositum potest nisi quia libera est. Vnde in 2. d. 39. q. 2. a. 1. c. distinguit voluntatem à natura, quod natura est determinata ad vnum; voluntas, quia libera, est ad opposita. *Voluntas*, inquit, *talis conditionis est, & rationis, vt non sit determinata ad vnum, quin in aliud flecti possit.* Et idcircò infrà q. 83. a. 1. liberum in homine esse iudicium: quia *iudicium rationis ad diuersa se habet, & non est determinatum ad vnum.* Idémque docet a. 2. & deinceps. Ergo si liberè Deus aliquid conseruat, potest velle non conseruare, quantum est ex se. de qua re suo loco plurima. Quòd verò possit in nihilum desinere patet: Quia potest ita tota illa entitas naturæ desinere, vt nec conuertatur in aliud ens, nec remaneat in materiæ potentia. Quod est in nihilum redigi, vt superiore Difficult. diximus in primo *Colligitur* ex A. Doctore infrà q. 104. a. 4. ad 3. Ergo illud potest naturâ suâ annihilari à Deo. Atque hæc certa sunt apud omnes.

A. Doctor. A. Doctor.

Secunda Propositio. Angeli non sunt naturâ suâ annihilabiles à Deo per potentiam naturæ congenitam. Hanc propositionem statuo directè aduersus auctores id affirmantes. Probatur propositio primò, quia est aperta sententia A. Doctoris infrà q. 104. & q. 5. de Pot. a. 3. c. & alibi sæpè.

A. Doctor.

Deinde probatur euertendo ipsorum fundamentum. Nam si hoc esset, ideò esset, propterea quòd esse annihilabile intimè conuenit eorum naturæ, vt ipsi docuerunt. At hoc non arguit inditam naturæ potentiam realem. Ergo, &c.

Minor patet dupliciter: Primò quidem ex dictis; quia naturæ cuicunque, quæ Deus non sit, intimè conuenit; vt possit à Deo è nihilo procreari; idque est ex parte naturæ, & non extrinsecùs aliqua re superaddita; & tamen vt suprà diximus, non arguit potentiã in ipsa creatura realem. Ergo etiamsi naturâ suâ sit annihilabilis Angelus, ex hoc non ostenditur potentia in ipso reatis. Secundò patet eadem Minor ratione à priori: Quia Angelum naturâ suâ esse annihilabilem, est ab ipso suo esse posse deficere, Dei cõseruantis voluntate: hoc autem non arguit potentiam realem in ipso. Sicut nec ex eo, quòd lumen possit non conseruari à Sole, arguit potentiam realem in ipso lumine; cùm satis sit si ab eo possit deficere conseruatrix Solis actio. Alioqui oporteret eadem ratione in quacunque forma esse potentiam patibilem, qua posset à suis conseruatricibus causis destitui. Vt formæ ignis indita esset potentia ad calorem & frigus secũdùm quam forma ignis potest non conseruari; & sic de cæteris. Quæ absurda omninò sunt: Quia poneretur potentia ad non esse; atque ita defectus rerúmque corruptiones non essent simpliciter contra naturam. Si quidem non cõtra propensionem formæ, sed ex eius patibili potentia, ac proinde ex inclinatione passiua, cùm tamen certum sit Aristotele teste libro 2. de cœlo cont. 37. *corruptionem seniorum, & omnem defectũ esse contra naturã particularem huius rei determinatæ per formam.* vt etiam dixi Diffic. 1.

Aristoteles.

Tertiò probatur propositio ratione à priori: quia in eo tantùm debet poni potentia realis passiua,

Aristoteles. passiua, in quo potest poni actus. Vt enim ait Aristoteles libro de somno & vigilia cap. 1. *Cuius est potentia eius est actus*; nempe tanquam eius, cui hæreat vtrumque. Hoc enim pronunciato ibi vsus est Aristoteles, vt ostendat sentire, non esse actionem solius siue corporis siue animæ sentientis propriam sed totius cōiuncti. Quia eiusdem est posse sentire, cuius est ipse sentiendi actus. Posse autem sentire est coniuncti.

Immò hoc ipsum ratione patet: quia *patiendi potentia*, vt ait Aristoteles libro 9. Met. cont. 2. *est quæ in ipso patiente principium est trāsmutationis passiuæ ab alio prout aliud.* Quia scilicet principium sit transmutandi ab alio. Ergo debet in se recipere ipsam transmutationem; hoc est, actum & formam, quæcunque illa sit, siue actus sit realis siue negatio. Ergo vera est hæc propositio. In eo debet poni potentia passiua, in quo poni potest eius actus. Sed actus qui est annihilatio, non potest poni in Angelo. Ergo neque potentia passiua ad annihilationem potest poni in Angelo.

Aristoteles.

Minor patet dupliciter: Primò, quia actus annihilationis ex parte Dei est actus Dei volentis destruere ipsum esse: Quem in Angelo poni non posse euidenter ex se patet, cùm sit ipse increatus actus diuinæ voluntatis. Ex parte verò rei est negatio totius esse rei: Negatio autem totius esse rei non potest poni in ipsa re. Quia licet negatio quidem formæ insit materiæ subiectæ, vt negatio ignis est in materia; non tamen aut esse aut intelligi poterit vnquā negatio materiæ esse in materia. Pugnantia enim essent simul: Negatio rei, nempe ipsum rei non esse: Et ipsum rei esse; quia simul esset materia, in qua esset negatio, & ipsa materiæ negatio; hoc est ipsum non esse materiæ. Quamobrem non esset verum illud generalissimum principium, de quo Aristoteles libro 4. Metaphys. cont. 8. ait. *Omnium autem certissimum principium est, circa quod impossibile est mentiri.* Nempe impossibile est aliquid simul esse & non esse.

Aristoteles.

Secundò, quia actus qui potest poni in sua potentia, non destruit, sed perficit ipsam potētiam, vt ostendit prima ratio nostræ propositionis in superiore Difficultate; & patet ex A. Doctore suprà q. 9. a. 2. vbi sic definit potentiam patibilem. *Dico autem potentiam passiuam, secundum quam aliquid assequi potest suam perfectionem vel in essendo, vel in consequendo finem.* Ex Aristotele idem apertè patet. Nam ideo *materia est potentia, quia progredi potest ad formam.* Ergo Aristoteli potentia patibilis nulla est, nisi in formam aliquam tendat, per quam actu fit id, ad quod erat potentia, vt ex eodem loco colligitur. Si ergo progreditur ad formam, per quam fit actu & perficitur, per formam non destruitur. Cùm ergo annihilatio destruat id, quod aduersarij dicunt potentiam Angeli ad annihilationem, falsum est esse in Angelo talem potentiam realem ad annihilationem.

A.Doctor.

Aristoteles.

Angelum posse annihilari per potentiam realem quæ est ad ipsum. §. 3.

TErtia Propositio. Angelus potest in nihilum redigi non per potentiam realem, quę sit in ipso, sed per potentiam realem, quæ sit ad ipsam Angelicam entitatem, ac substantiam. Patet pro-

A positio ex dictis: Nam posse cùm sit concretum ex potentia; si Angelus potest, aliqua potentia potest: Non autem potentia intima, quæ sit in ipso vt ostensum est. Ergo aliqua potentia quæ sit in altero; ergo quę sit in ipso potēte annihilare; quia alia non superest.

Et hæc est aperta doctrina A. Doctoris suprà q. 9. a. 2. Vbi ait, creaturas omnes esse mutabiles tum ad esse, tum ad non esse; nempe in nihilum. Quia *sicut in potentia creatoris fuit, vt res essent, antequam essent in seipsis; ita in potentia creatoris est, postquam sunt in seipsis vt non sint.* Ex quo concludit quod facit ad rem nostram. *Sic igitur per potentiam quæ est in altero, scilicet in Deo sunt mutabiles, in quantum ab ipso potuerunt ex nihilo produci in esse, & de esse possunt reduci in non esse.* Ergo potentia Dei extrinsecus est, per quam creatura denominatur posse creari, atque ad nihilum verti A. Doctoris sententiâ. A.Doctor.

B

Idem expressiùs patet in hoc art. 5. ad 3. vbi clarè docet ex eo quòd Angeli sunt annihilabiles à Deo, non idcircò in ipsis esse corruptionis principium. Quemadmodum quia in rebus materialib. compositis est corruptionis principiū; nempe materia, ideò ipsæ sunt corruptibiles; sed alio modo, vt ipse his verbis subdit, *Sed quod esse Angeli dependet à Deo tanquam a causa,* ac proinde vt ipse statim declarat. *Per hoc quòd Deus possit in non esse redigere.* Eundem explicandi modum secutus est q. 5. de Pot. a. 3. c. Vbi expressè docet, creaturas non esse annihilabiles per potentiam quæ in ipsis sit, sed per potentiam quæ sit in Deo, secundùm quam antequam mundus esset creari poterant. *Sicut antequam mundus fieret, possibile fuit mundum fieri; non per potentiam creaturæ quæ nulla erat; sed solùm per potentiam Dei, qui mundum in esse producere poterat.* & infrà q. 104. a. 1. ad 1. Sunt ergo annihilabiles potentia, quæ sit in Deo, siue virtute omnipotentis.

C

Angelos esse annihilabiles, quia possunt esse veluti terminus à quo voluntatis Dei nolentis ipsos conseruare, & quo modo. §. 4.

D

AT dicet aliquis. Si sunt Angeli annihilabiles solùm Dei potentia; ergo solùm sunt extrinsecùs annihilabiles; Nimirum potentia, quæ est in alio; non autem ex intimis naturæ principiis. Hoc autem videtur absurdum, & contra fidem Catholicam. Nam hoc ipso quòd creatura est, deficere potest in nihilum ipsa per sese. Vnde A. Doctor infrà q. 104. a. 3. ad 1. ait, *Deum non posse esse causam tendendi in non esse, sed hoc habere creaturam ex seipsa, in quantum est de nihilo.* Immo est contra ea quæ diximus suprà Propositione Prima. Nam diximus, natura suâ esse annihilabiles. A.Doctor.

E

Respondeo aliud esse, annihilabiles esse ex natura sua; aliud verò annihilabiles potentia ipsis inhærente atque intima. Nam vt sint annihilabiles ex natura sua, atque ex internis principiis, satis est vt ex se sint talis natura, vt nullo alio superaddito possint esse terminus veluti à quo voluntatis Dei nolentis ampliùs conseruare ipsam rem, nimirum qua voluntate Deus velit eas transire ab esse ad non esse, vt ita ipsarum esse

esse sit quasi terminus à quo: non esse autem sit terminus ad quem illius voluntatis; vt si Deus vellet annihilare materiam primam, voluntas illa vellet non esse materiam. Quod etiam potest clariùs explicari; nempe ita vt quæcunque res sint annihilabiles ex sua natura, quia sint talis naturæ, vt circa illatum esse, versari possit diuinæ voluntatis actus per modum fugæ & nolitionis; si nimirum nolit esse ipsius materiæ, velitque non esse. In omni enim actu fugæ, vt ostendi 1.2.q.8.a.1. concipitur recessus ab aliquo termino, & accessus ad oppositum; Vt si nolimus vitam, sit recessus à vita, & accessus ad negationem illius. Implicat enim, vt mox dicam, intelligi recessum ab vno termino, quin simul intelligatur accessus ad oppositum; Et hoc pacto concedimus vltrò, esse annihilabile, conuenire creaturis.

At verò annihilabiles esse potentiâ ipsis intimâ, est per potentiam annihilationis susceptricem posse deficere: quod negatum est à nobis. Negatur ergo consequentia argumento. Nam dicimus esse annihilabiles ex sua natura, & ex intimis creaturæ principiis, hoc ipso quòd possunt esse termini veluti à quo voluntatis Dei modo iam dicto, etiamsi non habeant prædictam potentiam.

Dico autem veluti terminus à quo. Nam sicut voluntatis actus non est propriè motus; ita nec habet propriè terminos a quo & ad quem; sed dico esse veluti terminum à quo: Quia actus quo nolumus aliquid est per modum fugæ. Ita vt ex parte obiecti assignandus sit veluti terminus à quo sit fuga; & terminus ad quem fugiat, accedatque. Vt, cùm nolumus diuitias; ipsæ diuitiæ sint terminus à quo recedit voluntas, & ipsum non esse diuitiarum sit terminus ad quem accedat, vt fusiùs diximus a. illo 1. cit. Vbi etiam disparitatem diximus, cur duplicem hunc terminum non exigamus in actu voluntatis prosequentis obiectum. Dico ergo ad propositum. Si Deus nollet ampliùs Angelum esse, huius actus nolendi terminus à quo esset esse Angelicum; Terminus verò ad quem ipsum non esse Angelicum.

At inquies si creaturam posse annihilari est posse esse terminum; ergo in ea erit potentia, qua possit esse terminus; Ergo concedimus quod negamus. Respondeo, posse esse terminum alicuius actus, non significare aliquam potentiam in eo quod potest esse terminus, sicut suprà ex [Aristoteles.] Aristotele libro 5. Metaphys. cont. 20. diximus *Scibile & intelligibile*; Quæ sunt illud quod sciri & intelligi potest; non ideo posse sciri & intelligi, quia in ipsis sit potentia; sed quia alterius potentia sit ad ipsa; nempe scientia & intellectus. Itaque sicut aliquid potest sciri, quia circa illud potest esse scientia; ita aliquid potest esse terminus alicuius actus, quia circa illud potest esse ipse actus tanquam circa terminum, vt dictum est.

Quod si quis adhuc contendat, creaturam posse esse terminum significare potētiam in ipsa re, vt sit terminus actus vltra illam potentiam [Aristoteles.] quam diximus, tum ei dicendum esset cum Aristotele libro 9. Metaphys. cont. 2. Si qua potentia ex modo significandi denotaretur in ipsa re ad eam dici similitudine quadam nomine potentiæ. *Vt in Geometria* inquit *possibilia & impossibilia dicimus, eo quòd quodammodo sint aut non* [A] *sint*. Itaque dicerem illud *posse* significare potentiam ex modo nostro intelligendi; cùm tamen verè non sit aliud, quàm id circa quod potest esse actus.

Ex his Propositionibus ita probatis Colligitur primò, quid sit id ex parte creaturæ, ratione cuius ipsa potest esse terminus diuini actus annihilantis. Dico enim esse ipsam naturam pendentem à libera Dei conseruantis voluntate. Nam ex eo quòd est terminus liberæ conseruationis, potest etiam esse terminus liberæ euersionis. Quia libera voluntas potest esse ad opposita, vt diximus ex A. Doctore, & patet ex Aristotele libro 9. Metaphys. cont. 3. Vbi ait sic. *Potentia cum ratione omnes eædem contrariorum sunt; irrationales verò vna vnius*: Quod ferè ad ver- [B] bum repetit eodem libro cont. 10. vbi inter vtrasque potentias, nempe necessarias & liberas idem discrimen assignat. *Hæ enim* inquit *omnes*, nempe irrationales ac necessariæ, *vna vnius factiuæ; illæ verò* rationales scilicet ac liberæ, *contrariorum*. Constat autem Dei voluntatem circa creaturarum esse vel non esse, liberam non necessariam esse. [A. Doctor. Aristoteles.]

Colligitur secundò, Vtrùm rectè in omnibus senserit Durandus, quæ suprà retulimus ex illo. [Durandus.] Quantum enim attinet ad id, quod ait de annihilatione creaturæ à potentia Dei, quæ est in ipso, rectè sentit, vt probatum est. Falsum autem est id, quod ait; nempe posse annihilari [C] esse, *posse esse terminum potentiæ diuinæ suam influentiam subtrahentis*. Nam cùm est terminus à quo, debet etiam esse terminus ad quem, cùm hi reciprocentur. Quia omnis recessus ab vno termino est accessus ad alium oppositum; & contrà. Ratio huius est: quia si est aut accessus aut recessus, hoc ipso est aliquis transitus. Omnis autem transitus intelligi debet necessariò ex vno in alium oppositum terminum, vt probatum est libro 1. Physic. Si ergo diuina influentia, vt ipse ait, subtrahitur, & recedit à creatura, explicandum superesset, quisnam est terminus ad quem illa accedat influentia: Quod explicari nullo pacto potest, quia cum terminus à quo est esse rei, [D] terminus ad quem erit ipsum non esse. At Dei conseruatrix influentia & actio nec potest esse nec intelligi in non esse tanquam in terminum; quia non esse non potest intelligi conseruari actione Dei reali. Præterquam quòd non satis declaratur à Durando quid sit, rem posse esse [Durandus.] terminum à quo annihilationis, vt aptè à nobis declaratum videtur. Sicut nec quid sit rem esse terminum creationis. Quod tamen ex dictis nostris colligitur; nimirum esse tale, quod potest esse terminus voluntatis Dei, volentis illam rem esse extra causas ab eius non esse.

Colligitur tertiò negandum esse, illos vete- [E] res auctores, quos citauimus initio difficultatis, ex eo quòd dicunt creaturam sua natura esse mutabilem etiam secundùm substantiam; asserere quoque debere, eam habere potentiam realem ad annihilationem, vt volebant illi recentiores. Negandum autem est; quia illis satis est vt creatura sit mutabilis etiam ad non esse ex sua natura, si sit talis entitas pendens à libera voluntate; & quæ possit esse ex se terminus à quo voluntatis Dei nolentis ampliùs eam esse, vt explicatum est.

Licèt

Licèt corruptibilia habeant potentiam vt non sint, tamen creaturas non habere realem potentiam vt sint nihil, & quo pacto Angeli immortales & mortales simul dici queant. §. 5.

Aristoteles. Colligitur Quartò, huic nostræ doctrinæ non aduersari Aristotelem libro 1. de cœlo cont. 120. cùm ait, id quod corruptibile est *principium habere vt non sit*. Id enim verum est de eo; nempe quod est proprie corruptibile, de quo ibi disputabat Aristoteles, nimirum de corporibus, quibus corrumpendis inest materia contrariis affecta, quæ est principium corruptionis. Vnde eodem libro cont. 20. negat cœlum esse corruptibile, quia quod corrumpitur *in subiecto & à contrario & in contrarium* corrumpitur. Ergo sermo est de his, quæ materiam habent contrariis affectam. Et præterea quia generabile & corruptibile Aristoteli reciprocantur, vt apertè patet ex libro 1. cœli cont. 127. & 129. & sæpe ibidem. *Generabile enim & corruptibile sequuntur se inuicem.* Aristoteles.

Aristoteles. At generabile non est Aristoteli nisi compositum propriè, vt patet ex libro 1. Physic. cont. 64. vbi postquam longa disputatione de principiis disseruit, concludit sic. *Quare manifestum est ex dictis, quod omne quod fit semper compositum est.* Quare apertissimè libro 9. Metaphys. cont. 17. cùm quoddam corruptibile dixisset esse secundùm quantum, aliud secundùm quale &c. Subdidit; *simpliciter vero quod secundùm substantiam.* At nostra difficultas est de eo, quod est annihilabile, cuius nullum necesse est sit principium corruptionis, vt rectè obseruauit A. Doctor in hoc a. 5. ad 3. & aliis locis citatis.

Caietanus. Colligitur Quintò, Vtrùm Caietanus rectè senserit in explicanda potentia creaturarum ad non esse. Id enim negandum est: Nam primò creaturæ debent posse desinere per realem potentiam, quæ sit in altero. Ergo non requiritur potentia Logica, nempe posse per non repugnãtiam. Quia satis est, vt ex se sint talis naturæ, vt circa illas possit voluntas Dei destruentis versari, tanquam circa terminum eius actus, vt explicatum est.

Secundò, quia aliud est, aliquid esse sua natura tale, aliud verò esse tale per non repugnantiam. Vt ex. gr. lapidi non repugnat esse sursum, tamen natura sua non habet, vt conueniat illi esse sursum. Sancti autem Patres & nostra propositio Prima cogunt nos dicere, creaturas sua natura esse annihilabiles; Ergo non solum per non repugnantiam.

Denique quia A. Doctor satis putauit esse, eas ad nihilum redigi posse natura sua potentia alterius: Quod optimè explicari potest sine illa non repugnantia, vt hactenus explicauimus. Non est ergo quod superuacaneis rationibus, quæ difficilia cognitu sunt, obscuriora reddamus.

Colligitur Sextò, Vtrùm Angeli dici possint naturâ suâ mortales atque immortales. Vtrumque enim concedendum est diuersam ob rationem. Nam naturâ suâ comparatè ad causas creatas, siue etiam ad potentiam Dei res disponentis congruenter ad earum naturas, incorruptibiles

A atque immortales sunt. At verò comparatè ad voluntatem Dei potentis eas nolle ampliùs esse; naturâ suâ mortales sunt, & deficientes, vt dictum est.

Quòd si quæras an simpliciter, hoc est sine additamento dici possint incorruptibiles Angeli atque immortales; Respondeo affirmandum esse. Quia cùm simpliciter loquimur, comparatè solet intelligi ad Dei potentiam ordinariam, & ad rerum creatarum dispositionem: Quo pacto cœlum dicitur simpliciter à Peripateticis incorruptibile & immortale. Sic Aristoteles libro 1. cœli cont. 20. *Rationabile* inquit *est existimare de ipso & quod ingenerabile, & incorruptibile & inmateriale, & inalterabile sit.* & cùm à cont. 115. ostendit, B nullum æternum posse esse corruptibile, simpliciter loquitur in sensu iam dicto. Eodem modo libro 2. cœli cont. 1. & libro 3. cœli etiam 1. & sæpè alibi idem expressis verbis significauit. Aristoteles.

Colligitur vltimò quid sit dicendum si quis quærat, vnde habent res vt sint talis naturæ, vt circa illas possit Dei voluntas versari, vel prosequendo ipsarum esse, vel ab ipso eodem esse recedendo. Respondeo enim, vt Dei voluntas ipsorum esse prosequi possit creatione; habere ex eo, quòd creaturæ prædicatum congruit subiecto, quod nos tanquam notiore dicto à signo explicamus per non repugnantiam; vt A. Doctor A. Doctor. C p. p. q. 25. a. 3. c. dixit illud esse possibile diuinæ omnipotentiæ, *cuius prædicatum non repugnat subiecto vt Sortem sedere.* Dixi tanquam à signo, quia affirmatio est negatione prior, vt docet Aristoteles libro 2. de cœlo cont. 18. Nam vt ait A. Doctor 2. 2. q. 122. a. 2. ad 1. & lect. 8. in librum Periherm. initio affirmatio significat compositionem priorem diuisione. Prius enim de re aliquid affirmamus; vnde negatio exoriri possit. Id quod expressit Aristoteles libro 1. Poster. cont. 40. aliàs 174. Propositio *affirmatiua* inquit *negatiua prior & notior. Per affirmatiuam enim negatiua est nota; sicut esse prius est non esse.* Vnde verò res Aristoteles. habeant, vt sint talis naturæ annihilabiles, dico D ex intima natura, quæ à liberâ voluntate Dei conseruantis pendet, vt suprà dixi.

Quòd autem ita pendeant, est ex eo, quòd prædicatum tale congruit tali subiecto, vnde habent, vt possint esse terminus ad quem creationis ex nihilo. Ex eo autem quòd sunt talis naturæ, quas ex nihilo liberè creauerit Deus, oritur vt liberè eas quoque Deus conseruet, ac proinde possint ab ea conseruatione deficere, eo quòd possint esse terminus diuinæ voluntatis ab ipsorum esse fugientis; Et idcircò A. Doctor infrà A. Doctor. q. 104. a. 3. ad 1. docet, *creaturam ex se ipsa* tendere in nihilum, *in quantum est de nihilo.*

Notandum tamen hic est cùm dicimus, creaturas in se esse talis naturæ, vt Deus illas possit vel creare, vel destruere, non debere perinde E accipi ac si concedatur, creaturas ipsas re ipsa esse, antequam creatione suum à Deo esse accipiant. Nam hoc pacto à Deo independenter essent in rerum natura. Quod enim est, & à Deo in esse dependet; per creationem esse cœpit, vt ostendit A. Doctor quæst. 44. art. 1. Et ideò dicitur: *In principio creauit Deus cælum & terram*, Ge- A. Doctor. Gen. 1. nes. 1. Sed intelligendum est, creaturas esse talis naturæ in se in esse repræsentato seu in esse obiecti, cùm in intellectu diuino repræsentantur naturæ leonis, hominis, cerui &c. Illæ enim naturæ sunt tales, vt nostro intelligendi

modo prædicatum; nempe *esse* extra causas congruat subiecto, vt homo & esse à parte rei ita congruunt, vt copulari possint; Quod cognoscimus à signo, quia nulla est terminorum repugnantia, vt diximus.

Dico autem in esse repræsentato per intellectum diuinum, quia secundùm hoc esse creaturæ proponuntur ipsi Deo procreandæ; Et secundùm hoc esse fieri possunt propositiones sempiternæ veritatis. *Etenim secundùm hoc esse* inquit A. Doctor suprà q. 10. a. 3. ad 3. *vera & necessaria sunt æterna, quia sunt in intellectu æterno, qui est intellectus diuinus solus.* Sed de hoc alibi. A. Doctor.

Satisfit argumentis aduersantibus, meliusque explicatur doctrina iam tradita. § 6.

EX his respondetur ad argumenta recentiorum. Ad primum enim dixi, in Tertio *Colligitur.* Ad secundum dico, rectè sanctos Patres dicere, Angelos esse immortales ex Dei gratia: quia immortales intelligunt impeccabiles; quod est ex Gratia: vel immortales, ita vt nunquam desituri sint; quam etiam immortalitatem habent ex Gratia; nimirum ex liberali dono Dei, etiamsi sit connaturale rebus, vt diximus Difficultate prima. Neque ex illis est qui dicat, nullo modo ex natura sua ipsos esse immortales; quia hoc falsum esset, nam connaturalis est illis immortalitas, vt suprà dixi Difficult. 1. Immò etiam dato quòd quis negaret Angelos esse immortales ex sua natura, id omninò intelligi oporteret, vt non sint immortales ex sua natura, hoc est ex necessitate naturæ, quemadmodum Deus: Nunquam tamen dicerent, eos non esse immortales ex sua natura; hoc est congruenter ipsorum naturis non conuenire illis immortalitatem; Quia scilicet in se nullum habent principium tendendi vel ex se, vel ex creatis causis ad non esse. Opposito autem modo rebus compositis ex materia affecta contrariis, conuenit esse mortales.

Ex his autem non rectè infertur debere habere potentiam physicam ad interitum; quam impossibilem esse ostendimus.

Ad improbationem autem, qua responsionem illam confutant, dico; non probari à nobis illud Caietani dictum; nimirum esse mortales per potentiam Logicam, vt diximus; Sed solùm ex omnipotenti voluntate conseruantis. Quod vltra locos suprà citatos planissimè scripsit A. Doctor infrà quæstione 104. a. 1. ad 1. Vbi ait: *Quoniam esse per se consequitur formam creaturæ supposito influxu Dei, sicut lumen sequitur diaphanum aëris supposito influxu Solis,* infert; *Vnde potentia ad non esse in spiritualibus creaturis magis*; id est potiùs, *est in Deo qui potest subtrahere suum influxum, quam in forma,* &c. Vnde suprà quæstione quadragesimasexta, a. 1 ad 1. docet, antequam Mundus esset fuisse possibilem, *non quidem secundum potentiam passiuam, quæ est materia, sed secundum potentiam actiuam Dei.* Et quamuis addat fuisse etiam possibilem *secundum habitudinem terminorum, qui sibi non repugnant:* Tamen id tradit tanquam à signo, & à posteriori, & nostro modo intelligẽdi; non quòd Caietanus. A. Doctor.

A aliquid sit in re; vt explicatum est. Atque ita impugnatio in nos non habet locum. Quamquam, vt dixi, Patres non dicunt; Angelos nullo modo esse immortales naturâ suâ. Et, si hoc dicerent, intelligendi essent ex necessitate naturæ, vt diximus.

Ad illud aliud dico; non habere reale principium, vt desinant esse, distinctum ab ipsa natura; sed ipsammet naturam esse principium in hoc sensu, quia ex se potest esse terminus à quo voluntatis Dei annihilantis, vt diximus; non tamen propriè est principium; nempe patibile. Quia principium patibile seu passiuum est quod potest aliquid recipere ab actiuo. Pati enim est vel B à contrario, vel à perficiente. Ideò Aristoteles libro secundo de Anima cont. 57. duplicèm facit passionem. Vt *alia sit quædam corruptio à contrario: alia verò salus magis eius quod est potentiâ ab eo quod est actu,* &c. vt patiuntur organa sentientium facultatum. Semper ergo patibile potest suscipere aliquid ab actiuo. At substantia Angeli propriè non potest suscipere annihilationem, vt dictum est. Aristoteles.

Quod si nomine principij, intelligant terminum à quo; qua ratione priuatio numeratur vnũ ex tribus principiis mutationis à Philosophis 1. lib. Physic. esto sit principium, modò explicetur vt sit veluti terminus à quo ex parte obiecti di- C uinæ voluntatis, vt suprà docuimus. Quanquam non nego posse dici veluti terminum à quo annihilationis, cùm annihilatio sit ab alicuius toto esse ad nihilum illius.

Ad Tertium ex A. Doctore concedo paritatem: Nam ipsæ naturæ reales ex se vtrumque habent comparatè ad omnipotentem Dei voluntatem; vt scilicet sint talis naturæ, quæ possint esse terminus diuinæ voluntatis creantis & prosequentis ipsarum esse; & vt possint esse terminus à quo eiusdem diuinæ voluntatis ab ipsorum esse fugientis, vt dictum est; quod tamen non arguit potentiam realem. Immò retorqueri potest D argumentum in ipsum sagittarium: Quia sicut ex eo, quòd sunt tales reales naturæ, quæ terminus creationis esse possunt, non requiritur potentia susceptrix creationis; Ita nec exigenda est potentia, vt in nihilum conuertantur, vt dictum est. A. Doctor.

Quod verò dicunt; creaturæ conuenire esse mortale, vel immortale, verum est: Quia ab vtroque creatura abstracta non potest dari. Et verum est eas, quæ carent principio corruptionis Physico esse immortales naturâ suâ; hoc est connaturali modo: Quod conuenit Angelis. Sed hinc nihil deduci in nos potest.

Ad vtrumque argumentum superioris Difficultatis dico, Creaturas esse Deo subiectas ex se E in hoc sensu; Quia nutu Dei mouentur in omnia; Et, quia Deo subiiciantur in eo, quod possunt esse terminus à quo voluntatis destruentis, & terminus ad quem voluntatis procreantis, idque ex sua natura, sed non potentia aliqua reali, vt ostensum est. Nec enim id habent per reale principium corruptionis: nisi per principium reale intelligant rationem termini à quo, aut ad quem diuinæ voluntatis vel prosequentis esse, vel ab eodem recedentis.

***

VLTI

VLTIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm veterum Philoſophorum ſententia Dæmones, hoc eſt, Angeli, ſint incorruptibiles, & quomodo.

EX Philoſophis vix quicquam peculiare & expreſſum, quo præſens controuerſia agitetur, promi poteſt. Nam ſi pauca quædam ex Platone atque Ariſtotele excipias de Angelorum immortalitate, nihil expreſſum ferè ſupereſt, quo ſpeciatim eorum immortalitas poſſit oſtendi, tamen quia ex eorum dictis atque pronunciatis ea ſatis colligi poteſt, ideò ad Difficultatem reſpondetur, & ſit

Vnica Propoſitio. Ethnicorum Philoſophorum notio de Angelis non eſt ſine immortalitate: Aut certè nihil ex iiſdem afferri poteſt, quod immortalitati contradicat. Adiicio hanc noſtræ propoſitionis contractionem: quia ſi fortè nihil explicatè memoriæ mandarũt hi Philoſophi, quod Propoſitioni faueat: ſaltem exploratum ſit, eos noſtræ ſententiæ non eſſe aduerſarios. Nobis certè ſatis erit, ſi hac in controuerſia aperta ferè omnium conſenſio in eorum immortalitatem ſit, nulluſque diſſideat. Nihil autem dico de illis; Qui, vt retuli art. 1. Quæſito tertio, Difficultate ſecunda, dixerunt poſt tot millia annorum dæmones occumbere: Id enim fabuloſum eſt, & philoſopho non dignum.

Omnis ſubſtantia cui diuinitas adſcribitur immortalis eſſe debet. §. 1.

PRobatur autē Propoſitio. Nam primò veteres ethnici; Philoſophi omnes hos Angelos ac Dæmones, qui ipſis erant dij minores, immortalitate donabant. Quod patet ex omnibus illis Patribus qui hoc ipſo nomine Philoſophos ethnicos redarguerunt. *Dis ergo,* inquit Lactantius lib. 1. Diu. Inſtit. cap. 8. *ſi ſunt immortales, quid opus eſt altero ſexu?* &c. Idem præſtat Minutius Felix in Octauio, Arnobius ſæpe aduerſus Gentes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Auguſtinus & alij paſſim, quos conſultò tamquã de re notiſſima prætereo. (Lactantius. Min. Felix. Arnobius. Tertullian. Clem. Alex. Cyprianus. S. Auguſt.)

Deinde probatur noſtra propoſitio hoc vnico argumento generatim: quia hoc inſitum naturæ intelligenti eſt apud omnes gentes, vt quibus diuinitatem aliquam aſcribebant, eorum notio nõ eſſet ſine immortalitate. Sed omnes ethnici Philoſophi aliquam diuinitatem Angelis ſeu dæmonibus aſcribebant. Ergo ethnicorum notio de Angelis non eſt ſine immortalitate.

Maior probatur: Nam omnes arbitrantur, diuinitatem eſſe quæ mori neſciat, & immortalitate fruatur; Quod mirè docuit Ariſtoteles libro 1. de cœlo cont. 22. vbi *Omnes,* inquit, *homines de Diis habent exiſtimationem, & omnes eum qui ſurſum eſt locum Deo tribuunt & Barbari & Græci, quicunque putant eſſe, tanquam videlicet immortali immortale* (Ariſtoteles.)

A *coaptatum ſit. Impoſſibile enim aliter:* Ergo omnes homines diuinitatem immortaliter viuere ſentiunt, tanquam de ipſa notionem impreſſam habeant. Quò etiam ſpectat quod ait Ariſtoteles libro 12. Metaphyſices, context. 39. *Deum dicimus ſempiternum optimúmque.* Adeò vt non aliter Dei operationem definierit quàm ex immortalitate libro 2. cœli cont. 17. *Dei,* inquit, *operatio immortalitas eſt.* (Ariſtoteles.)

Non abſimilis locus eſt ex libro 10. Ethicor. cap. 7. verſus finem. Vbi cùm dixiſſet Ariſtoteles, intellectum eſſe *diuinum quid,* ac proinde *vitam, quæ ex intellectu traducitur, diuinam etiam ipſam eſſe:* ſubiungit; non oportere hominem etiamſi mortalis ſit cogitare mortalia, ſed quoad licet *im-* B *mortalem ſe reddere ex præſtantiſſimo quod in ipſo eſt;* nempe intellectu, quem vocauerat diuinum. Quibus verbis apparet; immortalitatem aſcribere diuinitati. Quippe ait conandum eſſe, vt ex eo quod in nobis diuinum eſt, immortales nos reddamus. Quaſi autumet, hanc immortalitatem veluti conſequentem paſſionem eſſe diuini. (Ariſtoteles.)

Huc quoque ſpectat, quod infert Ariſtoteles libro 1. de Partibus Animalium cap. 5. initio; vbi cum dixiſſet ſubſtantias partim ſæculis omnibus ingenitas, immortaleſque eſſe, partim verè eſſe ortus interitúſque participes, ſubdidit: *Sed partem illam æternam ac proinde, nobilem ac diuinam* C *minus contemplari poſſumus,* &c. Illa ergo particula quæ eſt nota illationis, vt cum Logicis loquamur, eſt à proprietate ad naturam; non autem à cauſa ad effectum. Certum enim eſt æternitatem eſſe diuinitate poſteriorem quoad noſtrum intelligendi modum, non priorem. Significauit ergo Ariſtoteles, cùm dixit partem illam æternam, *ac proinde* diuinam, &c. rectè ex rei æternitate poſſe inferri eiuſdem diuinitatem aliquam tanquam à ſigno; eo quòd Ariſtoteli æternitas non comitetur niſi quæ ſunt aliquo modo diuina. Sicut cùm dicimus, ſi naturam riſibilem nouimus; Ergo humanam. (Ariſtoteles. Ariſtoteles.)

Atque hinc rectè Cicero libro ſecundo de D Natura Deorum docuit eos qui ob eximia beneficia, vt veteres falsò putabant diuinitate donabantur, communi conſuetudine ritè appellatos eſſe Deos, quòd æternitate frui exiſtimarentur. *Suſcepit autem,* inquit, *vita hominum, & conſuetudo communis, vt beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, Caſtor & Pollux; Hinc Æſculapius; Hinc Liber.* Et paucis pòſt. *Item hinc etiam Romulum, quem quidam eſſe Quirinum putant, quorum cùm remanerent animi, atque æternitate fruerentur, Dij ritè ſunt habiti, cùm optimi eſſent & æterni.* (Cicero.)

Ad quod etiam reſpexit Homerus, quem lau- E dat Ariſtoteles libro ſeptimo Ethicor. capite primo dum ex illo Priamum de Hectore dicentem inducit; (Homerus. Ariſtoteles.)

> *—Non hominis mortalis filius ille*
> *Eſſe videbatur, ſed magna è ſtirpe Deorum.*

Quibus verbis mortales Diis opponit; quaſi propriam Deorum immortalitatem arbitraretur.

Plato etiam in Timæo Deos nomine immortalium appellat, quaſi vnum idémque ſit. Loquens enim de homine ſic ait: *Vt cum immortalibus appellatione conueniat, diuinúmque vocetur.* Quod etiam apud Ouidium libro quarto Metamorphoſeos animaduerti poteſt; cùm dicat eos (Plato. Ouidius.)

A

quos nouos & aſcriptitios ciues in cœlum recipi credebant, primùm exuere mortalitatem.

——— ——— abſtulit illis
Quod mortale fuit, maieſtatémque verendam
Impoſuit, noménque ſimul faciémque nouauit.

Eodem modo Ceres libro 4. Faſtorum volens Triptolemo diuinitatem conferre, mortalia illum exuere iubet, atque igne purgari.

Inque focos corpus pueri feruente fauilla
Obruit humanum purget vt ignis onus.

S. Cyprian.

Nec aliter, vt eſt apud S. Cyprianum libro de Idolorum vanitate Æſculapius atque Hercules in Deos relatus eſt. *Aeſculapius*, inquit, *vt in Deum reſurgat fulminatur: Hercules vt hominē exuat Oeteis ignibus concrematur*, &c. Quæ eadem verba reperiuntur in Minutij Felicis Octauio.

B

Min. Felix. Arnobius. Plutarchus.

Arnobius etiam ſcribit libro 4. de Hercule ex Plutarcho; ipſum poſt comitialis morbi ruinas in cinerem diſſolutum diuinitatem eſſe conſecutum. Itaque vt in Deos aliquem referret Antiquitas, prius eum mortalitate ſpoliabat; Quaſi mortalitatem cum diuinis attributis ſtare nullo modo poſſe arbitraretur. De qua re, Quomodo ſcilicet putarentur huiuſmodi homines exuere quod mortale erat, lege Herodianum deſcribentem Septimij Seueri apotheoſim libro 4. initio; Ciceronem in ſomnium Scipionis; Lucanum libro 9. in principio; Tertullianum in Apologetico cap. 34. in fine, vbi vide Pamelij annotationes. Conſtat ergo Deorum notionem non fuiſſe Ethnicis Philoſophis ſine immortalitate: Quæ erat probanda Maior.

Herodian. Cicero. Lucanus. Tertullian. Pamelius

C

Minor autem; nimirum ethnicos philoſophos aliquam diuinitatem Angelis ſeu Dæmonibus aſcripſiſſe probatur. Nam primò ſapientū ethnicorum antiquiſſimus Triſmegiſtus in Pimandro cap. 9. poſtquam dixit homines quoque effingere Deos in tēplis; nempe ſtatuas & ſimulachra euocatione dæmonum ex inferis, vt retuli ſuprà a. 1. Quæſit. 1. Difficult. 2. iis tanquam Diis ſacrificari iubet. Ob quā rem meritò miratur S. Auguſtinus libro 8. de Ciu. Dei cap. 23. *Quomodo illa obſcuratione cordis ad iſta delabitur, vt Diis quos conſitetur ab hominibus fieri ſemper velit homines ſubdi, & hæc futuro tempore plangat auferri.* Sic etiam Orpheus Angelos tanquam Deos implorat. *Dæmonáque implo o ſanctum.* Vt dixi eodem loco; vbi etiam retuli Homerum, Thaletem Mileſium & innumeros alios ſentiētes, dæmones aliquo modo inter Deos collocari.

Triſmegiſtus. S. Auguſt.

D

Orpheus. Homerus. Thales Mileſius.

Heſiodus.

Et quamuis Heſiodus eos videatur collocare infra Deos, vt ibi docuimus; tamen id intelligit, vt ſint infra Deos maximos, intérque Deos minores. Nam exiſtimauit eſſe ſupra Heroas, quos inter Deos minores, & Semideos numerauit dicens, vt eſt apud Ludouicum Viues in libro 10. de Ciu. cap. 21.

Lud. Viues.

E

Diuinum genus, Heroum cognomine dicti
Semidei. ———

Plato. Varro. Lud. Viues. S. Auguſt.

Idémque ex Platone commemorat ibidem Viues. Quos etiam heroas Varro reponit inter infimos Deos eodem Ludouico teſte lib. 2. de Ciu. Dei cap. 14. Licet S. Auguſtinus eodem c. 14. Semideos anteponi heroibus, ex Labeone tradat. Tamen ille idem Labeo *vtroſque inter numina collocat.* Idem repetit Auguſtinus libro 8. cap. 14.

Plato.

Sanè Plato tres Deorum ordines facit; Deos, Dæmones, & heroas lib. 4. de legibus, & in Epinomide, vt notaui loco citato. Sed de hac re fuſius diſputatum eſt à nobis ſuprà a. 1.

Ariſtoteles. Heraclitus.

Idem conſtat ex Ariſtotele; qui, vt oſtendi eadem Difficult. 2. non diſſentit ab Heraclito in eo quod dicebat, *omnia eſſe plena Diis.* Quos Deos diximus eſſe Lares, Genios, Lemures & cæteros dæmones. Similiter & Intelligentias cœli motrices iure ab Antiquis vocari Deos dixit libro 12. Metaphyſ. cont. 50. Ariſtoteles: *Quod Deos arbitrabantur primas ſubſtantias eſſe diuinè profectò dictum*, &c. Cōſtat ergo, omnes Philoſophos ethnicos tribuiſſe Angelis aliquam diuinitatem ſaltem aſcititiam, atque immortalitatem. Verùm quòd Ariſtoteles omnes ſeparatas ſubſtantias immortales poſuerit, nemini dubium eſſe poteſt, ſi ea quæ ſcripſimus ſuprà a. 1. Quæſi. 2. Difficult. 1. recolantur; vbi intelligentias æternas atque immortales abiunctas à materia ex æterno motu arbitratū eſſe ſe demonſtraſſe ex multis eius locis diximus. Eodem a. 1. Quæſit. 1. Difficult. 2. ab ipſo aſſeri etiam diximus alios dæmonas; ſed vtrùm eos crediderit immortales, non ita certum ex ipſo videtur. Verūtamen non dubium, quin ex iis muneribus, quæ iis ſubſtantiis attribuit, eas immateriales eſſe crediderit, ac proinde immortales.

Ariſtoteles.

Quid ſit Platoni ſummum Deum eſſe immortalem. § 2.

Plato.

SOlùm ſupereſſe videtur examinandum, quid intelligat Plato, cùm ſolum ſummum Deum immortalem eſſe dixit in Timæo, reliquos verò diſſolubiles, ſed ſummi Dei voluntate ſeruandos. Sic enim ſummus Deus alloquitur Deos minores, vt etiam refert A. Doctor hoc a. 5. arg. 2. *Dij Deorum*, inquit, *quorum opifex & Pater ego ſum, hæc attendite. Quæ à me facta ſunt, me ita volente indiſſolubilia ſunt. Omne ſiquidem quod vinctum eſt, ſolui poteſt*, &c. Ergo ſunt naturâ ſuâ mortales.

A. Doctor.

Plato.

Sed tamen reſpondeo; Platonem negaſſe Angelos ſuâ naturâ eſſe indiſſolubiles abſolutè; nimirum eo quod quadam naturæ neceſſitate ſicut Deus, eos eſſe oporteat. Nam ait, eos fore diſſolubiles, ſi diuina voluntate non eſſent ſeruandi. Quare non excludit eam immortalitatē, quæ à Deo pendet, ſed ſolùm abſolutam. Immortalitas verò à Dei voluntate pendens non facit eos naturâ ſuâ mortales, vt ſuprà ex SS. Patribus dixi. Nam ea ſolùm facit ſua naturâ mortales, quæ cauſas creatas agnoſcit. Alioqui nihil eſſet immortale Platoni; cùm tamen ipſe Plato octo rationibus conetur oſtendere, animos hominū eſſe immortales variis in locis. De quibus eruditè Carpentarius libro de Doctrinâ Platonis in Alcinoum Digreſſ. 10. non longè ab initio. Vnde conſtat, S. Patres ſuprà citatos de Angelorum immortalitate, ne à loquendi quidem modo, nedum à Platonis ſententia receſſiſſe.

Plato. Carpentar.

Plato.

Neque huic doctrinæ impedimento eſt, quòd Plato Angelos fecerit aërei corporis, vt ſuprà dicebamus, ex quo videtur confici eos feciſſe mortales. Hoc inquam non officit: Quia Plato eſto, dederit tale corpus Angelis, tamen nun-

quam


quam existimauit ipse, illud corpus ad substantiam Angelorũ pertinere: quia nec putauit corpus hominis esse de substantia hominis vt suprà diximus. Nam, vt ait A. Doctor de Pot. q. 3. a. 10. c. Plato existimauit, animum esse substantiam perfectam, & ideò in Timæo aliquãtulum ante finem definiuit, hominem esse *animum corpore vtentem.* Ergo nec corpora Angelorum erunt de ipsorum substantia.

A. Doctor.

Lactantius. Ad quod etiam videtur respexisse Lactantius libro 5. cap. 22. in fine illis verbis: *Animus verò, in quo solo est homo,* &c. ac si corpus de substantia hominis non sit; quãdoquidem homo solus animus est. Apertiùs multò id ipsum asseruit libro de opificio Dei cap. 20. in fine. Vbi postquam dixit hominem esse Deo similem, rationem sub- A dit his verbis. *Errat enim quisquis hominem carne metitur. Nam corpusculum hoc, quo induti sumus, hominis receptaculum est. Nam ipse homo neque tangi, neque aspici, neque comprehendi potest; Quia latet intra hoc quod videtur.* Quæ sine dubio Platonicè dixit.

Plura ex sententia Platonis ac Platonicis de hominis Angelorúmque corporibus dicemus seq. q. a. 1. Vnde etiam multa intelligi poterunt B de eorundem immortalitate. Quare esto mortalia & caduca sint ipsorum corpora, ex hoc tamen non sequitur ipsos esse mortales. Et fortè Plato non tam de corporibus Angelorum naturalibus locutus est, quàm de his quibus Angeli pro arbitrio quasi vestiuntur, vt cum plerisq; SS. suprà diximus. Nec plura de tota hac q. 50.





QVÆSTIO QVINQVAGESIMA-PRIMA, QVÆ EST SECVNDA, DE ANGELIS.

DE COMPARATIONE ANgelorum ad Corpora.

DEINDE quæritur de Angelis per comparationē ad corporalia. Et primò de comparatione Angelorum ad corpora. Secundò de comparatione Angelorum ad loca corporalia. Tertiò de comparatione Angelorum ad motum corporalem localem.

Circa primum quæruntur tria.

Primò, Vtrùm Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita.

Secundò, Vtrùm aßumant corpora.

Tertiò, Vtrùm in corporibus aßumptis exerceant opera vitæ.


Explanatio & continuatio huius contextus cum superioribus.

A Doctor. IN hac Q. agit A. Doctor de Angelorum corporibus, quæ ostendit ab ipsis sæpe assumi, vt hominibus appareant &c. Vnde cùm superiore q. ostendisset, Angelorum substantiam ex corpore non esse compositam in sese, sequebatur vt dissereret, an eadem substantia cum corporibus quibus vnitur, verè faciat vnum compositum; & Quomodo. Et ideò in 1. a. probat, Angelos naturaliter non habere vnita corpora; nempe cum quibus componant aliquod totum vnum. Nam hanc Quæstionem esse diuersam ab ea, quam exagitauit superiori q. a. 2. ibidem dictum est à nobis. Quare non rectè quidam recentiores A hunc articulum cum alio articulo primo & secundo Quæstionis superioris confundunt, ac si idem quæreretur hic & duobus dictis articulis; Vtrùm scilicet Angeli sint omninò incorporei; nempe secundùm suam substantiam. Hoc enim decretum est superiore Quæstione a. 1. & 2. Vnde licèt animus hominis sit incorporeus; non tamen ex hoc conficitur, ipsum non habere naturaliter vnita corpora. Sit ergo

---

ARTICVLVS PRIMVS,

B Vtrùm Angeli habeant Corpora naturaliter sibi vnita.



AD Primum sic proceditur. Videtur quod Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita. Dicit enim Origenes in libro Periarchon. Solius Dei, id est Patris & Filij & Spiritus sancti, naturæ illud proprium est, vt sine materiali substantia, & absque vlla corporeæ adiectionis societate intelligatur existere. Bernardus† etiam dicit in 6. homil. super Cant. Demus Deo soli sicut immortalitatem, sic incorporeitatem; cuius* C *natura sola neque propter se, neque propter alium solatio indiget instrumenti corporei. Liquet autem, omnem spiritum creatum corporeo indigere solatio. Augustinus* etiam dicit super Gen. ad lit. Dæmones aërea dicuntur animalia, quia corporum aëreorum natura indigent. Eadem autem est natura dæmonis & Angeli. Ergo Angeli habent corpora naturaliter sibi vnita.*

2. Præterea. Gregor. † in Homil. Epiphaniæ nominat Angelum rationale animal. Omne autem animal componitur ex corpore & anima. Ergo

in 2. d. 8. a. 1. & 2. con. c. 48. 89. 90. & pot. q. 6. a. 6. & Mal. q. 16. a. 1. & spir. a. 5. & opusc. 11. 3. c. & 221. & opusc. 15. cap. 18.

* l. 1. c. 6. in fi. to. 4.

† ser. 5. & 6. circa princ.

* lib. 2. c. 17. & lib. 3. super Gen. c. 10. in princ. to. 3.

† Hom. 10. in Euang. circa princ.

Ergo Angeli habent corpora naturaliter sibi vnita.

3. Præterea. Perfectior est vita in Angelis quàm in animabus. Sed anima non solùm viuit, sed etiam viuificat corpus. Ergo Angeli viuificant corpora naturaliter sibi vnita.

Sed contrà est quod dicit Dionysius * *4. cap. de diu. nom. Quòd Angeli sicut incorporales intelliguntur, ita & immateriales.*

* cap. 4. parum à princ.

Respondeo dicendum, quòd Angeli non habent corpora sibi naturaliter vnita. Quod enim accidit alicui naturæ, non inuenitur vniuersaliter in natura illa, sicut habere alas; quia non est de ratione animalis; non conuenit omni animali. Cùm autem intelligere non sit actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ, vt infrà *patebit: habere corpus vnitum non est de ratione substantiæ intellectualis; in quantum huiusmodi. Sed accidit alicui substantiæ intellectuali propter aliquid aliud, sicut animæ humanæ competit vniri corpori, quia est imperfecta, & in potentia existens in genere intellectualium substantiarum, non habens in sui natura plenitudinem scientiæ, sed acquirens eam per sensus corporeos à sensibilibus rebus, vt infrà dicetur* *. *In quocunque autem genere inuenitur aliquid imperfectum oportet præexistere aliquid perfectum in genere illo. Sunt igitur aliquæ substantiæ perfectè intellectuales in natura intellectuali non indigentes acquirere scientiam à sensibilibus rebus. Non igitur omnes substantiæ intellectuales sunt vnitæ corporibus, sed aliquæ sunt à corporibus separatæ. Et has dicimus Angelos.*

* q. 75. a. 2.

* q. 84. a. 6. & 89. a. 1.

Ad Primum ergo dicendum, quod sicut suprà dictum est *, *quorumdam opinio fuit, quòd omne ens esset corpus. Et ex hac existimatione deriuatum videtur, quòd aliqui existimauerunt, nullas substantias incorporeas esse nisi corporibus vnitas. Adeò quod quidam etiam posuerunt, Deum esse animam Mundi, vt Augustinus narrat in 7. de Ciu. Dei* †: *Sed quia hoc fidei Catholicæ repugnat, quæ ponit Deum super omnia exaltatum, secundum illud Ps. 8. Eleuata est magnificentia tua super cælos. Origenes hoc de Deo dicere recusans, de aliis secutus est aliorum opinionem, sicut & in multis aliis deceptus fuit sequens antiquorum Philosophorum opiniones. Verbum autem Bernardi potest exponi, quod spiritus creati indigeant corporali instrumento non naturaliter vnito, sed ad aliquid assumpto, vt infrà dicetur* *. *Augustinus autem loquitur non asserendo, sed opinione Platonicorum vtens, qui ponebant esse quædam animalia aërea, quæ dæmones nominabant.*

* q. 50. a. 1.

† lib. 7. de Ciu. c. 6. to. 5.

* art. seq.

Ad secundum dicendum, quòd Gregorius nominat Angelum rationale animal metaphoricè propter similitudinem rationis.

Ad tertium dicendum, quòd viuificare effectiuè simpliciter perfectionis est. Vnde & Deo conuenit secundum illud 1. Reg. 2. Dominus A *mortificat & viuificat. Sed viuificare formaliter est substantiæ, quæ est pars alicuius naturæ, & non habentis in se integram naturam speciei. Vnde substantia intellectualis, quæ non est vnita corpori, est perfectior quàm ea quæ est corpori vnita.*

Explanatio & Confirmatio eorum quæ hic dicuntur.

RESpondet A. Doctor, non habere Angelos corpora sibi naturaliter vnita. Probat autem hoc argumento, quod sic formari potest. Quandocunque alicui generi aliquid accidit ob alicuius inferioris imperfectionem, illud quod accidit non reperitur vniuersè in omni natura eiusdem generis. Sed in genere naturæ intelligentis accidit ob alicuius inferioris imperfectionem, alicui naturæ intelligenti; nempe hominis animo; ob eius imperfectionem, habere corpus sibi naturaliter vnitum; ergo non debet natura intelligens in suo vniuerso genere habere corpus sibi naturaliter vnitum: ac proinde aliquæ naturæ intelligentes sunt à corporibus separatæ; & *has inquit dicimus Angelos*. Angeli ergo non habent corpora sibi naturaliter vnita. A. Doctor. B

Minorem probat, & primò quòd vniri corpori accidat naturæ intelligenti, quà intelligens est, ob imperfectionem inferioris, nempe ob imperfectionem humani animi, patet: Quia Natura intelligens quà intelligens, non est actus corporis nec virtutis corporeæ, etiamsi sermo sit de hominis anima, quà intelligens est, vt sæpe ostêdimus super. q. Ergo quod naturæ intelligenti iungatur corpus, id ei accidet ob alicuius inferioris imperfectionê eo quòd adminiculo aliarum facultatum corporearum minùs perfectarum ad intelligendi actum peruenire debeat, vt accidit in hominis animo. Quod probat A. Doctor: Quia animus hominis est potentiâ ad rerum notitias per sensus acquirendas. Ergo hoc vniri corpori accidet generi illi ob imperfectionem inferioris; Quia scilicet imperfectionis est intellectui iungi cum iis facultatibus, quæ corporis adminicula deposcant; quandoquidem intellectus quà intellectus, ex se nulla corporis ope indiget vt suprà docuimus. C D

Maior probatur: Quia quandocunque alicui generi aliquid accidit ob inferioris alicuius imperfectionem, debet in eodem genere esse aliquod perfectum, cui illud non accidat. Quia in quocunque genere inuenitur aliquod imperfectum, debet in eodem genere præexistere aliquod perfectum. Ergo quandocunque alicui generi aliquid accidit ob inferioris imperfectionem, debet illud quod accidit vniuersè non reperiri in omni natura eiusdem generis. E

Verùm quoniam ferè omninò constitutum à nobis est super. q. a. 1. & 2. tum SS. Patrum, tum Philosophorum sententiâ, Angelos esse omninò incorporeos; hoc est non solùm non compositos ex corpore; sed etiam ne naturaliter quidem corpori iunctos; idque firmis è solida Philosophia petitis rationibus demonstrauimus; iis ferè omnibus hic prætermissis, solùm ea quæ peculiares in doctrina huius articuli præsertim in hac ratione facere possunt difficultates, discutere

tere libet atque comprimere: & quæ firmiora reddant, quæ loco citato dicta sunt, adiungere. Præsertim autem inquiremus; Vtrùm naturaliter habeant vnita corpora, quæ cœlestium orbium, sydérúmque ipsa substantia sunt; De qua re peculiaris est inter Philosophos atque Patres non parua dissensio. Sit autem in hac grauissima Quæstione

QVÆSITVM PRIMVM,

Quid & vtrùm probet ratio Angelici Doctoris.

A.Doctor.

ANceps hìc videri potest A.Doctoris mens: Non enim apparet, Vtrùm ei consilium ostendendi fuerit, omnes Angelos esse incorporeos, an tantùm aliquos. Ex vna enim parte cùm absolutè de Angelis quærat in titulo articuli, videtur sibi proponere ostendendum, omnes Angelos à corpore seiunctos esse: Ex alia tamen parte, cùm eius ratio non videatur ostendere, omnes Angelos esse naturaliter sine corporibus, aliud videtur illi esse propositum: Nam esto sint naturæ intelligentes perfectæ, quæ corpori iunctæ non sint, eo quòd aliquæ huiusmodi debeant esse in genere intelligentis naturæ, quæ perfectæ sint; tamen non concluditur ex hoc, omnes Angelos esse naturæ intelligentis omninò perfectæ.

Esto enim accidat naturæ intelligenti, quòd ex his aliquæ corpori vniantur, idque ob earum imperfectionem: Tamen dicere quis posset tales naturas imperfectas in genere intelligentis naturæ non esse solùm hominis animum; verùm etiam & Angelos plerosque. Vnde opinio est multorum Philosophorum, quosdam Angelos cœlestibus orbibus tanquam eorum formas inesse. Si ergo quis diceret, hos Angelos habere sibi corpora naturaliter vnita, posset etiam seruata hac conclusione totum A.Doctoris argumentum liberè concedere, ac negare consecutionem illius, si contendat omnes Angelos esse à corpore abiunctos. Quare videndum primò est; Quid ea ratione probare sibi proponat A. Doctor. Deinde, Vtrum propositum rectè concludat. Sit ergo

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm vniuersè de singulis Angelis sibi proponat A. Doctor ostendere, nulla habere corpora naturaliter vnita.

DIco *naturaliter vnita*: Nam quæ corpora ex arbitrio assumunt Angeli, ad sequentem articulum spectant; in quo disseritur; Vtrùm & quo pacto in corporibus assumptis appareant. Et quoniam huius articuli intelligentia pendet in primis ex A.Doctoris proposito scopo, dabo operam, vt inuoluta eius sententia quàm clarissimè euoluatur.

A Ratio difficultatis est; Nam si, vt modò dicebam, A.Doctor vniuersè velit negare omni Angelo corpus, cum quo totum aliquod ipse componat, non videtur eius ratiocinatio aptè propositum concludere. Si autem solùm velit aliquos tantùm Angelos non habere corpora sibi vnita ex natura, cur quærit vniuersè in titulo? *Vtrùm Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita.* Nam si solùm ei satis est aliquos non habere; præstitisset instituere ita Quæstionem: Aliquíne Angeli habeant huiusmodi corpora an non: Sic enim directè ad Quæstionem respondisset affirmando vel negando. A.Doctor.

B

Angelum non esse corporeum, qua ratione intelligendum, & omnem formam vniri corpori propter operationem vtrique communem. §. 1.

AD solutionem Notandum est quod suprà dixi; sensum tituli articulo inscripti esse, vt non sit Quæstio Vtrùm Angelus sit corporeus an incorporeus; hoc est, vtrùm ipse sit corpus, an ex corpore compositus; quia hoc superiore q.a. C 1.& 2.conclusum est ab A. Doctore, vt ibi diximus: Sed vtrùm Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita, cum quibus componant vnum totum, quemadmodum hominis animus.

Licet enim ipse nec sit corpus, aut è corpore concretus, tamen est forma corporis, cum quo tanquam cum sua comparte constat totum. Non enim alia est ratio, cur substantia spiritalis vniri sibi naturaliter corpus poscat, nisi vt tanquam forma naturaliter iunctam habeat suam materiam ad communes totius compositi operationes. Ob hanc etenim causam hominis animus corpori nectitur, non quà intellectus est, sed quà viribus sentientibus præditus est, vt significat A.Doctor in hoc articulo, & expressè A.Doctor. D docet quæstion.16.de Malo a.1.c. *Manifestum est*, inquit, *quod intellectus non vnitur corpori in quantum intellectus est, sed secundum alias vires.* Nempe sentiêtes, vt ipse pòst explicat; Quia scilicet quà intellectus nô eget corpore cum quo faciat vnum totum substantiale ad intelligêdi actus, vt diximus a.1.& 2.q.50.suprà, & dicemus adhuc infrà sæpè copiosius. Quà verò sentiens instrumêto corpore tanquam comparte vnius totius substantialis vtitur ad sensiones; & idcirco definitur quæcumque anima Actus corporis naturalis instrumentalis lib.2.de An.cont.6.& 7.vt sensus sit, corpus E non aliter subseruire substantiæ spiritali, nisi vt tanquam materialis compars vnius totius eius actibus eliciendis instrumentum sit. *Quapropter* inquit Aristoteles lib.1. de part.Animal. capite Aristoteles. quinto, *corpus etiam totum animæ gratiâ conditum est, & membra officiorum gratiâ constant & munerum ad quæ singula accommodantur*, nempe tanquam materia ipsius animæ ad operandum. Eius namque totius membra sunt.

Hinc libro 9.Metaphys.cont.15.docet, *animalia visum habere vt videant*. Eo quòd huius organi intimus finis est ipsa communis operatio vtriusque partis; nimirum & organi corporei & sentientis facultatis. Adeò vt libro secundo de An-

de Anima cont. 9. dixerit, non aliam esse oculi substantiam seu formam nisi vim illam, quæ ad ipsum videndi actum essentialiter est. *Oculus* inquit, *materia visus est. Quo deficiente non est amplius oculus nisi æquiuocè sicut lapideus aut depictus.* Careret enim forma & substantia, quâ oculus est.

Quare corpus non debet vniri substantiæ naturaliter nisi ad communes totius compositi operationes, ita vt corpus sit materia; substantia verò spiritalis sit forma ad easdem communes vtriusque operationes; ac proinde vtraque pars vnum totum ad vnum operationis finem componat. Sicut oculus & quæcunque alia membra in viuentibus ex vtraque parte componuntur, vt aptum fiant instrumentum ad operandum, vt suprà artic. primo & secundo ostensum est. Qui si finis non sit, nulla prorsus est ratio; cur animus, & quæcunque spiritalis substantia corpus sibi naturaliter vniri deposcant. Nam vt spiritalis substantia vtatur corpore extrinsecùs tanquam instrumento, cum quo nullum totum substantiale componat, non est necesse, vt naturali nexu cum corpore jungatur. Posset enim tale instrumentum ad operandum assumere, cùm eo ad agendum opus habet; Quemadmodum artifex suis ferramentis ad aureos annulos, statuásque efformandas vti solet, vt dicam art. seq.

Ex his liquet præsentis tituli in hoc articulo sensum; cùm quæritur, Vtrùm Angelus habeat sibi vnita naturaliter corpora, esse eundem ac si diceretur, Vtrùm Angelus sit alicuius corporis forma seu actus. Si enim quæritur, Vtrùm habeat corpus vnitum, cum quo vnum totum substantiale constituat; ergo quæritur, an Angelus sit corporis forma, quia non alio modo cum corpore constare totum potest. Siquidem vt in simili argumentatus est Aristoteles libro secundo de Anima, contextu quarto forma huius totius deberet esse aut corpus aut Angelus. At non potest corpus esse forma. *Non enim*, inquit, *est eorum quæ in subiecto corpus. Magis autem sicut subiectum & materia est.* Cùm corpus sit quid imperfectius anima, quæ perficitur per séque subsistit. Ergo substantia illa spiritalis erit forma, quæ corporis sit perfectio, in eóque concludatur. Quæritur ergo, Vtrùm Angeli sint forma corporis, cum quo naturaliter totum constituant. Pro quâ re

Aristoteles.

Notandum secundò, hanc quæstionem ita explicatam adhuc bifariam intelligi posse. Primò quidem ita vt cùm dicitur; Vtrùm Angeli naturaliter sint forma corporis, sensus sit, Vtrũ naturaliter conueniat naturæ Angelicæ, quà natura Angelica est, esse formam & actum corporis. Ac si de hominis animo quæreretur; An animus intelligens sit naturaliter forma corporis, sensus esse posset, An animus sit talis naturæ, vt quatneus animus sit forma corporis.

Alio modo vt sensus sit; An Angeli naturaliter sint forma corporis ita vt quæratur de quolibet, An Angeli debeant esse corporis forma. Differunt enim hi vtrique sensus non parum inter sese: Nam priore, significari tantum potest, Vtrùm naturæ Angelicæ conueniat hoc prædicatum; nempe esse formam corporis; vt scilicet quæratur solùm de natura Angelica, secundùm se, & quà natura Angelica est. Quo pacto si negetur de illa tale prædicatum, non est necesse vt

A negetur de quolibet inferiore illius; hoc est de quolibet Angelo.

Ratio est: Quia quod negatur de aliqua natura communi, & qua talis est, potest conuenire eius inferioribus ob peculiares ipsorum differentias. Rectè etenim negatur de homine quâ homo est, esse singulare: Homo enim secundùm se; hoc est quà præcisè eius natura à singularibus intelligitur, communis natura singularibus est, ac proinde non ipsa per se singularis: & tamen ex hoc non sequitur, nullum quod homini subiicitur singulare esse: Nam & Petrum, & Socratem, & cæteros, qui indiuidua hominis sunt, singularia esse constat. Sic etiam homo

B secundùm se non est albus aut niger &c. Ex quo si inferatur: Ergo neque hic, aut ille, falsum est.

Itaque in hoc sensu proposita quæstio non necessariò inuoluit distributè sua inferiora. Nam posset ostendi Angelicæ naturæ, quâ Angelica natura est, non conuenire rationem formæ; quæ tamen inferioribus conuenire posset; sicut rectè ostenditur, intellectum quà intellectus est, non esse formam corporis, licèt intellectus quà humanus est, verè forma corporis sit.

Dico *non necessariò*: Nam in sensu affirmante

C necesse esset, inferioribus quoque conuenire, quod de superioribus affirmatur. Si enim Angelica natura quà talis est, esset corporis forma, sine dubio quilibet etiam Angelus idem prædicatum habere deberet. Quæ enim affirmatiua attributa superiorum sunt, eadem inferiorum quoque attributa esse oportet. Alioqui illud dictum de omni, de quo Aristoteles in Anteprædicamentis capite tertio in quo affirmantium Syllogismorum veritas nititur, falsum esset. Neque enim verum esset: *Quod dicitur de aliquo, dicitur etiam de omnibus sub illo comprehensis.* Atque ita nec argumentatio hæc valida esset,

Aristoteles.

D Animal est corpus; ergo homo qui est animal corpus est. Hæc autem omnia absurda vel Logicis sunt.

At verò posteriore sensu contineri necessariò debet communis omnium inferiorum siue affirmatio siue negatio attributi, de quo Quæstio instituitur. Siue enim affirmetur Angelus esse forma, siue negetur; idem distributè de Angelis singulis dici debet: Quia quæstio non de natura secundùm se tantùm proponitur; sed etiam de singulis vt dictum est. Vnde etiam intelligitur, cur si in hoc sensu negetur attributum de natura aliqua in communi, negari etiam idem oporteat de inferioribus eius singulis. Ratio est: quia debet intelligi negatio de

E natura secundùm se, non solùm, vt aiunt, abstractiuè, sed etiam exclusiuè. Alioqui de singulis non negarentur attributa: Vt cùm dicitur, Natura hominis quà homo est, non est lapis, nec equus, &c. Non enim remouetur lapis ab homine, quia homo à lapide præcisè intelligatur; quemadmodum negatur singularitas; cùm dicitur Homo quà homo non est singularis: Verùm etiam excluditur ratio lapidis ab homine quà homo est, tanquam quid naturæ repugnans, atque ab ea dissentiens. Quæ autem attributa repugnant naturæ secundùm se, omnibus etiam repugnant inferioribus; & hoc pacto intelligi debet dictum de nullo, in quo negantium syllogismorum veritas stabilitur, vt

libro

libro 1. Priorum Analyticorum à Dialecticis differitur.

Quamuis igitur conſtet, quid ſignificét huius tituli termini: Tamen difficile eſt vtro ſenſu ab A. Doctore præſens quæſtio proponatur, decernere. Nam ſi priore tantùm ſenſu intelligi debeat; non videtur quid præclari in hoc articulo examinetur: Cur enim non de omnibus ac ſingulis quæratur, quod de ſigulis etiam ſcire præclarum ſit? Sin poſteriore; difficilior erit quæſtio. Non enim videtur vera concluſionis argumentatio vt dixi in ratione dubitandi. Et idcircò id ſtabilire oportet accuratè.

Generatim de quolibet Angelo inſtituitur & reſoluitur quæſtio, argumentiſque ſatisfit. § 2.

A. Doctor.

PRo ſolutione ſit

Vnica Propoſitio. A. Doctor proponit ſibi oſtendendum de quolibet Angelo, An habeant ſibi naturaliter vnita corpora. Probatur primò, quia id patet apertè ex articuli titulo: Nam quæritur; Vtrùm Angeli habeant vnita corpora. Ergo id inquiritur de quolibet Angelo. Hic enim terminus *Angeli* in plurali numero denotat de quolibet, & non potiùs de vno quàm de alio: ſicut ſi quæreremus, Vtrùm homines naturaliter ſint riſibiles, intellectu præditi, &c.

Ariſtoteles.

Et quamuis, vt ait Ariſtoteles libro 1. Priorum Analyticorum cap. 28. cùm propoſitio per ſubiectum *indefinitum*; hoc eſt ſine ſigno vel vniuerſali vel particulari effertur, *incertum, ſi vniuerſalis ſit propoſitio. cùm verò definitum, manifeſtum*: Tamen certum etiam eſt; propoſitionem indefinitam, ſi materiam neceſſariam, non contingentem contineat, æquipollere vniuerſali. Nam ſi enuncietur: Homo naturaliter eſt quantus; hæc æquiparabitur huic: Omnis homo naturaliter eſt quantus. Idémque de ſimilibus.

Cùm ergo quæritur; Vtrùm Angelorum ſint naturalia corpora, eſt quæſtio in materia neceſſaria. Siue enim negetur ſiue affirmetur, neceſſaria erit prædicatio. Non enim ſiue habere ſiue non habere naturaliter corpora, eſt prædicatum contingens. Siquidem eius aut affirmatio aut negatio quid neceſſariò conſequens Angelorũ naturam eſſe debeat, vt patet, ſi idem quæratur de hominum animis. Eſt ergo vniuerſalis quæſtio, ac proinde vniuersè ac diſtributè de quolibet dirimenda. Quemadmodum ſi quæreretur; Vtrùm animantium animæ habeant naturaliter vnita corpora. Quicquid enim in alteram partem determinatè diceretur, neceſſarium prædicatum eſſet.

A. Doctor.

Deinde probatur propoſitio: Quia A. Doctor generatim concluſit in articuli corpore, nullum Angelum habere corpora. Cùm enim ex argumento confeciſſet: *Non omnes ſubſtantias intellectuales vnitas eſſe corporibus*; Quæ propoſitio quoniam non videbatur quæſtioni ſatisfacere, quia non eſt reſponſio vniuerſalis, quemadmodum propoſita ab ipſo quæſtio poſtulabat, ſubdidit. *Sed aliqua ſunt à corporibus ſeparata; & has dicimus Angelos.* Itaque Angeli non ſunt niſi creaturæ intelligentes ab omni corpore ſeparatæ, quia has creaturas ſeparatas dicit Angelos. Generatim ergo ſoluit quæſtionem; vt nimirum nullus Angelus corporis ſit forma. Ergo hoc ipſum propoſuit in titulo inquirendum; vt ita quæſito reſponſio ipſa conſentiat. Cõfirmatur ex A. Doctoris omniúmque rectè philoſophantium conſuetudine; Qua ſemper ſolent in titulo quæſtionis ſignificare ſcopum, quò probationes collimare debent; Vt an Mũdus ſit æternus? An vnus? An Animus immortalis? &c. Hoc enim pacto quæſtionis titulus eſt veluti tractationis argumentum. Ergo reſponſio titulo conſentanea ſit oportet.

A. Doctor.

A. Doctor.

Denique probatur propoſitio ratione à priori: Quia illud eſt propoſitum A. Doctori in hoc articulo, ad quod reſpiciunt omnes tam affirmantes quàm negantes eiuſdem articuli rationes. Sed omnes hæ rationes ad hoc reſpiciunt, vt quæſtio de ſingulis diſtributè Angelis, habeántne corpora, in vtramque partem exagitetur. Ergo hæc quæſtio ipſa in titulo proponitur. Maior eſt certa: Nam omnes rationes vnũ ſcopum, propoſitúmque ſpectant, vt diſcutiatur quod proponitur inquirendum. Minor probatur: quia affirmantes rationes contendunt corpora cuilibet Angelo eſſe vnita. Et ita ex Origene dicitur ſolius Dei eſſe proprium, vt ſine corpore ſit. Ex Bernardo; *omnem ſpiritum creatum corpore indigere ſolatio*; Idemque de cæteris patebit conſpicienti. Similiter negantes rationes: Nam in argumento *ſed contra* vniuersè ex Dionyſio dicitur; *Quia Angeli ſicut incorporales intelliguntur ita & immateriales*. Ergo eſſe ſine corpore eſt omnium Angelorum prædicatum. In corpore verò articuli iam diximus A. Doctorem ex argumẽto inferre, eos quos Angelos dicimus, eſſe ſubſtantias à corpore ſeparatas.

Origenes.

Bernardus.

Dionyſius.

A. Doctor.

Iis omnibus addo cætera loca in quibus eandem quæſtionem A. Doctor diſcuſſit eodem argumento, eundémque in finem vſum eſſe; vt q. 6. de Pot. a. 6. & q. de ſpirit. creat. a. 5. Ex quo intelligi par eſt, hæc omnia eò ſpectaſſe, vt cunctis manifeſtum eſſet, ſe nullum Angelum habere corpora ſibi naturaliter vnita demonſtrare voluiſſe.

A. Doctor.

Referre tamen huc placet eiuſdem A. Doctoris ratiocinationem ex q. 16. de Malo a. 1. c. vbi oſtendit omnes dæmones eſſe ſine corpore. Cõcludit enim vniuerse ſic in fine: *Et ideò dicimus dæmones non habere corpora ſibi naturaliter vnita.* Quæ ratiocinatio cùm ſit huius articuli argumento perſimilis; & latiùs aliquantò explicata, hanc ipſam quam tradidimus hoc loco vniuerſam doctrinam clariorem reddet. Eſt autem huiuſmodi. *Semper vbi inuenitur aliquid alicui coniunctum non ſecundùm propriam rationem, ſed ſecundùm aliquid aliud, ſine illo inuenitur. Sicut ignis inuenitur ſine permiſtione aliorum elementorum, quæ non pertinent ad propriam eius rationem. Manifeſtum eſt autem: quòd intellectus non vnitur corpori, ſecundùm quod eſt intellectus, ſed ſecundùm alias vires. Vnde manifeſtum quòd inueniuntur aliqui intellectus ſeparati.* Qua in argumentatione obſerua; licet A. Doctor improbet Origenem lib. 1. Periarc. cap. 6. dicentem, Solius Dei eſſe proprium vt *abſque vlla corporeæ adiectionis ſocietate* exiſtat: Tamen ita eius Minorem confirmat in 3. argum. quod format ibidem; vt probet, nulli prorſus dæmoni danda naturaliter eſſe corpora. Intellectus enim vnitur corpori, quia *corpus eſt neceſſarium alicui animaliũ operationi, ſcilicet propter ſenſum.* Ergo intellectus erit vnitus

A. Doctor.

Origenes.

vnitus corpori, si vires sentientes habeat: secus non. *Vnde & Platonici*, inquit, quorum opinione corporei dæmones sunt, *posuerunt, dæmones esse animalia animo passiua, quod pertinet ad animam sensitiuam.* Ergo intellectus est in corpore propter sensus operationes. At dæmones sensibus carēt. (addo ego & multò magis Angeli.) Nam sensum tactus non habent, qui cæteris supponatur, vt ibi probare pergit. Ergo nec dæmones corpus habent. Patet ergo hac ratiocinatione ostendi, nullum etiam distributè, dęmonē (idémque dico de Angelis) habere naturaliter corpora. Hæc autem omnia implicitè ac virtute in huius articuli argumento contineri dicam Difficult. seq. Ergo hoc etiam argumentum vniuersè, nullum Angelū vllis corporibus naturaliter esse præditum, ostendit.

B Ex his respondetur ad argumentum initio difficultatis in ratione dubitandi positum. Dico enim vniuersè de quolibet Angelo intelligendum esse tum articuli titulum, tum corporis argumentum. Nego autem A. Doctoris ratiocinationem non concludere vniuersè quod in quæstione propositum est, vt dicam seq. Difficult. copiosiùs. Constat ergo de A. Doctoris scopo; nūc ad alterum quod proposuimus accedamus. Sit ergo

A. Doctor.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm & quomodo ratione A. Doctoris validè propositum ostendatur.

EX vna parte non videtur ob duplex caput. Primum est aduersus Maiorem argumenti allati propositionem. Non enim videtur verum si in vno genere sit aliqua natura imperfecta, in eodem quoque perfectam præexistere; quod cōtendit A. Doctor, vt vidimus in probatione illius. Hoc autem non esse necesse, sic probat Caietanus, obiiciendo sibi §. *Circa antecedens.* Aut enim hæc propositio fundamentum habet in hoc, quòd imperfectum est veluti potentia, & perfectum veluti actus; atque ita cùm actus sit prior potentia, perfectum debet imperfecto præexistere. *Et hoc non*, inquit. Quia actum esse priorem potentia habet locum, cùm id quod est potentiā, debet reduci ad actū, ab eo quod actu sit, vt quod est potentiā calidum, debet reduci ad actum, ab eo quod sit actu calidum; ac proinde perfectum antecedere debet imperfectum tanquam agens à quo perficiendum sit imperfectū. Hoc autem non facit ad nostram quæstionem: Quia solùm ex hoc potest cōcludi, dari aliquam substantiam in genere naturæ intelligentis, quæ sit perfecta, & reducat animum hominis imperfectum ad actum suum. *Talis autem*, inquit, *est intellectus agens.* Ergo non probatur esse Angelus sine corpore. Aut fundamentum habet in alio principio; nempe *Differentiarum eiusdem generis vnam se habere oportet vt habitum & perfectionem; alteram verò vt priuationem & imperfectionem.* At neque hoc concludit aliud, nisi quod sub genere intelligentis naturæ vna species est perfectior alia: Vtrùm autem habeat corpus, & sit perfecta in genere scientiæ, hoc non efficitur. Quod etiam patet in genere sentientium, in quo non se-

A. Doctor.
Caietanus.

D

E

A quitur dari perfectam speciem quæ sit aut sine corpore, aut quæ non sit potentiā ad sensibilia, eo quòd habeat species sensilium congenitas.

Præterea cùm dicitur *in eodem genere*, Aut intelligitur de genere propriè; Aut de genere quod sit quædam rerum coordinatio, ac series prædicatorum; vt cùm dicimus: in genere entis: in genere substantiæ, &c. Non primum: quia dubium est; Vtrùm Angeli sint in genere; & hoc Peripatetici negant. Non secundum: quia ratio non concluderet, quia dici posset, illā perfectam substantiam in genere intelligentis naturæ esse Deum; & ita non bene infertur esse Angelicam naturam.

Alterum caput est aduersus argumenti Minorem propositionē, eiusque probationes: Nam non videtur verum corpus accidere naturæ intelligenti ob inferioris (nempe humani animi) imperfectionem, ex eo quod ipsa nō habeat sibi inditam rerum scientiam. Quandoquidem eam debet sensibus administris adipisci. Contra hoc enim est: quia quod conuenit rei naturæ secundùm sua essentialia, non est eius naturæ imperfectio. Hæc enim imperfectio est absentia alicuius formæ, quæ ipsi naturæ sit debita; vt imperfectus est homo si careat oculis, &c. Nihil enim est imperfectum ex eo quod non habeat quæ illi debita non sunt. Vnde si nihil ab homine ex requisitis absit, integer erit homo, proindéque perfectus, cùm perfectum idem sit atque integrum, vt patet ex Aristotele libro 2. cœli cont. 23. At hoc conuenit animo secundùm sua essentialia; quod habeat corpus naturaliter vnitum, quia ipsius est actus corporis, vt patet ex eius definitione libro 2. de Anima cont. 7. & consequenter vt progrediatur ad scientiam sensibus administris. Ergo hæc ratio A. Doctoris supponit falsum; nempe conuenire naturæ intelligenti habere vnitum corpus ob animi imperfectionem. Siquidem sibi corpus vniri poscit non ex aliquo defectu, sed ex natura.

Aristoteles.

A. Doctor.

Ex altera verò parte obstat A. Doctoris auctoritas, ne rationem eius dicamus inefficacem. Ad solutionem

A. Doctor.

Notandum est, aliud esse argumento probare dari seu esse in rerum natura tales substantias intelligentes, quibus non sint naturaliter vnita corpora; aliud verò naturæ talium substantiarum non conuenire naturaliter, vt habeant vnita eiusmodi corpora. Ratio est manifesta: quia in priore probatione prædicatum quod argumentatione demonstratur est esse in rerum natura. In posteriore autem prædicatum est, esse abstractum à corpore, ita vt ne sit quidem corporis naturalis forma. Quamobrem vt naturali ratione probetur, has substantias re ipsa esse, oportet id ex effectibus indagare. Quandoquidem hanc solam nobis esse relictam viam occultas inuestigandi substantias diximus super. q. a. 1. Quæsi. 3. Difficult. vlt. Prop. 2.

At verò vt ostendatur, naturæ intelligēti non conuenire habere vnita corpora, satis est si ratio afferatur ex principiis notis; nempe vel ex natura rei, vel à paritate rationis, vel alio quouis modo, dummodo discrepantiam corporis ab ea natura intelligente demonstret. In proposito ergo certum esse debet ex d. super. q. a. 1. tribus integris quæsitis satis demonstratum esse; Angelos de facto esse. Vnde ne actū agat A. Doctor,

A. Doctor.

non iterum hic idem conficit quod suprà. Ergo superest vt ostendere velit, Angelorum naturæ quam esse demonstrauit, corpora non congruere eo modo, vt dictum est superiore Difficultate, & videndum est; Vtrum id ea ratione efficaciter ostendatur. Ad Difficultatem ergo respondetur.

Ex eo quòd naturæ Angelicæ quâ talis est, non sunt vnita corpora, sequi nulli Angelo esse naturaliter vnita, & quomodo. §. 1.

VNica Propositio. Angelorum naturæ, quâ talis est, non esse vnita naturaliter corpora A. Doctoris argumento validè ostéditur. Ex quo intelligetur quod super. Difficult. dicebamus, eodem argumento demonstrari vniuersè nulli Angelorum conuenire habere vnita corpora. Probatur propositio: Quia eius rationis vera sunt principia & conclusio necessaria. Hoc secundum ex iis quæ ad rationem firmandam diximus, notum est.

Illud ergo primum; quòd principia vera sint, probatur. Et primò argumenti maior propositio patet ferè ex ipsis terminis: nam quod accidit generi ob imperfectionem inferiorum, non prouenit ex natura generica, sed ex imperfectione eorumdem inferiorum. Nullum enim accidens prouenit ex natura eius cui accidit; sed potius ex ea, ratione cuius accidit. Vt si homini accidat quod domum ædificet ob artem ædificandi quæ in ipso sit; ædificatio non prouenit ex natura hominis, sed ex arte ædificandi. Quo pacto rectè Aristoteles libro 1. Physic. cont. 74. *Ædificat* inquit *Medicus non secundùm quod Medicus, sed secundùm quod ædificator.* Vt denotetur causa, ex qua talis effectus, qui homini est accidens, promanet. Ergo quod generi accidit ob inferiorum imperfectionem non prouenit ex natura generica, sed ex inferiorum illorum imperfectione. Ex quo vlteriùs dandum est: illud ipsum quod generi accidit ex tali imperfectione non reperiri vniuersè in omni natura eius generis: Quæ erat maior illa argumenti Propositio.

Quod non prouenit ab aliqua natura, cum ea non habet connexionem, nec eam semper comitatur, vbi etiam de nigredine corui. § 2.

COnsequentia hæc patet dupliciter. Primò, quia quod non prouenit ex natura aliqua, non semper illam comitatur. Ergo quod non prouenit ex natura generis, non semper illam eamdem naturam genericam comitabitur: ac proinde quod accidit generi, non reperitur vniuersè in omni natura eius generis. Antecedens patet euidenter: Quia non habet connexionem cum aliqua natura id quod ex illa non prouenit; Vt quia ex natura hominis non existit, vt homo sit albus, non est connexio albedinis cum homine. Et idcirco illud tanquam certissimum discrimen inter accidens alicuius rei, & eiusdem rei proprium assignatur ab Aristotele, quòd *accidens* vt ait libro 11. Metaphys. summa 3. cap. 2. *est quod fit quidem; non semper tamen, nec ex necessitate, nec vt plurimum.* Vt quòd *sub cane fiat frigus.* Quasi dicat: Quia non est connexio inter frigus & caniculares dies, si accidat frigus in illis diebus nec semper nec frequenter id continget. At verò *proprium*, vt docet Aristoteles lib. 1. Topic. cap. 4. *nemo dicit si conuersim non prædicetur de re*; quod est dicere: quia proprium cum rei natura nectitur, semper illam consequi debet. Adeò vt tandem in fine eius capitis doceat: Accidens si comitetur aliquod vnum aliquo tempore indiuiduum, nō autem alterum, posse dici pro eo tempore proprium illius, non tamen simpliciter. *Accidens* inquit *nihil prohibet & quando, & ad aliquid proprium fieri. Vt sedere cùm sit accidens quando quis solus sedet* &c. *Simpliciter autem proprium non erit*; quia scilicet tunc cum illo indiuiduo pro eo tempore nectatur illud accidens quasi ex eius natura talibus affecta conditionibus oriatur. Constat ergo quod non prouenit ex natura non semper illam comitari.

Ex quo soluitur obiter incidens alia dubitatio: Vtrùm nigredo quæ corui naturam semper comitatur, proueniat ex eiusdem corui natura. Dicendum enim est primò nigredinem nō semper comitari coruum; nam cùm pulli nascuntur, aut implumes nascuntur aut plumis albicantibus, ac proinde absque nigredine: Quæ causa est vt parentibus nondum notis destituantur; vt ex sacris literis colligit S. Gregorius libro 33. Mor. cap. 8. Nec id S. Isidoro displicet libro 12. Orig. cap. 7. & A. Doctori in Iob cap. 38 in fine; vbi fusè noster Pineda & alij apud ipsum. Docet etiam Albertus loco mox citando coruum ætate albescere. Vnde etsi rari albi sunt, sunt tamen aliquando. Immò & prouerbium est raros coruos esse albos. Sic enim apud Iuuenalem dicitur,

— *Coruo quoque rarior albo* &c.

Aristoteles etiam libro 5. de Generat. Animal. cap. 6. apertè ait. *Perdix visa est alba, & coruus, & passer & vrsa.* Sanè valdè verisimile est quod ei natura est accidens, non semper eam comitari in vniuersa specie, vt eius naturæ accidens noscatur esse non proprium. Eodem modo dico de Æthiope ac niue, & cæteris huiusmodi, à quibus abesse possunt, & aliquando absunt de facto à natura tum niuis tum Æthiopis huiusmodi qualitates; vt alibi in Logica dictum est.

Quòd si instet aliquis talia accidentia comitari huiusmodi naturas saltem in plurimis earum indiuiduis; Ergo accidens ex iis naturis oritur, nexúmque cum iis habet indissolubilem. Tunc Dico secundò adhuc veram esse A. Doctoris propositionem illam. Nimirum quod generi accidit, non reperitur vniuersè in tota illa natura generica. Si enim verum est, accidens speciei, non reperiri vniuersè in tota specie. Ergo nec accidens generi erit in toto genere. Deinde dico, isthæc quæ diximus accidentia, aliunde nos scire è naturis illis non oriri, nec cum iis necessariò necti. Nam nigredo illa potissimùm plumis hæret, ac pennis, quæ abesse possunt à corui natura. Harum autem pennarum nigredo potissimum nasci videtur ex aliqua seminis affectione, & calore naturali quo abundant vehementer corui, ex quo est humorum veluti adustio, cuius caloris signū est ipsorum voracitas & inglu-

Pineda. ingluuies; de qua multa eruditè noster Pineda vbi supra. Vnde etiam est vt cessante huiusmodi calore in senectute plumæ illæ albescere incipiant, vt testatur Albertus Tract. 8. in Prædicab. c. 10. Rationem tradit Aristoteles libro de Coloribus cap. 5. initio vbi ait apertè. *Pilo, pennas, flores & fructus omnes simul cum concoctione sumere colorum mutationes*, idque *ex multis esse conspicuum*.

Albertus. Aristoteles.

Tertiò dico, falsum esse ista accidentia comitari illas naturas in plurimis: nam diuersi coloris coruos esse pro varietate regionum facilè patebit ex his quæ subiungo. Nam testatur Simon Maiolus tomo primo Canicularium dierum colloquio 6. ante medium ex Olao lib. 4. cap. 15. *In Islandia etiam gregatim coruos albos reperiri & agnorum ac suum raptores.* Ludouicus etiam Septalius ex Longolio docet tomo primo Commentariorum in Aristotelis problemata sect. 10. probl. 8. *In Noruegia videri coruos albos & raritatem non esse.* Addit *& coruum viridem ex India aduectum quidam Monachi Bauariæ se vidisse profitetur.* Et quod ad varietatem colorum, quam diximus pro varietate regionum accidere, attinet, non esse mirum ait, si in regionibus sub arctico polo, quæ perpetua niue albescunt, corui albi quoque sint. Hinc Rhodiginius libro 17. lect. Antiq. cap. 11. tradit; *coruum candido colore conspicuum à Britannorum rege dono missum Siciliæ regi Alphonso.* Ex quibus concludi par est, huiusmodi accidentia, quæ ex natura non proueniunt, non sequi naturam speciei, nec in omnibus nec in plurimis eius indiuiduis, sed alias causas, quę ab huiusmodi natura diuelli possunt. Et quod de coruo diximus, idem dico de cæteris huiusmodi. Et ita teste eodem Maiolo Cygnus nascitur niger & postea candescit &c.

Simon Maiolus. Olaus. Lud. Septalius. Longolius. Rhodiginius. Maiolus.

Secundò probatur illa consequentia directè: quia quod accidit generi ob imperfectionem inferioris, sequitur non naturam generis, sed illam imperfectionem sicut causam accidentis. Sicut quia claudicare accidit tibiæ ob læsionem organorum, non tibiam, sed læsionem ipsam sequitur organorum. Ergo quod accidit generi ob imperfectionem inferiorum non reperitur vniuersè, sed solùm in quibus est illa imperfectio. Vt quia accidit animali in aliqua sua specie esse priuatum oculis ob eius imperfectionem; scilicet Talpæ; non reperitur huiusmodi cæcitas in omni animali, & sic de cæteris.

Similiter dico de eiusdem Maioris probatione: Nam posito, Quòd plures species sint in aliquo genere; hoc ipso disparitas naturarum in eo genere ponitur; quia scilicet vna species debet esse perfectior, altera imperfectior; Vt equus, leo, formica sub animali. Et ideò rectè vt ex Aristotele colligitur libro 7. Physic. cont. 31. dicuntur à Philosophis sub genere latere æquiuocationes ob varietatem perfectionum ipsarum. Si ergo ponamus quod suprà probauimus a. 1. & 2. sub genere naturæ intelligentis esse plures species, easque homine perfectiores, rectè ex illis concludi potest: Si naturæ intelligenti, etiam hominis animo quà intelligens est, conuenit vt non sit forma atque actus corporis; sed solùm id habet ratione aliarum imperfectiorum graduum & facultatum, vt diximus ex A. Doctore. Ergo perfectioribus naturis intelligentibus sub eodem genere comprehensis nullo pacto conueniet esse formas, actúsque corporis; Quandoquidem in iis non sunt ponendæ aliæ

Aristoteles. A Doctor.

A facultates, aut naturarum gradus, ob quos id illis conuenire debeat. Quemadmodum quia animali non conuenit vt sit carens ratione, sed hoc habet ratione inferiorum facultatum imperfectiorum, rectè infertur; Ergo inter species quæ sunt sub animali perfectiores, reperitur aliqua quæ non caret ratione; nempe homo: Hæc enim consecutio euidēter ostenditur ex illo A. Doctoris principio quod diximus; Nimirum quandocunque alicui generi accidit aliquid ob inferioris imperfectionem, debet in eodem genere esse aliquid perfectum, cui non accidat illud. A. Doctor.

Sanè quod in omnibus reperiretur speciebus, generi id non accideret, sed per se conueniret;
B Vt animali conuenit sentire &c. Si ergo accidit ob imperfectionem inferioris, signum est in aliis quæ talem imperfectionem non habeant, tale accidens non esse. Quod verum est, vt in exemplo allato de bruto & homine: Et à simili idem valere debet in genere naturæ intelligentis. Immò fortiùs: nam in cæteris naturis genericis, quæ non sunt intelligentes solùm inductione habetur, quòd animali exempli gratiâ accidat rugire aut hinnire.

Et ideò has differentias ab aliis eiusdem animalis speciebus dicimus separari. At naturæ intelligenti non inductione; sed ex ipsa eius natura scimus, quantum est ex ipsa natura intelligen-
C te, non conuenire quòd corpori vniatur; eò quòd nimirum intelligere non est actus corporis. Ergo neq; principium intelligēdi, quà principium intelligendi est, corporis actus est. Hanc enim consecutionem firmam esse docuimus super. q. a. 2. Quæst. 3. & ex A. Doctoris sententia Diffic. super. & in explanatione rationis. Cùm ergo animali id quod imperfectioni inferioris datur, non conueniat in specie perfectiori, quæ sub illo reperitur; nec debet naturæ intelligenti quòd iuncta sit corpori, conuenire in specie perfectiori, quam esse suprà probatum est. Quia hoc illi nonnisi ob imperfectionem inferioris speciei conuenit vt diximus. Quod confirmandum est A. Doctor.
D ex iis quæ dicentur in solutione argumentorum ad primum argumentorum caput paulò pòst. Vera ergo est illa argumenti Maior.

Iam de Minore id ipsum probandum est, ex iis quæ attulimus in eius probatione atque explanatione. Id enim verum est ob imperfectiores gradus ac facultates, quæ in substantia intelligente insunt non ob intellectum qui ex se corpus non requirit: Omninò enim validè ostēdunt eam Minorem esse veram. Sed quoniam hæc firmiùs ostendi nō possunt nisi ad argumenta simul respondeamus, ideò hoc totum magis confirmabitur ex solutione argumentorum.

Ex his ergo respondendum est ad argumenta opposita. Primò autem ad primum caput respō-
E det Caietanus: (Nam priùs, vt clariùs nostræ doctrinæ veritas appareat, examinabimus Caietani responsiones; quibus conatus est aduersis argumentationibus satisfacere.) Caietanus.

Perfectum oportere esse in eodem genere vbi est imperfectum, quo pacto intelligendum. §. 3.

IS ergo §. *Ad euidentiam* ait; perfectum debere esse in eo genere vbi est imperfectum; fundati

dari in eo, quod secundo loco obiecit; Nimirum: *Quando datur aliqua natura distinguibilis per plures modos, aut differentias essentiales, necesse est, quod si inuenitur secundum imperfectiorem modum aut differentiam, quod inueniatur secundum perfectiorem.* Reddit rationem huius rei multiplicem. Prima est: quia cum vtrumque sit possibile, natura non est magis sollicita circa imperfecta, quàm circa perfecta. Deinde, quia imperfectiora sunt propter perfecta. Demum, quia quæ diuidunt naturam in plura partibilem, aut sunt simul naturâ, aut vnum se habet vt prius; alterum verò vt posterius.

Caietanus. Verùm hæc Caietani doctrina nec vera est, nec argumento satisfacit. Primum probo: nam non est necesse, vt natura, quæ in plura partiri potest, diuidatur actu in plures species, quarum altera sit perfectior, altera minus perfecta. Etenim natura speciei diuidi in plura indiuidua potest perfectiora, & imperfectiora; & tamen non quælibet diuiditur reipsa & actu in ea plura indiuidua, vt dicitur de Phœnice, quæ in vna specie vnicum indiuiduum est; & de natura cœlestium orbium, qui singuli sunt vnius speciei. Aut si hæc non placeat, multæ sunt naturæ genericæ, quæ non habent species perfectiores & perfectiores, quas habere possunt diuina potestate; Vnde sicut non fuit necesse Deo procreare illas, ita potuit non creare has plures, quę factæ sunt.

Quare non valet eius prima ratio: quia non omne quod possibile est, ponitur esse reipsa. Licet autem natura, hoc est Deus, vt A. Doctor docuit suprà q. 13. a. 8. ex S. Ambrosio libro 2. de fide cap. 1. & ibidem Caietanus ipse fatetur, non sit magis sollicitus de imperfectis, quàm de magis perfectis; non tamen cogebatur vtrumque procreare, cum vtrumque liberè fecerit. Ergo saltem habemus, non esse necesse, si datur species imperfecta, debere quoque perfectam esse de facto.

A. Doctor. Ambrosius. Caietanus.

Deinde secunda ratio falsa est: Nam licet imperfectum in eodem indiuiduo progrediatur naturaliter ad suæ naturæ absolutionem; Vt est intellectus hominis, qui naturâ suâ perficitur adminiculo sensuum ab intellectu agẽte; tamen imperfectum vnius naturæ non tendit ad alterius speciei perfectionem; Vt formica non est propter leonem, aut elephantum.

Denique tertia ratio non valet: nam supponit esse contrarias differentias, quæ diuidant genus, vt ita aut sint simul naturâ, aut vna posterior, & altera prior. Immò etiam differentiæ indiuiduorum diuidunt naturam in plura partibilem; & tamen non sunt aut simul natura, vt Petrus & Socrates; Aut vnum prius alio. Vt enim docuit Aristoteles libro tertio Metaphys. context. 11. & approbat A. Doctor super. q. a. 4. in arg. *Sed contra.* In indiuiduis eiusdem naturæ non est inuenire prius & posterius. Falsa ergo doctrina est.

Aristoteles. A. Doctor.

Secundum probatur; quia dato etiam quòd sub eodem genere sit perfectum & imperfectum, aduersarius negabit consequentiam; Nempe; Ergo Angelus est sine corpore: Nam dicet, illas species perfectam atque imperfectam esse cum corpore, sed vario & essentialiter diuerso.

A. Doctor. Dicendum ergo est argumento: Illam propositionem A. Doctoris veram quidem esse, non tamen propter alterutram propositionem ex iis quæ ibi a Caietano obiiciuntur: Sed ob eam rationem, quam diximus in nostra propositione: Quia scilicet, quod accidit generi ob imperfectionem differentiæ contrahentis, inesse cæteris omnibus speciebus non debet: Nam si ob imperfectionem inferioris aliquod prædicatum conuenit generi; Ergo datur species perfectior, comparatione cuius scimus tale prædicatum conuenire generi ob imperfectionem inferioris. Alioqui non posset sciri tale prædicatum conuenire generi per accidens, atque ex inferioris defectu. Vt; si omne animal esset album, diceremus album conuenire animali ex eius natura. Quæ enim perpetuò naturam aliquã comitantur, cum ea natura nexum habent, ac proinde ex ea oriuntur, vt paulò ante dictum est. Itaque verum omninò est, si datur aliquod generi accidens ex inferioris defectu, debet dari species perfectior, comparatione cuius tale accidens competere generi ex tali defectu cognoscatur. Caietanus.

Ex quo sequitur, quod ad probandam illam argumenti A. Doctoris Maiorem adducebamus, esse verum; & habetur in corpore huius articuli; Nimirum: *In quocunque genere inuenitur aliquod imperfectum, oportet praexistere aliquod perfectum in genere illo.* Quòd quidem verum dicimus esse non simpliciter, vt in Caietanum argumentati sumus: Sed quia si datur imperfectum, quod sciamus imperfectum esse; hoc ipso necesse est præexistat perfectum, ex cuius comparatione imperfectum illud deprehendatur; Cùm certum sit, nihil imperfectum cognosci, nisi comparatione facta ad alterum perfectius. Neque enim aliter scimus, Talpam imperfectam esse dum oculis caret, nisi quia eam comparamus ad animantia, quæ videndi facultate, oculisque sunt prædita; Idémque de cæteris aio. A. Doctor. Caietanus.

Et ratio huius est; Quia vt ait Aristoteles libro decimo Metaphysices, contextu secundo, *Primum cuiusque generis maximè est mensura cæterorum.* Primum autem, seu quod idem est; *Maximum in vnoquoque genere id perfectum est* in illo; Vt idem expressè docet eodem libro contextu decimotertio. Præexistat ergo oportet perfectum, vt sit nobis mensura cognoscendorum cæterorum. Alioqui omnis ad perfectas & imperfectas species cognoscendas aditus præcluderetur nobis. Quam ego explicationem ab A. Doctore hic indicari colligo ex verbis eius modò relatis. Non enim ait A. Doctor: In quocunque genere est imperfectum, ibi & præexistere perfectum oportere. Sed *In quocunque genere inuenitur*, & cætera. Expressè enim denotat sibi consilium fuisse vt doceret: Quandocunque inuenitur; hoc est, cognoscitur perfectum dari, ex quo imperfectum illud innotescat. Aristoteles. A. Doctor.

Itaque summa huius doctrinæ est: Quod inuenitur accidere generi ob inferioris defectum, non reperitur vniuersè in omni natura, quæ illi generi subiicitur: alioqui illud nõ cognosceretur à nobis ex inferioris defectu ipsi generi accidere. Nam hoc ipso si imperfectũ in genere deprehenditur, perfectũ debet præexistere, cuius cõparatione imperfectio illa speciei cõperta nobis fit. Vnde dico, hoc modo explicatũ argumentum A. Doctoris, rectè quod propositũ est, cõclusisse; vt etiam in hoc satisfaciamus obiectioni Caietani. Nam ex eo quòd accidat generi; nempe naturæ intelligenti, A. Doctor.

intelligenti, quòd habeat corpus sibi vnitum ad functiones sentientium facultatum, rectè deducitur in specie perfectiore nempe Angelica, (quam superiore q. 2. 1. & 2. dari ostenderat, vt ibi explicatum est) talem cum corpore connexionem non reperiri.

Si enim talis reperiri oporteret connexio, id certè esset ob intelligendi actum; quam operationem Angelis attribuerat eodem a. 1. At intelligendi actus corpus nō poscit ex sese, vt se ostē-surum pollicetur infrà q. 75. a. 2. Ergo hoc, quod accidit naturæ intelligenti in homine ob imperfectionem sensuum, speciem perfectiorem, in qua tales sensus non reperiuntur, non comitatur. Tales autem sensus in hac natura perfectiore non esse, implicitè probat: quia scilicet intelligere ex se non poscit corpus nec sensus. Ergo cum in hac specie perfectiore sit intelligere, nec sensus vllus sit, nec aliud appareat, vnde colligi possit corporea operatio, non est, quòd huic speciei perfectiori sensus concedamus. Nam si à perfectiore natura tales imperfectiones remoueamus, rectiùs si cætera sint paria, de ea philosophabimur. Et hoc totum esse ad mentem A. Doctoris patet expressè ex ea ratione quam retuli super. Difficult. ex q. 16. de Malo a. 1. in nostra Propositione. Vnde infert in hoc art. *Ergo tales substantiæ intellectuales ac perfectæ sunt, non indigentes acquirere scientiam à sensibilibus rebus.* Quia supponit, in his nullos esse sensus.

A. Doctor. Hic tamen notari oportet: Quāuis hic A. Doctor, vt diximus, ex eo quod intelligendi actus non poscit corpus, implicitè probet non esse sensus in Angelis ad rerum scientiam conquirendam per corpora qualitatésque sensiles; Tamen non esse eandem argumentationem, aut eundem probationis finem hîc & infrà qu. 54. a. 5. dum ostendit in Angelis nullam esse cognitionem præter actum intelligendi. In eo enim a. 5. ostendit, nullam aliam esse cognitionem præter intellectionem, quia in Angelo non est corpus, vt hic se dicit demonstrasse. Nam vt supponit, quæcunque cognitio præter intellectionem corporea organa postulat, vt ibi fusè dicemus. At verò hic ostendit, vti diximus, Angelis non inesse corpora: quia intelligendi actus ex se non est actus corporis. Ergo melius est, si Angelus qui est perfectior natura intelligens, quam sit homo, abiuncta penitus à corpore ponatur, si id fieri sine incommodo possit. Non est ergo aut idem finis, aut probatio eadem. Atque hæc quantum attinet ad ea quæ ex Caietano obiecimus, dicta sufficiant. Nunc ad reliqua, quæ ad idem caput spectant, pergam.

Ad id quod ibidem additur; nempe illam consecutionem non esse bonam, eo quòd non concludit in genere sentientium. Respondeo, benè concludere in genere intelligentis naturæ: quia non solùm concludit, vnam speciem esse alia perfectiorem: Sed etiam hanc ipsam perfectiorem, quæ est Angelus, esse sine corpore: quia intelligit. Quæ operatio ex se non pendet à corpore, nec aliam actionem videmus, quæ index sit corporeæ formæ. At non sic in genere sentientium, in quo nulla potest esse perfecta species, quæ naturam sentientem excedere possit, ac proinde quæ sine corpore de facto sit. Immò nec quæ sit nisi in potentia ad sensilia: quia omnis sensus de facto mouetur à suo sensili; vt oculus à colore, &c.

Vt autem hoc meliùs intelligatur, Aduerte lector quod sæpe supra monuimus, hic non esse sermonē, Vtrùm de potentia absoluta Dei Deus facere possit naturam intelligentem hominis animo perfectiorē, quæ forma sit corporis. Quid enim hoc implicat: vt etiam q. 50. a. 2. decretum est. Sed; vtrùm Angeli qui de facto sunt, habeant corpora sibi naturaliter vnita. Quod negandum esse ostendit A. Doctor, propterea quòd Angeli operatio est intelligere; & in Angelo cessat illa imperfectio, ob quam talem nexum cum corpore habet hominis animus, vt dictum est. Ex qua doctrina, quam stabiliuimus suprà q. 50. a. 2. Quæsi. 1. Difficult. 1. in prima propositione; & eadem q. 50. a. 4. Quæsi. 1. Difficult. 2. Not. 3. multa incurrentia auctorum argumenta repelli possunt. A. Doctor.

Ad aliud argumentum omissis cæteris, quæ dicuntur à Caietano, respondeo; intelligi nomine generis gradum illum superiorem variis speciebus creatis; siue recta linea collocentur in categoria siue obliqua tanquam specierum partes, siue propriè de illis dicatur vn uocè, siue alio modo. Qua ratione nec Deus est in categoria, nec Angeli esse denegantur. Deus enim est extra illam categoriam generis, quod propriè diuiditur in species creatas, & in ipsarum partes. Nō sunt autem extrà Angeli: quia certum est apud omnes, eas naturas sub aliquo communi gradu contineri. Præterquam quòd constituerat suprà A. Doctor q. 50. a. 2. ad 1. Angelos habere genus & differentiam. Caietanus. A. Doctor.

Ad alterum caput aduersus Minorem respōdeo, aliquid dupliciter dici posse imperfectum, sicut perfectum. Vno quidem modo in se & absolutè. Et ita quemadmodum perfectum id est quod integrum, ita imperfectum erit id cui aliquid ex debitis deest. Et hoc pacto dicitur perfectum ab Aristotele eo loco. Alio modo imperfectum & perfectum dici potest comparatè ad alia. Quo pacto idem dici potest perfectum & imperfectum comparatione facta ad diuersa. Sic enim Aristoteles lib. 5. Metaphys. cont. 21. docet quædam dici perfecta, *quæ in vno genere excessum non habent*; Vt perfectus Musicus & latro. Ex quo fit, si huiusmodi res in eo genere superentur, eo ipso imperfecti loco habeantur. Superueniente enim perfectiore in eodem genere, non amplius dicetur perfectum, quia exuperantiam habebit. Dico ergo ad argumentum; naturæ intelligenti accidere vniri corpori ob imperfectionem animi humani, non quidem imperfecti ob defectū eorum, quæ illi naturâ debentur, sed imperfecti comparatione ad alias species, ipsum perfectione excedentes; nempe ad Angelos. Vnde dicimus; si naturæ intelligenti, cui conuenit non esse formam corporis, accidat ob inferioris minus perfecti comparatione aliorum, debere hoc non accidere generi in speciebus perfectis; nempe Angelis; & ita nihil est contra nos. Aristoteles. Aristoteles.

Ex quibus omnibus colligitur, rationem A. Doctoris optimè confirmare quod ibi ostendendum erat, & vt superiore Difficult. significauimus, bene etiam ea ostendi, nullum Angelum esse corporis formam: Quia neque ex effectibus, neque vlla alia firma ratione probari potest esse maiorem rationem in vna specie, quàm in altera. A. Doctor.

***

Conueniátne Angelo non esse actum corporis præcisiuè, an exclusiuè, ostendi-túrque actum intelligendi non posse esse actum corporis, cùm sit solius substantiæ immaterialis. §.4.

COlligitur secundò: Vtrùm naturæ intelligenti conueniat hoc prædicatum: nempe *non esse actum corporis.* Solùm quia ratione concipitur indifferēs ad hæc duo inferiora; nempe vt sit actus corporis, & vt nulli⁹ corporis sit actus: Vt ex.gr. conuenit animali, quòd nec sit rationale, nec irrationale: An verò quia illi positiuè cōueniat non esse actum; Qua ratione conuenit animali, vt non sit lapis; quod idem est, atque vt dicitur in scholis, Vtrùm non esse actum corporis, conueniat præcisiuè an exclusiuè ipsi naturæ genericæ intelligēti. Nam si præcisiuè tantùm conuenit non esse actum corporis; Ergo eodem modo illi conuenit hoc prædicatum, atque animali conuenit non esse centimanum, si putemus hanc animalis speciem esse posse. Non sequitur autem vt dixi super. Diffic. quādo aliquid conuenit generi præcisiuè, debere reperiri genus in aliqua specie cum illo prædicato: Non enim est necesse vt sit animal centimanum; cuius negatio cōuenit animali præcisiuè. Ergo nec sequitur, naturam intelligentem debere reperiri in aliqua specie sine eo quòd sit actus corporis, quia hoc non esse actum illius, solùm cōuenit generi præcisiuè. Si verò dicatur conuenire exclusiuè; Ergo nunquam potest esse natura intelligens cum hac differentia; nempe vt sit actus corporis. Quia quod excluditur à genere, nō potest competere speciebus. Quod enim excluditur à genere, illi repugnat: Quod autem generi repugnans est, etiam repugnans est speciebus. Vt; quia repugnat animali esse lapidē, repugnat etiam equo, homini, &c.

Colligi inquam aio ex dictis, actum intelligendi esse actionem, quæ non potest esse corporis, sed solius substantiæ spiritalis, ac proinde principium illius, secundum quod principium illius est non esse actum corporis. Dico *secundum quod:* Quia intelligo secundùm hanc rationem formalem, vt suprà ostendimus ex Aristotele & rationibus: Nam alioqui certum est, illam entitatem, quæ est animus hominis intelligens, esse actum corporis, cum quo verè facit vnum hominem, vt probat optimè A. Doctor infrà q.76.a.1.&2. Ex quo sequitur ipsum principium vt tale principium est; nempe vt principiū actus intelligendi, excludere corpus; Et ita concedo, nunquam principium intelligendi, quā principium intelligendi est, esse actum corporis. Ratio est manifesta: quia vt suprà diximus, operatio indicat, quæ sit natura sui principij. Nam, vt rectè docet A. Doctor suprà q.12. a.4. *Cuiuslibet cognoscentis cognitio sequitur modum suæ naturæ.* Ex quo principio ibi infert, virtutem cognitricem, nempe *intellectum, nullius organi corporalis esse actum.* Repugnat ergo principio intelligendi vt tale est, hoc est, secundùm hanc rationem, esse corporis actum. Atque ita dico, hoc quod est *nō esse actum corporis*, conuenire exclusiuè ipsi substantiæ intelligenti quā intelligens est, ac proinde non posse conuenire eius speciebus, quæ formaliter sub illa sunt, vt mox explicabo.

Aristoteles.

A.Doctor.

A.Doctor.

A

Verùm quia non est negandum, posse intelligentem naturā aliquo modo contrahi ad actum corporis; ideò dico, huiusmodi naturam per esse actum corporis tanquam per differentiam contrahi, posse intelligi bifariam. Primò vt eius generis sit differentia propriè, & tanquam generis propriè dicti; quæ scilicet genus restringat ad vnam formalem speciem, extra quam illa differentia non vagetur; vt differentia ratiocinatiua restringit animal ad hominem, extra quem non vagatur ratiocinatrix differentia; Et hoc modo nego actum corporis esse differentiam naturæ intelligentis; siue vt cum A. Doctore loquamur, esse differentiam principij intellectualis. Nam

A.Doctor.

B

esse actum vagatur extra hominem; imò extra omnes naturas intelligentes: Quia etiam forma leonis, equi, &c. sunt actus corporis.

Alio modo, vt sit quidem aliquo modo differentia eius quod latè patet, illúdque coarctet ad vnam speciem, ita tamen vt vtrumque simul constituant naturam vnius speciei in eadem entitate & non in altera; singula verò ex se vagentur extra. Quemadmodum esse formam materialem & esse substantiam se mutuò contrahunt in eadem entitate. Nam forma materialis vagatur etiam extra categoriam substantiæ: Calor enim & color, &c. sunt formæ materiales. Similiter & esse substantiam est extra genus formæ materialis: Quia est aliqua substantia quæ non

C

est forma materialis, vt Angelus, Deus, materia, &c.

Cùm ergo sint in eadem entitate, ita se contrahunt & faciunt speciem, vt vtrumque simul sint contrahens & contractum in illa entitate specifica; non tamen alterum sit contrahens tantùm; alterum verò contractum tantùm. Hoc igitur pacto aio in casu nostro esse principium intellectuale & actum corporis. Hæc enim duo sunt in eadem humani animi entitate, quā vterque modus constituit. Et ita intellectuale quod actus est corporis, non est propriè genus & differentia, sed vtrumque seorsim latè patet; simul tamen est in vna entitate, quæ vtroque constituitur, & extra quam non est vtrumque simul.

D

nam animus noster est re ipsa vtrumque; nimirum & actus corporis & natura intelligens. Dico ergo argumento, nunquam posse esse intellectuale principium cum hac differentia; nempe cum hoc quod est esse actum corporis, quæ sit propriè differentia illius; benè tamen posse illud ipsum esse coniunctum in vna entitate cum hoc entis gradu. Quo vtroque simul vna entitas in tali specie constituatur.

Quando ergo dicitur, si esse actum corporis conuenit exclusiuè naturæ intelligenti; ergo natura intelligens nunquam erit actus corporis; Respondendum est cum distinctione consequē-

E

tis. Nam natura intelligens secundùm quod est principium actus intelligendi, in quacūque specie sit intellectio; nimirum siue hominis, siue Angeli, siue Dei, nunquam est actus corporis: quia intelligere, quodcumque illud sit, non est alicuius virtutis corporeæ, vt hic ait A. Doctor. At verò natura intelligens, secundùm quod in eadem entitate coniungitur cum aliis animæ gradibus; nempe cum cogitatiua, sensitiua, &c. est verè actus corporis. Quo pacto hominis animus verè est corporis actus, qui hominem vt hominem cōstituit, & habet cum corpore communes

A.Doctor.

munes operationes, nempe cogitare, odisse, sentire, &c. non autem intelligere, vt supra diximus ex Aristotele lib. 1. de Anima cont. 66. & ex pluribus A. Doctoris locis. Aristoteles. A. Doctor.

Natura intelligens excludit esse actum corporis tanquam differentiam propriè, non autem tanquam gradum in eadem entitate coniunctum. §. 5.

AT inquiet aliquis: Si natura intelligẽs excludit rationem actus; ergo nũquam quouis modo cum illo coniungi poterit; Vt quia rationale excludit irrationale, nunquam cum irrationali potest esse. Respondeo; excludere esse actum, tanquam differentiam propriè contrahentem principium intelligendi in aliqua formali specie siue hominis siue Angeli; non tamen excludere esse actum tanquam gradum in eadem entitate coniunctum; Sicut esse animal excludit contrahi per differentias, quæ non constituant speciem aliquam animalis; vt leonis, hominis, equi, &c. non tamen excludit esse cum aliqua differentia seu gradu animæ vegetantis, quæ in eadem entitate animalis sit: Non enim animalis anima est vegetans in communi, sed tali modo in tali specifico gradu, qui scilicet talem materiam poscat, ex qua planta seu arbor vegetatur. Habet ergo talem differentiam seu gradum animæ vegetantis secum, vt ita dicam, identificatam in eadem entitate, quem tamen excludit vt differentiam propriè contrahentem ad formalem speciem. Itaque concedimus argumento; quæ se excludunt, eo modo quo se excludunt, non posse coniungi: negamus tamen alio modo non posse coniungi, quo se non excludunt. Vt autem hanc doctrinam, quæ prima facie difficilis videtur, altiùs animo penetremus,

Notandum est primò: Aliud esse aliquam physicã entitatem esse vnius naturæ seu vnius speciei; Aliud verò, aliquid esse vnam rationem specificam formalem sub aliquo genere. Etenim vt aliquid sit vna ratio formalis specifica, satis est, si vnum proximum genus sua vna vltima differentia ad eam rationem specificam verè & formaliter contrahatur. Ex. gr. ignis est vna ratio formalis specifica, quia elemẽtum quod est proximum genus si contrahitur per vltimam vnam differentiam, quæ quoniam ignota est explicatur à posteriori per eius proprietatem, vt dicatur ignis elementum leuissimum. Ratio est, quia vt docet Aristoteles libro 7. Metaphys. cont. 42. & 43. vnius rationis specificæ vna tantùm debet esse formalis differentia cum ipsa re reciprocabilis. Ergo debet illud vnum vltimum genus per vnam vltimam differentiam cõtrahi: Nisi enim esset vltima, cum sua re non reciprocaretur vt sensitiuum cum homine. Aristoteles.

At verò vt sit aliqua physica entitas vnius speciei & naturæ, non est necesse, vt in se vnicam tantùm rationem formalem specificã contineat. Siquidem potest pluribus huiusmodi rationibus constitui in ratione vnius physicæ entitatis, quæ sit vnius naturæ & speciei. Nam potest esse vna simplex physica entitas, in qua plures gradus

A quos vocant Metaphysicos, specie formali distincti vnum reipsa sint, & vt ita dixerim identificentur. Ex. gr. Anima equi physicè est vna entitas, cùm non ex pluribus constet physicis entitatibus: & tamẽ in ea plures sunt rationes specificæ; nempe tum vegetantis tum sentiẽtis gradus. Non enim existimandum est, gradum vegetantis animæ in anima equi esse aut præcisè genericum sine vlla contractione per suas differentias: aut certè per gradum sentientem, tanquam per suam differentiam contrahi. Non quidem primum: quia nihil reipsa est ab inferioribus præcisum, & vniuersale, quod beneficio intellectus abstractum esse debet, non re ipsa esse, vt nunc ex Logicis suppono. Non etiam secundum: Nam vegetans gradus in anima equi est

B contractus ad tale principium vegetandi; nempe quod reponit ipsam animam in aliqua specie vegetabilium; quia scilicet est principium nutritionis ex tali alimento; nempe sanguine: & per talia instrumenta; nempe ventriculum, hepar, talia viscera, &c. In quo differt à gradu vegetante qui est in plantis, arboribus, &c. qui aliis instrumentis & alimento vtitur atque enutritur. Vnde & potentiæ eorum sunt diuersæ; nempe generatrices, expultrices, & cæteræ quæ diuersis etiam organis affixæ sunt. Itaque non differunt hi gradus vegetantis animæ differentiâ quæ sit

C gradus sentiens, sed quæ sit differentia in principio vegetandi determinato ad talem gradum in specie animæ vegetantis. Quod autem dixi de anima equi, habita proportione idem de reliquis sentiendum est. Sed adhuc vlteriùs

Notandum est secundò: Etiamsi entitas huiusmodi physica non tantùm contineat vnam rationem formalem seu gradum; esse tamen vnius speciei entitatem ex eo quod illos plures gradus contineat, qui subordinentur vni vltimæ differentiæ, quæ potissimam speciem formalem constituit in ea entitate; Vt in exemplo allato ille vegetandi specificus gradus est, vt talis sentiendi gradus perfectior esse, suisque muneribus in ea entitate fungi possit; Quia scilicet anima equi possit constituere equum sentientem

D in tali specie animatorum. Certum enim est, vt docet Aristoteles libro 2. de Anima cont. 31. *Sine vegetatiuo sensitiuum non esse*; Vt nimirum gradus ille per nutriendi atque augendi facultates famuletur sensionibus animæ sentientis, quæ sua munia exercere non posset, nisi nutrimẽto, & cæteris spiritibus vegetantis animæ iuuaretur, vt alibi ostensum est. Vnde & simpliciter illa entitas, anima equi & forma corporis sentientis nominatur. Est ergo huiusmodi entitas vna specie denominatione ab vltimo gradu seu specifica ratione, quæ in ea est. Quemadmodum in eorum doctrina qui formas partiales membrorum in animãte constituunt, substantialis Aristoteles.

E viuentis entitas ex anima, & organico corpore conflata vna est, ac nominatur à potissimo gradu formæ, qui sit equus, leo, homo, & similia, quibus formæ subseruiunt reliquæ in viuente.

Neque huic doctrinæ obest quòd in substantiæ categoria tali ordine disponantur gradus equi, vt summus sit substantia, tum corpus, viuens, animal, demum equus. Quasi omnes rationes sint genericæ præter ipsum esse equi; atque ita excludi debeant rationes illæ specificæ quas asserimus viuentis, si viuens ad animal immediatè restringatur. Hoc inquam non obest.

 Etenim

Etenim viuens rectè dicitur contrahi à differentia animalis; nempe à sensibilitate vt sic loquar: proptereaquòd in equo & similibus illæ viuentis differentiæ pertinent ad causam equi materialem potiùs quam ad formalem, quippe sunt vt materiam functionibus sentietis animæ suppeditent, vti diximus. Idcircò contrahimus omnes illud in equo genus *viuens* per sensibilitatem, tanquam per differentiam formalem, cæteris materialibus prætermissis. Vt enim docet A.Doctor infra q.85.a.6.ad 3. *Diuersitas formæ quæ non prouenit nisi ex diuersa dispositione materiæ, non facit diuersitatem secundùm speciem.* A Doctor.

Quare alia nobilior & per se assignanda est, quæ in eadem entitate intelligi possit illud genus contrahere ad nobiliorem speciem subalternam; nempe ad animal quod proximum esset equi genus, contraheretúrque per nobilissimam equi differentiam; nempe hinnibilitatem, quæ est vltima, & naturam equi in sua specie conflat. Cùm enim differentia intelligatur contrahere genus ob coniunctionem cum illo, vt ex A.Doctore non multò pòst dicam, potest assignari quæcunque cum illo talem nexum habet, vt illud ad subiectam speciem; videlicet animal restringat; & potissimùm illa quæ nobilior, & notior sit: Nobilior quidem; quia differentia debet suo genere esse nobilior, vt rectè docet A Doctor hic q. 50. a. 4. ad 1. Notior verò: quia ob hanc causam loco essentialium differentiarum plerunque assignamus proprietates; vt colligitur ex Aristotele libro 1. Topic. cap. 3. & libro 4. cap. 2. & 3. & libro 6. loco 39. & 41. & expresse docet A.Doctor suprà q.29.a.1. ad 3. & infrà q. 77.a.1.ad 7. & 1.2.q. 49.a. 2. ad 3. Rectè ergo communi Philosophorum sensu *viuens* in animalium specie sensibilitate coarctatur ad speciem quæ sit animal; Quia cæteris hæc differentia notior, ac nobilior. Quæ enim vegetantis generis differentiæ propriæ sunt, tanquam obscuriores delitescunt in anima sentiente, ideo nec suamet appellatione, sed solo sui generis nomine nominantur, quia ignotæ sui generis; nempe viuentis, contractiones. B A.Doctor. A.Doctor. Aristoteles. A.Doctor.

Hinc propiùs ad rem nostram accedentes dicimus: Hominem quidem esse speciem formalem animalis, cùm sit ratione præditum animal, & ad hanc constituendam speciem cæteri in hominis animo gradus referantur: Entitatem verò animæ intelligentis continere in se plures gradus suis contractos differentiis in eadem entitate spiritali identificatos; Nimirum est gradus viuentis formaliter contractus ad tale principium vegetandi; quod scilicet talibus instrumentis talibúsque temperamentis vtatur, vt talem substantiam sanguinis pro alimeto habeat, talia organa ad tale semen effundendum exigat &c. Qui quidem effectus ex vegetandi principio manantes benè indicant ipsum vegetandi principium diuersum à cæteris viuentibus etiam in genere viuentis esse, cùm ipsi effectus ab aliorum vegetantium effectibus diuersi sint.

Idem dico de gradu sentientis animæ in eodem homine; Qui quidem gradus contractus est sua sentiente differentia, vt patet ex eius actibus, qui in genere sentientis animæ sunt à cæteris brutorum sensionibus diuersi. Sentire enim in homine non est eiusdem naturæ cum brutis. Nam primò si dicamus cum Aristotele libro 9. Metaphys. cont. 16. ipsas sensiones esse in animo. Ergo immateriales sunt. Cùm tamen cæterorum materiales sint atque extensæ. Ergo & eorum principium erit diuersum etiam in genere sentientis naturæ. Sin autem dicamus esse in organis, adhuc sequitur, ipsas sensiones esse diuersas ab ipsis brutorum sensionibus. Etenim aliud diuersum organorum temperamentum per se postulat sensus in homine, atque in brutis. Nam vt ait Aristoteles libro 2. de Anima cont. 94. & ex eo docet A.Doctor, infrà q.76. a.5. c. *Oportuit corpus cui vnitur anima intellectiua* inquit ibi A. Doctor esse corpus mistum inter *omnia alia magis reductum ad æqualitatem complexionis.* Vnde fit vt habeat homo etiam perfectissimum sensum tactus inter omnia animantia. Idque optimè: ex eo enim quòd futurum erat prudentissimum omnium animalium, debuit habere sensum certissimum, qui est tactus, vt ibi patet ex Aristotele. Si ergo complexio organorum, quæ per se requiritur ad operationes, indicat principia varia, nempe hominis & bruti, indicabit quoque diuersas esse illorum operationes. Aristoteles. A.Doctor. Aristoteles. A Aristoteles. A.Doctor. B Aristoteles.

Quamuis autem sint huiusmodi variæ rationes specificæ, seu gradus specie diuersi; Tamen illa humani animi entitas est vnius speciei ob vltimam eius formalem rationem; nempe ad ipsum esse hominis componendum, ad quod cæteri gradus referuntur, vt dixi ante de equo. Quare gradus intelligendi seu ratiocinandi non contrahit animal propriè tanquam formalis illius differētia etiam opinione A.Doctoris: Nam hic ponit intelligendi principium tanquam genus quod ex se non requirit corpus; cùm dicat, corpus illi accidere ob imperfectionem inferiorum specierum quæ sensus habent. Quod etiam patet ex illa q.16. de Malo a. 1. & aliis locis supra citatis. Ex quo tantum abest vt intelligendi principium contrahat sensitiuum tanquam formalis illius differentia, vt potiùs sentiendi principium eius opinione ipsum intellectum tāquam genus suum contrahat. Quæ tamen vicissim vera esse possunt posita nostra explicatione quoad contrahendi modum ob graduum in vna entitate coniunctionem. C A.Doctor.

Quod etiam clarè indicauit A.Doctor 1. 2. q. 74. a. 3. ad 1. Vbi docet *aliquas vires sensitiuæ partis etsi sint communes nobis & brutis* genericè *tamen in nobis habere aliquam excellentiam ex hoc quod rationi iunguntur. Sicut nos præ aliis habemus cogitatiuam & reminiscentiam* &c. Vnde ait appetitum sensus in nobis præ aliis animalibus *habere quandam excellentiam, scilicet quòd natus est obedire rationi, & quantum ad hoc potest esse principium actus voluntarij.* D A.Doctor.

In quibus verbis duo possunt animaduerti: Alterum est istas vires sensus etiam sub genere sentientis principij esse diuersas in nobis ab iis quæ insunt in brutis. Siquidem alias naturales proprietates habent; quia scilicet aptæ sunt dirigi ad normam rationis. Vnde alias socias facultates habent quæ in brutis non sunt; Vt cogitatiua & reminiscentia. Ergo non est mirum si dicamus, animæ sentientis gradum habere suam contractionem per differentias sentientis animæ, cùm gradus iste sentiens etiam in genere principij sensitiui citra intellectum sit diuersus à cæteris brutorum principiis, cum diuersas habeat proprietates & facultates. E

Alterum est, hos gradus appetitus seu animæ sentientis, posse contrahi ex coniunctione & nexu quem inter se habent: Quia habent *quandam*

d[illegible] excellentiam ex hoc quod rationi coniunguntur; vt diximus. Quasi sensus sit ob istam identificationem, vt sic dicam cum ratione in eadem entitate, trahuntur gradus sentientes ad quoddam esse nobilius, quàm sensui ex se debeatur, ac si earum genus imperfectius contrahatur per nobilissimam differentiam ad speciem longè præstantissimã, quàm sint cæteræ animantiũ species.

Summa ergo dictorum sit: Intellectui conuenire exclusiue, vt sit actus corporis secundùm suam rationem intellectus; idq; habere in quacunque specie intellectuali siue Angelorum siue hominis; quæ propriæ species formales sub illo sint: Non tamen intellectui conuenire exclusiuè non esse actum corporis secundùm omnes species & gradus, qui identificentur cum illo in aliqua entitate etiam spirituali. Qua ratione illa entitas quæ verè est intellectus; nempe animus est verè actus & forma corporis humani, ex qua vtraque parte vnum verè compositum fit; Cùm verè animus hominis definiatur actus corporis naturalis organici libro 2. de Anima cont. 6. & 7. & principium quo primo intelligimus; nempe discursu & ratiocinatione ibidem cont. 24. Quæ aduersus Auerroistas optimè probantur ab A. Doctore infrà q. 76. a. 1. & alibi frequentissimè. Hinc etiam *[Auerroistæ. A. Doctor.]*

Colligitur vltimò quo pacto intelligendum sit quod hic ait A. Doctor, & nos antè sæpè confirmauimus; nempe naturam intelligentem esse genus, cui accidat vniri corpori: Nam diximus esse genus hoc pacto vt sit gradus superior suis speciebus, earúmque partibus, quomodocunque sit superius. Quod etiam est posita hac nostra doctrina. Nam natura intelligens etiam excludens esse actum corporis, cùm possit affirmari de hominis animo quà intelligens est, etiamsi eius entitas sit actus corporis vt dixi; ac de Angelis: latiùs patet quàm illud prædicatum esse actum corporis, licèt ex se esse actum corporis absolutè, latiùs quoque pateat quàm ipsa natura intelligens; quod prouenit quia non sunt gradus in eadem categoria coordinati. Et hoc sufficit ad ea, quæ suprà dicta sunt. Quia satis est argumento nostro, & A. Doctoris, vt naturæ intelligenti genericæ; hoc est ex se consideratæ, & communi ad animam & ad Angelos, accidat esse actum corporis tanquam species, de qua illa natura tanquam latiùs patens affirmari possit. *[A. Doctor.]*

QVÆSITVM SECVNDVM,

Vtrùm Angeli sint Actus Corporum Cælestium.

QVamuis superiore Quæsito satis validè ratione A. Doctoris stabilitum sit; Angelos non esse actum corporis. Tamen quia proprias hæc materia tum ex Patrum effatis, tum etiam è variis Philosophorum Theologorúmque sententiis emergentes habet difficultates; placuit separata ac peculiari disputatione ponderare, vtra pars habeat veritatem. *[A. Doctor.]*

Præterquamquòd ex eam difficultatum examine meliùs confirmari poterit, quod hactenus de Angelorum ab omni corpore secretione disputatum est. Sanè Platonis sententia est in Cratylo, cuiusque rei principia accuratissimè con-
A siderari oportere, & in iis constituendis multa differere. Potissimum autem in hac tractatione principium est Angelorum substantia, quæ radix est & origo omnium, quæ in Angelis intelligi possunt.

Accedit & illud quod maximè ad rei veritatem faciunt dicta sapientum, si ea cum rationibus consenserint. Vt enim ait Aristoteles libro 10. Ethic. cap. 8. Si *sapientum opiniones cum rationibus consentiunt, fidem quidem aliquam talia quoque afferunt.* Atque idcircò idem Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 22. vbi cœlum ostendisset immortale semper perseuerare toto æuo, veterum etiam id ipsum confirmare voluit auctoritate. Quasi indicandum censuerit; illud maximè veritati congruere, quod etiam vetustatis, ac præsertim sapientum iudicio fulciatur. Primum autem quod B hac in re Patres in medium afferant audiamus. Sit ergo *[Aristoteles.]*

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Angeli SS. Patrum opinione sint cælestium orbium formæ informantes, & quid Catholico sentiendum sit.

C NOtandum est formas esse in duplici differentia, vt colligitur ex A. Doctore infrà q. 70. a. 3. & de spirit. creatu. a. 6. c. in fine. *[A. Doctor.]*

Formarum alias esse assistentes, informantes alias, Aristoteli ac Peripateticis. §. 1.

QVædam enim sunt informantes, quæ cum materia vnum quoddam compositum cõponunt; vt animus hominis est forma hominis: Quædam verò sunt assistentes, quæ corpori vniuntur tanquam rectores & motores illius; Vt nauta est forma nauis. Hæ etenim quoque dicuntur formæ, quia formant & dirigunt etiam D suam materiam, cum qua faciunt vnum non simpliciter, sed in genere instrumenti &c. Idem significauit Scotus in 2. d. 14. q. 1. §. *ex hoc sequitur*, vbi ait secundùm philosophos cœlum non posse esse animatum formaliter; nec vnquam verba Aristotelis aliter significasse. *Quia vbicunque* inquit *vocat animam cœli, exponatur quantum ad conditionem qua anima est motrix, non qua est forma. & illa anima est propriè intelligentia motiua huius orbis coniuncta huic vt motrix.* Citabo ad hanc rem alios Theologos ac philosophos Difficult. seq. in secunda sententia & deinceps. *[Scotus.]*

Quam etiam diuisionem indicauit S. Augustinus & Aristoteles. Nam S. Augustinus libro 2. super Genes. ad lit. cap. 18. ait sic. *Solet quæri; Vtrùm cœli luminaria ista conspicua corpora sola sint, an habeant rectores quosdam spiritus suos. Et si habent: Vtrùm E ab eis etiam vitaliter inspirentur, sicut animantur carnes per animas animalium.* Atque hic alter est modus informantis animæ seu formæ: Alter verò cùm statim pergit; *An sola sine vlla permixtione præsentia.* Eam verò non obscurè significauit Aristoteles libro 2. de Anima cont. 11. Cùm enim dixisset, quasdam animas esse corporis actus, subiungit de humano animo dubitationem. *Amplius* *[S. Augustin. Aristoteles.]*

plius autem immanifestum , si sit corporis actus anima

Simplicius. *sicut nauta nauis.* Inter Peripateticos Simplicius quoque lib. 1. de An. in cont. 54. idem significauit; Vbi duplicem facit vitam seu animam. Alteram quæ instrumentum format: alteram quæ instrumento vtitur. Vnde libro secundo cont. 4. putat, animā hoc differre à cæteris formis. Quòd anima bifariam actus est. Siue nimirum vt terminus instrumenti; siue vt character intimè formans ipsum corpus. hoc est, vt clariùs dicatur. Altera est, quæ corpus viuū reddit intimè ipsum formans. Altera quæ eo solùm vtitur, additque eam quæ est anima hoc posteriore modo non esse actum corporis naturalis instrumentalis, nisi vt est nauta nauis. Eam verò quæ priore modo est anima, esse actum corporis viuificantem, quasi forma nauis ipsi naui. Vult ergo animam vtroque modo esse actum, & vtroque modo fieri vnum. Huc etiam spectant quæ dicam seq. Difficul. in p. Not. & deinceps. Vt ergo significarem certis verbis quæstionem nostram in titulo dixi. Vtrum Angeli sint formæ cœlestium orbium informantes.

Referuntur Patres qui videntur affirmare Angelos esse cœli formas informantes, excusantúrque aliqui. §. 2.

Origenes. EX Parte affirmante videtur primò Origenes libro 1. Periar. cap. 7. vbi instituit disputationem; An Astra sint animantia; Partémque affirmantem non solùm complectitur; verùm etiam probat: *Quia mandata dicuntur accipere à Deo, quod vtique nisi rationabilibus animalibus fieri solet*; Nimirum, vt astra ordine suo, suísque cursibus splendorem præbeant Mundo. Deinde hunc animum ait esse *rationabilem*; quia ordine ac ratione moueantur. Ac ne putemus, eum solùm loqui de animo assistente non informante, ait de stellis: *sine dubio videbitur inter eas & profectus aliquis & defectus*; nempe vitij & virtutis, vt deinceps docet. Nec ibi Origenes, vt quidam arbitrati sunt, ambiguè loquitur. Nam expressè ait: *Ego quidem suspicor, extrinsecùs insertum esse spiritum* stellis, *sed operæpretium videbitur de Scripturis hoc ostendere*, &c. Immò in tomo secundo operum in explanatione in Ioannem libro primo tribus columnis ante finem illius ait sic. *Absurdum est pro peccatis quidem humanis eum dicere mortem gustasse, non ita verò pro quibuscunque etiam aliis, qui præter hominem in peccatis etiam essent. Verbi gratia pro astris: Nimirum neque astris omninò coram eo puris existentibus. Veluti legimus apud Iob: Astra autem non sunt munda in conspectu eius.* Patet ergo cœlum animari Angelis; animis scilicet hominis animo longè præstantioribus. In eandem sententiam propendet homilia vigesimaoctaua, in Num. post medium, licet nihil definire ibi audeat. *Videtur quibusdam*, inquit, *quod singulorum quoque syderum positio, & cœtus ciuitas dici, & haberi possit in cœlo. Quod ego quidem definire non audeo. Video enim omnem creaturam, in spe quidem propter eum qui subiecit, esse subiectam; exspectare tamen libertatem in redemptionem filiorum Dei sine dubio, & præclarius aliquid operiri.*

Clariùs homil. 4. in Ezechielem. *Futurum est*

A inquit *vt in die iudicij non solùm homo, sed etiam vniuersa conditio iudicetur. Omnis quippe creatura congemiscit & condolet: Est autem creaturarum pars terra, & cœlum, & cætera quæque quæ sub cœlo sunt & super cœlos, & liberabitur omnis creatura à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei; Quis scit, & de Terra an secundùm naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia? Si enim animal est: si rationabilis est, &c. & terra & cœli non erit futurum iudicium.*

Adhuc clariùs libro 1. contra Celsum non longissimè ab initio. Cùm enim Celsus hic Philosophus rideret Iudæos & Christianos, quòd cœlum pro Deo colerent; non verò potentissi-
B mas ac nobilissimas cœli partes: Respondet primùm non esse necesse, vt si totum sit Deus etiam partes Dij sint. Deinde solem & stellas, licèt animalia sint rationalia *virtute prædita, illustrata cognitionis lumine à sapientia illa quæ est splendor sempiterni luminis. Etenim sensibile ipsorum lumen creatoris est. intelligibile fortassis & ipsorum profectum à voluntate propria.* Cultu tamen non esse digna quo à Iudæis & Christianis colantur, eo quòd non decet populum qui didicerat omnem creaturam transcendere, adorare nisi summum Deum.

Secundò hanc sententiam probabilem putauit Pamphilus martyr in apologia pro Origene. Pamphilus.
C Sic enim hunc defendit. *De cœli luminaribus* inquit, *diuersa diuersi etiam qui sunt in Ecclesia opinantur. Alij esse animata & quidem rationalia. Alij irrationalia. Alij contra non animata tantùm, sed omni etiam sensu carentia, & sola sine spiritu corpora. Nemo tamen meritò eorum, qui hæc ita diuersè sentiunt & aduersè, hæreticum dixerit. quia non ita apertè de his in Apostolica traditione traditum est.*

Citari hìc quoque posset Ambrosius epist. 38. Ambrosius. ad Horontianum, vbi in hac cœlestium animatione apertè videtur Origenem secutus, cùm & cognitionem eorum quæ aguntur, & spem redemptionis attribuat astris. Sic enim ait, post-
D quam de anima disputauit. *Ab hoc exemplo animæ progrediamur ad creaturas reliquas. Propone tibi Solem, Lunam & stellas, quæ cœli lumina etsi præclaro fulgent nitore, creaturæ sunt tamen, & ad quotidianum ministerium vel surgunt, vel occidunt seruientes dispositioni creatoris æterni, &c. Quoties Sol iste obtegitur nubibus: Quoties obiectu aufertur terræ; vel cùm è regione Lunæ luminis sui radius fuerit repercussus: oriuntur ipsi, sed vt ait Scriptura, fecit Lunam in tempora, Sol nouit occasus suos. Nouit quando pleno orbe suo luceat, quando exinanito. Stellæ quoque nebulis obductæ vanescunt. Quæ sustinent ministerij mundani huius vsus, non sponte vtique, sed in spe; quia sperant laboris huius gratiam ab eo, qui subie-*
E *cit eas; ideóque propter eum sustinent; hoc est propter eius voluntatem. Nec mirum si patienter sustinent, cùm sciunt Dominum suum & creatorem omnium siue quæ in cœlo, siue quæ in terris sunt, suscepisse nostri corporis fragilitatem, nostræ conditionis seruitutem. Cur ergo illa seruitutis suæ corruptionem non patienter sustineant, cùm Dominus omnium pro toto Mundo se humiliauerit vsque ad mortem.* Et multa alia similia addit. Et post pauca. *Ergo vt concludamus*, inquit, *Et ille tantus ac talis Sol; & illa Luna quam noctis tenebræ non operiunt; & illæ stellæ quæ sunt ornamenta cœli seruitutem corruptionis non sustinent. quia corruptibile omne corpus, si quidem & cœli peribunt, & cœlum & terra*

& terra præteribit. Postea autem & Sol & Luna & cætera stellarum lumina requiescent in gloria filiorum Dei, quando erit Deus omnia in omnibus, &c.

Verùm hic locus manifestè per Prosopopœiā rebus inanimis personam orationémque tribuit. Nam primò fundamentum habet ex loco illo Pauli ad Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit.* qui locus apertam prosopopœiam continet; Vt in Catilinam Cicero introduxit patriam ingemiscentem, &c. de quo vide quæ ibi scripsit noster Cornelius à Lapide. Vbi ait etiā eadem ratione dici solere arborem exspectare fructus, & similia. Secundò, quia rectè desiderium & appetitum rei alicui tribuimus, cùm ea tendit ad perfectionem atque absolutionem suam. Qua de causa Aristoteli tum alibi sæpè tum præsertim lib. 1. Physic. cont. 81. dicitur materia appetere formas sicut turpe pulchrum & fœmina marem.

Rom. 8.
Cornelius à Lapide.
Aristoteles.

Quoniam igitur cœlum ac sydera atque adeò elementa omnia sunt in meliorem statum reformanda post iudicij diem iuxta illud Apoc. 21. *Vidi cœlum nouum & terram nouam*, vt explicat A. Doctor in eum locum lect. 4. dicitur ab Apostolo, quem imitatur Ambrosius creaturam exspectare redemptionem, numerare dies, &c. Id quod colligitur ex illis Ambrosij verbis: *Propone tibi.* Quasi dicas, finge animo. Nec dissimili modo Psal. 113. dicitur: *Montes exultastis sicut arietes*, & aliis modis de quibus generatim dicam tum ex Chrysostomo & Damasceno in nostra Propositione, tum etiam in fine huius Difficultatis.

Apoc. 21.
A. Doctor.
Ambrosius.
Psal. 113.
Chrysost.
Damascen.

Quam etiam loquendi rationem secutum esse Ambrosium planè patet ex libr. 1. de Interpellatione cap. 5. vbi solem super Christi passione ita meditantem ac loquentem finxit. *Præsixerat Dominus*, inquit, *se tribus diebus ac noctibus futurum in corde terræ. Vincerat hoc Sol, seruabat præceptum. Dubitabat ergo dicens. Quid facio? Orior, & dies est. Occido & nox est. Si cursum meum seruauero, demorabor Mundi salutem.* Et concludit. Festinandum sibi esse, vt videat solem iustitiæ illuminantem animas vniuersorum. Quæ manifestè sunt per prosopopœiam dicta. Nō enim hæc à sole dicta nosse potuit Ambrosius, etiam si daremus Solem ita locutum. Accedit quòd Ambrosius, vt dicam in secunda sententia, perspicuis verbis docuit cœlum enarrare gloriam Dei non quasi spiritu præditum, sed quemadmodum cætera Mundi opera. Ergo negaret cœlum habere mentem atque animum ad hæc enarranda.

Ambrosius.

Sanè Ambrosius nusquam cœlo animam dedit: Immò si cœlo inesse vitam putasset, id non tacuisset, cùm ex instituto cœli naturam considerauit libro 1. Hexam. cap. 6. Vbi *de natura*, inquit, *& qualitate substantiæ cœli, quid enumerem ea, quæ disputationibus suis philosophi texuerunt; cùm alij compositum cœlum ex quatuor elementis asserant: alij quintam quandam naturam ad constitutionem eius inducant, atque effingant æthereum esse corpus.* &c. vbi quòd anima præditum sit, nihil omninò commemorat.

Ambrosius.

Addo denique Ambrosium libro 1. de Abraham capite octauo, cùm dixisset cœlum esse intelligibilem visibilémque substantiam; terram verò visibilem ac sensibilem, subdit post medium eius capitis ac si Metonymicè ea dixisset. Ad visionem Ezechielis cœlos apertos, & rotas & animalia cum eis euntia & se eleuantia. *Vnde & Plato*, inquit Ambrosius, *dixit currum volucrem, cœlum esse ex eo quod propheta dixerat. Cùm irent animalia ibant & rotæ coniunctæ illis*, &c. Quæ per tropos dici ostēdit, sicut & cùm dicitur, Cœli enarrant gloriam Dei, *hoc est*, inquit, *potestates cœlestes velut cum spectatur pulchrum elementū prædicatur operatur* &c. Malè ergo citaretur Ambrosius ab hac parte.

Ambrosius.

A

Tertiò ex S. Hieronymo videtur idem probari posse. Nam in cap. 30. Isaiæ in illa verba. *Erit lux siue lumē lunæ sicut lux solis septuplum*, &c. ait sic. *Quando dederit Dominus cœlum nouum & terram nouam, & transierit habitus Mundi huius, vt Luna & Sol laboris sui præmia consequantur. Etenim expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei præstolatur, quia & ipsa liberabitur*, &c. iuxta illud ad Rom. 8. & subdit. *Licet ea quidam organa lucis intelligentes insensibilia esse contendant.* Quibus videtur Hieronymus opinionem Origenis confirmare, licèt aliorum non respuat.

Hieronym.
Isaiæ 30.

B

Verùm neque hic locus ad rem est: Quia non putat propriè præmia consequi ob merita, sed per tropos futuram ait sui renouationem, quæ tanquam præmium ac merces laboris danda sit. Quod enim attinet ad cœli animationem, satis suam mentem declarauerat Hieronymus in eundem Isaiam capite 1. in ea verba *Audi cœlum*, vbi arguit eos qui cœlum animatum dixerunt. *Quidam*, inquit, *cœlum & terram quasi animantia ad audiendum prouocari putant, iuxta illud quod in alio loco dicitur; Qui respicit terram & facit eam tremere. cùm hoc potestatis sit, non terrenæ intelligentiæ.* Pari ergo modo putat negari oportere cœlum esse animatum ac terram; quæ licet subdatur creatoris imperio, nullam tamen habet intelligentiam. Et similia habet in Isa. 13. & 45. Vt referam in nostra propositione infrà.

Hieronym.
Isaiæ 1.

C

Posset etiam alter ex commentariis in epistolam ad Ephesios locus referri: Nam in cap. 1. in ea verba: *Omnia subiecit sub pedibus eius* sic loquitur. *In eo quod* ait *videtur facere quæstionem*, &c. nimirum quia videtur obscurum cur Angeli & cæteræ virtutes, quæ Deo nunquam contrariæ fuerunt, eius pedibus subiici debeant. Respondet autem sic. *Potest* inquit *responderi quòd absque peccato nullus sit: & sydera non sunt munda coram Deo, omnisque creatura paueat creatoris aduentum. Vnde & crux Saluatoris non ea solùm quæ in terra, sed etiam quæ in cœlis erant purgasse perhibetur.* Hæc ibi Hieronymus. Ex quo loco Ruffinus Hieronymo aduersus, ei vitio vertit, quòd is reprehenderit in alio nempe in Origene quod ipse sensisset; Astra vbique esse animata virtutis vitiique capacia.

Ephes. 1.
D
Ruffinus.

Verùm neque hic locus fauet huic parti. Hieronymus enim varias authorum expositiones ibi refert, ac proinde non quæ ex sua, sed quæ ex aliorum sententia dici animaduertique poterāt, docet. Vt enim in Apologia prima aduersus Ruffinum respondet, & in procœmio in illam epistolam ad Ephesios præfatur apertè in fine, tria volumina Origenis in eam epistolam conscripsit. *Quem & ex parte* inquit ibidem *secuti sumus.* Vbi etiam profitetur se ex Apollinarij & Didymi commentariolis *pauca decerpsisse*, nonnulláque adiecisse, vel subtraxisse. *Vt studiosus*, inquit, *statim in principio lector agnoscat hoc opus vel alienum esse vel nostrum.*

Hieronym.
E

Quod ipse planè in eius loci explanatione accuratè præstitit. Quia postquam Origenicam expositionem attulit statim subiungit suam, licèt incerti auctoris personam induat. *Alius verò*, inquit,

A ro, inquit, *omnia non ad vniuersitatem, sed ad ea tantum refert de quibus disputatum est.* Vt *Omnis ciuitas conclamauit; non quod aliquis taceas in vrbe non fuerit: sed ex parte maxima etiam ea quæ minora sunt appellantur. Et ipse Paulus. Omnes quæ sua sunt quærunt non quæ Dei.* Ex his ergo auctoritate Hieronymi nullo modo hæc pars stabiliri potest.

Ecclesiastes 1. Efficacior cæteris ille locus videtur ex eodem in illud Ecclesiastes primo; *Lustrans vniuersa per circuitum pergit spiritus.* Vbi eandem sententiam tanquam non improbabilem admittit. *Siue ipsum Solem spiritum nominauit, quòd animet, spiret & vigeat, & annuos orbis cursus expleat, vt ait Poeta*

Interea magnum Sol circumuoluitur annum, &c.

Siue quod & Lunæ lucentem globum, & astra Titania

B *Spiritus intus alit, magno & se corpore miscet.*

A. Doctor. Vtrumque ergo probabile opinatur. Et hãc opinionem Hieronymo tribuit A. Doctor de spiritual. creatu. q. vn. a. 6. c. initio, & infrà q. 70. a. 3. c. & q. 6. de Pot. a. 6.

S. Gregor. A. Doctor. Tertiò S. Gregorius libro 4. Dialog. c. 5. apud A. Doctorem q. illa 6. de Pot. a. 3. in 7. arg. vbi ex Gregorio refert: *Quod motus cæli & totius naturæ sit ab Angelis, sicut humani corporis est ab anima.* Cùm autem ab anima sit tanquã à forma ipsum corpus informante. Ergo motus orbium ab Angelis tanquam à forma orbes informante.

S. August. A. Doctor. Quartò ab hac opinione non dissidet nec S. Augustinus, nec omninò A. Doctor. Ille enim libro 2. super Gen. ad lit. cap. illo 18. postquam dubitauit; Vtrùm Angeli informarent cœlum an non, verbis proximè relatis subdidit, se postea hanc quæstionem tractaturum. *Nunc autem seruata semper moderatione piæ grauitatis nihil credere de re obscura temerè debemus.* Idem habet in Enchiridio cap. 58. *Sed nec illud*, inquit, *certum habeo; Vtrum ad eandem Societatem pertineãt Sol & Luna & cuncta sydera.* Intelligit autem Societatem beatarum mentium. Ergo nõ est Augustino improbabilis hæc sententia. Hic verò q. vn. de spiritual. creatu. a. 6. c. cùm Patrum contraria hac de re pronunciata posuisset, subdit. *Vtraque autem opinio rationem probabilitatis habet.* Eius rei rationem reddit hinc ob nobilitatem corporum cœlestium, quæ cæteris præferri debent; inde verò quia ad contrarium existimandum nos inducit Angelorum excellentia. Idem patet ex q. vn. de An. a. 8. ad 3. vbi pro vtraque parte disceptat. Immò lib. 2. cont. Gent. cap. 70. in fine disertè ait, vtramque opinionem sustineri posse à Catholico. Postquam enim ex Aristotele ostenderat, cœlum esse animatum, subdit. Hæc se nõ dixisse *asserendo secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet siue sic siue aliter dicatur.* Quod confirmat ex illo Augustini loco in Enchir. c. 58. Idem ferè habet quol. 12. a. 8.

Aristoteles. S. August.

S. Dionysius. Quintò eadem sententia colligi potest ex S. Dionysio cap. 7. de diu. nom. post mediũ, vbi ait; *Diuinam clementiam coniungere fines primorum principiis secundorum.* Hæc ergo duo sunt simul. Ergo simul sunt supremum corporum, & infimũ Angelorum. Infimum autem Angelorum est anima corporis, & supremum corporum est cœlum; si autem sunt simul, non possunt esse nisi tanquam materia & forma. Ergo, &c.

***

Negandum est Angelos esse cœli formas informantes Patribus, eorumque testimonia clarissima referuntur. §. 3.

His tamen non obstantibus ad difficultatem respondetur; Et sit

Vnica propositio. Sententiã SS. Patrum Angeli non sunt formæ cœlestia corpora informantes. Probatur enumeratione eorum Patrum, qui cœlo negarunt animam, qua informante animaretur. In qua remitto Origenem sentiẽtem nullius corporis esse animam propriè informãtem, quippe pro meritorum varietate, corporum genera mutantem; Patres solidiùs loquentes ad rem nostram adducemus; ipsius sententiam copiosè suprà q. 50. a. 5. discussimus. Origenes.

Lactantius. Cicero. Ac primò quidem Lactantius libro 2. cap. 5. ridet eos, qui apud Ciceronem de Natura Deorum, astra ac cœlum faciebant Deos, eo quòd cùm viderent eorum cursus esse adeò constantes ac ratos, suoque cuiusque ordine dispositos; putabant id prouenire non posse nisi à mente aliqua, quæ eorum rector esset, ac proinde eos cursus censebant voluntarios & ab aliquo Deo.

Lactantius. Lactantius ergo contra hos philosophos arguit, ostendendo non solùm astra & cœlum non esse Deos; verùm etiam argumẽtum quod id colligunt esse falsum, cuius ea in re verba afferam: non quòd putem, validæ esse argumentationis, sed quòd valeant, vt ex eius mente declaremus, astra non animari Deorum anima, id est Angelorum. Sic autem habet. *Si Deos esse idcirco opinentur, quia certos & rationabiles cursus habent; errãt. Ex hoc enim apparet, Deos non esse, quod exorbitare illis à præstitutis itineribus non licet. Cæterum si Dij essent, huc atque illuc passim sine vlla necessitate ferrentur, sicut animantes in terra, quarum quia liberæ sunt voluntates, huc atque illuc vagantur vt libuit; & quò quamque mens duxerit eò fertur. Non est igitur astrorum motus voluntarius, sed necessarius, quia præstitutis legibus, officiisque deseruiunt.* Negat ergo, cælestes orbes animari, & eorum motus esse volũtarios. Vnde paulò post ait. *Vt non esse fortuitos* motus *manifestum est; ita nec voluntarios.*

Non ergo solùm auctores huius opinionis arguit, verùm etiam simpliciter: Quia ex eo quòd fortuiti motus non sunt, voluntarios non esse confirmat. Et cap. 6. de Mundo animante Stoicorum argumenta id quod astruunt pariter euertere ostendit. Nam post multa sic ait. *Si astra Dij sunt, Mundus ergo non est Deus, sed domicilium Deorum. Si autem Mundus Deus est, ergo omnia quæ in eo sunt, Dij non sunt, sed Dei membra. quæ vtique solius Dei nomen accipere non possunt. Nec enim rectè quis dixerit; membra hominis vnius multos homines esse:* & prosequitur philosophiam Stoicam, præsertim cœlorum, syderum, elementorum, mundi denique totius tum animationem tum diuinitatem amoliri.

Euseb. Cæsar. Non minùs clarè pro hac propositione est Euseb. Cæsar. lib. 7. præpar. Euang. cap. 2. initio, qui licet alioqui tantus Origenista, tamen disertis verbis docet, solos Hebræos ab erroribus immunes pia ac sancta consideratione negasse cœlum ac stellas esse animantes. *Solum* inquit *Hebræorum genus inter tot tantósque errores ab vna voluptatis*

pietatis collo tanquam hydra in diuersa capita profusos, veram pietatem secutum est. Hebræi enim soli pia sanctáque consideratione primum elementa & quæ ab elementis composita sunt; solem similiter & lunam & cæteras stellas, & cœlum ipsum non solum Deos non esse, verùm etiam animæ penitus expertia indicarunt. Reponit ergo hanc doctrinam inter pias ac sanctas considerationes veræ pietatis.

Iustinus. Iustinus etiam martyr & Philosophus in libro euersionis dogmatum Aristotelis num. 56. ex eo negat stellas Deos esse; (nempe ob animū intelligentem, qui inter Deos minores à Deo maximo computabantur, vt late dixi q. 50. a. 1.) quia Dij traherentur à Diis. *Si qualibet*, inquit, *earum stellarum Deus est; quomodo Dij à Diis non trahuntur. Quæ enim in eo quod mouetur religata sunt tractim trahuntur.* Apposité sane; Posito scilicet, quòd quadam necessitate orbes cælestes moueantur. Absurdum namque foret, Deum seu Angelum necessitate trahi, circumduci in orbē. Saltem hoc liquet Iustini sententiā, astra ac cœlum Angelis non animari.

S. Basilius. Baronius. S. Basilius præter ea, quæ ex ipso & aliis aduersus Origenem in epistola Iustiniani Imperatoris recitantur à Cardinali Baronio anno Domini 538. tomo 7. optimè hac de re scripsit hom. 3. Hexameron versus finem, quasi Origenis opinionem, eiusque rationem carpat, ait orbes cœlestes inanimes esse quamuis Deum laudent. *Neque enim cœli anima ulla informātur*, inquit, *qui gloriam narrant Dei: neque firmamentū anima & sensu præditum esse censemus, quod effectionem manuum ipsius itidem annunciat, vt astruat aliquis & interpretetur hosce cœlos virtutes esse quasdam contemplationi concreatas*, &c. reddit huius rei rationem ex absurditate consequente. *Secundum enim hanc interpretandi formulam, ros & pruina, frigus & æstus, quod apud Danielem iussa sint concelebrare hymnis vniuersorum opificem, mentes quædam erunt*, &c. postea verò subdit, quòd etiam draconibus præcipitur, vt Deo laudes dicant.

Et ibidem hom. 6. hoc dilemmate colligit aduersus astrologos, in quorum verbis ait contineri magnam amentiam, multóque maiorem impietatem; stellas non esse maleficas. *Nam si naturâ stellis competit maleficium; ipse sane creator effector erit malignitatis. Sin improbæ voluntate sua, maleque euadunt: Primum quidem animantia erunt boni malique electiua, & solutis appetitionibus, imperiosisque vtentur. Quod quidem inanimis falsò tribuere, summa dementia constat esse.* Hinc super Psalmum 48. hominis dignitatem exaggerat proptereaquòd cœlo prælatus à Deo sit. *Qui ad sui conditoris imaginem creatus esset*, inquit, *honore prælatus cœlo, soli, & vniuerso stellarum choro. Quod enim cœlorum dictum est imago Dei altissimi? Quamnam imaginem sui seruat Sol creatoris? Quid Luna? Quid tandem reliquæ omnes stellæ? Planè inanimata hæc quidem ac materialia corpora sortita sunt. Sanè quàm pellucida quidem, at nulla prædita mente, nullæ insunt voluntariæ motiones, nulla libertas arbitrij illis adest: sed necessitati sibi impositæ seruiunt*, &c.

S. Ambros. S. Basilius. Idem S. Ambrosius libro 2. Hexameron cap. 4. docuit, idem inquam omninò quod S. Basilius in illa hom. 3. vt videatur è Basilij officina Ambrosij sententia prodiisse. Ait enim cœlum enarrare gloriam Dei, & firmamentum, &c. *Sed nō quasi spiritalia, sed quasi opera Mundi enarrant, quemadmodum suprà diximus.* & paulò post: *Nam & ros, & gelu, & frigus, & æstus secundum hymnum propheticum*

A *benedicunt Dominum, benedicit & terra, & illa non ad intelligibiles naturas referimus, sed ad veritatem.* Postea quoque de draconibus habet quæ Basilius.

Citatur etiam a quibusdam S. Cyrillus libro 2. in Iulianum; veruntamen ibi solum ostendit, cœlum non esse Deum, nec solem aut astra deos esse; quod ex Platone contendebat Iulianus, nisi forte nomine Deorum Cyrillus, vt se verbis Iuliani & Platonis accommodet significare velit Angelos. Hoc enim Deorum vocabulo à Platone non rarò Angelos appellari ex ipso Platone docuimus sæpe supra, præsertim q. 50. a. 1. Solùm in fine eius libri videtur nonnihil significare, cœlum & astra nullo modo esse animis prædita ipse Cyrillus cùm ait, cœlum enarrare gloriam Dei, *Quomodo vel qualiter?* &c. *Etenim eximia & egregia licet voce careant, quodammodo tamen clamant artificis artem in se ostendentia.* Quibus innuit in cœlo non esse aliam vim enarrandæ diuinæ gloriæ præter ipsum operis artificium, ac proinde animo talia corpora non animari. S. Cyrillus. Plato.

Non inficior etiam Cyrillum eodem libro ante medium comparare Platonis Aristotelisque de Mundi animatione sententiam ex Porphyrio: Nam *Plato mundum animalem esse dixit*, inquit, & *animal mente præditum, tribuitque ei prouidentia gubernari*, &c. *Verùm discipulus eius non idem sensit. Neque enim animatum totum, neque mentalem*, &c. Solùm ergo ex Aristotelis opinione negat mundum esse animatum: verùm de cœlo ac Mundo quid ipse sentiat, nihil subiicit; verisimile tamen est, Aristotelis opinioni subscripsisse; quippe Platoni Aristotelem opponit. S. Cyrillus. Porphyrius. Plato. Aristoteles.

Clariùs hac de re S. Hieronymus in epist. 59. ad Auitum, vbi hunc quoque errorem inter cæteros Origenis enumerat ante medium his verbis. *Solem quoque & lunam, & astra cætera esse animantia, imnio quomodo nos homines ob quædam peccata his sumus circumdati corporibus, quæ crassa sunt & pigra; sic & luminaria cæli talia vel talia accepisse corpora, vt vel plus vel minus luceant, & dæmones ob maiora delicta aereo corpore esse vestitos, omnem creaturam secundùm Apostolum vanitati esse subiectam*, &c. Huc etiam spectat alius eiusdē Origenis error, quem postea refert idem Hieronymus ibidem. *Non eo tempore quo factus est mundus, solis animæ esse cœperit, sed antequam lucens illud, & ardens corpus intraret.* Sensit ergo in hoc quoque errasse Origenem quòd astra fecerit animantia; & quòd vt nos homines ob peccata talibus astrorum animi induti corporibus sint, &c. S. Hieron. Origenes. Hieronym.

Eandem sententiam redarguit tacito Origenis nomine idem Hieronymus lib. 13. comment. in Esaiam Prophetam explicans illa verba cap. 45. *Manus meæ tetenderunt cœlos* vbi etiam fundamenta eius erroris euertit; *illúdque quod scriptū est*, inquit, *Ego omnibus stellis præcepi occasionem quibusdam tribuit, quòd astra rationalia sint, & animam sensúmque habeant. Neque enim aiunt præciperet nisi intelligentibus; non recordantes, quod in Iona scriptum sit: Præcepit Dominus spiritui comburenti: & rursum Præcepit vermi matutino; & quod in Euangelio Saluator ventos & mare increpauerit, in quibus sensum atque rationem non esse perspicuum est.* His autem verbis non id addit Hieronymus (quod quidam putarunt) vt docere solùm velit, rationem non esse firmam; vnde illi suam eruūt conclusionem: cur scilicet Angeli addicti sint animandis astris, sed doctrinam etiam arguere ei consilium est. Nam Origenem notat, & dum eius ipsam rationem Hieronym.

conuellit, eius hoc ipsum dogma damnauit, vt A diximus, epist. 59.

Hieronym.

Quod etiam videtur insinuasse Hieronymus libro 1. comment. in cap. 8. Matth. in ea verba: *Tunc surgens imperauit ventis & mari*; vbi aduersariam sententiam notauit erroris atque hæreseos. *Ex hoc loco intelligimus* inquit *quod omnes creaturæ sentiant creatorem. Quas enim increpauit, & quibus imperauit, sentiunt imperantem non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia* &c. Quibus videtur opinionem Origenis sugillare; nec est ratio, cur potiùs de elementis eam reprobet, quàm de cœlis.

Isaia 13.

Idem etiam Is. 13. indicauit super illa verba, *Super hoc cœlum turbabo*. Etenim docet hyperbolicè accipiendum: *Quod ab indignatione Dei cœlum tristetur*; Quia nimirum non habet animum, vnde B tristetur.

Hierónym. Isaia 13.

Denique apertissimè idem docet Hieronymus in idem cap. 13. Isaiæ in ea verba; *Super hoc cœlum*; nempe: *cœlum & terra transibunt, non sua voluntate, & proprio arbitrio, vt plerique existimant animalia illa esse credentes; sed propter indignationem Domini exercituum.*

Nazianz.

Huc etiam referri potest S. Gregorius Nazianzenus orat. 43. quæ est in nouam Dominicam non longè ab initio, vbi formam solis docet esse creatam ante materiam ad miraculum patefaciendum; *Vt maioris cuiusdam miraculi specimen ederet, formam materia priorem protulit: forma enim solis lumen est ac postea materiam induxit, solem hunc nimirum diei oculum fabricatus.*

Quod testimonium est maximi ponderis, si recta lance pendatur. Nam triplex ibi facit Nazianzenus lumen; *lumen vnum, & inaccessibile Deus* est; *secunda autem lumina, primique luminis radij virtutes ipsum circumstantes atque administri spiritus*; Tertium est lumen, quod primo die è nihilo factum est ante ipsum solem, vt diximus. *Quod postea* inquit *ob orbem terrarum illustrandum soli traditum est*. Ergo corpus solare cuius forma est lux post Angelos creata non constituitur per Angelos tanquam per formam informantem Nazianzeni sententiâ; quandoquidem totum eius corpus, quod est luci tanquam formæ subiectum Angelorum lumine non subsistit.

Chrysost. Sixtus Senens.

Est etiam pro hac nostra propositione præclarus ex S. Chrysostomo locus apud Sixtum Senensem libro 5. Bibliothecæ sanctæ annotat. 242. vbi ad prosopopœiam accommodat, quæ ex Scripturis afferri solent ad cœli astrorúmque animationem, eo quod cœlestes orbes animati putandi non sunt. *Solent enim diuini scriptores*, inquit, *vt oratio significantior fiat, rebus inanimis animatas personas affingere. Inducunt fluuios, vt initio statim diximus, & colles & montes subsultantes, non vt hæc animata esse putemus; sed vt intelligamus quanta sit propositorum bonorum amplitudo, vt quæ vel ad ea quæ sensu carent perueniat, & pertingat. Iidem in rebus molestis faciunt & vitam lamentantem, & montes & templi laquearia eiulantia, vt contrà & hinc malorum grauitatem reputemus. Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer* &c. *Cœli item, cœlorúmque luminaria mœrebunt* &c. *Iidem contrà cœli taceant, licèt non vlla voce inde emissa Deum laudent; Dei tamen gloriam enarrant & magnificant, & opera eius enunciant* &c. *Vsqueadeò cœli, Sol, Luna, stellæ, & vnumquodque eorum quæ facta sunt, dignum esse factoris sapientia, & magno vndique plenum miraculo. Omnis ergo creatura nō voce sed opere laudat & benedicit Dominum* &c. Itaque rebus inanimis tribuitur sermo vt elementis, cœlo, stellis &c. Ergo hæc omnia Chrysostomo inanimata sunt.

Chrysost.

Huc etiam spectant quæ alibi dixit Chrysostomus, cùm cœlo hominum Ecclesiam, & hominem ipsum dicit esse honoratiorem, ac proinde non hominem propter cœlum, sed cœlum propter hominem esse a Deo factum. Quæ verè non diceret, si cœlo putaret animum inesse. Sic autem habet hom. 4. de verbis Esaiæ. *Est cœlo* inquit *honoratior Ecclesia. Quare cœlum conditum est? propter Ecclesiam. Ecclesia non est propter cœlum condita. Cœlum conditum est propter hominem, non homo propter cœlum.* Idem habet homil. 11. cùm ageretur de eius expulsione, serm. de Misericordia; homil. 35. ad Antioch. serm. de gratiis Deo agendis; & hom. 18. ad Rom. in quibus locis sæpè docet, hominem multò meliorem esse cœlo, qui animum quouis cœlesti splédore & ornatu ac pulchritudine splendidiorem habere possit. Ac licet homo feris peior antea esset, vt tamen tales postea diuino impulsu effectos esse ait, vt Angelos puritate æmulentur. Ergo non putauit cœlum esse animatum Angelis: Nam si Angelos puritate non superat homo, nec cœlum ornatu, ac splendore vinceret hominis animus.

S. August.

C Nec abs re citari potest S. Augustinus tom. 6. in libro de duabus animabus contra Manichæos, qui lucem, hoc est solem colendam prædicabant; contra quos cap. 3. in fine, & initio cap. 4. Augustinus ait, huiusmodi *lucem quam colendam prædicarant, esse anima illa viliorem, quam fugiendam monerent*; nempe musca. Et ideò subdit statim. *Atque si fortè turbati à me quærerent: Num etiam Muscæ animam huic luci præstare censerem; responderem etiam. Nec me terreret Musca quòd parua sit. Sed; quòd viua; firmaret.* At si cœlo forma esset animus, quantò diuinius omni esset musca cœlum?

Estius.

Ex quo patet, non esse probandam quorundam responsionem, vt Estij in 2. d. 14. §. 8. asse- D rentium Augustinum Muscam non cum sole, sed cum luce comparare: nec mirum esse si Musca quæ substantia est, luce accidente nobilior sit. Non est autem probanda responsio. Nam nullo modo in Manichæorum errorem, quem improbare contendebat Augustinus argumentatus esset. Consilium enim eius erat, vt Manichæos euinceret, ostendendo ipsorum Deum ignobiliorem esse muscâ. Ergo nomine lucis solem intelligit: Solem enim non lucem loco Dei, Manichæi venerabantur. Sic enim habet Augustinus tract. 34. in Io. post initium, vbi interpretatur quonam pacto intelligi oporteat illa

S. August.

E Saluatoris verba: *Ego sum lux mundi. Numquid*, inquit, *fortè Dominus Christus est sol iste, qui ortu & occasu peragit diem? Non enim defuerunt hæretici qui ista senserunt. Manichæi solem istum oculis carnis visibilem, expositum & publicum non tantùm hominibus, sed & pecoribus ad videndum, Christum Dominum esse putauerunt.* Ergo non lucem, quæ est accidens, intellexit Augustinus, dum horum hæreticorum errorem euertit.

Posset etiam alicui videri pro hac sententia locus ex libro 1. Retract. cap. 5. in fine, vbi retractat quæ in libro de immortalitate animæ dixerat, omnia & Mundum ipsum subsistere per animam;

animam, atque: *Hoc totum prorsus temerè dictum est.* Ergo temerè asseritur cælestes orbes animari. Nam sunt illi quoque corpora, quæ nullo argumento animata esse dicerentur, quemadmodum nec aer nec lapis. Vniuerse enim ait, temerè id dictum esse. A

Cæterùm huic loco aduersatur, quod eo libro cap. 11. scribit, Mundum esse animal, temerè à se dictum esse; *Non quia hoc falsum esse confirmo, sed quia nec verum esse comprehendo, quod sit animal Mundus.*

Facit tamen pro hac propositione, quod libro etiam 2. Retract. cap. 14 negat, se bene Angelos appellasse animas, sed debuisse dicere *Spiritus, quoniam de Angelis agebatur.* Si autem Angeli essent animæ; cur id retractandum fuisset? B

Veruntamen ad Augustini mentem rectè explicandam illud in primis fauet, quod ait libro etiam 2. Retract. cap. 7. vbi expresse docet, quæ alibi; nempe contra Faustum Manichæum ipse scripsit de cælestium orbium animatione per metaphoram accipi posse, translatione a re animata ad rem inanimem facta. *De Sole & Luna* inquit *talia dicta sunt tanquam sentiant, & ideo tolerent vanos adoratores suos; quamuis ibi accipi possint ab animali ad inanimale translata modo locutionis, qui vocatur Græcè metaphora; sicut de mari scriptum est quod fremat in vtero matris suæ volens progredi, cum vtique non habeat voluntatem.* C

Ex quibus apparet, Augustini sententiam non esse, vt aliquando putarit, cœlum animo præditum, sed si quando id dixit translatis verbis vsum esse, vt de aliis dicam deinceps ex A. Doctore in responsione ad argumenta.

Theodoret. Psal. 146. Pro nostra etiam propositione nonnulla manifestissimè docuit Theodoretus in Ps. 146. in ea verba: *Qui numerat multitudinem stellarum;* vbi interpretatur ea verba, non quòd Deus vere enumeret, aut vocet suo nomine stellas ipsas, sed quòd cognoscat multitudinem stellarum, earúmque differentias, reddit rationem. *Non enim* inquit *nominibus vtens vniuersitatis Deus stellas vocat, quandoquidem hæ inanimes sunt & rationis expertes. Cæterum homines impia mente vtentes ex fabulis ab ipsis confectis nomina stellis posuerunt.* Ergo qui aliter putarunt impiæ mentis sunt. D

S. Fulgent. S. Fulgentius libro de Fide ad Petrum cap. 3. paulò ante medium asserit, naturam intellectualem *in animabus esse hominum & spiritibus Angelorum. Deus quippe diligendi ac cognoscendi se non nisi Angelis & hominibus indidit facultatem.* & post pauca conclu lit. *Angeli ergo atque homines pro eo quia rationales sunt facti, æternitatis ac beatitudinis donum in ipsa naturæ spiritalis creatione diuinitus acceperunt* &c. Itaque solos Angelos atque homines seu hominum animos rationis participes fecit Deus. Ergo non astra; non cœli animi intelligentes Fulgentio sunt; quia alioqui dixisset Angelos, astrorúmque animos rationis quoque participes esse. neque enim cæteros animos exclusisset. E

Petr. Chrysolog. Apertiora etiam sunt quæ habet S. Petrus Chrysologus ser. 120. Ait enim; iustos, qui vitam suam ad normam Christi componunt, fore quidẽ Angelis pares, sed cœlo astrisque digniores. *Et ita viuens* inquit *vt Apostolus docuit non profliganit mundum: non proterit carnem? non diabolum vincit? non æquatur Angelis? non maior est cælo?* At si cœli anima Angelus esset, non vtique esset cœlo maior, qui Angelis non est maior, sed par.

Præterea adhuc apertius proximè subdit, quomodo iustus maior cœlo sit; Nimirum propterea quòd cœlum nec sponte, nec iudicio agit. *Planè maior cælo; quia cælum non mouetur sponte, non voluntate agit, non iudicio facit quicquam, sed sola necessitate seruit semper, quia semel iussum est seruire impollutum se non viribus non labore custodit* &c. *At homo ex terrena vilitate concretus, dum terrenam labem vincit, dum sanguinis stimulos frangit,* &c. En habes hominem meritis ex voluntate & arbitrio, quo cœlum non pollet, ipsa cælestia corpora superare. Ergo cœlum non est intelligente anima præditum nec Angelis.

S. Gregor. Probari etiam potest ex S. Gregorio, qui hom. 10. super Euang. dixit: *Pastoribus in Iudæa tanquam ratione vtentibus rationale animal; id est Angelus natum redemptorem prædicare debuit: Magis Gentilibus qui ea vti ratione nesciebant, stella elementum mutum apparuit* &c. Ergo non putauit stellas esse rationale animal, seu intelligentem animatámque substantiam. Sed de eodem Gregorio dicam infra ad 3. Argumentum. Et quantum ad stellam illam spectat, incertum videtur An inter cœli astra, enumeranda sit.

Rupertus Abbas. His etiam addo Rupertum Abbatem libro 9. de glorificat. Trinitatis cap. 4. vbi cum dixisset, sapientes huius sæculi sensisse astra esse animata. *Quod recipere,* subdidit, *nec voluit, nec debuit Ecclesia Dei.* Quare iudicio Ecclesiæ aduersantem opinionem damnat.

Synodus V. Concilium Lateranẽse. Non prætermittam Patres Quintę Synodi, vt dicam in secundo *Colligitur* infrà; nec Patres Cõcilij Lateranensis ex cap. *Firmiter* de Sum. Trin. & Fide Cath. vbi dicitur Deus *vtramque ab initio de nihilo condidisse creaturam spiritualem & corporalem, & deinde hominem ex vtraque compositum.* Quo ipso indicatur vt rectè obseruat noster Valentia infrà Disput. 5. q. 3. p. 4. non esse aliam naturam ex vtraque compositam præter hominem. Alioquin cœlum cum homine connumerandũ fuisset, si illud ex anima intelligẽte & corpore cõponeretur; esset enim creatura ex vtraq; cõposita. Valentia.

Damasc. Denique pro hac nostra propositione præclarus locus est Damasceni libro 2. de fide cap. 6. vbi grauibus verbis negandum esse docet, cælo atque astris vllam inesse animam. *Nec vero cæli substantia inuestiganda est, quippe quam cognitione assequi nequeamus. Nullus porrò in eam opinionem veniat, vt cælos aut sydera animata esse existimet. Anima quippe ac sensu carent.* Inde quasdam scripturæ locutiones interpretatur, quæ detorqueri in contrarium sensum possent. Sanè cùm Scriptura docet Ps. 95. *Lætentur cæli, & exultet terra.* exponit Damascenus, illis verbis inuitari *Angelos qui in cælo, & homines qui in terra versantur ad lætitiam.* & alibi scripturam personas rebus affingere; Vt cùm ait Ps. 18. *Cæli enarrant* &c. quasi *magnitudine sui opificis potentiam nobis declarent.* in quo sensu sæpè intelligi scripturæ verba aliquantò fusiùs dicam in fine Difficultatis. Constat ergo Patribus omnibus ferè, cœlum animo carere, ac proinde Angelos non esse propriè animos cælestiũ orbium. Psal. 95. Psal. 18.

Ostenditur Patres in parte affirmante citatos, à cæteris non dissidere, nec A. Doctorem. §. 4.

NEque Patres ad Partem oppositã negarunt hanc doctrinam. Nã tametsi Origenes cœlo Origenes.

det animos, vt clarè patet ex citatis verbis; A non tamen inde cōficitur, ipsum existimasse esse animos informantes. Esto enim eius opinione inter stellas sint peccata & merita: tamen nomine stellæ intelligit assidentes Angelos notissima figura Metonymia, cùm ponitur continens pro cōtento. *E cœlo ista possideo*, inquit inclytus ex Machabæis martyr 2. Machab. cap. 7. cùm ei manus (2. Mach. 7.) & lingua præcideretur à tyranno. E cœlo autem dicit; hoc est Dei qui cœlo degit munificentiâ. Nec nouū est Origeni figuratè loqui. Vnde cùm Solem atque astra docet esse animalia ratione prædita; id quidem consentaneè suę doctrinæ dicit. Si enim animum continent rationis participé, animalia sunt. Nego tamen hinc cōfici esse animos informantes. Nam & Peripatetici, aliiq; B complures philosophi dixerunt cœlum esse animal, cum tamen non fateantur esse animal informante animo, vt deinceps patebit. Cogit me vt hæc dicam Origenes ipse. Nam vt ex eo retuli suprà q. 5 c. a. 1. Quæsi. 2. Diffic. 1. & a. 4. Quæsit. 1. Difficult. 1. arbitratus est ipse animas & Angelos migrare de corporibus in corpora pro varietate factorum; & tandem aliquando fore, vt in pristinam conditionem, in qua conditi fuerunt; hoc (Origenes.) est absque corporea mole redeant. Quare Origenis sententia Angeli corporei sunt non natura, sed pœna. Sed vtut sit, fuerit in ea hæresi Origenes, qui sanè non constanter locutus videtur; Tamen nihil est, quòd eius testimonia in hac re C vereamur. Nam vt mox patebit damnarunt eam (V. Synodus.) doctrinam Patres V. Synodi. Meritò autem à (Hieronym.) Hieronymo & aliis hic ei error ascribitur. Nam eius verba illum sæpe significant.

(Hieronym.) Ad secundum ex sancto Hieronymo respondetur; ipsum eo loco in vtramque partem dixisse, propterea quòd hic locus non est visus illi commodus, vt alteram partem altera reiecta statueret. Quod aliis locis citatis in nostra proposi- (A. Doctor.) tione egregiè præstitit. A. verò Doctor tribuit illi quidem hanc opinionem, non tamen ita vt eius eam omninò esse dicat; sed: *videri Hieronymum eam sentire*, vt p. p. loco citato loquitur. Hoc autem idem est, ac dicere, eam significatam esse D ab ipso, eo quòd nimirum eam cùm retulit, non refutauit. Modò tamen expresè aliter Hieronymus sentiat, parum refert, quod alicubi anceps dictum ex Hieronymi ore prodierit.

(S. Gregor.) Ad tertium sancti Gregorij respondeo, eā non potuisse à me inueniri apud sanctum Gregorium eo loco, & alibi. Solùm ibi ait. *Sicut vis animæ viuificat, & mouet corpus; sic vis diuina mouet, & implet, quæ creauit omnia*, & subdit, Deum *inuisibilia obsequia habere*. Aut igitur non optimo codice videtur vsus A. Doctor: Aut solùm ex Gregorio refert, sicut ex Augustino ibidem per spi- E ritum vitæ omnia corpora regi. ex quibus verbis A. Doctor de suo colligit, *Sicut*, &c. vt suprà. Et ita bene respondetur ab ipso ad 7. regi imperio & gubernatione, vt ab anima corpus, non autem vt à forma, vt similitudo sit in imperandi & mouendi facultate erga corpora, non tamen quoad informandi vim.

(S. Gregor.) Immò Sanctus Gregorius eodem libro quarto capite quarto. solùm ait tres spiritus à Deo conditos esse. *Vnum qui carne non tegitur*, & hunc ait esse Angelum: *Alium qui carne tegitur, sed cum carne non moritur*, & hic est hominis: *Tertium qui carne tegitur, & cum carne moritur, iumentorum omnium, brutorumque animalium.* Ex quo patet, per carnem intelligi corpus. Spiritus enim omnium brutorum non tegitur vera carne; vt spiritus piscium, locustarum, culicum, &c. Vnde sic arguitur ex S. Gregorio. Angeli nullo teguntur corpore. Ergo non sunt formæ cœli formatrices, quia tegerentur aliquo corpore; nempe cœlesti, vt homo carne. Ad testimonia S. Augustini dictum paulò ante est.

Ad A. Doctorem; Respondeo ipsum expres- (A. Doctor.) sè docere generatim, nullum Angelum habere corpora naturaliter vnita, & hanc sententiam esse fidei veritatem. Ita enim conclusit q. 6. de Pot. a. 6. in fine corporis. *Sic ergo fidei veritatem sequendo dicimus, Angelos & dæmones non habere corpora naturaliter vnita, sed omninò incorporeos esse sicut dicit Dionysius.* Putat ergo Angelos non esse corporum etiam cœlestium actus pertinere ad fidei veritatem. Quare deinde affirmo, A. Doctorem (A. Doctor.) in eo art. 6. dicere quidem vtramque opinionem habere rationem probabilitatis, quia suas rationes habet probabiles, vt ponitur in argumento, non tamen dicere, sibi vtramque opinionem esse, aut videri probabilem. Hæc enim duo valdè diuersa sunt. Potest enim aliquid iudicari rationes habere probabiles; nimirum aliis; non autem sibi videri probabiles quę opinionem suadeant. Vt quòd cœlum sit naturæ igneæ non caret rationibus, quæ magnis viris visæ sunt verisimiles; quæ tamen Peripateticis omninò improbabuntur.

Ad illum autem locum ex quæstione vnica de An. a. 8. ad 3. fateor difficiliorem esse responsionem. Nam apertè ait vtramque partem quæstionis se sustinere. *Propter argumenta*, inquit, *vtramque partem sustinentes dicamus aliquam substantiam intellectualem esse perfectionem cœlestis corporis, vt formam, quæ quidem habet solam potentiam intellectiuam non autem sensitiuam.* Immò id confirmat auctoritate Aristotelis libro decimo Metaphysices ca- (Aristoteles.) pite primo & lib. secundo de An. cont. 29. quibus in locis putat ab Aristotele doceri, intellectum posse esse sine sensu. Quare videtur concedere, cœlum esse animatum.

Verumtamen nego id concedi: Primò quidem quia nunquam ibi docet, animam cœli esse eius formam informantem; sed formam quæ potest habere rationem formæ etiamsi assidens cœlo sit, vt diximus. Secundò, quia concludit ibi A. (A. Doctor.) Doctor, si cœlum ponamus animatum animo solùm intelligente tunc dicendum esse, *vniri corpori vt formam non propter operationem intellectualem, sed propter operationem virtutis actiuæ*, &c. At certum est, formam quæ vnitur corpori solùm propter eius motum; non autem ob aliud actionis genus, esse assidentem non informantem formam; vt apertè docet infra quæstione septuagesima a. 3. ex Aristotele libro 8. Physicorum contex- (Aristoteles.) tu quadragesimosecūdo & quadragesimotertio. Ait enim motorem vniri mobili per contactum virtutis, atque idcirco non oportere, vt Intelligentia vniatur cœlo vt forma illius.

Vnde tantum abest, vt dicat contrariam sententiam esse probabilem, vt potiùs absolutè atque omnino demonstret, non posse Angelos esse cœli animas, quia nullū corpus subseruit intelligētiæ sed sensibus, ideoq; nec Aristoteli, nec Platoni cœlum animari. & cōcludit ac si id demonstratione necessaria cōfecisset hoc pacto. *Sic igitur patet, quòd corpora cœlestia nō sunt animata eo modo quo*

plantæ

plãtæ & animalia, sed æquiuocè. Vult ergo id esse manifestum, quòd ad solum motum non debeat esse animus mobilis informans forma corporis.

Denique, quia eam sententiam ibi sequitur A. Doctor, quam ibi dicit esse Platonis atque Aristotelis, vt aperte patet initio eiusdem solutionis ad 3. At Plato, & Aristoteles nunquam posuerunt A. Doctoris opinione cœlum aliter esse animatum, atque per animam assidentem & motricem cœli. Quod expresè fassus erat A. Doctor tum in eo art. 3. iam citato, tum q. vn. de spiritua. Creatu. a. 6. cuius verba paulò post fideliter referam. Neque contra hoc facit quod A. Doctor in ea responsione ad 3. in Aristotelis, Platonisque sententiam referat Origenem, qui voluit astra animari, vt cætera animantia, vt diximus. Ergo A. Doctor arbitratur, Origenem non discrepare ab Aristotele, ideóque si Aristotelis sententiam sequitur, fatetur vnà cum Origene, cœlum propriè habere animam.

Hoc inquam non obest. Quia duas opinionũ classes ibi facit A. Doctor: Alteram, quæ cœlum asserit animatum. Alteram quæ negat. Inter affirmantes ponit Aristotelem, Platonem, Origenem, & alios: Inter negantes autem Damascenum. Priori ergo classi consentit A. Doctor in eo, quòd cœlum sit animatum; nihil tamen dicit quomodo ex animo constet. Non ergo eos sequitur quoad omnia. Immò cùm subdat, illum animum vniri corpori ad solum motum, clarè satis explicauit, se Aristotelicæ, Platonisque sententiæ subscribere De cœli animatione per animam assidentem non informantem.

Maior adhuc difficultas videri potest ex libro 2. cont. Gent. cap. 70. in fine, vbi vt retuli in argumento neutram partem à fide alienam esse docet. Verumtamen ne hic quidem locus nobis obest. Nam cùm ibi ex Aristotelis officinis aduersus Auerroem argumenta promat pro cœli animatione, videtur ipse non tam loqui ex sua quam ex Aristotelis sententia. Immò puto, non tam ipsum loqui ex Aristotelis mente, quàm ex verbis Aristotelis, quæ ipsi Auerroi negotium facessant, vt etiam indicat Ferrariensis in eum locum. §. *Ad hanc difficultatem.* Nec displicet Caietano hic q. 70. a. 3. vbi ait, A. Doctorem non tam contendisse quid sentiat hac in re Aristoteles, quàm contra Auerroem ex dictis Aristotelis argumenta desumpsisse. Nam quid Aristoteles sentiat in eo art. 3. A. Doctor rectè docet, & q. de spiritua. Creat. & alibi, vt videbimus mox & constabit Diffic. seq.

Itaque cùm Auerroes detraheret veritati ob quædam verba Aristotelis, vt negaret intellectũ humanum esse formam corporis, opponit illi verba Aristotelis A. Doctor, quibus hominem conuincat, vt per verba Aristotelis fateatur, substãtias Angelicas esse formas cœli, vt eò fortiùs idem concedat de hominis animo. Quæ expositio fundamẽtum habet in eiusdem capitis initio vbi dicitur: *Quia Auerroes maximè nititur suam opinionem confirmare per verba & demonstrationem Aristotelis* &c. Dicit autem esse necessarium, Aristotelis opinione affirmare cœlum esse animatũ: quia Aristotelis verba pro hac sententia multò eam probabiliorem reddere possunt, quàm alia eiusdem verba efficacitatem habeãt ad Auerrois figmenta coloranda. Sed hac de re vide etiam quæ a nobis dicuntur seq. diffic. in secundo Colligitur post secundam Propositionem.

Vnde non probo quod ait hoc art. Caietanus §. *Ad hoc non video;* Nẽpe *Quod hic melius dixit, quia posterius scripsit* A. Doctor. Nam si hoc valeret, meliùs etiam dixisset in eo loco contra Gentes, quàm in quæstionibus disputatis. quia etiam illa scripta edita erant matura ætate & posteriora quæstionibus disputatis. Et tamen in q. de spiritual. Creatu. a. 6. c. aperte docet, nec Platonis, nec Aristotelis opinione cœlum esse præditum anima informante. *De Platone quidem manifestum est,* inquit, *Plato enim sicut suprà dictum est, etiam corpus humanum non dixit aliter animatum, nisi in quantum anima vnitur corpori vt motor. Ex dictis verò Aristotelis manifestum est, quod non posuit in corporibus cœlestibus de vi tutibus animæ nisi intellectiuam. Intellectus verò secundùm ipsum nullius corporis est actus.* & concludit cœlestia corpora habere quidem spiritus rectores suos, sed ab illis non animari, *sicut inferiora animalia à suis animabus.* Ergo in libris cont. Gent. meliùs dixisset. Quare postquam non tam ex mente Aristotelis quã ex Aristotelis verbis in Auerroem hanc Quæstion. determinauit: subdidit in fine. *Quod dictum est de animatione cœli non diximus,* &c. *quia ad fidem nõ pertinet siue sic siue aliter dicatur.* nempe vtrùm ea argumenta Aristotelis mentem assequantur an secùs. De hac enim vt diximus ex eius verbis non de rei veritate disputauerat.

Et quamuis cõfirmet ex S. Augustino, dubiam esse cœli animationem; Tamen non id eo consilio facit, vt dubium velit esse, cœlũ constitui per animam informantem. Nam sæpè alibi multis locis, immò semper vbique confirmauerat id esse non posse; Vt etiã patebit aliis multis locis mox in Primo Colligitur, & seq. Diffic. in Parte Negãte citãdis: Sed quia dubium velit esse ipsam cœli animationem, quæ fit per animam assidentẽ; aliis eam affirmantibus, negantibus aliis. Itaq; nullo modo dixerim A. Doctor. opinione posse vtraq; partem quæst. secundùm rei veritatem sustineri.

Ad illud ex quol. 12. a. 8. respondeo adeò clarum esse locum, vt nullam responsionem dare possimus, nisi quòd ibi in ea fuit sententia. Sic enim habet. *Dicendum,* inquit, *quod ad hoc diuersimode sentiunt Doctores Ecclesiæ. Hieronymus enim dicit super Ecclesiastem, quòd Sol est animatus. Damascenus hoc negat,* &c. *Ego autem dico secundùm Augustinum quod non refert ad fidem, Vtrùm sic vel aliter sit,* &c. Verumtamen aio iuuenem hæc scripsisse A. Doctorem: nam postea aliter sentit, vt vidimus è pluribus eius locis. Nondum enim viderat Dionysium & alios Patres quos postea nouit. Immò ibi addit Platonem & Aristotelem posuisse corpora cœlestia animata; quod tamẽ posteriùs apertè negauit; vt infrà q. 70. a. 3. & alibi, vt patebit Difficult. seq. Sunt quoque alia loca, quæ ex A. Doctore referri possunt. Sed præstat in his minutioribus diutius non insistere.

Ad vltimũ ex S. Dionysio respondeo, ea verba aduersæ sentẽtię nihil dare. Nam vt ait A. Doctor q. vn. de spirit. Creatu. a. 6. ad 1. supremi infimum attingit nobilissima corpora, nempe supremum infimi *in quantum inferior ordo substantiarum spiritualium corporibus cœlestibus vnitur per modum motoris.* Quare non est necesse, vt vniatur tãquam actus & potentia. Quæ quidem vnio satis est auctoritati S. Dionysij. Nam in homine animus, qui est infimum supremi; nimirum intelligentis naturæ; non vnitur infimi supremo; nempe corporum nobilissimo; quod est cœlum tanquam illius

illius actus, qui cœlum intimè in suo esse constituat. Quandoquidem constat ex supradictis corpus cœleste cæteris corporibus antecellere.

Censura Patrum Theologorúmque in oppositam sententiam. §. 5.

EX dictis Colligitur primò rectè Theologos aduersanti sententiæ acres censurarum notas inurere. Nam primò Theodoretus vt antè vidimus, eos dixit impiæ mentis, qui astra animata faciunt: & S. Fulgentius libro de fide ad Petrũ c. 24. illud quod dixerat c. 3. & nos antè retulimus; népe ex creaturis solos Angelos & animos hominum esse intelligentes inter fidei dogmata computat. His enim verbis Petrum Catholicæ fidei præceptis imbuit. *Firmissimè tene & nullatenus dubites, in omni creatura, quam spiritalem & corpoream summa Trinitas fecit, solos spiritus Angelicos & humanos intelligendi facultatem diuinitus accepisse.*

Theodoret. Fulgentius.

Deinde Gerson in Trilogio Astrologiæ Theologizatæ, Propos. 13. docet, *Angelos vel Intelligentias non animare sed regere cœlum cum syderibus & planetis ad Dei gloriosi voluntatem. Oppositum dicitur sensisse Plato, & quidam aliorum dicentium, totum mundum esse animal magnum. Sed tenenda est fide certa nostra propositio. cui concors est philosophia Aristotelis.* Hæc ille.

Gerson.

Tertiò Rupertus Abbas vbi suprà docuit etsi sapientes huius sæculi senserint, astra ac cœlum esse animata. Id tamen Ecclesiam Catholicam recipere nec voluisse nec debuisse; vt ante dicebam.

Rupertus Abbas.

His videri alicui posset addendum ex Patribus: meritò etiam reprehẽdi Iudæos à Patribus, quòd in astris Angelos venerarentur tanquã eorum animas; vt obseruat Cardinalis Baronius ad annum Christi 60. ex S. Epiphanio in Panar. cap. 16. Quæ etiam causa fuit vt Hebræi eodem nomine astra atque Angelos nuncuparent; nempe *militiæ cœli*. Quò spectasse illud ad Coloss. 2. *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum*, &c. docet Hieronymus in epist. 151. q. 10. ad Algasiam: *Qui*, inquit, *veterem illum cultum retinent à Christo domino suo sanguine obrutum, ac penitus extinctum, nihil aliud quam dæmones, ac malos Angelos colunt, vt parentum suorum impietatem imitari videantur. Qui quod non raro prophetæ reprehendunt, astra & militiam cœli: (quo nomine non modò sydera sed etiam Angeli comprehenduntur:) pro Diis venerarentur.*

Baronius. Epiphanius. Coloss. 2. Hieronym.

Hęc tamen parum ad rem nostram sunt. Nam responderi potest, Patres non opinionem de astrorum animatione damnasse, sed diuinũ quem illis exhibebant cultum Iudæi: proptereaquòd peccatum Idololatriæ committerent, dum eam venerationem, quæ vni Deo debetur, in creaturas transferrent. Quanquam non negarim, ab animatione cœli in hunc errorem facilem esse lapsum vt dicam.

Quartò igitur Capreolus in 2. d. 9. q. 1. a. 3. ad 5. principale ait, *dissonare dictis sanctorum*; Deinde ait, *non videri bene consonum fidei, quod aliquis spiritus creatus contineat vnam totam sphærã, eo modo, quo anima est tota in qualibet hominis parte.* Dixerat etiam ad 4. 5. *Nec valet*, apertè contra Aureolum *si cœlum sit nobilius homine*, nempe propter animam digniorem, *vt tu dicis, quilibet homo teneretur venerari astra publicè, vel occultè, si ex hoc periculum idolo-*

Capreolus. Aureolus.

A *latriæ apud imprudentes orietur, quæ omnia sunt falsa & erronea.* Ibidem etiam ad 7. *Quòd cœlum*, inquit, *secundum omnem sui partem sit intelligens, est falsum & erroneum in fide.*

Quintò S. Bonauentura in 2. d. 14. p. 2. in expositione textus Dub. 3. §. *Contra communem viam*, ait dicere cœlum esse animatum, esse cõtra Damascenum. & subdit: *Hoc etiam est contra Hieronymum, adeo vt dicere astra esse animata dicat hæreticum.*

S. Bonauent. Damascen.

Sextò Gabriel Prateolus hunc errorem inter Origenis errores numerat octauum, libro 13. Verbo Origenistæ §. *Ad hæc cœlum, Lunam, Solem*, &c.

Gabriel Prateolus.

Septimò Claudius Espenc. libello de Animat. B cœlorum cap. 12. *Standum* inquit *omnibus Christi fidelibus consilio ab vniuersali Synodo hoc inter Origenica dogmata improbante. Vt quod periculorum & scãdalorum in religionẽ Christianã plenũ, Idololatriæ valde obnoxium, immò necessariò vt ita dicam inenodabiliter annexum sit.*

Espencæus.

Octauò Dominicus Soto libro 8. Physic. q. 3. ait esse contrarium fidei.

Domin. Soto.

Nonò Collegium Conimbricense libro 2. de cœlo cap. 1. q. 1. a. 2. in fine *falsum & erroneum* esse ait. Vbi etiam addit ab Irenæo libro 1. contra hæreses; & ab Epiphanio libro 11. Panarij inter Marcosiorum dogmata eam sententiam cõputari. Quod ego non reperio.

Conimbricenses. Irenæus. Epiphanius.

C Decimò Alexander etiam de Ales 2. p. q. 87. m. 3. a. 4. c. expressè docet, *hanc quæstionem non sine ratione disputari à Theologis, quia positio, qua quidam ponebant cœlos habere vitam, hæresim inducebat.* & paulò post addit. *Et propter hoc sacri Doctores determinant, corpora cœlestia non esse animata, neque vitam habere.*

Alexander de Ales.

Vndecimò Albertus Magnus libro de quatuor coæ. q. 4. a. 25. apertè ait. *Nos cum sanctis confitemur, cœlos non habere animam, nec esse animalia.*

Albertus Magnus.

Duodecimò quin etiam A. Doctor q. vn. de An. a. 8. ad 3. postquam dixit philosophos putasse cœlos atque astra esse animata, subdit: *Quod fuit ratio Idololatriæ; vt scilicet & corporibus cœlestibus* D *cultus diuinus attribueretur.* Ergo putat esse dãnandam sententiam. Vnde vt non multò antè monui in q. 6. de Pot. a. 6. dum Angelos docuit esse sine corpore affirmauit se ea dicere *doctrinam fidei sequendo.*

A. Doctor.

Libet etiam hic ponere nostri Martini Delrij aduersus hunc errorem censuram; quippe è magni iudicij viro profectam. Is ergo libro 1. Disquis. Magic. cap. 3. q. 1. 5. *Sed hac omni*, ait, hãc de cœli animatione affirmantem sententiam, *vt stolidam, ita falsam, & periculosam esse, & damnatam olim fuisse à Constantinopolitana Synodo, & articulis Parisiensibus.* Additque: *Estque erroris ac scãdali plena opinio propter superstitionem, & Idololatriam an-* E *nexam; vt cum alij, tum copiosissimè Eckius, & Espencæus docuerunt.*

Delrius.

Huc etiam accedere videtur auctoritas S. Augustini libro de cognitione veræ vitæ cap. 6. licèt Scotus meritò in 2. d. 14. q. 1. versus finẽ dubitet, an sit Augustini: Tamen grauis author videtur. Ait ergo ibi, licèt ob constantes cursus sydera videri possint habere intellectum: Tamen *qui ea rationabilia vel saltem sensibilia*, hoc est sensu prædita *corpora arbitrantur, iure sensu carentes inter irrationabilia computantur.* Alij aliter.

S. August.

Quæ quidem omnia meritò ita notãtur: Nam primò manifestè communi Patrum sententiæ contra

contradicit, quæ ferè facit dogma de fide. Præterea quia, vt ait Capreolus ibidem, astra deberent coli ab Ecclesia ob sanctitatem ac beatitudinem animorum. Quos esse beatos patet: Quia via Angelorum, vt infra suo loco dicam, vnico tantùm momento terminata est: Quo elapso vel in cœlum recepti sunt, vel supplicio addicti: Cœlum autem coli nullo modo debet. Et ideò dicitur Deuter. cap. 4. *Ne forte eleuatis oculis ad cœlum videas Solem & lunam & astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sũt.* Quasi dicat: non esse ea colenda, quæ seruitio vsuique homini condita a Deo sunt, in quo non est eadem ratio atque Angelorum, qui homini non seruiũt, sed eorum imperio obtemperamus omnes atque dirigimur.

Capreolus. Deut. 4.

Aliqui etiam confirmant, vt Pererius libro 2. in Gen. q. 7. Quia hi syderum animi ante adeptam beatitudinem peccare potuerunt. Si ergo peccassent; quid tum illis factum fuisset? An remansissent. At cur cæteris e cœlo deiectis in infernum, ij soli perstitissent in cœlo? qui tamen non est locus damnatorum. An cecidissent? At quid tum fieret orbibus illis cœlestibus, quos illi animabant?

Pererius.

Verùm hæc nihil probant, vt obseruat A. Doctor q. vn. de spiritual. creatu. a. 6. ad 4. Secundo loco positum. *In hoc enim*, inquit, *nulla est dubitatio, si sequamur opinionem Damasceni ponentis Angelos qui peccauerint de numero eorum fuisse, qui corporibus corruptibilibus præferuntur. Si vero secundum sententiam Gregorij de superioribus aliqui peccauerũt; Dicendum quod Deus eos quos huic ministerio deputauit, custodiuit à casu; sicut plures aliorum.*

A. Doctor.

Colligitur secundò, An damnanda hæreseos sit, aut saltem hæresi proxima iudicãda cõtraria sententia. Certe omninò mihi videtur affirmandum, quicquid dixerit Pamphilus in Origenis gratiam in parte affirmante supra. Nam illa opinio directè pugnat cum definitione Ecclesiastica in quinta Synodo Generali habita Constantinopoli tempore Syluerij Papæ, & Iustiniani Imperatoris. Vbi vt refert Nicephorus libro 17. Ecclesiasticæ historiæ cap. 28. inter ea, quæ à Concilio contra Origenis dogmata damnata sunt, hoc quoque numeratur ac definitur sub anathemate: *Si quis dicit cælum & Solem & Lunam & stellas, & aquas, quæ supra cælos sunt, animatas quasdam esse, ac materiales virtutes, anathema sit.* Quæ definitio est to. 2. Conciliorum in quinto Cõcilio Generali post epistolam Iustiniani Imperatoris. Quam epistolam & quas definitiones Mena Archiepiscopus Constantinopoleos Vicarius Apostolicæ sedis composuit, vt probat Cardinalis Baronius to. Annalium 7. ad annũ Domini 538. pag. 281.

Pamphilus. Synodus V. Nicephorus. Mena. Baronius.

Immò deinde fuisse hæc omnia à sede Apostolica approbata testatur Liberatus in Breuiario cap. 23. vbi etiam auctor est, illam epistolam dictatam esse instante Pelagio S.R.E. Diacono, & Apocrisario. Atque vt hoc totum non ignoraretur, scriptum est initio eius epistolæ ad marginem in 2. to. nouorum Conciliorum Romæ nũc nimò impressorũ anno 1609. auctoritate Pauli Quinti Pontificis Maximi. De eiusdem etiam Synodi à sede Apostolica confirmatione idem ex Nicephoro docet Cardinalis Bellarminus libro 1. de Concil. c. 5.

Liberatus. Pelagius. Bellarmin.

Quamobrem quicquid hactenus nonnulli A Theologi contrà senserint (vt Caietanus in Ps. 135. in illa verba: *Qui fecit cælos in intellectu*; & olim ante impressionem Romanam tempore Pij Quinti in hac p. p. q. 3. a. 1. quam doctrinam prudenti consilio expunxerunt postea; & alij, quos Ecclesiæ sanctiones nonnullæ latuere) certè nullo modo in posterum sine hæreseos nota cuiquã licebit eum errorem iam pridem inter Origenis dogmata ab Ecclesia damnatũ rursus astruere, cum iam satis constet, quid his de rebus ab Ecclesia Catholica sancitum sit. Neque eos excusabit, quòd nonnulli graues Theologi & SS. Patrum aliqui illi sententiæ, quam errorem diximus, non contradixerint aliquãdo, vt vidimus. Inter quos etiã est Aureolus, qui apud Capreo- B lum eam sententiam probabilem iudicat, & videri potest Scotus in 2. d. 14. q. 1. vbi in fine ait. *Si cæli non sunt animati; hoc est magis creditum, quàm ratione conclusum:* Quib. etiã dubitare videtur; vtra pars magis rationi consentanea sit; & sentire: sola auctoritate veterum Theologorum huic positioni fidem haberi.

Caietanus. Psal. 135. Aureolus. Capreolus. Scotus.

Nego inquam hos excusari: Nam nec omnibus semper omnia Ecclesiæ decreta perspecta sunt; nec omnes, quibus ea comperta sunt suis momentis pendunt; tametsi benè sentiendi non desit animus. Vt meritò in quosdam Theologos auctorés conuenire illud possit, quod de Victorino martyre dixit S. Hieronymus in epist. 84. ad Magnum Oratorem: *Victorino martyri in libris suis* C *licet eruditio desit, tamen non deest eruditionis voluntas.* Itaque erroris sui illi quidem ex ignoratione legis excusationem habuere; quæ ignoratio cæteris amplius non suffragabitur. Quãdoquidem exposita est omnibus fidei veritas, ne amplius delitescat. Pro qua facit etiam quod rectè monet Alensis, & Martinus Delrius, quin etiam A. Doctor vt vidimus; nempe quia saltem periculum est, ne cœlum fingatur & credatur Deus, vt dico initio seq. Difficult. idcircò omninò talis sententia damnanda est.

Hieronym. Alensis. Delrius. A. Doctor.

Aduersus hanc Catholicam veritatem obiici possunt primò nonnulla sacræ Scripturæ testimonia, quæ videri possunt cœlo, astrisq; tribuere informantem animum.

D Verumtamen rectè obseruat eo loco noster Martinus ex Maldonato omnia Scripturæ loca quibus id innuitur, vno ex quinque modis accipienda esse. Primò per Prosopopœiam qua quę animatorum sunt, inanimis tribuuntur; Vt mari, videre, ac fugere Ps. 113. Cœlis, ac Terræ audire Deut. 32. &c.

Delrius. Maldonatus. Psal. 113. Deut. 32.

Secundò per Metonymiam, cùm continẽs ponitur pro contento. Vt cùm terra dicitur corrupta; vel à Deo iudicãda, aut vrbi alicui remissiùs futurum Gen. 6. 1. Par. 16. Matth. 11.

Gen. 6. 1. Paral. 16. Matth. 11.

Tertiò per hyperbolem; vt quando lapides dicuntur clamaturi: Terra dicitur respectu Dei E tremere, vel responsura interroganti, vt Lucæ 19. Ps. 103.

Luc. 19. Psal. 103.

Quartò per analogiam & metaphoram; Vt cùm Sol dicitur præesse diei Gen. 1. Luna vocatur regina cœli, stellis tribuitur immunditia, astra dicuntur laudare Deum; nominantur virtutes cœlorum; vt Hierem. 7. Iob 15. Psalm. 32. Dan. 4.

Gen. 1. Ierem. 7. Iob 15. Psal. 32. Dan. 4.

Quintò non ex veritate, sed ex hominum opinione; vt cùm Sophoniæ 1. legimus militiã cœli de astris ac stellis. *Qua regula*, inquit ibi Martinus *apte accommodata soluuntur omnia Pauli Ricij &*

Sophoniæ 1.

similium impiorum de Animatione cæli argumenta ex sacris literis petita. A

Caietanus. Soluendum quoque superesset Caietani argumentum cœlos animatos confirmantis in locis suprà citatis, eò quòd scilicet in Missæ præfatione cœlorum virtutes concelebrare Deum dicantur, nisi ex dictis palàm responsio atque in promptu esset. Virtutes enim cœlorum sunt Angeli, non tamen quia formæ; vt super. q. a. 1. diximus.

Locus ex Petro Apostolo difficilis explicatur. §. 6.

Clemens Romanus. DIfficiliùs obiici possunt, quæ S. Petrus apud S. Clementem Romanum libro 5. Recognitionum ante medium docet. Negat enim simulachra muta esse pro Diis habenda, eo quòd nec vident, nec audiunt &c. Immò ne ea quidem quæ sensum habent, inter quæ cœlum atque astra recensuit. *Tu ergo adoras insensibilem; cùm vnusquisque habens sensum, nec ea quidem credat adoranda quæ à Deo facta sunt, & habent sensum? id est Solem, & lunam, vel stellas omniaque quæ super cœlos sunt & super terram. Iustum enim putauit, non ea quæ pro Mundi ministerio facta sunt, sed ipsorum & Mundi totius creatorem debere venerari. Gaudent enim hæc, cùm ille adoratur & colitur; nec libenter accipiunt, vt creatoris honor creaturæ deferatur, &c.*

Ex his argumentum existit. Illum sensum Petrus tribuit cœlo ac syderibus, quem negat statuis ac simulachris. Hæc enim Petrus opponit. Sed statuis ac simulachris verum sensum negat: eò quòd ea nec vident nec audiunt. Ergo hos sensus tribuit cœlo veros, ac proinde animatum Angelo est; cùm præsertim adgaudeant, cùm ipsorum creatorem mortales venerantur.

Respondeo tamen Maiorem distinguendo. Concedo enim aliquem sensum cœlo ascribi, quem simulachris denegat: quia sine dubio hos vtriusque sensus opponit Petrus, vt patet ex iam dictis verbis. Sed nego omnem sensum: nam vt oppositio aliqua saluetur, satis est si quid vni detur quod alteri auferatur. Hunc autem sensum aio esse illum, quem affingimus rebus inanimis per Prosopopœiam. Simulachra enim non solùm veris sensibus carent, quia muta sunt, & lignea siue aurea &c. sed etiam ne capacia quidem sunt, vt sensus in ea per tropos transferantur. Cùm enim manu hominum facta sint, vt homines falsis Diis verum honorem Deo debitum tribuant; personas induere nequeunt, quæ ac si sensus haberent nos ad verum Dei cultum adhortentur. Huius autem personæ, quæ homines ad diuinum cultum erigat, capax cœlum est; Atque idcircò Ps. 18. dicitur *Cœli enarrant gloriam Dei*; videlicet non vocis sono aut sermone, sed tanquam res obiecta, quæ argumenta suppeditet ad conditoris gloriam considerandam. Psal. 18.

Frequens enim Scripturis prosopopœia est; Qua scilicet vt diximus antè, quæ animatorum sunt, ad res sensu carentes, mutásque transferimus, ac si ea sensu, ratione atque orationis vsu præditæ prorsus essent. Talis est, quam Paulus ad Rom. 8 vsurpat, cùm ait: *Omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc.* Rebus inanimis gemitum, ac doloris sensum impartiens, vt ibi obseruat noster Iustinianus. Talis etiam illa est, vt plurimas taceam, ex cap. 12. Iobi. *Interroga iumenta & docebunt te; & volatilia cæli & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris.* Vbi nota ex Lorino nostro in Ps. 18. vers. 2. & ex Nysseno apud ipsum; hanc figuram plurimum valere ad docendum cuncta quidem quæ à Deo condita sunt, sed præcipuè cœlum sapientiam conditoris exprimere, ita vt nos ducant in cognitionem Dei. Quo pacto cœlum appellatur liber, & extensum dicitur sicut pellis, hoc est veluti membrana, in qua descripserit sui notitiam Deus: Quod ibi eruditè Lorinus confirmat. Rom. 8. Iustinian. Iob 12. Lorinus. Nyssenus. Lorinus.

B Ait ergo Petrus eos qui sensum habent ne venerari quidem cœlum & astra quæ sensum habent, hoc est quæ dignitate operis veluti linguis ac sensu diuinam gloriam in se latentem euulgant ac prædicant. Id autem patet: nam statim dicit non solum cœlum, verùm etiam quæ super terram sunt; nempe arbores, bruta, & cætera gaudere cùm creatori debitus defertur honor. Constat autem nec cœlum, nec mutas bestias, ac lapides tale verum gaudium præ se ferre; cùm id sit rationis non brutorum, aut lapidum.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Aristoteli orbes cœlestes animentur Angelo seu intelligentia informante, an assistente. Vbi etiam non pauca de veteribus Peripateticis. C

Alensis. NOtandum est ex Alexandro Alensi 2. p. q. illa 87. m. 3. a. 4. *hanc Quæstionem non sine ratione disputari à Theologis*: Quia, vt suprà diximus, periculum est, ne dum cœlos anima præditos facimus, hæresim inducamus. *Ex hoc enim* inquit *ponebant corpora huiusmodi esse Deos.* Ideò diligenter discutienda.

D Quare Notandum secundò: si cœlum est animatum anima intelligente; eius animum esse aliquem hominis animo nobiliorem, quia nobilioris corporis esset actus. Nam corpus cœleste, cùm sit immortale, est nobilius hominis corpore, vt docet A. Doctor infrà q. 91. a. 1. ad 2. Et ideò qui cœlo dixerunt animum inesse, hunc voluerunt esse vel Deum aliquem, vel Intelligentiam seu Angelum. Quare idem est inquirere; Vtrùm cœli forma sit Angelus; & quærere: Vtrùm cœlum sit verè ac propriè animatum animo intelligente. Nam de anima sentiente aut nutriente tantùm vix est qui vertat in dubium: Quæ quidem causa est, vt cœlo Aristoteles, & Peripatetici tribuant quandam diuinitatem, vt dicam infrà Notando primo. In hoc igitur sensu A. Doctor. E

Qui nam auctores Aristoteli partem tribuant affirmantem, & pro ea multa Aristotelis loca referuntur. §. 1.

Aristoteles. PArtem affirmantem de vera ac propria animatione cœli & tribuunt Aristoteli & eam videtur

videntur sequi complures eiusdem Aristotelis sectatores. Nam Philoponus libro 2. de Anima in cont. 17. cùm dubitasset ex Aristotele, si animal formatur sensu, & cœlestia carent sensu, An sequatur ea in animalium numero habenda non esse, An etiam non omne animal, sed mortale tantùm hisce sensibus nobis notis formari, cœlestia verò sensus habere multò meliores? Supponit ergo cœlum habere vitam aliquam.

Philoponus.

Sic etiam Themistius libro 3. de An. cap. 73. loquens *de diuinis animalibus, quæ vindicata interitu sunt, & spatio uniformi feruntur incessabili & sempiterno motu*: nempe de corporibus cœlestibus ait. *aliud genus animalis putare oportet longè opimatius atque exuperantius, ac fortè cognoscens quidem sensilia, sed alia ratione quàm sensu; id est illa quæ causa generantes effecta & euenta sua cognoscunt.* Ergo cœlum Themistio est animatum anima qua formaliter sit animal, & euenta cognoscat.

Themistius.

Idem Aristoteli tribuit apud Simplicium Alexander libro 3. de Anima particula 61. in ea verba Aristotelis. *Nullum itaque habet animam corpus non stabile sine sensu.* Putat enim Alexander fuisse additum *non stabile* propter astra; *Quæ animata quidem sunt, sed stabilia, quia tanquam radicibus propriis infixa Spheris ita, vt haud secundùm se moueantur.* Cuius sententiam ibi amplecti videtur ipse Simplicius.

Simplicius. Alexander.

Auerroës quoque licèt non omninò constanter locutus in hac re existimetur (quod obseruat Theophilus Zimara libro 2. de An. in cont. 31. & 32.) Tamen idem sæpè Aristoteli tribuit. Citabo paucos huiusmodi locos, vnde coniectura erit de reliquis innumerabilibus, quos afferre Auerroistarum labor sit. Primus locus sit lib. 2. de cœlo com. 71. vbi ex Aristotele putat; *Totum orbem esse vnum animal*, ex anima scilicet spirituali; quæ tamen est *diuisa in suo toto*. Ergo Aristoteli cœlestes orbes sunt animal quod constat ex anima. Alter est in libro de substantia orbis cap. 3. *Est declaratum* inquit *quòd corpus cœli componitur ex motore & moto.* Ergo cœlum ex animo mouente componitur. Ergo est forma cœli. Tertius est libro 12. Metaphysices com. 36. *Corpora* inquit *cœlestia sunt animata, & non habent de virtutibus animæ nisi intellectum & virtutem desideratiuam, quæ mouent in loco.* Ergo in cœlo est vera animatio & compositio. Quartus libro 8. Metaphysices com. 12. apertè ait. *Subjectum cœlestes non habent materiam, quia non sunt composita ex materia & forma, sed ex corpore & forma animata intelligibili.* Excludit ergo materiam formæ inanimis, non autem materiam quæ corpus sit, animique intelligentis subiectum, quam affirmat. In hanc ferè sententiam; nempe quod cœlestia corpora sint hoc pacto animata, loquitur libro 1. cœli com. 90. libro 2. cœli com. 39. & 61. libro 2. de An. com. 15. & 32. & libro de substantia orbis cap. 2.

Auerroës. Zimara.

Plutarchus etiam referente Philopono libro 2. de Anima in cont. 62. putat: Aristoteli cœlum esse animatum etiam cum sensu. quia nullum animatum habet corpus sine sensu; vt eo loco docet Aristoteles. Sanè Plutarchus, (qui fortè alius est) libro 2. de Placitis cap. 3. de Aristotele sic scribit hac super re. *Aristoteles* inquit *nec animatum totum per omnes partes dicit, neque sensu, ratione aut mente præditum, neque à prouidentia temperari. Nam cælestibus quidem hæc omnia adesse, quod orbibus contineantur animatis atque animalibus.* Qui sensus ambiguus est. Non enim certum est; significetúrne animatum anima informante an assidente, vt dicam infrà in fine secundæ propositionis. Constat ergo præcipuorum Peripateticorum sententia orbes cœlestes Aristoteli animatos esse.

Plutarch. Philoponus.

Peripateticis addimus quoque alios. Nam Ricardus d. 14. a. 3. q. 4. Aristotelem refert hac in Parte sentientem; & alij complures recentiores Philosophi; vt Antonius Bernardus Mirandulanus libro de singulari certamine 11. sect. 16. Achillinus libro 3. de orbibus dub. 5. opusc. de immortalitate animæ, & alij quos libens prætereo. Ad hos etiam accessit Caietanus suprà q. 3. a. 1. in fine iuxta emendatum in Romana impressione codicem. Vbi sic habet. *Aristoteles tamen in 1. Ethicorum dicit, corpora cœlestia esse nobiliora etiam homine. Quia tenet illa viuentia, vt expressè in 2. cœli supponendum esse ducit.* Hæc ille.

Ricardus. Mirandulanus. Achillinus. Caietanus.

Hanc quoque sententiam videtur Aristoteli ascribere A. Doctor in q. Vnica de Anima a. 8. ad 3. nam apertè ait sic: *Plato & Aristoteles licèt ponerent corpora cælestia esse animata; ponebant tamen Deum esse aliquid, superius ab anima cœli separatum.* Ergo cœlum habet animam. Apertiùs libro 2. cont. Gent. cap. 7. vbi id confirmat tribus ex Aristotelis doctrina deprompțis argumẽtis, vt mox afferentur. Omissis autem iis, quæ recentiores frustra congerunt, contentus ero iis locis, qui præsenti difficultati negotium facessunt.

A. Doctor.

Probatur autem prius ex triplici argumento, quod ex Aristotelęis principiis implicitè formauit A. Doctor cap. illo 70. cit. Primum est: quia quod est primum in genere mobilium debet mouere se ipsum, vt Aristoteles ipse probat libro 8. Phys. cont. 34. & deinceps. Nimirum quia *Quod est per se semper, prius est eo quod est secundum accidens.* Quod expressè docet Aristoteles eodem libro cont. 39. Quod autem mouet seipsum animatum est, vt docet eodem libro cont. 29. Ergo primum mobile; nempe cœlum; est animatum; nempe animo intelligente, quia cœlum sensus nullos habet. Secundum est: Quia substantia cœli mouetur à motore immobili, sicut desiderans à desiderabili; vt patet ex libro 12. Metaphys. cõt. 35. & 36. Nihil autem potest moueri vt desiderans à desiderabili nisi intelligens. Solum enim intelligens natura mouetur desiderio boni per intellectum apprehensi. nam sentientes substantiæ moueri debent ab appetibili per sensum apprehenso. Ergo substantia cœli si est desiderans, est intelligens nonnisi per formã ipsam substantialem intelligentem, quæ sit animus, & quod quid illius: Quo pacto homo est substantia intelligens per formam, quæ est eius animus substãtialis. Ergo substantia intelligens; nempe Angelus est forma substãtialis cœli. Tertium est: quia libro 2. de An. cont. 32. ait: *Quibus inest ratiocinatio corruptibilium, his & reliqua omnia*; nempe sensus & motus in locum: Ergo significat corpora incorruptibilia & æterna esse, quibus insit facultas ratiocinandi seu intelligendi; non tamen insit sensus & motus in locum. Hæc autem corpora non possint esse nisi cœlestia. Ergo his inest intelligendi facultas; non autẽ reliqui sensus. Ergo animus intelligẽs inest cœlo tanquã eius forma.

A. Doctor. Aristoteles.

Deinde probatur ex aliis locis Aristotelis. Primò quidem: quia libro 2. cœli cont. 13. non solùm docet cœlum esse animatum, verùm etiã id probat argumento; de quo ipse ait non esse dubitandum. *Cœlum* inquit *animatum est, & habet in se motus*

tus principium. Immò soluit in oppositũ rationem quandam. *Non enim oportet dubitare ex eo quod sit rotunda figura ipsius vniuersi.* In qua figura non videtur esse sursum & deorsum,&c. Soluit autem hanc dubitationem:quia oportet intelligere,has loci differẽtias esse quidem intus ab anima; contegi tamen sphærica figura, quæ sui similis vndequaque est, vt ibi explicat A. Doctor. Ergo cœlum est animatũ intimo animo, intelligente tamen & Angelico vt dictum est. In eãdem ferè sententiam loquitur eodẽ libro cont.63. vbi ait: *oportet putare & astrorum actionem esse talem, qualis animalium est ac plantarum.* Quod verum non esset nisi cœlum eius iudicio animatum videretur.

A. Doctor.

Secundò probatur: quia libro 3. de Anima cont.62.ait: *Nullum corpus non manens habet animam sine sensu.* Vbi certum est, illud *non manens* significare corpus ad interitum vergens; vt ibi communis est expositio.Ergo excipit corpus interitus expers ac stabile; nempe cœlum quod sit animatum sine sensu, & sola anima intelligente præditum.

Tertiò probatur: quia illud, quod per animam distinguitur ab inanimis, animatum substantia suâ est. Vnumquodque enim distinguitur à cæteris per suam formam: quia actus est qui distinguit libro 7.Metaphys.cont.49.Sed cœlum distinguitur ab inanimis per animam. Ergo est animatum substantiâ suâ, ac proinde per Angelum.Minor patet: Quia quod viuit distinguitur à non viuentibus *ipso viuere*; vt ipse docet libro 2.de Anima cont. 13. ac proinde per animam, quâ vnumquodque quod viuit, viuit. Anima enim est *principium quo viuimus*,&c. ex eodem libro 2.de An. cont.24. Cœlum autem viuit vt idem docet libro 2. cœli t. 6. licet non viuat, quia *sempiternum est animâ cogente. Neque enim possibile est talem esse vitam animæ sine tristitia & beatam.* Ergo per animum beatum, ac proinde intelligentem.

Quartò probatur: Quia quandocunque conuenit duobus vna aliqua operatio,vni autem ex illis ob alterum,necesse est, illud ratione cuius operatio conuenit, esse formam; alterum verò materiam:Vt apertè colligitur ex Aristotele libro 2. de Anima cont.24. Sed operatio quæ est motus conuenit cœlo ob Angelum mouentem. Ergo Angelus mouens est forma; cœlum verò materia. Ergo Angelus est anima illius. Est enim actus corporis naturalis organici; hoc est quo tanquam instrumento vtitur intelligẽs Angelus ad operandum.

Quintò,quia cœlum dicitur corpus diuinum ab Aristotele libro 2. de cœlo cont. 17. & 69. Nõ appellaretur autem hoc nomine,nisi aliqua ei diuinitas inesset; nempe aliquis ex Angelis, quos Deorum nomine appellare solet antiquitas,vt suprà dicebamus.

Aristoteles.

Sextò, quia in omni corpore, cui inest aliquis motus naturalis, debet principiũ eius motus esse natura. Ratio est ex Aristotele manifesta.Nam naturalis motus est is, cuius principiũ est natura eius cui est naturalis. *Natura enim est principium motus eius in quo est*, &c. vt patet ex lib. 2. Phys.cont.3.At cœlo motus est naturalis, vt expresse patet ex lib.1.cœli cont.7. & deinceps. Ergo principiũ cœlestis motus est aliqua natura in ipso cœlo.Ergo Angelus quem suprà diximus esse principiũ & motorẽ cœli, debet esse natura in ipso cœlo. Aut ergo forma: & habemus quod cõtendimus. Aut materia:& hoc est absurdũ manifestè;Quia materia cœli est quantitate & qualitatibus affecta corporeis. Angelus autẽ est substantia spiritalis,intelligẽnsque.Ergo est forma.

Aristoteles.

Septimò, quia anima est *principium quo primò viuimus,mouemur*,&c.ex Aristotele libro 2.de An. cont.24. At Angelus est principium quo cœlum primò mouetur. Ergo Angelus est anima:Quia illi conuenit definitio animæ.Certum autem est non posse alterius corporis esse animam quàm cœli,quod ab ipso mouetur. Ergo Angelus est anima cœli.

Aristoteles.

Denique affertur à Ricardo locus ex 2.cœli à cont.67.Vbi ab Aristotele dici putatur; si essent in inferioribus orbibus stellæ multæ,fore vt primus orbis *esset in labore & pœna.* Quia difficiliùs moueret tã multa astra.Ergo est animatum.alioqui nullus illius labor esset aut pœna in mouendo.Non enim defatigatur ignis cùm sursum mouetur:nec terra cùm deorsum,&c.

Ricardus.

Peripateticis ferè omnibus Aristoteles negat cœlum informari substantia intelligente. §. 2.

PArtem negantem sequitur A. Doctor in hac p.p.q.70.a.3.& q.vn.de spiritual.Creatu.a.6. & de Pot.quæst.6.a.3.& 6. & q. 16. de Malo a.1. Quibus omnibus locis docet, nec Angelos esse vnitos corporibus naturaliter, nec cœlum Aristoteli esse præditum anima.Idem expresse docet Alexander de Ales 2.p.q.87.m.3. a. 4. vbi idem defendit ex Aristotele.

A. Doctor.

Alex de Ales.

Albertus Magnus lib.de quatuor coæ.q.4.a.25. vbi ex Aristotelis etiam mente disceptat; Scotus in 2.d.14.q.1.§.*Ex hoc sequitur*, cuius verba retuli superiore Difficult.initio. Durandus in 2. d.14. p.p.d.quæst. 2. n. 7. Capreolus in 2.d.9.quæst.1. a.3.ad argumenta Aureoli;Ægidius addit eadem d. 14. quæstione 3. a. 4. *apud sapientes esse disputationem ad nomen*; Quia scilicet negent,cœlum esse animatum anima informante, fateantur autem esse animatum anima assidente; Ioannes Bacconus d.16.quæstion. vnic. a. 2. vbi expresse docet ex Aristotele & Auerroe, quem *Commentatorem* vocat, cœlum non esse animatum anima informante.

Albert.Mag. Scotus. Durandus. Capreolus. Ægidius. Io.Baccon.

Idem probat ex philosophis Iandunus libro 12.Metaphys.q. 12. ex Aristotele & commentatore.Marcus Antonius Zimara 2. Physic.contradict. 3. & Theoremate 70. 93. 95. & 104. & in tabula Verbo *Cœlum*, & verbo *Motus*; Pererius libro 7.de Principiis cap.8. Collegium Conimbricẽse loco citato;& alij ferè omnes philosophi & Theologi; Scholiastes etiam Damasceni in lib.2.de fide cap. 6. in fine a t. Veteres philosophos cœlum animatum censuisse, ideoque colendum tanquam Deum.& *illorum sententiam Aristoteles in libris de cœlo & mundo improbat*, inquit, *ostendens rationibus naturalibus & Physicis cœlum minimè animatum censeri posse.*

Iandunus. Zimara. Pererius. Conimbricenses. Scholiastes Damasceni.

Quin etiã ex antiquioribus philosophis Simplicius libro 2.cœli comment. suo 4.in fine concludit contra Alexandrum,cœlũ moueri extrinsecus ab anima,à natura autem tanquam ab interno principio.Sic autem habet: *Non ergo dicendum, animam & naturam in cœlo idem esse, sed eodem motu secundum ambo moueri. Verùm secundum animam quidem tanquam mouentem extrinsecus; secundum*

Simplicius.

secundùm naturam autem vt secundùm principium ipsius moueri. Dixerat autem proxime supra: Naturam esse *in subiecto quod mouetur; animam autem quod extrinsecus mouet.* Immò ad hanc sententiam omninò accedit Auerroes, qui licet omnibus locis citatis & alibi sæpè hác ex Aristotele tribuat cœlo animationem; nunquã tamẽ docet animari animâ informante, vt clare ex ipso ostendam in secundo *Colligitur* post secundam propositionẽ. Ab hac etiam parte negante habemus S. Cyrillum Alexandrinum libro 2. contra Iulianum ante medium. Vbi vt vidimus super. Diffic. in Prima nostra Propositione docet, Aristotelem Platonis *discipulum* in asserenda Mundi anima à Magistro Platone dissensisse.

Auerroës. Cyrill. Alex.

Hanc etiam sententiam puto ab Alexandro tribui Aristoteli manifestè, nec aliis Peripateticis repugnare. Alexander ergo apud Simplicium libro 1. de cœlo commentario eius 3. aperte docet, rectè Platonẽ ab Aristotele improbari, quòd posuerit Deorum animas affixas cœlestibus corporibus, à quibus nũquam futurum est vt absoluantur, cùm tamen melius sit animæ sine corpore, quam esse cum corpore. Sic autem ex eo refert Simplicius satis quidem impolitè. *Erit vtique ostendere* inquit Alexander *secundùm Platonem Deorũ animas in deteriori parte esse, quàm illas quæ in mortalibus corporibus sunt. Quare & animam Mundi. Siquidem melius est omni animæ sine corpore esse. Hæc autem nunquam sine corpore erit, existente post generationem æterno atque incessabili motu vt ait moto ab ipsa: quæ videbitur ad violentiam. Et licèt non simile sit mundi corpus his, quæ aliorum animalium sunt, eo quod hæc sunt composita; tamen melius est illi seiuncta esse, quàm cum corpore,* &c. Hæc Alexander ex Simplicio. Quamobrem putat Alexander Aristoteli animas informantes cœlo nullas esse. Vnde etiam vlteriùs obiter patet, Alexandro intellectum humanum esse à corpore separabilem. Nam omni animæ; hoc est intellectui, (de hoc enim pronunciauit Aristoteles libro primo de An. contextu quadragesimono.) melius esse docet separari à corpore, quàm esse cum corpore.

Alexander. Simplicius. Simplicius. Alexander.

Huc etiam refero Simplicium eodem loco. Etsi enim Alexandro aduersatur, quòd ipsum putarit aduersus Platonem *magnè aliqualiter obuiare*; tamen dum explicat Aristotelis mentem, docet ipsum Aristotelem à Platone in Timæo non discrepasse, quippe qui *compendium ac summam Timæi scribere non renuit.* Platonem autem ibi in Timæo non existimasse in cœlo *coextensam cum corpore animam, neque coapplicatam esse corporaliter,* additque aliud in cœlo naturam esse, aliud animam. *Et natura quidem* inquit, *non est sufficiens mouere perfectè & per se locali motu,* &c. *Ab anima autem esse transitiuam operationem, ad quam erat aptum natum propter naturam.* Quamuis autem vniuersè loquatur de anima mundi, tamen huiusmodi anima sua portione respondet ipsi cœlo. Quod sanè expressit Simplicius libro octauo Physicor. comment. eius 59. Vbi significat animam Mundi esse in vniuerso, & sphæras moueri à seipsis non per accidens. Quia licèt *Mouens in vniuerso sit, sed vniuersum non mouetur.* Vult ergo moueri ab eo quod in vniuerso est mouens; nempe ab animo Mundi, ac proinde non moueri per accidens motu totius.

Simplicius.

Fateor tamen Simplicium hoc in loco non consentanea iis quæ loco citato ex tertio libro de Anima eidem Alexandro tribuere; Vt etiam facit libro octauo Physicorum com. 31. & 51. Sed forte tribuit Alexandro quòd astra habeant animam affixam quidem, sed tamen non informantem. Qua de re nihil hic dico. Vnum hic tamen notandum est, frequentem esse apud Platonicos Metaphoram ac proinde æquiuocationem, quæ sæpe offendiculo est, nisi quis caueat. Vnde fortasse vario modo eandem rem nominans Simplicius, qui Platoni addictus est, varias sententias eadem de re videri potest docuisse.

Simplicius.

Sanè Aristoteles hanc nominum ambiguitatem non ferens Platonem sæpè carpit. Insignis ad hanc rem locus est libro duodecimo Metaphysices, contextu quadragesimosecundo, de Ideis ac numeris. *De ideis namque, inquit, opinio nullam accommodatam considerationem habet. Numeros namque ideas dicunt qui dicunt ideas esse. De numeris vero quandoque vt de infinitis aiunt; quandoque tanquam vsq. ad denariũ determinatis. Quæ vero de causa tanta numerorum pluralitas sit, nihil cum diligentia demõstratiuè dicitur.* Hæc Aristoteles & rectè, ne philosophica veritas semper in ancipiti sit.

Aristoteles.

Ab hac quoque sententia non recedit Themistius, qui posuisse cœlũ visus est aliquando simplex corpus sine vlla forma, si credimus Zimaræ in Tabula verbo *Cœlum*, cuius hanc sententiam refert ex antiqua versione, quæ in noua desideratur; Nempe tria entiũ genera ab ipso fieri. Primũ quod nullo modo mutatur, nec vllo pacto materiam habet; vt summa illa ac prima entia. Quędã quæ mutãtur & habent formã & materiã, vt corpora sublunaria. Quædã deniq; quæ materiã non habẽt. Verũ hæc dubia fortè sũt: quia Themistius nomine materiæ sumere eã videtur, quæ est potentia ad nouam formam, vt ipse ibidẽ explicat.

Themistius. Zimara.

Philoponus etiã apud Simpliciũ lib. 1. de cœlo, vt refert idẽ Zimara in Tabula verbo *Cœlum* negauit apertè, Aristoteli cœlum esse animatũ. Cælius etiã Rhodiginius in Aristotelis philosophia nõ mediocriter versatus li. 1. cap. 12. apertè docet cœlum esse animatũ Aristoteli non quidem anima informante sed assistente, *quæ nõ sit alicuius corporis actus.* Quod & fusiùs lib. 22. cap. 2. prosequitur, vbi in hanc sentẽtiam videtur trahere Theophrastum & alios. Constat ergo Peripateticos negare cœlum esse animatum anima informãte. Nam cœlum esse aliquo modo animatũ omnes norunt. adeò vt (quod est apud Cęlium in eo cap. 2.) Theophrastus dixerit libro de cœlo, *non esse philosophum, qui cœlo abnegat vitam.*

Philoponus. Simplicius. Zimara. Cælius Rhodign. Theophrast.

Quamuis cœlum animatum sit aliquo modo, non tamen animari informante animo, nec in eo apparere vllas animi operationes Aristoteli. §. 3.

AD solutionem Notandum est, illud quod in se continet aliquã animã dici posse animatum, etiamsi eius forma intima non sit anima, per quã in sua specie reponatur. Ratio est manifesta: quia illud quod cõtinet in se animam potest deriuatione nominis ex illa anima aliquo modo denominari; ergo dici potest animatum; sicut illud quod continet diuinitatem, ob eandem nominis deriuationem dicitur diuinum: Quo pacto Aristoteles lib. 1. de cœlo cont. 22. cœlum appellat diuinũ ex eo quòd ibi Deus inhabitat. Quod ergo

Aristoteles.

ergo continet animam, rectè dici potest animatum. Duplex autem est anima ex Aristotele lib. 2. de Anima cont. 11. vt initio superioris Difficultatis indicatum est. Altera, quæ corpus efformat atque constituit cum eo vnum totum simpliciter; Vt animus cum hominis corpore facit hominem, qui est corpus; & hoc genus animæ dicitur informans. Altera quæ nullum constituit vnum totum simpliciter; sed corpori assidens cum eo facit vnum in genere instrumenti opus aliquod respicientis; Vt nauta cum naui non facit vnum aliquid simpliciter: sunt enim duæ hypostases, & plures habent differentias essentiales, quibus varia composita efformantur; sed faciunt vnum aptum integrum instrumentum ad vectandum. Idem in auriga & curru dico ad aurigandum. Quæ animæ dicuntur assidentes non informantes. Dicitur autem anima similitudine quadam & proportione ad informantem; Vt nimirum quemadmodum anima suum corpus informando illud animat ad operationes vitales; ita hoc animæ genus suo corpori assidendo illud aliquo modo animat ad operationes vitales, dum illud aptum facit, vt quodammodo moueatur vitaliter. Scilicet motu, qui in quamuis partem dirigatur pro animæ assidentis arbitrio, quod proprium est animatorũ corporũ. Quamobrem rectè A. Doctor q. illa 70. a. 3. huius generis animas dixit vniri corpori *tanquam motorem mobili*. Quia scilicet mouet suo impulsu ac directione corpus illud, quod ex se ea saltem ratione non moueretur. Videndum ergo est: Vtro ex his modis cœlum Aristoteli sit animatum; quandoquidem aliquo pacto animari constat ex eius modò dictis in Parte affirmante. Ad Difficultatem ergo respondetur. Et sit

Prima Propositio: Angeli non sunt Aristoteli formæ cœlum informantes. Probatur hæc propositio duplici euidenti argumentatione. Hic namque prætermitto tertiam rationem etiam ex Aristotele, quam commodiùs differo in vltimam Difficultatem in 3. argumento pro nostra propositione. Nunc autem argumentatio duplex ex Aristotele erit. Altera est ex eo capite quòd neganda est cœlo omnis anima, quæ propriè sit illius forma. Ex quo consequens est, vt Angelus non sit eius forma informans. Alioqui esset eius anima & vita; quia esset principium alicuius operationis vitalis in cœlo, inter quas est intelligere, vt patet ex Aristotele libro 9. Metaphys. cont. 16. Altera ex peculiari ratione Angelorum, qui vt supra ostendimus ex Aristotele, & magis nunc confirmandum est, sunt naturæ pure intellectuales.

Quoad primum ergo sic formatur ratio Peripatetica ex Aristotelis effatis. Illud corpus nullâ est animatum animâ, cuius nullæ apparent operationes vitales. Sed cœlum est corpus, cuius nullæ apparent operationes vitales; quin potiùs ei repugnant huiusmodi operationes. Ergo cœlum nulla est animatum anima.

Maior patet ex Aristotele libro 1. de Anima cont. 11. vbi ex propriis accidentibus ait essentias rerum abstrusas intelligi: nempe ex propriis operationibus, ac proinde deinceps cont. 12. & 13. dixit; Si propria est humani animi operatio, quæ nimirum cum corpore non sit communis, eam hominis animam à corpore esse separabilẽ. Ergo si nullæ in quouis corpore apparent operationes vitales; hoc est à vita prodeuntes, quæ sunt operationes animæ; illud corpus nullâ erit animatum animâ. Sane Aristoteles lib. 2. de An. cont. 13. tanquam principium totius de anima speculationis constituit: animatum ab inanimi ipso viuere, hoc est ipsa vitali operatione distingui. *Dicamus igitur*, inquit, *principium accipientes considerationis determinari animatum ab inanimato ipso viuere.*

Quod adeò pro comperto esse philosophis debet, vt hac tantùm ratione corpora iam mortua, quæ animum expirarũt, dicimus esse animis destituta: Quia nullæ ex iis ampliùs operationes vitæ existunt. Nec aliter lapides inanimes esse scimus, nisi quia ab iis absunt omnes operationes, quæ vitam aliquam indicare possent. Quocirca Aristoteles libro 2. de Generat. anim. c. 4. obiicit Democrito, qui nullum in animali sensum assignabat, quod *ligneum aut lapideum animal conderet*; Quia scilicet ibi anima non debet affirmari, vbi nullum animæ vestigium apparere potest.

Minor probatur; & primò quòd in cœlo non appareant tales animæ operationes: Quia cœli nullæ sunt aliæ operationes, nisi moderatus quidam, atque æquabiliter constans motus in orbem, illustratio rerum inferiorum, adde etiam è cœlo esse earumdem rerum ortus atque interitus. Siue id fiat lumine; siue etiam iis qualitatibus, quas dicunt influentias. Nullæ enim sunt reliquæ, vt notũ est. At nulla ex his est operatio vitalis. Ergo nulla apparet operatio vitalis. Hæc postrema Minor probatur.

Et primò de motu in orbem: Quia is potest fieri ab Angelo assidente, vt rectè argumentatur A. Doctor loco citato p. p. q. 70. a. 3. c. Et patet, quia vt aliquod mobile circumuoluatur, non est necesse animetur ab anima, vt mouentur rotæ, & alij huiusmodi orbes. Ergo & cœli motus esse potest ab aliquo motore extrinsecus. Ergo non est necesse sit operatio, quæ è cœlo vt vitalis emanet. Immò huiusmodi motum cœli hac ratione; nempe per assidentem Angelum de facto fieri patet ex Aristotele libro 8. Physic. cont. 40. & deinceps; Vt rectè idem A. Doctor obseruat ibidem. Nam cùm Aristoteles cont. 40. & 41. ostẽdisset, *impossibile esse, mouens seipsum primo penitus mouere seipsum*; hoc est secundum eandem partem; *Quia ferretur totum & ferret secundum eandem lationem.*

Ex hoc intulit cont. 42. primum mouens seipsum ita debere seipsum mouere, vt vna eius pars immota moueat; altera verò moueatur; vt etiam rectè ibi Simplicius, & apud ipsum Alexander, & omnes ferè exponunt. Ex quo quia stabilitum est, omne primum mouens seipsum debere habere partem vnam immotã quæ moueat; alteram quæ moueatur, explicandum Aristoteli erat; quomodo hæ partes ad motũ vniantur. Id ergo explicans cont. 43. cõcludit has partes vniri, si se attingant vel mutuò; vt duo corpora contigua; vel si contactus sit ex vna parte non ex altera; vt cùm vna pars est corpus, altera non est corpus.

Requirit ergo Aristoteles, vt inter mouens & motum sit cõtactus vel mutuus ex vtraque parte, vel ex vna tantùm, si altera non sit corpus. Quod idem est ac dicere: Id totum quod conflatur ex mouente & moto, duas partes habet. Quæ si corpora sint, attigua esse necesse est. Si verò altera sit corpus, altera non sit corpus, ac proinde

proinde sit mouens incorporeum; satis est si contactus sit virtutis motricis. nempe quia motor insideat corpori, vt vis eius mouere corpus illud possit. Ex quo loco sic formatur ratio. In hoc conflato ex mouente & mobili; nempe in cœlo dum non ab alio mouetur: sed primò mouet seipsum, debet mouens pars, nempe Angelus esse immobilis; altera, nempe corpus cœleste moueri. Ergo Aristoteles censet hoc conflatum mouere seipsum per partem, nempe Angelum, qui sua virtute motrice cœlum attingat. ergo censet ipsum Angelum non esse formam cœli informantem.

Aristoteles.

Hæc consecutio, in qua difficultas vertitur, manifestè probatur duplici argumento. Primò, quia forma cœli informans alio diuerso modo tangit ipsum cœlum, quàm contactu virtutis; nempe communicando seipsam toti per vnionem substantialem. nec rectè diceretur absolutè forma hominis aut lapidis, &c. vniri suæ materiæ & corpori suæ virtutis contactu. Nam præcipua vnio est per substantiam ad vnum totum substantiale componendum, ita vt sit vnio materiæ & formæ, vt loquitur Aristoteles libro 2. de An. cont. 7. & libro 8. Metaphys. cont. 3. Ergo absolutè non diceretur vniri contactu illo. Secundò, quia pars mouens in eo quod mouet seipsum debet esse immota, vt dixi ex Aristotele. Pars autem immota in aliquo toto quod mouetur, non potest esse eius totius forma informans. Hæc enim cum suo toto necesse est moueri, & ita non est immota. Vt enim argumentatur Aristoteles libro 2. Topic. cap. 3. loco 24. cõtra Platonis ideas, quas ipse ponebat in nobis immobiles; *impossibile est cùm eæ sint in nobis, eas immobiles esse. Nam motis nobis necessarium est, & quæ in nobis sunt omnia simul moueri.* Idémque repetit libro 8. Physic. cont. 51. Ergo si Angelus esset forma cœli, moto cœlo moueretur etiã ipse, & non esset immota pars.

Aristoteles. Aristoteles. B Aristoteles. C

Immò hoc adeò verum putauit Aristoteles vt ibidem in eo cont. 43. velit ipsum Angelum in cœlo ne debere quidem moueri motu cœli per accidens. Id patet expressè: quia eodem libro 8. Physic. cont. 52. conatur ostendere, motorẽ cœli non esse in cœlo (nempe tanquam cœli substantialis pars: nam alio modo esse pòst dicam) quia in mouendo moueretur per accidẽs, & non posset æterno tempore mouere. Vnde docet oportere aliud principium vltra hæc omnia esse, quod sit immobile etiam per accidens. *In omnibus his* inquit Aristoteles eo cont. 52. nempe motibus quibus corpora mouentur, in quibus corporibus insit primus motor vt forma, *mouetur primum mouens, & causa vt ipsum seipsum moueat à seipso secundùm accidens tamen.* Reddit rationem eandem quam diximus ex Topicis. *Mutat enim* inquit *locum corpus, quare & quod in corpore existit. Ex quibus credere licet, quod si quid est immobilium quidem, mouentium autem, & ipsorum quæ mouentur secundùm accidens, impossibile est continuo motu mouere.* Vt ergo æterno tempore moueat Aristoteli primum mouens; nempe cœli cuiusque motor, immobilis etiam per accidẽs esse debet. Vnde subdit statim. *Quare si necesse est quidem continuè esse motum, esse quid oportet primum mouens immobile & non secundum accidens.* Et in hac re consentiunt ibi omnes prorsus interpretes; præsertim Auerroës & S. Thomas. Ergo Angelus qui est motor cœli immobilis, debet non esse forma cœli, quæ

Aristoteles. D Aristoteles. Auerroës. S. Thomas.

A per accidens moueretur, nempe ad motum alterius; vt definit Aristoteles eodem libro cont. 27.

Ex quo argumento tria manifestè colligi possunt. Primum est, Angelos ne debere quidem moueri per accidens motu ipso cœli, qui est circumuolutio. Non enim alter motus in cœlo est: Ex quo dici possent Angeli moueri per accidens ad cœli motum. Vnde excluditur eorum responsio qui aiunt, Aristotelem intelligẽdum esse non de motu in orbem, sed de aliquo alio motu.

Alterum est: hunc locum quantum attinet ad nostrum propositum; nempe Angelos non informare cœlum, optimè respondere iis quæ docet Aristoteles eodem libro cont. 79. vbi concludit, potentiam quæ mouet æterno tempore, debere esse à materia abiunctã, infinitámque. Cùm enim *non contingat in magnitudine finita infinitam esse potentiam:* debet motor cœli separatus esse ab omni materia & magnitudine. Quo eodem argumento vsus est Aristoteles libro 12. Metaphys. cont. 41. vbi de substantia cœlum mouente ait: *Ostensum autem est quod nec vllam magnitudinem possibile est hanc substantiam habere, verum impartibilis, indiuisibilisque est; nam infinito tempore mouet. Nihil verò finitum infinitam potentiam habet.* Quod etiã melius confirmando explicat. Nam *cùm omnis magnitudo vel finita vel infinita sit. finitam quidem propter hoc non habet magnitudinem, infinitam verò, quia nulla est.* Non debet ergo moueri per accidens etiam motu quo cœlum conuoluitur. Id verò dici de omnibus motoribus diximus super. q. a. 1.

Aristoteles. Aristoteles.

Dixi tamen *quantum attinet ad hoc propositum:* Nam non est præsentis loci pluribus examinare; Quonam pacto inde sequatur, motorem esse potentiæ infinitæ, propterea quòd mouet æterno tempore, & in materia non est. Nobis enim satis est, ad mentem Aristotelis demonstrasse, motores qui Angeli sunt cœlo non hærere, quia non sunt in quantitate corporis finita; & infinita nulla est.

Tertium est, cùm dixit Aristoteles suprà, cœlum quod seipsum mouet, debere duas habere partes; vnam mobilem, alteram mouentem omninò immotam, sumere cœlum pro toto eo, quod ipsum cœli corpus amplectitur; nẽpe pro ipso orbe & Angelo motore; qui orbi intimè insidet; intráque eius corporis crassitudinem continetur tanquam in loco quo definitur. Patet hoc ex dictis: quia si cœli debẽt esse duæ partes, quarum altera sit corpus & moueatur; altera non sit corpus, sed ita sit immota vt ne moueatur quidem per accidẽs, ac proinde à materia sit abstracta, quæ tamen ipsum corpus cœleste tãgat; Ergo ipse cœlestis orbis & Angelus sunt eius partes. Non possunt autem alterius esse partes quàm totius illius conflati, quod diximus vt clarum est. Quemadmodum in numero ex duabus vnitatibus conflato dicitur vtraque vnitas esse pars illius conflati non alterius; & hoc pacto auriga dicitur pars potissima currus, non quidem currus, qui aurigæ dirigenti subest; sed currus secundùm quod est totum quoddam ex auriga, equis, ac lignis conflatum. Constat ergo ex motu in orbe has vitales operationes in cœlo non apparere.

Aristoteles. E

Similiter probo de illustratione & cætera efficientia. Quia certum est, has posse prouenire à causis nõ animatis, si cœlo sit talis natura, vnde ista promanent. Quemadmodũ ab vno inanimi igne lux & calor, aliáque huiusmodi deriuãtur.

Operationes vitæ repugnare cælo, demonstratur. § 4.

QVòd verò operationes vitales atque animæ cœlo repugnent, quæ erat altera Minoris suprà positæ pars, probatur. Primò enim illi repugnant operationes animæ vegetantis. Eius enim animæ operationes potissimæ sunt nutrire viuens alimento, & generare sibi simile. *Cuius sunt opera generare & alimento uti* inquit Aristo- Aristoteles. teles libro 2. de Anima cont. 24. At cœlum quod Aristoteli est sempiternum, & omnis corruptionis expers, non potest habere has opera- Aristoteles. tiones. Nam vt ait idem Aristoteles libro 2. Meteor. cap. 2. *Si sol alitur, palàm quod & sol non solùm vt ait Heraclitus nouus quotidie est, sed semper nouus continuè.* B & libro 1. de cælo cont. 22. *Quod sempiternum est, neque augmentationem habens, neque diminutionem, sed insenescibile & inalterabile, & impassibile.* Rationem attulerat cont. 21. ibidem ex natura eius quod augetur; & eadem ratio est de nutritione: quia *omne quod augmentatur augetur à cognato adueniente resoluto in materiam; huic* nempe cœlo *non est ex quo factum sit*, nempe non habet materiam in quam aliquid resoluatur. Idem dico de generatione, quia nullum sempiternum generatione multiplicatur, vt suprà diximus. Ergo repugnant operationes animæ vegetantis. Ad hæc videri possunt quę dico infrà in Primo *Colligitur*, & seq. Difficult. in septimo etiam *Colligitur*, quæ hanc rationem benè confirmant.

De operationibus animæ sentientis idem fa- A.Doctor. cilius probatur: Nam vt rectè docet A. Doctor in ea q. 70. a. 3. Anima sentiens non potest esse si- Aristoteles. ne tactu, teste Aristotele libro 2. de Anima cont. 17. Quia *sensus primò inest omnibus tactus.* Sic & ibidem cont. 31. *Sine tactiuo quidem sensuum nullus est.* Vnde libro 3. de An cont. 68. ait. *Sine tactu demonstratum est, quod impossibile est animal esse.* Hic autem sensus non potest esse in cœlo, quia *neque eu quorum est corpus simplex, contingit habere tactum*, teste Aristotele libro 3. de Anima cont. 60. At cœlum Aristoteles. est corpus simplex, vt demonstrat Aristoteles lib. 1. de cœlo à cont. 7. & deinceps. Et ratio est: D quia sensus tactus, de quo sermo est, consistit in mensura quadam, & proportione primarũ qualitatum, quam quia homo perfectam habet; *hunc* Aristoteles. *habet homo certissimum* ex Aristotele lib. 3. de An. cont. 94. Hæc autem primarum qualitatum proportio non est in cœlo quod caret contrariis, estque immortale. Adde quòd *sine vegetatiuo sensitiuum non est*; Aristoteles. vt docet Aristoteles libro 2. de Anim. cont. 31. Ergo in cœlo in quo ostensum est non esse animam vegetantem, neque sentientis animæ operationes erunt. Quod verò dicere videntur, in cœlo sensus esse mortalibus nobiliores, refellentur paulò post in primo *Colligitur*. Repu- E gnant ergo operationes vitales animæ sentiẽtis.

Denique quòd etiam repugnent operationes vitales animi ratiocinantis probatur; quia hæ operationes supponunt operationes animæ vegetantis ac sentiẽtis. *Non est autem possibile* inquit Aristoteles. Aristoteles libro 3. de Anima cont. 61. *vt corpus habeat quidem animam & intellectum discretiuum, sensum autem non habeat.* Quod etiam confirmat: quia intellectus in corpore eget phantasmate & sensu. Alioqui vt suprà diximus, cur esset in corpore? Et deinde probat corpus illud non posse esse simplex, sed oportere mistum esse ob tactũ.

A Ergo cœlo repugnant. Præterea quia animus rationalis supponit animam vegetantem & sentientem, vt docet Aristoteles lib. 2. de An. cont. Aristoteles. 14. & 15. vbi ait, vegetabilia omnia separari posse ab aliis animarum generibus: *Alia autem ab hoc impossibile in mortalibus*; & cont. 32. apertiùs. *Quibus* inquit *inest ratiocinatio corruptibilium, his & reliqua omnia.*

Et quamuis vtroque loco limitare videatur Aristoteles, vt is animus supponat sensus, qui est Aristoteles. *in mortalibus*, quasi sint aliqua immortalia, in quibus sit ratiocinatio sine sensu: Tamen hoc nihil detrahit vniuersitati doctrinæ, quam diximus. Nam non potest Aristotelis sententiâ ratiocinatio esse in cœlestibus animis seu intelligentiis in quibus nullo modo Aristoteli est discursus, sed simplex intellectio, quandoquidem ratiocinari non potest esse nisi in mortalibus. Ratiocinari enim est totius coniuncti, & non animi, ac proinde compositi corruptibilis: intelligere autem est animi solius, ac proinde incorruptibilis; quod planè patet ex libro 1. de An. cont. 65. & 66. Opponit enim ibi ratiocinari, & intelligere, oppositásque vtriusque rei causas corruptionis exponit; quòd scilic. *ipsum intelligere & speculari marcescit aliquo interius corrupto, cum tamen ipsum ex sese sit impassibile: cogitare autem*; id est ratiocinari, quia idem est; *amare, odisse* &c. *cum sint actus non animæ, sed hominis, necesse est ipsa intereant homine pereunte.* C Quo in loco Græci interpretes prædictã vtriusque actionis differentiam animaduertunt; indéque pro comperto habent, licèt homo in ratiocinando vtatur corpore & phantasia tanquam instrumento; in intelligendo tamen, quia est solius animæ actio, nullo opus esse instrumento corporeo, vt docent Themistius, Philoponus, & Themistius. Philoponus Simplicius. Simplicius in illum cont. 66.

Est ergo ratiocinari solùm in mortalibus, in quibus animus ratiocinans phantasia vtitur, atque instrumento corporeo, vt ita non solius animi sit actio, sed coniuncti, in quo differt ab actu intelligendi, qui ab instrumento corporeo seiũctus est; vt alibi fusiùs dico. Itaq; solùm in mortalibus est ratiocinatio phãtasia sensúque vtentibus. Ex quo sequitur, illam particulam *in mortalibus* non esse limitationem: vt sic scilicet significetur superesse immortalia, quæ ratiocinentur nullo prærequisito sensu aut corpore. Quandoquidẽ talia immortalia ex Aristotele nulla sunt, sed esse declarationem eius enunciati; nimirum vt ratiocinari quod est in mortalibus, sensus phãtasiámque deposcat. Quemadmodum si quis diceret corpus immortale in cœlestibus nullis contrariis subiectum est. Tunc enim non esset sensus alia superesse corpora immortalia extra cœlestes orbes, quæ contrariis subderentur. Certum namque Peripateticis est, nulla extra cœlestes ambitus talia reperiri corpora immortalia. Ratio horum vniuersalis est: Quia quædam huiusmodi dictiones, quæ restringere videntur antecedentem sensum, potiùs ponuntur ad antecedentium declarationem, quàm antecedentia restringant; vt patet in exemplo allato, & in aliis compluribus similibus. Alium etiam modum explicandi significabo in fine primi *Colligitur* post secundam Propositionem.

Cùm ergo cœlum careat anima tum vegetante tum sentiente, vt ostensum est; non potest cõstitui animo ratiocinante. Constat ergo nullam habere animam ex illis quatuor generibus animarum.

marum. De intellectu autem mox dicetur. Atque hæc de priore argumentatione.

Nullam ab Angelo operationem intelligentis animi exerceri adiutore corpore, proinde cœlum ab Angelo non informari in finem intelligendi. §. 5.

IAm quod attinet ad posteriorem rationem, de qua diximus antè in ipsa Propositione; probatur propositio ex peculiari ratione Angelorum in doctrina Peripatetica. Nam quandocunque nulla animæ operatio in aliquo exercetur adiutore corpore, illa anima non est forma illius corporis. Sed nulla Angelorum operatio exercetur in cœlo adiutore corpore; nempe cœlo. Ergo Angelus non est forma cœli. Vtrumque principium argumentationis est Aristotelis.

Aristoteles.

Et primò Maior licèt suprà non semel ostensa sit; tamen quia semper nouis argumentis confirmari potest, adhuc magis probetur: Quia Aristoteles libro 2. de cœlo cont. 17. *Vnumquodque* inquit *quorum est opus, est gratia operis.* Si ergo in aliquo corpore nulla sit operatio animæ ipso corpore adiutore, anima non est forma illius. Nam eius compositionis nullus esset finis, quia nulla esset operatio, quæ finis est vniuscuiusque non solùm compositi, sed cuiuscunque substantiæ. Hinc Aristoteles libro 1. de An. cont. 13. Vt animæ intelligẽtis separationẽ à corpore astrueret, videndum esse dixit: An eius aliqua operatio à corpore separata sit, ad quam scilicet corpus suis instrumentis non concurrat. *Si nulla est ipsius* inquit *propria*; nempe operatio; *non vtique erit separabilis*; quia scilicet eius animi nullus esset finis, quia nulla operatio, quæ cuiuscunque substantiæ finis proximus. Et ratio huius est: quia natura nihil frustra facit; hoc est sine fine proximo; nempe operatione. Quo pacto argumentatus est Aristoteles libro 3. de Anima cont. 60. vt ostenderet, omne animal debere sensu aliquo præditum esse, quia careret fine suo, quem ait ibi esse naturæ opus. *Animal* inquit *necesse est sensum habere, si nihil frustra facit natura. Omnia enim quæ natura fiunt propter aliquid sunt.* Et post pauca sic concludit. *Si igitur omne progressiuum corpus non habeat sensum, corrumpetur vtique, & ad finem non perueniet, qui est naturæ opus* Explicans autem quinam sit hic finis, naturæque opus, ait esse ipsas actiones. *Quomodo enim aletur?* &c. Verum ergo est, si corpus non sit animæ adminiculo in aliquam operationem, nullum futurum eius compositionis finem, ac proinde talem compositionem non esse in rerum natura, quæ nihil frustrà & sine operatione facit.

Aristoteles.

Ad quod confirmandum illud in primis adduci debet quod Aristoteles habet expressè lib. 1. de Part. c. 5. Omne enim corpus quod animę subiectum sit, instrumentum animæ ad aliquem finem, qui sit aliqua animæ functio esse debet, vt ibi planè docet & probat Aristoteles. Cùm enim docuisset, corpus animę esse instrumentum (nam definitur anima actus corporis instrumentalis libro 2. de An. cont. 6. & 7.) subdit. *Instrumentum omne alicuius gratia esse*, ac proinde *& quasque corporis partes*; nempe ob aliquem finem esse, quem statim declarans ait esse operationes. *Id autem ipsum esse alicuius gratia* inquit *nonnisi pro aliqua actione est.* Ex quibus infert hãc ipsam conclusionem, quam nunc ipsi inferimus; Nempe: Ergo *Patet* inquit *iam totum etiam corpus constare alicuius gratia actionis plenioris.* Quo pacto ait sertam esse sectionis gratia. Nec satis hoc illi fuit: Non enim passus est epilogum rationis desiderari. *Quapropter* inquit *corpus etiam totum animæ gratiâ conditum est, & membra officiorum gratiâ constant & munerum ad quæ singula accommodantur.* Palàm ergo est corpus ipsum, & membra animati corporis esse ob alicuius actionis animæ finem.

Sanè si anima intelligens nullam habeat operationem cum corpore communem, non debet poni implicata corpori: Quia vt ait Aristoteles libro 1. de An. cont. 49. *Melius est intellectui nõ cum corpore esse, quemadmodum & cõsuetum est dici, & multis placet.* Eius rei egregiè rationem reddit Themistius ibidem, quia *laboriosissima res esse videtur, animam detineri coercerique corpore tanquam neruis ac vinculis cum soluta corpore & beatior sit futura, & suis opibus vti liberius, ac vegetius possit.* Immò (vt hoc etiam obiter notemus quandoquidem hic huius rei incidit mentio) Aristoteles eo loco impugnat sententiam Platonis de Mundi anima; vt rectè notat Simplicius & Philoponus, & apertè significat Themistius, vt eius glossator ibidem ex cõtextu Græco notauit; Quòd mundano corpori perpetuò sit adnexa, neque eo vnquam nexu se expedire queat. *Laboriosum autem* inquit Aristoteles ibidem *est commixtum esse corpori non potẽs absolui: ac præterea fugiendum si quidem melius est* &c. Ergo Aristoteles non potest sentire, cœlum habere animam, quia eodem argumento impugnari posset, quo Platonem ipse redarguit.

Aristoteles. Themistius. Simplicius. Philoponus. Themistius. Glossator. Aristoteles.

Minor autem probatur: Quia Angelorum nulla alia est Aristoteli operatio præter cœli circũuolutionem, & actum intelligendi. Nam neque sunt operationes reliquarum animarum, vt ostẽsum est, neque aliæ apparent, nec earum vspiam mentionem fecit Aristoteles. At propter cœli motum non est ponendus Angelus informans; immò ei repugnat informatio: Quia, vt ex Aristotele ostendimus, moueretur per accidẽs quod illi repugnat. Nec propter actum intelligendi, quia huic si corpus intelligentiæ non adminicuIetur, melius est esse sine corpore, vt dictum ex Aristotele est.

Deinde hoc ipsum euidenter probari potest ex libro 3. de An. cont. 61. & 62. vbi Aristoteles docet: omne corpus habens animam etiamsi ingenerabile sit habere sensum, vt dicam ad secũdum argumentũ pro parte affirmante. Probatum autem est cœlum Aristoteli non habere sensum, vt propter hoc necessarium sit illi corpus, per quod sensiones in animum deriuentur.

Aristoteles.

Cœlum non esse præditum sensibus perfectioribus. § 6.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò absurdò Philoponum, & alios vbi suprà in parte affirmante Aristoteli tribuisse, quòd cœlestes orbes existimauerit præditos sensibus longè perfectioribus, quàm sint inter mortales. Nam primò impossibile est, vt Aristoteli cœlum habeat tactum & gustum. Hi namque sensus *necessario consequuntur omnia animalia* ex Aristotele libro de sensu & sensili cap. 1. At cœlo etiamsi fingas non ascribes tactum & gustum; nisi etiam

Philoponus.

fingas cœlum habere palatum & cor. Quod est A quandoquidem sensus ex his constare debet. Aristoteles. sensorium vtriusque sensus ex Aristotele eodem libro cap. 2. Ergo non sunt huiusmodi in cœlo opinione Aristotelis.

Deinde quæro quænam cœlo insint operationes, quæ ipsi cælo hos sensus deberi ostendant? Nam si dicamus id esse, quia orbes cœlestes se mutuò contingunt, ergo est in iis contactus, ac proinde tangendi sensus. quandoquidem ea se tangunt, quorum extrema sunt simul, vt habet Aristoteles. Aristoteles libro 5. Physic. cont. 22. Hoc nihil prorsus ad rem nostram est. Hic enim Mathematicorum contactus est, non qui ex aliqua sentiendi facultate deriuetur. Vnde Mathematicus ille cōtactus nullum sibi poscit tanquam actionibus obiectum. Satis enim est si extrema corporum sint simul. At verò alterius, qui est sensus, obiectæ res sunt tangibiles qualitates ex Aristotele libro 2. de ortu & interitu cont. 8. nempe *calidum, frigidum, humidum, siccum, graue, leue, durum, molle.* Aristoteles.

Tertiò, quia nullum ex Aristotele proferunt locum, vbi id vel docuerit vel significauerit. Esto enim alicubi dixerit, cælum habere animam, tamen vbi dixerit cœlum habere sensum nostris perfectiorem non facile reperiri potest. Absurdum autem est alicui eam tribuere sententiam quæ ab ipso nullibi significetur. Præterea vt vidimus omnem sentientem animam negat Aristoteles esse sine vegetante, quam cœlo denegari ab Aristotele tam certum est, quàm quòd certissimum, si non ambigamus cœlum Aristoteli esse incorruptibile, vt dictum est. Immò si demus cœlum nutriri; quæro; Vndenam corpori tam amplo ac vasto tanta cibi copia suppeditabitur? Certè ex elementis atque adeò ex igne: nam reliqua & mixta omnia ab ipso remota longè sunt. At ignis non est aptum alimentum Aristoteli. *Alimentum enim ipsis animalibus*, inquit Aristoteles libro de sensu & sensili cap. 4. *nullum est eorum*; nempe aut siccum aut humidum, *sed mixtum: neque ipsis plantis, sed mixtum.* Atque in eandem sententiam loquitur libro 2. de ortu atque interitu cont. 50. Ridiculum autem esset dicere extra cœlum vineas & campos perpetuò ad cœli palatum virescere. Aristoteles. Aristoteles.

Præterquam quòd extra cœlum Aristoteli nihil est, vt patet ex libro 1. de cœlo cont. 99. Adde quòd Aristoteli libro 2. de Gener. Animal. cap. 4. *Alimentum vltimum animalis sanguis est, aut quod sanguini proportionetur, quorum vasa & conceptacula venæ sunt.* Et ideò, vt ipse loquitur libro 2. de An. cont. 50. *Omne alimentum necessarium est concoqui posse. vnde omne animatum habet calorem.* Quorum nihil ne proportione quidem fingi potest in cœlo: quod Aristoteli est corpus simplex, elementisque simplicius. Insuper si cœlum habet sensus perfectiores nostris, habere quoque debet perfectius temperamentum. Vt enim habet Aristoteles libro tertio de partibus Animalium capite quarto, *sunt articulatiora corda eorum, quæ sensu melius valent; inarticulatiora, quæ sensu hebeti sunt: Hæc enim habent cor durum & spissum.* Aristoteles. Aristoteles.

Quæro ergo; vnde temperamentum habeat cœlum, quod diximus esse corpus simplex. Quòd si dicant: sensus esse posse in corpore simplici sine temperamento. Contra hos est: quia quemadmodum in cœlis ponunt sensum saltem proportione aliqua nostris respondentem; pari modo & instrumenta sensuum ponenda sunt, quandoquidem sensus ex his constare debet. Nam *sensuum*, inquit Aristoteles libro septimo Physicorum, contextu duodecimo, *motus est per corpus patiente aliquo.* Quæro ergo quid in cælo respondeat cordis temperamento, quod esse principium sensus docuit Aristoteles libro secundo de Part. Animal. capite decimo & libro de somno & Vigilia capite tertio. Quæro etiam vbi sit sanguis, aut quidpiam simile, sine quo nulli sentiendi facultas data est ex eodem Aristotele ibi eodem capite decimo. Vbi etiam addit capiti, quia puriores sanguinis partes continet, *sensuum sedes mandatas esse.* Certè si hæc assignare non possunt in corpore simplici, B congruens rationi est, vt eidem omnem sensum negent. Nam eadem ratione tribuere ligno ac stipiti sensum possent. Hoc enim perinde est ac ligneum seu lapideum animal condere; Quod ridet in Democrito Aristoteles libro secundo de Generation. Animal. capite quarto *Quasi ligneum aut lapideum animal condant, non rectè dicunt.* Idque nullam aliam ob causam nisi quia sentiendi *res talis nullum principium habet; & animalia omnia habent, atque ita a se continent.* Aristoteles. Democrit. Aristoteles.

Tandem si perfectiores in cœlo sensus sunt quàm in mortalibus: ergo in cælo diuersa organa ac sensoria ponenda sunt, vt cælo sit aliquid C instar capitis cerebrum continentis. *Cerebrum enim*, inquit Aristoteles libro 2. de Part. animal. cap. 7. *omnia sanguine prædita animalia habent, ex cæteris nullum ferè nisi per proportionem.* Ibique sensuum omnium sedes sit. venæ arteriæ quibus spiritus animales deuehantur: oculi, nares, aures, & alia similia permulta. Quare ex tam variis partibus compactum cœlum, Aristoteli non esset corpus simplex: neque ex simplici motu circulari rectè eius natura simplex inuestigata esset lib. 1. de cœlo à cont. 7. Aristoteles.

Hinc sequitur etiam cùm omnium animantium partes Aristoteles quatuor libris integris D accuratè descripserit, male ipsum præstantissimi in natura vniuersa animantis partes omnes miro silentio præteriisse. Cùm tamen ipse libro 1. de Part. cap. 5. supernorum corporum vel tantillum studium plenissimæ cæterarum caducarum notitiæ anteponat; vt *de substantiis quæ natura constant*, quas æternas ipse putat ac diuinas, aliquid cognoscere plus nos delectet, *quàm cùm nobis iuncta omnia tenemus. Quemadmodum quamlibet partem minimámque* (Vtitur enim hoc exemplo, quo honestius quidem afferre potuisset, sed non quod rem propositam æquè bene explicaret) *corporis nostrarum puellæ deliciarum vidisse gratius ac iucundius est, quàm cæterorum hominum membra tota perspexisse.* Num ergo diligens naturæ indagator E hanc sibi laudem, quæ tantopere illi erat cordi eripere è manibus passus esset Aristoteles, si aliquomodo sensus eorúmque organa ac functiones ad cœli syderúmque naturam pertinere arbitratus esset? Aristoteles.

Immò ne cuiquam veniret in mentem, in Aristotele desiderari eam tractationem, quam summis ipse laudibus comprobauerat; illicò ibidem vtitur excusatione, quæ ipsum à superuacaneo labore excusare possit honestè. Addit enim, *sed cùm iam satis de illis*; nẽpe æternis corporibus, *egerimus, nostramq; explicuerimus sententiã, restat vt de animante natura disseramus, nihil pro viribus omittentes vel vilius vel nobilius.* Cuius rei vilioris ne cognitioné prætermittat, causã dicit esse philosophandi volupta- Aristoteles.

voluptatem circa res, *quas natura parens & author omnium mirè excitat hominibus, qui intelligunt causas, atque ingenuè philosophantur.*

E quibus colligi duo ad rem præsentem possunt. Vnum est; Aristotelem se satis de cœlestibus disputasse, suámque de iis explicasse sententiam nimirum in libris de cœlo: credidisse asserere. Ergo non putauit vllam superesse sensuum cœlestium disputationem. alioqui nullius momenti esset excusatio rei iam actæ. Quia dicere posset quis, non satis eius sententiam de cœlo esse perspectam, qui potissimā eius scientiæ partem; nempe de cœlestium sensibus reticuerit. Alterum est: Satis illis verbis indicari ab Aristotele, cœlum non esse animatum: Quia tractationi de rebus cœlestibus opponit statim de animante natura dissertationem; vt patet ex illa particula *restat.* Ergo cœlum non est Aristoteli animatum: Quia tractatio de cœlestibus corporibus non est tractatio de animantibus, quippe illi opposita. Sanè si Aristoteles putasset, cœlum esse animatum potissima de animantibus pars disputatio de cœlo esset; reliquorum verò tractationis residuum, non opposita disputatio. Constat ergo nullum cœlo inesse sensum.

Themistius. Colligitur secundò contra Themistium, vbi suprà, cœlum *sensibilia* non cognoscere, nec alia ratione. Nam cœlo nullus inest sensus, vt probatum est; Ergo nec cognitio singularium, quæ teste Aristotele libro 1.Poster.cont. 35. sensuum propria est. Quod si cœlo cognitionem singularium alia ratione inesse velit, eo quod illi insidet Angelus, qui etiam singularia cognoscat, verum quidem dicit, sed tunc propriè cœlo non est attribuenda cognitio. Nam non propriè quispiam diceret, nauim cognoscere singularia ex eo quod eius gubernator eadem singularia comprehendit. Si tamen nomine cœli velit signare ipsum totum conflatum ex ipso cœlesti corpore & Angelo, vt suprà diximus significatum esse ab Aristotele, cùm dixit, cœlum mouere se ipsum, tunc nihil reprehendo, quia nec modus loquendi omnino ab Aristotelæo dissentit.

Dico *omnino*, quia intelligendi actus non tribuitur toti, quod plurium per se subsistentium aggregatione conflatur, quemadmodum tribuitur motus. Licèt enim dicatur aliquo modo nauis aut currus mouere se ipsam, eo quod tali nomine nautam aurigámque significamus, tamen cùm intelligendi actum nominamus, eum tantummodo cuius est intelligere, significare solemus. Ratio huius diuersitatis est: Quia in iis, quæ faciunt vnum in ratione instrumenti, & præcipui efficientis potest actio vnius tribui & alteri compartì, vt percussio quæ est actio mallei tribuitur malleatori, & vectatio, quæ est veluti actio nauis tribuitur nautæ; cùm dicitur: Nauclerus vehit exercitum. Quin etiam ipsi toti; Vt cùm dicitur exercitus expugnasse vrbem, etiamsi pars eiusdem exercitus id præstiterit. Cùm ergo cœlum & Angelus faciant vnum in ratione instrumenti, & præcipuè mouentis, quia cœlum est instrumentum Angeli ad rerum gubernationes & procreationes; vt rectè obseruat A. Doctor. A.Doctor quæst.on. septuagesima infra a.3. ad 3. Ideò cœlum rectè dicitur mouere seipsum; quia vt sic est totum conflatum ex mouente & moto, cui toti, vt diximus attribui potest actio partis circa aliam. Qua ratione currus vt habet iuncto, equos mouet seipsum. Quæ etiam doctrina colligitur ex eodem a. 3. ad 5. At verò in intelligendo Angelus non facit vnum cum cœlo in ratione instrumenti & præcipui agentis, quia cœli motus respicit potentiam Angeli motricem non intelligentem nisi consequenter & secundariò, cùm præsertim intelligendi actio non requirat instrumentum corporis, sed illi satis sit suum principium, vnde tanquam à causa eliciente proficiscitur. Ergo non facit vnum cum cœlo in ratione instrumenti. Themistium verò sensisse cœlestibus nullum inesse sensum, clarè videbis sequenti Difficultate in quinto *Colligitur* in fine.

Ostenditur cœlo inesse animum assidentem, proinde rectè animatum dici ab Aristotele, &c.

§. 7.

Secunda Propositio: Cœlum Aristoteli est animatum, eò quòd habet animam assidentem, eámque intra ipsum cœlum. Quam propositionem docuerunt auctores partis negantis, vt vidimus. Probatur autem, quia animatum est id quod habet animum, vt suprà dixi in Notando. Et patet: quia hoc pacto Aristoteles libro tertio de An. contextu sexagesimotertio. *Animal*, inquit, *est corpus animatum*; nempe corpus habens animam sentientem, vt deinceps explicat. Aristoteles. Ergo animatum est habens animam, sicut album habens albedinem. Cùm autem cœlum Aristoteli sit animatum vt diximus; ergo est habens animam. Et cùm non possit habere animam informantem, vt ex Aristotele ostensum est; Ergo est animatum ex eo quod habet animam assidentem. Quia vtroque modo & non alio dicitur aliquod corpus animatum ab Aristotele, vt dixi in Notando. Hæc autem anima intra ipsum cœlum continetur, quia est in illo tanquam in loco definitiuo. Et ideò Aristoteles libro secundo de cœlo cont. 13. cœlum dicit esse *animatum & habere in se principium motus*. Aristoteles. ergo continet in se animam. Ergo nonnisi tanquam in loco definitiuo. Alius enim modus fingi nequit.

Ex quo Aristotelis loco confirmari potest nostra propositio: quia ibidem docet Aristoteles, cœlum esse animatum, quia *manifestum est quod habet sursum & deorsum*, &c. Aristoteles. At cùm Angelus cœli motor sit substantia absque materia ac penitus indiuidua, non potest habere propriè dextrum & sinistrum, ante & retro, cùm præsertim hæ sint differentiæ loci, vt apertè testatur Aristoteles libro 4. Phys. cont. 4. Ergo eodem modo cœlum est animatum, quo habet has differentias. Has autem non habet propriè, quia cœlum non est in talibus loci differentiis: sed solùm ducta similitudine ab animali, & cæteris, in quibus hæ differentiæ verè sunt. Quomodo Aristoteles in eo context. 13. dextram cœli eam partem appellat, vnde incepisset motus si initium habuisset. Ergo nec propriè est animatum, sed proportione & similitudine, quia scilicet cœlum continet animam, licèt non informantem, quemadmodum nauis. Quin etiam magis peculiari ratione, quia naui exteriùs ad superficiem

ficiem insidet nauta; cœlo autem motor interior A inest, vt diximus. Erit ergo animatũ habens dextrum ex quadam similitudine, qua tunc temporis consuetum erat orientem appellare dextrum: Quia ibi cœli virtus maximè videtur apparere. Aristoteles. Quod Aristoteles significat eodem libro contex. 14. vbi ait: *Consueuimus la era dicere in mundo, non quod sursum est atque deorsum, sed quod est praeter polos.* Auerroes. Idem quoque significauit Auerroes eodem libro 2. com. 15. Vbi *Dextrum*, inquit, *& sinistrum non dicuntur nisi propter similitudinem*; vt magis explicabo infrà in solutione argumentorum. Ac fortassis Plutarchus. hoc solum Aristoteli ascripsit Plutarchus vbi suprà in prima sententia. Solùm enim dicit Aristotelem posuisse animatum cœlum mente, sensu ac ratione, eo quòd hæc omnia contineantur B in orbibus.

Ex hac propositione ita probata Colligitur A Doctor. primò, quod dixi super. Distic. A. Doctorem non Aristoteles. existimare Aristotelis sententiam esse quòd cœlum propriè animatum sit, vt retuli ex illa q. 70. a. 3. vbi etiam ex mente Aristotelis soluit illa tria argumenta, quæ attulerat in eo libro cont. Gent. c. illo cit. & quæ nos recensuimus in Parte affirmante. Ad primum enim respondet in eo a. 3. ad 5. vbi ait, cœlum mouere se ipsum, *inquantum componitur ex motore & mobili, non sicut ex forma & materia, sed secundum contactum vt dictum est*; nempe in corpore ex Aristotele libro octauo Physic. Aristoteles. contextu 41. vt nos suprà explicauimus. Itaque ex Aristotele respondet Aristotelis aucto- C ritatibus.

Similiter ad secundum respondet ibidem, vt colligitur ex solutione quarti argumenti, cœlum moueri vt à desiderabili ob motorem assistentem, & hunc motum cœlo esse naturalem, non quidem ob principium actiuum sed ob princi- Aristoteles. pium passiuum, quod est cœlum. Nam teste Aristotele libr. 2. Phys. cont. 12. 21. & 81. non solùm forma, sed etiam materia est natura. Quare cùm naturale sit id quod à natura est, vt docet eodem libro context. 5. motus cœli dici naturalis poterit ex principio patibili, esto non sit naturalis ex forma eliciente. Itaque saluat veritatem propositionis Aristotelicæ aptè ad Aristotelis mentem.

Verùm quod attinet ad locum Aristotelis, Ipse non dicit cœlum moueri vt à desiderabili, sed primum motorem mouere *vt concupiscibile & intelligibile non motum*. Quibus verbis solùm ostendit primi motoris immutabilitatem, quandoquidem mouet ea immutabilitate, qua finis cum mouet agens ad operandum, vt optimè explicat Alensis. Alensis in illum locum; Vt scilicet Quemadmodum finis in mouendo non mouetur. (*Appetibile enim* vt ait Aristoteles lib. 3. de An. cont. 54. *mo-* Aristoteles. *uet & non mouetur*, vnde subdit, *Agibile bonum esse mouens immobile*:) ita primus motor in mouendo E cœlo persistit immobilis, etiamsi aliud ab ipso, & ad ipsum moueatur: Quod nihil facit pro cœli animatione.

Ad Tertium non respondet A. Doctor, quia nec illud proposuit. opinor quia non erat difficile. Nam potest facilè responderi, vt nos suprà diximus in propositione in argumento, quo animam ratiocinantem improbauimus. Præterea dici etiam potest, licèt Aristoteles exciperet immortalia, tamen inde non sequi ipsum existimare ea esse animata, quia ea excipit cum eximi ab ipso potuerint ob aliam causam; nimirum propterea quod non erat locus ibi disputandi.

Auerroi veteribúsque Peripateticis cœlum non constare ex animo informante, oppositisque argumentis satisfit.

§. 8.

Colligitur secundò quid dicendum sit de Peripateticis ac præsertim de Auerroë, quem Pars affirmans stare à seipsa arbitratur. B Etenim constat, veteres Peripateticos cœlo nullam attribuere animam informantem: Quia omnibus his Peripateticis intellectui melius est sine corpore quàm in corpore. Vnde si cœlum ipsis est animatum, anima assidente animatum est. Quamobrẽ existimarim eos, qui cœlo ascribunt sensus mortalibus perfectiores, intelligendos esse de anima intelligente, cuius actus perfectior est cunctis sensibus, vt nomine sensuum, vim ipsam intelligendi denotent.

De Auerroë nunc dicendum est. Et quamuis Auerroes. hic auctor refragari sibi in multis sæpe soleat; Tamen quia in hac materia complures recentiores eius auctoritate fulciuntur, à quibus etiam nõ rectè citatur, explicabo paucis eius sen- C tentiam, eámque Aristotelæis pronunciatis in primis consentaneam esse demonstrabo; simúlque satisfaciam eius dictis quæ suprà in parte affirmante allata sunt. Vnde ni fallor perspicuũ erit horum Philosophorum ingenia potius arbitratu suo plerumque philosophari; quàm veritati, vt philosophum decebat, consultum esse voluisse.

Et primò quidem quod attinet ad ea Auerrois loca, quæ in parte affirmante diximus, aio, nullum esse qui contra illam eandem sententiam apertè non militet. Quare ad primum eius locum ex libro 2. cœli com. 71. fateor Auerroi or- Auerroes. D bem totum esse vnum animal eo loco; non tamen simpliciter id dici, sed adhiberi (quod ipsi prætereunt) particulam temperãtem hoc pacto. *Totus* inquit *orbis est quasi vnum animal*. Ergo est instar animalis, non simpliciter animal. Immò explicans cur adhibuerit huiusmodi particulam similitudinis, pergit proximè. *Sed non est vnum animal quasi ligatum ex multis ligamentis sicut animal dissimilarium partium, sed est ligatum prima potentia spirituali dans se in suo toto.* Quia scilicet hæc potentia spiritalis, nempe motricis Intelligẽtiæ *Debet* vt ipse explicat *habere magnitudinem terminatam*; hoc est cœlum tantæ magnitudinis & non maioris. Vnde ait, *si cœlum haberet plures stellas, motus eius esset tardior*. Obsisteret enim magnitudo mo- E bilis ipsi mouenti. Subditque discrimen inter animal quod sub cœlo est, & animal quod est cœlum: Quod animal sub cœlo indiget naturaliter ligamento. *Animal verò diuinum* non habet ligamentum cum cœlo nisi ex *ingenio*: hoc est, vt opinor ex voluntate illud mouendi; Nimirum quia non formæ necessitate, sed voluntate cœlo destinatur; & ideò *animal ligatum, & animal diuinum non dicuntur* inquit *vnum nisi æquiuocè*. Quamobrem non putat Auerroës cœlo inesse animam informantem, alioqui esset propriè animal non æquiuocè, nec instar animalis; nec cœlo inside-

ret ex ingenio ſed naturâ. Quàm malè ergo in ſuum Auerroem iſti peccant?

Ad ſecundum ex 3.cap.de ſubſtantia orbis dico, contrarium omninò ſenſum haberi in eo locò. Cùm enim dixiſſet: *Eſt declaratum quòd corpus cœli componitur ex motore & moto*, ſubdit quænam ſit iſta compoſitio his verbis: *Et quod iſte motor non conſtituitur per rem motam, neque exiſtit in ea: ſed eſt abſolutus ab omni materia.* Ex qua doctrina ſoluit quæſtionem illam. An ſcilicet corpus cæleſte debeat eſſe compoſitum ex materia & forma ſicut corpora inferiora quæ aliquo motore moueantur. Soluit autem: Quoniam corpus cœleſte debet moueri infinito tempore, *Neceſſe eſt vt non ſit compoſitum ex materia & forma*, ſicut corpora inferiora: *& vt ſit ſimplex; ſcilicet ſubiectum ſimplex primo motori qui eſt forma ipſius.* Ex quibus verbis, quia poterat colligi corpus cœleſte ſe habere vt materiam reſpectu motoris, qui ſit forma informans, concludendo ſubdit Auerroës. *Eſt igitur proprium iſti moto ex ſe quod eſt corpus cæleſte, hoc videlicet quòd motor ipſius non eſt in materia, & quòd iſtud quod mouetur ab eo eſt ſimplex non compoſitum.* Et nota quæ ſequuntur. *Et ſic intendimus* inquit, *verificare propoſitionem in qua propoſuimus, quod cuiuſlibet virtutis in corpore ſuum mouere eſt finitum, & ſuum moueri etiã eſt finitũ.* Tantum ergo abeſt, vt ſit in corpore Angelus, vt Auerroes putet, ſi eſſet in corpore motum non futurum ſempiternum. Quid hic mali Auerroiſtæ? — Auerroes.

Ad tertium locum ex libro 8.Metaphyſ.com. 12.dico apertiſſimè, Auerroem ſentire contrà quàm aduerſarij putant. Etenim hæc ſunt eius verba: *Subſtantiæ cæleſtes non habent materiam, quia non ſunt compoſitæ, ſcilicet quia non ſunt compoſita ex materia & forma. ſed ex corpore & forma intelligibili: non ita quòd anima ſit res animata*; id eſt, animans. Nam ſequitur immediatè: *Non ita quod illic eſt aliquid quod animetur per animam aut viuat per vitã: ſed ſunt animata per ſe & viuunt per ſe. Omne enim quod viuit per vitam eſt generabile & corruptibile.* Itaque negat Intelligentiam eſſe animã informantem. alioqui cœlum viueret per animam, & eſſet animans. Ait tamen ea viuere per ſe; nempe Intelligentias; id eſt, non in ſubiecto. Neque enim aliud ſignificare poteſt. Negatur ergo cõſequentia; & antecedens non fideliter ponitur. — Auerroes.

Ad Quartum ex libro 12.Metaphyſ.com.36. dico nec Auerrois verba afferri fideliter. Poſt illa enim ſubdit, Quomodo de virtutibus animæ habeat ſolum intellectum, & cœlum ſit animatum. *Et hoc declarabitur* inquit *ex his. Dictum enim eſt 8.Phyſ. quòd mouens corpora cæleſtia in nulla exiſtit materia: & quod eſt forma abſtracta.* Non ergo eſt anima informans, quia exiſteret in materia, nec ab ea eſſet abiuncta. Ex quibus ſimiliter dico ad cætera ex Auerroë in argumento allata loca. In hac enim re Auerroës ſemper ſibi conſtitit; ſuique ſimilis fuit. Atque hæc quidem ſatis ad propoſitos locos. — Auerroes.

Nunc breuiter proponam alios quinque in eandem omninò ſententiã Auerrois locos; quibus magis conſtat, ipſum nunquam in hac quæſtione inconſtanter, vt ſui moris eſt, eſſe locutũ. Primus ſit ex libro 1.cœli comm.22.poſt mediũ. *Apparet autem* inquit loquens de cœlo, *quòd impoſſibile eſt, quòd ſit ſemper mobile per ſe, niſi per principium extrinſecum, non corporeum; neque vt ſit virtus in corpore.* — Auerroes.

Alter eſt in eodem libro comm. 95. vbi cœ- A lum appellat *corpus neutrum, quod non habet materiam ex qua componitur. quoniam ſi haberet; haberet contrarium & eſſet corruptibile.*

Tertius ſit in Paraphraſi ad 1. de cœlo ſumma 6. paulò poſt initium, vbi ex eo quòd in cœlo non datur ſubiectum neque contrarium, infert: *Conuincetur, id ſimplex eſſe, non compactum ex materia & forma; ſed veluti ad formas abſtractas materia in actu.* Quia ſcilicet potentiam habet per quam ad locum moueri poſſit ab Angelo, reſpectu cuius ſe habet vt materia.

Quartus eſt cap.4.de ſubſtantia orbis: *Iſtud mouens* inquit *neque eſt corpus neque potentia in corpore, vt eſt Intelligentia abſtracta.*

B Vltimus ſit omnium præclariſſimus cap.1. de ſubſtantia orbis poſt medium. ait, Ariſtoteli formas corporum cœleſtium *non eſſe conſtitutas per ſua ſubiecta*; id eſt non eſſe in ſubiecto: Quia alioqui *mouerentur per motum ſubiectorum*, &c. *Et ſi ita eſſet tunc ſuum mouere eſſet finitum. Quod enim mouetur, impoſſibile eſt vt ſit principium motus æterni.* Nec his contentus addit: *Et dicitur eſſe motum*, inquit *per principium ſeparatum, quod eſt in eo, non per principium quod eſt in eo tanquam pars; & hoc modo dicitur viuum & intelligens.* Immò vt clarior ſit doctrina addit: *Et ſi eſſet intelligens per partem in eo, non eſſet intelligens per ſe. & eſſet ſimile homini in hoc quòd homo eſt intelligens per partem in ipſo.* Hæc & alia ſimilia Auerroës. C Vt aduerſarij iam tandem erubeſcant tam multa falſa comminiſci; pudeátque tam multos, qui & Philoſophi & Auerroiſtæ videri volunt, tam manifeſta in Auerroë loca aut non vidiſſe, aut viſa non intellexiſſe, aut intellecta occultare voluiſſe. — Ariſtoteles. Auerroes.

In quendam modernum auctorem qui vafrè nomen Ariſtotelis obtendit vt impunè aſſerat cælum informari animo. § 9.

D COlligitur tertiò quid ſentiendum de quibuſdam philoſophis ſit, qui non multò antè è celebri quadam vniuerſitate neſcio quem librum de cœlo in ſententia Ariſtotelis ediderũt: in quo cùm multa Ariſtoteli falsò attribuunt, tum cætera nihil minùs quàm Ariſtotelis teſtimonio comprobant. Sed id agunt, vt imbecillis argumentis Ariſtotelis nomen obtendant, ac ſi clypeo Herculis Pigmæos arment. Atq; ita contendunt: *Mundum eſſe æternum: Quod Deus ab initio maſculum & fœminam procrearit, inter fabulas computandum: Deum naturæ neceſſitate operari.* Et alia complura, tum philoſophicè falſa, tum ab homine Chriſtiano prorſus aliena. E Quamuis autem initio eius libri tanquam Ariſtotelæa pronunciata ſcribenda proponantur; tamen cùm de illis ſpeciatim agitur, tantum abeſt vt ea in officina Ariſtotelis cudantur, vt etiam ea veluti è naturæ gremio enatos fœtus naturalibus argumentis quaſi admotis vberibus enutrire adnitantur. Inter cætera autem id quod præcipuè nunc è præſenti diſputatione eſt, affirmarunt, cœlum Ariſtoteli eſſe animatum. Quo ex Ariſtotelis loco id eruant vix dicunt. — Ariſtoteles. Ariſtoteles. Ariſtoteles.

Horum autem conatus, quã Catholicam fidem lacerant, impios eſſe, non dubium Catholicis eſt: Quã verò occultè moliuntur, vt tanti Philoſophi

sophi patrocinio falsitatem tueantur; velum atheismo prætexitur. Nec tamen hac specie simulationis id assequuntur, vt sibi fidem ab doctis viris extorqueant. Neque enim eos viros qui ad fidei defensionem excubant tam improba consilia latere possunt. Quin potiùs solidis argumentorum machinis structuram euertunt, aperiúntque, quàm inutilia ea sint suffragia, quæ non causæ merito sed ementita veritate captantur. Vtinam ad pietatem redeant, nec ampliùs rogum sibi construant, vbi ipsorum non minus existimatio conflagret, quàm conscientia crucietur.

Verùm quod attinet ad rem præsentem, dum hanc sententiam Peripateticorum tribuunt magistro, quæro cur eam Aristotelæis testimoniis non confirment, si id efficere volunt, vt eam Aristotelis esse demonstrent? Quod si eius testimonia ignorantur; quæ tanta mentiendi libido est, vt qui philosophiam publicis gymnasiis profitentur, posthabitis rectè philosophandi legibus ea asserant, quæ si aduersarius verbo neget, ipsi probare nulla ratione possint? Sin ea intelligunt cur ea in medium non afferunt? Vt ita quid causæ eos ad id asserendum impulerit, non ignoretur; ne probabilis de ipsorum contaminato spiritu sapientum animos suspicio verberet, ne ipsi dum Aristotelis doctrinam sine vllo Aristotelis argumento produnt, simul euulgent aut inscitiam suam, si ignorent; aut se peruersa philosophandi licentia abuti, si non probent quod affirmant; aut deniq; intolerabilem improbitatem, si quod sciunt Christianæ rei aduersari astruere conentur, atque Aristotelici nominis larua falsitati patrocinentur. Sanè ipsi ne vnum quidem si maximè velint veritatis colorem apud Peripatetica scripta reperient, quo Aristotelicæ mentis signum aliquod figurent: Cùm tamen nos contra è tam multis verissimisque Aristotelis pronunciatis quid ille senserit docuerimus, vt illis veluti penicillo non solùm mentis Aristotelicæ effigies colorari, verùm etiam intima animi sensa exprimi non difficilè à quouis possit. Quod etiam adhuc expressiùs patebit ex solutione argumentorum.

Sed hæc de cœlo animato sint leuissima. Esto ea Aristotelis, omniúmque Peripateticorum iudicio probata sint: Num Mundum esse æternum absolutè pronunciandum à Catholico est? fabulásne simpliciter absque vllo additamento dicet, quæ diuinitus Moysi in Primo libri Geneseos capite reuelata; & quæ Apostolus tanquam summi futuri mysterij lineamenta duxit? Quid magis in sacris literis inculcari videmus, quàm Deum esse præpotentis ac liberrimæ voluntatis? Si quidem clarissimis passim vocibus personatur: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra. Omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Diuidit singulis prout vult.* & alia id genus sexcenta.

At Aristotelis ore hæc non nostro pronunciamus. Equidem haud ignoro ista in prima libri fronte inscripta esse. Sed adhuc expectamus aliquem ex Aristotele illustrem locum, honestámque aliquam causam, cur hæc tam perniciosa Christianis dogmata tantus auctor asseuerit. At vbi nihil tale in vniuerso illo opere reperire potuimus, expectatio nostra illicò in timorem versa est. Ne scilicet iusta in sapientum animos suspicio reperet, auctorem illum

A Aristotelæi nominis celebritate falsitati auctoritatem quærere, vt ita altiùs in imperitorum ingeniis eius enunciata hæreant, cuius etiam phantasmata tanquam diuina oracula venerari consueuerunt.

Nam secum sapientes ita tacitè ratiocinari potuisse dubitabatur: Si Catholicus eius operis auctor est (quod tamen ille de se iudicari cupit) talia profectò monstra, quæ quotidie in multorum perniciem grassari compertum est nec anxie quæsiuisse, nec tam studiosè in sinu fouere debuisset. Quin potiùs hoc sapientis, hoc Catholici munus putasset, hos ac similes errores toties sapientum effatis atque argumentis iugu- B latos ostendere, nec vnquam reuiuiscere posse, vt in addiscentium mentibus posthac ampliùs viuant. Nunc verò quoniam huiusmodi absurda nec improbat auctor, nec verò conatur; quin potiùs eorum ruinas suis argumentis fulcire adnititur: Quid reliquum est nisi vt aureo Aristotelis poculo venenum legentibus propinet, callidéque scripturarum sacrarum fucum faciat veritati?

Quanquam longè secus ego, vt verum fatear, sentio. Vix enim eò dementiæ eius auctoris consilia venisse putem, vt sibi is persuaserit, facilè paucis, putridis, maléque contusis paginulis scelus omnium maximum ac teterrimum tegi posse.

C Quid ergo causæ dicamus esse, cur auctoris ingenium has in angustias se coniecerit, difficilè admodum sciri potest. Liceat per me vnicuique prudentum quod sibi verisimile videatur coniectare. Neque enim temerè id prudenti permittitur, quando ille auctor hoc ipsum vulgi iudicio liberum reliquit. Illud tamen vnum monitum auctorem velim, vt priùs si quid iniquiùs gestum est, se pœnitentia ac lacrymis Deo conciliet, tum tanti criminis suspicionem, in quam meritò incurrit apud homines illustri aliqua palinodia deleat; Ne posthac probabile viris doctis sit eius consilia secretis aduersus Catholicam fidem opinionibus atque odiis detine- D ri. Quam vtinam Deus illi quamprimùm mentem iniiciat.

Responsio ad argumenta partis affirmantis, declaraturque quo pacto cœlum habeat differentias positionum, & diuinum atque adeò Deus ab Aristotele nominetur &c. §.10.


EX his respondetur ad argumenta partis affirmantis. Ac primùm quidem ad illa tria E ex A. Doctore diximus in Primo *Colligitur*. Ad primum autem ex aliis locis concedo id probari ab Aristotele, & concedo etiam cœlum esse animatum, eò quòd habet sex illas differentias sursum deorsum &c. Sed quomodo eæ differentiæ sint, nunc dicendum est. Qua verò ratione animatum sit cœlum iam in secunda propositione constituimus. Sunt igitur in cœlo illæ differentiæ: Quia dextrum, vt ait Aristoteles eodem libro 2. de cœlo cont. 15. *vniuscuiusque dicimus, vnde principium est eius qui secundum locum fit motus.* In cœlo autem huiusmodi principium ait esse, *vnde astrorum ortus sunt*; hoc est ex ea parte in infinitum,

infinitum, vnde astra exoriuntur: Sinistrum autem est *vbi occasus est*. Ex quibus infert eodem contextu sursum esse *eum qui non apparet polum* contra Pythagoricos, qui polum nostrum superam partem esse statuebant; & sic de reliquis. Sumpto ergo dextræ loco facilis reliquarum differentiarum coniectura est. Vnde etiam consequens est, cœlo similitudine quadam dici inesse dextrum ac sinistrum; nimirum per similitudinem ad animalia; In quibus ea pars dicitur dextra vnde incipit motus, vt docet Aristoteles libro de incessu animalium cap. 4.

Et quamuis in cœlo non sit Aristoteli motus Initium: Tum quia Aristoteli æternum: Tum quia orbis non habet partem vnde motus exoritur, cùm omnes simul moueantur; Vt etiam expressè patet ex libro 8. Phys. cont. 100. Tamen vt ait Aristoteles libro illo 2. de cœlo cont. 13. inde debet existimari esse motus initium, vnde cælestis orbis motum inchoasset, si eius fuissent aliquando exordia; hoc est protracta linea versus eam regionem in infinitum, vnde sol mouetur, quæ dicitur pars Orientalis relata ad partem occidentalem, vt Simplicius loquitur in illum text. 13. & 14. & alij omnes. Qua ratione omnibus est eadem. Licet enim iis, qui aduersis vestigiis opponuntur nobis, ea pars mundi, quæ nobis oriens est ipsis occasus sit, tamen certum est, Orientalem partem & veluti lineam protractam in orbem omnibus esse eandem si relatè ad occidentalem animaduertatur. Nam progressio continuata Solis ad occidentem omnibus est vna continuatione motus versus oppositam partem. v. gr. ab A ad B & inde ad C. & ad D. A &c. vt patet in hoc circulo

Aristoteles.

Simplicius.



Ad argumentum ergo concessis iis omnibus quæ in antecedente dicuntur, neganda consequentia est.

Vt autem res fiat planior, Notandum est non esse putandum cœlo inesse animam informantem, ex qua diuersis organorum differentiis constituatur pars aliqua quæ dextra, aliqua quæ sinistra, aliqua quæ retrò sit aut antè. Hæc enim planè ineptè dicerentur in æquabili circulo vt cœlum est. Neque ad hæc respexit Aristoteles; immò apertè negauit context. illo 13. vt mox dicemus. Sed esse ait has differentias à parte Orientali sumpto earum initio, vt dextrum sit Orientalis pars &c. vt dictum. Ad quod meliùs intelligendum, Aristoteles apposité imaginatione fingit in cœlo inesse hominem, cuius caput sit in polo antarctico, eius verò corpus ita protendatur per Mundi centrum, vt eius pedes polum arcticum attingant, Dextra Orientem teneat, Sinistra Occidentem, vt patet in hac figura

Aristoteles.

A



Iam vt dicebamus, quia semper dextra huius hominis mouetur versus Occidentem, omnis eius cœli locus per quem transire dextram imaginamur, pars dextra erit. Verba Aristotelis in eo cont. 13. cùm dixisset cœlum esse animatum & habere dextrum, hæc ad eius rei explanationem adduntur. *Non oportet* inquit *dubitare, ex eo quia rotunda sit figura ipsius vniuersi, quomodo erit ipsius hoc quidem dextrum, hoc autem sinistrum similibus existentibus partibus omnibus, & motis omni tempore: sed intelligere quemadmodum si quis habeat dextrum ad sinistram differentiam etiam figuris, deinde circumponat Sphæram. Habebit enim potentiam differentem. Videbitur autem minimè propter similitudinem figuræ. eodem autem modo & de principio motus* &c. Ex quibus perspicis opinor duo: Vnum quidem etiamsi cœlum esset informanti anima præditum, adhuc tamen in eo assignari non posse has differentias positionum. nam in sphærica figura ob sui æquabilitatem nulla varieta; est, sed vno tenore partium compacta nullis figuris variatur; Ideoque non esset maior ratio, vt in vna parte dextrum collocaretur quàm sinistrum. Alterum est: Aristotelem in asserendis his differentiis non tam earum naturam in cœlo posuisse, quàm similitudinem quandam explicasse, vt ei ad fictitia recurrere necesse fuerit, vt hominem in cœlo esse finxerit.

Aristoteles.

B

C

Ad alium ex cont. 63. respondeo ibi Aristotelem comparare actionem stellarũ cum actionibus animalium & plantarum quoad varietatem actionum. Ita vt quemadmodum non est vnus motus animalis, ita nec cœlestium astrorum; quod opponit *ei quod quàm optimè se habet*; nempe Deo, cui *non est opus actione. est enim id cuius gratiâ cætera agunt*: de qua re optimè ibi A. Doctor. Hoc autem nihil in nos facere videtur, qui fatemur esse hanc astrorum diuersitatem.

Aristoteles.

D

Ad secundum respondeo per corpus *non manens* Aristotelem intelligere corpus non firmum ac stabile; ac proinde quod mouetur. Hoc enim est non manere, idem nimirum quod moueri. Ergo non potest excludere cœlum, quod certum omnibus philosophis est moueri. Neque enim probabile est quod ibi ait Alexander & Simplicius, vt vidimus in Parte affirmante, Aristotelem significare astra esse animata, cœlum verò inanime. Sed sicubi animam in cælestibus esse docuit, eam cœlo tribuit non astris. Alioqui multæ essent in vno cœlo animæ; & tamen ex Aristotele numerum substantiarum à materia separatarum pro numero orbium cœlestium constitui suprà dictum est. Immò retorqueri potest argumentum: Quia si nullum corpus mobile habet animam sine sensu. Ergo cœlum quod est corpus mobile non habet animam, quia non habet sensum. Quare dico Aristotelem in cont. 61. docere, *non esse possibile vt corpus habeat quidem animam,*

Aristoteles.

Alexand. Simplicius.

E

Aristoteles.

animam & intellectum discretiuum, sensum autem non habeat. Vt autem quodnam corpus intelligat explicet, tria addit: *non mansiuum existens, ge... abile autem, at vero neque ingenerabile.* Ait ergo corpus habens intellectum modò sit non mansiuum; hoc est mobile; siue sit generabile, siue ingenerabile non esse sine sensu. In cont. autem 62. concludit: *Nullum ergo corpus non manens habet animam sine sensu.* Quare horum verborum sententia est: Nullum corpus mobile habet animam sine sensu, siue id sit generabile siue non.

Ex quibus patet, non posse excludi astra, quæ mobilia sunt, & ingenerabilia Aristoteli; Vnde si cœlum sit animatum, debet esse prędítum sensu. Cum autem ostensum euidenter suprà sit cœlo sensus non inesse, consequens est, ipsum Aristoteli esse inanime. Atque ita argumentum est potius in aduersarios. Ex his etiam verbis rectè putat A. Doctor, & Cardinalis Toletus ibidem, Aristotelis mētem esse sugillare Platonis de dæmone sententiam, quam dicebat esse animal corporeum atque æternum, vt suprà vidimus. Ait autem hos etiamsi intelligentes sint atque ingenerabiles oportere præditos esse sensibus, quia nullum animatum corpus etiam ingenerabile esse potest sine sensu.

A. Doctor. Toletus.

Ad tertium nego Minorem: Ad eius probationem concessis cæteris nego cœlum simpliciter viuere, quod ea argumentatio sumit. Ad Aristotelem dico cœlum viuere non quidem tanquam constitutum per formam, quæ sit forma informans, sed quæ sit forma insidens, & in ipso contenta; Quemadmodum mundus dicitur viuere, & se ipsum mouere ob vitam quam in se continet non ob eius animam informantem. Immò Aristoteles lib. 1. cœli cont. 100. nō dicit cœlum, sed ea quæ in cœlo sunt viuere. Præterquam quòd cōt. illo 6. solùm Aristoteles arguit eos qui ponebant cœli motum esse animæ cœli repugnantem, cum tamen dicerent, eius motus perpetuitatem esse ab anima vt rectè ibi exposuit Auerroës. Contra hos ergo Aristoteles ait, hæc esse pugnantia. *Nec enim rationabile est*, inquit, *ab anima cogente manere sempiternum.* Repugnantem enim illum motum vi eliceret anima. Et pergit: *Neque enim possibile est talem vitam esse animæ sine tristitia & beatam. necesse est enim motum cum violentia existentem. Si quidem mouet cùm ferri aptum natura sit primum corpus aliter*; nempe aduersante cœlestis naturæ propensione; & ideò non absque violentia. Vnde etiam pergit ostendere, semper negotiosum fore animum & absque requie. Quæ impossibilia docet esse; Vt fusiùs patet ex contextu.

Aristoteles.

Auerroës. Aristoteles.

Ad quartum respondeo Maiorem simpliciter esse falsam: quia mobili conuenit motus ob causam mouentem, non tamen mouens est forma mobilis. Aristoteles autem in eo cont. 24. solùm docet, *id quo sani sumus aliud quidem sanitas est; aliud autem pars quædam corporis, aut etiam toto*; Hoc est requiri duas partes ad effectum formalem; formam scilicet & subiectum, siue hoc subiectum sit pars siue totum. Nihil autem habet quod pro ea sententia faciat. Negandam etiam est, Angelum cœlo esse actum corporis organici: Nam per corpus organicum non intelligitur quodcunque corpus quod quouis modo sit instrumētum, sed quod variis formis affectum varias quoque in diuersis partibus rationes instrumēti habeat ad coefficiendas vitæ functiones, vt suprà

Aristoteles.

A diximus ex Aristotele lib. 1. de Partibus, cap. 5. vt corpus humanum habet rationem instrumenti ad videndum in oculo, in naribus ad olfaciēdum, &c. vt fusiùs alibi dictum est. Vnde cùm hoc cœlo non insit quod ęquabile per omnes partes est, nec est ad coefficiendas functiones vitæ, cœlum non est corpus organicum.

Ad quintum respondeo; omne quod aliquo modo diuinitatem continet, diuinum quoque dici posse. Sicut enim omne quod in se continet albedinem album dicitur; ita etiam id cui diuinitas inest diuinum appellatur. Quod etiam verum est, etiamsi ad normam Theologi rigoris loquendum sit: vt patet ex iis quæ docet A. Doctor 3. p. A. Doctor.
B q. 16. a. 3. ad 3. Non enim ob aliam causam Deus ipse, & personæ diuinitatis diuinæ à Theologis dici solent. *Hoc nomen diuinū*, inquit, *consueuit prædicari etiam de his, de quibus prædicatur essentialiter hoc nomen Deus. Dicimus enim quod diuina essentia est Deus, & quòd essentia est Dei siue diuina propter diuersum modum significandi*, &c. Cœlum ergo quia continet in se diuinitatem tanquā Dei domicilium, diuinum rectè nuncupatur. Et hoc pacto diximus suprà in Notādo cœlum ab Aristotele lib. 1. cœli cont. 22. dictū esse diuinum. Quam ob causam Aristoteles libr. 6. Ethic cap. 7. cœlum homine diuinius appellauit. *Homine alia naturâ sunt longè diuiniora, vt ea quæ sunt manifestissima, ex quibus* Aristoteles.
C *Mundus constitutus est.*

Hinc intelligitur, cur ea quæ præclara atque eximia sunt, diuina nominare soleamus. Sic enim Aristoteles libro 7. Ethic. cap. 13. dixit: *Omnia naturâ diuinum quid habent*; & libro 12. Metaphysic. cont. 50. laudat veterum philosophorum opinionem, cùm Deos arbitrati sunt primas substantias esse, tanquam *diuinè dictum*; & libr. 1. de Part. cap. 5. vocat cœlum & astra nobilissima eorum quæ sub sensum cadunt, ac proinde diuinam Mundi partem. *Partem illam æternam*, inquit, *ac proinde nobilem ac diuinam.* Quo etiam spectat quod ait libro primo de cœlo context. 100. cùm *ab eo quod* cœlum semper sunt, *immortale ac diuinum* dicta Aristoteles.
D sunt. Idémque dico de aliis compluribus. Ratio horum est vniuersalis quam tetigimus: Quia scilicet omnia eximia ac præclara existimantur excellentiam quandam diuinitatis in se continere. Ex his ergo facilè soluitur argumentum: Dici enim posset cœlum appellari diuinum ob diuinitatem in eo contentam.

Verùm vt mentem Aristotelis in eo contextu decimoseptimo libro secundo de cœlo illustremus, speciatim de eo contextu loqui oportet. Ibi enim ab Aristotele cœlum non solùm dicitur diuinum sed Deus: Nam, vt obseruat eo loco Angelicus Doctor Aristoteles ibi more Platonico quod diuinitatem aliquam habet A. Doctor.
E Deum appellat. Ait ergo Aristoteles: Deo, hoc Aristoteles.
est cœlo, quia Dei actio est immortalitas, sempiternum inesse motum, eáque de causa cœlum, quod ait esse *corpus quoddam diuinum* (vt hinc colligas Deum dictum esse cœlum pro eo quod est diuinum) habere orbicularem figuram, vt semper moueatur. Quare constat etiam in eo cont. 17. dici cœlum corpus diuinum, quia continet diuinitatem, non autem quia anima diuina informetur.

In hac autem re obseruari oportet: Actionem Dei rectè dici esse immortalitatem, hoc est actionem vitalem æternam. Et ideò ibi declarans Aristoteles quomodo actio Dei sit immortalitas

mortalitas subdit; *Hoc autem est vita sempiterna.*

Rectè autem id docet: Nam Dei proprium est omni sempiternitate viuere vt patet ex libro 12. Metaphys. cont. 39. & 51. Licèt autem in eo cont. 17. nomine Dei, vt diximus, intelligatur cœlum; Aristoteles. tamen hanc immortalitatem Aristoteles non tribuit cœlo per se & primariò, sed secundariò, quatenus scilicet diuinitatis particeps est eam in se continendo. Ergo huiusmodi immortalis actio primariò conuenit Deo, cui primariò conuenit viuere. Vnde motus sempiternus dicitur vita cœli, hoc est cœli operatio vitalis non propriè, sed per similitudinem & analogiam: Vel certè quatenus cœlum sumitur pro conflato illo viuente, de quo ante diximus.

B Ad sextum respondeo, cœli motum esse naturalem, quia est ex inclinatione naturæ passiuę, A. Doctor. vt egregiè docet A. Doctor in ea q. 70. art. 3. ad 4. *Quia scilicet*, inquit, *habet in sua natura aptitudinem, vt tali motu ab intellectu moueatur.* Itaque nō est naturalis ob principium quod sit natura agens; sed ob principiū patibile. Duplicem esse enim patet Aristoteles. ex Aristotele libr. 2. Physicor. cont. 12. 21. 81. ab vtraque autem motus dici potest naturalis; & ita patet ad omnia quæ ibi dicuntur.

Ad septimum respondeo; Angelo non conuenire definitionem animæ: Non enim Angelus est id quo cœlum mouetur tanquam principio intimo, vnde est motus vitalis & immanens actio; C qua ratione illi conueniret definitio animæ, vt alibi diximus: sed est id quod cœlum mouet tanquam principium externum, vnde est actio transiens in subiectum externum; qua ratione omne mouens est id quod aliud mouet.

Ricardus. Ad vltimum ex Ricardo dico: hoc non probare, animam inesse cœlo tanquam formam, nam posset esse difficilius motori vnius orbis mouere cœlum si plura astra contineret, quàm cùm pauciora, ob improportionem cum illo, vt difficilius est mouenti mouere lapidem decem librarum Aristoteles. quàm vnius. Intelligit ergo Aristoteles illud Angelo fore laboriosius non propter defatigationem, sed ex eius improportione ad cœlum tam D multarum stellarum, vt ibidem benè explicat A. A. Doctor. Doctor. Quemadmodum ab Angelo mouente cœlum lunæ esset alienum mouere cœlum Solis. Qua de re infrà erit locus fusiùs differendi. Tandem vide etiam quę dico in *6. Collegium* seq. Difficult. pro hac eadem Aristotelis opinione; quòd scilicet nec cœlum nec Mundus sit animatus eius opinione.

TERTIA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Platonicis Astra seu cœlum sit animatum anima informante, & quomodo. Vbi etiam de Aristotele cæterisque Sapientibus non pauca. præsertim ad Mundi animum spectantia.

Carpent. PArtem affirmantem sequitur Carpentarius in comment. ad cap. 12. Alcinoi de Doctrina Platonis num. 10. licèt fateatur, Platoni non tam cælestes orbes, quàm astra esse animata. *Facta* Plato. *sunt* inquit Plato in Timæo *astra illa erroris expertia, quæ diuina animalia sunt.* Similiter ex Epinomi-

A de probat, vbi Plato cœlum, inquit, *sicut omnes alios dæmones honorare oportet, & vota ipsis in primis facere,* & rursus eodem loco; *Deos*, inquit, *visibiles maximos colendissimos ac perspicacissimos, ac omnino primos stellarum naturam dicendum est, deinde dæmones colendi sunt.* Ergo stellæ sunt animatæ Platoni.

Verumtamen ex eodem loco probari validiùs potest: Ait enim Plato ibidem in Epinomide: *Hæc cœlestia putamus animalia esse diuinum astrorum genus; corpore pulcherrimo, animáque beatissimâ, & optima constitutum.* Et paulò post probat Plato ex ordine, quem cælestia seruant. *Quod ordine*, inquit, *in cœlo progreditur, id mentem habere sufficienter eo vestigio demonstratur, quod per eadem semper, & similiter proficiscuntur, agitque & patitur eadem.* Vnde etiam paucis interiectis cōcludit sic: *Oportebat igitur hominibus argumento esse, quòd astra vniuersúsque ille circuitus mentem haberet, quia eadem semper agunt.* Hinc reprehendit eos, qui eodem ducti argumento in contrariam sententiam abiere; quam sententiam *insanam opinionem* appellare non est veritus. *Multis autem nostrûm*, inquit, *contrà visum est: Quia eadem & similiter semper agunt animam non habere. Hanc insanam opinionem sequitur vulgus*, &c. Addit rationem à fortiori: *Nam si genus inmanuum quia mouetur, vitam mentémque habere putatur; quanto magis diuina?*

Prætereà probat Plato paulò post alio argumento astra habere animam tum ex magnitudine ipsorum quia fieri, non potest, *vt tanta magnitudine aliqua natura possit tanto tempore circumferri.* Tum etiam quia à Deo id potuit facilè fieri. Ergo animata sunt. Plato.

Addit ex Platone Carpentarius: Videri prouidentiæ naturæ, vel potiùs ipsius Dei naturam moderantis atque regentis consentaneum, stellas singulas præditas esse intelligentia non solùm assistente. *Hoc enim*, inquit Carpētarius, *etiam apud Peripateticos indubitatum est*; sed informante, & cuiusque stellæ essentiam constituente & perficiente eo modo quo nos perficit nostra anima, quæ ratiocinandi, & intelligendi facultate est prædita. Carpentar.

Hanc etiam sententiam ex doctrina Platonicorum profitetur Marsilius Ficinus lib. 4. Theologiæ Platonicæ de immortalitate animorum à cap. 1. vbi etiam docet, Platonicos, & Aristotelicos fateri, cælestes sphæras habere animas. Tamen non tam Platonicorum auctoritate, quàm ratione argumentatur ad cæli animationem comprobandam. Contendit autem eo ca. 1. hanc animam diuersam esse ab Angelo, eo quòd Angelus immobilis est. Docet etiam cap. 2. eandem animationem cæli placuisse Zoroastro, à quo omnis veterum Sapientum Theologia manauit. Refert enim eius de cœlo carmen quoddam huiusmodi: *Sempiterna voluntate fertur, semper necessitatis opera currit.* Marsil. Fici. Zoroaster.

E

Ad Platonicos accedere videntur Chaldæi, Aegyptij, atque ex Latinis Varro, & Virgilius, &c. §. 1.

IDem sensère Chaldęi, qui ingeniorum solertia conspicui inter cæteros habitī sunt; & Ægyptij vt notat Viues & Coquæus in S. Augustinū lib. 5. de Viues. Coquæus.

Conimbricenses. Ægyptij. Græci. Anaximander. Tertullian.

de Ciu.Dei cap.1. & Collegium Conimbricense libro 2.de cœlo cap.2. q.1.a.1.Et rursus Ægyptij & Græci apud Platonem in Cratylo & Epinomide. Idem tribuit Anaximandro & aliis Tertullianus libro 1.in Marcionem cap.13.

Anaxagoras. Laërtius. S.August. Iosephus. Stoici. Epiphanius. Theologi. Vasquez.

Atque hæc sententia adeò priscis illis Græciæ sapientibus insederat, vt Anaxagoras apud Laërtium in eius vita, & apud S. Augustinum lib.18.de ciu.cap.41. Quòd solem lapidem flagrantem dixerit, negaueritque ipsum esse animal aut Deum, impietatis accusatus sit. Idémque refert Iosephus libro 2. in Appioné.Quam etiam fuisse Stoicorum hæresim docet S. Epiphanius libro 1.hæres. 5. his verbis: *Partiuntur vnam deitatem in multas partiales essentias,in Solem, Lunam,ac sydera,in animam,aerem & alia.* Hanc etiam fuisse plurimorum hæresim obseruãt Theologi p.p.q.3. a.2. Vbi multa inter cæteros rectè docet noster Vasquez Disput.21.tota.

Cicero. Seneca. Lactantius.

Ad hanc etiam partem reuocari possunt alij, de quibus etiam multa habes apud Ciceronem lib.1.& 2.de Natura Deorum,& apud Senecam lib.2.Natur.qq.& copiosè apud Lactantium lib. 2.cap.5.

Clem. Alex. Alcmæon. Xenocrates. Theophrast. Aristoteles.

Denique Clemens Alexandrinus in exhortatorio ad Gentes refert, Alcmæonem Crotoniatam *astra Deos putasse,vt quæ sint animata.* Et Xenocratem Carthaginiensem sensisse, *septem quidem Deos planetas; octauum verò qui ex his omnibus constat Mundum*; ibidémque docet Theophrastum *alicubi quidem cœlum, alicubi verò spiritũ Deum esse existimasse.* Immò idem tribuit Aristoteli; licèt eum non proprio appellet nomine. *Sed nec molestum fuerit,vt arbitror,* inquit Clemens, *cùm ad hũc locum peruenerim meminisse etiam Peripateticorum. Et qui est quidem pater huius hæresis, cùm non intellexisset patrem qui vocatur supremus, putat esse animã vniuersitatis;hoc est Mundi animam Deum esse existimãs.* Quem Aristotelem putat ex eius principiis confutari.de qua re infrà in fine.

Pharisæi. Philo.

Inter Iudæos idem multi senserunt; vt Pharisæi & alij,de quibus in secundo *Colligitur.* Inter hos etiam Philo in libro de somniis. *In cœlo* inquit *sydera sunt, quæ singula non solùm animantia dicuntur, sed & mentes purissimæ sunt.* Quod clariùs etiam docuit in lib.de Opificio sex dierum. *Rerum quæ sunt in natura* inquit *aliæ nec virtutis participes censentur nec vitij vt stirpes & bruta. Aliæ item solum virtute præditæ nihil omninò habent vitij, vt stellæ: Nam hæ animalia sunt,& quidem intelligentia, vel potius mentes singulares,totæ probæ, nec vllius capaces vitij. Rursus aliæ mistæ ex vtroque,vt homo qui contrariorum est capax.* Et infrà ibidem; *Stellæ* inquit *sunt rationales ac diuinæ naturæ; partim intelligibiles & incorporeæ,partim corporeæ.* Idem habet lib.de Opificio Mundi lib.2. de Noë;libro de Gigantibus,& alibi.

Varro. S.August. Plinius.

Huc etiam referri potest ex Latinis Varro, qui referente S.Augustino lib.7. de ciu. cap. 6. ait,*æthereas animas esse astra ac stellas,eásque cœlestes Deos non modò intelligi,sed etiam videri.* Cuius sententiam ex parte videtur secutus Plinius libr. 2. cap.6.*Sol* inquit *non temporum modo terrarúmque, sed syderum etiam ipsorum,cœlique rector, hunc Mundi esse totius animum,ac planiùs mentem, hunc principale naturæ regimen,ac numen credere decet,opera eius æstimantes.*

Trismegistus.

Quin etiam idem de sole visus est asserere omnium Philosophorum antiquissimus Trismegistus in Pimandro cap.5. *Sol* inquit *Deus Deorum cœlestium præstantissimus. Soli cœlites reliqui veluti principi regique parent,* &c.

Menander.

Menandrũ quoque in eodem errore esse versatum apertè docet idem Clemens eodem prorsus loco;cuius hæc verba sunt. *Mihi ergo videtur Menander errasse cùm dicit.*

O Sol Deorum:nam te adorare decet
Primum. Dei per quem videntur cæteri.

Seneca.

Mirum etiam est quod scripsit Seneca in hanc sententiam lib.6.Natur.qq.q.16.Ait enim, non solùm astra, ac cœlum esse animis prædita, verùm talibus vt nutriãtur anhelitu ac spiritu qui aërem peruadit à terra ad cœlum. *Totum hoc cœlum* inquit *quod igneus æther, Mundi summa pars claudit: omnes hæ stellæ, quarum iniri non potest numerus,omnis hic cœlestium cœtus;& vt alia prætercam hic tam propè à nobis agens cursum Sol,omni terrarũ ambitu non semel maior,alimentum ex terra trahunt, & inter se partiuntur: nec vllo alio scilicet quàm halitu terrarum sustinentur. Hoc illis alimentum: Hic pastus est. Non posset autem tam multa,tantáque,& seipsa maiora terra nutrire,nisi plena esset animæ, quam per diem, & noctem ab omnibus partibus suis fundit. Fieri enim non potest,vt non multum illi supersit; ex qua tantum petitur ac sumitur:& ad tempus quidem quod exeat nascitur. Neque enim esset perennis illi copia suffecturi in tot cœlestia spiritus,nisi inuicem ista excurrerent, & in aliud alia soluerentur. Sed tamen necesse est abundet ac plena sit,& ex condito proferat. Non est ergo dubium quin multum spiritus lateat intus, & cæca sub terra spatia aër latus obtineat.* Hæc Seneca. Et prosequitur hinc probare oriri terrarum concussiones, ventorum flatus, accensiones in aëre, &c. cum descendendi, aut ascendendi facultas eripitur, & vndique obsistitur.

Cicero. Virgilius.

Quam quidem Senecæ opinionem priùs docuisse visus est Cicero 1. de Nat. Deorum sub aliena licèt persona Stoicorũ. Vbi ait, *stellas aquarum vaporibus ali,qui à sole ex agris tepefactis & aquis excitantur.* Quo spectasse ferunt Virgilium Æneidos. 1.

——— *Conuexa polus dum sydera pascet.*

Seruius. Plinius. Cæl.Rhodigin. Lorinus.

Vbi Seruius ex Physicis ait pasci aquis marinis. Quos secutus videtur Plinius libro 2. cap. 9. & alij,de quibus lege Cælium Rhodiginium lib. 1.cap.13.Ex quo multa Lorinus in 2. Petri c. 3. ver.10.& alia non pauca.

Oppositam sententiam Platonici sapientiores ascribunt Platoni,cùm putent animum corporis esse rectorem, &c.

§. 2.

PArtem tamen negantem alij veriùs ac meliùs amplectuntur.Hanc sententiam Platonici omnes vel expresse docuerunt, vel certè implicitè in hominis animo:quem putant corporis esse rectorem non informantem formã. Vnde idem putarent multò verius conuenire Angelis cœli astrorúmque motoribus. Et quamuis hoc quod de hominis animo dicunt, apertè falsum sit, vt patet ex iis quæ diximus aduersus Origenis sententiam supra q.50. a.5. Tamen horum Platonicorum etiam de eo animo dicta hic referã, vt quid ipsi de animatione cœli sentiant,constet in præsentia.Sapiens prorsus disputatio, in qua hæc omnia eò proferentur,vt appareat quod ait Lactan

Lactantius. Lactantius lib. 7. diu. Inst. cap. 7. nihil à philosophis dictum esse tam deuium, *vt non viderint aliquid ex vero.*

Proclus. Aristoteles. Primò igitur quidem Proclus in Timæum comment. 5. reprehendit definitionem animæ traditam ab Aristotele lib. 2. de An. cont. 7. nempe esse actum seu perfectionem corporis naturalis instrumētalis: duplici titulo. Nimirum tum quòd huiusmodi definitio non tam explicat, quid sit anima, quàm cuius sit; nempe organici corporis: Tum quòd non omnem animæ differentiam cōplectitur: Quia animæ cœlestes non sunt actus & perfectio corporum naturalium instrumentalium. Sentit ergo ex Platone cuius doctrinam profitetur, cœlestes animos non esse formas, quæ ipsos cœli orbes constituant informando. Alioqui verè esset actus eorúmque perfectio.

Plato.

Proclus. Quod etiam ex eiusdem Procli doctrina comment. 5. in Timæum validiùs cōfirmatur, vbi docet intellectum nullam habere habitudinem ad corpus; & idcircò humanum animum vocat ἡμίσχετον; idest, semihabitudinem habentē. Quia quà intellectus est non respicit corpus. Et addit, Iamblicum arbitrari, intellectum à corpore esse penitus separatum, animam verò humanā partim absolutam, nimirum quà intelligens est; partim corpori coniugatam, nimirum quà est sentiens & ratiocinatur. Cùm ergo animi cælestes sint puri intellectus, vt dicemus deinceps, nullam cum corpore coniugationem habēt. Quam etiam differentiam esse inter mentem & animam apertè asserit Plato in eodem Timæi dialogo.

Iamblicus.

Ex quo obiter Colligitur contraria planè à Platonicis asseri de hominis animo, cùm eius varij gradus, facultatésque considerantur. Nam Platonicis vt ait Proclus ibidem, anima est ἀμφιπρόσωπος, καὶ ἀμφίστομος; hoc est bifrons & anceps. Magis tamen absolutè de eodem animo loquitur Proclus in Alcibiadem priorem; siue in libello de Anima & Dæmone cap. cuius initium est: *Vtrum idem sit iustum atque vtile.* Ibi enim cùm dixisset nec Epicureos nec Peripateticos, nec quoscunque qui aiunt hominem esse quid ex anima & corpore compactum, posse defendere idem esse vtile & iustum ob rationes, quas ibi affert; subiungit, secus esse in doctrina Platonica omniúmque eorum, *quicunque finem ipsum in anima collocant corporeis non egentem; hominémque ipsum esse putant animam vtentem corpore.* & concludit. *Hi rectè iustum atque vtile facilè iudicant esse idē.* Opinor quia omne vtile est in bonum animi quem dicunt esse hominem. Vtile autem quod est in bonum animi iustum putant esse. Sentit ergo hominem esse animum non formantem, sed regentem corpus; ideóque nec Angelos esse cœlestium corporum formas.

Platonici. Proclus.

Plotinus. Marsi. Ficin. S. August. Hanc etiam negantem partem sequitur Plotinus Enneade 1. lib. 1. cap. 1. cuius ore, vt notat Marsilius Ficinus in eum locum ante illud caput primum, Plato loqui videbatur; & quem S. Augustinus libro 9. de ciuit. c. 10. *cæteris excellentius Platonem intellexisse* ait.

Plotinus. Marsilius. Negat autem Plotinus ex anima rationali & corpore fieri vnum. Quoniam ex natura indissolubili & solubili vnum fieri non potest; asserendúmque idcircò eius opinione Marsilius ait animam adesse corpori non inesse; Quod etiam inde declarat. Quoniam *formæ diuinæ neque adsunt neque insunt materiæ.* Quod etiam docet de Ideis. Alioqui *ne fingi* inquit *posset quicquam a materia separatum.* Explicat autem Marsilius quid significet, cùm ait ipsas formas diuinas non adesse his verbis: *Non dico procul esse a materia secundum locū, sed non adesse secundum vllam naturæ cognationem, affectúmque aliquem ad materiam.* Arbitratur ergo solùm adesse præsentia & efficacitate seu operatione non autem cognatione. Vnde vult animas rationales non inesse corpori, nempe non inhærere, vt formas materiales: *quia corpori repugnant atque imperant*; sed adesse, *quia corporis amant coniugium naturaliter.*

Marsilius.

Plotinus. Itaque sententiâ Plotini animæ rationales nō sunt partes compositi, sed corporis rectores: Quam doctrinam ex Platonicis sæpè ibi docet Marsilius cap. 2. 3. & 4. Quod etiam ipsum à Platone doceri diximus suprà Difficult. 1. in solut. argum. ex A. Doctore q. de spirit. creat. a. 6. c. & paulò pòst alia nonnulla adiiciemus ex eodem A. Doctore loca, in quibus idem ascripsit Platoni, eiúsque sectatoribus. Ergo multò minùs Angeli erunt partes orbium cœlestium Plotini Platonísque sententiâ.

Marsilius. Plato. A. Doctor.

Plotinus. Neque officit huic doctrinæ, quod Plotinus Enneade 4. lib. 3. cap. 21. & 22. aduersetur iis qui dicunt, animam inesse corpori, vt gubernatorem nauigio; Quasi velit inesse vt veram formā, non autem vt rectorem. Nō obest inquam, quia negat ibi animationem corporis explicari apto exemplo, ac si dicatur animam corpori inesse vt autem gubernatoriam gubernaculo. Ars enim huiusmodi solùm extrinsecus accedit gubernaculo, dum nauta suo illud contactu mouet ac dirigit; non tamen ei intimè se insinuat quemadmodum animus corpori, intra cuius ambitum ac magnitudinem residet. Vnde ex hoc loco non ostenditur Plotini opinione animū esse corporis compositi partem.

Iamblicus. Sed audiamus Iamblicum de his omnibus apertiùs disserentem libro de Mysteriis c. quod inscribitur *De intellectu & anima.* Neque enim ambiguis verbis, sed perspicuè vt solet, negat astrorum animas informantes esse posse: Qua in re carpit Porphyrium *separata per habitudinem ad corpus distinguentem, scilicet Deos per habitudinem ad corpora æthera, dæmones ad aërea, animas ad terrena. Quia videlicet non debent priora & causæ per posteriora, effectisque distingui. Incorporeæ enim substantiæ non sunt in corporibus, sed extrinsecùs ea ducunt, dántque eis aliquid, non accipiunt. Igitur nec vna cum his commutantur; neque ad eorum distributionem distribuuntur. Non enim sunt habitus corporum vel materiales formæ; sed subsistentes separabilésque. Immo iam separatæ,* &c. Hæc ibi.

Porphyrius.

Hinc eodem cap. quia huiusmodi substantiæ separatæ agiles promptæque sunt, vt momento se ad quemcumque locum conferant, subdit. *Naturam incorpoream subitò vbicūque vult adesse nullo alicubi prohibente.*

Idcircò cap. seq. cui titulum fecit: *Omne incorporeum diuinum* explicat, quo pacto dæmonum aliqui dicantur aërei, alij aquei, &c. his verbis. *Dicuntur Deorum alij quidem aërei, alij vero aquei, non quia ibi solùm sint, sed quia ibi maximè regnant. Sacerdotes Deos terrenos ac subterraneos aduocabant, qui certè dicuntur tales, non quia ibi sint solùm: Sunt enim vbique omnes*, nempe ob facultatem se in omnem locum subitò transferendi, vt dixerat. *Sed quoniam alij alibi potissimùm operantur: Nam*

& anima cuiuslibet stellæ est vbique, quamuis ibi potius agat. Quibus planè apparet nullo modo Angelos quos ipsi minores Deos aut dæmones appellabant, esse astrorum formas aut aeris, siue corporei Mundi, cùm vbique præsto sint.

Chalcidius. His non obscuriora docet Chalcidius antiquus auctor, eximiúsque Platonicus in suis in Platonis Timæum commentariis. Nam pag. 36. in fine absurdum esse ait stellas dici inanimes, siquidem stellis ignobilior animans est. Stellas enim esse ait *prudentis naturæ, & nulli pœnitudini obnoxias. Cui quidem rei* inquit *Hebræorum quoque sententia concinit*; nempe in libro Geneseos. *Qui perhibent exornatorem Mundi Deum mandasse prouinciam; Soli quidem vt diem regeret; Lunæ verò vt noctem tueretur. cæteras quoque stellas disposuisse tanquam temporum limites an[illegible] signa, indicia quoque futurorum [illegible] euentuum.*

Ex qua doctrina colligit astra esse animata: Nam subdit. *[illegible] cuncta certè tam moderate, tam prudenter [illegible] agi [illegible], continuéque agi sine rationabili, quin potius sine [illegible] rectore non possent. Quare cum sit diuinum quidem, & immortalium genus animorum cælestia* &c. Sunt ergo cælestia animata Chalcidio. Sed qua anima, & quo modo, explicat ipse infra pag. 38. in posteriore eius facie. Ait enim ex Platone, Deum *delegisse animas stellarum numero pares, singulásque singulis comparasse, easdémque vehiculis competentibus superimpositas vniuersæ rei naturam spectare iussisse. Antequam enim sementem faceret animarum, superimposuit singulis stellis singulas animas, quo easdem vehiculis [illegible] in circuitu stellarum cunctam Mundi naturam considerarent.* Putat ergo animas insidere stellis tanquam suis vehiculis aurigas atque rectores, hósque Deus regendis stellis coaptasse.

Ex quo vlteriùs sequitur vario modo Platonicis significari stellas. Interdum namque stellarum nomine denotatur astrorum corpus cui insidet gubernator Angelus: Interdum verò ipsum constatum, quod ex Angelo rectore, astrorúmque corpore intelligimus. Quod nouum videri non debet: Nam & nos plerumque huiusmodi nomina variamus ad his similia variis modis significanda. Interdum enim & nauigium sine nauclero: interdum non sine illo vsurpamus; cùm nauigium se ipsum mouere dicimus, & rectà tendere ad portum vel aliò, dicimus. Sic itaque cum stellæ prudentis naturæ dicuntur, vtrunque; nempe & stellarum corpus, eique assidentem animum exprimimus. Secus verò; cùm stellas dicimus regi, huc illúcque ab Angelo dirigi &c.

Bessarion. In hac etiam parte negante ex sententia Platonis & Platonicorum esse videtur Bessarion Cardinalis libro 3. cap. 7. contra calumniatorem, vbi ait: Academicos anteponere Platonicam animæ definitionem Aristotelicæ; nempe; melius dici animam esse substantiam se ipsam mouentem; quæ definitio traditur à Platone; quam Anima est actus corporis &c. quæ est definitio Aristotelica. Rationem affert: quia illa conuenit etiam animæ rationali; non autem hæc ex Aristotele, eò quòd putent dici non posse, animam rationalem esse actum corporis. Ergo multò minùs id verum erit de animis cælestibus.

A Doctor. Idem tribuit Platoni A. Doctor p. p. q. 70. a. 3. c. vbi ait: *Per hoc quòd Plato posuit corpora cælestia animata, nihil aliud datur intelligi, quàm quòd substantiæ spirituales vniantur corporibus cælestibus, vt motores mobilibus.* Nam vt paulò superius dixerat: *Platonici etiam animas corporibus vniri non ponebant nisi per contactum virtutis, vt motor mobili.* Quod etiam repetit q. 76. a. 3. 4. & 7. Vnde q. 3. de Pot. a. 10. c. *Plato existimauit* inquit *animam hominis esse substantiam perfectam; & ideo definiuit; hominem esse animam corpore vtentem*; Nempe in Timæo aliquantulum ante finem.

Quam etiam definitionem hominis Platoni ascribit Marsilius in argumento Alcibiadis prioris. *Vtique est autem homo* inquit *anima rationalis, mentis particeps corpore vtens*; & in argumento Lysis seu de Amicitia: *Homo* inquit *animus est; corpus instrumentum hominis.* Et fortè à Platone sumpsit Lactantius lib. 5. cap. 22. in fine dum docuit: *Animus verò, in quo solo est homo* &c. & lib. De opificio Dei cap. 20. in fine cuius verba suprà retuli. Idem prorsus senserunt ex Platone complures varij recentiores. Marsilius. Lactantius.

Absit autem vt hoc ipsum quis ita esse fateatur, ob eam causam ex qua Tertullianus persuasus idem affirmauit in libro de Anima. Vbi arbitratus est animum hominis dici hominem interiorem, propterea quòd animus figuratus sit secundum hominis effigiem. Tertullian.

Platonis inconstantia in animando cælo, & cur. §. 3.

AD solutionem Notandum est rectè posse applicari Platonicis quod in Stoicos Lactantius libro 2. c. 6. scribit dum astra atque adeò omnia elementa tradiderunt animata. Nam in huiusmodi assertione *tam inconstantes fuerunt, vt nihil ab iis dictum sit quod non ab iisdem fuerit euersum.* Quod ne longiùs vager, satis abundè probatur ex iis quæ Plato docet in Epinomide. Vbi postquam ea omnia dixit, quæ vt retuli in Parte affirmante, omninò demonstrant ipsum sensisse, cælum esse anima verè ac propriè animatum, subdit postea quæ ancipitem eius sententiã reddidere paulò post medium eius operis. *Demum* inquit *de his omnibus veram hanc sententiam ferri volumus, impossibile esse, terram, cælum, stellásque omnes, & quæ ex his constant moles, nisi anima singulis aut adsit aut insit, adeò exquisita ratione annis, mensibus, diebúsque circumuolui, nobísque omnia bona facere.* Nam si vera erant quæ dixerat ibi & in Timæo, stellas esse animalia, earúmque naturas esse Deos: Quid ergo veretur absolutè dicere, ipsis animam inesse nedum adesse? An possit esse Deus propriè sine intima diuinitate, aut animal per assistentem animam, non informantem? Quis enim propriè dicet, nauim esse hominem, aut nautam quamuis in se & hominem, & nautam gerat ac vehat? Lactantius.

Præterea Plato libro 7. de Legibus definiens hominem ait: *Homo est animal mansuetum*; Et tamen idem Plato in Alcibiade priore expressè negat, hominem esse quicquam preter animam. Ita enim loquitur longè post medium declinando ad finem. *Cum verò nec corpus nec vtrumque simul sit homo, restat vt arbitror, aut nihil omninò hominem esse, aut si quid est, nihil aliud quàm animam esse.* Quæ quidem si propriè vt par est intelligantur, cohærere inter se omninò non possunt. Nam animal etiam propriè Platoni in Epinomide est: *Cum* Plato.

cum

vna an ma & corporis constitutio vnam formam; nimirum vnam naturam, *suo congressu constituit*. Ergo falsum est, hominem si animal est esse solùm animam.

Plato. Similiter in re proposita idem Plato, cùm vt retuli in Parte affirmante dixerit in Epinomide ipsa astra Deos esse, sequitur necessariò animam astrorum non esse Deum, sed Dei formam; & tamen libro 10. de legibus expressè ait, ipsas astrorum animas esse Deos. *Quoniam* inquit *anima & animæ stellarum omnibus virtutibus prædita sunt; Deos esse eas affirmabimus; siue in corporibus sint, & tanquam animalia quædam cœlum totum exornent; siue quomodocunque aliter agere id dicatur.*

Sed longum esset omnia quæ inter se pugnãt ex Platone in medium afferre, & multò operosiùs ex Platonicis apud quos omnis fermè doctrina inconstans est. Et satis ad rem præsentem sit, hæc pauca pro exemplis indicasse.

Causam huius rei duplicem reperio: Altera est, quia ferè omnia dialogo Plato conscripsit: Vt autem est consuetudo dialogorum variæ personæ loquentes introducuntur, quarum non est semper eadem de re vna sententia; & discerni vix potest, cuius effata ipse Plato præ cæteris approbet. Altera est: Quia frequens apud Platonem est metaphora, quæ ancipitem significationem reddere potest, & offendiculo est legenti, nisi diligenter caueat. Quæ causa etiam fuit Aristoteli sæpius, vt non tam doctrinam quàm verba Platonis argueret. vt rectè notauit Theophilus Zimara lib. 2. de An. in cont. 54. & lib. 3. in cont. 26. & Simplicius lib. 1. de cœlo commentario eius 3. quem retuli super. Diffic. in Parte Negante; & significauit etiam Aristoteles ipse lib. 1. de An. cont. 46. vbi ait, *non rectè à Platone animam dici magnitudinem.* In quem locum optimè obseruauit multa huc spectantia idem Theophilus Zimara. Idcircò Aristoteles vsitatis quoad potuit verbis vsus est. Translatitia enim non sine fuco veritatis afferimus. Vnde vt ait Themistius 1. de An. cont. 45. *Simplex esse debet, & vt virgo incorrupta veritatis verbum iudicari.*

Zimara. Simplicius. Aristoteles. Zimara. Themistius.

Quod equidem minimè miror, cùm legam apud ipsum Platonem hæc quæ de astris dicuntur, partim vix ipsi Platoni fuisse satis constituta, partim esse huiusmodi, vt ob rerum dignitatem visa illi sint non esse euulganda. *Astrorum circuitus* inquit libro seu dialogo 7. de legibus *mensuratio, non à multis elaboranda est, sed à paucis quibusdam. Multitudini verò quæ ex his necessaria sunt, & rectissimè dicuntur, & nescire multis turpe est. Verum omnia exactè quærere, neque facile, neque possibile omninò est* &c.

Philo. Vnde Platonem secutus Philo libro De somniis, postquam attulit varias de stellarum natura opiniones concludit, Quæ de Astris ex loque circumferuntur, incerta esse atque incomprehensibilia, coniecturisque verisimilibus magis, quàm solidis verisque rationibus niti, vt iurare fas dixerit, neminem mortalium posse vnquam quicquam horum probè percipere. Quorum dictorum non vsqueadeò patet veritas, vt cæterorum sapientum auctoritati præsertim Aristotelæ lib. 1. de Part. cap. 5. quicquam detrahendum sit.

Verumtamen quia Plato sæpè ea de re locutus est, videndum erit, quid certi ex eius doctrina in hanc Quæstionem produci possit.

Platoni astra sunt animata animo assidente non informante, & multa ex Platone de hominis animo.

§. 4.

PRo hac igitur re ad difficultatem respondetur. Et sit

Plato. Platonici. Vnica propositio. Platoni ac Platonicis cœlum & astra sunt animata per animam assidentem non informantem. Probatur propositio manifesto hoc argumento duplici. Primum est: quia vbi Plato ex instituto de hac materia disserit, nunquam affirmat cœlum animari per informantem animam, sed in vtramque partem dubitat, vt magis in Partem negantem propẽdeat; Vt in dialogo seu libro 10. de legibus; quos libros postremos senex scripsit, tantique fecit, vt eos (Marsilij Ficini verba sunt in argumento ad librum 1. de legibus) *non per Pythagoricam personam vel Socraticam, vt solet cætera, sed per propriam ipsius Platonis personam nobis tradiderit.* Quamuis re vera nomen ac personam cuiusdam Atheniẽsis induat ob modestiam, vt etiam idem Marsilius obseruauit ibidem. Platonem ergo aio loco citato vbi loquitur de Solis anima, dubium quidem hæsisse, tamen eò consilium inclinasse, vt neget esse animam Soli informantem. Sic autem ait: *Cùm solem anima moueat, si trium modorum aliquo ab ea fieri hoc asserimus, fortasse non aberrabimus.* Modi autem hi exponuntur statim; Nimirum; *vel quòd intus in hoc rotundo corpore insit; & quò libet ipsum transfert, quemadmodum nos anima nostra quò libet ducit: Vel ipsa foris quidem est, & corpus aliquod aëris vel ignis nacta, per vim, vt quidam aiunt, corpus corpore pellit. Vel tertiò, quamuis ipsa nuda corpore sit, quia tamen alias vires supra modum mirabiles habet, facilè ducit.*

Marsilius.

Plato. Ergo Plato his verbis docet animari per animam non informantem, sed assidentem; quia anima vel forinsecùs mouet, vt patet ex duobus postremis modis: Vel si intus; vt in primo modo; mouet quemadmodum nos mouet animus noster; Nimirum tanquam motor mouet currum. Nam subdit statim, quinam ex iis sibi videatur probabilior. *Præstat autem, vt siue curru quodam intrinsecus teneat corpus illud anima, siue foris sit, seu quomodocunque quis excogitet, Deum ipsam esse omnes arbitremur.*

Ex quibus dupliciter patet esse animam cœlo assidentem: Primò, quia eam dicit esse in corpore cœlesti aut tanquam in curru quodam; aut forinsecùs illud mouere. Ergo assidet, non informat: Deinde, quia quocunque modo id dicatur, ipsa cœli anima Platoni est Deus, at Deus non esset, si astri, nempe Dei esset animus. Vnde etiam paucis interiectis confirmat, ipsas animas esse Deos: *quoniam ipsæ omnibus virtutibus preditæ Deos esse eas affirmabimus.* Nec refert, quod in Epinomide, qui etiam dialogus est legum appendix, dicat Plato, vt suprà retuli, stellis aut animam adesse, aut inesse. Non enim dubitat, vtrùm insit vt forma formatrix; sed vtrùm insit, tanquam intus degat rector an foris moueat, vt ex libri 10. verbis ostensum est.

Alterum argumentum est: quia Platoni hoc dogma constitutum est; vt homo sit anima

vtens corpore. Nam præterquã quòd id docet in Timæo, de eo ex instituto scribit in Alcibiade priore, vbi de homine proponit sibi disputandum. Eámque ob causam ille quoque dialogus *De homine* inscribitur. Habet autem ibi hominem vt retuli nec corpus esse, neque corpus & animam simul: sed *nihil aliud esse quam animam.* (Quæ quidem vt antè dixi falsa sunt, & infrà suo loco confutanda, sed nunc Platonis mentem ex eius verbis venari liceat) Putat autem nihil esse aliud, propterea quòd id homo est quod imperat corpori. Huic autem imperat animus: itáque *per Iouem* hæc demonstrari non posse liquidiùs, de quo etiam diximus suprà quæstione 50. a. vltim. Difficult. vltim. in fine. Hinc ac si corpus ad animum tanquam illius subiectum non spectaret, perinde esse putat Plato, siue animus sit absque corpore; siue in hoc, siue in illo degat.

Plato. Vnde Platoni animus hominis longè ante corpus à Deo procreatus est, & dissoluto corpore in varia migrat corpora. Docet enim in Phœdone in secunda eius dialogi parte Socrates, *disciplinam reminiscentiam esse, atque si ita res se habeat, necessariò consequi alicubi animam fuisse, priusquam in corpore clauderetur.* & longè post, ex eo quòd *anima corpore diuturnior est, multáque ante nos sæcula fuit, nouítque, egítque permulta,* docet ipsam immortalem, corporique semper superstitem esse. Sic autem loquitur in eadem secunda parte versus finem. *Imminente,* inquit, *homini morte, quod mortale quidem in eo est, interit vt apparet; quod verò immortale, sospésque morti se subtrahit,* &c. Adeò superstitem putat animum Plato esse, vt pro varietate gestorum in varia corpora errare ac vagari arbitratus sit in eodem dialogo; Nempe in luporum, accipitrum, vesparum, & cætera corporum genera, si non ad rationem vixerit; secùs si sapienter philosophatus sit. *Philosophorum* inquit *animæ quæ puræ discedunt, sola in Deorum genus abeunt.* Neque enim harum rerum nuda Philosophorum ingeniis patebat veritas. Quocirca ex his concludi par est Platonis sententia: Si animus hominis non est forma corporis; Erítne is animus, qui longo nostrum animum interuallo suâ perfectione excedit; & qui Platoni Deus est?

Plato. Denique vt hæc propositio nostra sit firmior, afferam ex Timæo locum, vbi apertè Plato docet animas insidere syderibus tanquam vehiculis; quibus haud dubiè significari constat, assidentes esse syderibus animas, non sydera ipsa formantes. Verba eius hæc sunt, iis quæ ex Chalcidio retuli quàm simillima. *Animas Deus constituto vniuerso diuisit æquali cum syderibus numero, & singulas singulis assignauit, & velut in vehiculis impositis vniuersi naturam ostendit & leges fatales ipsis exposuit.* Ergo animas Deus imposuit vniuerso ac stellis constitutis, in quibus tanquam in vehiculis fatales leges acceperunt. Plura huc spectant, quæ in consequentibus nostris *Colligitur* confirmabuntur.

***

Quo sensu dicatur à Platone eiusque Sectatoribus, Homo est anima, Cœlum est Deus, &c. vbi multa de Chaldæis, Aegyptiis, & aliis. §. 5.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò, quo sensu Platonem & Platonicos intelligi oporteat, cùm dixerunt, astra aut cœlum esse Deos: Nam primò non possunt intelligi, eo quòd cœlum aut astra formentur aliqua diuinitate, tanquam forma informante, ex qua sit hoc concretum quod Deum appellet, vt ostensum est. Secundum ergo intelligi oportet astra esse Deos, eo quòd eorum rector est Angelus aliquis aut dæmon ex illis, quos inter Deos reponebat Plato, vt nos abundè diximus suprà q. 50. a. 1. Vnde rectè ait Marsilius Ficinus in argumento ad librum 10. de legibus. *Non turbet Deorum numerus, quem non turbat numerus Angelorum. Nihil enim apud Platonem plus possunt Dij, quàm apud nos Angeli atque beati.* Marsil. Fici.

Quò respexit etiam A. Doctor in hoc art. 1. & q. 115. infrà a. 5. cùm definitionem dæmonis, quã ex Platonicis refert S. Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 16. interpretatur ac si nomine Dæmonis Angeli ab ipsis Platonicis significarentur. Si ergo hoc conflatum ex corpore & animo rectore vere Platonis sententiâ potest dici animus, eodem seu persimili modo stellæ, quæ etiam quoddam conflatum sunt ex cœlesti corpore & Angelo motore seu rectore, Angeli dici Platonis sententiâ poterunt, ac proinde Dij: quandoquidè ipsi Angeli apud ipsum Dij sunt, vt diximus. A. Docto. S. August.

Ex qua re vlteriùs patet ad Platonis mentem locutum esse Iamblicum in libro de Mysteriis, cùm negauit in cœlo fieri compositionem ex anima & corpore in vnam tertiam naturam, cœlúmque dixit esse animum. Est autem Iamblici tanta inter Platonicos auctoritas, vt Simplicius, qui sæpè Platonici personam quàm Peripatetici induere mauult, fateatur tertio libro de An. context. 58. tantò se inferiorem esse Iamblici diuino sensui, quantò qui promouetur, philosophiæque mysteriis initiatur, à sapientissimis viris superatur. Is ergo sic loquitur loco citato de cœli anima: *Non fit in cœlo compositio ex animo & corpore in vnam naturam tertiam, sed prorsus ad naturam animæ trahitur, atque est visibilis quædam anima.* Iamblicus. Simplicius.

Hæc inquam Platoni consentanea esse aio: Non enim est compositio in astris, ex qua resultet tanquam ex actu & potentia propriè vnum; Quia cœli rector est Angelus & motor, non forma; & ideò trahitur ad naturam animæ. Nam & cœlum est anima Platoni; cui, vt diximus, conflatum ex anima assidente est anima; Quemadmodum eidem homo nihil est aliud quàm anima.

Verùm quæ subdit non ita rectè dici videntur: *Fortè cœlum est lumẽ ipsum sine materia, ac sine dimensione. Dimensio enim ibi propter amplam eius præsentiam apparet.* Hæc etenim videntur falsa: Neque enim lumen sine materia, cùm sit accidens corporis; nec dimensio est in cœlo tantummodo apparens. Immò si amplam fatetur eius

eius præsentiam, dimensionem fatetur. Præterea A dimensio solis, & stellarum cur tanta & non minor aut maior, & certis interuallis æquabiliter distans cerneretur, si solùm dimensio cœli astrorúmque mortalibus appareret? Rectè tamen ad Platonem pergit: *Unde cœlum est anima cœli seipsam accommodans oculis, rebúsque caducis*, & cætera. Nempe cœlestis luminis ac motus æquabilitate, quibus in naturam eius animæ nostra cognitio assurgit. Hinc enim arguimus illum ordinem omnibus sæculis constantem esse non posse, nisi à forma intelligente regeretur. Ideò subdit Iamblicus ibi, cœlum esse corpus animale, siue ignem animalem; hoc est corpus quod ad animæ naturam ac similitudinem factum sit. eò quòd motus constantia atque actione circulari ac perpetua, quam propriã esse Platonici arbitrabantur intelligentis animi, animi naturam imitaretur. B

Iamblicus.

Ex his etiam multa Platonis & Platonicorum dicta interpretari possumus, qui interdum negant, & affirmant, hominem esse corpus aut animal rationale; & de Platone quidem iam diximus in Notando: De Platonicis autem patet. Nam Plotinus Enneade quarta, libr. 7. capite 1. ait, hominem non esse aliquid simplex, cùm ex animo constet & corpore: qui tamen idem Enneade 6. libr. 9. capite quarto ait, hominem esse animam, negátque esse animal rationale, *cum animal rationale constet ex corpore & animo*. Idemque ex Plotino testatur Macrobius libro secundo in Somnium Scipionis: *Hominem verò*, inquit, *testatur Plotinus esse animam*. Idem docuit Proclus in commentario ad Alcibiadem priorem, cum dixit. *Corpus non est pars hominis, sed instrumentum*. Quo etiam pacto Marsilius Ficinus in eundem Alcibiadem definit hominem: *Esse animam rationalis mentis particeps, corpore vtens* &c. Cùm tamen ipse idem in Parmenide dicat cap. 53. *Nos esse per animam*[illegible]. Et ille ipse Proclus alibi etiam non dissentiat. C

Plotinus.

Macrobius.

Proclus.

Marsil. Fici.

Proclus.

Horum inquam doctrina intelligenda est hoc pacto, ne contineat pugnantia. Primò quidem vt homo constet & non constet ex animo & corpore, diuersa tamen ratione: Non quidem constet; Quia Platonicis homo est animus vtens corpore, animus autem non constat ex corpore: Constat autem: quia illud conflatum quod ex animo motore & corpore instrumento componitur, non absurdè omninò dicitur constare ex animo & corpore. Sic enim nauis ex nauta, cæterísque lignis compacta est; & currus ex auriga, equis, rotis, vehiculo, & similibus, vt antè dicebamus. Deinde verò licet hoc conflatum ex animo & corpore Platonicis sit vt homo, astrũ, cœlum; Tamen Platonicorum opinione rectè potest homo dici animus, astrum, Deus, siue Angelus, &c. ac proinde rectè negari potest, homo est corpus, Astrum est substantia corporea, & similia. Etenim cùm negant, hominem esse corpus aut animal, solùm significant ea non esse præcipuas eius conflati, quod est homo partes; & ideò hoc sensu denotet hominem esse animam. Vnũquodque enim est id quod præcipuum in eo est, vt etiam approbat A. Doctor infrà quæst. 75. a. 4. ad 1. & in hunc sensum explicat Apostolum 2. Cor. 4. dicentem: *Is qui intus est homo renouatur de die in diem*. Qua ratione etiam Aristoteles libro decimo, Ethnicorum capite septimo dixit, vnumquodque id esse quod præstantissimum in D E

A Doctor.

2. Cor. 4.

Aristoteles.

eo est, vt obseruauit ibi quoque A. Doctor. Quasi ad hanc Platonis doctrinam se accommodare voluerit, non alienus à magistro discipulus.

Colligitur secundò, cæteros quoque philosophos (Stoicos excipio de quibus in septimo corollario) Platone tum antiquiores tum posteriores eodem sensu locutos esse, cum animam cœlo tribuerunt, vt vidimus in Parte affirmante. Quandoquidem si hoc satis fuit Platoni atque Aristoteli, non est cur eos aliter sensisse contendamus, qui nullis clarioribus verbis animam cœlo indiderunt. Cùm enim Zoroastres ait cœlum ferri sempiterna voluntate, non conficitur, vt ea voluntas sit cœli, cuius anima informans voluntatem motricem habeat. Nam rectè intelligitur moueri nauis, quæ à gubernatore regitur voluntate eiusdem gubernatoris, etiamsi animam gubernatoris informantem non habeat nauigium.

Zoroastres.

Sanè Zoroastres quia dixit cœlum voluntate ferri ac necessitate currere, non obscurè significauit, moueri quidem arbitrio assidentis numinis, sed quantum est ex parte cœli necessarium esse cursum, eò quòd obsistere non possit mouentis imperio. Simili modo Trismegistus cùm Solem Deum Deorum cœlestium appellat præstantissimum. Quid enim prohibet, ne intelligi possit vt Plato? Hic enim philosophus ex syderũ pulchritudine hortatur Tatium filium, vt conditoris pulchritudinem contempletur, cuius motu sydera suo ordine volutantur: Quod perinde est siue voluatur anima informãte siue assidente. Vtrinque enim ratio ordinis in Dei amplitudinem nos excitare potest.

Zoroastres.

Trismegis.

Idem dico de Philone Iudæo, cui Platonica doctrina in primis sapit, & quem defendere sæpè conatur, vt patet ex libro de Mundi æternitate, vt de illo vulgatum sit apud Hieronymum libro de scriptoribus Ecclesiasticis: Aut Plato Philonissat, aut Philo Platonissat. Quid enim impedit, quin ipsum commodè explicare possimus vt Platonem? Neque enim aliter eius verba significant necessariò: Stellæ enim nihil habent vitij, sed virtute pollent; quia vt diximus, Platoni ad proinde Philoni stellæ sunt Angelus; eodémque modo si sunt Angelus, sunt quoque incorporeæ atque intellectuales, eo quòd illud conflatum est id quod in eo præcipuum est.

Philo.

Hieronym.

Eodem modo intelligi possunt & illa eiusdem in libro de opificio Mundi cum ait. *Rerum quæ in natura sunt, aliæ nec virtutis participes nec vitij sunt; vt stirpes, quia inanimæ; & bruta quia mente carentia. Alia sola virtute prædita nihil habentes vitij vt stellæ. nam & hæ animalia sunt.* nempe quia compositum ex rectore & corpore est rector ipse, ac proinde stellæ quæ sunt ipse rector nihil habent vitij.

Quam expositionem colligo etiam ex ipsis Philonis verbis. Nam aliquantò pòst ait, in cœlo oportuisse esse ciues qui cœlum antequam homines conderentur, incolerent veluti magnam vrbem. Ergo illi præstantissimi animi non informant cœlum ac stellas, sed inhabitant. *Huius ciuitatis ac Republicæ*, inquit, *oportebat quosdam ante homines quasi magnæ vrbis esse ciues. Quosnã verò alios, quã rationales diuinas naturas partim intelligibiles & incorporeas*; nempe quæ nullis mouendis orbibus dant operam; *partim non sine corpo*

Philo.

corporibus, quales stellæ sunt. nempe earum rectores ac cœli. quippe qui in cœlo degunt vt astra curent. Vnde expresse in libro de Gigantibus cœlum ac sydera vocat animos immortales: Quod intelligi non potest nisi quia earũ rector est animus. *Cœlum item ac sidera: hæc enim in totum animæ sunt immortales, diuinæque,* &c.

Iamblicus. Plotinus. Similiter etiam dicendum est locutũ esse Iamblicum cùm dixit vbi suprà: *cœlum est anima cœli,* & Plotinus Enneade 6. lib. 9. cap. 4. cum affirmauit; *Homo est anima*: negauitque esse animal rationale, cuius rationem affert, quia *cum animal constet è corpore & anima, quomodo erit substãtia sempiterna?* Ergo expresse docet, hominem esse animam, quæ substantia immortalis est. A quibus quidem locutionibus licet Peripatetici magna ex parte abhorreant, tamen Platonicis sunt visitatæ, nec omninò nouæ sunt apud Aristotelem, vt diximus ex illo lib. 10. Ethic.

Varro. Quod autem ait Varro peculiarem non facit difficultatem, quæ vim nostræ doctrinæ possit infringere. Dicuntur enim stellæ Dij, & videtur Varronis sententia: Quia animentur aliqua diuinitate assidente, vt Plato dixit. Videri etiam possunt, non in se sed in suo corpore quod aspectabile mortalium oculis est. Quod etiam colligitur ex iis quæ ex eodem Varrone docet S. Augustinus eodem libro 7. cap. 5. vbi docet ex Varrone: *animum Mundi & partes eius esse veros Deos:* Quod sicut Platonicè dicitur; ita sensu Platonico intelligi potest. Itaque idem est Varroni æthereas animas esse astra, atque astra esse æthereas animas.

Varro. S. August. Immò Varro apud S. Augustinum libro 4. de ciu. Dei cap. 31. non aliter Deum dixit animam Mundi, nisi quia est mens quæ Mundum motu ac ratione regit. *Dicit idem auctor* Varro, inquit Augustinus, *acutissimus atque doctissimus, quòd hi soli ei videantur animaduertisse quid sit Deus, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione Mundum gubernantem.* Non ergo ex eo quòd informet Mundum; sed ex eo quòd Mundum moueat ex præscripto rationis, regátque sapientia sempiterna. Tullius. Vt fortè ex Varrone desumpsit Tullius in 1. Academ. ait enim: *Mundum naturâ sentiente teneri in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna. Quã vim animum esse dicunt Mundi, eundémque esse mentem, sapientiámque perfectam quam Deum dicunt.*

Plinius. Denique quod Plinius ait libro illo 2. c. 6. non vrget. Siquidem etiam instrumentis inanimatis sæpè tribuuntur ea, quæ sunt agentis præcipui, cùm oratoriè loquimur, vt intelligatur Sol dirigere ac regere omnia tanquam numen, quia per Solem Deus omnia dirigat ac gubernet. Sic enim dicitur vsus habere arbitrium ad formandam locutionem apud Horatium in arte Poëtica

—— Si volet vsus
Quem penes arbitrium est & ius & norma loquendi.

Horatius. Hoc est si homines volent per vsum. Tale est etiam illud de pecunia, quæ regina appellatur ab eodem Horatio libro 1. epist. 6. ob eam causam: Quia per eam homines diuites regnare dici solent.

Et genus & formam regina pecunia donat.

Cicero. Et ad rem propositam Cicero 2. de Oratore, *Syderum* inquit *regina bicornis* Luna. Plinius. Nec dissimili modo dixit idem Plinius libro 37. cap. 13. *Italia rectrix, parénsque Mundi altera.* Quia ij qui in Italia degebant, Mundi habenas tractabant. Quanquam non negarim Plinio fuisse auersum a pietate animum, vt eius multa dicta declarant.

Quid verò de Chaldæis Ægyptiisque dicendum sit, non constat: cùm nihil constet, vnde in alteram partem ratiocinatio certa eruatur: Tamen probabili coniectura existimare oportet, eos putasse quidem astra esse Deos, sed non per animam informantem, quæ eorum fuerit diuinitas. Nam constat eorum doctrinam in Platonem Aristotelémque deinde translatam ab ipsis traditam fuisse, vt sint quidem astra Dij, sed animo assidente non informante.

Anaxagoras. Quo eodem modo crediderim ab Anaxagora negatum fuisse solem esse Deum, dictúmque esse lapidem ignitum, quia scilicet nullam ei insidere intelligentiam arbitratus sit, ac proinde nulla diuinitate animatum. S. August. Quod ipsum colligo ex S. Augustino, qui meritò miratur in eo cap. 41. lib. 18. de ciu. Dei, *Cur Anaxagoras reus factus sit. Quia Solem dixit lapidem ardentem, negans vtique esse Deum, cùm in eadem ciuitate gloria floruerit Epicurus vixeritque securus, non solum Solem vel vllum siderum Deum esse non credens; sed nec Iouem, vel vllum Deorum omninò in Mundo habitare contendens, ad quem preces hominum, supplicationésque perueniãt.* Epicurus. His enim verbis S. Augustinus Anaxagoram parem videtur facere Epicuro, in eo quòd Soli tantummodo negarit quod Mundo vniuerso ab Epicuro negatum est; nempe Solem regi alicuius numinis potestate, quam Deorum gubernationem Epicurus vndique sustulerat. Quod verò attinet ad eos qui diuinitatem partiebantur in plures Deos, nihil opus est explicatione. Constat enim eos vel errasse, si simpliciter id putarint, vel si alio modo diuidi intellexerunt, non rectè eos esse locutos, vt dicam in quarto *Colligitur.* Denique quid Aristoteles de anima Mundi censuit explicabo in sexto *Colligitur* infra.

Disputatur de Mundi anima, asseritúrque esse assidens non informans ex Platone &c. Immò ipse Deus qui omnia permeat sua immensitate, vitámque rebus tribuit. § 6.

Colligitur tertiò quid dicẽdum sit de Mundi anima apud Platonem & Platonicos. Hanc enim ij omnes apertè asseruerunt vt patet ex Platone in Timæo, vbi locis pluribus Mũdum animal esse testatur, & in Philebo docet, Plato. corpus nostrum ex Mundi corpore, animúmque nostrum ex eiusdem anima quasi sobolem expressam esse. Idem libro de legibus 10. *Vniuersa* inquit *quæ in cœlo sunt, quæ in terra, quæ in mari suis motibus anima ducit. quibus nomina sunt velle considerare, curare, consultare, rectè & non rectè opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere, & cæteris præterea motibus omnibus qui horum affines, primique sunt.* Denique ex obseruatione huius animæ Mundum animantis in libris de legibus rem eò deducit, vt tandem concludat eam Deum esse, húncq; rerum humanarum curam habere, vt rectè obseruat Carpentarius in Alcinoum de Doctrina Platonis cap. 10. n. 1. Carpentar.

Platonici. Chalcidius. Proclus. Marsi. Ficin. Plotinus. Platonem sequuntur Platonici omnes Chalcidius, Proclus, Marsilius in Timæum, Plotinus frequen-

frequenter in sua Enneade; Vt Enneade 2. lib. 1. cap. 4. Enneade 3. lib. 1. cap. 8. Enneade 4. lib. 7. cap. 12 Enneade 5. lib. 1. cap. 2. & alibi. Huius etiam tanquam Platonis pronunciati meminit Aristoteles sæpe; sed præsertim lib. 1. de An. à cont. 45. Vbi Peripatetici; & Simplicius fuse in proœmio ad libros de Anima. Eãdem sentẽtiam Platoni tribuit S. Augustinus libro 10. de Ciu. Dei cap. 23. & libro 13. cap. 16. & 17. & omnes recentiores, & Plutarchus libro 2. de Placitis cap. 5. vbi etiam addit Platoni Mundum egere alimento. *Plato inquit ipsum Mundum sibi mutatione eorum quæ intereunt suppeditare nutrimentum existimauit.*

Aristoteles. Peripatetici. Simplicius. S. August. Plutarchus.

Aio ergo ex dictis colligi, Platonis opinione hanc animã Mundo esse assidentẽ, intimeq; permeantem, ac regentem quicquid corporei intra cœli ambitum continetur, eo pacto quo Virgilius miro carminis artificio scripsit libro 6. Æneid. Ex quo loco Lactantius lib. 1. Instit. diuin. cap. 5. ait: *Maronem non longe fuisse à veritate, cùm de summo Deo, quem spiritum ac mentem nominauit, hæc verba sunt.* Sic etiam Minutius Felix in Octauio: *Poetas quoque vnum Deum Patrem diuûm atque hominum prædicantes, &c. Quia Mantuanus Maro: nónne apertius, proximius, verius?* nempe cùm dixit.

Plato. Virgilius. Lactantius. Min. Felix.

Principio cœlum ac terras, campósque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque astra
Spiritus intus alit, totámque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudúmque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo,
Seminibus quantum non noxia corpora tardent.

Hæc enim omnia cùm descripserit Virgilius ex Timæo Platonis, vbi apertè omnia hæc attribuit animæ vniuersi, putauit eandem animam Platoni non differre à Deo, qui vniuersum suã peruadit essentiã. Ad quam ipsam Mundi animam significandam ex Stoicis eadem Virgilij carmina vsurpauit Lactantius libro 7. cap. 2. vbi etiam obseruat iisdem illis carminibus non tam Mundi animam quæ verè sit anima, quã Deum ipsum, quem tanquam Mũdi animam ac vitam adumbrarant, significari. *Cuius* Dei inquit *vim, maiestatémque quoniam intelligere non poterat, miscuerunt eam Mundo, id est operi suo. Vnde est illud Virgilianum &c.* Sic etiam Varro & Cicero, vt paulò antè diximus. Quæ quidem etiam sic accepta ad rem præsentem faciunt, cùm negent esse animam Mundum informantem.

Virgilius. Lactantius. Varro. Cicero.

Aio inquam esse assidentem, non informãtem animam: Quia si anima non est cœlo forma, quæ ipsum constituit, sed supponit constitutum, vt ex Platone diximus. Ergo etiam anima Mundi erit assistens non informans; quia non est peculiaris maior ratio, vt ea Mundum informet quàm sua cœlum. Immò ratio magis suadet ne ipsum informet. Quia nec Mundi partes continuæ sunt ad vnum animæ corpus faciendum. Nec ideò si singula astra suum Platoni animum habeãt; partes Mundi quæ magis differant, suum etiam animum habere debent, cùm non sit æqua ratio ac de cœlo.

Ratio etiam huic sententiæ, & interpretationi manifesta suffragatur; quòd scilicet hæc anima Mundi non sit informans Platoni. Quia Plato voluit interdum Maximi Deorum, idest ipsius Iouis animã esse huiusmodi animam, aut certè eam quæ Mũdum ipsum efformauit, ac procreauit: Quo pacto ex Stoicis iam ex Lactãtio & Cicerone dicebamus.

Plato.

Id autem de Iouis anima alicubi existimasse Platonem patet ex verbis S. Augustini lib. 13. de Ciu. Dei cap. 17. vbi pugnantia ait à Platone dici inœo quòd asserit omne corpus esse fugiendum; cùm tamẽ ipse Deos beatissimos illiget corporibus igneis; nempe syderibus, atque adeò ipsius Deorum Maximi Iouis animam velit esse Mũdi animam. Ex hoc enim sequebatur apertè: Ergo non omne corpus est fugiẽdum. Si quidem quæ Deorum sunt optima corpora sint oportet, eorúmque Dij ipsi, quos beatissimos faciunt, huiusmodi corpora minimè fugiant. Ad rem igitur nostram sic loquitur ibi S. Augustinus: *Iouis autem ipsius animam inquit quem Mundum istum omnibus omnino corporeis elementis, quibus hæc tota moles à terra in cœlum surgit, inclusam. Hãc enim animam Plato ab intimo terræ medio, quod Geometræ centrum vocant, per omnes partes eius vsque ad cœli summa atque extrema diffundi atque extendi per numeros musicos opinatur, vt sit iste Mundus animal maximum beatissimum sempiternum; cuius anima & perfectissimam felicitatem teneret, & corpus proprium non relinqueret, cuiúsque corpus & in æternum ex illa viueret, & eam quamuis non simplex sed tot corporibus tantisque compactum hebetare atque tardare non posset.* Quæ omnia desumpta videntur ex Platonis Timæo, vbi hęc Plato significat. Consentit etiam Marsilius Ficinus orat. 2. in conuiuium Platonis cap. 7. *Cœlum, inquit, Platonici ideò summum Deum vocant, &c.*

Plato. S. August. S. August. Marsi. Ficin.

Iam ergo ex iis sequitur, huiusmodi animam Platoni non esse informantem, sed assidentem; eo quòd anima summi Dei non est animà informans Mundum, sed regens & assidens. Sic enim pro hac re confirmanda manifestè argumentari possumus. Illa non est anima informans & formaliter constituens mundum corporeum, cuius efficientia Mundus corporeus constituitur. Sed animæ summi Dei efficientiã Platonis opinione Mundus corporeus cõstituitur. Ergo anima summi Dei non est anima informans & constituẽns Mundum. Maior est euidens: si enim eius animæ efficientiã Mundus corporeus constituitur; ergo sola illa anima est summus Deus; non autem id quod ex anima & corpore conflatur. Nam Deus summus non potest esse secundùm animã creator, & secundùm corpus creatura. Quandoquidem is est summus Deus, à quo omnia creata dependent. Vt enim ait Aristoteles libro 12. Metaphys. cont. 38. de Deo loquens, *à quo tum cœlum, tum natura dependet.* Quod non inficiatur Plato, qui illum summum Deum in Timęo appellat *rerum conditorem. Opificem quidem & Patrem Mundi* inquit *inuenire difficile est, & cum inueneris prædicare, eloqui vulgò impossibile est.* Quæ totidem verba tanquam Platonis refert Tertullianus in Apolog. cap. 46. *Licet Plato affirmet* inquit *factitatorem vniuersitatis neque inueniri facilem, inuentúmque in omnes enarrari difficilem.* Eadem etiam magni faciunt Iustinus Martyr orat. ad Gent. Cicero libro de Vniuerso; Lactantius libro 1. Institut. cap. 8. Ergo illa anima, quæ Mundum creat non est ratio Mundi formatrix; sed ipse Deus effector Mundi.

Aristoteles. Plato. Tertullian. Iustinus. Cicero. Lactantius.

Immò nulla forma formatrix efficit suũ corpus seu subiectum, sed supponit esse, cùm priùs sit

sit subiectum iis, quæ in subiecto sunt, vt habet A Aristoteles libro 1. Physic. cont. 52. Quòd si quis dicat, hoc verum esse in formis creatis, non autem in forma increata. Contrà est euidens argumentum? Quia omnis forma formatrix est imperfectior suo toto. Vt enim ait Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 7. Perfectius est id quod est per se, quàm quod est propter aliud. Constat autem formam formatricem esse propter suum totum, quod est per se. Ergo illa forma formatrix non esset Deus; sed ipsum totum Deus esset. Vnde Deus esset posterior creaturis: Quia compositum illud esset Deus, & posterius est compositum suis partibus componentibus: esset etiam creatura; quia compactum ex anima. Immò ille B Deus dissolubilis esset etiam Platoni, qui in Timæo ita summum Deum cum Diis cæteris colloquetem inducit: *Dij Deorum quorum ego opifex & pater sum, ac attenante. Quæ à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. Omne siquidem quod vinctum est, solui potest.* Anima ergo illa, cuius efficientia Mundus corporeus constituitur, non est anima informans.

Aristoteles. Aristoteles. Lactantius.

Præterquamquòd vt benè arguit Lactantius eodem cap. 3. lib. 7. *Si illa anima summi Dei fecit Mundum*; ergo est sine Mundo, qui sit membra eius animæ: *Nam si hæc omnia quæ videntur Dei membra sunt, iam ab his insensibilis constituitur Deus, quoniam membra sensu carent. Et mortalis est, quoniam videmus membra esse mortalia &c. Quid quod ne C arari quidem sine laceratione diuini corporis potest, vt iam scelerati & impij simus, qui Dei membra violemus.*

Minor probatur primò: Quia anima summi Dei debet omninò esse ipse Deus, ita vt dictio illa in casu obliquo: idest *summi Dei* sit dictio quam vocant intransitiuam; sicut cùm dicitur essentia humanitatis; hoc est essentia quę est humanitas: Quia Deus non est quid conflatum, sed simplex vt iam diximus. At summi Dei efficientiâ Mundus Platoni constituitur; vt etiam diximus. Ergo animæ summi Dei efficientiâ Mundus constituitur.

Deinde quòd animæ Mundi efficientiâ res D omnes procreentur; seu quod idem est, quòd anima summi Dei; hoc est quæ summus Deus est sit rerum procreatrix corporearum, plura videre poteris apud Plotinum Enneade 2. lib. 9. cap. 4. Vbi ait: *Anima Mundum faciens nunquam aberrauit*; & Enneade 5. lib. 1. cap. 2. vbi expressè ait omnia oriri *ipsa eis vitam suppeditante; & occidere quando destituuntur, ipsam verò semper esse; quia nunquam deserat semetipsam.* Quæ omnia sunt propria eius animæ, quæ est summus Deus. Immò Orpheus, quem Lactantius libro 1. diu. Instit. cap. 5. *vetustissimum Poëtarum, & æqualem ipsorum Deorum appellat* talem animam Mundi Deum esse arbitratus est rerum omnium effectorem, ac E proinde non animam putauit informantem sed assidentem & motorem: Sic enim de Deo cecinit in carmine ad Musæum filium,

Plotinus. Orpheus. Lactantius.

Vnicus & per se existens qui cuncta creauit
Inque ipsis extat.

Vt est apud Iustinum martyrem in orat. Paræn. ad Gentes. Huius etiam Orphei ad hoc ipsum licèt paulò aliter significandum meminit Aristoteles lib. 1. de An. cont. 84. Refert enim ipsum sensisse aërem & totum Mundum esse animatum, atque ex isto toto ingredi animam in singula animalia vento agitatam, & per respirationem.

Iustinus. Orpheus. Aristoteles.

In qua tamen re, vt moris est, potiùs Aristoteles loquendi modum sugillare voluit quàm sententiam ipsam redarguere. Non enim credibile est, poetam hunc eximium existimare potuisse, animalia & cuncta viuentia animari aëre & per respirationem: Nam & plantæ, & multæ animantes non respirant; & præterea quia animam Mundi vagantem, ac permeantem omnia vt diximus, putauit Deum. Vnde verisimile est putasse, Deum esse aërem, hoc est veluti aërem. Sicut enim aër permeat cuncta mortalium genera, & respiratione vitam præbet iis corporibus, quæ in ipsa viuunt: ita & Deus rebus cunctis sua immensitate adest, iisque quæ in ipso sunt vitam conseruatione veluti respiratione largitur. *In ipso enim viuimus, mouemur & sumus,* vt ex vetusto Poëta Paulus docuit Act. 17. Ex quibus Platonem ex poëtis suam confirmare solitum doctrinam de Mundi anima accepisse probabile est. Quò etiàm alludit illud Ouid. Fast. 6.

Aristoteles. Act. 17. Ouidius.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Constat ergo, animam hanc non esse informantem, sed assidentem. Quo autem pacto sit hæc Mundi anima, cæteræque quæ Mundi partes animant, fusiùs explicat Plotinus cap. 14. eius libri, quo docet ens vnum, idemque totum semper esse vbique.

Plotinus.

Platonem per Mundi animam adumbrasse Spiritum sanctum, Patres complures docuere, quod tamen perfectè non esse assecutum. § 7.

EX quibus vlteriùs sequitur: optimo iure sapientissimos Patres arbitratos esse hanc Mũdi animam Platonicis esse, quod Catholicæ veritati est Spiritus sanctus; Tertia sanctissimę Trinitatis persona. Nisi quòd nullus philosophorum potuit tanti mysterij rationem, quæ est humani ingenij imbecillitas, explicare. Huius sententiæ est Theodoretus Cirensis lib. 2. de cur. Græc. affect. *Vocat Plato ipsum bonum* inquit *quem nos dicimus Patrem; Mentem verò, seu intellectum quem nos dicimus Filium; potentiam verò quæ animet & viuificet omnia, animam nominat; eam ipsam videlicet, quem Spiritum sanctum sacræ literæ appellant.* Dum scilicet huiusmodi animatio à sacris literis personæ Spiritus sancti aptatur cùm dicitur Act. 17. *In quo viuimus, mouemur & sumus.* Quæ verba intelligenda esse de Spiritu sancto docet S. Hilarius in Ps. 135. Cui expositioni fauere ait quod dicitur Sap. 1. *Spiritus Dei repleuit orbem terrarum.* Vnde & concludit Hilarius his verbis: *Itaque intus atque extra, ambitu atque aditu, & circumfusus & transfusus ostenditur.*

Theodoret. Cirensis. Act. 17. Hilarius. Sap. 1.

Nec dissimilia sunt quæ habet S. Hieronymus libro comment. in Abacuc cap. 2. versus finem vbi eadem verba Act. 17. citata transfert ad hanc animam ex prædictis Virgilij versibus significandam, ac si prorsus ab auctore prolata forent de Spiritu sancto. Cùm enim quendam Scripturæ locum applicasset aut Patri aut Filio, subdit etiam de Spiritu sancto his verbis: *Aut certè iuxta illud quod cælos & terras & maria, & vniuersum Mundum*

S. Hieron. Virgilius.

Spiritus intus alit, totámque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Mundum

Mundus omnis qui cœlo constat & terra, & cœlorum circulis clauditur, Dei domus esse perhibetur. Vnde & Apostolus confidenter. In ipso ait viuimus mouemur & sumus. Et pergit declarare; Quomodo Spiritus vbi dicatur esse. Huc etiam spectat quod ante dicebamus ex Lactantio lib. 1. cap. 5. citato, apud quem iidem Virgilij versus citati videntur vt ibidem significauimus in Dei spiritum reuocari. Vnde & subdit: *Ac ne quis fortè ignoret, quisnam esset ille spiritus qui tantum haberet potestatis declarauit alio loco dicens*

Lactantius. Virgilius.

— Deum ire per omnes
Terrarum, tractúsque maris, cœlúmque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

S. August. Plato. Denique idem expressè existimauit S. Augustinus libro 10. de Ciuit. Dei cap. 23. licèt addat, hæc à Platone non exactè fuisse explicata. Sic autem de Platone scribit: *Dicit hic Deum patrem & Deum filium, quem Græcè appellat paternum intellectum, & paternam mentem. De spiritu autem sancto aut nihil aut non apertè aliquid dicit. Quamuis quem dicat alium horum medium non intelligo. Si enim tertium sicut Plotinus vbi de tribus principalibus substantiis disputat, animæ naturam etiam iste vellet intelligi, non vtique diceret horum medium; id est Patris & filij medium. Postponit quippe Plotinus animæ naturam paterno intellectui: Iste autem, cum dicit medium non postponit sed interponit. Et nimirum hoc dicit vt potuit aut vt voluit. Nos spiritum sanctum nec Patris tantùm, nec Filij tantum, sed vtriusque Spiritum dicimus.*

S. Paulinus. Huc etiam referam quod scribit S. Paulinus epist. 36. Quo apertè significat eundem spiritum dum ad eadem Virgilij verba alludit. *Quis non videt, Mundum illum corporeum vt incorporea gubernari; totámque molem infusam atque permixtam magno vniuersitatis corpori diuini spiritus qua facta est agitari ad vitam.* Idémque fusè indicat Minutius Felix in Octauio. Vt non immeritò Bessario Cardinalis libro 3. contra Calumniatorem c. 22. expressè dixerit quod à Platone omnibúsque Platonicis de anima Mundi dici solet, id in nostra religione de diuino spiritu intelligendum esse.

Min. Felix. Bessario.

S. Augustin. Rectè autem dixit S. Augustinus Platonem non perfectè explicasse Sanctum spiritum: Quia hæc Mundi anima Platoni (saltem non vbique; nam paulò ante affirmauimus ex illo) ipse summus Deus non est, qui est illa longè superior; vtpote qui illam dicitur procreasse per primam mentem, quemadmodum Platonici docent, cum subtiliùs de Deo philosophantur. Quod etiam animaduertit Carpentarius in Alcinoum de doctrina Platonis cap. 14. Animam Mundi ex Platone non effici à Deo; Quia *semper* inquit *extitit; sed ornari, eáque ratione eam facere nonnunquam asseri, quia excitet eam, & ad se ipsum eius mentem velut ex profundo quodam somno conuerterit, vt ad ea quæ intelliguntur à Deo aspiciens, diuináque notiones affectans species & formas inde recipiat.* Itaque propriè non creatur, vt hac ratione minùs distet huiusmodi de Mundi animatione doctrina, ab ea quam modò è sanctis Patribus de Spiritu sancto & ex ipso Platone tradidimus.

Carpentar.

Dico *vt minùs distet*: nam nunquam contendam Platonis sententiam de anima Mundi ita declarari posse, vt is Spiritum sanctum delineare perfectè potuerit. Quamobrem non minùs festiuè quam verè S. Bernardus epist. 190. circa medium inuectus est in Petrum Abailardum nimium suadere conantem Platoni mundum animari per hunc eundem Spiritum sanctum. *Spiritum sanctum* inquit Bernardus *dicit esse animam mundi: Mundum iuxta Platonem tantò excellentius animal esse quantò meliorem animam habet, Spiritum sanctum. Vbi dum multum sudat quomodo Platonem faciat Christianum, se probat Ethnicum.* Hæc Bernardus.

S. Bernard.

Error eorum qui putarunt diuinitatem partiri in plures essentias, vbi etiam multa ex philosophis de Dei immensitate. §. 8.

Colligitur Quartò quam meritò à S. Epiphanio ibi libro 1. hær. 5. inter hæreticos enumerentur ij, qui dixerunt vbi suprà in Parte affirmante, diuinitatem partiri in plures partiales Deorum essentias, in solem, & sydera &c. Hæc inquam meritò hæreseos damnanda est sententia, & sæpe olim huius erroris sectatores hæretici habiti sunt, de quibus multa docet noster Vasquez p. p. suprà Disput. 21. Vasquez.

Bifariam autem intelligi potest huiusmodi dictum: Vno modo vt diuinitas verè diuidatur in plures Deorum essentias diuersas; & hoc pacto sententia hæc non solùm hæretica est, sed planè à recto philosophandi modo aberrat. Nam primò diuinitas nullam extensionem in se habet, quę in plures partes diuidatur, vt ostendunt Theologi p. p. supra q. 3. Ergo diuinitas re ipsa non potest diuidi in plures essentias.

Deinde esto detur, quod tamen falsum est, extensio aliqua in diuinitate, adhuc non potest ipsa diuidi in plures Deorum essentias. Nam ei quod in plura diuiditur, oportet ea plura in quæ diuiditur, insint vel actu vel potestate passiua. Sed diuinitati non insunt siue actu siue potestate passiua plures Deorum essentiæ, in quas ipsa diuinitas diuidatur. Ergo diuinitas non potest diuidi in plures Deorum essentias. Maior probatur: quia vt ait Aristoteles libro 6. Physic. cont. 3. *Vnumquodque resoluitur in ea ex quibus est.* Et ideò negat cōtinuum componi posse ex atomis & punctis, quia in ea diuidi non potest, cùm *omne continuum sit diuisibile in semper diuisibilia.* Ergo ei quod in plura diuiditur debent inesse illa plura. Dixi autem *vel actu*, si denuo non gignantur: vel potestate passiua, si nimirum ea in quæ diuiditur fiant, vt cum mistio in elementa resoluitur, si in ipso misto non antecedebant actu. Minor autem manifestè probatur: quia nihil inest diuinitati vt potentiæ patibili, cùm Deus sit actus purus, vt omnibus in confesso est. Aristoteles.

Sanè id veteribus philosophis indubitatum est. Vnde Mercurius Trismegistus cap. 5. Pimandri ait *Deus, mens natura, Actus, Necessitas, finis renouatio.* & cap. 6. dubitat, an possit dici, Deum habere essentiam, ob summam scilicet simplicitatem. *Dei essentia* inquit *si essentiam vllam Deus habet est bonum ipsum.* Eodem modo hoc ipsum Platoni certum est in Timæo vbi ex eo quòd Deus summus nullo modo compositus est, omninò indissolubilis dicitur. *Omne siquidem* inquit *quod vinctum est, solui potest.* At omne id, cui est aliquid potentiæ susceptricis, non omnis compositionis est expers: quia hoc ipso Trismegist.

ipso aptus esset aliquid perfectionis suscipere. Et hanc sententiam video esse omnium Platonicorum.

In quam rem declarandam vna Dei definitione contentus ero apud Plotinum Enneade lib. 7. cap. 39. quæ mire congruit cum iis, quæ de essentia Dei dicere solent Theologi p. p. q. 14. & non differt ab ea quam affert Aristoteles libro 12. Metaph. cont. 51. Deus *est intellectio intellectionis intellectio.* Plotinus ergo sic ait: *Deus nihil aliud est quam simplex intuitus ad seipsum quod nihil aliud est quam ipsummet existere.* Quæ omnia mirè denotant diuinæ essentiæ puritatem. Non ergo diuiditur re ipsa in multas formas. Quod etiam maximè indicauit Plato libro 2. de Rep. vbi ait, Deum ne mutari quidē. *Deus, inquit, cum optimus sit, non mutatur in multas formas.* Ergo multò minùs diuiditur. Mitto quòd non potest intelligi quo pacto si Mundus est vnus Deus, & vnum animal, possit remanente vnitate Mundi diuidi in plures illos Deos, qui sint Sol, Luna, &c. tanquam membra illius vnius Dei. Omninò enim rectè in hos olim argumentatus est Arnobius pro vnitate Dei lib. 3. cont. Gentiles. *In philosophia memorabiles studio,* inquit, *vniuersam istam molem Mundi animal esse vnum sapiens rationabile consultum probabili asseueratione definiunt.* Probabili inquam, hoc est apparenti. *Quorum si est vera fixa & certa sententia, tuam illi continuò desinent Dij esse, quos in eius portionibus constituebatis. Vt enim homo vnus nequit permanente sui corporis integritate in homines multos scindi; neque homines rursus multitudinis iunctionis differentia conseruata in vnius sensus simplicitatem conflari. Ita si Mundus animal est vnum, & vnius mentis agitatione motatur: nec in plura potest numina dissipari; nec si eius particulæ Dij sunt in vnius animantis consistentiam cogi atque verti.* Non ergo diuidi potest Deus in plures Deos.

Alio modo vt non actu & re ipsa diuidatur in plures Deorum essentias; sed natura Dei, quam dicunt animam Mundi, permeet omnes vniuersi partes: In vna autem cæli parte animet solem, in alia Mercurium, Terram in terra &c. Et hoc pacto intelligi à Platone videtur insinuare Marsilius in conuiuium Platonis orat. 2. cap. 7. vbi ait. *Animam mundi similiter Saturnum & Iouem vocamus & Venerem. Prout superna intelligit Saturnum. Prout cælestia mouet Iouem. Prout inferiora generat Venerem.*

Hoc autem modo adhuc duplex potest esse sensus. Nam si velint hi auctores diuinitatem diuidi in varias essentias, eò quòd formaliter animando tanquam vera horum forma constituat varias has essentias; tunc hæc opinio & hæretica est, & philosophis planè repugnans. Cùm enim Deus sit actus purus, nullius compositi est actus tum Catholicorum tum philosophorum sententiâ vt ostensum est. Si verò dicerent Deum esse formam omnium corporum assistentem, & omnia entia permeantem, quæ vitam cuiq; corpori in sua specie suâ efficientiâ tribuit, ac subministrat, sententia Theologorum esset & vera. Sed ex mente illorum auctorum non est, qui diuinitatem diuidi volunt in plures Deos, vt referebat S. Epiphanius. Tunc autem non diuideretur, sed eadem vbique manens vitam atque esse cunctis rebus variis modis inspiraret.

Dico autem eam esse Theologorum, verámque sententiam, vt patet ex A. Doctore p. p. q. 8. a. 1. Vnde 1. Cor. 15. *Deus est omnia in omnibus.* vbi Theodoretus: *Nunc vbique quidem est per essentiam;* *Habet enim naturam, quæ non potest circumscribi, & in ipso viuimus mouemur & sumus, vt ait diuinus Paulus.* Quem etiam Apostoli locum affert S. Ambrosius libro de dignitate conditionis humanæ initio. *Deus, inquit, semper vbique totus est omnia viuificans mouens & gubernans; sicut Apostolus confirmat, quòd in eo viuimus, mouemur & sumus.* Idémque Hieronymus in Isaiam cap. 66. initio. Postquam enim adduxit illud Hieremiæ 23. *Cælum & terram ego impleo.* addidit quoque: *In ipso enim viuimus mouemur & sumus.* Vide quæ pro hac re latè scribit Gregorius de Valentia p. p. disputation. 1. quæstione 8. p. 1. Christophorus Gillius in opere de Attributis diuinis lib. 2. tr. 9. à capite 1. & deinceps.

Neque ab hac veritate dissidet Plato & Platonici, apud quos Deum vbique esse, omniáque gubernare non dubitatur. De Platone hæc ipsa legi possunt apud Marsilium Ficinum in Plotinum Enneade 6. lib. 9. cap. 7. & lib. 2. Theolog. Platon. cap. 6. Quo loco aliud ex Orpheo, poëta vt diximus antiquissimo de Deo commemorat in Saturni hymno. *Qui omnes Mundi partes habitus generationis princeps.* Hinc Aratus in Phænomenis initio duxit operis principium ab Ioue, cuius dixit omnia plena.

—— Plena quidem omnia compita
Omnis verò hominum cœtus, plenum verò mare
Et portus. Vbique autem Ioue indigemus omnes.

Ex quibus etiam sumpsit Maro quod scribit Ecloga 3. cùm dixit,

—— Iouis omnia plena.

Et ex eo illud arripuit Lucanus lib. 9.

Iuppiter est quodcumque vides, quocumque moueris.

Hinc etiam est aliud vetusti poëtæ carmen apud S. Hieronymum lib. 8. comment. in cap. 27. Isaiæ non longè ab initio. Cùm enim dixisset fore vt Leuiatan in fine Mundi fugiat, qui nunquam fugere consueuerat. Frustra tamen cùm scriptum sit Ps. 138. *Quo vadam à spiritu tuo & quo à facie tua fugiam?* subdit statim: Pulchrè quendam poëtam in Gigantomachia de Encelado lusisse:

Quo fugis Encelade? quascunque accesseris oras
Sub Ioue semper eris ——

Vt discamus omnium veterum sententiâ Deum sua immensitate omnem locum occupare. In quam sententiam Aristoteles etiam libro 1. de anima cont. 86. (licèt adhibeat particulam *forsassis*) refert Thaletem Milesium. Nam vbi veterum opinionem de anima Mundi quam vbique esse aiebant retulisset, ait; fortasse iis subscripisse Thaletem cùm dixit, *omnia esse plena Dijs*; siue, vt legit Auerroës ibi, *omnia esse plena Deo.* Quasi denotare voluerit, hanc animam Thaleti esse Deum, húncque adeò immensum esse, vt nulla vniuersi pars sit, quæ à Deo vitam non accipiat, ab eóque non animetur. Quod quidem dictum Aristoteles ibi improbat, ac si Thaletis opinione hæc anima Mundum informet, non verò tanquam motor ei vniatur. In qua re morem Aristotelis obserua, nempe veterum verba in deteriora sensa detorquentis. Quanquam alium Thaleti scopum fuisse, cùm affirmauit omnia esse Diis plena, diximus ex Laërtio suprà q. 50. a. 1. Itaque exploratum philosophis est, Deum vbique præsentem esse.

Quamuis deinde hæretici errarint in eo quòd putarunt ipsa entia constitui per deitatem, quam

quam partiebantur in omnia: quæ singula Deum esse dicebant. Ex iis enim quæ philosophi & præsertim Plato asseruerunt non rectè intellectis omnes hæreses ortas esse docet Tertullianus libro de Præscriptionibus cap. 7. *Ipsa hæreses*, inquit, *à philosophia subornantur*; & in libro aduersus Hermogenem dixit: *Patriarchas hæreticorum philosophos esse*. — Tertullian.

Ad quod alludit S. Hieronymus libro contra Pelagianos ad Ctesifontem his verbis. *Pulchrè quidam nostrûm dixit: Philosophi patriarchæ hæreticorum*: Lege etiam in illud cap. 7. v. 36. Iacobū Pamelium hæc latius atque ex aliis Patribus explicantem. Libro autem de An. cap. 23. Platonem Tertullianus vocat *omnium hæreticorum condimentarium*. Plerumque tamen si sua luce considerentur, ferè omnia mirè nostræ fidei effatis consentiunt; licèt, vt diximus, veritatem falsitatis fuco sæpè polluant. — Hieronym. Pamelius. Tertullian.

Cœlo nullos inesse propriè sensus ex Platone & aliis, sed interdum hos figuratè locutos esse. §. 9.

Colligitur quintò, Vtrùm animæ cœlestium orbium ac mundi ipsius apud Platonicos sensus habeant. Non desunt enim qui id affirment: Nam Iamblicus referente Simplicio lib. 2. de An. in cont. 128. existimauit non rectè Aristotelem inductione per animalium differentias ostendere adnixum esse, quinque tantummodo sensus esse, cùm plurima sint nobis ignota. Nam & dæmones sensibus Platonicorum sententiâ præditi sunt; & cœlestia melioris sunt sensus quàm mortalia. Quæ ipsi quoque Simplicio, vt nonnullis placet, vera sunt. eoquòd Simplicius arbitratus videatur, cœlestia habere sensus, non substantiâ, sed modo tantùm à nostris differentes. Vnde hanc ipsam de cœlestium animorum sensu sententiam secutum esse Simplicium putat Pererius tomo primo in Genes. libro secundo quæstione septima, ciúsque verba refert ex 1. lib. de cœlo in cont. 50. quæ nunquam reperire potuimus. In hac autem opinione videtur fuisse Plato in lib. decimo de leg. vbi postquam dixit: *Vniuersa quæ sunt in cœlo, & quæ in mari motibus animæ duci*, subdit hos motus esse consultare, opinari, lætari, dolere, quæ ex sensibus oriri, Philosophis non dubium est. Cùm puri intellectus non consultent, sed simpliciter rem mente concipiant. Expressè autem Mundum habere sensus docuerunt Stoici apud Ciceronem libro secundo de Natura Deorum. Quorum refert huiusmodi ratiocinationem. *Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. Mundo autem partes sentientes sunt. Non igitur caret sensu Mundus.* — Iamblicus. Simplicius. Aristoteles. Simplicius. Pererius. Plato. Stoici. Cicero.

Veruntamen aio ex dictis manifestum Platonicis esse, nec cœlestia corpora, nec Mundum habere sensus vllos. Ratio est quam diximus: quia nec Mundus nec cœlum informatur anima per quam constituatur. Sensus autem non sunt in eo corpore, cuius actus verè informans anima non sit. Animus enim est id quo viuimus ac sentimus &c. vt docet Aristoteles libro secundo de An. contextu vigesimoquarto. Immò vt refert Aristoteles libro primo de An. context. 46. Plato apertè negauit animam Mundi (& eadem est ratio de cœli anima) esse sentientem. *Eam enim quæ vniuersi*, inquit Aristoteles *talem esse vult, quæ* ... *lis est vocatus intellectus; non enim qualis est sensitiua, neque qualis desideratiua*; idque probat argumento ex ipsis Platonis verbis desumpto. *Harum enim* inquit nēpe sentientis ac desideratis *motus non est circulatio.* Finxit enim Plato, intellectus operationem esse circulationem, qua circulatione intellectus cœlum moueri arbitratus est, vt docet ipse Plato in Timæo. — Plato. Aristoteles. Plato.

Nec Plato ab hac doctrina dissentit, qui in Timæo, *Sensus*, inquit, *appellata sunt commotiones quæ extrinsecus per corpus ad animam transirent.* Atque ita in Philebo sensus definiuit his verbis: *Sensus non absurdè dic tur affectio illa, quæ communiter contingit in anima & corpore, vt communiter moueantur.* Vnde rectè Plotinus Enneade 4. lib. 4. cap. 23. *Sensus*, inquit, *per corporea instrumenta sunt; & si anima est extra corpus, nullum sensibile perceptura est.* — Plato. Plotinus.

Atque hinc quidem validè confirmo, quòd Mundo ac cœlo nullus insit sensus, quia in cœlo ac Mundo cum sint simplicia corpora, nullum est corporeum instrumentum ad sentiendum. Nam vt ait Marsilius Ficinus in Theophrastum capite quadragesimoquinto, *Sensus instrumentum nemo dixerit esse simplicem aerem: Instrumentum enim ex eo conducit ad sensum, quod sit ratione quadam harmonica temperatum, qua proportione dissoluta sensus quoque disperditur, hoc autem in compositione consistit.* — Marsil. Ficin.

Probatur præterea hæc nostra deductio manifestè ex ipsius Platonis verbis in Timæo. Vbi non solùm negat in cœlo esse sensus, verùm etiam huius rei expressit optimam rationē. Quam quoniam eximiam quandam sapientiam redolet, apponam suis verbis libentissimè. *Animal hoc Mundum intellexit, nec oculis indigebat*, inquit, *quia nihil extra quod cerni posset relictum erat: Nec auribus, cum nihil superesset foris quod audiretur: Nec erant aëre circumfusa externa Mundi, vt respirationem requireret: Nec membris quidem talibus opus erat per quæ noua alimenta susciperet, aut decoctis cibi excrementa emitteret: Nulla accessio fieri poterat, nulla decessio. Hac enim erat aut à quo aut vnde talia fierent. Ipsum enim de consumptione & senio suiipsius alit. Ita enim diuina arte fabricatus est Mundus, vt omnia in seipso & à se ipso patiatur & agat. Ratus enim est ille auctor, Mundum si sibi ipse sufficiat, præstantiorem fore, quàm si aliorum adminiculis egeat. Nec ei manus necessarias esse duxit, quia neque capiendum quicquam erat, neque repellendum: Nec pedibus, aut aliis ad progressum statúmve membris opus erat*, &c. — Plato.

Summa ergo ratiocinationis est; nullum cœlo esse sensum, quia sensibus non erat illi opus. Cùm enim sensus dati animalibus sint à natura ob salutem, vt docet Aristoteles libro de sensu & sensili cap. 1. vt *præsentia prosequantur alimenta, mala autem & corruptiua fugiant*. Mundus non erat his sensibus afficiendus: quia nullus illorum erat illi futurus vsus. Præterquamquod sensus quà sensus patibilis est teste Aristotele libro 2. de An. cont. 51. & 52. Et ideò rectè Chalcidius in Timæum Platonis. *Sensus inquit est passio corporis quibusdam extra positis & pulsantibus variè eadem passione vsque ad animæ sedem commeante.* Ergo non fuerunt ponendi in cœlo, quod patibile ab obiectis non est. — Aristoteles. Chalcidius.

Quod autem aiunt esse diuersæ rationis vanum est: Neque enim aut vlla operatio aut experientia nos cogit eos in cœlo asserere. Neque

localiter simul cum suo corpore, qui motus illi esset præter naturam, sic enim ratiocinatus est Aristoteles eo loco. Ergo tantum abest, vt Aristoteles putet, Deum esse animam Mundi informantem, vt ne toleret quidem in Platone, intelligentias esse huiusmodi formas.

Aristoteles. Plato. Hæc tamen non dixerim eo quòd non putem Aristotelem aliquando tribuisse Platoni, ipsum asseruisse animam Mundi esse formam informantem. Certum enim est, id fecisse: Sed tamen hinc nihil sequitur. Etsi enim Aristoteles ita argumentatur tanquam Plato id dixerit, tamen Aristoteles vt solet Platonis verba sumpsit, ac si id ipsum à Platone significatum esset, quandoquidem Plato non raro quo sensu verba accip- B eret metaphoris ac sermonis elegantiæ addictus declarare prætermittebat.

Aristoteles. Heruetus. Hinc etiam intelligi potest, non rectè tribui Aristoteli à Gentiano Heruetо in eum locum Clementis Alexandrini, quem de Aristotele citauimus in Parte affirmante, quòd *non verebatur dicere Deum esse Mundum*, aut saltem animam Plutarchus. Mundi, quod asserit ex Plutarcho de Placitis. Hoc inquam non rectè tribuitur Aristoteli. Nam primò Plutarchus id de Aristotele negauit lib. 2. de Placitis cap. 3. Quia constat Deum esse mẽte præditum Aristoteli. At negat Mundum ex Aristotele Plutarchus ibi esse mente præditum. *Aristoteles* inquit Plutarchus *neque animatum totum per omnes partes dicit neque sensu, ratione aut men-* C *te præditum* &c. Ergo Deus non est Mundus nec Mundi anima: quia esset totum mente præditum. Deinde quia Deus Aristoteli est *intellectio intellectionis*, vt docet libro 12. Metaphys. cont. 39. & 51. At Mundus non est intellectio Aristoteli, sed complexio quædam corporum; vt etiam patet ex libello de Mundo ad Alexandrum cap. 2. & ex toto 1. lib. de cœlo à cont. 33. vbi probat, Mundum finitæ esse quantitatis, vnum, ingenerabilem, incorruptibilémque &c. Idem patet ex 4. Phys. vt dixi in fine Quarti *Colligitur*.

Clemens Alexand. Ne autem Clementis viri eruditissimi absque probabili excusatione lapsum hunc prætereamus, dicendum est, Clementi & veteribus Eccle- D siæ nascentis Patribus longe magis Platonicam quam Aristotelæam doctrinam probatam fuisse. Propterea quòd existimabãtur Platonici multò acrius ac verius de Deo, déque rebus diuinis, S. Augustin. præsertímque de Dei prouidentia, quàm Peripatetici, disseruisse. Quod S. Augustinus persequitur copiose lib. 8. de Ciuit. Dei a cap. 4. Immò Aristotelis libri contrà, siue quia doctrinæ obscuritate non intelligebantur, siue quia quædã quæ Christianæ fidei palàm repugnabant, vt de Mũdi æternitate, ac de Dei libertate & similia continebant, ab ipsis Patribus ne illis fides haberetur meritò deprimebãtur. Vnde Aristotelis opiniones propterea quòd illa tempora aliter non E patiebantur, non tam quæ Aristotelis re vera essent, quàm quæ tanquam Aristotelis circumferebantur Patres referebant, atque exagitabant. Alexand. Aphrodisiensis. Quousque Alexandro Aphrodisiensi interprete, qui vixit Alexandro Seuero eiúsque filio principe, Aristotelææ doctrinæ veritas atque amplitudo, & deinceps consequentibus sæculis per alios summos viros declarata, ac propagata non solùm à viris sanctissimis, Platonicis libris prælata est; verùm etiam gymnasiis omnibus admirationi habita semper est. Qua de re multa præclarè Fonseca. lege apud nostrum Petrum Fonsecam tom. 1. in

A Procem. Metaphys. c. cap. 6.

Ita igitur puto excusari posse Clementem, & alios insignes Patres, cùm de Aristotelis doctrina minus quam par est rectè senserunt; quia scilicet non solum damnabant quæ malè Aristoteles ipse de Deo scripsisset; verùm etiam ea quæ tanquam ipsius à veritate discrepantia aut sibi videbantur; aut peruagata iam erant. præsertim cùm nulla ipsis commoditas esset ob interpretum penuriam diligentiùs inuestigandæ veritatis.

De Theophrasto autem, & Alcmęone Crotoniata, Trismegisto, Varrone, Plinio & Menandro idem erit iudicium ac de iis ipsis quos recẽsuimus. Neque enim peculiaris contra suppetit ratio. Quanquam cùm Plinius docet, ipsum solem totius Mundi esse animam, certum est ea non tam de anima informante intelligi posse, quàm de animo effectore; quia scilicet Mundum efficienter viuificet, atque animet accessu recessúque suo. vt antè diximus de aliis philosophis. Quo ipso loquendi modo sacras literas vsas esse scimus, cùm Ps. 148. dicitur: *Confessio eius in cœlo & in terra.* Vbi S. Augustinus *Deum* inquit *omnia confitentur, omnia clamant. omnium pulchritudo quodammodo vox est confitentium Deum. Clamat cœlum Deo tu me fecisti, non ego* &c. Ait ergo omnia confiteri Deo, quia nos confiteri Deum faciunt sua pulchritudine atq; ornatu. Sicut etiam ad Rom. 8. dicitur Spiritus sanctus *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. quia nos ex intimo animi studio ad gemitus excitat ac postulare facit, vt ibi obseruat ex Augustino noster Benedictus Iustinianus.

Theophrast. Alcmæon Crotoniata. Trismegist. Varro. Plinius. Menander. Psal. 148. S. August. Rom. 8. S. August. Iustinian.

Senecam, Stoicos, Platonem & alios qui putarunt, cœlum nutriri, ridicula existimasse, explicantúrque aliquo pacto ad rectum sensum. §. 11.

Seneca. Colligitur septimò contra Senecam Stoicum, eósque Philosophos qui videntur eadem sensisse, multò minùs posse animari cœlum ac sidera, reliquáque elementa iis animis qui suorum corporum nutritioni deseruiant. Cùm enim constet solem ac sidera multis partibus toto terrarum ac maris orbe esse maiora, vt etiam fatetur Seneca & retuli in Parte affirmante, manifestum est ipsum non posse nutriri anhelitu ac spiritu qui aërem peruadit. Nulla enim est ipsius anhelitus proportio ad tantam corporum vastitatem. Videmus enim plantarum & animalium magna corpora plurimo indigere alimento ac cibo. Ad cibi enim vel inopiam vel copiam tanquam ad causam refert Aristoteles Aristoteles. lib. 8. de Histor. animal. cap. 28. cur in Ægypto boues atque oues maiores sint quàm apud Græcos, contrà verò vulpes, lupi, lepores, minores. *Cuius rei causam* inquit *attribuunt cibo, qui aliis largè aliis parcè sit*, &c. Ergo immensis illis corporibus non sufficiet illa cibi portio penè nulla. Etenim illi anhelitus ne sunt quidem punctum, si terrarum orbis ad illarum Sphærarum amplitudinem punctum est. Deinde, quia si omnia tam astra quàm elementa animata sunt; Ergo omnia perinde suo cibo indigebunt ad nutritionem. Vnde igitur omnibus istis corporibus

bus sua alimenta suppeditabuntur?

Fateri certè debent ipsa corpora se mutuò mordere, sibique pabulo esse. Ergo aër ac cœlum depascent ignem cúmque cõcoquent: Quia vt ait Aristoteles lib. 2. de An. cont. 50. *Omne alimentum necessarium est concoqui posse.* At impossibile est ignem concoqui ad nutritionem. *Quoniam alimenti* inquit Aristoteles lib. 4. Meteor. Sum. 1. cap. 4. *in corpore concoctio similis est elixationi. Etenim in humido & calido à caliditate corporis fit.* Ignis autem non potest elixari. Nam vt idem ait lib. 1. Meteor. sum. 1. cap. 4. *Ignis excessus calidi & veluti feruor est.* Et ita à calore corporis quoad nutritur in humido non superatur. Hinc etiam est vt in igne nullum animal generetur ex eodem Aristotele lib. 2. de Gener. animal. cap. 3. Quia scilicet consistere non possunt animalia in igne, à quo interimuntur ob caloris excessum.

Aristoteles.

Similiter etiam dico, nec cœlum nec cætera corpora simplicia posse sibi mutuo esse nutrimento. Quod mistum esse debet non simplex corpus, vt docet Aristoteles lib. de sensu & sensili cap. 4. Ideò negat idem Aristoteles lib. 2. de ortu & interitu cont. 50. quicquam ex vno elemento nutriri posse, etiamsi interdum id videatur. *Etenim* inquit *quæcunque videntur vno solo nutriri, vt aquâ plantæ, multis nutriuntur. Mista est enim aquæ terra. Ideò agricolæ tentant eam miscentes irrigare.*

Aristoteles.

Denique id esse impossibile vltra ea argumẽta quibus superiore Difficult. in nostra propositione, & in primo *Colligitur* vsi sumus, probatur ratione à priori: Nam impossibile est illud corpus nutriri, quod instrumentis caret ad attrahendum alimentum illúdque digerendum atque adeò ad regerenda excrementa, quæ ex illo nutrimento secerni oportet. Quam ob causam Aristoteles lib. 2. de Part. animal. cap. 3. ait: *Omnis alimenti atque excrementi conceptaculum aliquod haberi necesse est.* Vt in plantis instrumenta ad alimentum sunt radices, ad excrementa verò sunt eæ partes, quibus semina continentur, quæ in animalibus clariora cernuntur. At in cœlo & cæteris corporibus simplicibus nulla prorsus apparent talia instrumenta. Euidens ergo est cœlum, & ista similia simplicia corpora non nutriri.

Aristoteles.

Mirè has ineptias derisit Aristoteles libro 2. Meteor. summa 1. cap. 2. *Quapropter deridendi sunt omnes* inquit *quicunque priorum existimauerunt solem ali humido.* Id verò rectissimè conclusit. Primùm quidem, quia halitus vaporque qui in sublime à sole attrahitur, *disgregatur* inquit *& euaporat in superiorem locum, ibi autem, rursus coactus propter infrigidationem, deorsum fertur iterum ad terram.* Ergo non pertingit vsque ad solem. Deinde quia ab his auctoribus addebatur quod maiore risu excipiendum erat. Solem nimirum, idcirco continuè verti, *quia non semper eadem loca possint ipsi exhibere alimentum.* Ex quo Aristoteles deducit, solem necessariò corrumpi. *Etenim manifestum,* inquit, *ignem quamdiu habuerit alimentum, tamdiu viuere.* Tandem quia si alitur sol, vt isti dicunt, *Palàm quod & sol non solùm, sicut aut Heraclitus, nouus quotidie est, sed semper nouus continuè.* Vide plura apud ipsum. & multa ibi rectè docet Olympiodorus.

Aristoteles.

Quamobrẽ vehementer mihi persuadeo hæc & similia tam absurda nullo modo illis philosophis visa esse probabilia. Priscis enim illis philosophis is philosophandi mos fuit, vt poëtarum more non tam dicerent quæ vera essent, quam quæ vulgò viderentur. Quod Aristoteles lib. 3. Metaphys. cont. 15. dixit accidisse iis philosophis, qui circa Hesiodi tempora fuere. Vnde rerum principia docuerunt esse Deos, e quibus eos de numero Deorum excidisse finxerunt, qui nectar atque ambrosiam depasti non fuerant. Sed de his subdit ibidem Aristoteles *quæ fabulosè & sophisticè dicuntur, non est dignum accuratè considerare.* Equidem lego apud probatos auctores similes philosophos asseruisse cœlum ac Mundum nutriri eo modo, quo cœlum ac Mundum dixere habere ventrem, oculos, pedes &c. nempe non propriè, sed ex quadam analogia, ac similitudine ad viuentium corpora. Ita enim Plutarchus in libro de facie in orbe Lunæ, illas partes Stoicissans Mundo tribuit. *Stoicè* inquit *tanquam Lucifer locati in facie vniuersi inferiæ circumferuntur. Sol autem qui cordis habet vim ex sese calorem & lumen tanquam sanguinem diffundit. Terra & mari natura vtitur, sicut animal ventriculo & vesica. Luna Soli & terræ interposita sicut iecur inter cor & ventriculum, aut aliud molle viscus insitum, calorem hac demittit; & quæ hinc exhalant coquendo purgandoque ad se ex illis* &c.

Aristoteles. Plutarch.

Stephani Bubali de Angelis.

Putant ergo hi philosophi has partes non esse propriè ad nutritionem, sed vt dicebamus similitudine & analogia: Tum quia cæteræ partes sunt instar partium animalis: Tum quia non aliter concoquunt vapores nisi emittendo calorem qui eos purget. Eodem modo & analogia intellexerunt Ægyptij istum Deum maximum; id est Mundum esse ex corporeis partibus constitutum. Versus sunt apud Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 20.

Macrobius.

Sum Deus & talis qualis describam ego me ipse.
Cœli arx mi caput est; ventrem dico mare magnum;
Terra pedes; aures ponuntur in æthere puro;
Longe splendentes oculos dic lampadis Solis.

Plura de hac re vide ex sententia Stoicorum apud Lipsium lib. 2. Stoic. Dissert. 10.

Lipsius.

Quòd si cæteri philosophi allegoricè ea in re intelligendi sunt, profectò multò magis Plato cùm dixit, cœlum ac Mundum nutriri apud Plutarchum, vt retuli in Tertio Corollario; nam vniuersam suam doctrinam metaphoris atque allegoriis inuoluere solitus est.

Plato. Plutarch.

Quanquam fateor non vsquequaque Platonicam doctrinam fuisse constantem in iis quæ de anima Mundi Plato dixit; Quæ tamen inconstantia ad rem præsentem non attinet. Nobis enim abundè videmur præsenti difficultati operam nauasse, si ostensum sit Platonem nullibi docuisse animam aut cœli aut Mundi esse informantem. Esto vt ex dictis patet, alicubi Iouem putauerit esse Mũdi animum: alicubi aliam animam quæ à Ioue dependeat posuerit; alicubi suũ cuique astro ac cœlo animum dederit: Tandémque in lib. 10. de leg. apertè dixerit, duas esse Mũdi animas: quod etiam illi ascribit Plutarchus in libello de Iside & Osiride post medium. *Plato* inquit *multis locis quasi occultans & obumbrans suam sententiam &c. At in libris de legibus iam senior non per ambages & notas, sed disertis verbis pronũciat Mũdum non vnica tantùm anima, sed compluribus fortassè, ad minimum autem duabus cieri: Quarum vna sit boni efficax; Altera eius contraria, & contrariorum opifex.* In quibus tamen vt dixi Plato nihil contra præsentem Quæstionem dixit: Nã esto ponat duas animas; non tamen sequitur, eas esse informantes.

Plutarchus.

localiter simul cum suo corpore, qui motus illi esset præter naturam, sic enim ratiocinatus est Aristoteles eo loco. Ergo tantum abest, vt Aristoteles putet, Deum esse animam Mundi informantem, vt ne toleret quidem in Platone, intelligentias esse huiusmodi formas.

Hæc tamen non dixerim eo quòd non putem Aristotelem aliquando tribuisse Platoni, ipsum asseruisse animam Mundi esse formam informantem. Certum enim est, id fecisse: Sed tamen hinc nihil sequitur. Etsi enim Aristoteles ita argumentatur tanquam Plato id dixerit, tamen Aristoteles vt solet Platonis verba sumpsit, ac si id ipsum a Platone significatum esset, quandoquidem Plato non rarò quo sensu verba acciperet metaphoris ac sermonis elegantiæ addictus declarare prætermittebat.

Hinc etiam intelligi potest, non rectè tribui Aristoteli à Gentiano Heruето in eum locum Clementis Alexandrini, quem de Aristotele citauimus in Parte affirmante, quòd *non reueriatur dicere Deum esse Mundum*, aut saltem animam Mundi, quod asserit ex Plutarcho de Placitis. Hoc inquam non rectè tribuitur Aristoteli. Nam primò Plutarchus id de Aristotele negauit lib. 2. de Placitis cap. 3. Quia constat Deum esse mẽte præditum Aristoteli. At negat Mundum ex Aristotele Plutarchus ibi esse mente præditum. *Aristoteles* inquit Plutarchus *neque animatum totum per omnes partes dicit neque sensu, ratione aut mente præditum* &c. Ergo Deus non est Mundus nec Mundi anima: quia esset totum mente præditum. Deinde quia Deus Aristoteli est *intellectio intellectio*, vt docet libro 12. Metaphys. cont. 39. & 51. At Mundus non est intellectio Aristoteli, sed complexio quædam corporum; vt etiam patet ex libello de Mundo ad Alexandrum cap. 2. & ex toto 1. lib. de cœlo à cont. 33. vbi probat, Mundum finitæ esse quantitatis, vnum, ingenerabilem, incorruptibilémque &c. Idem patet ex 4. Physi. vt dixi in fine Quarti *Colligitur*.

Ne autem Clementis viri eruditissimi absque probabili excusatione lapsum hunc prætereamus, dicendum est, Clementi & veteribus Ecclesiæ nascentis Patribus longe magis Platonicam quam Aristotelæam doctrinam probatam fuisse. Propterea quòd existimabãtur Platonici multò acriùs ac veriùs de Deo, déque rebus diuinis, præsertimque de Dei prouidentia, quàm Peripatetici, disseruisse. Quod S. Augustinus persequitur copiosè lib. 8. de Ciuit. Dei a cap. 4. Immò Aristotelis libri contrà, siue quia doctrinæ obscuritate non intelligebantur, siue quia quędã quæ Christianæ fidei palàm repugnabant, vt de Mũdi æternitate, ac de Dei libertate & similia continebant, ab ipsis Patribus ne illis fides haberetur meritò deprimebãtur. Vnde Aristotelis opiniones propterea quòd illa tempora aliter non patiebantur, non tam quæ Aristotelis re vera essent, quàm quæ tanquam Aristotelis circumferebantur Patres referebant, atque exagitabant. Quousque Alexandro Aphrodisiensi interprete, qui vixit Alexandro Seuero eiúsque filio principe, Aristotelææ doctrinæ veritas atque amplitudo, & deinceps consequentibus sęculis per alios summos viros declarata, ac propagata non solùm à viris sanctissimis, Platonicis libris prælata est; verùm etiam gymnasiis omnibus admirationi habita semper est. Qua de re multa præclarè lege apud nostrum Petrum Fonsecam tom. 1. in Procem. Metaphysic. cap. 6.

Ita igitur puto excusari posse Clementem, & alios insignes Patres, cùm de Aristotelis doctrina minus quam par est rectè senserunt; quia scilicet non solùm damnabant quæ malè Aristoteles ipse de Deo scripsisset; verùm etiam ea quæ tanquam ipsius à veritate discrepantia aut sibi videbantur, aut peruagata iam erant. præsertim cùm nulla ipsis commoditas esset ob interpretum penuriam diligentiùs inuestigandæ veritatis.

De Theophrasto autem, & Alcmęone Crotoniata, Trismegisto, Varrone, Plinio & Menandro idem erit iudicium ac de iis ipsis quos recẽsuimus. Neque enim peculiaris contrà suppetit ratio. Quanquam cùm Plinius docet, ipsum solem totius Mundi esse animam, certum est ea non tam de anima informante intelligi posse, quàm de animo effectore; quia scilicet Mundum efficienter viuificet, atque animet accessu recessúque suo. vt antè diximus de aliis philosophis. Quo ipso loquendi modo sacras literas vsas esse scimus, cùm Ps. 148. dicitur: *Confessio eius in cœlo & in terra.* Vbi S. Augustinus *Deum* inquit *omnia confitentur, omnia clamant. omnium pulchritudo quodammodo vox est confitentium Deum. Clamat cœlum Deo tu me fecisti, non ego* &c. Ait ergo omnia confiteri Deo, quia nos confiteri Deum faciunt sua pulchritudine atq; ornatu. Sicut etiam ad Rom. 8. dicitur Spiritus sanctus *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. quia nos ex intimo animi studio ad gemitus excitat ac postulare facit, vt ibi obseruat ex Augustino noster Benedictus Iustinianus.

Senecam, Stoicos, Platonem & alios qui putarunt, cœlum nutriri, ridicula existimasse, explicantúrque aliquo pacto ad rectum sensum. §. 11.

COlligitur septimò contra Senecam Stoicum, eósque Philosophos qui videntur eadem sensisse, multò minùs posse animari cœlum ac sidera, reliquáque elementa iis animis qui suorum corporum nutritioni deseruiant. Cùm enim constet solem ac sidera multis partibus toto terrarum ac maris orbe esse maiora, vt etiam fatetur Seneca & retuli in Parte affirmante, manifestum est ipsum non posse nutriri anhelitu ac spiritu qui aërem peruadit. Nulla enim est ipsius anhelitus proportio ad tantam corporum vastitatem. Videmus enim plantarum & animalium magna corpora plurimo indigere alimento ac cibo. Ad cibi enim vel inopiam vel copiam tanquam ad causam refert Aristoteles lib. 8. de Histor. animal. cap. 28. cur in Ægypto boues atque oues maiores sint quàm apud Gręcos, contrà verò vulpes, lupi, lepores, minores. *Cuius rei causam* inquit *attribuunt cibo, qui aliis largè aliis parcè sit*, &c. Ergo immensis illis corporibus non sufficiet illa cibi portio penè nulla. Etenim illi anhelitus ne sunt quidem punctum, si terrarum orbis ad illarum Sphærarum amplitudinem punctum est. Deinde, quia si omnia tam astra quàm elementa animata sunt; Ergo omnia perinde suo cibo indigebunt ad nutritionem. Vnde igitur omnibus istis corporibus

Marginalia: Aristoteles. Plato. — Aristoteles. Heruetus. — Plutarchus. — Clemens Alexand. — S. Augustin. — Alexand. Aphrodisiensis. — Fonseca. — Theophrast. Alcmæon Crotoniata. Trismegist. Varro. Plinius. Menander. — Psal. 148. S. August. — Rom. 8. — S. August. Iustinian. — Seneca. — Aristoteles.

bus ſua alimenta ſuppeditabuntur?

Fateri certe debent ipſa corpora ſe mutuò mordere, ſibique pabulo eſſe. Ergo aër ac cœlum depaſcent ignem cúmque cócoquent:Quia vt ait Ariſtoteles lib. 2. de An. cont. 50. *Omne alimentum neceſſarium eſt concoqui poſſe.* *Ariſtoteles.* At impoſſibile eſt ignem concoqui ad nutritionem. *Quoniam alimenti* inquit Ariſtoteles lib. 4. Meteor. Sum. 1. cap. 4. *in corpore concoctio ſimilis eſt elixationi. Etenim in humido & calido à caliditate corporis fit.* Ignis autem non poteſt elixari. Nam vt idem ait lib. 1. Meteor. ſum. 1. cap. 4. *Ignis exceſſus calidi & veluti feruor eſt.* Et ita à calore corporis quoad nutritur in humido non ſuperatur. Hinc etiam eſt vt in igne nullum animal generetur ex eodem Ariſtotele lib. 2. de Gener. animal. cap. 3. Quia ſcilicet conſiſtere non poſſunt animalia in igne,à quo interimuntur ob caloris exceſſum.

Similiter etiam dico, nec cœlum nec cætera corpora ſimplicia poſſe ſibi mutuo eſſe nutrimento. Quod miſtum eſſe debet non ſimplex corpus,vt docet Ariſtoteles lib. de ſenſu & ſenſili cap. 4. *Ariſtoteles.* Ideò negat idem Ariſtoteles lib. 2. de ortu & interitu cont. 50. quicquam ex vno elemento nutriri poſſe,etiamſi interdum id videatur. *Etenim* inquit *quæcunque videntur vno ſolo nutriri, vt aquâ plantæ, multis nutriuntur. Miſta eſt enim aqua terra. Ideò agricolæ tentant eam miſcuerint irrigare.*

Denique id eſſe impoſſibile vltra ea argumẽta quibus ſuperiore Difficult. in noſtra propoſitione,& in primo *Colligitur* vſi ſumus, probatur ratione à priori: Nam impoſſibile eſt illud corpus nutriri, quod inſtrumentis caret ad attrahendum alimentum illúdque digerendum atque adeò ad regerenda excrementa, quæ ex illo nutrimento ſecerni oportet. Quam ob cauſam Ariſtoteles lib. 2. de Part. animal. cap. 3. ait: *Ariſtoteles.* *Omnis alimenti atque excrementi conceptaculum aliquod habere neceſſe eſt*; Vt in plantis inſtrumenta ad alimentum ſunt radices, ad excrementa verò ſunt eæ partes,quibus ſemina continentur, quæ in animalibus clariora cernuntur. At in cœlo & cæteris corporibus ſimplicibus nulla prorſus apparent talia inſtrumenta. D Euidens ergo eſt cœlum, & iſta ſimilia ſimplicia corpora non nutriri.

Ariſtoteles. Mirè has ineptias deriſit Ariſtoteles libro 2. Meteor. ſumma 1. cap. 2. *Quapropter deridendi ſunt omnes* inquit *quicunque priorum exiſtimauerunt ſolem ali humido.* Id verò rectiſſimè concluſit. Primùm quidem, quia halitus vapórque qui in ſublime à ſole attrahitur, *diſgregatur* inquit *& euaporat in ſuperiorem locum. ibi autem, rurſus coactus propter infrigidationem, deorſum fertur iterum ad terram.* Ergo non pertingit vſque ad ſolem. Deinde quia ab his auctoribus addebatur quod maiore riſu excipiendum erat. E Solem nimirum, idcirco continue verti, *quia non ſemper eadem loca poſſint ipſi exhibere alimentum.* Ex quo Ariſtoteles deducit, ſolem neceſſariò corrumpi. *Etenim manifeſtum,* inquit, *ignem quamdiu habuerit alimentum, tam diu viuere.* Tandem quia ſi alitur ſol, vt iſti dicunt, *Palam quod & ſol non ſolùm, ſicut ait Heraclitus, nouus quotidie eſt, ſed ſemper nouus continuè.* Vide plura apud ipſum. & multa ibi rectè docet Olympiodorus.

Quamobrẽ vehementer mihi perſuadeo hæc & ſimilia tam abſurda nullo modo illis philoſophis viſa eſſe probabilia. Priſcis enim illis phi-

A loſophis is philoſophandi mos fuit, vt poëtarum more non tam dicerent quæ vera eſſent, quàm quæ vulgò viderentur. Quod Ariſtoteles lib. 3. Metaphyſ. cont. 15. *Ariſtoteles.* dixit accidiſſe iis philoſophis, qui circa Heſiodi tempora fuere. Vnde rerum principia docuerunt eſſe Deos, è quibus eos de numero Deorum excidiſſe finxerunt, qui nectar atque ambroſiam depaſti non fuerant. Sed de his ſubdit ibidem Ariſtoteles *quæ fabuloſè & Sophiſtice dicuntur, non eſt dignum accuratè conſiderare.* Equidem lego apud probatos auctores ſimiles philoſophos aſſeruiſſe cœlum ac Mundum nutriri eo modo, quo cœlum ac Mundum dixere habere ventrem, oculos, pedes &c. nempe non propriè, ſed ex quadam analogia, ac ſimilitudine ad viuentium corpora. Ita enim Plutarchus in *Plutarch.* B libro de facie in orbe Lunæ, illas partes Stoiciſſans Mundo tribuit. *Stellæ* inquit *tanquam Luciferi oculi in facie vniuerſi inſertæ circumferuntur. Sol autem qui cordis habet vim ex ſeſe calorem & lumen tanquam ſanguinem diffundit. Terra & mari natura vtitur, ſicut animal ven[tr]iculo & veſica. Luna Soli & terræ interpoſita ſicut iecur inter cor & ventriculum, aut aliud molle viſcus inſitum, calorem hac demittit; & quæ hinc exhalant coquendo pu[r]gandoque ad ſe extollit* &c.

Putant ergo hi philoſophi has partes non eſſe propriè ad nutritionem, ſed vt dicebamus ſimilitudine & análogia: Tum quia cæteræ partes ſunt inſtar partium animalis: Tum quia non aliter concoquunt vapores niſi emittendo calorem qui eos purget. C Eodem modo & analogia intellexerunt Ægyptij illum Deum maximum; id eſt Mundum eſſe ex corporeis partibus conſtitutum. Verſus ſunt apud Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 20. *Macrobius.*

Sum Deus & talis qualis deſcribam ego me ipſe.
Cœli arx mi caput eſt, ventrem dico mare magnum;
Terra pedes; aures ponuntur in æthere puro;
Longe ſplendentes oculos dic lampada Solis.

Plura de hac re vide ex ſententia Stoicorum apud Lipſium lib. 2. Stoic. Diſſert. 10. *Lipſius.*

Quòd ſi cæteri philoſophi allegoricè ea in re intelligendi ſunt, profectò multò magis Plato, *Plato.* cùm dixit, cœlum ac Mundum nutriri apud Plu- *Plutarch.* D tarchum, vt retuli in Tertio Corollario; nam vniuerſam ſuam doctrinam metaphoris atque allegoriis inuoluere ſolitus eſt.

Quanquam fateor non vſquequaque Platonicam doctrinam fuiſſe conſtantem in iis quæ de anima Mundi Plato dixit; Quæ tamen inconſtantia ad rem præſentem non attinet. Nobis enim abundè videmur præſenti difficultati operam nauaſſe, ſi oſtenſum ſit Platonem nullibi docuiſſe animam aut cœli aut Mundi eſſe informantem. Eſto vt ex dictis patet, alicubi Iouem putauerit eſſe Mũdi animum: alicubi aliam animam quæ à Ioue dependeat poſuerit; alicubi ſuũ E cuique aſtro ac cœlo animum dederit: Tandémque in lib. 10. de leg. apertè dixerit, duas eſſe Mũdi animas: quod etiam illi aſcribit Plutarchus in libello de Iſide & Oſiride poſt medium. *Plutarchus.* *Plato* inquit *multis locis quaſi occultans & obumbrans ſuam ſententiam* &c. *At in libris de legibus iam ſenior non per ambages & notas, ſed diſertis verbis pronũtiat Mũdum non vnica tantùm anima, ſed compluribus fortaſſe, ad minimum autem duabus cieri: Quarum vna ſit boni efficax; Altera eius contraria, & contrariorum opifex.* In quibus tamen vt dixi Plato nihil contra præſentem Quæſtionem dixit: Nã eſto ponat duas animas; non tamen ſequitur, eas eſſe informantes.

localiter simul cum suo corpore, qui motus illi esset præter naturam, sic enim ratiocinatus est Aristoteles eo loco. Ergo tantum abest, vt Aristoteles putet, Deum esse animam Mundi informantem, vt ne toleret quidem in Platone, intelligentias esse huiusmodi formas.

Aristoteles. Plato.

Hæc tamen non dixerim eo quòd non putem Aristotelem aliquando tribuisse Platoni, ipsum asseruisse animam Mundi esse formam informantem. Certum enim est, id fecisse: Sed tamen hinc nihil sequitur. Etsi enim Aristoteles ita argumentatur tanquam Plato id dixerit, tamen Aristoteles vt solet Platonis verba sumpsit, ac si id ipsum a Platone significatum esset, quandoquidem Plato non rarò quo sensu verba acciperet metaphoris ac sermonis elegantiæ addictus declarare prætermittebat.

B

Aristoteles. Heruetus.

Hinc etiam intelligi potest, non rectè tribui Aristoteli à Gentiano Herueto in eum locum Clementis Alexandrini, quem de Aristotele citauimus in Parte affirmante, quòd *non verebatur dicere Deum esse Mundum*, aut saltem animam Mundi, quod asserit ex Plutarcho de Placitis. Hoc inquam non rectè tribuitur Aristoteli. Nam primò Plutarchus id de Aristotele negauit lib. 2. de Placitis cap. 3. Quia constat Deum esse mête præditum Aristoteli. At negat Mundum ex Aristotele Plutarchus ibi esse mente præditum. *Aristoteles* inquit Plutarchus *neque animatum totum per omnes partes dixit neque sensu, ratione aut mente præditum* &c. Ergo Deus non est Mundus nec Mundi anima: quia esset totum mente præditum. Deinde quia Deus Aristoteli est *intellectio intellectionis*, vt docet libro 12. Metaphys. cont. 39. & 51. At Mundus non est intellectio Aristoteli, sed complexio quædam corporum; vt etiam patet ex libello de Mundo ad Alexandrum cap. 2. & ex toto 1. lib. de cœlo à cont. 33. vbi probat, Mundum finitæ esse quantitatis, vnum, ingenerabilem, incorruptibilémque &c. Idem patet ex 4. Physi. vt dixi in fine Quarti *Corollarii*.

(Plutarchus.)

C

Clemens Alexand.

Ne autem Clementis viri eruditissimi absque probabili excusatione lapsum hunc prætereamus, dicendum est, Clementi & veteribus Ecclesiæ nascentis Patribus longe magis Platonicam quam Aristotelæam doctrinam probatam fuisse. Propterea quòd existimabátur Platonici multò actius ac verius de Deo, déque rebus diuinis, præsertímque de Dei prouidentia, quàm Peripatetici, disseruisse. Quod S. Augustinus persequitur copiose lib. 8. de Ciuit. Dei a cap. 4. Immò Aristotelis libri contrà, siue quia doctrinæ obscuritate non intelligebantur, siue quia quædā quæ Christianæ fidei palàm repugnabant, vt de Mūdi æternitate, ac de Dei libertate & similia continebant, ab ipsis Patribus ne illis fides haberetur meritò deprimebātur. Vnde Aristotelis opiniones propterea quòd illa tempora aliter non patiebantur, non tam quæ Aristotelis re vera essent, quàm quæ tanquam Aristotelis circumferebantur Patres referebant, atque exagitabant. Quousque Alexandro Aphrodisiensi interprete, qui vixit Alexandro Seuero eiúsque filio principe, Aristotelææ doctrinæ veritas atque amplitudo, & deinceps consequentibus sęculis per alios summos viros declarata, ac propagata non solùm à viris sanctissimis, Platonicis libris prælata est; verùm etiam gymnasiis omnibus admirationi habita semper est. Qua de re multa præclarè lege apud nostrum Petrum Fonsecam tom. 1. in

(S. Augustin. — Alexand. Aphrodisiensis. — Fonseca.)

A Proœm. Metaphysic. cap. 6.

Ita igitur puto excusari posse Clementem, & alios insignes Patres, cùm de Aristotelis doctrina minùs quam par est rectè senserunt; quia scilicet non solùm damnabant quæ malè Aristoteles ipse de Deo scripsisset; verùm etiam ea quæ tanquam ipsius à veritate discrepantia aut sibi videbantur, aut peruagata iam erant. præsertim cùm nulla ipsis commoditas esset ob interpretum penuriam diligentiùs inuestigandæ veritatis.

De Theophrasto autem, & Alcmęone Crotoniata, Trismegisto, Varrone, Plinio & Menandro idem erit iudicium, ac de iis ipsis quos recēsuimus. Neque enim peculiaris contrà suppetit ratio. Quanquam cum Plinius docet, ipsum solem totius Mundi esse animam, certum est ea non tam de anima informante intelligi posse, quàm de animo effectore; quia scilicet Mundum efficienter viuificet, atque animet accessu recessúque suo. vt antè diximus de aliis philosophis. Quo ipso loquendi modo sacras literas vsas esse scimus, cùm Ps. 148. dicitur: *Confessio eius in cœlo & in terra.* Vbi S. Augustinus *Deum* inquit *omnia confitentur, omnia clamant. omnium pulchritudo quodammodo vox est confitentium Deum. Clamat cœlum Deo tu me fecisti, non ego* &c. Ait ergo omnia confiteri Deo, quia nos confiteri Deum faciunt sua pulchritudine atq; ornatu. Sicut etiam ad Rom. 8. dicitur Spiritus sanctus *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. quia nos ex intimo animi studio ad gemitus excitat ac postulare facit, vt ibi obseruat ex Augustino noster Benedictus Iustinianus.

(Theophrast. Alcmæon Crotoniata. Trismegist. Varro. Plinius. Menander. — Psal. 148. — S. August. — Rom. 8. — S. August. Iustinian.)

Senecam, Stoicos, Platonem & alios qui putarunt, cœlum nutriri, ridicula existimasse, explicantúrque aliquo pacto ad rectum sensum. §. 11.

D

Colligitur septimò contra Senecam Stoicum, eósque Philosophos qui videntur eadem sensisse, multò minùs posse animari cœlum ac sidera, reliquáque elementa iis animis qui suorum corporum nutritioni deseruiant. Cùm enim constet solem ac sidera multis partibus toto terrarum ac maris orbe esse maiora, vt etiam fatetur Seneca & retuli in Parte affirmante, manifestum est ipsum non posse nutriri anhelitu ac spiritu qui aërem peruadit. Nulla enim est ipsius anhelitus proportio ad tantam corporum vastitatem. Videmus enim plantarum & animalium magna corpora plurimo indigere alimento ac cibo. Ad cibi enim vel inopiam vel copiam tanquam ad causam refert Aristoteles lib. 8. de Histor. animal. cap. 28. cur in Ægypto boues atque oues maiores sint quàm apud Gręcos, contrà verò vulpes, lupi, lepores, minores. *Cuius rei causam* inquit *attribuunt cibo, qui aliis largè aliis parcè sit*, &c. Ergo immensis illis corporibus non sufficiet illa cibi portio penè nulla. Etenim illi anhelitus ne sunt quidem punctum, si terrarum orbis ad illarum Sphærarum amplitudinem punctum est. Deinde, quia si omnia tam astra quàm elementa animata sunt; Ergo omnia perinde suo cibo indigebunt ad nutritionem. Vnde igitur omnibus istis corporibus

E

(Seneca. — Aristoteles.)

bus sua alimenta suppeditabuntur?

Fateri certe debent ipsa corpora se mutuò mordere, sibique pabulo esse. Ergo aër ac cœlum depascent ignem cúmque cócoquent: Quia vt ait Aristoteles lib. 2. de An. cont. 50. *Omne alimentum necessarium est concoqui posse.* At impossibile est ignem concoqui ad nutritionem. *Quoniam alimenti* inquit Aristoteles lib. 4. Meteor. Sum. 1. cap. 4. *in corpore concoctio similis est elixationi. Etenim in humido & calido à caliditate corporis fit.* Ignis autem non potest elixari. Nam vt idem ait lib. 1. Meteor. sum. 1. cap. 4. *Ignis excessus calidi & veluti feruor est.* Et ita à calore corporis quoad nutritur in humido non superatur. Hinc etiam est vt in igne nullum animal generetur ex eodem Aristotele lib. 2. de Gener. animal. cap. 3. Quia scilicet consistere non possunt animalia in igne, à quo interimuntur ob caloris excessum. Aristoteles.

Similiter etiam dico, nec cœlum nec cætera corpora simplicia posse sibi mutuo esse nutrimento. Quod mistum esse debet non simplex corpus, vt docet Aristoteles lib. de sensu & sensili cap. 4. Ideò negat idem Aristoteles lib. 2. de ortu & interitu cont. 50. quicquam ex vno elemento nutriri posse, etiamsi interdum id videatur. *Etenim* inquit *quæcunque videntur vno solo nutriri, vt aquâ plantæ, multis nutriuntur. Mista est enim aquæ terra. Ideò agricolæ tentant cùm miscuerint irrigare.* Aristoteles.

Denique id esse impossibile vltra ea argumēta quibus superiore Difficult. in nostra propositione, & in primo *Colligitur* vsi sumus, probatur ratione à priori: Nam impossibile est illud corpus nutriri, quod instrumentis caret ad attrahendum alimentum illúdque digerendum atque adeò ad regerenda excrementa, quæ ex illo nutrimento secerni oportet. Quam ob causam Aristoteles lib. 2. de Part. animal. cap. 3. ait: *Omnis alimenti atque excrementi conceptaculum aliquod haberi necesse est;* Vt in plantis instrumenta ad alimentum sunt radices, ad excrementa verò sunt eæ partes, quibus semina continentur, quæ in animalibus clariora cernuntur. At in cœlo & cæteris corporibus simplicibus nulla prorsus apparent talia instrumenta. Euidens ergo est cœlum, & ista similia simplicia corpora non nutriri. Aristoteles.

Mirè has ineptias derisit Aristoteles libro 2. Meteor. summa 1. cap. 2. *Quapropter deridendi sunt omnes* inquit *quicunque priorum existimauerunt solem ali humido.* Id verò rectissimè conclusit. Primùm quidem, quia halitus vaporque qui in sublime à sole attrahitur, *disgregatur* inquit *& euaporat in superiorem locum, ibi autem, rursus coactus propter infrigidationem, deorsum fertur iterum ad terram.* Ergo non pertingit vsque ad solem. Deinde quia ab his auctoribus addebatur quod maiore risu excipiendum erat. Solem nimirum, idcirco continuè verti, *quia non semper eadem loca possint ipsi exhibere alimentum.* Ex quo Aristoteles deducit, solem necessariò corrumpi. *Etenim manifestum,* inquit, *ignem quamdiu habuerit alimentum, tam diu viuere.* Tandem quia si alitur sol, vt isti dicunt, *Palam quod & sol non solùm, sicut ait Heraclitus, nouus quotidie est, sed semper nouus continuè.* Vide plura apud ipsum, & multa ibi rectè docet Olympiodorus. Aristoteles.

Quamobrē vehementer mihi persuadeo hæc & similia tam absurda nullo modo illis philosophis visa esse probabilia. Priscis enim illis phi-

A losophis is philosophandi mos fuit, vt poëtarum more non tam dicerent quæ vera essent, quam quæ vulgò viderentur. Quod Aristoteles lib. 3. Metaphys. cont. 15. dixit accidisse iis philosophis, qui circa Hesiodi tempora fuere. Vnde rerum principia docuerunt esse Deos, è quibus eos de numero Deorum excidisse finxerunt, qui nectar atque ambrosiam depasti non fuerant. Sed de his subdit ibidem Aristoteles *quæ fabulosè & Sophisticè dicuntur, non est dignum accuratè considerare.* Equidem lego apud probatos auctores similes philosophos asseruisse cœlum ac Mundum nutriri eo modo, quo cœlum ac Mundum dixere habere ventrem, oculos, pedes &c. nempe non propriè, sed ex quadam analogia, ac similitudine ad viuentium corpora. Ita enim Plutarchus in libro de facie in orbe Lunæ, illas partes Stoicissans Mundo tribuit. *Stellæ* inquit *tanquam Luciferi oculi in facie vniuersi infixæ circumferuntur. Sol autem qui cordis habet vim ex sese calorem & lumen tanquam sanguinem diffundit. Terra & mari natura vtitur, sicut animal ventriculo & vesica. Luna Soli & terræ interposita sicut iecur inter cor & ventriculum, aut aliud molle viscus insitum, calorem hac demittit, & quæ hinc exhalant coquendo purgandoque ad se ex illis &c.* Aristoteles. Plutarch. B

Putant ergo hi philosophi has partes non esse propriè ad nutritionem, sed vt dicebamus similitudine & analogia: Tum quia cæteræ partes sunt instar partium animalis: Tum quia non aliter concoquunt vapores nisi emittendo calorem qui eos purget. Eodem modo & analogia intellexerunt Ægyptij illum Deum maximum; id est Mundum esse ex corporeis partibus constitutum. Versus sunt apud Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 20. C Macrobius.

Sum Deus & talis qualis describam ego me ipse.
Cœli arx mi caput est; ventrem dico mare magnum;
Terra pedes; aures ponuntur in æthere puro;
Longe splendentes oculos dic lampada Solis.

Plura de hac re vide ex sententia Stoicorum apud Lipsium lib. 2. Stoic. Dissert. 10. Lipsius.

Quòd si cæteri philosophi allegoricè ea in re intelligendi sunt, profectò multò magis Plato cùm dixit, cœlum ac Mundum nutriri apud Plutarchum, vt retuli in Tertio Corollario; nam vniuersam suam doctrinam metaphoris atque allegoriis inuoluere solitus est. Plato. Plutarch. D

Quanquam fateor non vsquequaque Platonicam doctrinam fuisse constantem in iis quæ de anima Mundi Plato dixit; Quæ tamen inconstantia ad rem præsentem non attinet. Nobis enim abundè videmur præsenti difficultati operam nauasse, si ostensum sit Platonem nullibi docuisse animam aut cœli aut Mundi esse informantem. Esto vt ex dictis patet, alicubi Iouem putauerit esse Mūdi animum: alicubi aliam animam quæ à Ioue dependeat posuerit; alicubi suā E cuique astro ac cœlo animum dederit: Tandémque in lib. 10. de leg. apertè dixerit, duas esse Mūdi animas: quod etiam illi ascribit Plutarchus in libello de Iside & Osiride post medium. *Plato* inquit *multis locis quasi occultans & obumbrans suam sententiam &c. At in libris de legibus iam semper non per ambages & notas, sed apertis verbis pronuntiat Mundum non vnica tantum anima, sed compluribus fortasse, ad minimum autem duabus cieri: Quarum vna sit boni efficax; Altera eius contraria, & contrariorum opifex.* In quibus tamen vt dixi Plato nihil contra præsentem Quæstionem dixit: Nā esto ponat duas animas; non tamen sequitur, eas esse informantes. Plutarchus.

Ee 2 Quin

localiter simul cum suo corpore, qui motus illi esset præter naturam, sic enim ratiocinatus est Aristoteles eo loco. Ergo tantum abest, vt Aristoteles putet, Deum esse animam Mundi informantem, vt ne toleret quidem in Platone, intelligentias esse huiusmodi formas.

Aristoteles. Plato.

Hæc tamen non dixerim eo quòd non putem Aristotelem aliquando tribuisse Platoni, ipsum asseruisse animam Mundi esse formam informantem. Certum enim est, id fecisse: Sed tamen hinc nihil sequitur. Etsi enim Aristoteles ita argumentatur tanquam Plato id dixerit, tamen Aristoteles vt solet Platonis verba sumpsit, ac si id ipsum a Platone significatum esset, quandoquidem Plato non rarò quo sensu verba acciperet metaphoris ac sermonis elegantiæ addictus declarare prætermittebat.

B

Aristoteles. Heruetus.

Hinc etiam intelligi potest, non rectè tribui Aristoteli à Gentiano Herueto in eum locum Clementis Alexandrini, quem de Aristotele citauimus in Parte affirmante, quòd *non recenseatur docere Deum esse Mundum*, aut saltem animam Mundi, quod asserit ex Plutarcho de Placitis.

Plutarchus.

Hoc inquam non rectè tribuitur Aristoteli. Nam primò Plutarchus id de Aristotele negauit lib. 2. de Placitis cap. 3. Quia constat Deum esse méte præditum Aristoteli. At negat Mundum ex Aristotele Plutarchus ibi esse mente præditum. *Aristoteles* inquit Plutarchus *neque animatum totum per omnes partes dicit neque sensu, ratione aut mente præditum* &c. Ergo Deus non est Mundus nec Mundi anima: quia esset totum mente præditum. Deinde quia Deus Aristoteli est *intellectio intellectionis*, vt docet libro 12. Metaphys. cont. 39. & 51. At Mundus non est intellectio Aristoteli, sed complexio quædam corporum; vt etiam patet ex libello de Mundo ad Alexandrum cap. 2. & ex toto 1. lib. de cœlo à cont. 33. vbi probat, Mundum finitæ esse quantitatis, vnum, ingenerabilem, incorruptibilémque &c. Idem patet ex 4. Phys. vt dixi in fine Quarti *Colligitur*.

C

Clemens Alexand.

Ne autem Clementis viri eruditissimi absque probabili excusatione lapsum hunc prætereamus, dicendum est, Clementi & veteribus Ecclesiæ nascentis Patribus longe magis Platonicam quam Aristotelæam doctrinam probatam fuisse. Propterea quòd existimabátur Platonici multò acrius ac verius de Deo, déque rebus diuinis, præsertimque de Dei prouidentia, quàm Peripatetici, disseruisse.

S. Augustin.

Quod S. Augustinus persequitur copiosè lib. 8. de Ciuit. Dei a cap. 4. Immò Aristotelis libri contrà, siue quia doctrinæ obscuritate non intelligebantur, siue quia quædã quæ Christianæ fidei palàm repugnabant, vt de Mũdi æternitate, ac de Dei libertate & similia continebant, ab ipsis Patribus ne illis fides haberetur meritò deprimebátur. Vnde Aristotelis opiniones propterea quòd illa tempora aliter non patiebantur, non tam quæ Aristotelis re vera essent, quàm quæ tanquam Aristotelis circumferebantur Patres referebant, atque exagitabant.

Alexand. Aphrodisiensis.

Quousque Alexandro Aphrodisiensi interprete, qui vixit Alexandro Seuero eiúsque filio principe, Aristotelææ doctrinæ veritas atque amplitudo, & deinceps consequentibus sęculis per alios summos viros declarata, ac propagata non solùm à viris sanctissimis, Platonicis libris prælata est; verùm etiam gymnasiis omnibus admirationi habita semper est. Qua de re multa præclarè lege apud nostrum Petrum Fonsecam tom. 1. in

Fonseca.

Proœm. Metaphysic. cap. 6.

Ita igitur puto excusari posse Clementem, & alios insignes Patres, cùm de Aristotelis doctrina minus quam par est rectè senserunt; quia scilicet non solum damnabant quæ malè Aristoteles ipse de Deo scripsisset; verùm etiam ea quæ tanquam ipsius à veritate discrepantia aut sibi videbantur, aut peruagata iam erant. præsertim cùm nulla ipsis commoditas esset ob interpretum penuriam diligentiùs inuestigandæ veritatis.

Theophrast. Alcmæon Crotoniata. Trismegist. Varro. Plinius. Menander.

De Theophrasto autem, & Alcmęone Crotoniata, Trismegisto, Varrone, Plinio & Menandro idem erit iudicium, ac de iis ipsis quos recésuimus. Neque enim peculiaris contra suppetit ratio. Quanquam cùm Plinius docet, ipsum solem totius Mundi esse animam, certum est ea non tam de anima informante intelligi posse, quàm de animo effectore; quia scilicet Mundum efficienter viuificet, atque animet accessu recessúque suo. vt antè diximus de aliis philosophis. Quo ipso loquendi modo sacras literas vsas esse scimus, cùm Ps. 148. dicitur: *Confessio eius in cœlo & in terra.*

Psal. 148. S. August.

Vbi S. Augustinus *Deum* inquit *omnia confitentur, omnia clamant. omnium pulchritudo quodammodo vox est confitentium Deum. Clamat cœlum Deo tu me fecisti, non ego* &c. Ait ergo omnia confiteri Deo, quia nos confiteri Deum faciunt sua pulchritudine atq; ornatu. Sicut etiam ad Rom. 8. dicitur Spiritus sanctus *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. quia nos ex intimo animi studio ad gemitus excitat ac postulare facit, vt ibi obseruat ex Augustino noster Benedictus Iustinianus.

Rom. 8.

S. August. Iustinian.

Senecam, Stoicos, Platonem & alios qui putarunt, cœlum nutriri, ridicula existimasse, explicantúrque aliquo pacto ad rectum sensum. §. II.

D

Seneca.

Colligitur septimò contra Senecam Stoicum, eósque Philosophos qui videntur eadem sensisse, multò minùs posse animari cœlum ac sidera, reliquáque elementa iis animis qui suorum corporum nutritioni deseruiant. Cùm enim constet solem ac sidera multis partibus toto terrarum ac maris orbe esse maiora, vt etiam fatetur Seneca & retuli in Parte affirmante, manifestum est ipsum non posse nutriri anhelitu ac spiritu qui aërem peruadit. Nulla enim est ipsius anhelitus proportio ad tantam corporum vastitatem. Videmus enim plantarum & animalium magna corpora plurimo indigere alimento ac cibo. Ad cibi enim vel inopiam vel copiam tanquam ad causam refert Aristoteles lib. 8. de Histor. animal. cap. 28. cur in Ægypto boues atque oues maiores sint quàm apud Gręcos, contrà verò vulpes, lupi, lepores, minores. *Cuius rei causam* inquit *attribuunt cibo, qui aliis largè aliis parcè sit*, &c. Ergo immensis illis corporibus non sufficiet illa cibi portio penè nulla. Etenim illi anhelitus ne sunt quidem punctum, si terrarum orbis ad illarum Sphærarum amplitudinem punctum est. Deinde, quia si omnia tam astra quàm elementa animata sunt; Ergo omnia perinde suo cibo indigebunt ad nutritionem. Vnde igitur omnibus istis corpori-

E

Aristoteles.

bus

bus sua alimenta suppeditabuntur?

Fateri certe debent ipsa corpora se mutuò mordere, sibique pabulo esse. Ergo aër ac cœlum depascent ignem cúmque cócoquent: Quia vt ait Aristoteles lib. 2. de An. cont. 50. (Aristoteles.) *Omne alimentum necessarium est concoqui posse.* At impossibile est ignem concoqui ad nutritionem. *Quoniam alimenti* inquit Aristoteles lib. 4. Meteor. Sum. 1. cap. 4. *in corpore concoctio similis est elixationi. Etenim in humido & calido à caliditate corporis fit.* Ignis autem non potest elixari. Nam vt idem ait lib. 1. Meteor. sum. 1. cap. 4. *Ignis excessus calidi & veluti feruor est.* Et ita à calore corporis quoad nutritur in humido non superatur. Hinc etiam est vt in igne nullum animal generetur ex eodem Aristotele lib. 2. de Gener. animal. cap. 3. Quia scilicet consistere non possunt animalia in igne, à quo interimuntur ob caloris excessum.

Similiter etiam dico, nec cœlum nec cætera corpora simplicia posse sibi mutuo esse nutrimento. Quod mistum esse debet non simplex corpus, vt docet Aristoteles (Aristoteles.) lib. de sensu & sensili cap. 4. Ideò negat idem Aristoteles lib. 2. de ortu & interitu cont. 50. quicquam ex vno elemento nutriri posse, etiamsi interdum id videatur. *Etenim* inquit *quæcunque videntur vno solo nutriri, vt aquâ plantæ, multis nutriuntur. Mista est enim aquæ terra. Ideò agricolæ tentant cùm miscuerint irrigare.*

Denique id esse impossibile vltra ea argumẽta quibus superiore Difficult. in nostra propositione, & in primo *Colligitur* vsi sumus, probatur ratione à priori: Nam impossibile est illud corpus nutriri, quod instrumentis caret ad attrahendum alimentum illúdque digerendum atque adeò ad regerenda excrementa, quæ ex illo nutrimento secerni oportet. Quam ob causam Aristoteles (Aristoteles.) lib. 2. de Part. animal. cap. 3. ait: *Omnis alimenti atque excrementi conceptaculum aliquod haberi necesse est*; Vt in plantis instrumenta ad alimentum sunt radices, ad excrementa verò sunt eæ partes, quibus semina continentur, quæ in animalibus clariora cernuntur. At in cœlo & cæteris corporibus simplicibus nulla prorsus apparent talia instrumenta. Euidens ergo est cœlum, & ista similia simplicia corpora non nutriri.

(Aristoteles.) Mirè has ineptias derisit Aristoteles libro 2. Meteor. summa 1. cap. 2. *Quapropter deridendi sunt omnes* inquit *quicunque priorum existimarunt solem ali humido.* Id verò rectissimè conclusit. Primùm quidem, quia halitus vapórque qui in sublime à sole attrahitur, *disgregatus* inquit *& euaporatus in superiorem locum, ibi autem, rursus coactus propter infrigidationem, deorsum fertur iterum ad terram.* Ergo non pertingit vsque ad solem. Deinde quia ab his auctoribus addebatur quod maiore risu excipiendum erat. Solem nimirum, idcirco continuè verti, *quia non semper eadem loca possunt ipsi exhibere alimentum.* Ex quo Aristoteles deducit, solem necessariò corrumpi. *Etenim manifestum,* inquit, *ignem quamdiu habuerit alimentum, tamdiu viuere.* Tandem quia si alitur sol, vt isti dicunt, *Palàm quod & sol non solùm, sicut ait Heraclitus, nouus quotidie est, sed semper nouus continuè.* Vide plura apud ipsum. & multa ibi rectè docet Olympiodorus.

Quamobrẽ vehementer mihi persuadeo hæc & similia tam absurda nullo modo illis philosophis visa esse probabilia. Priscis enim illis phi-

A losophis is philosophandi mos fuit, vt poëtarum more non tam dicerent quæ vera essent, quam quæ vulgò viderentur. Quod Aristoteles lib. 3. Metaphys. cont. 15. (Aristoteles.) dixit accidisse iis philosophis, qui circa Hesiodi tempora fuere. Vnde rerum principia docuerunt esse Deos, e quibus eos de numero Deorum excidisse finxerunt, qui nectar atque ambrosiam depasti non fuerant. Sed de his subdit ibidem Aristoteles *quæ fabulosè & Sophisticè dicuntur, non est dignum accuratè considerare.* Equidem lego apud probatos auctores similes philosophos asseruisse cœlum ac Mundum nutriri eo modo, quo cœlum ac Mundum dixere habere ventrem, oculos, pedes &c. nempe non propriè, sed ex quadam analogia, ac similitudine ad viuentium corpora. Ita enim Plutarchus in (Plutarch.)

B libro de facie in orbe Lunæ, illas partes Stoicissans Mundo tribuit. *Stellæ* inquit *tanquam Luciferi oculi in facie vniuersi inferiæ circumferuntur. Sol autem qui cordis habet vim ex sese calorem & lumen tanquam sanguinem diffundit. Terra & mari natura vtitur, sicut animal ventriculo & vesica. Luna Soli & terræ interposita sicut iecur inter cor & ventriculum, aut aliud molle viscus insitum, calorem hac remittit; & auras hinc exhalans coquendo purgandoque ad se ex oritu &c.*

Putant ergo hi philosophi has partes non esse propriè ad nutritionem, sed vt dicebamus similitudine & analogia: Tum quia cæteræ partes sunt instar partium animalis: Tum quia non aliter concoquunt vapores nisi emittendo calo-

C rem qui eos purget. Eodem modo & analogia intellexerunt Ægyptij illum Deum maximum; id est Mundum esse ex corporeis partibus constitutum. Versus sunt apud Macrobium lib. 1. (Macrobius.) Saturnal. cap. 20.

Sum Deus & talis qualis describam ego me ipse.
Cæli arx mi caput est; ventrem dico mare magnum;
Terra pedes; aures ponuntur in æthere puro;
Longe splendentes oculos dic lampada Solis.

Plura de hac re vide ex sententia Stoicorum apud Lipsium lib. 2. Stoic. Dissert. 10. (Lipsius.)

Quòd si cæteri philosophi allegoricè ea in re intelligendi sunt, profectò multò magis Plato (Plato.) cùm dixit, cœlum ac Mundum nutriri apud Plu- (Plutarch.)

D tarchum, vt retuli in Tertio Corollario; nam vniuersam suam doctrinam metaphoris atque allegoriis inuoluere solitus est.

Quanquam fateor non vsquequaque Platonicam doctrinam fuisse constantem in iis quæ de anima Mundi Plato dixit; Quæ tamen inconstantia ad rem præsentem non attinet. Nobis enim abundè videmur præsenti difficultati operam nauasse, si ostensum sit Platonem nullibi docuisse animam aut cœli aut Mundi esse informantem. Esto vt ex dictis patet, alicubi Iouem putauerit esse Mũdi animum: alicubi aliam animam quæ à Ioue dependeat posuerit; alicubi suũ

E cuique astro ac cœlo animum dederit: Tandémque in lib. 10. de leg. apertè dixerit, duas esse Mũdi animas: quod etiam illi ascribit Plutarchus in libello de Iside & Osiride post medium. (Plutarchus.) *Plato* inquit *multis locis quasi occultans & obumbrans suam sententiam &c. At in libris de legibus iam senior non per ambages & notas, sed disertis verbis pronũciat Mũdum non vnica tantùm anima, sed compluribus fortasse, ad minimum autem duabus cieri: Quarum vna sit boni efficax; Altera eius contraria, & contrariorum opifex.* In quibus tamen vt dixi Plato nihil contra præsentem Quæstionem dixit: Nã esto ponat duas animas; non tamen sequitur, eas esse informantes.

ipso aptus esset aliquid perfectionis suscipere. Et hanc sententiam video esse omnium Platonicorum.

In quam rem declarandam vna Dei definitione contentus ero apud Plotinum Enneade lib.7.
Plotinus. cap. 39. quæ mirè congruit cum iis, quæ de essentia Dei dicere solent Theologi p. p. q. 14. &
Aristoteles. non differt ab ea quam affert Aristoteles libro 12. Metaph. cont. 51. Deus *est intellectio intellectionis intellectio.*
Plotinus. Plotinus ergo sic ait: *Deus nihil aliud est quam simplex intuitus ad seipsum quod nihil aliud est quam ipsummet existere.* Quæ omnia mirè denotant diuinæ essentiæ puritatem. Non ergo diuiditur re ipsa in multas formas. Quod etiam maximè indicauit Plato libro 2. de Rep. vbi ait, Deum ne
Plato. mutari quidē. *Deus, inquit, cum optimus sit, non mutatur in multas formas.* Ergo multò minùs diuiditur. Mitto quòd non potest intelligi quo pacto si Mundus est vnus Deus, & vnum animal, possit remanente vnitate Mundi diuidi in plures illos Deos, qui sint Sol, Luna, &c. tanquam membra illius vnius Dei. Omninò enim rectè in hos olim
Arnobius. argumentatus est Arnobius pro vnitate Dei lib. 3. cont. Gentiles. *In philosophia memorabiles studio,* inquit, *vniuersam istam molem Mundi animal esse vnum sapiens rationabile consultum probabili asseueratione definiunt.* Probabili inquam, hoc est apparenti. *Quorum si est vera fixa & certa sententia, etiam illi continuò desinent Dij esse, quos in eius portionibus constituebatis. Vt enim homo vnus nequit permanente sui corporis integritate in homines multos scindi; neque homines rursus multitudinis iunctionis differentia conseruata in vnius sensus simplicitatem conflari. Ita si Mundus animal est vnum, & vnius mentis agitatione motatur: nec in plura potest numina dissipari; nec si eius particulæ Dij sunt in vnius animantis consistentiam cogi atque verti.* Non ergo diuidi potest Deus in plures Deos.

Alio modo vt non actu & re ipsa diuidatur in plures Deorum essentias; sed natura Dei, quam dicunt animam Mundi, permeet omnes vniuersi partes: In vna autem cæli parte animet solem, in alia Mercurium, Terram in terra &c. Et hoc pacto intelligi à Platone videtur insinuare Mar-
Marsilius. silius in cōuiuium Platonis orat. 2. cap. 7. vbi ait. *Animam mundi similiter Saturnum & Iouem vocamus & Venerem. Prout superna intelligit Saturnum. Prout cælestia mouet Iouem. Prout inferiora generat Venerem.*

Hoc autem modo adhuc duplex potest esse sensus. Nam si velint hi auctores diuinitatem diuidi in varias essentias, eò quòd formaliter animando tanquam vera horum forma constituat varias has essentias; tunc hæc opinio & hæretica est, & philosophis planè repugnans. Cùm enim Deus sit actus purus, nullius compositi est actus tum Catholicorum tum philosophorum sententiâ vt ostensum est. Si verò dicerent Deum esse formam omnium corporum assistentem, & omnia entia permeantem, quæ vitam cuiq; corpori in sua specie suâ efficientiâ tribuit, ac subministrat, sententia Theologorum esset & vera. Sed ex mente illorum auctorum non est, qui diuinitatem diuidi volunt in plures Deos, vt refe-
Epiphanius. rebat S. Epiphanius. Tunc autem non diuideretur, sed eadem vbique manens vitam atque esse cunctis rebus variis modis inspiraret.

A. Doctor. Dico autem eam esse Theologorum, verámque sententiam, vt patet ex A. Doctore p. p. q. 8.
1. Cor. 15. a. 1. Vnde 1. Cor. 15. *Deus est omnia in omnibus.* vbi
Theodoret. Theodoretus: *Nunc vbique quidem est per essentiam;*

A *Habet enim naturam, quæ non potest circumscribi, & in ipso viuimus mouemur & sumus, vt ait diuinus Paulus.* Quem etiam Apostoli locum affert S. Am- S. Ambrosius.
brosius libro de dignitate conditionis humanæ initio. *Deus, inquit, semper vbique totus est omnia viuificans mouens & gubernans; sicut Apostolus confirmat, quòd in eo viuimus, mouemur & sumus.* Idémque Hieronymus in Isaiam cap. 66. initio. Post- Hieronym.
quam enim adduxit illud Hieremiæ 23. *Cælum & terram ego impleo.* addidit quoque: *In ipso enim viuimus mouemur & sumus.* Ierem. 23.
Vide quæ pro hac re latè scribit Gregorius de Valentia p. p. disputation. 1. quæstione 8. p. 1. Christophorus Gillius in ope- Gregor. Valentia.
re de Attributis diuinis lib. 2. tr. 9. à capite 1. & Gillius.
deinceps.

B Neque ab hac veritate dissidet Plato & Plato- Plato.
nici, apud quos Deum vbique esse, omniáque gubernare non dubitatur. De Platone hæc ipsa legi possunt apud Marsilium Ficinum in Ploti- Mars. Ficin.
num Enneade 6. lib. 9. cap. 7. & lib. 2. Theolog. Platon. cap. 6. Quo loco aliud ex Orpheo, poëta Orpheus.
vt diximus antiquissimo de Deo commemorat in Saturni hymno. *Qui omnes Mundi partes habitus generationis princeps.* Hinc Aratus in Phænomenis Aratus.
initio duxit operis principium ab Ioue, cuius dixit omnia plena.

——Plena quidem omnia compita
Omnis verò hominum cœtus, plenum verò mare
C *Et portus. Vbique autem Ioue indigemus omnes.*

Ex quibus etiam sumpsit Maro quod scribit Maro.
Ecloga 3. cùm dixit,

——Iouis omnia plena.

Et ex eo illud arripuit Lucanus lib. 9. Lucanus.

Iuppiter est quodcumque vides, quodcumque moueris.

Hinc etiam est aliud vetusti poëtæ carmen apud S. Hieronymum lib. 8. comment. in cap. 27. Isaiæ S. Hieron.
non longè ab initio. Cùm enim dixisset fore vt Leuiatan in fine Mundi fugiat, qui nunquam fugere consueuerat. Frustra tamen cùm scriptum sit Ps. 138. *Quo vadam à spiritu tuo & quo à facie tua* Psal. 138.
fugiam? subdit statim: Pulchrè quendam poëtam in Gigantomachia de Encelado lusisse:

D *Quo fugis Encelade? quascunque accesseris oras*
Sub Ioue semper eris——

Vt discamus omnium veterum sententiâ Deum sua immensitate omnem locum occupare. In quam sententiam Aristoteles etiam libro 1. de Aristoteles.
anima cont. 86. (licèt adhibeat particulam *forsassis*) refert Thaletem Milesium. Nam vbi veterum opinionem de anima Mundi quam vbique esse aiebant retulisset, ait; fortassè iis subscripisse Thaletem cùm dixit, *omnia esse plena Diis*; siue, vt Thales.
legit Auerroës ibi, *omnia esse plena Deo.* Quasi de- Auerroës.
notare voluerit, hanc animam Thaleti esse
E Deum, húncque adeò immensum esse, vt nulla vniuersi pars sit, quæ à Deo vitam non accipiat, ab eóque non animetur. Quod quidem dictum Aristoteles ibi improbat, ac si Thaletis opinione Aristoteles.
hæc anima Mundum informet, non verò tanquam motor ei vniatur. In qua re morem Aristotelis obserua, nempe veterum verba in deteriora sensa detorquentis. Quanquam alium Thaleti scopum fuisse, cùm affirmauit omnia esse Diis plena, diximus ex Laërtio suprà q. 50. a. Laërtius.
1. Itaque exploratum philosophis est, Deum vbique præsentem esse.

Quamuis deinde hæretici errarint in eo quòd putarunt ipsa entia constitui per deitatem,
quam

quam participabantur in omnia: quæ singula Deum esse dicebant. Ex iis enim quæ philosophi & præsertim Plato asseruerunt non rectè intel-

Tertullian. lectis omnes hæreses ortas esse docet Tertullianus libro de Præscriptionibus cap. 7. *Ipsa hæreses*, inquit, *à philosophia subornantur*; & in libro aduersus Hermogenem dixit: *Patriarchas hæreticorum philosophos esse*.

Hieronym. Ad quod alludit S. Hieronymus libro contra Pelagianos ad Ctesifontem his verbis. *Pulchrè quidam nostrûm dixit: Philosophi patriarchæ hæreticorum*: Lege etiam in illud cap. 7. v. 36. Iacobū

Pamelius. Pamelium hæc latiùs atque ex aliis Patribus explicantem. Libro autem de An cap. 23. Platonem

Tertullian. Tertullianus vocat *omnium hæreticorum condimentarium*. Plerumque tamen si sua luce considerentur, ferè omnia mirè nostræ fidei effatis consentiunt; licèt, vt diximus, veritatem falsitatis fuco sæpè polluant.

Cælo nullos inesse propriè sensus ex Platone & aliis, sed interdum hos figuratè locutos esse. §. 9.

Colligitur quintò, Vtrùm animæ cælestium orbium ac mundi ipsius apud Platonicos sensus habeant. Non desunt enim qui id affir-

Iamblicus. Simplicius. Aristoteles. ment: Nam Iamblicus referente Simplicio lib. 2. de An. in cont. 128. existimauit non rectè Aristotelem inductione per animalium differentias ostendere adnixum esse, quinque tantummodo sensus esse, cùm plurima sint nobis ignota. Nam & dæmones sensibus Platonicorum sententiâ præditi sunt; & cælestia melioris sunt sensus quàm mortalia. Quæ ipsi quoque Simplicio, vt

Simplicius. nonnullis placet, vera sunt. eoquòd Simplicius arbitratus videatur, cælestia habere sensus, non substantiâ, sed modo tantùm à nostris differentes. Vnde hanc ipsam de cælestium animorum sensu sententiam secutum esse Simplicium pu-

Pererius. tat Pererius tomo primo in Genes. libro secundo quæstione septima, eiúsque verba refert ex 1. lib. de cœlo in cont. 50. quæ nunquam reperire potuimus. In hac autem opinione videtur

Plato. fuisse Plato in lib. decimo de leg. vbi postquam dixit: *Vniuersa quæ sunt in cœlo, & quæ in mari motibus animæ duci*, subdit hos motus esse consultare, opinari, lætari, dolere, quæ ex sensibus oriri, Philosophis non dubium est. Cùm puri intellectus non consultent, sed simpliciter rem mente concipiant. Expressè autem Mundum habere

Stoici. Cicero. sensus docuerunt Stoici apud Ciceronem libro secundo de Natura Deorum. Quorum refert huiusmodi ratiocinationem. *Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. Mundo autem partes sentientes sunt. Non igitur caret sensu Mundus.*

Verumtamen aio ex dictis manifestum Platonicis esse, nec cælestia corpora, nec Mundum habere sensus vllos. Ratio est quam diximus: quia nec Mundus nec cœlum informatur anima per quam constituatur. Sensus autem non sunt in eo corpore, cuius actus verè informans ani-

Plato. ma non sit. Animus enim est id quo viuimus ac sentimus &c. vt docet Aristoteles libro secundo de An. contextu vigesimoquarto. Immò vt refert Aristoteles libro primo de An. context. 46. Plato apertè negauit animam Mundi (& eadem

A est ratio de cœli anima) esse sentientem. *Eam enim*

Aristoteles. *quæ vniuersi*, inquit Aristoteles *talem esse vult, qualis est vocatus intellectus; non enim qualis est sensitiua, neque qualis desideratiua*; idque probat argumento ex ipsis Platonis verbis desumpto. *Harum enim* inquit nēpe sentientis ac desideratis *motus non est*

Plato. *circulatio*. Finxit enim Plato, intellectus operationem esse circulationem, qua circulatione intellectus cœlum moueri arbitratus est, vt docet ipse Plato in Timæo.

Plato. Nec Plato ab hac doctrina dissentit, qui in Timæo, *Sensus*, inquit, *appellata sunt commotiones quæ extrinsecus per corpus ad animam transirent*. Atque ita in Philebo sensus definiuit his verbis: *Sensum non*

B *absurde dicito affectio illa, quæ communiter consurgit in anima & corpore, vt communiter moueantur*. Vnde re-

Plotinus. ctè Plotinus Enneade 4. lib. 4. cap. 23. *Sensus*, inquit, *per corporea instrumenta fiunt; & si anima est extra corpus, nullum sensibile perceptura est.*

Atque hinc quidem validè confirmo, quòd Mundo ac cœlo nullus insit sensus, quia in cœlo ac Mundo cum sint simplicia corpora, nullum est corporeum instrumentum ad sentiendum.

Marsil. Fic. Nam vt ait Marsilius Ficinus in Theophrastum capite quadragesimoquinto, *Sensus instrumentum nemo dixerit esse simplicem aerem: Instrumentum enim ex eo conducit ad sensum, quòd sit ratione quadam*

C *harmonica temperatum, qua proportione dissoluta sensus quoque disperditur, hoc autem in compositione consistit.*

Probatur præterea hæc nostra deductio ma-

Plato. nifestè ex ipsius Platonis verbis in Timæo. Vbi non solùm negat in cœlo esse sensus, verùm etiam huius rei expressit optimam rationē. Quam quoniam eximiam quandam sapientiam redolet, apponam suis verbis libentissimè. *Animal hoc* Mundum intellexit, *nec oculis indigebat*, inquit, *quia nihil extra quod cerni posset relictum erat: Nec auribus, cum nihil superesset foris quod audiretur: Nec erant aere circumfusa externa Mundi, vt respira-*

D *tionem requireret: Nec membris quidem talibus opus erat per quæ noua alimenta susciperet, aut decocti cibi excremēta emitteret: Nulla accessio fieri poterat, nulla decessio. Hæc enim erat aut à quo aut vnde talia fierent. Ipsum enim de consumptione & senio suiipsius alit. Ita enim diuina arte fabricatus est Mundus, vt omnia in seipso & à se ipso patiatur & agat. Ratus enim est ille auctor, Mundum si sibi ipse sufficiat, præstantiorem fore, quàm si aliorum adminiculis egeat. Nec ei manus necessarias esse duxit, quia neque capiendum quicquam erat, neque repellendum: Nec pedibus, aut aliis ad progressum statiimve membris opus erat*, &c.

Summa ergo ratiocinationis est; nullum cœlo esse sensum, quia sensibus non erat illi opus. Cùm enim sensus dati animalibus sint à natura

E ob salutem, vt docet Aristoteles libro de sensu

Aristoteles. & sensili cap. 1. vt *præsentia prosequantur alimenta, mala autem & corruptiua fugiant*: Mundus non erat his sensibus afficiendus: quia nullus illorum erat illi futurus vsus. Præterquamquod sensus quà sensus patibilis est teste Aristotele libro 2. de

Chalcidius. An. cont. 51. & 52. Et ideò rectè Chalcidius in Timæum Platonis. *Sensus* inquit *est passio corporis quibusdam extra positis & pulsantibus variè eadem passione vsque ad animæ sedem commeante*. Ergo non fuerunt ponendi in cœlo, quod patibile ab obiectis non est.

Quod autem aiunt esse diuersæ rationis vanum est: Neque enim aut vlla operatio aut experientia nos cogit eos in cœlo asserere. Neque

Angelus

Angelus cœlum mouens opus habet ab obiectis nouas rerum notitias sensibus administris acquirere, cùm nec vllum sit obiectum, quod nouas in cœlo transmittere debeat species, nec vllum corporis temperamentum quo tanquã organo à natura fabricatum sit, quo eæ suscipi debeant. Fictitium ergo id omninò esset.

Neque quòd in cœlo dicitur esse consultatio ac dolor seu sensus arguit, Platonicorum sententiâ cœlum propriè sentire. Hæc enim & alia huiusmodi translatitia sunt, & metaphoricas habent etiam apud antiquissimos philosophos significationes. Nempe eo quòd significent ipsos varios intelligendi actus, qui omnium sensuum actibus æquiparabiles sunt; quia scilicet suas functiones exercent omnes, ac si omnibus sensibus præditus esset Mundus. Sic enim loquitur Trismegistus in Pimandro cap. 9. *Mundus sensum & motum possidet, non humano sensui & motui consimilem, sed potentiorem & simpliciorem. Nam sensus & intelligentia Mundi est cuncta facere & resoluere. Diuinæ voluntatis organum hac potissima ratione constructum, vt à Deo semina suscipiens vniuersa*, &c. *agricultoris periti instar, quæ nimis adulta sunt amputet, vt statutis temporum interuallis reuirescant, nec quicquam est cui Mundus vitam non præstet.* Ex his autem patet sensus Mundi esse operationes suis temporibus dispositas ad rerum operationes earumque vitam conseruandam instar eius qui probè sensibus vtitur.

Trismegistus.

Addi etiam potest, hos philosophos locutos esse de Mundi sensibus alio modo metaphoricè & per tropos attributione ad sensus animalis; Quia scilicet hi philosophi cœlum putarint habere sensus eodem modo, quo Solem ac stellas oculos Mundi appellarunt; nimirum eo quòd in cœlo se habeant ac si cœlum per illas videret. Quemadmodum cùm dicimus Prata rident, cùm ita virescunt ac si lætitiam præse ferrent. Et hoc pacto Orpheus, de quo antè diximus loquitur, cùm Solem *viuificum cœli oculum omnia videntem* appellauit, ac si Mundum lustraret; vt ex eo refert Marsilius Ficinus libro de Sole cap. 6. Quem loquendi modum vsitatum Poetis esse non vertitur in dubium. Sic enim apud Virgilium libro 4. Æneidos ac si spectatorem haberet Solem Dido sic ipsum alloquitur.

Orpheus. Marsi. Ficin. Virgilius.

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.

Idem ante Virgilium vsurpauit Ennius in Medea exule

Ennius.

Iuppiter, tuque adeò summe Sol, qui res omnes inspicis;
Quique tuo lumine, mare, terram ac cœlum contueris,
Inspice hoc facinus, &c.

Denique ante hos eodem modo locutus est Homerus Odyss. x. à quo deinceps Plato, cæterique hanc forte, vt sæpè alias sumpsere loquendi formam.

Homerus.

Nec prætereo quod etiam probabile videri omnibus debet, sæpe hos Platonicos & Philosophos in his loquendi modis vsos fuisse aliis tropis; Vt cœlum habere sensus dicatur, quia alios sentire faciat; Vt Sol dicitur calidus à calore, quem producit in elementis. Quo pacto dicam infra in 7. *Colligitur* locutum esse Plutarchum & alios, cùm dixerunt cœlum habere ventrem, &c. Vnde quia in cœlo vis est maxima ad temperamenta sensuum, spiritusque vitales efformandos, idcircò in cœlo sensus inesse dicuntur. Qua etiam de causa Sol dicitur à Platonicis Mundi cor. *Solem* inquit Chalchidius *cordis rationem obtinere & vitalia Mundi totius in hoc igne posita esse dicunt.* Ita in Platonis Timæum pag. 32. Sic etiam Macrobius in lib. 1. in somn. Scip. cum appellat *cor cœli.* & postea subdit. *Et dicitur ignis ætherei fons, quia idem est in cœlo quod cor in animali.* Denique eodem modo à Marsilio Ficino lib. 3. de vita cœlit. compar. cap. 6. dicitur, *spiritum vitalem & cor præcipue significari.* Constat ergo quo pacto cœlum habeat sensus.

Chalcidius. Macrobius. Marsi. Ficin.

Argumentum autem Stoicorum stolidum est: nam falsa est tum Maior, tum Minor. Maior quidem, quia quandocumque totum aliquod variarum rerum coadunatione seu congerie conflatur, potest pars habere aliquid quod de toto non dicatur; Vt in exercitu victore erit aliquis ignauus, quæ tamen ignauia de toto non dicetur; & in Collegio aliquo erit quis imprudens, etiamsi Collegium dicatur prudentissimũ. Pari ergo ratione, cum Mundus sit rerum congeries, non est mirum si Mundi pars, nempe ipsa animalia sensum habeat; de toto autem Mundo huiusmodi sensus denegentur. Neque prædicatum partis debet necessario esse totius. Neque enim si animus hominis immortalis est; totum quoque nempe homo immortalis erit.

Stoici.

Minorem autem esse falsam patet; quia rectè potest negari, animãtia esse Mundi partes: Nam sæpè Mundus sumitur pro toto conflato ex corporibus simplicibus non inclusis iis quæ ex elementorum conflictione generantur. Sic enim ex Aristotele lib. 4. Physic. cont. 43. colligitur: Mundum esse illum, cuius partes tribus motibus moueri possunt circulariter, sursum, & deorsũ, ita vt animantia sint in Mundo, tanquã in communi rerum receptaculo. Vnde definiri videtur à Trismegisto cap. 7. Asclep. *Mundus est omnium receptaculum.* ex quo videtur desumpsisse Cicero libro 2. de Natura Deorum cum dixit: *Mundus est quasi communis Deorum atque hominum domus atque vrbs vtrorumque.* Significat autem nomine hominis quicquid creatum est, quod cœli ambitu comprehenditur. Est ergo ratiocinatio eneruis.

Aristoteles. Trismegistus. Cicero.

De Simplicij autem sententia non dubitãdum est, quin eo loco nihil contra nos faciat: Nam proponit ex Iamblico difficultatem illam quam diximus aduersus sensuum numerum Aristotelicum. Quòd scilicet quinarius sensuum numerus non rectè probetur ex inductione; tum ob dæmonum ac cœlestium sensus; tum quia omnia animalia perspecta esse non possunt. Cui respondet Simplicius primò absolutè quinque esse sensus non tam inductione ostendi, quàm ex perfectione vitæ humanæ, cui nullum deest instrumentum ad sentiendum. quod ibi probat ex variis naturæ sentientis gradibus. Deinde verò respondet conditione apposita; nimirum si concedatur cœlestibus sensus, asserendum propterea non esse alium sensum præter quinque. Nam Aristoteles ibi cùm quinque sensus asseruit, locutus de sensu animalium mortalium est. Addit etiam Simplicius dici posse illos cœlestium sensus à nostris non differre, quia cœlestibus non sunt plura sensibilia quàm nostris, sed modo dũtaxat distingui.

Simplicius. Iamblicus.

In qua hypothesi Simplicius fallitur si sensus cœlestes cõcederet, vt Iamblicus describit; nempe impatibiles. Sequitur enim à nostris naturã,

Simplicius. Iamblicus.

non modo differre. Quia patibile & impatibile genere distinguuntur. Sed vtut intellexerit Iamblicus, certum ex dictis sit, Simplicium non concedere eo loco sensum astris. Immò nec sequitur eos concedi à Iamblico ipso. Is enim cùm cœlestibus sensus ascribit, non intelligit astra aut cœlum, sed ipsos Deos, quos putabat tenuissimo corpore circumuestiri, vt suprà diximus de dæmonibus. Quæ quidem licèt falsa sint, non tamen nostræ propositioni repugnát, quia astris ac cœlo non tribuit animas.

Themistius. Qua in re longè præclarius sensit Themistius dum cœlo omnem negat sensum. Nam lib. 3. de An. cap. 73. probat in cœlo esse non posse sensus, quia ei sensuum obiecta desunt. *Sed neque gustus in cœlestibus inest* inquit *neque visus, neque auditus, neque odoratus, quia illic neque sapor, neque aer, neque color sit*, &c. & concludit. *Ac nos quidem haud dissimulanter hæc cœlestia animalia esse dicimus, & nobiliora, quàm vt sensum requirant.* Ex hoc tamen ne liceat inferre, cœlum Themistio anima informante esse animatum.

Negandum est Deum Aristoteli esse aut Mundum aut Mundi animam, explicaturque Clemens Alexandrinus qui id Aristoteli adscripsit. §. 10.

Clem. Alex. Colligitur sextò non esse difficultatem in eo quod Clemens Alexandrinus de Aristotele in parte affirmante pronũciauit: nempe quod putarit Deum esse Mundi animam. Nam Aristoteles nusquam Deum fecit Mundi animam. Immò licet libro 12. Metaphys. cont. 38. dixerit. *A tali principio* nempe Deo *tum cœlum tum naturam dependere*, tamen non ita vniuersum conseruari à Deo voluit, vt eo tãquam animo informaretur. Constat enim apertissimè ab Aristotele Deum cont. 41. eiusdẽ libri poni omninò ab omni corpore separatum abiunctúmque. (Aristoteles.)

Cùm etenim de Dei natura in cont. 39. & 40. disputasset de Deo sic concludit cont. 41. *Quod itaque est quædam æterna immobilisque substãtia, & à sensibilibus separata constat ex dictis.* Neque contentus ea de Deo docuisse, iterum eius rei probationem indicat; cur scil. à corpore separatã oporteat huiusmodi esse substantiam. Ait autem id esse, quia *ostensum est, quòd nec vllam magnitudinem possibile est hanc substantiam habere, verùm impartibilis, indiuisibilisque est.* Quod etiam hoc argumento confirmat. *Nam infinito tempore mouet. nihil verò finitum infinitam potentiam habet.* Vnde quia Deus potentię est infinitæ non potest esse in magnitudine finita. Ergo in nulla erit magnitudine: *Quoniam omninò nulla est infinita magnitudo.* Negat ergo eum esse in magnitudine, siue finita in qua non potest esse, siue infinita quia non est possibilis. Idémque docet in fine cont. 43. de omnibus primis cœli motoribus, cum ait. *Constat itaque tot substantias esse naturâ perpetuas, & per se immobiles, & absque magnitudine, ob causam prius dictam.* Quis autem philosophorum dubitet, omnes formas quæ corpus informant esse in magnitudine? siquidem corpus quod totum quoddã est ex materia & forma constituunt.

Præterea constat ex dictis super. Difficul. nul-

lum Aristoteli cœli motorem moueri posse per accidens, dum cœlum suum mouet. Ergo Deus si Aristoteli cœlum mouet non debet esse forma informans, vt ibidẽ de Intelligentiis deduximus. Si autem non mouet, multò maior est ratio, vt Aristoteli Deus non sit forma in materia, quàm Intelligẽtiæ. Si enim hæ ex eo quod cœlum mouent non debent esse forma materiæ. Ergo Deus qui est intellectus Intelligentiis longè perfectissimus, nullum debet habere cum corporecõmercium: quia intellectui præsertim perfectissimo melius est sine corpore esse, *vt consuetũ est dici*, inquit Aristoteles lib. 1. de An. cont. 48. (Aristoteles.)

Sanè si Dei intellectus esset forma corporis, Deus non esset ens optimum, quia esset propter aliud, vt argumẽtati suprà sumus in nostra propositione. At Aristoteli Deus est ens optimũ, ita vt eo nullum sit possibile ens perfectius, vt expressè patet ex lib. 12. Metaphys. cont. 51. vbi ostendit, Deum non posse intelligere per aliquid ab eius substantia distinctum. Quia *esset aliquid aliud honorabilius quàm mens, id scilicet quod intelligitur.* Nam obiectum progigneret intelligẽtiam in Deo. Quare respectu diuinæ intellectionis esset effectrix causa, ac proinde præstãtior. Quia quod ad actum reducitur ab actiuo, & actu ente reducitur, vt docuit lib. 3. de An. cont. 27. & lib. 2. de An. cont. 54. Ergo in genere intellectus illud obiectũ esset Deo nobilius. Quia hoc pacto lib. 3. de An. cont. 19. intellectum agentem possibili nobilitate præfert; vt infrà explicaturi sumus copiosiùs. (Aristoteles.)

Quocirca cùm hæc adeò in Aristotele perspicua sint, nescio cur in mentem venerit Clementi Alexandrino viro eruditissimo opinionem tam absurdam in Aristotelem, qui, vt infrà etiã constabit sapienter de Deo sensit, cõiicere. Suspicor tamen vnum esse locum apud Aristotelem, qui huic errori occasionem fortasse dedit. nẽpe lib. 12. Metaphys. cont. 39. vbi ait: *Deum sempiternum atque optimum viuens esse.* Grecè ζῶον, id est animal. Ergo Deus est compositũ quid ex animo & corpore. ergo ex corpore vniuersitatis. His etiã addi potest: Quia Aristoteles sępè vt vidimus superiore Difficultate, cœlũ dicit esse animatum. ex quo videtur confici Deum alicuius cœli esse animã. (Aristoteles. Clem. Alex.)

Verùm hæc non tanti facimus, vt propterea tam absurdè Aristotelẽ sensisse existimare oporteat & fateri. Nam quod spectat ad illũ cont. 39. clarè patet ibi Aristotelem solùm docere Deum esse animal; hoc est viuẽs. Quod manifestum est ex eo quod concludit, Deum esse animal, quia viuit intellectione, quæ est vita Dei optima & perfectissima. *Dicimus itaque*, inquit *Deum sempiternum optimúmque viuens.* Nihil autem meminit vitæ sentientis. Ergo conclusio non debet inferre, Deum esse animal; hoc est constare vita sentiente: quia non esset complexio ex præmissis, sed omninò extra ratiocinationem.

Deinde clarum etiam est: etiamsi demus (quod tamen negandum est) Deum esse animal, non tamen hinc confici, Deum esse animam vniuersitatis. Quod enim animal est nõ anima est, sed ex anima. Denique, quia Aristoteles vniuersè improbauit Platonis sententiam de Anima Mundi lib. 1. de An. à cont. 46. nouem argumentis. Inter ea autem illud est septimum, quo probat intellectum non posse esse Mundi animã, quia Mundi anima debet esse beata: At si intellectus esset Mundi anima, non esset beatus, quia moueretur

Ee loca

localiter simul cum suo corpore, qui motus illi esset præter naturam, sic enim ratiocinatus est Aristoteles eo loco. Ergo tantum abest, vt Aristoteles putet, Deum esse animam Mundi informantem, vt ne toleret quidem in Platone, intelligentias esse huiusmodi formas.

Aristoteles. Plato.

Hæc tamen non dixerim eo quòd non putem Aristotelem aliquando tribuisse Platoni, ipsum asseruisse animam Mundi esse formam informantem. Certum enim est, id fecisse: Sed tamen hinc nihil sequitur. Etsi enim Aristoteles ita argumentatur tanquam Plato id dixerit, tamen Aristoteles vt solet Platonis verba sumpsit, ac si id ipsum a Platone significatum esset, quandoquidem Plato non raro quo sensu verba acciperet metaphoris ac sermonis elegantiæ addictus declarare prætermittebat.

Aristoteles. Heruetus. Plutarchus.

Hinc etiam intelligi potest, non rectè tribui Aristoteli à Gentiano Herueto in eum locum Clementis Alexandrini, quem de Aristotele citauimus in Parte affirmante, quòd *non vereatur dicere Deum esse Mundum*, aut saltem animam Mundi, quod asserit ex Plutarcho de Placitis. Hoc inquam non rectè tribuitur Aristoteli. Nam primò Plutarchus id de Aristotele negauit lib. 2. de Placitis cap. 3. Quia constat Deum esse mēte præditum Aristoteli. At negat Mundum ex Aristotele Plutarchus ibi esse mente præditum. *Aristoteles* inquit Plutarchus *neque animatum totum per omnes partes dicit neque sensu, ratione aut mente præditum* &c. Ergo Deus non est Mundus nec Mundi anima: quia esset totum mente præditum. Deinde quia Deus Aristoteli est *intellectio intellectionis*, vt docet libro 12. Metaphys. cont. 39. & 51. At Mundus non est intellectio Aristoteli, sed complexio quædam corporum; vt etiam patet ex libello de Mundo ad Alexandrum cap. 2. & ex toto 1. lib. de cœlo à cont. 33. vbi probat, Mundum finitæ esse quantitatis, vnum, ingenerabilem, incorruptibilémque &c. Idem patet ex 4. Phys. vt dixi in fine Quarti *Colligitur*.

Clemens Alexand. S. Augustin.

Ne autem Clementis viri eruditissimi absque probabili excusatione lapsum hunc prætereamus, dicendum est, Clementi & veteribus Ecclesiæ nascentis Patribus longe magis Platonicam quam Aristotelæam doctrinam probatam fuisse. Propterea quòd existimabātur Platonici multò acrius ac verius de Deo, déque rebus diuinis, præsertimque de Dei prouidentia, quàm Peripatetici, disseruisse. Quod S. Augustinus persequitur copiose lib. 8. de Ciuit. Dei a cap. 4. Immò Aristotelis libri contrà, siue quia doctrinæ obscuritate non intelligebantur, siue quia quædā quæ Christianæ fidei palàm repugnabant, vt de Mūdi æternitate, ac de Dei libertate & similia continebant, ab ipsis Patribus ne illis fides haberetur meritò deprimebātur. Vnde Aristotelis opiniones propterea quòd illa tempora aliter non patiebantur, non tam quæ Aristotelis re vera essent, quam quæ tanquam Aristotelis circumferebantur Patres referebant, atque exagitabant.

Alexand. Aphrodisiensis. Fonseca.

Quousque Alexandro Aphrodisiensi interprete, qui vixit Alexandro Seuero eiúsque filio principe, Aristotelææ doctrinæ veritas atque amplitudo, & deinceps consequentibus sæculis per alios summos viros declarata, ac propagata non solùm à viris sanctissimis, Platonicis libris prælata est; verùm etiam gymnasiis omnibus admirationi habita semper est. Qua de re multa præclarè lege apud nostrum Petrum Fonsecam tom. 1. in

A Prooem. Metaphysic. cap. 6.

Ita igitur puto excusari posse Clementem, & alios insignes Patres, cum de Aristotelis doctrina minus quam par est rectè senserunt; quia scilicet non solum damnabant quæ male Aristoteles ipse de Deo scripsisset; verùm etiam ea quæ tanquam ipsius à veritate discrepantia aut sibi videbantur, aut peruagata iam erant. præsertim cùm nulla ipsis commoditas esset ob interpretum penuriam diligentiùs inuestigandæ veritatis.

Theophrast. Alcmæon Crotoniata. Trismegist. Varro. Plinius. Menander.

De Theophrasto autem, & Alcmæone Crotoniata, Trismegisto, Varrone, Plinio & Menandro idem erit iudicium ac de iis ipsis quos recēsuimus. B Neque enim peculiaris contrà suppetit ratio. Quanquam cùm Plinius docet, ipsum solem totius Mundi esse animam, certum est ea non tam de anima informante intelligi posse, quàm de animo effectore; quia scilicet Mundum efficienter viuificet, atque animet accessu recessúque suo. vt antè diximus de aliis philosophis. Quo ipso loquendi modo sacras literas vsas esse scimus, cùm Ps. 148. dicitur: *Confessio eius in cælo & in terra*. Vbi S. Augustinus *Deum* inquit *omnia confitentur, omnia clamant. omnium pulchritudo quodammodo vox est confitentium Deum. Clamat cælum Deo tu me fecisti, non ego* &c. Ait ergo omnia confiteri Deo, quia nos confiteri Deum faciunt sua pulchritudine atq; ornatu. Sicut etiam ad Rom. C 8. dicitur Spiritus sanctus *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. quia nos ex intimo animi studio ad gemitus excitat ac postulare facit, vt ibi obseruat ex Augustino noster Benedictus Iustinianus.

Psal. 148. S. August. Rom. 8. S. August. Iustinian.

Senecam, Stoicos, Platonem & alios qui putarunt, cælum nutriri, ridicula existimasse, explicantúrque aliquo pacto ad rectum sensum. §. 11.

Seneca.

D Colligitur septimò contra Senecam Stoicum, eósque Philosophos qui videntur eadem sensisse, multò minùs posse animari cœlum ac sidera, reliquáque elementa iis animis qui suorum corporum nutritioni deseruiant. Cùm enim constet solem ac sidera multis partibus toto terrarum ac maris orbe esse maiora, vt etiam fatetur Seneca & retuli in Parte affirmante, manifestum est ipsum non posse nutriri anhelitu ac spiritu qui aërem peruadit. Nulla enim est ipsius anhelitus proportio ad tantam corporum vastitatem. Videmus enim plantarum & animalium magna corpora plurimo indigere alimento ac cibo. Ad cibi enim vel inopiam vel E copiam tanquam ad causam refert Aristoteles lib. 8. de Histor. animal. cap. 28. cur in Ægypto boues atque oues maiores sint quàm apud Græcos, contrà verò vulpes, lupi, lepores, minores. *Cuius rei causam* inquit *attribuunt cibo, qui aliis largè aliis parcè sit*, &c. Ergo immensis illis corporibus non sufficiet illa cibi portio penè nulla. Etenim illi anhelitus ne sunt quidem punctum, si terrarum orbis ad illarum Sphærarum amplitudinem punctum est. Deinde, quia si omnia tam astra quàm elementa animata sunt; Ergo omnia perinde suo cibo indigebunt ad nutritionem. Vnde igitur omnibus istis corporibus

Aristoteles.

bus sua alimenta suppeditabuntur?

Fateri certe debent ipsa corpora se mutuò mordere, sibique pabulo esse. Ergo aër ac cœlum depascent ignem eúmque cõcoquent: Quia vt ait Aristoteles lib. 2. de An. cont. 50. *Omne alimentum necessarium est concoqui posse.* At impossibile est ignem concoqui ad nutritionem. *Quoniam alimenti* inquit Aristoteles lib. 4. Meteor. Sum. 1. cap. 4. *in corpore concoctio similis est elixationi. Etenim in humido & calido à caliditate corporis fit.* Ignis autem non potest elixari. Nam vt idem ait lib. 1. Meteor. sum. 1. cap. 4. *Ignis excessus calidi & veluti feruor est.* Et ita à calore corporis quoad nutritur in humido non superatur. Hinc etiam est vt in igne nullum animal generetur ex eodem Aristotele lib. 2. de Gener. animal. cap. 3. Quia scilicet consistere non possunt animalia in igne, à quo interimuntur ob caloris excessum.

Aristoteles.

Similiter etiam dico, nec cœlum nec cætera corpora simplicia posse sibi mutuo esse nutrimento. Quod mistum esse debet non simplex corpus, vt docet Aristoteles lib. de sensu & sensili cap. 4. Ideò negat idem Aristoteles lib. 2. de ortu & interitu cont. 50. quicquam ex vno elemento nutriri posse, etiamsi interdum id videatur. *Etenim* inquit *quacunque videntur vno soli nutriri, vt aquâ plantæ, multa nutriuntur. Mista est enim aqua terra. Ideò agricolæ tentant cùm miscuerint irrigare.*

Aristoteles.

Denique id esse impossibile vltra ea argumẽta quibus superiore Difficult. in nostra propositione, & in primo *Colligitur* vsi sumus, probatur ratione à priori: Nam impossibile est illud corpus nutriri, quod instrumentis caret ad attrahendum alimentum illúdque digerendum atque adeò ad regerenda excrementa, quæ ex illo nutrimento secerni oportet. Quam ob causam Aristoteles lib. 2. de Part. animal. cap. 3. ait: *Omnis alimenti atque excrementi conceptaculum aliquod haberi necesse est*; Vt in plantis instrumenta ad alimentum sunt radices, ad excrementa verò sunt eæ partes, quibus semina continentur, quæ in animalibus clariora cernuntur. At in cœlo & cæteris corporibus simplicibus nulla prorsus apparent talia instrumenta. Euidens ergo est cœlum, & ista similia simplicia corpora non nutriri.

Aristoteles.

Mirè has ineptias derisit Aristoteles libro 2. Meteor. summa 1. cap. 2. *Quapropter deridendi sunt omnes* inquit *quicunque priorum existimauerunt solem ali humido.* Id verò rectissimè conclusit. Primùm quidem, quia halitus vaporque qui in sublime à sole attrahitur, *disgregatur* inquit *& euaporat in superiorem locum. ibi autem, rursus coactus propter infrigidationem, deorsum fertur iterum ad terram.* Ergo non pertingit vsque ad solem. Deinde quia ab his auctoribus addebatur quod maiore risu excipiendum erat. Solem nimirum, idcirco continue verti, *quia non semper eadem loca possint ipsi exhibere alimentum.* Ex quo Aristoteles deducit, solem necessariò corrumpi. *Etenim manifestum,* inquit, *ignem quamdiu habuerit alimentum, tam diu viuere.* Tandem quia si alitur sol, vt isti dicunt, *Palàm quod & sol non solùm, sicut ait Heraclitus, nouus quotidie est, sed semper nouus continuè.* Vide plura apud ipsum. & multa ibi rectè docet Olympiodorus.

Aristoteles.

Quamobrẽ vehementer mihi persuadeo hæc & similia tam absurda nullo modo illis philosophis visa esse probabilia. Priscis enim illis philosophis is philosophandi mos fuit, vt poëtarum more non tam dicerent quæ vera essent, quàm quæ vulgò viderentur. Quod Aristoteles lib. 3. Metaphys. cont. 15. dixit accidisse iis philosophis, qui circa Hesiodi tempora fuere. Vnde rerum principia docuerunt esse Deos, e quibus eos de numero Deorum excidisse finxerunt, qui nectar atque ambrosiam depasti non fuerant. Sed de his subdit ibidem Aristoteles *quæ fabulosè & Sophisticè dicuntur, non est dignum accuratè considerare.* Equidem lego apud probatos auctores similes philosophos asseruisse cœlum ac Mundum nutriri eo modo, quo cœlum ac Mundum dixere habere ventrem, oculos, pedes &c. nempe non propriè, sed ex quadam analogia, ac similitudine ad viuentium corpora. Ita enim Plutarchus in libro de facie in orbe Lunæ, illas partes Stoicissans Mundo tribuit. *Stoici* inquit *tanquam Luciferi oculi in facie vniuersi insertæ circumferuntur. Sol autem qui cordis habet vim ex sese calorem & lumen tanquam sanguinem diffundit. Terra & mari natura vtitur, sicut animal ventriculo & vesica. Luna Soli & terræ interposita sicut iecur inter cor & ventriculum, aut aliud molle viscus insitum, calorem hac emittit; & aus hinc exhalans coquendo purgandoque ad se ex olli &c.*

Aristoteles.

Plutarch.

Putant ergo hi philosophi has partes non esse propriè ad nutritionem, sed vt dicebamus similitudine & analogia: Tum quia cæteræ partes sunt instar partium animalis: Tum quia non aliter concoquunt vapores nisi emittendo calorem qui eos purget. Eodem modo & analogia intellexerunt Ægyptij illum Deum maximum; id est Mundum esse ex corporeis partibus constitutum. Versus sunt apud Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 20.

Macrobius.

Sum Deus & talis qualis describam ego me ipse.
Cæli arx mi caput est; ventrem dico mare magnum;
Terra pedes; aures ponuntur in æthere puro;
Longe splendentes oculos dic lampada Solis.

Plura de hac re vide ex sententia Stoicorum apud Lipsium lib. 2. Stoic. Dissert. 10.

Lipsius.

Quòd si cæteri philosophi allegoricè ea in re intelligendi sunt, profectò multò magis Plato cùm dixit, cœlum ac Mundum nutriri apud Plutarchum, vt retuli in Tertio Corollario; nam vniuersam suam doctrinam metaphoris atque allegoriis inuoluere solitus est.

Plato. Plutarch.

Quanquam fateor non vsquequaque Platonicam doctrinam fuisse constantem in iis quæ de anima Mundi Plato dixit; Quæ tamen inconstantia ad rem præsentem non attinet. Nobis enim abundè videmur præsenti difficultati operam nauasse, si ostensum sit Platonem nullibi docuisse animam aut cœli aut Mundi esse informantem. Esto vt ex dictis patet, alicubi Iouem putauerit esse Mũdi animum: alicubi aliam animam quæ à Ioue dependeat posuerit; alicubi suũ cuique astro ac cœlo animum dederit: Tandémque in lib. 10. de leg. apertè dixerit, duas esse Mũdi animas: quod etiam illi ascribit Plutarchus in libello de Iside & Osiride post medium. *Plato* inquit *multis locis quasi occultans & obumbrans suam sententiam &c. At in libris de legibus iam senior non per ambages & notas, sed disertis verbis pronũciat Mũdum non vnica tantùm anima, sed compluribus fortasse, ad minimum autem duabus cieri: Quarum vna sit boni efficax; Altera eius contraria, & contrariorum opifex.* In quibus tamen vt dixi Plato nihil contra præsentem Quæstionem dixit: Nã esto ponat duas animas; non tamen sequitur, eas esse informantes.

Plutarchus.

Vnum Platoni esse rerum opificẽ, non duos Patres nonnulli docent: vbi etiam de diabolo Dei aduersario, ex Platone, Trismegisto, & aliis. § 12.

Plato. Lactantius. Tertullian. S. Cyprian. Min. Felix. Arnobius.

QVin potiùs contrà sequitur apertè. Has enim duas animas posuit rerum effectrices; vnam bonorum, alteram malorum. Ergo vtramque rerum auctorem statuit: ac proinde non posuit animam informantem, vt ante deduximus. B Quanquam his verbis Plato potiùs dæmonem intellexit Deo aduersarium, non animam Mundi informantem. Nam vnum esse verè rerum opificem, vnúmque Deum Platoni satis supra constitutum est: & ex Platone docet Lactantius lib. 1. institut. Diu. cap. 4. *Plato, inquit, qui omnium sapientissimus iudicatur Monarchiam planè, apertéque defendi* &c. Tertull. in Apolog. cap. 46 ex Platonis Timæo refert *factura orbis*, nempe opificem *vniuersitatis* *esse inuentu facile*, &c. S. Cyprianus lib. de Idol. van. num. 54. *Plato vnum*, inquit *Deum seruans, cæteros Angelos vel dæmonas dicit.* Minutius Felix in Octauio. *Platonis* inquit *in Timæo Deus est vnus: id enim probare molitur, ipso suo nomine Mundi parens, artifex animæ, cælestium, terrenorumque fabricator*, &c. C Idem expressè docuit Arnobius Lactantij magister lib. 2. aduersus Gẽtes. *Plato* inquit *ille aminus multa de Deo digna, nec communia sentiẽs multitudini, in eo sermone ac libro, cui nomen Timæus inscribitur, Deos dicit & Mundum corruptibili esse natura, neque esse omnino dissolutionis expertes, sed voluntate Dei regis, ac principis, iunctione in perpetuum contineri.*

Plato. S. August. Cyrillus. Iustinus. Euseb. Cæs. Dionysius.

Quæ verissima esse patet ex verbis ipsius Platonis eodem loco. Nam Deum parentem rerúmque opificem sic Deos cæteros minores alloquentem introducit. *Dij Deorum*, inquit, *quorum pater atque opifex ego sum: hæc attendite. Vos quidem*, D &c. Denique idem Platoni tribuit S. Augustinus libro 8. de ciu. Dei à cap. 11. Cyrillus lib. 1. aduersus Iulianum. Copiosè Iustinus in orat. paræn. ad gentes & in libro de Monarchia. Eusebius Cæsariensis lib. 11. de præparat. Euang. cap. 9. Qui sic ibi loquitur. *Plato quoque in Timæo cælum vnum, & Deum vnum esse dicit*, &c. Vbi etiam dictum illud Platonis in epist. ad Dionysium refert: nempe ipsum cum ex animi sententia loqui datur, semper profiteri vnum Deum: cùm verò ad multitudinem dicit, Deos nominare numero multitudinis. de qua epistola suprà dixi quæstion. 50. a. 1. Addit etiam ibidem Eusebius: Platonem in libris de legibus *à priscis id se didicisse his verbis ostendere. Deus igitur vt à priscorum sermone accepimus*, &c. E

Trismegist. Lactantius.

Quare ex his optimè confirmare possumus quod paulò ante dicebam; Platonem scilicet cùm duas animas Mundi ponit bonorum ac malorum effectrices, non posuisse duo prima rerũ principia, sed vnum primum omnium opificem: Alterum verò malorum non quidem suâ naturâ primum, sed culpâ, & malitiâ. Nam Platoni adumbratum olim fuisse diaboli casum è cœlo diximus suprà eodem a. 1. Vnde id de Trismegisto apertè docet Lactantius libr. 2. cap. 15. cùm enim dixisset, dæmones malorum quæ geruntur auctores esse, subdit, *Quorum princeps diabolus est. Vnde & Trismegistus illum δαιμονιάρχην vocat.* & ideò A cap. 16. in fine *Vterque verò* inquit, nempe Trismegisti discipulus, & ipse Trismegistus quem vtrũque loquentem Lactantius inducit, *dæmones esse affirmat inimicos & vexatores hominum, quos idem Trismegistus ἀγγέλους πονηρούς appellat. Adeò non ignorauit ex cælestibus depravatos terrenos esse cœpisse.*

Ioan. 8. Marcion. Manichæi. S. Augustin.

Qua quidẽ in re adeò præclarè sensit vt quodammodo Euangelium Ioannis, in quo scriptum est cap. 8. *In veritate non stetisse* Diabolum, vel legisse vel audiuisse videatur. Atq; hæc quidẽ cùm ob veritatis euidentiam certa etiam apud Philosophos sint, meritò Patres Marcionem, Manichæosque hæreticos duplicem Deum asserentes, desipere pronunciarunt. B Etenim si vel naturę lumẽ spectes, vel sanam doctrinam inspicias, nihil certius intueberis quàm vnũ esse Deum: Diabolum verò à Deo quidẽ creatum esse, ac proinde initiò bonum, nec à recto nisi sua voluntate & culpa auerti potuisse. *Hanc sententiæ quisquis acquiescit*, inquit Augustinus lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 13. *non cum illis hæreticis sapit, id est, Manichæis, & si quæ aliæ pestes ita sentiunt, quòd suam quandam propriam tanquam ex aduerso quodam principio Diabolus habeat naturam mali. Qui tanta vanitate desipiũt, vt cùm verba ipsa Euangelica in auctoritate nobiscũ habeãt, non attendant, non dixisse Dominũ. A veritate alienus fuit; sed: In veritate nõ stetit; vbi à veritate lapsũ intelligi voluit*, &c.

Carpentar.

C Colligitur vltimò non decuisse Carpẽtarium in Parte affirmante asserere, diuinæ prouidentiæ consentaneum magis esse quòd stellas singulas animatas Plato fecerit animo informante. Non decuit autem, quia neque id ex Platone habebit vnquam vt vidimus. Neque ad id ratio vlla ex Platone firma afferri potest. Quin potiùs contrà euidenti ratione vrgere possumus ex dictis. Etenim neque cœlum neque cætera corpora simplicia apta sunt, vt animo informari possint, aut intelligente aut sentiente. Intelligente quidem: quia omnis intelligens animus Platoni est rector corporis. Sentiens verò esse non potest: D quia in cœlo & cæteris huiusmodi corporibus nulli sunt sensus, nec sensuum officinæ. Quod si quando ex Platonis aut aliorum Philosophorum dictis aliter significari videatur, iam diximus ea esse ex quadam similitudine; non propriè percipienda.

Lactantius.

Immò ex his vlteriùs sequitur, neque multitudinem Deorum apud Veteres sapientes inductam fuisse nisi ad explicandas veri Dei proprietates. Deinde verò cùm eas fabulis inuoluissent & prauis opinionibus, paulatim dæmonum impulsu tantum inanium Deorum innumerabilem populum se in hominum animos insinuasse. Sapientes enim omnes vnum Deum rerum patrem constantissimè fassos esse longa veterum sapientum serie ostendit Lactantius libro E primo à capit. 5. *Ex his vnum*, inquit, *Deum probemus necesse est; non quòd illi habeant cognitam veritatem; sed quòd veritatis ipsius tanta vis est, vt nemo possit esse tam cæcus, qui non videat ingerentem se oculis diuinam claritatem.* & versus finem eius capitis ait: Hos sapientes viros veritatem attigisse, ac propè tenuisse, *nisi eos* inquit *retrorsum fucata prauis opinionibus consuetudo rapuisset, qua & Deos esse alios opinabantur, & ea quæ in vsum hominis Deus fecit, tanquam sensu prædita essent pro Dijs habẽda & colenda credebant.*

Euf. Cæsar.

In qua multitudine quàm fatua, & pugnantia docuerint veteres, eruditissimè persequitur Eusebius Cæsariensis libro secundo de præparat.

Min. Felix. præparat. Euang. a cap. 2. & deinceps. Minutius Felix in Octauio & alij. Vt rectè dixerit Lactantius eodem lib. 1. cap. 8. in fine. *Illos quos imperiti atque incipientes tanquam Deos & nuncupant & adorant, nemo est tam inconsideratus qui non intelligat fuisse mortales*, &c. Lactantius.

Ex his respondetur ad ea quæ in Parte affirmante suprà relata sunt. Quibus omnibus adeò satisfactum est in nostris *Colligunt*, vt superuacaneum sit nunc aut eadem repetere aut plura congerere.

VLTIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm aliquod argumentum naturale efficax afferri possit ad probandum cælum animatum esse animâ verè informante, quæ sit Angelus.

VT nihil quoad licet prætermittamus, quòd nostram hanc de cælo astrisque doctrinam certam possit reddere, sapientum de eadem sententiis addimus naturales rationes; hoc est ex naturalibus principiis depromptas, vt hinc ostendamus quod præclarum putauit Aristoteles libro 10. Ethic. cap. 8. sapientum opinioni rationes quoque consentire. Aristoteles.

Argumenta partis affirmantis ex cæli nobilitate, effectione, &c. §. 1.

PRo Parte affirmante videtur esse primò: quia superiora corpora nobilioribus formis constare debēt, quàm inferiora. Sic enim patet, aquæ præstantiorem esse formam quàm terræ; aëris quàm aquæ; ignis quàm aëris; & cæli quàm ignis. Et patet etiam ex accidentibus cœli, cuius affectiones sunt perpetuus motus in orbem, immortalitas, lumenque inextinguibile. At non constarent nobilioribus formis nisi Angelo constituerentur. Nobilissima enim formarum est anima. Ideóque vt ait S. Augustinus in libro de vera & falsa religione cap. 29. tom. 1. Quælibet substantia viuens naturæ ordine præfertur substantiæ non viuenti: ergo debet constitui animo nobiliore, quàm sit hominis: ergo ab Angelo informari debet. S. August.

Secundò, quia causa non potest esse ignobilior suo effectu, ne supra vires suas quidpiam agat. At cœlum est causa animatorum, quæ è putrescente materia sponte oriuntur. Tunc enim nulla alia est causa, cui assignari talis effectus possit præter cælum: Nam nulla tunc vis seminis præcedit, caloris nulla vis sufficit, cùm sit accidens omni substantia imperfectius, atque ita cœlo ea generandi facultas insit oportet. Ergo cœlum non debet animato esse ignobilius: esset autem ignobilius, si nulla formaretur anima. Quia, vt diximus, animata inanimis præferuntur. Ergo est animatum. Ergo ab Angelo: quia non potest esse alia anima aut vegetans aut sentiens, ac proinde purè intelligens esse debet; seu quod idem est, purus intellectus.

Tertiò, quia nobilius est quod viuit & dat vitam, quàm quod solùm viuit; Quemadmodum perfectius esse habet lux in eo quod lucet atque

A illuminat, quàm in eo solùm quod lucet, non tamen illuminat. Cùm ergo Angelus nobilior sit animo hominis, debet habere perfectius esse quàm animus hominis. Si autem hic non solùm viuit ipse, sed etiam dat composito vitam, ergo & Angelus vtrumque habet, ac proinde dat vitam cælo: quia nō est alius corpus aptius ad hāc vitā.

Quartò, quia ita corpus ex parte sua naturaliter est aptum vt informetur ab anima; sicut ex parte sua anima naturaliter apta est vt corpus informet. Sed ex parte animæ datur mortalis & immortalis apta ad informandum corpus mortale. Ergo ex parte corporis debet dari mortale & immortale aptum vt informetur ab animo

B immortali. Ergo corpus cœleste immortale debet esse aptum vt informetur ab animo immortali: Nullum enim aliud immortale superest corpus. ergo cœlum ab Angelo informante animatur. Si enim aptum est sua natura vt informetur; ergo de facto informatur.

Quintò, quia corpus cœleste nobilius est quàm humanum, vt supra dictū est. Ergo si humanum habet vitam ab anima, & cœleste eam habere debet ab anima intelligente perfectiore; nempe Angelo.

Sextò addi potest argumētum Theologicum: quia Verbum Dei est nobilius quolibet Angelo. Sed verbum Dei est corpori vnitum, ita vt cum

C eo faciat vnum per se. Ergo etiam Angelus debet esse vnitus alicui corpori, vt faciat vnum per se; quod non potest esse nisi cœlum immortale. ergo cū cœlo vniri debet Angelus tanquā forma informans, alioqui non faceret vnum per se: quia illi non potest vniri hypostaticè, vt certum est.

Septimò, quia perfectio vniuersi poscit, vt corpori non denegetur internum principium efficiens eius motus, in quem naturaliter propēdet. At cœleste corpus propendet in suum motū; nempe in circumuolutionē: Quia vnūquodque corpus naturâ propensum est ad suam operationem naturalem, quæ in cœlo est motus in orbē. Ergo non debet ei denegari eius principium ef-

D ficiēs internū, quod necessariò debet esse anima: Nam principium inanime non potest esse ob eas rationes quas suprà attulimus vt ostenderemus, cælū moueri non posse nisi ab aliquo principio intelligēte. Maior probatur inductione per omnia corpora grauia & leuia, & per animata ipsa omnia, quæ suarum actionū principium efficiens habent. Ergo hoc nulli corpori denegari debet.

Octauò probatur. Quia Angelus si extrinsecùs moueret cœlum, non posset illud mouere solo actu voluntatis, quia alioqui eius velle esset eius agere in cœlū, quod est solius Dei, cuius volūtati vt nihil est quod possit obsistere. Ergo oporteret, vt Angelus aliqd in cœlo imprimeret ad eius

E motum. At hoc dici non potest: quia cùm sit eius virtus finita, iam tot annorū ac sęculorum spatio esset defatigata in eo effectu producendo, præsertim Aristoteli, qui Mundi ęternitatem posuit. Quæ inconuenientia vitantur si cœlo Angelus insit vt forma.

Nonò, quia motores inferiorum orbium mouentur per accidens, licèt motor supremus non moueatur, vt citatur ex Aristotele lib. 4. Phys. ab A. Doctore quæstion. vnic. de spirit. Creatu. a. 6. in argument. 9. Ergo saltem inferiores motores erunt formæ orbium cœlestium. Si enim mouentur per accidens, debent cœlo inesse vt formæ. Vt enim motis nobis necesse est moueantur omnia Aristoteles. A. Doctor.

Aristoteles. omnia quę sunt in nobis ex Aristotele lib. 1. Topic. loco 24. quæ nimirum sunt vel formæ adiacentes, vel informantes, nó tamen assistentes dæmones aut Angeli, quos constat non necessariò moueri; Ita motis cœlis, necesse est moueantur motores, qui cœlum informant, non assistunt.

Cùm in cœlo non sint proprietates animantium, ostendi euidenter ipsum non esse animatum. §. 2.

His tamen non obstantibus ad Difficultatem respondetur, & sit

Vnica Propositio. Ratione naturali ostédi potest, Angelos non esse cœli formam informantem, & aduersaria argumenta nó difficili negotio repelluntur. Prima pars probatur eo argumento, quo vsi sumus super. q. a. 2. Quæst. 2. Diffic. 1. & 2. vt ostéderemus, Angelos nullius corporis esse formas. Quia nulla anima potest eius corporis actus esse, quod adiumento esse nó potest tali animæ ad internas & immanétes suas operationes. Sed cœlum adiumento esse nó potest naturæ Angelicæ ad internas atque immanétes suas operationes. Ergo natura Angelica non est cœlestis corporis actus. Vtrumque huius argumenti principium ostédimus manifestè loco citato. Licèt enim non ibi fuerit sermo de cœlesti corpore, tamen cùm ostésum sit, nullum corpus posse instrumentum esse ad Angelicas internas operationes, idem quoque dictum esse de cœlo existimandum est. Ad hanc etiam veritaté plurimùm faciunt argumenta nostræ propositionis suprà Diff. 1.

Quod etiam multò magis confirmari potest de ipso cœlo, quia cœlum est corpus simplex, quod formari non potest in varia organa, vt ita Angelus sit anima illius. Est enim anima si eius essentialem naturam spectes, Actus corporis naturalis organici potentiâ vitam habentis Aristotele teste lib. 2. de An. cont. 7. hoc est eius corporis, quo administro exercere suas operationes vitales atque immanentes possit. Cœlum autem non esse huiusmodi cùm sit corpus simplex, & nullum temperamentum habeat quod subseruire his functionibus possit, notius est, quàm vt probatione sit opus. Immò vt ibi diximus, omne corpus potiùs puræ Intelligétiæ est impediméto quàm subsidio, ideóque intellectui quà intellectus est, melius esse, si sine corpore sit. (Aristoteles.)

His argumentis adiungere rectè possumus aliud sanè validum ex animatorum proprietate desumptum. Etenim omne animatum potest seipsum mouere, ita vt inchoare motum possit, ab eoque desistere. Sed cœlum & sidera non seipsa mouent, vt motum inchoare valeant ab eóque desistere. Ergo cœlum atque astra non sunt animata. Maior probatur: nam animatorum proprium est, vt ait Aristoteles lib. 8. Physic. cont. 29. mouere seipsum, & seipsum sistere. *Vitale enim* inquit *est hoc & animatorum proprium.* Vnde excludit omnia alia quà animata non sunt, ab hoc ipso motu, vt ignem, &c. *Et sistere possent seipsa* inquit. *Si enim ambulandi causa sint sibi, & non ambulandi*; nempe causa erunt. Vnde ait quæ ita mouent seipsa, posse se in omnes partes mouere. *Quare si in ipso igne est sursum ferri, manifestum quòd in ipso & deorsum.* Cuius etiam reddit (Aristoteles.)

A rationem, quia *Irrationabile* inquit *est illud, vno motu moueri solum a seipsis, si ipsa seipsa mouent.*

Idque optimè quidem: Nam si à seipsis mouentur; ergo nihil extrinsecùs exspectádum est, vt inchoent motum; vt patet in animalibus. Mouere enim se ipsa est habere in se facultatem, qua se cum dominio ad motum impellant, vt patet ex Aristotele lib. de Animal. motu cap. 3. In quo differunt ab iis quæ ab alio non à seipsis mouentur, quæ aliud postulant, vt inchoandi motus vim habeant. Quare rectè Aristoteles eodem libro cont. 33. ait: *Quæ non à seipsis* mouentur *vt grauia & leuia* moueri, *aut ab eo quod generauit, & fecit leue aut graue*; *aut ab eo quod prohibentia & impedientia soluit*; quod Philosophi deinceps breuius dixere, moueri à generante vel remouente prohibens. Si ergo mouent seipsa, séque sistere possunt, animata necessariò sunt & contra: & non quomodocunque. Non enim satis sint animata, vt plantæ: quia hæ seipsa mouendi, aut inchoandi motus non habent facultatem. Quanquam motus etiam initium habent dum attrahunt ad se alimentum ad nutritionem. (Aristoteles.)

B

Minor patet: quia nunquam in cœlo vidimus aut legimus cessationem a motu, ac requietem fuisse; nec periculum est, vt aliquandò huiusmodi motus cesset saltem vsque ad iudicij magni diem. *Neque timendum est* inquit Aristoteles lib. 9. Metaphys. cont. 17. *ne quando stet, quod metuunt quidam naturales.* Ergo non habent vim astra aut cœlum sistendi seipsa, & rursus motus inchoandi. (Aristoteles.)

C

Quod si dicas, posse quidem se sistere cœlum, habere tamen à Deo præceptum, ne vnquam se mouendi finem faciat; Quemadmodum nunc in vera sentétia, Angeli motores cum possent cessare à motu, nunquam tamen vt diuinæ voluntati morem gerant, cœlum non mouebũt. Contrà est primò: Quia non est par ratio in Angelis motoribus. Nam illi quidem possunt se mouere & cessare à motu in seipsis, cùm per suum cœlum discurrere possunt. Neque enim hoc illis denegatur. In quamcumque enim partem cœli se applicent, cœlum rotare possunt. Vnde illis non aufertur quod viuentium est proprium; nempe se mouere posse in omnes partes. At hoc ipsum denegaretur cœlo: Neque enim aliā vim habet motum suum sistendi. Vnde esto sit tale præceptum, aliquid certè innaturale affirmant in cœlo, dum tot sæculis orbes ne ex parte quidem exercere id possunt, in quod eorum appetitus, & vis naturæ indita prona est. *At oportet* inquit Aristoteles lib. 2. de cœlo cont. 108. *vnumquodque tale dicere esse, quale quod naturâ solet esse, & quod est, sed non quod vi & præter naturam.* Secundò, quia ne posset quidem cœlum mouere seipsum etiamsi nullum ei præceptum motus impositum à Deo esset. (Aristoteles.)

D

E Idque duplici ex causa quam Aristoteles assignauit esse lib. 2. de cœlo cont. 49. & 50. Cur stellæ per seipsas non moueātur. Altera est: quia quæ seipsa mouent non debent esse continua; hoc est nullam habere differétiam organorum. Vt enim definit lib. 8. Physic. cont. 30. *Quomodo contingit continuum aliquod & compositum ipsum seipsum mouere?* Reddit causam. *Continua enim sunt*; hoc est; Vnius enim modi ac tenoris sunt partes. Vnde etiam subdit inductionem: Nam *neque aliud continuum vllum; sed necesse est diuidi mouens in vnoquoque ab eo quod mouetur*; Quia scilicet partes diuersæ (Aristoteles.)

uersæ esse debent. At cœlum & astra sunt huiusmodi continua. Ergo non mouent seipsa. Alioqui *esset irrationabile* inquit Aristoteles in eo cót. 50. *nullum organum ipsis præbuisse naturam ad motum (nihil enim vt contingit facit natura) & curam quidem habuisse animalium, quæ autem tam pretiosa sunt, despexisse.* Immò subdit id consultò fecisse naturam. *Sed videtur tanquam ex industria abstulisse omnia per quæ contingeret progredi per seipsa, & quam plurimum semouisse ab iis, quæ organa ad motũ habent.* Non ergo mouentur à seipsis. Altera est ex illo cont. 49. & 51. Quia cœlum & astra sunt sphæricæ figuræ. Quod autem est sphæricæ figuræ propriis non potest moueri motibus. *Ineptissima enim est figura rotunda*, inquit Aristoteles in eo cont. 51. *ad eum* motum, *qui antè fit: Nequaquam enim est similis per se ipsa motiuis*; hoc est iis quæ ex se mouentur: nam subdit. *Sed plurimum à figura corporum, quæ progrediuntur distat.* Cùm ergo astra (ac proinde nec cœlum) nec progrediantur seipsis; *Rationabiliter* inquit ibi Aristoteles *vtrumque erit sphæricum.* Non possunt ergo mouere seipsa, atque adeò animata esse non possunt. Quibus etiam rationibus confirmari valide possunt ea, quæ suprà diximus ex Aristotele in nostra secũdæ Difficult. priore propositione.

Aristoteles. Aristoteles.

Nullum est argumentum quod cœlo inesse animum informantem ostendat, & aduersantia resoluuntur. §. 3.

SEcunda pars non aliter probatur, quàm dissolutione, & refutatione oppositorum argumentorum; vt mox patebit.

Ad primum autem respondetur, non esse necesse vt corpora, quæ loco superiora sunt, habeant nobiliores formas, quàm quodcumque corpus loco inferius. Ignis enim est corpus homine superius secundum locum, & tamen non est nobilius homine, nec habet animam. Quod verò afferri potest ex Aristotele lib. 3. de Part. Animal. cap. 4. & ipse ex aliis refert lib. 2. de cœlo cont. 73. nempe *honorabilissimo corpori honorabilissimam competere regionem*; non facit aduersus hãc doctrinam. Etenim ibi sermo est de simplicibus corporibus, quæ vniuersitatis molem suã magnitudine constant. Inter hæc enim debuit esse talis proportio, vt quæ superiore loca collocata sunt à natura, nobilioris sint generis. Neque enim alia ratio obstabat vt ab huiusmodi ordine natura recederet. At non fuit hæc ratio ac fictis in mistis & viuentibus; quibus oportuit ea dari loca in vniuerso, quæ ipsorum conseruationi ac vitæ aptiora viderentur. Vnde est vt animantium alia sint aquatilia, alia terrestria: quia illis salutares sunt aquæ; his verò terra. Inde etiam est, vt aquatilis generis alia sint marina, alia fluuialia, alia lacustria, alia palustria: Terrestrium verò alia respirent in aëre, alia non respirẽt, &c. de quibus fusè Aristoteles lib. 1. de histor. anim. cap. 1. Horum ergo mistorum corporum loca non nobilitate, sed salubritate metienda sunt. Secus verò in simplicibus. Itaque nec Maior argumenti est vera, nec inductio eam probat: Accidentia verò cœli vt lumen, &c. indicant quidem cœli nobilitatem quoad aliquid maiorem esse, quam hominis; non tamen arguunt simpliciter nobiliorem esse substantiam: Nam hominis sunt tales proprietates, quæ cœlestes longè superant; nempe vita & intelligentia, quæ operationum cæterarum præstantissimæ sunt, quas cùm earum nullum in cœlo sit signum, rectè eas cœlo inesse pernegamus.

Aristoteles.

A

Neque absurdum est aliquam substãtiam ex parte nobiliorem esse alia, à qua tamen simpliciter naturæ præstantia superetur. Vt v.g. homo superatur corporis robore ac firmitate à camelo; vt certum est: olfactu ab elephanto. Nos enim vt ait Aristoteles lib. 2. de An. cont. 92. sensum olfactum *peiorem* habemus *multis animalibus*. Contra, *elephantus* vt idem ait lib. 2. de Part. Animal. cap. 2. *olfaciendi partem habet præ cæteris animalibus.* Videndi acumine facilè vincimur ab aquila; quæ, si Alberto credimus, ab acumine videndi dicta est aquila, &c. lib. 23. de Anim. Tract. 1. cap. 1. Idémque etiam dico de aliis permultis. Et tamẽ his omnibus homo simpliciter præstat. Ergo nihil mirum, si cœlum immortalitate ac lumine humano generi antecellat: animæ tamen nobilitate ab homine superetur. Si quidem etiã muscam nobiliorem esse cœlo ob animæ præstantiam diximus super. q. ex S. Augustino, & aliis. Hæc solutio aliquo pacto & remotè indicatur ab A. Doctore p. p. q. 70. a. 3. ad 2.

Aristoteles. B Albertus. S. August. C

Quo pacto cœlum causa sit animatorum, & late de naturali instrumento. §. 4.

AD secundum dico: cœlum non alio modo esse causam rerum quæ generantur, nisi per qualitates effectrices, quæ ab ipso in corpora diffunduntur. Cum enim nulla actio diffundatur in corpus distans, quin prius saltem natura sit in spatio quod interiacet inter illud corpus distans & agens; (Quia virtus agentis & passi debent esse simul, vt nunc suppono ex Aristotelẹis effatis lib. 7. Phys. à cont. 10. ad 13. & 1. lib. de ortu & interitu cont. 43. *Agere* inquit *& pati non possunt, quæ non est possibile se inuicem tangere.* Quo argumento probat A. Doctor p. p. q. 8. a. 1. Deum esse in rebus omnibus.) Non potest cœlum quod cum inferioribus entibus simul nõ est, immò ab illis longissimè distat, proximè agere per suam substantiam. Ergo necesse est, vt diximus, agat effusis in hæc inferiora qualitatibus, siue eæ sint calor & lumen, siue influentiæ vt vocant, siue quæuis aliæ.

D Aristoteles. A. Doctor.

Hoc autem posito argumentum illud non est efficax. Nam esto, cœlum sit causa animatorum per has qualitates, tamen inde nego confici esse animatum. Etenim etiam ignis suo calore sæpè causa est, cur animata exoriantur; Vt cùm calore ignis excluditur pullus ab ouo, quod cinere calido foueatur. Hæc enim ita esse experimento certum est; & docet Iulius Cæsar Scaliger exercit. 23. in Ægypto contingere, vbi è furnis pullorum turbam erumpere ait: *Quos illi non numero, sed mensura venales habent.* Immò alij calore fimi stabularij eosdem pullos generari ex ouo experti sunt. Num ergo fimetum dicent animatũ; quià eius calore gignuntur animalia? Nisi quis velit affirmare in fimeto illo esse animam Mundi,

E Iul. Scaliger.

di ex qua administro calore pulli illi procreentur. At hoc esset iam quæstioni propositæ manus dare, cum quæstionem transferant à cœlo ad Mundi animam. Quam tamen nullam esse, quæ verè forma sit Mundum constituens informando suprà ostensum est. Et quamuis eiusmodi animam daremus, ea tamen in fimeto non esset, quod pars Mundi non est, sed in Mundo. Vnde nec ab anima Mundi quæ intra fimetum degat generaretur. Quòd si dicas esse in particulis aeris, quæ fimeti poros permeant: Iam ridiculam faciunt Mundi animam, quæ vt in fimeto sit se contrahit ad aëris minimos poros. Deinde cur fimetum conspissari non potest ita vt aërem omnem excludat? Tandem particularibus effectibus particularem assignandam esse causam, non vniuersalem, nisi vbi necessitas cogit; philosophorum sapientum axioma est.

Itaque ad argumentum respondeo distinguēdo syllogismi Minorem. Cœlum enim aio causam esse animatorum generatione instrumentorum; quibus in materia positis existit animal è putri: non autem quia sua virtute non interpositis instrumentis, quæ animalium generationi subseruiunt, ea immediatè progeneret, vt dictum est. Quod autem est causa animantium primo modo ipsum non necessariò est animal. Quia fimus & ignis, caloris actione animantia generare possunt, cum tamen ipsi animalia non sint, vt dictum est. Esto autem secundo modo animata esse debeant. Ratio autem à priori ea est, vt ita satisfaciamus eiusdem syllogismi Maiori propositioni: Quia sola causa præcipua seu principalis debet esse aut nobilior effectu, aut æque nobilis, atque ipse effectus est. Instrumentales enim causæ ignobiliores esse possunt, vt inductione clarum est. Accidentibus enim tanquam instrumentis nobilissimi fiunt effectus etiam animati, quibus accidentia longè ignobiliora sunt. Primæ namque qualitates præsertim calor & frigus actiuæ sunt, vt docet Aristoteles lib. 2. de Gener. cont. 8. & ad generationem viuentium tanquam effectrices causæ concurrūt. Et idcircò ab Aristotele dicuntur calor & frigus generare lib. 4. Meteor. Sum. 1. cap. 2. Vnde calor naturalis qui in semine inest dicitur ab eodem Aristotele lib. 2. de Gener. Animal. cap. 3. *fœcunda facere semina*. Quod ipsum dico de cæteris huiusmodi actiuis qualitatibus. Quare si ad viuentium generationes concurrunt cùm per se non sint causæ præcipuæ, instrumenta præcipuarum causarum necesse est esse. Quibus non oportet effectus nobiliores assimilari. Vnde patet quo sensu sit vera illa Maior.

Aristoteles.

Cœlum autem cùm è putrida materia generantur animalia, non est causa principalis eius effectus, si propriè de causa principali sermo sit. Huius rei duplex ratio est: Altera, quia cœlo non assimilatur effectus: Altera, quia illa omnia instrumenta quibus proximè gignitur animal, non applicantur ita à cœlo, vt ob hanc applicationem dici simpliciter debeat causa principalis illius effectus.

De priore patet: Nam illa est causa primaria & principalis, virtute cuius instrumentum agit, seu quod idem est, cui effectus similis redditur: At illæ instrumentariæ qualitates non assimilant animalia cœlo, sed suæ naturæ specificæ; nempe animali in tali specie, cuius naturæ est effectus qui productus est; & ideò nec sunt vir-

A tutes cœli. Ergo cœlum non est causa eorum effectuum principalis. Vtraque nunc propositio probanda nobis est. Maior autem probatur: Quia non aliter semen animalis aut viuentis dum animal aut viuens efformat, est instrumentum & virtus animalis & viuentis, nisi quia effectum quem producit ei cuius est virtus seu instrumentum assimilat; Vt; cùm semen hominis vel arboris assimilet filium patri, arborem arbori &c. Idem etiam aio in opere artis &c. Instrumenta enim, seu quod idem est virtutes artis agunt virtute causæ principalis; eius nimirum; cuius ideæ effectum similem reddunt. Nam artifici similis est effectus, cùm eius formæ quā artifex est similis fit; Vt ita omnia fiant ab vniuoco; Quod requirit Aristoteles lib. 12. Metaphysic. cont. 13. vbi *Qualibet* inquit *substantia ab vniuoco fit*. Id quod lib. 7. Metaphys. cont. 30. longa inductione confirmat. Et ideò etiam ibi docet, *Domum fieri ex domo*. Quo loco rectè Alēsis complura docet. Constat autem, vniuoca esse eadem secundùm naturam, seu secundùm formam: Forma autem artificis quā artifex est, idea est. Ergo hac ratione opus simile fit artifici, si eius formam exprimat. Patet ergo causam principalem esse eam, virtute cuius agit; hoc est cuius formæ, effectus instrumento productus, assimilatur.

B

Aristoteles.

Alensis.

Quam doctrinam etiam docuit A. Doctor dilucide 3. p. q. 62. a. 1. vbi sic definit causam principalem. *Principalis* inquit *operatur per virtutem suæ formæ cui assimilatur effectus; sicut ignis calore suo calefacit*. Instrumentalem verò ibidem paulò post. *Instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum, quo mouetur à principali agente. Vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quæ est in mente artificis*. Et ideò Aristoteles dixit lib. 7. Metaphys. cont. 23. *Ab arte fiunt quorum forma est in anima*. Quæ omnia manifestè confirmant, quæ à nobis modò dicta sunt.

A. Doctor.

C

Aristoteles.

In quibus tamen verbis obserua cùm dixit A. Doctor instrumenta non agere per virtutem suę formæ, sed motu principalis agentis; propriè id verum esse de artificum instrumentis, quæ nullum ex se motum ad actionem requisitum habent; adeòque necesse illis est, vt motum à præcipuo agente recipiant. At naturalia instrumenta constat nullum ab agente motum recipere vt agant. Quid enim recipit semen amygdalæ dum in sinu terræ fouetur, vt germen emittat? & sic de cæteris. Quia tamen instrumenta illa naturalia dicuntur instrumenta ex analogia ad ea quibus ars vtitur (hæc enim nobis notissima sunt, ac proinde ad ea significanda nomen impositum est primò; sicut etiam in multis aliis accidit; Vt de materia & forma, quæ primò nota erant in artibus; deinde translata sunt ad partes compositi naturalis) debemus quoque in illis assignare aliquid ex cuius proportione ad instrumenta artificiata possint instrumenta rectè nominari.

A. Doctor.

D

E

In instrumentis autem artis duo potissimùm videmus ex quibus instrumēta simpliciter sunt; Vt apertè colligitur ex A. Doctore 3. p. q. 62. a. 4. ad 3. & q. 72. a. 3. ad 2. Primum est vt habeat aliquam vim producendi effectum; nempe principali agenti similem vt diximus. Omne enim instrumentum quā instrumentum ad actionem refertur, vt suprà diximus ex Aristotele lib. 1. de Part. Animal. cap. 5. Ergo est ad aliquem effectum

A. Doctor.

ctum producendum non sibi similem quia esset causa præcipua. Ergo similem præcipuo agenti. Alterum est vt applicetur ab agente præcipuo vt tali modo operetur. Nam per huiusmodi motum instrumentum fit complete potens, & vt potius huius agentis instrumentum quàm alterius sit. Malleus enim & serra eius artificis instrumenta sunt, qui iis vtatur, non autem eius apud quem nullus eorum vsus est. Atque ita his A. Doctor. duabus conditionibus positis A. Doctor in ea solutione ad 4. docet in sacramentis à Christo Domino institutis propriam ac veram rationem inesse instrumenti. Nam *& sacramentum consequitur* inquit *spiritualem virtutem ex benedictione Christi, & applicatione ministri ad vsum sacramenti.*

Iam ergo in instrumentis naturalibus primùm quidem est vis efficiendi effectum; Vt semen est virtus producendi effectum generanti naturâ parem; vt amygdala &c. Sic etiam calor & siccitas vim habent in materia disposita ignē producendi &c. De altero est difficultas. Non enim necesse est applicetur à præcipuo agente, vt alicuius causæ instrumentum sit. Nam a quocunque in terræ sinum iniiciatur amygdala, instrumentum tamen erit suæ arboris è qua manauit. Sic etiam vt suprà diximus, cùm humanum semē à Dæmone applicatur in vterū fœminæ, semen non erit instrumētum dæmonis, sed hominis cuius est semen illud quod in vterum immittitur; & ideò illius erit filius ille qui generatur.

Dicendum tamen est, applicationem in his instrumētis posse esse duplicem: Vnam quidem, quæ est quid superadditum rei applicatæ: alteram verò quæ idem re est atque ipsa res. Et quidem in artificum instrumentis necesse est vt applicatio fit priore modo. Nam cùm instrumenta artium ex se operari ex arte nequeant, cùm sint omnis rationis expertia, debent ab artifice dirigi ad talem actionem; nempe moueri tali vel tali modo; Idcircò necesse etiam est ab artifice recipiant in operando motum, quo complete effectum suum producere valeant. At verò in instrumentis naturalibus hoc necessarium non est; sed satis erit posterior applicationis modus. Ratio vtriusque est: Etenim plus Natura potest, quàm Ars. Et idcirco ars aut perficit naturam si quando casu aliquo perfecta non sit, aut imitatrix Aristoteles. naturæ est, vt docet Aristoteles 2. Phys. cont. 79. Quia nimirum modum adhibet operi; non quēadmodum natura substantiam producit. Ergo potest natura tribuere suis instrumentis hanc efficiendi vim completam absque eo quòd necessariò requirant motum, quo motu in ipsis instrumentis modus operandi perficiatur. Vt de facto in singulis naturæ instrumentis manifestè cerni potest. Nam semen etiamsi à nullo moueatur, ex se perfectè absque alterius norma operatur. Sic etiam calor & siccitas, & alia huiusmodi, vt paulò post magis explicabitur.

Dico igitur instrumenta naturalia accipere vim producendi effectum principali agenti similem, ab eoque moueri, hoc est dirigi, & vt ita dicam regulari non motu aliquo ab ipsis distincto, sed per ipsam instrumentorum naturā, quæ ex se naturaliter recta est, & ad rectè operādum infallibili modo. Itaque quæ in his naturalibus instrumentis proportione respondent illi duplici conditioni quam diximus esse in artificum instrumentis, sunt: Primum ipsa vis effectum producendi: deinde verò motum seu regulam

A operandi certo modo, in quibus duabus conditionibus sitam esse diximus instrumenti rationem, quæ tamen duo vt dixi idem in instrumento sunt. Vnde calor naturalis & tale tēperamentum, quia effectum se ipsis perfectiorem gignūt, cùm substantiam efficiunt, sunt instrumēta substantiæ, quia & vim producendi habent, & tali modo, vt eam assimilent principali agenti, cuius dicuntur suâ naturâ esse virtutes, & instrumenta. Quod melius mox explicabitur.

Quòd si dicat aliquis, si nullum recipiant naturalia instrumenta motum à præcipuo agente; cur dicentur potiùs instrumenta huius quam alterius? Respondeo esse instrumenta huius: quia B referuntur ad productionem eius effectus, qui naturâ suâ est similis huic & non alteri, Vt ex. gr. amygdala siue producatur ab alia eiusdē naturæ arbore, siue immediatè creetur à Deo amygdalinę arboris, sēper instrumentū erit, quia sēper tali naturę & nō alteri suū effectū assimilare debet.

Sanè Philosophi calorem volūt animæ vegetantis instrumentum esse: Quod significat Aristoteles lib. 2. de An. cont. 50. eam ob causam: Aristoteles. quia ei similes partes adglutinat vt accidit in nutritione. Neq; huic doctrinæ aduersatur quòd aliquando aliquid instrumentum est, cùm tamen nulli causæ effectum videtur assimilare; Vt oculus est instrumentum ad visionem, quam nulli similem facit causæ. Non enim animal cuius est C videre est visio. Hoc inquam non obest: Nam visio assimilatur animæ sentienti, sicut & cæteri eius actus; Quandoquidem ij omnes reperiuntur in ipso animato secundùm formam animalis, quæ est animæ excellentiori tamen modo.

In qua re optimè A. Doctor p. p. q. 4. a. 2. docet A. Doctor. effectum reperiri *in causa effectiua vel secundùm eādem rationem, si sit agēs vniuocum, vt homo generat hominem; vel eminentiori modo, si sit agēs æquiuocum, sicut in sole est similitudo eorum quæ generantur per virtutem Solis.* Eademq; ratione dicit ibidem omnia *præexistere in Deo secundùm eminentiorem modum* ex S. Dionysio c. 5. de diuin. nomin. S. Dionys. Visio ergo assimilatur animæ eo quòd est in anima secundùm formam, D ac proinde fit ab vniuoco non quidē simpliciter sed ex parte. Vt enim obseruat Alēsis lib. 7. Met. Alensis. in cont. 30. Omnis vniuocatio, vt sic loquar, est secundùm formam: esse autem secūdùm formam potest dupliciter fieri: Aut enim secūdùm formā quę actu sit in vtroq;, id est in causa & in effectu eiusdē rationis & speciei formaliter, vt cùm homo generat hominē. Aut quia secūdùm formam quæ non quidē actu sit eiusdem speciei formaliter in ipsa causa, sed solùm virtute atq; eminentiore modo; Vt cùm sol generat calorem. Atque ita rectè concludit, omnia esse ab vniuoco: vel simpliciter, si effectus sit in causa primo modo: Vel ex parte, si secūdo modo. Quo pacto simpli- E citer est ab agente æquiuoco. Est ergo visio in anima effectrice ipsius visionis per suas potētias, ac proinde effectus est similis animæ similitudine secundùm formam, quæ in anima est non formaliter, sed præstantiore modo. Est autem nobiliore modō, quia eius essentia est nobilior: Qua ratione creaturæ dicuntur in Deo habere esse nobilius. Vnde S. Anselmus dixit in Mono- S. Anselm. logio c. 8. *Creaturæ in Deo sunt creatrix essentia.* Quia A. Doctor. vt ait A. Doctor de Pot. q. 3. a. 16 ad 24. ex Ioan. c. Ioan. 1. 1. *Quod factum est in ipso vita erat.* Constat ergo principalem causam esse eam, cui effectus similis sit, eo quòd ita sit sua natura virtus illius

com

comparatè ad effectum atque ita patet, illius argumenti Maiorem esse veram. Nunc de Minore.

Minor igitur probatur; quòd scilicet illæ instrumẽtariæ qualitates cœlo non assimilent effectus animatos: Quia non assimilant cœlo illos effectus secundùm formam, quæ in cœlo sit siue formaliter, siue eminentiori modo. Et primò quidem non secundùm formam, quæ actu & formaliter sit in cœlo: Quia iam probatum est omnium ferè sapientum consensione & efficacissimis rationibus, cœlum non constitui per animam. Ergo animata non assimilantur cœlo secundùm formam quæ sit actu, constituens ipsos cœlestes orbes formaliter. Nec eminentiore modo: Quia si cœlum non est animatum; ergo non habet naturam perfectiorem quàm animata, vt dictum est: Atque ita sequitur, vt modò dicebam, hæc non esse in cœlo secundùm eminentiorem formam, quæ ea procreet.

Dixi tamen paulò superiùs, *si propriè de principali causa sermo sit*: quia non dubito, quin aliqua ratione dici possit cœlum causa principalis, si hanc esse intelligamus eam, quæ aliquod efficit requisitum ad instrumentum, quo proximè substantia generatur: Nam hoc pacto grauia & leuia non alio modo dicuntur ab Aristotele lib. 8. Physic. cont. 33. moueri à generante, nisi quia generans in eorum effectione producit talem naturam, ex qua sequitur motus. Si ergo cœlum efficiendo calorem tale accidentium temperamentum instrumentúmque constituit, vt sequatur generatio animatorum, potest rectè dici eius generationis principalis causa. Quemadmodum homo qui ignem applicet lignorum strui, aut domui, rectè struem illam, aut domum dicetur combussisse. Atque in hoc sensu videtur ab A. Doctore q. 70. a. 3. ad 4. dictum, corpus cœleste agere tanquam instrumentum Angeli mouentis ipsum; quia scilicet virtutem cœli, ipsum mouendo, applicat rebus, quæ inde originem trahunt.

[Margin: Aristoteles. — A. Doctor.]

Cùm animantia generantur ex putri, quæ nam sit illorum causa effectrix, & est digressio quædam. §. 5.

EX his exoritur quæstio non ignobilis inter Philosophos præsertim modernos: si cœlum non est causa principalis animatorum, quæ qualitatum complexione generantur, quæ tandem eius effectus erit principalis causa? Nulla enim alia videtur assignari posse, cùm nulla sit, cui assimiletur ille effectus; vt si generetur coluber è putri; Quæro, quisnā sit ille coluber, cui effectus similis efficiatur? Quod si nullus est huiusmodi coluber; nullámne hic dices causam principalem? Cur igitur non fateris cœlum?

Scio, hanc quæstionem non facilè Modernorum disputationibus expediri. Tamen ne Difficultates subterfugere videamur in proposita re, quam suis momentis examinare conati sumus, huic quæstioni etiam, licèt breuiter, respondendum pro viribus est.

Primum quidem aio ex hoc argumento non ostendi orbium cœlestium animationem. Esto enim difficilis sit huius causæ assignatio, tamen A plerunque in rerum abstrusarum consideratione accidit, vt rectè philosophari liceat in negandis iis quæ affirmanda non sunt. Quamuis in iis quæ reuera stabilienda sunt affirmatione, disceptatio sit difficilior. Ac de materia quidem prima tritū inter philosophos illud est; Ipsam negatione cognosci ac definiri. *Dico autem materiam*, inquit Aristoteles lib. 7. Metaph. cont. 8. *quæ per se ipsam neque quid, neque quantum, nec aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur.* Similitérq; de Deo faciliùs quid ipse non sit, quàm quid ipse sit cognoscimus: Ideóque à S. Damasceno lib. 1. de fide cap. 4 præclarè dictum est de Deo, *Impossibile quidnam essentia sua ac natura ipse sit dicere, aptiúsque ex omnium rerum sublatione, atque inficiatione orationem habere. Neque enim eorum quæ sunt quicquam est.*

[Margin: Aristoteles. — S. Damascenus.]

B Nobis ergo in præsenti satis esset ostendisse, cœlum non posse esse causam eius efficientiæ principalem. Quicquid illa deinde aut reipsa sit, aut a philosophis affirmetur esse. In simili quidem Difficultate reprehendit eos Aristoteles lib. 4. Phys. cont. 63. qui contendebant, vacuum in natura concedi oportere. Id autem inter alia argumenta conficiebant cont. 56. ex vase aquæ pleno; quod tantum cineris capit cum aquæ est plenum simul cum aqua, quantum caperet si vacuum esset aqua. Hinc vacuum concedi postulabant: Nam si vas aquæ plenum adhuc iniectum cinerem capit. Ergo in eo vase erat pro cinere C locus corpore vacuus. alioqui vas corpus illud, nempe cinerem non admitteret. Ergo datur in eo vacuum.

[Margin: Aristoteles.]

Hos refutat Aristoteles eo cont. 63. in ipsos auctores argumentum retorquens. Etenim illi etiam ipsi eundem Difficultatis nodum soluere tenentur, cùm in vas illud aquę immittitur cinis. Totus enim cinis circumfunditur aqua. Si ergo vt vas reciperet illud tantum cineris admitti vacuum oportet, totum vas vacuum concedent: Quia totum illud vasis spatium occupat cinis, ac si non esset in eo aqua. Postea verò subdit Aristoteles: *Dubitationem igitur communem volunt soluere, sed non vacuum demon-* D *strant.*

[Margin: Aristoteles.]

Quod ipsum mihi in præsentia licet obiicere aduersariis. Cùm enim argumentantur: Eius effectus non potest explicari, quo pacto alia causa principalis concurrat ad illum effectum animatum. Ergo est cœlum, ac proinde cœlum est animatum. Iis ego respondeo, hanc dubitationem esse sapientum communem, ab iisque, omnibúsque soluendam esse: non tamen demonstrari cœlum esse animatum. Cùm enim communi sapientum sententia ac firmis rationibus demonstratum sit, cœlum non esse animatum, iis quoque conandum est, vt eius effe- E ctus causam principalem accommodent, quandoquidem cœlum non animari constat.

Dico tamen præterea directè ad difficultatem, ne nodus insolubilis videatur, causam instrumentalem eius effectus esse illam accidentium complexionem, cuius ea vis est, vt in ea materia vbi sunt illæ qualitates efficiant illam substantiam animatam. Ex. gr. cùm è putri pyro enascitur vermis, est talis ibi qualitatū contemperatio, quæ vi sua instrumentali vermem illum generat. Idem accidit cùm è semine iacto in terræ viscera planta aut arbor exoritur: Nam in ea seminis materia complexio talium qualitatum suum animal efformat ac procreat. Ex quo

quo vlteriùs sequitur, causam principalem eius effectus esse substantiam illam, cuius illa complexio virtus ac facultas est; nempe eam, cui effectus redditur similis: Nam, vt ostendimus, illa est causa principalis, cui instrumentum assimilat effectum.

Alex. Aphr. Auerroës. A. Doctor. Quod etiam expressè docet Alexāder Aphrodisiensis apud Auerroëm lib. 11. Metaphys. com. 24. vt illū refert A. Doctor in 4. d. 1. q. 1. quæstiūcula 1. ad 4. Cui doctrinæ idem A. Doctor ibidem assentitur. Cùm ergo animatum illud simile fiat non cælo, sed naturæ suæ speciei; vt mus muri, & coluber colubro, & planta plantæ &c. necesse est substantia eiusdem speciei sit causa principalis. Itaque complexio illa qualitatum qua mus vermisque producitur, agit tanquam muris aut vermis instrumentum, & sic de cæteris. Hinc etiam est, vt illæ qualitates dicantur agere in virtute muris: quia instrumenti proprium est agere in virtute principalis agentis, vt philosophis placet.

Hoc autem in nostro casu non est vt antè diximus, perinde accipiendū quasi illa complexio, & instrumentum recipiat aliquam vim agendi à substantia. Hoc enim fictitium esset; cùm illæ qualitates ex se ipsis sufficiant absque alio alterius causæ influxu; Vt cùm generatur ignis è stipula adurente calore, vel a Sole, vel aliunde genito, & cùm ex semine generatur arbor, atque ex illo parti pyro vermis, etiamsi arbor seminis parens diu antè desierit esse, & nullus alius vermis adsit. Sed intelligi debet agere in virtute substantiæ, hoc est secundùm quod ipsa accidentia instrumenta sunt ac virtus substantiæ; Ita vt dictio illa quam transitiuam dicunt *In virtute*, pro intransitiua sumatur: Quam sententiam expressè docuit A. Doctor quæstion. vnic. de spirit. Creat. a. vlt. ad 10. Vbi; *Forma accidentalis*, inquit, *quæ est principium actionis, ipsamet est potentia ac virtus substantiæ agentis.* Nec dissentit vllus ferè ex Thomistis. A. Doctor.

Aduerte tamen hìc lector, totam illam qualitatum complexionem virtutem esse substantiæ, non autem singulas qualitates illius. Nam, vt ait A Doctor in 4. d. 8. quæst. 2. a. 3. ad 9. sicut *quandocunque aliquod opus perficitur pluribus instrumentis, virtus instrumentalis non est complete in vno, sed incomplete in vtroque sicut manu & penna scribitur*: ita ratio instrumenti naturalis in efficiendis illis substantiis non est completè in vna qualitate, sed in tota ipsa qualitatum aggregatione consistit: Quod etiam docuit A. Doctor eodem libro 4. sentent. d. 1. qu. 1. a. 4. quæstiuncula 2. ad 5. & q. 27. de Verit. a. 4. ad 10. & 3. p. q. 62. a. 4. ad 4. & alibi. A. Doctor. A Doctor.

Ex quo sequitur non esse necesse, vt cùm vnū accidens ex illis producit accidens sibi simile. Verbi gratia calor calorem agat tanquam instrumentum substantiæ: Tunc enim cùm sibi assimilet effectum, est illius causa primaria, nō autem instrumentum: Quia instrumenti ratio non est in vno, sed in omni illa congerie, vt dictum est; sicut ratio fræni non est in vno annulo ferreo; sed in illo quod ex pluribus illis annulis, & cæteris requisitis conflatum est.

Difficilior responsio erit, si quæratur, cuius substantiæ virtus sit illa complexio; substantiæne specificæ an indiuiduæ? Respondendum tamen est: Nullius determinatæ substantiæ indiuiduæ virtus est. Quod manifestum est: quia non

A est ratio, cur huius aut illius potiùs dicatur virtus, quàm alterius. Placuit mihi alias philosophiam docenti hæc sententia, Nimirum esse virtutem indiuiduæ substantiæ indeterminatæ, & in confuso; eius scilicet substantiæ, in qua si essent illæ qualitates ante actionem, meritò eidem substantiæ actio illa tribueretur, atque id diximus patere in instrumentis artium: Nam serra verbi gratia quæ impellente aqua lignum secat, agit in virtute artificis; eius nimirum à quo si adesset eodem modo moueretur. In instrumentis etiam moralibus idem diximus esse iudicandum. Rector enim prouinciæ, seu ciuitatis dum B ex lege principis Remp. administrat, agit virtute eius principis, qui si adesset non aliter gubernaret. Eodem modo ab Aristotele libro 2. Physic. cont. 78. dicuntur agentia naturalia agere propter finem, eo quòd ad finem ita dirigunt suas actiones, ac si ex præcognitione finis mouerentur; quia si eum præcognoscerent non aliter operarentur. Aristoteles.

Verùm hæc doctrina non ampliùs mihi videtur vera: Etenim primò eius substantiæ debent esse virtus atque instrumentum, cui effectum assimilant, vt diximus: At non assimilant substantiæ indeterminatæ, & in confuso; quia tali substantiæ non possunt esse similes, cùm nulla C substantia dari possit, quæ certa ac determinata non sit. Secundò, quia effectus non est similis suæ causæ, nisi secundùm formam, vt diximus. Non est autem maior ratio, vt similis secundùm formam sit vni in confuso, quàm vni determinatæ. Immò nec maior est ratio cur vni potiùs quæcunque illa sit similis esse dicatur, quàm alteri, cùm omnes eiusdem speciei eandem naturam habeant, quæ natura est ratio conformationis.

Quod verò dicitur de instrumentis artium moralibus, non videtur satis ad propositum: Nam serra illa est instrumentum artificis, qui D eam applicauit ad motum aquæ. Quamobrem si à nullo applicata esset sed casu nullius artificis virtute lignum scinderetur. Rector autem virtute regis administrat Remp. quia leges atque auctoritas quæ sunt vires Imperij ab rege sunt. Et ita si non essent ab eo stabilitæ, nec data auctoritas virtute regis non gubernaret rector, quamuis rectè, & secundùm prudentiam Reipublicæ muneribus præesset. Aristoteles autem eo loco ait agentia agere propter finem, quia eius actiones ad finem diriguntur, bonúmque respiciunt; idque confirmat: Quia ista agunt ac si finem præcognoscerent; *Vt si domus eorum*, inquit, *quæ naturâ fiunt esset, sic vtique facta esset, vt nunc ab arte. Si autem quæ naturâ, non solum naturâ, sed & arte fie-* E *rent, similiter vtique fierent, vt apta naturâ sunt.* Quod tamen nihil ad rem facit: Nam hæc est vera ratio, cur agant propter finem, quia ad ipsum bonum suâ actione tendunt. Vt enim habet Aristoteles libro tertio Metaphysices, contextu tertio. *Omne quod per se, & propter ipsius naturam bonum est, finis est, & ita causa quoniam illius gratiâ cætera & fiunt, & sunt. Finis autem & cuius gratiâ actionis cuiusdam finis est.* Ergo agere propter finem est esse actionem ad ipsum bonum propter ipsum; hoc est ibi sistendo, non vlteriùs progrediendo. Ergo non tollitur quin si illa accidentia sunt instrumenta substantiæ in confuso, verè debeant illi assimilare effectum, cùm hoc sit instrumenti Aristoteles. Aristoteles.

menti proprium: Quod tamen verum esse non potest, vt diximus.

Quare aio: illam complexionem esse virtutem naturæ substantialis specificæ, & nullius indiuiduæ naturæ: Hoc secundum probauimus. Primum autem sic ostendo ex dictis: Quia eius naturæ sunt instrumentum; cui assimilant effectū. At assimilant effectum naturæ specificæ: siue, vt veriùs dicam, faciunt effectum eiusdem naturæ: Nam vt ait Aristoteles lib. 5. Metaphys. cont. 16. *Vnitas essentiæ identitas est*. Præterea, quia illius sunt instrumentum cuius sunt virtutes: sunt autem virtutes substantiæ & naturæ, & non indiuiduorum; vt complexio illa ad generādum colubrum est instrumētum naturæ colubrinæ, non autem indiuidui alicuius. Aristoteles.

Ex quibus tria manifesta esse possunt. Primum est: neminem posse rectè ita argumentari. Si est instrumentum naturæ specificæ; ergo erit instrumentum omnium indiuiduorū illius: quia quod speciei conuenit; id quoque indiuiduis sub illa comprehensis conueniat necesse est. Ergo erit instrumentum eius quoque indiuidui quod generatur. Atque ita indiuiduum illud dicetur seipsum producere tanquam agens principale. Hoc inquam argumentum fieri non potest. Nam quod est naturæ specificæ non determinatæ ad indiuiduum, non est indiuidui. Quemadmodum quia naturæ humanæ non determinatæ ad indiuidua esse, omnibus eius indiuiduis est commune, indiuiduis ipsis illud ipsum esse commune non conuenit. Hoc autem diximus esse naturæ non determinatæ ad indiuidua. Et ita maior distinguenda est, & argumētum ex illa distinctione euanescet.

Alterum est, quo pacto possit illa complexio spectare ad naturam non determinatam ad indiuidua; quia videtur natura nō determinata esse omnino impossibilis. Ergo ei effectus non esset similis. Ergo non esset instrumentum illius naturæ, sicut iam diximus non assimilari effectum indiuiduo indeterminato & in confuso, quia hic dari non potest.

Verumtamen dico ex dictis esse instrumentum naturæ ad indiuidua non determinatæ. Hoc autem cùm dicimus, arbitrandum non est id esse intelligendum ac si velimus naturam illam ab indiuiduis seiunctam esse possibilem, cui assimilandus sit effectus, sed dicimus eam non determinatè ad indiuiduum aliquod accipi, propterea quod ratio huius instrumenti non debet referri ad naturam determinatam in indiuiduo, sed ad naturam ipsam secundùm se, licèt hæc non sit nisi in suis indiuiduis. Quod diximus vt certum sit, talem complexionem nullius determinati aut indeterminati indiuidui esse instrumentum.

Ad hanc autem ipsam doctrinam explicandam exemplum etiam desumi potest ex iis obiectis, vnde suam speciem animorum potētiæ desumant; Vt v.gr. potentia videndi est ad colorem, à quo per se in tali specie constituitur; atque vt aiunt specificatur. color autem à quo specificatur per se est color secundùm se: non in hoc aut illo indiuiduo siue determinato siue in confuso. Et quidem non in determinato. Quoniam etiāsi non esset hic determinatus color aut ille, intelligi posset potentia videndi talis naturæ esse, vt circa coloratum versari debeat. Neque ab aliquo in confuso: Primò, quia nulla potentia spe-

A cificari debet ab aliquo sui obiecti indiuiduo in confuso. Non enim facultas dicēdi speciem sortitur ab aliqua dictione in confuso, sed ab ea quam potest promere, quę non est dictio in confuso. Similiter nec dici debet intellectus specificari ab aliquo intelligibili, sed ab intelligibili, & sic de cæteris.

Secundò, quia si specificaretur ab vno colore indiuiduo in confuso, posito determinato indiuiduo obiecto, circa quod potentia videndi versaretur, cætera obiecta indiuidua coloris ad illam potentiam specificandam non pertinerent. Vt v.gr. posita visione Petri albi, cætera obiecta essent extra naturam specificantis obiecti: Nam quotiescunque aliquid ex pluribus tātùm
B est necessariū alicui in confuso, si aliquod aliud indiuiduum determinatum eorum plurium ponatur, cessat necessitas cæterorum; Vt si ad equitandum sit necessarius aliquis equus ex pluribus, posito quòd aliquis determinatum equum ad equitandum conscendat, cæterorum nullus ampliùs ne in confuso quidem est necessarius illi eidem ad tunc equitandum. Simili modo, quia animali ad viuendum necesse est vt respiret aliquem aërem, posito quòd hunc respiret, non est illi alius respirandus aër, & sic de cæteris. Ergo si potentia specificetur ab aliquo colore posito vno colore determinato, tunc illa potētia ad alia colorata non referretur tanquam ad sua specificantia, quippe illi non essent necessaria. Immò
C cætera videri non possent: quia essent extra obiectorum specificantium fines.

Tertiò, quia omne quod necessarium est re ipsa seu ex parte rei, determinatum esse debet: quoniam nullum agens siue liberum siue necessarium potest ferri in rem indeterminatā & incertam: Vt; nō potest ignis producere ignem indeterminatum; nec homo aut bellua velle sibi acquirere cibum indeterminatū, &c. Licèt enim agens antequā habeat omnia requisita ad actionem possit vario modo determinari; vt ad appetendum hunc vel illum cibum, ad generandum hunc vel illum ignem; Tamen posita determinatione in agentibus naturalibus, & electiōne in agente libero, determinata debet esse actio, quæ
D in rem indeterminatam prodire non potest. Vnde electio semper prærequirit consultationem & iudicium alicuius rei certæ, quæ eligēda proponatur. Est enim electio, & vt optimè animaduertit Eustratius in primum versiculum primi capitis libri primi Ethicorum, duorum vel plurium quæ proposita fuerint, hominis iudicium quo vnum aliis anteponit. Et idcirco adhibetur consultatio, vt quod cæteris præstat appareat. Sic enim est vt docet A. Doctor 1.2.q.54.a.4. ad 4. præceptio eius quod est ad finem, & ita pertinet ad prudentiam, quæ est singularium; vt alibi fusiùs dicam. Ergo debet esse actus circa de-
E terminatum & certum ex consultatione propositum. Licèt ergo potentia videndi remotè; nimirum antequam animal se determinet ad actū, non magis ad hoc quàm ad illud obiectum respiciat; tamen proximè & immediatè vt in actū prodeat determinatum obiectum postulat, ac proinde obiectum ipsam specificans; hoc est circa quod necesse est actio versetur: determinatū est. Illud enim obiectum specificat potentiam, in quod per se tendit eius actus. At potentiæ videndi actus per se tendit in obiectum determinatum ac certum, nec potest tendere in incertū. Eustratius. A. Doctor.

vt

vt diximus. Ergo ab eo determinato obiecto specificatur.

Itaque respondeo ad id quod contrà obiiciebam. Non enim illa complexio spectat ad naturam impossibilem, sed ad naturam realem & secundùm se; hoc est non secundum quod est in hoc aut illo: quia hæc illi per accidens sunt non per se. Quamuis autem in re natura præcisa ab indiuiduis sit impossibilis; tamē impossibile non est, vt effectus assimiletur naturæ, quæ est in indiuiduis, non tamen secundùm rationem indiuiduam, sed secundùm rationem speciei; vt filius est patri similis: effectus causæ, &c. Sensus ergo est: Effectus est similis naturæ, quæ quidem in indiuiduis reperiri debet, sed nō determinatæ; hoc est non secundùm determinationem indiuiduam, sed naturæ non considerata ratione qua indiuiduum est. Quamobrem non est par ratio de impossibilitate naturæ secūdùm se, & de impossibilitate indiuidui indeterminati, cui effectus ille sit similis. Nam effectum dicimus esse similem naturæ secundùm se; hoc est nō secundùm quod est in indiuiduo hoc, vel illo ob rationem dictam, sed naturæ quę est in indiuiduis. At non possumus eundem effectum dicere esse similem indiuiduo indeterminato & in confuso: quia tale indiuiduum non est, nec esse potest. Vnde etiamsi dicerent esse similem naturæ, quæ est in indiuiduo indeterminato, id falsum esset & impossibile, quia impossibile etiam est, vt natura sit à parte rei in indiuiduo quod possibile non est.

Tertium est, qua tandem ratione dici possit ac debeat substantia agere per sua instrumenta. Videri enim alicui posset substantiam communem agere; non autem indiuiduam, cùm tamen actiones sint singularium, vt docet Aristoteles lib. 1. de An. cont. 63. & libro 7. Metaphysices cont. 28. & lib. 12. Metaphys. cont. 13. & cont. 18. & colligitur ex lib. 1. Metaphys. cap. 1. Vnde manauit axioma illud in schola Theologorum celebre. *Actiones sunt suppositorum*, de quo sæpè A. Doctor: Vt 3. p. q. 19. a. 1. ad 3. q. 20. a. 1. ad 2. & 2. 2. q. 58. a. 2. c. & alibi. Nos autem ex dictis concludimus: illam substantiam communem per se non agere nullo interposito agente, sed agere per sua instrumēta singularia; hoc est instrumenta singularia quæ illius sunt, effectum producere. Hoc autem nihil absurditatis continere patet: Quia si quod absurdum esset, id profectò inde procederet; quòd id cui non cōperit esse actu, per nos competit agere; quia substantia ex se non est, sed in suis indiuiduis, cùm tamen absurdum sit id quod actu ac re ipsa non est, posse aliquid efficere ac generare. Nam vt ait Aristoteles lib. 2. de An. cont. 54. *Omnia patiuntur ac mouentur ab actiuo & actu existente.*

Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles.

Verùm hoc non sequitur: Primò, quia negandum est illam substantiam, qua ratione non est, agere: nempe per se non per aliud intermedium agens. Non est autem absurdum; ipsam eandem dū in se non est, agere per sua instrumenta, quæ actu sint. Quia tunc substātia illa licet in se non sit, tamen verè est in suis instrumentis; sicut etiamsi Prorex gubernet regnum ex regiis legibus; in eo tamen regno rectè dicitur rex gubernare etiamsi non sit in se, quia est in sua virtute. Quemadmodum etiam manifestè idem apparet in aliis naturalibus: Nam certum est, hominem generare hominem, vt docet Aristoteles lib. 7.

Aristoteles.

A Metaphys. cont. 28. & lib. 12. cont. 13. & 18. & lib. 1. de ortu & interitu cont. 30. & tamen semper cum homo gignitur in vtero matris, pater saltem ibi non adest siue obierit, siue viuat etiā præsens. Quia tamen homo est in sua virtute; nempe in semine; hoc est quia semē adest, quod hominis virtus est, homo rectè dicitur hominem generare. Quæ doctrina est Capreoli in 4. d. 12. q. 1. a. 3. ad argumenta Scoti secundo loco posita contra secundam conclusionem ad 3. eamque docuit A. Doctor de Pot. q. 3. a. 10. ad 5. & 12. Vbi ad 5. *Instrumentum intelligitur moueri* inquit *à principali agente quamdiu retinet virtutem à principali agente impressam. Vnde sagitta tamdiu mouetur à proiiciente, quamdiu manet vis impulsus proiicientis; sicut etiam generatum tamdiu mouetur à generante, quamdiu retinet sibi formam traditam à generante. Vnde & semen tamdiu dicitur moueri ab anima generantis, quamdiu remanet virtus impressa ab anima, licet corporaliter sint diuisa.* Dum ergo illæ substantiæ sunt in sua virtute, hoc est dum manet earum virtus, semper agere dicuntur, si illa virtus, quæ earum virtus est, agat. Vbi etiam considerare oportet, virtutem impressam ab aliquo posse dupliciter intelligi. Primò quidem, quia sit impressa extrinsecus tanquam quid superadditum; vt sagittæ imprimitur virtus cùm arcu impellitur in locum distantem. Altero modo, quia sit impressa non extrinsecùs tanquam aliquid superadditum, sed impressa sit ipsamet virtus, hoc est genita ab ipso producente. quo pacto in semine est virtus prolifica; non quia addita semini sit; sed quia sit ipsum semen quod est virtus generantis. Et vtroque modo intelligit A. Doctor, vt patet ex eius exemplis, & apertè docet Capreolus loco citato.

Capreolus. A Doctor. A Doctor. Capreolus.

Præterea hoc pacto non est absurdum, substātiam ex se non inuolutis indiuiduis effectum producere: Quia hoc non est cōcedere, naturam vniuersalem agere: Quod rectè impugnat in Ideis Platonicis Aristoteles libro 7. Metaphys. cont. 28. & aliis locis citatis; sed est concedere singula instrumenta naturæ non indiuiduæ sed secundùm se agere.

Aristoteles.

Quod si quis contendat, ipsam naturam quoque agere per instrumenta singularia, id non erit absurdum modò rectè intelligatur: Nam illud agit, quod à se habet dependentem actionem. Illa autem actio instrumentorum quæ producitur mus v. gr. est dependentia ab illa qualitatum complexione, seu ab illis instrumentis, ac proinde à principali agente. Nam quandocumque aliqua dependentia est ab eo quod est virtus alterius, hoc ipso etiam ipsamet dependentia est ab illo altero, cuius illa est virtus; Vt quia potentia ambulandi est virtus animalis, ambulatio ipsa non solùm ab ipsa ambulandi facultate est, verùm etiam ab ipso animali; hoc tamen discrimine, quòd ab ipsa facultate pendet tanquam à proximo principio eliciente; ab animali verò tāquam à principio remoto, cuius scil. illa complexio est.

Itaque dico non esse absurdum illam substantiam remotè agere tanquam id cuius virtus agit proximè. Sicut de homine etiam qui interiit diximus agere per semen. Neque id est sentire cum Platone: Is enim arbitratus est, ideas ipsas vniuersales agere in rerum generatione; Vt scilicet in generatione hominis producerent hominem; & sic de cæteris; ac proinde ponebat, naturas

naturas vniuersales procreare effectus qui sunt in rebus. Nos autem non ponimus tales ideas agere, sed ponimus, vt in Platonem arguit Aristoteles lib.7.Metaphys.cont. 28. agentia singularia agere, quæ tamen agentia sint virtutes naturæ specificæ secundum se non determinatæ ad indiuiduum.

Aristoteles.

Rationem autem huius rei talem assignamus; Quia eius sunt virtutes, cui assimilant effectum; nec est ratio cur dicantur esse huius, aut illius indiuidui vt diximus; nec omnium indiuiduorum sunt illa instrumenta, ideoque nec omnia indiuidua generant effectum, nisi dicamus & ea quæ nondum sunt, & illud ipsum quod generatur, esse causam efficientem sui; Quod quidem vel in ipsis enunciationis terminis apparet non recte dici. Ex quibus etiam vlterius patet, quia natura illa secundum se non est nisi in indiuiduis, instrumenta quoque eius naturæ esse, quæ est in indiuiduis: non tamen esse instrumenta indiuiduorum; quia etiam natura quæ est in indiuiduis prædicatur; non tamen indiuidua ipsa prædicantur.

Hic tamen Notandum est, vt etiam antè significauimus, hæc quæ modò dicta sunt, intelligenda esse, cùm instrumenta quæ agunt, nullius indiuidui instrumenta sunt. Quia non sit ratio, cur vni potiùs quàm alteri applicentur. At verò cùm instrumenta alicuius sunt certi ac determinati indiuidui, eo quòd naturaliter ab ipso promanare debent, & eius naturæ effectum similem producere; Tunc non esse naturę secundùm se, sed eius indiuidui instrumenta. Vnde semen quod à Sophronisco emittitur ad Socratem generandum, est Sophronisci instrumentum, non Platonis aut naturæ humanæ. Idémque dictum de cæteris sit. Ratio huius est: Quoniam eius est instrumentum, cuius est virtus, seu quod idem est à quo habet vim, & cui ex sua natura assimilare effectum debet. At huiusmodi in ea re est Sophroniscus non cæteri. Ergo illius non cæterorum instrumentum est.

Atque hæc de priore illa ratione: Quòd scilicet non assimilatur effectus. Nunc de posteriore de qua dicebam initio huius solutionis agendum, nempe instrumenta illa non necessariò applicari à cœlo, dum animal gignitur ex putri; ac proinde neque hoc pacto cœlum esse simpliciter præcipuam causam illorum effectuum. Hoc autem sic facilè probatur. Nam illa debet dici causa simpliciter principalis ob applicationem agentis ad passum, ex cuius potissimùm applicatione oritur effectus; Vt cùm quis ignem in aliquam lignorum struem iniicit, is simpliciter eius incendij causa est, non alij qui lignorum congeriem eo loco composuerunt. Similiter is qui igne applicato æneos globos è bellicis tormentis in muros ciuitatis explodit, deiicere dicitur muros. Et sol qui sua luce imprimit calorem in aqua, vapores attrahit & similia. At ex applicatione agentis ad passum quæ à cœlo est, non præcipuè oriuntur effectus qui fiunt ex putri: Quæ enim à cœlo applicantur causæ instrumentariæ sunt lumen & calor, & si quæ sunt aliæ generales qualitates, quæ vulgò *influentiæ* appellantur. Ex Solis autem calore saltem plerunque non præcipuè oriuntur effectus isti, sed ex complexione innata in materia ipsa quæ putrescit. Vt cùm vermes oriuntur in caseo humescente aëre, mures in marcidis tecti trabibus, vermes in cadaueribus, ranæ ex madefacto puluere, & culices & similia. Ergo cœlum non necessariò est causa principalis horum effectuum ob instrumentorum applicationem.

Ex his tamen non licet inferre; cœlum nunquam ex quauis applicatione causam præcipuam simpliciter dici posse. Solùm enim contendimus non oportere cœlo tanquam causæ præcipuæ omnes effectus ex putri, aut etiam qui è qualitatum complexione generantur, adscribi.

Regreßio ad responsiones argumentorum. §. 6.

AD Tertium nego perfectius esse vitam habere, & dare vitam tanquam compositi veram partem; quod præstant animantium formæ: quàm solùm habere vitam tanquam ens per se subsistens & perfectum; quod Angelis conuenit. Certum enim est, ens spirituale completum perfectius esse quale est Angelorum natura, quàm ens spirituale, quod sit alterius pars; vt est hominis animus. Etenim illud est perfectius, quod est propinquius optimo; vt docet Aristoteles 2.cœli cont. 66. At propinquius optimo; nempe Deo, est esse ens spirituale subsistens completum; cuiusmodi est Angelus, quàm esse ens spiritale subsistens incompletum & pars alterius; Quale ens est hominis animus. De luce verò non est eadem ratio: quia anima dat vitam alteri vt eius forma; & ita includit imperfectionem, quia est pars alterius: Illuminare autem est lucis quidem informantis, sed præterea efficientis lumen in alio. Et ita hoc pacto perfectius esse habet, quia vltra rationem formæ, efficientis quoque causæ rationem habet. Quod quidem signum est eius formæ, quæ in suo genere perfecta est: Nam, vt de viuentibus docet Aristoteles lib.2.de An.cont. 34. *Naturalissimum operum, quæ in viuentibus quæcunque perfecta & non mutilata sunt, est facere aliud quale est ipsum.* Ergo simili modo inter has formas illa perfectior erit, quæ effectum sibi similem producere poterit, quàm illa quæ solùm informet. Vix aliter soluit simile argumentum A. Doctor q. vn. de Spiritu. Creatu. a. 5. ad 6. & q. 6. de Pot. a. 7. ad 8. & in hoc a. 1. ad 3.

Aristoteles.

Aristoteles.

A. Doctor.

Ad Quartum respondeo non esse factum à Deo omne, quod fieri potest in Vniuerso, vt docet A. Doctor suprà q. 25. a. 6. & fusiùs in 4. d. 44. q. 1. a. 2. Vnde licet potuisset esse corpus immortale; de qua tamen re nihil in præsentia, quod ab anima informaretur immortali; tamen non sequitur id esse iam factum. Immò etiam addo: Esto corpus aliquod immortale sit, quod anima immortali constituatur in esse corporis, vt ex anima & hominis materia fit corpus mortale; quod est homo: Tamen nego cœlum posse informari huiusmodi anima. Cuius duplex est ratio.

A. Doctor.

Altera est; quia nullum vnum compositū est, quod habeat duplicem formam totalem, quæ cum sua materia exæquetur, seu quæ sit adæquata materiæ. Quod dupliciter patet: Primò enim vnum compositum habet solùm vnam essentiam quæ de ipso toto prædicetur per suum genus & diffe-

differentiam. Ad hanc autem satis est vna forma totalis & adæquata composito, vt animus in homine: hoc enim homo est animal rationale; ideóque non potest esse à pluribus formis totalibus & adæquatis; quia dupliciter esset corpus, & duplicem haberet differentiam. Deinde omne substantiale compositum si vnum sit, debet vnum tantùm habere esse subsistens non duplex. Vnius enim compositi vna est subsistentia non duplex. quia vnum suppositum constituere debet; Vt Petrum, Bucephalum &c. Ergo vna totalis forma. ex qua in creatis vnitas suppositi existit, vt alibi in Metaph. ostensum est. At vnumquodque cœlum est vnum compositum, non duplex vt certum est. Ergo cœlum habet vnam formam. Hæc autem non est anima; quod patet ex motu. quia mouetur vt corpus simplex; nempe per motum simplicem. Ex quo colligit Aristoteles lib. 1. cœli à cont. 7. cœlum esse vnum corpus simplex ab elementis diuersum. qualis non est motus animæ, per quam animata non vno tantùm motu mouentur. Vnde, vt suprà diximus, negat Aristoteles accidere in natura, vt quæ seipsa mouent, vno tantùm motu moueantur. quia scilicet quæ seipsa mouent, ea boni apprehensione mouentur, eóque debent varias in partes moueri posse, quia & variis in partibus possunt ipsorum bona apprehendi ac repræsentari. Ergo non vno tantùm motu mouentur. Cùm ergo cœlum habeat huiusmodi simplicem formam, non potest esse animatum anima informante.

Aristoteles.

Altera ratio est ex dictis suprà, quia cœlum non habet organa apta ad animam, quia nec habet dispositionem necessariam ad animæ operationes. Nego igitur argumento consequentiam, quia supponit dari re ipsa omne quod dari potest. Præterea etiam hoc dato, nego vltimam consequentiam, quòd hoc sit cœlum aut Mundus.

Ad Quintum respondeo, corpus cœleste non esse nobilius homine, quoad perfectiores gradus entis, licèt sit nobilius quoad aliquid, vt suprà dictum est. Et præterea quia, vt docet A. Doctor q. vn. de Spiritu. Creatu. a. 6. ad 2. Forma cœli perfectissimo modo suam materiam explet ita vt *in materia non remaneat potentialitas ad aliam formam*; Quod non præstat animus noster. Eodem ferè modo simili argumento respondet q. 6. de Pot. art. 7. ad 13. Vbi dicit, animum esse nobiliorem forma cœli. *nobiliorem dico* inquit *secundùm se, non tamen secundùm quod corpus format. Perfectiori enim modo forma cœli perficit materiam, cui præbet esse immortale, quàm anima rationalis corpus.*

A. Doctor.

Ad sextum dico, argumentum non esse ad rem duplici ex causa. Primò quia Verbum diuinum non est Humanitati Christi vnitum tanquam forma suo subiecto, ex quibus fiat vnum essentiale; sed solùm est vnitum per hypostasim suam diuinam ita vt duæ illæ naturæ conflent vnum per se substantiale quidem; non tamen quomodocunque, sed personale: hoc est vnam personam substantialem. Quod quidem fieri potest ex duobus entibus, quæ non sint materia & forma. Cùm satis sit si Humanitas sit potentia susceptrix vnionis, quæ sit ad Verbi hypostasim tanquam ad terminum, cum quo faciat vnam personam, vt fusiùs dixi 3. p. q. 2. a. 2. & 3. At verò Angelus si esset forma cœli, vt ar-

A gumentum contendit sibi dari, deberet esse animus & pars cœli, vt animus hominis est pars hominis: Quod diximus esse non posse tam ex parte Angeli, qui non indiget corpore ad suas functiones obeundas, quàm ex parte cœli, cuius esse subsistens est per suam formam, quæ non est anima vt dictum est.

Secundò, quia Verbum diuinum vnitur naturæ humanæ sua libera voluntate, non autem naturâ suâ, quippe diuinitas ipsa & diuinæ ipsæ personæ spiritus sunt ab omni non solùm corpore, verùm etiam ab omni compositione seiunctæ penitus ac separatæ, vt ostendit A. Doctor & Theologi p. p. q. 3. At argumentum id ostendere vult, vt Angeli sint naturales cœli formæ; B quod negamus ob rationes dictas. Sunt enim formæ per se completæ, quarum operatio non exercetur adiutore corpore. Vnde nec cœlum ad illas habet sua organa contemperata.

A. Doctor.

Ad septimum respondeo, duplicem esse corporum nempe grauium ac leuium naturalem propensionem ad suum motum, vnam passiuam, alteram actiuam. Atque illa quidem est siue materia, siue aliqua substantia naturâ suâ talium motuum susceptrix; Vt aquæ, passiua est inclinatio ad calorem, quia eius materia ob potentiam innatam inclinat in omnes motus, qui ab efficiente naturali imprimi in ea possunt, & ideo C omnium est naturaliter per suam potentiam susceptrix. Hi autem motus erunt naturales, quia sunt à natura, ex qua dicuntur naturales, vt docet Aristoteles lib. 2. Phys. cont. 5. & 12. A natura inquam quæ sit principium passiuum motus, & materia horum suâmet potentiâ susceptrix, vt diximus. Hanc enim materiam Aristoteli esse naturam patibilem patet ex eodem libro 2. cont. 4. 12. 21. 81. & sæpè alibi, vt dixi 2. Physic. Propensio autem actiua est compositi forma si originem ac primariam agendi vim spectes: Si tamen principium proximè actionem ipsam eliciés est facultas talium motuum effectrix, quam habet cópositum ratione suæ formæ. Sicut aqua mouetur vt sub igne & aëre sit. à principio actiuo motus; originario quidem à forma substan-D tiali, à proximo autem à facultate iam dicta. Est autem propensio actiua facultas proximè effectrix sui motus, quia in substantia creata omne principium efficiens est aliqua eius facultas, per quam suam elicit actionem, cùm ipsa non agat nisi suis instrumétis, vt alibi dictum à nobis est. Est autem ille motus naturalis, quia est à naturali propensione actiua, quæ est forma & natura compositi vt patet libro 2. Physic. contextu 12. Qua ratione ignis mouetur sursum, terra deorsum &c.

Aristoteles.

Dico ergo ad argumentum distinguendo Maiorem; scilicet pertinere quidem ad vniuersi perfectionem, vt corpori habenti propensionem E actiuã, seu formalem, vt ei non denegetur internum sui motus principium proximum eliciens; nempe facultatem illam de qua diximus; Quia natura compositi habentis talem propensionem ad suas actiones debet posse reduci ad actum, alioqui frustrà in eo esset talis inclinatio, quandoquidem deesset proximum huiusmodi principium sine quo substantia non promit actus suos. At absurdum est talem defectum asserere in natura. Quæ, vt ait Aristoteles lib. 3. de Anima cont. 45. *neque frustrà*

Aristoteles.

facit quicquam, nec deficit in necessariis, nisi in orbatis & imperfectis. Quamobrem constat in elementis tale dari principium eliciens, & in cæteris mixtis. At nego pertinere ad vniuersi perfectionem, vt corpori habenti propẽsionem passiuam non denegetur internum principium actiuum suæ operationis.

Multa etenim corpora huiusmodi sunt, quæ extrinsecus habent, seu recipiunt suum actum, in quem inclinantur. Primò quia omne corpus ratione materiæ inclinatur ad varios motus; vt aqua ad calorem, ad siccitatem, &c. quæ tamen extrinsecus in ea producuntur, cùm ipsi principio agenti, quod in aqua est repugnẽt huiusmodi actiones: à quibus etiam si diutius perseuerent destruuntur.

Secundò, quia etiam anima, cuius est agere vitaliter habet inclinationem passiuam ad recipiendas obiectorum formas ac species, quas tamen extrinsecus ab obiectis habet, cum Aristoteles lib. 2. de An. cont. 59. & 60. & alibi cum cæteris Peripateticis id doceat, cum ait: *huiusmodi actiua operationis extra esse vt visibile, audibile. Similiter autem & reliqua sensibilium* Sic cont. 59. Vnde cont. 60. negat animam sentire posse cum vult, *necessarium enim* inquit *est esse sensibile.* Cœlum ergo ad suum motum non habet inclinationẽ actiuam sed propensionem patiẽtis. Nam vt suprà diximus, cœli forma non potest esse principium actiuum voluẽdi ipsum cœlum, quia habito suo bono conquiesceret. Solùm ergo habet inclinationem passiuam. Atque ita illi atque adeò perfectioni totius vniuersi satis erit factum, si extrinsecùs principium sit eius motus; nempe Angelus ei assistẽs à quo moueri debeat, nec ab alio connaturali modo moueri posse suprà dictum est. Cùm autem dicitur vnumquodque corpus propendere ad suam operationem naturalem, verum quidem est; sed ex dictis constat, cœli motum non esse cœlestis corporis operationem. Vnde non est necesse vt in ipsum propendeat actiua facultate, aut originaria forma; & huius rei peculiarem in cœlo rationem esse ob continuum motum, & conuolutionem dictum est suprà. In quo etiam est dispar ratio de his corporibus, quæ recto mouentur motu, quibus adipiscuntur ac retinent suum bonum & locum, cùm tamen de cœlo id affirmari non posset, vt ibidem explicauimus,

Aristoteles.

Angelos mouere cœlum imperio voluntatis. §. 8.

AD octauum respondeo ex A. Doctore q. vn. de spirit. creatu. a. 6. ad 8. Angelum imperio voluntatis mouere cœlum. *Quamuis enim* inquit *materia corporalis secundum formalem transmutationem non obediat ad nutum spiritui creato, sed soli Deo; vt Augustinus dicit 3. de Trin.* cap. 8. *Tamen quod ei obedire ad nutum possit secundum transmutationem localem etiam in nobis apparet, in quibus statim ad imperium voluntatis sequitur motus corporalium membrorum.* Hæc ille. Quod verum est: nisi quod dispar in hac re ratio est in nobis & Angelis in eo, quòd voluntas nostra mouet membra per potentiam motricem; nimirum determinando potentiam, vt motum eliciat; vt ex in- A stituto dicam infrà q. 51. a. 3. quæsito vnico Dific. 2. At verò Angeli in cœlo non possunt suo imperio determinare potentiam motricem cœli, quam diximus nullam esse, quia alioqui cœlum moueretur à se, & ab anima informante. Mouent ergo imprimendo motum, siue id fiat media virtute quæ sit in ipsa Angelica substantia & ab ipsa Angeli voluntate distincta, vt mouent baiuli pondera quæ gestant, & vt mouentur ea quæ sunt in naui ad motum nauis &c. Siue solo imperio Angelicæ voluntatis nulla in ipso interposita virtute motrice; Quia scil. voluntas Angeli talem vim in cœlum habeat, vt suo imperio imprimat in ipso motum.

A. Doctor.

Qui quidem posterior modus dicendi nullum continet absurdum. Vt enim ait idem A. B Doctor q. 16. de Malo a. 1. ad 14. vbi eãdem sententiam probat validiùs: *Quantò aliqua substantia intellectualis est altior, tanto habet virtutem motiuam magis vniuersalem,* nempe in corpora. Inde concludit substantiam spiritalem separatam à corpore posse mouere corpus non sibi vnitum tanquam subiectum, & compartem; idque solo imperio voluntatis. Nam si agit animus noster in suum corpus per intermedias motrices facultates, id esse ibidem ait, quia animus noster non est totus intellectus, sed etiam sensus, ad quem pertinet, vt corpus moueat ad suas sensationes per motricem facultatem. Angelus autem non est intellectus secundùm vnam quasi partẽ, vt ani- C mus; sed secundùm totam suam naturam intellectualis est; hoc est nullam aliam cognitionem habet præter intelligentiam, vt docturus est infrà A. Doctor q. 54. a. 5. ibique etiam & nos latiùs disseremus. Vnde nulla virtus seu potentia in Angelo potest esse nisi pertinẽs ad apprehensionem, vel appetitum intellectualem. Quod etiam ibidem dixerat ex S. Dionysio cap. 4. de diu. nomin. *Quòd intellectuales sunt omnes eorum substantiæ, virtutes, & operationes.*

A. Doctor.

S. Dionys.

Quamquam ex hoc loco non ostenditur in Angelo non posse per distinctam à voluntate potentiam corpora moueri. Quia dicerent aduersarij illam potentiam esse intellectualem, quia intelligentiæ subseruit; Quemadmo- D dum ij qui asserunt in Deo omnipotentiam executricem imperantis voluntatis, dicent eam esse intellectualẽ, quia pertinet ad intellectum cui obedit, & cum quo facit vnum. Quo etiam pacto libro 1. Ethic. cap. vlt. ab Aristotele dicitur, appetitum sensus esse intellectualem in homine. *Concupiscibilis* inquit *& omnino appetibilis particeps rationis quodammodo est, quatenus ei obedit, imperioque eius obtemperat.* Cui consentanea sunt ea quæ docet A. Doctor in 3. d. 17. q. 1. a. 1. quæstiuncula 2. cùm ait, appetitum in homine *posse dici voluntatem, in quantum est obediens rationi.*

Aristoteles.

A. Doctor.

Quicquid tamen id sit, in Angelis rectè dici- E tur ex solo imperio voluntatis Angelicæ cœlum moueri, quia non est cur ponatur alia potentia exequens motum, cum possint corpora cœlestia æquè bene obedire Angelorum voluntati atque potentiæ motrici. Sanè A. Doctor opusc. 11. art. 3. disertè ait. *Si hoc vertatur in dubiũ, quod dicitur eos Angelos mouere cœlestia corpora suo imperio, irrationabilis dubitatio videtur.* Id etiam hoc argumento confirmat. *Non enim possunt mouere aliquod corpus per contactum quantitatis, cùm sint incorporei, sed per contactum virtutis. Nihil autem in*

A. Doctor.

in Angelis alium, quàm ipsorum intellectum; cùm & ipsi à Dionysio intellectus & mentes nominentur; vnde eorum motiones ab intellectu procedunt. Ipsa autem conceptio intellectus, &c. Neque verum est, hoc ipso imperio vti ad mouenda corpora esse proprium Dei: Quia, vt ait A. Doctor vbi suprà q. illa 16. de Malo. a. 1. ad 14. *Solius Dei est, vt materia corporalis obediat ei ad nutum quantum ad susceptionem formarum: Non autem est inconueniens quod Angeli aliqua corpora moueant solo imperio voluntatis motu duntaxat locali.*

A. Doctor.

Quòd verò dicitur in argumento, sequi Angeli velle esse ipsum agere in cœlum, falsum est: Quia actio Angeli in cœlum est ipse motus in ipso cœlo receptus. est enim actio, quam vocant transeuntem, quæ transit in subiectum externum. est enim motus ipse localis, quo formaliter circumducitur ipsum cœlum. At velle est actio vitalis manens in suo principio, licèt sit causa illius alterius actionis transeuntis. His etiam addi potest quod rectè ait A. Doctor in ea responsione ad 8. citata. Si vltra imperium voluntatis addamus etiam aliquam in cœlo impressionem, atque impulsum, non propterea sequi virtutem illam esse infinitam, aut fatigationem vllam fore in Angelo. Nam cum huiusmodi actus Angelici intellectus, & facultatis motricis sint spiritales, possunt perpetuari in infinitum sine vlla defatigatione, etiamsi virtus finita sit. Solis enim virtus licèt finita sit, tamen perpetuò illuminat; & nunquam solem illuminando defatigari constat.

A. Doctor.

Vnum tamen ex eo loco A. Doctoris obserua: Docet enim ibidem quamcunque virtutem superioris ordinis, *licet sit finita in se & respectu sui superioris, esse tamen infinitam respectu suorum inferiorum. sicut etiam virtus Solis est infinita respectu generabilium, & corruptibilium, per quorum productionem etsi in infinitum esset, non minoraretur.* Ex quibus habes virtutem esse infinitam in hoc sensu: vt sit infinita; hoc est indeficiens etiam comparatè ad omnia quæ produci possunt plura & plura absque vllo fine ac termino: Quemadmodum 3. p. q. 7. a. 11. c. gratia Christi dicitur infinita, eo quòd est virtus non limitata in gratificando, sicut nec lumen Solis in illuminando: quod eo loco fusè obseruatum est à nobis.

A. Doctor.

Ad nonum respondeo Aristotelem lib. 4. Physic. cont. 32. explicare quid sit in entibus moueri per accidens, eò quòd scilicet *sic mutantur secundum locum, quia id in quo sunt, mutatur.* Motores autem cùm sint immobiles, ne per accidens quidem moueri possunt. Si autem Aristoteles dicit, motores inferiorum orbium moueri per accidens, soluit A. Doctor ibidem ad 9. per motores intelligi ipsos orbes cœlestes, quorum est motus raptus, atque ita superior mouet inferiorem, & mouetur per accidens ad motum superioris. Quem tamen locum ego reperire in Aristotele minimè potui. Sanè apud Aristotelem nullus cœlestium motor debet moueri per accidens, ne vt suprà diximus in mouendo defatigetur; atque ita æterno tempore mouere non possint orbes suos. Quod Aristoteli qui Mundum æternum posuit est falsum.


Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles.

***

ARTICVLVS SECVNDVS,

Vtrùm Angeli assumant corpora.

2. d. 8. a. 2. & Pot. q. 6. a. 7.



A D secũdum sic proceditur. *Videtur quòd Angeli non assumãt corpora. In opere enim Angeli nihil est superfluum, sicut neque in opere naturæ. Sed superfluum esset, si Angeli corpora assumerent, Angelus enim non indiget corpore, cùm eius virtus omnem virtutem corporis excedat. Ergo Angelus non assumit corpus.*

2. Præterea omnis assumptio ad aliquã vnionem terminatur: Quia assumere dicitur quasi ad se sumere. Sed corpus non vnitur Angelo vt formæ sicut dictũ est. Ex eo autem quòd vnitur sibi vt motori non dicitur assumi, alioquin sequeretur, quòd omnia corpora mota ab Angelis essent ab eis assumpta. Ergo Angeli non assumunt corpora.* *Art. preced.

3. Præterea Angeli non assumunt corpora de terra vel aqua, quia non subitò disparerent. Neque iterum de igne, quia comburerent ea quæ contingerent. Neque iterum ex aëre, quia aër infigurabilis est, & incolorabilis. Ergo Angeli corpora non assumunt.

Sed contrà est quod Augustinus dicit libro 15. de Ciuit. quod Angeli in assumptis corporibus Abrahæ apparuerunt.* *ca. 29. circa princ. & lib. 16. ca. 29. to. 5.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, Angelos nunquam corpora assumere, sed omnia quæ in scripturis diuinis leguntur de apparitionibus Angelorum contigisse in visione prophetiæ; hoc est, secundùm imaginationem. Sed hoc repugnat intentioni scripturæ. Illud enim quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis. Vnde non videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autem diuina sic introducit interdum Angelos apparentes, vt communiter ab omnibus viderentur. Sicut Angeli apparentes Abrahæ visi sunt ab eo & tota familia eius, & à Loth & à ciuibus Sodomorũ. Similiter Angelus qui apparuit Tobiæ ab omnib. videbatur. Ex quo manifestũ fit huiusmodi cõtigisse secundùm corpoream visionẽ, qua videtur id quod positum est extra videntem, vnde ab omnibus videri potest. Tali autem visione non videtur nisi corpus. Cùm igitur Angeli neque corpora sint, neq; habeãt corpora naturaliter sibi vnita vt ex dictis patet, relinquitur quòd interdum corpora aßumant.* *Art. preced. & a. 1. q. 50.

Ad primum ergo dicendum, quòd Angeli non indigent corpore aßumpto propter se ipsos, sed propter nos, vt familiariter cum hominibus conuersando demonstrent intelligibilem societatem, quam homines exspectant cum eis habendam in futura vita. Hoc autem quòd Angeli corpora assumpserunt in veteri testamento, fuit quoddam singulare indicium,

quòd verbum Dei assumpturum esset corpus humanum. Omnes enim apparitiones veteris testamenti ad illam apparitionem ordinatæ fuerunt, quæ Filius Dei apparuit in carne.

Ad secundum dicendum, quòd corpus assumptum vnitur Angelo non quidem vt formæ, neque solùm vt motori, sed sicut motori repræsentato per corpus mobile assumptum. Sicut enim à sacra Scriptura proprietates rerum intelligibilium sub similitudinibus rerum sensibilium describuntur; ita corpora sensibilia diuina virtute sic formantur ab Angelis vt congruant ad repræsentandum Angeli intelligibiles proprietates. Et hoc est Angelum assumere corpus.

Ad tertium dicendum, quòd licèt aër in sua raritate manens non retineat figuram neque colorem, quando tamen condensatur & figurari potest sicut patet in nubibus. Et sic Angeli assumunt corpora ex aëre condensando ipsum virtute diuina, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem.

Explanatio & confirmatio eorum, quæ hîc dicuntur.

A. Doctor. RESpondet A. Doctor a. 2. Angelos interdum corpora assumere. Probat dupliciter. Primò quidem redarguendo eorum opinionem, qui dicebant omnes Angelorum apparitiones fuisse imaginarias, excitatis in animo aspectantium intrinsecus phantasmatis, qualia fuerunt visa prophetarum. Hos autem refutat: Nam quæ pluribus eodem modo cernuntur non sunt tantummodo imaginaria, sed visione corporea cernuntur tanquam id quod est positum extra videntem. Nam quæ imaginaria ac phantastica sunt non videntur indiscriminatim vel ab omnibus vel à pluribus. Sed Angeli corporibus iuncti ita apparuerunt vt visi sint eodem modo à pluribus quibus apparuerunt. Nam Angeli qui se Abrahæ visendos præbuerunt visi sunt non solùm ab eodem Abrahamo Genes. 18. (Genes. 18.) verùm etiam à tota eius familia. Similiter & ij qui Lotho in Sodomis degenti apparuerũt Gen. 19. (Genes. 19.) non solùm ab ipso Lotho sed etiam ab vniuersis Sodomitis cernebantur. Idem contigit cùm Angelus dum Tobiæ non solùm apparuit, verùm se comitem itineris adiunxit, vt patet ex libro Tobiæ, omnibus aspectabilis erat. Ergo hæc & similia, quæ à sacris literis commemorantur, non fuerũt spectra imaginaria, sed apparitiones verorum corporum.

Secundò idem directè probat: Quia illa substantia quæ nec est corpus, nec habet corpus naturaliter vnitum, si interdum sese oculis corporeis verè spectãdam offerat, debet assumere corpora, quia scilicet non potest esse tantummodo spectrum in sola imaginatione cõsistens, quandoquidem verè spectabilis apparet. Sed Angeli sese oculis corporeis verè spectandos interdum offerunt. Ergo interdum assumunt vera corpora. Minorem relinquit vt notam ex dictis. Quæ rationes optimæ sunt, vt patebit ex sequentibus quæsitis. Similibus etiam vsus est argumentis in q. 6. de Pot. a. 7. & in 2. d. 8. q. 1. a. 2. de quibus dicam deinceps. Ad ea ergo declaranda sit

QVÆSITVM PRIMVM,

Vtrùm Angeli verè assumant sibi corpora.

EX dictis manifestè apparet sacrorum & prophanorum sapientum sententiâ Angelos omninò abiunctos a corpore esse non solùm tanquam à parte ex qua componantur, verùm etiam tanquam à comparte cum qua totum aliquod componant; ideoque penitus incorporeos. Nũc examinare oportet an ita sint omninò à corpore auulsi, vt nullo modo possint substãtialiter corporibus iungi, aut in assumptis corporibus cerni. Hæc autem Quæstio nõ solùm difficultatem habet apud Patres: verùm etiam difficilis ex eo redditur, quod non ita facilis sit explicatu, quo tandem modo substantia incorporea possit sibi repente formare corpora, iisque se induere, vt verè videatur nunc homo, nunc ignis, nunc demum quicquid libitum illi sit. Et præterea; Cur non possint saluari omnes Angelorum apparitiones per imaginariam hominum apprehensionem. Et ideò hanc quæstionem non solùm hic a. 2. in controuersiam vocauit A. Doctor, verùm etiam examinauit copiosiùs multò, locis citatis q. 6. de Pot. a. 7. & in 2. d. 8. q. 1. a. 2. Quod etiam nobis pro viribus in præsentia faciendum est. Vt autem distinctiùs progressus noster fiat, controuersiam complectamur duobus quæsitis. Etenim in priore disseremus: Vtrum verè, ac re ipsa assumãt corpora. In altero: Quo pacto id fieri contingat. Sit autem in hoc quæsito

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Sacrarum litterarum, SS. Patrum Theologorúmque sententiâ, Angeli verè assumant sibi corpora quibus hominibus appareant.

IN Parte negãte videri possunt quidam ex Patribus. Primò S. Epiphanius aduersus hæresim 26. post medium aperte id videtur negare. S. Epiphan. *Quomodo potest* inquit *Dæmon, qui spiritus est immundus & incorporeus corpora assumere?* Quasi extorquere velit instando id fieri non posse. Idem colligitur ex S. Damasceno, qui libro 2. de Fide cap. 4. videtur omnes transfigurationes Angelorum referre S. Damascenus. in phantasiam atque imaginationem, nõ autem in realem corporum assumptionem: *Permissione Dei facti* inquit *& fortitudinem habent & transferuntur, & transformantur in quam volunt figuram secundum imaginationem.* Præterea S. Augustinus libro 3. de Trin. cap. 11. & 12. S. August. Deum veteris testamenti Patribus apparuisse ait quemadmodũ & Angelos legimus visos esse. At Deus extra mysterium Incarnationis non videtur vnquam corpus verè assumpsisse. Ergo neque Angeli assumpserunt corpus. Ergo si eæ apparitiones fuerunt sine corporibus; cur & reliquæ non erunt? Idem etiam probari potest ex S. Hieronymo: S. Hieron. Nam

Abac. 2.

Nam super ea verba Abacuchi cap. 2. *Dominus in templo sancto suo* ait; Quamuis dæmones exterius simulachris præsideant, intus tamen esse non possunt: quod etiam habet ibidem glossa interlinearis. Ergo si nō possunt esse intra simulachra, nec erunt intra reliqua corpora; neque consequenter ea assumere possunt, quia intra ea esse deberent; saltem tanquā internus motor in suo mobili; vt nauta in naui, &c.

Ad hanc Partem accedunt tria auctorum genera.

Rabbi Moyses. Vldaricus. Dionys. Carthusian. Albertus.

Primum est eorum qui expressè dicunt, omnes Angelorum apparitiones in veteri testamēto in sola imaginaria visione quandoque quidem dormientium, quandoque vigilantiū constitisse. Cuius sententiæ assertor inter Hebræos fuit Rabbi Moyses, vt ei tribuit A. Doctor q. 6. de Pot. a. 7. c. initio. Quam etiam sententiam hic suppresso auctoris nomine indicauit; eius tamen argumenta non attulit. Idem placuisse Vldarico lib. 4. Sum. testis est Dionysius Carthusianus in 2. d. 8. q. 1. vbi etiam addit Albertum præceptorem suum pro se stare, suámque sentētiam probat: quia *natura* inquit *non sustinet ea quæ de corpore aereo tradunt auctores*. Et præterea quia inutiliter tanta ad hoc opera adhiberetur. Propterea quòd per spiritalem operationem spiritali substantiæ congruam meliùs perfruitur, dum & ipse spiritus præsens est, suámque præsentiam per C speciem spiritalem ostendit. Negat tamen hinc colligi has apparitiones imaginarias, vel esse falsa præstigia vel illusiones nisi cum nos decipiunt. Nam alioqui documento nobis sunt quid agere nos oporteat; cùm & Christus in specie peregrini duos discipulos resurrectionis mysteria docuerit. *Quæ species* inquit *in eorum tantùm oculis fuit*.

Guilelmus Parisiensis.

Huc etiam videtur accedere Guilelmus Parisiensis libro de vniuerso in secūda Parte secundæ partis præsertim cap. 37. & 38. prolixa enim disputatione arguit in vtramque partem. Vbi tamen cùm multa argumenta attulisset vt ostenderet hæc visa nihil esse ex parte Obiecti, sed sola in sensibus immutatione facta, solùm dubitat contra ex libro Geneseos ac Tobiæ; D Vtrùm vera corporum assumptio fuerit. *Nec enim* inquit *tanto tempore Tobias ille fuit in spiritu*. Licèt tandem concludat sic. *Nec veritas horum ad certum declarabilis est per vias probationum. Hinc sufficere arbitror sentire in his quod amplius congruit gloriæ creatoris, & vtilitati eorum propter quos talia fiunt.*

Denique apertissimè fatetur, se in hac re ancipitem esse, in tertia Parte eiusdem secundæ partis cap. 4. his verbis. *De hoc autem* inquit *quod multi ex sapientibus opinati sunt, spiritus & bonos & malos assumere corpora, iam expeditus es in his quæ præcesserunt, quantum tunc possibile fuit. Verùm si aliud* E *per semetipsum, vel per doctorem, qui hoc possit declarare, vel alia via creatori certum facere placuerit, scito me esse vnum de his qui hoc addiscere parati sunt, & cum gaudio acceptare. Non enim prudentia mea sic innitor, vt vbi non opinari nisi verisimiliter possum, certitudinem veritatis per quemcumque mihi fieri possit, repellam.*

Tiraquellus. Alex. ab Alex.

Liberiùs hac de re loquitur Andreas Tiraquellus ad caput 9. lib. 2. Alexandri ab Alexandro Genialium dierum. Vbi ait auctorem in eo capite vmbras quasdam hominum sui temporis enarrare, additque similes quoque nonnullas referri à Plinio, &c. *Sed hæc semper* inquit *mera* A *somnia esse putaui*. Similia prorsus verba repetit idem Tiraquellus ad cap. 23. libri 5. vbi cùm iterum incidisset iisdem de rebus sermo ait. *Sed vt semel dicam quid de hisce rebus sentiam, ego mera somnia esse puto.*

Alterum est eorum, quibus visum est, Angelos sua propria habere corpora; nec vt hominibus apparerent indiguisse alienis. Cuius sententiæ auctores siue sacros siue prophanos super. q. satis supérque recensuimus.

S August.

Tertium est eorum, quibus hac in re nihil certi constitutum esse videbatur. Inter quos videri potest S. Augustinus lib. 3. de Trin. cap. 1. ob illa verba. *Fateor* inquit *excedere vires intentionis meæ, Vtrùm Angeli mente spirituali, sui corporis* B *qualitate, per hanc occultiùs operantes, assumant ex inferioribus elementis corpulentioribus quod sibi coaptatum quasi aliquam vestē mutent, vertántque in quaslibet species corporales etiam ipsas veras, sicut aqua vera in verum vinum conuersa est à Domino. An ipsi propria corpora sua transforment in quod voluerint, accommodata ad id quod agunt.* Vnde videtur dubius an sensibus illudendo Angeli varia corpora assumere videatur. Non enim aliter propria corpora vertere possunt in omnes species. Quæ enim sunt propria retinentur, nec reipsa cōmutantur. Atque ita tandem dubitationem concludit: Quicquid horum sit, nihil referre ad præsens eius institutum. In eadem dubitatione significa- C uit se esse eodem libro 3. cap. 10. vbi: *Quemadmodum hæc faciant Angeli, vel potiùs Deus quemadmodum hæc faciat per Angelos suos, & quantum fieri velit per Angelos malos siue sinendo siue cogendo, &c.* fatetur se non valere comprehendere. Idémque paulò superius dixerat ibidem: *Illas autem nubes & ignes quomodo fecerint vel assumpserint, &c. quis nouit hominum?*

S. Bernard.

Dubia planè hæc quæstio visa est S. Bernardo qui ser. 5. in Cant. hanc controuersiam indiscussam relinquens ita concludit. *Cæterùm vtrùm ipsis spiritibus naturalia corpora sint sicut hominibus sua; an vero ipsi spiritus corpora cum opus est sumant, rursúsque expleto opere ponant in eandem de qua sumpta sunt* D *materiam dissoluenda, nolo vt à me requiratis. Videntur Patres de huiusmodi diuersa sensisse: Nec mihi perspicuum est, vnde alterutrum doceam.* Anceps ergo illis sententia est: Vtrùm assumant noua corpora, quibus illi veluti vestiantur, vt se conspectui præbeant.

S. Andreas Cæsariensis.

His videtur adiungendus S. Andreas Cæsariensis, qui in libro qui est *commentarius in Apocalypsim* cap. 20. & habetur tom. 1. Biblioth. Veterum Patrum, dubitat: An Angeli cum apparent veris corporibus vtantur. Ait enim Angelos cum hominibus ministrare. *Siue corpore vestiti locóque circumscripti, vt eruditis quibusdam placet, inter ipsos compareant; siue vt aliis magis probatur, trina illa longitudinis latitudinis & profun-* E *ditatis intercapedine, vt quæ corporum sit propria destituti: non in propria natura conspiciantur, sed in ea figura & forma, quam Deo illis tribuere visum fuerit.* Quibus non solùm de hac re dubitat, verùm etiam subscribit opinantibus Angelos non assumere corpora, sed apparere figura & forma, quam Deus illis tribuit; nempe in hominum phantasia. nam alioqui nec destituerentur corporis mole, nec Deo tribuenda esset figuratio.

***

Communis Theologorum Patrúmque sententia est, Angelos verè assumere corpora, explicatúrque quid sit Angelos assumere corpora. §.1.

AD Partem tamen affirmantem videtur communis Patrum ac Theologorum sensus accedere vt deinceps citabuntur. Et sane A. Doctor in hoc articulo ait contrariam sententiam *repugnare intentioni Scripturæ*: & q. illa 6. de Veritate ar.7.ait, *non saluare veritatem scripturæ* &c. Idem tenet Alexander 2.p.q.34.m.2.ac deinceps S.Bonauentura, Scotus & Ricardus in 2.d.8.q.1. & alij.

A.Doctor. Alexander. S.Bonauent. Scotus Ricardus.

Quod verò attinet ad magnum Albertum ab Vldarico citatum bene obseruat Carthusianus in ea q. 1. §. *Cum scripta* Albertum apertissimè sensisse Angelos verè corpora assumere vt hominibus appareant. Id expressè patet in summa Theologica p.p.tract.18.q.75.m.1. & 2. Vbi m.1. multis probat in nostra commoda fieri huiusmodi corporum assumptiones. *Licèt enim* inquit ad 1. *quamuis est, de natura sua incorporei sint & simplices* Angeli, *nullam habentes inclinationem & proportionem ad corpus; tamen quia nos corporei sumus, & corporalibus similitudinibus facilius instruimur de cœlestibus ex conuenientia ad nos, vt scilicet nobis congruant: vtile est eos assumere corpora, & alia in quibus nobis congruant, vt ex similitudinibus manifestetur quid circa nos acturi veniant. Vnde Tob. 4. Angelus apparuit in specie iuuenis præcincti ad ambulandum, vt ex hoc doceret, quòd itinere recto & salubri ducturus esset filium.* Vnde ibidem ad 2. docet ea ab Angelis assumi corpora, quæ quàm aptissima sint ad figuranda ea, quæ significari volunt. Idcircò 2. Machab.cap.10. Angelorum multitudo quia è cœlo ad patrocinium Machabæorum venerat, vt scilicet in præliis eos defenderet, præcedebat exercitum per aërem veste candida, armis aureis, hastam vibrans in hostes &c. Ex quo intellexerunt auxilium sibi esse de cœlo. In 2.autem membro probat corpora assumi de aëre: Quæ omnia etiam docet in summa de 4. coæq.q. 9.a. 8. & deinceps. Albertus ergo non est pro Vldarico.

Albertus Magn Vldaricus. Carthusian.

2.Mach. 10.

Verum quoniam sibi religioni duxit Carthusianus, quòd videretur mendacem facere Vldaricum, ideò subdit se non opinari ipsum mendose citasse Albertum, nec suo præceptori talem opinionem ascripsisse mendaciter. quia fieri potest Albertum eadem de re diuersa locutum esse. Sed hæc delicatissimis sanctorum mentibus danda sunt. Alios pro hac sententia citat auctores Carthusianus; nempe Petrum, Ricardum &c. Alios vide infra in primo nostro *Coll*.... Plures etiam alios Theologos citabo deinceps consequentium Difficultatum in Parte tum affirmante, tum negante. Ad solutionem

Notandum est ne ob nominis ambiguitatem in ancipiti præsēs Quæstio versetur; Cùm Quærimus Vtrùm Angelus assumat corpus, non esse sermonem de quacunque corporis assumptione in amplissima huius nominis significatione; vt cùm dicitur Angelus assumpsisse Abacucum, eúmque transtulisse Babylonem, vt Danieli prandium ferret: Aut cùm Matthæi cap.4. dicitur; *Tunc assumpsit eum* Christum *Diabolus in sanctam ciuitatem* &c. Similiter etiam cùm artifex dicitur assumere instrumentum ad aliquid, vt malleum ad percutiendum, serram ad secādum, calamum ad scribendum &c. Qua ratione Angelus in arreptitiis assumere dicitur eorum linguam ad loquendum Arabice, aut alio idiomate. Hæc enim & similia non faciunt ad rem præsentem, quā quærimus cum A. Doctore: Vtrùm Angeli assumant corpora non quomodocūque, sed quibus appareant, & cum hominibus colloquantur, ab iisque agnoscantur. Et idcircò tota A.Doctoris responsio in hoc art. est vt ostendat huiusmodi Angelorum apparitiones in suis corporibus fuisse verorum corporum non imaginarias tantùm, & in hoc sensu disputāt Theologi infrà citandi. De hac ergo corporum assumptione paulò pressiùs accepta videndum primò est quid illa significet, vt deinde constituatur, an ea concedi debeat. Pro qua re

Matth.4.

Notandum est secundò: Ab Angelo assumi corpus hoc pacto nihil aliud significare, quàm Angelo vniri corpus tanquam motori, & non quocunque modo. alioqui Angeli qui cœlum mouent assumerent cœlum; sed vniri ita vt illud corpus operans Angeli personam repræsentet, seu referat seu sustineat. Hæc descriptio ferè totidem verbis explicatur ab A. Doctore in hoc art. ad 2. *Corpus assumptum* inquit *vnitur Angelo non quidem vt formæ, neque solùm vt motori, sed sicut motori repræsentato per corpus mobile assumptum.* Quocirca hæc tria A. Doctor postulat ad rationem assumpti corporis quæ in definitione posuimus; vt scilicet corpus vniatur Angelo, qui eius sit motor, in eóque corpore Angelus ita repræsentetur, ac si personam eius gereret. Vnde vt optimè idem A.Doctor ait q.6.de Pot.a. 7.ad 1. Angelus non in alium finem proximum sibi corpora vnit, nisi *ad suam repræsentationem illo modo quo intelligibilia per sensibilia repræsentari possunt*, vt mox explicabo; Quod etiam probat ex S. Dionysio c. 5.cœlest.Hierar.in medio, *vbi ostendit* inquit *quod per corporales formas Angelorum proprietates intelliguntur.*

A.Doctor. S.Dionys.

Dicitur autem primò *assumi corpus ab Angelo esse illi vniri corpus*: Quia, vt ad hoc propositum ait A.Doctor eadem q.6.de Pot.a.7.ad 1. *assumere est quasi ad se sumere*, siue vnire. Vnde Verbum diuinum non aliter dicitur assumpsisse hypostaticè naturam humanam, nisi quia eam sibi copulauit vnitate diuinæ subsistentiæ, vt ex instituto disputat A. Doctor 3.p. q.2. ibique Theologi.

A.Doctor. A.Doctor.

Dicitur secundò *tanquam motori*: Nam vt explicat A. Doctor ad 2.non potest vniri Angelo tanquam formæ, quia nullius corporis potest esse vera forma, vt ex dictis manifestum est. Quocirca à fortiori non potest Angelus corpus sibi sumere sicut homo assumit cibum, quia non nutritur. Deinde quia Angelus debet facere vnum cum corpore ad motum aliquem, & operationes eliciendas. Ergo debet ei corpus vniri tanquam motori. Non enim vnire sibi creaturam aliam potest hypostaticè aut alio modo.non quidem hypostaticè, quia nulla creatura potest aliam naturam terminare suâ hypostasi, vt est communior sententia, & à nobis probatur 3.p. q.3.vbi A.Doctor a.1.ad 2. docet *proprium esse diuinæ personæ propter eius infinitatem* posse alienam naturam sustentare. Non verò alio modo: quia talis modus vnionis assignari non potest. aut certè

A.Doctor.

tè hic superu maneus esset, vt patebit.

A.Doctor. Dicitur tertiò; *vt illud corpus*, &c. Non enim vt ait ibidem A.Doctor, sufficit si vniatur tantùm tanquam motori: Nam etiam lingua asini Balaam vniebatur Angelo tanquam motori à quo mouebatur, sicut etiam cœlum quod ab Angelo voluitur; Et tamen in iis corporibus non fiunt nec sunt Angelicæ apparitiones, sed debent vt motori ita vniri, vt Angeli personam referant; hoc est vt in eo Angelus appareat, & suas functiones, quibus agnosci suam personam vult exerceat. Quod non fit nisi illud corpus operans personam Angeli referat atque sustineat. quia scilicet si totum illud conflatum ex motore & corpore moto operans ambulet, appareat Angelus ambulare; si loquatur etiam Angelus loqui censendus sit. Quæ locutiones passim leguntur in sacris literis; vt cùm dicitur: *Angelus ad Pastores ait, Annuncio vobis*, &c. *Angelus dixit ad Petrum, Surge velociter*, &c. Non enim illud solum corpus, aut solus Angelus est qui loquitur, sed corpus quà motum ab Angelo; hoc est quà Angeli instrumentum est: seu Angelus quà corpus mouet; hoc est quà vtitur corpore instrumento tanquam principalis causa. Vnde est vt rectè dici possit totum illud conflatum loquendi actum exercere, quia vtraque illius pars in illam operationem cōspirat. Quo pacto (vt hinc exempla sumamus) currus vehit homines non equus aut auriga solus, sed totum ipsum conflatum ex equis, auriga, curru, &c.

Quod ipsum in naturalibus cernitur. Non enim aut sola anima videt, aut solum corpus, sed anima per corpus, & sic de similibus. Ob quā Aristoteles. causam meritò Aristoteles in libro de somno & Vigilia cap. 1. Quia *sentire non est animæ proprium neque corporis*, vt doceret esse conflati, nempe animantis tales actiones, definiuit sensionem *esse motum animæ per corpus*. Vnde lib. 1. de anima cōt. 64. ridet eos qui dicerent animam irasci, eo quòd *simile est si quis dicat eam texere vel ædificare*. Quia scilicet hæ operationes sunt totius conflati non solius animæ aut corporis. Ideo subdit. *Melius enim fortassis est non dicere animam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem anima*.

Hinc verò Notandum tertiò est: Quod huiusmodi corpus debeat vniri Angelo, vt per illud A.Doctor. repræsentetur siue vt loquitur A. Doctor in ea responsione ad 2. *vt congruit ad repræsentandum*, nempe Angelum; posse intelligi dupliciter. Vel primò quia tāquam per signum quod repræsentat rem cuius est signum: & hoc pacto non satis est, vt assumptum corpus referat Angelum. quia alioqui hoc pacto Angelus assumeret cœlum. Etenim & motus cœli est signum Angeli mouentis, & alia huiusmodi. Vel secundò quia gerat ac sustineat personam Angeli; vt Prorex refert personam regis, & legatus personam principis. Quia scilicet ita Prorex se habet, vt rex in eo agnoscatur, ac si illa persona proregis esset ipsa regis persona, idemque dico de legato.

Et hoc modo accipitur in definitione cùm dixi vt *Angeli personam referat atque sustineat*. Ratio est clara: quia illud corpus operans debet ita referre Angelum, vt verè Angelus censeatur loqui; sedere, interficere, &c. Ergo illud corpus operans sustinet ac gerit personam Angeli, quia censetur esse Angeli persona operans; alioqui non tribuerentur illi corpori Angelicæ operationes, quemadmodum non tribuerentur regi

A actiones Proregis nisi hic referret ac gereret illius personam: Quod accidit cùm tanquam priuatus vir hominis fūctiones obit atque exercet. Vt ambulare, sudare, &c. Ex qua doctrina

Notandum est quartò rectè Durandum in 2. Durandus. d. 8. q. 1. requirere vt Angelus assumat corpus, nō debere ipsum corpus referre quidpiam aliud quod Angelicæ personæ repræsentationē amoueat. Vnde fit vt quia corpus viuum simpliciter refert animal ipsum, non Angelum, non possit illud ab Angelo propriè assumi. Hoc inquam rectè dicitur quicquid contrà recentiores obiiciant. Ratio est, quia corpus viuum non ingerit speciem ipsius Angeli operantis, sed animalis operantis, ideò tale corpus nunquam dicetur B Angelus operans, sed animal aut viuens, etiamsi manifestè appareat ipsum moueri ab Angelo. Neque enim si tale corpus loquatur aut ambulet, dicetur Angelus aut loqui aut ambulare, vt manifestè patet in arreptitiis. Non enim dicimus ipsos esse Angelos qui loquantur, hoc est dæmones, sed iis qui loquuntur inesse dæmones.

Quamobrem si Socrates v.gr. à dæmone obsessus Græcè loquatur, Socrates ipse loqui simpliciter censetur ac dicitur non dæmon, etiamsi Socratis linguam dæmon moueat ad Græcè loquendum: Quod etiam patet ex sacris literis Numer. 22. vbi etiamsi Asina Balaami Angelicâ Num. 22. C opera loqueretur; non tamen ibi dicitur Angelus locutus sed Asina. *Aperuitque Dominus os asinæ* inquit Scriptura *& locuta est*: *Quid feci tibi: cur percutis me?* &c. non enim tunc gerebat Angeli personam. Et ratio huius rei est, quia actiones, quæ teste Aristotele lib. 1. Metaphys. cap. 1. singularium sunt, iis simpliciter tribuuntur singularibus, quæ manifestè & connaturaliter agere nobis apparent. Ergo simpliciter tribuūtur propriis suppositis non aliis. ideóque hæ actiones, Angelicæ personæ repræsentationem remouēt: cùm alterius nempe propriæ personæ speciem ingerunt. Aristoteles.

Simili nos ratione ostendimus 3.p.q.78. a. 5. D non fore veram propositionem in consecratione corporis Christi: *Hoc est corpus meum*. si panis substantia sub suis accidētibus permaneret. propterea quòd illa particula *Hoc* potiùs significaret connaturale subiectum illorum accidētium, quàm quoduis aliud: quia eius speciem ingerit non alterius. Quare tunc sensus esset: Hoc; nempe panis est corpus meum; id est Christi. quod falsum est. Vnde inferebamus ex vi illius propositionis, vt vera sit, non posse substantiam ipsam panis sub illis accidentibus, vbi primùm ea propositio prolata est ampliùs subesse. Itaque rectè monet Durandus non debere esse corpus viuū, Durandus. E eo quòd tale vel tale viuens dicatur, non autem Angelus; atque ita non est loco Angelicæ personæ quam referat. Idem cōfirmabimus ex A. Doctore seq. Quæsit. Diffic. 1. initio, & Diffic. vlt. in fine.

Verum est tamen non esse necessariam aliam conditionem Scoti & Gabrielis in 2. d. 8. vt sci- Scotus. licet Angelus ibi sit definitiuè, seu adæquatè, ita Gabriel. vt extra nō sit. Hoc autem non est necesse: Quia etiamsi Angelus extra sit in sua sphæra, tamen illud corpus verè dicitur Angelus. Qua de re etiam dicam Difficult. seq. Not. 1. Quærimus ergo, Vtrùm Angeli assumant corpora hoc modo.

Non

Non semper quotiescunque apparet Angelus, corpora assumit, explicatúrque variis modis esse Angelorum apparitiones. §. 2.

PRo hac autem re Notandum est quintò: non quæri hic; Vtrùm Angelus quotiescunque alicui videtur in corpore apparere semper verè assumat corpora. Nam constat posse variis modis Angelum hominibus apparere, vt docet sanctus Gregorius libro 28. Moral. cap. 2. *Cùm enim per Angelum* inquit Gregorius, *voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando etiam rebus demonstrat, aliquando simul rebus & verbis, aliquando imaginibus cordis oculis ostensis, aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre assumptis*, &c. Quæ ipse declarare pergit egregiè. Quos apparitionis modos eruditè noster Antonius Fernandez explicat libro commentariorum in visiones veteris testamenti à Præludio 4. & deinceps. Verùm quoniam hic tantùm sermo noster esse debet de apparitionibus quibus se Angeli nostris ingerunt sensibus vt de ipsorum assumptis corporibus disputetur, ideo

S. Gregor.

Antonius Fernandez.

Notandum est sextò vt rectè monet noster Vasquez disputat. 134. cap. 1. quatuor modis fieri posse apparitiones Angelorum in sensibus humanis. Primò quidem secundùm imaginationem, cùm solo phantasiæ actu obiectum apprehenditur; vt res apparent somniantibus etiam eæ, quarum *nulla est origo in nobis*, inquit Aristoteles libello de Diuinatione per somnium, capite secundo, *vt de nauali bello, & de iis quæ procul accidunt.* Possent ergo Angeli apparere motu & concursu phantasmatum, quæ similia corpora in hominis phantasiam inferret Angelorum.

Vasquez.

Aristoteles.

Secundò per visum exteriorem; & hoc dupliciter. Vel enim fit sensui exteriori apparitio nullo extrinsecus obiecto mouente sensum per solam sensus occultam immutationem, vt præstigiatores facere solent, & accidit iis qui organum malè affectum habent. Si quis enim oculos flaua bili suffusos habeat, obiectæ res flauæ videbuntur: vt generatim meritò dixerit Aristoteles in libello de somniis capite secundo. *Quod facilè decipimur circa sensus cùm in passionibus existimus, veluti trepidus in timore, & qui amat in amore, ita vt videatur à modica similitudine ille quidem hostes videre, hic verò dilectum* &c. Et subdit. *Ideò & febricitantibus interdum animalia videntur in parietibus à modica similitudine linearum compositarum.* Et hic est secundus modus.

Aristoteles.

Vel fit apparitio per talem rei obiectæ vel medij immutationem, vt ea posita tales vel tales formę in sensus imprimantur, vt res aliqua extra appareat qualis re ipsa in se non est: Quo pacto è varia luminis repercussione ad roridæ pluuiæ guttas Iridis colores cernuntur, qui re vera non sunt. Tales etiam sunt colores qui in collo columbæ cerni solent, & quicunque alij non veri, sed apparentes è variis subiectis eiusmodi species in oculos transmittunt, vt videantur quales non sunt, vt in vitro, guttis aquæ, &c. Et hic est tertius modus. Quartò si fiat apparitio in vero

A corpore habente talem figuram, hos aut illos colores, hanc aut illam vocem emittente, &c. Vt sæpè dæmones assumunt formam seu figuram, serpentum, gigantum, &c. vt infrà dicetur. Vltra has apparitionum species alias quoque distinguam Difficult. seq. in Primo Notãdo initio Difficultat. Vt autem intelligatur qua de re controuersia sit

Notandum est septimò: nos hic non contendere semper Angelos hoc quarto modo apparere. Nam pono nunc posse Angelum immutare organum phantasiæ, & exteriorum sensuum tribus illis iam dictis modis.

Ac primò quidem illudendo imaginationi.
B Tali modo putat S. Gregorius loco citato, Iacob Genes. 28. *subnixam cœlo scalam vidisse*, in eáque ad scendentes descendentésque Angelos. *Sicut etiam Petrus*, inquit, *linteum reptilibus & quadrupedibus plenum in extasi raptus aspexit.* Idémque de Petro nempe *imaginarie* vidisse docet A. Doctor in 2. ad Cor. 12. l. 1. Addit quoque S. Gregorius eodem loco huiusmodi fuisse visionem cùm Paulo *in visione noctu vir Macedo apparuit qui transire eum in Macedoniam rogauit*, Act. 16. Quam etiam imaginariam fuisse docent Chrysostomus & Oecumenius in eum locum. Simili in re quædam narrãtur apud S. Augustinum libro 18. de Ciuit. Dei capit. 18. Aiebat enim quidam *se domi suæ per noctem antequam requiesceret, vidisse venientem ad se*
C *quendam philosophum sibi notissimum, sibique exposuisse nonnulla Platonica, quæ antea rogatus exponere noluisset. Et cùm ab eodem Philosopho quæsitum esset, cur in domo eius fecerit, quod in domo sua petenti negauerat. Non feci inquit, sed me fecisse somniaui. Ac per hoc alteri per imaginem phantasticam exhibitum est vigilanti, quod alter vidit in somniis.* Huc spectant alia quæ in eum locum Leonardus Coquæus affert ex Martino Delrio & aliis; quę leges apud ipsum: Et hoc primo modo siue vigilanti siue dormienti accidere potest.

S. Gregor. Gen. 28.

A. Doctor. S. Gregor.

Act. 16. Chrysost. Oecumen.

S. August.

Coquæus. Delrius.

Secundo autem modo fieri posse ex parte organi externi sensus patet, primò quidem mutato
D situ organi, quo fit vt res quæ in vno loco est, videatur esse in alio; vel gemina, quę vnica est; sicut cùm vnius oculi pupilla, digito in alteram partem vrgetur ac detinetur, altero oculo in situ naturali suo permanente: tunc enim gemina res videtur quæ simplex est; vt gemina fenestra quæ vnica sit: de qua re Aristoteles section. 31. problem. quæstion. 11. vbi etiam addit idem obiectũ geminari *cùm digitos inuicem vicibus implicamus, & ita aliquid tangimus; duo namque sentimus, eo quod vnum bis tangimus.* Deinde idem fit, si humores sensuum agitentur, & perturbentur, vt ebriis ac furiosis interdum contingit, qui credunt, *duplicem Solem & geminas se cernere Lunas*, de quibus
E paulò antè dictum est. Tandem idem fit si crassior aliquis humor obstruat viam ne spiritus ad organum perueniãt, vel aliquo alio simili modo, ita vt res aliter quam est, ipsa referatur: Qua fortè ratione Angeli Gen. 19. Sodomæos *cæcitate percusserant à minimo vsque ad maximum ita vt ostium inuenire non possent*; de quibus rectè Martinus Delrius libro secundo Disquisition. Magicar. quæstione octaua. Pro tertio modo apparitionum explicando

Aristoteles.

Genes. 19.

Delrius.

Notandum est vltimò: id posse multifariam contingere. Primò quidem si medium Angeli imbuant aliqua qualitate, qua species per medium peruadentes in organum ita modificentur,

vt obiectum aliter repræsentet. *Vt si*, inquit Martinus Delrius loco citato *de semine asinino & cera fieret candela quæ sola in conuiuio luceret, omnes, si fas est credere Parisiensi antistiti, conuiuæ viderentur onocephali*: ex Guilelmo Parisiensi p. vlt. de Vniuerso cap. 22. Item si vapores intermedij aëris condensentur: Qua ratione maior est obiecti aspectus: Sic Luna exoriens, Sol occidens maior aspicitur, cùm plenus est vaporibus aër; ex quibus vaporibus varios etiam colores Sol ac Luna induere videntur, vt plerunque vulgi sensus fallant; cuius opinioni Poëtæ se plerunque accommodant, dum non tam vera, quàm quæ videntur describunt. Denique si occultetur obiectum vel eius pars vt aliter cernatur, vel si species in medio moueantur, vt moueri obiectum videatur, & aliis miris ac innumerabilibus obiectorum ac medij transformationibus. De quibus aliisque similibus S. Augustinus libr. 10. de Ciuit. cap. 16. *Quorum pleraque*, inquit, *specie tenus mortalium sensus imaginaria ludificatione decipiunt, quale est lunam deponere, Donec suppositas, vt ait Lucanus propior despumet in herbas*. Tali etiam facta in oculis specierum impressione multi arbitrantur Stephanum vidisse cœlos apertos, Act. 7. & Suarez to. 2. in 3. p. disput. 27. section. 1. explicat cœlorum apertionem in Christi baptismate, vt fusiùs in illud cap. 7. obseruat noster Lorinus.

S. August. Lucanus. Act. 7. Suarez. Lorinus.

Vtrùm verò ad similes præstigias & fallacias reuocãda sint ea quæ apud ethnicos miraculi loco habentur, hic non disputamus. Non ignoro tamen videri ad delusiones sensuum referri à Tertulliano in Apologetico cap. 22. *Phantasmata Castorum & aquam cribro gestatam, & nauem cingulo promotam, & barbam tactu irrufatam, vt numina lapides crederentur & verus Deus non quæreretur*. Clariùs & fusiùs Lactantius lib. 2. diu. Instit. cap. 8. & 9. In cuius capitis noni initio postquam cap. 8. toto, longa serie, illa ipsa & alia complura recensuerat, *Exponam* inquit *omnium istorum rationem, quò faciliùs res difficiles & obscuræ intelligantur, & has omnes simulati numinis præstigias reuelabo*, &c. Videntur ergo sentire fuisse sensuum ludibria. Nisi tamen Metaphoricè locuti sint. Nihil tamen hac de re quæratur in præsenti. Modò nobis dubium esse non debeat, quin tribus illis prioribus modis Angeli hominibus apparere possint. His ergo tribus modis positis inquirimus de quarto Angelicarum apparitionum genere: Assumántne Angeli interdum vera corpora, quibus se in hominum conspectum dare credi solitum est; Idque Patrum Theologorúmque sententia.

Tertullian. Lactantius.

Angelos verè assumere corpora, ex variis Scripturæ locis & Patribus ostenditur. §. 3.

AD difficultatem ergo respondetur, & sit Vnica propositio. Scripturæ sacræ, Patres ac Theologi ferè vniuersi concedunt sæpè Angelos verè & reipsa corpora assumere. Hanc propositionem docent recentiores in hunc articulum; vt Molina disput. 1. Vasquez disput. 184. cap. 1. Valentia disp. 4. q. 2. p. 1. & alij. Eam tamen argumentis non probant, sed potiùs tanquam certam ponunt.

Molina. Vasquez. Valentia.

Propositio itaque à nobis probatur. Ac primùm quidem Sacræ litteræ id adeò apertè testantur in iis locis, in quæ mox citabo expositores Patres, vt non sit necesse, seorsim easdem Scripturas huc adducere. Non præteribo tamẽ vnum locum in quo absque vlla Patrum interpretatione id manifestè asseritur, vt Gen. 3. Dæmon sub specie serpentis Euæ apparuit & locutus est. Ergo euidenter ostenditur vero corpore assumpto Dæmonem visum esse ac locutum. Constat namque Dæmonem in statu innocentiæ non potuisse Euæ sensus ludificare. Nam status ille, nec tantam hominis imperfectionem, nec tantam Dæmonis in homines potestatem potuit admittere. Ergo vera corporis apparitio fuit. Quo etiam argumento conficitur, vera corpora fuisse cùm dæmon Christo apparuit, cúmque tentare conatus est, cùm dicitur Matt. 4. *Christus à diabolo assumptus*, &c. Constat ergo ex Scripturis.

Gen. 3. Matth. 4.

Probatur autem nunc ex Patribus. Primò quidem ex iis, apud quos nulla dubitandi significatio est, quin visi fuerint boni Angeli sub aspectabili forma & habitu, dum explicant eos Scripturæ locos, quibus etiam Scriptura ipsa talia visa non tanquam sensuum immutationes seu ludificationes, aut præstigias, sed tanquam verorum corporum apparitiones fuisse commemorat. Plurimas huiusmodi Scripturas prætermitto paucis contentus ex vtroque testamento. Et primùm ex veteri lege.

Primus locus Genes. 18. Dicuntur Angeli apparuisse Abrahamo, & cum eo non solùm collocuti verùm etiam deambulasse. *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum*, &c. Qui permiserunt, vt sibi cibi pararentur; quibus & vesci voluerunt: *cùmque comedissent dixerunt ad eum*, &c. Hos autem fuisse Angelos docet Paulus ad Hebr. cap. 13. illis verbis. *Hospitalitatis nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis*; & benè probat noster Pererius in illud cap. 18. vers. 2. Vbi etiam Rabbinorum sentẽtiã ait, eos fuisse Michaëlem, Gabrielem, & Raphaëlem. Ad quod etiam factum alludunt Patres eundem locum explicãtes, vt S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & alij quos refert noster Benedictus Iustinianus ad illum locum.

Genes. 18. Hebr. 13. Pererius. Chrysost. Theodoret. Theophylactus. Ben. Iustin.

Hæc ergo non tanquam mentitas laruas, sed verè facta narrauit Scriptura: Quia Abraham cucurrit, parauit cibos, apposuit, aduocauit Saram, collocuti sunt, & alia quæ historico stylo in eo cap. narrantur. Vnde sanctus Ambrosius libro 1. de Abrahamo cap. 5. vbi hospitalitatem commendauit hoc factum extollit: *Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque Angelos hospitio suscepit*.

Ambrosius.

Fusiùs sanctus Chrysostomus orat. 2. de Lazaro idem factum exaggerat, Abrahamúmque collaudat. *Pro foribus* inquit *sedens Abraham introducebat prætereuntes omnes: & quemadmodum piscator*, &c. *Itidem & sic rectè captans homines piscatus est tandem & Angelos. Quódque mireris etiam nesciens: Quod & Paulus in eius laudibus dixit: Sectare hospitalitatem: per hanc enim quidam inscientes hospitio exceperunt Angelos*, &c.

Chrysost.

Optimè denique S. Gregorius libro illo 28. Moral. cap. 2. contendit, eos Angelos ex aëre corpora assumpsisse. *Abraham*, inquit, *non solùm tres viros videre potuit, sed etiam hospitio suscipere*, &c. *Nisi enim Angeli ad tempus ex aëre corpora assumerent, exterioribus nostris profectò obtutibus non apparerent, nec cibos*

S. Gregor.

cibos cum Abraham caperent, nisi solidum aliquid ex cœlesti elemento gestarent, &c.

Gen. 19. Alter locus est Gen. 19. vbi duo Angeli oculis Loth sese obtulerunt ipso *sedente in foribus ciuitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram*. Adeò vt ab vniuersa ciuitate visi sint. *Prius autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum a puero vsque ad senem omnis populus simul*, &c. Quam infamiam vt auerteret Loth obtulit eorum nefariæ libidini duas filias virgines, vt Chrysostomus hom. 43. in Gen. ait, tantam totius gentis cóspirationem in malum minore malo propulsare studens. Vnde S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 6. *Offerebat* inquit *S. Loth filiarum pudorem; nam etsi illa quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat secũdùm naturam coire, quàm aduersùm naturã delinquere*, &c. licèt vt verum fatear huiusmodi causa non sit probanda; sed potius alia ratione excusandus Loth, vt fusè præstat noster Pererius cap. 19. in Genes. disp. 1. Vt vt causa huius rei sit, nostro instituto nunc satis est, ipsos Angelos à Lotho fuisse hospitio exceptos. Qua in re S. Augustinus (licet de Augustini sententia dicam infra) mirè Loth iustitiam commendat libro de Mendacio cap. 7. Qui *ita iustus esset vt Angelos etiam hospitio suscipere mereretur*, &c. Nec desunt alij complures Patres, de quibus etiam noster Pererius loco citato. Hos etiam agnitos fuisse Angelos docet idem Augustinus lib. 16. de ciuit. Dei cap. 29. de quo tamen infrà. Addo etiam ex eodem Augustino q. 41. in Genesim decorem ac splendorem vultus indicasse ipsi Lotho, eos esse viros graues, vel prophetas à Deo missos; adeò vt Loth eos adorarit nesciens Angelos esse.

Chrysost.
S. Ambros.
Pererius.
S. August.

Tob. 5. Alios tres locos subiiciam ex eodem veteri testamento. Vnum ex libro Tobiæ cap. 5. quo loco mirũ est, quam multa describantur acta cum Angelo: *Egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum, quasi paratum ad ambulandum*, &c. Salutauit Patrem Tobiæ, promisit se ducturum ac reducturum filium, exenterarũt piscem, iter longum peregerunt, & cætera huiusmodi, quæ satis manifestè indicant, has non fuisse præstigias, quæ bonis Angelis non probantur, nec sensuum immutationes puræ, quia non tandiu durassent. Et idcircò S. Athanasius in Synopsi de Tobiæ comite sic ait: *Raphael comitatus est illum in speciem hominis, qui Azaria diceretur*. Hoc enim se nomine dixit Raphaël Archangelus appellari. Pro qua re vide S. Hieronymum Dan. 8. S. Aug. serm. 226. Rectè noster Nicolaus Serrarius Disput. in cap. 5. Tob. in quadam Quæstiuncula, *An mentiatur Angelus se Azariam vocando & Azariæ filium*; probat, hos Angelos verè apparuisse, & non esse mentitos.

S. Athanas.
S. Hieron.
Serrarius.

Quod sine dubio verum censeri debet. nam imagine seu repræsentatione erat Azarias, cuius personam referebat. Quo pacto Angelus Gen. 31. dixit. *Ego sum Deus Bethel*. Vt enim in simili ait S. Gregorius in eo libro 28. Moral. cap. 2. de illis Angelis, qui hospitio suscepti fuerant apud Abraham Genes. 18. *Mirum non est si modo Angeli modò Dominus vocantur, quia Angelorum vocabulo exprimuntur qui exterius ministrabant, & appellatione Domini ostenditur, qui interius præerat, vt per hoc præsidentis imperium, & per illud claresceret officium ministrantium*. Potest ergo Angelus dici Deus ob personam Dei quam præ se ferebat; atque ita & Azarias dici poterat, quia eius personam gerebat, vt fusiùs dicam infrà. Alio etiam modo excusat Angelum à mendacio noster Serrarius eo loco; quia scilicet talis erat Angelus, qualis nomine Azariæ significabatur; nempe ex eo quòd Azarias dicitur *Auxilium Dei*. Quæ apud ipsum legi possunt.

Gen. 31.

Dan. 8. Secundus locus est Dan. 8. *Stetit in cõspectu meo quasi species viri*, &c. *cumque venisset, pauui & corrui in faciem meam*. Nec obest quod ibi dicitur *videre visionem*. Non enim significat phãtasma, sed se verè aspexisse apparitiones, hoc est more Hebræo ea quæ apparent & se in conspectum dant, & ideo dixit, *in conspectu meo*. Vnde vt obseruat Maldonatus noster in cap. 1. Lucæ in ea verba, *Apparuit autem Angelus Domini*, cùm de spiritualibus rebus agitur, non alio sensu apparere dicitur, quàm verbo *videri* ex vi Græci contextus. Verè ergo vidit speciem illam viri. Idcirco rectè in eum locum Theodoretus orat. 8. in Dan. scribit aduersus Eunomium sic: *Idonea hæc sunt* inquit *ad conuincendum Eunomij fastum, qui ipsam se cognoscere Dei essentiam mentitur; si enim Angelorum contemplationem, eandémque contemplantis viribus dimensam tantus propheta non tulit; Quid magis impium aut detestabilius iis qui gloriantur diuinam se nouisse substantiam?* Vbi obserua particulam illam *cõtemplantis viribus dimensam*. Significat enim, Angelum se per assumpta corpora ceu per quædam velamina Danielis obtutibus aliquo modo accommodasse; licèt inde maiestatis exortus fulgor aciem perstrinxerit, mentem deterruerit, &c. *Corruit* namque Daniel *in faciem suam*.

Maldonatus
Theodoret.

Dan. 10. Aliud denique visum seu apparitio Angeli narratur Dan. 10. eam autem fuisse veram visionem, Angelique conspectum, non dubitant Patres. Ac Theodoretus quidem eadem orat. 8. in Danielem in ea verba, *Audiui vnum de sanctis loquentem* expressè ait, Danielem vidisse Angelum: *Perspicuum* inquit *est illum vidisse Angelos inter se colloquentes, discere cupientes, quantum futurum sit temeritatis impietatis, iniquitatisque*. Vnde orat. 5. ibidem ad illa verba: *Tunc regis forma immutata est*, argumentatus est à fortiori. Si regis animum ita deterruit digitorum scribentium species, quid si conspexisset *Angelos tonitruantes, & nouo figuræ habitu deterrentes, quorum conspectum nec magnus quidem Daniel absque metu ferre potuit?* Atque hæc ex veteri lege satis sint, cæteris innumerabilibus prætermissis.

Theodoret.

Luc. 1. Ex nouo Testamento faciliùs negotium præsens peragi potest. Ordiamur ab ipsis Verbi diuini carnem sumentis initiis. Nimirum ex Lucæ 1. Vbi Euangelista cùm de Zacharia Ioannis parente historiam texeret, dixit: *Apparuit autem illi Angelus Domini*. Græcè ὤφθη, hoc est, *visus est*: Quod verbum Chrysostomus apud S. Thomam ibi in commentario ait, eam vim habere, vt non significet visionem, sed veritatem. Quasi dicat, vt rectè ibidem monet Maldonatus noster, Zachariam nõ sibi visum videre Angelum, sed re ipsa vidisse. Nec aliter explicarunt S. Ambrosius ibidem in commentario, & S. Augustinus epist. 3. ca. 5. dum aiunt subitum Angeli aduentum, ostensionémque indicari. Id magis confirmo ex iis, quæ docet Cardinalis Toletus in Luc. cap. 1. Annotat. 14. vbi notat non esse idem verbum Græcè cùm Matth. 2. dicitur: *Apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph*, & cùm Luc. 1. dicitur. *Apparuit autem illi Angelus Domini*. Nam Luc. 1. verbum illud ὤφθη ad visionem externam refer

Chrysost.
Maldonatus
S. Ambros.
S. August.
Toletus.
Matth. 2.
Luc. 1.

refertur, & non ad eam, quæ in sola imaginatione consistit: Rem enim creditu difficilem persuasurus aperta vsus est locutione. Rectè autem id monent: nam quæ sequuntur eo Lucæ loco id planè demonstrant. Sequitur enim; *Ne timeas Zacharia.* & alia quæ nisi de vera apparitione intelligi haudquaquam possunt. Vnde Beda ait in eadem verba, *Trementem Zachariam confortat Angelus, quia sicut humanæ fragilitatis est, spiritualis creaturæ visione turbari, ita & Angelicæ benignitatis est pauentes de aspectu suo mortales mox blandiendo solari.*

Alter sit locus ex eodem Lucæ Euãgelio ibidem cap. 1. cùm Angelus se virgini spectandum humana forma præbuit: *Ingressus Angelus ad eam dixit.* Quo loco rectè opinatur Cardinalis Toletus Annotat. 62. Angelum Virgini externis obtutibus apparuisse: Quod illa verba declarant *Ingressus, locutus.* Quod sentit apertè Hieronymus in epist. 22. ad Eustochium versus finem. cui proponit Beatissimæ Virginis vitam, cui mores cõformet: *Ad quam* inquit *cum Angelus Gabriel viri specie descendisset dicens Aue* &c. Eundem Angelum describens fusiùs Augustinus ser. 14. de Nat. Dom. ante medium sic loquentem facit virginem. *Gabriel Archangelus* inquit *facie rutilans, veste coruscans, ingressu mirabilis, aspectu terribili visitauit, & perturbauit me.* Egregiè autem prorsus Ambrosius Virginis pudorem laudat lib. 1. offic. cap. 18. *Quod in cubiculo,* inquit, *quòd sola, quòd salutata ab Angelo tacet; & mota est in introitu eius: quod ad virilis sexus peregrinam speciem turbatur aspectus Virginis,* &c. Vere ergo apparuit, si introgressus aspectabili atque humana forma est.

(Luc. 1. — Toletus. — Hieronym. — S. August. — Ambrosius.)

Huic loco tanquam appendicem subnectere placet (quia illi affine valdè est) quod Luc. cap. 2. dicitur de apparitione Angelorum: *Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei,* &c. In quem locum afferam verba S. Chrysostomi, & venerabilis Bedę mirificè hanc tantam Angelorum in homines gratiam extollentium; vt eos refert A. Doctor in catena ad eadem verba citata. *Ioseph quidem* inquit Chrysostomus *in somnis apparuit Angelus, pastoribus autem visibiliter quasi rudioribus; non autem Angelus iuit Hierosolymam, non requisiuit Scribas, & Pharisæos, erant enim corrupti, & præ inuidia cruciabantur. Sed hi erant sinceri antiquam conuersationem Patriarcharum & Moysi colentes. Est autem quædam ad philosophiam perducens innocentia,* &c. Vbi obserua illam particulam *visibiliter,* vt eam contraponat apparitioni per simulachra & phantasmata. Expressiùs Beda: *Nusquam autem in tota veteris testamenti serie reperimus Angelos, qui tam sedulo apparuere Patribus, cum luce apparuisse. Sed hoc priuilegium rectè huic tempori reseruatum est,* &c.

(Luc. 2. — Chrysost. Beda. — A. Doctor.)

Tertius locus sit Matth. 28. cùm describitur Angeli aspectus sepulchro assidentis, lapidémque remouentis: *Erat autem aspectus eius.* De cuius aspectabili forma nihil verti à Catholico potest in dubium, cùm tam accurati in eius habitu ac situ describendo fuerint omnes Euangelistæ. Marcus enim cap. 16. illum facit iuuenem stolis albis amictum ac sedentem: *Viderunt iuuenem sedentem coopertum stola candida.* Duos cósque splendidos Angelos describit Lucas cap. 24. *Ecce duo viri steterunt iuxta illas in veste fulgenti.* Ioannes cap. 20. duos quoque fuisse narrat, reliqua vt Marcus: *Et vidit duos Angelos in albis sedentes.* Matthæus cap. 28. vnum quidem commemorat, cum tamen penè nostris sub oculis ponit. *Erat autem*

(Matth. 28. — Marc. 16. — Luc. 24. — Ioan. 20. — Matth. 28.)

A *aspectus eius sicut fulgur, vestimentum autem eius sicut nix,* &c. Quin etiam Patres hoc tantum Angeli spectaculum supponunt apertè, totique sunt in eius facti explicatione. Nam S. Chrysostomus hom. 2. in Psal. tres rationes affert, cur tunc Angeli de cœlo descenderint; nimirum vt sepulchro assiderent tanquam Dei domicilio, cuius ipsi sunt spectatores atque custodes; vt docerent mulieres Christum iam rediuiuum è sepulchro abiisse, vt omnes Iudæorum fraudes remouerent.

(Chrysost.)

Sanè vbi diuina largè effunditur gratia, frequens est Angelorum concursus. contra; si quis locus diuino cultu destituatur, Angeli inde abscedere solent. Iosephus certe libro 7. de bello
B Iudaico c. 12. auctor est non multò ante quàm sacrum Romani templũ quod Hierosolymis erat violarent, auditas clarè Angelorum voces. *Migremus hinc.*

(Iosephus.)

Idipsum ex Iosepho refert & ipsemet confirmat S. Hieron. tribus in locis. Nam epist. 27. ad Marcellam, illa verba Saluatoris: *Ecce dimittetur domus vestra deserta,* &c. intelligi posse significat, *Postquam velum templi scissum est, & circumdata ab exercitu Hierusalem, & dominico cruore violata, tunc ab ea Angelorum præsidia & Christi gratiam recessisse. Denique Iosephum qui vernaculus est scriptor Iudæorum asserere illo tempore quo crucifixus est Dominus, ex adytis templi, virtutum cœlestium erupisse voces dicen-*
C *tium, Transmigremus ex his sedibus.* Et in ep. 142. ad Damasum. *Nonnulli in superioribus* inquit *consentientes, in extrema parte dissentiunt. Nam superliminare sublatum eo tempore prædicant, quando velum templi scissum est, & vniuersa domus Israel erroris nube confusa. Quando Iosephus refert sacerdotes ex adytis templi, virtutum cælestium audisse voces Trãseamus ex his sedibus.* Et epist. 150. ad Hedibiam, de centurione ait. *Commotus signi magnitudine, ait. Vere Filius Dei erat iste. Velum quoque templi scissum est in duas partes vt compleretur illud quod refert Iosephus, Præsides templi dixisse virtutes, Transeamus ex his sedibus.* Angelorum ergo præsidiis deseritur locus, quem Deus ob peccata despexerit.

(S. Hieron.)

D Aliã reddit Hilarius causam can. 33. in Matt. *Angelus* inquit *Domini de cœlo descendens, & lapidem reuoluens, & sepulchro assidens misericordiæ Patris insigne est.* Aliam etiam Gregorius hom. 20. in Euang. & Beda in comment. ad locum cit. in Matth. cap. 28. Dicũt enim *Angelos splendenti habitu apparuisse, vt resurgentis Christi gloriã, gaudiúmque de ea nostrum declararent.*

(Hilarius. — Gregorius Beda.)

Sed adhuc audiamus apud A. Doctorem in catena ad illum locum Matt. 28. cit. Seuerianum verba Euangelistæ de Angelo sic exponentem, vt sub aspectum maiestatem Angelicam, quæ tunc apparuit, reponere velle videatur. *Vultus* inquit *claritas à vestium candore superatur, & facies*
E *fulguri, niui vestis Angeli comparatur: quia fulgur de cœlo, nix de terra,* &c. *In facie ergo Angeli claritas cœlestis seruatur natura, in veste significatur gratia communionis humanæ & sic temperatur facies Angeli colloquentis, vt carnales oculi & vestium ferant placuam claritatem; & ex fulgure vultus nuncium sui tremerent, & venerarentur auctoris.* S. etiam Hieronymus in eadem catena ibi docet *in candido vestitu Angelum significasse gloriam triũphantis.* S. Gregorius ibidem notat candorem habitus gestasse, & facie fulgurasse, *vt de ipsa sua specie & terreret reprobos, & mulceret pios.* Alij aliter.

(A. Doctor. — S. Hieron. — S. Gregor.)

Quibus quidem liquet & perspicuo verbo-

tum contextu, & ſanctorum Patrum conſpiratione non dubium eſſe, quin ea dignitate claritatis Angeli corporum ſpectabilium formis prędíti viſi fuerint. Quamobrem hac in re præclarè

Maldonat. Maldonatus noſter in eum locum Matth. 28. mihi videtur animaduertiſſe, ſæpe Angelos vſitato hominum habitu, ita vt homines ab hominibus crederentur apparuiſſe, vt in veteri lege de Abraham, Daniele, Tobia, Ioſue legimus: At in eo loco cum gloriam reſurrectionis annunciarunt nouo indumento, nouo ſplendore, ac verenda maieſtate non vt homines ſed vt Angeli agnoſci, haberique voluerunt: Ad quod reſpi-

S. Cyrillus. ciens S. Cyrillus libro 12. in Ioan. cap. 46. ait, Angelos prohibuiſſe mulieribus ne plorarent: Tamen non fruſtrà Magdalenam edidiſſe fletum, *nec amoris erga Christum mercede caruiſſe: nam cum circa monumentum perſeueraret plorans, voce Angelorum ad cognoſcendum Chriſtum iuuatur. Quos in albis veſtibus vidit vt veſtimentorum candore pulchritudo puritatis eorum ſignificaretur.* Poſtea generatim ſubdidit, cùm neceſſe non eſt vt Angeli cognoſcantur, quin potius cùm intereſt ne cognoſcantur, eos communi forma mitti, ſicut ad Abraham, ad Tobiam &c. miſſi ſunt: Cùm verò fructuoſum eſt vt ne dubitetur Angelos eſſe, ſpeciem humanam illuſtriorem præ ſe ferunt, vt hoc loco, quem diximus, & Act. cap. 1. vt iam dicemus.

Tandem poſtremus hac de re locus ſit ex actis Apoſtolorum. Is autem erit duplex, inſi-

Act. 1. gnis omninò. Nam cap. 1. dicitur: *Ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi* &c. Cùm autem tam multis ibi aſtantibus iidem eodem modo viſi ſint, num credendum erit tot ſanctorum iudicia deluſa eſſe? Ideò plurimi Patres ex iis verbis, dum hanc viſionem explicarunt nihil de huius veritate viſionis addubitarunt: Quos, quia in promptu ſunt apud recentiores Actorum Apoſtolicorum expoſitores in 1. cap. eorundem Actorum ſuperſedeo re-

Act. 12. cenſere. Rurſus cap. 12. ibidem Petro in carcere *Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris; percuſſoque latere Petri excitauit eum, dicens, Surge velociter* &c. *Dixit autem Angelus* &c. *Sequere me.* Ergo non in Petri oculis producta ſolùm ſpecies eſt, ſed in habitaculo carceris illæ tantæ lucis emicationes extitere, veræ voces auditæ &c. Sicut etiam vera lateris dormientis Petri percuſſio fuit: Quem lateris ictum expli-

Chryſoſt. cans ibi Chryſoſtomus, cauſamque reddens: *Alte namque* inquit *dormiebat, & ne exiſtimaret, rem eſſe ſolùm lucis, Petrum Angelus pupugit.* Immò cùm Petrus exiſtimaret ſe viſum videre, nec veram eſſe Angeli imaginem quæ illius animo atque adeò oculis obuerſabatur, poſtea vbi illicò ab eo receſſit Angelus quaſi errorem ſuum corrigens, *& ad ſe reuerſus* ſubiunxit: *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum & eripuit me de manu Herodis* &c. Ergo re vera Petri iudicio fuit Angelus cuius aſpectu & ope recreatus ipſe ac liberatus eſt.

Secundò probatur propoſitio ex Patribus, qui eam docent: & primò quidem affero S. Dionyſium cap. 2. & 4. cœl. hierar. Ait enim ibi initio eius capitis ſe expoſiturum; Quibus figuris ac lineamentis cæleſtes formas ſacra ſcriptura delineet: *Vt ne idem* inquit *quod vulgus prophanè ſentiamus, cæleſtes illas atque diuinas mentes ita fictas compoſitaſque eſſe* &c. *vt haſtatos belli duces.* & alia

A quæ in pleriſque ſacræ ſcripturæ locis enarrantur. *Quæ nobis diuina ſcriptura ſacrâ & arcanâ effictione in ſignorum declarare volentium varietate tradiderunt.* rationem ſubdens ait: *Etenim ſcripta diuina planè ſimulachra quæ, ficta ſint, mentibus quæ omnibus lineamentis carent adhibuerunt, cum & noſtræ mentis imbecillitati conſuluiſſent*, &c. In his enim eſſe docet *vim quandam excitantis ſurſum animi accommodatam.* Ex quibus patet, Angelis Dionyſij S. Dionyſ. ſententiâ à ſacra Scriptura tribui corpora ac lineamenta, vt hominum intelligentiam captúmque iuuent. Supponit ergo aperte Angelos eiuſmodi figuris corporum præditos apparere. Nam quod dicit diuinas literas hæc corpora delineare ad mentes rebus cœleſtibus imbuendas non proinde intelligendum eſt, ac ſi hæc in ſacris li-

B teris fingantur, cum reuera non fuerint. Id enim nefas omninò eſt de Theologorum maximo ſuſpicari: Non enim Dionyſius ignorare poterat, quæ in diuinis hiſtoriis; vt in libris Geneſeos, Exodi, Tobiæ & aliis ſimilibus tanquam geſta narrantur, ea fictè ac ſimulatè ad eruditionem non dici. Quid enim aliud hiſtoria eſt, quàm geſtarum rerum narratio atque expoſitio? Sed accipi debet ita, vt ſacra ſcriptura Angelis adhibeat corpora, hoc eſt, narret Angelis à Deo corpora adiuncta eſſe eo conſilio, vt nobis res diuinæ explicarentur. Modus enim loquendi vſitatus eſt, vt hiſtoria ſumatur interdum pro

C auctore hiſtoriæ; ſicut è contrario interdum nominamus auctorem pro opere; Vt; S. Thomas ſemper in manibus habendus eſt; hoc eſt S. Thomæ opera. Senſus ergo erit *ſacra dicta adhibens* &c. hoc eſt Deus in ſacris literis &c.

Deinde affero Tertullianum, qui tametſi An- Tertull. gelos corpori concretos aſſerere aliquando viſus eſt, vt ſuprà notaui q. 50. art. 1. tamen non negat, eoſdem Angelos plerunque faciem hominis aſſumpſiſſe, vt hominibus apparere poſſent. Accipe quæ libro de carne Chriſti cap. 6. luculenter expreſſit: *Quia Angeli* inquit *aliquando ſicut homines fuerunt edendo & bibendo, & pedes lauacro porrigendo: Humanam enim induerant ſuperficiem ſalua intus ſubſtantia propria. Igitur ſi Angeli facti*

D *tanquam homines in eadem ſubſtantia ſpiritus carnalem tractationem ſuſceperunt* &c. Itaque non diffitetur aſſumpta ab ipſis eſſe corpora, eo quòd dum ea narrantur à Scriptura, ſine corporum aſſumptione explicari nullo modo poſſint.

Id ipſum non minùs clarè docet S. Cyprianus S. Cyprian. libro de Cardinalibus Chriſti operibus non lõgè ab initio. *Itaque qui circa ipſum ſunt Angelici ſpiritus licèt inuiſibilis naturæ ſint, in legationibus tamen ſuis auditu ſe manifeſtant & viſu* &c. Quibus in verbis illa notari oportet, quæ rem propoſitam in primis declarant, nempe Angelos dum ad nos mittuntur, *auditu & viſu ſe manifeſtare.*

E Clarè enim ſignificant ſenſus noſtros non deludi ſi Angeli his ſenſibus manifeſtè apparent.

Nec prætereundus eſt S. Gregorius Hom. 34. S. Gregor. in Euang. circa medium, vbi dupliciter ait Angelos mitti ex S. Dionyſio his verbis. *Fertur verò* inquit *Dionyſius Areopagita, antiquus videlicet ac venerabilis Pater dicere quod ex minorum Angelorum agminibus foras ad explendum miniſterium, vel viſibiliter vel inuiſibiliter mittuntur ſcilicet quia ad humana ſolatia vel Angeli vel Archangeli veniunt.* &c.

Huc refero S. Bernardum ſerm. 5. in Cantica. S. Bernard. Ibi enim ex ſententia Apoſtoli ad Hebr. 1. colligit

git necessaria esse Angelis corpora, vt ministeria de quibus ibi agit Paulus, vel omnia vel aliqua apud viuentes in corpore exequantur. *Et hinc est* inquit, *quòd visi sunt Patribus, & ad eos intrauerūt, & manducauerunt, & pedes lauerunt* &c. Quibus verbis patet, licèt Bernardo ibi dubium fuerit An Angelis sint naturaliter iuncta corpora, tamen certum ei est, eas Angelorum apparitiones veris in corporibus peractas fuisse.

Damasc. Præterea verò adiiciam etiam quatuor alios ex Græcis Patribus; nempe magnum Athanasium, S. Chrysostomum, S. Nilum & S. Damascenum. Nam Damascenus libro 2. de fide cap. 3. de Angelis bonis sic habet: *Termini autem eos expertes ob hanc causam dico, quia probis ac præstantibus hominibus, quibuscunque eos conspiciendi sui copiam facere Deus voluerit, non quales sunt apparent, sed aliam atque aliam formam prout videri ab hominibus possint assumunt.*

Athanas. Hebr. 1. S. verò Athanasius orat. 4. contra Arrianos ante medium vbi explicat illud ad Hebræos 1. *Omnes administratorij spiritus sunt* de Angelis qui mittuntur ait: *Quin & ipse Angelus visum conspectúsque se mitti a Domino confitetur, quemadmodum & apud Zachariam, & apud Deiparam confessus est Gabriel; & qui Angelum viderat, eúmque Angelum intellexit, non Deum: Nam & Zacharias Angelum vidit.* Postea docet in rubo dum Moses Angelum conspexit; Dei tamen vocem excepisse. Siquidem ibi Angelus Dei è rubo conspectus est; & vocauit Moysem Dominus è rubo his verbis &c. *In Angelo loquebatur Deus, & is quidem qui sentiebatur oculis Angelus erat, Deus autem in ipso loquebatur.* Et multa in hanc sententiam deinceps habet: & longè post ea ait Christum præmonuisse, diem iudicij ab omnibus ignorari, *ne dæmonibus Angelorum figuram assumentibus, & de consummatione sæculi inceptantibus loqui vllam fidem haberetis vtpotè earum rerum ignaris.*

Chrysost. S. quoque Chrysostomus libro 6. de sacerdotio ante medium apertè subscribit eius sententiæ, qui ei narrauerat, se in templis Angelos fulgentibus amictos vestibus conspexisse. *Ego verò* inquit Chrysostomus eo loco *commemorantem quendam olim audiui, cùm diceret, senem quendam virum admirabilem, & cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus derepentè Angelorum multitudinem conspexisse, quatenus aspectus humanus ferre poterat fulgentibus vestibus indutorum altare ipsum circumdantium; denique sic capite inclinatorum vt si quis milites præsente rege stantes videat. Id quod facilè mihi persuadeo* &c. Qua in re vides opinor, lector, quàm accuratè hanc Angelorum apparitionem, quam ex adiunctis certam, quam sua auctoritate comprobatam, vt eius veritatem cunctis persuaderet vir hic sanctus aureo suo eloquentiæ ore descripserit. Subdit quoque aliam adhuc longè maiore admiratione dignam, magísque certam vt ipse significat: *Item & quidam alius mihi narrauit* inquit, *non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus qui & vidisset ipse & audisset. Quod qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura & munda conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptum illud sacrum hinc rectà ad cœlum abducuntur* &c. Quæ licèt mira sint, tamen ea tanquam non dubia narrat Chrysostomus vir omni doctrinarum genere ac pietate eximius.

S. Nilus. Turrianus. S. Chrysost. Denique S. Nilus in epistola ad Anastasium episcopum in Bibliotheca veterum Patrum, & refertur à Turriano tract. 2. de Euchar. cap. 2. ait eundem Chrysostomum, cuius ipse discipulus fuerat, cùm in templum ingrediebatur, conspicere solitum magnam Angelorum multitudinem albis vestibus indutorum &c. Quæ fortè vir sanctus modestè silentio præterire voluit, ne laudes ab hominibus captare videretur.

S. Isidorus. His omnibus meritò addetur S. Isidorus lib. 7. Originum cap. 8. quandoquidem ibi distinguens plura genera visionum inter ea quæ corporeis oculis videntur recenset corpora Angelorum assumpta. *Alia tria* inquit *dixerunt esse visionum genera, vnum secundùm oculos corporis, sicut vidit Abraham tres viros sub ilice Mambre, & Moyses ignem in rubo, & discipuli transfiguratum Dominum in monte inter Moysen & Eliam & alia huiusmodi. Alterum secundùm spiritum quo imaginamur ea &c. Tertium per intuitum mentis, quo intellecta conspicitur veritas* &c. Docet ergo Angelorum visionem per oculos corporeos fieri, vt contigit olim Abrahæ. Idem ferè libro 5. sentent. seu de summo bono cap. 10. *Angeli* inquit *corpora in quibus hominibus apparent, de supremo aëre sumunt, solidámque speciem de cælesti elemento induunt, per quam humanis obtutibus manifestiùs deteguntur.*

S. August. Quin etiam S. Augustinus licèt hanc materiam dubiam existimauerit, tamen videri potest non negasse ep. 101. circa medium Angelos contrectatos etiam Abrahæ fuisse: *Abrahæ quippe vigilanti sic apparuerunt* inquit, *vt eos etiam cùm pedes lauit eis contrectando sentiret.* Sed reuera postea addit, vt paulò post dicam non faciles huius rei esse explicatus, occultiorémque esse causam, quàm vt homini perspecta esse queat. Planiùs etiam id videtur sensisse lib. 16. de Ciu. Dei cap. 29. vbi ait: *Dubitandum non esse Angelos fuisse illos qui Abrahæ apparuerunt, eósque ab Abraham fuisse susceptos hospitio ita, vt tanquam mortalibus & humana refectione indigentibus ministraret.* Adhuc multò clariùs lib. 13. de Ciuit. cap. 22. eadem docuit ita vt neget, ipsos Angelos in phantasmate visos esse comedere: Neque enim *in phantasmate* inquit *Angelos edisse credendum est.* Meritò autem id docet ob rationem quam subiicit, *quando eos homines hospitio susceperant, quamuis Virùm Angeli essent ignorantibus consimili nobis indigentia vesci viderentur. Vnde est quod ait Angelus in libro Tobiæ: Videbatis me manducare* &c. Quamobrem paulò superiùs dixerat, nostra corpora post resurrectionem futura, vt nonnisi velint (possibilitate non necessitate) vescantur exemplo Angelorum: *Quod Angeli quoque visibiliter* inquit *& tractabiliter apparentes non quia indigebant, sed quia volebant & poterant, vt hominibus congruerent sui ministerii quadam humanitate fecerunt.* In eandem sententiam etiam lib. 15. de Ciu. Dei cap. 23. apertè sic habet, *Angelos apparuisse hominibus in talibus corporibus, vt non solùm videri, verùm etiam tangi possent, eadem verissima scriptura testatur.* Ex quibus putant aliqui; vt Estius in 2. d. 8. §. 6. Augustinum remota omni dubitatione docuisse Angelos Abrahæ aliísque sanctis in assumptis corporibus apparuisse. Estius.

Verùm hæc tametsi perspicuis verbis confirmant visionem illam Angelorum non fuisse imagina

ginariam tantummodo, sed verorum corporum figuris expressam, quæ Abrahæ sensibus externis obiiciebantur; Tamen adhuc non conficiunt, corpora Angelorum interdum assumi S. Augustini sententiâ: Nam, vt suprà vidimus, anceps animi ipse est an suis vel assumptis corporibus Angeli sese ostentent. Immò eodem illo cap. 29. postquam ea quæ retuli dixit, tandem nonnihil dubitationis de ea Angelorum ostensione subiicere voluit. *Sed si fortè*, inquit, *de Angelis aliud credibilius disputari potest, certè fides Christiana de ipso saluatore non dubitat, quod post resurrectionem iam quidem in spiritali carne, sed tamen vera cibum & potum cum discipulis sumpsit*. Itaque in hac de Angelico corpore materia vbique videtur Augustini sententia fluctuare. Vt etiam patet ex epistola illa 101. post medium, vbi disputans de visis quæ homini accidût; illud Zachariæ (*Et dixit mihi Angelus qui loquebatur in me*) interpretatur vt velit non fuisse voces ad aures corporeas prophetæ, quia dixit *loquebatur in me, non ad me*, & deinde dubitat de earundem vocum formatione, an intus in animo; vt cùm somnia fiunt (hac enim ratione Angelus interdum in somnis apparet) an alio modo. Atque ita cùm de Abrahami Angelis dixisset: *Abrahæ quippe vigilanti sic apparuerunt, vt eos etiam cùm pedes lauit eis contrectando sentiret*; Postea tamen subdit, ea esse *mira, quia occultiorem habent rationem, quàm vt videri vel reddi ab homine homini possit*.

S. August. Clarissimè denique epist. 49. q. 1. ad Deogratias, Angelos scribit *esca sumpsisse non fide seu inani phantasmate sed manifestissima veritate, nec tamen necessitate sed potestate*. Quæ quidem verba haud dubiè ostendunt, Augustinum concedere non solùm imaginariam Angelorum visionem, sed etiam eorum aspectabilia ac tractabilia esse corpora. Verùm vtrùm ea corpora sint Angelis naturalia, quæ variis affectionibus transmutentur ad varias apparitiones an alio modo, in vtramque partem ab ipso vt suprà vidimus dubitatum est. Afferam etiam infrà in primo Corollario ad Augustini mentem explicandam nonnullos etiã eiusdem locos, quibus incertam hac de re ipsum habuisse sententiam docebimus. In qua tamen re quoniam superiore quæstione decretum est Catholica fide firmum esse, Angelos nullis naturâ suâ corporibus iungi, ideò si vera corpora eos aliquando habere affirmetur, hoc ipso eos assumere sibi extrinsecùs corpora fatendum est, quod nunc contendimus. Quod etiam confirmabo auctoritate Nazianzeni & aliorum multorum Patrum in eodem primo Corollario; Qui Angelos veris corporibus assumptis apparere hominibus docuerunt. Tandem hanc nostram propositionem confirmare possumus apertissimo venerabilis Bedæ testimonio in libro de rerum natura cap. 7. initio secundi tomi. Ibi enim explicans quomodo cœlum se habeat in vniuerso, hæc de Angelis intermiscet. *Cœlum superioris circuli* inquit *proprio discretum termino & æqualibus vndique spatiis collocatum virtutes continet Angelicas, quæ ad nos exeuntes ætherea sibi corpora sumunt, vt possint hominibus etiam in edendo assimulari, eademque sibi reuersa deponunt*, &c. Ex his ergo constat Patrum sententiâ Angelos bonos veris corporibus assumptis nonnunquam ab hominibus spectatos esse. Atque hæc de sanctis Angelis.

Nazianzen.

Beda.

Tertiò probatur Propositio ex iis Patribus, qui A ea visa de Angelis improbis docent, aut narrant, quæ sine assumptis corporibus conspici non potuerunt. Ergo Angeli Patrum sententiâ interdum vera assumunt ac spectabilia corpora. Antecedens probatur longa consentientium Patrum serie tum Græcorum tum Latinorum. Etenim ex Græcis id primùm patet ex Prochoro auctore veterrimo, & S. Ioannis Apostoli discipulo, qui vixit anno Domini 120. in libro de Ioanne Apostolo cap. 2. Licèt autem de eo libro dubitetur, tamen habetur to. 7. Bibliot. Vet. Patrum in antiqua impressione. *Diabolus* inquit *ab initio bonis inuidens se transformauit in similitudinem mulieris, & introiens verberibus & plagis, & asperioribus conuiciis cœpit Ioannem lacessere dicens: Ministrum te huius operis constitueram, & omnia perdidisti; Non valeo te amplius sustinere. Attende magis ac magis caminum, vt ego te in medium tradam, & arripiens*, &c. *Ioannes vero per spiritum agnoscens quòd dæmon esset qui in illis habitabat thermis, inuocato nomine Iesu illum expulit*. Vides hic non imaginariam visionem, sed transformationem, conspectum mulieris, allocutionem, fugam. Prochorus.

B

Iustinus martyr oratione ad Antoninũ Pium anno Domini 160. sic docet: *Quandoquidem & antiquitus peruersi dæmones per spectra apparentes mulieres constuprabant, & pueros imminuerunt, & terriculamenta hominibus exhibuerunt, vt attoniti illi redderentur, qui res ipsas quæ fiebant nesciebant*, &c. *Deos illos vocarent, & nomine quemque, quod sibi dæmonum quisque imposuerat appellarent*. Vbi vide ibi spectra significare imagines, & simulachra, non quæ tantùm animo intrinsecùs excitentur, sed quæ extrinsecùs verè oculos feriant, hominésque deterreant, ac verè appareant. alioqui quo pacto mulieres constuprassent? &c. Nec nouum videatur, spectris veras apparitiones significari: Cùm etiam Ciceroni id vsitatum sit: Epistola enim 253. *His* inquit *spectris etiam oculi feriri possunt, animus qui possit non video*. Iustinus.

C

Cicero.

D Sanctus Athanasius in vita Antonij, vbi cùm inuictum Antonij animum nullis dæmonum verberibus debilitatum narrasset, eámque ob causam dæmones irritatos ad maiora inferenda supplicia exarsisse, sic eos in Antonium loquentes facit. *Omnia arma corrupit; acriùs nobis impugnandus est*, &c. *Sonitus igitur repentinus increpuit ita vt loco funditus agitato, & parietibus patefacto, multifaria dæmonum exinde turba se effunderet; Nam & bestiarum, & serpentum formas inducentes omnem protinus locum repleuere phãtasiis leonum, taurorum, luporũ, aspidum, serpentũ, &c. & hæc singula secundùm suam fremebant naturam. Rugiebat leo occidere volens, Taurus mugitu*, &c. Quid clarius his dici potuit, vt dæmonum formas corporeas declararet? Nec tibi ea verba negotium facessant, quòd dæmones repleuerunt locum phantasiis: Non enim erant somniantium visa, sed veræ apparitiones: Nam & turba se effundebat, replebat locum, rugiebat leo, &c. S. Athanas. S. Antonius.

E

Dicuntur autem phantasiæ, id est visiones, ex eo quòd appareant & videantur. Vnde spectra & phantasmata intelliguntur quodcunque corpus in se non est, corporea tamen apparet figura; Quemadmodum Angelus qui cùm ipse corpus non sit, corpoream tamen induit formam: Quod rectè notauit Maldonatus in capite decimoquarto Matth. n. 26. Vel certè dicuntur phantasiæ, quia non erant corpora vera ac solida, nempe ita vt Maldonat.

ita vt fuissent eorum quorum aspectum præ se A ferebant, sed talia esse fingebantur. Nam etiam apud veteres Latinos corpora quæ vera apparitione cerni putabantur, vanæ falsæque imagines, seu spectra dicebantur, si ea non erant qualia esse à contuentibus ex aspectu iudicabantur; Virgilius. Quod sanè reperies apud Virgilium libro primo Æneidos. Ibi enim Poëta cùm Æneæ matrem fictam Deam se in conspectum filij dantem venatricis habitu altè succinctam descripsisset illis verbis.

Cui mater mediâ sese tulit obuia sylua,
Virginis os habitúmque gerens & virginis arma
Spartana, &c.

Et paulò pòst eos fecisset inter se colloquentes B hoc pacto

——*heus* inquit *iuuenes monstrate mearum*
Vidistis si quam hìc errantem fortè sororum, &c.

eíque filius respondisset Æneas se nullam vidisse, sed colloquentis nec vocem nec vultum sibi videri mortalem; tamen Æneam postquam matrem agnouit, *& vera*, vt poëta ait, *incessu patuit Dea*, querentem inducit, quòd mater non suâ ac vera effigie, sed alienâ ac falsâ eius oculis patuerit,

Quid natum toties crudelis tu quoque falsis
Ludis imaginibus?

Quamobrem falsas imagines seu phantasias C Poëta opponit vero corpori non quomodocunque (nam putauit aliquod corpus esse, quo ipse Venerem Æneæ oculis aspectabilem, & cum Ænea colloquentem facit) sed vero; quale putabatur esse, & cuius facies apparebat, nempe Virginis Spartanæ.

Pari itaque ratione hæ phantasiæ & spectra dici possunt, quæcunque non sunt vera corpora eorum quorum esse apparent, vt serpentum, aquilarum, &c. Appellantur ergo phantasiæ, hoc est apparitiones seu visiones, non autem solæ imaginandi actiones ab Athanasio. Vnde statim S. Athanas. pergit Athanasius, *Truces omnium vultus, & voces horridæ, dirus auditus, Antonius flagellatus atque con-* D *fossus sentiebat quidem corporis dolores, sed imperterritus durabat mente peruigili.* Si enim dolores ex flagellis sensit, hæc non erant tantùm imaginaria simulachra.

Palladius. Nathanaël heremita. Similia de Nathanaële heremita docet Palladius in historia Sanctorum Patrum capite decimooctauo ad quem dæmon *noctu accedit taurina pelle indutus præseferens speciem militis pannos induentis taurina pelle edens strepitus. cui succensus dixit Nathanael. Quis tu es qui hac facis in meo hospitio? Dæmon autem respondit: Ego sum qui te ex prima cella exegi, & nunc veni vt te ex hac quoque fugem*, &c. Similia Macarius. de Macario narrat capite vigesimo. *Facit diabolus,* E *vt ei phantasma appareat camelus onera baiulans, errans per solitudinem, qui cùm vidisset Macarium, prope eum assedit. Is autem suspicatus esse phantasma, vt re vera erat constitit ad orandum*; & postea subdit Macarius. *Cùm propiùs accessi ad illud monumentum Ioannis & Mambre magorum, ex eo egressi mihi occurrerunt ad septuaginta dæmones variis formis præditi, alij quidem clamantes, alij exilientes, alij verò cum magno fremitu in me stridentes dentibus; alij verò tanquam corui volantes audebant meo vultui insultare dicentes*, &c. Significat autem per phantasma id quod nõ erat corpus, nempe dæmonem, sed corporea forma se offerentem; & ideo addidit etiam

complures alias dæmonum formas quibus Macarium infestabant.

Sozomenes. Apelles. Apertiora adhuc sunt quæ narrat Sozomenus Eccles. hist. lib. 6. cap. 28. de Apelle, cui fabricanti noctu se exhibuit dæmon specie formosæ mulieris. *Qui ferro quod iam poliebat ex igne extracto dæmonis faciem exussit, Dæmon autem cum fremitu & eiulatione aufugit.* An hìc imaginaria visa, in quæ ferrum intorserit? Multa quoque alia huc spectantia scribit libro septimo cap. 23. Vbi illud est insigne; spectrum mulieris fuisse visum magnitudine inusitatum & aspectu horrendũ, quod per ciuitatis plateas discurrens aërem diuerberabat flagello horrisono, &c.

Theodoret. S. Iacobus heremita. Eodem modo Theodoretus de Sancto Iacobo heremita scribit libro historiæ religiosæ cap. 21. cui apparuit dæmon *nudus formâ Æthiops, ignem ex oculis emittens*, & alia multa damna ac molestias inferens. Inter alia occurrebat afferenti aquam ex imis partibus, & Iacobi formam imitans aquam accipiebat; *& illum iubens recedere sitientem effundebat.* ita vt Iacobum ardenti siti diuexaret. Similiter in vita S. Sabæ narrat Cyrillus Cyrillus heremita. S. Saba. heremita aduersus ipsum gestum fuisse *bellũ dæmonum, non obscurè nec latenter, sed apertè & ita vt oculis cernerentur eum inuadentium.*

Metaphrast. S. Marina. Metaphrastes quoque his similia complura spectra refert, quibus dæmon exagitauit S. Marinam Martyrem in martyrio eius cap. 7. Cuius *oculis Diabolus suscepta draconis specie edens execrandum sibilum tetrum emittens odorem astitit.* Et in martyrio S. Iulianæ Virginis. Ad quam *accedit omnium* S. Iulianæ. *hostis & inimicus simulans se esse Angelum Dei*, &c. *Eius qui apparebat videbatur quidem forma Angeli, consilium autem apertè inimici*, &c. *Quem cùm martyr strenuè tanquam seruum comprehendisset duxit*, &c. Tandémque fassus est se à Satana missum vt eius propositum à martyrio auerteret. Iam ergo si eum comprehendit, fatendum est ipsum veri corporis formam habuisse. Neque enim idem est, ipsam comprehendisse draconem, & visam sibi comprehendere draconem: nec idem est audisse voces, & vocis simulachra animo obuersata esse.

Huc etiam referam quæ narrant Græci auctores etiam ex prophanis historiis, tanquam monstra & portenta illius temporis. Nam Xi- Xiphilinus. philinus in Tito eo tempore quo Vesuuius mons conflagrabat: *Magnus numerus* inquit *hominum inusitata magnitudine, quales gigantes finguntur, in monte Vesuuio regionéque finitima ac proximis ciuitatibus interdiu noctúque vagari versarique in aëre visus est.* In aëre autem non versantur homines, nec videntur nisi corpora; hoc est quæ figuram corporis referunt. Nam spectra solummodo & phantasmata illudere quidem alicuius obtutibus possunt, populorum non possunt. Præsertim si diu atque interdiu, noctúque ea perseuerent.

Io. Zonara. Isaacius Cõnenus. Ioannes etiam Zonara in Isaacio Comneno ait: ipsi *circa Neapolim venanti visum esse aprum horrendum aspectu, quem dum laxatis equo habenis persequeretur in mare euanuisse, & à plerisque non aprum sed spectrum diabolicum esse iudicatum, atque interim fulgore quodam perstrictum Imperatorem equo præ terrore excussum, & spumam ore reiicientem humi attonitum iacuisse.* Quid hoc testimonio clarius? Laxauit enim equo habenas vt illud persequeretur, viditque vbi se in mare coniecit aprum illum euanuisse.

Nec minùs certa sunt quæ ex Patribus Latinis plurimi auctores de iisdem apparitionibus tradiderunt. Etenim S. Hieronymus in vita S. Hilarionis capite tertio adeò clarè huiusmodi terriculamenta dæmonum & visa & audita scribit, vt nihil ad hanc veritatem dici validius possit. *Sic attenuatus*, nempe Hilarion *& in tantum exeso corpore* inquit *vt ossibus vix hæreret, quadam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctus quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portenta vocum, vt antè sonitu quàm aspectu territus cederet.* Ait autem deinde fusis Deo precibus optasse videre quod horrebat audire, *& sollicitis oculis huc illucque circumspiciens, cùm interim ex improuiso splendente luna cernit rhedam feruentibus equis super se irruere.* Quæ visa adeò illum deterruisse scribit, vt *Iesum inclamaret*: Quo facto *ante oculos eius repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est.* Quæ quidem eò respiciunt vt perspicue doceāt, ipsum Hilarionem huc illúcque circumspicientem oculis hæc monstra intuitum esse. Clarissima quoque illa de eodem Hilarione sunt, quæ Hieronymus etiam narrat. *Quoties illi nudæ mulieres cubanti: Quoties esurienti largissimæ apparuere dapes?* &c. Sed hæc prætereantur in præsentia.

S. Hieron. S. Hilarion.

Clariora adhuc sunt quæ de S. Martino docet Seuerus Sulpitius in eius vita cap. 24. *Diabolus* inquit *frequenter dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere, visibilem se ei formis diuersissimis ingerebat. Nam interdum in Iouis personam, plerunque Mercurij, persæpe etiam se Veneris ac Mineruæ transfiguratum vultibus offerebat,* &c. *Audiebantur etiam plerumque conuitia, quibus illum turba dæmonum proteruis vocibus increpabat.* Immò addit dæmonem nonnunquam exprobrasse Martino, quòd in Monasterium aliquot admiserit, qui multis se peccatorum sordibus inquinassent. Aduersus cuius insidias narrat, Martinum crucis signo munitum constantem suique similem semper fuisse. Illud etiam de Martino præclarum est ex eodem cap. 25. ibidem, Vbi diabolum Martino in cellula oranti astitisse ait *luce purpurea circumtectum, veste regia indutum, diademate ex gemmis, auróque redimitum, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie*, vt Christus à Martino crederetur: Cuius tamen dolos & fucata colloquia cùm Martinus diuinitus didicisset, negauit ipsum esse Christum, eo quòd *Non Iesus Dominus purpuratum & diademate renitentem venturum se esse prædixit.* Quibus verbis auditis vt fumus euanuit, cellula fœtore completa. Quem Diaboli conspectum versibus conscripsere Paulinus Nolanus libro 5. vitæ S. Martini, & penè ad verbum Fortunatus lib. 2. eiusdem vitæ

Seuerus Sulpitius. S. Martinus.

Mille nocendi artes dum perfidus exerit hostis,
Nunc Iouis in faciem, nunc se mentitus Anubem,
Nunc habitu Veneris, sæpissimè fronte Mineruæ
Sedulus insidiis, sancto sua seria rumpens
Diuersis formis vt terror cresceret, offert.

Paulinus Nolanus. Fortunatus.

Gregorius etiam Turonensis libro secundo histor. Francor. cap. 21. narrat, cùm episcopus quidem noctu Ecclesiam ingrederetur, illam dæmonum cateruis plenam reperisse, ipsumque principem in modum ornatæ mulieris in throni illius cathedra residentem. Cui cùm Pontifex dixisset: *O meretrix execranda, non sufficit tibi loca cuncta variis illusionibus inficere, adhuc & cathedram à Domino consecratam fœtida sessionis tuæ accessione coinquinas?* Respondit dæmon: *Quia mihi meretricis nomen imponis, multas tibi parabo insidias ob desideria mulierum.* Hic ergo reperit ornatum dæmonem; increpauit audaciam; audiuit respōdentem, & alia quæ sunt sani ac vegeti sensus munera.

Greg. Turonensis.

His accedunt quæ narrat Sanctus Gregorius libro secundo dialogorum capite secundo de Sancto Benedicto, cui dum solus esset, tentator affuit specie nigræ paruæque auis; *quæ vulgo* inquit *merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusque vultui importunè insistere, ita vt manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset; sed signo crucis edito recessit auis.* Si ergo ita importunè volitabat manúque apprehendi poterat, non erat illa consueta auis, sed Diaboli corpus, præsertim cùm ad salutare crucis signum euanuerit. Similia libro tertio dialogorum capite quarto habet de quodam Datio episcopo Mediolanensi sanctissimo, cuius sanctitate, domus dæmonibus obsessa libera fuit. Vbi *antiquus hostis immensis vocibus, magnisque clamoribus cœpit imitari rugitus leonis, balatus pecorum, ruditus asinorum, sibilos serpentum, porcorum grunitus, stridores soricum. Tunc repentè Datius tot bestiarum vocibus excitatus surrexit, clamare cœpit,* &c. *ad quā eius vocem vt ita dicam deiectionem suam malignus spiritus erubuit,* &c. *ab ea protinus abscedit.*

S. Gregor. S. Benedictus.

Datius.

Beda quoque in vita S. Cutberti capite 13. Diabolum eodem prædicante Cutberto in quadam villa narrat excitasse mirum incendium, quod nulla aquarum vi extingui poterat, eiusdem tamen precibus compressum fuisse. *Statim hostis ille nequissimus phantasticum ferens ignem domum iuxta positam incendit, ita vt viderentur faces ignis totam volitare per villam, ac inuante vento fragor omnia concuteret.* Idem Ioannes diaconus in vita S. Gregorij libro quarto cap. 89. fuisse quendam monachum: *Cui dæmon in similitudine catti apparuit, eumque vnguibus aggressus est discerpere, quo monachus oratione depulso identidem sopori se tradidit. Cum subitò dæmon in similitudine cuiusdam Aethiopis lancea minando apparuit dicens: Ego quidem hinc vado,* &c. Mitto hic enumerare cæteros Patres post hunc Ioannem; hoc est ab anno Christi 870. quippe quorum libri his rebus referti passim obuij sunt.

Beda. S. Cutbertus

Io. Diaconus.

Ne tamen omnino silentio præteream, sanctissimorum Patrum, qui religiosorum ordinum familias fundarunt, tametsi ea ætate posteriores fuerint, hac in re testimonia; facit eorum amplissima dignitas. Cùm etenim eos Deus vitæ exemplo & splendore doctrinæ toti Ecclesiæ lucere voluerit, eorum effata & gesta meritò magnifacimus. Neque enim non æstimanda nobis tantorum virorum dicta & facta sunt, qui tales ac tantos viros peculiari Dei consilio habuere sectatores.

Proferam primo loco clarissimi ordinis parentem Dominicum qui vt astrum in hoc militantis Ecclesiæ cœlo fulget. Cùm ergo Sanctus Dominicus, vt in eius vita scribitur libro tertio capite septimo apud Surium, de fraudibus dæmonum multis astantibus fratribus ad moniales concionem haberet, *Ecce Satan adest in specie lacerti mirè deformis & abominabilis duo grandia ostentans capita,* &c. cùmque omnibus timorem, horrorémque incuteret, ei vir sanctus: *Præcipio tibi* inquit *humani generis inimice, vt quamprimum te demergas in hanc aquam. Fecit ille vt erat iussus, nec*

S. Dominicus. Surius.

vnquam

vnquam apparuit. Aliud etiam eodem cap. narratur quo dæmoni se ridiculè gerenti lepidè illusit. Excitatus enim ab oratione Dominicus *ad lumen candelæ in capite dormitorij scribebat. dæmon simiam se simulans ridiculos gestus præ se ferebat*, &c. Tum vir sanctus manu ei significauit vt consisteret, *& candelam accensam coram ipso teneret.* Illa nihilominus pergebat se ridiculè gerere: venitur ad candelæ extremum. *Simiæ digitus aduritur, eáque præ dolore se torqueri lamentabatur.* nutibus tamen vir sanctus eam sic persistere coëgit, *donec index totus combustus est.* Postea eam ferula à sese abegit *fætore post se relicto.*

B. Frāciscus. Nunc de Francisco Beatissimo quid dicam? eius miraculis stupet terrarum orbis. Vnum instar omnium sit nunc satis. Scribit in eius vita S. Bonauent. S. Bonauentura cap. septimo ipsum cùm per Apuliam cum socio iter faceret, eidem socio iussisse ad dæmonum fraudes detegendas, vt iacentem in via quasi aureis nummis tumentem crumenam susciperet. *Tremefactus frater obstupuit diabolicum iam præsentiens monstrum*, &c. *& ecce serpens non modicus de bursa exiliens, simulque cum ipsa subitò euanescens diabolicam deceptionem fratri monstrauit.* Ex quo certè nos capere documentum Franciscus voluit, quid esset viris religiosis extimescendum. Subdidit enim: *Pecunia seruis Dei ô frater nihil est aliud quàm diabolus & coluber venenosus.*

Sed licebit opinor inter hæc Ecclesiæ claris- B. Ignatius. sima sydera B. P. Ignatij nostræ Societatis fundatoris illustrissimum pro nostra propositione testimonium apponere, cui vel absenti adeò exploratum fuit huiusmodi dæmones corpora assumere ac loca infestare, vt enixè suis precibus à Deo impetrauerit, ne Collegium nostrū Lauretanum infestis dæmonum visis atque apparitionibus vexaretur. Nam ibi anno à partu Virginis 1555. tam molesti ac truces nostris Patribus, Fratribúsque dæmones apparebant, vt non esset amplius nostris Patribus ibi commorandi animus, donec B. P. N. Ignatij operâ omnis ille dæmonum tumultus euanuit.

Quod quoniam rem præsentem in primis declarat atque cōfirmat, estque memoratu dignissimum, scribitúrque apud nostrum Martinum Delrius. Delrium doctum, eruditum, veracem, non pigebit hic ascribere. Præsertim cùm idem Marti- Oliuerius. nus se id totum accepisse testetur à Patre Oliuerio Manatæo eius Collegij tūc Rectore teste oculato, probóque in primis & candidæ fidei viro.

Ne autem quis suspicetur quicquam fuci ipsi veritati esse à me hac in re factum, referam illa omnia Martini verbis lib. 2. Disquisit. Magic. q. 27. sect. 2. *Anno* 1555. *maligni spiritus* inquit *modo vnum, modo alium locum infestantes, plerisque in quibus nonnulli instituti religiosi tyrones erant, mirum quantum molestiæ & inquietis afferrent. Etiam claro die apparebant varijs figuris. Vni dæmon in forma Æthiopis apparuit, & multis illecebris, ac persuasionibus verborum conatus fuit à religioso instituto illum auertere: quod cum irrito labore se facere videret; abiit, inhalato diro admodum & virulento fætore; qui toto illo die perdurauit. Alteri se conspicuum præbens effigie D. Pauli exhortabatur ad sacram epistolarum suarum lectionem, atque studium, vt hoc specioso colore eum ab humaniorum literarum cura abduceret, sicque per inobedientiam è religione expelleret: quod & perfecit. Ipsi Oliuerio in atri & ingentis mo-*

A *lossi specie obuius, in eumque insiliens ad terram ferè affixit. Orantibus vt cogitationem diuerteret, aut abrumperet instar catti obmurmurantis, sese adiunxit non semel, scabellúmque cui adnitebantur quatiebat, pulsabátque. Nec lecti quies nec mensæ refectio sine infestatione concedebatur. Crebrò varij catelli à quiescentibus lectulum ascendere, & tegmina subire sentiebantur. quæ res multos formidine plenos & somno priuabat, & stratis expellebat. Prandens quidam inuisi hostis pugno in latere tam vehementer percussus fuit, vt confestim expalluerit, & ferè retrorsum à scamno deiectus ceciderit.* Ventum ad preces & alia Ecclesiastica remedia. quibus tamen Deus illud malum tolli noluit. *Quare ad communem Patrem B. Ignatium Oliuerius recurrit, preces eius & opem in hac molestia petit.* B *Ignatius qua erat animi demissione, ad patientiam cohortatur per literas, & ad ea remedia quibus Ecclesia in similibus vti consueuit. Hæc inquit Oliuerius per literas omnia iam à nobis curata tentatáque, sed durat malum, & gliscit. Quibus acceptis literis respondet B. Pater Ignatius: Confidite in Domino & in bonitate eius, ipse vos liberabit, & ego seriò pro vobis orabo. Acceptas literas Rector in corona Patrum fratrúmque legit, qui tum fortè congregati: & mirum dictu è vestigio illa spectrorum & phantasmatum infestatio adeò conquieuit, vt nihil huiusmodi Laureti postea fuerit auditum vel visum. Nimirum scriptis literis posterioribus optimus Pater pro filiis orare cœpit, & interea dum Roma Lauretum literæ perferuntur, exorauit.* Hæc Martinus ibi. C In quibus tam multa sunt, quæ demonstrant huiusmodi visa, extrinsecus verè fuisse peracta non sola sensuum illusione, vt nulli non sit euidens, iis maximè nostram propositionem confirmari.

Tandem Cæsarij viri pietate insignis circa tempora S. Bernardi ad hanc ipsam nostram Cæsarius. propositionem confirmandam auctoritatem postremum in locum distulimus, ne filum maleficorum dæmonum interrumperemus. Hactenus enim complura infensorum Dæmonum exempla retulimus: fauentia admodum rara narrari possunt. Quæ autem ex hoc auctore decerpam quædam potiùs dæmonum in homines benefacta sunt, quàm inimicitiarum vulnera: D Quamquam ab hoste infensissimo beneficia expectari vix possunt. Multa tamen noster Serarius in cap. 6. Tob. q. 4. ex aliis Patribus ad hoc propositum memorat. Quo autem ea dæmones fecerint consilio non disputo. Neque enim ambigo quin ad perniciem aliquam disposita fuerint, si Deus permisisset. Rectè namque Lactantius Lactantius. libro secundo diuin. Institut. cap. 16. initio: *Omnium dæmonis fallaciarum ratio* inquit *expertibus veritatis obscura est: Prodesse enim putant eos cùm nocere desinunt, qui nihil aliud possunt quàm nocere.* Docet ergo Cæsarius lib. 5. miracul. cap. 36. dæmonem aliquando venusti adolescentis formam E induisse, venisséque ad quendam militem, operam suam illi obtulisse; admissum à milite ita illi famulatum esse, vt nemo vnquam aut fideliùs aut diligentiùs erga suum Dominum se gesserit. contigisse autem cùm quodam die equitaret miles, iámque ad fluuium magnum peruenisset vt respiceret à tergo insequentes hostes. Quo viso territus miles. *En* inquit *mortui sumus; ecce inimici mei post me festinant, & fluuius ex opposito est, nullum superest perfugium.* At famulus negans vllam timoris esse causam, iubet militē sua vestigia sequi. Secutus sine periculo fluuiū tranauit ad littus. Quod mirati hostes se nunquam talem

lem fluuium pertransiri vidisse affirmarunt. idcoque *non alium potuisse eius transitus auctorem esse nisi diabolum.*

Postea subdit aliud eiusdem auctoris insigne beneficium. Ægrotabat eiusdem militis vxor, iámque animam agebat, nec vlla medicorum ope conualescere poterat; id animaduertens famulus sic Dominum affatur: *O si domina mea* inquit *inungeretur lacte leonino statim sanaretur.* Sciscitanti militi vndenam eiusmodi lac comparari posset, respondit se paulò pòst allaturum. Abiit; vix spatium vnius horæ transierat: redit famulus. vas leonino lacte plenum affert. inungitur mulier, conualescit à morbo. *Cui dum diceret miles; Vnde tam cito habuisti lac istud? Respondit, De montibus aridis Arabiæ. Recedens à te in Arabiam iui, leænæ speluncam intraui, catulos abegi, & ipsam mulsi: sicque reuersus sum ad te. Stupente milite ad verba ista & dicente: Quis ergo es tu? Respondit non sollicitus sis de hoc; seruus enim tuus sum ego. Instante milite tandem confessus est dicens: Ego sum dæmon, vnus ex illis qui cum Lucifero ceciderunt.* Quamobrem miles timens ne sibi ex eius consuetudine accideret aliquid mali, illum à se recedere iussit. offerenti militi amplam pro famulatu mercedem negauit se vllam recepturum præter quinque solidos: qua pecunia coëmi voluit nolam ad cuiusdam pauperis Ecclesiæ vsus. *Vt per eam saltem dominicis diebus fideles ad diuinum conuocarentur officium. sicque ab oculis eius disparuit.* De alio idem refert cap. 37. quendam militia clarum persanasse: & cap. 43. alterius vineam custodisse. Atque hæc ex innumerabilibus quæ in hac materia commemorari possunt, satis nunc esse possunt, vt constet dæmones atque Angelos vera assumere corpora rem esse Patribus omninò certissimam.

Tertiò probatur propositio ex iis quoque Patribus qui dicunt, cùm sacræ literæ affirmant, Deum hominibus visum, non esse id accipiendum quasi Angeli Dei personam sustinentes apparuerint; sed verè Deum ipsum corporali specie indutum hominibus spectabilem se fecisse. Dum enim hoc docent supponunt etiam Angelos sæpè sua corpora assumere humanis obtutibus visenda: Hos autem Patres citabo ego infrà seq. diffic. 2. Similiter ex iis qui contendunt, omnes apparitiones etiam eas quibus Deus dicitur apparuisse, fuisse Angelorum opera conflatas, de quibus etiam dicam eodem loco.

Quartò probatur argumento à fortiori ex iis Patribus, qui docent animas mortuorum sæpè hominibus apparuisse assumptis ad tempus corporibus virtute diuina efformatis. Ergo id quoque fecisse Angelos multò magis affirmarent. Neque enim Angelos ab hominibus cerni, vt res diuinas edoceantur, & fides fidelium augeatur, minoris humano generi emolumenti est, quàm ex animis humana forma præditis ediscere, quæ mortalium saluti conferant, cùm præsertim sacrarum literarum paginæ non minùs clarè has apparitiones Angelicas contestentur, vt vidimus. Quod autem Patres concesserint, has animas visas aliquando, primum patet ex A. Doctore 3. p q. 45. a. 3. ad 2. vbi de anima Mosis id ex Hieronymo affirmat, ita vt anima Mosis *apparuerit* inquit A. Doctor *per aliquod corpus assumptum sicut Angeli apparent.* (A. Doctor.) Cui A. Doctoris sententiæ licèt refragetur Suarez ibi disputat. 22. sect. 2. vbi contendit ex Hieronymo & aliis nonnullis Patribus, animam Mosis iterum suum verum corpus assumpsisse, tamen quod pleræque aliæ humanæ animæ, vt nos diximus, apparuerint, grauissimis Patrum Conciliorúmque testimoniis solidè ostendit nostræ Societatis insignis Theologus, cuius libri omnium manibus teruntur pari voluptate & vtilitate, idem quem suprà nominauimus Martinus Delrius (Delrius.) lib. 2. Disquisit. Magic. q. 26. integra sect. 5. quos cùm ipse per singula sæcula vsque ad nostrum enumeret, ac verba recitet, nolo eadem hic recensendo actum agere.

Errorem esse, de Angelorum apparitionibus in veris corporibus dubitare, nec excusari eos qui pro se Patres aliquot esse dicerent. § 4.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò, aut hæresim aut hæresi proximam fore opinionem, qua quis de Angelorum veris apparitionibus eo quo explicauimus modo dubitaret. Etenim cùm sancti Patres summa conspiratione plurimas eiusmodi apparitiones vt veras tradiderint, plurimæque vt veræ sacræ scripturæ paginis consignatæ sint, eæque in Ecclesia Catholica tanquam certæ habeantur; sanè qui contrà niteretur si non hæreticus saltem tanquam de hæresi vehementer suspectus habendus esset. Quin etiam errorem dixit A. Doctor in 2. d. 8. q. 1. a. 2. c. asserere, Angelos imaginaria solùm visione apparuisse. (A. Doctor.) Carthusianus in 2. d. 8. q. 1. §. *insuper* subscribit A. Doctori, quia eius opinionem recitat & comprobat. (Carthus.) Ægidius in 2. d. 8. q. 1. in resolut. a. 2. ait eam opinionem *discordare multum à veritate scripturæ sacræ, secundum quam aliquando apparuerunt Angeli vt ab hominibus similiter viderentur.* Gabriel etiam eadem d. q. 1. a. 2. in fine hanc nostram sententiam de apparitione Angelorum ait, *esse manifestam ex scriptura vtriusque testamenti, vbi habetur Angelos in humanis corporibus apparuisse.* (Gabriel.) Idémque cæteri omnes supponunt eadem d. 8. Vasquez etiam disput. 184. cap. 1. ait Angelos veris corporibus apparere *esse Ecclesiæ doctrinæ conformem sententiam.* (Vasquez.) Valentia disput. 4. cit. p. 2. expressè ait, ex fide certissimum esse, Angelos veris corporibus apparuisse. (Valentia.) Si quis ergo neget, Angelos assumere corpora quibus appareant, vnum ex his duobus fateatur necesse est. Aut scilicet Angelorum apparitiones oculorum ac sensuum fuisse deceptiones, nec verè reipsa apparuisse, proindéque falsa esse, quæ de veris Angelorum apparitionibus passim diuina scriptura commemorat, aut Angelis inesse propria corpora, quibus re ipsa spectarentur. Quorum alterum est, fidem diuinæ historiæ sinceràmque Patrum interpretationem abnegantis: alterum verò; Ecclesiæ Catholicæ decretis non consentientis. Quod vtrumque apertè cum Christiana fide pugnat, vt notum est.

Nec huiusmodi homini faueret quod S. Augustinus, & S. Bernardus, & si qui sunt alij addubitarunt: Nam vt notaui super. q. Quæsi. 2. adhuc illis Patribus non liquebat quod postmodum in Ecclesia Catholica claruit; nimirum Angelis nulla inesse naturaliter corpora. Hinc enim Patribus exoriebatur dubitatio an eæ apparitiones, quas Augustinus & Bernardus cor-

poreas esse non dubitabant, essent assumptis nouis corporibus an propriis in varias formas trāsfiguratis. Nam id solum est quod Augustinum dubitantem facit, cum ipse apertè fateatur certum esse ex sacris literis, Angelos veris corporibus visos esse: *Apparuisse* inquit lib. 15. de Ciu. Dei cap. 23. *hominibus Angelos visibilibus corporibus, quæ non solùm videri, verùm etiam tangi possent verissimè Scriptura testatur.* Hoc ergo illi certum; dubium autem, Quomodo.

Quam ob causam lib. 4. de Trin. cap. vlt. quærens, quomodo fuerit illa Spiritus sancti apparitio columbæ specie, ait: *Si à me quæratur, quomodo factæ sint vel voces vel sensibiles formæ atque species ante Incarnationem Verbi Dei, quæ hoc futurum præfigurarent, per Angelos eas Deum operatum esse respondeo. quod etiam scripturarum sanctarum testimoniis quantum existimo satis ostendi.* Et epist. 102. longè post medium disputans quanam ratione factæ fuerint apparitiones veteris testamenti ait: *per Angelos fieri* seu fuisse factas. Quomodo autem eæ factæ sint, incertum illi est. Vnde subdit dubitando hæc verba: *Huc accedit quia sunt visiones, quæ apparent spiritui tanquam corporis sensibus non solùm dormientibus vel furentibus, sed aliquando sanæ mentis vigilantibus, non per fallaciam illudentium dæmonum, sed per aliquam reuelationem spiritalem, quæ fit per formas incorporeas corporibus similes, quæ discerni omninò non possunt, nisi diuino adiutorio plenius reuelentur, & mentis intelligentia diiudicentur vix aliquando cùm fierent, sed plerunque postea cùm transierint.* Tādem concludens rem omninò ancipitem reliquit: *Quæ cum ita sint siue in naturis corporeis siue sola specie corporali, natura autem spiritali nostro spiritui tanquam sensibus apparere videantur quando hæc sacra scriptura commemorat, cuius istorum duorum generis sint, & vtrùm mediante vna creatura fiant si corpore fiant indicare temerè non debemus.*

S. August. Citatur pro hac sententia à nonnullis S. Augustinus libro 15. de Ciu. Dei cap. 23. quod ibi affirmet indubitatum esse, ipsos Angelos in figura corporea, vt videri & tangi possent apparuisse, idque negare impudentiæ esse, subiungit: *Non hic aliquid audeo temerè definire, Vtrùm aliqui spiritus elemento aëreo corporati; nam hoc elementum etiam cum agitatur flabello, sensu corporis, actuque sentitur; possint etiam hanc pati libidinem, vt quomodo possint sentientibus fœminis misceantur.* Dubitat ergo de corpore vero quo suâ naturâ Angeli corporati sint, non de corpore assumpto & ascititio. de qua re adhuc apertiùs dubitat lib. 3. de Trinit. cap. 1. *Fateor* inquit *excedere vires intentionis meæ,* vt retuli in Parte negante. Vnde quamuis, vt S. August. vidimus in eadem parte significet interdū Augustinus, Angelos apparuisse in veteri testamēto; tamen de eorum corpore; Vtrùm verum fuerit an imaginarium affirmare non audet lib. 4. de Trinit. cap. vlt. & epist. 102. Quibus locis hanc Quæstionem accuratè ventilat atque ex instituto. Nam in primo loco ait: *Si à me* &c. vt suprà retuli, sed quomodo factæ sint non explicat. In posteriore tamen loco quæ sit sua ea de re opinio patefacit. Posito itaque quòd Angeli corpore careant, reliquum est vt corporeæ apparitiones, quæ sensuum non sunt illusiones, vt de plerisque in confesso omnibus est, non sine assumpto corpore extiterint. Hoc autem totum ex regula illa S. Augustini lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. & aliorum validè comprobatur; Quando scilicet verba Scripturæ propriè A possunt accipi, ad metaphoricos vel tropicos sensus non esse confugiendum. Sunt autem his de rebus Scripturæ & Patrum verba adeò clara, vt qui illa detorqueat ad tropos, eodem iure nihil non detorquere possit; atque ita omnis doctrinæ veritas, etiam fidei dogma, omnia Scripturarum documenta si suo vnusquisque arbitrio verba interpretari possit; incerta penitus redderentur. Quòd autem in præsenti negotio commodè in proprio sensu Scripturarum ac Patrum verba citata accipi possint, patet ex eo quòd nihil absurdi, nihil non cum veritate consentiens contineat, si ita significent. Quin etiam & eas apparitiones fieri decet, & Ecclesiæ B Catholicæ expedit, vt diximus. Ad quam etiam veritatem magis confirmandam libet subiicere quædam alia adhuc clariora ex Patribus, quæ legentium mentes sua luce magis ac magis illustrent.

Est autem primò insignis locus ex S. Nazianzeno orat. 49. quæ est de fide longè post medium, S. Nazianz. vt ostendat Deum non posse aliquo cogēte mutari, probat Deum cui vult, atque vt vult sese demonstrare: Quod confirmat hoc pacto: *Nam si Angeli* inquit *in figura hominum sæpe sunt visi, & tamen aliud non sunt quàm quod esse norant, neque substantiam mutant cùm formam corporis sumunt, quanto magis ipse Dominus, qui omnia fecit, qui ipsis Angelis vt hoc possent sua institutione concessit?* C Quæ verba sine vlla prorsus variatione desumpsit S. Ambrosius S Ambros. lib. de filij diuinit. cap. 8. to. 4. Sicut alia quæ antecedunt, & subsequuntur. Hic ergo non solùm supponit, angelos visos esse, verùm etiam ex corporeæ formæ assumptione non mutari eorum substantiam perspicuè docuit.

Æquè clara sunt, quæ in hunc locum ex Ter- Tertull. tulliano libenter distuli, vt quàm certum iis quoque sit, qui vtrùm angeli corporea natura sint prædit non omninò sanciuerunt, Angelos aduentitia corpora aliquādo suscepisse liqueat. Is ergo libro de carne Christi cap. 6. n. 60. sic loquitur: *Constat Angelos carnem non propriam gestasse,* D *vtpotè naturâ substantiæ spiritalis, etsi corporis alicuius, sui tamen generis, in carnem autem humanam trāsfigurabilis ad tempus; vt videri & congredi cum hominibus possent.*

En habes hic lector tria: Primum id certum esse; quia ait *Constat*: Alterū gestasse carnem non suam sed ad tempus: Tertium habes finem, nempe vt inter homines versarentur. Vt autem de Tertulliani sententia nullus dubitandi locus sit reliquus, ipse idem addit, licet relatum non sit, vnde Angeli sumpserint carnem, non tamen nobis esse dubitandum, *hoc esse proprium angelicæ potestatis, ex nulla materia corpus sibi sumere*; vt hinc etiam tacitæ obiectioni responderet. Dixit autem ex nulla materia, non quia de nihilo for- E mentur corpora. Id enim fieri non est necesse, sed ex nulla materia præiacente, quæ in corporis formam redacta esset, cùm eam Angeli sibi tunc forment; hoc est ex iam formato ac præiacente corpore, vt dicam seq. Quæsi.

Huc etiam spectant quæ accepi ex Paulino in Paulinus. vita S. Ambrosij: nam ad eius concionantis aures Angelus ita clarè stabat, vt eo aspectu *vir de hæresi Arianorum acerrimus disputator & durus atque inconuertibilis ad fidem* Catholicam, *fidem quam ipse impugnabat, defendere cœperit; eo quòd verba Angeli episcopus populo nunciare videretur.* Refert etiam So- Sophronius. phronius, siue auctor operis quod inscribitur

Pratum

Pratum spirituale, vt habetur tomo 7. Bibliothecæ Veterum Patrum cap. 178. Angelum ab hæresi ad fidem quendam simplicem hominem alioqui minime malum statim atque Angelus hanc cuiusdam senis admonitionem approbauit: *Non tibi vltra contingat, vt extra sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam communices*, traduxisse. Eusebius etiam narrat libro 5. hist. cap. vltim. Natolium seu Natalem inclitum Christi confessorem, in hæresim tamen aliquando prolapsum, Angelorum non solùm admonitionibus, verùm etiam verberibus adactum vt se cum Ecclesia Catholica conciliaret. *A sanctis enim Angelis*, inquit Eusebius, *per totam noctem verberatus, & pœnis grauibus excruciatus, manè consurgens cilicio se induit*, &c. *ostendendo simul in conspectu omnium liuores corporis eius, & cicatrices, quas pro nominis ipsius* Christi *confessione susceperat*; nempe quas vt iterum Christum à quo recesserat cõfiteretur acceperat. Quid hic ego de Angelo qui sanctum Franciscum mire recreauit? Is namque apud sanctum Bonauenturam Angelorum concentu adeò recreatus est, vt à morbo difficillimo releuaretur: in quam rem eleganter allusit qui sub eiusdem imagine hunc Angelorum concentum referente hoc distichon posuit.

Aspice quæ cœli sint gaudia; corpore morbum
Angelico remouet pectine tacta chelys.

Ac ne vltrà obeam, mira sunt quæ de sancta Frãcisca Romana non minùs Angeli conspectu, quam virtutum gloria illustri in eius vita scribuntur à nostro Iulio Vrsino, qui primus eius vitam in lucem prodidit. Etenim inter vtrosque tanta omnis honestatis conspiratio, tanta voluntatis concordia, tantum denique in Deum Opt. Maxim. fuit obsequium, vt nullum fœdus, nulla amicitia ad salutem procurandam augustior, nulla dulcior atque honestior consuetudo inter amicos vnquam fuerit. Vt quæ de dæmone Socratis fabulosè conscripta videri possunt, ea de Angeli in B. Franciscam tutela, veritatem multò felicius habuisse videantur. Quibus tamen omnibus & aliis innumerabilibus, quæ in Ecclesia Catholica meritò ac piè creduntur, fides omnis abrogaretur, si Angelorum apparitiones aut negarentur, aut in dubium vocarentur.

Eusebius. Natolius. S. Francisc. S. Bonauent. S. Francisca Romana. Iulius Vrsin.

Quid de Tiraquelli viri doctissimi opinione sentiendum.

§. 5.

Colligitur secundò, non posse ab errore excusari sententiam Andreæ Tiraquelli viri alioqui omni doctrinarum laude conspicui, vbi suprà in parte affirmante, dum affirmat, se huiusmodi apparitiones habere pro meris somniis; si id generatim dixit: Nam primò similem quoque sententiam erroris notauit A. Doctor in 2. d. 8. q. 1. a. 2. c. *Dicendum*, inquit, *quod hic est quorundam error dicentium nunquam Angelos corpus assumere, & omnia quæcunque de apparitionibus Angelorum Scriptura loquitur in præstigiis facta esse dicunt, vel secundum visionem imaginariam.* Damnat autem hanc sententiam ob eam rationem: quia *sancti communiter*, inquit, *dicunt Angelos etiam corporali visione hominibus apparuisse, cui scripturæ contextus concordare videtur; Ideò absque dubio dicendum est*, &c. Ergo multò magis damnanda est erroris illa sententia, quæ nullo modo apparitiones veras esse affirmet, si quidem eas omnes somnia mera putat.

Tiraquellus. A. Doctor.

A Deinde negari non potest, quin valdè temerarium fuerit, ipsum nude & sine vlla probatione id inficiatum esse, quod viri sapientissimi per singulas ætates magna asseueratione testati sunt, vt Athanasius magnus de magno Antonio, Hieronymus de Hilarione, aliique de aliis. Manifestè quoque in eo potissimùm erratum est, quòd saltem existimare somnia non debuisset, quæ sanctissimis, iisdémque doctissimis viris vigilantibus contigerunt, quorum nonnullos suprà recensuimus; nempe sanctum Nilum, quosdam apud sanctum Chrysostomum, aliósque non B paucos.

Quod si sapienter Chrysostomus ipse (at quem virum dico!) vt suprà vidimus libro 6. de Sacerdotio viro cuidam fide digno de quodam alio narranti ipsum in Templo Angelos conspexisse adhibuit fidem: *Id quod facile* inquit *mihi persuadeo*, &c. non video cur Tiraquello tam multorum sapientum eadem asseuerantium auctoritas fidem facere non debuerit. Si quidem vt rectè ait Cicero orat. pro Flacco: *His fidem præsertim habemus quos plus intelligere quàm nos arbitramur.* Sed esto hæc omnia non magni ponderis arbitretur Tiraquellus. Sanè non decuit virum eruditum at- C que Catholicum, eas historias non putare certissimas quæ Catholicæ Ecclesiæ iudicio comprobantur. Inter has autem esse eas in quibus Angelorũ in corporibus assumptis apparitiones enarrantur, vt in libro Geneseos, libro Tobiæ, & sæpè alibi nemo dubitare potest.

Chrysost. Cicero. Tiraquellus.

At Tiraquellum excusemus quod non negauerit sacris historiis fidem habendam esse, sed aliis quæ de infestatione dæmonũ narrari solent: Quod videtur colligi posse ex eius verbis in locis citatis in Parte affirmante. Tamen ne hoc quidem inficiari tutum in fide Catholica esse potest. Nam primò eas infestationes plurimis SS. Pa- D trum contigisse non dubium est ex dictis. Deinde communis Ecclesiæ Catholicæ sensus est, eas esse non rarò, cùm ad eas remouendas exorcismos, & alias preces instituerit, iisque per suos Sacerdotes administros frequentes vtatur. Præterea Sanctorum, ac reliquiarum miraculis, aliisque religiosis ac piis signis maximè derogari constat, cùm inter fideles omnes indubitatum sit, dæmones signum Crucis, Iesu Mariæ nomen, vel aliorum Sanctorum, eorum reliquias, ceteram agni Dei effigiem, lustralẽ aquam, panem, salem, cereúmque benedictum, cæteráque vel Ecclesiæ sacramentalia, vel Catholicæ religionis symbola pauere ac detestari.

E Adde etiam certum fide Catholica esse plerunque animas defunctorum variis in locis visibiles ac infestas fuisse. Quod ostendi à Martino Delrio ante dicebamus. Ergo multò magis id de dæmonibus credi par est: qui & plus possunt & obesse magis volunt. Et ideò in Ecclesia in Magos harum apparitionum architectos tot leges latæ sunt, cùm non sint sine pacto cum dæmone, de qua re idem Martinus libr. 1. Disquisit. Magic. cap. 2. Denique contra Tiraquellum faciunt quæ noster Tyræus tribus integris libris comprehendit. in quibus spirituum homines ac loca obsidentium atque infestantium genera, conditiones, & quas adferunt molestiæ, molestiarúmque causæ explicantur. Rationes quoque ostenduntur,

Delrius. Tyræus.

tur, quibus ab eorundem molestiis contingit liberari. In hos etiam vide quæ scribimus in hoc Quæsito Difficultate vltim. in nostris *Colligitur* contra hæreticos earundem apparitionum veritatem negantes.

Illud tamen in Tiraquello laudandum videtur, quòd nulla ei cum Magis intercessit consuetudo, ex qua sine dubio ea vidisset oculis, quæ scriptis negare nunquam ausus esset: Rectè namque Lactantius lib. 7. c. 13. vbi in Dicæarchum, Epicurum & Democritum edocentes animi humani interitum cum argumentatus esset tum ex oraculi respōso, tū etiam ex carminibus Sibyllinis quibus enunciabatur fore aliquando, *vt à Deo de viuis ac mortuis iudicetur*, vnde inferebat animam remanere post mortem; subdit hos Philosophos nunquā fore ausos animæ interitum asserere præsente aliquo mago: nam vidissent animos ipsos corām astare eiusdem magi opera si ille Deo permittente voluisset. *Falsa ergo est*, inquit, *Democriti, Epicuri, & Dicæarchi de animi dissolutione sententia, qui profectò non auderent de interitu animarum Mago aliquo præsente disserere, qui sciret certis carminibus ciere ab inferis animas, & adesse & præbere se humanis oculis videndas & loqui & futura prædicere; & si auderent, re ipsa & documentis præsentibus vincerentur*, &c.

Lactantius.

Explicantur Patres & alij qui contrà sensisse videri possunt. §. 6.

EX his respondetur ad argumenta in Parte negante. Ad S. Epiphanium respōdeo, ea quidem rectè dici ab ipso: nam Gnosticorum stultissimam hæresim confutat; qui dicebant, vnam ex dæmonibus suscepisse liberos ex Elia, dum ille somnians emisisset semen, quo ab illa dæmone suscepto liberos conceperit. Hos ergo redarguit Epiphanius ex eo quod *dæmon cum sit spiritus & corporeus assumere corpora* non potest, nempe semen virile ex quo prolem in vtero formet. Itaq; non negat absolute posse corpora sumere, sed corpus quod sit seminis capax ad formandum fœtum. Vnde statim subiicit: *Si verò etiam a corporibus assumit ac cōcipit, non ampliùs est spiritus, sed corpus.* Quod sine dubio verissimè dicitur. Etenim si dæmon ad prolem in vtero ex semine concipiendam talia organa haberet, eius corpus esset animo informatum. esset enim corpus organicum ad vitæ functiones, cuius anima est actus; vt certum est ex iis, quæ Aristoteles docet lib. 2. de An. cont. 6. & 7. Ergo Angelus nō minùs esset corporeus quā mulier: nam ad operationes vitæ exercendas cōpacto corpore vtrimque animal conflaretur. Nos autem asserimus assumi corpora ab Angelis, quę hominem aut aliud, quodcūque sit, externa specie referat, modò Angeli personam sustineat: non autem de substantia Angelorum, qui verè incorporei spiritus sunt, vllo pacto sit.

S. Epiphan.

Aristoteles.

Ad S. Damascenum dico illud *secundùm imaginationem* idem esse atque secundùm apparentiam, id est secundùm externā faciem ac figuram. Gręcè enim habetur κατ φαντασίαν, quod deriuatur à verbo φαίνομαι, quod latinè est *appareo*. Sanè Aristoteles à visu dictam esse vult phantasiam lib. 2. de An. cont. 162 quasi à visione seu à rerum apparentia. Vnde phantasmata idem sunt, quod visa & apparentia. Ideò interdum phantasma est

S. Damascenus.

A inane spectrum apparens, cuius modi sunt eæ formæ, quę se oculis videndas offerunt ei, qui in somnis vigilare se putat. Sic Marci 6. *Putauerunt phantasma esse.* Et ideò loco eius versionis apud Damascenum *secundum phantasiam*, clariùs vertit Billius; *vt apparet*; ita vt sensus sit: Transformantur in quam volunt figuram, vt apparet; hoc est vt communi Gentium consensione certum est. Non ergo negat realem assumptionem corporū, sed affirmat variam transformationem ipsorum quæ nota est.

Marc. 6.

Ad tertium respondeo: Si Deus humanis oculis aliquando apparuit, dico ipsum assumpsisse corpora quibus cerni posset, quemadmodum de B Angelis diximus, non quidem vniēdo ea sibi hypostatice. Hoc enim semel factum esse à Verbo diuino fide Catholica edocti sumus, sed sola assumptione corporis, secundùm quam dici posset Deus loqui, videri, tāgi, &c. vt de Angelis explicatum est. Itaque si vera est argumenti Maior, neganda est Minor. Dixi: si vera est Maior. nam de hac re seq. diffic. disputabitur.

Ad S. Hieronymum respondeo intra simulachra dici non esse dæmones, quia ea non informantur dęmone; vt anima est intra hominis corpus: non tamē negat esse intus veluti per penetrationem, & vt sufficit vt motor in mobili dica- C tur esse. Hoc autem nō potest verti in dubium à Hieronymo, quia Angeli ac dæmones nec excludūtur à corpore, cū ipsi incorporei sint, nec distāt ab ipso corpore quod mouent, & ex quo dæmonum operā Gentibus responsa dabantur. alioqui nec posset in aere esse, nec intra corpus hominis, quod à dæmone possidetur atque exagitatur.

Hieronym.

Ad Rabbinum Moysem dico ex Alberto in eo membro primo citato ad 7. plerosque Rabbinos, vt Rabbi Moyses, Rabbi Eleazar, Iosua, & Rabbi Ioanna & Isaac, non considerasse apparitiones Angelorum nisi ad actū illustrationis quæ fit in nostra cogitatione; & ideò negasse ad hos actus D ab Angelis assumi vera corpora. Quod si simpliciter negarent talem assumptionem, fatēdum est eos errare: Nam in Veteri testamento cùm legūtur Angeli Tobiæ, iter fecisse cum ipso, & Angeli Loth visi ab omnibus, &c. certum est non fuisse inania spectra, sed ita apparuisse, vti videbantur externa facie. Tum quia Scriptura non ita simpliciter narrasset ac si hęc re ipsa cōtigissent, si re ipsa non ita fuisset. Vnde quia Iosepho Angelus in somnis visus est, Scriptura apertè docuit, Matth. 2. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, Surge & accipe puerum*: præsertim cùm hoc dogma ad fidem spectet, quòd nimirum Angeli per corpora sint verè locuti. *Nihil est autem* inquit S. Augustinus libr. 2. de Doctr. Christ. c. 6. E & 9. *obscure dictum in Scripturis quod spectat ad fidem vel mores, quod non planissimè dictum sit in aliis locis.* Tum etiam quia nō poterant falli sensus tot aspectantium circa suum obiectum, vt dicam difficult. 3.

Rabbi Moyses.

Matth. 2.

S. Augustin.

Ad Vldaricum quid Albertus sentiat dictum est in 2. sent. Ad eius verò argumenta dico, aërea corpora posse assumi non quidē ex puro aëre, sed cæteris elementis cōmistis eo modo, quo aliquā aptam habere tēperiem possint ad finē quem Angeli cōsequi volūt. Et hac ratione dico nihil esse contra ea quæ natura potest; vt infrà explicabo. Hæc enim corpora possunt & diu seruari, & citò euanescere, si ea quæ conseruant adhibeantur vel remoueantur, vt dicam infrà. Ad aliud

Vldaricus Albertus.

nego

nego hæc frustra fieri: Nam tametsi demus, hæc posse repræsentari sola sensuum immutatione; vt non rarò accidit dæmonum præstigiis; tamen vt congruentius à Deo per Angelos ad res cœlestes instituamur, decet eos assumere corpora, vt docet S. Dionysius cap. 2. cœlest. hierar. Erudimur enim simulachris, quæ ex sensibilib. obiectis proueniunt, & per plures sensus in animum se insinuant firmius & connaturalius, quàm si solis simulachris sensus immutentur. Vnde est quod rectè obseruat Albertus eodem loco ad 1. vt Angeli eorum corporum sumant figuras, ex quibus significetur id quod erga nos præstare volūt. Vt si nos ab hostium insidiis tueri velint, bellantium figuris corpora sua componūt. Quo pacto libro 4. Regum 6. dicitur: *Ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Et Tobiæ 4. Angelus speciem iuuenis ad ambulandum præcincti induit, & sic de cæteris. Adde quòd vt dicam deinceps ex A. Doctore & aliis, & monet Albertus etiam ad 9. ex consuetudine & amicabilibus colloquiis familiaritas existit, qua nos in hac vita dignantur Angeli, vt hic eius consuetudinis initia ducantur, quæ postea in cœlo cumulatè absoluenda est. Quod verò addit eas sensuum immutationes non fore præstigias falsum est: Nam sine dubio fallerent eos, qui aliter se videre ac sentire arbitrantur. Quis enim verteret in dubium, quin Abraham, Loth, Tobias & alij putauerint se corpora tangere, loquentes audire, cum præsente colloqui, &c. cùm Angelos illos hospitio susceperunt, eorum pedes lauerunt, prandia pararunt, & cætera omnia, quibus hospites recreari solent apparatu?

S. Dionys. — Albertus. — 4. Reg. 6. — Tob. 4. — A. Doctor. Albertus.

Ad ea quæ Guilelmus Parisiensis dicit non opus est noua responsione. Satis enim dictum est, debuisse esse vera corpora. Neque est ambigendum ampliùs, an certa eorum veritas satis perspecta sit, cùm clarè loquentes Scripturas & Patres habeamus. Neque etiam fas est ampliùs dubitare; An huiusmodi assumptiones in diuinam gloriam cedant: nam alioqui à Deo decretæ atque institutæ non essent.

Guilelmus Parisiensis.

Ad eos qui putant Angelos esse naturâ corporeos, responsum est super. q. ipsos contra Catholicam fidem opinatos esse. Ad SS. Augustinum & Bernardum dico ipsos dubitasse, quia nondum ipsis liquebat, quod postea Theologorum diligentia compertum est. Et ideò non mirum, si nunc non liceat ampliùs vllum dubitationi relinqui locum, vt dictum est in Primo *Colligitur.*

S. August. S. Bernard.

Ad illud ex Andrea Cæsariensi respōdeo ipsum ibi non dubitasse, sed cōtrariarum partium opinionem recensuisse, ac posuisse, eo quod ibi ea de re nulla erat occasio alteram partem constituendi. Propositum enim illi erat docere, Angelos inter homines administrare; siue corpore vestiti, hoc est siue ex corpore constarent, siue tali mole destituerentur; vt eruditis placet. Ergo ponit saltem assumere corpora: hoc enim eruditis placet. Nam si ponit Angelum cum hominibus ministrare, certum esse debet ipsos administros adminiculo corporū id facere. Non enim hic nobis administrant saltem plerunque nisi aspectabili figura & forma quam Deus, &c. Et idcirco subdidit Cæsariensis, *non in propria natura conspici,* quia corpore vacat; *sed in illa figura & forma quam Deus,* &c. Quamuis enim ipsi ea corpora sumant, tamen ea illis Deus tribuit, quia eius imperio talem vel talem corporis formam sumunt; vt etiam patebit ex A. Doctore in hoc art. Destituuntur ergo corpore sua met natura quæ illo caret; non tamen destituuntur ita vt repugnet ea assumi, cùm Deus iubet ad hominum commoda.

And. Cæsar. — A. Doctor.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrùm vera Patrum Theologorúmque sententiá in iis veteris testamenti apparitionibus quibus dicitur Deus apparuisse, verè Deus ipse immediatè corpora sumpserit: An Angeli Dei personam sustinuerint apparendo.

HAnc controuersiam petit Tertium argumentum Partis negantis in superiore Difficultate. Videntur autem hac in re non parum inter se Patres dissentire. ideircò in præsentia eorum sententias examinare diligenter oportet: ne Difficultas, quæ maximè ad hanc de Angelis materiam facit, inuoluta remaneat, præsertim cùm ea quæ supra constituta sunt, intelligi sine his rectè non possint.

Quadruplicem esse posse Dei Angelorúmque apparitionem. §. 1.

NOtandum ergo est primò ex Abulensi super cap. 9. lib. 3. Reg. q. 2. vt etiam rectè monet noster Tyræus lib. 1. de visibili Dei apparitione cap. 2. quadruplicem Dei siue Angelorum apparitionem (vltra ea quæ dicta sunt super. Diffic. in Quinto Notando ex Gabriele Vasquez) distingui posse. Primam quidem ocularem, hoc est oculis spectabilem & visibilem; vt cùm Deus aut Angelus sumpta figura humani corporis, ab hominibus cernitur; sicut Angelus apparuit Gedeoni Iudic. 6. *Venit autem Angelus Domini & sedit sub quercu,* &c. *& ait; Dominus tecum virorum fortissime,* &c. & infra: *Dixitque ei Gedeoni Dominus, Ego ero tecum & percuties Madian quasi vnum virū.* Sic etiam Manue & vxori eius Iudic. 13. vbi dum ascenderet holocausti flamma in cœlum, *Angelus Domini pariter in flamma ascendit: Quod cum vidissent Manue & vxor eius, proni ceciderunt in terrā, & vltra eis non apparuit Angelus Domini.* & paulo pòst *Morte moriemur quia vidimus Deum.*

Abulensis. — Tyræus — Vasquez. — Iudic. 6. — Iudic. 13.

Alteram vocalem; & ideò auricularem, vt cùm ad vigilantem hominem vox sola mittitur, nec tamen cernitur is qui loquitur; Sic 1. Regum 3. auditus est Deus à Samuele, cùm ter a Deo vocatus nullum vocantem vidit. Eodem modo Moyses audiuit Deum sibi loquentem de propitiatorio Numer. 7. Nam *cum ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio,* &c. nec vnquam scribitur, à Moyse visus Deus ibi. Nec forte aliter apparuit Israelitis, cùm ab eo legem acceperunt Exodi 20. & Deut. 5. audierunt enim loquentem Dominū, non tamen viderunt quis loqueretur.

1. Reg. 3. — Num. 7. — Exod. 20. Deut. 5.

Tertiam qua se Deus siue vigilantibus siue

somno oppressis per simulachra, quæ in phantasiæ organo formantur insinuat; vt Num. 12. dixit Deus Aaroni & Mariæ: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Sic etiam Iacob Genes. 46. Deum *audiuit per visionem noctis vocantem se & dicentem Iacob Iacob.*

Num. 12.

Genes. 46.

Quartam intellectualem quæ est solius intelligentiæ ac mentis, cum se illi Deus peculiari aliquo modo intelligendum obiicit siue in ecstasi aut mentis raptu, vt Paulo 2. Cor. 13. siue sine raptu, vt sæpè contigit prophetis. Ratio autem cur hi tantùm quatuor modi distinguantur alia non est, nisi quia hæ potissimùm solent esse Dei, aut Angelorum etiam apparitiones; vt nimirum Deus vel Angelus agnoscatur, vel solo intellectu, vel intellectu & imaginatione: vel denique vltra cognitionem intellectus atque imaginationes, etiam externis sensibus apprehendatur, nimirum vel visu vel auditu: nam cæteri sensus vix videntur apti ad percipiẽdas huiusmodi substantias spiritales apparentes. Tactus enim quantum, gustatus sapores, odores odoratus agnoscit; nec personas ita facilè capiunt vt auditus & visus. Non quòd velim sensus, rationem substantiæ ac personæ distinguere: Id enim intellectus est: Sed aio sensum visus & auditus tales esse notitias circa sua obiecta, vt per hos, non autem per sensus tactus aut gustatus, quales sint substantiæ ac personarum varietas, intellectus ipse longè meliùs cognoscat atque distinguat. Cùm enim audimus loquentes, videmúsque hominis formam seu figuram, scimus ea corpora intelligentia aliqua prædita esse, non ita cùm tangimus aut olfacimus, &c. Quanquam, vt postea dicam, si sensus comparentur inter se quoad certitudinem circa suum obiectum, sensus tactus omnium certissimus esse solet.

2. Cor. 13.

Hanc tamen apparitionum diuisionem, triplicem fecit S. Isidorus lib. 7. Orig. cap. 8. omissa auriculari, quia hæc cæteris inferior dignitate est. Vnde ait, tria esse genera visionum: *vnum secundùm oculos corporis; sicut vidit Abraham tres viros sub ilice Mambre, & Moyses ignem in rubo, & discipuli transfiguratum Dominum:* Aliud genus vocatur ab ipso *secundum spiritum*, nempe secundùm interiores sensus, id est phantasiam & imaginationem, qua *imaginamur ea quæ per corpus sentimus; sicut vidit Petrus discum illum submitti de cœlo cum variis animalibus:* Tertium vocat *per intuitũ mentis quo intellecta conspicitur veritas.* Subdit autem, sine hoc genere cætera aut falsa sunt aut infructuosa.

S. Isidorus.

Verùm vtut sit, siue tria siue quatuor visionũ genera sint, nos hic non loquimur nisi de ea Dei potissimùm apparitione, quę spectari potuit oculis corporis. Vt hinc planum fiat; Vtrùm Deus ipse verè apparuerit in veteri lege sumpto corpore; an verò Dei personam Angeli sumpto corpore sustinuerint.

Certum est Deum aliquo modo apparuisse in veteri testamento. §. 2.

PRo hac autem re Notandum est secũdò, non posse dubitari à Catholico quin Deus ali- A quando in veteri testamento in assumpto corpore verè ac re ipsa aliquo pacto apparuerit: seu quod idem est, verè se spectandum oculis aliquo modo præbuerit; nimirum ita vt illud quod cernebatur non fuerit delusio oculorum & inane spectrum, sed verum corpus, quod Deo motore quicquid operabatur efficiebat; immò quod Dei personam operantis aliquo modo gerebat seu repræsentabat; vt super. Diffic. de Angelorum apparitione declaratum est. Hoc inquã Catholico ambiguum esse non debet: etenim constat ex sacris literis multas esse Dei veras ac visibiles apparitiones in veteri testaméto. Quarum diligentem doctámque disputationem persecutus est noster Tyrçus loco citato cap. 3. quas Tyræus.
B etiam nuper integro volumine complecti conatus fuit noster Antonius Fernandez libro qui inscribitur *Commentarij in visiones veteris testamenti.* in quo vna & quadraginta apparitiones siue Dei siue Angelorum siue quarumcumque rerum diuersarum comprehensæ sunt. Ex his & aliis eas seligam, quæ ad rem præsentem stabiliendam aptiores iudicabuntur; cæteræ videri poterunt apud eosdem citatos auctores.

Ant. Fernandez.

Ac primùm quidem mitto illam visionem diuinam; Cùm scilicet primùm Deus cum primo nostri generis parente Adamo collocutus est: nempe post præuaricationem diuini præcepti cùm ab eodẽ rationem commissi criminis exegit Genes. 3. *Vocauítque Dominus Deus Adam,* &c. qui Genes. 3.
C iam latebat ob pœnarum timorem. Hanc inquam mitto: nam Deus ibi non legitur sub spectabili forma ab Adamo visus. Ob quam etiam causam mitto illam, quam secundam esse Caietanus ait in 4. cap. Gen. cùm apparuit, Cainum obiurgaturus ob patratum fratricidium, *Vagus ac profugus,* &c. Neque enim legitur ibi Deus vllo modo visus. Tertiam similiter prætereo. Cùm Deus Noë secreta sui cordis exposuit Genes. 6. *Finis vniuersæ carnis venit,* &c. Nullum enim ibi Scripturæ verbum significat, Deum oculis corporum visum esse. Nihil etiam hic dico de alia qua Abraham Genes. 15. alloquitur Deum, qui se illi futurum patronum pollicitus erat. *Factus est sermo Domini ad Abraham per visionem dicẽs,* &c.

Caietanus. Genes. 4.

Genes. 6.

Genes. 15.

D Incertum enim est, an per visionem corpoream, an per intelligentiam. Vtramque enim partem sequuntur ibi interpretes, vt habes apud nostrum Cornelium à Lapide in illum locum.

Cornelius à Lapide.

Quare multis aliis prætermissis Prima Dei visio atque inter certas apparitio sit Genes. 16. dum Angelus apparuit Agar Abrahæ ancillæ *iuxta fontem aquæ in solitudine,* & cum ea collocutus fusè legitur: vnde vocauit nomen eius qui loquebatur; *Tu Deus qui vidisti me: Dixit enim Profectò hic vidi posteriora videntis me.* Altera sit cap. 18. eiusdem libri, cùm Deus Abrahæ in cõualle Mambre specie trium virorum se visendum obtulit: *Cúmque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cùm vidisset,* &c. *Dixit autem Dominus ad Abraham; Quare risit Sara?* &c. Quam quidem apparitionem omniũ Patrũ scriptis celebrari, notius est, quàm vt hîc cõfirmari sit necesse. Huic adderem visionem illam ex Gen. cap. 19. quæ nulli visionum, siue rerum varietatem siue euentorum causas spectes, est secunda: nempe cùm Loth eiúsque filias à Sodomorum incendio Angeli subtraxerunt, nisi nunc diuinas tantummodo apparitiones quæreremus. Illa quoq; enumerãda videri posset, quæ Gen. 28. Genes. 28.

Genes. 16.

Genes. 18.

E

Genes. 19.

Iacob vidit scalam è terra cœlum pertingentem, & *Dominum innixum scalæ dicentem sibi. Ego sum Dominus* &c. Verùm hac visione Deus non apparuit Iacobo ita, vt oculis ab illo videretur. Nam *Iacob vidit in somnis scalam* &c. Et post multa. *Cùmque euigilasset Iacob de somno* &c.

Gen. 32. Tertia ergo sit Genes. 32. Vbi Iacob cum Deo viri effigiem præ se ferente luctasse scribitur. vnde & idcirco nomen Iacob in Israel commutatum est. & paulo pòst: *Vocauit Iacob nomen loci illius Phanuel dicens: vidi Dominum facie ad faciem* &c. Exod. 3. Quarta est Exodi 3. cum Dominus Moysi apparuit in rubiceto, quod vndique incombustum ardebat. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi* &c. *Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocauit eum* &c. Quinta habetur omnium veteris testamenti præcipua ab Exod. 19. Exodi cap. 19. & deinceps, cum Deus Moysi nebulam ingresso aperuit arcana futurorum, legémque dedit populo promulgandam &c. Illa verò ex his admirabiliora contigerunt. nimirum in cap. 24. Exod. 24. *Cùmque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini* &c. *Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens* &c. Exod. 32. & cap. 32. Moyses ait Deo: *Ostende mihi gloriam tuam* &c. & Dominus respondit: *Posteriora mea videbis* &c. vnde & cornuta erat facies eius ob consortium sermonis Dei, vt patet ex c. Exod. 34. 34. ibidem.

Iosue 5. Sextam legimus in lib. Iosue cap. 5. Nam Iosue cum esset in agro *leuauit oculos & vidit virum stantem contra se euaginatum tenentem gladium.* &c. *cecidit Iosue pronus in terram.* Quem virum fuisse Eusebius. Deum docet Eusebius lib. 1. hist. cap. 4. Septima Iudic. 6. Gedeoni accidit Iudic. 6. *Apparuit ei Angelus Domini, & ait; Dominus tecum virorum fortissime.* Quem Angelum fuisse Deum contendit Abulensis Abulens. dicto cap. 6. Vocatur enim ibi Dominus Hebraice Iehouah. Et ideò Gedeon sacrificium quod nonnisi Deo offertur, illi promisit. Octauam Abulens. Iudic. 13. addit idem Abulensis eodem loco, cum Iudic. 13. Angelus apparuit parentibus Sampsonis: *Vir Dei venit* (alloquitur Sampsonis mater virum suum) *ad me habens vultum Angelicum, terribilem nimis.* Licèt autem ferè omnia, quæ ibi in ea colloquij parte dicuntur Angelo conueniant nõ Deo: Tamen paulo pòst is noluit nomen suum proferre, sed *cur quæris* inquit *nomen meum quod est admirabile?* & infra Manue Sampsonis pater dolens queritur: *Morte moriemur, quia vidimus Deum.* Tyræus. Alij alias quoque apparitiones; & ipse Tyræus cap. 4. & deinceps. Addere nos vnam atque alteram possumus. Nonam enim habes lib. 3. Re- 3. Reg. 19. gum cap. 19. vbi dicitur Eliæ. *Sta in monte coram Domino, & ecce* [illegible]*, & spiritus grandis* Isaiæ 6. &c. ac denique Decima sit Isaiæ cap. 6. cùm Isaias de se fatetur: *Vidi Dominum super solium excelsum & eleuatum* &c. *Seraphim stabant super illud* &c. Sed hæ duæ tanquam peruulgatæ, & nulli non notissimæ omittendæ: Octo illæ nobis ad propositum satis erunt. Ex his enim cónstat in veteri lege perspicuè homini Deum aspectabilem visum esse oculis corporis, locutúmque verè esse cum hominibus facie ad faciem &c. Quia hoc sacræ docent literæ, & propriè accipi verba sacræ Scripturæ debent, si nihil contra vetet. Idem quoque ex Patrum cõsensione patebit deinceps: Tyræus. Quod ipsum probat Tyræus eodem lib. 1. ca. 11. vbi multis ostendit, Deũ tunc apparuisse, non in phantastico, sed vero, solidóq; corpore, quod suis constabat dimensionibus, coloribus, figuris &c.

Cùm ergo constet Deum esse, qui in assumpto corpore locutus, & visus est prædictis hominibus, solum remanet præsens quæstio: An in his apparitionibus verâ Patrum sententiâ Deus qui locutus & visus est, assumpserit ipse corpora per se se non per Angelos; An verò Deus ea omnia per Angelos ipse præstiterit, itavt per Angelos Deus locutus sit & visus cũ apparuit &c.

Referuntur Patres qui sentire nisi sunt Deum personaliter apparuisse. §. 3.

Partem affirmantem; quòd scilicet Deus immediatè, & vt scholæ loquuntur, personaliter corpus assumpserit & locutus sit, docent ex recentioribus aliqui viri eruditissimi, inter quos est noster Antonius Fernandez in libro commẽtariorum in visiones veteris testamenti Visione Ant. Fernandez. 6. comment. 2. sect. 1. vbi multos Patres pro hac sententia citat. Eam autem probare possumus auctoritate & ratione grauissimorum Patrum, qui & hanc controuersiam olim viderunt, & in eam partem inclinarunt, vt assererent in his & similibus apparitionibus verè Deum in assumpto corpore spectatum esse; nempe Dei Filium, qui tanquam futuram hypostaticam vnionem adumbraret, figura hominis plerunque assumpta, mortalium oculis apparebat. Obseruat enim Pererius noster in cap. 32. Genes. Disput. 1. com- Pererius. plures veterum Patrum visiones in veteri testamento ipsis patriarchis ac prophetis factas, in quibus dicitur vel Deus, vel etiam Dei Angelus apparuisse hominibus, fuisse quidem apparitiones Dei, sed non æterni Patris, qui nunquam legitur aut hominis figura, aut alio modo hominibus apparuisse in veteri lege, sed Filij Dei; hoc est ipsius æterni Verbi ex Deo Patre geniti. Et quoniam longum esset disputationem circa omnia huiusmodi loca contexere, pauca indicabo ex quibus non dissimilis de cæteris coniectura fieri facile possit.

Prima autem auctoritas & ratio sit Theodo- Theodoret. reti q. 91. in Gen. vbi disputat, quamobrem luctatus sit Angelus cum Iacob. concludit in fine illius sic. *Per hæc omnia docemur, quòd etiam hoc loco vnigenitus Deus apparuit ipsi Iacob.* Probauerat autem id duplici argumento: Tum quia eundem nẽpe qui apparuit *& Angelum & Deum vocauit* Scriptura, cùm dicit Genes. 32. *Praualuisti enim ait* Gen. 32. *contra Deum, & aduersus homines potens eris*: Tum quia vocauit nomen eius *Phanuel*, id est visionem Dei. Quamobrem ipse etiam Iacob vocatus est Israel. Ergo ipse vnigenitus Dei apparuit, non vllus ex Dei Angelis visus est.

Secunda auctoritas sit S. Hilarij lib. 4. de Tri- S. Hilarius. nit. post medium vbi explicãs illum locum Gen. Gen. 16. 16. *Dixit Angelus Domini ad Agar. Redi ad dominam tuam* &c. quærit ipse, cur idem qui ibi dicitur Angelus Domini, dicatur eodem cap. postea, Nomen Domini: *Et vocauit nomen Domini qui loquebatur secum;* &. *Tu Deus qui exaudisti me* &c. respondet illum eundem *qui Angelus Dei dictus est Dominum Deum esse.* Nec repugnare ait, quòd idem sit Deus & Angelus; nempe idem Dei Verbum increatum: *Qui enim est Deus ex Deo ipse est & Angelus Dei*, propterea quòd à propheta Isaia capite nono versu 6. iuxta phra- Isa. 9. sim 70. dicitur *magni consilij Angelus.* Itaque vis

vis argumēti est: Quod ille Angelus fuerit Deus. Nam Deus quidem est ob naturæ diuinitatem, ob quā nominatur Deus; Angelus verò ob munus magna annunciandi; nempe quæ diuinitus in homines fideles euulganda erant, nunquam ad illud vsque tempus nota, ideòque penitus recondita atque abstrusa Dei consilia.

Nazianz. Tertia sit Gregorij Nazianzeni in Tractatu de fide; hoc est orat. 49. longè post medium. Eodem enim modo de Filij Dei apparitione apertissimis verbis locutus est. *Huc accedit*, inquit, *quod filium Dei ita visum à Patribus approbamus, vt non totum illud quod est Deus, videretur*, &c. & paucis post; *Qui si Abrahæ visus est, sed in forma humani corporis visus est*; & subiungens cur Iacobo nunc figura Angeli nunc hominis sese ostentauerit, ait sic: *Qui ideò se in Angelo demonstrauit, vt nuncium se magni consilij indicaret. In homine verò, cum quo colluctatus fuisse describitur, vt imaginem futuræ colluctationis, quam cum Israel habiturus erat, cum secundum hominem aduenisset, perspicuè indicaret.* Pergit verò alias Dei visiones declarare, quas nunc libens prætereo.

S. Ambros. Quarta sit auctoritas S. Ambrosij libro de Filij diuinit. cap. 8. vbi in eandem sententiam, & iisdem planè verbis vtitur atque Nazianzenus, vt idem vtriusque sermo videatur. Præterea libro 1. de Spiritu sancto cap. 16. *Specie* inquit *exprimi vel videri diuinæ est consuetudinis. Deus enim est ignis consumens vt Moyses dicit: Vidit enim ipse in rubo ignem; & audierat Deum tunc quando vox facta est de flamma ad eum dicens; Ego sum Deus Abraham* &c. Ergo supponit Deum è rubo accenso cum Moyse locutum esse, non Angelum.

Leo Papa I. Quinta sit S. Leonis Papæ primi epist. 13. ad Pulcheriam Augustam, vbi multas veras Dei apparitiones fuisse censet. Sic enim loquitur aduersus hæresim Eutychetis: *Potuit omnipotentia Filij Dei sic ad docendos iustificandósque homines apparere, quomodo & patriarchis & prophetis in carnis specie apparuit, cùm aut luctamen iniit, aut sermonem conseruit, cùmve officia hospitalitatis non abnuit, vel etiam appositum cibum sumpsit.* & subdit eas fuisse indicia futuræ Incarnationis; his verbis: *Sed illæ imagines huius hominis fuerunt indicia, cuius veritatem ex præcedentium Patrum stirpe sumendam significationes mysticæ nunciabant, & ideò sacramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum nullæ implebant figuræ* &c.

S. August. Sexta sit S. Augustini, qui etsi pro opposita sententia citandus infrà erit, tamen non repugnat quin aliquando videatur hanc quoque sententiam comprobasse. Itaque libro contra Adimantum Manichæi discipulum cap. 9. sic loquitur de Filio Dei, vt dicat non solùm nouissimis temporibus, verùm etiam priùs à constitutione Mundi *cuicunque voluit de Patre annunciasse, siue loquendo, siue apparendo, vel per angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam* &c. & post nonnulla subiungit: *Et ideò quibusdam locis etiam Scriptura ipsa testatur, Angelum visum, vbi dicit Deum visum; sicut in illa luctatione Iacob; & Angelus dictus est qui apparuit* &c. Sentit ergo VERBVM apparuisse, tametsi Scriptura interdum id ipsum Verbum, Angeli appellatione significet.

Eusebius. Septima sit omnium clarissima ex Eusebio lib. 1. histor. cap. 1. De Deo namque Verbóque diuino sic ait: *multis pietate præditis viris adstitisse, & docuisse quæ ad cultum diuinum pertinere videbantur, ostenditur; sed euidentiùs ac familiariùs Abrahæ atque*

A *eius familiæ, quantum fas erat Deum hominibus innotuisse describitur, & velut præceptor quidam ac monitor, illius extitisse prosapiæ refertur.* Ideo deinceps argumentis confirmat, non fuisse Angelum, qui Gen. 18. cum Abrahamo versatus est. Quia illum adorat vt Deum, veneratur vt Dominum &c. Postea ait eundem Dominum Dei Filium Moysi ac Iacobo apparuisse. Ac ne quis putaret etiam in his visis apparuisse Dominum per Angelum, subdit: *Neque enim fas est de aliquo Angelorum vel cælestium virtutum ita sentire. nullum enim illorum, si quando mortalibus ex cælesti præcipiuntur adesse mandato, Dominum vel Deum diuinus sermo commemorat.* In iis autem apparitionibus ostendit eum qui visus est nominari Deum apud Scripturam; vt de Iacob, Moyse, & aliis diximus. Quo etiam planè argumento vsus est ad idem omninò probandum Nicephorus lib. 1. hist. cap. 2. sub finem; vnde cap. 3. etiam sub finem ait: Deum aliquando *etiam per semetipsum mysticis & arcanis apparitionibus paucis quibusdam, qui antiquitus pietate & amore Dei clari extiterunt, viris, alicubi se exhibuisse hominis forma assumpta.* (Gen. 18.) (Nicephor.)

B

S. Chrysost. Octaua sit S. Chrysostomi hom. 16. in Acta Apostol. circa med. dum explicat ea verba cap. 7. *Et expletis annis quadraginta*, quæ desumuntur ex cap. 3. Exodi, quibus Scriptura sacra narrat, quo pacto Deus apparuerit Moysi in rubo, ex eàque apparitione Moyses magnam conceperit admirationem: Ait autem ibi Dei Filium, qui eo loco apparuit Angelum vocari, atque ideircò illum locum vbi talis visio fuit, sanctiorem omni templo augustiorémque fuisse: Nam *vides* inquit *quanta sunt miracula! & nusquam templum, nusquam sacrificium.* & infrà: *Nec solùm hic ostendit, quòd apparens illi Angelus fuerit magni consilij Angelus, sed ostendit etiam quantum misericordiarum Deus per apparitionem fecerit.* & paucis pòst: *Apparitione & efficientia Christi multò admirabilius hoc, quam locus in sanctis sanctorum. Illic enim nunquam apparuit sic Deus; nunquam tremefactus est sic Moyses* &c. Quare tantam dignitatem acquisiuit ille locus ex Christi apparitione, vt nullum templum in veteri lege fuerit illi dignitate comparandum. (Act. 7. Exod. 3.) (C) (D)

Clemens Romanus. Iam verò ex antiquioribus quoque Patribus idem prorsus ostendi potest. Et primus sit Clemens Romanus libro 5. constitut. Apostolic. cap. 21. *Hunc Christum vidit Iacob vti hominem, & dixit; Vidi Deum facie ad faciem, & saluata est anima mea: Hunc Abraham* &c. Idem enim de Abrahamo, déque cæteris clarè affirmat.

Tertull. Secūdus sit Tertullianus lib 4. aduersus Marcionem cap. 10. n. 117. Loquens enim de Christo: *Hic erat visus Babylonio Regi* inquit *in fornace cum martyribus suis quartus tanquam filius hominis. Idem ipse Danieli reuelatus directò filius hominis veniens cum cæli nubibus iudex.* & ibidem cap. 21. nu. 308. id ipsum confirmat his verbis: *Perspice igitur & tu cum rege Babylonio fornacem eius ardentem, & inuenies illic tanquam filium hominis. nondum enim verè erat, nondum scilicet natus ex homine. iam tunc istos exitus constituentem.* Adhuc apertiùs libro aduersus Iudæos cap. 9. num. 114. *Qui ad Moysen loquebatur ipse erat Dei Filius, qui & semper videbatur. Deum enim Patrem nemo vidit vnquam, & vixit. & ideò constat, ipsum Deum Filium Moysi esse locutum, & dixisse ad populum.* & paulo pòst referens causam, cur idem Dei Filius dictus Angelus sit, ait: *Angelum quippe dixit eum ob magnitudinem virtutū quas erat* (E)

erat editurus,& officium prophetæ nunciantis scilicet diuinam voluntatem;sicut & præcursorem Christi Ioannem futurum Angelum appellat per prophetam Spiritus dicens, Ecce ego mitto Angelum meum,&c.

Origenes. Isaia 6. Tertius sit Origenes hom. 1. in cap. 6. Isaiæ, vbi disertè docet vnum ex Seraphim, qui visus est Isaiæ, fuisse Christum Dominum nostrum. *Quis est inquit iste vnus de Seraphim? Dominus meus* IESVS *Christus, iste iuxta dispensationem carnis missus est, habens in manu sua carbonem,& dicens: Ignem veni mittere in terram.*

S.Cyprian. Quartus sit S. Cyprianus libro secundo aduersus Iudæos capite quinto vbi ostendere nititur: *Quod idem Angelus & Deus Christus in Genesi ad Abraham*,&c. apparuit. Et postea explicat, cur in Exodo dicatur Deus præire in columna ignis, & deinde dicatur præire Angelus Dei: Id autem esse docet, quia Christus Angelus munere erat iuxta illud in Euangelio, *Ego veni in nomine Patris mei.*

Concil. Syrmiense. Nicephor. Denique hanc partem affirmantem videntur Patres Concilij Syrmiensis expresse definiuisse: Nam hunc canonem refert Nicephorus libro nono historiarum capite vigesimoprimo, ex eo Concilio sub Iulio I. tempore Constãtini, qui est huiusmodi: *Si quis cum Iacob non filium ut hominem, sed ingenitum Deum, aut partem eius colluctatam esse dicat, anathema sit.*

Ex quibus omnibus manifestũ est, hos sapientissimos Patres omninò arbitratos esse non Angelum, sed Dei Filium antiquis Patribus visum corpore humanæ formæ assumpto. Ex eorum namque verbis duo habemus: Primum est illum qui apparuit non esse Angelum, quia ei non congruunt quæ iis locis affirmantur. Alterum fuisse ipsum Verbum Dei Filium, qui antequam carnem in Virginis vtero assumeret, speciè hominis sæpè apparuerit veteribus antiquæ legis Patribus; tanquam futuræ Incarnationis indicia significare voluerit.

Ratione etiam Theologica eandem Partem affirmantem confirmare possumus: Quia verba sacræ Scripturæ propriè accipienda sunt, si ad asserendum contrarium, nulla necessitas euincat iuxta regulam traditam ab Augustino, vt suprà diximus. At Scriptura disertis verbis locis citatis docet, Deum apparuisse, vt Patres probarunt, & diximus de apparitione facta Moysi, qui etiam clarissimè dicitur cum vidisse facie ad faciem: Vnde etiam sæpè in illis capitibus Geneseos ac libri Exodi citatis, is qui apparuit dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. Ergo verè ac propriè Deus apparuit non Angelus. Sanè si Angeli loquerentur ibi & similibus locis, falsa omnino essent quæ dicebantur ab illis Angelis; Quia Angelus non est Deus noster: Nec Angelo conueniunt ea quæ de se profert is qui apparuit Iudic. 2. cùm dixit: *Eduxi vos de terra Ægypti* &c. Quòd autem nulla contrà sit necessitas, patet ex eo, quòd nihil absurdi est, si dicatur VERBVM assumpsisse corpus, non quidem hypostaticè vnitum sibi, sed vt in eo loqui ac moueri videretur, vt de Angelis diximus, & fusiùs Quæst. sequenti dicemus.

S.August.

Iudic. 2.

***

A

Non repugnare Deo apparere per corpora assumpta, si tamen de facto non apparuit aliam esse rationem. §. 4.

PArtem tamen negantem; quòd scilicet Deus in veteri lege ipse per sese non apparuerit, nec corpus assumpserit, sed per Angelos qui personam Dei sustinerent tanquam veram Patrum sententiam sequuntur Theologi fere omnes, Mag. in 2. d. 8. capite 2. *Etsi nos lateat* inquit *quomodo ea ministris Angelis fecerit Deus, per Angelos tamen facta esse dicimus*; nimirum licet quomodo Deus per Angelos apparuerit ignoretur, tamen non dubitamus Angelos visos esse, non Deum. Idem asserit Angelicus Doctor quæstione sexta, de Potent. a. 7. ad 3. *Omnes* inquit *apparitiones quæ in Veteri testamento leguntur, facta sunt ministerio Angelorum*, &c. Et subdit dici Deum apparuisse; quia Deus erat finis huiusmodi apparitionum, vt explicabitur à nobis infrà. Alexander Alensis 2. p. quæstione trigesimaquarta, m. 3. *In Veteri testamento* inquit *Dominus locutus est Sanctis Patribus, tamen mediante Angelo assumente corpus; & ita aliquando inuenitur scriptum, quòd apparuit Dominus, aliquando quòd apparuit Angelus.* & m. 7. ibidem ait eandem apparitionem Deo tribui & Angelo, *sed differenter, Deo per auctoritatem, Angelo per ministerium.* Similia docẽt Scholastici omnes in 2. d. 8. vbi Ricardus & sanctus Bonauentura in expositione contextus Magistri dubio 3. Ægidius Romanus eadem d. 8. a. 3. dub. 1. literali, & cæteri omnes, qui de hac re ibidem disputarunt. non enim apud omnes huiusmodi Quæst. examinatur. Eam enim prætermittunt Scotus, Durandus, Capreolus, Maior, & alij nonnulli ex prestantissimis. Idem sentiunt recentiores omnes Theologi, Abulensis loco infrà citãdo in secundo *Colliguntur*, Molina hîc a. 2. disp. 2. Gregor. de Valẽtia hic disput. 4. q. 2. p. 2. Vasquez disp. 185. à cap. 1. Pererius in Gen. cap. 32. disp. 1. Tyræus lib. 1. de appar. diu. cap. 24. Martinus Delrius in Gen. cap. 12. vers. 7. licet addat, *se arbitrari plurimum fieri huiusmodi apparitiones per Angelum vicem Dei repræsentantem.* Noster Cornelius à Lapide libro comment. in Pentateu. non longè ab initio can. 16. Et in com. in Genes. capite 12. versu 7. & in cap. 32. versu 24. & comment. in Exodi cap. 3. versu 2. & alij recentiores plurimi. Qui omnes auctores id docent potissimùm ex sancti Augusti sententia. Ad solutionem

Magister. B A. Doctor. Alensis. C Ricardus. S. Bonauent. Ægidius. Scotus. Durandus. Capreolus. Maior. Abulensis. Molina. D Valentia. Vasquez. Pererius. Tyræus. Delrius. Cornelius à Lapide. S. August.

Notãdum est primò: Si negari oporteat, Deum sibi reipsa corpus assumpsisse in veteri lege, cùm se in conspectum veterum Patrum dicitur exhibuisse, non propterea id esse negandum, quòd id Deo repugnet, aut quia à Catholica fide discordet, vt rectè notauit Petrus Tyræus capite vigesimotertio. Non quidem Deo repugnet; quia Deum hoc pacto assumere corpus, nihil est aliud quàm sibi vnire corpus tanquam mobile motori ita, vt corpus illud operans sustineat ac referat Dei personam operantem, nimirum loquentem, ambulantem &c. vt suprà diximus. At tale corpus sumere Deo non repugnat: Non enim sequitur Deum aut corporeum aut mutabilem esse, aut aliquid eiusmodi absurditatis; Nam solùm consequens est, corpus ita moueri à Deo, vt per-

E Tyræus.

vt per illas suas functiones ingerat nostris sensibus species ac simulachra, quibus Deus eo modo operans nimirum per corpus, referatur, ac repræsentetur. Quemadmodum Angeli dum corpora induunt, ipsi dicuntur operari, loqui &c. Recte autem persona Dei siue Angeli in eo operante corpore sustinetur ac refertur, quia verè Deus vel Angelus illas operationes elicit atque format, eiúsq. tanquam principij mouentis sunt. Atque ita quemadmodum actiones hominis viuentis, quæ per corpus vitaliter exercentur, hominis rectè dicũtur, quia homo viuens est internum principium illarum vitalium operationum efficiens atque eliciens; ita actiones quæ per assumptum à Deo corpus quodammodo vitaliter exercerentur, nempe à vita illi assistente, Dei rectè dicerentur: quia Deus internũ illarum principium aliquo modo efficiẽs esset. Immo nec vllum aliud principium tunc esse posset, cui illæ actiones tribui tunc possint præterquã Deo. Immediate enim Deus se solo illa moueret labia oris, vocémq; formaret, dum illud corpus verba ederet ac loqueretur. Tali enim pacto cùm fides musicè mouentur, non nisi lyristæ concentus ille harmonicus ascribendus est.

Non discordat autem à fide Catholica: Quia si id posse fieri asseratur, nihil quod fidei consentaneum sit labefactat. Sanè Patres eximij quibus id ita reipsa accidisse visum est, à nemine damnantur tanquam quid à fide alienum enũciarint, cùm præsertim huiusmodi Patrum testimonia diuinis literis, in quibus id maxime significatur, non omninò absurde nitantur. Ergo multo minùs damnandus is erit, qui Deo non repugnare tantùmmodo sentiat. Quòd autem aliqui obiecerunt, ex eo Deum assumere non posse aut non potuisse corpus eo modo quo de Angelis asseruimus; Quòd is qui assumit corpus, debet in eo esse definitiuè; nimirum ita in corpore, vt extra illud non sit, (quod quidẽ visum est Gabrieli in 2. d. 8. q. 1. a. 1. Vbi ex Scoto & Alexandro & A. Doctore putat, spiritum assumere corpus sic definiri posse: *Est spiritum consistere corpori definitiuè vt motorem intrinsecum mobili tanquam instrumentum ad sui, vel ad Dei manifestationem*) Hoc inquam quod obiicitur nihil contra nos probat: Nam esto huiusdi definitio rectè describat quid sit Angelum assumere corpus, quod in præsenti in dubium non reuoco, & satis suprà dictum est; non tamen placet hanc doctrinam ita restringi, vt is qui corpus induit, vt appareat, contineri in ipso corpore definitiuè debeat. Primum quidem quia licèt Gabriel rectè id colligat, doceátque ex Scoto vt patet in 2. d. 8. quæstione prima §. *In isto genere*; Tamen nec Alexander, nec sanctus Thomas eius conditionis vspiam meminere. Secundò, quia Verbum diuinum verè assumpsit corpus humanum quo manifestabatur, non tamen in eo erat definitiuè. Ergo id non exigitur ad omnem assumptionem corporis. Tertiò, quia cùm Angelus Tobiæ apparuit, eadem fuisset apparitio siue Angeli sphæra amplior fuisset, ita vt extra illud corpus fuisset eius substantia, siue non fuisset. Demus enim fuisse ampliorem, num idcirco Angeli personam illud corpus non repræsentasset, vt reipsa referebat. Immò id ipsum contigit cùm Angeli apparuerunt Loth, qui tamen extra corpus quo repræsentabantur erant, cùm Sodomitas omnes eodem tempore percutiebãt; vt patet ex illo loco Genes. 19. suprà cit. Ex quo

Gabriel. Scotus. Alexander. A. Doctor.

Gabriel. Scotus. Alexander. S. Thomas.

Genes. 19.

A vlteriùs sequitur non esse firmum fundamentum, quo Scotus & Gabriel nituntur dum asserunt, Spiritum sanctum non assumpsisse corpus columbæ, quia non erat ibi definitiuè. Si enim rectè ostendimus id non requiri, non est cur ob hanc causam eam Spiritui sancto assumptionem denegemus. Non ergo est id negandum, quia aut Deo repugnet, aut à fide discordet, sed aliam longè diuersam ob causam; quam in præsenti inuestigabimus. Pro qua re

Scotus. Gabriel.

Notandum est secundò, rectè in hac re nostrum Tyræum, vbi suprà libro 1. cap. 24. monuisse, non esse recedendum à communi Scholasticorum sententia, nisi vrgens aut ratio, aut sacrorum Doctorum auctoritas instet, vt contrarium asseratur: B Quandoquidem sapientum sententiæ præsertim eorum qui rem accuratè considerarunt, magnum rationis pondus subesse iure optimo censeri potest. Quamobrem rectè docuit Aristoteles libro 6. Ethic. cap. 11. *Prudentum pronunciationibus & opinionibus absque demonstratione non minus quàm demonstrationibus attendendum est.* In hanc autem propositionem, quòd scilicet omnes hæ quas diximus apparitiones administris Angelis exhibitæ sint, neutra militat ratio. Immò potiùs ab ipsorum Scholasticorum parte vrgentes rationes stare videntur, vt rectè ostendit A. Doctor p. p. quæst. 110. art. 1. Quia scilicet vniuersa natura corporea regitur, & moderatur à Deo per Angelos; C Quod fusiùs ostendit qu. de verit. art. 8. Ergo etiam illæ apparitiones per Angelos merè factæ existimandæ sunt: Quia non est peculiaris ratio, cur potiùs illæ in Deum solum referantur, quàm reliqui effectus qui in Mundo contingunt.

Tyræus.

Aristoteles.

A. Doctor.

Quod enim ex Scripturis dicitur, non demonstrat illam corporum assumptionem solius Dei fuisse apparitionem, vt infra dicam. Vnde Sanctus Dionysius cap. 4. cœlest. hierar. non longè post initium ait per Angelos ad nos peruenire diuinas illustrationes atque apparitiones. Sic enim habet de ipsis Angelis: *Angelorum præcipuè nomine ita appellantur, propterea quòd primum in eis insit diuina illustratio, ac per eos ad nos perueniant ea,* D *quæ naturam nostram superant patefactiones.* Ergo cùm illæ apparitiones sint diuinæ illustrationes, & patefactiones, per Angelos fieri debuerunt. Quod etiam ipse Dionysius ibidem subdit expresse: Nam ait; Patres veteris legis ab Angelis edoctos ad veritatis notitiam peruenisse, non ita tamen vt Deum, vt in se est, viderint vnquam, sed visa quidem fuisse sensibus obiecta, per quæ Deus se in conspectum illorum dederit: quas *diuinas* inquit *visiones clarissimi illi Patres nostri celestium virtutum opera didicerunt.*

S. Dionysius.

S. Dionysius.

E Patet ergo si has apparitiones negemus à Deo solo esse factas rationem esse: quia quæ Deus in hoc Mundo aspectabili operatur supra naturam causarum naturalium, ea administris Angelis effici consentaneum est. Vnde est illud commune axioma Theologorum, de quo Theologi p. p. quæstione vigesimasecunda a. 3. diuinam prouidentiam administrationem huius Mundi exequi per causas secundas: Quia *inferiora* inquit eodem articulo A. Doctor *per superiora gubernat non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ causalitatis, vt dignitatem causalitatis etiam suis creaturis communicet.*

A. Doctor.

 Atque

Atque hinc est vt non minùs verè, quàm sapienter effatum illud generalissimum omnium ferè Theologorum ore pronuncietur; Quæ nimirum causarum naturalium vim excedunt, ea per Angelos fieri oportere. In quam sententiam præclare S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 5. illud instar oraculi fudit. *In hoc Mundo visibili, nihil nisi per creaturam inuisibilem disponi potest.* Quod etiam si aliunde non constaret, satis manifestum esset vel in ipsa cœlestium orbium cõuersione, quam cùm sciamus non posse effectum esse causarum corporatarum; mentis alicuius effectum dicimus, non quidem solius Dei ita iubentis (causas enim secũdas inquirimus semper, si haberi possint) sed etiam alicuius creatæ mentis, atque ab omni materia prorsus abiunctæ, vt suprà ostensum est. Videndum ergo superest: Vtrùm verâ Patrum sententiâ in veteris testamenti apparitionibus Deus ipse immediatè corpus assumpserit; an verò Angeli personam Dei sustinentes.

S. Gregor.

Vera Patrum sententia est semper Deum apparuisse per Angelos. §. 5.

AD Difficultatem ergo respondetur. Et sit Vnica propositio: In omnibus prædictis apparitionibus Angelos personam Dei sustinentes assumpsisse corpora, vera Patrum sententia est. Probatur, & primò quòd sit Patrum sententia. Deinde quòd vera. Ac prior quidem huius propositionis pars patebit longa eorumdem Patrum enumeratione ab antiquissimis vsque temporibus. Primus sit S. Dionysius cap. 4. cœlest. hierar. non longè ab initio, qui vt modò dicebamus, illud expressit dicens, *diuinas visiones Angelorum opera* Patribus fuisse patefactas; ita vt etiam ipsam legis traditionem in Sina Monte affirmet de Angelorũ manu processisse. Eius autem rei rationem subiiciens ait: *Docet autem & hoc sapienter Theologia per Angelos eam,* traditionem legis *ad nos peruenisse. Quasi illud ordo diuinæ legis sanciat, ea quæ secundum locum obtinent, sub iis quæ primum ad diuinitatem erigi atque excitari.* Hæc S. Dionysius. Quasi apertè dicat: quæ inferiora sunt per superiora debere ad Deũ dirigi; Quod dicebamus Not. 2.

S. Dionys.

Secundus sit Tertullianus: etsi enim aliter sensit locis citatis in Prima sententia. Immò etiamsi sæpissimè docuerit, non solùm in prædictis visis Christum Dei Filium à Patribus esse spectatum; verùm etiam in vera carne licet non nata apparuisse, vt libro de carne Christi c. 6. n. 58. lib. 3. aduersus Marcionem c. 9. n. 65. Tamen quia tandem alicubi, quomodo sua ea in re sententia intelligi oporteat declarauit, puto ipsum in hanc nostram propositionem non inuitũ adduci posse. Locis enim citatis dederat veram Christo carnem cùm apparuit Patribus, propterea quòd aduersus Marcionem, aliósque eius asseclas (aduersus quos vt rectè obseruat Iacobus Pamelius ad Tertulliani paradoxa num. 19. conabatur ostendere, carnem Christi, quam postea ex virgine accepit, non fuisse phantasticam, sed veram ac solidam) satis valida futura argumenta, zelo non secundùm scientiam arbitratus est; si VERBVM ipsum iam olim frequẽter, cùm in veteri testamento legitur Patrum oculis visum, in vera carne apparuisse stabilitum esset.

Tertullian.

Pamelius.

Itaque cùm in huiusmodi hæreticos non inuehitur, aliter longe se sentire professus est Tertullianus. Nam docet Christum non verè & substantia suâ, sed per speculum, & in ænigmate, & visione, & somnio apparuisse semper Patriarchis, Patribúsque cæteris. Ergo Christus Tertulliani sentẽtiâ apparuit per creaturas. Sicut enim ab Apostolo dicimur Deum videre per speculum in ænigmate 1. Cor. 13. eo quod eius obscuras imagines nempe creaturas intuemur, ita si Tertulliani sentẽtiâ Christus apparuit in speculo & in ænigmate (his enim verbis alludit ad modum loquendi quo vsus est Paulus) ea loquendi forma idem significari oportet; nempe Christũ visum esse in eius obscuro simulachro, quod Christũ imperfectè repræsentarit, in corpore scilicet, quod suâ figurâ, motu, sermone aliisque rebus Christum referret. quæ certum est præstari non potuisse nisi per corpus ab Angelo assumptum, siquidem non minus per creaturas id negotij transigendum erat, non autem immediate per Deũ, quàm cæteri effectus, qui in hac rerum vniuersitate contingere solent. Quòd ergo Tertullianus id doceat patet apertè ex libro contra Praxeam c. 14. n. 86. & 87. Vbi de Christo ait: *Visibilem fuisse ante carnem eo modo quo dicit ad Aaron & Mariam,* nempe Num. 12. *Et si fuerit Prophetes in vobis, in visione cognoscar illi, & in somnio loquar illi, non quomodo Moysi: os ad os loquar illi in specie, id est in veritate, & non in ænigmate, id est non in imagine, sicut & Apostolus. Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Igitur ipsi Moysi seruat conspectum suum & colloquium facie ad faciem in futurum,* &c. Quem Moysem facie ad faciem cum Christo collocutum esse ait, non quidem in veteri testamento, sed tunc cùm in Euangelio Lucæ 9. in montis Thabor secessũ cum Christo visus est. Nam *apparet* inquit Tertullianus ibidem *retrò semper in speculo & ænigmate, visione & somnio Deum, id est Filium Dei visum tam Prophetis & Patriarchis, quàm & ipsi adhuc Moysi.* & pergit hoc multis confirmare. Arbitratur ergo Tertullianus olim in veteri lege nunquam Dei VERBVM ne Moysi quidem, visum esse, nisi in speculo creaturarum. Vnde eodem libro cap. 16. numer. 96. de Christo ait: *Ipse & ad humana semper colloquia ascendit ab Adam vsque ad Patriarchas & Prophetas in visione, in somno, in speculo, in ænigmate,* &c. & paulo pòst numer. 100. & 101. Christum *qui in Paradiso ad vesperam deambulauerit quærens Adam; & arcam post introitum Noe clauserit, & apud Abraham sub quercu refrigerauerit; & Moysen de rubo ardenti vocauerit, & in fornace Babylonij regis quartus apparuerit,* ait visum esse *in imagine, speculo, & ænigmate.* Constat ergo quales Tertulliani sententiâ Christi apparitiones fuerint, nempe per creaturarum, ac proinde Angelorum imagines, vt dictum est.

1. Cor. 13.

Tertullian.

Num. 12.

Luc. 9.

Tertius sit Sanctus Hieronymus in illud cap. tertio epist. ad Gal. *Lex per Angelos.* vbi hanc propositionem nostram clarissimè docuit: *Quod ait* inquit *Apostolus lex per Angelos hoc vult intelligi, quòd in omni veteri testamento, vbi Angelus primum visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, Angelus quidẽ verè ex ministris pluribus quicunque sit visus, sed in illo mediator loquitur, qui dicit; Ego sum Deus Isaac, Deus Iacob.* Hinc videri potest,

S. Hieron. Galat. 3.

test, Angelū quasi Deum loqui, hoc est Dei personam referendo, ideóque non satis firmo argumento ostendi Deum apparuisse, quòd se esse Deum qui loquebatur diceret, quia in illo Deus loquebatur, vt sic dicam repræsentatiuè. Quo pacto vt infrà dicam, Rex in eo qui eius personam gerit, rectè loqui dicitur. Adeò vt sacerdos dum consecrat, quia personam Christi refert, omnium Patrum sententia rectè ac verè dicat: *Hoc est corpus meum.* vt in materia de venerabili Euchar. fusè docuimus, & ad argumenta infrà dicemus.

Cyrillus. Quartus sit Cyrillus libro octauo Thesauri capite secundo post medium, vbi simili prorsus modo loquitur. Contendit enim ex Paulo nouam legem veteri præstare etiam hoc titulo, quòd noua data est per Dei Filium, veterem verò per Angelos. *Cùm voluisset Paulus legalibus mandatis* inquit *longè meliora Euangelica demonstrare, administratores considerauit; & ex differentiis ipsorum administratorum, negotiorum differentiam ostendit.* & concludit. *Angeli ergo legem administrarunt; per eos enim dictata est: Filius verò Euangelium prædicauit;* & longè pòst ait sic: *Quamuis etiam lex Dei est, vetus, tamen per Angelos data fuit.* Sentit ergo in Sina monte Angelos Moysi tradidisse legem, & consequenter eos qui tunc apparuerunt, fuisse Angelos. Etiamsi de iisdem Angelis ibidem dicatur nempe Exodi 19. *Totus autem mons Sina fumabat, eo quòd descendisset Dominus,* &c. & *Moyses loquebatur cum Deo, & Deus respondebat ei,* &c. Vnde constat Cyrilli sententia Angelum fuisse qui dicebat se esse Deum. Similiter libro quarto contra Iulianum aliquantulum post initium colum. quarta ait ex Iudic. 6. *Gedeoni apparuisse Angelum, & dixisse ad eum, Dominus erit tecum.* Quem ipsum Angelum ait postea expectasse donec Gedeon veniret ad ipsum, eique offerret sacrificium, & dixisse: *Ego sum, sedebo donec reuertaris.* Ergo Angelus loquitur ex persona Dei, atque ita inde non probatur alicubi, Deum fuisse reipsa qui Patribus apparuit in veteri lege.

Exod. 19.

Iudic. 6.

Theodoret. Galat. 3. Huc etiam quinto loco & potiore quàm Tertullianus ratione, refero ipsum Theodoretum. Mitto eius locum ad Galat. 3. Quamuis enim dicat *legem fuisse latam ministrantibus Angelis*, tamen quia modum non explicat, nihil validè videtur ex illo colligi posse (quãquam de hoc iterum dicam infra in primo *Colligitur.*) Non tamen paruifacio locum illum eiusdem in dialogo qui inscribitur *Immutabilis;* Vbi ante medium ait. Cùm Deus dixit: *Ego impleui visiones, & in prophetarum manibus assimilatus sum,* intelligẽdum id esse, non quod Deus sit visus in sese, sed quod sit visus per assimilationem seu imaginem. *Neque enim* inquit *Regis imago ostendit eius naturam, etiãsi expressos & euidentes Regis characteres referat.* Hunc igitur locum puto esse ad rem nostram. Nam licèt non affirmet; Vtrùm illa Dei imago fuerit expressa per Angelos, an immediatè Deus illam efformarit; tamen quia dicit Deum non esse nisi per imaginem, hoc est per creaturam visum; id nõ debet intelligi eo quòd Deus solus eius creaturæ fuerit effector, sed etiam creaturis administris, vt in cæteris contingit. Ergo per medios Angelos Theodoreto, eas apparitiones esse factas probabile admodum est; vt de Tertulliano

Theodoret. diximus. Neque huic sẽtẽtiæ obest quod Theodoretus q. 68. in Gen. dicat, etiamsi Angeli naturæ sint incorporeæ, *ipsos tamen & eorum Dominum visos esse habere corpora.* Quasi velit significare non solos Angelos corpora assumere vt spectentur, sed etiam Deum ipsum. Hoc inquam non obest: non enim definit Deum, immediatè visum esse habere corpora, sed solùm negare vult, verè Deũ siue Angelum habere corpora, quamuis corporibus induti aliquando spectati sint. Quamobrem negat quidem vtrosque habere corpora, visósque affirmat cum corporibus, non tamen immediatè ea à Deo assumpta esse docet.

S. Chrysost. Hebr. 2. Sextus sit Sãctus Chrysostomus in illud Pauli ad Hebræos cap. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo,* &c. quæ est homilia 3. in epist. ad Hebræos, vbi apertè significat, Angelos fuisse eius legis promulgatores. Licet enim de hac re aliqua ex parte dubius sit, tamen non solum non improbabile putauit quod nos asserimus, verùm etiam in illud valde propẽdet. Dicit enim: *Aut enim decalogum legis significat; illic enim Moyses loquebatur, & Deus respondebat; aut quia præsentes erant Angeli Dei cùm lex daretur, aut certè de his quæ in veteri testamento, vtpote Angelis in ministerium communicantibus dicta sunt,* &c. Additque hunc postremum sensum sibi videri verisimiliorem. Nam magis ad Pauli sensum accommodatur. Argumentum enim Pauli eo loci, ducitur ex eo, quòd lex Euangelica quia à Deo est, nobilior debeat esse quàm vetus, quæ ab Angelis lata est, vt paulo pòst dicetur. Si autem Deus fuisset immediatus lator eiusdem veteris legis, Angeli verò in eo negotio administri, nullius roboris argumentum esset: quia vtrobique Deus immediatus, ac proinde nullã Euangelium, propterea quòd latum à Deo sit, prærogatiuã veteri decalogo anteferendum foret. Immò argumentatio Pauli non solùm infirma, sed sibi aduersaria prorsus esset. Nam si Deus ipse per sese comitantibus Angelis legem tulisset Hebræis, solemnior illa fuisset legis promulgatio, quàm Euangelica, quæ à Deo quidem lata est, sed ea pompa caruit. Quod tamen Paulus contendit, vt vidimus ex Cyrillo.

S. August. Sed septimum locum teneat Augustinus, qui inter omnes hanc nostram sententiam clarissimè docuit pluribus locis; præsertim libro 3. de Trinit. cap. 11. vbi sic apertè scribit: *Omnia quæ Patribus visa sunt, cùm Deus illis secundùm dispensationem suam temporibus congruam præstaretur, per creaturam facta esse est manifestum;* Quod ipse nititur probare ex variis Scripturæ locis, ne videatur plus sapere, quàm oportet de sensu suo, vt ipse ibi loquitur; Idque vt existimo, quia non ignorabat Augustinus, non defuisse ante ipsum magnos Patres, qui contrariam sententiam planè secuti existimabantur. Ait ergo: *Etsi nos latet, quomodo ea ministris Angelis fecerit per Angelos, tamen esse facta non ex nostro sensu dicimus.* Quod quia sibi visus est demonstrasse, modestè tandem concludit versus finem eius libri hoc pacto: *Sed iam satis, quantum existimo, pro captu nostro disputatum, consistitúmque, & probabilitate rationis quantum homo, vel potiùs quantum ego potui; & firmitate authoritatis, quantum de Scripturis diuina eloquia posuerunt; quod antiquis Patribus nostris ante Incarnationem Saluatoris, cùm Deus apparere dicebatur, voces illæ & species corporales per Angelos factæ sint; siue ipsis loquentibus, vel aliquid agentibus ex persona Dei, siue assumentibus*

ex creatura, quod ipsi non essent, vbi Deus figuratè demonstratur hominibus. Quod genus significationum nec prophetas omisisse multis docet scriptura. Quamobrem cùm adeò acriter Augustini ingenium in huius quæstionis peruestigatione se gesserit, nescio cur venerit in mentē quorundā conari, hæc Augustini argumenta dissoluere. Vide Vasquez Disp. 35. c. vlt. Verùm ea esse firmissima patebit in probatione secūdę partis nostrę propositionis. Vasquez.

S. August. Idem alibi sæpe asseruit S. Augustinus, vt libro 3. contra Maximinum c. 26. libro 2. de Trin. cap. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. & 17. & alibi. Quibus in locis maluit Augustinus asserere non solum Dei Filium: verùm & Deum Patrem, & totam Trinitatem visam esse per subiectas creaturas; quam solum Dei Verbum per se fuisse spectatum; vt ne cōsentiret Maximino Ariano, cui non suffecit dictas apparitiones de Christo interpretari; sed etiam inde confici putabat, Christum per diuinitatis suę substantiam visibus apparuisse Patriarcharum & cæterorum. vt etiam rectè obseruauit Iacobus Pamelius ad Tertulliani Paradoxa num. 19. cit. Maximinus. Pamelius.

S. Anselmus. Octauus locus detur S. Anselmo non quidem tanquam qui sit ætate Augustino proximus, sed tanquam qui doctrinam eius maximè assecutus sit: Nam in cap. 2. epist. ad Hebręos initio ait, quæ locutus est Deus dum promulgauit legem, dixisse per Angelos, & subdit: *Ea enim quæ Deus refertur dixisse, certum est Angelos fuisse locutos.* Ait ergo certum id esse; eo quòd Augustini, opinor, auctoritas demonstrationis instar illi fuit.

S. Gregor. Tandem vltimo loco concludi potest duplici auctoritate S. Gregorij verè magni. Prima est libro 28. Moral. cap. 2. vbi docet, omnem Dei locutionem, quæ non fiat afflatu interiore fieri per Angelos. Ergo & apparitiones in quibus dicitur Deus locutus, extrinsecùs per Angelos exhibitæ sunt. *Sciendum* inquit *est quia duobus modis locutio diuina distinguitur. Aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam Angelicam eius ad nos verba formantur. Sed cum per semetipsum loquitur sola vis nobis internæ inspirationis aperitur* &c. *Cum verò per Angelum voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonstrat, aliquando simul verbis & rebus, aliquando imaginibus cordis oculis ostensis, aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre assumptis.* Ergo quæcunque extrinsecùs Deus fecisse scribitur in sacris literis, ea omnia Gregorij sententiā fecisse per Angelos certum est. Vnde subdit generatim paulo pòst. *Neque enim Deus qui sine tempore vi impulsionis intimæ clamat, in tempore per suam substantiam vocem illam edidit, quam circumscriptam tempore per humana verba distinxit. sed nimirum de cœlestibus loquens verba sua quæ audiri voluit ab hominibus rationali creatura administrante formauit* &c. Putat ergo Gregorius omne corpus quod Deus videtur assumpsisse extrinsecus fuisse ab Angelis assumptum, vt etiam ipse fusiùs declarat.

Altera est in præfatione ad librum Iob cap. 1. vel 2. vbi explicans quo pacto in huiusmodi apparitionibus Angeli modò Deus dicerentur, modò Angeli, ad hunc modum scribit: *Angelus qui Moysi apparuisse describitur*, inquit, *modò Angelus modò Dominus memoratur; Angelus videlicet propter hoc quòd exteriùs loquendo seruiebat: Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat. Cùm ergo loquens exteriùs ab interiori regitur,*

A *& per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur.* Quod etiam Gregorius confirmat ex Ps. 77. vbi Dauid attentionem initio captat, vt attenderet suus populus legem suam. *Atqui* inquit Gregorius *nec lex illa nec populus erat Dauidis sed Dei: Attamen personam eius, ex qua loquebatur, assumens ipsius auctoritate loquitur, cuius inspiratione replebatur. Hoc fieri quotidie cernimus in Ecclesia: Nam stans in medio populi lector clamat; Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob; & quod Deus ipse sit verè non dicit; nec tamen per hoc quod dicit veritatis regulam deserit, quia suum ministerium lectione exhibet, eius dominium voce prætenat.* Quibus verbis manifestum est Gregorij sententiā non solùm B Angelos fuisse qui loco Dei apparuerunt, verùm etiam optimè solui argumenta, quæ ex locutione quæ Deo à Scriptura tribuitur sumi possent. Constat ergo plurimorum Patrum nostram esse propositionem, qui eam expressis verbis, accuratéque docuere. Psal. 77.

Secunda pars Propositionis; nempe hanc Patrum sententiam veram esse ostendi potest duplici, eóque valido argumento. Altero ex scripturis: Altero ex ordine, quem Deus obseruare solet in administranda rerum vniuersitate desumpto. Primum est: quia necesse est ad veritatem scripturarum vt huiusmodi apparitiones fuerint Angelorum opera mortalium oculis exC hibitæ, non Deo immediatè soloque earum auctore & causa. Ergo vera est sententia Patrum dicentium eas fuisse Angelorum immediatè. Consequentia est certa. Antecedens probatur dupliciter. Primum autem argumentum sit quia cùm Deus dicitur apparuisse Moysi in monte Sinai Exodi 19. & cum Moyse locutus &c. id necessariò intelligi debet de Angelo in persona Dei: Nam primò Stephanus Act. 7. apertè ait Moysem locutum esse cum Angelo in monte Sina, cùm tamen ibidem Scriptura nunquam significet Moysis locutionem fuisse cum alio nisi cum Deo. Ergo quod Moyses cum Deo tūc sermocinatus sit, necessariò nihil aliud significat, nisi quod Moyses cum Angelo personam Dei D gerente sit collocutus. Quod totum argumentum ferè habet S. August. libro contra Adimantum Manichæi discipulum cap. 9. Præterea Paulus ad Hebræos cap. 2. apertè ait veterem legem fuisse per Angelos dictam, & à fortiori sumit argumentum, vt modò dicebamus; Videlicet longè efficaciùs attendendum iis esse quæ in Euangelio dicuntur, quàm iis quæ in lege veteri præcepta sunt: quandoquidem Euangelica lex lata est immediatè à Christo Angelorum Domino; Vetus verò nonnisi per Angelos administrata est. *Si enim* inquit Paulus ibi *qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus* &c. *Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum* &c. Quod verò hic AE postoli sermo sit de lege ipsa veteri patet: Tum quia huic *sermoni* opponit legem nouam; ergo intelligit legem veterem; & ideò dixit in singulari: *Si enim sermo qui dictus est* &c. alioqui dixisset ea quæ Angeli nunciauerunt: Tum quia eodem ferè modo loquitur ad Galat. 3. Cùm ait: *legem ordinatam fuisse per Angelos*; & S. Stephanus Act. 7. dixit *Accepistis legem in dispositione Angelorum.* Vnde non est verisimile illum sermonem, alia significare, quàm legem. Ergo ad veritatem sensus sacræ scripturæ, illa apparitio debet Exod. 19. Act. 7. S. August. Hebr. 2. Gal. 3. Act. 7.

bet esse Angelorum: quandoquidem eius debuit esse apparitio, à quo illa lex dicta est. Qui enim in monte Sina loquebatur, ille ipse dixit legem, vt patet Exodi 19. & 20. Nam is qui cap. 19. *descendit in montis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius* dicitur initio cap. 20. tradidisse legem hoc pacto: *Locutúsque est Dominus cunctos sermones hos; Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te* &c. At illa lex dicta est per Angelos, vt ait Apostolus. Ergo Angelorum fuit apparitio, non Dei. quod argumentum apertè significauit Augustinus in eo cap. 11. citato.

Exod. 19. Exod. 20.

Ex quo duæ responsiones refutari possunt quorundam recentiorum, qui negant ex hoc loco colligi Angelos apparuisse: nimirum vel quia Apostoli verba intelligi possunt, eo quòd lex fuerit administrata per Angelos, in hoc sensu, vt fuerit administrata assistentibus Angelis, *vt videtur* inquiunt *velle Chrysostomus & Theophylactus ad Gal. 3.* dum videlicet tonitrua & fulgura Angelorum ministerio edebantur: Vel quia nomine Angelorum intelligi debent sacerdotes, vt ibi videtur velle Oecumenius. Hæ inquam duæ responsiones refutantur dupliciter.

Chrysost. Theophylactus. Oecum.

Primò, quia Apostolus non dixit, legem fuisse administratam per Angelos quouis modo, sed illum *sermonem dictum esse per Angelos*. Ergo ipsam locutionem docet fuisse Angelorum per quam ille sermo dicebatur. Idem confirmo ex S. Stephano Act. 7. expresè docente idem quod Apostolus: Ait enim Moysem in monte Sina collocutum esse cum Angelo. Extollens enim & legem & Moysem, quòd lex data sit Moysi à Deo coram vniuersa multitudine sic habet. *Hic est* Moysem intelligit, *qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis*. Ergo sermo ille & lex ipsa in qua verba vitæ continebantur ab Angelo immediatè fuit. Addo etiam quod in nostra versione habetur eo loco Exodi: *Apparuit ei Dominus*: In Hebræo haberi: *Visus est Angelus Domini*: & in contextu Chaldaico: *Apparuit ei Angelus Domini*. Quod fusiùs vide ex nostro Lorino in eum locum Actuum Apostolicorum vers. 30. ergo immediatè & lex & sermo ab Angelo promanarunt.

Act. 7. Lorinus.

Secundò, quia vt antè significabamus, argumentatio Apostoli inanis prorsus esset: Nã contendit maioris obseruantiæ esse legem Euangelij quàm Moysis, ex eo quòd hæc Angelorum ministerio tradita fuit, illa verò lata à Christo Angelorum principe ac Domino. Si autem solùm lata esset immediatè à Deo Angelis personantibus inter fulgura & tonitrua, aut ministerio sacerdotum, quid amplius haberet lex Euangelij, si vtrobique Deus fuisset promulgator? Imò vt dicebam antè, amplioris dignitatis promulgatio illa fuisset, quæ tanta Angelorum pompa instructa esset. De Chrysostomo autem quid sentiat, paulò superiùs dictum est. Atque hæc sit prior illius antecedentis probatio.

Alterum ad probandum illud antecedens argumentum sit. Quia cum qui Exodi 3. dicitur Dominus apparuisse Moysi in rubo & in igne, Beatissimus protomartyr Stephanus Act. 7. declarans ait fuisse Angelum his verbis: *Expletis annis quadraginta apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi, & facta est ad eum vox Domini. Ego sum Deus patrum tuorum* &c. Ille ergo est Angelus qui apparuit in rubo dixitque, *Ego sum Deus*. Ergo ad veritatem scripturarum hæ apparitiones debent dici Angelorum immediatè esse, non Dei. Quod magis adhuc firmari potest ex iis, quæ dicam infra in secundo *colligitur*.

Exod. 3. Act. 7.

Ex quibus manifestè sequitur si tam in veteris legis promulgatione, quæ toto illo cap. 19. & 20. Exodi tribuitur Deo, & nullo pacto Angelis, quàm in illa augusta visione in flamma rubi, vbi Deus etiam dicitur locutus esse cum Moyse; cõstat Angelos fuisse locutos, & apparuisse, legémque immediatè administrasse ac promulgasse, non autem Deum: multò magis cæteras apparitiones Angelorum proprias fuisse, in quibus is qui apparet nunc dicitur Deus, nunc Angelus, vt diximus de apparitione facta Gedeoni, Agar &c. quia verè potior est ratio, vt quæ simpliciter Dei dicuntur, Deo ascribantur; quàm quæ indiscriminatim nunc Dei nunc Angelorum esse scribuntur. Sanè nulli Deus potiùs apparuisset immediatè quàm Moysi, de quo Num. 12. Deus dixit. *Ore ad os loquor ei & palam, & non per figuras & ænigmata videt Deum*. Ergo cùm constet non ipsum Deum sed Angelum locutum, quid de cæteris apparitionibus sentire oporteat palam esse debet: Atque hoc sit primum huius partis argumentum.

Exod. 19. & 20. Num. 12.

Altero nunc eadem secunda propositionis nostræ pars probanda argumento est: quia Deus vniuersum administrare solet hac rerum dispositione, vt infima per media, hæc per summa gubernentur, vt diximus ex S. Dionysio, & probat A. Doctor infrà q. 110. & alibi vt modò dicebam. Nam hac de causa & sæpè in scripturis legimus, Deum misisse suos Angelos, & nobis ad custodiam Angelos certò credimus delegari, non autem Deum immediatè solum nos dirigere. Ergo illæ apparitiones seu assumptiones corporum non sunt Angelis deneganda, quia nulla in hoc negotio est peculiaris ratio, vt deinceps constabit. Confirmatur hoc argumentum ex eo potissimùm, quòd si quando decuisset Deum apparere, congruentissima occasio fuisset tunc cùm annunciandum erat omnium mysteriorum præstantissimum, nempe Verbi Incarnatio, vt ita summum mysterium à summo Doctore declararetur: Hoc enim pacto S. Ambrosius libro 2. in Lucam initio ob dignitatem mysterij ait: *Tanti mandatum mysterij non hominis fuit seu Angeli ore promendum*. Hinc etiam S. Gregorius homil. 34. in Euangelia dixit: Archangelum mitti debuisse non Angelum. *Hi enim*, inquit, *qui minima nunciant Angeli, qui verò summa Archangeli vocantur*. Ergo cùm hoc declaratum fuerit Virgini non immediatè à Deo, sed per Angelum, id certè fuit, vt seruaretur à Deo consueta rerum dispositio. Ergo & cæteras declarationes tales fuisse iure censendum est. In hac enim potissimùm re verũ est illud Aristotelis effatum, quod libro 2. Rhetorices cap. De locis enthymematum scriptum reliquit; nempe: *Si cui magis inesse debet non inest, profectò neque cui minus*. Cuius argumenti exemplum putauit illud non esse abs re: *Proximum cædit, qui patrem etiam cædit*. Dico autem in re nostra potissimùm valere: quia certum est; Deum *omnia in sapientia facere*; vt dicitur in Ps. 103. & patet ex argumento Patrum Ambrosij atque Gregorij iam facto.

S. Dionys. A. Doctor. Ambrosius. S. Gregor. Aristoteles. Psal. 103.

Multos

Multos Patres relatos in parte affirmante non dissentire à cæteris, quosdam verò non satis firma ratione vsos esse. §. 6.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò, multos ex Patribus supra in Parte affirmante relatos non dissentire ab hac nostra ac vera Patrum sententia. Nam licet asserát Deum fuisse qui interdum apparuerit; tamen non negant repræsentatam Dei personam fuisse per Angelos, vt Theodoretus quæ. illa 91. Vbi solum contendit, vnigenitum Dei Filium luctatum esse cum Iacob, Vtrum verò ipse per sese, an per Angelum nihil docet. Immò nobiscum sentire colligitur ex loco illo ad Galat. 3. quia etiamsi dicitur Deus legem tulisse Exod. 19. tamen significat eũ fuisse Angelum, quia docet *legem fuisse latam ministeriis Angelorum*; nec apparet quænam alia fuerit administratio præter ipsam promulgationem, quam ibi significat Apostolus de lege pronunciãs *Ordinata per Angelos in manu mediatoris*; nempe Moysis, quasi dicat tradita Moysi. Sanè vt suprà diximus, argumentum Pauli inane redderetur, si lex non solum per Angelos, sed etiam immediatè à Deo lata Moysi esset. quod nõ vidisse Theodoretum, credere ita simpliciter non licèt. de qua re legi potest noster Benedictus Iustinianus in eum locum Apostoli citatum.

Theodoret. Galat. 3. Ben. Iustin.

Similiter dico de SS. Hilario, Naziãzeno, Ambrosio, Leone, Chrysostomo. Qui enim dicunt, apparuisse Dei Filium, non hoc ipso dicunt ipsũ immediatè apparuisse, quia potest eorũ sensus esse, vt is apparuerit, cuius persona & auctoritas significata sit per Angelos vt dicam seq. *Colligitur.* Immò S. Chrysostomum huic magis fauere sententiæ ostensum est paulò antè. De S. Augustino nulla est difficultas: Nam ex locis in argumento nostræ propositionis citatis, eius sententia planè constat. Fateor Eusebium & Nicephorum in ea fuisse opinione; sed nego eorum fundamentum habere veritatem, vt mox dicam. De antiquioribus verò Patrib⁹ quid dicendũ sit, non admodum liquet; sed tamen ipsos quoq; non asseruisse Deũ immediatè non intermedio Angelo apparuisse, satis clarè patet ex dictis suprà relatis, ac præsertim de Tertulliano. Nisi quòd Tertullianus in eo libro aduersus Iudæos citato & alibi, videtur concedere de Filio Dei, quod de Patre æterno negat: Negat autem de Patre æterno vspiam legi fuisse visum. Ergo hoc de Filio affirmat. Verùm hoc non vrget, quia negari etiam ab ipso potest, quòd Pater visus sit vnquam, in assumpto corpore per Angelos intermedios. Quod verùm verum sit in præsentia non disputo, retulimúsq; ex Augustino suprà in nostræ propositionis probatione, non solum Patrem, sed & Trinitatem quoq; apparuisse aliquando.

Hilarius. Naziazen. Ambrosius. Leo. Chrysost. S. August. Eusebius. Nicephor. Tertullian.

Colligitur secundò, non satis firmam fuisse Eusebij, Nicephori & aliorum, si qui sunt alij rationem, qua nituntur suadere, Deum ipsum non per Angelos apparuisse; nempe quia alioquin Angelus non verè dixisset, se esse *Deum Iacob*, &c. Hæc inquam ratio firma nõ est: Nam vt rectè obseruat sanctus Augustinus libro contra Adi-

Eusebius. Nicephor. S. August.

A mantum Manichęi discipulum cap. 9. idem quod Deo conuenit potest etiam dici de Angelo, qui Dei personam in legatione gerat. id explicat apta similitudine. *Quemadmodum enim Verbum Dei,* inquit, *quod est Christus, in Propheta loquitur veritatem, sic in Angelo ipse loquitur, quãdo veritatem Angelus annunciat: & rectè dicitur, Deus dixit & Deus apparuit. & item rectè Angelus dixit, Angelus apparuit; cùm illud dicatur ex persona inhabitantis Dei, hoc ex persona seruientis creaturæ.* Quorum sensus planus est; Angelum dici Deum, quia in eo Deus, tanquam in eo qui eius personam refert inhabitat, vt etiam ex S. Gregorio dicebamus modò. Sanè Sacerdos, vt mox ad argumenta dicam in B consecratione, eò quòd non suam sed Christi Seruatoris personam gerit, verè pronunciat: *Hoc est corpus meum.* dum Christi corpus illa verba conficiunt. Posito enim quòd Christi personam repræsentet, potest dicere verè: Ego sum Christus; nempe vt vocant repræsentatiuè. quo pacto qui in tragœdiis regis personam gerit, tanquam rex habetur colitúrque, sicut & imago illius, vt paulò post ex S. Athanasio significabo.

Immò vt verè obseruat Tyræus noster libro illo 1. cit. cap. 24. Scripturarum mos est, vt rerum imagines iisdem nominibus appellare soleat, quibus res ipsæ nuncupantur: Nam Exo. 25. C Cherubim simpliciter, dicuntur statuæ ex metallo, quæ effigiem Cherubim præferebant. Genes. 41. Rex Pharao ait se vidisse boues & spicas, qui spicarum boúmque imagines, futuræ fertilitatis nuncias viderat. Vnde si ipsæ imagines hominum & Angelorum loqui possent, dicturæ essent verè, se esse Socratem, Petrum, Michaelem, &c. Ratio est clara ex dictis: quia quæ alterius personam referunt, in eo quòd præcisè talem personam referunt, vna eadémque ipsa persona censentur; si præsertim alia ex ea repræsentatione non innotescat. Quocirca eius nomine nuncupari, eiúsque proprietates sibi accommodare D solent.

Tyræus. Gen. 41.

Neque enim alia de causa Christi è cruce pendentis effigiem Christum vocamus, eique preces effundimus atque eam veneramur, & sic de aliis huiusmodi, nisi quia Christi personam refert, & quæ illi tribuimus, Christo nos tribuere arbitramur, tanquam sint supposito vnum, atque idem indistinctum: nam vt ait S. Athanasius serm. 4. contra Arianos non longè ab initio; quod etiam refert S. Damascenus orat. 3. de imaginibus. *In imagine species & forma Regis apparet; & in Rege imaginis species expressa est; in imagine Regis similitudo, vt qui videt imaginem in ipsa Regem aspiciat, & qui Regem videt, intelligat hũc esse illum qui in ea est expressus imagine; & quia non differt similitudo, idcirco E post conspectam imaginem volenti Regem intueri imago dixerit: Ego & Rex vnum sumus.* Ergo imago & prototypum cùm faciãt vnum quid, possunt habere quædam vtrique communia: quia vtriusque est vna forma ac species, vt mox ex Athanasio dicemus.

Athanasius. Damascen.

Quapropter si legatus Regis, solam Regis personã gereret, nec vlla alia eius persona putaretur esse quàm Regis; quemadmodum & statuæ Regis esse existimantur, legatum illum Regem diceremus: quia esset pura Regis imago. Rectè enim S. Athanasius ibi subdit: *Regis formam ac speciem imago continet*; vt clarum etiam est in iis qui in tragœdiis personas Regum aliorúmque sustinent.

S. Athanas.

Quoniam

Quoniam ergo Angelus qui apparebat, nullam aliam personam referebat, nec aliam humanis sensibus ingerebat quam Dei; idcirco se Deũ esse illis Patribus vera loquendi ratione annunciabat. Huius generis exempla sanctus Augustinus libro illo 3. de Trinitate cap. 11. complura refert, ac ponderat: Nam Genes. 21. dicitur apparuisse Angelus Domini Agar degenti in solitudine, qui tamen planè loquebatur in persona Dei. *Tolle puerum* inquit *& tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum.* Quæ quidem Angelus dicere poterat ex eo quòd Dei solius personam gerebat. Idem etiam patet Genes. 22. vbi Abrahamo paranti filium suum Deo immolare dicitur: *Apparuit ei Angelus de cælo & c. manum;* qui tamẽ loquitur ac si ipsemet Deus esset, *Nunc cognoui quia times Deum, & non pepercisti filio tuo propter me.* Denique Genes. 31. cùm Angelus Dei locutus esset Iacob dormienti, ille ipse dixit se esse Deum Bethel, &c. Sic autem loquitur Iacob: *Dixitque Angelus Dei ad me in somnis: Iacob. & ego respondi: Adsum.* Vbi autem dixisset, vidisse se, quæ fecerit ei Laban, subdit: *Ego sum Deus Bethel,* &c. Ex quibus perspicuum est, Angelum qui substantialiter Angelus est, dum non aliam refert personam quam Dei, non incongrue se appellare ac dicere Deum, eò quòd (vt apertè ac more Scholastico loquamur) repræsentatiuè Deus erat, licèt personaliter esset Angelus, vt diximus in personis tragœdum & comœdum. Quæ mihi doctrina videtur esse A. Doctoris q. 6. de Pot. a. 7. ad 2. vbi ait, Angelos assumpsisse quidem corpora in apparitionibus. *Sed in iis Deus apparuisse dicitur, quia ipse Deus erat finis in quem per repræsentationem huiusmodi corporum, Angelus mentem hominis eleuare intendebat, & ideo in illis apparitionibus scriptura quandoque commemorat Deum apparuisse, quandoque Angelum.* Quasi dicat: quia Deus repræsentabatur, Angelus appellabatur Deus; quia verò erat Angelus, quandoque Angelus nominabatur.

S. Augustin — Gen. 21. — Gen. 22. — Genes. 31. — A. Doctor.

Sed hic obiiciat aliquis, quam etiam obiectionem soluit sanctus Augustinus libro tertio de Trinitate capite vndecimo, cur sacra Scriptura non facit ipsos Angelos loquentes nomine Dei, ita vt diceret; *Dixit Angelus ad Moysen: Hæc dicit Dominus,* &c. vt ipse quoque Moyses & prophetæ annunciabãt populis quæ à Domino accipiebãt? Respondet sanctus Augustinus eo loco: *Quia cùm verba iudicis præco pronunciat, non scribitur in gestis: Ille præco dixit; sed ille iudex. Sic etiam loquente Propheta sancto etsi dicamus Propheta dixit, nihil aliud quàm Dominum intelligi volumus. Et si dicamus, Dominus dixit, prophetam non subtrahimus,* &c. Summa est posse vtroque modo dici, quia idem sensus inuoluitur, nec opus esse omnia explicitè scribi, quorum mysteria inuoluta, indagari à fidelibus voluit Spiritus sanctus. Præterquam quod si quis vlteriùs instet, clariorem futurum fuisse sensum, si dixisset Angelus. *Hæc dicit Dominus,* &c. quia vtramque personam significasset; nimirum & propriam & Dei à quo mittebatur.

S. August.

Respondetur ex dictis, in huiusmodi Angelorum legationibus Deum spectasse, vt potissimùm diuina persona hominibus repræsentaretur; ideoque huiusmodi visa plerunque non sine aliquo ingenti miraculo cernebantur; vt in monte Sina fulgura & tonitrua; & in rubo ardor non comburens, &c. instar magni miraculi fuere. Vt ergo non solùm reipsa, sed etiam nomine & appellatione Deus repræsentaretur in Angeli persona, Angelus ipse nominabatur Deus; idque ad ampliorem eorum quibuscum loquebatur dignitatem.

Addit Abulensis Matth. 17. q. 77. quem sequitur noster Ioannes Lorinus in cap. 7. Actuum Apostolicorum vers. 30. non fuisse conueniens, Angelos qui apparebant, & tanquam Dei administri loquebantur, profiteri se à Deo missos, & nomine Dei agere, *ne populus* inquiunt *Deum otiosum crederet: vel plus nimio se obligatum Angelis duceret, immò diuinos eis honores deferret.* Contrà verò si per Angelos Deum loquentem secum populus audiret, hinc magis alliceretur ad Deum: quasi qui eos magnifaceret, vnde & seipsum magis æstimaret, tanquam qui Deum sibi appropinquantem haberet, & pluris fierent quæ ipsis Iudæis à Deo proponebantur. Quæ omnia confirmant rectè quod nos diximus. In qua re obiter notari oportet, quod etiam idem Abulensis obseruauit in caput 4. Iosue q. 2. ad euitandam Iudæorum Idololatriam nunquam Angelos cùm in forma humana apparuerunt, vocari se passos Deum: sed semper aut Angelos aut viros nominari, vt patet Genes. 18. 19. Iudic. 13. & alibi. Periculum enim fuisset, ne Deo corpus adscriberent, eique effigie humana statuas erigerent, eisque simulachris tanquam veris Diis sacrificia, cæterósque honores exhiberent. Alias duas meo iudicio non adeò idoneas causas assignat idem Tostadus quæstion. 7. in caput 16. Genes. quas hic libens prætermitto.

Abulensis. — Lorinus. — Abulensis. — Genes. 18. & 19. — Iudic. 13. — Tostadus.

Christum immediatè non apparuisse, in veteri testamento, sed quasdam apparitiones fuisse Incarnationis imagines, vbi etiam de apparitionibus in nouo Testamento. §. 7.

Colligitur tertiò: Vtrùm dici possit olim Patribus veteris testamenti Christum immemediatè apparuisse. Hoc enim nonnulli Patres suprà in parte affirmante apertè dixerunt, vt ibi retulimus. Verumtamen id ex dictis negandum est, nam ostendimus, nullam fuisse visionem, quę fuerit Dei in corpore assumpto immediatè. Patres autem illi (excipio Eusebium ac Nicephorũ, de quibus iam diximus) intelligi possũt vt Christũ apparuerit internuncio Angelo; vt de Deo diximus. Quanquam vt rectè obseruat noster Gabriel Vasquez disput. 185. cap. vlt. plerunque huiusmodi apparitiones non potuerunt tribui Filio Dei. Nam cùm omnis effectus extra Deum commune sit quid toti Trinitati, in multis non fuit ratio cur potiùs vna persona quàm alia diceretur apparere; vt cùm data lex est in monte Sina, cùm Angelus Abrahamo filij immolationem præcepit, &c. Tunc autem vna persona potiùs quàm alia ex diuinis repræsentari potest per Angelum, cùm vnius personæ proprietas refertur & significatur potiùs quàm alterius; vt persona Spiritus sãcti repræsentata fuit in linguis igneis, in specie columbæ, &c. quia nimirum dona quę illi attribuuntur, nempe linguarum, & virtutum linguarum, columbę, & similibus apparitionibus denotabantur.

Vasquez.

Fateor tamẽ in veteri testamẽto Christi personã adumbra

adumbratam siue figuratam fuisse nō rarò in huiusmodi apparitionibus, quarū significationum plenæ vbique sunt paginæ. Sed quod negamus est quòd aliqui contendebant; semper videlicet Patribus Verbum apparuisse, non cæteras personas diuinas, cùm Angelus se dicebat Angelum & Deum eò quòd se Angelum appellabat, quia Christus est magni consilij Angelus: Deum verò, quia verè Deus erat; nempe secunda Trinitatis persona. Hoc inquam negandum videtur, si de reali & expressa apparitione Angelorum sermo sit. Neque enim hoc ipso quòd Angelum se esse dicebat, significabat se esse magni consilij Angelum; nempe Christum. Quid enim prohibet interdum etiam denotari se esse verè Angelum & spiritalis naturæ? sicut etiam non est dubium quin ipsum Angelum significare voluerit Petrus, cùm dixit Act. 12. *Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, & liberauit me de manu Herodis,* &c. Cùm itaque nulla erat expressè Christi repræsentatio, sed solius Dei; cùm scilicet non dicebat se esse diuinum Verbū aut Christum; sed dicebat: *Ego sum Deus Iacob Bethel,* &c. non erat quòd ob hanc rationem diceretur Magni consilij Angelus. Itaque huiusmodi apparitiones illius erant repręsentationes cuius personam exprimebāt; Tūc autē nō exprimebāt potiùs Verbi personam quàm cæterarū: quia Deus Iacob & Bethel non potiùs Verbū diuinū est, quàm Pater & Spirit⁹ sanctus. quod fortè voluit S. Augustinus, cùm vt vidimus suprà in nostræ propositionis probatione dixit in huiusmodi apparitionibus omnes diuinas personas visas esse; nempe indeterminatè, si nulla determinatè exprimebatur. nihil enim peculiare tūc assignari potest ob quod vni dūtaxat personæ tribuatur apparitio, non autem aliis, cùm omnibus æquè possit ac debeat: si videlicet nihil est cur magis vnam personam significet quàm cæteras; vt per se notum est.

Act. 12.

S. August.

Præterquam quòd cùm Angelus dicebat se esse Deum, diuinam naturam exprimebat, secundùm quam non erat magni consilij Angelus, sed Deus ipse: ergo non humanam secundùm quam homo futurus erat, qua ratione fuit æterni Patris nuncius iuxta mētem Isaiæ cap. 9. Vbi vt habet translatio LXX. filium Dei *magni consilij Angelum* appellauit. Dixi tamen de reali & expressa apparitione, quia eam quę remotè adumbrabatur, ac figurabatur futura rectè arbitrari possumus fuisse verbi Incarnationem. quandoquidem *omnia in figura contingebant illis.* Quòd enim Angeli assumerent corpora, in quibus sustinerent personam Dei, congruè denotabatur, illud ipsum quod repræsentatiuè tunc fiebat, futurum re ipsa aliquando, nempe futurum esse, vt Deus aliquando sibi indissolubili nexu corpus vniret in vnitate suæ hypostaseos. quod fortasse plerique ex illis Patribus voluerunt. Vt scilicet licet Dei per illas ostensiones re ipsa & proximè persona repræsentaretur, remotè tamen & ipso ordinante Deo omnes figuras veteris testamenti ad finem Incarnationis, ipsa carnis assumptio ad Verbi hypostasim significaretur.

Isa. 9.

Quod hic a. 2. significauit A. Doctor ad 1. Nam *quòd Angeli assumpserunt corpora in veteri testamento* inquit, *fuit quoddam figurale iudicium, quòd verbum Dei assumpturum esset corpus humanum. Omnes enim apparitiones veteris testamenti ad illam apparitionem ordinatæ fuerunt, quæ Filius Dei apparuit in carne.* Quemadmodum ergo cùm Iacob se vestibus Esau Genes. 27. induit personam Esau proximè referebat, vnde & se esse Esau affirmabat; quæ tamen ibi implicitè inuoluebatur, significatio erat magnorum mysteriorum: qua de re copiosè Pererius noster in eum locum: ita apparitiones Angelorum expressè quidem erant diuinæ personæ siue determinatæ, siue indeterminatæ quam proximè referebant, remotè tamen saltem & implicitè Incarnationem portendebant, quæ tanquam diuini Verbi propria futura erat. Dixi *saltem remotè*: quia interdum proximè Verbum significabatur, ex. gr. cùm Danielis 3. apparuit in fornace quartus vir, cuius erat *species similis filio Dei.* Tunc enim vir ille personam diuinam Verbi referebat apertè, quæ eo modo tres pueros è fornacis incendio liberauit, quo postea prædestinandi ex inferorum flammis eripiendi erant, &c.

A. Doctor.

Gen. 27.

Pererius.

Dan. 3.

Colligitur vltimò, Vtrùm apparitiones quæ tanquam Dei narrantur in nouo testamēto fuerint etiam Angelorum opera, vt apparitio Spiritus sancti specie columbæ linguarumq; ignearum, & aliæ complures, quibus sanctissimi viri diuina præsentia dicuntur cohonestati. Est autem eodem modo dicendum, quia est eadem ratio, quæ supra dicta est, quia scil. Deo cōsuetum est disponere res creatas per creaturas, quando aliter non significatur apertè ab ipso. & ideò nos erudire solet per Angelos, quos ideò S. Athanasius in libro de communi essentia Diuinitatis in fine *hominum pædagogos* nominauit. Sunt ergo Angelorum etiam apparitiones quæ scribuntur in Nouo Testamento. Vnde S. Augustinus lib. 2. de Trin. cap. 6. & lib. 4. cap. vlt. & ep. 102. expressè ait, corpora prędita nempe columbæ, linguarum, &c. per Angelos formata fuisse, vt Spiritum sanctum repræsentarent.

S. Athanas.

S. August.

Scio equidem controuersiam esse inter Doctores: Vtrùm illa columba viui corporis fuerit, an apparentis vitæ. Sed pro hac re satis sint quæ afferuntur à Gregorio de Valentia hic Disp. 4. q. 2. p. 2. §. *Et quidem* vbi hanc quæstionem examinat. Huic autem nostræ sententiæ consentiunt ipse Valentia ibidem, Molina q. 51. a. 2. disput. 2. in fine. noster Vasquez disp. 185. cap. vlt. in fine. Nos autem nonnulla hac de re dicemus seq. Quæst. Diffic. 1. circa principium.

Greg. Valē.

Molina.

Vasquez.

Traditur modus cognoscendarum apparitionum, quæ nomine Dei exhibentur ab Angelis, ostenditùrque nullam in his subesse falsitatem §. 8.

Hic etiam quæri posset; Vndenam nobis euidens esse possit; Vtrùm aliqua apparitio sit ipsius Dei repræsentatio operâ Angelorum exhibita: An verò solius Angeli seclusa Dei repræsentatione, quandoquidem omnes has visiones ac simulachra corporum Angelis immediatè tribuendas esse diximus. Ad hanc quæstionem responderi potest ex sententia eorum, qui hanc huius cognoscendi discriminis regulam tradidere. Videlicet eas esse Dei, quæ tanquam

quam plenæ maiestatis cuiusdam, nec sine quadam admirabilitate narrantur: Angelorum verò, quæ simpliciores tenuioresq; describuntur. Horum sententiam redarguunt quidam alij: quia Dei aliquando species obiecta est intuentium oculis absque illo apparatu: Angelorum contrà. Nam Genes. 3. absque vlla pompa & simplicibus verbis dicitur Deus primis parentibus apparuisse post præuaricationem. Similiter & Cain Genes. 4. Cui Deus dixit. *Quare iratus es?* &c. Angeli verò pastoribus visi sunt cum magna pōpa Christo nato; & mulieribus post resurrectionē: *Erat autem aspectus eius*, &c.

Gen. 3.

Gen. 4.

Verùm hoc argumentum non concludit: quia maiestas non intelligitur solùm quæ ex pompa atque apparatu eorum quæ rem ipsam circumstant intelligitur; sed etiam & quidē multò magis ea debet intelligi quæ ex auctoritate loquētis & modo præcipientis prodeat; vt cùm Deus Genes. 3. loco citato dixit: *Adam vbi es?* Est enim in locutione maiestas; non quidem inquirentis solùm, sed exigētis tanquam à subdito rationem facti; & sic de cæteris. Huius generis & grauissima fuit illa Petri in Ananiam atque eius vxorem obiurgatio Act. 5. vers. 3. Etsi enim Petrus tunc nulla pompa atque apparatu fultus erat; tamen eiusmodi auctoritatis fuit interrogatio, vt glossa interlinearis, & Hugo dixerint in eum locum, Petrum vt principem Apostolorum & tanquam iudicem summum eam fraudē atque hypocrisim damnasse; verboque suo ipsum Ananiam eiusque coniugem interemisse. *Cur tentauit Satanas cor tuum:* &c.

Gen. 3.

Act. 5.

Verumtamen placet mihi regula quæ traditur à Valentia vbi supra, quam etiam approbat noster Tyræus cap. 26. Vt scilicet; Angeli an Dei sit apparitio colligi debeat ex ipsa re, quæ per talem apparitionem geritur: Etenim si res ipsa non competat Angelo, sed Deo: in persona Dei tunc Angelus apparet; vt si ea sibi tribuat quæ Deo ipsi non creaturæ conueniunt. Quemadmodum cùm in monte Sina Angelus maiestate fulgurantis tradens legem dicebat se esse Deū, &c. Immò ipsa legis traditio si alterius nomine non feratur lex, latorem declarat Deum. Huiusmodi enim res maior erat quàm vt Angelo quà creatura est, conuenire posset. Non enim potest lex quæ vitam continet, auctore Angelo ferri; & ideò tanquam eximium legis veteris attributum refertur Act. 7. quòd habeat auctorē Deum. Quam laudem suis quique legislatores legibus esse persuadere populis conati sunt, fabulantes aut fingentes numina à quibus leges suas acceperint, vt videri potest apud Cœlium Rhodiginum lib. 18. cap. 19. Sin autem huiusmodi apparitio tota competat Angelo, eius est apparitio non Dei; Vt cùm Angelus apparuit Tobiæ tanquam itineris socius; & beatissimæ Virgini vt nuncius mysterij. Apertè enim dicitur *Missus est Gabriel Angelus à Deo.* In noua etenim lege Angeli se apertè prodiderunt. Ex quibus patet cùm auctoritate Scripturarum dicitur Deus apparere, certum esse, illam apparitionem Deo tribuendam. Vt enim ait S. Augustinus libro illo 3. de Trin. c. 11. *Ea est auctoritas diuinarum Scripturarum, vt mens nostra deuiare non debeat.*

Valentia.
Tyræus.

Act. 7.

Cœl. Rhodigin.

S. August.

Ex quo fit, vt cùm Angelus vel dicit se esse Deum, vel repetit ea quæ alibi in persona Dei tractata erant, diuina etiam sit apparitio, qualis

A est Iudic. 2. *Pollicitus sum* inquit Angelus (quod pactum Deus inierat) *vt non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita dumtaxat vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, sed aras eorum subuerteretis*, &c. Idem iudicium sit, cùm ij, quibus Angeli apparuerunt, tanquam Deo diuinum honorem Angelo tribuerunt, quandoquidem ex instinctu Dei iure credimus id factū esse, vt Genes. 18. Angelo dixit Abraham: *Tu es qui iudicas omnem terram.* Ratio est, quam Petrus Apostolus tetigit ep. 2. c. 1. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt Dei homines.*

Iudic. 2.

Gen. 18.

2. Pet. 1.

Sed hinc oritur argumentum aduersus hanc doctrinam, quia Dei afflatus videtur impellere B ad falsum; nempe vt homo credat eū esse Deum, qui reipsa creatura est. Cui breuiter respondeo: nullum Dei afflatum impellere ad falsum. omnis enim Dei afflatus est quoddam diuinum documentum doctore Deo, quod non potest esse mendacium. Quæ enim à veracissimo Deo proficiscuntur, documenta ea vera esse oportet, cùm Deus qui prima veritas est nullo modo mentiri possit. nam vt optime S. Ambrosius lib. 6. epistol. ep. 37. ad Chromatium super illum Scripturæ locum Num. 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur*, docuit: *Non mentitur Deus, quia est impossibile mentiri Deum*, &c. Quod enim quis mentiatur ait esse infirmitatis, quæ in Deo non est, in quo virtus est, & maiestas. Aliam etiam reddit causam: C *Quia veritas* inquit *non recipit mendacium, nec Dei virtus leuitatis errorem.* Quamquidem ob causam diuina fides ad falsum nullo modo inclinat; nempe quia est circa ea, quæ à prima veritate edocemur; vt probat A. Doctor 2. 2. q. 1. a. 3. Ille ergo afflatus seu diuina inspiratio erat vt homines crederent eum qui apparebat esse Deum, vel abstrahendo. Vtrùm esset Deus personaliter an repræsentatiuè, vel certè credebant, illum esse Deum repræsentatiuè; ideóque ei diuinos honores exhibebant. Neque enim absurdum est, eum qui Deum repræsentat, quà Deum repræsentat adorari, quia hoc ipso nonnisi Deo exhibetur adoratio, vt copiosè ex Scholasticis, Patribus, & Conciliis ostendit noster Gabriel Vasquez to. 1. D in 3. p. disp. 108. à cap. 3. & deinceps. Et ideò in Concil. Trid. sess. 25. in decreto de sacris imaginibus decernitur; sacras imagines esse adorandas, non quia in illis aliqua diuinitas insit. Sed *quoniam honos qui illis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant.* Non ergo inclinabantur ad falsum, sed ad mysteriorum diuinorum venerationem.

S. Ambros.

Num. 23.

A. Doctor.

Vasquez.

Ex his respondetur ad argumenta in Parte affirmante. Ad Patres enim dico plerosque ex illis nostræ doctrinæ non aduersari vt diximus in Primo & secundo *Colligitur.* Quod si Nicephorus & Eusebius, & si qui sunt alij, quidpiam huic E doctrinæ contrarium docuerunt, id ex eo est, quòd putarunt eas esse firmas rationes, quæ verè imbecilles sunt; Quia scilicet putarunt non posse veram esse locutionem illam, qua is qui apparebat dicebatur Deus, nisi Deus substantialiter esset, non repræsentatione tantùm. Cuius tamen rei ex aliis Patribus falsitas ostensa est.

Nicephor.
Eusebius.

Ad rationes autem respondetur eodem modo verba sacræ Scripturæ esse propriè quidem accipienda nisi aliter aperta ratio suadeat. Sed negamus inde sequi non accipi propriè: Nam verè

vere dicebat ille Angelus se esse Deum, eduxisseque populum de Ægypto, &c. Nam vt suprà dicebamus, is qui personam alterius gerit, qua ratione gerit, rectè & verè appellari potest eius nomine, cuius personam repræsentandam induit. Hoc enim pacto Matth. 11. dicitur: *Ioannes est Elias*: & Apostoli dicuntur *Lux mundi* Matth. 5. nempe officio & munere. Eodem modo qui personam Cæsaris gerit in scena, dicitur Cæsar: & cum prodit; dicitur Cæsar apparere, loqui, ambulare &c. Cùm tamen re ipsa sit vox loquentis pueri, cæteræque actiones ab ipso eodem promanent. Idem diximus, cùm sacerdos ex eo quòd proferendo verba consecrationis induit personam Christi verè dicit: *Hoc est corpus meum*. quod patet ex Concilio Florentino in decreto vnionis vbi definit Sacerdotem in persona Christi loquentem conficere hoc sacramentum. id quod 3. p. in materia de Eucharistia fusissime probatum a nobis est.

Matth. 11.

Matth. 5.

Ad confirmationem respondetur, illum quidem apparuisse, qui se mortalibus obtutibus spectandum dedit; sed aio, licet substantialiter fuerit solus Angelus, non tamen quouis modo solum fuisse Angelum, sed dico fuisse Angelum simul & Deum, diuersa tamen ratione; Angelum quidem personaliter; Deum verò repræsentatiuè & imagine. Sicut Ioannes Baptista erat simul Ioannes & Elias, & in persona Ioannis vterque spectabatur: Ioannes quidem personaliter; Elias verò repræsentatiuè. *Ioannes igitur* inquit Sanctus Gregorius homil. septima in Euang. *in spiritu Elias erat*; *in persona Elias non erat*. atque ita docet potuisse sine mendacio negari à Ioanne quod de eodem Christus verè affirmauerat: *Nam quod* inquit *Dominus fatetur de spiritu*; *hoc Ioannes denegat de persona*. Quod ipsum diximus de eo qui Cæsaris personam gerit & similibus. Immò & in cæteris omnibus huiusmodi simulachris effictisque statuis. Quorum quidem simulachrorum supposita, duo sensibus ingerunt: Vnum quidem auri, si aurea sint; vel lapidis, si lapidea; ligni si lignea &c. Alterum Alexandri, Cæsaris, Francisci &c. Ad id quod dicunt nihil sequi absurdi; respondendum est maximum sequi absurdum, non quidem simpliciter; sed posito consueto Dei more, quem in gubernatione rerum spectare soliti sumus omnes. Is enim Dei mos est, vt omnem creaturam corporalem administret per Angelos, vt dictum est Notando secundo, & in probatione nostræ propositionis; contra quem modum nihil debemus asserere, si nulla sit necessitas: Tum ne gratis ad arbitratum quisque philosophetur: tum etiam potissimùm, ne sapientissima Dei in rebus administrandis dispositio atque ordo peruertatur. Ad illud ex Concilio Syrmiensi respondet noster Gabriel Vasquez, nullius esse momenti quæ continentur in illo. Quippe quod Arianis nonnihil fauit; & legitime celebratum non fuit; vt idem Gabriel obseruauit super. Disputation. 109. capite quinto num. vigesimoquarto. Sanè Cardinalis Baronius tomo Annalium tertio Anno Domini 357. ostendit non fuisse legitimam Synodum. Immo eiusdem anni initio idem Concilium appellat potiùs *conuenticulum Satanæ*. quandoquidem in eo Ariani dominati sunt. In eandémque sententiam accedit Seuerinus Binius

S. Gregor.

Vasquez.

Baronius.

Seuer. Binius.

A in Annotationibus ad idem Concilium tomo primo Conciliorum. Nec valdè differt Cardinalis Bellarminus libro primo de Conciliis cap. 7. vbi licet inter Concilia œcumenica illud enumeret, tamen reprobatum esse significat. quippe in eo duæ formulæ fidei dissentientes inter se editæ sunt. Vt vt sit, nulla simpliciter fides illi habēda est, tanquam Oecumenico. de qua re legi possunt ea, quæ in prædictis Annotationibus scripsit idem Seuerinus.

Bellarmin.

TERTIA DIFFICVLTAS,

B *Vtrùm possit ex huiusmodi apparitionibus demonstrari, ac potissimùm ratione A. Doctoris, Angelos assumere vera corpora.*

POnimus veritatem harum apparitionum, quas suprà commemorauimus; & quærimus, Vtrùm ex illis euidenti consecutione possimus ostendere, Angelos assumpsisse vera corpora, quibus se in conspectum hominum darent. Non tamen necesse est, vt id ex omnibus prædictis apparitionibus conficiamus. Neque enim dubitamus, quin aliqua ex illis fuerint in imaginaria visione; præsertim cùm huiusmodi visa se C dormientibus insinuarunt: sed satis nobis erunt si ex quibusdam colligamus, necesse esse tunc fuisse assumpta vera corpora. quod A. Doctor in hoc a. 2. sua ratione ostendere studuit. Duplicem enim ad id ipsum probandum rationem attulit, vt suprà vidimus; Quarum prior in iis redarguēdis consistebat, qui solo imaginario spectro intus excitato has apparitiones fieri arbitrabantur: posteriore verò, propositum directè concludebatur.

A Doctor.

Priorem sic formauimus: Quæ à pluribus eodem modo cernuntur, non sunt tantummodò imaginaria, sed visione corporea cernuntur tanD quam ea quæ sunt posita extra videntem: quæ enim imaginaria sunt & phantastica, non videntur eodem modo indiscriminatim ab omnibus. Sed interdum huiusmodi corpora quæ ab Angelis assumuntur, visa sunt eodem modo indiscriminatim ab omnibus; vt cùm apparuerunt Abrahæ & Loth Genes. 18. & 19. Tobiæ, & aliis. Ergo huiusmodi assumpta corpora visione corporea visa sunt tanquam ea quæ verè fuerint extra videntem, ideo tantummodo imaginaria non fuere, ac proinde hæ similésque Angelorum apparitiones in veris assumptisq; corporibus transigebantur.

Gen. 18. & 19.

E Posterior autem erat huiusmodi: Illa substantia quæ nec est corpus, nec habet corpus naturaliter vnitum, si interdum oculis corporeis verè se spectandam offerat, debet tunc assumere corpus. Sed Angeli sunt substantia, quæ nec sunt corpus, nec naturaliter habent vnitum corpus, & verè interdum se spectandos oculis corporeis offerunt. Ergo Angeli debent assumere corpus &c.

Itaque præsens Quæstio est; Vtrùm ex positis apparitionibus, ratione A. Doctoris demōstretur, Angelos in his ac similibus apparitionibus vera corpora assumpsisse. Sumere autē libet vnum ex

ex his visis, cuius meminit Angelicus Doctor, ne si de omnibus disputetur, confusionem legentibus pariamus. cùm præsertim ex iis quæ ad eius declarationem dicemus, idem de cæteris similibus iudicium fieri facile possit. Est autem visum illud quod narratur Genes. 19. cum scilicet duo Angeli, sedenti Lotho præ foribus Sodomæ ciuitatis apparuerunt. Quos adorauit: domum inuitauit: excepit hospitio: curauit vt lauarentur eorum pedes: coxit azyma: & vbi comedissent iuere cubitum. Eos autem vt conspexere Sodomitæ, tanta ipsorum pulchritudine capti, vt ad eius domus fores, totius populi concursus fieret, domúmque obuallarent. *Prius autem* inquit Scriptura, *quàm irent, cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem omnis populus simul.* Et cùm vellent fores effringere, vt eorum complexu potirentur, illi duo viri qui intus inclusi erant, *miserunt manum & introduxerunt ad se Loth, clauserúntque ostium, & eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent* &c. Tandem coëgerunt Angeli Lothum, vt ipse & eius domus tota egrederetur è ciuitate illa, quam breui Deus incendio consumpturus erat. Si ergo ex facto hoc demonstretur, veris corporibus Angelos vsos esse, quibus apparerent vniuersis Sodomitis, ipsique Lotho, nihil in similibus apparitionibus difficultatis erit, quin tunc vera quoque ab Angelis ac tractabilia assumpta sint corpora. Quærimus autem potissimùm de ratione A. Doctoris, quia eâ meliores afferri nullas videmus.

Gen. 19.

Ex Parte negante videntur ea esse: Primò quia falsa videtur prioris argumenti Maior dupliciter: Nam Primò argui potest ex iis quæ habet Guilelmus Parisiensis in 2. p. 2. p. libri de vniuerso capite sup. citat. contendit enim ex eo quòd aliquid apparet, non propterea ita esse. & missis quæ ipse in priuatas apparitiones congerit, etiam generales impugnat hoc pacto: Quia etiam *visionum quæ per negromanticos fiunt*, inquit, *vna est quòd per inspectionem pueri virginis in proprio vngue videtur se videre furem & rem furtiuam, ac modum furandi, viásque furis, & vbi posuerit furtum. Certum autem est res istas non esse in vngue. ideò intra seipsum vidit & audiuit hæc omnia; & fiunt vniuersa hæc per sola rerum phantasmata. nec aliquis spiritus assumpsit corpus furis, nec corpus rei furtiuæ, nec corpora corporibus eis similia* &c. Videtur ergo posse contingere huiusmodi maleficia, si in quorumcunque videntium organo talia disponantur phantasmata, quibus hæc & similia obiecta referantur. *Eodem modo* inquit *se habeat de alius inspectionibus maleficis; quales sunt quæ fiunt in ouo, in ebore, in ense, in pelui, in speculo quoque Apollinis, quod & in huiusmodi operibus apud maleficos maximum* &c. Sanè multa quæ dæmonum præstigiis fiunt, indiscriminatim videntur ab omnibus. Vt enim est apud Clementem Romanum libro secundo. Recognitionum aliquantò post initium, Simon magus suis præstigiis faciebat: vt Selene (id erat nomen mulieris ab ipso amatæ) è turri quadam vniuersæ multitudini, quæ ingens ad eam spectandam concurrerat, *per omnes illius turris fenestras procumbere ac prospicere* videretur. Quod enim vt diximus superiore quæst. art. primo Quæsito secundo Difficultate 2. mulier spectaretur per omnes fenestras, cùm non posset simul in omnibus esse, delusiones dæmonum fuerunt. Ergo etiam quæ imaginaria sunt, indiscriminatim, eodemque modo videntur ab omnibus.

Guil. Parisiensis.

Clemens Romanus.

Secundò etiam falsa Maior videtur: quia totum illud factum Lothi potuit fieri inditis ab Angelo rerum simulachris in animum Sodomitarum & Lothi. Si enim concursus corporum certo ordine collocatorum tales naturaliter transmittere potest imagines in oculum, vt in nubibus videantur Iridis colores, qui verè non sunt, & indiscriminatim ab omnibus, cur id non possit Angelus, cui longè efficaciores, quàm corporis vires insunt? Quod si potest cur id non affirmetur ita esse? quandoquidem hoc etiam pertinet ad dignitatem Angeli, & remouet multiplicationem entium non necessariam. Hoc igitur si fieret, videretur quidem aliquod esse corpus indiscriminatim ab omnibus, & iudicaretur extra videntem esse, non tamen verè esset corpus assumptum, nec ea ratione qua cerneretur. quemadmodum accidit cum Iridis colores in nubibus spectamus plerunque omnes. Confirmatur: quia cùm baculus in aquam dimidiatus immergitur, omnibus apparet quasi fractus ea parte qua ex aqua emergit, ac si re ipsa fractus, atque extra videntes sit; Et tamen fractus re ipsa non est. Similiter aio de cœruleo colore, quo cœlestia corpora quasi perfundi afficique ab omnibus cernuntur, cùm tamen nullus huiusmodi color nec cœlo nec aëri insit, aut inesse possit. Ergo ex eo quod omnibus eodem modo videatur obiectum, non fit vt ita sit à parte rei, vt contendit illa argumenti prioris Maior propositio. Ex quibus etiam patet posterioris quoque argumenti falsam esse Maiorem: Nam licèt aliquid nec sit corpus, nec habeat naturaliter vnitam sibi corporis molem; non tamen si idem Angelus videatur oculis corporeis, hoc ipso assumpserit corpus necesse est: nam, vt diximus, illud ipsum obiectum quod oculis cernitur potest vel præstigiis vel concursu corporum aliter apparere quàm est.

Tertiò, quia potest ostendi simpliciter oppositum; nempe Angelum non posse assumere corpus quo appareat, & hoc multipliciter. Primò, quia si assumit corpus, vel hoc corpus est cæleste, vel elementare, vel mixtum. non enim datur aliud genus corporum. Non primum, quia nulla cœli pars à cœlo separatur; cùm cœlum immortalis substantiæ diuidi à creatura non possit, sicut nec coagmentari. quod enim dissolui non potest, illud nec potest componi, vt colligitur ex Aristotele primo libro de cœlo à contextu 121. Non secundum, quia nec ignis, nec aqua, nec aër est figurabilis ad contactus soliditatem, vt sæpè accidit in huiusmodi apparitionibus. nec terra citò ex oculis euanescere potest. quo pacto Angeli se momento è conspectu eripiunt. ergo ex nullo elementorum. Non denique tertium ob eandem rationem ob quam elementa non possunt in vnum corpus quod citò aut figuretur aut euanescat, coalescere.

Aristoteles.

Secundò, quia illa corpora assumpta aut essent eius naturæ, quæ apparet hominibus, aut diuersæ. si diuersæ; hoc certè est inconueniens. non enim decet vlla fictio Angelos veritatis. Si eiusdem; ergo cùm cernendos se

se exhibent vt homines vera hominum corpora formarentur: quæro ergo, qua virtute, cùm nec eiusmodi corpora formentur nisi ex semine ob ipsorum perfectionẽ: nec Angeli habeant promptum aut semen aut vterum ad illud corpus formandum. Confirmatur, quia Angelus nullos substantiales effectus formare potest nisi applicatione virtutum naturalium; vt rectè probat A. Doctor quæstione 6. de Potent. Dei a. 3. 4. & 5. & nos infra suo loco dicemus. At non constat, qua virtutum applicatione tam repentè & quasi momento temporis talia corpora fabricare possint. immò si ea corpora formarentur eodem modo componenda essent, ac si ex semine generarentur. Ergo illis aptè constitutis illicò Deus infunderet intelligentem animum tanquam corpori rectè disposito naturaliter debitum. Ergo Angelus tunc non corpus humanum sed hominem ipsum integrè ex corpore, animóque formatum assumeret. quod quidem est planè absurdũ. Ex quo argumento etiam conficitur, nec Angelum assumere posse cætera corpora; quia non potest assignari virtus eorum effectrix, qua tam breui temporis spatio actiua passiuis applicẽtur. vnde nec apparet quomodo eadem corpora figurari possint & colorari.

A. Doctor.

Denique quia esto componantur huiusmodi corpora, quæro quomodo ea ab Angelo moueantur: Nam vel Angelus aliquid influit in corpus vel nihil. Si nihil: ergo nullus est contactus nec quantitatis nec virtutis. Ergo non est à quo corpus moueatur, cùm inter motorem & mobile contactus aliquis esse debeat ex Aristotele libro 7. Physicor. à cont. 10. si aliquid quæro quid illud sit. Quod si dicas, satis esse si Angelus imperio suo tanquam per virtutem motricem illud moueat. Contrà est: quia videmus in nobis nihil moueri ex voluntatis imperio, nisi membra corporis quæ imperio voluntatis non subsunt nisi in eodem corpore. Cum quo animantis anima facit vnum: In externa verò corpora nullam animam exercere tale imperium. Ergo si philosophandum sit ex nobis notis, vt sæpe dictum suprà est, neque Angelus mouere potest externa corpora, ac proinde debet esse aliquis alius contactus præter ipsum mouentis Angeli imperium.

Aristoteles.

Ex parte affirmante sunt ij, qui hanc corporum assumptionem tanquam verè factam ab Angelis, probant ratione A. Doctoris; vt noster Gabriel Vasquez disp. 184. cap. 1. n. 3. Molina a. 2. hic disput. 1. initio, Valentia disput. 4. quæstio. 2. p. 2. initio & alij complures. Ex antiquioribus idem præstant ij omnes qui putant ex iis Scripturæ locis ostendi potissimùm Angelos corpora assumere, in quibus narrantur multis apparuisse; vt est illa Lothi Genes. 19. &c. Quod facit Ægidius in 2. d. 8. q. 1. in resolutione a. 2. vbi concludit: *Si illi Angeli quibuscunque apparebant, apparebant in specie viri, non fuit hoc solum per immutationem sensuum. quia quando sic fit, quod apparet vni, non apparet alteri.* Sic etiam Alexander 2. p. q. 35. m. 6. docet: *nec phantasticè Angelos edisse credendum est, quando eos in hospitio homines susceperunt Genes. 18. & 19.* Quibus videtur non fuisse imaginariam apparitionem apud Abraham & Lothum, quandoquidem id pluribus visum oculis est. Idem patet ex Scoto in 2. d. 8. q. Vn. in arg. *Ad oppositum*. vbi ex apparitionibus Genes. 18. & 19. & Tobiæ conficit, Angelos assumere corpora. quasi illa ob multorum euidentiam certa sint. Idem patet ex Carthusiano in 2. d. 8. q. 1. vbi quendã Annibalem hęc ipsa docentem refert, eiúsq; opinioni subscribit. *Quando* inquit *Angeli apparentes non vni tantum sed omnibus præsentibus apparebant, non solet in præstigiis fieri, nec imaginariis visionibus.* Denique idem cæteri dixissent, si hæc in controuersiam accersissent.

A. Doctor. Vasquez. Molina. Valentia.

Gen. 19. Ægidius.

Alexander.

Scotus.

Carthusian.

Sensus non falli circa propria obiecta positis requisitis; quæ si quando absunt magna naturæ prouidentia, reparari solere errorem vnius sensus, euidentiâ alterius, tactúmque esse præstantissimum omnium. §. 9.

AD solutionem notandum est primò sensus non posse naturaliter falli in apprehẽdendis propriis obiectis, vt patet ex Aristotele lib. 2. de An. cont. 161. vbi ait, *sensus propriorum quidem est verus, aut quàm paucissimũ habens falsum.* Expressius, ac sine restrictione idẽ docuit libello de sensu & sensili cap. 4. in fine. Vbi sensus *de propriis non decipiuntur* inquit *velut visus de colore & auditus de sonis.* Quamobrem libro 4. Metaphys. à contextu vigesimoprimo aduersus veteres philosophos qui scientiam dari negabant, hoc argumento potissimùm vtitur, vt certam in nobis euidentẽmque rerum cognitionem statuat. *Primò quidem* inquit context. 24. *neque sensus proprij fallax est*, &c. Alioqui constat manifestè nullam prorsus fore cognitionem certam, si sensus circa propria obiecta fallerentur. In qua re nec dissentit Plato, vt etiam illi adscribit Plutarchus in libello aduersus Colotem. Id autem non ita nudè accipiẽdum est, ac si nulla ratione deceptio vnquã in iis contingat. Etenim debet certum esse interdum nos oculis apprehendere quod re vera ita non est vt videtur. Vt cùm videmus colores in collo columbæ, atque Iridis varietatem &c. de quibus dicebamus in parte Negãte. Sed id intelligi oportet si ponantur tres illæ conditiones requisitæ, quas optimè inter cęteros exigit Themistius lib. 2. de An. in cont. 63. vt nimirum potentiæ organum sit rectè dispositum; intermedium corpus non prauè affectum; ac denique si obiectum debito interuallo admotum potentiæ sit.

Aristoteles.

Plato. Plutarchus.

Themistius.

Neque his plura requiri oportet, vt Peripatetici fermè omnes in illum Aristotelis contextum 63. consensere, de qua re ibidem à nobis fusiùs dictum est, & legi potest A. Doctor suprà q. 17. a. 2. ibique commentatores. Ratio autem cur sensus naturaliter in apprehensione sui proprij obiecti non decipiantur, est; quia sensus a natura sunt instituti, vt per ipsos animal suum finem consequatur, nempe salutem & conseruationem suæ vitæ. Vt enim ait Aristoteles libro de sensu & sensili cap. 1. *Sensus omnibus habentibus causa salutis insunt, vt præsentia prosequantur alimenta, mala autem & corruptiua fugiant.* At si sensus deciperentur in suorum obiectorum cognitione, frustrà essent in hunc finem dati, quia noxia pro salutaribus prosequerentur, fugerẽntque salubria. Quoniam incertum esset, an in ipsorum obiectorum apprehensione contingeret falsitas. Deum autem & Naturam nihil facere frustra sæpius à Peripateticis decantatur, vt libro primo de cœlo, contextu trigesimosecundo, libro 2. cont. 50. & 59. libro 3.

A. Doctor.

Aristoteles.

libro 3.de Part. Animal.cap.1.libr. 3.de An.cont. 43.alibique nó rarò. Non ergo sensus circa propria obiecta naturaliter decipiuntur.

Atque vtut in cæteris sit animantibus, sanè homini à Natura haud benè, immò pessimè consultum esset, qui cùm omnem in se cognitionem deriuet à sensibus, quibus administris rerũ scientiam sibi intellectus hominis parat, vt docet Aristoteles lib.1. Metaphys.cap.1.& lib. 2. post.cap. vlt.& probat A.Doctor infrà q.84.a.6. & nos infrà ex Peripateticis copiosè dicturi sumus; nullo modo in rebus intellectu percipiendis securus certusque, sed anceps animi an falleretur esset. Etenim si intelligentiæ initia ambigua essent, aut falsa; quales tãdem forent doctrinarum progressiones? Id enim prorsus idem esset atque aberrare à ianua. quod sanè prouerbium ad hoc ipsum propositum refert Aristoteles lib. 2. Metaphys.cont.1. atque ita quo longiùs abiret, ab ea magis recederet. Vnde est vt paruus in ipsis doctrinarum primordiis error, longam secum errorum seriem ducat necesse sit. Quod quoque optimè vidit docuítque Aristoteles libro 1.de cœlo cont. 33. vbi *Modica* inquit *transgressio à veritate discedentibus fit longè decies millies maior.* Nec minus eius rei egregiam assignauit ibidem causam: *Quia principium virtute maius est quam magnitudine. quapropter quod in principio modicum est in fine fit per perquam magnum.* Hinc colligi rectè potest, Deum qui naturæ omnisque perfectionis in hac rerum vniuersitate est auctor, non posse esse causam deceptionis in iis quæ ipse secundùm rerum naturam tanquam solidissima omnium doctrinarum primordia ac fundamenta stabiliuit. quandoquidem hæc ipsa ab naturæ auctore euerti nó oportuit, quæ ipse omnium maximè stabilita esse decreuit. Quin potius ea firmiter confirmare necesse erat: ne alioqui incerta ac fallacia redderentur, quæ ipse tanquam diuinitus emissa oracula, nempe sacræ fidei dogmata credi atque haberi meritò vult. Nam de omnibus omnino cognitionibus non immeritò dubitari ab hominibus posset, si sensus à suis propriis obiectis illa triplici posita conditione ludificarentur, recténe se haberent, an secus: Quæ causa etiam est, vt principia quibus scientiarum conclusiones adnituntur oporteat sint certissima, eo quòd ipsa omnis consequentium conclusionum veritatis causa sunt. *Propter quod* inquit Aristoteles eodem lib. 2.Metaphys.cont.4. *principia semper existentiũ necesse est verissima esse. nec enim aliquando vera, nec illis vt sint aliqui l aliud causa est, sed illa cæteris,* cùm prima sint. Quod etiam vt meliùs appareat

(Margin: Aristoteles. — A Doctor. — Aristoteles. — Aristoteles. — Aristoteles.)

Notandum est secundò, Naturam, quoniam ipsa vt ait Aristoteles libr. 3.de An.cont.45.non deficit in necessariis, illud in omnibus animalibus spectasse, vt animal si quando ob alicuius ex tribus illis enumeratis cõditionibus absentiam, sensus aliquis falli circa propria obiecta contingeret; alio statim certiore sensu errorem emendare posset ita, vt semper nisi sit quidpiam præter naturam, sẽsus alter erroris corrector promptus adsit. Vndè Aristoteles libro 2.de An.cont. 135. expressè docet plures sensus nobis à natura datos, vt clarior distinctiórque per plures esset obiectorum notitia, quæ vno tantùm dubia reddi posset. Quòd autem hoc verum sit, nimirum quòd sit sensus aliquis cum alius fallitur erroris corrector, hoc primum patet inductione in animalibus quæ ratione carent. Si enim oui osten-

(Margin: Aristoteles. — Aristoteles.)

A datur aliquid, quod eius oculis appareat ramus viridis, illa accedit quidem ad fictum ramum, specie veri rami decepta, sed statim olfactu, vel attactu oris animaduerso errore ramum auersatur ac discedit. Similiter & canis si ostendatur ei lapis, qui panis videatur, alio sensu discernit non esse panem, seque ab ea obiecti specie auertit; & sic de cæteris. Homo denique visis in collo columbæ coloribus, & viso baculo in aqua veluti fracto, corrigit errorem vel eodem sensu, si aliunde alio modo se habens obiectum meliùs consideret: Vt si alio ex loco aut propiùs eiusdem columbæ collum, accuratiùs aspiciat, baculúmve extrahat ex aqua. Vel alio: B Si tactu contingat ipsum baculum; aut allisione seu alio modo eum sanum, integrumq; deprehendat, & aliis variis modis.

Ex quo sequitur inter cæteros sensus, quibus animal præditum est, conueniens fuisse, vt tactus esset certissimus omnium: Nam hic sensus omnibus animalibus inest, & potest esse sine cæteris, vt docet Aristoteles libro secundo de An. contextu decimoseptimo. Ergo debuit esse ex se certissimus; quia solus inter exteriores reperiri aliquando oportuit, ac proinde absque erroris correctore sua obiecta percipere. Et præterea, quia non eget interiecti corporis, seu C medij dispositione: ex cuius defectu errant nonnunquã visus, auditus & olfactus; cùm vt docet Aristoteles libro tertio de An.contextu sexagesimosexto, cæteri sensus intermedio corpore sentiant; tactus autem sentit nullo medio. *Omnia* enim inquit *per aliud sentiendo faciunt sensum & per medium. tactus autem est in tangendo ipsa.* Inde tactus dicitur ex eo quòd vt ibidem ait Aristoteles in immediatè attingendo ipso obiecto occupatur. *Quapropter* inquit *& hoc nomen habet.* Vnde quia & gustatus etiam attingendo obiecta suam sensionem exprimit. quidam etiam tactus ab Aristotele nominatur eodem libro tertio de D An.cont. sexagesimoquarto. *Quamobrem & gustum necesse est tactum esse quendam quia tangibilis & nutritiui sensus est.* hoc est quia contactu obiecti nutritiui elicit functiones suas.

(Margin: Aristoteles. — Aristoteles. — Aristoteles. — Aristoteles.)

Atque hinc quoque est, vt quia homo omnium animantium maximè & certissimè rerum differentias cognoscere debet, ei à natura datus sit omnium animantium perfectissimus tactus, & gustus, quia est quidam tactus, etiamsi in cæteris sensibus facile superetur ab omnibus ferè animantium generibus, vt docet Aristoteles libro secundo de An.contextu nonagesimoquarto. *Certiorem* inquit *habemus gustum propterea quod ipse quidam tactus est: hunc autem sensum habet homo certissimum. In aliis enim superatur ab animalibus multis,* E *secundùm autem tactum multò quàm cætera excellentiùs percipit. Inde & prudentissimum animalium est.* Debuit enim humani corporis constitutio talis esse qualem requirit eius forma; cùm materia sit propter formam, vt docet Aristoteles libro secundo Physicorum, contextu octuagesimoprimo. At forma hominis postulat ad suum finem nempe ad suas operationes temperatissimam corporis constitutionem. Quæ causa est vt certior sit sensus præsertim tactus operatio, ac proinde intelligendi actus circa propria tactus obiecta euidentior. Hinc prudentissimus homo est, quia ex hac tanta certitudine quam per sensum hunc habet, optimè de agibilibus iudicare potest, quæque sunt

(Margin: Aristoteles. — Aristoteles.)

A. Doctor. optima seligere quæ ad prudentiam spectant, A vt docet A. Doctor P.2.q.57.a.6. Est ergo sensus tactus in homine certissimus ob constitutionem humani corporis. Nam vt ait A. Doctor infrà q. 91.a.3. *Deus instituit corpus humanum in optima dispositione secundùm conuenientiam ad talem formam, & ad tales operationes. Et si aliquis defectus in dispositione humani corporis esse videtur, talis defectus sequitur ex necessitate materiæ ad ea quæ requiruntur in corpore, vt sit debita proportio ipsius ad animam & ad animæ operationes.* & ideò ad 1. ibi ait: *Tactus qui est fundamentum aliorum sensuum, est perfectior in homine, quàm in aliquo alio animali. Et propter hoc oportuit quòd homo haberet temperatissimam complexionem inter omnia animalia.* Quæ sententia magnifacienda est, quippe quæ fundamentum iacit B ad multas veritates Scripturarum, de quarum aliqua dicam paulo post. Ad huius autem rei confirmationem addit ibidem Aristoteles, inter homines illum quoque maximè excellere ingenio qui optimè dispositum habeat eiusdem sensus tactus organum, nempe mollem carnem ac tenuem. *Signum autem & in genere hominum secundùm sensorium hoc ingeniosos esse & non ingeniosos; secundùm autem aliud nullum. Duri enim carne inepti mente, molles autem carne bene apti.* Quam doctrinam egregiè confirmat A. Doctoris auctoritas p.p.q.76.a.5.c.in fine, & q.91. a.3.ad 1.

Ex his sequitur, (vt etiam hoc obiter dicamus C & paucis:) Vtrùm Christi Domini è mortuis resurgentis validum fuerit illud argumétum, quo vsus est, vt fluctuantem Thomæ de eius resurrectione fidem firmaret Lucæ vlt. & Ioan. 20. cùm dixit: *Infer digitum tuum huc, &c. & noli esse incredulus sed fidelis.* Omni enim prorsus euidentia propter ipsam sensus tactus certitudinem, veritatem carnis ostendit, cùm eam Thomæ palpandam præbuit Christus; vt apertè docet A. Doctor 3. p.q.55. a.6.c. & Caiet. 2.2.q. 95. a.3. Quo pacto S. Gregorius hom. 26. in Euangelia *palpandam carnem Dominus præbuit, quam ianuis clausis introduxit, vt esse post resurrectionem ostenderet corpus suum & eiusdem naturæ, & alterius gloriæ.* Nam D quòd coram illis visus sit manducare, non fuit efficax argumentum, quod etiam obseruat eodem a.6.ad 1. A. Doctor. Sic enim Tobiæ 10. dixit Angelus Tobiæ: *Cum essem vobiscum, videbar quidem vobis manducare & bibere; sed ego cibo inuisibili vtor.* Certissimum autem fuisse illud rediuiuæ carnis argumentum; quod scilicet Thomæ contactu palpari potuit, haud dubiè ex Christi verbis ostendi potest. Non enim ea quæ subiungam verba, Apostolis dixisset Christus, si certos ex eo facto reddi discipulos posse, non existimasset. *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* hoc est palpate, & euidéter cognoscite; quod spiritus, nempe E corpus subtile, & aëreum carnem & ossa nó habet. perinde quasi hæc omnia ad iudicium sensus tactus tanquam ad certissimum sui obiecti iudicem remittat. Duo ergo hactenus probata sunt; nimirum & sensus positis quibusdam falli non posse circa obiecta propria ipsorum, & sensum tactus in cognoscendo suo proprio obiecto certissimum esse. Pro qua re

Notandum est tertiò, cùm hanc euidentiam sensus asserimus, eósq; negamus falli in apprehensione proprij obiecti, nos intelligere citra Dei miraculum relictis naturis in sua connaturali dispositione, quæ connaturalis dispositio semper præsupponi debet in ipsa re esse, nisi de obsistente naturis miraculo Dei constet. Absurdum enim est confugere ad diuina miracula, si nulla ad ea asserenda nos necessitas impellat. Quod supra ex A. Doctore cõfirmauimus. Alioqui nunquam quænam rerum sint naturæ inuestigare certò possemus: Quia dubitandi causa in promptu semper esset; An ipsæ res connaturali modo se habeant, an verò ex miraculo quidpiam intercedat, aut aliquid latens illis insit. Atque hinc optimè ipse A. Doctor 3.p.q.75. a.2. negat A. Doctor. aliquam substantiam de nouo posse alicubi esse, nisi vel per motum localem, vel per conuersionem alterius in ipsam; eo quod scil. ex connaturali causarum agendi modo non putauit res aliter alicubi de nouo esse, quam illa duplici ratione. Et a.3. negat etiam substantiam panis in Sacramento Eucharistiæ resolui in elementa; propterea quòd huiusmodi elementa, in quæ prius substantia resoluta esset, discederent inde per motum localem. id quod sensu perciperetur. Eodémque modo ibidem a.6. confirmat non remanere formam panis separatam post consecrationem, quia esset forma intelligens, & alia multa similia alibi docet. Quæ vera quidem sunt si philosophãdum sit exclusis miraculis, & iis quæ de potentia absoluta fieri à Deo possunt; non tamen vera absolute de potentia Dei, si aliter ipse fieri statueret.

Simpliciter tamen negandum est ea fieri posse: quia simpliciter philosophamur ex rei natura, cùm nulla necessitas est ad Dei miracula cõcurrendi. Quam philosophandi rationem & consuetam supra diximus esse A. Doctori, & ab ipso A. Doctor. mirè expressam in hac p.p.q.76.a.5.ad.1. his verbis: *In constitutione rerum naturalium non consideratur, quid Deus facere possit, sed quid naturæ rerum conueniat, vt Augustinus dicit 2. super Genes. ad lit.* nempe cap. 1. paulò post initium, vbi quæ ipse docet validè confirmant hanc ipsam doctrinam. Nam redarguens eos qui dicebãt, aquas posse esse supra cœlum secundum Dei omnipotentiam, cui cuncta possibilia sunt ait non oportere ita philosophari de rerũ naturis, quasi inquiratur quid Deus possit facere: cùm philosophemur ex rei natura citra miraculum. reddit autem eius causam; quia oportet quærere quemadmodũ Deus instituerit naturas rerum, *non quid in eis aut ex eis ad miraculum potentiæ suæ velit operari.*

Neque enim si Deus vellet sub aqua oleum aliquando manere, id Dei iussu non fieret. nõ ex eo tamẽ olei natura nobis esset incognita, quòd aliquando sub aqua subsiderit. Constaret enim ex iis quæ citra miraculum ipsa habet, talis oleũ conditionis esse, vt appetendo suum locum etiamsi subterfusum aquæ fuerit, perrũpat aquas, eisque se superpositum collocet. Constat ergo cùm rerum naturam quærimus, non esse respondendum ex positis miraculis, iisue quæ aut præter aut supra naturam sunt. Vnde optimè A. Doctor eodem loco cùm dixisset, corpus hominis A. Doctor. optimè esse dispositum ad animæ functiones; addidissétque ex ea dispositione sequi tanquam ex materiæ necessitate hominem esse corruptibilem, obiicit sibi, cùm possit Deus hanc necessitatem vitare, posse hominem non esse corruptibilem: respondet; non esse attendendum quid possit esse homo Dei potentiâ absolutâ; sed quid illi conueniat naturaliter ob rationem, quam ex

Lucæ vlt. Ioan. 20. — A. Doctor. Caietanus. S. Gregor. — A. Doctor. Tob. 10.

ex eo retulimus.

Simili ergo ratione cùm dicimus, sensum non posse falli circa proprium obiectum; & tactum inter exteriores sensus esse certissimum, quia loquimur ex ipsa rerum natura, non esse interponendum quid Deus possit suo miraculo facere, vt sensus etiam positis debitis cōditionibus errent. Hoc posito ad difficultatem: Vtrum scilicet demonstrari possit ratione A. Doctoris Angelos assumere corpora; respondendum iam est, nimirum ita vt excludantur ea, quæ miraculosè fingi possunt, aut non connaturali modo asserentur.

Ex eo quòd Angelicæ apparitiones eodem modo cernuntur ab omnibus indiscriminatim, rectè infertur Angelos assumere corpora, modò id rectè intelligatur. §. 10.

PRo hac autem re in præsenti sit

A. Doctor. Vnica Propositio: Angelos interdum verè assumere corpora, rectè demonstratur A. Doctoris vtraque ratione. Probatur propositio primùm de priori: Nam Maior & Minor veræ sunt & consecutio necessaria. ergo demōstratur propositum. Quod autem consequentia sit necessaria, patet ex forma syllogismi supra relati, qui optimè constitutus est. De Maiore missis iis quæ infra in responsione ad 2. de verbo *cerni* in eius confirmatione à nobis dicentur, probatur hoc vnico argumento. Nam quandocumque aliqua ab omnibus indiscriminatim, seu indifferenter eodem modo videntur, signum euidens est, non errare eorum sensus circa illa obiecta, saltem si idem obiectum percipiatur pluribus sensibus. Quod patet: nam primò illa obiecta habent illas tres conditiones, quibus positis liberam ab errore sensus operationem diximus. Intercedit enim congruum interuallum. Quia potest commodè videri ab omnibus, & eodem modo iudicari. Qua ratione cùm cometes congruo interuallo distat, eodémque modo videtur ab omnibus, non dubitatur quin sit stella crinita, &c. Similiter est medium dispositū. quia alioqui defectus animaduerteretur ab aliquo. Ob quam causam omnes sciunt etiam pueri (frequentes namque huius rei experientiæ sunt) Iridem non constare veris coloribus ob lucis varias refractiones in medio denso ac rorido. Sicut ob vapores interdum cùm sol ac luna occidunt, aut oriuntur, longè maiora solito videntur. Ergo tunc sensus non falluntur positis illis conditionibus, vt supra diximus. Animaduertimus enim tunc non esse medium eo modo, quo institutum est à natura; nempe sine interposito corpore opaco, nec esse aptum interuallum, vt obiectæ res sincerè suis potentiis offerantur. Quod quidem iisdem sensibus, sed alio tempore; cùm scil. aptius atque accommodatius esse nō dubitatur medium, deprehendimus faciléque iudicamus. Hinc infero quod propositum erat; ea nimirum, quæ videntur eodem modo ab omnibus, nec aliquo sensu apparet medio fucum esse factum, aptúmque interuallum esse, non esse imaginaria, sed verâ visione corporeâ videri ac cerni tāquam sint vera obiecta, extráque videntē posita.

A Secundò & efficacius id ipsum probatur: quia si idem obiectum pluribus percipiatur sensibus, si in vno contingeret error, corrigi posset ab altero; vt oculorum errorem emendamus tactu, nè dum baculus ex aqua dimidiatus emergit & veluti fractus apparet, credatur fractus. Ergo talis perceptio obiecti non erit imaginaria, præsertim si accedat sensus tactus, qui minimè omnīū fallax est, vt diximus. Quæ omnia adeò vera sūt, vt si hoc principium falsum dicatur, aut dubiū; nulla omninò certa esse possit propositio, cuius veritas inductione, aut sensuum experimento cognoscatur. Vnde omnia principia physica, quæ teste Aristotele libro 2. Poster. cap. vlt. & sæpè alibi sensibus & inductione comprobantur, falsa aut dubia redderentur. Ignorarent ergo philosophi an terra sit grauis: ignis calidus; Sol illustret: aqua refrigeret; & alia innumerabilia; Quia sensuum experimentum incertum & fallax est. Cùm igitur hæc omnia absurdissima sint, vera est illa Maior; nempe: Quæ videntur eodem modo indifferenter ab omnibus subintellige positis requisitis, non sunt imaginaria, sed corporea visione videntur, tanquam extra videntem sint. Addidi si præsertim pluribus sensibus percipiantur; quia hoc maximè facit ad propositum A. Doctoris: Nam quæ ipse enarrat ex Angelorum apparitione, qua Abrahamo atque Lotho visi sunt Angeli, pluribus plurium sensibus perspecta sunt. Nam vltra corpoream visionem suis eos manibus contrectarunt. dum eorum pedes abluerunt, manus comprehenderunt &c. auribus eorum voces audierunt, &c. de quibus Genes. 18. & 19. nósque iam diximus.

Iam de eiusdem argumenti Minore veritas probanda est, seu potius ex dictis explicanda, & tanquam non dubia supponenda. Etenim vt diximus Genes. 19. Illi duo pulcherrimi iuuenes ab vniuersis Sodomitis visi sunt, auditíque, adeò vt eorum amore turpiter caperentur ab sene vsque ad puerum; & prætereà quia manuum pedúmque contrectatione Loth etiam sensu tactus vsus est. Atque hæc de priore argumento.

D Posterioris argumenti Maior nunc faciliùs probatur: Quia certum est illam substantiam quæ verè oculis corporeis ab omnibus spectetur (nempe ad debitum interuallum cum cæteris requisitis. de his enim obiectis simpliciter loquimur) si non habet corpus, debere sibi assumere corpus, quo oculis illis corporeis spectabilis sit. Ratio est manifesta: quia nihil verè spectabile est oculis corporeis nisi coloratum aut lucidum. omne autem quod huiusmodi est, corpus esse debet; quia hæc non dantur accidentia spectabilia nisi quanta & extensa, ac proinde quæ sint in corpore aliquo: nam sermo est de his rebus exclusis miraculis, & iis quæ non connaturali modo fiunt, si nulla sit necessitas ea asserendi, vt suprà dictum est: quæ hic nulla est. nam rectè saluari possunt omnia sine huiusmodi miraculis. Ergo si substantia illa verè spectabilis sit, debet assumere corpus: assumere enim corpus est sibi corpus vnire; debet autem sibi corpus vnire, quo spectari possit, & multò magis si contrectetur. Dixi *quæ verè oculis spectetur*. nam pono eam verè obiici oculis multorum, & non sola phantasia per præstigias cerni. quo pacto vnus sensus corrigeretur ab

ab alio: vt diximus, & meliùs deinceps declarabitur. præsertim in proximo sequenti *Colligitur*. Minor verò eiusdem argumenti certa est ex dictis: nam vtrumque nimirum & Angelos esse incorporeos, & verè se spectabiles præbuisse, ostensum est.

Certiores sunt Angelorum apparitiones, quàm Dæmonum, qui plerunque fallunt, si non rectè animaduertantur. Vbi etiam disseritur, an quæ Vespasiano Imperatori contigerunt fuerint præstigiæ.

§. II.

EX dictis Colligitur primò, licèt certiores sint huiusmodi apparitiones Angelorum bonorum, quàm dæmonum: Tamen etiam dæmonum esse veras, quando eodem modo cernuntur ab omnibus, saltem cùm pluribus sensibus percipiuntur.

Primum patet, cùm Angeli boni ita cernuntur ab omnibus, nulla est ratio, vnde existimetur sensuum deceptio: Angeli enim veritatis fallacias ac præstigias non amant. Quę enim nobis per apparitiones sentienda exhibent, solùm ad nostrum profectum faciunt; vt docet A. Doctor q. 6. de Pot. a. 7. c. Vnde non est opus præstigiis. Atque ita si cernantur ab omnibus, ideò cerni ita volunt, vt eos omnes qui vident de veritate apparitionum certos reddant. Propterea & oculis se subiiciunt, contrectandos se exhibent, vocem promunt, & alia huiusmodi signa edunt, quæ omnia reddere possunt certam euidentémq; apparitionem. De quibus tamen prudenter interdum dubitare possumus, cùm dæmones apparent, ob ipsorum præstigias. Vnde in eo quòd narrauimus de Selene Simonis magi concubina, veræ fuere præstigiæ, licèt ab omnibus illa cerneretur tanquam multiplex in pluribus fenestris. Sic etiam dum Pythagoras apud Origenem libro 6. contra Celsum non longe ab initio traditur, *nudasse femur eburneum, conspectúsque eodem die duabus in vrbibus*: & alia complura prodigiosa edidisse quæ dæmone sensibus illudente accidisse certum esse debet. Quæ si pluribus sensibus accuratè ac diu perspecta fuissent, præstigiæ dæmonum fallaciæque patuissent sine dubio, cùm naturæ solertiam non possent effugere vt paulò pòst dicetur. Præterquam quòd hic sensuum oculorum error, ex certa scientia aliunde corrigi poterat, cùm euidenti ratione sciamus, idem corpus virtute creata non posse in pluribus locis esse &c. nec Deum virtutem supranaturalem subministrare dæmoni, aut ad huiusmodi perniciosa spectacula, aut ad falsitatem astruendam. nam vt ait A. Doctor q. 6. de Pot. a. 5. c. *Ad huiusmodi quæ sunt supra facultatem naturæ ipsorum, eis a Deo nulla datur potestas, quia cùm operatio miraculosa sit quoddam diuinum testimonium indicatiuum diuinæ virtutis, & veritatis; si dæmonibus quorum est tota voluntas in malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod diuinam bonitatem non decet.*

A.Doctor. Pythagoras. Origenes. A.Doctor.

A Eodem modo captiosæ fuerunt illæ apparitiones, quas Varro narrat de Sociis Diomedis, quos e Troia reuertentes ait in aues fuisse conuersos. Item quòd Circes famosissima maga socios Vlyssis mutauerit in bestias: Quòd Arcades in quodam stagno conuersi sint in lupos: quæ omnia legi possunt apud S. Augustinum lib. 18. Ciu. a cap. 16. vbi ipse Augustinus ea ad genus præstigiarum refert. quod etiam approbat A. Doctor q. 6. de Pot. a. 5. ad 6. Ait enim *eas transformationes, de quibus Varro loquitur, non fuisse secundum veritatem, sed secundum apparentiam, per operationem dæmonis phantastico hominis secundum aliquam corporalem speciem immutato; sicut dicit Augustinus 18. de Ciu. Dei.* An ad eandem phantasticam apparitionem referre possimus quæ de Æsculapio B narrantur, a quo aiunt nonnullos à mortuis esse reuocatos. (Qua de re copiose Tiraquellus de Nobilitate cap. 31. num. 21.) incertum mihi est. Nam ea sane non constanter vno eodémq; modo narrantur, & videntur potiùs à Poëtis conficta in laudem Æsculapij, quam fideliter ad veritatem dicta, & ideò ea fabulis miscuerunt. Tradunt enim omnes Æsculapium fulmine à Ioue ictum occubuisse. quia fuerit coram Ioue à Diis inferis accusatus, quòd eorum imperium minueret, dum inferorum animas ad superos arte medendi traduceret. De qua eadem Æsculapij vanitate lege Cyprianum libro de Idol. C vanitat. initio; Arnobium libro primo aduersus Gentes. Hæc ergo fuerunt fabulosa; præsertim cum dicat Lactantius libro primo de falsa religione capite 10. eum nihil fecisse ob quod diuinis honoribus dignus videretur, nisi quòd sanauit Hyppolitum. *Æsculapius* inquit *& ipse non sine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignum, nisi quòd sanauit Hyppolytum?* At sine dubio ea recensuisset Lactantius, si quidem Gentiles arguebat, quòd Deum facerent, qui vix quicquam clari gessisset. Aut ergo fabulosè dicta sunt, aut præstigiis plena.

Varro. S. August. A.Doctor. Tiraquell. Cyprianus. Arnobius. Lactantius.

Huiusmodi verò præstigiæ in bonorum Angelorum apparitione non accidunt, qui & ad D miracula in fidei diuinæ testimonium à Deo assumuntur; vt expresse docet idem A. Doctor eadem q. a. 4. & nunquam dicuntur in Scripturis apparere simpliciter; si sit imaginaria tantùm visio, vt obseruat Angelicus Doctor ibidem art. 7. Quia scilicet scriptura diuina, cùm aliqua apparitio per modum visionis intelligi oportet apponere solet aliqua verba, quæ eam visionem denotent; vt dicitur Ezech. 8. *Eleuauit me spiritus inter cœlum & terram, & adduxit me in Hierusalem in visionibus Domini.* Vnde infert ibidem A. Doctor: *illa quæ ibi simpliciter narrantur, simpliciter etiam debent intelligi esse gesta*, sicut de E multis Angelorum apparitionibus Scriptura commemorat.

A.Doctor. Ezech. 8. A.Doctor.

Secundum etiam probatur: nam cùm corpora dæmonum pluribus sensibus percipiuntur, præsertim sensu tactus, non est dubitandum, quin verorum corporum sint apparitiones, si aliunde nulla sit vrgens ratio, ob quam dicamus eas esse dubias. Alioqui pro veris habendas esse aio. Neque enim est probabile, dæmones ita posse sensus nostros eludere, vt rei veritas aliunde non patescat, quandoquidem malè consultum nobis à natura esset; & possent ex hoc principio plerunque reddi incerta, quæ sensibus

sensibus nostris dubia non sunt. Atque hinc est, vt recta sensuum cognitio adeò firmiter hæreat animo, vt repugnans ratio fallax ac eneruis haberi soleat. Quocirca Aristoteles libro 8. Phys. cont. 22. pronunciauit: *Quærere rationem & dimittere sensum, infirmitas quædam intellectus est.* Cuius rei optima & à priori redditur ratio ibi à Simplicio commentario suo 21. Quia scilicet vbi sensuum quasi arbitrio standum est, non relinquitur locus siue vt contrariis rationibus, siue etiam vt eidem conclusioni ex veris principiis deductæ assentiamur. Vt quòd nunc dies luceat, scimus quia lucem videmus oculis, non quia argumento demonstretur. *Quia sensibilia* inquit Simplicius ibidem *à buri maximi, sensu sunt, & principia demonstrationum*; nempe vnde ipsa principia certa nobis sunt euidentiámque suscipiunt.

Aristoteles. Simplicius.

Quamobrem numquam equidem eorum opinioni consenserim, qui putarunt ea quæ tamquam à Vespasiano Imperatore patrata miracula narrantur apud Cornelium Tacitum libro 6. Histor. nihil aliud fuisse nisi sensuum illusiones Dæmonúmque præstigias. Quamuis enim non dubitem quin ope suasúque Dæmonis ea composita atque ad euentum perducta fuerint, vt pòst dicam; Tamē negabo semper meras ea præstigias deceptionésque sensuum fuisse. Etenim tot tantique eius rei fuere testes (si historiæ danda fides est) tótque sapientum testificationes, vt nisi demus omnium sensus omnino falli, fidem manifestam faciant. Rem totam verbis eiusdem Taciti sub oculis proponam, vt nemo veritati non assentiatur. *Per eos* inquit *menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstiuis flatibus dies, & certa maris operiebatur, multa miracula euenere. Queis cælestis fauor, & quæ nam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, ad genua eius aduoluitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit: precabatúrque Principem, vt genas, & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger eodem Deo auctore, vt pede & vestigio Cæsaris calcaretur orabat. Vespasianus primò irridere, aspernari: atque illis instantibus modò famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci. Postremò existimari à Medicis iubet, An talis cæcitas ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici varia disserere: huic non exesam vim luminis, & redituram si pellerentur obstantia: Illi elapsos in prauum artus; si salubris vis adhibeatur, posse integrari: Id fortasse cordi Deis, & diuino ministerio Principem electum. Denique patrati remedij gloriam penes Cæsarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quicquam vltrà incredibile, lato ipse vultu, erectâ quæ astabat multitudo, iussa exequitur. Statim conuersa ad vsum manus, ac cæco reluxit dies. Vtrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullo mendacio pretium.* Hactenus Tacitus. Cui historiæ adstipulatur Suetonius Tranquillus in vita Vespasiani cap. 7. Itaque adeo eorum ægrotantium curatio apud omnes perspecta fuit, vt Medicorum iudicio, multitudinis plausu, eorúmque qui fide digni habebantur testimonio contestata sit.

Tacitus. Suetonius.

In hac igitur re ne plus Dæmoni tribuere videamur, quàm par sit: Mihi placet quod rectè obseruat Cardinalis Baronius tomo 1. ad annum Christi 71. Vespasiani I. primùm ea omnia fuisse Apollonij Tyanæi arte excogitata Vespasiano amicitia coniunctissimi, qui illis diebus Alexandriæ aderat. Deinde eas non fuisse eiusmodi ægritudines vt à Medicis curari minimè valuissent, vt retuli ex verbis Taciti. Hinc sequitur, si Medicorum cura ægroti illi conualescere potuerunt, multò id facilius à Dæmone præstari potuisse, cuius illud planè consilium atque auxilia fuere ad obscurandam Christi gloriam, vt quæ olim Prophetæ de Christi regno prædixerant, ea in Vespasianum detorquerentur. Non igitur meræ sensuum fuere præstigiæ, licèt ea omnia arte Dæmonum ex naturalibus causis clam cōposita atque perfecta contigerint.

Baronius.

Concludimus ergo, cùm huiusmodi apparitiones hoc pacto percipiuntur, veras esse dubitari non posse à Theologis. Vnde S. Augustinus libro 15. de Ciuit. Dei cap. 23. narrat tanquam experimento compertissimum, dæmones se miscuisse impudicè mulieribus; atque idcircò id negari non posse. *Multi* inquit *se expertos, vel ab expertis se audiuisse confirmant Syluanos & Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos sæpè extitisse mulieribus, & earum expetiuisse, & peregisse concubitum.* Id autem adeò certum esse affirmat, vt addat hæc verba; *Vnde hoc negare impudentiæ videtur.* Quod etiam admittit A. Doctor in hac q. 51. a. 3. ad 6. & q. 6. de Pot. a. 8. ad 5. & 6. Immò & communis Patrum & Scholasticorum sententia est; vt Martinus Delrius libro 2. Disquis. q. 15. fusè cōfirmauit, & nos satis copiosè infra a. 3. demonstraturi sumus.

S. August. A. Doctor. Delrius.

Huc etiam spectat quod ait Caietanus 2. 2. q. 95. a. 3. hominem quendam cùm non eam perciperet delectationē ex dæmone succubo, quam sæpè expertus erat cum mulieribus, conquestum ea de re esse cum dæmone. at dæmonem suam impotentiam excusasse, quòd meliores carnes facere nequiret. quasi apertè fateretur se sensum tactus fallere omninò non posse. Vbi etiam notari oportet, hanc corporum tractationem, qua percipitur molle & durum, non esse solam dæmonum resistentiam qua homo videatur sibi durum aliquod attingere; vt aliquibus Theologis visum est, quia vero sensu tactus percipiebat huiusmodi qualitates, quas optabat ille aptiores ad sensus delectationem, sed esse veram duritiem & mollitiem. Non enim hoc dæmoni impossibile est: nam sicut possunt dæmones formare corpora passiuis actiua applicando, ita etiam tali modo, vt eæ qualitates consequantur. vt v. gr. mollities erit, si corpus non sit adeò densum, vt lapis &c. ideóque ad eam qualitatum temperiem non possunt eas qualitates formare, quæ corporum sunt propriæ, cùm ea corpora agentium ac patibilium applicatione construere non possunt. quemadmodum quia non possunt effingere veras humanas carnes, nec earum mollitiem habebunt vnquam corpora illa, quæ humanam effigiem dæmonum operâ præ se ferunt.

Caietan.

* * *

Plerumque certi esse possumus de veris Dæmonum apparitionibus: præsertim cum se Dæmones viris sanctis spectandos præbuerint, cùm seruiunt, &c.

§. 12.

COlligitur secundò, multas alias etiam dæmonum fuisse apparitiones veras, non autem sensuum illusiones, cùm scilicet nulla erat ratio, cur non ita existimarentur; Quia nimirum sensuum euidentia non debet negari, cùm non est alius sensus, vnde corrigi debeat error. Ex quo primum arbitror veras dæmonum apparitiones contigisse iis viris sanctis, qui de earum veritate non dubitarunt. Ratio est, quia viri sancti proponuntur à Deo tanquam norma ac regula non solùm viuendi, sed etiam sapiendi præsertim in iis quæ sunt ad Deum, vt apertè colligitur ex A. Doctore in 3. d. 9. qu. 2. a. 3. ad 7. vbi ait, *nos seruire sanctis, quia sunt nostri Doctores vel per doctrinam, vel per administrationem, vel per intercessiones & exemplum.* Quamobrem æquum est, vt eos in iis ac similibus rebus potissimum, credamus illustrari a Deo nec falli. Et ideò veræ apparitiones existimandæ sunt, de quibus vt de veris loquebatur magnus ille Antonius, & alij viri Deo carissimi, vt supra vidimus. Vnde etiam sæpe eorum simulatas effigies patefactis dolis vir non minus auctoritate venerandus, quàm humilitate conspicuus Franciscus Assisiàs detegebat, vt habetur in Chronico eius ordinis. Hinc etiam est vt plerique sancti homines coërcendorum dæmonum etiam in aspectabili forma potestatem admirabilem acceperint. Apostoli quidem Matthæi 10. *Conuocatis* inquit *duodecim discipulis dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos,* &c. De Antonio Abbate docet Athanasius in eius vita, ipsum sic fuisse dæmonibus formidolosum, vt dæmones audito Antonij nomine è corporibus quæ obsidebantur aufugerent, ac denique plerique alij variis locis dæmones inclusere; vt fuse refert noster Martinus Delrius libr. 2. Disquis. Magic. q. 30. sect. 3.

A. Doctor. Antonius. Franciscus Assisiàs. Matth. 10. Ant. Abbas. Athanasius. Delrius.

Deinde arbitror omnes eas esse veras apparitiones eorum dæmonum, qui sponte hominibus seruire solent, quos familiares dæmones vulgus seu martinellos, seu magistellos vocat. Græci verò ex eo quod assiduè adsint, ac præsto sint πάρεδροι teste Turnebo Aduersar. lib. 26. cap. 21. quem sequitur Iacobus Pamelius in Tertulliani librum de Anima n. 638. in illa verba *Scimus etiam magos elicere explorandis occultis per catabolicos & paredros & pythonicos spiritus.* Huius generis dignum memoria exemplum narrat Ioannes Cæsarius libr. 5. cap. 36. de quo ante diximus; nempe dæmonem pro mercede quinque solidos à domino exegisse, & iussisse ex illis pauperi cuidam Ecclesiæ campanam emi, qua diebus Dominicis Fideles ad diuinum Officium conuocarentur. Dicerem illum actum ex pietate ortum, nisi solitæ fraudes in mente dæmonis latuissent, eique spes maioris in humanos animos damni affulsisset.

Turnebus. Pamelius. Ioan. Cæsar.

Has ego inquam ac similes apparitiones veras esse arbitror, nam & Sancti Patres vt veras narrarunt. S. Clemens libro 2. Regnitionum talem tribuit Simoni Mago. Similem cuidam Cynopi Mago, vt videtur quibusdam ascribit Prochorus in vita S. Ioannis Euangelistæ cap. 28. dum ait: *Immittam* inquit *Angelum meum malum in domum vbi inhabitat,* &c. Verum ille magus omnes habebat promptos dæmones non vnum tantummodo familiarem, vt patet ex eodem cap. eius vitæ, quam habes to. 7. Biblioth. Vet. Pat. Vbi notatum habes illius libri auctorem non fuisse Prochorum, sed alium qui indignus sit qui legatur. Tales etiam fuisse quos Socrati ascribit Maximus Tyrius ser. 26. & 27. Thrasio cuidam Aristoteles, Cornelio Agrippæ canem quendam, & studioso cuidam Crotonem nomine, Frossandus. de quibus vide apud Martinum Delrium loco citato. Idem iudicium esto de iis, qui vt est apud Olaum Magnum Gothum libro 3. de Gentium Septentrionalium variis conditionibus cap. 11 in regionibus Aquilonaribus frequenter *se adhuc nostro sæculo in effigie humana accommodare solent ministeriis hominum nocturnis horis laborando, equosque & iumenta curando,* &c. Item de quibus idem auctor cap. 22. eiusdem libri ait in iisdem regionibus. *Pro comperto relinquitur spiritus seu vmbras amicis apparere, dextrámque reddere, & quò ituri sint gemebundis suspiriis intimare,* &c. Ratio etiam id suadet: quia ij continuè ministrant & vigilãtibus, ac dormientibus dominis, & multa domi forisque faciunt, quæ sensibus rectè dispositis percipiuntur. Ergo veræ sunt apparitiones, & non imaginariæ vt diximus. Quo eodem argumento veras etiam esse eas puto quæ diuturnæ fuerunt, & sensibus integris perspectæ. quales narrat etiam idem Martinus libro 2. Disquisit. Magic. q. 16. Ex quibus illud admirabile videtur quod de nobili Bauaro narratur a quibusdam. Huic enim cum defunctam vxorem ferret impatientiùs quadam nocte fœmina apparuit, séque suscitatam dixit, & marito conuixit, ex eóque liberos suscepit. Quæ tandem (quod futurum prædixerat) conuiciis & blasphemiis non se abstinente marito, habitu muliebri penes illũ derelicto ex oculis euanuit. dæmon enim sic fictis laruis apparebat, vt aliunde subtractos liberos sibi supposuerit. Talem etiam ibidem arbitratur Martinus fuisse puerum quendam, quem per Galiciam ante quindecim, quam ea scripserit annos mendicus quidam summa cum defatigatione baiulabat. *Et cùm ex nostris quidam* inquit *eum repertum prope flumen vt transuaderet misericordia motus retro se in iumentum sustulisset, vix valida bestia potuit eum in alteram ripã exponere. Paulò pòst mendicus comprehensus fatetur, eum puerum non puerum sed diabolum fuisse, qui sibi promisisset omnes se ad eleemosynas ei conferendas pellecturum, quamdiu sic circumferretur habitu pueri morbosi, & fasciis inuolui.* Hæc ille.

S. Clemens. Prochorus. Maxim. Tyrius. Aristoteles. Frossandus. Delrius. Olaus Magnus. Delrius. Delrius.

Denique arbitror veras generatim esse quæcunque eiusmodi sunt, vt nulla appareat ratio cur sensus falli prudenti iudicio existimare debeamus. Quia vt suprà dixi semper aliquis eiusmodi falsitatis corrector sensus, vel certè prudẽs homo Deo sic prouidente adesse solet. Quemadmodum vulgaris quoque est persuasio, & sapientum iudicio comprobata, semper in his dæmonum corporibus assumptis aliquid obuium oculis esse solere quo deprehendatur, dæmoniacum esse spectrum, ita vt Deus, ne quam mortales iustam ignorantiæ excusationem prætexant, non

non permittat, dæmonem vti formis animalium, nisi in quibus sint aliqua quæ meritò culpes; Vt hirci, capri, &c. &; si hominis; aut terrifici, aut Æthiopis &c. Aut si hominis probe compositi erit aliquid vel in voce vel gestu, &c. ex quo fucum valeas deprehendere; vt notat Martinus Delrius libr. 2. Disquisit. Magic. q. 28. sect. 3.

Cur Deus velit Angelos hominibus apparere: & argumenta partis negantis dissoluentur, quò solidiùs veritas stabiliatur.

§. 13.

Colligitur tertiò, huiusmodi apparitiones optima diuini consilij dispositione factas esse & fieri quotidie. Nam etsi fieri possit interior Dei & Angelorum locutio ad hominũ magisterium, tamen plerunque meliùs fieri constat assumptione horũ corporum ab Angelis, quàm alio modo. Quod disertè docuerunt Alexander, Albertus & alij Theologi suprà citati. Cùm enim Angeli in huiusmodi assumptis corporibus percipi sensibus possint, connaturaliùs per has instruitur homo, qui naturâ sensibus vtitur, quàm si sola mente intelligerętur. Hinc rectè A. Doctor q. 6. de Pot. a. 7. c. hoc ipsum confirmat triplici argumento. Primum quidem est ex veteris testamenti apparitionibus, quas congruè ait visibiles fuisse: quia omnes Dei apparitiones in veteri testamento illud respiciebant, vt significarent Filium Dei futurum in aspectabili carne, vt docet S. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 11. & 12. Ergo conueniens fuit, vt quemadmodum Filius Dei verum corpus assumpsit, non autem imaginariũ, vt Manichæi mentiebantur; ita etiam per verorum corporum assumptiones tantum mysterium ab Angelis adumbraretur. Secundum est ex verbis S. Dionysij in ep. ad Titum & cap. 2. cœlestis hierar. vbi ait, res diuinas ideò nobis sub velamine rerum sensibilium tradi, vt totus homo quantum possibile est, participatione diuinorum perficiatur. Ergo consentaneum est, vt homo non solùm intellectu intelligat intelligibiles formas, sed etiam sentiente natura easdem sensiles formas apprehendat, quæ sunt quædam imagines diuinorum: ac proinde decuit Angelos non solùm intellectus hominis illustrare intelligibilibus visis, verùm etiam imaginationi, exterioribúsque sensibus prouidere, apparitione videlicet in corporibus assumptis. & hanc triplicem visionem; nempe intelligentiæ, imaginationis & sensuum assignat etiam S. Augustinus libro 12. super Genes. ad lit. cap. 7. & 24. Tertium est, quia tametsi Angeli naturâ superiores homini sunt; Tamen tanta Dei est gratia qua nos homines euehimur ad supernaturalem dignitatem, vt etiam cum Angelis societatem ineamus, & quãdam cum illis naturæ æqualitatem consequamur, vt dicitur Matt. 22. *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Ergo vt suam familiaritatem, affinitatémq; demonstrent Angeli, cõgruens omninò videtur, vt per corporum assumptionem nobis assimilentur. *Vt quod nostrum est* inquit A. Doctor ibidem *accipientes, nostrum intellectum in illud assurgere faciat, quod est proprium ipsorum, sicut Filius Dei dum ad nos descendit, ad sua nos eleuauit.* Quod si quæras cur

Alexander. Albertus. A. Doctor. S. August. S. Dionysius. S. Augustin. Matth. 22. A. Doctor.

A dæmones quoque assumant corpora, cùm in eis hæc cesset apparitionum Angelicarum ratio, respondet ibidem A. Doctor, quòd boni Angeli faciunt ad nostrum profectum, hoc mali ad nostrã perniciem moliuntur, Deo quidem sic statuente ad maius hominis meritum. Quasi velit indicare similia media ad contrarios fines posse conducere. Quemadmodum enim Angeli dum corpora assumunt, humanam dignitatem extollunt ad ipsorum dignitatem, propterea quòd nobiscum familiariter versantur: ita & praui dæmones, qui aduersum finem prætendunt, assumptione corporum in vitia nos impellunt, eò quòd familiaritate, corporúmque illecebris efficacius ea persuadent, quæ exitium nostrum pareant afferantque certiùs ac celeriùs.

A. Doctor.

B Ex his respondetur ad argumenta Partis negantis. Ad primum enim nego falsam esse illam prioris argumenti Maiorem. ad primam eius improbationem respondeo, verum quidem esse quod ait Parisiensis; nempe ex eo quòd aliquid appareat non proinde ita esse. Neque enim vnquam nostræ sententiæ auctores id vsquam docuere. Volumus enim vt apparitio ita pro vera habeatur, vt absit erroris periculum, debere assumptum corpus omnibus aspectantibus apparere ita, vt nulla sit vrgens ratio ex aliis admotis sensibus, cur ita esse non credatur, vt hactenus diximus. Alioqui insipienter de illis ferremus iudicium. C Ad id quod dicit de illo puero, in cuius vngue Magorum operâ fur apparebat, respondeo: illas apparitiones meras sapientum iudicio præstigias atque oculorum delusiones agnosci potuisse. Nam quis sibi persuadeat in pueri vngue esse verum corpus furis, rem furto ablatam, & locum furti? Hæc enim cùm corpora sint locum æqualem sibi occupant, tangi manu, comprehendique possunt; ergo certi, sapientes aut cordati homines esse possunt ista esse spectra, sensúmque oculorum, aut potiùs phantasiam deludi. At longè imparem dicimus esse rationem in nostris illis visis Angelorum ac dæmonum: Etenim ea corpora assumpta & mouebantur, D & locum sibi æqualem occupabant, colloqui audiebantur, & quod caput est tactu sentiri poterant & motu, ac demum quia Angeli beati erant, omnis ab illis delusio, vt diximus, longè aberat.

Parisiensis.

Itaque negatur argumento consequentia: Nam disponi non possunt phantasmata tali modo in omnium organo, vt omnes sensus circa proprium obiectum positis suis conditionibus decipiantur. Etsi enim concedamus in phantasia talem esse phantasmatum ordinem, vt aliquis se imaginetur tangere carnem, videre carnem, &c. Tamen si contactum vel alium sensum adhibeat obiecto, E quod non sit caro, sed lignum verbi gratia, deprehendet illicò esse lignum &c. Quia vt diximus, natura prouidit, vt errorum sit aliqua correctrix facultas, ne omninò omnis nostra operatio aut fallax aut dubia reddatur. Quod sanè patet experientia, & post magis confirmabo. Idem dico de cæteris Magorum maleficiis in ouo, & cætera, nullam enim video peculiarem rationem.

Ad illud autem de speculo Apollinis non planè scio quid sibi Parisiensis velit. Haud equidem ignoro, multa esse speculorum genera, è quibus variæ imagines naturaliter appareant. de quibus

Parisiensis.

Ioan. Bapt. Porta.

quibus copiosè agit Ioannis Baptista Porta libr. A
17. suæ Magiæ naturalis, & à nobis contra Paracelsum multa explicata supra sunt. Vnde non est quòd in similibus rebus ad Magos recurratur. Naturaliter enim pro varia ipsorũ speculorum compositione adeò diuersæ species ac simulachra formari in ipso possunt, vt dæmonum præstigiæ videantur. Immò non solùm è speculis istius generis formæ existere possunt; verùm etiam ex ipsis linteis ad parietes cubiculi extẽsis, vt ipse Porta ibidem docet.

Inter cætera cap. 6. §. *Nunc* ea scribit quæ hîc apponam, ne omninò omnia, quæ mira & incredibilia videntur; à natura atque arte negemus proficisci posse. *Nunc pro coronide annectam* inquit *quo magnatibus, ingeniosis, & studiosis nil fuerit* B
visu iucundius. Vt in obscuro cubiculo obiectis albis linteis; venatus, symposia, hostiles acies, ludos, & omnia quæ volueris ita clarè & perspicuè, & affabrè videri contingat, ac si præ oculis essent. Sit è regione cubiculi, vbi id demonstrare conaberis planum aliquod spatiosum, quod possit liberè à sole illustrari. In eo ex ordine arbores accomm dabis. Sic syluas, montes, flumina. Sic animalia vera, vel arte conficta ex ligno aliáve materie, intus pueri consuti sint; vt in Comœdiarum actibus interponere solemus ceruos, apros, rhinocerotes, elephantos, leones, & alia quæ volueris animalia effinges: Inde paulatim e latibulis egredientia in planum apparent; accedit venator cum venabulis, retibus, aliisque necessariis, & venationem simulat; adsunt sonitus buccinarum & C
cornuum. Qui enim in cubiculo adsunt, arbores animalia venatorum vultus & reliqua conspicient, vt nesciãt an vera an præstigia sint. Euaginati enses intro per foramen lumen iaculantur, vt fere terrorem incutiant. Admirantibus amicis multoties huiusmodi spectaculum præbuimus, taliqué illusione gaudentibus, quos naturalibus rationibus & optices vix ab eorum opinione remouere valuimus etiam artificio aperto. Hinc philosophis & opticis patet, quonam fiat visio loco; ac intromittendi dirimitur quæstio; sic antiquitus exagitata. nec alio vtrumque artificio demonstrari poterit. Intromittitur idolum per pupillam, fenestræ foraminis instar, vicémque obtinet tabula crystallina sphæræ portio in medio oculi locata. quod scio ingeniosis maximè placiturum; in no- D
stris opticis fusius declaratum. Hæc ibi auctor Porta & alia pulchriora, quæ Principum magnificentiam decerent: quibus prętermissis satis nobis nunc sit argumento Guilelmi Parisiensis ex dictis responsum esse.

Ad id quod ex dæmonum præstigiis eidem argumento subiiciebamus, respõdetur illud quidem ex Clemente indiscriminatim ab omnibus visum fuisse quantum attinet ad ipsam oculorum visionem. Sed ita tamen vt ei obiecto non plures sensus applicati fuerint, quorum iudicio emendari posset alicuius error si esset; vnde tunc fuit error ex præstigiis oculorum, & facile dubitari potuisset, an sensuum esset illusio: Tum E
quia à dæmone prodibat fallaciarum parente: Tum quia ab astantium nonnullis hoc non tam verum obiectum, quàm spectrum iudicabatur ob impotentiam dæmonis, cuius nulla est vis ad eadem corpora multiplicanda, vt dictum est. Adeò enim est animo insitum, vnam rem pluribus locis adesse non posse, vt si contrà videatur, res appareat digna potiùs admiratione quàm fide. Quamobrem infidelibus mysterium Eucharistiæ semper difficile visum est, cùm de ratione quantitatis esse videatur, vt habeat positionem in loco. nimirum vt vna eius pars sit in vna parte loci, altera in altera; vt docet Aristoteles in prædicamẽto quãtitatis, & approbat A. Doctor 3. p. q. 76. a. 3. arg. 3. ac proinde vnum totũ in vno loco tantum. Quod tamen si rectà lance pendatur, simpliciter impossibile videri nõ debet, cùm diuinæ omnipotentiæ cuncta subiiciantur.

Aristoteles.
A. Doctor.

Itaque vt concedo visum ab omnibus; ita nego eodem modo indiscriminatim iudicatum esse, quia suppetebat multis ratio euidens falsitatis. Quod non erat in iis veris apparitionibus quas diximus. De quibus si à quopiam dubitatum esset, id quidem non sapientis fuisset, cuius iudiciũ in iis, quæ à sensibus pendent, sensuum applicatione ita firmatur; vt certò se scire profiteatur quæ sensuum experimento cognoscit. alioqui omnia prorsus incerta redderentur, vt diximus. Sanè cum gustatur vinum, putari posset esse aurum; & cùm tangitur aurũ, dubitare quis posset an sit leo; & similia. Turpe autem est sapientis iudicium ex fallacibus rationibus sensuum posthabita euidentia dependere. Id quod etiam maximè locum habet in iis, quæ summi miraculi loco Christiana fides habet. Licèt enim sub speciebus panis ac vini consecratis in venerabili Eucharistiæ Sacramento nullam subesse substantiam siue panis siue vini certum fide Catholica sit; tamen nec ibi vllo pacto sensus falli fatendum est. Siquidem quæ sensibus percipiuntur, nempe quantitas, color, figura, &c. fatemur omnes ibi re vera esse: nec sensuum iudicia refutamus. *Dicendum* inquit A. Doctor 3. p. q. 77. a. 1. *accidentia quæ sensu deprehenduntur in hoc Sacramento, remanere post consecrationem*, &c. nec aliter q. 75. a. 5. probat ea remanere, nisi quia id *sensu apparet.*

A. Doctor.

Quare rectè omninò docet idem A. Doctor q. 6. de Pot. illo a. 7. ad 9. etiam cùm Angeli se hominis figura spectabiles oculis nostris obiiciũt, non idcircò sensus fallere, ostendendo se iis præditos formis quas non habent. Nam *corpora illa* inquit A. Doctor *habent quidem veras formas quantum ad id quod sensus verè percipere potest, quæ sunt sensibilia per se: sicut color & figura, non autem quantum ad naturam speciei, quæ est sensibile per accidens: nec propter hoc oportet ibi sit aliqua fictio, quia formas humanas non obiiciunt oculis Angeli*, &c. Quæ suo modo applicari ad confirmanda quæ iam diximus de Eucharistia possunt. Quam applicandi rationem lege apud eundẽ A. Doctorem ead. q. 75. a. 5. ad secundum. vbi rectè negat decipi siue sensum, siue intellectum post eiusdem Sacramenti consecrationem.

Ad secũdum nego potuisse fieri eo pacto: Ratio est duplex. Prima est quia ab Angelo veritatis cuius effata referebat, non potuit esse deceptio tam manifesta. Veritas enim simplex est, & fucum non admittit, ideóque Scriptura sacra semper; vt ex A. Doctore antè diximus, aliqua verba interponere solet, quibus deprehendi posset veram non esse sensibus externis apparitionem. Altera est, quia huiusmodi apparitio pluribus sensibus, tactu multorum præsertim, vera cõprobabatur, ex quibus immeritò de falsitate ambigeremus. alioqui vt diximus omnis rerum scientia tolleretur.

Quare ad illud de Iride respondetur non esse parem rationem. colores enim Iridis, si fiat prope nostros oculos, ita apparent ex vno loco, vt non videantur ex alio; vt patet in minutis aquæ guttis, cùm plurimæ ex fonte desiliunt aduerso Sole;

Sole;& ita non omnibus eodem modo indiſcriminatim videntur. ex quarum rerum analogia ad Iridis cœleſtis naturam explicandam Peripateticos philoſophatos eſſe ſcimus. At Angeli aſpectus & colores eodem modo indiſcriminatim ab omnibus videbātur, prope quos erant vt diximus; & præterea corpus tractabatur, audiebatur vox, pondus ſentiebatur, & alia quæ non dubiam fidem aut anceps ſenſuum iudicium facere poterant. Vtrùm autem dici poſſint colores Iridis eſſe extra videntē poteſt eſſe difficultas:nā nihil eſt extra videntem, quod non eſt niſi in apprehenſione videntis. at colores Iridis non ſunt niſi in ipſa apprehenſione ſeu viſione videntis, quia verè in obiecto re ipſa non ſunt. Tamē mihi videtur dicēdum, non eſſe omnino fictos hos colores, ſed veros in cauſa, nempe in ipſa varia repercuſſione lucis in opaco & multiplici corpore, quâ color apparet varius. Itaque vt philoſophicè dicam ſunt extra videntem cauſaliter in ipſa refractione lucis ad illa multiplicia opaca corpora, dum vmbra lúxque commiſcetur in illis:non tamen formaliter ſecundùm ipſam coloris naturam, quæ varia apparet, atque eo modo extra videntem non eſt.

Ad confirmationem de baculo reſpondetur eodem modo: Nego enim baculum videri fractum in aqua tanquam obiectum extra videntes formaliter, vt de colore iam dicebā.nam & pueri norunt eam rem malè apparere. Itaque aliud eſt videri ſeu cerni oculis, aliud verò apparere oculis. Eſto enim illud oculis obiectum appareat fractum, non tamen cernitur fractū. cerni enim eſt cum aliquo euidenti aſſenſu repræſentari, ac referri. vnde nomen videndi, vt notat A.Doctor infra q.67.a.1.c. *propter dignitatem & certitudinem huius ſenſus ſecundum vſum loquentium extenſum eſt ad omnem cognitionem aliorum ſenſuum,&c. & vlterius etiam ad cognitionem intellectus.* Cùm ergo A. Doctor hic docet:Quæ ab omnibus cernuntur, &c. ſignificat cum aliqua aſſenſus euidētia. quo pacto non dicimus ab homine cerni imaginem intus in ſpeculo, ſed homini apparere ac ſi intus in eo eſſet. Ad illud quod infertur reſpondeo falſam eſſe conſecutionem: nam ſi videtur & cernitur illa ſubſtātia ab omnibus modo explicato, neceſſe eſt vt habeat corpus, cui connaturaliter inſint ea accidentia quæ ſenſibus percipiuntur vt oſtenſum eſt.

Ad Tertium nego poſſe oſtendi oppoſitum, & ad primam eius probationem reſpondeo lumi corpus ex pluribus elementis commiſtam, vt explicabitur Quæſi.ſeq. vbi oſtendam, nihil ex eo conſequi abſurditatis. Ad ſecundam rectè reſpondet A. Doctor q.6.de Pot.a.7. ad 9. nullam eſſe fictionem, quia corpora illa quæ Angeli aſſumunt, habent quidem veras formas quantum attinet ad id quod ſenſu percipi poteſt vt modò dicebam, non autem quantum ad intimam, ac ſubſtantialem naturam ſpeciei, quam dum accidentia in ſuis connaturalibus ſubiectis hærent naturaliter ſignificant. vnde ſi cernantur accidentia hominis, nō ſequitur ſub illis debere verum eſſe hominem qui per accidentia repræſentetur, & ſic de cæteris. Ratio eſt quia Angeli aſſumunt corpora, non quibus ſint homines, aut ignis, &c. Sed quibus appareant homines, ignis, &c. hoc eſt quibus homines ſciant ibi eſſe vera corpora quæ in ea forma apparenti & figura aliquid aliud nobis indicare poſſint. Nec tamen

A hinc fit vt Angeli veritatis nos fallant. nam *formas humanas non obiciunt oculis Angeli* inquit ibi A.Doctor, *vt homines eſſe credantur, ſed vt per humanas proprietates Angelorum virtutes cognoſcantur. Sicut nec metaphoricæ locutiones ſunt falſæ, in quibus ex aliorum ſimilitudinibus res aliæ ſignificantur.* Non eſt ergo fictio, quia non aliter cerni volunt atque ſunt, ſed cerni volunt tanquam ſimulachra hominum, &c. vt nos per notas imagines veniamus in rerum ignotarum cognitionem. nimirum vt dum ſimulachra hominis loquentis aut ambulantis agnoſcimus; Angelum eſſe qui fundit voces, mouet paſſus,&c. non ignoremus, debitúmque illis honorem fidémque præſtemus.

B Vnde etiam ſequitur, nec homines in huiuſmodi apparitionibus falli: nam & ſenſus quæ verè ſunt ipſorum obiecta percipiunt, vt iam diximus, & intellectus verum apprehendit myſterium, quod per illa ſenſuum obiecta denotatur. Itaque argumento cōcedimus, Angelos non formare vera hominis corpora, eo quòd nō ſemper eis ſint in promptu cauſæ, quibus formari poſſint. Vnde conſentaneè ad ea quæ diximus aio, vt rectè obſeruat A.Doctor eadem q.6. a.7. ad 10. *Licet virtutes naturales corporum non ſufficiant ad inducendam veram ſpeciem humani corporis, niſi per debitum modum generationis; ſufficere tamen ad inducendam ſimilitudinem humanorum corporum, quantum ad colorem, figuram,*&c. Poſſunt ergo Angeli repē-

C tè, hoc eſt breui tempore formare corpora, quæ hominem referant ſeu alias ſubſtātias. eſto ſpecies ſubſtantiales producere non poſſint. Vtrùm autem Angeli poſſint aliquando generare homines dicam art.ſeq. Ex ex his patet ad confirmationem.

Ad vltimum reſpondeo, Angelum influere motum in ipſum corpus per virtutem, quam ipſe habet tales motus influendi. Siue hæc virtus ſit aliquis actus imperij à voluntate elicitus, ſiue alia facultas motrix. de qua re ſuprà dictum eſt. Quamobrem quemadmodum nos corporibus præſentes ea mouemus, licet cum iis nō faciamus vnum per vim motricem nobis naturâ inſitam; ita & Angelus ea quoque mouere po-

D teſt ſuamet virtute innata, etiamſi cum illis non faciat vnum. Erit ergo contactus duplex Angeli ad corpus. alter præſentiæ localis, qua ſit vbi corpus eſt. alter virtutis, qua poteſt illud mouere: ad eum etiam modum quo ignis aut ſol tangit aerem, dum illum illuſtrat aut calefacit. quam reſponſionem colligo ex A. Doctore eadem q.6.a.7.ad 11. vbi ait: *Quod Angelus mouens corpus aſſumptum influit ei motum, & tangit non tactu corporali, ſed ſpirituali per ſuam virtutem.* Quanquam fateor, vt dicam infrà q.52. applicationem virtutis ad corpus, quod ab Angelo mouetur non eſſe omninò diſtinctam ab eiuſdem Angeli præſen-

E tia locali, quam ad corpus illud habere dicitur, vt meliùs explicabitur loco citato. Sunt ergo Angeli aëri præſentes etiam ſecundùm locum, non quia extrema, quibus Angelus caret ſunt ſimul, ſed quia ſubſtantiæ non ſunt diſtantes eo modo quo explicabitur infrà q.52. Sunt etiam præſentes ſecundùm virtutem, quæ eidem aëri ſatis applicatur, cum illi Angelica ſubſtantia eſt proxima. obedire autem Angelis res corporales pro imperio ipſorum ad motum localem patet ex A. Doctore infrà q.110.& q.113.a.3. vtrobique. quandoquidem omnis creatura corporalis

A.Doctor. A.Doctor. A.Doctor. A.Doctor. A.Doctor.

debuit administrari posse per Angelos. Vnde quamuis sola corpora quæ faciunt vnum cũ anima, subsint animæ imperio, non cætera; tamen Angelo omnia debuerũt subiici. quia ab eo omnia per motũ regi posse oportebat. immò ex hoc retorqueri potest prædictum argumẽtum. Nam quia sola corpora cum quibus facit vnum cum anima, animæ imperio regẽda erant, ideò ea sola subiecta sunt animæ imperanti Ergo quia cętera per Angeli imperium gubernari oportuit, cætera etiam eius imperio mouenda erant.

VLTIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm huiusmodi apparitiones Ethnicis Philosophis perspectæ fuerint.

PArs negans suaderi potest primò: Quia id quod est corporeum ex se, non potest verè sumere aliud corpus quo appareat. At Ethnicis Philosophis Angeli ex se sunt corporei, vt suprà diximus. Ergo Ethnicis Philosophis Angeli non sumunt vera corpora. Esto per fictas laruas nonnunquã visi fuerint; vt Socrati suus dæmon, &c. Confirmari validè potest hæc ratio: Quia inter Angelum corpus assumentem & corpus assumptum, aliqua proportio actus & potentiæ debet intercedere. At nulla concedi potest proportio huiusmodi inter illa ipsa. cùm Angelus & corpus sint diuersorum omninò generum, & substantiæ completæ, ac proinde incomparabilia tanquam actus & potentia. Ergo Angelus non potest verè assumere corpus quo appareat. Secundò, quia non videtur posse explicari modus, quo ipsi putarent Angelos se induere ac spoliare pro suo arbitratu nouis ascititiisque corporibus. Ergo videtur dicendum hoc illis ignotum fuisse.

Plurimas Ethnicis philosophis perspectas Dæmonum apparitiones, docetur, tum ex Patribus tum ex prophanis auctoribus. § 1.

PArs tamen affirmans verissima est; vt mox probabitur. Et ideò ad difficultatem respondetur. Et sit

Vnica propositio. Ethnicis Philosophis plurimæ dæmonum seu Angelorum veræ apparitiones perspectæ fuerunt. Dixi *dæmonum seu Angelorum*. Quia vt dixi suprà q. 50. art. 1. Antiqui ferè non distinxerunt Angelos a dæmonibus. Et ideò dum ipsorum verba referemus, nullo discrimine vtrumque nomẽ vsurpabimus. Dixi *Ethnicis*, non autẽ dixi omnibus. nam soli *Epicuri de grege porci*, benè curata cute mente neglecta has negarunt apparitiones. Etenim & Deos humana non curantes, mortalésque animas posuerunt. cæteri verò omnes aut per se eas fassi sunt, aut certè nõ respuerunt Probatur autem propositio hoc vnico argumento: Quia omnibus illis perspectæ fuerunt plurimæ ac veræ huiusmodi apparitiones, quibus persuasum fuit, dæmones hominibus se spectabiles aut certè sensibiles in assumpto corpore sæpissimè præbuisse. Sed Ethnicis Philosophis persuasum fuit, dæmones sæpissimè in assumpto corpore hominibus se spectabiles, aut certè sensibiles præbuisse. Ergo Ethnicis philosophis plurimæ huiusmodi Angelorum veræ apparitiones perspectæ fuerunt.

Maior probatur: Quia veræ apparitiones Angelorum seu dæmonum nihil aliud sunt nisi aspectabiles corporum formæ, quæ Angelum repræsentant, vt Angeli eam ipsam personam sustinere iudicetur. Sic enim suprà diximus, Angelum apparuisse Moysi, Abrahamo, Loth, &c. Ita enim aspectabilibus illis formis repræsentati sunt, vt homines iudicauerint ipsas esse Angelos, & verè dicat sacra Scriptura: *Angelus Domini dixit, locutus, cæcitate percussit*, & cætera quæ suprà dicta sunt. Ergo omnibus illis perspectæ fuerunt plurimę Angelorum veræ apparitiones, quibus persuasum fuit, dæmones se spectabiles &c. præbuisse.

Minor probatur: Nã quòd sæpissimè Ethnicis Philosophis persuasum sit, dæmones se spectabiles in assumpto corpore præbuisse, patet primò inde vsque ab antiquissimis temporibus. Inde enim vsque præcipui philosophorum arbitrati sunt dæmones sensibilibus corporatisque figuris ac formis spectatos fuisse. Spectari enim dæmones, vt iam dicebam, est videri ac cerni sensibilia corpora, quibus ipsi tanquam motores vniti repræsententur ita, vt ea personam dæmonis sustineant. At Ethnicis Philosophis persuasum fuisse huiusmodi sensibilia corpora sæpissimè visa fuisse, patet. Quoniam talia putarunt fuisse statuas, simulachra atque idola omnia, quæ Dij ab ipsis putabantur ob occultam quandam diuinitatem dæmonum illis penitus insidentem, in iisque delitescentem. Ideò eiusmodi idola tanquam suos Deos venerabantur, consulebant, &c. ipsique dæmones è statuis responsa illis dabant, leges ferebant, fundebant oracula, cladem minabantur, præmia spondebant, &c. & ita statuæ illæ atque idola falsorum Deorum, hoc est dæmonum personam apertè sustinebant. vnde disertis verbis in Psal. 95. dicitur: *Quoniam omnes Dij gentium dæmonia*; ita nimirum vt huiusmodi dæmonia ipsis essent spectabilia. nam Psalm. 113. dicitur: *Simulachra Gentium argentum & aurum & opera manuum hominum, os habent & non loquentur*, &c. Psal. 95. Psal. 113.

Hanc ob causam; nempe quia Dij Gentium dæmonia erant, quibus in simulachris immolabant animantia, Eusebius Cæsariensis libro 4. de Præparat. Euangel. cap. 6. ostendit eximio argumento omnes dæmones ac proinde Deos Gentium malos esse nec veneratione dignos. *Agè iam inquit videamus certisque rationibus comprobemus, malignos esse omnes dæmones, quamuis Gentilitas loco Deorum eos reuereetur. quod quidem hoc modo demonstrare conabimur. Omne quod bonum est non prodesse non potest, & è contra, quod malum est. Dæmones autem & Dij Gentilium, Saturnus, Iuppiter, Iuno, Minerua & similes ac inuisibiles virtutes, quæ in simulachris ac per simulachra operantur, non solùm brutorum immolationib. animalium (quod iniustum atque abominabile Porphyrio ac Theophrasto esse videtur) verùm etiam cæde ac sanguine hominum summopere gaudent. Quomodo igitur boni dæmones isti erunt, & non scelesti atque perniciosi spiritus?* Euseb. Cæs.

Hæc eadem etiam causa reliquis nostris veteribus Patribus vel irridendæ vel detestandæ Gentilitatis argumẽto fuit: quòd scil. vel saxeas, mutásque statuas pro Diis colerent, atque à lignis

lignis ac metallis dæmonũ vanitatem tanquam diuinitatem contegentibus beneficia peterent atque exspectarent. Vel diuinitatem in iis agnoscerent quæ contemni atque adeò damnari potius oportuisset. Ad vtrunque nunc sensum, aliquot Patres indiscriminatim referam. quia vterque ad rem præsentem indifferenter facit. Optimè ergo Lactantius libro 4. diuinit. instit. cap. 27. vt crucis Christi gloriam extollat ait, tanto eam terrori esse dæmonibus, vt sectatores etiam Christi, eosdem spiritus inquinatos de hominibus & nomine magistri sui, & signo passionis excludant. Subiungit autem huius rei non difficilem esse probationem. *Nam cùm Diis suis immolant* inquit *si assistat aliquis signatam frontem gerens sacra nullo modo litant:*

Nec responsa potest consultus reddere vates.

& hæc sæpè causa præcipua iustitiam persequendi malis regibus fuit. Cùm enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus Dominis *assisterent, imposito frontibus signo, Deos illorum fugauerunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere.* & pergit elegantissimè in hanc sententiam. Nobis in præsenti sit satis ostendere illas statuas fuisse Gentium Deos, ac proinde in ipsis spectari solitos dęmones in corpore quod assumebant, licèt ab aliis formatum non ab ipsis esset huiusmodi corpus.

Præclarè etiam huc faciunt, quæ de iisdem statuis atque idolis scribit Tertullianus libro de spectaculis c. 8. Vbi postquam dixit omnia ornamenta Circi ac Templorum fuisse idola ad idololatriam fabrefacta, hortatur Christianos, ne huiusmodi locis adsint, his verbis: *Animaduerte* inquit *Christiane, quot nomina immunda possederint circum, aliena est tibi religio quam tot diaboli spiritus occupauerunt* &c. & aliquantò pòst ait non solùm circos ac templa, sed quemuis alium Gentilium locum esse vitandum, quando in eo sit periculum idololatriæ. *Cæterùm & plateæ & forum & balneæ, & stabula, & ipsæ domus nostræ sine idolis omnino non sunt: totum sæculum Satanas, & Angeli eius repleuerunt. Non tamen quod in sæculo sumus, à Deo excidimus, sed si quid de sæculi criminibus attigerimus. Proinde si Capitolium, si Serapeum sacrificator & adorator intrauero, à Deo excidam: quemadmodum circum vel theatrum spectator.* Et quæ sequuntur.

Habes hìc lector duo: Vnum est, fuisse in his locis statuas atque idola quæ Dij putabantur, quia inerant illis diaboli spiritus qui ea replebant. Alterum est, iis fuisse facta sacrificia tanquam Diis. Vnde & paulo pòst in cap. 10. subdit: *Non ignoramus qui sub istis nominibus & institutis simulachris operentur & gaudeant, & diuinitatem mentiantur nequam spiritus, scilicet dæmones. dum oracula edunt, & futura prædicunt* &c. Tunc enim, vt ipse ait in Apologetico c. 22. *æmulãtur diuinitatem, dum furantur diuinationem. in oraculis autem, quo ingenio ambiguitates temperent in euentus sciunt Crœsi* &c. de qua re tractat toto illo c. 22. & sequentibus, vbi egregiæ sunt Pamelij obseruationes. A quo etiam accepit Lactantius quæ scribit lib. 2. cap. 15. *Solent responsa in ambiguos exitus temperare* &c.

Adhuc manifestiùs eadem commemorat, exprobrátque Arnobius libro 1. aduersus Gentes non multò post medium. Vbi diuinam clementiam laudat, quòd illum ab idolis falsis ad Christianæ fidei veritatem traduxerit. *Venerabar ò cæcitas* inquit *nuper simulachra, modo ex fornacibus prõpta, incudibus Deos & malleis fabricatos, elephantorum ossa picturásque, veternosis in arboribus tænias: si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex oliui vnguine ordinatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, nihil sentiente de trunco: & eos ipsos diuos quos mihi persuaseram, afficiebam contumeliis grauibus, cum eos esse credebam ligna lapides atque ossa, aut in huiusmodi rerum habitare materia. Nũc ductore tanto in viam veritatis inductus, omnia ista quæ sunt scio* &c. Itaque cum illis simulachris agitur, ac si ipsa vera sint numina. Et libro 6. aduersus Gentes non longè ab initio, negat templis illis licèt magnificè structa sint, delectari posse Deos, quos Gentiles ibi habitare arbitrabantur. Repudiat autem huiusmodi Gentilium dicta de Deorum templis. *Templum* inquiebant Gentiles *hoc Martis est, hoc Iunonis & Veneris. Apollo hic habitat. & in hoc manet Hercules, illo Summanus.* Hos ergo ita ridet Arnobius. *Ista* inquit *non prima & maxima contumelia est habitationibus Deos habere districtos? Tuguriola illis dare, conclauia & cellulas fabricari, & eis æstimare necessarias res esse, quæ hominibus, felibus, quæ sunt formiculis, & lacertis, quæ fugacibus, pauidis, atque exiguis muribus?* At respondebant Gentiles: aliam esse causam, cur templa Diis ædificarent. nempe, *Sed non inquitis idcircò attribuimus Diis templa tanquam humidos ab his imbres, ventos, pluuias arceamus, aut soles: sed vt eos possimus coram & cominus intueri, affari de proximo, & cum præsentibus venerationum colloquia quodammodo miscere.* Hanc quoque causam nullam esse contendit Arnobius his verbis. *Sub axe enim nudo & sub æthereo tegmine si inuocati fuerint, nihil audiunt* &c. Quibus habes Gentiles illas putasse Deos ipsos, statuas, quos affari, & pręsẽtes habere cupiebãt. Vnde ibidẽ post multa apertè ait. *Quin immo Deos esse sigillaria ipsa censetis: nec præter hoc quidquã vim creditis habere diuinã* &c.

Nec obscuriora his sunt quæ Minutius Felix in eandem sententiam scribit in Octauio circa medium. *Quis ergo dubitat* inquit *horum imagines consecratas vulgus orare & publicè colere?* &c. Quas imagines ait non esse Deum dũ fabricantur, dolantur, &c. sed cum colũtur. *Ecce plumbatur, imago construitur, erigitur, nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur. tunc postremò Deus est; cum homo ille voluit & dedicauit.* Et deniq; clarissimè quod ad rem præsentem attinet, scribit ibidem post multa, cùm ait ipsos dæmones delitescere in statuis consecratis, ex quo ait ipsas statuas vim numinis obtinere. *Isti igitur* inquit *impuri spiritus dæmones, vt ostensum à Magis à Philosophis & à Platone sub statuis & imaginibus consecrati delitescunt, & afflatu suo auctoritatem quasi præsentis numinis consequuntur. Dum inspirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorũ fibras animant, auium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus inuoluta* &c. Ex quibus patet Deos illos. nempe Angelos apparuisse Gẽtilibus, dum corpora illa statuas ac simulachra assumebãt, vt Dij repræsentarentur, loqui audirentur, &c. Quibus persimilia lege apud Lact. lib. 2. c. 17.

Quod totum confirmari potest ex iis quæ alio loco docet Eusebius Cæsar. libr. 5. de Præparat. Euangel. c. 2. vbi ait, dæmones putatos esse Deos dũm per simulachra operabantur. *Cùm à simulachris* inquit *ad inuisibiles spiritus qui per simulachra operabantur, & in eis habitabãt cogitatio raperetur* &c. *ita terrestres & aërei dæmones malignitatis spiritus Dij maximi putati sunt.*

Mitto Sanctum Cyprianum qui libro de Idolorum vanitate declarat hunc ipsum Gentilium de Diis errorem: nã eius verba retuli suprà

q.50.a.1.Quæsit.1.Difficult.2.in prima eius parte. Mitto etiam sanctum Augustinum libro octauo de Ciuit.cap.24. libro 9. cap.23. epist.49.q.3. Nam quid ego veteres nostræ religionis Patres commemorare conor? Ipsos Gentiles philosophos suam miseram conditionem deplorantes audiamus.

S.Augustin.

Instar omnium sit vnus omnium vt antiquissimus sic sapientissimus Mercurius Trismegistus in Asclepio cap.9. vbi indoluisse eadem de re visus est;nempe quòd homines ad statuas ex inferis euocarint dæmones,vt pro Diis illæ haberentur.Sic enim loquitur apud S. Augustinum libro 8.de Ciuit.Dei cap.23.*Dominus & pater, vel quod est summum Deus vt effector est Deorum cœlestium,ita homo fictor est Deorum,qui in templis sunt humana proximitate contenti.* Hos autem Deos ait esse statuas,ac simulachra quæ colebantur; & ideò ait,homines reperisse artem qua Deos efficerēt, cùm scilicet *euocantes* (sic enim pergit apud eundem S.Augustinum ibidem cap.24.) *animas dæmonum vel Angelorum eas indiderunt imaginibus sanctis, diuinisque mysteriis, per quas idola & bene faciendi & malè vires habere potuissent.* Quibus nihil apertius dici potuit ad dæmonum apparitiones declarandas. Quandoquidem ipsæ statuæ ac simulachra ita ethnicis sustinebant dæmonum personas,vt ipsæ eædem loco ipsorum loqui & benè vel malè facere dicerentur.Ergo huic philosopho persuasum fuit,dæmones sub aspectabili statuarum forma fuisse repræsentatos, vt ipsæ statuæ,Dij quidem vt ipsi arbitrabantur, attamen re vera, dæmones dicerentur.Quoniam ergo hæc quę de Idolis dici possunt, passim cuicunque obuia esse possunt,ac toti infidelitati cōmunia sūt,ad peculiares,ac magis recōditas apparitiones veniamus.

Merc. Trismegist.

S.August.

Secundò igitur probatur eadem Minor ex Poëtis ac Philosophis ipsis ethnicis quorum auctoritatem referre minimè pigebit: Tum vt res ipsa de qua agimus clariùs pateat:Tum etiam vt tantam Gentilium caliginem considerantes *virtutes eius annunciemus*, vt ait Princeps Apostolorum Petrus ep.1.cap.2. *qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum.* Hoc ergo probatur ex Homero Poëtarum vetustissimo, dum in Odyssea ait de dæmonibus (hos enim Deos vocauit) qui nostri curam gerunt, eos sub specie diuersa peragrare vrbes, hominúmque facta diligenter inspicere, nihilque præterire quod non obseruent.

1.Petr.2.

Homerus.

Atque Dei hospitibus peregrinis se assimilantes
Sub specie diuersa vrbes atque oppida oberrant
Et malefacta hominum simul & benefacta notantes, &c.

Et ideò idem Homerus Maximo Tyrio inter Platonicos celebri ser. 26. qui est de Socratis Deo visus est nonnullas dæmonum apparitiones descripsisse. Ex quo ait eos qui de Socratis dęmone dubitāt, non esse in Homerica lectione versatos, quippe non animaduertant quæ ille de Achille narret, dum eum dæmon sub specie Mineruæ à cæde Agamemnonis remouet. Sic autem ait de dæmone loquens: *Mineruam hunc* dæmonem *appellat quæ vbi ad Achillem inflammatum accessisset*

Terga premens flauos Pelidæ Diua capillos
Cepit,&c.

Addit præterea Homerum esse intelligendum de dæmone cùm dixit,

Hanc illi mentem dederat Saturnia Iuno;

Hoc est sub forma Iunonis. vnde ait paucis pòst,

A *Homeri dæmonem neque vni solùm, neq; vnam ob causam, neque vnum, neque pro minimis negotiis assistere; verùm omninò varium esse, sæpissiméque sub diuersitate nominum imaginum vocúmque apparere.* Et alia complura in hanc sententiam:quæ mirè comprobant quod nos in præsentia contendimus. Ex his concludit intelligi posse, *dæmonum genus cum Diis cúmque hominibus versari. hincque esse vt hominibus species appareant, vnde interdum diuinas voces exaudiunt; dæmonum scilicet genere in media mortalium natura diuersante.* Hęc ille.& ser.27.in fine:*Viderunt sæpiùs nautæ virum semideum* Achillem *flauicomum aureis armis ornatum.*& pòst: *Ego tamen neque Achillem neque Herculem vidi. Dioscuros vidi fulgentes vt stellas,* B *naui insidentes, eámque contra tempestatem adiuuantes. Æsculapium vidi, non tamen in somnis; Herculem quoque sed vigilans vidi.*

Homero subscribit Hesiodus lib.1.operum & dierum,vbi ait de dæmonibus: Hesiodus.

Continuò facti sunt diui mente Tonantis,
Atque colunt terras, hominum custodiam agentes,
Qui nunc quid iustè obseruant,quid fiat iniquè
Aëre vestiti peragrantes vndique terram.

Quod postremū Hesiodi carmē refert Eugubinus lib. 8.de Per. Philosophia cap.21.quasi Plato in Cratylo secutus Hesiodi sententiam velit,dæmones constare ex corpore aëreo. qui tamen fallitur. C nam ait, dæmones aëre indutos vagari per terras; vt scilicet leui corpore facilè apparere possent,& non difficilè se subtraherēt hominum obtutibus. quemadmodum dicebamus ex Homero, & mox ex Platonis sententia confirmandum est. Eugubinus.

Plato ergo in Apologia Socratis inducit Socratem iudices alloquentem dum damnatus iret ad mortem, vt diceret, cùm semper sibi dæmon suus apparere solitus fuerit, eo tamen tempore damnationis nunquam sibi esse visum.quasi pręclarum quid suo silentio significare vellet in D obeunda morte futurum esse, ac proinde mortē nullo modo Socrati ipsi timendam fore. *Vox* inquit Socrates versus finem eiusdem Apologiæ *illa dæmonis vaticinatrix mihi superiore tempore frequēter se offerre consueuit, & in rebus quidem leuissimis se opponens si quid minùs rectè facturus fuissem. Nunc autem ea mihi quæ videtis acciderunt, quæ profectò putaret aliquis extrema esse malorum. Sed mihi neque domo excūti manè Dei signum aduersatum est, neque hoc suggestum in quo causam dico ascendenti: neque in aliqua sermonis parte dum verba faciebam; quamuis alios frequenter dum loquerer in medio sermonis cursu consueuerit cohibere. Nunc autem in hac re nusquam vel agenti vel loquenti est aduersatum*,&c. Quibus fauent quæ Apuleius de eodem Deo Socratis ait in libello E de Deo Socratis, vbi comparat Socratis Deum cum Achillis Minerua. *Minerua* inquit ille *Achilli moderando iussu Iunonis aduenit. Soli perspicua est;aliorum nemo tuetur. Hinc & illa Virgiliana Iuturna quæ medius in millibus auxiliatura fratri conuersatur;* Plato. Apuleius.

——— *Miscétque viros,nec cernitur vlli*,&c.

Nec dissident quæ paulò antè de dæmonum corporibus disserit, quæ ait esse *ex illo purissimo aëris liquido & sereno elemento coalita, eáque nemini hominum temerè visibilia, nisi diuinitus speciem sui offerant*, &c. *Ista corporis possident rara & splendida & tenuia vsque adeò*,&c.Vbi planè videtur de assumpto nō naturali & necessario corpore disputare. nā etiā huiusmodi dęmones crassa corpora ac tetra subiisse

iisse ad terrendos homines antiquis omnibus certum erat, vt diximus ex Homero & Hesiodo. immò hoc tanquam certum de dæmonibus tutelaribus, qui Genij dicebantur supponit Horatius, lib. 2. Epist. ep. 2.

Horatius.

Scit genius natale comes qui temperat astrum
Naturæ Deus humanæ mortalis in vnum:
Quodque caput vultu mutabilis, albus & ater.

Sic etiam horrifico aspectu suus Bruto Genius visus est, vt scribit Plutarchus in Bruto: *Respiciens* inquit *ad ianuam spectrum cernit dirum & prodigiosum immanis & horrendi corporis, silentio sibi assistentis sustinens rogare. Quisnam inquit, aut hominum, aut Deorum es? aut qua de causa ad nos venisti? Subiecit ei spectrum. Tuus sum Brute malus Genius: in Philippis me videbis. Cui nihil perculsus Brutus; Videbo inquit. Eo ex oculis elapso pueros vocauit* &c. Nō ergo illud corpus splendidum est Angeli pars componens. Si quidem induere potest tetra corpora atque horrida. Immò ipse idem Apuleius paulò pòst illa verba ibidem cùm dixisset de illo Homerico & Virgiliano dæmone, declarat generatim quinam effectus sint, qui dęmonum opera in homines consequantur. *Ac ne cunctos longius persequar* inquit *ex hoc fermè dæmonum numero poetæ solēt haud procul à veritate censores causæ, & amatores quorundam hominum Deos fingere, & tueri illos, interdum aduersari & affligere.* Certum autē est cùm affligūt & torquent toruo ac tetro aspectu se insinuare. & sunt laruæ, Genij mali, lemures, &c. Quæ sunt omnes dæmones ex Apuleio, vt patet eodem libro de Deo Socratis, & ex ipso Apuleio docet S. Augustinus libr. 9. de Ciuit. Dei cap. 11. vbi id fusiùs explicarunt Viues & Coquæus.

Plutarchus.

Apuleius.

S. August.

Hinc idem Apuleius hoc pacto Apolog. 1. longè post medium versus finem imprecatur Æmiliano, vt Mercurius *semper obuias species mortuorum quicquid vmbrarum est vnquam, quicquid lemurū, quicquid vmbrarum est vnquam, quicquid manium oculis tuis oggerat, omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia terriculamenta*, &c. En vides vt putet lemures &c. aduersari & affligere? Immò etiam cùm magna beneficia ab huiusmodi Deorū præsentia putabant Gentiles se accipere, visi sibi sunt eos videre horrifico corpore & forma. Quasi ne in beneficiis quidem dandis possit Dæmon nō esse crudelis. Taceo innumeras huiusmodi apparitiones, quæ passim legūtur in Gentilium libris; Vno Augusti exēplo rem cōcludam ex Suetonio in Augusti vita cap. 94. vbi ad pariendum Mundi Dominum Accia Augusti mater cum dracone concubuit. *Lego* inquit Suetonius *Acciam cùm ad solemne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica dum cæteræ matronæ dormirent, obdormisse: draconémque repentè irrepsisse ad eam; paulóque pòst egressum, illamque expergefactam quasi à concubitu mariti purificasse se: & statim in corpore eius extitisse maculam velut depicti draconis. nec potuisse vnquam eximi. adeò vt mox publicis balneis perpetuò abstinuerit. Augustū natum mēse decimo, & ob hoc Apollinis filium existimatum.* Cōstat ergo veteribus tum Græcis tum Latinis Poëtis has apparitiones esse perspectas, ac proinde cæteris quoque philosophis, à quibus ista Poëtæ dogmata deriuare solent. Idcircò tanquam generale effatum dixit in libro de Deo Socratis Apuleius, dæmones sæpè apparere & loqui hominibus modò purgatam seruent hominis mentem. *Feruntur* inquit *passim dæmonum verba, sed illis modò insonent qui tranquillam seruant animam, nec fluctuantem perturbationibus, quos sacros*

Apuleius.

Suetonius.

Apuleius.

Stephani Bubali de Angelis.

A *nuncupamus & dæmonios viros.*

Illæ etiam apparitiones claræ apud eundem Plutarchum sunt: Nam in Dione sic ait: *Dum coniuratio* inquit *coitur, spectrum est immane Dioni, & horrificum oblatum. Sedebat fortè diei sero domi cogitabundus in porticu, strepitu ibi facto repentè respiciens, clara adhuc luce ad alteram porticus partem conspexit grandem mulierem cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia, quæ verrebat scopis domum. Ille vehementer perculsus ac trepidans acciuit amicos, visúmque iis narrauit, atque orauit apud se vt permanerent ac pernoctarent. Quòd planè expauesceret timens ne si solum reliquissent, iterum sibi obuersaretur monstrum. cæterum id non est reuersum. Sed filius eius ferè adultus* B *per dolorem aliquem animi & iram ex puerili quadam ortam occasione è fastigio domus præcipitauit se in caput & interiit.* Item aliam narrat in vita Cimonis quam apud ipsum vide.

Non prætereo duas alias hîc describere ex Suetonio. Altera est in vita Othonis cap. 7. cùm Galbæ occisi manes Othonem è lecto deturbarunt. *Dicitur* inquit *ea nocte per quietem pauefactus, gemitus maximos edidisse, repertúsque à concursantibus, humi ante lectū iacēs per omnia piaculorū genera manes Galbæ à quo deturbari, expellique se viderat propitiare tentasse.* Altera est in vita Neronis capite trigesimoquarto, qui vt ait Suetonius nunquam potuit sceleris ob parentem interfectam conscien- C tiam ferre, *sæpe confessus se materna specie exagitari, atque verberibus furiarum, atque ardentibus tædis.* Addit Xiphilinus in Dione: ante eiusdem Neronis mortem in curia *barbaricum murmur* cum multo risu, & *tumultum* in theatro cum magno fletu auditum esse, cùm tamen ibi nullus hominum esset.

Suetonius.

Xiphilinus.

Clarissimum tamen est, quod Corinthi accidisse refert Pythagoricus quidam nomine Arignotus apud Lucianum in Dialogo qui inscribitur Philopseudes, hoc est incredulus, qui habetur tomo tertio operum illius: Clarissimum inquam tum ob varietatem spectrorum, tum etiam ob finem, ob quem spectra erant. Vbi Pythago- D ricus ille se reddidisse ait habitabilem domum quandam, quæ ob terrifica spectra diu habitari non poterat. Nam si quis eam inhabitasset expauefactus illicò fugiebat, exactus à quodam horrendo ac terribili spectro, & iam tectum magna ex parte deciderat: neque iam quisquam erat, qui in eam ampliùs ingredi auderet. At ille Arignotus; *Ego* inquit *sumpta lucerna solus ingredior, atque in vastissimo atrio collocato lumine humi sedens tacitè legebam. Adest verò dæmon ille cum quopiam è vulgo se congressurum ratus, ac me quoque quemadmodum alios se perterriturum, squalidus hirsutus ac tenebris nigrior: atque hic cùm adstaret, vndique me adsultim petens tentauit si qua posset expugnare, ac mo-* E *dò in canem, modò in taurum, modò in leonem vertebatur. At ego correpto in manu quammaximè horrendo carmine, simúlque vocem imitatus Ægyptiam & incantans eum in domicilij angulum quendam compuli. Ac cùm animaduertissem vbi se in terram cōdidit, tū destiti.* Et multa alia ad historiæ fidem scribens tandem concludit, eo loco vbi spectrum se condiderat effosso repertum cadauer, quo sepulto turbari domus prodigiis desiit.

Arignotus.
Lucianus.

Postremo loco referam alteram huic persimilem historiam, quam legi apud Plinium iuniorem epist. 27. lib. 7. Epistolarum. Quamuis autem putet ipse fuisse cuiusdam defuncti animam, tamen certum videtur fuisse diabolum. quādoquidem

Plinius iunior.

dem animæ talem se transformandi virtutem non habent, vt dicam infrà paulò post. Is ergo Diabolus licet post honestiorem sepulturã molestus esse desiit, tamen non tam sepulturæ officium, quàm aliud quidpiam occultum quæsiuisse credendus est. *Erat* inquit Plinius *Athenis spatiosa & capax domus, sed infamis ac pestilens. per silentium noctis sonus ferri, & si attenderes acriùs strepitus vinculorum longiùs primò, deinde proximè reddebatur. mox apparet idolum: senex macie & squalore confectus, promissa barba, horrendus capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebátque,* &c. *Deserta inde & damnata domus, totáq; illi monstro relicta, proscribebatur tamen seu quis emere aut quis cõducere ignarus tanti mali vellet. Venit Athenas Philosophus Athenodorus, legit titulum, auditóque pretio quia suspecta vilitas, percontatus omnia docetur, ac nihilominus, immò ac tantò magis conducit. Vbi cœpit aduesperascere, iubet sterni sibi in prima parte domus: poscit pugillarem stylum, lumen, suos omnes ad interiora dimittit. Ipse ad scribendum animum oculos ac manus intendit, ne vacua mens audita simulachra, & inanes sibi metus fingeret. Initio quale vbique silentium noctis, deinde concuti, ferri vincula moueri. ille non tollere oculos, non remittere stylum, sed obfirmare animũ, auribúsque manum prætendere. Tum crebrescere fragor, aduentare etiam, ac iam vt in limine, iam vt intra limen audiri. respicit, videt, agnoscitque narratam sibi effigiem. stabat, innuebátque digito similis vocanti. Hic contra, vt paulum exspectaret manu significat; rursúmque ceris ac stylo incumbit. illa scribentis capiti catenis insonabat. respicit idem quod priùs innuentem. nec moratus tollit lumen & sequitur. Ibat illa lento gradu quasi grauis vinculis, postquam deflexit in aream domus repentè dilapsa deserit sequentem. Desertus herbas & folia concerpta signum loco ponit. Postera die adit magistratum: monet in illum locum fodi iubeant. inueniuntur ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus æuo terráque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis, collecta publicè sepeliuntur, domus postea conditis manibus caruit.* Hæc ille. Atque ex his perspicuè constat, dæmones atque Angelos, quos Genios & manes vocabat antiquitas, non vno tantùm apparere modo, nec semel, aut iterum tantùm. quę omnia optimè confirmabuntur ex iis quæ subiiciam infrà in secundo & tertio *Colligitur*.

His omnibus adiicere possemus eas apparitiones quæ Mercurio Deorum nuncio ascribebantur. Qualis est illa apud Virgilium libro 4. Æneidos Virgilius.

——— Primum pedibus talaria nectit
Aurea, &c.

Cuiusmodi descriptiones passim reperiuntur apud Homerum, Statium & alios de quibus Pontanus in illum locum Virgilij. Verùm quia hæc fabulosa sunt & figmenta Poëtarum, missa in præsenti faciemus. Sanè Ethnici qui veritatis quandam vmbram assecuti sunt, id Mercurio affinxerunt, quod verè Christiana religio tãquam proprium assignat Angelis præsertim S. Michaëli Angelorum summo. vt quòd *animas euocet orco*, vt obseruat idem Pontanus in illum eũdem locum. Homerus. Statius. Pontanus.

Multa de apparitionibus animorum apud Ethnicos, eorúmque vi corporis motrice. §. 2.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò, quàm validè possimus eãdem propositionem confirmare ex iis animorum à corpore separatorum apparitionibus, quas Ethnici ferè omnes fatebantur. quod enim virium ac facultatis conceditur separatis animis, multò magis Angelis ac dæmonib. ethnici cõcessissent. Quippe quos iidem vt superiore q. 50. a. 1. ostensum est, humano fastigio longe subliminiores arbitrabantur. Id quod etiam patet: Quia facilius sibi persuadere poterant, quo pacto dæmones corpore aereo se ad spectra ac portenta vestirẽt ob applicandorum corporum facultatem, quàm explicare rationem, qua animi humani idipsum præstare possint. hic enim animus extra corpus non habet maiorem vim mouendi, & applicandi alia corpora, quam habeat in ipso corpore: Quia corpus quod animus informat, ipsi animo ad ciendum motum est adiumento non impedimento.

Etenim corpus à natura datum est animæ vt instrumentum ad eius functiones, nec solùm totum corpus, sed etiam eius partes, vt docet Aristoteles lib. 1. de Part. animal. c. 5. *Quapropter* inquit *etiam corpus totum animæ gratiâ conditum est, & membra officiorum gratiâ constant,* &c. Cùm enim non propter alium finem sit organicum nisi vt operanti animæ subseruiat; (Ideò enim anima est actus corporis organici ex libro 2. de An. cont. 6. & 7.) instrumentum animæ naturale esse debet: Instrumentum autem præsertim naturale non est suo agenti impedimento sed auxilio. Quoniam si serra quæ artis est instrumentum, artifici non est impedimento, sed eius sectionem iuuat; Quantò magis instrumenta quæ à natura ad huiusmodi officia fabricantur, ad naturalem actionem conferent? Nam & vt ait Aristoteles libro 2. de cœlo cont. 24. id *semper natura facit eorum quæ fieri possunt, quod optimum est.* & ars naturæ pedissequa est, & imitatrix eodem Aristotele teste lib. 2. Physic. cont. 78. Immò tantum abest, vt corpus animæ functionibus, ex quibus corporum motus existit obstet, vt sine instrumento corporeo nihil prorsus præter ipsa immediata instrumenta, nempe spiritus & neruos mouere possit, ne suum quidem corpus vt certum est. Vnde si nerui & spiritus, quæ sunt instrumenta motus proxima in animali, deficiant in aliquo corporis membro, tale membrum illicò obstupescet, nec à mortuo differet. Hinc Aristoteles, quia pedes scapulæ, manus & lacerti in animalibus maximè moueri debent. docet lib. 3. de hist. animal. c. 5. in fine ea pluribus neruis ac spiritibus pręditа esse à natura. *Neruis plurimis pedes, manus, scapulæ continentur, atque etiam ceruices & lacerti. quibus datus est sanguis, iis omnibus nerui adiuncti sunt,* &c. Aristoteles.

Ex his inferimus quod antè dicebamus, animum extra corpus saltem non habere maiorem vim ad mouenda corpora, quàm habeat in corpore: Etenim ad mouendum siue suum corpus siue alienum, indiget instrumento corporeo. Sine neruis enim & spiritibus nihil mouet, vt diximus. vnde sequitur corpora non moueri ad solum animi nutum. Quare cùm extra corpus non habeat huiusmodi instrumenta corporea, saltem non habere maiorem vim ad corpora quàm cùm est in corpore. Quod etiam in sententia Aristotelis confirmari potest: nam libro 1. de An. cont. 65. & 66. asserit: si oculus iuuenis daretur seni, æquè clarè illum visurum ac iuuenem; quia scilicet animus quantum est ex se, iisdem pollet viribus Aristoteles.

viribus siue in infante siue in sene decrepito, siue in robustissimo viro degat. Ergo solum viriū discrimen prouenit ex organis benè vel malè dispositis ad ipsas functiones obeundas. Ergo manifestum est extra corpus non habere plus virium, quia non habet organa meliùs disposita, quàm sint ea, quæ natura illi ad functiones suas aptauit. Immò cum nulla prorsus habeat instrumenta, difficile admodum est statuere quonam modo à se propellere, vel ad se trahere corpus queat: cùm vt diximus experimento sciamus corpora exceptis illis immediatis animæ instrumentis non moueri vllo modo ad eius arbitrium.

Ex quibus duo quoq; alia discrimina in eiusdem animi viribus consequuntur. Vnum est inter Angelos & ipsum animum nostrum. quod Angeli cùm per se sint naturæ perfectæ atque integræ, possunt æque in omnia corpora quoad ipsorum vires ferunt; hoc est in omnia corpora, quæ cum Angelorum viribus proportionem habent: Etenim Angeli non habent à natura corpora, quibus vt naturalibus instrumentis vti debeant, cum quibus magis possint, & sine quibus minùs: id quod animum humanum habere iam diximus. Quam quidem sententiam expressam reperio apud A. Doctorem infrà q. 110. a. 3. ad 3. (A. Doctor.) vbi vt satisfaceret argumento, quo probabatur Angelorum facultatibus non subiici corpora quoad localem motum, eo quòd corpora vt alicuius facultati obediant, exigunt vt in illis sit aliquod vitale principium; sic enim *membra corporalia* inquit *obediunt conceptioni animæ ad motum localem*: Vt inquam huic difficultati responderet, docet eo loco ad 3. *Angelos habere virtutem minùs contractam quàm animæ. Vnde virtus motiua animæ* inquit *contrahitur ad corpus vnitum, quod per eum viuificatur, quo mediante alia potest mouere. Sed virtus Angeli non est contracta ad aliquod corpus. vnde potest corpora non coniuncta localiter mouere.*

Hinc vlteriùs etiam est, vt quemadmodum rectè notauit noster Theodorus Peltanus libro (Peltanus.) de Purgatorio cap. 5. Esto animus humanus in corpus suum quod mortuum reliquit, intrare queat tanquam motor, hoc est; demus hoc animo nec reputetur inconueniens, vt iterum subire corpus suum possit ad illud mouendum localiter, tamen non est concedendum posse animum ampliùs illud mouere vt priùs; nempe aut motu progredientis, aut brachia attollentis, &c. aut amplius in eo posse loqui, aut videre aut audire, aut aliquid huiusmodi motus exercere. Ratio est, quam diximus; quia scilicet non habentur ampliùs illa apta instrumenta, & naturaliter constituta ad huiusmodi functiones in corpore demortuo. immò nec expeditè illud mouere quouis motu locali posset. quia nimirum non habet tantam in corpus vim cum est motor tantum, quàm cum est motor simul & forma. In qua re Angeli semper corporum nonnisi motores, non est necesse habeant virium hanc diuersitatem ad corpus ex corporis instrumentis.

Alterum est, longè imparem esse rationem inter animi nostri vim intelligendi, atque inter eiusdem vim motricem, si eæ inter se comparentur in animo dum est in corpore, & dum à corpore abiunctus degit. Etenim, vt diximus q. 50. a. 1. animus dum est in corpore, operosiùs atque obscuriùs sua obiecta intelligit, quàm cùm extra corpus est. Separatus enim à corpore intel-

A ligendo nec defatigatur deficientibus corporis viribus, nec sensuum errore aut quasi tumultu interturbatur, cum nullo tunc corporeo organo vtatur. Ergo longe expeditior est intellectus à corpore seiunctus, quam in corpore degens. Et hoc est quod ait Aristoteles lib. 1. de An. cont. (Aristoteles.) 49. *Intellectus melius est non cum corpore esse, quemadmodum consuetum est dici, & multis placet.* & A. (A. Doctor.) Doctor infrà q. 89. a. 2. ad 1. nempe licet anima separata sit quidem aliquo modo imperfectior, quia caret vnione cum corpore, tamē esse etiam perfectiorem alio modo, quia scilic. per se auulsa à corporea mole subsistit. est enim *quodammodo liberior* inquit *ad intelligendum, in quantum per grauedinem, & occupationem corporis à puritate intelligentia impeditur.* At contrario modo se habet B vis motrix: Nam in corpore cum habeat sua animus instrumenta apta ad motum, quibus & se & alia commouere possit, vires suas exerit pro suæ voluntatis imperio: iisque nunc lacertos, nunc crura, nunc alia corpora vel à se propellit vel ad se admouet, &c. Hæc autem animo à corpore abiuncto inesse non possunt. quia caret instrumentis, sine quibus nec alia nec seipsam mouet, aut certè non æquè bene vt dictum est.

Ex quibus vlteriùs sequitur longè minùs etiam veterum sententiâ posse animum separatum per suas vires apparere hominibus, quàm C Angelum aut dæmonem. quoniam si vix mouendorum corporum vim habet animus: ergo non ita poterit applicare actiua passiuis vt sibi formet, vniátque corpus; cùm tamen hæc Angelicæ voluntatis nutu illicò quocunque Angelo libuerit moueantur. Legi potest noster Suarez tomo secundo in 3. p. disputat. 32. sect. 2. (Suarez.) & Peltanus vbi suprà. Sanè Suarez ibi ex eo (Peltanus.) argumentatur, Moysem in illa Christi transfiguratione assumpsisse suum verum corpus, non aliud de nouo formatum. *quia anima separata* inquit *vi sua naturali non potest assumere corpus, neque mouere illud.* Ex quo conficit, vt anima Moysis assumeret aëreum corpus, & per illud loqueretur, oportuisse tunc vim superna- D turalem & miraculorum ei imprimi. Quocirca si necesse sit fateamur aliquod supernaturale opus, melius est proprij corporis assumptionem, ac temporaneam resurrectionem fateri, cùm & æquè facilè à Deo fieri potuerit, eáque positâ Scripturæ verba magis propriè ac veriùs intelligantur, quàm ad alia miracula quæ rem non ita bene saluant confugere. Cui argumento, quod sanè optimum ex se est, aduersatur A. (A. Doctor.) Doctoris sententia in ea tertia parte q. 45. a. 3. ad secundū, ideò ei responderi facilè potest. Etsi enim Deo æquè facilis sit excitatio corporis iam in cinerem resoluti, quàm corporis noua E conflatio; tamen in hac re non tam spectanda sunt, quæ Deo faciliora sunt, quàm quæ connaturaliùs fieri asseruntur. Ideo quia Deus hæc inferiora regit Angelorum operâ, potiùs videtur dicendum, corpus Moysis ex elementis de nouo esse conflatum, quàm quod in cinerem resolutum erat renouatum ac redintegratum. Hoc enim supernaturali virtute indigebat; illud verò nihil amplius poscebat quàm naturalem Angelorum facultatem vt suprà dictum est. Legendus ibi est A. Doctor.

Præterquam quòd longè plura erant facienda miracula ad corpus Moysi iam destructum con-

figurandum, quàm ad nouum fabricandum. nam colligenda erat iam sparsa materia, & dissoluenda alia multa, in quæ resolutum iam erat corpus illud, vt restauraretur ipsum idem ex sua materia. Quæ tamen ad noui compositionem corporis necessaria non erant; cùm præsertim breui futurum erat vt euanesceret corpus quale id demum cumque fuisset. vt dicam difficult. seq. Verùm quale quale fuerit illud Moysis corpus, hoc tanquam certum ex iam dictis deducitur; vt recte probat Martinus Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. q. 26. sect. 2. & Suarez ibi, animos humanos cùm verè apparent, aliqua virtute superiori iuuari oportere. Quæ cum ita sint, illud quoque certum esse debet, cum tam sæpe Ethnicis tum philosophis tum reliquis hominum animi se spectabiles exhibuere, quorum apparitio veterum opinione frequentissima erat (vt ex omnibus fere poetis ex plurimis historiis, nonnullisque philosophis idem Martinus vbi suprà sect. 1. confirmat. de qua etiam re nos etiam multa docuimus) eas apparitiones ferè semper fuisse dæmonum operâ atque arte spectatas ab hominibus. quia ex se animi apparere non poterant; ergo vi atque opera nobilioris substantiæ; ergo dæmonum. Etenim cùm ferè omnes eò spectarent, vt errores in mortalium mentibus ingenerarent, vel ad alios prauos fines respicerent; sequitur nec bonorum Angelorum, nec ipsius Dei auxilio exhiberi potuisse. Ex his namque exortæ sunt illæ veterum tum opiniones; nempe solere animas iis, qui per cædem violenter vitam expulissent, apparere, omnibus adesse locis, minari & diuexare &c. tum etiam ceremoniæ: Nam Romanę vrbis parés Romulus Remuria siue Lemuria instituit: & in Romana Republica recepta sunt Feralia, Silicernia, Culinæ, ac Parentationes, & alia huiusmodi complura. de quibus multa Tiraquellus in Alexandrum ab Alexandro lib 3. Genial. dier. cap. 7. & 12.

Delrius. Suarez.

Superesse videtur hic disputatio, quid in hac re Aristoteli visum fuerit. Eius enim sententiam libello de Admirandis auditionibus existimat q. 27. ibidem sect. 3 in fine Martinus Delrius hac in re non deesse. Cæterùm quid de Aristotele ego sentiam dixi suprà, & mox quoque dicam alia nonnulla.

Succuborum incuborúmque Dæmonum apparitiones. § 3.

Colligitur secundò: Quomodo adhuc validiùs confirmari possit nostra propositio ex iis, quæ Ethnici quoque admittunt de dæmone succubo & incubo. has enim debere esse veras apparitiones nó autem imaginarias certissimum est ex dictis, quia dæmones se spectandos tangendos sentiendos pluribus hominum sensibus præbeant in iis actionibus necesse est. Est enim ea non vnius vel alterius hominis experientia, sed plurimorum non fallacium & vanorum, sed veritatis amantium, ac fide dignissimorum, vt id negare, vt ait S. Augustinus lib. 15. Ciu. cap. 23. *impudentia videatur*; & multò plura etiam de hac re dicam art. seq. vide Serrarium pag. 99. De his ergo multæ sunt Ethnicorum historiæ. Primùm quidem vt suprà memoraui, Homerum natum fuisse *ex Genio quodam ex eorum numero, qui cum Musis choros ducunt* testis est Plutarchus in libro

S. August. Serrarius. Plutarchus.

A de Homero, vbi id dicit auctore Aristotele *libro 3. de Poetica*, vt loquitur Plutarchus ibidem. Idem de Seruio Tullo Plinius libro 36. cap. vltimo. *Non præteribo* inquit *& vnum foci exemplum Romanis literis clarum. Tarquinio Prisco regnante tradunt, repente in foco eius apparuisse genitale è cinere masculini sexus, eámque, quæ insederat ibi Tanaquilis reginæ ancillam Ocrisiam captiuam consurrexisse grauidam; ita Seruium Tullium natum qui regno successit.* & ne quis dubitaret de quo natus esset, pergit Plinius. *Inde & in regia cubanti puero caput arsisse visum, creditúmque laris familiaris filium: ob id compitalia, & ludos laribus primum instituisse.* Alexandrum quoque Magnum è dracone natum tradunt etiam Plutarchus in vita Alexandri, & Lucianus in dialogo, B qui est laudatio Alexandri; & Romulus ipse incerto patre inter Deos habitus est, propterea quòd eius mater diuino compressu eum peperisse credita est, vt est apud Liuium libro 1. ab vrbe condita, & apud Plutarchum in eius vita. quamquam fortasse id olim finxere auctores ad abigendam ignominiam Romuli. Eiusdem fortè generis multa olim adulteria & stupra fuerunt, quæ Faunorum, Satyrorum, Iouis aliorúmque Deorum etiam postquam è viuis excesserant, Gentilitas poetarum inuolucris ac carmine decantauit, e quibus vetustas obtrudit suos Semideos, Hercules, Sarpedones, Æneas, Augustos, & C alios qui vulgò non ignorantur.

Plinius. Plutarch. Lucianus. Liuius. Plutarch.

Inter hos autem qui Semidei dicti sunt, placuit dæmoni annumerari Lutherum, quem honestiùs inter humani generis monstra recenseas. Huius propria mater se illum in balneo cui ancillabatur, concepisse professa est ex dæmone incubo, vt scribit Petrus Syluius in libris Lipsiæ editis, & Fontana in historia sacra apud Delrium lib. 2. q. 15. §. *Dicimus ergo.* nec Lutherus id negauit. nec decuit alium tam præclari operis administrum esse, quàm dæmonem omnis mendacij ac turpitudinis parentem feracissimum. Vtrùm autem ea vera sint; & quo pacto explicari possit ex dæmone incubo generatio dicam sequenti articulo tertio.

Lutherus. Petrus Syluius. Fontana.

D Sanè nunc firmum sit, non semper hæc à Deo debuisse permitti dæmonibus pro ipsorum arbitratu, ne omnia generationum genera turbarentur. Sicut licèt plerunque Magi suis præstigiis mira multa efficiant: tamen iustissimas ob causas nec omnibus, nec eisdem semper Deus eadem permittit. Inter alia illud argumento erit quod magicas has vanitates incredibili studio ediscere cupiebat Imperator Nero; idéoque vndique aduocabat magos ac dæmonibus pecudes, hominésque immolabat; & tamen Plinio teste libro 30. cap. 2. nihil ex iis quæ maximopere consequi cupiebat omninò assecutus est. ne tanti nimirum tyranni sæuitia, vt ait noster Serarius in cap. 6. Tobiæ Quæstiuncula 19. sæuissimorum E etiam spirituum adminiculo iuuaretur, magísque accenderetur. Nam si hoc quoque eius crudelitati accessisset: *Nulla profectò* inquit Plinius eodem loco *sacra, barbari licèt, ferique ritus, non mitiora quàm cogitationes eius fuissent.* nihil enim crudelitatis, auctore dæmone, administratore Nerone, prætermissum esset.

Plinius. Serarius.

Placuit ergo diuinæ prouidentiæ tantam nostrorum carnificum potestatem ne in nostram perniciem excurreret, sui decreti veluti habenis cohibere; vt satanas inquit sanctus Augustinus libro 2. contra aduersarium legis cap. vlt. cùm

S. August.

habeat

habeat semper cupiditatem nocendi, nocere cupiam non possit, nisi nocendi acceperit potestatem. Et præclarè omninò Cassianus ex Abbate Sereno collat. 7. cap. 22. *Nemo posset*, inquit, *non dicam iuuenum, quos videmus in hac eremo constantissimè commorari, sed nec perfectorum quidem tantis taliumque hostium agminibus circumseptus in eremo singularis habitare, si in ipsis dæmonibus esset pro voluntate sua nocendi vel tentandi facultas atque libertas* &c. Similia habet S. Gregorius libro 3. Dialog. cap. 21. & lib. 1. Moral. cap. 9.

Cassianus. S. Gregor.

Verum est tamen plerumque à Deo permitti quædam, quæ cæteris non solùm exemplo sint sed etiam horrori; cuiusmodi est illud quod noster narrat Serarius eodem cap. 6. quæstiuncula 20. dum enim miles quidam obscœnam è pariete pendentem imaginem à caupone sibi vendi postulasset, impetrassétque, emptámque secum auferre vellet, confestim à dæmone correptus & occisus est, vt verè dixerit S. Cyprianus, libro de orat. Domin. *Satanæ potestas dupliciter aduersus nos datur vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur.* Sed vtut res ista se habeat, nobis in præsenti sufficiat; si constet, veteres philosophos has dæmonum apparitiones pluribus iisque verissimis modis quam sæpissimè cognouisse.

Serarius. S. Cyprian.

Plura Dæmonum genera recenseri ab Ethnicis, ex locis quos inhabitant, explicatúrque lucta Iacob cum Angelo aduersus Caballistas. §. 4.

Colligitur tertiò, posse etiam cõfirmari nostram propositionem ex iis philosophis, qui plura genera dæmonum faciunt ex locis quos inhabitant, vnde & vbi apparere solent; Vt Orpheus scribens ad Musæum quinque eorum genera enumerat; nẽpe cœlestes, aëreos, aqueos, terrestres, subterraneos, seu humanos. Apollo autem suis carminibus apud Eusebium libro 4. de Præparat. Euang. cap. 4. diuisit in sex genera, quia his enumeratis ab Orpheo addidit æthereos, quibus omnibus sacrificandum esse ait.

Orpheus. Apollo. Eusebius.

— *Mactanda est hostia cunctis*
Multa Diis, seu qui terras, seu qui mare vastum,
Aëra seu qui habitant latum, seu qui æthera, seu qui
Alta colunt cœli, seu qui infima regna barathri.

Quam legem benè ibi improbat Eusebius cap. 5. & ex Porphyrio Apollinem ipsum redarguit. Qua in re rectè ait Christianos non posse accusari. *Solum enim illum creatorem omnium Deum adorare didicimus*, inquit Eusebius, *nihil terrenum & mortuum, sed integritatem animi & castimoniam corporis, rectam scientiam, & ardentissimam fidem, offerentes; quam ad extremum vsque spiritum intemeratam auxilio saluatoris seruabimus* &c. Neque enim Deo nostro aut far aut merum aut sanguinem pecudum damus. *Quæ neque* inquit Lactantius lib. 7. cap. 6. *immortalibus grata esse possunt, quia sunt fragilia; neque vsui esse expertibus corporum, quia hæc ad vsum corporalium data sunt. & tamen si ea desiderarent sibi ipsi possent exhibere cum vellent.* nimirum si vt Gentiles credebant verè Dij fuissent.

Lactantius.

Hic tamen aduerte lector, sacrificia veteris legis fuisse optimo consilio à Deo instituta, et-

A iamsi animalia mactarentur; nempe vt obseruat A. Doctor p. 2. q. 102. a. 3. c. quia per ea populus ille ad sacrificandum, atque huiusmodi res Deo offerendas pronus, retrahendus erat à sacrificiis idolorum. *Vnde etiam* inquit A. Doctor ibi *præcepta de sacrificiis non fuerunt data populo iudæorum, nisi postquam declinauit ad Idololatriam adorando vitulum conflatilem, quasi huiusmodi sacrificia sint instituta, vt populus ad sacrificandum promptus huiusmodi sacrificiis magis Deo quam idolis offerret.* quod putat ex Hieremiæ cap. 7. Sed hæc obiter dicta sint.

A. Doctor.

Nonnulla etiam genera nota esse Zoroastro, Platoni, & Chaldaicis oraculis idem Delrius ibidem putat. vnde Zoroaster quosdam vocauit *terrestres canes* ob formam canis (ò dignam dæmone formam) quam assumunt. Sex item genera
B enumerãtur à quodam Marco mago apud Psellum in libello de dæmonum natura, de qua re suprà dictum est à nobis. Alia etiam duodecim recensuit Trithemius Abbas apud eundem Delrium q. 27. sect. 2. in quibus fit mentio quarundam apparitionum, quæ ethnicis contigerunt. Seneca etiam in Oedipo diurno tempore grassante peste dixit visa

Zoroaster. Marcus magus. Psellus. Trithemius Abbas. Delrius. Seneca.

Vaga per lucos simulachra virûm
Maiora veris &c.
Quin Tenarij vincula ferri
Rupisse canem fama, & nostris
Errasse locis &c.

C Præterea pleraque spectra, & terriculamenta dæmonum nocte magis incutere timorẽ, quàm interdiu ex eo constat, quòd poëtæ sæpè lucescente die fingunt huiusmodi spectra robur amittere. Sic apud Virgilium libro 5. Æneidos vmbra Anchisæ ortum Solis indignè tulit.

Virgilius.

Et me sæuus equis Oriens afflauit anhelis.

& apud Claudianum vmbra Theodosij

Claudianus.

Dixit & afflatus vicino sole refugit.

Eodem modo Æneas libro 4. apud Virgilium

Virgilius.

Me patris Anchisæ quoties humentibus vmbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt
Admonet in somnis & turbida terret imago.

Huc etiam spectat illud Horatij Satyra 5.

Horatius.

D —— *Sed me*
Imperiosa trahit Proserpina viue, valéque.

Hæc enim non sinebat violari inferni leges. Quas leges obseruauit rectè Martinus Delrius in commentario ad *Herculem furentem* versu 123. ex Propertio libro 4. Eleg. 7. vbi vmbræ sic loquuntur.

Delrius. Propert.

Nocte vagæ ferimur, nox clausas liberat vmbras:
Errat & abiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges lethæa ad stagna reuerti,
Nos vehimur, vectum nauta recenset opus.

Pergunt etiam id docere alij Poëtæ ibidem. Quæ omnia confirmantur ex eo quod ex illo Marco
E notauit Psellus libro de dæmonibus citato, & aliis de quibus suprà diximus; nimirum inter illa varia dæmonum genera esse vnum, quod lucifugum appellatur in tenebris inhabitans.

Psellus.

Illud etiam notari oportet ex illo eodem cõmentario detestabilem esse Caballistarum audaciam, qui luctam illam Iacobi Genes. 32. cum Angelo fuisse aiunt cum his Lucifugis spiritibus, eo quòd Angeli verbis id significatum sit. *Dimitte me; aurora est.* Certum enim est eo loci Iacobum luctatum esse cum Angelo Dei sancto. Nam primò ex ea lucta dixit Iacob se *vidisse Deum facie ad faciem*; & ideò ponitur nomen loci

Gen. 32.

loci illius *Phanuel.* Deinde verò extructam ciui-
tatem è nomine Hebræo appellauit Strabo libro
16. *faciem Dei*; vbi ait: *Tripoli coniuncta est ea, quæ fa-
cies Dei appellatur, in qua Libanus mons desiit.* Quod
etiam notauit noster Pererius in eum locum ca-
pite 32. verſ. 30. vbi etiam verſ. 29. ponit verba
S.Hilarius. S.Hilarij lib. 5. de Trinit. docentis, Iacobum vi-
diſſe Deum facie ad faciem, quia eam luctam
habuit cum Filio Dei.

Sanè fuiſſe Angelum Dei bonum non ſinunt
Oſee 12. dubitare verba Oſeæ cap. 12. vbi de ipſo Iacob
ſcribens ait. *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, & in
fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit ad-
uerſus Angelum, & confortatus eſt, fleuit & rogauit
eum.* Hinc etiam nomen Iacob ex illa hora ver-
ſum eſt in nomen Iſraël, quod vt ait Ioſephus li-
Ioſephus. bro 1. Antiquitatum Iudaicarum cap. 18. ad fi-
nem Hebraice ſignificat Angelo reluctantem.
Iuſſitque illum inquit Ioſeph *vocari Iſraelem, quod
Hebraïs Angelo reluctantem ſignificet.* de qua re plu-
Ribera. ra vide apud noſtrum Franciſcum Riberam in
eum locum. Conſtat ergo ex variis generibus
dæmonum colligi varias ipſorum apparitiones
apud ethnicos ſapientes. Mitto eas rationes quas
deducere poſſem ex variis animarum apparitio-
nibus quas Gentiles philoſophi fatebantur; & de
Delrius. quibus noſter Delrius q. illa 26. ſect. 5. ſup. citat.
nam ſatis eſſe poſſunt eæ quas enumerauimus
ſuprà, vbi etiam diximus, dæmones non ani-
mas apparuiſſe, ne vel recurramus ad miracula
ſine neceſſitate, vel non probabilia dicamus.

Vaniſſimos ne dum impios eſſe qui huiuſmodi apparitiones negare ſunt auſi, & ſoluuntur argumenta partis negantis. §. 5.

COlligitur vltimò ex dictis in hoc toto Quæ-
ſito, quàm deteſtãdum ſit eorum iudicium,
qui hac noſtra ætate veras huiuſmodi ſpirituum
apparitiones negare ſunt auſi, cùm & careant
omni efficaci argumento ad id ſibi perſuaden-
dum, & impium ſit contradicere ſacris Scriptu-
rarum diuinarum paginis, temerarium non con-
ſentire tot tantiſque Patribus, audax ac planè ſto-
lidum ſe cunctorum philoſophantium experi-
mentis opponere, eorumque rationes eludere.
Ad quos redarguendos facit magnificum illud
Scauri, qui reus in Senatu læſæ maieſtatis accu-
ſabatur à quodam Vario Sucronenſi vt eſt apud
Val.Max. Valerium Maximum libro 3 cap. 7. *Varius Sucro-
nenſis* inquit *Marcum Æmilium Scaurum regia
mercede corruptum imperium Romanum prodidiſſe ait:
Marcus Æmilius Scaurus* princeps Senatus *huic
negat ſe culpæ affinem eſſe. vtri creditis? Cuius dicti ad-
miratione commotus populus Varium ab illa dementiſſi-
ma actione pertinaci clamore depulit.* Simili ergo nos
in huiuſmodi homines ratiocinatione conclu-
dere poſſumus. Vani homines, & veritatis peſtes
apparitiones Angelorum negant. Aſſerunt non-
nullas diuina ipſa Scripturarum oracula, Patres,
orbis Doctores, & principes ſapientiæ, ac deni-
que quotquot ſunt in philoſophia præſtantiſſi-
mi, aut faſſi ſunt aut certè non negarunt. Quibus
credetis? Atque hæc aduerſariorum modeſtia eſt
A ſcilicet: planè pertinaci omnium Gentium cla-
more dementiſſima horum ſententia exſibilan-
da eſt.

Ex his reſpondetur ad argumenta Partis ne-
gantis. Ad Primum nego, ethnicis philoſophis
Angelos eſſe corporeos ſubſtantiâ ſuâ. immò ex
hoc deduci validè poteſt, ipſos ſolum corpora
Angelis tribuiſſe, quæ ipſi aſſumerent, non qui-
bus componerentur, vt etiam ſuperiori Q. nota-
tum eſt.

Ad confirmationem reſpondet A.Doctor q. 6. A.Doctor.
de Potent. a. 7. ad 6. dupliciter intelligi poſſe pro-
portionem debere eſſe inter Angelum aſſumen-
tem & corpus aſſumptum. Vel primò, quia intel-
ligatur requiri proportionem *ſecundùm commenſu-
B rationem.* Et ſic non poteſt eſſe Angeli proportio
ad corpus, cum ex vtraque parte non ſint magni-
tudines quæ exæquari poſſint. Vel ſecundò, vt
debeat eſſe proportio; id eſt quædam habitudo
Angeli ad corpus tanquam motoris ad mobile
& figurati ad figuram, quæ etiam proportio dici poteſt.
Et ſic concedendũ eſt debere eſſe proportionem.
quo poſito nihil aduerſum nos faciunt ea quæ
ibi obiiciuntur

Simili modo ſoluit A.Doctor aliud non valdè A.Doctor.
diſſimile argumentum ſup. q. 12. a. 1. vbi cùm in
4. argum. ſibi obiiciat Deum non poſſe videri ab
intellectu creato, quia nulla eſt proportio intel-
lectus creati finiti ad Deum, qui eſt infinitus, re-
C ſpõdet ad 4. duplicem eſſe proportionem. Vnam,
*quæ ſit certa habitudo vnius quantitatis ad alteram, ſe-
cundùm quod duplum, triplum & æquale ſunt ſpecies pro-
portionum. Alio modo quælibet habitudo vnius ad alte-
rum proportio* dicitur. Primo modo ait non eſſe
proportionẽ inter intellectum creatũ & Deum,
& inter finitum & infinitum. benè autem ait eſſe
ſecundo modo: quia creaturæ ſe habent ad Deũ
ſicut effectus ad cauſam, & potentia ad obiectũ.
quam doctrinam eo loco fuſiùs proſecuti ſumus,
vt oſtenderemus intellectum animi noſtri ad
Deum clarè videndum eleuari poſſe.

Ad ſecundum dico. eſto non facilè explicari
poſſit huiuſmodi aſſumptio, tamen ex hoc non
D infertur non eſſe has corporum aſſumptiones
atque apparitiones: nam neque Philoſophiæ ac
ſacræ Theologiæ ſapientes multa pro rei digni-
tate declarari poſſe arbitrati ſunt, vt naturam
cœli, intelligentiarum, myſteria Trinitatis, In-
carnationis & alia id genus ſexcenta, quæ tamen
nunquam ea neganda eſſe cenſuerunt. Deinde
dico vtcũque explicari poſſe eo modo, vt dicam
Quæſi. ſeq. licèt ex ipſorum Ethnicorum doctri-
na nihil apertè quod ſciam relictum nobis ſit,
quo pacto ea corpora ab Angelis aſſumantur.

E

QVÆSITVM SECVNDVM,

De materia & cauſis ac modo quo Angeli ſibi corpora aſſumunt.

DIfficilior quàm præcedens quæſtio præſens
eſt: nam cauſas rerum occultas indagat eius
rei, quam ſuper. Quæſito experientia ſenſuum
comprobauimus. Eſt autem tota ferè philoſo-
phica. Quia de cauſis atque actione corporea
extra philoſophicos cancellos diſputatio non
vagatur. Quare vix ex Patribus aut Scripturis
vlla

vlla ratio desumetur. Sed omnis eius cardo in naturali ostensione vertendus nobis est. Sit autem hac in re

PRIMA DIFFICVLTAS,

An corpus Angeli in prædictis apparitionibus ex elementis desumatur.

PLanum ex dictis est, dęmonem assumere corpora, vt appareat hominibus: nam incorporea a corporeis videri non posse omnibus in confesso est, & à S. Ignatio expresse docetur in epistola ad Smyrnenses. neque enim sensiles species ad vllum sensum transmittere potest incorporea natura; nam nec colorem nec cætera corporea accidentia habet, quæ vim in sensus transmittant suam. Dupliciter autem posse dæmonem in assumpto corpore hominibus apparere in forma pręsertim humana; (& simile indicium de reliquis erit) constare videtur ex eo, quòd aut assumit corpus iam aliunde formatum, aut de nouo ipsum componit. non enim excogitari potest alius induendorum corporum modus. atque ita de vtroque modo philosophandum nunc est. S. Ignatius.

Angelum non posse apparere propriè in corpore viuente, & cur: disputatúrque de eius columbæ corpore, in quo Spiritus sanctus apparuit. §. 1.

VErùm quod attinet ad priorem Difficultatis partem, si Angelus corpus humanum aliunde formatum induat, hoc cõtingere potest, aut quia in corpus viuens Angelus ingrediatur, aut quia vtatur iam mortuo seu cadauere. Et quidem priore modo licèt in dubium reuocari possit, vtrùm tunc per corpus viuens assumptum possit Angelus apparere; quod affirmat noster Molina in hoc art. 2. disp. 2. §. *Quando ergo*; tamen videtur verius in corpore viuo Angelos apparere non posse; vt diximus in definitione assumptionis super. Quæsito Diffic. 1. in 2. Not. Molina.

Ratio huius est manifesta ex ibi dictis: Quia Angelus non apparet in corpore, quod Angeli personam immediatè non gerat, ac repræsentet, ita vt illud conflatum reputetur & dicatur Angelus; vt nimirum verè dici possit: Angelus apparet: Angelus loquitur: Angelus splendet, &c. ac si vnum compositum ex Angelo & illo corpore fieret. vnde quia dæmon per corpora quæ obsidet non ita se prodit, vt corpora illa eius personam gerant quia retinent propriam; nempe Socratis, Platonis, &c. nec Angelus dicitur operari, sed ille homo obsessus si à Dæmone possideatur, vel ille homo cuius ore Angelus loquitur quicunque Angelus ille sit; ideo Angelus non dicitur ea viuentia corpora assumere. Quam sententiam nunc vltra ea quæ loco citato dicta sunt, confirmare possumus, quia eam expresse docuit A. Doctor quæst. 6. de Pot. a. 7. ad 9. Respondet A. Doctor.

A enim ibi obiectioni, qua quærebatur; Assumeréntne Angeli corpora, quæ haberent veram ac substantialem corporum quæ videntur speciem, vt si habeat speciem Leonis, verè assumat Leonem. Nam hoc pacto cùm apparent in specie hominis *corpus assumptum erit veri corpus humanũ: quod est impossibile, nisi dicatur quòd Angelus assumit hominem, quod est inconueniens.* Respondet inquam huic obiectioni distinguendo de veris speciebus: nam cõcedit esse veras species, quas sensus percipere potest, quæ scilicet sunt sensilia ex sese, sicut color & figura. Negat autẽ esse veras species ac formas quoad subiectam substantiam intra illa accidentia delitescentem. *Non autem* inquit *quãtum* B *ad naturam speciei quæ est sensibile per accidens.*

Itaque generatim A. Doctor negat, assumi posse viua corpora; ne scilicet concederet, quod obiectio contendebat, nempe Angelum assumere hominem. id enim visum est illi inconueniẽs: propterea quod vt diximus tunc ille homo potiùs hominis personam gereret quàm Angeli. Et tamen ad apparitionem requiritur vt corpus apparens Angeli, non hominis personam gerat, vt diximus; & idcircò in hoc articulo secundo ad 2. docet A. Doctor debere Angelum sibi vnire corpora, *vt motori repræsentato* vt ea assumere dicatur. Negat etiam A. Doctor in ea responsione ad nonum fore hinc deceptionem ab Angelo C veritatis; cuius rei eximiam rationem adducit: Quia *Angeli non obiiciunt oculis formas humanas vt homines esse credantur, sed vt per humanas proprietates Angelorum virtutes cognoscantur.* Id ipsum adhuc fusiùs patebit ex A. Doctore, Scoto, Ægidio, & aliis infra Difficultate vltima in fine. A. Doctor. A. Doctor.

Ex quo vlteriùs sequitur quid significare velit A. Doctor 3. p. q. 39. a. 7. vbi contendit ostendere, cùm Spiritus sanctus se in forma columbæ spectabilem dedit, fuisse verã columbam. Sequitur inquam significari non veram columbam in D specie & natura columbæ, sed verum corpus quod verè extra videntem repræsentaret columbam, non autem solummodo in ipsa visione apparens vt apparent colores Iridis, &c. Primum patet ex dictis: quia Angelus non assumit veram substantiam & naturam eius, cuius accidentia patescunt oculis, sed corpus sibi format ex spisso aere, &c. vt expresse docet idem A. Doctor in hoc a. 2. ad 3. quæ corpora sic formantur ab Angelis, vt congruè repræsentent intelligibiles proprietates, vt loquitur ad 2. Qua etiam de causa superiori Difficultate ex eodem A. Doctore diximus Moysen non assumpsisse verum hominis corpus, sed verum corpus alio modo. Secundum etiam non est dubium: nam ostendit E fuisse veram columbam, propterea quod oportebat vt non falleret Spiritus sanctus, & quia non erat difficile verum columbæ corpus *figurare.* Quasi significare velit hanc esse causam vt assereret verum columbæ corpus fuisse; nempe ne Spiritus sanctus fallere dici posset; & quia sine difficultate id fieri poterat. Ad cuius causę veritatem satis est si fuerit verum corpus, quia eius accidentia cernebantur verè non apparenter tantum. Sic enim non fallebant, vt modò dictum est. Nec responsiones illius ad argumenta plus exigunt. Si ergo ad A. Doctoris dicta saluanda sufficit vt dicamus verum fuisse columbæ corpus, non est quod viuens etiam illud fuisse affirmemus. Inconueniens enim existimauit, A. Doctor. A. Doctor.

existimauit, vt vidimus, assumi hominem. ergo & inconueniens erit assumi columbam.

Cæterùm vt hæc quæ diximus firmiora fiant, examinemus aliquantò diligentiùs; An si nō fuit vera columba, fuerit saltem verum columbæ corpus; nempe quod est altera pars compositi in ipsa vera columba; veris nimirum organis formatum, eiusdémque speciei cum eo columbæ corpore quod animatur: an verò fuerit verum corpus quà verum opponitur imaginario; nempe quod in phantasia per simulachra formatur. Huic difficultati respondendum primò videtur fuisse ex A. Doctore, verum corpus hoc secundo modo non primo, quicquid recentiores tribuant A. Doctori. Quod ipse expressè docet in 1. d. 16. q. 1. a. 3. ad 3. ait enim columbam illam non fuisse verum & naturale animal, eo quòd fuit *tantùm similitudo columbæ visibiliter ostensa in aliqua materia ad hoc præparata. vnde etiam peracto officio in pristinam materiam est reuersa.*

A. Doctor.

Subdit quoque rationem eandem quam retuli ex prædicta responsione ad 9. nempe nō fuisse ibi aliquam fictionem spiritus veritatis: *Quia illa similitudo* inquit *columbæ visibiliter ostensa in aliqua materia ad hoc præparata non ostendebatur ad manifestandam aliquam veritatem in ipsa columba, sed ad manifestandas proprietates inuisibilis missionis.* Vnde ait non fuisse ibi falsitatem signi. *Quia signatum* inquit *respondebat signo & res similitudini.* Quod explicans ait: nam quemadmodum is qui loquitur per metaphoricas locutiones non mentitur, eo quòd non intendit sua locutione ducere in res quæ per nomina significantur, sed magis in illas, quarum illæ res per nomina significatæ similitudinem habent; ita & Spiritus sanctus nolebat significare ibi esse veram columbam, sed id quod columbæ similitudinem habet, nempe fœcūditatem spiritalem, quia columba animal fœcundissimum est vt ipse docet in c. ibidem. Fuit ergo corpus verum, hoc est non phantasticum.

Præterea idem patet ex aliis eius locis. nam primò in hac p. p. q. 43. a. 7. ad 2. explicans quonam pacto Spiritus sancti missio fuerit oculis sensúque spectabilis, ait Spiritum sanctum apparuisse spectabilem oculis in igne & columba. Quæ *visibilis missio* inquit *non attenditur secundùm visionem imaginariam, quæ est visio prophetica. quia vt Augustinus dicit lib. 2. de Trin. cap. 6. visio prophetica non est exhibita corporeis oculis per formas corporeas, sed in spiritu per spirituales corporum imagines. Columbam verò illam & ignem oculis viderunt quicunque viderunt.* Itaque putat fuisse verum corpus, quatenus opponitur ei quod solis phantasmatis in imaginatione repræsentatur, nec est extra videntem. Immò hoc ipsum magis declarans subdit ibidem columbam illam & ignem fuisse *similia flammæ illi quæ in rubo apparuit Moysi; & illi columnæ, quam populus in eremo sequebatur; & fulgoribus & tonitruis quæ fiebant cùm lex daretur in monte.* nempe quatenus hæc tunc à Deo formata sunt ad aliquid significandum ac prædicendum. ergo columbæ corpus putauit esse formatum in similitudinem veri corporis cum columbæ anima componentis, sicut columna in deserto non erat vera columna, sed verum corpus instar columnæ figuratum. Idem repetit tertia p. q. 39. a. 6. ad secundum.

A. Doctor.

Sed contrà videtur difficile prorsus argumentum ex eadem 3. p. q. 39. a. 7. in c. vbi A. Doctor

A hanc ipsam quæstionem exagitauit ex instituto. nam primò ibi docet fuisse veram columbam in qua Spiritus sanctus appareret. *quia non oportuit vt falleret Spiritus sanctus.* Quemadmodum *non decebat, vt Filius Dei, qui est veritas Patris, aliqua fictione vteretur, & ideo non phantasticum, sed verum corpus accepit.* Ergo putauit ita esse veram columbam, sicut verum fuit corpus hominis in filio Dei. Sed in filio Dei ita verum fuit hominis corpus, vt fuerit vera compositi humani pars. ergo & corpus colūbæ fuit verum ita, vt fuerit compositi quod est columba pars. Deinde, quia ad 2. ibi expressè docet, *non fuisse superfluum formare veram columbam, vt in ea Spiritus sanctus appareret. quia per ipsam veritatem columbæ significatur veritas*

B *Spiritus sancti, & effectuum eius.* Ergo sentit formatum esse verum corpus columbæ, & per ipsam veritatem columbæ apparuisse. Respondeo etiam in hoc loco A. Doctorem intelligere veram columbam quà opponitur imaginariæ, & in sola phantasia repræsentatæ. Sic enim habet initio corporis. *Dicendum* inquit *quod non decebat vt Filius Dei* & cætera verba quæ posui in obiectione. ergo accipit corpus quà ab imaginario ex aduerso diuiditur. A Doctor.

Vnde retorqueo argumentum: quia eo modo vult esse columbæ verum corpus, quo modo sumit verum corpus Filij Dei. hoc enim adducit ad corpus columbæ explicandum. Sed sumpsit

C in eo art. corpus filij verum quà opponitur phātastico: ergo & corpus columbæ. Minor patet ex verbis citatis. Dico tamen *in eo articulo.* quia certum est ex fide Catholica Verbum assumpsisse verum corpus humanum. Sed quod aio est, hoc ibi A. Doctori non intendi. quia solum ibi vult corpus verum opponere phantastico vt dictum est. Vnde dixit ibidem *non fuisse difficile Deo sine columbarum ministerio verum columbæ corpus figurare.* Ergo intellexit verum corpus per configurationem & repræsentationem, non autem quoad veram columbæ substantiam & animationem. quia non dixisset *figurare*, sed producere, conflare, creare, &c. Ad illud, quod additur ex solutio- A.Doctor.

D ne ad 2. dico eodem modo; nempe vt dixit in c. non fuisse superfluum formare veram columbam, hoc est figurare verum corpus columbæ; non quidem verum veritate essentiæ columbæ, sed verum veritate corporis referentis columbam reipsa, non solum quoad imaginariam visionem. Hoc enim erat propositum A. Doctori, vt negaret esse corpus phantasticum. Idcirco adducit Augustinum in argum. *Sed cōtra* dicentem, non esse affirmandum Spiritum sanctū falaciter apparuisse oculis hominum, &c.

In summa hæc nostra doctrina sic ferè ex dictis confirmari potest. Primò, quia A. Doctor ex S. Augustino probat libro de Agone Christia- A. Doctor. S. August.

E no cap. 22. fuisse verum corpus columbæ. At eo loco S. Augustinus solùm dicit verum corpus non imaginarium & per simulachra corporis, vt etiam obseruat noster Maldonatus in cap. 3. Matthæi vers. 16. Secundò, quia ad 1. ibidem A. Doctor excludit solùm quod Spiritus sanctus apparuerit in similitudine columbæ, non autem excludit quòd apparuerit in corpore, quod verè visum sit columbæ. Ad hoc autem sufficit si non sit similitudo per modum speciei & laruæ, quæ sine vlla veritate corporis sit solùm sensibus apparens, vt sunt sensuum delusiones, & præstigiæ. neque enim aliud significant eius verba. Maldonat. A. Doctor.

Tertiò

Tertiò patet ex ratione A. Doctoris: nam debuit esse verum corpus columbæ, ne sit aliqua fictio in spiritu veritatis, vt ibi docet in contextu. At ne sit aliqua fictio, satis est si sit verum corpus, non autem eius speciei substantialis, cuius accidentia videntur vt dixi ex eodem A. Doctore in 2. sent. & q. illa 6. de Pot. Quartò quia A. Doctor in corpore eius articuli septimi docet fuisse verum corpus columbæ; quia non erat difficile Deo verum corpus columbæ *figurare*. Quod verbum sine dubio non significat substantialem formæ productionem, sed figuram inducere in corpus præexistens. Ergo verum corpus erit columbæ veritate corporis repræsentantis columbam, non autem veritate corporis, quod eiusdem speciei & formæ esset cum viua columba. nam etiam dicimus veram esse personam Regis, qui Regem repræsentat in tragœdiis, quatenus verum opponitur imaginario. vt sic dicamus esse veram Regis personam repræsentatam per illum qui ad id muneris destinatur, non autem aliam eius per quem repræsentari non debet, sed talem personam sibi arrogat. Qua ratione aliquis in tragœdiis sibi clam ad fallendum vsurpat nomen Regis, quod alteri personæ assignatum est, vt inde appareat dolus aliquis atque inuolutæ insidiæ detegantur.

S. August. S. Ambros. S. Chrysost. Suarez Valentia. Maldonat. Hanc autem sententiam nostram esse communem Sanctorum Patrum Augustini, Ambrosii, Chrysostomi patet ex iis quæ habet noster Suarez tom. 2. in 3. p. Disput. 27. sect. 2. & Valentia hic disput. 4. q. 2. p. 2. Maldonatus loco citato. *Non columba descendit* inquit Ambrosius libro 1. de Sacramentis cap. 5. *sed quasi columba*. Neque enim ad illum finem, quem Deus in ea apparitione sibi præfixerat, erat aliud corpus columbæ necessarium, sicut in cæteris apparitionibus. A. Doctor. Nam vt optimè etiam obseruat A. Doctor in hoc a. ad 2. corpora sensibilia diuina virtute sic formantur ab Angelis, quatenus congruunt ad repræsentandas intelligibiles proprietates. Ergo cùm ad has satis sit corpus ex elementis formatum, non est necesse ponere verum columbæ corpus, quod sit altera pars veri compositi, quod est ipsum columbæ animal. Immò cùm constet in apparitionibus quæ administris Angelis fiunt nullibi sumi vera corpora, vt etiam Suarez. expressè notat Suarez eodem loco versus finem sectionis, constare etiam poterit illud non fuisse verum columbæ corpus; cum quo, anima columbæ faceret veram columbam. Constet ergo Angelos non assumere vera corpora aliunde quouis modo formata, quæ viua per animam sint.

Certum est Angelum posse apparere assumpto corpore alicuius iam vita functi, quod multis apparitionibus patet. §. 2.

SVperest ergo inquirendum de corpore aliunde formato non viuo; nempe cadauere hominis; Vtrùm scilicet vt suprà dicebam, Angelus tali corpore in suis apparitionibus vti possit aut soleat. In qua re etiam illud compertum omnibus est: Posse Angelum assumere aliquod corpus olim viuentis & iam demortui, præsertim si nondum dissolutum sit, cuius motum ita

A attemperet, vt viuentis speciem præ se ferat. quin etiam vt sensum tactus fallat, si imprudens aliquis & parum attentus illud attingat. Quod aliquando contigisse reipsa testis est Guilelmus Parisiensis parte vltima De vniuerso, vbi etiam narrat, dæmonem aliquando assumpto bestiæ cadauere delusisse militem existimantem se potiri Virgine, cùm tamen re perfecta in amplexu bellulini ac fœdissimi cadaueris se esse cognouerit. Guilelmus Parisiensis.

Aliud eius rei exemplum certissimum afferam ex Plegonte, cuius auctoritate eclipsim Christo moriente accidisse comprobarunt Paulus Iurisconsultus l. Antiq. ff. si pars hæred. pet. B & Origenes tract. 29. in Matth. cuius Phlegontis etiam verba asserentis se oculata fide has personas cognouisse refert noster Martinus Delrius libro 2. Disquisit. Magic. q. 28. sect. 1. quæ cùm rem ipsam admirabilem, & compendio enarrent, libet hic apponere. Et quanquam scio hanc ipsam historiā narrari ab aliis, inter quos est Ianus Iacobus Boissardus libro de diuinatione & Magicis præstigiis in ea parte quæ est de spirituum apparitione cap. 10. vbi etiam eam refert ex Æliano Phlegonte Adriani Imperatoris liberto. Tamen eam describam, vt eam reperio apud Martinum vbi suprà. De cuius fide ambigendum non est. Phlegon. Paul Iurisc. Delrius. Boissardus. Phlegon. Delrius.

C *Philinnium* inquit *Damostrati hospitis & Charitum filia Machatem hospitem amare cœpit. indignè id ferentibus parentibus mœrore mortua & publicè fuit funerata. Sexto post obitum mense cum eo reuertisset Machates, ingressa ad illum Philinnium, hospiti se post multa colloquia commisit ut non semel illo vesperi, quo & cum eo cœnam sumpsit, & annulum ferreum, & poculum inauratum a Machate dono accepit, ipsi vicissim annulum aureum & fasciam pectoralem dedit. Nutrix dum pergit sedula ne quid hospiti desit satagere, videt cum eo in lectulo iacentem alumnam. Læta parentibus id indicat, illi stupentes accurrunt, & altero die vtrumque deprehendunt, & cum eiulatu dormientem cum hospite filiam amplectuntur. Sed toruis in eos intuens Philinnium. O vos crudeles ait in filiam parentes! Ergone vos inuidisse mihi meo Machate paternæ in do*D*mo vel triduum solum frui? Magno vobis dolore hæc sine curiositas sine duritia stabit. renouabitis dolores præteritos, & filiam iteratò sepelietis. His dictis expallait, & cecidit cadauer mortuo simile, seu potiùs vt erat mortuum. Concidêre simul vterque mœrore oppressus parens. Re populus & magistratus intellecta iubent sepulchrum aperiri: vacuum id corpore repertum. Erant in eo duntaxat annulus ferreus & scyphus auratus dona Machatæ; sed in cubiculo & lectulo inuentum cadauer Philinnij: & Hilli cuiusdam auguris consilio eiectum vt prodigium extra vrbis limites auibus ac feris deuorandum. Ipse Machates a spectro se delusum videns sibi paulopòst manus ignominiam non ferens consciuit.* Hæc E Plegon. Plura leges apud eundem Martinum.

Aliam huic similē historiam desumpsit idem Boissardus eodem loco ex aliis auctoribus de quadam muliere in primis superstitiosa in vrbe Veruini Picardiæ. Huic enim Nicolę (id erat nomen illi) sæpè dæmon apparebat, suadebátque vt in varia Sanctorum loca ac templa peregrinaretur, darétque operam vt plurima sacra fierent, & alia id genus. In eam tandem, vbi mulier simplex nimiùm fallacissimo dæmoni obtemperasset, ingressus diabolus est. *Postea* inquit *à pluribus dæmonibus occupata miserrimè vexabatur*, &c. *Interim vnus ex iis dæmonibus qui Nicolæ corpus in-* Boissardus.

naserant assumpto corpor. cuiusdam suspensi in latibulo Arnoiensi, peregrini specie ad virum eius mulieris venit, cum eo familiariter colloquitur, &c. optat (vt summatim dicam) hanc facultatem sibi à viro dari, vt vna nocte cum eius vxore degat. id enim sibi satis esse aiebat, vt vxori salutem restitueret, liberámque à Dæmonibus redderet. Vir communicata re cum quodam ludimagistro, negat se vxorem eius arbitrio permissurum. (Ab eo enim ludimagistro acceperat exorcismis atque adiurationibus dæmones e corporibus non medicorum ope abigi) ad extremum ducitur mulier in templum. Post adfuit cum peregrino vir. Illa statim ad maritum conuersa exclamauit *Beltazo Beltazo*. Sic enim dæmon vocabatur. *Ad hanc vocem omnes converterunt oculos in Beltazonem. Qui exorcismis expulsus, corpus illud humanum assumptitium excussit; motoque horrendo strepitu, relictoque fœdissimo odore se proripuit foras, & in aerem sublatus disparuit.* Multa alia ex aliis narrare pergit, quæ prætermitti nunc necesse est.

Ex his autem collige posse Angelum assumere cadauer, quod non probe attendentis sensus omnes fallat, etiam tactum: nam ille Machates specie illa ac forma mulieris decipiebatur, adeóque animus voluptati intentus, Dæmonis fallacias non agnoscebat. Dixi tamen *non probè attendentis*: Nam vt suprà diximus, sensus tactus sensuum certissimus est, & minime fallitur in comprehensione sui obiecti si debito modo attentus sit. Quam quidem attentionem potest auertere dæmon subiiciendo phantasiæ varia rerum seu delectabilium seu quarumcunque aliarum simulachra; quæ quidem in dæmonis esse potestate certum ex dictis est. Et ideò vt rectè obseruauit noster Gabriel Vasquez hic disp. 184. cap. 2. si debita sit attentio, facilè iudicare posset sensus, in huiusmodi assumptis corporibus non esse veram mollitudinem ac duritiem, & cæteras qualitatum temperies. vnde nonnulli hæc cadauera assumpta & aërea corpora formata deprehenderunt esse tactu frigida, & horrida, apud Alexandrum ab Alexãdro Genialium dierum libr. 2. c. 9. Refert enim quendam cùm in lectulo cum quodam huiusmodi spectro luctaretur, iudum illius pedem vsque adeò gelidum ac rigentem attrectasse, vt nulla glacies cum eius frigore comparari posset, & alia apud Cardanum lib. 16. de Variet. cap. 13. Huc refero illum qui cùm vt est apud Caietanum 2. 2. q. 95. art 3. de huiusmodi frigido, horridoque corpore conquestus esset, à dæmone tale responsum audiit, *se non posse carnes facere meliores.* Quod nos etiam suprà significauimus.

Vasquez.

Alexand. ab Alex.

Cardanus.

Caietanus.

Neque huic argumento satisfacit vir inprimis eruditus & pius, dum ait inde hoc prouenire, quia vel dæmon teporem illum non vult adumbrare, vel quia non permittitur id à Deo facere. Non inquam satisfacit: nam sine firma ratione asserit sensum tactus falli, ac proinde nullam homini relictam viam concedere tenetur ad dæmonum præstigias internoscendas, quod quidem Deum & Naturam accusare esset, & nos suprà refutauimus. Quod autem ait, si dæmon sensuum principem nempe visum potest decipere, cur non queat tactum maximè terrestrem & vilissimum, miniméque spiritualem? non vrget. Nam certus non est ex eo sensus, quia spiritalior. Alioqui imaginatio certior esset visu & tactu: cùm tamen constet, eam facilius falli,

A sed ex eo quòd proprium immediatius ei obiectum applicari potest ac debet, ac proinde in certitudine minimè ab extraneis dependet, quæ confusionem parere possunt, vt suprà docuimus. Vnde etiam est vt cæteri quoq; sensus certi sint de suo obiecto, si debitè sit illis applicatum, quia tunc minime perturbari ab iisdem extraneis possunt; quia scilicet si debito modo se habeat ad potentiam, huiusmodi extranea non interponuntur; vt ex. gr. si aer sit illuminatus, nec inficietur vaporibus, & similibus halitibus, potentia verò sit rectè disposita, poterit obiectum debitè à potentia distans sine vlla ambiguitate apprehendi; & sic de cæteris. Constat ergo posse B Angelum assumere corpora aliunde formata, non tamen viuentia.

Difficultas præsens est, an Angelus sibi formet corpus ex elementis. §. 3.

Itaque superest difficultas de assumptione corporum non viuentium, quæ ipse sibi Angelus de nouo format. Dico *non viuentium*, quia viuentia non potest assumere, cùm sit eadem ratio siue ab ipso formentur, siue non; de quibus satis dictum est. Quærimus ergo in præsenti: Vtrùm huiusmodi corpus quod ab ipso Angelo C formetur, ex elementis assumatur. Quæstio autem est de elementis, quia ex his formantur mixta tum perfecta tum imperfecta, qualia debent esse corpora illa assumpta. Simplex enim ac purum elementum, nec colorem nec temperiem ad huiusmodi corpora repræsentanda, aptam habere potest, vt mox arguam.

Ex Parte Negante videntur illa esse. Primum, quia non fiunt huiusmodi corpora ex vno elemento, neque ex pluribus simul. ergo ex nullis. Antecedẽs probatur; & primò quòd non ex vno, quia ex vno non possunt fieri qualitates siue tangibiles, nempe talis temperies & mollitudo, quę non simplicia, sed mixta corpora cõsequuntur; siue aspectabiles: cùm colores veri & appa- D rentes plurium corporum mixtioni debeantur. Cùm ergo Angelus nihil producere possit nisi actiua passiuis applicando, sequitur ex vno tantùm elemento huiusmodi corpora quæ tali qualitatum temperamento constent, non posse formari.

Deinde probatur, quòd non ex pluribus, quia aut ex elementis pluribus formaretur mixtum aliquod corpus, aut ex ipsis elementis permanentibus existerent illæ corporum mixtorum figuræ & qualitates, nempe corporis humani sine forma substantiali corporis. Hoc posterius dici non debet. Nam si ex illis elementis necessariò E existunt figuræ & qualitates, quæ sunt propriæ corporum mixtorum, cur ipsa mixta substantialiter non existent? Neque enim diceret rectè aliquis ea impediri virtute Angeli ne consequantur: Nam Angelus sicut nihil efficere in natura potest (excipio motum localem) nisi applicatione actiuorum cum passiuis, ita nec impedire effectus nisi eorumdem amotione; Vt si calor sequitur ex igne, non poterit impedire calorem, nisi remotione ignis; & sic de cæteris. Ergo si applicata sufficiunt vt mixtorum proprietates existant, sufficient quoque, vt formæ quarum illę sunt proprietates, consequãtur.

Prius

Prius autem illud improbatur: quia corpus illud mixtum non facile in sua elementa dissolueretur, nempe caro, os, neruus & cætera, quæ sunt in hominis corpore, cùm Angelus aspectũ hominis induit, cùm tamen constet, Angelum momento tẽporis ex oculis se subtrahere. Quod si dicas non subtrahi illud corpus, sed non percipi sensu, iam recurritur ad miracula, nec naturaliter philosophamur ex rebus perspectis. quod sine necessitate faciendum non esse, supra dictum est satis.

Alia argumenta congerunt Scholastici in 2. d.8. vt probent, non assumi corpus ex elementis; nimirum quòd non posset esse ignis, quia est corpus nimis actiuum rarum & purũ, ac proinde offenderet tactum nimio calore, non esset aspectabile ob raritatem nimiam, nec sentiri sensu posset, vt caro & alia huiusmodi temperamenta, quæ non puras vnius elementi simplices qualitates requirunt. Secundò, quòd non possit esse aër eodem modo ab ipsis probatur: nam nec formari, nec tangi, nec cerni potest corpus aëreum: quia nimis pellucidus est, ac transpectum nimis apertum oculis præbet, nec perfectè tangi ob raritatem potest. Idem dicunt de aqua: quia nec consistit, sed diffluit, nec cæteras habet qualitates iam dictas. quę multò magis probant terram esse non posse: neque enim aut qualitatum illam complexionem, aut requisitam agilitatẽ, lucémque aut colorem varium quę in corporib. assumptis cernuntur, recipere in se naturaliter potest. quæ quidem optimè rationem dubitandi mouent.

A Parte affirmante sunt omnes ferè Theologi ex elementis quidem omnibus admixtis, præsertim verò aëre corpus assumi arbitrantes. Ita docuit A. Doctor in hoc a.2. ad 3. vbi ait *posse aërem condensari vt patet in nubibus.* Quare intelligit aërem admixtis cæteris vaporibus, vt explicat q.6. de Pot. artic.7. ad 7. vbi ait, nomine aëris intelligere omnem illum *vaporem, seu fumum qui in aëris naturam tendunt.* Idem expressè docuit Ægidius in 2. d.8. q.1. art.3. in resolutione dubij 2. S. Bonau. ibidem 2.p.d. art.2. q.2. Ricardus q.1. art.3. ad 3. Scotus q.1. §. *in ista quæstione* versiculo *nũ tunc assumit.* Gabriel q.1. ar.2. notatione 1. Eodem prorsus modo sensit Durandus, qui à quibusdam refertur ac si doceat ex puro aëre formari huiusmodi corpora: Quod verum non est. Nam Durand. in 2. d.8. q.1. n.7. ait ea formari *de aëre inspissato qui facillimè colorari, & figurari potest sicut patet in nubibus.*

(A. Doctor. — Ægidius. — S. Bonau. — Ricardus. — Scotus. — Gabriel. — Durandus. — Albertus.)

Albertus verò de quatuor coæq. p.p.q.9.a.11. §. *ad sequentem auctoritatem* dicit fieri ex aëre *qui facilius recipit condensationem, & subtiliationem*; qui non est purus aër sed admixtus vaporibus, &c. Certè nomine aëris videntur intelligere illud elementum, quod est in hoc spatio supra aquam ad ignem vsque, in quo comprehenduntur nubes venti vapores, &c. At idem Albertus in p.p. summæ tract.18. q.75. m.2. videtur non eodem modo sentire. nam *Dicendum* inquit *quòd Angeli ex æthere corpora assumant, & quòd habeant potestatem densandi ea, non commixtione alterius corporis, sed simpliciter, &c. & quod habeant potestatem ad solidum redigendi ea vt resistant tactui, &c. Æther autem licèt multipliciter dicatur vt docet Aristoteles in Meteorologicis, tamen principaliter dicitur corpus non igne, sed lumine inflammans & inflammatum. & talis est superior pars aëris, quæ pura est, eo quod vapores ad ipsam* A *non attingunt. Luminosa autem est ex lumine, siue inflammata ex propinquitate siderum.* & concludit. *Ex hoc ergo meo iudicio corpora assumunt secundùm quod potest elici ex dictis sanctorum.*

Idem prorsus videtur sensisse Alexãder; nempe formari corpus de puro ac supero aëre. Nam 2.par.q.34.m.4. ait, duplicem esse aëris partem; superiorem *quæ purior est, quæ propriè dicitur æther,* & inferiorem quæ non est ita pura, & propriè dicitur aër. ex quo ait bonos Angelos *de æthere assumere corpora,* malos autem de aëre; aitque, de æthere posse corpora spissari & rarescere. Quare ex puro aëre non admixtis cæteris elementis corpora assumi a bonis Angelis videtur sentire. Alexander.

B Idem de dæmonibus docuit Albertus eodem m.2. ad 1. *Dæmoni* inquit *post peccatum ad cõgruitatem tentationis debetur aër caliginosus, &c. ex ipsa enim caligine signanter respondit quod tentator est & mendax.* Albertus.

Corpus assumptum non esse ex corpore cælesti sed ex elementis, nempe ex aëre admixtis cæterorum elementorum particulis. §. 4.

C NOtandum est omnes Theologos locis citatis conuenire in hoc, quòd corpora ista non formentur ex corpore cælesti: Omnium ratio est, quam fusiùs exponit Ægidius vbi suprà in resolutione artic. 3. Nam aut esset noua cæli pars creata, aut recisa ex ipso cælo: neutrum autem naturaliter esse potest. non quidem noua, quia è nihilo procreanda esset, cùm cæli corpus nulli sit corruptioni obnoxium, ac proinde generari non possit. Verè enim Aristoteles dixit lib.1. de cælo cont.125. reciprocè dici hæc duo; nempe ingenerabile & incorruptibile. *Si hæc* inquit *ad inuicem sequuntur, & quod ingenerabile incorruptibile est, & quod incorruptibile est ingenerabile, &c.* Illa ergo pars creanda de nouo foret. Non recisa: quia cæli substantia diuidi non potest à creatura: cùm cęlestes orbes *solidissimi sint quasi are fusi,* vt dicitur Iob c.37. Immò etiamsi scindi posset, non faceret tamen ad finem apparitionum Angelicarum, quarum corpora completo ministerio euanescunt. (Ægidius. — Aristoteles. — D — Iob 37.)

Et certè frustrà in has angustias se Theologi conijcerent. quandoquidem horum corporum asserendorum nulla necessitas est. ergo remanet vt aliunde sibi corpora consient. ergo ex aliqua materia præiacente, ne dicantur creari ex nihilo. quod tamen neque necesse est, nec dici potest in multis apparitionibus quæ dæmonum sunt ad prauos fines, ad quorum assecutionem Deus non præbet solus miraculosè media per creatio- E nem ex nihilo. Ergo debent sumi hæc corpora ex materia elementorum, nam ex mistis immediatè coagmentari non possunt. mista enim difficiliùs coalescunt, quàm elementa. Quoniam satis constare potest, hæc elementa à natura instituta esse ad concretionem. Quod ex elementi definitione tradita lib.5. Metaph. cont.4. apertũ est. Est enim elementum *ex quo aliquid componitur primo inexistente indiuisibili specie in aliam speciẽ:* Quæ causa est, vt ab eodem Aristotele dicantur libr.1. de An. cont. 82. *esse similia materiis.* Immò, quia elementa debuerũt promptam facilémque materiam Aristoteles.

materiam mistis præbere, oportuit ea nullam habere figuram. hoc natura prouidente, vt elementa mistorum figuris, cæterisque modis se accommodent, vt docet Aristoteles 3. libro de cœlo cont. 67. cui consentit Plato in Timæo vt ibidem refert Aristoteles. *Natura* inquit *videtur hoc ipsum declarare nobis quod & secundum rationem est. quemadmodum enim & in aliis sine specie & forma oportet subiectum ipsum esse. (maximè enim sic poterit formari quemadmodum in Timæo scriptum est, id quod omnia suscipit.) sic & elementa oportet putare, vt materiam esse compositis.* Quibus in verbis obseruare licet obiter, Naturæ nomine hic intelligi non posse aliud nisi Deum, rerum procreatorem, à quo solo in hunc finem formari elementa potuerunt. vt infra hoc ipsum accuratiùs examinabimus.

Plato. Aristoteles.

Cùm ergo hæc Angelorum corpora sumi debeant quæ facilè ac breuissimo tempore coalescant, ac fermè momento è conspectu abeant; ex elementis componi congruentius est, quàm ex vllis aliis corporibus mistis, & videndum ex quibus. Ad difficultatem ergo respondetur & sit

Vnica Propositio. Corpora assumpta in apparitionibus Angelorum conflatur ex aëre admixtis cæterorum elementorum particulis, non autem ex puro aëre. Dico *ex aëre admixtis cæteris*; vt significem potissimam partem esse aëris, vt docuerunt A. Doctor, cæterique citati Theologi. Probatur autem vtraque propositionis pars: quia ex ea materia debent ea corpora conflari, quæ sit apta ad varios colores, & temperamenta qualitatum, è quibus figuretur, & formetur corpus, quod hominis siue cuiuscunque alterius corporis viuentis seu misti simulachrum sit. (loquemur autem, vt ante monui, potissimùm de homine, vt de reliquis simile fiat iudicium) At aër admixtis cæterorum elementorum particulis est solùm huiusmodi materia, non autem purus aër. Ergo corpora assumpta conflantur ex aëre admixtis cæterorum elementorum particulis, non autem puro ex aëre. Maior est certa: quia Angeli apparent in corpore prædito prædictis qualitatibus, quod non esset si corpora non conflarentur ex materia ad eas affectiones apta. Minor probatur: & primò quòd aër purus non sit apta materia ad illas qualitates. Nam purus aër non est aptus conspissari, vt opacetur in densitatem capillorum, & in nigrorem pupillæ, vnguiúmque duritiem, aut in mollitudinem, temperaturámque carnis euadat, ac denique ad varietatem vestium coloretur; & alias propè innumerabiles proprietates præ se ferat. est enim aër ex se rarus, & æquabiliter pellucidus ad transpectum, ita vt sit *apparens incorporeus*, & eius spatium penè videatur *vt vacuum* ex Aristotele libro quarto Physicor. contextu quadragesimo. vnde A. Doctor infrà quæstione sexagesima-octaua a. 3. c. docet, quia *aër non percipitur ab omnibus esse corpus, ideo quidam philosophi dixerunt aërem nihil esse, plenum aëre vacuum nominantes.* Itaque ex se talem raritatem poscit vt nunquam sine violentia comprimatur, vnde est vt si nimium plus quàm eius natura fert condensetur magna vi contrà obsistat, atque excludat obstaculum; vt cùm globulos efflamus per tubulos, cùm vesicas nimium inflamus. has enim effringit aër, nec sine crepitu violentus erumpit. multóque id clariùs patet in bombardis, cæterísque bellicis tormentis, & similibus. Ergo Angelus non posset ita aërem densum facere, quin suâ naturâ obstaret, & quantum fieri posset rediret ad debitam raritatem. vt enim suprà diximus, nihil gignit Angelus motu locali excepto, nisi applicatione suarum causarum.

A.Doctor. Aristoteles. A.Doctor.

A

Quòd autem sufficiat aër admixtis prædictis particulis probatur: quia ex tali temperamento apta sunt oriri varia mixta imperfecta, quæ aliquanto temporis interuallo consistunt; vt nix, pruina, grando, glacies, fulgura. immò & lapides, sanguis & alia mixta, quæ fiunt in sublimi aëre, quæ meteorologica dicuntur. quorum omnium materia est vapor & exhalatio, quæ è terra vi solis extrahuntur, commiscentúrque cum aëre; vt apertè patet ex Aristotele libro 2. Meteor. sum. 2. capite 1. Ergo cùm hæc optimè norit applicare, & iungere possit Angelus velocissimè. (quanta enim velocitate cœlum circumagitur?) celerrimè ac ferè momento similia & varia mista conflabit pro arbitrio, & varias qualitatum temperaturas efformabit, vt visum ac tactum verè mouere tanquam obiectum extrinsecus applicatum possit. hac enim tanta in mouendo corpore celeritate præditus Angelus mira ac stupenda hominibus præbet aliquando spectacula. Hinc enim fit, vt rem aliquam possit ex oculis amouere, & aliam substituere tam festinanter, vt animos atque oculos intuentium fallat, credántque rem illam non subtractam oculis, sed conuersam in eam quæ successit, vt suprà de Diomedis sociis in aues conuersis dicebamus.

Aristoteles.

B

C

Huius generis probabile est eas esse in lupos hominum conuersiones, quas frequenter accidere in Prussia, Liuonia & Lituania auctor est Olaus magnus de rebus Septemtrionalibus libro decimooctauo cap. quadragesimoquinto. *Quamuis enim* inquit *luporum rapacitatem per totum ferè annum incolæ haud exiguo cum damno experiantur, &c. tamen hoc dispendium non adeò magnum ab illis reputatur, quàm quod ab hominibus in lupos conuersos sustinere coguntur. In festo enim Natiuitatis Christi sub noctem statuto in loco, quem inter se determinatum habent, tanta luporum ex hominibus diuersis in locis habitantibus conuersorum copia congregatur, quæ postea eadem nocte cum in genus humanum, tum in cætera animalia quæ feram naturam non habent, sæuit; vt maius detrimentum ab illis istius regionis habitatores, quàm vnquam à veris & naturalibus lupis accipiant.* Et pergit hæc fusiùs declarare. Callidè ergo dæmon hominibus subtractis supponere lupos ferocissimos potest, qui his detrimentis eas regiones ob peccata vexent. Vel certè si alios veros animatósque lupos non sufficit, potuit ipse assumpto lupi corpore & sibi circumdato ista gessisse. Quod verosimilius mihi ea in re videtur. etenim ea patrantur ab illis, vt luporum natura ad ea efficienda non sit satis. *Cellaria enim ceruisiarum ingrediuntur* inquit, *ac illic aliquot ceruisiæ ac medonis tonnas epotant, ipsáque vasa vacua in medio cellarij vnum super alius eleuando collocant, in quo à natiuis ac genuinis lupis discrepant,* & cætera. Vtro autem modo fit, nihil ad præsens negotium refert. Satis enim est si constet rem subtrahi à dæmonibus tanta velocitate, vt rem in aliam conuersam credas non ex oculis ereptam. Quales fuisse conuersiones Diomedis & sociorum in aues, & Iphigeniæ in ceruos asseruimus ex sancto Augustino libro decimooctauo Ciuit. cap. 18.

Olaus Magnus.

D

E

S. Augustin.

Inter quas fraudes illam mirabiliter Cæsareæ

Philippi

Asterius.

A Philippi aperuit Asterius insignis pietate, nobilitate, facultatibus, propinquitate etiam regia, & Romanæ vrbis Senator apud Eusebium Cæsariensem libro 7. histor. Eccles. cap. 15.

Euf. Cæsar.

Aiunt inquit Eusebius *sub radice montis qui appellatur Paneas; ex quo fluuij Iordanis primæ elementa prosiliunt, morem fuisse gentilis erroris certa ac solemni die immolari victimam, quæ arte quadam dæmonis subitò nusquam comparebat. & erat hoc famosissimum miraculi genus, quo persuaderi astantibus videretur in cælum hostiã visibiliter esse sublatam.* Adfuit ergo tunc Asterius, qui cũ videret omnes miraculo obstupefactos, Christum profusis lacrymis inuocat, vt præstigias fallacis dæmonis arguat: *& subitò victima quæ credebatur assumpta superferri aquis videtur, & conspectibus omnium redditur:* B Dæmonúmque fraudes conspectæ sunt, ita vt nunquam deinceps talia miracula visa sint. Ita enim subiungit Eusebius: *Vnius Christiani prece tantorum sæculorum deceptionis machina cum auctoribus suis dæmonibus dissoluta est.* Quod si Abacuchum prophetam Angelus corpore grauẽ ferè momento in dissitas terras transtulit, quãtò faciliùs ac breuiore temporis spatio corpuscula elementorũ in varias oras transportabit: lege Pererium lib. vltim. in Danielem versus finem.

Pererius.

Simili etiam ratione supposita puto quæ dæmones videri volũt corporibus humanis inserere, vt clauos, calculos, setas, pilos, acus, spinas & alia huiusmodi, cute hominis nulla ex parte læsa. C Non enim facere dæmones possunt vt corpora per alia corpora permeent ac transeant, nisi illa intermedia per quæ transeunt discindantur, cùm nequeant nisi ea præstare, quæ naturalium agentium vi effici possunt, vt infrà suo loco ostensuri sumus. Hæc verò frequentissima hoc tempore sunt. Celebre est illud quod à Boissardo narratur libro de Magia cap. 5. accidisse in Germania superioribus annis, licet incredibile videri possit accepisse tamen à fide dignis profitetur. Anus mendica petiuerat panem ab ancilla quadam,

Boissardus.

quæ pro foribus sedens inquit *cultro repurgabat rapas ad domini prandium. Hæc morosiùs ac duriùs quàm par erat mendicam excipiens, illam iussit se inde mouere, verbera minitans nisi se ocyùs reciperet.* D *Atqui respondit mulier, tu temeritatis tuæ pœnas breui dabis: ita abscessit à conspectu ancillæ grauiter indignata. Quæ circa se versans oculos nusquam cultrum suum inuenit. Sed latus intorquens tanquam vulnere accepto flebiliter querebatur. Ingrauescentibus doloribus & summo cruciatu debilitata puella, medici aduocantur qui de morbo iudicarent, & illi mederentur.* qui quid mali intra viscera latitaret ignorare se aiebant. tandem *iam locus læsus apostema indicabat. resoluitur tumor, apertáque cute sese exerit cuspis cultri fœda rubigine infecti extrahitur à medicis.* Quem cultrum agnouit puella cum esse quo pridem rapis repurgauerat. Puto ergo potuisse paulatim mira arte à dæmone ex durioribus humoribus cultrum figurari dum extraheretur, postea verò medicis aliisque ea de re disceptantibus à dæmone incredibili dexteritate suppositum esse cultrum illum, quo puella pridem vtebatur. nec mirum si id dæmoni damus, quando & circulatores non dissimilia adeò celeriter faciunt, vt homines decipiant. dum & gladios deuorare videri volunt, & enses deglutire.

Apuleius.

Circulatores inquit Apuleius libro primo De asino aureo *aspexi equestrem spatham præacutam mucrone infesto deuorare.* Ergo dæmon id multò magis præstare potuit, qui & præstigiis ludere sensus potest.

Possunt ergo incredibili celeritate iungere actiua passiuis, vt idcircò Tertullianus in Apologetico capite vigesimosecundo dixerit, *dæmones momento esse vbique, & totum orbem illis vnum esse locum;* atque ita queunt formare quamcunque effigiem, non solum quoad colores apparentes ex admixtione lucidi cum opaco, verùm etiam quoad veros, & temperiem quoad veram duritiem & mollitudinem, &c. Quia sciunt harum causas, eásque ferè momento applicant: vnde est vt non possint breui eam temperiem facere, quæ est carnis ossis, &c. animantium saltem perfectorum. nam horum effectrix causa est semen prolificum, quod in fœminæ matrice coalescere debet in carnes ossa & alia huiusmodi, suóque incremento augeri, quæ fieri non possunt nisi longo tempore: Inde est, vt suprà dixi, illa iuuenis querimonia ex Caietano cum dæmone de carnis mollitudine, cùm nimirum attentio adhibetur, ac diligens examen. Quo etiam pacto Diabolus apud Cæsarium libro tertio, capite sexto non tam lusit puellam mendacissimus, quàm veritatem coactus prodidit cum dixit: Quando corpora à dæmonibus sic assumuntur ea dorso carere.

Tertullian.

Caietanus.

Cæsarius.

Quòd si non sit diligens attentio, facilè sensus eam qualis ea sit duritiem ac mollitiem, tanquam veræ carnis attrectabit. Sic Genes. 18. legimus Angelorum Abrahæ apparentium pedes ablutos, nec deprehensam veritatem scilicet præoccupatione opinionis ob verorum ossium & carnium similitudinem, vt obseruat noster Vasquez disput. 184. cap. 2. §. *Ex hac doctrina.* Gentiles porrò nimis suorum falsorum Deorum oraculis addicti, vera hominum corpora credebant huiusmodi spectra. Tales enim fuerunt apparitiones Gentilium Idolorum, vt Castoris & Pollucis ad lacum Regillum & ad fontem Iuturnæ, & alia innumerabilia, quæ apud Valerium Maximum & Poëtas Gentiles reperies. Lege Gyraldum libro de Diis Gentium Syntagm. 5. & Ciceronem libro secundo de Natura Deorum. vbi paulò post initium ait, Publio Vatieno cùm è præfectura Reatina Romam veniret, noctu Castorem & Pollucem apparuisse, eique nunciasse, Persen regem eo die esse captum. quod cùm ille ad Senatum retulisset; primò quasi temerè de Republic. locutus esset, in carcerem cõiectus est. pòst à Paulo literis allatis cùm idem dies constitisset, agro & vacatione à Senatu donatus est. Idem videbis apud Lactantium libro secundo capite octauo.

Gen. 18.

Vasquez.

Val. Max.

Gyraldus.

Cicero.

Lactantius.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, quis Patrum sensus sit, cùm dicunt, Angelos sumere corpus de aere; vt Gregorius & Beda apud S. Bonauenturam vbi suprà in vno ex E argumentis *ad oppositum.* vt suprà vidimus ex libro 28. Moral. cap. 2. ille enim ait: *nunquam Angelus videri potuisset nisi corpus ex aere assumpsisset.* hic verò: *Angeli ad nos venientes corpus ex aere sumunt.* Præterea quis sensus sit verborum Tertulliani cùm dixit libro de carne Christi cap. 3. Angelos assumere corpora de nihilo, eaque in nihilum conuerti. Sensus enim est ex dictis, quia sunt de substantia aërea, in quam etiam resoluuntur, quæ valgò, vt suprà diximus, putatur esse nihil. Dixi *substãtia aerea;* hoc est subtili, quæ in aërem facilè euanescat. qualis est nubium corpus & similium. quo pacto locutus est A. Doctor, vt suprà dixi.

Gregorius.

Beda.

S. Bonauent.

Tertullian.

A. Doctor.

Neque huiusmodi corpora posse à dæmone ex aëre admixtis cæteris halitibus formari latuisse Maronem libro 10. Æneid. in his apparitionibus (licet hunc dæmonem Deam vocet) patet ex illis versibus, dum Iunonem è cœlo descēdentem, vmbrásque ornātem fingit, vt Turnum è pugna auerteret.

Maro.

Tum Dea nube caua tenuem sine viribus vmbram
In faciem Æneæ visu mirabile monstrum
Dardaniis ornat telis, clypeúmque iubásque
Diuini assimilat capitis dat inania verba,
Dat sine mente sonum, &c.

His enim verbis apertè significat, non posse esse has ostensiones ex solo aëre sed nube mistā esse.

Ex quo etiam vlteriùs sequitur, magnam esse Angelorum ac dæmonum potestatem in aërem. quandoquidem in eo omnes naturales causas applicabiles nisi à Deo impediantur, iungere ac nectere facile possunt ad naturales effectus. vnde Iobi cap. 5. diabolus facit ignem de cœlo decidere, & absumere seruos & pecuaria Iobi: immittit etiam ventum vehementem, qui filium ac filias conuiuantes ruinâ oppressit. hæc enim excitata fuisse arte dęmonum docent Patres Andreas Cæsariensis in c. 13. Apocalyps. vers. 13. S. Thomas & alii in c. 1. Iob vers. 19.

Iob. 5.

Andr. Cæsar.
S. Thomas.

Nec dubitarunt plerique à dæmone immissam grandinem qua Ægyptii puniebantur Psal. 77. *Immissiones per Angelos malos*. Alia multa passim occurrunt, vt Apocal. 7. vbi Angeli damna maxima illaturi populis minantur, quos esse malos Angelos docent Augustinus libro 5. contra Iulianum cap. 1. & alii. Pluuiam à dæmone procurant Indi, vt in epistolis Peruanis nostrorum anno Domini 1590. & 1591. expressit auctor. denique certum est Magos dæmonum operâ posse excitare fulgura, tonitrua, grandines, imbres, & similia meteorologica ciere, & in agros quos volunt immittere.

Psal. 77.

S. August.

Quin etiam in Filandia & Lapponia extremi Aquilonis regionibus affirmat Olaus libro 3. de rebus Septemtrional. cap. 16. ex Gentilium errore Magos vendere solitos ventos: nam mercede oblata tres nodos Magicos nautæ accipiebant, vt vbi primum dissoluerent, ventos placidissimos haberent; vbi alterum vehementiores, at vbi tertium, sæuissimæ orirentur tempestates. Idem (nempe vendi ventos) habes apud Herodotum libro 7. de præfectis Xerxis; quòd ii triduana tempestate quadringentas naues amisere, donec quarta die Magi sacrificiis ac veneficiis, &c. tempestatem compescuerunt. Alia complura quæ huc referri possunt habet Boissardus libro illo de Magia cap. 5. & 6. Nonnulla etiam videre poteris apud Martinum Delrium libro 2. Disquis. Mag. q. 11. §. *Tertiò quod*, vbi etiam confutat Senecam libro 4. Natural. Quæstionum ea quæ diximus negantem, & legem duodecim tabularum ridentem; quæ aiebat: *Ne quis alienos fructus excantassit.* Ridet autem sic: *Rudis adhuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus & repelli, quorum nihil posse fieri tam palam est, vt huius rei causa nullius philosophi schola intranda sit.* Verùm hic videtur hac in re grauitatem philosophicam exuere. Siquidē nimis constanter asseuerat quod ignorat. nam eo etiam nomine leges duodecim tabularum laudantur à Plinio libro 28. natural. hist. cap. 2. & libro 30. cap. 1. & à S. Augustino libro 8. de Ciuit. cap. 19. vbi ostendit has Magorum artes legum sanctionibus iure prohiberi, ac proinde Magorum opera *non esse nisi cum colendorum.* vnde ait in duodecim tabulis conscriptum esse supplicium ei, qui satas aliò conatus fuerit traducere messes. &c.

Olaus M.

Herodotus.

Boissardus.

Delrius.

Seneca.

Plinius.
S. August.

Non est potestatis Angelicæ sibi formare ea corpora, quæ ex prolifico parentum semine nasci debent; falsúmque esse è brutorum semine homines veros gigni. §. 5.

Colligitur secundò, An Angeli possint assumere corpora mixta monstruosa, quæ ab ipsis applicatione causarum efformentur. Constat enim ex dictis partim posse, partim non posse. Potest enim Angelus ea formare corpora viuentium imperfectorum, quæ scilicet ex putrefactione nascuntur, vt vermium, muscarum, ranarum, &c. quia scilicet in his possunt applicare actiua passiuis; Quæ est sententia S. Augustini libro 3. de Trinit. cap. 7. & A. Doctoris infra q. 114. a. 4. Hæc ergo corpora potest assumere; ita tamen vt desit aliquid ad animationem. alioqui si omnia requisita ponerentur animatum ipsum existeret ex necessariis causis. At vt suprà diximus, si animata sint non assumuntur, vt etiam apertè colligitur ex Scoto d. illa 8. cit. q. 1. §. suprà citato. Hæc itaque ab ipsis fieri possunt.

S. August.
A. Doctor.

Scotus.

Non possunt autem corpora perfectorum animatorum: Ratio est quam tetigimus, quia hæc non possunt nasci, nisi ex prolifico parentum semine. Addit Martinus Delrius libro 2. q. 14. posse dæmonem talia viuentia iam producta muliebri vtero includere, aut callide inde educta per clancularios meatus via ipsi cognita aliò transportare; & intra saxa & lapidum viscera reponere, vbi respirent; vt accidisse credit ex historia Guilelmi Nembrigensis lib. 1. hist. Anglic. cap. 28. *Dum enim in quadam lapidicina petra ingens ferramentis finderetur, apparent duo canes in eadem petra capacitatem replentes absque omni spiraculo*, intellige perceptibili. *Videbantur autem esse ex eo canum genere, quos leporarios vocant; sed vultu truces, odore graues, pilorum expertes: & vnus quidem eorum vt dicitur cito defecit; alterum verò stupendæ edacitatis, vt aiunt, Henricus Vuintoniensis episcopus diebus pluribus in deliciis habuit.* & subdit, in alio lapide inuētum bufonem catenulam auream circū collum habentem.

Delrius.

Guil. Nemb.

Verùm valdè ego ambigerem, síntne hæc vera an ficta. Non enim apparet ratio, qua intra petras & saxorum densa corpora possit esse sufficiens ad respirandū aër, cum vix intra ligneas capsas homo respiret inclusus. Quare potiùs crediderim aut fuisse spectra seu delusiones dæmonum, aut certè dæmones ipsos in assumptis corporibus sic visos. Vtrùm autem alia monstra dæmon possit efficere. quale ibidem ait Martinus fuisse quoddam monstrum Brasiliæ altum palmos septemdecim, tectum corio lacertæ, mammis prætumidis, brachiis leonum, oculis rigentibus & flammeis, scintillantibus, semihumana facie, &c. difficile est iudicare. Censeo tamen non posse; quandoquidem hæc fieri nō solent nisi variorum permixtione seminum, atque ex nefario hominū ac ferarum coitu. cuius mo-

Mart. Delr.

di

Castanneda. di fuisse illud quod refert Castanneda in annalibus Lusitaniæ. Quod factum enarrat ibidem his verbis idem Martinus q. 14. *Mulierem ob quoddam crimen in insulam desertam naui deportatam, cùm ibi exposita fuisset, eam Simiorum, quibus frequens locus agmen circumstetisse fremebundum, superuenisse vnum grandiorem, cui reliqui loco cesserint; ab hoc mulierem blandè manu captam in antrum ingens abductam, eique cùm ipsum tum cæteros copiam pomorum, nucum, radicumque variarum apposuisse, & nutu vt vesceretur inuitasse. tandem à fera coactam ad stuprum. facinus hoc multis diebus continuatum; adeo vt duos ex fera filios susceperat. ita miseram (quantò mors optabilior!) vitam egisse per annos aliquot, donec Deus misertus nauim eò Lusitanam detulisset. cùmque milites in terrã aquatum ex proximo ad antrum fonte exscendissent, abessetque forte fortuna simius, fœminam ad inuisos diu mortales accurrisse, & accidentem ad pedes supplicasse, vti se facinore, & calamitosissima seruitute irent ereptum: assentientibusque, & casum miseratibus illis eam cum ipsis nauim ascendisse. Sed ecce tibi simium superuenientem inconditis gestibus, & fremitibus coniugem non coniugem reuocantem: Vt vidit vela ventis data concito cursu de liberis vnum matri ostentat, minatur ni redeat in mare præcipitaturum; nec segniter fecit quod minatus; tum recurrit ad antrum & eadem velocitate ad littus rediens ostentat alterum, minatur & demergit; subsequitur & ipse furens; támque diu nauim natatu insequitur, donec vnda natantem vicere.* Hæc & alia ille.

In qua re illud obiter notari oportet, eos filios non fuisse veros homines; siquidem feræ semen non est tantæ perfectionis, vt nobilissimum corporum præstantissimæ animæ domicilium extruat. Quare non homo, sed monstrum tertiæ speciei mixtæ. Nam vt ait Aristoteles lib. 7. Metaphys. cont. 31. Semen animantium est *quodammodo vniuocum.* quia scilicet facit animal eiusdem naturæ cum eo, vnde est ipsum semen. *Si tamen* inquit *læsura non fuerit.* si nihil nimirum accidat præter naturam, vt cùm mulus ex equo & asino. Ergo sentit commixtionem seminum esse ad diuersas species & monstra. Hinc idem Aristoteles libro 10. Metaphys. cont. 25. docet masculum & fœminam non differre secundùm substantiam, sed has dici posse differentias materiales; hoc est ex materia prouenientes. Rationem subdit; quæ maximè consideranda nobis est. quia ex eodem semine variè affecto nunc mas nunc fœmina generari potest: *Masculus autem & fœmina* inquit *propriæ quidem animalis passiones sunt, sed non secundùm substantiam, verùm in materia & corpore. Quare idem semen aliquam passionem passum aut fœmina aut mas fit.* Vnde inferimus, si ex eodem semine ferarum variè disposito etiam in eodem fœminæ vtero nunc homo nunc bellua generari posset, hominem & belluam non esse diuersæ naturæ. Certum namque esse deberet, si posset simius generare hominem in mulieris vtero, ipsum quoque posse in eodem & simium generare. Cur enim magis esset simij semẽ prolificum ad hominem, quàm ad simium, qui illi connaturalis esse debet. Sentiendum ergo est has diuersorum seminum commixtiones esse ad monstrosa animalia; Præsertim quę fœda mulierum hominúmque libido ex canibus & vrsis plerumque protulit, vt testantur historiæ: Nobis autem placuit hæc retulisse, vt quæ conditionis dæmonum corpora possent esse non ignoraretur. Ex quibus vlteriùs

Aristoteles. Aristoteles.

Colligitur tertiò non esse assentiendum iis quæ docet Guilelmus Parisiensis in 3. p. 2. p. cap. 25. nempe dum putat posse generari homines veros ex vrsorũ semine & similium animalium si quando cum fœmina coeunt. Ostensum enim est Aristoteli hanc doctrinam non esse consentaneam. immò & rationi aduersari sic demonstro. Etenim humani corporis fabrica ab aliqua seminis masculini vi prouenire debet, cùm constet id solum quod ex parte mulieris est, non esse satis. certum enim est, vt docent A. Doctor & Theologi 3. p. q. 32. a. 4. totam vim formatricem fœtus esse ex parte maris non fœminæ. Ideò vt subdit A. Doctor ibidem ad 2. *virtus generatiua fœminæ præparat materiam;* id est subministrat: *virtus autem actiua maris format materiam præparatam.* Itaque non est in fœmina vis actiua nisi in subministranda materia, vt docet A. Doctor eadem 3. p. q. 31. a. 5. ad 3. At secus in semine maris, quo materia formatur. & quãquam controuersia est inter Peripateticos intérque medicos, Vtrùm fœmina emittat semen negante id Aristotele lib. 1. de Generat. animal. cap. 20. & lib. 2. cap. 4. Tamen esto emittat; certum omnibus est efformandi fœtus causam esse penes maris semen. quod ibidem adeò Aristoteles supponit, vt ex eo colligat fœminas non exhibere semen ad fœtus procreationem. *Quod si* inquit Aristoteles eo cap. 20. *mas vt mouens & agens, fœmina quà fœmina vt patiens, sequitur vt ad maris genituram fœmina non genituram, sed materiem conferat.* Certum ergo sit saltem maris semẽ esse præcipuam efformandi corporis causam in hominis generatione. de qua re legi potest noster Suarez 3. p. q. 32. disp. 10. sect. 1. apud quem plurimos leges huius rei auctores.

Guil. Paris. A. Doctor. Aristoteles. Suarez

Ex hoc autem sequitur nullum ferinum semen esse ea virtute præditum, quæ ad tam nobilem corporis structuram etiam in mulieris vtero requiritur. nullum enim instrumentum supra suas vires agere potest; hoc est vltra suæ causæ primariæ perfectionem. quandoquidem instrumentum vt suprà diximus suum effectũ primariæ suæ causæ similem facere debet. vnde est vt Aristoteles libro 12. Metaphysices cont. 13. doceat, *omnem substantiam fieri ab vniuoco, &c. Homo namque hominem generat.* ergo semen hominis homini assimilat non alteri; & sic de cæteris, nisi sit aliquid præter naturam, vt dixerat in libro 7. & paulò antè vidimus; vt in generatione muli. Tunc enim quia semen equi in asinæ vtero impeditur, ne fœtum assimilet equo, efficit mulum animal equo quidem imperfectius, sed tamen quod proximè ad parentum naturam accedat; vt patet ex eodem libro septimo Metaphysic. cont. 28. ibique benè explicant Alensis & Doctor A. Nisi ergo sit aliquid præter naturam, semen animantis nulli similem facit effectum præterquam suo efficienti primario. Quod si sit aliquid præter naturam; nempe ex coeuntibus diuersis, siue vt dixerat eodem libro cont. 31. *Si aliqua læsura fuerit*, tunc ob defectum fit aliquid suo primario efficiente imperfectius; aut saltem non perfectius, etiamsi asinus mas ex equa generet. quia nihil se perfectius quicquam potest producere. quanquam mulus ob rationem materiæ melius dispositæ in equino vtero nonnihil asino videatur perfectius. Erit ergo aliquid diuersæ speciei ab vtroque parente; vt expressè etiam docuit Aristoteles lib. 2. de

Aristoteles. Alensis. A. Doctor. Aristoteles.

de Generat.animal. cap. 6. vbi ait se hoc logicè demonstrare, non quòd non putet demonstrationé esse necessariam. Sed quòd *Logicam appeto* inquit *quia quo omnia sanior est, eo remotior à propriis principiis est.* Ait ergo eo loco ex eiusdem speciei mare & fœmina prolem eiusdem speciei gigni solere, vt ex cane canis. Et subdit: *Ex diuersis etiam speciebus diuersum specie proueniat necesse est. v.g. si canis diuersum est a leone, ex cane mare & leone fœmina diuersum proueniet; & ex leone mare & cane fœmina diuersum.* Constet ergo nullum semen ferinum posse hominem gignere.

Parisiensis. Quamobrem neganda prorsus omnia ea sunt, quæ docet ibi Parisiensis. Sic enim ibi scriptum ab ipso est: *De seminibus* inquit *quorundam animalium quod cum humano semine se applicent ad generationes vnu exemplo notissimo faciam te scire. Scito igitur quia in prouincia Saxoniæ vrsus quidam rapuit vxorem cuiusdam militis, & detulit in speluncam, quam inhabitabat, ibique eam habuit dubus multis & annis, genuitque ibidem filios ex ea, qui postmodum recuperata muliere illa & restituta viro suo vixerunt cum eadem muliere; & facti sunt postmodum milites; & cum essent veri homines de natura vrsina hoc apparebat in eis, quòd vultus eorum in similitudinem vrsinorum vultuum aliquantulum declinabant. cognominationem autem acceperunt à patre scilicet vrso à quo geniti fuerant.* Additque vt magis hæc credibilia fiant rationem. *Tu autem scias* inquit *quia vrsus in duobus assimilatur hominibus, videlicet in hoc quod coëunt tanquam coniugati; & cum decoriati fuerint, tota figura corporis similis apparet hominibus,* &c. Concluditque: *Non igitur mirum si semen vrsinum etiam tanta similitudine humano semini appropinquet, vt ei etiam ad generationem conuenienti coniunctione applicetur.* Hæc Parisiensis. hæc inquam omnia falsa sunt.

Parisiensis. Et primò quod attinet ad historiam; auctorem Parisiensis non nominat; nec rumori vulgi fidendum est; cuius proprium plerumque est incerta pro veris narrare. Scio equidem circumferri tanquam eius auctorem Saxonem Grammaticum. Saxo Gram. Maiolus. Ex hoc enim accepit Simon Maiolus libro Colloquiorum colloquio 7. quem video ei hac in re non consensisse. Subdit enim: *Sed huius rei fides sit penes auctorem.* Sed historia vera sit; nempe natos ex ea fœmina veros homines. id tamen factum esse ex vrsino semine pernegabo ob rationem dictam. Quid ergo? Aio potuisse huiusmodi fœminas de Magarum numero esse, comprimique à dæmone in talium ferarum effigie, aliunde translato hominis semine, incubúmque calidum humanum semen eis potuisse infundere, ex eóque prolem natam. Quod quidem ad fallendos homines ne tanti faciant humanum animum, dæmonum operâ interdum fieri improbabile nō est. Cuiusmodi deo fuisse quæ de Gothicis regibus narrantur, ipsos scilicet originem ex Vrso & Virgine nobilissima ducere, & alia similia. De Torquema. quibus vide Torquemadam Horti floridi Dial. 1. Quam ego sententiam valide confirmo ex iis Pet. Chieza. quæ narrat Petrus Chieza cordatus historicus; Quosdam scilicet in India populos se ingentib. simiis commiscere, generaréque solitos fœtus, quorum caput & pudenda humano more sunt, cætera simiorum; fœdos æquè ac feros, qui non loquantur, sed terribiles tollant vlulatus.

Quod verò attinet ad fundamentum nihil inanius dici potest. Nam quod vrsus sit homini similis, atque hominis instar concumbat cum fœmina, solùm significat generare posse aliquid instar hominis, non tamen hominem, nisi velit vrsum esse hominem, non homini similem. *Sol enim & homo* inquit Arist. lib. 2. Phys. cont. 26. *hominem generat.* Si ergo vrsus homo non est, nec eius semen erit instrumentum hominis. Sicut quia asinus non est equus, nec asini semen instrumentum est ad generandum equum, etiamsi cum equa coëat atque instar equi animal gignat. Quare nihil ad rem præsentem. Vnde etiam patet mirum esse, Parisiensi non esse mirum arbitrari semen vrsorum potuisse applicari ad gignendum hominem. Quocirca longe rectius cecinit ac verius Horatius Ode 4. lib. 4. cum Horatius. dixit.

— Nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Angelos esse formandorum corporum principalem causam, cum causarum naturalium applicatio est intra limites virtutis Angelicæ, & quomodo. § 6.

Colligitur vltimò principalem atque immediatam effectricem causam horum corporum quæ ab Angelo assumuntur, ipsos Angelos esse. Quam doctrinam tradunt Albertus, & S. Bonauent. nec dissentiunt Scotus, Durandus, Ægidius, & Gabriel, dum conspissari aërem putant in eam formam corporis ac figurari, quæ non excedunt Angelicam virtutem. Consentiūt recentiores Molina hic artic. 3. disput. 2. in fine. Vasquez disput. 184. cap. 4. in fine; Quod etiam supponit Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. qu. 28. sect. 2. & apud ipsum alij, dum contendunt nihil aliud requiri ad horum prædictorum corporum formationem, nisi virtutem dæmonis, seu Angeli *Deo non impediente.* Idémque patet ex eodem libro à quæ. 10. & deinceps vbi quærit quid possit dæmon in res naturales: Ratio autem huius rei est clara ex dictis: quia horum corporum formæ fieri possunt applicatione agentium causarum in materiam patibilem, vt diximus, quæ applicatio est intra limites virtutis Angelicæ. (Albertus. S. Bonau. Scotus. Durandus. Ægidius. Gabriel. Molina. Vasquez. Delrius.)

Addit noster Gabriel Vasquez *Cum mali etiam Angeli ad malos fines corpora assumant, non esse vero simile, Deum propria virtute ea formare, & solum ipso dæmone vt instrumento vti.* Quæ ratio colligitur ex A. Doctore q. 6. de Pot. art. 7. ad 9. quo loco ne cōcedat, Angelos veritatis in corporibus assumptis habere *aliquam fictionem* negat, Angelos se obiicere oculis hominum, vt in corpore assumpto homines esse credantur: ideoque in corpore eius articuli docet, cùm in scripturis sacris narrantur Angeli apparere non secundùm vera corpora, sed secundum imaginariam visionem, *poni aliqua verba ad visionem pertinentia.* Vt etiam suprà obseruauimus. Si ergo ne ab Angelis quidem formentur corpora vt fallant, quanto minus à Deo solo dæmoni subministrabuntur corpora, quæ plerumque fraudes meras, captionésque contineant? (Vasquez. A. Doctor.)

Solùm huic doctrinæ videtur obstare auctoritas A. Doctoris in hoc art. 2. ad 3. vbi cùm dixisset Angelos sibi assumere corpus ex aëre subdit modum his verbis *Condensando ipsum virtute diuina,* &c. quæ verba occasioni fuerunt nonnullis, vt existimarent Angelos virtute non propria (A. Doctor.)

Vasquez. Petr. Bergomus. pria, sed Dei eos effectus producere, quos in apparitionibus contuemur. ita noster Gabriel Vasquez eodem loco. Sanè Petrus Bergomus in concordantiis locorum dub. 117. asseruit Angelum tanquam instrumentum ad formationem eorum corporum concurrere, Deum tanquam primariam, effectricémque causam, & ipsam aëris condensationem fieri à Deo.

A. Doctor. Verùm aliter sentiendum est de A. Doctoris mente. Nam in 2. d. 8. q. vn. art. 3. c. apertè docuit, Angelos assumere corpora ex aere inspissato, ita tamen vt seruetur aeris veritas: *Quod* inquit *efficere possunt* Angeli, *tum per motum localem congregando partes, tum etiam per semina in elementis respersa, vt post dicetur.* Spissitudinem ergo illam aeris faciunt per motum localem, in quem habere Angelos naturalem virtutem dubium non est in doctrina A. Doctoris; sicut nec dubium est, quin ij possint sua virtute efficere, quicquid applicatione actiuorum & passiuorum fieri potest, vt infrà suo loco dicetur, & suprà etiam dictum est; quod & patet ex q. 110. infra.

A. Doctor. Quare ad illa verba A. Doctoris respondetur, optimè ab ipso dictum esse, Angelos condensare aërem virtute diuina, non tamen simpliciter & nudè, vt supponitur ab his Theologis, sed addendo, *Quantum necesse est ad corporis assumendi formationem.* Quæ verba non significant, ipsos semper virtute diuina id præstare, sed solùm quando opus est; cùm scilicet effectus quicunque ille sit, vires Angelicas excedit; nimirum vel quia causæ agentes non possint adesse tempestiuè; vel quia effectus ipsi in se causarum vim facultatémque superent. Quod videtur addidisse A. Doctor, vt solueret tacitam obiectionem; quid nimirum tunc dicendum sit, cùm ea quæ ex Angelorum effectione promanant, ex naturalibus causis esse non possunt? Quo etiam modo intellige quod docet ibidem ad 2. cum ait, sensibilia corpora sic diuina virtute formari ab Angelis, vt congruant ad repræsentandas Angelorum intelligibiles proprietates. Cùm enim in proxima solutione amplitudinem huius doctrinę restrinxerit, vt diuina virtus requiratur, *Quantum necesse est*, &c. signum est hoc solummodo A. Doctorem intellexisse. Sanè q. 16. de malo art. 9. ad 3. peculiari ratione docet, conuersionem vxoris Loth in statuam salis factam fuisse à dæmonibus (si tamen ij eius rei fuere administri) virtute diuinâ, cuius dæmones fuere instrumenta, quia dæmonis potestas non est ad formarum substantialium transmutationem. nempe cùm nequeunt actiua passiuis applicari. At verò vbi dæmones possunt huiusmodi causas applicare, tunc eos agere tanquam principalem causam, apertè docet ibidem ad 2. Similiter q. 6. de Pot. art 7. ad 6. expressè docet, licèt inter Angelum & corpus assumptum nulla sit proportio tanquam commensurabilium; esse tamen proportionem inter ipsum Angelum & corpus assumptum, *tanquam motoris ad motum, & figurantis ad figuram.* Hinc autem oritur

***

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm aliqua extraordinaria apparitio fuerit qua assumi debuerint corpora, ad quæ formanda opus fuerit diuina virtute.

Difficultas potissimùm esse potest de illo corpore, quo Exodi 33. dicitur Deus Moysi apparuisse, cùm hic secundò legem accepturus Sinai montem ascendit, & ex *Posteriorum Dei visione*, vt Scriptura loquitur cornuta descendit facie. Quod corpus inter omnes apparitiones præstantissimum fuisse meritò dicitur ob nobilissimam Dei repræsentationem, qua omnium illustrissimus diuinæ maiestatis legem ferentis fulgor emicuit. Exod. 33.

Corpus quo Deus apparuit in Sinai monte à Deóne formatum, an ab Angelo? §. 1.

Abulensis ergo super caput 33. Exod. q. 22. negat fuisse tale corpus ab Angelo effectū. Putat enim illud ab Angelo quidem immediatè assumptum Dei personam sustinente, creatum verò à solo Deo per veram creationem. Fundamentum huius doctrinæ ponit in eo lumine quod è corpore affulsit, quia lux illa qua clarebat illud corpus omnem tum ignis, tum etiam solis ipsius claritatem superabat. Ergo non poterat vlli ex iis quæ à Deo facta sunt corpori inesse, neque ex permixtione quorumcunque corporum oriri. *Oportuit ergo*, inquit Tostadus, *nouum à Deo corpus produci, in quo illa reciperetur.* Assumptum probat Abulensis, quia salua vita omnem lucem etiam solis videre potest homo: At lucem eius corporis non potuit homo videre salua vita. nam dixit Deus tunc: *Non videbit me homo & viuet.* Ergo illa omnem Solem sua claritate vincebat. Confirmat, quia non solùm salua vita, sed etiam saluis oculis possumus intueri lumen solis exemplo Gymnosophistarum, qui *irreuerberatis oculis* inquit *Solem in tota in calidissimis arenis existentes attentissimè quantum volent speculantur.* De quibus Isidorus libr. 8. Originum, & cap. 15. libri de rerum naturis. Abulensis. Tostadus. Abulensis. Isidorus.

Alij censuerunt corpus illud fuisse formatum ab Angelo. ita noster Tyræus libro 1. de Apparitionibus à cap. 4. & deinceps. Primò probat: quia in cæteris apparitionibus non fuit assumptum corpus quod à Deo creatum è nihilo fuerit; Ergo neque in hac. quia non sunt huiusmodi miracula asserenda sine necessitate. Secundò, quia prima consecutio Tostati non est firma. Multa enim entia naturalia habent formas supernaturalis ordinis, vt patet in anima hominis iam iusti, in qua sedem habet Gratia, & reliquæ diuinitus infusæ virtutes. Certè de corporibus beatorum docet Beatus Laurentius Iustinianus libro de Disciplina & perfectione monasticæ conuersationis cap. 23. quòd solis splendorem septies sint superatura. Tertiò neque antecedens est firmum: nam non est certum, lucem illam clariorem solis lumine fuisse. nec si intueri Deū Tyræus. B. Laurent. Iustinianus.

cā

eâ formâ non possit homo sine vitæ amissione, idcircò debet lumini solis esse lux illa superior. Primò quia dici posset: *Non videbit me homo & viuet.* habere hunc sensum, quia difficile sit, hominem salua vita Deum sub illa claritate videre. Solet enim plerumque Scriptura id quod difficile est, impossibile dicere. Præterea, quia pleraque sunt, quæ suâ præsentiâ mortem afferunt, quę tamen non sunt ordinis supernaturalis. Nam 1. Regum 25. indicauit Abigail marito suo Nabal, quid in ipsum statuisset Dauid, & illicò *emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.* Et tamen hic nuncius aut cogitatum non differt supernaturali ordine à cæteris. Tertiò, quia quid si tam vicinum alicui sit corpus ingentis ignis aut solis, quam fuit Moysi corpus illud radians diuinum? Tunc enim quis dubitet quin ille opprimeretur vel lumine vel calore? Tandem non potuisse rectè dici illud corpus creatum esse è nihilo, pluribus rationibus conatur ostendere. Quæ omnia subtiliter æquè ac doctè disceptantur.

1. Reg. 25.

Declaratur locus ille ex cap. 33. Exodi vbi Deus dicitur apparuisse tulisseque legem.

§. 2.

AD solutionem tamen huius rei Notandum est, totam ferè hanc difficultatem in eo mihi videri positam, vt explicetur eius loci sensus, in quo Exodi 33. Moyses precatus Deum: *Ostende faciem tuam*, responsum tulit, Deum quidem ostēsurum illi bonum, posita tamen hac limitatione, scilicet quia *non poteris videre faciem meam. non enim videbit me homo & viuet.* Hinc loco citato colligit Abulensis, tantum è facie Dei manasse splendorem, vt impossibile fuerit salua vita illam tantam emicationem ferre. Ex quo vlteriùs infert illud corpus quod Dei faciem repræsentabat, & è quo ille tantus effulgebat splendor, non potuisse esse corpus, aut è cæteris creatis vnum, aut è cæteris conflatum de nouo per naturalem transmutationem. Rationem affert, quia non potuit lux produci naturaliter tanta in aliquo corpore per quamcunque transmutationem. Quod ille dupliciter probat. Primò quidem ex causa materiali ob impuritatem scilicet corporum siue simplicium siue mixtorum, quibus omnibus tanta lucis emicatio connaturalis esse non poterat. Secundò autem ex causa efficiente: quia *non est naturale agens potens tantam lucem causare in aliquo corpore quanta est in Sole, qui est totius luminis fons.* Hic enim effectus cùm sit immortale ac proinde ingenerabile corpus, fieri oportet per creationem ex nihilo, ergo multò magis erit corpus illud per creationē ex nihilo, cui maior insit lucis splēdor, quam in ipso sole sit. Ex his autem sequitur corpus illud immediatè creatum fuisse à Deo, licet eo vsus sit Angelus, qui in eo apparuit, non autem Deus vt ipse statuit ibidem quæst. 3. Vt autem constituamus, quid hac in re philosophandum sit,

Exod. 33.

Abulensis.

Notandum secundò, dupliciter nos posse intelligere illa verba à Deo prolata Moysi: Primò quidem intelligendo ea vt explicantur ab Abulensi; vt scilicet *facies* intelligatur ipse vultus, & anterior corporis pars, quæ fronte, oculis, cæterisque huiusmodi constat; quod videtur apertè colligi ex illo cap. Nam post verba citata ibi hæc duo opponuntur *facies* & *posteriora*. ita vt quod negatur de vno affirmetur de altero. *Videbis* inquit Deus *posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*, posteriores autem eius corporis partes non opponuntur nisi anterioribus, sicut nec inferiora nisi superioribus, & dextrum sinistro. vnde Aristoteles libro secundo de cœlo cont. 8. non aliter has easdem positiones tanquam oppositas recensuit: *Tria* inquit *dico, sursum & deorsum, ante & oppositum: dextrum & sinistrum.* atque hic sensus secundùm literam eius loci videtur esse: Explicatur enim ibi Moysi seruo Dei, quo pacto tunc transeūtem Deum ipse visurus esset, quod Moyses ipse cupiebat: *Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec transeam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* Significat ergo sacra Scriptura illam Dei faciem non potuisse à quoquam videri, quam Scriptura opponit partibus Dei posterioribus; nempe aspectum illum Dei anteriorem, quæ facies est Latinis, vt facies domus, Templi, &c. Altero modo si intelligatur facies Dei pro ipsa Dei essentia: posteriora autem significent ipsam humanitatem à Verbo Dei assumptam. vt sensus sit. essentiam ac diuinitatem meam nunquam videre potes, humanitatem videbis. quam explicandi rationem secuti sunt complures Patres; vt Tertullianus libro quarto contra Marcionem capite vigesimosecundo, & libro contra Praxeam capite decimoquarto, quibus locis expressè docet, in transfiguratione Christi Moysem vidisse gloriam Dei. Idem docuisse Irenæum, Cyrillum, Origenem, & alios videri potest apud Suarez secundo tomo in 3. p. quæstione quadragesimaquinta a. 3. disputatione trigesimasecunda, sectione secunda §. *Secunda sententia*; & apud Lipomanum in illud caput, vbi etiam plurimos Patres citat ad varios eius loci sensus. Verùm licet hæc ita sint, tamen clarè constat, hunc esse eorum verborum allegoricum seu mysticum sensum: Nam vt diximus, literalis est quem ipsa Dei verba historicè significarunt, vt etiam notauit noster Cornelius à Lapide in eum locum versus finem eius comment. Difficultas ergo præsens examinabitur in priore significatione, quæ literæ contextui accommodata est. Veruntamen hac quoque in re

Abulensis.

Aristoteles.

Tertullian.

Irenæus. Cyrillus. Origenes. Suarez.

Lipomanus.

Notandum tertiò, non adhuc perspectum esse; vtrùm causa cur Deus dixerit, suam faciem videri non posse, fuerit immensitas lucis, seu intolerabilis oculis emicatio fulgoris, an verò aliqua tanta oris ac faciei maiestas decúsque, quod ita visionem bearet, vt ei homini nulla reliqua vita esse posset, quia scilicet aut amissione tanti boni dolore ac tædio confici, aut nimio ex eiusdem possessione gaudio opprimi oportuisset. plerosque enim vtroque mortis genere consumptos esse, passim exempla testantur. de qua re vide quę scribit Valerius Maximus libro nono cap. 12. vbi in repentinum interitum multos ex nimio gaudio interiisse reperies. Genus etiam casus insolitatum habes; quos enim dolor extinguere non poterat, lætitia consumpsit.

Val. Max.

Et quamuis dicere quis posset, diuinas atque Angelorum apparitiones non solere obesse animis, quibus proficuæ sunt: idéoque neque ob dolorem, neque ob voluptatem nimiam sequi

sequi iis posse mortem: Tamen ea visio non fuisset interitus causa, sed occasio tantummodo. Per accidens enim mors sequi potuisset, ex eo quòd ei intolerabile esse potuisset tanti boni possessione priuari. Est enim ingēs miseriæ genus sua spoliatum esse felicitate. Sed esto nō fuerit ea causa; saltem nondum certum erit; an mors illa debuerit sequi ob eam causam, quòd scilicet indignum videri potest, Deo sic disponente, vt is qui tanto Dei conspectu frui potuit, quicquam amplius mortale, vita superstite faceret. Sanè complures Patres sancti putant optantis fuisse illa senis Simeonis verba Lucæ 2. *Nunc dimittis seruum tuum in pace.* Quasi Simeon viso iam Christo Deū orauerit, vt se de hac mortali eriperet vita; ac si indignum arbitraretur aliò vertere oculos, qui Christum conspexissent. de qua re noster Maldonatus in eum locum.

Luc. 2.

Maldonat.

Fateor tamen huic doctrinæ obstare, quòd Apostoli in monte Tabor viderunt huiusmodi gloriam, & tamen superstites fuerunt, nec mortem optarunt, sed vitam eo in loco perseuerantem: *Bonum est nos hic esse.* Quamobrem verisimile saltem sit è conspectu eius faciei fulgorem tantum emicuisse, vt faciem videnti interitum afferret, ac proinde dixerit Deus: *Non videbit me homo & viuet*; vt exposuit Abulensis, & noster Cornelius locis citatis. quod etiam illud confirmat, quod Moyses *ex consortio sermonis Dei* splendenti vultu decoratus est ob illius lucis efficacitatem, licèt non à fronte, sed à tergo Dei emanaret. Ideò hoc nunc tanquam verum supponamus, videndúmque vtrùm necesse sit tale corpus, è quo tantus existeret splendor, de nouo à Deo creatum esse, definire.

Abulensis. Cornelius.

Corpus illud diuina virtute formandum fuisse, non tamen per creationem, deque eius luce, &c.

§. 3.

In hoc ergo sensu ad difficultatem respondetur. Et sit

Vnica Propositio. Corpus illud necessariò diuina virtute producendum quidem fuit, non autem per creationem. Hæc propositio media est inter vtramque relatam sententiam. altera enim negat esse diuina virtute procreatum. altera asserit esse à Deo per creationem.

Probatur autē prior propositionis pars. Quia illud corpus diuina virtute produci debet necessariò, cuius effectrix causa non potest esse creatura. Sed illius corporis, cuius faciem Moyses salua vita videre non poterat, effectrix causa non poterat esse creatura. Ergo illud corpus necessariò diuina virtute produci debuit. Maior est certissima: nam omnis effectus debet esse ab aliqua causa effectrice, vt certum est. aut ergo à virtute creata, aut à virtute increata & diuina. Si ergo corpus illud quod est aliquis effectus, non potuit esse à virtute effectrice causæ quę esset creatura, necessariò debuit esse productum virtute diuina.

Minor probatur. quia omnis creaturæ virtus effectrix rerum, quæ non sunt motus localis, est in causis naturalibus. nam Angeli, vt suprà diximus, nihil huiusmodi efficere possunt, nisi

A actiuorum passiuorúmque coniunctione. At eius corporis effectrix virtus non est in causis naturalibus. quod probatur: quia huiusmodi effectrix virtus in causis naturalibus est vt educat formas è subiecto, quod possit naturaliter disponi ad formas. at nullum est huiusmodi subiectum in natura, quod possit naturaliter disponi ad illam formam corporis, cuius sit proprium tanta lux, vt vitam aspicientis opprimat. nam primò non est corpus cœleste, quod nullam naturaliter dispositionem patitur ad huiusmodi formas. nec si posset suscipere, posset naturaliter detrahi è cœlo aliqua eius pars ad has dispositiones ab agentibus naturalibus suscipiendas. Quæ enim B huiusmodi esset natura?

Neque secundò est elementum aut mixtum: quia talis formæ dispositionem habere nullo modo possunt. nam vt rectè argumentatur Abulensis vbi suprà quæst. 22. summa claritas est in igne. aër enim ex se est lucis egens, & aliunde illustrandus. hæc autem claritas ignis non excedit vires aspicientium oculorum, ita vt vitam auferat. præsertim si sit elementaris, qui vt rarior est nostrate, ita & minùs lucidus, minúsque calidus, vt mox dicetur. Ergo non est ex elementis vnum.

Abulensis.

Ex mixtis autem videmus, nullum habere posse C tantum lucis atque ignis habet. Ergo nullum tale corpus disponi potest ad illam formam. Antecedens probatur: quia cum omnia ista corpora mixta recedant à puritate ignis ob aliquam opaci corporis admixtionem, nempe terræ, consequenter nec splendoris illam puritatem habēt, quam habet ignis, vt patet in gemmis. Et quamuis ignis hic nostras impurus luceat magis, quàm in suæ sphæræ puritate. quod indicant cometæ, si in ea regione extrema fiant: quæ minùs igne videntur lucere; tamen ea ignis clarior lux prouenit non ab alia forma, quàm à flamma in materia densiore; quæ est fumus accensus & ardens, D qui ardor est flamma ignis. Nam vt ait Aristoteles libro secundo de Partibus animalium capite secundo ferè extremo: subiectum flammæ fumus est. vnde sicut ab igne si in materia densiore fit, ardor manat efficacior. sin autem rarior, imbecillus est calor; ideóq; Aristoteles sect. 3. Problem. quæstion. 5. in fine ait ignem *quem arundo reddiderit esse infirmiorem, quàm qui à ligno præstatur. quoniam materia qua continetur imbecilla est.* Ita etiam ab eodem igne densiore lux affulget maior, à rariore debilior. Lux enim illa in igne à maiore calore prouenit, si cætera paria sint; nempe si ipsæ exhalationes impuræ non sint ac tetræ, vt accidit in pice, &c. Quamobrem idem Aristoteles sectione octaua Problem. quæst. 1. E apertè docuit in iis qui liuescunt nigrorem existere ob defectum caloris, sicut lucem in igne ob multum calorem: *Gelatus* inquit *nigrescit ob caloris inopiam. albedo namque igni tribuitur.* vbi certum est albedinem significare lucem. Itaque lux illa clarior erit in materia densiore non opaca. alioqui, vt dixi, si sint exhalationes nimis opacę remittetur claritas. Quapropter Aristoteles libro tertio Meteorum, sum. secunda, capite tertio dixit *flammam lignorum viridium esse rubeam, quia fumo multo* nempe opaco *mistus est ignis fulgidus existens & albus.* Impedit ergo ignis fulgorem fumi multi admixtio; proindéque nec potest eius lucis materia esse elementum: quia non admodum lucet, vt diximus: nec mixtum corpus, quia multum

Aristoteles. Aristoteles. Aristoteles. Aristoteles.

multum ob opacorum corporum mixturam de luce minuitur.

Neque rectè responderet qui diceret potuisse esse hunc nostratem ignem, qui in materia densa, atque perspicua ita luceret, vt omnem ignis lucem superaret. hoc inquam non rectè: nam primò cùm ignis hic nostras conseruari debeat in materia fumida, vt ex Aristot. le modò diximus; vbinam reperientur tales fumi, qui nihil opacitatis habeant ad tantam lucem emittendã? Deinde, quia esto detur talis materia, quæ ignẽ adeò splendidum concipiat; tamen nisi interponatur miraculum, sequitur apertè non minorem ea luce concedendum esse ardorem. Sicut enim maior lux è densiore igne emicat, ita & ardor existit intensior, vt dixi. Cur ergo sanctæ Scripturæ in lucem potius quàm in ardorem interitum illum hominis referre debuerunt? Tandem, quia cùm materia igni nostrati subiecta semper absumatur, ac proinde noua ac noua continuò subministranda sit, non facilè explicabitur, vnde tanta materiæ moles, quæ tam diuturno & maximo igni subiiceretur, asportari potuerit. Sanè hæc nec sine miraculo dicuntur, nec vlla talis materia per causas naturales disponenda facilè assignabitur. Sin autem ad miraculum recurritur; ergo id quod in propositione dicebamus apertè sequitur. nempe illum effectum ex virtute diuina; non verò ex causis naturalib. prodiisse.

Quòd si diceret aliquis potuisse esse talem corporis politi ac tersi materiam, è qua radij solares repercussi tanquam è speculo concauo vehementiorem splendorem iacularentur in oculos. Contrà est primò, quia ex se repercussio interitum non affert, cito excæcare possit; ille autem eius diuini corporis splendor erat ad interitum certum, quia *non videbit me homo & viuet.* Deinde debuisset esse corpus aliquod solidum, politum & opacum tali concaua figura, quæ esset apta, vt tanta inde fieret repercussio. quale corpus non erat illud ibi assumptum, cùm haberet figuram hominis loquentis cum Moyse. ac denique quia Solis radios excipere non poterat, quia totus ille mons atra nube, densísque tenebris caligabat. Neque etiam dici rectè potest Deum creasse talem fulgorem, qui è corpore illo reflecteretur: nam primò hoc est recurrere ad miracula absque necessitate. immò assererent quæ naturali rerum ordini aduersentur, cùm lucem creent sine suo connaturali subiecto cui debeatur. Deinde cur nõ concedunt corpus factum virtute diuina?

Ex quo vlteriùs sequitur aperta disparitas inter huiusmodi lucem, quæ esset sine suo subiecto connaturali, & habitus supernaturales qui sunt in animo, vt hoc etiam obiter argumentum dissoluatur. Nam licèt omne accidens, quia est subiecti alicuius accidens, postulet aliquod subiectũ, ac proinde in quo ex sua natura connaturaliter sit; tamen nullum accidens debet dici simpliciter connaturale accidẽs alicui subiecto, nisi subiectum ex sua natura illud exigat ad finem naturalem; vt homo habet potentiam visiuam, intellectiuam, &c. Et ita illi habitus supernaturales licèt in aliquo sensu connaturales animo intelligenti sint, quia non possunt esse connaturaliter in alio, tamen simpliciter sunt supernaturales. Quia nulla creata intelligens natura illos exigit ad finem naturalem, cùm eleuent eam naturam ad sublimiorem finem, quàm natura ipsa deposcat. At verò cùm aliqua eius naturæ lux naturalis esse possit; alicui subiecto & ad finem naturalem (quia sine dubio non implicat talem naturam, quemadmodum implicat naturam dari creatam, cui lumen gloriæ, & aliæ supernaturales formæ sint connaturales, vt probatum est p.p.q. 12.) congruentius fuisset illam esse in suo subiecto naturali, quam extra illud ab eoque auulsam. Alioqui eadem ratione fingere pro arbitratu possemus, Angelos in assumptis corporibus habere qualitates supernaturales, quæ non consequantur ex aliqua substantia, cui debeantur, iisque Angelos à Deo exornari, quemadmodum ipsi fingunt huiusmodi fulgorẽ qui est accidens, miraculosè esse sine vllo subiecto, à quo sustentetur. Adde quòd hoc ipso ille fulgor fuisset per creationẽ, quia fuisset nullo eum sustinente subiecto. at negabimus mox intercessisse creationem ad illum effectum. Constat ergo illud corpus debere fieri virtute diuina.

Quod verò non per creationem quæ erat posterior nostræ propositionis pars, facile sic ostẽditur. Quia satis esset si ex potentia materiæ ea forma Deo auctore educeretur, cui connaturalis esset illa lux. neque enim hic dicendi modus continet aliquid absurditatis; atque ita non est nobis necesse ad creationem ex nihilo atque ad diuinam absolutam potestatem recurrere. Immò in explicandis quibuscunque effectis, si ea connaturali modo quantum fieri potest asseramus, omninò rectum philosophandi ordinem atque A. Doctoris tritum vestigiis laudabiliter sequimur, & à quo nemo recedit, nisi simul à recto ad veritatem tramite deflectat. ergo nec lux sine corpore ponenda est; nec miraculum creationis asserendum. cùm vtrumque rectè, & vt diximus philosophicè vitari facile possit. Nã quod aliquis dicere posset, illam lucem nulli corruptibili corpori posse deberi; ergo debuit esse corpus incorruptibile per creationem, facile refellitur. Assignãda enim ratio est, cur à Deo talis forma compositi corruptibilis educi non possit è potentia materiæ. Quandoquidem lucidior, & lucidior in infinitum educi possit. Præterea non videtur consentaneum diuinę sapientiæ, vt corpus incorruptibile creetur, quod tam paruo tempore sit annihilandum. vt enim docet A. Doctor infrà q. 104. a. 4. nihil à Deo fit siue naturaliter siue per miracula, quod redigatur in nihilum; vbi etiam concludit: *Simpliciter dicẽdum esse, quod nihil omninò in nihilum redigatur.*

A. Doctor.

A. Doctor.

Discrimen inter lucem prædicti corporis, & corporis Christi in monte, & vnde colligi oporteat non fuisse illud corpus ab Angelis procreatum, argumentisque satisfit. §. 4.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò discrimen & conuenientiam inter lucem quæ effluxit ex illo Angeli corpore assumpto; & lucem qua fulgebat Christi corpus in Transfiguratione. Discrimen enim est, quia illa erat propria corporis, nec aliunde transmittebatur in ipsum corpus: At in Christi transfiguratione nõ erat propria corporis Christi, quia nec ex

ex principiis corporis transmittebatur, sed ex beatitudine animi, vt ait A Doctor 3.p.q. 45. a. 2.ex S. Augustino ep. 56.& S. Damasc. Immò ait, impeditam à Deo fuisse huiusmodi claritatem, ne ab anima diffunderetur in corpus, vt nostræ redemptionis mysteria explerentur. Quod quidem rectè interpretatur noster Suarez in eum articulum, vt scilicet dicatur oriri,& transmitti ab anima gloriosa, propterea quòd licèt ex eo, quod anima erat gloriosa, deberetur corpori claritas ob proportionem corporis beati cum anima beata, vt vtrumque suâ simul beatitudine donaretur atque ornaretur; tamen ita debebatur vt corpori danda esset ob animi beatitudinem; atque ita non ex natura corporis simpliciter eluxisset, sed ex natura corporis, quà corpus beatæ animæ consors fuisset. Conuenientia verò erat, quia vtrobiq; lux illa aspectabilis oculis corporeis erat. Atque hæc de hac Dei apparitione in monte Sina dicta sint.

A.Doctor. S August. S. Damasc. Suarez.

De ea verò quæ est Christi, satis sint ea quæ ex Patribus docet Suarez ibidem disputat. 32. sect. 1. Vtraque etiam emicatio videtur fuisse supra quam eam possent ferre oculi. nam de ea Christi rectè omninò ait ibidem Suarez ex Durando oportuisse discipulorum oculos confortari à Deo nonnihil, vt possent eam claritatem indeiectis oculis intueri. Quod verò diximus de luce corporis Christi, ipsum esse ab anima beata, intelligendum quoque est suo modo de animis corporibúsque beatorum, cùm ipsi animi post iudicij magni diem rediuiuis corporibus vnientur.

Suarez. Durandus.

Colligitur secundò, licèt in cæteris apparitionibus fuerit corpus Angelica virtute productũ, tamen non rectè inferri in hac ipsa de qua disputamus esse eandem rationẽ. Disparitas enim ex dictis assignanda est: quia ex proprietatibus colligimus, nullum posse fieri naturaliter corpus, cui tanta lux connaturalis sit. *naturaliter* inquam, hoc est ex causis naturalibus, quæ de facto sunt, in quas Angelus potestatẽ suam exerceat. Ergo non potuit ab Angelo tale corpus produci. quandoquidem non potest plus efficere, quàm quod pendet ex virtute harum causarum. In cæteris autem vbi non sit eadem, aut similis ratio, non est cur negemus ea facta esse ab Angelis, cùm per ipsos administretur omnis creatura corporea. Quod etiam videtur indicasse A.Doctor in hoc a.2. ad 3. cùm dixit corpora sumi ab Angelis *ex aere condensando ipsum diuina virtute, quantum necesse est*, &c. Vt enim suprà diximus, his verbis videtur velle Angelos tantummodo iuuari à Deo quantum necesse est siue in condensando aëre, siue ob eandem rationem in cæteris similibus, cùm opus est diuina ope in efformandis corporibus. immò in horum corporum constructione multò magis. si enim magis videntur Angeli propria virtute posse aërẽ conspissare, in qua tamen re interdum eos à Deo iuuari oportet, certè à fortiori diuina virtus magis exigetur cùm difficilior effectus ab iisdem producendus erit.

A.Doctor.

Ex his respondetur ad argumenta pro prima sententia Abulensis. Ad primum enim dico: Esto corpus illud omnem tum ignis tum Solis claritatem superaret, nego tamen quod deducitur, esse factum per corpus per creationem, vt diximus in fine nostræ propositionis. Ad confirmationem respondeo nihil esse contra ea quæ dicimus. Concessum enim est aut certè datum, illam lucem clariorem fuisse luce Solis, in quam intueantur oculi Gymnosophistarum; tamen nego debere esse per creationem, vt dictum est.

Abulensis.

Ad argumenta quę attulimus in secunda sententia quæ difficiliora sunt, respondetur. Ad primum iam diximus quale sit discrimen, inter hãc & cæteras apparitiones. Nam cæteræ fieri poterant ab Angelo applicatione naturalium causarum; hanc autem negauimus fieri potuisse, rationémque reddidimus.

Ad secundum diximus, cur illa lux debuerit produci in corpore suo connaturali, etiamsi virtutes supernaturaliter infusæ non habeant subiectum simpliciter connaturale. Illud autem de corporibus beatorum fauet nobis: nam illa lux licèt non creetur à Deo, est tamen ab ipso efficienter, quia ab alia effectrice causa esse non potest; & quamuis connaturalis non sit corpori ex se, quia ei quà tale est non debetur: tamen est connaturalis corpori quà corpus animæ beatæ est: cuius est veluti passio vt corpus suo splendore perfundatur. Ergo illa lux in corpore Angeli assumpto debet esse connaturalis corpori quod assumitur. etenim Angelo non est connaturale, vt lucem tantam refundat in suum corpus assumptum, si ex naturalibus causis ea non consequatur. ergo erit connaturalis ipsi corpori. atque ex hoc patet ad auctoritatem B.Laurentij Iustiniani. B.Lauren. Iustinianus.

Ad Tertium dico verum quidem esse, nõ posse certò definiri, an illa lux ipsa solari luce fuerit intensior, vt probat argumentum; & nos suprà in Notandis fassi sumus: Tamen demus tanquã probabile fuisse clariorem, dicimúsque debuisse esse in corpore connaturali non tamẽ per creationem, vt explicatum est. Quod verò dicitur intelligi posse *difficile*, &c. id arbitrarium est; & verba Scripturæ propriè intelligi oportet nisi quid obstet euidenter. quod hic non video ab aduersantibus fieri; esto tamen id ita intelligatur in aliis locis. Ad aliud dico illam lucem non esse ordinis supernaturalis, vt probatum est: illi verò interitus fuerunt ex apprehẽsione, ex qua verum est posse quempiam mori, sed aliam esse rationem in re nostra, iam diximus.

Ad Quartum dico non potuisse esse solem aut ignem vt diximus. si autem tam vicinus Moysi fuisset ignis aut Sol, tam futurum fuisse, vt ipse sola visione opprimeretur; non tamen tanta vicinitas in sacris literis significatur, cum scriptura solum narret, Mosem fuisse præsentem, & locutum esse cum Deo, quæ vera esse possent sine tanta vicinitate. Præterea non poterat esse vicinus ignis, quia Deus dixit ipsum posteriora visurum; atque ita si facies Dei videri non poterat ob vicinitatem; ergo neque posteriora, cùm non sit tanta distantia, vt ille ignis à sola Dei facie calefaceret, atque combureret aspectantes, non autem à tergo. Adde quòd ignis non fuisset simul vndique nube obsessus, quia nubem illam tantus ignis dissoluisset, nisi miracula fingas. Ac denique quia Deus dixit Moysi, vt staret apud ipsum *in foramine petræ, & protegam dextera mea donec transeam, tollamque manum meam, & posteriora mea videbis*. Ergo vt videretur Deus à tergo, eleuanda erat manus dum transiret. si autem fuisset ignis, non erat opus vt tolleret manum: Tum quia improbabile est, vt manu tegeretur ignis: Tum quia manus ipsa consumpta naturaliter fuisset.

fuisset, nisi confugias ad miracula. quemadmodum rectè dicebatur de rubo illo ardenti incombusto miraculosè non fuisse consumptum.

Cætera quæ adduntur ad excludendam creationem ex nihilo, faciunt pro nostra sententia. quam suprà secuti sumus in Propositione.

TERTIA DIFFICVLTAS,

An Angeli sibi vniant corpora quæ assumunt hypostaticè aut quonam modo.

PArtem affirmantem secuti sunt nonnulli ex sapientibus Patribus.

Tertullianus & Origenes videntur existimasse Angelos assumpsisse corpora hypostaticè. §. 1.

Tertull. NAm Tertullianus libr. 3. aduersus Marcionem cap. 9. nu. 61. concedit in Angelis veram humanam carnem: *De hinc scito, nec illud concedi tibi, vt putatiua fuerit in Angelis caro, sed verè ac solidæ substantiæ humanæ.* Quod repetit cap. 11. vbi ait, *Angelos creaturis in vera carne conuersatos*: hanc autem carnem negat esse de substantia Angeli, quos ait esse naturâ spiritales, sed solùm ad tempus assumptam ab illis fuisse; vt libro de carne Christi cap. 6. n. 60. *Constat* inquit *Angelos propriam carnem non gestasse, vtpute naturâ substantiæ spiritalis, &c. in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, vt videri & congredi cum hominibus possent.* Ex quibus sic patet in hac Tertullianum fuisse sententia: Quia veram carnem assumpsit Angelus ad tempus, vt videri & congredi cum hominibus posset. At hoc non est sine vnione hypostatica. ergo sentit Angelos assumpsisse veram carnem per vnionem hypostaticam.

Maior patet ex locis citatis; & præterea ex libro de Resurrectione carnis cap. 62. vbi etiam addit: *Angelos aliquãdo tanquã homines fuisse edendo, bibendo, & pedes lauacro porrigendo*: & libro de carne Christi cap. 3. de iisdem Angelis ait: *Tantam corporis gestasse veritatem, vt eis lauerit pedes Abrahã.* immò addit: *Angelos fuisse conuersos in corpulentiam humanam, Angelos nihilominus permansisse.*

Minor probatur: Quia vera caro per quam biberent comederentque Angeli, debuit sustineri ab ipsa persona Angeli, cui tribui possent huiusmodi actiones, vt verè Angelus Tertulliani opinione potaret & congrederetur. Quotiescunque enim duæ naturæ sunt completæ proprietatésque vnius tribuuntur alteri; necesse est tunc inter illas intercedat vnio hypostatica. ex hoc enim Theologi ostendunt 3. p. q. 16. art. 4. & deinceps quia in Christo quæ humanæ naturæ sunt attributa dicuntur de diuina, & contra, debere vtramque naturam vniri in vna Verbi diuini persona. *Hic enim communicationis modus* inquit Damascenus libro 3. de fide cap. 4. nempe Damasc. quo duarum naturarum idiomata communicantur, idcircò est, *propterea quòd vnam & eandem personam constituunt.* Si ergo de Angelo dicitur quod verè per carnem comederet, &c. iam communicantur proprietates carnis ipsi naturæ Angelicæ, atque ita erunt in vna persona vnitæ naturæ illæ. Aut certè si non fuerunt veræ Angeli

A actiones, & Tertullianus existimasset eas potiùs ludicras fuisse atque omninò imaginarias, non autem verum potum, nec verum cibum, aut certè non propterea veram carnem in Angelis fuisse affirmasset: nónne satis ad has ludicras actiones fuisset apparens caro? ergo erat vnio hypostatica, qua scilicet persona Angelica sustineret carnis naturam, vt dicitur 3. p. q. 3.

Confirmatur: quia dixit Angelos *conuersos in humanam corpulentiam* manente natura Angelica quod non potest dici nisi per hypostaticã vnionem, vt mox dicam. Confirmari etiam potest ex ipso Tertulliani argumento cap. 3. libri de Carne Christi. vbi improbat Apellem negantem filium Dei assumpsisse humanam naturam eo modo quo fides Catholica docet, nempe hypostaticè. improbat autem ex eo quòd negat de Christo, quod de Angelis cõcedere debet. *Quod ergo Angelis inferioribus Deo licuit* inquit *vti conuersi in corpulentiam humanam Angeli nihilominus permanerent, hoc tu potentiori Deo aufers. quasi non valuerit Christus verè hominem indutus Deus perseuerare?* Quibus dupliciter confirmatur Tertulliani sententiã Angelos sumpsisse carnem hypostaticè; Primò ex verbis, deinde ex argumento. Tertull.

B

Ex verbis quidem quia dicit esse conuersos in humanam corpulentiam, ita tamen vt natura Angeli permaneret. nihil autem conuertitur in

C aliud si in se permaneat nisi per vnionem hypostaticam. nam idcircò dicitur aliquid conuerti in aliud, quia fit ipsum in quod dicitur conuerti; vt lignum conuertitur in ignem, quia lignum fit ignis. Si ergo Angelus conuertatur in corporationem humanam, debet fieri corporatio humana. at non potest Angelus fieri corporatio humana remanendo in sua natura, nisi vniatur hypostaticè. Nunquam enim lignũ v.g. fiet ignis si remaneat lignum, nisi fiat vnum suppositum cum illo. quo pacto Verbum caro factum est & homo, remanẽte Verbo. Ratio huius est, quia vnum fieri aliud, remanens tamen in sua natura est habere communicationem idiomatum & naturarum, integris perseuerantibus

D vtrobique naturis; vt Verbum fit homo. quæ communicatio non est nisi vna vtriusque naturæ sit persona seu suppositum. nam vt vna natura dicatur de altera, requiritur inter ipsas aliqua vnitas. alioqui non esset ratio, cur homo nequeat dici leo, musca, &c. Cùm ergo si remaneãt integræ naturæ non possit esse alia inter ipsas vnitas nisi suppositi seu hypostasis, vt certum est. ergo debet esse vnitas hypostasis. quod est esse coniunctas hypostaticè, vt fusiùs dicitur 3. p. q. 16. art. 3. & 4. vbi hanc sentẽtiam esse Patrum communem ostendi etiam fuse solet. Ergo sentit Tertullian. Angeli & carnis vnũ esse suppositũ.

Ex argumẽto autem probatur: quia argumentum Tertullian. est, vt ex comparatione Ange- Tertull.

E lorum euincat Apellem, vt concedat Deum esse incorporatum, hoc est carnem assumpsisse vt de facto assumpsit. ergo supponit in Angelis factũ, quod concedendum exigit ab Apelle. at quod concedendum exigit ab Apelle est vt fateatur, Deum assumpsisse veram hominis carnem hypostaticè, non autẽ corpus de syderibus; vt malè Apelles sentiebat; vt patet ex eodem libro ca. 6. Ergo hoc supponit factum in Angelis.

Hanc etiam sententiam ex parte secuti sunt illi, qui aliquando putarunt, Angelum fuisse incarnatum. quod putauit Origenes de Malachia Propheta,

S. Hieron. Propheta, déque Ioanne Baptista, vt testatur S. Hieronymus in præfatione ad Malachiam, *Angelum putans fuisse qui scripsit secundum illud quod de Ioanne legimus. Ecce ego mitto Angelū meum qui,* &c. Eandem sententiam sicut Origenis referūt quidam recentiores ex ipso Origene to. 2. in Io. in eadem ipsa verba: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Verùm de hoc loco nihil in præsenti dicere statuo. Alios etiam suppresso eorum nomine refert

S. Hieron. S. Hieronymus in cap. 1. Aggæi in ea verba: *Et dixit Aggæus,* &c. dicentes non solum Ioannem Baptistam, ac Malachiam, verùm etiam ipsum Aggæum fuisse Angelos incarnatos: *Quidam putant & Ioannem Baptistam & Malachiam qui interpretatur Angelus; Alij & Aggæum, quem nunc habemus in manibus fuisse Angelos immò etiam Iacob qui fratrem supplantauit, & omnium rationabilium vnam esse naturam.* Quos ibi Hieronymus redarguit. Ad hanc quoque sententiam referri posse

Euseb. Cæs. puto illos Iudæos, quia apud Eusebium Cæsariensem lib. 9 de Demonstrat. Euang ca. 5. Ioannem *ne hominem quidem esse arbitrabantur. Quocirca eundem Angelum esse credebant illum ipsum de quo Propheta loquitur. Ecce ego mitto, &c.* Videntur enim negasse esse hominem, quia purus homo non erat, sed etiā Angelus. Quid enim negarent esse hominem, quem cernebāt ambulare, loqui, &c?

Probari potest hæc pars affirmans ratione. Primò, quia quædam dæmonum apparitiones fuerunt quæ sine corpore hypostaticè vnito explicari nulla ratione possunt. Nam refert Cæsarius Monachus lib. 12. miraculorum c. 3. dæmonem gestasse cuiusdam Principis Germani demortui corpus integro antequam sepeliretur anno, *spiritumque illud loco animæ vegetasse.* Ergo tāquam forma dedit illi vitam. Cùm autem non possit intelligi dedisse illi vitam infonnando, debuit vegetasse, vt ita dicam personando. Admirabiliora scribit in vita S. Patricij Hybernorum Apostoli; Diabolum scilicet in quodam hominis corpore multis annis habitasse pro anima; cùm primùm autem ad nutum cuiusdam viri sancti exiuit, corpus illud illicò redactum in puluerem corruisse; quia scilicet Angelus corpus sustinendo illud in ossa & carnes obdurabat. Nec minus est illud apud eundem c. 4. de quodam clerico, qui adeò suauem habebat vocem, vt eam audire in deliciis esset, quousque vir religiosus superueniens affirmauit, eam non hominis vocem esse sed diaboli, dæmonémque adiurauit; quo discedente cadauer fœtidum corruit. Ergo hæc vniuntur secundùm personam.

Cæsarius Monachus.

Secundò probatur generatim, quandocunque Angelus corpus assumit, illud sibi vnire hypostaticè. Nam non datur communicatio idiomatum inter duas naturas perfectas, qua scilicet vna prædicetur substantiuè & in casu recto de alia, nisi vna sit persona vtriusque naturæ, ac proinde nisi vtræque vniātur hypostaticè. Vndè vt diximus modò, non propter aliam rationem Verbum potest dici homo, & homo Deus; non tamen lapis est Deus, aut contrà: nisi quia ibi est vnio hypostatica; hic verò non est. quo pacto nec Pater æternus potest dici esse Verbum aut Spiritus sanctus, etiamsi quoad essentiam, maximā habeant vnitatem, vt ex instituto probant A. Doctor & cæteri Theologi 3. p. q. 16. art. 1. & 2. At huiusmodi communicatio idiomatum est inter duas illas naturas; nempe inter Angelicam & corpus humanum quando ab Angelo assumitur. quia demonstrato corpore illo assumpto verè dici potest: Hoc est Angelus. & demonstrato Angelo potest dici: Hic est corpus. Vnde Danielis cap. 9. Angelus Gabriel apertè dicitur vir: *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel quem videram in visione,* &c. & similia frequenter habentur in aliis locis. Ergo inter illas naturas est vnio hypostatica.

A. Doctor.

Dan. 9.

Theologorum sententiam probandam Angelos numquam assumpsisse corpora, per vnionem hypostaticam. §. 2.

PArtem negantem sequuntur A. Doctor hic art. secundo vbi ait; inter Angelum & corpus assumptum esse vnionem quæ est motoris ad mobile, neque de hypostatica meminit. immò eam apertè excludit q. 6. de Pot. art. 7. ad 1. vbi ait: *Angelum assumere corpus non vt suæ naturæ vniat, sicut homo assumit cibum, neque vt vniat suæ personæ, sicut filius Dei assumpsit naturam humanam, sed ad suam repræsentationem, &c.* A. Doctor.

Alexander Alensis 2. p. quæ. 34. m. 3. Sic enim definit huiusmodi assumptionem corporis: *Est* inquit *sumptio corporalis creaturæ sibi coniunctæ, vel quasi vnius cum creatura spirituali ad manifestationem ipsius creaturæ spiritualis, vel ad demonstrationem diuinam.* Explicans autem cur dixerit quasi vnius, vel quasi coniunctæ: *Quoniam Angeli* inquit *ad suum corpus non est vnio sicut perfectionis ad perfectibile, sed sicut motoris ad mobile.* At constat id quod sibi corpus personando assumit, sibi illud vnire tanquam perfectibile. quādoquidem corpus assumptum assumentis perficitur subsistentiā, vt vltimā formā. Alensis.

Eodē modo loquitur Scotus in 2. d. 8 q. vn. §. *in ista quæstione,* vbi constituit quid sit Angelum assumere corpus hoc pacto: *Non est informare corpus, nec etiam hypostaticè sibi vnire, sed tantùm esse intrinsecùs motorem corporis.* S. Bonauentura ibidem p. p. d. art. 1. q. 2. c. ait, Angelos assumere corpora *sicut instrumenta vel organa ad operandum, sicut signa ad manifestandum, sicut cooperimenta vel habitacula ad habitandum.* Et ad 5. ibidem apertè negat assumi ad personam; quia hoc *locum habet in vnione perfecta, qualis est cum Dei filius assumpsit naturam humanam.* Non videtur dissentire Ricardus in eadem d. 8. art. 1. q. 2. ait enim Angelum vniri corpori tanquam motorem mobili non tanquam formam subiecto. & ad 2. ait assumptionem terminari ad vnitatem *non per se sed per accidens eo modo quo fit vnum ex motore instrumento moto.* Implicitè ergo negat aliam vnitatem. Eandem quæstionem ex instituto tractat Ægidius d. 8. ar. 1. in resolutione dubij 2. literalis; vbi ex quatuor viis, vt ipse loquitur, ait posse ostendi, corpora illa non assumi hypostaticè. Scotus. S. Bonau. Ricardus.

Hanc eandem negantem partem sequuntur Theologi recentiores; vt Gregorius de Valentia hîc p. 2. §. *Sed cum hoc.* noster Gabriel Vasquez disp. 184. cap. 1. §. *Deinde nota.* Molina in hac q. 51. a. 2. disp. 1. & alij 3. p. q. 3. art. 1. & 2. vbi A. Doctor ostendit, *supposit are alienam naturam esse hypostasis infinitæ.* Quæ omnia spectare possunt ad rem hanc nostram. Ad solutionem Valentia. Vasquez. Molina. A. Doctor.

Notandum est duobus modis intelligi posse hanc difficultatem, Vtrùm scilicet Angelus assumat corpora, ea sibi hypostaticè vniendo: primo modo ita, vt quęstio disceptetur absolute de possibili; ita nimirum vt sensus sit: Possítne Angelus diuina virtute sibi hypostaticè assumere corpora; & hoc pacto quæstio pertinet ad 3.p.q.3.a.1.&2. quib. in locis hęc difficultas examinare solet. Alio modo ita, vt ponamus rei possibilitatẽ solúmq; quæstio sit vt de facto videamus, An eo modo corpora ab Angelo asſũpta fuerint, & ita assumi soleãt; nimirum ob aliquod principiũ vel supernaturale vel naturale, ex quo talis facti necessitas deducatur. Si enim nulla necessitas sit, frustrà id asseritur, & satis erit si corpori Angelus vniatur vt motor, vt omnes prædicti auctores confitẽtur. Ad difficultatem ergo respondetur & sit

Prima propositio. Angelus corpora quæ assumit apparẽdo non sibi vnit hypostaticè. hęc propositio ex Scriptura sacra non videtur posse valide probari. Nam de hac re nullum certum testimonium reperio. Nam quod dicitur Matth. 11. *Ecce ego mitto Angelum meum* iam declarauerat idẽ S. Hieronymus in cap. 1. Aggæi vbi suprà id non esse ad rem. ij enim ibi dicti sunt Angeli Dei, quia nuncij, *ab eo quòd Domini voluntatem populo nunciauerint.* Sicut Isaiæ 9. dicitur Christus Dominus *magni consilij Angelus.*

Matth. 11. Hieronym. Isaia 9.

Probatur ergo propositio primò ex Patribus. nam S. Hieronymus in Pręfat. citata ad Malachiã cùm retulisset Origenis de Ioanne opinionem, atq; opinionis fundamentum; Quæ retuli in Prima sententia, subiecit statim: *Quod nos omnino non recipimus, ne animarum de cœlo ruinas suscipere compellamur.* vnde non solùm negat Ioannem Baptistam fuisse Angelum, verùm etiam rationem putat eius rei esse, ne admittamus cœlestium spirituum ruinas. quasi significet nullo pacto alligandos esse corporibus Angelos, qui omninò incorporei sunt. Quoniam si aliquo modo propriis naturaliter corporibus iuncti sunt (quod sanè sequitur si ea sibi hypostaticè vniant) duo videntur sequi incommoda.

Hieronym.

Primum quidem; quia hoc ipso videmur concedere Angelos esse corporum animas; siquidem nos aduersarij cogerent fateri Angelorũ ad corpora vnionem non tam esse hypostasum, quàm formarum. difficile namq; esset explicare si vna Angeli corporísq; hypostasis esset, idq; non miraculo sed naturâ, quo modo non vna simul vtriusque natura conflaretur. Longè enim incredibilius videri posset duas substantias quæ existimantur ab omnibus distincta supposita in vnum suppositum conuenire, quàm earumdem vnam fieri compositam naturam tanquam ex materia & forma. Magis enim videntur repugnare duo supposita singularia detracto alterius supposito, quod naturaliter à materia singulari distingui non videtur esse vnum singulare suppositum, quàm duas naturas re distinctas & integras vniri in vnum compositum. quo pacto Plato & plerique Philosophorum, vt suprà ostendimus putarunt animos humanos iunctos esse corporibus; Angelósque sibi assumere corpora.

Alterum verò incommodum est, quia horum animorum ruinas quas veteres asserebant, facilè admitteremus. Etenim si corpora humana in Angelica natura subsisterent, quàm difficili negotio eorum sententia refutari posset, qui putarunt Angelos fœminas appetiisse, cum eisq; per-

A egisse concubitum? Atque hæc mihi quidem videtur Hieronymi in refutando Origenis errore mens atque consilium. Neque enim alio pacto eorum verborum aptior sensus meo iudicio videtur deriuari posse. Quæ equidem non idcircò dixi, quòd putem Hieronymum existimasse hæc absurda simpliciter necessariò ex illa doctrina consequi, id enim ex Hieronymo non habeo; sed quia verisimile illi fuisse arbitror eum qui eo modo sentiret his & similibus argumentis non parum vrgeri. Vnde non dixit Hieronymus nos omninò cogi ea fateri, sed *ne compellamur.* Certum autem est non solis demonstrationibus, sed etiam probabilibus argumentis B quempiam ad aliquid asserendum quadam violentia compelli posse. Nam & qui alium enixè ad prandium inuitat, modò sine aliqua nota negare nequeat compelli non impropriè dicitur. Sed nobis nunc satis sit, si de Hieronymi sententia constet.

Hieronym.

Deinde idem patet ex sancto Augustino epist. 3. ad Volusianum circa medium, vbi dicit: Verbi incarnati mysterium esse prorsus singulare ac sine exemplo. Sic autem loquitur: *Hoc* inquit *si ratio quæritur non erit mirabile; si exemplum poscitur non erit singulare.* Ergo supponit nihil aliud præterquam Verbum diuinum C assumpsisse carnem humanam. alioqui Christi mysteriũ hoc non esset aut singulare aut sine exemplo: quia exemplo Angelorũ declarari potuisset, & ita posci potuisset exemplum. Nec posset dici Augustinũ intelligere nõ de vnione hypostatica, sed de cæteris adiunctis, quæ illam admirabilem faciunt: nam nihil admirabilius est vnione illa ex qua reliqua quæ admirabilitatem habent consequuntur. Vnde ipsam tanquam per se admirabilem extollit Dionysius Areopagita cap. 2. de diu. nom. *Iesu in carne apparitio* inquit *& ineffabilis est sermoni omni, & omni ignota intelligentiæ: ipsi quoq; antiquissimorum Angelorum primati non satis perspecta.* D Ergo ipsa substantialiter est singularis, non ob ea quæ illi adiuncta sunt.

S. August. S. Dionysius.

Similiter S. Damascenus lib. 3. cap. 1. ait, Deum hominem fieri *esse omnium nouarum rerum maximè nouum.* quo eodem modo locutus fuit S. Dionysius eodem cap. 2. de diu. nom. p. 2. *Nouitatum omnium supereminens nouitas.* Hæc autem nouitas non est solùm in eo quod talis est in indiuiduo, nempe quòd diuina est. alioqui omnia essent noua, quæ vt talia sunt & in indiuiduo non fuerunt vnquam priùs, sed etiam in eo quod genus nouũ est; nempe secundùm hypostaticam vnionem, secundùm quam oriuntur ea quæ nouitatem admirabilem habent. vt quòd *Deus sit homo, & homo sit Deus; quòd Deus moriatur,* & alia huiusmodi, quę E dicuntur communicatione idiomatum orta ex vnione hypostaseos. Quæ sine dubio idiomatum communicatio concedenda quoque esset in humana & Angelica natura, si vtraque in vnam communem hypostasim coalesceret.

S. Damascenus. S. Dionysius.

Secundò probatur ratione propositio euertẽdo argumenta partis aduersariæ. nam primò falsum est quod Tertullianus dixit; nempe fuisse verum potum, veréque illos Angelos comedisse. vt homines faciunt. nam hæc fuisse secundùm externam speciem, non autem secundùm veritatem, patet manifestè ex Angeli verbis Tobiæ 12. *Videbar* inquit *vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili vtor.* quasi dicat; videbar quidem vobis, sed re vera id non erat vt putabatis, quia meus

Tertullian. Tob. 12.

meus cibus longe diuerſam nutritionis materiam flagitat. Legi poteſt noſter Serarius in eum locum quæſtione 15. Vbi ex Græco contextu ſic ea verba legit, quæ clariorem noſtram hanc ſententiam reddunt. *Omnibus diebus* inquit ibi Angelus *videbar vobis & neque comedebam neque bibebam; ſed viſionem ibi videbatis.* Solùm ergo ſecundum externam ſpeciem comedit ac bibit. *Non tamen in phantaſmate Angelos edisſe credendum eſt* inquit ſanctus Auguſtinus libro decimotertio Ciuit. capite vigeſimoſecundo, quandoquidem *eos homines hoſpitio ſuſceperunt*, &c. & ideo ſecundum externam ſpeciem. Conſtat ergo ob has actiones non eſſe ponendam vnionem hypoſtaticam. Item falſum eſt, quod oſtēdi poſſit, Chriſtum ſumpſiſſe carnem exemplo illo Angelorum: quia Incarnatio vti diximus ſi exemplum haberet, ſingulare non eſſet myſterium. vnde aduerſus Apellem vel non erat rationibus vrgendum, ſed ſacrarum Scripturarum auctoritate ac teſtimonio oraculorum diuinorum: vel certè in hominem ex principiis ab eo conceſſis diſceptabat Tertullianus vt ſuprà indicatum eſt. Neque enim ex ſimplici ratione naturali hoc myſterium quod inter pura fidei arcana continetur, declarari poteſt, vt fusè probat Suarez tom. 1. in 3. p. tota diſp. 3. Secundò falſum eſt quod ex Origene retulimus: Nam vt dixi ex S. Hieronymo, Malachias & quicunque alius dicatur Angelus, non naturâ ſed munere Angelus appellatus eſt. Tertiò nec ratio quicquā firmitatis habuit. nam multis modis eæ apparitiones contingere potuerunt. Nam primò potuit dæmon ille longo tempore illudere ſenſibus ita, vt videretur dæmon geſtaſſe illa corpora, non tamen geſtarit. Secundò, quia potuit ea conſeruare per conſeruantes cauſas. quemadmodum eadem corpora plerumq; opobalſamo aliquandiu homines ſeruare conſueuerunt. Tertiò id potuit facilè præſtari reparatione deperditarum partium applicatis naturalibus cauſis, aut certè condenſatione impuri aëris, ita vt talia apparerēt quæ non eſſent: aut tandem aſſumptione ſimilium corporum.

Serarius. Suarez.

Denique vtut fuerint illæ aſſumptiones, non probatur fuiſſe corpora hypoſtaticè vnita. Quoniam ex vnione hypoſtatica non obdurabatur corpus, nec vegetabatur aut obſiſtebatur contrariis, ne in ipſum agerent corruptrice actione, nec aliquid huiuſmodi fiebat in ipſo. Hi enim effectus ſunt non ex vnione modi qui eſt ſubſiſtētia, ſed vel animatione vel etiam ope effectricium cauſarum in materiam aptam. Neq; enim virtus Angeli effectus corporeos gignit, niſi conſpiratione naturalium cauſarum, vt ſæpè diximus. Ergo non ſola applicatione ſuæ hypoſtaſeos talia exorta fuiſſent effecta. Similiter nec id quod de communicatione idiomatum additur efficacius quicquam concludit. Etenim falſa eſt eius argumenti Minor. quia demonſtrato corpore in quo apparebat Angelus, non erat eo modo vera illa propoſitio: *Hoc eſt Angelus*, in ſenſu ſubſtantiali. Quemadmodum demonſtrato illo homine qui erat Chriſtus, verè dicebatur: *Hic homo eſt Deus.* ſed ſolùm erat vera ſecundùm repræſentationē. Quemadmodum demonſtrata Socratis imagine verè dicitur: *Hic eſt Socrates*; nempe *Hæc imago eſt Socratis*. Pari modo nec demōſtrato Angelo poterat dici: *Hoc eſt corpus.* ſed; hoc apparet in corpore. Ratio eſt, quia ne fuiſſet quidem tunc vera propoſitio ſecundùm repræſentationē. Sicut ob eandem cauſam licèt demōſtrata Socratis effigie verè dicatur: *hic eſt Socrates.* non tamen demonſtrato Socrate verè dicitur: *Hic eſt imago Socratis*, nulla enim ſubſtantia nec realiter nec repræſentatiuè eſt ſui ipſius imago, ſi propriè loquendum ſit. Etenim rectè A. Doctor ſupra q. 35. a. 1. ad 1. obſeruat: *imaginem propriè dici quod procedit ad ſimilitudinem alterius: illud autem ad cuius ſimilitudinem aliquid procedit propriè dicitur exemplar, impropriè imago.* quo poſito impropriè ait locutum eſſe S. Auguſtinū ſiue Fulgentium lib. de fide ad Petrum cap. 1. cùm dixit Trinitatem eſſe imaginem ad quā factus eſt homo. Quod autem de Gabriele dicitur, ſoluitur etiam ex dictis, quia dicitur, vir, forma & imagine, non tamen re ipſa ac ſubſtantialiter.

A. Doctor. S. Auguſtin. Fulgentius.

Tertiò probatur propoſitio duplici alia ratione. Prima quidem abſolutè nulla facta hypotheſi ex generalibus principiis formari ſic poteſt: quia nulla creata hypoſtaſis etiā per diuinam ac præpotentem virtutem ſuſtētare poteſt alienam naturam, vt Theologorum fermè omnium ſententia videtur 3. p. q. 3. & A. Doctoris ibidem a. 1. ad 2. vbi ait: *Proprium eſſe diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concurſus naturarum.* quod quidem ſuo loco probandum differo. Ergo Angeli perſona non poterit ſuſtinere alienam corporis naturam. Altera eſt, quia eſto detur vt in Notando ponebamus poſſe id fieri diuina virtute, tamen nulla eſt firma auctoritas, nulla cogēs ratio, nullum efficax ſignum, vt tantum tamq; ſupra hominis captum talis vnionis miraculū defendatur, vt patet ex iam dictis. Ergo Angeli non ſumpſerunt corpora hypoſtaticè ſibi vnita. Alioqui ſi pro arbitratu philoſophari liceret dici poſſet, vel quodlibet ex quolibet fieri, quod rectè improbat Ariſtoteles lib. 1. Phyſ. cont. 43. vel omnia ex nihilo exiſtere cōtra omnes qui de natura ſcripſere, vt ait ibidē Ariſtoteles cont. 33. & 34. & alibi frequenter. negari etiā poſſet vno inconuenienti dato aliud non ſequi. de quo Ariſtoteles eodem lib. cōt. 10. & 22. & alia abſurda affirmare poſſet, quæ vniuerſam philoſophiā omninò deſtruerēt.

A. Doctor. Ariſtoteles.

Quænam ſit illa vnio Angeli cum corpore aſſumpto. § 3.

SEcunda Propoſitio. Talis Angelorum cū corporibus aſſumptis vnio non eſt niſi localis, & virtutis mouentis ad mobile ipſorum repræſentatiuum. Hęc propoſitio eſt Theologorū, quos iam citauimus. Probatur autem hoc vnico argumento, quia ea debet eſſe Angelorum cum corporibus vnio, quæ ſit poſſibilis, & ſufficiat ad finem corporalis aſſumptionis. cæteræ enim aut eſſe non poſſunt, aut fruſtrà conceduntur. at ſola localis & virtutis eſt poſſibilis & ſufficit ad finem corporalis aſſumptionis. Ergo prędicta vnio non eſt niſi localis & virtutis. Minor probatur: quia cæteræ vniones; vt quæ eſt formæ ad materiam, hypoſtaſis ad naturam & ſunt in Angelo impoſſibiles, & non ſunt ad finem apparitionum, quia ſunt ad faciendum vnum ſubſtātiale, non autem ad faciendum vnum repræſentatione, vt ſcilicet ipſius perſona corporeis formis ſuſtineatur, & repræſentetur. Ad hanc autem ſatis eſt vnio localis & virtutis. localis quidem, quia Angelus debet eſſe cōiunctus loco, vt ibi verè ac ſubſtātialiter dicatur eſſe vbi operari cōſpicitur. Virtutis verò,

verò, quia debet posse moueri illud assumptum corpus iis motibus, quibus Angeli persona asseratur ibi adesse & operari; nempe motu locali & veluti progredientis comedentis loquentis, &c. eo modo vt dicam a. seq. Ergo localis & virtutis vniones sufficiunt.

Obserua autem hîc nos solùm meminisse triū generum vnionis; nempe materiæ ad formam, hypostaseos ad naturam, & localis, nempe substantiæ quæ est in loco ad ipsum locum. de his enim non de aliis potest esse controuersia. Etenim cæteræ si quæ sunt aliæ nihil ad rem faciūt. vt vnio per nexum aut vinculum, quæ est fascis: & vnio partium integrantium quę est continui: aut vnio substantiæ cum accidentibus alterius substantiæ, quæ tamen accidentia ab illa substantia non sustententur; vt corpus Christi est sub speciebus panis ac vini in Sacramento Eucharistiæ. quarum omnium vnionum nullam rationem hîc habemus; cùm certum sit per eas Angelum non vniri assumpto corpori quo repræsentari hominibus debet.

Quod si quæras quid addit vnioni locali vnio virtutis, respondeo realiter nihil addere. Hoc enim ipso quòd Angelus est corpori localiter præsens, habet vnionem virtutis ad mouendum illud corpus. Angeli enim vt infrà suo loco dicam, possunt mouere omnia corpora, in quæ potestatem habent. Ratione autem distingui possunt: quia vnio localis terminatur ad locū; vnio autem virtutis est illa ipsa vnio qua respicit finem, ob quem Angelus se in loco constituit. Vt enim dicam q. seq. non aliam ob causam Angelus assumit corpus, nisi vt in loco illo operetur vbi est corpus. Quamobrem ab A. Doctore vt dicam ibidem, Angelus dicitur esse in loco per applicationem virtutis ad ipsum corpus in quo est vt in loco. Si autem iterum quæratur, quid sit ista vnio localis, respondendum est, nihil esse aliud quàm ipsam rationem, qua Angelus applicatur ipsi loco; nempe modum quēdam in ipsa substantia Angeli, quo determinatur vt ipse Angelus sit potiùs hîc quàm ibi, vt ex instituto declarabo q. seq. Sic enim agētis vnio ad passum nihil est aliud nisi forma, & modus quidam, quo est ita applicatum passo vt ab eo non distet, & sic de aliis. quem etiam modum dicemus ibidem esse ipsum *vbi* seu *vbitatem*. Quod est ratio, per quam aliquid est præsens & applicatum huic vel illi loco. seu, quod idem est, est ipsa determinata, ac certa præsentia ad hunc vel illum locum, &c.

A. Doctor.

Hic tamen animaduerti oportet, quamuis dicamus esse puram vbitatem, & nihil esse aliud id per quod corpori nectitur Angelus; id tamen intelligi oportere saltem de vnione primaria, & vt dicitur radicali. Si enim alius aliquis huius vnionis modus concedendus sit, quo Angelus ipse non solùm vniatur corpori assumpto, sed etiam vnitus eidem perseueret, secúmque illud ducat & trahat in varia loca, disputabitur q. seq. a. 1. quæsito 2. diff. 3. not. 5. cùm loci Angelici formam stabiliemus.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò rectè A. Doctorem, & alios quos diximus, asseruisse Angelum vniri vt motorem mobili. Cùm enim extrinsecùs mouere illud debeat, est motor coniunctus secundùm pręsentiā localem, & secundùm præsentiam virtutis. Motor enim si extrinsecùs moueat, vt Angelus debet coniunctus esse cum mobili localiter, & secundùm virtutem, quia vtraque præsentia necessaria est motori. ergo rectè dixerunt coniungi oportere vt motorem mobili, vt vtramque vnionem, seu veriùs vtramque vnionis formalem rationem, significarent.

Colligitur secundò, vnionem Angelorū cum corpore assumpto esse accidens non substātiam. nam vnio quæ est substantia, copulat ipsas res quibus fit vnum per se substantiale; non autem quæ faciunt vnum accidentale. Vnio enim non debet esse perfectior, quàm id quod constituitur per vnionem. Nam id quod constituitur, est perfectius suis principiis & partibus intrinsecis; vt homo est perfectius ens quàm sint anima, & quàm corpus, & quàm sit vnio. quia vnio est pars intrinseca rei per vnionem constitutæ; vt hominis, leonis, calidi, &c. Est enim quid pertinens ad rationem rei constitutæ. Vnde rectè A. Doctor 3. p. q. 50. a. 4. c. negat Christum in triduo mortis fuisse hominem ea de causa, quia non erat vnio animæ & corporis. *quæ* inquit *est de ratione hominis*. quo pacto magistrum contra sentientem ibi damnat. Cùm ergo Angelus & corpus assumptum non faciant vnum per se substantiale (neque enim est vnum per se aut essentiale, aut personale) sequitur facere vnum in genere accidētis: nempe vnum quasi vnitate loci & locati ad vnum finem intrinsecum, qui est motus localis; nempe operatio quæ fit locutio, progressio, &c. quæ vt constabit a. seq. sunt quidam motus localis, ergo vnio hæc nō debet esse substantia sed accidens. Quod etiam confirmatur: quia talis vnio est ratio, qua Angelus applicatur illi corpori localiter, vt illud moueat secundùm locum. ergo est accidens, quia est ipsa forma localis & vbitas. Et ideò reponitur in prędicamento accidentis; nempe Vbi. quemadmodum esse vestitum ornatum, &c. sunt in prædicamento accidentis; scilicet Habitus. quia etiam hic est talis modus accidentalis, quo vestes illæ aut arma sunt applicata ei, qui vestitus armatus, & similibus aliis modis dicitur.

A. Doctor.

Satisfit argumentis & quid de Tertulliano sentiendum, confirmatúrque doctrina iam tradita. §. 4.

Ex his respondetur ad argumenta quæ fecimus pro parte affirmante. fatemur enim Tertullianum fuisse in ea sententia, vt probant ibi allatæ rationes. quæ tamen sententia nobis probanda nullo modo est ob rationes dictas. Quanquā Tertulliani sententia (quo nēpe pacto crediderit Angelos indutos aliquando vera carne) potest eadē ratione intelligi qua super. Quæsito Diffic. 2. in nostra propositione diximus, ipsum intellexisse Christi carnem verā fuisse, cùm veteris testamenti Patribus apparuit, quia nimirum vrgebat Marcionem veram Christi carnem negantem, non tamen quia absolutè id Tertullianus crediderit, vt ibidem fusiùs diximus ex obseruatione Pamelij. Quomodo autem Tertulliani siue coniecturæ, siue rationes non sint firmæ diximus in nostra Propositione prima.

Tertullian.

Ad argumentum tamen quod ibi primum ex illo fecimus, dico Minorem esse falsam. quia posset dæmon & Angelus assumere veram carnem sine vnione hypostatica, nempe si ei vniatur tanquam motor mobili, eo modo quo antè diximus. Ad probationem dico supponere fuisse veram comestionem, &c.quod falsum esse diximus etiam in sententia Tertulliani, cùm non agit contra sententiam Marcionis, vt dixi loco citato. Quod si aliter sensit, sententia illius non est admittenda. Atque ita ruit quod ex S.Damasceno construebatur. Angelus enim vt diximus, non verè comedebat per carnem, sed per corpus assumptum comedere videbatur. Vt autem argumentum illud funditus euertamus, Ad probationem eius Minoris dico primum, si Angelus veram carnem assumpsisset, non satis assignari vnionem hypostaticam ad eas functiones comedendi, loquendi, &c. In eo namque corpore debuisset esse anima quæ est vita & principium illarum operationum. Secus, tales actiones propriè non fuissent, vt patebit art. sequenti. Ob quam causam quia hæ actiones à Christo verè proficiscebantur, in eo verum humanum fuisse animum Catholica fides docet. vt in materia de Incarnatione disputatur. Deinde dico, Quandocumque proprietates vnius naturæ integræ, tribuuntur alteri naturæ etiam integræ ita, vt per se tribuantur alicui vni substãtiæ quæ ex illis duabus integris naturis constet: tunc verè illam vtramque naturam vniri in aliqua vna persona. Ratio huius rei patet. Quoniam illa vna substantia cui tales actiones ascribuntur, debet esse vna ob aliquã vnitatem substantialem. Alioqui non esset vna substãtia. ergo ob vnitatem personæ. Duæ namque naturæ integræ substantiales nullam aliã habere possunt substantialem vnitatem præter vnitatem personæ, vt fusiùs ostensum est in materia de Incarnatione. Sin autem actiones vnius naturæ, solùm alteri aptentur per accidens, nempe non ex eo quòd vni substantiæ ex duobus integræ tribuantur, sed tanquam motori qui per eam naturam eiúsque actiones repræsentetur, nego debere esse vnitatem aliquam substantialem, ac proinde nego oportere eas vniri hypostaticè. Quo pacto, cùm Dæmon sumit alicuius demortui corporis v.gr. Socratis, & veluti laruis Socratis personatus incedit, illa progressio tribuitur Dæmoni tanquam motori per illud corpus eiúsque progressionem repræsentato. Ad argumentum ergo aio, proprietates actionésque corporum assumptorum non tribui Angelis priore modo, sed posteriore. Verè enim Angelus nõ loquitur, quia nec ora nec linguam per se habet, sed solùm loquitur eo quòd linguam eius corporis assumpti mouet, formátque voces, &c. Constat ergo actiones corporum assumptorum tribui Angelo non ob aliquam vnitatem substantialem per se, sed tanquam motori repræsentato, vt explicatum est.

S. Damasc.

Ad confirmationem, quia nititur auctoritate Tertulliani, nihil ampliùs dico, præter ea quæ dicta iam sunt. nam vult conuersos esse Angelos in humanam corpulentiam non quidem propriè, quia id quod conuertitur in aliud non remanet, vt dicitur alibi; sed conuersos hoc est transformatos, seu aliena forma quasi vestitos, vt antiquitus putabantur Dij transformari vt Iupiter in vaccam, &c. Et sic nego vnum debere fieri aliud per vnionem hypostaticam. Similiter dico ad argumentum ex Tertulliano voluisse euincere Apellem, vt loco citato diximus voluisse euertere Marcionem, sed neutrum fuit secundùm scientiam, vt dixi.

In qua etiam re notandum est, etiamsi Angelus assumeret corpus hominis hypostaticè, non tamen fore communicationem idiomatũ, quam extorquere conatur illud argumentum. nõ enim sumeret corpus viuum, quia non posset in eo repræsentari Angelica persona, vt nos diximus super. Quæsit. Diffic. 1. in Notandis. & notauit rectè Ægidius vbi suprà q. 1. a. 1. in resolutione dubij primi literalis. & apertè indicat Alexander membro illo 3. in fine. & est expressa sententia A. Doctoris hic a. 3. ad 1. & rationem optimam affert; quia scilicet non repræsentaret Angelos: *quia proprietates ipsorum ducerent in ipsos homines non in Angelos.* Sumeret ergo corpus non viuum, quod esset pars viuentis, sed corpus constitutum ex formis partiariis. Tunc autem nõ fieret communicatio idiomatum, quæ solùm fit, quãdo assumitur natura integra, non autem quando assumuntur partes. vnde in Christo non dicitur, Deus est caro, aut materia, aut anima; sed solùm, Deus est homo, & homo Deus. Cuius ratio assignabitur alibi.

Ægidius. Alexander.

Ex his quoque patet ad ea quibus ibi confirmantur dupliciter Tertulliani dicta. Nihil enim nouæ difficultatis præter ea quæ in argumento priori allata sunt adducit. Ad ea verò quæ ex Origene ibi dicuntur, nimirum de Malachia & aliis, dictum suprà est. Quo eodem modo errarunt Iudæi apud Eusebium ibid. Ioannes enim nõ erat purus homo, si intelligunt purum, hoc est nudum à gratia diuina. Erat tamẽ purus homo substantialiter, quia præter humanã substantiam non erat ex aliis conflatus substantiis. Ad primam rationem eius sententiæ Respõdeo non posse id quod non est forma corporis, vegetare corpus & similia. Hi enim affectus sunt à forma, quæ est vita vt dicam sequenti articulo. Quare dico Dæmonem suis artibus conseruasse illa corpora applicatione ac remotione naturalium causarum, eo modo quem ad id idoneum nouit. Vel certè similia corpora assumebat Dæmon, si vnum non poterat diutius seruare ad annum. Certum tamen sit per solam suam hypostasim non potuisse illos effectus præstare. Hypostasis enim creata nec efficienter nec formaliter naturam conseruat, sed solum constituit suppositum, complétque operandi principia vt alibi dictum est. Quare cùm eiectus est Dæmon ab illo corpore, aut dissolutæ sunt seruatrices causæ, aut ipse à præstigiis se abstinuit. Ad secundam rationem generalem, Respondeo vnam de alia natura non prædicari substantiuè. Non enim dicitur Angelus est corpus, aut contrà: nisi cum dicitur, Hoc corpus est Angelus repræsentatiuè. sicut cùm dicitur is qui laruam Regis induit, Hic est Rex, &c. vt suprà diximus. Vnde falsum est, demonstrato Angelo, dicere, Hic est corpus. Gabriel autem eo loco Danielis cap. 9. dicitur vir, quia habitu & corpore, virum repræsentabat.


Dan. 9.

***

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm Angeli in corporibus assumptis opera vitæ exerceant.

1. d. 8. art. 4. & po. q. 6. ar. 8. & quæ. 3. art. 5.



AD tertium sic proceditur. Videtur quòd Angeli in corporibus assumptis opera vitæ exerceant. Angelos enim veritatis non decet aliqua fictio. Esset autem fictio, si corpus ab eis assumptum quod viuum videtur, & opera vitæ habens non haberet huiusmodi. Ergo Angeli in assumpto corpore opera vitæ exercent.

2. *Præterea. In operibus Angeli non sunt aliqua frustra. frustra autem in corpore assumpto per Angelum formarentur oculi & nares, & alia sensuum instrumenta, nisi per ea Angelus sentiret. ergo Angelus sentit per corpus assumptum. quod est proprissimum opus vitæ.*

3. *Præterea. Moueri motu processiuo est vnum de operibus vitæ, vt patet in* * *2. de anima. manifestè autem Angeli apparent in assumptis corporibus moueri. Dicitur enim Genes. 18. quòd Abraham simul gradiebatur deducens Angelos qui ei apparuerant. & Angelus Tobiæ quærenti: Nosti viam quæ ducit in ciuitatem Medorum? respondit Noui; & omnia itinera eius frequenter ambulaui. Ergo Angeli in corporibus assumptis frequenter exercent opera vitæ.*

* libr. 2. de An. t. 13. to. 2.

4. *Præterea locutio est opus viuentis. fit enim per vocem, quæ est sonus ab ore animalis prolatus vt dicitur in* * *2. de Anima. Manifestum est autem ex multis locis Scripturæ, Angelos in assumptis corporibus locutos fuisse. Ergo in corporibus assumptis exercent opera vitæ.*

* libr. 2. de An. t. 90. to. 2.

5. *Præterea. Comedere est proprium opus animalis. vnde Dominus post resurrectionem in argumentum resumptæ vitæ cum discipulis manducauit, vt habetur Luc. vltim. Sed Angeli in assumptis corporibus apparentes comederunt, & Abraham eis cibos obtulit: quos tamen prius adorauerat, vt habetur Genes. 17. Ergo Angeli in assumptis corporibus exercent opera vitæ.*

6. *Præterea. Generare hominem est actus vitæ. Sed hoc competit Angelis in assumptis corporibus. Dicitur enim Genes. 6. Postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt. isti sunt potentes à sæculo viri famosi. Ergo Angeli exercent opera vitæ in corporibus assumptis.*

Sed contrà. Corpora assumpta ab Angelis non viuunt vt suprà dictum est. * *ergo nec opera vitæ per eos exerceri possunt.*

* ar. præced. arg. 1. præcipuè.

Respondeo dicendum, quòd quædam opera viuentium habent aliquid commune cum aliis operibus. vt locutio, quæ est opus viuentis conuenit cum aliis sonis inanimatorum in quantum est sonus: & processio cum aliis motibus in

A *quantum est motus. Quantum ergo ad id quod est commune vtrisque operibus, possunt opera vitæ fieri ab Angelis per corpora assumpta: non autem quantum ad id quod est proprium viuentium; quia secundùm Philosophum in libro de somno & vigilia.* * *Cuius est potentia eius est actio. vnde nihil potest habere opus vitæ, quod non habeat vitam, quæ est potentiale principium talis actionis.*

* c. 1. ante me. iiii to. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut non est contra veritatem, quòd in scriptura intelligibilia sub figuris sensibilibus describuntur: quia B *hoc non dicitur ad astruendum, quòd intelligibilia sint sensibilia, sed quòd per figuras sensibilium proprietates intelligibilium secundùm similitudinem quandam dantur intelligi. ita non repugnat veritati sanctorum Angelorum, quòd per corpora ab eis assumpta videntur homines viuentes, licèt non sint. Non enim assumuntur nisi vt per proprietates hominis & opera hominis spirituales proprietates Angelorum & eorum spiritualia opera designentur. Quod non ita congruè fieret, si veros homines assumerent: quia proprietates eorum ducerent in ipsos homines,* C *non in Angelos.*

Ad secundum dicendum, quòd sentire est totaliter opus vitæ. vnde nullo modo est dicẽdum, quòd Angeli per organa assumptorum corporum sentiant: nec tamen superfluè sunt formata. Non enim ad hæc sunt formata, vt per ea sentiatur, sed ad hoc, vt per huiusmodi organa virtutes spirituales Angelorum designentur: sicut per oculum designatur virtus cognitiua Angeli; & per alia membra aliæ eius virtutes: vt Dionysius * *docet vlt. cap. cæl. hierar.*

* c. 15. inter principium & medium.

Ad tertium dicendum, quòd motus qui est à D *motore coniuncto est proprium opus vitæ. Sic autem non mouentur corpora assumpta ab eis, quia Angeli non sunt eorum formæ; mouentur tamen Angeli per accidens motis huiusmodi corporibus: cùm sint in eis sicut motores in mobilibus; & ita sunt hic quod non alibi; quod de Deo dici non potest. vnde licèt Deus non moueatur motis his in quibus est, quia vbique est, Angeli tamen mouentur per accidens ad motum corporum assumptorum. non autem ad motum corporum cælestium, etiam si sint in eis sicut motores in mobilibus, quia corpora cælestia non recedunt de loco secundùm totum. nec determinatur spiritui* E *mouenti orbem locus secundùm aliquam determinatam partem substantiæ orbis quæ nunc est in Oriente, nunc in Occidente, sed secundùm determinatum situm: quia semper est in Oriente virtus mouens, vt dicitur in 8. Phys.* *

* libr. 8. tex. 8. tom. 2.

Ad quartum dicendum, quòd Angeli propriè non loquuntur per corpora assumpta, sed est aliquid simile locutioni, in quantum formant sonos in aëre similes vocibus humanis.

Ad quintum dicendum, quòd nec etiam comedere propriè loquendo Angelis conuenit, quia

comestio

*comestio importat sumptionem cibi conuertibilis in substantiam comedentis. Et quamuis in corpus Christi post resurrectionem cibus non conuerteretur, sed resolueretur in praiacentem materiam; tamen Christus habebat corpus talis naturæ, in quod posset cibus conuerti. vnde fuit vera comestio. Sed cibus assumptus ab Angelis neque conuertebatur in corpus assumptum; neque corpus illud talis erat naturæ in quod posset alimentum conuerti. vnde non fuit vera comestio, sed figuratiua spiritualis comestionis. & hoc est quod Angelus dixit Tob. 12. Cùm essem vobiscum, videbar quidem manducare & bibere, sed ego potu inuisibili & cibo vtor. Abraham autem obtulit eis cibos existimans eos homines esse, in quibus tamen Deum venerabatur, sicut solet Deus esse in prophetis; vt Augustinus dicit 16. * de Ciu. Dei.*

* lib. 16. ciu. ca. 19. à medio tom. 5. l. 15. ciu. c. 23. parũ à ptin. to. 5.

*Ad sextum dicendum, quòd sicut Augustin. dicit 15. de Ciuit. Dei multi se expertos, vel ab expertis audisse confirmans, Syluanos & Faunos, quos vulgus incubos vocat, improbos sæpè extitisse mulieribus, & earum expetisse atque peregisse concubitum. vnde hoc negare impudentiæ videtur. Sed Angeli Dei sancti nullo modo sic labi ante diluuium potuerunt. vnde per filios Dei intelliguntur filij Seth qui boni erant. filias autem hominum nominat Scriptura eas quæ natæ erant de stirpe Cain. Neque mirandum est, quod de eis gigantes nasci potuerunt. neque enim omnes gigantes fuerunt, sed multò plures ante diluuium quàm post. Si tamen ex coitu dæmonum aliqui interdum nascuntur, hoc non est per semen ab eis decisum, aut à corporibus assumptis, sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum, vtpote quòd idem dæmon qui est succubus ad virum, fiat incubus ad mulierem: sicut & aliarum rerum semina assumunt ad aliquarum rerum generationem, vt Augustinus * dicit 3. de Trinit. vt sic ille qui nascitur non sit filius dæmonis, sed illius hominis, cuius est semen acceptum.*

* libr. 3. de Trin. cap. 8. tom. 3.

Explanatio & Confirmatio eorum quæ in art. dicuntur.

A. Doctor.

VT A. Doctor quæstioni respondeat docet opera vitæ habere aliquid, quo cum cæteris actionibus conueniant, vt locutio habet quod sit sonus quidã, & progressio quòd sit motus, &c. Quæ quidem extra ea quæ vitam habent reperiuntur. Habere etiam propriam rationem vitæ qua à cæteris differunt. Quo posito respondet, posse exerceri opera vitæ ab Angelo secundùm rationem communem cæteris actionibus; non autem secundùm propriam. Probat primum dictum: quia certum est sonum taliter temperatum, vt videatur locutio, & motum vt videatur progressio, posse fieri ab Angelo in assumptis corporibus: Quia vt ait ibi ad 4. cùm Angeli dicuntur loqui *est aliquid simile locutioni in quantum* A *formant sonos in aëre similes vocibus humanis.* Alterum dictum probat, quia nihil potest habere actiones proprias vitæ, quod non habeat potentiam vitalem, quia vt ait Aristoteles lib de somno & vigilia cap. 1. Eiusdem est actio cuius est potentia. Sed Angeli in corporibus assumptis non habent potentiam vitalem; nempe animæ; ergo nec has operationes.

Aristoteles.

Diuersitas rationum ad eandem conclusionem. §. 1.

B PAulò aliter quàm hîc q. 6. de Pot. art. 8. hanc ipsam cõclusionem demonstrauit A. Doctor. Quæ quoniam ad huius articuli intelligentiam apprime conducunt, ea breuiter hîc indicanda duxi. Ait ergo: actionem aliquam, ex duobus naturalem speciem suam accipere; nimirum vt ipse ait *ex agente & termino.* Exemplum ponit hoc pacto. *Calefactio enim inquit ab infrigidatione differt quia vna earum ex calore procedit, & ad calorem terminatur, alia verò à frigore & ad frigus.* Quoniam tamen de actione & quoad speciem, & quoad esse naturale locutus fuerat; ad vberiorem eius rei declarationem subiunxit statim quid sit id à quo ipsum esse naturale deriuatur. nam docet actioné sicut & motum à termino propriè speciem, C *à principio autẽ vt sit naturalis habere. Motus enim & actiones naturales dicuntur, quæ sunt à principio intrinseco.* Hoc autem posito ait ad quæstionem: quasdam actiones animæ esse, quæ non solùm attribui non possunt Angelo in assumptis corporibus quoad ipsarum speciem, verùm ne quoad speciei similitudinem quidem. *Sicut sentire* inquit *augere, nutrire, & similia.* Quasdam verò esse quæ corpori Angelico assumpto conuenire possunt, non quidem quoad ipsarum speciem, sed quantùm ad similitudinem.

A. Doctor.

Primum sic probat: quia illæ actiones quæ oriuntur; (nempe necessariò & essentialiter) ab anima tanquam à principio, & ad ipsam (item D essentialiter) tanquam ad terminum terminantur, non possunt Angelo in assumpto corpore siue quoad speciem, siue quoad speciei similitudinem competere, sed sentire, augere & nutrire, & similes actiones oriuntur ab anima tanquam à principio, & ad ipsam tanquam ad terminum terminantur. Ergo sentire, &c. non possunt Angelo competere in assumpto corpore siue quoad speciem, siue quoad similitudinem. Maiorem non probat, fortè quia ex se clara est. Nam quòd eæ actiones non possint quoad speciem suam, ac naturam tribui Angelo in assumpto corpore patet. si etenim id posset, deberent vel ab ipso promanare tanquam à principio, vel ad ipsum terminari E tanquam ad terminum. vno enim vel vtroque ex his modis, actio speciem suam habet vt dixerat. Ergo actio illa quæ in animam referri essentialiter debet, vtroque hoc modo, non potest vel ab ipso Angelo promanare, vel in ipsum terminari. actio enim quæ sua naturâ & essentiâ habet sua principia & suos terminos extra illos vagari nequit. vt; quia intellectio debet ab intellectu oriri, tenderéque in obiectum essentialiter, non potest vel ab alio principio, vel in alium terminum esse.

Quod verò nec possit competere etiam per similitudinem sic ostendi potest: quia non intelligit

ligit quamcunque similitudinem (constat enim aliquam similitudinem inter cuiusuis generis actiones esse posse) sed eam quæ sit inter effectus seu complementa ipsarum actionum, quæ quidẽ nulla est si hi effectus vtrobique non sint iidem, vt patet ibi ex contextu. Quod idem est ac si dixisset A. Doctor, non solùm prędictas actiones nõ posse eiusdem esse speciei quoad formale, sed ne secundùm quidem integritatem seu partem seu complementum illarum. Eam namq; his actionibus negat similitudinem, quam concedit aliis actionibus posterioris generis. Has enim vtrasque similitudines opponit ex aduerso vt vidimus: actionibus autem posterioris generis concedit similitudinem effectuum seu complemẽti, atq; integritatis, in quibus sunt idem vt dicam postea. Verum autem est, actiones quæ essentialiter pendent ab anima, atq; ad animam referuntur, ne in effectibus quidem seu complementis, Angelo in assumpto corpore competere posse. Si enim per se ab anima & ad animam referuntur; ergo hæ actiones non habent effectus quib. cum Angelicis actionibus idem sint ac proinde assimilentur; vt ex probatione sequenti confirmabitur.

A. Doctor. Minor autem ab A. Doctore probatur: Quoniam *sensus inquit est secundùm motum a rebus ad animam, similiter & nutrimentum & augmentum est per hoc quod aliquid generatur & additur corpori viuenti.* Ex his enim sequitur has actiones essentialiter manare ab anima & terminari in animam. Hoc vtrumque patet primò de ipso sentire hoc modo: quia sentire debet esse actio elicita ab anima determinata per obiectum circa quod est ipsum sentire, ita vt aliter nec esse nec intelligi sensio possit. Si enim non intelligatur obiectum vel se ipso vel per vicarias species esse, vel in ipsa anima vel in organo ipsam determinante, nunquam intelligi sensio potest, vt visio est à potentia visiua determinata ab obiecto per species; & sic de cæteris dico. Ratio est, quia alioqui non est vere potentia effectrix, nisi intelligatur determinata, cum nullum agens necessarium promere ex se actionem possit, nisi priùs determinatum sit. Ergo sentire est motus ad animam; nempe ex obiecto siue per species siue alio modo, & animam in obiectum per actionem, quæ est formalis sensio. Et ideo Aristoteles libello de Somno & Vigilia definiuit capite primo, cum *qui dicitur sensus esse motum animæ per corpus.* de qua re alibi fusiùs dictum est. Faciliùs idem probatur de nutritione, quæ est actio animæ in adgenerandam sibi substantiam ex apto alimento. & similiter augmentatio. ergo est ad animam siue ad corpus animatum & ab anima. Atque hæc de actionibus prioris generis.

Aristoteles.

A. Doctor. Secundum probat A. Doctor: quia illæ actiones animę, quarum anima est principium terminantur tamen ad aliquem effectum externum, possunt similitudine aliqua competere corporibus assumptis Angelorum. Sed loqui, comedere, & similia sunt actiones animæ, quarum ipsa est principium, & terminantur ad externum effectũ. Ergo possunt similitudine aliqua competere Angelorum assumptis corporibus. Maior, & Minor probari simul possunt in re nostra. Etenim loqui est actio animæ, quia formatur instrumentis animati aer, editque in sonum, qui fit in aëre tali pacto diuiso, vt reddat voces imprimátque conceptum in audiente. Similiter comestio est actio

A animæ per organa vitæ, qua actione diuiditur, tunditúrque cibus in stomachum traiiciendus. Quapropter si locutio definiatur, dicendum erit eam esse actionem vitæ, qua editur vox articulata conceptum in audientis animum imprimens. vel quid simile: Item & comestionem esse actum vitæ, quo cibus atteritur, ac deglutitur, & cætera.

Iam ergo si in his actibus suam ipsorum speciem præcise spectes, reperies vltra ipsam speciem esse etiam effectum externum; nempe articulatum sonum in aere ex ipso loquendi actu vitali, tunsionem cibi in ore ex ipso actu comedendi vitali, &c. Si verò integram horum actuum naturam consideres, nimirum secundùm

B ea quæ ratio per nomen ipsorum, significata in se includit, illi quos diximus effectus, non tam effectus sunt quàm ipsorum partes. vt si locutionem integrã sumas, nõ est effectus ipsa vox articulata sed pars. Locutio enim est prolatio verborum, &c. vt dicebam. Itaque ex his est vera Maior ac Minor prædictæ ratiocinationis hoc pacto. Minor quidem, quia ostensum est, has animæ actiones terminari ad externum effectum, si ipsum actum vitæ præcise sumamus, eo enim fit talis articulatio vocis. Maior verò: quia si integri spectentur iidem actus, nempe quà locutio est &c. dicendi sunt habere conuenientiam & similitudinem cum locutione, qua Angeli in corpore as-

C sumpto colloquuntur, &c. quia in illis effectibus, quibus prædictæ actiones complentur, eædem ex parte Angeli atque hominis sunt. illæ enim aëris percussiones, vocisque formationes, conceptuúmque impressiones, siue fiant à corpore Angelico, siue ab humano. nullo pacto in essentia sua differunt. atq; ita verum est eas competere Angelo secũdùm aliquam similitudinem; nempe quia sunt idem in complemento integrante illas actiones, licèt discrepent in ipso formali, vt dictum est.

D *Conuenientia ac diuersitas vtriusque doctrinæ.* §. 2.

EX his planum est quæ sit vtriusque doctrinę, nempe in hoc articulo tertio & in eo a. 8. conuenientia & dissimilitudo. Differunt enim hæ doctrinæ, quod hic A. Doctor docet has actiones animæ competere Angelo secundũ rationem communem, vt verbi gratia locutio in quantum est formatio soni, &c. progressio in quantum est motus, &c. non autem competere secundùm rationem propriam vitæ, nempe qua procedunt ex anima. *Quantum ergo* inquit A. Doctor hic A. Doctor.

E *ad id quod est commune vtrisque operibus possunt opera vitæ fieri ab Angelo per corpora assumpta, non autem quantum ad id quod est proprium viuentium.* Ibi verò in eo a. octauo docet conuenire quantum ad effectum, ad quem illæ actiones tendunt. quia scilicet vt diximus, effectus vtrobique non differunt. At verò conueniunt ambæ doctrinæ quod ad rem ipsam attinet, ex æquo. Nam primò vtrobique asseritur, actiones secundùm quod sunt animarum proprium opus, Angelo non esse ascribendas in assumptis corporibus. Deinde vtroq; loco idem est id, quod tam Angelis quàm animæ assignatur commune, licèt verbis non iisdẽ explicetur. Id enim quod dixit

dixit in eo art. 8. competere Angelorum corporibus similitudine quadam, nempe ob communem effectum, in hoc art. dixit secundùm aliquid commune, vt in locutione est sonus, in progressione est motus. ergo idem vtrobique intelligit. Vnde obiter aduerte, hìc per aliquid commune, non intelligi genus aliquod, sed tantùm communem effectum. Sonus enim est effectus, ad quem dixerat eo art. 8. tendere opus animæ non autem genus actionis loquẽdi. Itaque vtrobique totius huius doctrinæ est mira consensio, nisi quòd in eo a. 8. paulò latiùs ac proinde planiùs res ipsa explicata est.

Præterea colligitur etiam rectè nos antè dixisse, actiones illas animæ conuenire assumptis corporibus secundùm aliquid commune; nempe quia est idem complementum in illis actionibus, siue sint ab Angelis siue ab anima. ostendimus enim illum effectum, qui est ab actione, quà opus vitæ est, esse de integritate & complemento illius, si cópletè sumatur. Neq; in doctrina A. Doctoris nouum videri debet, cùm in actionib. aliquid distinguimus, quod in ipsis est formale aliquid quod tantùm est complementum. Id enim aperte ab ipso docetur in 2. d. 8. q. 1. a. 4. vbi de hac ipsa re differit. Ait namque ibi ad 1. *quòd comedere secundùm completam rationem sui, non dicit solùm diuisionem cibi & traiectionem in os, sed & istum actum procedere à virtute potentiæ*, &c. Quare ibi distinguit aliquid quod rationem actus compleat, ab ipso actu præcisè.

A. Doctor.

Parum autem refert quod ibi dicat, rationem completam esse ipsum procedere à virtute potentiæ. quam rationem nos diximus in opere vitæ esse præcipuam. Possunt enim aliqua duo, quę in aliqua re includuntur secundùm varias considerationes, nunc vnum dici præcipuum, nunc alterum, vt patet in simo albo & similibus. quæ pro varietate prædicatorum non vno modo accipi debent ex parte subiecti, id quod in ipsis præcipuè significatur, vt si dicatur, album quà album disgregat visum, præcipuum quod ex parte subiecti denotatur, est albedo. Secus; si enúcietur hoc pacto: album est lignum. tunc enim præcipuum quod in subiecto sumitur, est suppositum substantiale corporeum, cui conuenit esse lignum. Eodẽ modo A. Doctor 3. p. q. 16. a. 10. docet. si formetur simpliciter hæc propositio: *Christus est creatura.* esse falsam, quia ex parte subiecti præcipuè denotatur persona, quæ in Christo est Deus. Sin autem restringatur hoc pacto: *Christus secundùm quod homo, est creatura.* ait esse veram, quia subiectum non sumitur simpliciter pro persona seu supposito; sed quod præcipuè significatur, est humanitas in supposito, cui humanitati conuenit esse creaturam. Rectè autem subdit. *Si tamen adderetur aliquid, per quod traheretur ad suppositum, esset propositio magis neganda quàm concedenda.* Variis ergo modis sumuntur subiecta si comparentur ad prædicata.

A. Doctor.

Hìc quærere posset aliquis quid sit illa actio animæ, quæ tendit ad externum effectum, secundùm quẽ tribui possit Angelo in corporibus assumptis? vt in comestione quæ actio sit præter ipsum motũ quo tunditur cibus, &c. & in locutione quæ sit actio præter ipsam aëris collisionem, &c. Respondeo esse ipsam actionem, qua organa animata commouentur. Ex ea enim procedit, vt aër percutiatur ad sonum, & cibus dentibus conteratur, vt alibi fusiùs dixi. vnde ille motus non est quæcunque actio, sed quæ elicitur ab anima, à qua essentialiter ipsa actio depẽdet, tanquam eius actus vitalis. Et hoc est, quod ait A. Doctor in locis citatis; nempe huiusmodi motum esse proprium viuentium, nec posse in assumpta Angelorum corpora transferri. Has ergo actiones & similes aio tendere in effectum externum, qui Angelo in corporibus assumptis potest esse communis.

His ita explicatis ad doctrinam contextus declarandam; nunc ad rerum veritatem examinandam accedamus. In qua re sit

QVÆSITVM VNICVM,

An & quo modo dicendi sint Angeli opera vitæ exercere in assumptis corporibus.

MVlta sunt vitalium functionum genera, quæ aliquo modo ab Angelis in assumptis corporibus spectanda ac sentienda hominibus exhiberi solita sunt. Illa verò in primis conspicua sunt loqui, progredi, comedere. Quòd enim loquantur patet ex Sacris literis, vt Tob. 12. Genes. 18. & 19. & aliis plurimis locis, in quibus sermones varij & locutiones Angelorum referuntur. & in nouo testamento luculentissima Angelicæ locutionis testimonia habemus Lucæ 1. cum Angelus virginem Deiparam salutauit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, &c.* Eique quæ de filij conceptu deinceps futura erant nunciauit: *Ecce concipies in vtero*; & alia complura, quæ in eius mysterij amplitudinem confirmandam è diuinis oraculis protulit. Describuntur ibidem etiam colloquia Angeli cum Zacharia. *Apparuit illi Angelus stans à dextris altaris incensi, &c.* Denique in libro quatuor Euangeliorum penè innumerabiles recẽsentur apparitiones Angelorum, quæ à parte rei, non in imaginaria tantùm visione transiguntur. Apparuerunt namque pastoribus: ministrarunt Christo esurienti in deserto: collocuti sunt cum sanctis mulieribus: assiderũt sepulchro, &c. quę nunc tanquam notissima præterire satius est.

Tob. 12. Genes. 18. & 19. Luc. 1.

Nec difficile est veterum ethnicorum proferre sententias. quãdoquidem Angelos loqui posse ac solere testatur omnis antiquitas, quæ & oraculorum ab eis fusorum, & antrorum, quercuum, statuarúmque loquentium passim meminit. Huc spectant Caluariæ seu capita mortuorum, in quibus dæmones locuti sunt; Vt de capite Gabieni testatur Plinius libr. 7. cap. 2. quod videtur dignum vt hoc loco referatur. *Bello Siculo* inquit *Gabienus Cæsaris classiarius fortissimus captus à Sexto Pompeio, iussu eius incisa ceruice, & vix cohærente iacuit in littore tota die. Deinde cùm aduesperasset, cum gemitu precibúsque congregata multitudine petiit, vti Pompeius ad se veniret, aut aliquem è caris mitteret. se enim ab inferis remissum habere quæ nunciaret. Misit Pompeius plures ex amicis. quibus Gabienus: inferis diis placere Pompeij causas & partes pias. proinde euentum futurum quem optaret: hoc se nunciare iussum, argumentum fore veritatis, quod peractis mandatis protinus expiraturus esset. idque ita euenit.* Item de aliis magorum capitibus narrant

Plinius.

Picus Mirandulanus. Flauianus Minorita. rant Franciscus Picus Mirandulanus libro septimo de Prænot. cap. decimo & Melchior Flauianus Minorita de statu animarum post mortem.

Quòd autem comedant, aut certè in os cibum immittant, constat: quia hoc fecerunt Angeli apud Abraham Gen. 18. *Cùm comedissent dixerunt ad eum*, &c. & apud Loth Gen. 19. vbi Loth *compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum, ingressisque domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma & comederunt.* Gen. 18. Gen. 19.

Denique quod progrediantur clarum est ex eo quod dicitur Genes. 18. quod Angeli *cùm inde surrexissent, direxerunt oculos contra Sodomam, & Abraham simul gradiebatur deducens eos.* Clarum est illud quod fusè narratur in libro Tobiæ, vbi Angelus longum iter cum adolescente Tobia peregit comes illius. Sunt ergo illa tria genera vitalium functionum. Addi etiam alia genera possunt: nam cùm in forma hominis Angeli spectantur, habere oculos videntur, nares, aures, cæteráque organa sensus; atque ita ne hæc frustra assumantur, possunt videri habere suos hos quinque sensus. Cur enim si comedebant, gustum & tactum non habuerint? si collocuti cum hominibus sunt, non viderint quibuscum loquerentur, non audierint quæ respondebantur? ergo quinque sensuum actiones promere potuerunt. Similiter, quia generare è mulieribus dicuntur, vt infra dicetur, potest etiam de his non immeritò dubitari. Cùm ergo hæ operationes in ipsis frequenter appareant, videndum est; sintne verè ac reipsa hę operationes vitales in Angelis, dum sumunt quæ diximus corpora, an non? Pro quibus declarandis sit Gen. 18.

PRIMA DIFFICVLTAS,

An sint reipsa in corporibus Angelorum assumptis quinque sensus exteriores, quibus verè Angeli sentire poßint vitaliter: Vbi etiam commemorantur multorum Philosophorum hac de re sententiæ.

Ratio difficultatis est quam modò tetigimus: Quia frustra Angeli in suis corporibus, quę ipsi assumunt, formarent sensus prædictos; nempe oculos aures, &c. nisi per eos verè sentirent, cùm teste Aristotele libro 1. de cœlo cont. 32. *Frustrà hoc calceamentum dicimus, cuius non est calceatio.* Illi autem sensus sunt ad sensationes. vnde libro 9. Metaphys. cont. 15. *Oculos* inquit *habemus vt videamus.* Secundò, quia videtur incredibile, si ei Angelo ante oculos ponerentur decem homines, eos non visum iri ab illo. Idem dico de odoribus, saporibus, &c. Denique quia, vt sibi obiicit A. Doctor hic in primo argumento: *Angelos veritatis non decet aliqua fictio.* quæ sine dubio esset, si corpus ab eis assumptum, quod viuum videtur, vitæq; opera exercere, re vera à parte rei ita non esset. Aristoteles. A. Doctor.

Communis tamen omnium Theologorũ sententia est, eos quidem non esse verè sensus, nec per eos ab Angelis quicquam sentiri. Ita A. Doctor hic a. 3. vt vidimus antè. Vnde ad 2. ait: *nullo modo est dicendum, quod Angeli per organa assumptorum corporum sentiant.* Idem docet in 2. d. 8. q. vn. a. 4. & q. 6. de Pot. a. 8. vt etiam antè dictum est. Senserunt idem Scotus d. illa 8. q. vn. Alexander 2. p. q. 35. m. 2. S. Bonauentura d. 8. cit. p. 2. a. 3. q. 2. vbi sic concludit in c. *Rationes igitur probantes Angelum non sensificare corpus concedendæ sunt.* Ricardus ibidem a. 1. q. 5. Ægidius d. 8. q. 2. a. 1. Gabriel ibidem q. 1. a. 3. Carthusianus q. 2. & alij. Recentiores etiam idem habent in hunc art. 3. vt Caietanus; Molina disp. 3. Gabriel Vasquez Disp. 186. cap. 2. & in explicatione a. 3. Gregorius de Valentia q. illa 2. p. 3. Abulensis in 7. cap. Exodi à q. 10. & deinceps. Scotus. Alexander. S. Bonauent. Ricardus. Ægidius. Gabriel. Carthusian. Caietanus. Molina. Vasquez. Valentia. Abulensis.

Idémque puto sensisse Albertum: nam de quatuor coæqu. q. 9. a. 11. ad argumenta, versus finem expresse docet, in assumptis Angelorum corporibus non esse potentias organicas; hoc est quæ organis affixæ sint, eo quòd huiusmodi corpora si haberent virtutes affixas, huiusmodi *virtutes principaliter essent sensituum virtutes. illæ autem in Angelis superfluerent, cùm nobiliori modo cognoscendi, quàm eo qui est per sensum, cognoscant.* negat ergo Angelis esse huiusmodi operationes vitæ sentientis; quæ debeat esse per potẽtias organis affixas. Albertus.

Quare quod ait idem Albertus in summa Theologica p. p. tract. 18. q. 75. m. 4. benignè interpretandum est. Docet enim cùm Angeli comederunt apud Tobiam, atque Abrahamũ, &c. *verè in se comestiuam potentiam demonstrasse; & loquendo verè in se potestatiuam interpretationem ostenderunt,* &c. quibus videtur in Angelis existimasse veras potentias sensuum inesse. Immò ampliùs addit sic: *Vnde etiam illa organa, siue similitudines illorum organorum in corporibus assumptis leguntur assumpsisse, ex quorum actibus & operibus nobiles potestates demonstrantur.* Ergo assumpserunt organa corporea ad ostendendas facultates sentientes. Albertus.

Verùm hæc aio benignè exponi posse; vt nimirum fuerint in Angelo huiusmodi potestates, non quidem formaliter, sed longè perfectiore ratione. Quod ipse non obscurè significat paucis verbis antè. Ait namque omnes hos Angelicos actus ab Angelis fuisse elicitos ad demonstrandas suas virtutes, non autem ob necessitatem aliquam: *Nam quicquid potest* inquit *potentia inferior, eminentiùs hoc idem potest potentia superior, vt dicunt Dionysius & Boetius.* Vt etiam colligi potest ex aliis eius verbis ibidem. Existimat ergo esse has virtutes eminentiùs non formaliter; quia scilicet eas ac similes operationes, licèt non sint vitales, elicit non necessitate naturæ, vt viuentia; sed imperio voluntatis dum Angelus fungitur suis muneribus. Idcircò ad 4. negat etiam in Angelis esse sensum; sed quid sensu perfectius esse docet. Sed hæc omittantur. Dionysius. Boetius.

Vitam variis sumi modis apud Aristotelem & alios; sed primariam esse viuentis formam seu animam. §. 1.

Ad solutionem Notandum est opera vitæ esse eas actiones, quæ à vita procedunt; nimirum quæ à principio efficiente, quod est vita promanant, vt eas intelligit hic A. Doctor a. 2. A. Doctor.

c. in

c.in fine cùm ait: *Nihil poteſt habere opus vitæ quod non habeat vitam, quod eſt potentiale principium talis actionis.* Quibus alludit ad ea quæ Ariſtoteles docuit libro 9. Ethic. cap. 9. vbi viuere; ſeu, quod idem eſt, vitam ait eſſe eam, quæ *in animalibus eſt poteſtate ſenſus; in hominibus autem ſenſus & intellectionis;* hoc eſt quæ eſt vis effectrix ſenſus & intelligentiæ. & ideò ſtatim declarans quam poteſtatem intelligat, ſubiungit: *poteſtas verò in operationem reducitur.* quas vitæ operationes ait eſſe *ſentire & intelligere.* Ergo opus vitæ eſt quod à vita effectrice procedit, nẽpe ab anima, vt dicam mox Notando 2.

Ariſtoteles.

Quod quidem dupliciter manifeſtè oſtendi poteſt. Primò quidem à ſigno, & vt dicitur à poſteriori. nam vt rectè obſeruat A. Doctor ſuprà q. 18. a. 2. tandiu dicitur in aliquo eſſe vita ſeu anima, quandiu in ipſo ſunt huiuſmodi operationes à vita tanquam ab efficiẽte principio dependentes, vnde quando corpus animalis ex ſe non habet huiuſmodi operationes, *ſed mouetur tantùm ab alio, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ.* ergo opera vitæ ſunt efficienter ab ipſa vita, quandoquidem ceſſante hac vitæ animǽque effectione nulla ibi vita eſt. Secundò probari poteſt ex rei natura ſiue *à priori.* Quia opera vitæ ſicut quicunque effectus à ſua propria effectrice cauſa manare debent. At nulla alia eorum effectrix cauſa poteſt eſſe quàm vita. Nam idcircò *vita, quæ viuentibus eſt eſſe*, vt ait Ariſtoteles libro 2. de Anima cont. 37. ex A. Doctore ſuprà q. 18. a. 2. definiri debet comparatè ad has operationes tanquam ad proprios & adæquatos effectus. Sic enim Ariſtoteles animam, quę viuentium forma eſt, ac proinde vita, definit libro 2. de Anima cont. 24. eſſe *Principium quo primo viuimus, mouemur, ſentimus atque intelligimus:* quę actiones vitæ ſunt proprię non aliarum cauſarum.

A. Doctor. Ariſtoteles. A. Doctor. Ariſtoteles.

Ex quo fit, vt quia huiuſmodi opera ſunt vitæ effectus propriiſſimi, ac naturaliter ab ipſa vita inſeparabiles, & certiſſima vitæ indicia, ipſa quoque eadem opera denominentur ab Ariſtotele vita. Ita apertè idem Ariſtoteles libro 2. de Anima cont. 5. vbi cum dixiſſet naturalium corporum quædam habere vitam, quædam verò non habere: explicans quid per vitam velit ſignificare. *Vitam inquit dicimus quæ per ipſam ſit alimentationem, augmentationem, & diminutionem.* Quæ ſunt opera animæ vegetantis. & cont. 13. ait vitam, quam ipſe concreto nomine appellat *viuere* multipliciter dici; inter cæteras autem ſignificationes ait: *Viuere ipſum dicimus vt intellectus ſenſus & motus & ſtatus ſecundùm locum.* & libro 9. ethic. cap. 9. expreſſiùs dixit: *Viuere nihil eſſe aliud quàm ſentire & intelligere, præcipuè & propriè videtur.* Idémque patet lib. 2. de Anima cont. 34.

Ariſtoteles.

Denominatur ergo huiuſmodi operatio proprio ſui principij nomine ob intimam vtriuſque coniunctionem. quia ſcilicet cùm ſint vitæ ſigna certiſſima ob non ſeparabilem vtriuſque nexũ, ſi natura vtriuſque ſpectetur proprio vitæ nomine vocari poſſunt. quemadmodum etiam lumen ipſum, quod à Sole procedit, certiſſimum Solis indicium, Solem appellamus & fumum ignem, & alia huiuſmodi ſigna, quæ plerunque cõſueuimus eodem quo prototypum ipſum nomine nuncupare; vt imaginem Socratis Socratem, Platonis Platonem, &c. Conſtat ergo hæc opera vitæ à vita efficiente procedere.

Haud tamen ignoro obiici poſſe viſum A.

A Doctori aliter in 3. d. 35. q. 1. a. 1. ad 1. nẽpe cum ait: *Eſſentia rei ex operatione ipſius cognoſcitur. & ideo ex operationibus, quibus per prius conuenit nomen vitæ tranſlatum eſt nomen ad ipſum eſſe.* Vult igitur ex operatione ad eſſe vitæ nomen eſſe deriuatum. Tamẽ id intelligi puto vt non ſimpliciter priùs conuenire velit nomẽ vitæ operationibus quàm earum principio. Nam vt ibi ait in corp. *Nomen vitæ ex hoc ſumptum videtur, quod aliquid à ſeipſo poteſt moueri.* ergo ſimpliciter hoc nomen originem trahit ab ipſo operationum vitaliũ principio. Sed ſolùm priùs ait conuenire ordine cognitionis & denominationis, poſtquam vtrique impoſitum eſt hoc nomen. Sicut priùs ſimpliciter nomen Solis conuenit corpori ſolari, quàm luci: tamen poſtea ex Sole qui eſt lux, Solis effectus dicimus atq; inferimus eſſe Solem ipſum. Si enim Sol eſt, ac dies eſt, ergo & Sol eſt ſupra orizontem.

A. Doctor.

B

Sed parum refert, vnde primùm incœperint homines vitam transferre in animam. modò nobis conſtet vitam præcipuam eſſe ipſam animam, & ob connexionem inſeparabilem vocari etiam poſſe eius operationes vitam. Sicuti nomen corporis priùs dictum eſt de quanto, ex quo ad ſubſtantiam corpoream ita tranſlatum eſt, vt factum deinde ſit proprium illius apud philoſophos. vnde ob connexionem & nexum, qui eſt inter ipſum & quantitatem trinè dimenſam, quantitas hæc dicitur corpus tanquam per attributionem ad ipſum. Eſt ergo actio vitalis ſeu vitæ ab ipſa vita procedens. Pro qua re

C

Notandum ſecundò, licèt variis modis dicatur vita ab Ariſtotele, tamen potiſſimùm eam dici, quæ viuens in viuentis ſeu natura ſeu eſſe tanquam eius forma conſtituit. Quod enim variè ſumatur vita, patet. Nam primò accipi ſolet pro ipſa anima, quæ eſt altera viuentis corporis ſeu compoſiti pars. quo pacto ab Ariſtotele libro 2. de an. cont. 37. & ab A. Doctore ea q. 18. a. 2. dictum eſt. *Viuere viuentibus eſt eſſe.* quaſi dicat, Vita eſt ipſum eſſe ſeu forma viuentium.

Ariſtoteles. A. Doctor.

D

Secundò pro manſione animę in corpore, ſeu perſeuerantia viuendi. Sic vitam libro de Iuuentute & ſenectute cap. 2. definiuit *calidi conſeruationem, & vocat mortem huius corruptionem.* Simili modo loquitur cap. 14. ibidem: *Generatio eſt prima participatio cum calido nutritiuæ animæ, vita autem manſio huius.* & ſect. 1. problem. 17. *Vita* inquit *calore fouetur & conſeruatur.*

Tertiò pro conſuetudine & conuerſatione inter homines. Ita intelligit Ariſtoteles libro 1. Magnorum moralium cap. 18. in fine. *Vitam cum alio ducere & iucundum & neceſſarium eſt.* Sic etiam de vita ciuili atque honeſtorum hominum ait: *Eſt ipſorum vita ſuauis ac iucunda* 1. Ethic. cap. 8. & alibi.

Ariſtoteles.

E

Quartò accipitur etiam pro inſtituto ſeu ratione viuendi. nam libro 10. ethic. cap. 7. dixit: *Vita quæ ex intellectu traducitur, ſi humana vita comparetur diuina etiam ipſa eſt.* Neque aliter intelligendus eſt locus lib. 1. Eth. cap. 5. cùm ait, *ſeruiles prorſus videri cùm pecudum vitam eligant*; & paucis pòſt: *Diſſolutam perinde ac Sardanapalus vitam traducunt.* & paucis interiectis ait, eos qui elegantiores ſunt, honorem felicitatem eſſe exiſtimare. *Hic enim ciuilis vitæ fere finis eſt.* Similiter de vita philoſophica 1. lib. moral. Eudem. cap. 2. vbi etiam de vita beata, & libro 7. Polit. cap. 1.

 ubi

vbi etiam cap. 3. de vita actiua.

Tandem de vita contemplatrice lib. 10 Ethic. cap. 8. vbi eam dicit homini felicissimam; quemadmodum è contrario vitam voluptariam ac turpem 1. lib. mor. Eudem. eo cap. 2. dixit pessimam homini. vitam enim ait turpibus voluptatibus iunctam esse huiusmodi, *vt non esse omnino melius quam viuere iudicetur.* Postremo loco vitæ nomine significantur ipsæ actiones à vita manantes, vt dictum est. Constat ergo varie sumi vitam.

Quod verò ea potissimùm vita dicatur, quæ est forma viuentis, quâ viuẽs est, probatur: Quia illud debet potissimùm esse vita, quæ est prima vita, & vnde cæteræ oriuntur vitæ. Sed forma qua viuens in natura & esse viuentis constituitur, est huiusmodi. Ergo forma qua viuens in natura viuentis, atque esse constituitur, est potissimum vita.

Maior probatur: Quia illud est maximè tale, quod primò est tale, & ex illo cætera sunt talia. qua ratione Aristoteles lib. 2. Metaphys. cont. 4. *Vnumquodque* inquit *idipsum maximè aliorum est, propter quod aliis vniuocatio inest.* Hoc est, vnumquodque maximè dicitur talis naturæ quod causa est aliis, vt eam habeant. Quod etiam Aristoteles explicat exemplo; *vt puta ignis est calidissimus: etenim cæteris hic est caliditatis causa.* & notum est illud principium, quo vsus est Aristoteles lib. 1. Poster. cont. comment. 15. & deinceps: *Propter quod vnumquodque tale & illud magis.* quod aliis verbis vsurpauit cont illo 4. lib. 2. Metaphys. *Verissimum est id, quod posterioribus vt vera sint causa est, &c.* Quæ licèt difficile sit verum eorum sensum explicare, tamen saltem vera sunt in hoc sensu, quem nos in præsenti verum esse contendimus; nimirum quòd potissimùm illud debet esse vita, quæ primò est vita, & ex qua cæteræ vitæ oriuntur. Est enim maxima ratio, vt id quod est primò vita, potissimùm sit vita. Sicut quia principia conclusionis primò euidentia sunt, ipsa potissimùm habent euidentiam; vt diximus libr. 1. Poster.

Minor autem probatur. & primò eam expressè docuit A. Doctor suprà q. 18. a. 2. c. Deinde patet ratione. Et primò quòd prædicta sit primò vita non est dubium, quia compositum est viuum per eam formam qua constituitur in esse viuentis. sicut compositum est album per formam, qua constituitur in esse albi. Ergo illa forma prædicta debet esse vita. Neque aliter Aristoteles libro 7. Metaph. cont. 7. & lib. 8 cont. etiam 7. argumentatus est, cum probauit, formam debere esse actũ, nisi quia compositum est actu per formam. ergo forma est actus. Debet ergo illa forma, qua viuẽs formaliter sit esse vita, & ipsum esse viuentis, sicut albedo est ipsum esse albi. & ideò Aristoteles dixit libr. 2. de An. cont. 33. de vita, quam vt dixi concrete significauit. *Viuere viuentibus est esse.*

Quòd autem sit primò vita, patet euidentiùs: Quia illa vita est primò vita, quæ primò constituit viuens in esse viuentis. Si enim vita est, quæ constituit viuens in esse viuentis; ergo prima vita est, quę primò constituit viuens in esse viuentis. Hoc enim pacto erit vita, & cùm ea nulla alia sit prior, erit prima vita quæ primò constituit. certum autem est, formam substantialem viuentis esse formam, qua primò constituitur viuens in esse viuentis: nam certum est etiam non dari aliam, quæ priùs constituat viuens,

A quàm eius forma substantialis; & idcircò ipsa est primus actus eius compositi. ergo per eam viuens primò viuit; & ipsa est prima vita.

Quòd denique ex illa cæteræ vitæ oriantur, est clarissimum. nam cæteræ vitæ sunt actus qui primam vitam supponunt, nempe aut potentiæ aut operationes. ergo ex illa oriuntur. & ideò Aristoteles lib. 2. de An. cont. 14. dixit: Vegetabilia omnia viuere. *Videntur enim* inquit *habere in seipsis potentiam & principium huiusmodi per quod augmentum & decrementum suscipiunt.* Itaque has operationes oriri ait e vita. Constat ergo potissimam vitam esse viuentis, à qua tanquam ab efficiente opera vitæ oriuntur. Pro qua re

B Notandum tertiò, ex dictis sequi hanc primariam vitam nihil esse aliud, quam formam seu animam viuentis. Nam anima est id quo primò viuens viuit. Anima enim vt definitur libr. 2. de An. cont. 24. *est id quo primò viuimus, &c.* Ergo anima viuentis in ipso est prima vita in potentia ad secundas vitas, quæ sunt operationes, vt definitur in alia descriptione, cum Aristoteles dixit cont. 7. *Est actus primus corporis naturalis organici potentiâ vitam habentis.* Ex quo vlteriùs sequitur, hæc opera vitæ quæ diximus dependere à vita vt ab effectrice causa debere efficienter esse ab anima, quia non est aliud in ipso cõposito, quod sit ipsa prima effectrix vita.

C Quærimus ergo in præsenti: Vtrùm sensus actiones, quæ sunt opera vitæ, possint elici ab Angelo in assumptis corporibus. Quòd autem sensus actiones sint opera vitæ non est dubium Peripateticis, quia sentire & intelligere sunt potissimæ actiones quæ à vita pendent, & idcircò vita sunt, vt clarè patet ex dictis ex Aristotele libro illo 9. Ethic. cap. 9. & libro 9. Metaph cont. 16. & ideò anima sentiens definitur: *Principium quo primò sentimus* libro illo 2. de An. cont. 24. Et ratione patet; quia sensus est propria operatio animæ sentientis; nec reperitur vbi nulla est anima sentiens: nam & *impossibile est* inquit Aristoteles de Somno & Vigilia cap. 1. *inanimatum*

D *corpus sentire.* & propterea vegetabilia non sentiunt, quia carent anima sentiente; & hoc supponit A. Doctor in præsenti. Sunt ergo opera vitæ ipsæ sensuum operationes; & vt dixi videndum est: Vtrùm exerceantur ab Angelo in assumptis corporibus.

Aristoteles. | Aristoteles. | Aristoteles. | Aristoteles. | A. Doctor. | Aristoteles. | A. Doctor. | Aristoteles.

Siue actionis sentiendi terminus intrinsecus sit ab ea distinctus, siue non sit distinctus, in Angelorum assumptis corporibus non sunt sensus exteriores, nec ipsorum organa. §. 2.

E QVod adhuc dupliciter intelligi potest: nam dupliciter philosophari possumus de ipso sentiendi actu. Primò quidem si dicamus vltra ipsam actionem, quam operatio sensus inuoluit, esse terminum illius ab ipsa realiter tanquam rem à re distinctum; nimirum qualitatem quandam quæ est ipsa repræsentatio obiecti; vt verbi gratia visio sit actio ipsa ab oculo manans, cuius terminus sit qualitas, quæ per actionem producitur, in qua consistit quædam imago seu similitudo obiecti lucidi aut colorati.

Quo

A Quo pacto multi existimant de intelligentia quæ est ipse actus intelligendi, philosophandum esse, vt præter actionem sit etiam qualitas imago obiecti, quam dicunt verbum mentis; quod mihi quidem satis probabile videtur. Quam sententiam non obscurè significauit A. Doctor libro 1. contra Gent. c. 53. vbi expresse docet intellectum cùm intelligit aliquod obiectum, sibi quandam *intentionem formare*, quam ait esse *quasi terminum intelligibilis operationis*. additque eandem intentionem esse diuersam à specie intelligibili, *quæ facit intellectum in actu*. nam hanc *potest considerari* inquit *vt intelligibilis operationis principium, licèt vtrumque sit rei intellectæ similitudo*. Quibus appa-

A. Doctor.

B ret A. Doctoris opinione, similitudinem illam, quam dicit esse intentionem, formari ab intellectu per operationem intelligibilem, cuius est terminus, ac proinde vltra operationem ac speciem impressam esse huiusmodi qualitatem, quam alij appellarunt verbum mentis. atque eandem doctrinam habet A. Doctor libro quarto contra Gent. capit. 11. de Pot quæst. 8. artic. 1. quæst. 9. art. 5. vtrobique in c. Quolib. 5. quæst. 2. & opusc. 53. Idémque ex A. Doctore defendit Petrus Bergomus in concordia dub. 751.

Petr. Bergomus.

Alio modo si dicatur ipsam actionem, quæ elicitur à potentia, re ipsa esse repræsentationem obiecti sine vlla distinctione ex natura rei, vt plerique existimarunt, ita vt eadem actionis entitas sit repræsentatio obiecti, & dependentia ab

C agente quæ videtur esse sententia Scoti, aliorúmque Theologorum magni nominis. quos legite apud Collegium Conimbricense libr. 3. de An. cap. 8. q. 1. art. 3. Et quidem mihi certum videtur, posse illam qualitatem si ab actione distinguitur priore modo, poni in assumptis Angelorum corporibus; quia cùm distinguatur realiter ab ipsa actione, & ab ipsa potentia eliciente, non est ratio cur non possit poni in quocunque subiecto, sicut cæteræ formæ, quæ à quocunque alio realiter distinguuntur tanquam res à re, aut certe tanquam res à suo modo. ergo poterunt huiusmodi qualitates poni in illa assumpti corporis parte, quæ oculum refert. Verum est

Scotus.

Conimbricenses.

D tamen, huiusmodi similitudinem, atque obiecti imaginem non habere rationem sensus, quia nõ habet rationem actionis, quam inuoluit ratio ipsa sentiendi. nam certum est ipsum sentire sicut & intelligere esse actiones immanentes, quæ manent in suo principio eliciente; vt apertè docet Aristoteles in illo libro 9. Metaphys. cont. 16. Cùm enim illa qualitas, quam ab ipsa actione distinguimus tanquam rem à re, aut tanquam rem à suo modo, non haberet rationem actionis, non esset ipsa sensio, seu actio sentiendi. Itaque difficultas solùm remanet; Vtrùm exerceri possit opus vitæ, nempe sensio secun-

Aristoteles.

E dùm quod inuoluit rationem actionis, siue habeat terminum illum ab actione distinctum siue non habeat, quia parum refert huiusmodi distinctio, modò in quæstionis sensu actio illa sine qua non est sensio concludatur. Ad difficultatem ergo respondetur; & sit

Prima propositio: In assumptis Angelorum corporibus propriè non sunt sensus exteriores. Dico *non sunt*. quia intelligo de facto, aut connaturaliter loquendo, vt rei natura postulat miraculis seclusis. Probatur autem propositio: Quia sensus exteriores sunt ij, quibus anima vtitur, vt eliciat operationes, quæ sunt auditus,

gustus, odoratus, visus & tactus. Sed ea quibus anima vtitur ad huiusmodi operationes, non sunt in assumptis Angelorum corporibus. ergo nec sensus.

Maior probatur tripliciter. primò generatim. quia ideò ab Aristotele libro secundo de An. cont. 5. exiguntur varia organa in corpore animato; quia iis anima vti debet, vt eliciat suas prædictas operationes. nam docet corpus animæ subiectum debere esse *tale quod vtque sit instrumentale*, nempe ad operationem sicut securis ad incisionem, vt explicat cont. 8. & ideò cont 10. comparat incisionem cum visione. vnde libr. 9. Metaphys. cont. 15. rectè assignans finem horum instrumentorum, nempe operationem, dixit: *Non vt visum habeant animalia vident, sed vt videant visum habent.* Idémque dico de cæteris singulis suo modo. quod ipsum generatim patet ex eodem Aristotele libr. 1. de Part. cap. 5. vbi expresse docet idcircò esse partes dissimilares in corpore seu membra diuersa, vt vnumquodque sit instrumentum ad aliquam operationem vitalem ab anima permanantem. Ergo sensus exteriores sunt ij, quibus anima vtitur ad operationes, quę sunt prædictæ actiones. quia scilicet idcirco anima exigit organa illa, vt iis tãquam instrumentis vtatur ad actiones. Dico tamen: animam vti, non vt significem animam esse principium eliciens vt *quod*, vt loquuntur. scio enim, hoc esse compositum, vt docet Aristoteles lib. 1. de Anima cont. 65. & 66. sed vt denotem esse principium, ratione cuius conuenit composito, vt efficienter has habeat actiones quod alij dicerent, animam esse principium vt *quo*. Vt enim habet Aristoteles eodem libro primo de Anim. cont. 64. *Melius est non dicere, animam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem animâ.* Et in hoc sensu deinceps intelligendæ sunt similes locutiones.

Aristoteles.

Aristoteles.

Aristoteles.

Secundò probatur eadem Maior: quia sensio nihil est aliud, vt docet Aristoteles lib. de Somno & Vigilia c. 1. nisi *motus quidam animæ per corpus*. & ideò ibi ait: *nec proprium animæ sentire esse, nec corporis*. Ergo illi actus sunt animæ vtẽtis corpore ad illos motus, quia alia ratione non possunt esse animæ per corpus cùm animæ debeant esse efficientis, vt suprà ostẽdi; per corpus autem tanquam per organum. Si autem illæ sensiones sint animę vtentis corpore ad illas, manifestè sequitur sensus exteriores esse, quibus anima vtitur ad eliciendas prædictas operationes. quia v. gr. ad visionem non alio vtitur corpore nisi oculo, ad auditionem nonnisi aure, qui oculus, auris, &c sunt exteriores sensus.

Aristoteles.

Denique probatur eadem Maior: quia anima quæ est vita, debet esse efficiens causa harum exteriorum sensionum, vt ostensum est. Constat autem non esse efficientem illarum causam nisi per sensus exteriores ipsorúmque organa. quod potissimum patet ex dispositione & ordine, quo natura illos collocauit in corpore nam vt ait Aristoteles sectione decima problem. quæst. 17. *Sensum intuendi versus priorem partem natura posuit. id enim conspicere oportet, in quod nos ducit ratio mouendi.* Ex quo etiam est, vt quia animantia necesse est dispiciant in latera, *cùm careant manibus plus eorum oculi distent inter se; & maximè ouium, eo quòd maximè prono capite gradiuntur.* Ergo anima vtitur sensu oculorum ad conspiciendum quaquauersus.

Aristoteles.

quæ etiam causa est, vt quæ animantes perspicere acutiùs debent, habeant oculos humidiores, vt oues. Quod idem obseruauit Aristoteles libro 2. de Part. animal. cap. 13. Similiter de facultate olfaciendi, quem sensum Aristoteles lib. 1. de histor. animal. cap. 11. sensum odoris appellat, aitq; per nares odores subministrari, & libr. 2. de An. cont. 92. *hunc sensum* ait esse in hominibus *peiorem multis animalibus*. Huius causam reddit sect. 33. probl. q. 10. quia homo narium *latiora habet foramina, exquisitius enim sentiunt foramina tenuiora*. Idem dico de cæteris sensibus sigillatim. Cõstat ergo sensus exteriores esse, quibus anima vtitur, vt eliciat operationes.

Aristoteles.

B Minor autem probatur: quia ea quibus anima vtitur vt eliciat suas operationes exteriores; nempe visioné, &c. sunt corporea organa animę facultatibus tributa atq; informata; vt oculus videndi facultate præditus &c. At in assumptis Angelorũ corporib. nó sunt huiusmodi organa. Ergo in assumptis Angelorũ corporib. non sunt ea, quibus anima vtitur, &c. Maior hæc patet: Illa organa externa si facultates suas non habeát, neq; habere possunt vim sentiendi & operandi, ac proinde non sunt organa quibus anima vtitur; vt oculus hominis iam demortui non est ampliùs animæ organum, quia caret virtute & facultate sentiẽdi. Hinc ait Aristoteles lib. 2. de An. cont. 9. Si in oculo non sit visus; nempe vis videndi, *non est amplius oculus nisi æquiuoce sicut lapideus aut depictus*, quod repetit Aristoteles li. 4. Meteor. cap. vlt. lib. 1. de Part. cap. 1. & libr. 7. Metaph. cont. 35. Ratio auté, cur ea nó sint organa sine vi sentiẽdi, apertissima est. quia omne instrumentũ, quá instrumétum est, includit vim ad effectũ, ad quẽ est instrumétum; quia ob talem vim eo vtitur primarium agens ad effectus productioné. vnde ob eius vis defectum Aristoteles lib. illo 4. Meteor. cap. vlt. docuit, *oculum mortui, & serram ligneã æquiuocè* esse instrumentũ; quia scilicet nulla in eis vis insidet, aut facultas producendi effectũ. Ergo ea quibus anima vtitur, vt suas eliciat operationes videndi, audiendi, &c. quia debent habere rationé sensus & organi ad illas functiones, debent esse organa imbuta facultatibus animæ.

Aristoteles.

Aristoteles.

Quod autem in assumptis Angelorũ corporib. non sint huiusmodi organa facultatib. sentiendi prædita, quæ erat minor probanda; dupliciter sic ostendo. Primò quia vis sentiendi est ab anima tanquam à suo actu primo. definitur enim anima *principium primũ, quo sentimus* lib. 2. de An. cont. 24. Vbi ergo non est primũ principium & anima nó est vis sentiendi: Quæ vis cum sit actus secundus supponit primum. At in assumptis corporib. Angelorum non esse animam certum est. neq; enim Angelus motor est anima, quia nec est actus corporis organici, vt ostendi q. 50. a. 4. Quod tamen essentia est ipsius animæ, vt patet ex eius definitione eodem lib. 2. de An. cont 6. Secundò, quia vt sint organa facultate sentiẽdi prædita, debent habere tale temperamentum, vt in iis exerceri possit actio videndi, audiendi &c. nam oculus v. gr. debet habere tot tunicas, humorem vitreũ, crystallinum, ex quibus pupilla & oculus compactus est auctore Aristotele libr. 1. de histor. animalium cap. 9.

Hæc autem non est verisimile fieri ab Angelo in assumptis corporibus. immò nec possunt vllo modo fieri, quia huiusmodi dispositiones in oculo præsertim hominis & perfectorum animalium

A non introducuntur nisi ab efficiente maris semine, quia cæterarum applicatione causarum fieri non posse certum est philosophis. Alioqui dicendum esset; hominem generari posse ab aliis causis præterquam ab homine; & ita nec esset verum illud axioma commune: Sol & homo generant hominem. de quo Aristoteles libro 2. Physic. cont. 26. Nec quod ait idem Aristoteles lib. 2. de Gener. animal. cap. 4. *Sine maris emissione concipi impossibile est, atque etiam sine menstruorum excremento, quod aut redundans effluat foras, aut intus satis sit*. Qua etiam de re infrà dicam, vt ostendam dæmones succubos partum emittere non posse. Nec denique tantopere celebraretur tanquam insigne miraculum Deo auctore factum, quod Virgo Deipara sine virili cógressu carnem Christi, corpusq; conceperit. quia si creatura cócursu causarum naturalium potest oculos sua virtute formare, cur non possit & totum corpus, quo posito Deus naturaliter infundat & animam? Et tamen Deo supernaturaliter agéte illud fuisse maximum miraculum ostendunt Theologi 3. p. q. 28. a. 1. & deinceps. *Decebat* enim inquit S. Ignatius ep. 13. ad Heronem *creatorem non consueto sed peregrino & admirando uti partu; vt poté omnium opificem*. Idémque patet ex verbis S. Augustini in libr. de S. Virginitate. quem locum citat A. Doctor in eo a. 1. *Oportebat* inquit *caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de Virgine, vt significaret mẽbra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura* &c. quam veritaté fusè prosequitur Suarez 3. p. to. 2. disp. 5. Cõstat ergo nó esse in assumptis Angelorum corporibus huiusmodi organa.

Aristoteles.

B

S. Ignatius.

S. Augustin.
A. Doctor.

C

Suarez.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò sensus animantis exteriores non esse solũ organum materiale v. g. pupillam & cæteros humores, sed esse ipsum conflatũ ex materia ac facultate sentiendi. Ratio ex dictis est: quia sensus sunt ij, quibus anima vtitur ad operationes prædictas, visionem, auditioné, &c. At ij quib. vtitur anima non sunt illæ materiales partes abiuncta facultate sentiẽdi. quia illæ materiales partes nó sũt organa seclusa facultate nisi æquiuoce; vt de serra lignea & oculo mortui iã dictũ ex Arist. est.

D

Colligitur secundò quid dicendũ sit ad illam quæstionem, qua quærere quis posset; possitne dici in prędictis Angelorum assumptis corporib. esse sensus, non quidem vt nostri sunt ob argumenta, quæ hoc euincere videntur; sed alterius cuiusdam ordinis, ita vt sit oculus humoris cuiusdam vitrei, atque crystallini longè perfectioris, & sic de cæteris. quemadmodum & sensus hominis non eiusdem rationis sunt cum sensib. cæterorum animantium. Colligitur inquam ex dictis respõsio, non esse eos concedendos ob duplicé rationem, vltra ea quib. suprà negatum est, Angelos his sensib. præditos esse. nã primò nullum est agens naturale quod possit corpus æquè perfectũ atq; illud hominis est, efficere. Soli enim homini per semẽ talis efficiẽtia reseruatur. Ergo Angeli qui nihil substãtiale efficere possunt nisi causarũ naturaliũ applicatione, vt diximus, non poterũt efficere perfectius, Cùm præsertim si tale corpus dari in rerũ natura posset citra miraculũ, vt nũc loquimur, deberet esse alicuius animæ instrumentũ ad functiones vitę. Alioqui cur natura illud variis organis affectum, præditúmq; produceret? At quæ erit anima hominis animo ac mẽte perfectior cũ hominis mẽte infra Angelos ac dæmones philosophorum, Theologorúmque

E

sententia

sententia nihil diuinius reponatur.

Secundò, quia huiusmodi sensus deberent habere vim aliquam sentiendi ab Angelo siue informante, siue assidente in illo corpore; quia pura illa exterior materia non est sensus; sed, vt diximus, tunc est cùm facultatem sentiendi habet. ergo ab Angelo eam deberet habere. quia eius deberet esse potentia, cuius est actus, vt docet Aristoteles libro de Somno & Vigilia cap. 1. *Cuius enim est potentia, eius est & actus.* quod axioma ad hoc propositum citat A. Doctor in hoc a. 3. vt vidimus. Eius enim animæ est videre, cuius est posse videre. Angelorum autem esset videre tunc in assumptis corporibus, & sentire, vt ponimus. Quæro ergo vtrùm illa facultas videndi Angelorum esset informantium illud corpus, an ei solùm assidentium? Non secundum; quia non est satis forma assidens corpori, vt per corpus sentiat. Nam si animus hominis regeret corpus demortui, non videret aut sentiret per illud, quia non est forma illius; & ideò nauta nec calefit nec calorem sentit, cùm nauis incalescit. Ratio est manifesta, quia animæ solùm informanti conuenit vti sensibus corporeis ad prædictas operationes. Illi enim soli vti sensibus conuenire debet, in cuius definitione essentiali ponitur tãquam proprium prædicatum illius. Alioqui definitio non reciprocaretur cum definito. At in animæ informantis definitione essentiali ponitur tanquam proprium prędicatum, vt sensibus corporeis vtatur; vt nunc suppono ex dictis lib. 2. de anima in cont. 4. & 7. cùm ab Aristotele definitur anima *actus corporis naturalis organici potentiâ vitã habentis*, vt ibi explicatum est. Et ideò quia per corpus mẽs non intelligit, suprà diximus, animum hominis qua mens est nõ esse actum illius. Non primum: quia vt ostendi q. 50. a. 4. si Angelus esset forma corpus informans; idque naturâ suâ & citra miraculum, iam Angelus non esset per se subsistens omninò à corpore naturaliter separatus, contra ea quæ suprà constituta sunt. Preterea, quia si naturaliter esset forma corporis, status illius extra corpus esset illi præter naturam, ideóque appeteret esse in corpore. Nam, vt optimè argumentatur A. Doctor lib. 4. cont. Gent. cap. 79. quia anima naturaliter corpori vnitur, cùm sit *secundùm suam essentiam corporis forma*; infert. *Est igitur contra naturam animæ absque corpore esse.* Vnde conficit: *oportere eam iteratò corpori coniungi.* Pari ergo ratione Angelus, quia illi esset naturale vniri corpori, præter naturam, aut etiam contra naturam eius extra corpus status esset. Non ergo esset illa facultas sentiendi Angelica in corpore assumpto, vt illis vti sensibus posset ad illas sensuum functiones. esto detur nobilioris esse materiæ.

Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles. A. Doctor.

Angeli non possunt sensuum operationes exercere in assumptis corporibus: Idque etiamsi dicantur esse sensus alterius generis à nostris. §. 3.

Secunda Propositio. Angeli in corporibus assumptis vitaliter non possunt sentire per exteriores sensus. Hæc etiam propositio intelligitur connaturali modo, exclusisque miraculis, vt

A videamus quid dicendum sit connaturali modo de Angelo cum corpus assumit. Probatur autem propositio nostra, quia vt Angeli sentire vitaliter possint per exteriores sensus, necesse est in ipsis sit principium sentiendi quòd sit vita. At in Angelis cùm corpora assumunt, non est principiũ sentiendi quod est vita. Ergo Angeli in corporib. assumptis non possunt vitaliter sentire per exteriores sensus. Maior probatur: quia sentire vitaliter per exteriores sensus, est actio dependens à vita efficienter, vt suprà ostensum est. Ergo pẽdet à principio efficiente quòd sit vita. Ergo vt Angeli sentiant in corporibus assumptis, necesse est in ipsis sit principium quod est vita. Non enim B potest tribui actio vitalis cui nõ potest tribui vita: quia vt diximus ex Aristotele, ei agenti tribui debet actio, cui tanquam agenti tribui debet & facultas agendi. Angelis ergo tanquam agentibus debet posse tribui principium quod est vita, si illis tanquam agentibus tribuitur actio, quæ est vita. Ergo in ipsis tale principium esse debet saltem dum corpora assumunt, quia principium vitæ nulli agenti tribui potest in quo ipsum verè non sit.

Quod etiam patet dupliciter. Primò, quia illi tribuitur agenti huiusmodi actio, in quo inest. Cùm enim huiusmodi actiones vitæ sint imma- C nentes, debent esse in principio à quo eliciuntur, teste Aristotele lib. 9. Metaph. cont. 16. ergo si huiusmodi actio eliciatur ab Angelo, in eo debet esse tale principium. Secundò, quia facultas operandi vitaliter non debet esse separata ab ipsa vita originaria, cuius est facultas. Nam omnes ponũt in anima huiusmodi potẽtias vitales, aut sola; Vt Scotus in 2. d. 16. q. vn. quẽ sequuntur Nominales & alij, aut non solùm in ipsa, sed etiam in organis vt videtur velle A. Doctor infrà q. 77. a. 5. & 8. Sanè S. Augustinus adeò non distinguit potentias rationales ab anima, vt vnam cum ea essentiam dicat lib. 10. de Trinit. cap. 11. in fine, D vbi de memoria & intellectu & volũtate ait: *Tria hæc vna vita, vna mens, vna essentia.* Si autem vna essentia, ergo separata non sunt. Ratio autem cur huiusmodi facultates, separatæ ab anima esse nõ debent, est: quia vita primaria & secũdaria tãtam inter se connexionem habere debent, vt subiecto & corpore non separentur. Alioqui aliquod corpus non viuẽs per animã, seu in actu primo, posset per illas facultates exercere actum vitalem in actu secũdo, & re ipsa. quia posita facultate operatrice, non est absurdum poni operationẽ, etiãsi absẽs sit causa primaria eius operationis; vt cùm calor & siccitas; quæ sunt facultas effectrix ipsius ignis, producunt ignem ipso absente; & cùm calore fimi excludũtur pulli ex ouo. Posset ergo es- E se operatio vitalis absẽte anima; & ita viueret in actu secundo, quod non haberet vitam in actu primo. quod philosophis absurdũ est, cùm signũ corporis habentis animam sit habere huiusmodi operationes vitales, vt suprà diximus.

Minor probatur: quia nec in Angelorum corporibus, nec in ipsis Angelis est principiũ sentiẽdi, quod est vita. Hæc enim debet esse forma informãs, quę vtatur corpore ad has operationes vitales, quia nõ est satis forma assistẽs, vt probatum est. Nõ est autẽ in Angelorũ corporib. huiusmodi forma, quæ sit vita: nã nulla est anima, quia Angelus non est anima; nec habet corpora, quæ naturaliter ab ipso informentur, vt ostendimus. Ergo nulla est vita in ipsis corporibus assum

Aristoteles. Scotus. A. Doctor. S. August.

assumptis. Quòd autem in Angelo non sit, eodem modo patet: quia Angelus vt principium sensus deberet informare ipsum organum sensus, quia, vt probatum est, nulla substantia sentit per corpus, cui assistit. Ex hac Propositione ita probata

Colligitur primò, huiusmodi operationes sensus non posse esse in Angelorum corporibus assumptis, etiamsi dicantur esse alterius generis à nostris operationibus sensuum exteriorum. Ratio est manifesta ex dictis. quia non satis ad operationes sensuum est, vt anima assistat, sed debet esse informans, quia sensio debet esse à principio vitæ. ergo hoc principium deberet esse in ipsis Angelis, saltem dum corpus assumunt. Præterquam quòd præsens quæstio est; Vtrùm Angeli exerceant opera vitæ, hoc est verè videant, audiant, gustent, &c. per corpora quæ assumunt nostris corporibus similia, cùm visi sunt ipsi Angeli loqui, comedere, ambulare, &c. quæ quidem actiones sunt per organa corruptibilium corporum, quæ alterari debent, cùm sint ex elementis, vt ostensum est. Ex quibus fit, vt huiusmodi organa non possint habere meliorem dispositionem, quàm nostratia quæ perfectissima sunt, cùm ex perfectissimis causis naturalibus, quæ adhiberi possunt ad ipsorũ formationẽ generata sint, quib. causis perfectiores nõ possunt Angeli ad hos effectus, nempe ad assumptionem suorum corporũ applicare. ergo nostratia corpora debent esse magis naturalis, perfectiorisque sensus. cùm certum sit, sensus eò esse perfectiores, quò sunt organa perfectiora. *Si enim senex*, vt ait Aristoteles lib. 1. de An. cont. 65. *acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, quia anima nihil est passa.* Aristoteles.

Neque dici potest Angeli sensum esse perfectiorem non ob organorum temperamentum, sed ob præstantiam facultatis. Hoc inquam dici non potest; quia nobiliori facultati debetur connaturaliter melior dispositio instrumenti. Sicut homini, qui pollet præstantissima tangendi facultate, optimam etiam organi temperaturam natura dedit, vt patet ex Aristotele libro 2. de An. cont. 94. Denique quia frustrà diceremus, Angelos habere perfectiores sensus, cùm omnia sine his saluari rectè possint, vt infrà dicetur copiosiùs. Aristoteles.

Huiusmodi sensiones non possunt exerceri in assumptis corporibus, etiam per absolutam Dei potentiam. §. 4.

Colligitur secundò, vtrùm absolutè & simpliciter de potentia Dei absoluta possent Angeli in assumptis corporibus huiusmodi sensiones exercere. Dicendum enim ex dictis est non posse. Ratio est, quia huiusmodi sensiones essentiâ suâ sunt actus non solius animæ, aut solius corporis, sed sunt motus animæ per corpus, vt diximus ex cap. 1. de somno & Vigilia eas ab Aristotele definiri; & meliùs patebit mox ad primam obiectionem. Et ideò libro 1. de An. cont. 64. negat Aristoteles dici posse *animam irasci, sicut nec texere & ædificare, sed hominem animâ.* quia scilicet essentialiter sunt actiones, ad quarum substãtiam ipsum compositum vtraque sui parte concurrit. Cùm vt ipse ibidem explicat cont. 66. non sint aut solius animæ, aut solius corporis *passiones, sed huius habentis illud secundùm quod illud habet*; nempe compositi corpore animáque constantis. Cuius rei ratio est, quia cùm dicimus Ioannem ædificare, significamus in ratione sua primaria obiectiua ac proinde essentiali actionem vitalem Ioannis per manus animatas, lapides ac cæmenta in murum coagmentantis. Vitalem inquam a vita informante ipsum corpus procedentem, quia sunt actiones animæ per corpus, nempe per manus, quæ sunt quoddam compositum partiale physicum ex anima organísque conflatum. Dixi *essentialiter, & non solum connaturali modo.* omnis enim actio est seipsâ & essentiâ suâ à suo agente dependentia atque ordo essentialis. non enim aliud actio est essentialiter, quam actus & via ab agente ad terminum, seu vt loquitur Aristoteles libro 3. Physic. cont. 19. *Est actus actiui*; nempe quâ actiuum est. in quo differt à passione, quam dicit *esse actum passiui*, quâ passiuum est. Si ergo actio est dependentia essentialis ab agente, etiam actio quæ est vitalis, erit dependentia essentialis à vita. quia non est aliud agens à quo per se sit dependentia, vt clariùs patebit in responsione ad obiectionem primam. Cùm ergo Angeli cum corpore assumpto non possint vnum constituere, quia substantiæ sunt perfectæ, ac proinde non possunt in vnum simpliciter compositum coalescere; sicut nec nauta cum naui, nec auriga cùm curru. ob eandem causam, vt nunc supponimus ex dictis q. 50. a. 4. nullum erit substantiale compositum, à cuius vtraque parte huiusmodi sensiones proficiscantur. Aristoteles.

Quam doctrinam videtur apertè tradidisse A. Doctor infra q. 77. a. 5. c. vbi ait; licet sint quædam operationes animæ, quæ exercentur sine corpore, vt intelligere & velle, tamen quasdam esse subdit, *quæ exercentur per organa corporalia sicut visio per oculum, auditus per aurem.* vnde ad 3. expressè ait: quia actio sentiendi est à sentiente eam *nõ posse procedere ab anima nisi per organum corporale.* Ob quam etiam eandem causam negat ibidem ex S. Augustino potentias huiusmodi animæ sentientis esse in sola anima, quia debent inesse toti coniuncto. *quia oportet* inquit *vt eius sit potentia sicut subiecti, cuius est operatio, vt etiam Philosophus dicit in principio de somno & vigilia.* Ex qua ratione euidenti consecutione conficitur, has actiones non posse promanare nisi ex vtraque compositi parte. nam debent necessariò manare ab eo, quod potest operari, cuius nimirum est facultas operandi. At totum quod potest operari, & cuius est facultas operandi, est totum secundùm vtramque sui partem, non autem secundùm alteram tantùm in his actionibus vt diximus. Ergo à toto debent necessariò manare huiusmodi actiones. Atque hinc etiam intelligitur, rectè ab eodem A. Doctore hîc q. 75. a. 3. obseruatum esse, nempe animam sentientẽ nullam habere operationem propriam, sicut intellectus habet, *sed omnem operationem sensitiua animæ esse coniuncti*; vt ipse confirmat ex Aristotele libro 1. de An. cont. 12. 64. 66. & libro 3. cont. 6. & 7. Rectè inquam hoc dictum est, quia sola anima sentiens ex se non potest operari, sed adhibere debet organa corporalia. Verùm alius erit huius quæstionis fusiùs examinandæ locus. Non tamen ad maiorem huius doctrinæ explicationem A. Doctor. S. August. A. Doctor. Aristoteles.

nem prætermittam triplicem afferre aduerſus ea quæ dicta ſunt obiectionem, vt ex earum ſolutione traditæ doctrinæ veritas altiùs & clariùs in legentium animos inſinuetur.

Prima ergo obiectio eſt: quia nulla eſt repugnantiæ implicatio, ſi dicamus ipſam ſenſionem duo includere; vnum primariò in recto; alterum minùs præcipuè & in obliquo. Et quidem primariò & præcipuè includere ipſum actum ſentiendi, qui ſit actio & qualitas quædam in anima. minùs verò præcipuè includere alterationem in organo corporeo, vt exempli gratia viſionis actus ſit in anima: in corpore autem, nempe in pupilla, ſit admiſſio ſpeciei ſenſilis determinans animam ad effectionem. Quod etiam videtur indicaſſe A. Doctor in ea q.75.a.3.c. vbi ad viſionem non aliam mutationem agnoſcit, præter ſpeciei ſenſilis admiſſionem. *Sentire* inquit *& conſequentes operationes animæ ſenſitiuæ manifeſtè accidunt cum aliqua corporis immutatione, ſicut in videndo immutatur pupilla per ſpeciem coloris.* Hoc autem poſito videtur ſequi poſſe eſſe viſionem in Angelo per corpus, vt nimirum in Angelo ſit actus; in corpore autem ſit connotatum ad viſionem; nempe tranſmiſſio ſpeciei. & ſic erit completa viſio in Angelo, & in corpore aſſumpto. Cùm enim hìc nulla inuoluatur repugnantia, non eſt cur non concedatur id fieri poſſe à Deo de potentia abſoluta. A. Doctor.

Verùm hæc obiectio noſtram doctrinam non labefactat, ſed maximopere confirmat. Etenim eſto viſio ſit in ſola anima. Hoc enim mihi verum eſſe, nedum probabile viſum eſt, cùm aliàs de animi humani potentiis diſputaui in lib.2.de An. vbi etiam oſtendi, potentias animæ rectè dici eſſe in corpore, non quidem quoad vim effectricem, ſed ſecundùm complementum, nec aliud ſenſiſſe A.Doctorem: Tamen duo mihi in hac obiectione impugnanda ſunt quæ falſa iudico. Alterum; viſionis actum in Angelo eſſe poſſe. Alterum; illam admiſſionem in organo pupillæ corporis aſſumpti poſſe determinare Angelum ad viſionem. Hæc enim duo ſunt, quibus tota ratio negandæ repugnantiæ cōtinetur. Quibus poſtremo loco addam repugnantię cauſam quam petit obiectio.

Quod ergo attinet ad primum. Actus viſionis propriè ſumptæ, vt diſtinguitur à cæteris cognitionibus, debet eſſe cognitio aliqua promanans eſſentialiter ab ea potentia, quæ non ſit intellectus. Sed nulla cognitio poteſt in Angelo eſſe promanans à potentia quæ non ſit intellectus. Ergo nullus in Angelo actus viſionis propriè dictæ eſſe poteſt. Maior probatur dupliciter: Primò quidem ex inconuenienti, quod aliàs ſequeretur. Nam ſi actus viſionis poteſt manare à potentia quæ ſit intellectus, nulla poteſt reddi ratio cur per viſionem propriè dictam non poſſit videri Deus. At hoc concedere abſurdum eſt, vt probatur in hac p.p.q.12.a.3. vbi A. Doctor ex eo affirmat, *impoſſibile eſſe Deum videri ſenſu viſus, aut quocunque alio ſenſu, aut potentia ſenſitiuæ partis.* quia *omnis potentia huiuſmodi eſt actus corporalis organi.* vnde nulla huiuſmodi potentia poteſt ſe extendere vltra corporalia. Ergo ſupponit eſſe actum eſſentialiter corporei organi, ita vt nullo modo poſſit eleuari ad actum ſine corpore. Alioqui eius ratio nihil efficeret. quia dici poſſet ex ſe eſſe quidem corporeum actum, ſed non eſſentialiter: atque ita à Deo ſupernaturali auxilio A. Doctor.

A eleuari poſſe ad actum viſionis incorporeum; nempe in ipſam Dei viſionem. Ergo ſi poſſit viſio propriè dicta manare à potentia intellectus, poterit videri Deus ſenſu ipſius formaliter. quia ſic nec actus ille, nec eius potentia eſſentialiter erit corporea. Eſto ſit corporea vt ipſi dicunt ſecundùm connotatum.

Secundò probatur eadem Maior: quia viſio propriè ſumpta, debet eſſe actus eſſentialiter diſtinctus ab intellectione vt intellectio eſt. Alioqui inanis eſſet noſtra quæſtio. quia intellectionem concedimus eſſe in Angeli intellectu. & ſolùm eſt quæſtio; Vtrùm poſſit eſſe viſio: quod nunc negamus. Si autem diſtinguitur ab intellectione, vt intellectio eſt; ergo debet manare ab B ea potentia, cuius idem ſit obiectum adæquatum, quod viſionis, quà viſio eſt in tota ſua amplitudine. Nam idem prorſus eſt obiectum actus adæquati alicuius potentiæ & ipſius potentiæ; à qua eſt ille actus. Quoniam potentia non habet aliud obiectū, niſi illud ipſum ad quod tendit per ſuos actus; & ideò potentia diſtinguitur per actus, iique per obiecta, vt eſt communis philoſophorum ſententia cum Ariſtotele libro 2. de An. cont. 33. Vnde ſequitur vt potentiæ mediatè per obiecta diſtinguātur. At obiectum adæquatum viſionis propriè dictæ, vt diſtinguitur ab intellectione, non poteſt eſſe niſi color & lumen; quod habet conditionem hanc vt applicabile ſit per ſpecies ſenſiles organo oculorum; C quod alij dixerunt *ſub ratione viſibilis tanquam ſub ratione ſub qua, & conditione.* Per hoc enim primò diſtinguitur viſio à cæteris actibus, & ſuam eſſentialem ſpeciem ſortitur, vt oſtendi alibi lib. 2.de An.Diſp.de Pot.viſ. Ergo idem color & lumen ſit obiectum oportet eius potentiæ, ex qua prouenit viſio. Ariſtoteles.

Ex hoc autem manifeſtum eſt, viſionem non procedere à potentia quæ ſit intellectus, ſed eſſentialiter procedere à potentia viſiua. quia ab ea potentia eſſentialiter procedere viſio debet, cuius obiectum ſit idem cum obiecto ipſius viſionis, vt iam probatum eſt. & ideò A.Doctor 2. 2.q.2.a.2.docet, *actum cuiuſlibet potentiæ vel habitus accipi ſecundùm ordinem potentiæ vel habitus ad ſuum* D *obiectum.* Quia ſcil. non debet ſiue potentia ſiue habitus in aliud tendere obiectum præterquam in obiectum ſuorum actuum, eodémque prorſus modo ſub eadémque ratione formali. Si quidem potentiæ nullo alio modo aſſignari debet obiectum, niſi eo quo ad illud reſpicit actus illius. Quo eodem modo loquitur A. Doctor ibidem a.5.& 1.2.q.60. a.5. Debet ergo viſio ab ea potentia procedere, cuius obiectum ſit etiam obiectum viſionis. Sed potentia intellectiua non habet idem eſſentialiter obiectum cum viſione, ſed ſola potentia viſiua. Obiectum enim intellectus eſt ens & verum; & viſiuæ potentiæ eſt il- E lud, quod diximus eſſe viſionis; nempe colorem & lumen. Ergo viſio non debet procedere eſſentialiter ab intellectu, ſed à potentia viſiua. atque ita conſtat, dupliciter probari dictam Maiorem poſſe. A. Doctor.

Minor autem eius ſyllogiſmi; nempe nulla cognitio poteſt eſſe in Angelo promanans à potentia, quæ non ſit intellectus probatur. quia omnis cognitio præter intelligentiam eſt cognitio, quæ ex ſe exigit organum corporeum, vt inductione conſtat, & clarum eſt ex obiecto. quia ſi non eſt cognitio, quæ exigat organū corporeū,

 eius

eius obiectum erit vniuersale non singulare, vt docet A. Doctor infra q. 86. art. 1. Immò non erit vlla obiecti restrictio, sed in amplissima latitudine quæ obiecto simpliciter dari potest. Quia vt docet idem A. Doctor eadem q. a. 2. ad 4. virtus intellectus est infinita; hoc est non habet in obiecto limites vllos, ex eo *quòd non determinatur per materiam corporalem.* nempe quæ sit virtutis corporeæ, vt dixerat in quarta obiectione. vnde nulla alia cognitio ponitur in Deo præter intelligentiam. Cum enim assignandi essent obiecti fines, deberet inuoluere imperfectionem. Sed nulla potest esse in Angelo cognitio, quæ ex se exigat organum corporeum. quia Angelus ex sua natura posceret coniunctionem corporum. quod supra reprobatum est. ergo nulla cognitio potest esse in Angelo, quæ non manet ab intellectu.

Addo etiam eam visionem propriè dictam poscere organum corporeum, cui sit applicabile obiectum illius per suas species, vt diximus. Nihil autem est in Angelo quod exigat organum corporeum, cui sit applicabile tale obiectum per species illas sensibiles. Ex quo vlteriùs sequitur; vt nihil postuletur in Angelo corporeum, cui tanquam obiecto visus applicari debeat, siue sit propriè obiectum visus, vt lumen & color, siue aliud quod eidem obiecto aliqua proportione respondeat. Nihil enim virtutis corporeæ Angelus continet, vt ostensum est. Immò alioqui posceret corpus, cui illa virtus niteretur; vt potẽtia visiua in homine organum oculorum exigit, & sic de cæteris. Quod dixerim, ne quis respondere huic argumento posse se, existimaret, obiectum eius visionis Angelicæ non esse lumen & colorem, sed aliquid aliud illi proportionabile, & aliqua ei similitudine respondens. Contra enim hoc est quod diximus. Nam si debet esse visio, vt distinguitur ab intellectu, debet esse ex potentia quæ non sit intellectus, ac proinde à potẽtia visiua, aut simili, ideóque limitata, & corporea. Constat ergo de primo.

Nunc quod attinet ad alterum; nempe illam admissionem speciei in pupilla corporis assumpti, non posse determinare intellectum Angeli ad visionem. Quod probatur dupliciter. Primò, quia intellectus Angeli non potest determinari per speciem receptam in quouis organo. quia intellectus Angeli à nullo organo dependet: cùm sit virtus incorporea abiuncta etiam à sensibus organicis. Quo pacto hominis intellectus nõ potest determinari ad intelligentiam per speciem receptam in phantasia equi, aut leonis, &c. quia ab illis abiunctus est, nec ab iis in intelligendo dependet. Secundò, quia esto detur hoc inconueniens, quod Angelus haberet virtutem visiuã, quæ determinari visibili specie posset, ad organum oculi ex obiecto transmissa; tamen non posset determinari per illud organum oculorum in corpore assumpto. Quod manifestum est ex eo, quòd in eo corpore, vt diximus, non est vera pupilla, nec reliqui humores ac membranæ, quæ a natura constituta sunt ad determinãdam potentiam visiuam; Quæ omnia quia nihil frustrà fit à natura, naturaliter requiruntur ad speciei sensilis admissionem requisitam.

Quòd si quis diceret, Dei auxilio suppleri posse, vt determinet etiam species recepta in organo non apto; Contrà est, quia non fieret hu-

A iusmodi determinatio vi corporis assumpti; sed Dei supplentis; quia auxilium Dei suppleret efficienter, quod species in organo facit formaliter. Ergo Deus determinaret suo concursu supplente defectum organi: non tamen ipsum organum esset, quod potentiam determinaret. Sicut cùm Deus suo auxilio supernaturali supplente materialem causam, dum quantitas venerabilis Eucharistiæ auulsa à subiecto per se subsistit, non est materia quæ causat, sed Deus, qui quod materia faceret & subiectum efficienter supplet; vt etiam paulò post confirmabo. Itaque nullo modo est aut determinatio ex parte organi, aut visio ex parte Angeli. quod vtrum-

B que probandum erat.

Postremo loco afferenda est obiectioni repugnantiæ causa quam poscit: Aio autem esse; quia esset, ac non esset in Angelo vis videndi per visionem propriè dictam. Esset quidem, nam si habet visionem; ergo potentiam visiuam corpoream, quę tendat ad eiusdem visionis obiectum. Non esset autem: quia cùm Angelus sit incorporeus omninò, nullam vim corpoream habere sibi debitam potest. Præterea alia repugnantia est ex parte organi: Quia determinaret, vt ponunt; non determinaret, vt ostendimus.

Secunda obiectio sit. Quia esto; Angelus non habeat sibi debitam vim corpoream videndi, tamen illi eam Deus cælitus infundere potest.

C Per illam ergo poterit videre in corpore assumpto. Nec sequitur hinc; si dono Dei eam virtutem corpoream haberet, ipsum Angelum poscere connaturaliter iungi cum corpore. Id enim quidem esset; si naturaliter illi talis virtus esset indita, non autem si præter naturam, & diuino miraculo in eo produceretur. quemadmodum non sequitur, cùm homini datur lumen gloriæ facultas videndi Dei, connaturale esse homini Deum videre.

Verùm hæc quoque obiectio tantum abest vt quæ diximus conuellat, vt etiam validiorem nostram doctrinam reddat. Nam si Angelo detur talis facultas videndi; ergo ea posita videre

D poterit; hoc est elicere visionem circa obiectum applicabile organo visionis. quemadmodum posito lumine gloriæ connaturaliter homo per illud videt Deum. quia huic facultati connaturalis est Dei visio; vt ostendi suprà q. 12. Ex hoc autem manifestum est, Angeli substantiam posse connaturaliter cum corpore aliquod totum conflare; quod scilicet ex Angelo & corpore componatur. Hoc autem sic ostendo: quia si Angelus per illam facultatem elicit visionem receptis speciebus in oculo, debet organum oculorum posse determinare illam videndi facultatem ad actum promendum. Non autem posset determinare nisi Angelus sit pars compositi,

E quod ex organo atque Angelo coalescat. quia alioqui illi assisteret Angelus, non illud informaret. At forma assistens non determinatur ad operationes vitales per corpus cui assistit; vt nauta non determinatur ad visionem per nauim tanquam per organum oculorum, etiamsi nauis illa ex omnibus ad oculum requisitis humoribus compacta esset. & sic de cæteris. Nec alia ratio esse potest, nisi quia non faciunt vnum per se; cùm anima quæ organo determinatur debeat eius esse actus, qui eo ad functiones vtatur, vt patet ex animæ definitione.

Quod si iterum dicas, vt suprà ponebamus,

posse

poſſe diuini auxilij ſupplemento fieri, vt illud organum determinet; Iam contrà eſt argumentum, quo paulò antè vſi eramus. quia organum materiale nullam ex ſe habet vim efficientis in rem ſpiritalem; atque ita ex ſe naturaliter non determinat potentiam aliqua ſua efficientia, ſed veluti formaliter per talem ſpeciei ſenſibilis admiſſionem. Si ergo Deus ſuam effectricem vim interponeret, vt potentia ad actum viſionis determinaretur, iam non eſſet organum determinans, cuius nulla eſt efficientia quæ ſuppleatur, ſed Dei auxilium, quod determinationem ipſam ſua efficacitate ſubminiſtrat. quemadmodum dicebamus de venerabilis Euchariſtiæ quantitate. Sicut etiam ſi ad præſentiam lapidis ſuppleret oculorum vim ad videndum in homine cæco, non diceretur ſupplere defectum lapidis, vt prodiret viſio ex ſua potentia viſiua. quia lapidis munus non eſt concurrere ad huiuſmodi determinationem. Conſtat ergo nullo modo poſſe Deum ſua præpotenti virtute facere, vt Angelus videat.

Tertia obiectio eſt. quia eſto illa facultas videndi informet organum, tamen non eſt neceſſe, vt ipſa Angeli ſubſtantia illud idem corpus informare debeat. Nam quod ſuprà dictum eſt fore vt Angelus non determinetur per organum, quia illi aſſiſteret, non concludit. etenim ſi virtus informet, Angelus non erit purè aſſiſtens, ſed per ſuam virtutem informans, non quia eius ſubſtantia componat; ſed quia virtute illa informante poteſt ipſe rectè dici informare mediatè.

Verùm hæc obiectio non minùs quàm cæteræ, propoſitam rem confirmant, quia illa vis & facultas, quæ ineſt Angelicæ ſubſtantiæ tãquam illius virtus non poteſt eſſe forma corporis, niſi mediante, vt ita dicam, Angelica ſubſtantia quæ priùs informet. Quod, vt omittam, vnum animum non poſſe poni in diuerſis ſubiectis, præſertim materiali & ſpiritali, quæ ex ſe nullum habent naturalem nexum, probatur hoc pacto. quia illa virtus ſpiritalis non poteſt hærere in ſubiecto materiali; ergo nec per ſe informare illud: non enim poteſt accidens informare niſi hærendo ſuo ſubiecto quod informat. Nam informare per ſe ſubſiſtendo nullius accidentis eſſe poteſt, ſed ſubſtantiæ. Vnde hoc ipſo quòd per ſe ſubſiſtit non informat, & ſeparatum intelligitur à ſubiecto; vt quantitas venerabilis Euchariſtiæ. ſicut etiam accideret: ſi calor, albedo, &c. ſubſiſterent. Quòd autem illa qualitas non poſſit hærere ſubiecto materiali patet. quia hærere ſubiecto idem eſt atque ab ipſo ſuſtentari: nulla autem forma, quæ à ſubiecto aliquo modo non educatur, poteſt ab ipſo ſuſtentari. quandoquidem ſuſtentari formas non poteſt intelligi, quin intelligantur educi; ſiue dum fit, ſiue poſtquam facta eſt. ſiquidem primò educi è ſubiecto formas, eſt fieri dependenter ab ipſo ſuſtentante: ergo ſuſtentari non primò ſed continuè, erit continuatè educi, ſiue continuata quædam eductio. ſicut conſeruatio ex nihilo eſt continuata quædam creatio.

Quamobrem in hoc differt informatio formę materialis, & informatio formæ immaterialis reſpectu ſubiecti materialis; quod illa ita informat, vt quia educitur ſuſtentetur. hæc verò ita afficit materiam & ſubiectum, vt quia ſolùm informat non inhæreat. Cùm ergo impoſſibile ſit, accidens ſpiritale educi, & ſuſtentari à ſubiecto materiali, quia hoc ipſo ſpiritale eſſet materiale, nõ poterit hærere ſubiecto materiali, ac proinde nec informare hærendo vt dicebamus. Vnde ſequitur ſi illa virtus ac potentia informet corpus, neceſſarium eſſe, vt illud informet mediante ſubſtantia Angelica, ita vt ſubſtantia ipſa corpus informaret nullius formæ interuentu & immediatè: qualitas autem ac virtus illa non informet, niſi per informationem interpoſiti ſui ſubiecti atque illo mediante. quemadmodum hominis animo contingit; Vt ſcil. quæ ſunt in illo, nempe habitus potentiæ, ſpecies, & alia, corpus hominis non informẽt, niſi quia ſunt in animo corpus informante.

Ad obiectionem ergo dico, tantum abeſſe vt Angelus per interpoſitam potentiam, ac virtutem informare debeat corpus, vt potiùs contrà fatendum ſit, vt oſtenſum eſt. Præterquamquòd non poteſt intelligi ſubſtantiam informare ſubiectum mediante accidente. etenim informare ſubiectum mediante aliqua forma eſt informare illam formam, quæ immediatè ſubiectum illud informat. ſic enim potentiæ animæ, informant corpus mediante anima, nec alio pacto accidentia materialia dicuntur hærere materiæ mediatè quantitate, niſi quia informant quantitatem, quæ eſt in materia; vt patet ex A. Doctore 3. p. q. 77. a. 1. & 2. & ex omnibus Theologis eo loco. At ſubſtãtia Angeli eſt ſubiectum illius potentiæ non forma eam informans. non ergo deberet dici informare corpus mediante illa potentia. A. Doctor.

Sane intelligi nullo modo poteſt, ſubiectum accidentis medio eodem accidente quod ſuſtentat, informare aliud ſubiectum. neque enim ſi calor ignis dum eſt in ſuo igne, informaret ſimul etiam aquam, diceretur ignis informare aquam calore intermedio; ſed potiùs calorẽ eſſe in duobus ſubiectis. ſicut etiam de facto materia, quæ eſt ſubiectum quantitatis, non informat calorem, qui eſt in ipſa quantitate. Ratio autem eſt euidens: Quia id cuius nulla prorſus eſt immediata actiua vt ſic dixerim informatio, non poteſt intelligi etiam mediatè aliud ſubiectum informare. Sicut id cui nullo modo competit immediata actio, non poteſt intelligi mediatè agere. vnde ſubſtantia quæ accidente inſtrumẽto agit, habet immediatam actionem tanquã principale agens: quia non alio principali agente interpoſito agit, ſed ſolùm per inſtrumentum. At ſubiecti illius, ſicut nec materiæ reſpectu quantitatis, &c. nulla prorſus eſt immediata actiua informatio. nam nec eſt immediata informatio, ſiue reſpicias accidens ſiue aliud ſubiectum accidentis. Atque hæc dicta ſint de potentia abſoluta Dei, vt explicaremus, quinam actus abſolutè eſſe poſſint in corporib. Angelorũ aſſumptis.

Cùm ſenſus ſit actio ſolius animæ apud Platonem atque Ariſtotelem, diſputatur ſintne ſentiendi actus in Dæmonibus: vbi etiam nonnulla de ipſorum pœnis. §. 5.

Colligitur tertiò Vtrùm dicendum ſit Platonis, ethnicorúmque Philoſophorum ſententia

tentia Angelos per huiusmodi sensus, qui A apparent esse in corporibus assumptis, vere proprieq; sentire. Vt autem id ex dictis recte colligi possit, vidēdum prius est, quo pacto ab his philosophis sentiendi actus ac facultates in anima reponantur. Et primùm quidem Plato, vt refert A. Doctor infrà q. 84. a. 6. licèt posuerit sensum differre ab intellectu; quod Antiquiores negabant, teste Aristotele lib. 4. Phys. cont. 52. & 57. & libr. 1. de An. cont. 150. & 151. ex A. Doctore p. p. q. 50. a. 1. & 9. & q. 75. a. 3. & q. 84. a. 6. tamen existimauit ad sensionem non immutari sensum, nempe animū à corporalibus obiectis; quem ponebat per se subsistentem, sicut intellectum ipsum, sed sola B organa, quorum immutatione animus excitabatur, vt species rerum sensibilium formaret in sese, sentirétque.

Plato.

Hæc autem omnia de sensu; quod nimirum per corpus fiat ab animo docuit Plato in persona colloquentis Socratis in Theeteto circa medium his verbis, disputans vtra responsio rectior sit: *Vtrum quæ dicit, quo videmus id oculos esse, an quæ dicit per quod videmus. Item quo audimus aures, an per quod audimus.* THEET. *Potiùs mihi per quæ singula sentimus respondendum videtur ô Socrates.* SOC. *Absurdum quidem esset ô puer, si multi in nobis sensus quemadmodum in ligneis equis insiderent, & omnia hæc in vnam siue ideam siue animam, seu quomodocunque vo-* C *cari deceat, minimè tenderent, quæ per ista tanquam per organa quæcunque sensibus subiacent sentiamus.* THEET. *Mihi potiùs hoc quàm illo modo videtur.* SOC. *Idcircò ista tecum diligenter perquiro, vt videamus Vtrùm vno quodam eodem quod insit nobis per oculos quidem alba ac nigra percipiamus, per alia verò organa alia quædam: possisque interrogatus in corpus singula hæc referre. Præstat forsitan te ad singula respondere, quàm me tui vicem gerendo defatigari. Dic itaque ea per quæ sentis calida & sicca, acria atque dulcia. nónne potius organa esse?* Itaq; negat organum esse id quo sentimus; sed ait esse id per quod sētimus, vt corpori nullū sensum tribuat, sed omnes sēsus fun- D ctiones in animo tātùm esse declaret. Hinc Plato in Timæo definiēs sensus dixit: *Sēsus appellatæ sunt commutationes quæ per corpus ad animum transeunt.*

Carpentar.

Ad hanc Platonis sententiam Carpentarius in Alcinoum de doctrina Platonis cap. 4. num. 6. putat reuocari posse Plotinum & S. Augustinum, eo quòd dixerint animum cùm sentit in corpore non ab illo aliquid pati, sed pulsari vt agat, hoc est determinari ad agendum. quod vtrumq; verū est. Nam Augustinus libro 12. super Genesim ad literam cap. 24. expressè ait animum sentire per corpus, quo veluti nuncio vtitur ad formandum in se ipso quod extrinsecus nunciatur. Id etiam clariùs dixerat eodem libro cap. 20. initiò. *Sed cùm à corpore* inquit *causa est vt talia visa cernantur,* E *non ea corpus exhibet. neque enim habet eam vim, vt formet aliquod spirituale,* &c. Quod adeò verum putauit S. Augustinus, vt quædam ab animo sentiri dixerit sine corpore; hoc est nullo modo ad ipsum actum sentiendi concurrente corpore. *Sopito* inquit eodē loco *vel perturbato aut etiam intercluso itinere intentionis*, id est simulachorum, *à cerebro, quà dirigitur sentiendi motus, anima ipsa quæ motu proprio cessare ab hoc opere non potest. Quia per corpus ipsum non sinitur, vel non plenè sinitur corporalia sentire, vel ad corporalia vim suæ intentionis dirigere, spiritu corporalium similitudines agit, aut intuetur obiectas. Et si quidem eas ipsa agit, phantasiæ tantùm sunt; Si autem obiectas intuetur, ostensiones sunt,* &c. Quare existimat posse animum absque corporis adminiculo agere ex facultate sentiendi. Quę animaduertens A. Doctor infra quæstione 77. a. 5. ad 3. dixit Augustinum fuisse secutum Platonis sententiam, quippe qui posuit, *quod sentire est operatio animæ propria sicut intelligere.* Subiungit tamen, *Augustinum in multis quæ ad philosophiam pertinent, vti opinionibus Platonis non asserendo sed recitando.* atq; hæc de sancto Augustino.

S. Augustin. — S. Augustin. — A. Doctor.

Plotinus. Marsilius. Carpentar.

Quod verò attinet ad Plotinum rectè id quoque puto animaduersum esse à Marsilio & Carpentario. quod ex eo maximè constare potest, quòd Plotinus Enneade 4. lib. 7. cap. 8. definiens sentire ait sic: *Sētire est animam vtentem corpore per-* B *cipere sensibilia.* In quam sententiam omnes Platonici conspirarunt. Nam Alcinous de Doctrina Platonis capite quarto expressè sic sensum definit: *Sēsus* inquit *est passio animæ per corpus primò nuncians potentiam patientem.* Chalcidius quoque in Timæum Platonis pagina quadragesimaquinta, non dissimili vsus est definitione. *Sensus* inquit *est passio corporis quibusdam extra positis, & pulsantibus variè eadem passione vsque ad animæ sedem commeante. quæ passio cùm est lenis appellatur voluptas; cùm aspera, dolor,* &c. Putat ergo pulsari animum ex illa corporis passione. Mitto reliquos Platonicos recensere, ne nimiùm in re manifesta immoremur. C Rectè ergo ex Platonicis obseruat Carpentarius vbi suprà; in sensu duo inesse. Est enim receptio imaginis, & iudicium de re obiecta per imaginem. in priore corpus quodammodo patitur. in posteriore animus agit. Hoc autem est, quod summam perfectionis continet, cuius inchoatio tantùm est in antecedente externi obiecti actione.

Alcinous. — Chalcidius. — Carpentar.

Carpent. Aristoteles.

Præter Platonem & Platonicos arbitratur ibi quoque Carpentarius in hac sententia esse Aristotelem lib. 1. de An. cont. 65. vbi ait, animam in sentiendo nihil pati. nihil tamen inde confici potest. quoniā Aristoteles negat ibi animum pati a- D ctione corrūpente. Ait enim intellectum nō corrūpi. Nā in senio nō debilitatur. *quapropter* inquit *senium non est, quia sustinuit aliquid anima, sed in quo.* Nempe corpus, *sicut in ebrietatib. & morbis.* Ergo de actione interitū afferente sermo est sicut accidit in morbis: non autem negat de actione perficiēte ipsam animam. qualis est imaginū receptio. Hanc enim ex Aristotele concedendā esse patet ex lib. 2. de An. cont. 57. & deinceps. Meliùs ex Aristotele sine dubio probasset ex lib. de Somno & Vigilia cap. 1. vbi vt suprà diximus, definiuit sensum *motum esse animæ per corpus*: idémque dixit libro 7. Phys. cont. 12. quibus clarè patet in definitione sensus, Aristotelem cum Platone consentire.

Aristoteles.

Neque obest quod Aristoteles ibi id doceat, E proptereaquòd docere vult sentire non esse animæ tantùm, sed etiam corporis. sicut etiam lib. 1. de An. à cont. 64. quod Plato videtur omninò explosisse. Hoc inquam non obest: quia Aristoteles vult corpus concurrere quidem ad sensionem; vt patet ex iisdem locis, ac proinde non esse animæ tantū cogitare, odisse, &c. sed cōiuncti; quod sępe suprà dictum est; sed tamē corpus nō concurrere ita, vt eliciat actionē, quia corpus ageret in animum immaterialē; quod negat Arist. lib. 3. de An. cont. 28. & 19. vt accuratiùs dicemus infrà q. 54. a. 1. & 4. Itaq; concurret determinando animum per species in organo receptas ad actiones eliciēdas. quod quidē suo modo ad rationē causę efficientis pertinet. nā & idea concurrit in genere

cauſæ efficientis, vt ex Ariſtotele communi ferè conſenſu colligitur lib. 12. Metaphyſ. cont. 18. & 24. vbi docet ideam eſſe id quo agens agit. idémque patet ex lib. 9. Metaphyſ. cont. 3. 10. & 16. & tamen conſtat ideam non concurrere, niſi determinando agens ad talem actionis modum. Idem dico de principiis reſpectu ſuarum concluſionū; vt alibi dictum eſt. Eſt ergo ſenſio Ariſtoteli ab ipſo quidem coniuncto quoad vtramque ipſius partem efficienter, diuerſo tamen modo. Neque in hac re Ariſtoteles à Platone diſſentit; nā quod Plato dixit, organa corpora nunciare animo, vt eliciat actionem, Ariſtoteles diceret determinare eundem animum, vt ſuum actum promat ſenſionis.

Ex his ergo perſpicuum fit ſenſum Platoni atq; Ariſtoteli animæ actum eſſe non corporis, cuius ſolùm eſt diſpoſitionem per ſenſilia ad ſenſum habere. In qua quidem ſententia videtur tā Plato quàm Ariſtoteles poſſe arbitrari, Angelos cum corpora aſſumunt, habere corpora non quibus ſentiant, vt ſuprà oſtēdimus, ſed quibus ſentiant, eo quòd per eorum corporum immutationem excitentur Angelorum potentiæ ſentientes ad ſenſum. quemadmodum in hominibus.

Verùm, vtrùm Platonis opinione Angeli hoc pacto ſentiant, diſputandum eſt infrà. Nam non videtur omnino poſſe, Angelos Platonis ſententiā habere ſenſus propriè, qui organorum immutatione excitentur. nam S. Auguſtinus libro 8. de Ciuit. cap. 4. tripartitam ex Platonicis refert omnium animalium, in quibus eſt anima rationalis diuiſionem: in Deos, homines, ac dæmones. Deos autem dicebant habere cœleſtia corpora; Dæmones aërea; homines terrena. & ſic Plato in Timæo poſuit ſub ſubſtātiis omninò à corpore ſeparatis hos tres ordines intellectuū corpori vnitorū, vt etiā illi aſcribit A. Doct. q. 16. de Malo a. 1. c. Negandum ergo potiùs videtur eos habere ſenſus, quia huiuſmodi corpora ſimplicia, vt aër & cœlum non ſunt quæ huiuſmodi organa ad excitandos ſenſus eſſe poſſint. Quî enim fieri poteſt, vt elementa ſimplicia ſatis ſint ad tactum, ad guſtum, &c. Certè ad guſtatum multa requirit in organo Plato in Timæo. *Tenduntur* inquit *à lingua venæ ad cordis ſedem ſaporum nunciæ, in quas ſi quæ inciderint, vt humida carnis mollitiem penetrantia.* & pergit docens in guſtatu eſſe contrarias paſſiones. De odore etiam & ſapore ex Platonis ſententia lege Carpentatium in cap. 13. Alcinoi de Doctrina Platonis. Non ergo videtur aſſerere in Angelis ſenſuum organa Plato. niſi velit aſſerere ipſorum eſſe corpora craſſa vt noſtratia.

S. Auguſt.

Plato.

A. Doctor.

Plato.

Quod verò dicit ipſe & ex eo Platonici apud S. Auguſtinū lib. 8. de Ciu. cap. 6. dæmones *eſſe animalia animo paſſiua*. quaſi ſenſus ponat corporeos, id intelligi debet altero ex his duob. modis. Nimirum Vel primo quod animo ac mente triſtitiam aliquam patiantur. Quemadmodum rectè etiam A. Doctor infrà q. 54. a. 5. ad 1. explicauit locum S. Dionyſij Areopagitæ cap. 4. de diu. nom. aſſerētis in dæmonibus eſſe *phantaſiam proteruam*. explicat autem vt huiuſmodi phātaſia aſſeratur, *ex eo quòd habent falſam practicam exiſtimationem de vero, & bono.* Vnde quia quodammodo decipiūtur in exiſtimatione veri & boni, dicuntur ſimilitudine ſumpta à nobis, (in quibus *deceptio eſt per phātaſiam, per quam interdum ſimilitudinibus rerum inhæremus*, inquit ibi A. Doctor, *ſicut rebus ipſis*; *vt patet in dormientibus & amentibus.*) habere phantaſiam proteruam, id eſt falſam de rebus apprehenſionē. quæ ſcilicet *proteruitas*, vt idem docet A. Doctor q. 58. a. 5. ad argumenta *eſt ſecundùm quod non ſubduntur diuinæ prouidentiæ.* Pari ergo modo dicuntur dæmones animalia animo paſſiua; quia animo inferri poteſt triſtitia gaudium &c. quæ inter animi paſſiones enumerantur etiam à S. Auguſtino libro 14. de Ciu. Dei. cap. 8. Vnde inducens illud Virgilij ait:

S. Auguſt.

A. Doctor.

S. Dionyſius.

A. Doctor.

S. Auguſt.

Virgilius.

Hinc metuunt, cupiúntque, dolent gaudéntque.
& rurſus ——— *mala mentis*
Gaudia ———

Qua etiam de cauſa animi dolorem ſeu triſtitiā ibi cap. 7. in fine appellauit *ægritudinem* ſpeciali vocabulo.

Vel certè ſecundo dicendum eſt verum eſſe quod ait Theodoretus libro 3. de Cur. Græc. aff. multis ex Plutarcho, Porphyrio & aliis de dæmonibus commemoratis dictis; nimirum veterū religionem in iis, quę ad dæmonum cultum pertinent, ne ipſis quidem ſapiētibus & philoſophis ſatis fuiſſe conſtitutam; quia ſcilicet diſtinguere non poterant quid & quantum ipſis dæmonibus eſſet tribuendum. Nam poſtquam multa Porphyrius in laudem dæmonum deorúmque, quòd ſcilicet poteſtatem habent maximam, ſcripſiſſet variis in libris; tamen ex Porphyrio de iiſdem refert Theodoretus in eo lib. 3. circa medium ipſos dæmones falsò ſibi maximam poteſtatem arrogare. Namque *haud temerè ſuſpicamur* inquit *ſub Serapidis eſſe poteſtate. neque ad credendum ſignis tantummodo quibuſdam adducimur, ſed multò magis quod quæcunque vel demulcendis illis, vel etiam auertendis Magi factitare conſueuerunt, ea omnia Plutoni deferuntur, ſicut in primo volumine ipſis oſtendimus. Idem verò eſt Deus Serapis, qui & Pluto, eámque ob cauſam maximè dæmonibus dominatur.* Subdit autem ex eodem Theodoretus eorum ſymbolum ſiue teſſeram eſſe canem illum tricipitem, *hoc eſt malū* inquit *dæmon qui in tribus inuenitur elementis; aëre, aqua & terra; atque hos quidem dæmonas cohibet Deus, ac ſedat ſub manu habens. dominatur etiam illis Hecate, vt potè qui illos cohibet in triplici elemento.* Quæ cùm dicta ſint à Porphyrio veritatis hoſte, inſtar oraculorū magni facit Theodoretus. *Hæc enim* inquit *quæ ſūt ad refellendum mendaciū, à fautore mēdacij ſcripta ſunt, & qui veritatem accuſabat proditus eſt præter animi ſui ſententiam veritatis adiutor.* Similia quoque ait ab eodem Porphyrio dici in epiſtola ad Anebonem Ægyptium. *De iis* inquit Porphyrius *qui Dei quidem nominantur, re autem ipſa mali ſunt dæmones, illud me non ſanè parum conturbat; quonam videlicet pacto hoc fiat, vt qui tanquam meliores hominibus potentioréſque inuocantur, imperiis tamen hominum, ceu peiores, inferioréſque ſint, vrgeantur*, & cætera. Eandem inconſtantiam pergit oſtendere eſſe in Platone, Plutarcho & aliis copioſè ibidem Theodoretus.

Theodoret.

Plutarch.

Porphyrius.

Porphyrius.

Theodoret.

Theodoret.

Ac Platoni quidem rurſus eius opinionis leuitatem obiicit, & exagitat de animarum pœnis apud inferos Theodoretus libro 11. de Cur. Græcar. affect. qui eſt de fine & iudicio. Rectè autem primùm à Platone hæc ſcribi ait, nec niſi ex oraculis prophetarū; Nimirū *Platonem defunctis vita hominibus iudicia imminere ſuppliciáq; teſtari.* quod pergit declarare ex lib. 10. de Rep. vbi inferorum pœnas ac ſi vidiſſet ante oculos ponit. Addit inſuper eos qui grauibus delictis premūtur in Tartarum demitti, vnde nunquam ſint reuerſuri.

Theodoret.

reuersuri. *Qui vero expiabiliter quidem, sed tamen grauiter videntur peccasse; quale est si qui iracundia perciti violenter in parentes aliquid fecerint, sed tamen pœnitentia ducti eos in reliquo spatio vitæ coluerint, aut si qui hominem occiderint, vel tale quidpiam perpetrarint, hos sanè ipsos nihilo secius oportet in Tartarum deiici; cùmque annum ibi totum peregerint, ab vndis eiectantur. homicidæ quidem ad Cocytum: qui vero in parentes peccarunt in Pyriphlegethontem*, &c. Post hæc Plato commemorat ea quæ reposita sunt iis qui piè honestèque vixerunt. Eos enim ait ab his terrenis locis quasi à vinculis exolutos ad superiorem illam puram habitationem peruenire; præsertim verò philosophos beatos esse, & alia permulta: è quibus concludit Theodoretus sic. *Plato igitur ita hæc narrauit, vt qui maximè crederet esse apud inferos iudicij, ac suppliciorum loca.* Quæ ex Hebræis in Ægypto ipsum accepisse docet, nisi quod multa Græcorum fabulis miscuerit ac planè turbauerit.

Deinde non rectè & sibi pugnantia ea docuisse ait, cùm de animarum trāsmigratione disseruit in Phædone. vt nimirum si qui gulæ indulserint, hos asinorum species subire: qui tyrannidē ac rapinas optauerint, in lupos, accipitres, miluósque transire, &c. *Hæc vero* inquit Theodoretus *non modo sunt perridicula, verum etiam iis quæ Plato superius dixit penitus contraria. Ibi enim puniri animas affirmat, abijcique in Acherontem fluuium apud inferos*, &c. *hoc verò loco conuerti in asinos*, &c. *Philosophos in vespas*, &c. *Neque sanè scio* inquit Theodoretus, *cuius rei gratia tam insulsa dogmata suis dialogis Plato inserta voluerit. mihi profectò magis iocari quam seriò agere videtur*, & alia cōplura prosequitur. Atque hæc de Platonicæ doctrinæ inconstantia obiter dicta sint.

Iam de Aristotele quid ipse de Angelorum sentibus sentiat, pluribus non commemorabo. Constat enim eius sententiā nullum sensum in animo esse, qui corpus non informet verè. ob hanc enim vnicam rationem negat, sentientem animam separari à corpore posse, eo quòd nulla eius operatio à corpore auulsa sit. nam libro 1. de An. cont. 13. apertè de anima: *Si nulla ipsius est* inquit *operatio aut passionum propria, non vtique erit separabilis.* deinde verò longa disputatione ostendit, eas operationes & passiones, quæ sunt sentientis animæ, non esse animæ proprias sed coniuncti. quod apertè concludit ibidem à t. 63. vnde libro 2. cont. 5. & 7. definit animam *esse actum corporis organici* informantem, vt alibi ostensum est. Ita vt nullus omninò esse possit sensus, nisi vbi à re sensibili obiecta organum animæ patitur. Proinde libro 2. de Part. animal. cap. 10. ait: *nullam exanguem partem eorum quæ sanguinem habent sentire posse.* & vt ait libro 2. de Anima cont. 27. *Cui inest sensus inest voluptas & dolor; iucundum & molestum.* Cùm ergo Angelos Aristoteles faciat incorporeos substantialiter, vt suprà ostendimus, illis tribuere sensus nullos potest. de cæteris autem antiquis philosophis, qui eos vel corporeos vel incorporeos putarunt, philosophandum est ex dictis suprà q. 50. a. 2. Negarent enim esse sensus in iis, qui corpus non habent; assererent autem in iis qui habent. Constat ergo ex dictis quid de Angelorum sensibus philosophorum opinione sentiendum sit.

* * *

Satisfit argumentis partis aduersantis, explicaturque quo pacto sensio essentialem dependentiam habeat à vita, &c.

§. 6.

Ex his respondetur ad argumenta in contrarium. Nego enim frustrà hæc ab Angelis sumi corpora. nam vt ait A. Doctor in hoc art. 3. ad 2. *Angelorum non formantur corpora, vt per ea sentiantur, sed ad hoc vt per huiusmodi organa virtutes spirituales Angelorum designentur, sicut per oculum designatur virtus cognitiua Angeli, & per alia membra aliæ eius virtutes.* Quæ etiam confirmat auctoritate S. Dionysij cap. 15. cœlestis hierarchiæ. Itaque non est frustra eorum sensuum figura & species in corpore assumpto: quia non sunt ad obeūdas veras sensuum actiones, sed vt per sensibiles cognitiones quæ apparent exurgat animus in Angelicarum perfectionum contemplationem, vt dixi.

Ad secundum argumentum dico: si ante oculos illos corporis assumpti ab Angelo bono vel malo apponantur multi homines vel leones, eos ab Angelis non visum iri: vtrùm sint homines vel leones, vel quoduis aliud: non inquam futurum esset, vt ij oculis eius corporis ab Angelo cernerentur. Nam licèt sine dubio sua intelligentia Angeli optimè comprehenderet, eos esse homines, leones, & quodcunque eius corporis conspectui obuersetur, nullo tamen sensu eos perciperent, quia verè nullus esset. Quocirca siue eius corporis oculos Angelus palpebris claudat siue easdem palpebras remoueat, eadē prorsus est eius circa illas obiectas res cognitio; vt etiam optimè notauit Ricardus in 2. d. 8. a. 1. q. 5. quo differt ab homine, quòd homo si oculis careat nescit colorem. vnde vt est in Prouerbio: *Cæcus non iudicat de colore*, teste Aristotele libro 1. Poster. vt illum citat Zimara Verbo *Cæcus*, idque libro 2. Physic. cont. 6. Aristoteles apertè docet. At Angelus in assumpto corpore siue oculorum prospectus pateat, siue non pateat, eodem modo cognoscet. quia intelligentiæ non oculis perspectæ illæ res sunt. idem dico de cæterorum sensuum obiectis, quæ Angelorum non sensibus, sed intellectus cognitionibus cognoscenda obiiciuntur.

Ad tertium benè respondet A. Doctor hic a. 3. ad 1. nullam esse fictionem in sanctis Angelis. Rationem optimam adducit: *Quia hæc non dicuntur* inquit *ad astruendum quod intelligibilia sint sensibilia. sed quòd per figuras sensibilium proprietates intelligibilium secundùm similitudinem quandam dantur intelligi.* Vnde non repugnat veritati, Angelos apparere tanquam homines in corporibus assumptis, vt eorum proprietates hominibus explicētur. Deberet autem vt esset fictio velle aliquid præ se ferre vt significarent se esse quod re vera non sunt. Nam vt ait in 4. d. 4. q. 3. a. 2. quæstiūcula 2. ad 1. fictio propriè est cum aliquis aliquid ostendit dicto vel facto quod non est in rei veritate. Quod quidem (vt sit vitium) velle debet, idque intendere, vt rectè idem docet 3. p. q. 69. a. 9. ad 3. *fictus enim aliquis dicitur ex eo* inquit *quòd demonstrat se aliquid velle, quod non vult, aut aliquid esse quod non sit*, & hoc modo Aristoteles libro 3. Ethic.

Ethic.cap.8.ait:superbum fingere se fortem cum non sit,&c.Cùm ergo Angeli sancti nolint se ostendere quod non sunt; sed potiùs per corpora tanquã per signa velint nos apprehendere quod verè ipsi sunt,nulla est fictio. qua etiam ratione in Tragœdiis qui personam Regis gerit non est fictus Rex, sed verè Rex vt esse debet eo loco Rex; nempe qui Regis habitu gestúque mores actionésque Regis referre possit ac debeat.

Huic difficultati addi possent aliæ duæ. Prior est: Vtrum Angelus per internos sensus in corpore assumpto aliquid cognoscat. Verùm huius quæstionis dissolutio non est diuersa ab ea, de qua nunc disputatum est. Quia ad internorum etiam sensuum actionem; nempe sensus communis & imaginationis,& siqui sunt alij,corporeum organum eas potentias determinãdo concurrit subiectione phantasmatum ac cæterarum imaginum corporatarum.Sicut ergo de cæteris sensibus id esse non posse in Angelico assumpto corpore probatũ est, ita de imaginatione sensúque communi pari modo philosophandum est.

Altera est: Vtrùm esto quòd Angelus nõ possit videre per visionẽ à se elicitam in assumpto corpore, possit videre per visionem vel à Deo immediatè in eius Angeli intellectu productã, vel certè in intellectum Angeli ex hominis visiua potentia translatam.

Verùm quia hæc quæstio exagitatur à nobis 1.2.q.3. idcircò eam accuratè examinare hic nõ est operæpretium: Solùm dico ex dictis constare visionem duo includere. vnum quidem quòd sit actio è vita procedens:alterum quòd eius actionis sit terminus.quo posito non difficilè ad propositam difficultatem responderi potest. Dico enim neutro modo posse Angelum videre per intellectum. non primo quidem si solus terminus visionis in intellectu Angelico siue à Deo produceretur,siue aliunde asportaretur;quia videre sicut & omnis actio vitalis est agere. Ergo si intellectus videret ageret: si autem solus ille terminus ibi poneretur non ageret, sed solùm pateretur suscipiendo illam qualitatem non agendo. Nec etiam secundò videret si poneretur actio etiã cum suo termino. aut enim illa actio esset à principio Angelico efficienter,hoc est ab intellectu; aut solùm reciperetur:Si hoc dicatur, non videret ob rationem dictam. nihil enim ipse ageret,sed solùm reciperet actionem. quo pacto materia ligni cum calefactionem ab igne recipit,non agit sed patitur.sin autem illud asseras;ergo sequitur manifestè, intellectum Angeli in se producere visionem.Ratio est apertissima: quia tunc intellectus in se producit visionem, cùm eam in se habet dependentem à sua facultate effectrice. neque enim aliter intelligimus, aut videmus. ergo non aliunde transferretur in intellectum Angelicum; nec in ipso solus eam Deus efficeret.

Quid:inquies; si intellectus Angeli Deo eleuante efficeret qualitatem illam,quæ est connaturalis terminus visionis in suo organo oculorum,vt multis placet, quem nos tamen terminũ suprà posuimus in ipsa anima: Vtrùm intellectus Angeli verè per eam videret, an non? Respondeo id non posse fieri. rationem quã veram puto,breuiter adducã; prætermissis cæteris quæ huc afferri non abs re possent. Etenim actio per quam repræsentari obiectum debet potentiæ

A visiuæ est essentialis dependentia ab ipsa potentia visiua, quia debet esse ex specie determinante potentiam in suo organo. vnde non alia ratione distinguitur à visione intellectus actio,nisi quia intellectio non est à potentia determinata per qualitatem in organo receptam. quo pacto visio est à sua potentia. non enim distinguitur ex eo quòd est circa colorem, & lumen. nam etiam intellectus actio circa illa versari potest; vt cùm intellectus comprehendit, vtrũque esse qualitatem, talisque naturæ specificæ quà tales qualitates sunt. Distinguitur ergo ex essentiali dependentia à suo principio; nempe à potentia determinata per speciem coloris aut luminis corpoream in organo receptam. vnde

B est axioma illud ab A. Doctore receptum q. 27. de Verit.a.3.c.nempe *principium actus sunt potentia & obiectum*; Quia scilicet principium efficienter concurrit: obiectum verò per vicarias sui species determinat potentias ipsas, vt in talem actum prodeant potentiæ circa ipsum obiectum. alioqui nec esset principium. quia non esset potior ratio cur in hunc effectum prodiret, non in alium. nec posset obiectũ organo vniri, cui non aliter vnitur quoad actum videndi nisi per speciem.Est ergo actio dependens à tali potentia tali pacto vt diximus determinata. Atque hac ratione dixit A. Doctor infrà q. 105.a.3. Intellectionis principium esse intellectum ac speciem. A.Doctor.

C Quòd verò sit essentialis ista dependentia patet:Quia sublata hac dependentia à potentia visiua, nullo pacto retinet naturam visionis; sed hoc ipso erit alterius actus natura. nempe aut auditio si ab auditu,aut intellectio si ab intellectu,&c.Ratio est; quia si actus non procedit à potentia taliter ab obiecto determinata, nõ tendet in rationem obiecti sui,speciem dantis. non enim tendit in obiectum coloratũ aut lucidum quà tale obiectum respicitur à potentia visiua, nisi exeat ab ipsa potentia visiua; cuius solius actus tendere debent in huiusmodi prædicta obiecta. Vt enim ait A. Doctor 1.2.q.1.a.1.c. *Actus qui procedunt ab aliqua potentia causantur secundum rationem formalem sui obiecti.* Ab ipsa ergo A.Doctor.

D potentia prouenit, vt actus tendat in rationem formalem sui obiecti. quamobrem neque hoc potest à Deo suppleri,quia essentia eius est, vt à tali potentia manans respiciat in rationem formalem sui obiecti. quod idem est ac dicere, essentialiter pendet à sua potentia circa talem rationem formalem obiecti. atque ita ex se est talis determinatæ naturæ,non autem indifferens, vt procedat vel à Deo solo, vel etiam à potentia sua connaturali;sicut nec vlla alia actio,alioqui deberet per aliam actionem determinari, vt esset talis dependentia; & ita daretur progressio in infinitum.Quocirca semper deueniendum est

E ad aliquod primum quod per se non per aliud sit tale. Si ergo omnis actio debeat à suo efficiente pendere, debet seipsa & non per aliud esse à tali efficiente, dependentia. non enim datur aliquid actione prius relatè ad effectum, quod priùs ab agente dependentia sit quàm actio. Sed hoc ipsum longè firmiùs confirmabitur Difficultate sequenti, præsertim Notando 9.

Notandum tandem in hac difficultate est, reperiri apud nonnullos Patres & Philosophos Angelos vigere sensibus. Sic S. Augustinus in fine libri 2. super Genesim ad literam ait:demo- S.August.

nes *quædam vera de temporalibus rebus nosse permitti. partim quia corporibus subtilioribus, & acumine subtilioris sensus vigent; partim experientia calidiore propter tam magnam longitudinem vitæ.* quæ intelligenda sunt de acumine intelligentiæ, quæ sensus latiore significatione dicitur apud latinos. vel certè illis tribuunt corpora ex aliorum sententia, vt dixi q. 50. Quo vtroque modo explicari potest idem S. Augustinus, cùm dixit lib. 8. de Ciu. Dei cap. 6. in Angelis esse vitam, quæ intelligit ac sentit. quem etiam locum A. Doctor infra q. 54. art. 5. ad argumenta explicat. vel primò vt velit Augustinum loqui secundùm opinionem illorum, qui posuerunt Angelos ac dæmones habere corpora sibi naturaliter vnita. *quâ opinione* inquit *Augustinus frequenter vtitur in libris suis: licèt eam asserere non intendat.* Vel secundò vt similes auctoritates intelligantur per similitudinem: *Quia cùm sensus certam apprehensionem habeat de proprio sensibili, est in vsu loquentium, vt etiam secundùm certam apprehensionem intellectus aliquid sentire dicatur.* vnde & sensa animi dicuntur sententiæ quæ animo insident, &c.

S. August.

A. Doctor.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm progredi, loqui, comedere, cæteræque huius generis actiones possint propriè exerceri ab Angelo in assumpto corpore.

HOc aliud est genus vitalium actionum; quod tamen non ita videtur à vita pẽdere, vt necessariò debeat ab ipsa esse. Nam progredi posse videtur corpus iam demortui ope dæmonis aut Angeli. & passim de Angelis narrantur propriæ locutiones tum in Scripturis sacris tum etiam in prophanis; et de responsis oraculorum. Item Genes. 18. & 19. Angeli dicuntur comedisse & bibisse ambulasse, &c. In hac autem difficultate ex Theologis qui de ea disputant nullus est, qui partem affirmantem omnino doceat: Aliqui tamen affirmarunt eas operationes exerceri posse in assumpto corpore quoad aliqua.

Progressionem esse posse in corpore assumpto secundùm substantiam non secundùm modum ac connotatum aliqui affirmant. §. 1.

SIt ergo Prima sententia affirmans non simpliciter sed ex parte; in qua sunt duo ferè modi dicendi. Primus explicandi modus est nonnullorum ex recentioribus; vt Gabriel Vasquez disput. 186. cap. 2. Docet enim has actiones duo habere Alterum quod est substantia ipsarum. alterum verò quod est modus; quem quidem modum aiunt esse peculiarem dependentiam à suo principio vitæ: ac secundùm substantiam quidem aiunt posse esse ab Angelo & cæteris; non autem secundùm modum: explicant autem hanc sententiam in illo triplici genere actionum.

Vasquez.

Nam progressio quoad modum fit per virtutem, quæ residet in tendonibus mouente appetitu & imaginatione eam virtutem ad motum. & ideò ab Aristotele lib. 2. de An. cap. 3. peculiaris quidam animæ gradus constituitur *ipsum motiuũ*

Aristoteles.

A *secundùm locum.* non ergo quoad hunc modum erit progressio in Angelico corpore; quia non est inquiunt *hoc connotatum*, seu conditio vt pendeat ab anima. At verò secundùm substantiam fit progressio in corpore assumpto, quia verè est motus secundùm locum; atque ita progressio non differt substantialiter à motu locali; sed solùm connotato; quod significatur nomine progressionis.

Idem dicunt de locutione, actu comedendi, respiratione, risu, &c. Risus enim, vt risus hoc nomine significatur, non est solus genarum motus, sed etiam dependentia ab imaginatione, quæ ob rem ludicram ac nouam, appetitum B mouet ad illos motus. Vnde si statua esset, quæ hos genarum motus haberet, non diceretur propriè ridere, quia deesset connotatum; hæc nimirum dependentia. Locutio pariter est sonus in aëre editus cum voluntate significandi. ob cuius defectum bruta animalia dicuntur quidem edere vocem, non tamen loqui; licèt substantialiter locutio consistat in ipso sono qui editur.

Tandem de actu comedendi aiunt eodem modo substantialiter esse in Angeli corpore; quia est diuisio cibi; quia tamen non est motus dentium cibum conterentium, nec motus quo idem cibus in stomachum traiicitur; quod est de ratione actus comedendi, vt significatur hoc nomine. ideò non est quoad modum.

C Secundus dicendi modus colligi potest ex S. Bonauentura in 2. d. 8. p. p. d. a. 3. q. 2. Ibi enim triplex genus operationis facit. In quibusdam enim operationibus ait, animam se habere tantùm vt mouentem; & has esse progressiones: in quibusdam partim vt mouentem, partim vt organorum perfectionem; id est secundùm quod sunt actus corporis, vt cùm ridet, &c. in quibusdam denique tantùm vt perfectionem corporis seu organorum, vt cùm sentit. Ratio tertij dicti est: quia *sicut anima perficit totum corpus, ita visus siue potentia visiua perficit oculum.* ergo huiusmodi operationes proueniunt ab ipsa, vt est corporis forma. Ratio secundi est: quia in his operationibus D sunt quidam simplices motus; vt in risu *est genarum motio*, comparatione cuius anima est motor: est etiam quædam cordis exhilaratio; id ait esse ab anima, quà perfectio corporis est; ergo partim sunt animæ vt mouentis, partim vt forma & actus corporis est. Ratio denique primi dicti est: quia *motus progressiuus membrorum exteriorum est ab anima in corpore, vt est motor vel motrix.*

S. Bonau.

Ait ergo ex his operationes primi generis posse esse ab Angelo in assumptis corporibus; quia operatio quæ ab anima vt mouente in corpus redundat, potest competere Angelo, qui quemadmodum anima potest corpus mouere. E At verò secundi generis non item: quia quod competit animæ quà forma est, non competit alteri, in quod ratio formæ conuenire non potest. Tertium denique genus partim conuenit Angelo partim non conuenit; nimirum secundùm quod operationes sunt ab anima vt mouente conueniunt: non item quà ab anima vt est perfectio & actus.

Verùm quia de operationibus secundi generis suprà conclusum est; nunc de primo ac tertio genere disputandum erit. Ex quibus omnibus constat, in operationibus tertij generis non differre hanc S. Bonauenturæ sententiam ab eo quod asserunt recentiores de operationibus secundùm

S. Bonauen.

cundùm substantiam, & secūdùm modum. Nam licèt possit esse ab Angelo risus secundùm motum genarum; nempe secundùm substantiam; non tamen potest esse secundùm quod pendet ab exhilarato corde à quo prouenit. Quod illi dicunt: quoad modum.

Alexander. Ad hoc tertium genus referri ex parte potest Alexander 2. p. q. 35. m. 2. vbi docet *veram comestionem fuisse in Angelo*: id autem postea magis explicans ait, fuisse veram *quoad masticationem, non tamen quoad proiectionem in ventrem, vel quoad incorporationem*. deinde ibidem m. 4 ait ad veram locutionem non opus esse instrumentis animæ, sed posse exerceri ab Angelo. Sentit ergo substantialiter hos esse actus in Angelo, non autem quoad peculiarem modum, vt fiunt ab anima. de cæteris autem generibus nihil docet.

Negans sententia melior: notantúrque quædam ad difficultatis solutionem, præsertim, vbi sita sit rei essentia, discriménque inter ipsam, & quidditatem & naturam, &c. §. 2.

Altera tamen sententia negat simpliciter in Angeli corpore posse esse tales operationes. Ita Scotus in 2. d. 8. q. vn in eius medio. vbi licèt concedat Angelo *posse causare motum localem in corpore assumpto*; non tamen dicit illum motum esse progressionem; sed restringens subdit, *motũ qui videtur progressiuus, & motum etiam qui esset inspirationis & respirationis, motionem palpebrarum, manuũ & similium.* quasi si in vero organo à vera anima prodirent, essent motus palpebrarum, &c. non tamé qui in eo solo corpore tales videntur. quod etiam patet ex eius ratione; quæ solùm conficit inesse Angelo vim mouendi localiter corpora.

Gabriel. Durandus. Eandem sententiam, & eadem prorsus ratione docuit Gabriel in 2. d. 8. q. vn. a. 3. concl. 1. Idem patet ex Durando ibidem q. 2. n. 5. vbi nulla distinctione adhibita negat Angelum propriè loqui, aut propriè comedere.

Ægidius. Sic etiam Ægidius multis contendit eadem d. 8. a. 2. in resolut. dub. 2. in Angelo non posse esse propriè locutionem secundùm nullam ex quatuor rationibus, quas ibi requirit. Apertiùs idem docuit de comedendi actu in resolutione dub. 1. ad argum. vbi ad 1. ait: Angelos comedisse quidem quantum ad aliqua, quæ sunt in ipso comedendi actu; vt potuerunt diuidere cibum, & huiusmodi cibum sic diuisum in corpus traiicere; *Non tamen* inquit *erat ibi vera comestio; quia non erat ibi virtus digestiua, quæ posset cibum sic iraiectum in corpus digerere.* Requirit ergo vim & potentiam, à qua essentialiter vitalis actus dependere debet, vt videbimus.

A. Doctor. Hanc etiam puto sententiam esse A. Doctoris in hac q. 51 art. 3. c. vbi non aliter asserit operationes huiusmodi, locutionem, & alia exerceri posse ab Angelo nisi *in quantum motus sunt.* Negat quoque posse fieri quã opera sunt viuentium: & ad 4. ait, Angelos non propriè loqui per corpora assumpta, *sed esse aliquid simile locutioni inquantũ formant sonos in aere, similes vocibus humanis.* ergo non est substantia illarum operationũ, vt contendebat prima sententia, quia vbi solùm est similitudo illarum non est substantia. Cùm autem dicat eas non esse proprie, sed illis similes, solùm vult esse similitudinem. Denique hanc sententiam sequitur Caietanus hic art. 3. Molina noster ibidem 2. 2. disput. 3. Valentia p. 3. & alij. Ad solutionem Caietanus. Molina. Valentia.

Notandum est omnes concedere secundùm aliquid siue aliquomodo operationes prædictas esse posse in Angelis, dum mouent sua corpora quæ assumunt. Nam certum esse debet, fuisse aliquo modo locutiones, progressiones, sæpè etiam dæmones risisse, edidisse cachinnos, cantasse Angelos, comedisse, &c. atque ita in confesso omnibus est, has locutiones, cæterásque operationes concedendas Angelorum corporibus esse secundùm aliquid. Alioquin si nihil habuissent earum actionum, cur potiùs fuisset locutio, aut comestio vna quàm alia? Propriè autem in eo difficultas est: Vtrùm ita concedi debeant, vt vel fuerint simpliciter, aut certè substantialiter, hoc est secundùm essentiam, non autem secundùm modum, siue secundùm connotata, vt vidimus controuersiam esse inter Theologos primæ secundæque sententiæ. Vt autem sciamus; vtrùm fuerint substantialiter seu essentialiter videndum erit, quænam sit earum essentia. Nam si earum essentia saluari possit in eo, quod prima sententia ponit, substantialiter fuerunt in Angelis: sin minùs, id negandum omninò est. Videntur autem auctores primæ sententiæ essentiam illarum prædictarum actionum ponere in eo quòd sint motus locales; vt v. gr. progressio sit motus localis; cætera verò quæ progressionem vt vitalem constituunt dicunt esse modum & connotata, vt quòd fiat à virtute animalis per organa pedum, tendonum, spirituum, &c Nam cùm cōcedunt, secundùm quod motus sunt esse in Angelo, non item secundùm cætera, dicunt eas esse secundùm substantiam, non autem secundùm modum, & secundùm connotata; quod nunc diligenter inquirendum est: Id autem vt clarius fiat, examinabitur quæstio de progressionis actu, ad cuius similitudinẽ ac proportionem cæteri quoque prædicti actus constituendi sunt. Pro qua re

Notandum secundò partim vltrà, partim ex iis quæ suprà diximus q. 50. a. 4. nunc breuiter est, illa alicui rei essentialia prædicata esse, quæ primò & non ratione alterius prioris à quo deriuentur, de ipsa re dici possunt: quin potiùs quæ cæteris prædicatis supponuntur; cuiusmodi sunt rei propria genera, & differentiæ primæ, quæ ex alijs prioribus non consequuntur. vt v. gr. homini essentialia sunt esse animal rationale, quia hęc prædicata conueniunt homini primùm, & quibus cætera posteriora sunt. hæc autem essentialium prædicatorum descriptio vera esse probatur, quia eadem sunt essentialia prædicata, & quæ ab Aristotele libro 1. Poster. à cont. comm. 30. dicuntur esse in primo per se dicendi modo. Aristoteles. Sic enim quæ huiusmodi primo modo dicendi continentur ipse ibi definiuit: *Per se autem sunt quæcunque sunt in eo quod quid est*; hoc est quæ sunt essentialia rei, & de ea prædicantur secundùm definitionẽ essentialem; & ideò apposito exéplo doctrinam declarauit, & clarioribus verbis illustrauit hoc pacto. nam subdit: *vt triangulo inest linea, & punctum lineæ, substantia ipsorum ex his est; & in oratione dicenti: Quid est. insunt.* Linea enim est, cuius partes copulantur puncto; siue, vt Mathema

Mathematici dicunt, fluxus puncti, &c. Essentialia ergo sunt quæ in definitione essentiali ponuntur; per quam scilicet explicatur quid est rei; vt de homine per se prædicantur animal rationale; vt in eo articulo fusius explicatum est. ex quo sequitur prima rei prædicata esse essentialia ipsi rei. Nam sola prima prædicata, quæ scilicet rei non conueniunt ratione alterius prioris, & illis cætera sunt posteriora, explicant rei naturam, & quid ipsa sit. Ratio ex dictis est: quia essentialia rei prædicata primò rem constituunt in suâ naturâ. nihil enim priùs rei conuenit quàm eius essentia; quæ etiam cæterorũ prædicatorum radix est. quæ etiam causa est, vt cætera quæ rei conueniunt, eidem conuenire debeant in cæteris dicendi modis, qui primum illum sibi tanquam basim præsupponunt; nempe cùm prædicata de re affirmantur in 2. 3. & 4. dicendi modis; vt dictum ex instituto est a nobis libro primo Posteriorum. Hinc autem

Notandum tertiò, optimè intelligi posse quid differant in vna eadémque re natura, essentia, & quidditas: nam vt ait A. Doctor supra quæst. 29. a. 2. ad 3. *Essentia propriè est id quod significatur per definitionem*, nempe per prima rei prædicata; quæ, vt diximus, definitionem rei constant. Natura autem est eadem essentia, sed alio modo & mente apprehẽsa, & voce explicata; nempe comparata ad suum actum, cuius ipsa essentia est principium, vt postea optimè obseruauit A. Doctor nempe quæst. 39. a. 2. ad 3. vnde consequenter ibidem subdit: *Quia natura designat principium actus, essentia verò ab essendo dicitur, possunt aliqua dici vnius naturæ, quæ conueniunt in aliquo actu sicut omnia calefacientia; sed vnius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est vnum esse*; hoc est essentia dicitur ab *esse*, quod nimirum est actus illius, ergo vt sit vna essentia, vnum esse habere debet. A. enim Doctoris sententiâ esse est actus essentiæ; vt patet ex quæstione tertia suprà a. 4. ad 2. Itaque essentia est ratio cui conuenit esse tanquam actus; quod est esse primas rei rationes, quæ de illa prædicantur, quibus immediatè conuenit esse, vt humanitati conuenit esse hominis; equinitati esse equi, & sic de cæteris. Dicitur ergo essentia vt quodammodo origo subiecta ipsi essendi actui; atque ita ea sunt vnius essentiæ; quorum est vnum esse origine; hoc est quorum sunt eadem essentialia, quibus conuenit esse non diuersum, eo quòd scilicet illa esse nõ sint diuersæ formæ, quibus diuersi essentialiter formales effectus constituantur; vt est leo, musca, sed vnum effectum formalem omninò componant, vt est Petrus & Franciscus.

At verò natura est eadem ratio, eadémque prædicata quatenus relatè ad operationes se habent: quia naturam definiuit Aristoteles libro 2. Phys. cont. 3. *esse principium primum motus*, &c. nimirum suorum actuum, qui ab ipsa promanãt. Inde autem rectè intulit A. Doctor in ea quæst. 39. a. 2. ad 3. expressiùs dici, ac significantiùs denotari vnitatem diuinam *per hoc quod dicitur quòd tres personæ sunt vnius essentiæ, quàm si diceretur quod sunt vnius naturæ*. quod etiam notauit S. Gregorius Nazianzenus in epistola ad Euagrium Monachum; quæ est de Diuinitate: Vbi referens suo ordine quæstiones ab Euagrio propositas sic ait; *Quæstio igitur abs te proposita erat huiusmodi: quonammodo esse queat Patris & Filij & Spiritus sancti natura (quam tamen essentiam rectiùs, quam naturam quispiam vocauerit) simplex an composita?* Vbi ea quæ parenthesi clauduntur Nazianzenus de suo addit. Ratio est: quia tribus personis omninò conuenit vnum simpliciter esse numero, nempe existentia deitatis; at verò non conuenit eadem prorsus ratio producendi; cùm patri conueniat filium generare. quod de reliquis personis diuinis affirmari non debet a Catholico.

A.Doctor. A. Doctor. Aristoteles. A.Doctor. Nazianzen.

Natura ergo & essentia eadem res est; & sola comparatione ad actus diuersitatem habent aliquam. Quidditas denique nihil est aliud nisi eadem essentia quam assignamus quærenti quid res sit. Interrogans enim de re quid res sit, quęrit essentiam eius rei & naturam; & ita illi non satisfieret, nisi ei per essentialia prædicata, nempe aut generis solius, aut etiã generis & differentiæ responderetur. quod totum patet ex Aristotele lib. 1. Top. cap. 4. vt etiam notaui loco citato; vbi explicans quid sit prædicari in *Quid* ait. *In eo quod quid est prædicari dicuntur, quæcunque conuenit eum qui interrogatus est reddere quid est, quod propositum est.* Exemplum clarissimum adhibet; quod vt melius mentibus exprimatur, eius verbis libet apponere: *Quemadmodum de homine* inquit *conuenit eum qui interrogatus est quid est dicere quod animal*. Cùm ergo is qui interrogat per quæstionem *quid est*, dicitur quærere quidditatem (quia licet quærat per concretum; nempe per *quid est*; tamen quia plerunque consuetum est loco concreti nos sumere abstractum; vt cùm volumus dicere, album disgregat visum; consueuimus dicere; albedo disgregat visum, vt formaliùs explicetur) ideò hic quoque dicimus: quærit quidditatem dum quis quærit quid est. Quidditas ergo est eadem essentia, seu prædicata prima essentialia; quatenus per illam interroganti rei quidditatem essentiam assignando satisfacimus, eiúsque interrogationi respondemus. atque ita verum est, essentiam quidditatem naturam prima prædicata rei, quæ in definitione essentiam complectente reponuntur, idem esse secundùm formam, nec aliter differre, quam extrinsecus adhibito respectu ad diuersa. Vt ergo videamus de substantia atque essentia prædictarum operationum; nempe progressionis, &c.

Notandum est quartò quærenti quid sit progressio, ac proinde eius quidditatem, non posse satisfieri rectè, si solum respondeatur esse motus. Licet enim satisfiat quærenti de genere, tamen quærens integram naturam non quiescet, nisi respondeatur per definitionem essentialem; Vt si quærat quis naturam hominis integram, eiúsque speciem quæ prædicatur in quid; si nimirum dicat: Quid est homo secũdùm integram suã naturam? non existimabit sibi factum satis, nec quiescet, nisi assignato generi suam differentiam adiungat. Nam etiam per quæstionem quid est, peti posse definitionem rei essentialem patet: quia etiam ei quæstioni rectè respondetur per definitionem. Quæ etiam ab Aristotele dicitur *Quod quid est*; vt apertè patet ex libro 1. Post. à cont. 36. Vnde quamuis differentia comparata generi sit quædam generis qualitas, vt docet Aristoteles lib. 4. Topic. loco 80. & deinceps, tamen ipsam definitionem rei ingreditur, vt pars quidditatis, qua cumulatè quæstionem quidditatis dissoluit.

Aristoteles. Aristoteles.

Atque hæc quidem certa opinor sunt inter philosophos, illud tamen videtur à quibusdam reuocari in dubium; Vtrùm huiusmodi prima rei

rei prædicata, quæ diximus esse essentialia, & ex quibus integra coalescit seu essentia, seu natura, seu quidditas, necessariò sint ponenda in omni definitione vere ac proprie substantiali. Existimarunt enim nonnulli recentiores, duplicis generis esse prima rei prædicata, ac definitionem eius essentialem. quædam enim esse aiunt quæ constituunt essentiam rei absolutam; quædam verò quæ connotatiuàm, vt ipsi loquuntur. Absolutam dicunt quæ cõstat ex simplici genere & differentia in eadem prædicatorum serie seu categoria, vt animal rationale in genere substantiæ: in qualitatis genere est vis effectrix visionis; nempe potentia visiua; & sic de reliquis. Connotatiuam vocant eam, quæ non constat ex simplici genere, & restringente genus differentia in eadem categoria, sed conflatur ex rebus diuersorum prædicamentorum; significatur tamen vno nomine siue sit substantiuum, siue adiectiuum; vt cum Grammaticis sermo sit. Cuiusmodi est cœna, quæ consignificat tempus vespertinum, primariò autem ipsam corporis refectionem, qua essentialiter conuenit cum prandio, differt autem consignificato. Pari ratione simum est cauitas in naso, & non differt à curuitate nisi subiecto quod connotatur; vt colligitur ex Aristotele libro sexto Metaph. cont. 2. & alibi. Aristoteles.

Ex hac autem doctrina posset defendi quod dicebant illi auctores in prima sententia; nempe in Angelo posse esse progressionem substantialiter; non autem secundum modum, & secundum connotata. Dicerent enim progressionem non esse vnam naturam absolutam vnius prædicamenti: sed quoddam ens connotatiuum ex variis conflatum prædicamentis, substantialiter autem esse motum; connotari verò seu habere modum dependentiæ à tendonibus, & reliquis animę ad mouendum instrumentis. idémq; dicerent de actu comedendi; esse scilicet fracturam ciborum, connotari autem quòd sit ab anima per talia organa in finem nutritionis. Quod si ab his quæras; Cur potiùs vnum dicitur substantia, & alterum modus, siue connotatum ex iis, quæ connotantem illam essentiam componant, respondent: substantiam esse illud quod primariò ponitur in definitione, & in casu recto; modum verò & connotatum esse illud, quod ponitur non ita primariò, & in casu obliquo. vnde in proposito exemplo si quæratur quid sit progressio; quia respondendum est; esse motum à potentia motiua, &c. ideò substantia progressionis est motus, reliqua autem modi & connotata. Quam philosophandi rationem video placere nonnullis nostri temporis de philosophia non omninò malè meritis.

Aduersus eos qui dicunt quod in definitione ponitur in casu recto, esse substantiã rei, non verò quod ponitur in casu obliquo, vbi multa de definitionum præceptis ex Aristotele & Angelico Doctore. § .3.

VErùm vt huius rei veritas penitus internosci possit, & recto philosophandi ordine procedamus.

Notandum est quintò, non rectè dici ab his auctoribus, quotiescunque aliquid ponitur in definitione in casu recto illud esse substantiam rei, non autem quæ ponuntur in obliquo. non rectè autem ob duplicem causam: Prima quidem est; quia huiusmodi definitiones non vno tãtum modo enunciãtur, sed possunt varie formari. adeò vt primò de eadem re aliquid ponatur in casu recto, quod non est præcipuum in ea. & secundò in eadem definitione idem transponatur, vt sit nũc casus rectus, nunc obliquus. Exemplum primi sit: Vt si definiatur domus, ea rectè dicetur, vt est apud Arist. lib. 8. Metaph. cont. 6. *lateres & ligna sic posita*. si limen; *sic dicimus* inquit *lignum aut lapidem sic positum*. si glaciem; *aquam congelatam, aut sic densatam*. si consonantia; *est* inquit *acuti & grauis mistio talis*. In quibus definitionibus in recto ponitur materia, nempe lapides, ligna, & cætera, quæ vt recte ibi docet Aristoteles, earum rerum materia sunt; dispositio verò talis, est actus. certum autem est præcipuum in definitionibus esse actum; minùs autem præcipuum esse materiam. Aristoteles.

Si autem dicas, in rebus artefactis materiam actui præstare; contrà dupliciter. Primò quia Aristoteles approbat definitionem illam glaciei, quę non est opus ex arte, sed ex natura, in qua tamen ponitur materia in recto. Secundò quia in opere artis ideò debet materia esse præstantior, quam forma; quia materia substantia est, forma verò accidens; vt figura statuę: At huiusmodi formam, quæ est accidens in aliis quæ ibi ab Aristotele comprobantur definitionibus; Architas posuit in recto, substantiam in obliquo. vt si quęras ab Archita; Quid est serenitas? dicet: *Est quies in multitudine aeris*; vbi tamen dicit Aristoteles definitionis *materiam esse aerem, actum verò & substantiam quietem*. quæ quidem quies nihil est aliud, quàm negatio motus, nedum accidens. Similiter si quæras; Quid est tranquillitas? dicit Architas: *est maris planities. Subiectum quidem* inquit Aristoteles *& materia mare: actus verò, & forma planities*. Sunt ergo actus & materia vno atque alio modo in definitione præcipuum. Aristoteles. Aristoteles.

Exemplum secundi: Quia si quæratur; quid est simum? respondebit Aristoteles libro 6. Metaphys. context. 2. *est concauus nasus*. vbi nasus ponitur substantiuo nomine, & in recto; concauus per modum adiacentis. Quæro igitur; Vtrùm ex his sit præstantius? si dicas; concauum: Cur? cùm sit accidens & adiaceat; nasus verò substantia. Si nasum: Rursus quæro Cur? cùm non sit actus. Itaque concludo vtroque modo posse rectè dici, & nasum cum cauitate, & cauitatem in naso, quia vtrimque est ratio, cur ita efferatur. Aristoteles.

Præterquam quòd ipsorum doctrina cum Aristotele eo loco pugnat. nam ipsi dicũt, simum esse cauitatem in naso, vt cauitas sit primarium prædicatum, & in recto: Aristoteles autem ponit nasum in recto, & cauitatem per modum formæ adiacentis. Ergo partes istæ vario modo transponuntur.

Immò vt magis videamus definitionum diuersitatem, non desunt qui asserant, nihil quod ponitur in recto esse partem definitionis. Quod expressè docuit A. Doctor in 1. d. 25. quæstion. 1. a. 1. ad 2. Expressè enim ibi sic docet: *Quæ ponuntur* A. Doctor.

ponuntur in definitione in recto non sunt partes definitionis; id est rei per definitionem significatæ, sicut nec definiti. Huius rei hanc protulit ibi rationem. *Si enim* inquit *cum dicitur animal rationale mortale, animal esset pars hominis, non prædicaretur de toto, cùm nulla pars integralis de toto prædicetur. vnde animal dicit totum; & similiter rationale mortale. & ideò homo non dicitur esse ex animali rationali mortali, sed dicitur esse animal rationale mortale.* Vnde quia animal est genus ad hominẽ docet vniuersè, quomodo genus significet totum, cùm generi addatur differentia, quæ extra ipsum est; aitque genus denotare totum, *vt non designatum*; hoc est, non determinatum ad differentiam. differẽtiam verò ipsam significare etiam totum, *vt designantem*; nimirum quia determinat. ac denique definitionem significare idem totum *vt designatũ.* Quare non vno modo partes definitiones poni debent.

Idem etiam confirmare possumus aliis exemplis. Nam definitiones dari possunt tripliciter. vel tanquam materiales, nempe ex materia. vel tanquam formales, nempe ex forma. vel tãquam integras, nempe ex vtraque parte. Vt v. gr. est ira ex Aristotele lib. 1. de An. cont. 16. Si enim quæras à dialectico definitionem iræ, dicet Aristotele teste ibidem esse *appetitum recontristationis.* Si autem à naturali, hic dicet, vt idem Aristoteles obseruat, *esse feruorem sanguinis aut calidi circa cor.* Cuius ratio non est alia, nisi quia vt idem ait; Naturalis materiam, Dialecticus formam spectat. atque ita sequitur pro varietate considerationis vario modo efferri posse definitionis terminos. Quod etiam ex hoc patet: quia si integram velis, dices esse appetitum recontristationis ex efferuescentia sanguinis circa cor. vel esse efferuescentiam eandem ad excitandum vltionis appetitum. Idem dici potest de eclipsi, ac tonitruo, &c. de quibus Aristoteles libro 1. Poster. sæpè: déque aliis innumerabilib. quæ commemorabo suo loco si opus erit.

His etiam adiungere possumus quæ ex Aristotele libro 1. Poster. cont. 20. de definitione docet A. Doctor in 4. d. 3. q. 1. a. 1. quæstiuncula 1. in corp. in quibus licèt assignetur triplex illud definitionis genus, tamen alio modo explicantur definitiones materiales & formales. Ait nãque, *quasdam esse definitiones materiales quas dicimus esse conclusiones demonstrationis; quasdam formales, quæ sunt principia demonstrationis; quasdam formales & materiales simul, quæ sunt demonstrationes positione differentes; quia habent medium demonstrationis in quantum continent definitionem formalem, & conclusionem in quantum continent materialem, sed deest solus ordo terminorum.* Harum definitionum nullum ponit exemplum A. Doctor. Ea tamen optari possunt quæ ab Aristotele libro 2. Post. à cont. comm. 44. & deinceps adducit; vt definitio materialis sit ea in qua prædicatur de suo subiecto genꝰ quod ponitur in definitione, & est conclusio demonstrationis formalis, quæ sumitur in præmissis. Positione differens quæ ex vtraque conflatur; vt si probetur, cùm est tonitruum esse sonum in nube, quia in nube est accensio ignis. Sic enim fiet demõstratio opinione Aristotelis in eo cont. & alibi, vt fusè probat Iacobus Zabarella in suis commentariis ad eum locum; & libro 4. de Methodis à cap. 15. & libro de conuers. demonstr. in definit. à cap. 2. In eo subiecto tunc debet esse sonus in quo est accensio ignis. Sed in nube est ac-

Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles. Zabarella.

A censio ignis. ergo in nube est sonus. Itaque definitio materialis est conclusio. quia genus, nempe sonus, quod in definitione ponitur, dicitur de nube, quæ est subiectum soni. Definitio formalis est principium conclusionis in quo ponitur causa prædicati in conclusione; vt in exemplo proposito: sed in nube est accensio ignis. Positione differens est, cùm ponuntur in definitione tres illi termini, qui demonstrationem conflabunt; nempe nubes, sonus, accensio ignis. & dicitur positione differens, quia alio modo termini in definitione disponuntur, alio modo in demonstratione. Vnde si quæratur, quid est tonitruum, respondebitur sic per definitionem positione à demonstratione differentem. Est sonus B in nube ex accensione ignis. Itaque concludendum est vario modo definitiones disponi posse, vt nunc vnum sit in recto, nunc aliud, nunc verò vnum sit formale, nunc verò illud ipsum sit materiale comparatione diuersorum.

Quin etiam addimus in eadem numero definitione aliquid posse habere rationem formalis termini, & rationem materialis, si ad diuersa comparetur. Vt si dicatur: Ira est appetitus vlciscendi iniuriam. Hæc enim cùm contineat formam est formalis. Si tamen addantur aliæ particulæ continentes causam, qua prædicta definitio compleatur, tunc illa non erit ampliùs formalis sed materialis: & illa quæ additur erit C formalis; vt si dicatur: Ira est appetitus vlciscendi iniuriam ex efferuescentia sanguinis circa cor. vt expresè docet A. Doctor loco iam citato. Ex eo enim quòd *omne completiuum* inquit *quodammodo forma est respectu eius quod completur, ideò definitio formalis non solum dicitur quæ continet formam; sed illa quæ continet hoc quod est completiuum respectu alterius.* Additque. *Et quia in causis est talis ordo quod materia completur per formam, & forma per efficientem, & efficiens per finem; ideò definitio quãdoque materialis dicitur, quæ comprehẽdit tantùm materiam rei formalis, quæ tantùm comprehendit formam,* &c. *quandoque etiam materialis comprehendit formam & materiam, sed formalis causam efficientem. sic-* D *ut hæc dicitur materialis: Tonitruum est continuus sonus in nubibus. hæc autem formalis: Tonitruum est extinctio ignis in nubibus;* quia scilicet priorem complet additamento causæ. *Quandoque autem definitio materialis comprehendit materiam, formam, & efficiẽtem: formalis autem finem. sicut Domus est coopertorium factum ex lapidibus & lignis per talem modum & artem; est definitio materialis respectu huius: Domus est cooperimentum prohibens nos a frigoribus & caumatibus. Et hoc præcipuè accidit in instrumentis, quia in eis quasi tota species à fine sumitur.* Hinc transit ad baptismi definitionem, &c.

A. Doctor.

Constat ergo quod propositum erat, non esse illam bonam regulam; quòd scil. in definitioni- E bus illud sit præcipuum quod in recto ponitur. Vt autem de cæteris dictis constituatur

Notandum sextò, etiam illud mihi videri difficile, quod iidem auctores docent, cùm assignãt discrimen inter illa duplicis generis prima, atque essentialia prædicata; dum aiunt, Absoluta esse illa, quæ constant ex simplici genere ac differentia in eodem prædicamento: Connotatiua verò, quæ ex diuersis. Quæro enim ab iis primò, cur quæ ex diuersis prædicamentis sunt, connotatiuam potiùs consient essentiam, quàm absolutam: nam si prædicata connotatiua sunt, quorum vnum dicitur in recto, alterum in obliquo, repe

reperiuntur etiam in ea eſſentia, quæ ex eiuſdem generis ac prædicamenti prædicatis cōſtat; vt cùm anima definitur libro 2. de An. cont. 5. & 7. *Actus corporis organici.* in recto enim eſt actus, corpus organicum in obliquo; quæ tamen eiuſdem ſubſtantiæ categoriæ partes ſunt; vnámque rem phyſicè compoſitam conſtituunt.

Quòd ſi id de partibus vnius compoſitæ rei concedas; de toto autem phyſico perneges: iam in hoc quoque oſtēdo tibi falſitatem. quia ſi ipſum compoſitum definiendum ſit, non aliter definire potes, niſi vtriſque caſibus recto obliquóque definias. Vt enim ait Ariſtoteles lib. 2. Phyſ. cont. 4. & 12. Phyſicum compoſitum eſt id, *quod ex his eſt*; nempe ex naturis materia & forma. Quo ſimili modo 8. lib. Metaphyſ. cont. 6. in fine docuit, compoſitam ſubſtantiam *eſſe ex his.* enumerauerat autem materiam ac formā eius partes. Denique libro 7. Metaphyſ. cont. 60. compoſitum apertè definit, *quod ex aliquo ita vt vnum totum ſit non vt cumulus ſed vt ſyllaba.* Non ſolùm ergo partes in eadem ſerie prædicamenti, ſed etiam totum vnius eiuſdémque prædicamenti per caſus rectos, obliquóſque definiri ab Ariſtotele conſtat. Præterea quis prohibet, omnes definitiones quæ dari ſolent per terminos rectos, reduci ad terminos obliquos? vt ſi definiatur homo eſt conflatum ex animali tanquam genere, & rationali tanquam differentia. Similiter locus eſt corpus ſecundum quod ſuperficiem continentem habet. Album eſt corpus diſgregās viſum, &c.

His etiam addo Ariſtotelem libro 6. Metaphyſ. cont. 2. docuiſſe, *naturalia cuncta vt ſimum dici* ac proinde oportere philoſophum naturalem non alio pacto ipſorum *ipſum quid eſt quærere ac definire.* Num igitur quia definiret vt ſimum, nempe per rectum & obliquum, vt aduerſariis libet, idcircò omnia naturalia compoſita erunt entia connotatiua? Ex quibus etiam tandem dico, poſſe definiri aliquod corpus phyſicum more connotatiuorum; quia ſcil. dicatur: Homo eſt compoſitum cuius actus eſt anima rationalis. quæ definitio phyſica eſſet, quippe quæ hominem conſideraret vt ſimum, dum eius actum in materiam tendentem contemplaretur. Quæro ſecundò, cur non poſſint quæ ex prædicatis diuerſorum prædicamentorum componuntur, definiri per caſus rectos? vt ita non ſit neceſſe vti definitione ac prædicatis connotatiuis. nam ſi quis diceret: album eſſe coloratum diſgregatiuum viſus: ſphęram eſſe figuram circularem aut eſſe figuratum circulare & ſimilia; cur neceſſe erit recurrere ad prædicata connotatiua? quemadmodum neque eſt neceſſe cùm dicitur, Homo eſt animal rationale: Aut, paternitas, eſt relatio quæ reſpicit filium: ſcientia eſt de corpore, &c. Neque enim dici poteſt, eſſe hic terminos connotatiuos; nempe aut genus aut differentiam, licèt differentia vt ad terminum aſſignetur. nam tam genus quàm differentia eſt vnius prædicamenti ſiue relationis, ſiue qualitatis, etiamſi ad terminum ſubſtantialem eſſe ſignificetur. Eadem ratione patet de quantitate continua, quæ eſt vnius prædicamenti, & tamen in eius eſſentiali definitione partes explicantur in caſu obliquo. Dicitur enim quantitas eſt ratio ſeu extenſio partium. Nunquid ergo quia partes ponuntur in caſu obliquo, idcircò erit ens connotatiuum? Ex his ergo conſtat non rectè tradi diſcrimen vtriuſque generis prædicatorum. Vt denique oſtendamus etiam his datis quæ negauimus eos auctores non ſatis benè philoſophari

Notandum ſeptimò: etiamſi demus quædam eſſe prædicata, ex quibus tum abſoluta, tum cōnotatiua entia definiuntur, tamen non rectè ab his dici, illud prædicatum eſſe primarium ac ſubſtantiale, quod ponitur in recto, illud verò connotatum ac modum quod ponitur in obliquo. Hoc autem præterquam quod diximus, terminos in recto & in obliquo poſſe variari ſeruatis veris definitionis legibus; probatur primùm peculiari argumento de progreſſione, quam ibi dicunt. Quia illud inter eſſentialia eſt primarium in quacunque natura prædicatum, quod magis proprium eſt illius naturę definitæ; non autem quod generalius, & multis conuenit. Sed quod ponitur ab his auctoribus in recto (nempe cùm dicitur progreſſio eſt motus, &c.) eſt inter eſſentialia generalius & multis conuenit; & quod ponitur in obliquo, magis proprium eſt eius naturæ definitæ. ergo illud quod ponitur in recto, non eſt primarium inter eſſentialia ſed quod ponitur in obliquo.

Maior probatur: quia quod magis proprium eſt illius naturæ, ſe habet vt differentia & actus reſpectu generalioris, quod eſt veluti potentia ſuſceptrix illius. quandoquidem illa generalis ratio contrahitur ad vnam naturam per illud quod eſt magis proprium. ergo tale proprium prædicatum eſt primarium. Cōſtat enim actum in quacunque natura potiorem eſſe quàm potentiam. quia actus ſua potentia eſt melior ac nobilior; vt expreſsè docet Ariſtoteles libro 9. Metaphyſ. cont. 19. & probat A. Doctor 1. 2. q. 71. a. 3. c. Vnde vt antè dicebamus ex A. Doctore quia prædicata quæ rem perficiunt ſunt eiuſdem rei perfectiones, reducuntur ad formam.

Minor verò probatur. & ſuppono ea prima prædicata quæ in definitione ponuntur eſſe eſſentialia: quandoquidem alioqui nō eſſent prima. Inter ergo hæc eſſentialia probo illud quod ponitur in recto ab his auctoribus eſſe generalius, quàm quod ponitur in obliquo. Nam cùm dicunt progreſſionem eſſe motum localem, hic motus eſt generalis in omni corpore. omne enim corpus poteſt moueri localiter. at verò quod ſit dependens ab animæ inſtrumentis non poteſt conuenire niſi animali. Ergo per hoc quòd ſit ab anima dependens, amplitudo illa motus reſtringitur, & coarctatur.

Idem confirmatur auctoritate A. Doctoris in hoc a. 3. c. vbi duo aſſignat in huiuſmodi progreſſione & locutione. Alterum quidem commune, aitque *eſſe ſonum & motum.* Alterum peculiare; quod eſt, vt ipſe loquitur, eſſe à principio vitæ. ergo eſſe motum eſt generale prædicatum; eſſe verò à viuente eſt proprium.

Neque dicas magis proprium prædicatum in his definitionibus non eſſe actum, ſed connotatum; ac proinde non eſſe nobilius prædicatum. Contra hoc enim eſt; quia actus eſt qui diſtinguit, vt docet Ariſtoteles libro 7. Metaph. cont. 49. Ergo hoc prædicatum comparatè ad illud, quod ab ipſo reſtringitur, habet rationem actus, vt antè dicebam. Sanè non ob aliam cauſam rationale in homine, & quæcumque differentia in definitionibus ſunt præcipua prædicata, niſi quia ſunt illarum propria, definitionémque à

cæteris distinguunt. Deinde sciscitor ab his auctoribus, cur ita distinguantur? Vnde habeant, vt connotatum non sit motus? Quid illis persuasit, hoc esse connotatum? Nam idem est connotatum, & quod consignificatur. Cur ergo in motu illo esse a vita dependens est connotatum, & non potius differentia essentialis motus? vt scilicet motus localis alius sit actus à viuente causa; alius sit actus à non viuente principio. Secundò probatur eadem doctrina; ex quo proximè factum argumentum confirmabitur; quòd scilicet quod ponitur in obliquo in his actibus non sit connotatum.

Quod ponitur in obliquo in his vitæ actionibus, non esse connotatum sed prædicatum essentiale, vbi de duplici specie motus, nempe & secundùm quod ipse motus est, & secundùm quod talis est entitas. §. 4.

PRo qua re Notandum est octauò, omnem actum, & quodcunque aliud ens, quod alterius non sit pars, habere determinatam naturam in aliqua perfecta specie; qualis esse potest in accidentium natura. Ratio est certissima, quia omnis actus debet esse contractus per differentiam qua distinguatur à cæteris, qui non sunt eiusdem naturæ, vt alibi ostensum est. Est autem motus aliquis actus, & non pars alterius naturæ, cum qua componat tertiam naturam. est enim actus, quia motus est *actus entis in potentia*, vt docuit Aristoteles libro 3. Phys. cont. 6. seu est *actus mobilis vt mobile est*, vt docet cont. 3. Non verò pars alterius, quia ex se est via ad terminum, & aliam non habet naturam partis. Et quamuis ibi dicatur imperfectus ab Aristotele actus; non tamen ob id negandum est esse in aliqua perfecta specie. Quod enim imperfectum est comparatione alterius, absolute perfectum in sua specie esse potest; vt potentia actus susceptrix est quid imperfectum si comparetur ad actum quo perficitur; in se tamen absolute est perfecta, si nihil desit ad illius rationem. Vt ex. gr. Potentia visiua in oculo benè disposito est absolute perfecta potentia ad videndum. licet quà potest actum suscipere sit perfectibilis, ac proinde quid imperfectum. Motus itaque est actus imperfectus, quia est via ad vlteriorem perfectionem, tamen in se & absolutè perfectus est, eo quòd nihil deest in ratione motus. Perfectum enim illud est, cui ex requisitis deest nihil. vnde totum & perfectum idem sunt teste Aristotele libro 5. Metaph. ca. de perfecto. Debet ergo constitui in aliqua perfecta, & determinata specie.

Dupliciter autem potest cognosci motus esse in vna & eadem specie; nimirum vel secundùm quod motus est & via; vel secundùm quod est talis entitas. Tunc autem est in eadem specie in ratione motus, cùm est eadem via ad eundem terminum ad quem. Motum enim sortiri speciem suam à termino ad quem, satis decantatum Philosophis est cum Aristotele libro 5. Physic. cont. 4. quæst. 31. & 35. Tunc autem est in eadem specie in ratione entitatis, cum nullum est varium prædicatum quod idem re sit cum illa entitate, quia nulla tunc est ratio, cur species illius entitatis varietur, vt copiosius dixi q. 50. artic. 4. Nunc autem suppono quod docet Aristoteles libro 3. Physic. à cont. 18. ad 21. in eadem entitate quæ est motus, esse vnum reipsa motum, actionem, & passionem, & sola ratione ac definitione differre. Vnde possit aliqua entitas in se habere plures rationes specie differentes. quod fusiùs prosecuti sumus in hac p. p. q. 13. vbi etiam de diuina entitate idem probat A. Doctor. atque ita poterit vna entitas esse diuersæ speciei ab alia entitate, quia in se habeat plures rationes sibi re ipsa, vt more Philosophorum loquar, identificatas, quas non habeat alia.

Tunc ergo necesse est illæ duæ entitates differant specie ac natura, quia prædicatis sibi intimis differunt; vt v. g. visio beatifica, quæ est animæ Christi differt specie in ratione entitatis, à visione beatifica quæ est in anima S. Petri. v. g. quia plures repræsentationes sunt in visione Christi, quàm in visione S. Petri. Aio igitur non esse idem, aliquid habere diuersam speciem seu naturam secundum quod est talis entitas, & secundùm quod talis motus est. Nam potest motus esse in eadem specie, licet illa eadem entitas sit diuersa; vt v. g. motus localis qui est in substantia rationalis animi, si illum consideres quà motus localis est, sententiâ eorum qui nihil acquiri volunt motu quàm locum extrinsecum, nempe superficiem corporis, est eiusdem speciei cum motu corporis, eo quòd est idem terminus ad quem ille motus est; si tamen in ratione entitatis: certum debet esse, ipsum motum localem differre specie à motu corporis, cùm illa entitas motus, qui est in anima, spiritalis sit & indiuidua; entitas verò motus qui est in corpore materialis sit atque extensa.

Simili ratione dico de actibus sensuum, si sensiones ipsæ sint in anima tanquam in subiecto, vt superiore difficultate ex Aristotele ac Platone dicebam. Hinc enim fit vt ipsarum entitas cùm sit immaterialis, quia hominis animo immateriali insunt, immaterialis esse oporteat, ac proinde naturâ differat ab aliarum animarum sensionibus, quæ materiæ affixæ sunt; cùm tamē in ratione sensionis v. g. visionis auditionis, &c. quia tendere videntur in idem obiectum non differant; si verum est actus in tali specie reponi ex obiectis, vt est doctrina Peripatetica lib 2. de An. cont. 33. Idémque dico de potentiis sensuum, si animæ hæreant. Nam in ratione potentiæ non different à potentiis brutorum, licet quà entitates sunt, diuersæ sint speciei tanquam materiale & spirituale. Non different autem actus; in ratione actus, neque potentiæ in ratione potentiæ modo prædicto, quia secundùm eas rationes speciem habent ab obiectis. v. g. Visiua à lumine & colore, &c. quæ respectu earum omniū potentiarum eadem sunt.

Quod si cui videantur eæ potētiæ, iique actus hominis differre specie à potentiis, actibúsque brutorum, is dicat congruenter ad hæc principia actus & potentias distingui ab obiectis non quouis modo, sed in eadem natura substantiali specifica, eo quòd ab obiectis non potentiæ quouis modo distinguantur inter se, sed eæ quarum est idem subiectum. v. g. eæ quæ sunt in leone vna ab alia ex obiectis distinguetur. Idem dico in homine, in equo, &c. Nam alioqui simpliciter

Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles. Aristoteles.

citer diuerſitas etiam potentiarum dici deberet ex principiorum ſubſtantialium diuerſitate deſumi. vt alterius naturæ ſit potentia viſiua v. gr. in homine ab ea potentia viſiua quæ eſt in leone, & ab ea quę eſt in equo, &c. eo quòd cùm ſint proprietates talis naturæ, pro naturarum varietate diuerſæ quoque potentiæ conſequi debeãt. Verùm vt vt ſit de huius rei veritate, de qua alibi copioſiùs diſſeruimus, illud ex dictis in præſenti certum ſit, poſſe eſſe diuerſas entitates actuum & potentiarum, etiamſi circa idem obiectum formale verſentur etiam in ratione actuum, & potentiæ diuerſæ non eſſent. Ex quo deduci poteſt argumentum, quod in fine Notandi ſeptimi moliri cæperamus; nempe quod ponitur in obliquo in definitione progreſſionis, locutionis, &c. (quod nimirum dependeant à vita) non eſſe connotatum. Pro qua re

Notandum eſt nonò, illi entitati actus, qui eſt progreſſio, intrinſecum eſſe & non ſuperadditum, quod à vitali principio coniuncto dependeat. quod de actibus ſenſuum ſuperiore difficultate dicebamus, & ex eo manifeſtum fit, quòd nulla actio dependet à ſuo principio eliciente per aliam actionem intermediam, ſed ſeipſa immediatè eſt ab ipſo. Etenim ſi aliqua ab ipſo principio per aliam intermediam oriretur; ergo quælibet per aliã, cùm non ſit maior ratio vnius quàm alterius, ſicque daretur progreſſus in infinitum. Si ergo ipſa per ſeſe immediate dependet; ergo ipſa non eſt indifferens, vt vel ab hoc vel ab alio principio procedat. Quia vt infra oſtendam omne quod eſt indifferens ad multa, vt potiùs ad vnum determinatum ſit quàm ad aliud, debet per aliquem actum ſeu formam ſuperadditam determinari. Actus enim eſt qui diſtinguit, vt ait Ariſtoteles libro 7. Metaph. cont. 49. Cùm ergo à ſuo vitali principio illa actio proximè atque immediatè manet ſine forma ſuperaddita, non debet eſſe indifferens, vt ab hoc vel illo principio vitali exoriatur: ſed à ſuo determinatè exoriri debet.

Ariſtoteles.

Ex hoc autem fit, vt eſſentialiter ab ipſo eodem illa actio v. g. progreſſio procedere debeat, non autem ab alio quocunque principio. Quoniam ſua entitate eſt determinata vt dependeat à principio vitæ, vt oſtenſum eſt. Aut ergo ſua entitate quæ ſit determinata per rationes indiuiduas, aut per ſpecificas & eſſentiales. non enim dantur tertiæ rationes. Cùm autem non dependeat ab entitate quæ ſit determinata per rationes indiuiduas, vt mox oſtendam; ergo ab entitate quæ ſit determinata per ſpecificas & eſſentiales. Si autem per has dependet à principio vitæ; ergo eſſentialiter pendet ab illo. quandoquidem dependere ab aliquo eſſentialiter nihil aliud eſt niſi dependere ab illo per rationes eſſentiales. vnde ſequitur non poſſe vllo modo pendere ab alio; vt quia viſio eſſentialiter eſt à potentia viſiua, non poteſt non eſſe niſi ab ipſa. Quod enim eſſentialiter eſt tale, non poteſt non eſſe tale.

Quòd autem non pendeat determinata per rationes indiuiduas, patet, quia non dependet ab ipſo principio vitæ, vt hæc vel illa indiuidua progreſſio eſt. nam alioqui extra illas indiuiduas entitates progreſſionis cæterę non dependerent; cùm autem dependeant omnes omninò quæ progreſſiones ſunt; ergo non ſecundum rationes indiuiduas. Quemadmodum ſi viſio ſolùm pen-

A deret à potentia viſiua, quà indiuiduum tale vel tale eſt, non omnis viſio ab ipſa eadem potentia viſiua eſſet. ſicut etiam nec omnis forma materialis exiſteret ex materia, ſi forma materialis, vt hæc aut illa ex materia educeretur. Cùm ergo omnis viſio à potentia viſiua ſit; & omnis forma materialis ex materia, rectè vtrobique dicitur, & viſio quà viſio ex potentia viſiua, & forma materialis quà materialis ex materia eſſe ac dependere; & ſic de reliquis. Ratio eſt, quia particulæ illæ *ſecundùm*, *quatenus*, *quà*, &c. in his & ſimilibus propoſitionibus ſunt notæ earum rationum ac prædicatorum, quæ ex æquo reſpondent ſuo ſubiecto; ſeu quod idem eſt, quæ adæquare ſubiectum debent. vt cùm dicitur: riſibile oritur ex

B homine quà rationalis eſt; non autem quà ſubſtantia, &c. Et calor eſt à virtute calefaciendi quà talis virtus eſt; non autem ſolùm quà calor eſt & ſimilia. ſic enim aſſignantur principia, quæ per ſe principia ſunt effectus, non autem per accidens.

Nam ſi vel magis generalia, aut magis cõtracta dicerentur principia, per accidens dicerentur ſcientiiſq; prorſus inutilia & falſa. Vt ſi aſſimaretur; calor pendet à Sole quà Sol eſt; Aut ab igne quà ignis eſt; aut etiam ab igne quà calidus eſt; cùm pendere poſſit à variis calefaciendi principiis, negandæ omnes eſſent huiuſmodi propoſi-

C tiones tanquam veritati Philoſophicæ repugnantes. Quo pacto quia nec huiuſmodi adæquatio denotatur, cùm dicitur: Homo quà homo ambulat: aut Muſicus quà Muſicus ædificat; aut Polycletus quà animal ſtatuas exprimit, &c. has omnes & ſimiles propoſitiones Ariſtoteles damnat lib. 2. Phyſic. à cont. 33. & deinceps, eo quod prædicatum continet, nulla neceſſitate cum ſubiecto connexum, ſed ſolùm contingenter & per accidens. Enumerare enim ibi Ariſtoteles incipiens has propoſitiones ac ſimiles in quibus prædicatum per accidens ſubiecto eſt, earum ſic exempla ponit. vt ſi dicatur Polycletus eſſe cauſa ſtatuæ, & non quà ſtatuarius. *Quoniam accidit*

Ariſtoteles.

D inquit *ſtatuario Polycletum eſſe*, &c. quia eſſe ſtatuæ cauſam latius putat quam Polycletus. Quia ergo progreſſio in animali non eſt ſecundùm hanc vel illam rationem indiuiduam à principio vitali, nempe à potentia animalis motrice, ſed omnis progreſſio eſt ab eadem potentia motrice, ideò dicitur ab ipſa dependere, quà progreſſio eſt, vt ſit in propoſitione huiuſmodi adæquatio prædicati cum ſubiecto, excludatúrque propoſitio per accidens.

E

Reiiciuntur quædam reſponſiones, confirmatúrque validè in progreſſione eſſe eſſentialem dependentiam à virtute animalis motrice. §. 5.

HVic argumẽto occurri poſſet ab aliquo dupliciter. Primò quidẽ, ſi quis neget omnes progreſſiones debere eſſe ab anima. Nam cùm non omnis motus ſit ab anima, & omnis progreſſio ſit aliquis motus, non neceſſariò omnis progreſſio ab animali procedere debet. Vnde is dicere poſſet, aliquas progreſſiones poſſe eſſe ab Angelo in aſſumpto corpore, quaſdam verò ab animali:

animali: atque ita negaret progreſſionem, ſecundum quod progreſſio eſt eſſe ab anima: ſed diceret progreſſionem ſecundùm talem modum & rationẽ indiuidualem, nimirum quà progreſſio talis eſt, per organa & inſtrumenta animæ eſſe ab ipſa anima. Quemadmodum non omnis vox eſt ab homine, ſed illa quæ tali modo indiuidua eſt, quæ prouenit ex tali virtute per talia hominis inſtrumenta.

Hinc ſecundò reſpondere poſſet is qui diceret; progreſſiones pendere quidem à virtute motrice ſed non animalis, ſed vel animalis vel alterius ſubſtantiæ etiam Angelicæ, cui illa vis inſit. ſicut calefactio pendet à virtute calefaciendi; nõ tamen quæ ſit in igne, aut ſole aut alia ſubſtantia determinata; ſed quæ ſit vel in ſole vel in igne &c. Immò ex hoc dici poſſet aduerſus ea quæ dicta ſunt. Nam etſi progreſſio ſeipſa, & non per aliud ſuperadditum pendeat à vita, tamen non omnis progreſſio etiam eiuſdem ſpeciei pendere debet ab ipſa vita; vt calefactio pendet ſeipſa ab igne; non tamen omnis calefactio etiam eiuſdem ſpeciei eſt ab igne, cùm aliqua poſſit eſſe à ſole, aliqua verò è corporum attritu & cætera.

Verùm hæc neutra reſponſio infirmat noſtram doctrinam quam diximus. Non quidem prima: Etenim progreſſio licèt ſit motus, non tamen eſt ſolus motus, ſed eſt motus talis entitatis & actionis, quæ non eſt indifferens vt pendeat ab hoc aut illo principio, vt oſtendi. Ergo illa progreſſio quæ eſt ab animali eſt talis, vt ſe ipſa pendeat ab ipſo animali, nec pendere poſſit ab alio. Quia, vt dixi, quod ſe ipſo eſt tale, non poteſt non eſſe tale; Vt quia albedo eſt ſe ipſa albedo, non poteſt non eſſe albedo; & ſic de cæteris.

Ex quo vlteriùs contendebamus, omnem progreſſionem in animali ab eius virtute motrice pendere ſecundùm naturam ſpecificam, non ſecundùm rationes indiuiduas. Etenim ſi omnis progreſſionis actus eſt ab ipſa virtute; ergo ab ea eſſe debet non ſecũdùm rationes indiuiduas. Cùm enim omnes illæ progreſſiones, quæ inſunt in animali, ab ipſa virtute motrice proficiſcantur, oportet aſſignare aliquam communem rationem in ipſis actibus ob quam illis omnibus adæquatè conueniat illa dependentia. Sicut quoniam omnis viſio à virtute viſiua pendet, in ipſis videndi actibus dicimus ineſſe rationem aliquam communem, ob quam verum ſit dicere eos omnes actus dependere: ideóque dicimus viſionem quà viſio eſt neceſſariò à tali virtute promanare. At rationes indiuiduæ in prædictis actibus non poſſunt eſſe huiuſmodi ratio communis. nam quod omnibus huiuſmodi indiuiduis conuenit, & non ſecundùm determinatos gradus intenſionis, aut ſecundùm quod ſingularia ſunt, illis conuenit ſecundùm naturam ſpecificam, non autem ſecundùm indiuiduam.

Dico autem *non ſecundùm determinatos gradus*, vt excluderẽ primos, ſecundos, & reliquos gradus intenſionis, quibus fortè conuenit, vt ſint tales determinati gradus, nempe primus aut ſecundus, &c. ob rationem indiuiduam, de qua re alibi. Dico etiã *non ſecundùm quod ſingularia ſunt*: nam ratio indiuidui conuenit omnibus indiuiduis, non tamen ob rationem ſpeciei & naturæ, quæ in illis ineſt; ſed quà ſunt hæc aut illa ſingularia ſicut omnibus indiuiduis conuenit, quòd de nullo prædicentur: quòd de illis ſcientia eſſe non poſſit, &c. His autem exceptis propoſitio eſt vniuerſalis & vera: Nõ enim alia ratione diſtinguimus prædicata naturæ ſpecificæ & indiuiduę, niſi quia quæ ſpeciei ſunt conueniunt omnibus; quæ verò indiuidui non omnibus, ſed quibuſdam in ſpecie ob determinatas rationes. Hinc dicimus, quòd Petrus ridere poſſit, quòd ſit homo & cæt. naturæ prædicata eſſe non indiuiduorum, quà indiuidua ſunt talia vel talia. Contrà verò quòd iuuenes acutiùs videant; quòd ſenes prudentiores ſint, & cæt. hæc namque non ob naturam quæ omnibus communis eſt, ſed ob determinatas rationes, quas determinatis, certiſque indiuiduis aſcribere rectè philoſophi ſolent. Alioqui cũcta rerum prædicata confunderentur, omniſque philoſophandi præcluderetur via. Si ergo dependentia illa in entitate omnium progreſſionum quæ ſunt in animali, conuenit iiſdem illis omnibus, vt etiam obiectio concedit, id neceſſariò erit prædicatum naturæ ſpecificæ non rationis indiuiduæ; cùm præſertim de illis omnibus progreſſionibus prædicetur in quid, quòd ſit dependentia ab animali, ita vt vera ſit hæc propoſitio. Hæc progreſſio eſt actio quæ eſt ipſa formalis dependentia ab animali, & illa ſimiliter, & cætera. Vnde etiam ſub illa ratione communi eiuſdem dependentiæ poſſumus aſſignare varias rationes indiuiduas; vt quòd hæc numero fiat tali modo, illa alio; hæc ab hoc animali, illa ab illo; & ſic de cæteris. Ergo ſignum euidens eſt eſſe prædicatum naturæ, non indiuidui, cuius prædicata ſunt magis determinata ſub illa eadem natura, vt dictum eſt.

Ex his ergo ad obiectionẽ primam dicimus, omnem quidem progreſſionem eſſe motum, ſed non omnem motum eſſe progreſſionem, quæ motus ſpecies eſt. Quocirca licet motus à variis poſſit facultatibus etiam non animatorum dependere, vt patet in elemẽtis & aliis miſtis corporibus; Tamen talis motus nempe progreſſio poteſt ſolius animati corporis actus eſſe, non cæterorum. Neque enim legitimus argumẽtandi modus eſt ſi quod accidens vniuerſe & præcisè ſumptum ſecundùm rationem generalem, non coarctatur ad vnam aliquam ſubſtãtiæ ſpeciem determinatam, ex hoc inferre; ergo neque tale accidens ſub illo communi contentum reſtringi oportet ad vnam talem determinatam ſubſtantiæ ſpeciem. Ex hoc namque oſtẽdi poſſet, nullam qualitatem, atque adeò nullam proprietatem, cuius ſpecificæ naturæ deberi, quia ſecundùm eius rationem communem non debetur vt vllius determinatæ ſpeciei ſit: ac proinde nec tale temperamentum qualitatum; nec talis potentiæ, nec figuræ tales homini aut equo aut cuiuis cæterorum corporum aſſignandæ ſunt. Quippe quarum rerum rationes communes in pluribus naturis ſpecie differentibus reperiuntur. Quę abſurditas à philoſophicis ſcientiis arcenda procul eſt.

De ſecunda obiectione ſimiliter patet non ſoluere noſtrum argumentum. Nã tales progreſſiones non poſſunt depẽdere ab alia virtute motrice, quàm ab ea quæ eſt animalis; quia, vt oſtẽdi, eſſentialiter ab ea manant. ergo falſum eſt dependere à virtute motrice hac aut illa. quemadmodum quia viſio eſſentialiter debet eſſe à poten

potentia visiua non potest dependere ab alia potentia hac aut illa; nempe auditu, olfactu, &c. Vnde est, vt licet cæteræ progressiones aliarum specierum si darentur, penderent ab alia virtute progressiua, tamen hæ quæ essentialiter postulant vim animalis motricem, non possent esse ab alia.

Atque ex hac doctrina patet exemplum illud de calefactione non facere contra ea quæ diximus. nam eodem modo calefactio quæ est ab igne, quia est essentialis dependentia ab igne, ob rationes dictas de progressionibus animalis, non potest esse ab alia vi calefaciendi. Sicut aliæ calefactiones quæ sunt à sole essentialiter sunt ab ipso sole. Quocirca quamuis calefactio, quà calefactio, secundùm hanc generalissimam rationem pendeat à vi calefaciendi secundùm se, non in hoc aut illo subiecto determinato; nimirum vel in igne vel in sole, quia cum illa generali virtute adæquatur; tamen falsum est, calefactiones, quæ sunt ab igne, posse esse à sole, aut ab alia effectrice causa: quia, vt diximus, illa est essentialis dependentia ab igne, & non per aliquid superadditum. Immò nec sunt eiusdem speciei actiones, si entitates illarum spectes: quia, vt diximus, diuersæ sunt essentiales dependentiæ, licèt in ratione effectionis, quia sunt ad eundem effectum veluti via, quæ terminum quà via est respicit, non sint diuersæ species ac naturæ, cùm possint vnica definitione essentiali comprehendi: vt antè de aliis actibus dictum est.

Dixi tamen illas actionum entitates esse essentiales dependentias à sole & igne ita, vt calefactio verbi gratia quæ est à sole non possit esse ab igne: non tamen dixi de calore qui per eam efficitur. Certum enim est vnum eundémque numero calorem ab his diuersis causis gigni posse.

Hinc vlteriùs dico ad obiectionem propositam similes in specie; hoc est eiusdem speciei progressiones, quæ sunt à vi animalis motrice non posse esse ab alia vi, quia tale essentiale prædicatum, quod est in progressione viuentis; quod nimirum essentialiter sit dependentia ab ipsa viuentis virtute, non potest esse in alia progressione, quæ sit ab alia vi, licèt in ratione motus ad tale vbi, seu ad talem terminum eiusdem speciei esse possint. Immò dico ob allatum argumétum ne in diuersis quidem animalib. esse easdem specie progressiones, si eorum vis motiua sit diuersæ naturæ specificæ. Ratio est: quia vis motiua solùm est ad mouendum. vnde si actus & finis sit eiusdem rationis, non posceret vim diuersæ rationis, quia ab eadem esse posset. Mensura autem mediorum est finis exigentia, vt colligitur ex Aristotele libro 2. Ethic. cap. 3. Et certè nos media debere metiri ex fine docet Aristoteles lib. 2. Phys. cont. 88. & A. Doctor. 1. 2. q. 1 & 2. a. 1. c. Hoc posito ostendi potest quod dicebamus in fine septimi & octaui Notandi: Nempe quod in definitione progressionis ponitur in obliquo non esse connotatum. Pro qua re

Aristoteles. A. Doctor.

Notandum vltimò definitionem progressionum quæ in animali sunt, assignari posse huiusmodi, vt maximè aduersariis fauere videatur; nempe vt ponatur in recto motus localis: dicatúrque progressio est motus localis, proueniens ex virtute animalis motrice pro ipsius appetitu per organa naturaliter ad eum finem constituta,

A quæ definitio colligitur ex Aristotele libello de animalium motu cap. 5. At in hac definitione quod ponitur in obliquo non est connotatum; nempe dependentia ex virtute motrice. Quod probatur manifestè: nam illud non est connotatum alicui rei, quod est ipsi rei substantiale. hæc enim duo contraponunt ex aduerso contrariæ sententiæ auctores, vt vidimus. At illi motui qui est progressio substantiale atque essentiale est, vt sit dependentia ex virtute motrice animalis, vt probatum est, ergo non est connotatum. quæ etiã Minor confirmari potest ex A. Doctore in hoc a. 3. c. vbi ex eo probat huiusmodi *processionem quantum ad id quod est proprium viuentium*, non posse esse ab Angelo, quia est *opus vitæ*, ac proinde huiusmodi actum ab eo debere procedere cuius est potentia: quia *eiusdem est actio cuius est potentia*, népe à qua procedit. Ergo supponit hunc actum debere procedere essentialiter à potentia motrice animalis. Aristoteles. A. Doctor.

B

Etenim si essentialiter non procederet ab ipsa potẽtia; Primò nõ essent inter se necessariò connexa hæc duo; nempe progressio & vita animalis sed per accidẽs, vt cætera entia, quæ ipsi vocãt connotatiua. vt non est necessariò connexa cauitas cum naso, vt sit simum, nec comestio cum tẽpore vespertino vt sit cœna, & sic de aliis. quod

C etiam ipsi fatentur, cùm velint progressionem eiusdem rationis ab Angelo esse posse; & idcircò ipsi negent esse dependentiam essentialem à vita; vt eam esse posse affirment ab alia potentia quæ non sit vita. At huiusmodi dependentia est necessariò connexa cum vita ex A. Doctore. Ex eo enim quod progressio est opus vitæ, & à vitali potentia infert impossibile esse aliquid *habere opus vitæ quod non habeat vitam, quod est potentiale principium talis actionis.* Ergo hæc duo putat esse necessariò inter se coniuncta; nempe opus vitæ scilicet progressionem, eiúsque principium vitale, quod est vita. quandoquidem vitam neces-

A. Doctor.

D sariò requirit, vt sit opus vitæ, ideóque negat in alio subiecto vbi vita non sit reperiri posse.

Neque dici potest, hæc esse quidem connexa non simpliciter secundùm suas entitates, sed secundùm denominationem qua dicitur opus vitæ. eo quòd licèt progressio, locutio, &c. nulla necessitate cum vita connectatur; tamen vt denominetur opus vitæ, necessariò à vita procedere debet. quemadmodũ color nullum cũ visione nexum habet, si secũdùm entitatem coloris consideretur; vt tamẽ denominetur visus seu cognitus, à visione necessariò pendeat oportet. Hoc inquam dici nequit. nam quotiescunque est connexio inter actum ipsum & potentiam, est cõnexio

E inter ipsa secũdùm entitatem, non autem secundùm solam denominationem. At A. Doctor, vt patet ex verbis citatis putat esse necessariam cõnexionẽ secundùm entitates non secundùm solã denominationem, quia putat esse necessariã connexionem inter actum qui est opus vitæ, & potentiam quæ est vita. Maior est clara: cùm enim ipse actus & potentia sint quædam entitates, si est connexio secundùm actum & potentiam, est connexio secundùm entitates. Minor probatur: quia A. Doctor probat, impossibile esse dari opus vitæ vbi non est vita. quia *Eius actio est, cuius est potentia* ex Aristotele libro de Somno & Vigilia cap. 1. ergo opus vitæ connecti putat cum vita, quia est actus eius potentiæ. Immò vlteriùs sequitur

A. Doctor. Aristoteles.

sequitur esse nexum necessarium inter hæc duo præcise ab omni denominatione, quia nexum hunc inter opus vitæ & vitam deducit ex eo, quòd opus vitæ est actus illius potentiæ. si autem id ei conueniret ob denominationem, non esset ex eo quòd est actus eius potentiæ. ex hoc enim non esset connexio, cùm possit ab alio fieri, sed ex eo quòd inde deriuatur talem denominationem. Qua ratione color hic non dicitur visus à Petro, quia sit connexum cum visione Petri; sed quia ea posita denominatur à Petro visus. vnde dispar ratio est exempli allati, & potiùs nobis fauet. Atque hoc primum sit argumentum.

Deinde probo essentialiter procedere ab ipsa potentia motrice hunc progressionis actũ. Nam alioqui non esset opus vitæ procedens ab ipsa eadem potentia, nisi per formam superadditã. sublata enim forma extrinsecus addita ille actus ex se non esset ab ipsa potentia, vt antè dicebamus: quia ex se non esset dependentia ab ipsa. Aut si dicant ex se esse; vt ita sit ipsius potentiæ opus vitale; ergo essentialẽ fatentur eã dependentiam esse: idque non solùm quia probatũ est actionem quæ immediatè dependet à potentia, non secundùm rationes indiuiduas, essentialiter dependere ab ipsa, verùm etiam, quia omne opus vitæ essentialiter dependet à suo principio eliciente; vt ostensum est superiore Difficultate. Hoc ergo modo verum est illud axioma: *Illius est actio cuius est potentia*, si actio nimirum ex se dependentia sit seu dependeat, & ex sua natura ab ipsa potentia: nam si dependeat per accidens, non est actio eius cuius est potentia. vt patet; si quis ædificator ædificet ad cantum alterius, sine quo ille nollet ædificare; tunc illa ædificatio, quæ per accidens dependet à Musico, non est actio eius cuius est potentia; nempe cuius est canendi facultas. Atque hæc argumentatio sit; si definitionem componamus ad mentem aduersariorum.

Sin autem aliter nec absurdè dicamus; adhuc minus negotij in præsentia transigendum erit. Dicamus ergo progredi esse mouere seipsum; nempe per actionem, quę impellit seu determinat vitales spiritus neruos ac reliqua huiusmodi organa ad motum; tunc mouere seipsum erit habere actum, quo potentia exequens in suis spiritibus ac membris efficiat, ac recipiat motum. Sicut enim mouere alia à se est habere actum, quo determinatur mobile, vt per virtutem impressam eliciatur motus in iis quæ mouentur impellente aliquo; ita mouere seipsum est habere actum determinantem, vt potentia, & virtus motrix in suis membris quæ mouentur imprimat, eliciátque motum. Ergo progressio erit motio seu actus, quo animalia per virtutem suam suas partes ac membra mouent.

Valet enim argumentum à coniugatis; vt si amare est velle bonum alicui; ergo amor est voluntas, qua alicui bonum volumus. Hac etenim ratione argumentatus est Aristoteles libro 7. Topic. cap. 2. loco 25. nempe *ex casibus & coniugatis. Necesse est enim* inquit *consequi genera generibus, & terminos terminis. vt si obliuio est scientiæ amissio, & obliuisci amittere scientiam erit; & oblitum esse amisisse scientiam.* Et rursus: *si corruptio dissolutio substantiæ; & corrumpere dissoluere substantiam, & corruptiuè dissolutiuè*, &c. & concludit. *Vno igitur quolibet eorum quæ dicta sunt confesso, necesse est & reliqua concedi.* (Aristoteles.)

Ex his igitur progressio erit ille actus potentiæ, quæ est appetitus, quo determinatur potentia motrix exequens elicere motum, qui est in membris. Debet enim esse appetitus actus, quo ex potentia motrice membra motum cõcipiunt in brutis; sicut in homine est voluntatis imperium. Vnde Aristoteles libro 2. de Gener. animal. ca. 4. docet, cor in animali esse partem mouentem; quia nimirum, vt obseruat A. Doctor q. vn. de spiritual. creatu. a. 3. ad 4. Aristoteles putauit cor animalis esse sedem appetitus, ad cuius actus determinationem, & veluti imperium à potentia motrice, producatur motus in membris. Vnde idem A. Doctor infrà q. 75. a. 3. ad 3. ait virtutem motricem in animali esse duplicẽ. *Vnam quæ in animali imperat motum scilicet appetitiuã; & huius operationes in anima sensitiua non sunt sine corpore; vt ira gaudium*, &c. *Alia vis motiua* inquit *est exequens motum, per quam membra redduntur habilia ad obediendum appetitui, cuius actus non est mouere, sed moueri.* Loquitur enim more Aristotelico. constabit enim infra ex Aristotele illa aliquid aliud mouere, quæ illud ad motum determinant, etiamsi illud in se habeat principium quo eliciat suum motum. Vnde vt ibi dicemus, elementa Aristoteli non mouentur à seipsis, sed ab eo qui ea extra suum locum genuit, vel ab eo qui impedimenta motus abstulit, etiamsi elementa sua virtute motrice motum suum eliciant, eo quòd tam generãs, quam remouens prohibens, huiusmodi grauia & leuia ad motum determinant, causáque sunt vt ipsa suum inchoent motum. Pari ergo ratione exequens facultas motrix quia determinatur imperante appetitu etiamsi motum eliciat, ab alia facultate moueri dicitur ab A. Doctore, atque adeò ab ipso Aristotele. (Aristoteles. A. Doctor. A. Doctor.)

Præter appetitum est in animali facultas motrix residens in organis, concluditúrque dependentiam actus progressionis à facultate motrice non esse connotatum. §. 6.

QVòd verò præter appetitum sit alia facultas motrix residens in organis clarum est. nam illa sublata per organorum læsionem, quãtumuis appetitus iubeat motum, non mouebitur animal, quia deest potentia exequens motum in suis organis, quantumuis sint partes corporeæ, quæ moueri aptæ sunt. Nec potest dici non moueri, quia desunt instrumenta quib. appetitus immediatè moueat. nam diuersa instrumenta arguunt diuersitatem potentiarum. Naturæ enim id curæ fuit, vt vnum instrumentum ad vnum aptaret, vt docet Aristoteles libello de Iuuent. & senect. cap. 11. Ergo vnum instrumentum est vnius potentiæ non duorum. ergo appetitus cùm habeat sua instrumẽta ad appetendum, eius tanquam exequentis & eliciẽtis motum, non erunt instrumenta ad mouendum, sed alterius potentiæ exequentis atque elicientis motum. Quod inter cæteros optime obseruauit A. Doctor opusc. 43. cap. 5. vbi expressè docet (Aristoteles. A. Doctor.)

ad

ad motum animalis tres potentias conspirare. A *Quia quædam* inquit *est per modum dirigentis*; & has ait esse phantasiam & æstimatiuam; quibus appetitui ostenditur, quid prosequendum quidve fugiendum sit. *Quædam per modum imperantis*. quam putat esse appetitum eiusque partes, concupiscibilem nimirum atque irascibilem, quarum altera appellitur anima ad obiectum, altera retrahitur ab illo. Quædam per modum exequentis. hæc autem *est* inquit *vis exterior, quæ diffusa est in musculis, lacertis, & neruis membrorum.* ergo est facultas motrix.

Non tamen negarim Aristotelem eius præcipuè motricis facultatis meminisse, quæ suo imperio determinat animal ad motum, quæ est appetitus. Ait enim libello de Animal. motu B cap. 4. appetitum esse vltimum actum ex quo motus existit. Animal enim *quod appetit* inquit *illud statim facit, &c. Bibendum mihi concupiscentia dicit; hoc autem esse potabile sensus dixit aut imaginatio aut intellectus, mox bibit. Sic igitur ad motum & ad operationem animalia impelluntur, existente quidem vltima causa illius moueri, appetitu.* Id verò dixit Aristoteles, quia loquitur absolutè de principio

Aristoteles. mouente, quod vt dixi, Aristoteli est principium quo determinatur vis exequens, vt eliciat suum motum. non enim ob aliam causam dixit elementa ab alio moueri; nempe vel à generante, vel ab ipso obstacula remouente vt iam dictum est. C

Iam ergo quia diximus progredi esse actionem, quæ essentialiter à potentia animalis motrice est, non erit in præsenti opus amplius probare, hanc progressionem esse opus vitæ, ab eáque necessariò pendere, eámque potentiam non tanquam connotatum inuolui. Nunc igitur restat vt etiam ostendamus actum illum qui imperat motum, & est progressio velut actiua, non inuoluere vitam tanquam connotatum. Quod quidem facilè dabunt aduersarij. quandoquidem illa progressio est actus elicitus appetitus. ergo substantialiter est actus vitalis, ac proinde est essentialis dependentia à vita; vt de sensionibus super. Difficult. comprobatum est. Vnde sequitur, vt dependentia ab hac potentia motrice D in definitione progressionis non sit connotatum, quia ipsa dependentia ab anima est illa actio appetitus. per illam enim motus in membris dependet ab ipsa; At hæc actus dependentiæ non est connotatum sed substantialis. Id quod dupliciter patet. Primò, quia non est quid superadditum, vt ostendimus; ergo est ipsa actio. Secundò, quia hoc pacto mouere per appetitum est agere substantialiter; ergo progredi hoc pacto est agere substantialiter; quia nimirum ita progredi substantialiter, est mouere nempe potentias, organa, & seipsum. ergo progressio est actio ab ipso appetitu tanquam à suo vero principio, E & vitali potentia. actio autem est essentialis dependentia à suo principio vt probatum est. Ex his ergo omnibus constat, non rectè dici progressionem hoc pacto esse substantialiter motum, & potentiam vitæ seu ordinem ad illam connotari, cùm ostensum sit esse progressioni substantialem, & quidem præcipuum.

* * *

Propositæ difficultati respondetur, has actiones substantialiter esse non posse in assumptis Angelorum corporibus. §. 7.

His positis ad Difficultatem respondetur, & sit

Vnica propositio. Progressio, locutio, actus comedendi & similes, substantialiter ac propriè non possunt exerceri ab Angelis in corporibus assumptis. hæc propositio est auctorum secundæ sententiæ, vt vidimus. Probatur autem propositio hoc vnico argumento; quod ex dictis habet euidentem veritatem; quia omnis actus, qui secundùm sua essentialia pendet à determinata potentia viuentis corporis, non potest substantialiter ac propriè exerceri in corporibus Angelorum assumptis, vt aduersarij cõcedunt, & ostensum est superiore Difficultate. quia nimirum actus qui secundùm essentialia pendet ab aliquo principio, non potest elici nisi ab illo. Alioqui secundùm sua essentialia esset sine dependentia ab illo principio; atque ita esset cum suis essentialibus, & sine illis, quod repugnat. Ergo non potest exerceri ab Angelo, cuius non sunt huiusmodi potentiæ viuentis, vt suprà diximus. At progressio, locutio, actus comedendi, & similes secundùm sua essentialia pendent à determinata potentia viuẽtis corporis. ergo non potest exerceri ab Angelis.

Minor probatur quadrupliciter: Primò, quia progressio (idémq; dicã de reliquis) est depẽdentia essentialiter à vita corporis, vt ostensum est Notando 9. Ergo secundùm sua essentialia pendet à potentia viuentis corporis. idem enim est essentialiter & secundùm essentialia. Nihil autem à vita corporis pendet, quod non pendeat à potentia viuentis corporis, quia vita corporis substantialiter non agit, nisi per medias potentias viuentis corporis, siue eæ distinguantur, siue non distinguantur à vita. Anima enim bruti nec audit nec agit nisi per auditum, visum, &c. quæ sunt potentiæ viuentis corporis. Secundò, quia dependentia à vitali potentia corporis ponitur in definitione progressionis, & non tanquam connotatum, vt probatum est Notando vltimo; ergo tanquam essentiale prædicatum. nam, vt diximus Notando 9. hæc duo sunt immediatè opposita, si vnum negetur necesse est affirmetur alterum. Si autem dependentia ab huiusmodi facultate est essentiale prædicatum progressionis; ergo ipsa pendet secundùm sua essentialia prædicata ab ipsa facultate. Tertiò, quia si progressio non penderet à vita secundùm sua essentialia; ideò esset, quia nõ ponitur in recto in ipsa definitione. at hoc dupliciter peccat: Primò, quia vt diximus Notando 5. & 6. regula illa est fallax. Secundò, quia si illud quod ponitur in recto, est secũdùm essentialia; ergo illud quod etiam ponitur in obliquo, quia est magis proprium, vt dixi Notando 7. Denique quia esto non sit à potentia motrice vt motus est; tamen est vt talis motus, nempe vt progressio, vt ostensum est Notãdo 8. Ergo pendet secundùm essentialia.

Quid sit loqui, & an Psittaci loquantur, vbi de serpente in Paradiso & aliis. §. 8.

COlligitur primò eandem esse rationem de locutione, atque de progressione. est enim loqui, formare voces per organa ad eas apta. quod idem est ac mouere actiuè, vel imprimere motum in labiis ad voces edendas. Quare labia recipiunt motus, potentia agit. Itaque est actio, qua potentia illa motrix linguæ determinatur, vt sonos edat per labia, vt diximus de progressione. Illa autem actio est opus vitæ atque ita essentialiter dependet à sua vitali potentia; ergo non potest esse ab alio principio, vt dictum est; ergo nec loqui seu locutio potest esse ab Angelo in assumpto corpore, de qua eodem modo philosophandum est, vt dixi de progressione.

Gen. 3. Vnde vlteriùs sequitur, cùm serpens in Paradiso locutus est cum Adamo *Cur præcepit Deus*, &c. & cùm asina cui insidebat Balaam, verba illa protulit Angelo operante Numer. 22. non fuisse veras locutiones; vt docet A. Doctor q. 6. de Veritate a. 5. ad 3. & 4. & 1. 2. q. 165. a. 2. ad 4. Ratio est: quia nec serpens nec asina actiuè sibi formabant sonos, quia non habebant actum illum determinantem potentiam executricem, quæ imprimeret motum in labiis. ex quo etiam fit, vt si animus, quod ait Aristoteles sect. 3. probl. q. 30. intentus aliquibus curis, aut vinolentia oppressus non imperet locutionem, non possit esse locutio ex appetitu determinante potentiam motricem. Inde enim, inquit, nempe ex appetitu, *omne loquendi initium ducitur.* Videbantur autem loqui illa prædicta animantia: nam, vt ait A. Doctor locis citatis *non quia daret illis dæmon aut Angelus virtutem loquendi, sicut datur mutis per miraculum; sed quia ipsemet per aliquem motum localem sonum formabat literatæ & articulatæ vocis similitudinem & modum habentem.* Nec dissimili modo ait fuisse locuta simulachra, quæ antiquitus loqui credebantur, nisi quia dæmon in aëre sonum formabat *ad similitudinem humanæ locutionis.*

Quo etiam modo credendum esse ait locutum esse canem Simonis Magi; simulachrum fortunæ, & alia bruta. Nec aliter dici potest, etiamsi capita hominum præcisa locuta sint. Vt cùm sacerdotis cuiusdam caput à corpore auulsum homicidam indicauit. quæ *res adeò pro vera habita est* inquit Aristoteles libro 3. de Partibus cap. 10. *vt reum quendam ex incolis egerint, comperiiq; in iudicium duxerunt*, &c. Non inquam aliter dici potest. nam naturaliter *fieri non potest* inquit ibi Aristoteles, *vt caput præcisa arteria & sine motu pulmonis loquatur. nec apud barbaros qui capita summa cum celeritate abscindunt, tale quid vnquam euenisse accepimus.* ergo si fuit, ope dæmonis fuit vocem in aëre formantis. nam non potest dæmon supplere naturalis causæ efficientiam cùm ipsa causa abest; vt sæpè diximus. nec Deum dicemus hæc miracula patrasse ad dæmonum falsitates confirmandas. Ab Angelis etiam simili ratione formatas in aëre esse voces, cùm capita sanctorum è collo recisa verba protulerunt, dicendum est. Vt cùm venerabiles illi Africæ confessores radicitus abscissis linguis in persecutione Vandalica elatè loquebantur. id enim Angelorum operâ factum fuisse patet; quia etiam locutiones in rubo, & aliis apparitionibus ab Angelis manarunt, qui vim naturæ supplere per voces ex motu linguæ in aere formatas, poterant. Verùm verò Deus possit supplere organum linguæ ad propriam locutionem, dicetur in Tertio *Colligitur.*

Quæri hîc posset obiter; an Psittaci propriè loquantur: nam Aristoteles sect. 11. probl. qu. 1. negare videtur, cùm ait, *nullum loqui ex cæteris animalibus potest, sed homini tantùm facultas hæc data est:* ex alia parte nihil videtur deesse ad locutionem, quia est actus animæ appetentis determinans potentiam motricem ad motum linguæ, sonum formantis. quod enim quidam requirũt, vt fiat animo significandi alteri suas mentis conceptiones, superfluum est ad essentiam locutionis; quia hominem sæpè dormientem loqui nouimus, vbi deest id consilij; Fateor tamen ad perfectam locutionem id requiri, de qua ibi videtur locutus Aristoteles. Perfecta autem locutio non est sine his adiunctis; sicut nec perfectus homo est, nisi oculos ac pedes habeat, &c.

Ex quibus vlteriùs manifestum est, ridiculum esse quod scribit Porphyrius libro 3. περὶ ἀποχῆς, &c. nempe sua ætate constantem de Apollonio Tyanæo opinionem fuisse, ipsum garritus auium intellexisse. vnde cùm hirundinem (alij malunt passerem) garrulo cantu cæteris obstrepentem audisset, ait sodalibus dixisse Apolloniúm, hirundinem illam significasse cæteris, asellum frumento onustum cecidisse, frumentúmque effusum ante vrbem esse. Hæc inquam risu digna sunt: neque enim bruta quæ ratione carent vocem ad placitum, atque ex instituto significatiuam proferre possunt, vt hominibus rerum notitiam imprimant. Natura enim licèt bestiis dederit, vt appetitum affectúsque suos vocibus indicarent, vt dolorem voluptatem, &c. Tamen quæ extra eueniunt, præsertim quæ casu contingunt, nonnisi variis nominibus ex hominum consensione prolatis significari possunt. neque enim rerum nomina sunt à natura, quæ non vnam potiùs vocem ad vnum significandum, quàm ad aliud instituit. Alioquin quælibet res à natura haberet suum proprium nomen, nec vlla vnquam ex nominum ambiguitate deceptio esset. Qua de re alibi in libris Periherm. ex Platonis ac Peripateticorum sententia disputatum est.

Actus comedendi non potest esse in assumptis corporibus, bene tamen in Christi corpore rediuiuo: ostenditurque similes actus ne de potentia quidem Dei absoluta in illis corporibus verè esse posse. §. 9.

COlligitur secũdò, non dissimili ratione philosophandum esse de actu ridendi & comedendi, quos negandum omnino est posse exerceri propriè in corpore illo assumpto. Nam idem est ridere & mouere se ad illum talem motum in organis, quibus internoscitur animæ hilaritas. Est ergo actus animæ mouentis. Vnde definiri

definiri solet risus à Philosophis, vt notauit collegium Conimbricense lib. 3. de An. in cap. 13. q. 1. a. 6. *Concutatior quidam animi ex re iucunda motus ad conceptum intus gaudium explicandum, quo thoracis, & oris musculi mouentur*, &c.

Conimbr.

Eodem modo dico de actu comedendi non propriè conuenire Angelis, vt ait A. Doctor in hoc art. 3. ad 5. vnde apparet accuratiùs ipsum hoc loco disputasse, quàm in q. 6. de Pot. a. 8. ad 8. vbi licèt neget, ipsum actum tribui posse Angelis quantum ad finem nutritionis; tamen eundem Angelis concedere videtur *simpliciter quantum ad comestionis actum*, vt ipse loquitur. Verum ergo est propriè non posse. Rationem etiam optimam indicauit idem A. Doctor in hac q. 51. a. 3. ad 5. Quia *comestio* inquit *est sumptio cibi comestibilis in substantiam comedentis*. Quia ergo est actus viuentis sumentis, hoc est traiicientis in stomachum cibum conuertibilem, non potest esse in Angelo.

A. Doctor. A. Doctor.

Aliter probat Abulensis in cap. 7. Exodi q. 11. vbi negat posse Angelos comedere. quia *de ratione comestionis* inquit *propriè dictæ non solùm est cibi diuisio ad partes minutas, qualiter in stomacho digeri debeat, vel eius traiectio ad partem anteriorem, sed quòd ille qui comedere debeat, habeat potentiam nutritiuam, ita quòd cibum illum transmutare possit in substantiam.* Ratio autem hæc nimis multa complectitur. nam si quis nec diuideret cibum, nec haberet proximam potentiam transmutandi in substantiam suam, modò vitali actione sumeret, hoc est per naturalia instrumenta, traiiceret cibum in stomachum, verè comederet, vt patet in iis qui incommodè valent, qui integros bolos deglutiunt, nec ventriculo retinent.

Abulensis.

Quo pacto A. Doctor ibidem ad 5. ait, Christum Dominum verè comedisse post resurrectionem, quando *obtulerunt ei fauum mellis, & partem piscii assi* Lucæ vltim. cuius tamen corpori vtpotè glorioso, vt ait A. Doctor eodem a. 8. ad 8. citato *non erat tunc aliquid addibile*.

A. Doctor. Luc. vlt.

Quòd autem Christus verè comederit docet A. Doctor exprefsè vtroque loco citato, & Abulensis vbi suprà; éstque communis sententia Scholasticorum in 2. d. 8. éstque omnium expositio in illum locum Lucæ vlt. Et patet, quia id Christus exhibuit in argumentum suæ resurrectionis. vnde Act. 3. dicitur: *Dedit illum Deus manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis à Deo, qui manducauimus & bibimus cum illo.* Quocirca S. Augustinus lib. 13. de ciuit. Dei cap. 22. licèt de Angelis dubitari posse dicat; An verè comederint, tamen nefas esse ait vllum dubiũ excitare de Christi comestione. *Certè inquit fides Christiana non dubitat, quod etiam post resurrectionem iam quidem in spiritali carne, sed tamen vera cibum & potum cum discipulis sumpsit: non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus aufertur. vnde & spiritalia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu viuificante subsistent.* In quibus agnoscis verum edendi actum fuisse, & veram eius causam; quia scilicet comedendi retinuit facultatem. ergo putat vbi non est huiusmodi causa, nec posse talem effectum reperiri.

A. Doctor. Abulensis. Act. 3. S. August.

Verè itaque comedit, quia vera fuit cibi sumptio vitali potentia per instrumenta oris ad hunc finem instituta, in verúmque viuentis ventriculum traiecti. Quod integram comedendi essentiam in actione vitali consistentem comprehendit.

A Ex quibus apparet cùm Scriptura docet Genes. 18. & 19. Angelos comedisse, id accipiendum esse secundùm similitudinem; quia cibos ore videbantur sumere, ac dentibus terere, atque in ventrem demittere. Qui tamen nihil aliud erant præter ipsum motum localem, nullo autem modo viuentis actio. qui motus à voluntate Angeli in corpus deriuabatur ad significandum mysterium; Nimirum quia vt ait sanctus Augustinus libro 16. de Ciuit. Dei cap. 29. Abraham existimans eos esse homines obtulit cibos, sed in iis Deum venerabatur, sicut solet Deus esse in prophetis. Itaque comestio cùm sit actio vitæ per organa ad id instituta non poterat in Angelo reperiri. B

Gen. 18. & 19. S. August.

Colligitur vltimò ne per potentiam quidem absolutam Dei posse Angelos hos actus verè in assumptis corporibus exercere. Nam fieri non potest ob intimam rerum repugnantiam, vt actio illa quæ est essentialis dependentia à principio vitæ sentientis, fit in eo subiecto in quo non potest esse vita sentiens: in Angelo autem non potest esse vita sentiens. siquidem ei repugnat vniri cum corpore tanquam forma. At de ratione sentientis vitæ est, vt sit corporis forma; ergo nec potest esse huiusmodi actio; nempe progressio, locutio, actióque comedendi. quæ vt diximus, sunt actiones vitæ sentientis, ac proinde essentialiter dependentes ab huiusmodi vita. C Et ita Aristoteles libro 2. de Anim. cont. 13. loco moueri posuit inter actiones eiusdem animæ, & cont. 24. ibidem vnum gradum animæ sentientis perfectiorem posuit, cùm in definitione animæ dixit esse *principium primum quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus.* Similiter de locutione patet: quia non est alterius animæ actus, cùm requirat organa, quibus ea functio fiat tanquam motus ex actu appetentis, vt suprà diximus. vnde quod quidam dixerunt, Sacerdotes illos linguis exsectis verè esse locutos *supplente Deo vicem partium desectarum in genere causæ efficientis*, mihi non omninò verè dictum videtur. cùm enim ad locutionis essentiam duo actus concurrant oporteat; nempe actum appetitus determinantis potentiam motricem, & actum eiusdem potentiæ quæ est motio linguæ & labiorum aërem percutientium ad edenda verba, debent iidem duo actus esse in omni loquente necessariò & essentialiter. At in prædictis Sacerdotibus, quorum lingua exsecta erat, non potuerunt esse: nam actus potentiæ motricis qui debuit esse in organo linguæ percutientis aërem non fuit. nec hic potuit suppleri à Deo, quia est actus essentialiter dependens à principio vitæ, nempe à potentia motrice, sicut & progressio, cæteríque similes actus, vt ostensum est. vnde sicut Deus nõ posset sua potestate facere vt in corpore mortuo etsi crura moueret & ambularet, esset vera progressio, quia ille motus non esset à vita, ita etiam nec potest supplere, vt in ore eius, cuius lingua auulsa est sit vera locutio, quia motus ille non est à vita. Nec satis esset labiorum, quæ remanserant motus. nam locutio vera essentialiter est motus ex potentia, quæ vtrumque instrumentum moueat. non enim est ratio cur potiùs essentialiter consistat in vnius quàm in alterius motu.

Aristoteles.

D

E

Denique de actu comedendi non difficilè probatur: quia licèt nutritio actus sit animæ vegetantis, tamen ipsa cibi sumptio, quæ via

est ad nutritionem debet esse ab anima appetente, quæ apprehensione delectabilis moueatur ad illum actum appetitus determinantis potentiam motricem, quæ organa moueat ad fracturam cibi &c. Hoc enim propriè est comedere, vt nunc suppono ex alibi dictis.

Ex quibus etiam palàm est, non magis hæc vitæ opera posse ab Angelo in assumpto corpore exerceri, quàm ipsæ sensiones, de quibus suprà egimus. Nam vtrobique sunt actiones vitæ, eodemque modo secundùm se essentialiter ipsam vitam postulantes, nisi quod vt rectè obseruauit A. Doctor q. illa 6. de Verit. a. 8. in c. sensus non solùm sunt ab anima tanquam à principio, sed etiam terminantur ad animam, & ad corpus animatum; quia scilicet nullum effectum extra ipsum viuens habent. At verò illæ prædictæ licèt sint ab anima tanquam à principio, tamen terminantur ad aliquem externum effectum, sicut patet in locutione qua percutitur aër, & fit sonus in ipso aëre percusso vsque ad aures astantium. In progressione similiter, qua locus externus acquiritur: & denique in ipso actu comedendi, quo cibus extrinsecùs sumitur, pérque ora in ventrem traiicitur. Vnde fit, vt illas functiones sentiendi nullo modo obeat Angelus, has verò exerceat secundùm illos externos effectus, quia per corpus verè acquiritur locus, tunditur seu frangitur cibus; vox illa auribus insonat. quæ *tamen* inquit ibi A. Doctor *non erit verè naturalis actio, sed similitudo talis actionis.*

Satisfit argumentis aduersantis sententiæ. §. 10.

EX his respondetur ad argumentum initio difficultatis. Respondeo enim si dæmon corpus demortui sumeret, non posse per illud vitaliter progredi, vt ostensum est. quia illud mouere non posset per actum determinantem motricem facultatem ad exercitium eius motus, qui recipiatur in membris. quod est progredi vt ostẽsum est. vnde duplicem ob causam illud corpus virtute Angeli non progrederetur: Primò quidẽ, quia eius actione non determinaretur facultas motrix, quæ sit vita; & præterea quia motus non eliceretur à potentia motrice in membris Angeli viuentis tanquam in subiecto, quanquam hoc posterius manat à priore.

Ad illud de locutione satis dictũ est in Primo *Colligitur*, vbi etiam diximus de responsis oraculorum. producunt enim dæmones in aëre sonum voci humanę persimilem adstantium auribus insonantem, vt ex A. Doctore diximus, & obseruat Abulensis in cap. 7. Exodi q. 15. quo pacto Aristoteles 2. lib. de An. cont. 87. docet, quosdam pisces branchiis, & nonnulla instrumẽta videri vocem emittere, eo quòd quosdam sonos quasi articulatos instar humanæ vocis exprimere videntur; scilicet ad eum ferè modum, quo cauæ valles exceptas ac repercussas voces suis articulis distinctas reciprocant. vel cùm inflatis pneumaticorum organorum fistulis soni in varios concentus ac tonos discriminantur.

A. Doctor. Abulensis. Aristoteles.

Ad illud tandem de actu comedendi, satis est quod habemus ex ipsa Scriptura sacra Tob. 12. Angelum non verè comedisse, quia vt etiam ait A. Doctor loco citato ad 5. dicitur ibi ab Angelo:

Tob. 12. A. Doctor.

A *Cùm essem vobiscum videbar quidem manducare ac bibere, sed ego cibo inuisibili ac potu vtor.* Et ratio omniũ horum est, quam suprà diximus: quia eiusdem est actus cuius est potentia. non est autem Angelicorum corporum potentia comedendi, quia hæc est eius solius vitæ, quæ est actus corporis. nec aliter potest esse; cùm sit eius cui cõnaturalis est, aut certè esse potest informatio corporis: cuiusmodi non est Angelus; ergo neque eius esse poterunt huiusmodi actiones.

Haud tamen ignoro aliter legi ea prædicta Tobiæ verba apud nostrum Serarium in cap. 12. Tob. q. 15. vbi cùm dicitur: *Videbar quidem vobiscũ manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili vtor,* &c. putat illud verbum *videbar* non esse iungendum B cum illis aliis *manducare & bibere*, sed absolutè positum esse, vt sensus sit: Vobis apparebam, & sub aspectum vestrum cadebam, & neque comedebam neque bibebam. Verùm hæc nostræ sententiæ non obstant. nam etiamsi intelligatur. Videbar, hoc est vobis apparebam; tamen necesse etiam est, vt hoc ipsum *vobis apparebã* regat subsequens infinitum; nempe manducare & bibere, cùm nullum aliud sit verbum quo niti possit, & ideò dici debet *apparebam vobiscum manducare,* &c. vnico sermonis contextu. Vnde S. Augustinus hoc etiam pacto eadem verba intellexit libro illo 13. de Ciuit. Dei cap. 22. Cùm enim dixisset Angelos in phantasmate non edisse, cùm ij ab C hominibus hospitio suscepti sunt, quamuis cùm Angeli ignorarentur; existimati sint ob similem indigentiam qua homines cibum sumunt, alimento vesci. subdit de Tobiæ Angelo: *Vnde quod ait Angelus in libro Tobiæ: videbatis me manducare, sed visu vestro videbatis, id est necessitate reficiendi corporis sicut vos facitis, me cibum sumere putabatis.* Vult ergo illud verbum apparebam vobis, etiam iungi cum illo infinito manducare, & bibere. Neque alia est A. Doctoris sententia, vt vidimus. nec aliter aut Scholastici in 2. dist. 8. aut interpretes illum locum intelligendũ esse opinati sunt. Huc quoque alludere videtur Theodoretus quæstione 68. in Genes. cum ait, Angelos visos esse co- D medere. subditque: *quemadmodum enim illi natura cùm sint incorporea, tamen & ipsi & ipsorum Dominus visi sunt habere corpora (ita enim apparuerunt) sic visi sunt edere non cibum inferentes in os & ventrem (neque enim corpora habebant) sed consumebant cibum prout illis placuit. extrema enim dementia est rationem arcanorum curiosè indagare.* Hæc ille.

Serarius. S. August. A. Doctor. Theodoret.

TERTIA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Angeli mali in assumptis corporibus verè ac propriè generare possint.

E

TErtium vitalium operationum genus in medium proferimus, vt hoc etiam pro ingenij facultate suo modo veritatis examini subiiciamus, vt reliqua duo hactenus fecimus. Et quãuis scio à doctissimis hominib. in huius quæstionis exagitationem eruditissimam operam collocatam esse, vt ex eorum scriptis referam; tamen quia exactiori philosophandi modo aliquem locum fortasse de industria reliquerunt, non pigebit in huius quoque rei inuestigatione stylum philosophicum pro viribus exercuisse. Cùm enim

enim ipſi toti ſint vt affirment dæmones in aſſumptis corporibus generare poſſe, illud ex tantorum doctorum reliquiis ſupereſſe videtur, vt è principiis philoſophicis examinemus, qua tandem ratione fieri poſſit, vt ab Angelis hominum generationes exiſtant; cùm ipſi nec generādi polleant facultate, nec ſemine. quandoquidem hæc quoque pertinent, vt conſtituatur; an dæmones opera vitæ exercere poſſint.

Dæmones aßumpto corpore ſuccubare & incubare certum Patribus ac Theologis. §. I.

ITaque quod erudítiſſimi auctores conſiciunt, Ponendum nobis in præſenti eſt primò; Angelos nimirū malos corpore extrinſecus aſſumpto, & ad ſpeciem hominis vel mulieris figurato incubare & ſuccubare mulieribus, ita vt earum ineant concubitum. Quod crebris grauiſſimorū ſcriptorum teſtimoniis probatum, multiſque ac manifeſtis experimentis, exemplíſque compertū eſt. de qua re prolixè Abulenſis in caput 7. Exodi q. 12. Et recentiores noſtri: Noſter Pererius libr. 8. in Gen. cap. 6. verſ. 2. diſp. 3. Martinus Delrius libro 2. diſquiſit. Magic. q. 15. Serrarius in Tob. cap. 6. quæſtiuncula 2. Valentia, Molina, & Vaſquez in hunc art. Vbi licet A. Doctor ad 6. non loquatur ſine conditione: *Si ex coitu dæmonum* inquit *aliqui interdum naſcuntur, hoc non eſt per ſemen ab eis deciſum*, &c. tamen q. 6. de Pot. a. 8. ad 5. magis inclinat in partem affirmantem: nam cùm dixiſſet quoſdam exiſtimare, dæmonem generare poſſe per ſemen acceptum à viro, dum dæmon ei ſuccubus erat, quod deinde in fœminam transfundat dum ei incubat, ſubdit: *Et hoc ſatis rationabiliter ſuſtineri poteſt.* Idémque expreſſiùs docuerat in 2. d. 8. q. 1. a. 4. quam ſententiam veram eſſe cōfirmarunt A. Doctoris ætati ferè par Cæſarius Ciſtercienſis libro 3. cap. 7. 8. & 9. & eiuſdem A. Doctoris condiſcipulus Thomas Brabantinus ſeu Cantipratanus libro 2. Apum cap. 57. à num. 13. Vincentius in ſpeculo hiſtoriæ libro 4. Addo etiam Guilelmum Pariſienſem in tertiæ partis de Vniuerſo parte tertia cap. 25. vbi docet, incubos dæmones mulieribus pulchros habentibus crines magis infeſtos eſſe, vehementiúſque in eaſdem libidine exardeſcere. Nec deſunt alij complures graues recentiores, vt Franciſcus Picus libro tertio de Strigimagis; Syluester libro ſecundo eodem titulo cap. 3. à puncto 2. & cap. 11. pūcto 1. Simon Maiolus Colloq. 2. Malleus Maleficarum, Sixtus Senenſis & alij; de quibus paulò poſt dicam.

Abulenſis. Pererius. Delrius. Serrarius. Valentia. Molina. Vaſquez. A. Doctor. Cæſar. Ciſtercienſis. Thom. Brabantinus. Vincentius. Guil. Pariſ. Franc. Picus. Syluester. Sim. Maiol. Six. Senēſis.

Hoc autem totum eſſe verum, patet primùm auctoritate Patrum & Eccleſiæ, deinde ratione: Quæ omnia breuiter indicabo. Et quod attinet ad Primum, eſt præclara S. Auguſtini auctoritas; cuius meminit A. Doctor in ea ſolutione ad 6. & reliqui recentiores, Malleus Maleficarum p. 1. q. 3. Maiolus & alij. Placet autem eam huc transferre, vt (quod ait Abulenſis loco citato) & A. Doctor in 2. d. 8. a. 4. clarè pateat, quod multis ac præſertim ſapientibus videtur, nō poſſe eſſe omninò falſum. quod etiam vterque profert ex Ariſtotele libr. 7. Ethicor. cap. 14. & in fine cap. 3. de Somno & Vigilia. Eſt autem huiuſmodi lib. 15.

S. Auguſtin. Abulenſis. A. Doctor. Ariſtoteles.

A de Ciu. Dei cap. 23. *Creberrima fama eſt* inquit, *multique ſe expertos, vel ab eis qui experti eſſent, ac quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe affirmant, Syluanos & Faunos, quos vulgo incubos vocāt, improbos extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe, ac peregiſſe concubitum; & quoſdam dæmones, quos Galli Duſios nuncupant, hanc aſſiduè immunditiam & tentare & efficere plures taleſq́; aſſeuerant, vt hoc negare impudentia videatur.* Vnde licèt S. Auguſtinus addat, ſe non audere quicquam temere definire, tamen non id propterea dixit, quia de re ipſa ſit anceps, ſed quia illi dubium erat: Vtrùm ſpiritus elemento aëreo corporatus poſſet *hanc pati libidinem, vt ſentientibus fœminis miſceretur.* Itaque non de re, ſed de libidine ſe non
B audere quicquam affirmare profitetur. Certè vt rectè notat noſter Serarius vbi ſuprà, ſi nihil aliud haberemus, vel vna hæc viri tanti tam ſeriò affirmantis, tot tantóſque teſtes laudantis auctoritas ſufficere ad fidem deberet. Serarius.

Hoc ipſum ſupponit S. Iſidorus libro 8. Orig. in fine. *Pilosi* inquit *qui Græce Panitæ, Latinè Incubi appellantur, ſiue Inui ab ineundo paſſim cum animalibus; vnde & incubi dicuntur ab incumbendo hoc eſt ſtuprando. Sæpè enim improbi exiſtunt etiam mulieribus, & earum peragunt concubitum, quos dæmones Galli Duſios nuncupant, quia aſſiduè hanc peragunt immunditiam. quem autem vulgò incubonem vocant, hunc Romani Faunum Ficarium dicunt ad quem Hora-* S. Iſidorus. Horatius.
C *tius*

Faune Nympharum fugientium amator———

Ex quo intelligitur quod ait ſanctus Hieronymus in vita Pauli primi heremitæ; vbi cùm Antonius vidiſſet inter ſaxoſam conuallem haud grandem homunculum aduncis naribus, fronte cornibus aſperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat, ſciſcitatur ab eo quiſnam eſſet, reſponſum accepit ab eo hoc pacto: *Mortalis ego* inquit *ſum, & vnus ex accolis heremi; quos Varios deluſa errore Gentilitas, Faunos Satyróſque & incubos vocans colit.* Supponit ergo hos incubos fuiſſe Hieronymus. vnde ſubiungit. *Hoc ne cuiquam ob incredulitatem ſcrupulum*
D *moueat, ſub rege Conſtantino vniuerſo Mundo teſte defenditur. nam Alexandriam huiuſmodi homo viuus perductus magnum ſpectaculum populo præbuit; & poſtea cadauer exanime ne calore æſtatis diſſiparetur, ſale infuſo, Antiochiam vt ab Imperatore videretur allatum eſt.* In quibus etiam nota rectè Euſebium libr. 5. Præparat. Euang. cap. 9. obſeruaſſe, ne eiecti à Chriſto viderentur ſe mori confixiſſe. nec abſurdum eſt illud corpus opera dæmonum factum fuiſſe variarum ferarum coitione. Hieronym. Euſebius.

Idem docent multæ Gloſſæ. nam Iſaiæ 13. cùm dicitur deſtitutio Babylonicæ ciuitatis prædici illis verbis: *Ibi habitabunt ſtruthiones, & piloſi*
E *habitabunt in loco*; ait Gloſſa: *Piloſi ſunt ſyluestres homines, hiſpidi, qui incubones vel Satyri, vel genera dæmonum ſunt.* Gloſſa etiam ſancti Gregorij ſuper Iſaiæ 34. in ea verba: *Erit cubile draconum, & paſcua Struthionum, & occurrent dæmonia*, expreſſè ſupponit hos dæmones incubones. *Hic alij piloſi nomine figurantur* inquit, *non hi quos Græci Panes, Latini verò incubones vocant.* Alias etiam gloſſas citat Malleus maleficarum parte prima, quæſtione tertia. Quin etiam id ipſum videtur inſinuari in ſacris literis loco illo Iſaiæ 13. *Piloſi ſaltabunt*, &c. Nam LXX. cum Chaldæo vertunt: *dæmonia*, &c. Neque improbat Hieronymus, quia Gentilitas Satyrorum Faunorúmque, qui Iſaia 13. S. Gregorius. Iſaia 13. Hieronym.

Sanchez. qui nemorum Dij putabantur, dæmonia adorabant, vt obseruat in eum locum noster Sanchez.

S. Bernard. Vine. Lirinensis. Maiolus. Verùm accedat publicum ac solemne sacróque in loco S. Bernardi testimonium, vt narrat eius vitæ auctor libro 2. cap. 6. de muliere quadam. quod etiam reperies apud Vincentium Lirinensem in speculo Naturali libro 2. cap. 127. & apud Maiolum loco citato; quæ in regione Neunesi à quodam petulante dæmone sex annis habito eius consensu incredibili libidine vexata est. Nam *apparuerat ei* inquit *specie pulchri militis, & sæpè abutebatur ea inuisibiliter marito eius in eodem lecto cubante lasciuus ille spiritus. quæ anno septimo timore correpta veniente in prædictam ciuitatem S. Bernardo Claraeuallis Abbate misera mulier ad eius pedes corruit, passionem horribilem, & ludificationem diabolicam multis cum lacrymis confessa succurri sibi flagitauit. à quo consolata, & quid facere deberet edocta, post confessionem Diabolus ad illam accedere non potuit, sed tamen eam verbis terruit. & quia post Abbatis decessum quod ad eius supplicia reuerteretur, acerrimè minabatur, ita vt qui fuerat amator, crudelissimus fieret persecutor. Hæc cùm sancto indicasset, proxima die Dominica cum duobus episcopis accensis candelis cum omnium fidelium qui erant in Ecclesia subscriptione, anathematizauit fornicatorē spiritum auctoritate Christi tam ad illam, quàm ad omnes alias mulieres ei deinceps interdicens accessum. Extinctis verò illis sacramentalibus luminaribus tota virtus dæmonis extincta est; & mulier post generalem confessionem peccatorum suorum communicans planè liberata est.* Hæc ille. Extant etiam testimonia Patrum S. Cypriani, Clementis Alexandrini, Tertulliani & aliorum, quos citant Martinus Delrius, & Serrarius locis citatis. S. Cyprian. Clemens Alex. Tertullian. Delrius.

Innoc. PP. Sylueste. Libet hîc quoque non prætermittere insignē locum Innocentij Papæ VIII. epistola decretali aduersus maleficas mulieres cum dæmonib. incubis flagitiosè æquè ac impiè se commiscētes; cuius etiam meminit Syluester lib. 2. de Strigim. cap. 1. puncto 2. vbi Innocentius inter alia hæc scribit apertè: *Non sine ingenti molestia ad nostrum peruenit auditum, complures vtriusque sexus personas propriæ salutis immemores, & à fide deuiantes, dæmonibus incubis, & succubis abuti. Quapropter ne labes huius hæreticæ prauitatis in perniciem animarum sua venena diffundat, opportunè remediis prout nostro incumbit officio prouidere volentes statuimus, vt inquisitores per nos deputati debitum Inquisitionis officium in huiusmodi exequantur.* Est etiam insigne illud de Victorino Episcopo sanctissimo dum eremum coleret. Is enim vt est apud Marcum Marulum libro 2. cap. 11. licèt Deo permittente à dæmone ita sollicitatus fuerit, vt cum eo sub forma mulieris concubuerit; tamen ob patratum facinus *ita doluit vt manibus in fissuram ligni impactis herba cruda & aqua frigida per triennium se sustentarit.* Cōstat ergo Patrum & Ecclesiæ testimonio rem haberi veram. Atque hinc sæpè nonnulli dęmones vocantur *incubi & succubi.* ita vt succubi sint ij qui muliebri forma succubant viro, & muliebria patiuntur; incubus verò sub virili specie superueniens incubat fœminæ.

S. August. Ac licèt de succubis nonnulli dubitarint, eo quòd eorum non meminerit S. Augustinus loco citato, tamen res adeò de vtroque certa est, vt non minor sit impudentia de altero, quàm de vtroque genere dubitare, cùm paribus vtrumque genus sapientum testimoniis confirmetur

A apud auctores citatos. Nec ratio sit, cur pessimi dæmones se fœminis superimponere possint & velint, virorum autem libidini quæ auidior est aut nequeant aut nolint subiici. Sanè præter ea, quæ ex Innocentio dicta sunt, Cæsarius libro 3. cit. cap. 9. vtrumque expressis verbis ex vitis Patrum testatus est: *Non solum* inquit *in his cauendum mulieribus sed & viris, quia sicut dæmones per formas virorum vt dictum est, fœminas ludificant & corrumpunt; ita per species fœminarum viros seducunt, ac decipiunt. Lege vitas Patrum, & inuenies ibi quosdam viros perfectos per phantasmata mulierum delusos confractos & deiectos.* Duplex etiam exemplum: alterum dæmonis incubi; alterum succubi; vtrumque fœdum auditu narrat Cardanus libro 16. B de varietate cap. 93. & Philostratus libro 4. de vita Apollonij cap. 8. quod vtrumque præterire tum breuitati tum pudori consulens duxi. Cæsarius. Cardanus. Philostratus.

Illud tamen videtur inter diabolica maleficia maximè declarare quantopere Diabolus hominum pernicie ac scelere pascatur. Narrat Ioannes Nider in suo formicario cap. 9. in fine fuisse constantem famam apud viros fide dignos hæc accidisse quæ subiiciam. *Eo tempore* inquit *quo Concilium generale celebrabatur in ciuitate ipsa Constantiensi, quod verecundum est dictu propter principum secularium, & mechanicorum præsentiam, incredibilis meretricum multitudo aderat.* vnde in eadem diœcesi prope quoddam oppidum accidit, vt *qua-* C *dam quæ videbatur fœmina pulcherrima secūdùm corporis pulchritudinem, cuidam cursori in ipso itinere occurreret; quæ cum virum istum Deum timētem ad opus nefarij concubitus inuitaret, facinus horruit Dei protectus adiutorio: cumque simplici animo cursor, vnde fœmina veniret ab ea quæsiuisset respondit: De Constantiensi venio Concilio; & aperta quam in latere portabat crumena subinnuit: Ecce has omnes pecunias in præfato loco corporis mei mercede conquisiui. Et hoc dicto velut fumus protinus euanuit; & quod succubus fuerit spurcissimis verbis & fuga respondit.* Quid non audebit dæmonis ad similes turpitudines sagacitas, si eo in loco vbi plurimos doctrina ac sanctitate conspicuos viros in fidei causam conuenisse par est, ad hæc scelera inducere tot homi- D nes, ac tam frequēter potuit? Quamquā improbabile non est mendacissimum, ea mentitū fuisse, vt Cōcilium illud honestissimum aliqua labe consp\ergeret. Sed vt vt fuerit ad rem nostram non magnopere conducere videtur. Ioan. Nider.

In hæreticos qui huiusmodi Dæmonum succubationes atque incubationes inficiantur. §. 2.

E HÆc tamen quæ ita certa sunt, adeóque Catholicis indubitata, vt audaciæ & pertinaciæ sit ab his discedere, tamen hæreticorum iudicio, cui nihil tam dubium esse solet, quàm quod verissimum, neganda visa sunt. contenditque Ioannes Baptista Vvierius apud Serariū incubationes, & succubationes istas falsas esse. sed argumento scilicet validissimo. Obiicit enim mulierem Hollandicam, quæ sibi cum incubo dęmone concubitum peregisse testabatur, ab inspiciente tamen obstetrice virgo reperta est. Sed benè ex Vessalio libro 5. Anatom. cap. 15. & ex Abulensi operculo de Isaiæ verbis *ecce virgo concipiet.* num. 12. & 24. respondet Serarius. Ioa. Baptista Vvierius. Vessalius. Abulensis. Serarius.

non

non omni virorum accessu fœminei pudoris claustra reserari. Additque nihil absurdi esse, si dicamus ex Cantipratensi libro 2. cap.30.n.38. in illis claustris quasi antea nunquam patuissent, obserandis, & quodam veluti fascino claudendis dæmoniacam solertiam spectatam esse. atque hoc argumentum fit ex auctoritate desumptum.

Cantipratenus.

Quæ cùm ita sint: rectè arbitror eos sensisse qui contrariam sententiam aliqua censura notandam putarunt: Inter quos est Iacobus Sprengerus hæreticæ prauitatis inquisitor in Malleo Maleficarum. p.1. q.3. vbi obseruat hoc dogma *in tantum esse Catholicum, quòd eius oppositum est asserere nedum dictis sanctorum, sed & traditioni sacræ Scripturæ contrarium.* Idem putauit Ioannes Nider loco citato & alij. Syluester quoque qui erat sacri palatij magister libro 2. de Strigim. cap.3. puncto 2. sic ait: *Dæmones incubos, id est in forma viri cum mulieribus coeuntes, & succubos, id est viris se in forma superpositæ mulieris exhibentes esse negantes, Catholicè non loquuntur.* Scio equidem Cornelium Agrippam pro sua impietate aduersus malleum maleficarum scripsisse, sed irrito conatu, vt rectè obseruat Maiolus vbi suprà. Et defenditur à Sixto Senensi Bibliotheca sac. Annotatione 73.

Iacob. Sprengerus. Io. Nider. Syluester. Cornel. Agrippa. Maiolus. Sixtus Senensis.

Ratione verò non minùs id ipsum efficaciter probatur: Nam certum ex dictis est, posse dæmones defunctorum corpora assumere, vel de nouo sibi ex aëre, cæterorùmque elementorum particulis formare, atque ad carnis similitudinem palpabilia effingere, eaque mouere pro voluntate, atque aliquo modo suis qualitatibus attemperare. ergo possunt sexum, quem naturâ non habent ementiri, séque artificiosè viris specie fœminea exhibere, fœminísque viri figura abuti, dum has sibi subiicere, illis se substernere ementiuntur. Hoc ergo cùm possint, & ita esse experimentis compertum sit; absurdum, ac planè contra rectum philosophandi ordinem est, eadem de re pertinaciùs dubitare.

Atque hæc quidem certissima sunt. examinanda tamen vt veritas eluceat magis in præsentia illa sunt. Vtrùm ex eo dæmonum cum fœminis concubitu proles nasci queat. Sic enim disputabitur; quo pacto vis seminalis in humano spermate conseruetur, vt ex eo aliunde trãsportato fœtum mulier intra sua viscera concipiat. Vt autem hac de re clariùs disputetur, hanc difficultatem examinabo in hoc duplici sensu. Vtrùm scilicet ex concubitu dæmonis incubi cum fœmina succuba proles quandoque nascatur. & an ex dæmone succuba; & quid senserint Philosophi, Theologi, & Patres. Video hanc difficultatem à sapientissimis viris nonnihil exagitari in vtramque partem. quippe videtur experientia cum ratione pugnare, eo quòd Angeli, quos naturâ iam ostẽdimus incorporeos, non possunt semen emittere, ex eóque suscipere prolem.

Referuntur quibus negandum videtur, Dæmones generare posse, eorúmque fundamenta. §.3.

ITaque in hac re Partem negantem videntur sequi nonnulli, sed pauci. mitto hæreticos,

A quos refert Martinus Delrius libro 2. Disquisit. Magic. q.15. §. *Dicimus ergo.* Eam apertè sequitur Vlricus Molitor libro de Pythonicis mulieribus cap.10. & à se stare dicit Vincentium libro 4. histor. cap. 28. apud quem tale caput non reperitur. Probat tamen Vlricus ex Conciliatore Differentia 15. quia semen hominis, quo debet vti dæmon ad generandum cùm careat suo, non potest agere nisi per spiritum emissum ex corde; ergo nihil tum cum dæmon illud infundit in vtero generare potest, cum non sit cor, vnde talis spiritus emittatur. Ponzinibius etiam tract. de Lamiis asserit, omne quod dicitur dæmõ facere per corpora esse illusionem, ideoque apertè negat esse incubos, & succubos ex quibus proles enasci possit. Aduersus quam doctrinam tres B apologias scripsit Barptolomæus de Spina, in quarum tertia ostendit, hos tales succubos & incubos esse concedendos. Citatur etiam Nicolaus Remigius libro 1. Dæmonol. cap.6. Lucidus cap.4. Petrus Doisltuau Gallico libro de prodigiosis historiis cap.6. apud Mart. Delrium, & Serarium locis supra citatis, quos ego auctores videre non potui.

Delrius. Vlricus Molitor. Vincentius. Conciliator. Põzinibius. Barptolomæus de Spina. Nicol. Remigius. Lucidus. Petrus Doisltuau.

Alios etiam fuisse in hac sententia testes sunt Conimbricenses lib. 2. de gener. & corrupt. q. 10. a. 3. vbi etiam videntur hac de re ambigere dum ex propria sententia dicunt: *Num ad generationem humanam semen aliunde assumptum ita accommodare valeant* dæmones, *vt proles concipiatur* C *ambiguum est; idque fieri posse negant nõnulli ex schola Medicorum.* Quorum fundamentum referunt: quia scilicet virtus seminalis insidet in partibus seminis tenuissimis; hoc est in spiritib. qui hinc illuc transferri non possunt, quin euanescant. Alios etiam fuisse suppresso nomine docet Durandus in 2.d.8.q.2.num.5. Sed nullam eorum affert rationem. In hanc ipsam dubitationem videtur pendere noster Pererius libro 8. in Genes. cap.6. Disp.3. num. 74. vbi licèt fateatur se contrariam *opinionem tam vulgatam probatámque* nolle oppugnare, Tamen addit: *Ingenuè fateor me olim ea de re multum dubitasse, & nunc vehementer ambigere. ambigendi mihi causa non futilis, nec inanis hæc fuit,* &c. Quia scilicet ea pars seminis gene- D ratrix est planè velut aërea, tenuissima ac vigens tenuissimo calore siderum affini ac cognato. ergo dissipabilis atque expirabilis est. vnde extra vasa viri ac fœminæ non possunt conseruari. Ita vt deinde refusi humano corpori efficaces non sint suarum naturalium functionum.

Conimbricenses. Durandus. Pererius.

Confirmari potest ex doctrina Aristotelis libro 2. de Gener. animal. cap.3. Vbi *Inest in semine omnium* inquit *quod facit vt fœcunda sint semina, quod calor vocatur. Itaque non ignis, non talis aliqua facultas est, sed spiritus qui in semine, spumosóque corpore continetur; & natura quæ in eo spiritu est propor-* E *tione respondens elemento stellarum,* &c. Paulò pòst ait; illud subtile corpus quod est in semine esse inseparabile, propterea quòd *dissoluitur, versúmque in spiritum euanescit, cùm naturam humidam aquosámque habeat.* Vult ergo Aristoteles id quod facit fœcundum semen; nempe spiritum illum statim euanescere, cumprimùm à corpore semen separatur. Ergo vt dicebamus, à dæmone contineri non potest, ne euanescat. ergo non potest dæmon semen prolificum aliunde transportare. quod hic grauis auctor asserere nititur. Citantur etiam pro hac sententia S. Chrysostomus hom. 22. in Genes. & Cassianus Collat. 8. cap. 21.

Aristoteles. S. Chrysost. Cassianus.

tanquam omnino negent, dæmones ita commisceri cum mulieribus posse, vt prolem generent.

Plutarchus. Ex antiquioribus Philosophis huic sententiæ assentitur aperte Plutarchus in Numa, vbi scribit quæ de Deorum erga homines amore narrantur, ad morum ac virtutum amorem referenda, eo quòd nunquam Dij vel Genij humani corporis formæve visu delectati sint. Quod etiam

Plato. visus est docuisse Plato in symposio cùm dixit,

Apuleius. θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται. & Apuleius de Deo Socratis: *vt Plato ait* inquit *nullus Deus miscetur hominibus.*

Seneca. Huc etiam referri potest Seneca in Hercule furente versu 447. illis verbis.

Mortale cælo non potest iungi genus.

Marc. Eph. Psellus. Eandem sententiam tuetur Marcus ille Ephesius apud Psellum libro illo de dæmonibus sæpe citato.

Probari etiam potest hæc sententia: Primò quia huiusmodi generatio, est actus vitalis; nullus autem actus vitalis cõuenire potest ei, quod non sit vita & principium illius actus vt suprà ostensum est. ergo non potest conuenire dæmoni, qui non est vita, nempe aut vegetans aut sen-

Aristoteles. tiens cuius ille est actus. Vt enim ait Aristoteles libro 2. de Generat. animal. cap. 2. Generationis principium est mas & fœmina, ita vt *generationis gratiâ sit mas & fœmina in rerum natura.* Ergo vita sentiens est generationis principium qua vita sentiens est.

Secundò, quia Deus infunderet animam corpori ex dæmonis coitu nato. quod videtur absurdum: nam Deus confirmaret sua actione quod dæmones ad fallendum molirentur.

Tertiò confirmant alij confessione sagarum, quæ fallæ sunt, nullum voluptatis sensum se expertas esse; quin potius ex tali copula summum se dolorem percepisse. Immò, vt argumentatur

Marcus. Psellus. Marcus ille apud Psellum, eædem fallæ sunt semen quod dæmon infundit, potiùs esse horrori quam voluptati. ergo non poterit consequi generatio. Quartò, quia si id verum esset, sæpissime dæmonum nasceretur proles, cùm & ipsi prompti sint ad huiusmodi voluptates, nec frequẽtes occasiones deessent. quod tamen est contra experientiam. Quintò, quia vel illi essent dæmonum filij: vel non essent. hoc secundum dici non potest; quia ipsi vere generarent; quia ipsorum opera liberi procrearẽtur. Si primum; Quomodo filij tam dissimiles parentibus gigni possunt? Cùm filius debeat esse imago patris, vt Theologi consensere. vt enim quis ex alio procedat tanquam filius; *oportet* inquit A. Doctor 3. p. q. 32. a. 3. c. *vt in similitudinem speciei producatur.* Denique, quia si posset dæmon incubus generare hominem, cur non posset & succubus? Hoc autem esset concedere fœtum sine aptis organis, quæ in fœmina natura constituit ad prolem.

Posse Dæmones ex concubitu cum fæminis prolem suscipere, sententiam Patrum, Theologorum, Philosophorum, ac Medicorum esse. §. 4.

A. Doctor. PArtem tamen affirmantem sequuntur ferè omnes Philosophi, Medici, Theologi ac Patres. & primum quidem Theologi. nam A. Doctor licèt in hac p. p. q. 51. a. 3. ad 6. non loquatur nisi apposita conditione; tamen in 2. d. 8. q. 1. a. 4.

A ad 2. expressè docet, dæmones per corpora assumpta, & semine virili aliunde translato posse prolem generare. quod A. Doctor etiam ibi probare nititur: quia contrarium; nempe quod possint ex illo semine generare *multis videtur; quod autem multis videtur, non potest omninò esse falsum secundum philosophum lib. 7. ethic. cap. 14.* & præterea probat: quia sicut potest semen plantarum ab homine applicatum terræ producere plantas, atque animalium instrumẽtariæ qualitates a quocunque cogantur in vnum subiectum animalia; cur non possint homines generari ex hominum semine fœmineis vteris applicato? Ægidius etiã Ægidius.

in 2. d. 8. q. 2. art. 1. in resolutione secundi dubij

B id aperte docet, & multis probat. Scotus eadem Scotus.

d. 8 q 1. idem asserit in fine corporis; licèt suprà videatur conditionate loqui: aitque Angelo attribui quod generet, non quidem bono sed malo. *quia idem primo succubus postea incubus semen à decidente primo transfusum recipit, & deinde transfundit illud in matricem.*

S. etiam Bonauentura in eadem d. 8. 2. p. ar. 3. S. Bonauent.

q. 1. ad vlt. ait: *concedendum esse quod dæmones possunt semen suscipere, & transfundere si Deus permittat*, &c. *ideo dicuntur quodammodo generare, sicut ostendunt tres rationes sequentes*, &c. Et in c. dixerat posse eis competere seminis susceptionem & transfusionem. *Primò enim accumbunt viris in specie mulieris,*

C *& ex eis semen pollutionis suscipiunt, & quadam sagacitate ipsum in sua virtute custodiunt; & postmodum Deo sic pe mittente sunt incubi, & in vasa mulierum transfundunt, ex qua transfusione homines generari possunt.* Durandus eadem d. q. 2. n. 5. apertè in hanc Durandus.

partem affirmantem inclinat. nam cùm dubitasset illis verbis: *De generatione hominum aut non est verum, vt quidam asserunt. aut si sit verum, secundum quod videtur velle Augustinus lib. 15. de Ciu. Dei. cap. 23. oportet quòd semen priùs suscipiant ab homine, & deinde transfundant in matricem. vnde oportet dæmonem prius esse succubum ad virum, quàm incubum ad mulierem; vt sic ille qui nascitur, non sit filius dæmonis sed hominis.* Videtur ergo in hanc Augustini sen-

D tentiam propensus; & ideò deinceps absolutè loquitur, ac si supponat ita esse; cùm exprimat modum cõseruandi seminis, atque effectus constitutionem. *Etiam contingit* inquit *tales viros esse potentes, & optimæ complexionis, quia dæmones sciunt proportionem seminis viri ad semen mulieris, & constellationem adiuuantem, & fomenta adhibere possunt ad conseruationem caloris seminis, quibus concurrentibus rationabile est sic genitos esse robustissimos.* quod quidem docuit experientia in iis, quos semideos appellauit antiquitas, vt infrà memorabo.

Ricardus eadem d. 8. a. 2. q. 6. ait posse dæmo- Ricardus.

nem in assumpto corpore fieri succubum, & incubum: *Et si contingit aliquem virum concumbere cum eo, potest semen virile accipere, & per aliquantulum temporis conseruare in sua virtute, & postea assumere*

E *corpus, vel corpus pristinum mutare in similitudinem corporis virilis; & ita si citò mulierem potentem concipere inueniat, potest illud semen in matricem eius transfundere, ita quod ex illo semine & semine mulieris simul concurrentibus in debita proportione potest puer in illa muliere generari.* Verum est tamen Ricardum deinde addere: *quod alteram partem pertinaciter affirmare non expedit.* Quod quidem addit non quia de ea re dubitet; sed ne in re turpi opinor, contentio fiat. Gabriel ibidem quæst. 1. art. 3. apertè as- Gabriel.

serit, *posse dæmonem alicui succumbendo in assumpto corpore in specie mulieris alicuius semen suscipere, &*

seruare

seruare illud in sua qualitate conuenienti naturali generationi, quousque transfundat illud in matricem alicuius fœminæ ipsi incubando, & per hunc modum fœminam impregnare. Quo etiam vocabulo vtitur S.Bonauentura: Vincentius etiam in speculo historiæ: Brabantinus; & alij supra. Ac ne longum faciam, hæc est communis Scholasticorum sententia in eadem d.8. Quibus apertè subscripsere Theologi recentiores; vt Abulensis in cap.7.Exod.q.12. Nostri: Molina p p q.50.art.1.§. *Verum licet.* addítque *nostris temporibus re ipsa concubuisse, generasséque ex fœmina vel hominem vel monstrum pro qualitate seminis.* Delrius libro illo 2.cit.q.15.§. *Dicimus ergo.* Serarius in Tob. c.6. quæstiun.2. Baptolomæus de Spina q. de Strigibus cap. 6. & Apologia 3. contra Ponzinibium. Sprenger p.p. mallei quæ.3. Nider, & Syluester locis ante citatis: qui duo addunt ex huiusmodi concubitu natum esse giganteum genus. Alphonsus à Castro lib.1. de iusta hæretic. punit. cap.16. Franç. Simon Maiolus vbi suprà. Victoria Relectione de Magia. Ianus Iacobus Boissardus libro 2. de Magia cap. 7. & alij recentiores Theologi apud ipsos. Multi etiam auctores citantur apud Theatrum vitæ humanæ vol.9.lib.4.§. *Libido dæmoniaca.* inter quos est Vincentius.

S.Bonau. Vincentius. Brabant. Abulensis. Molina. Delrius. Serarius. Baptolom. de Spina. Sprengerus. Nider. Syluester. Alphonsus à Castro. Boissardus.

Ex Philosophis idem senserunt Ægyptij quos Plutarchus vbi suprà refert, ac refellit. Existimabant enim fieri posse, vt spiritus cum fœminis rem habeant, eisque sobolis quædam principia ingenerent, cum viro tamen id non accidere. Plato etiam in Cratylo scribit, omnes heroës vel ex amore Deorum erga mulieres, vel virorum erga Deas esse progenitos. Ostendimus autem suprà Platonis sententia, hos Deos ac Deas esse dæmones. Qua in re mirè S. Cyprianus ridet proconsulem in libro ad Demetrianum, quod Deos coleret qui adiurati à Christianis se dæmones esse fatebantur. *O si audire* inquit *velles, & videre quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritalibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eiciuntur, quando eiulantes & gementes voce humana & potestate diuina,* &c. *Certè vel sic confundi in istis erroribus poteris, quando conspexeris, & audieris Deos tuos; quid sint interrogatione nostra statim prodere, & præsentibus licet vobis præstigias illas & falsitates suas non posse celare,* &c.

Plutarch. Plato. S.Cyprian.

Quin etiam Aristoteles si Plutarcho credimus in libro de Homero paulò post initium, tradidit Homerum ex Genio natum. *Aristoteles 3. de Poetica scribit* inquit Plutarchus *in insula Io, quo tempore Neleus Codri filium coloniæ in Ioniam deducendæ præfuit, puellam indigenam à Genio quodam ex eorum numero qui cum Musis chorum ducunt compressam, cùm intumescente vtero facti pudore moueretur, ad ipsum fluuium peperisse Homerum,* &c. Heroas ex Diis genitos vulgare est apud Homerum & Virgilium; & alios qui Hercules, Sarpedones, Æneas, reliquósque, quos semideos vocabant obtrudunt.

Aristoteles.

Eiusdem generis esse constat decantatos toties apud prophanos auctores concubitus illos, quibus Semiramidem dicunt coisse cum equo; Pasiphaëm cum tauro, Olympiadem cum dracone, Ledam cum cygno, Danaem in aureo impluuio Iouis libidini consensisse, aliisque sexcentis, quorum refertæ sunt omnes Gentilium paginæ.

Certè Æsculapium non sine flagitio Apollinis natum scribit Lactantius libro ca.10. initio.

Lactantius.

A Seruium Tullum ita natum ex dæmone testantur Plinij verba libro 36.cap.vlt. *repentè in foco apparuisse genitale è cinere masculini sexus,* &c. *ita Seruium Tullium natum.* Alexandrum etiam magnum ex dracone Plutarchus affirmat in Alexandro. Romulum ex Rhea diuino congressu natum fecit Liuius lib.1. Accia etiam Cæsaris soror ex Apollinis, specie draconis, concubitu se peperisse Augustum testatur apud Dionem libro 45. initio, vbi de Accia loquens *etiam atque etiam affirmabat* inquit *Octauium hunc ex Apolline conceptum.* Sic Neronem quoque ex angue conceptum scribit Laurentius Ananias vbi suprà. In Anglia Merlinum, vide Delrium vbi supra; In Pannonia B Hunnos ex Arlunis strigibus Gothicis & Faunis natos scribũt Iordanus & Abladius apud Theatrum vitæ humanæ vbi suprà. Cùm enim Henricus rex has Magas vltra paludem Meotidem relegasset, *illa dæmonum seu Faunorum congressu grauida primos Hunnos genuere, è quo semine numerosa illa gens totam Europam inundauit.* Narrat etiam Delrius auctore Chieria in Hispania solitũ Corcoton dæmonem misceri mulieribus, & ex eo bicornes nasci. Quo pacto Alexander vt se cuiusdam falsi Dei filium ostenderet, bicornem se haberi volebat apud Clementem Alexandrinum lib.1. Strom. vbi sic ait. *Volebat Alexander videri filius Ammonis, & cornutus effingi à statuariis.* Cliuensium quoque ducum originem ad dæmones retulit C Helimandus apud Bellouacensem libr. 21. speculi. Nec desunt qui Lutherũ humani generis monstrum ex tali parente in[illegible] progenitum narrent. id eius matrem fassam esse videre potes apud Serarium vbi suprà. Denique id omnis antiquitas credidit de his falsis Diis, cùm eos ex aut nymphis, aut aliis fœminis Deorúmque concubitu genitos arbitrata est. Talis enim generis plurima adulteria ac stupra fuisse, quæ Faunorum Satyrorúmque Iouis & aliorum huiusmodi Deorum etiam postquam è viuis excessissent fabularum inuolucris commemorauit.

Plinius. Plutarchus. Liuius. Dion. Laur. Anan. Delrius. Iordanus. Abladius. Delrius. Chieria. Clemens Alexandr. Helimand. Bellouacen.

Ex Medicis quoque id posse fieri docet Valesius de sacra Philosophia cap.8. in prin. Codronchius libr. 3. de morbis veneficis cap. 10. & alij D complures. Eandem sententiam tradunt ab experimento ij omnes, qui ex confessionibus sagarum, & damnatorum magorum per totam ferè Europam libros edidere, vt de maleficiis in Germania narrat Sprengerus in Malleo, & Nider in Formicario. De Italiæ maleficiis Grillandus lib. de Sortilegiis, & Ioannes Franciscus Picus libro libro de Prænotione. De Hispaniæ Torquemada in Horto florum. & de Galliæ Meierus Annalium libro 16. anno Domini 1459. & alij. atque hæc ferè ex Philosophis.

Valesius. Codronch. Sprengerus. Nider. Grilland. Io. Fr. Picus. Torquem.

Ex Patribus autem instar omnium sit Augustinus libro illo 15. de Ciu. cap. 23. vbi ait: quia E tot tantorúmque virorum testimoniis comprobatur incubos hos *improbos sæpè extitisse mulieribus, & eorum expetisse ac peregisse concubitum,* subdit, *hoc negare impudentia videri.* Cuius tanti viri tam seriò affirmantis quanti fieri debeat auctoritas, si nihil aliud haberemus, ad plenissimam fidem suprà diximus. Eadem ferè verba ad idem propositum vsurpat S. Isidorus lib.8. etym. in fine vt vidimus. Sed alios Patres citatos habes apud Sixtum Senensem libr.5. Biblioth. sac. Annotat.73. & 77. & quamuis horum aliqui videantur asserere hos concubitus ob ea corpora, ex quibus Angeli constare ipsis visi sunt, tamen nonnulli intelligi

S.August. Isidorus.

intelligi possunt & debent de Angelis per assumpta corpora.

Prolem enatam operâ Dæmonum, non esse eis ascribendam tanquam primariæ causæ, cùm semen non emittant.

§. 5.

AD solutionem Notandum est hîc non esse quæstionem, an Angeli generare homines possint, ita vt ipsi vera causa sint generationis hominis, eáque primaria, quæ hominem gignit per suum semen tanquam per instrumentum, quemadmodum homo generat hominem. Non inquam hæc quæstio hîc nobis agitari potest, qui Angelos facimus omninò incorporeos, quibus tribui non potest tanquam causæ primariæ talis generatio, vt A. Doctor hîc ad 6. docet & fatentur Theologi citati.

A. Doctor.

Ratio autem est euidens; quia illi causæ primariæ debet tribui generatio hominis, cuius semen ab ipsa causa decisum, est instrumentum prolificum ad ipsam generationem. At Angelorum nullum est semen quod ab ipsis decisum sit instrumentum prolificum ad ipsam generationem. Ergo Angelis non potest tribui generatio illa hominis tanquam causæ primariæ.

Minor est certa: quia semen corporeum non deciditur à substantia incorporea. Vt enim habet Aristoteles libro secundo de Generation. animalium, cap. quarto. *Seminis decisio non aliter fit quàm cæterorum excrementorum fieri solet.* Excrementum autem quid sit docet ipse lib. primo ibidem cap. 18. *Excrementum* inquit *appello reliquias alimenti.* Quod quidem ait non esse illud quod animanti inutile est. tale enim excrementum abundat in iis, qui vel ætate vel morbo pessimè se habent, in quibus minimum est seminis. *Aut enim* inquit *nullum est, aut nō prolificum, propter inutilis ac morbidi excrementi permixtionem.* Ergo vt decidatur semen debent quemadmodum cæterorum excrementorum esse organa quorum id sit munus, de quibus Aristoteles libro 1. ibidem cap. 4. 17. & 18. Cùm ergo in ipsa substantia incorporea non sint huiusmodi instrumenta, semen decisum esse non potest.

Aristoteles.

Aristoteles.

Vnde optimè sanctus Epiphanius hæresi 26. post medium argumento validissimo confutat Gnosticorum fabulas illas dum fingebant vnum ex dæmonibus genuisse liberos ex Helia. *Venit* inquiebant *vna ex dæmonibus, & dixit Heliæ: Quādo insomnia somniasti. ego eram quæ accepi à te semina & genui tibi filios.* quorum impudentiam non aliter refellit Epiphanius nisi his verbis: *Multa verò est stultitia* inquit *eorum qui talia dicunt. Si enim dæmon à corporibus assumit & cōcipit, nō amplius est spiritus sed corpus.* quia scilicet hæc nō fiunt nisi instrumentis corporeis ad eos effectus adhibitis, præsertim vt fœmina tanquam mater fœtum concipiat vt infrà dicetur.

S. Epiphan.

Maior autem probatur: quia non aliter homines sunt causæ primariæ in generatione liberorum, nec aliter animantia cætera tanquam causæ primariæ generant suos filios vt inductione patet. Et confirmatur: quia omnis generatio animantium debet esse à principio coniuncto, vt probant Theologi vnà cum A. Doctore p. p. q. 27. a. 2. Vnde Aristoteles libro 8. Ethic. cap. 12. non aliam ob causam dixit: *parentes amare filios quasi ex se quiddam sint*; nisi quia sunt à parentibus tanquā à principio coniuncto; hoc est quasi è parentum visceribus prodierint. quamobrem ab A. Doctore infrà q. 119. a. 2. ad 1. dicitur filius de substantia Patris; quia scilicet *generatio est de substantia generantis in animalibus* inquit *& plantis in quantum semen habet virtutem ex forma generantis.* &c. Ergo debent esse à causa primaria tanquam à principio coniuncto nempe à parentibus, qui in generatione filiorum sunt causa primaria. At hæc causa primaria non est coniuncta generationi, nisi quia eius semen ab ipsa decisum est instrumentum prolificum ad eam generationem. Sublata enim hac coniunctione, quam generans habet instrumento semine, nullo alio modo generationi ipsi in matrice coniungitur. Vnde Aristoteles libro 7. de historia animal. cap. 5. expressè docet: *principium & finis mulieribus prolem recipiendi maribus prebendi seminis ac menstruorum emissio est.* Quasi dicat apertè in emissionem seminis ac menstruorum reuocari oportere omnem filiorum ex parentibus procreationē. quæ si emissio absit non est cur parētibus vllis generatio ascribatur. quæ etiam causa est, vt libro secundo de generat. animal. cap. 4. dixerit, *sine maris emissione, atque etiam sine menstruorum excremento concipi impossibile esse.* Ergo illi causæ primariæ tribuitur generatio, nempe parentibus, cuius semen est instrumentum prolificum ad ipsam generationem. Accedit etiam, quod genitus filius debet procedere ab ipso generante parente similis in natura, atque ideò illa est causa primaria generationis, cui in generatione assimilari debet filius, vt ostēditur à Theologis eadem q. 27. a. 2. Ergo non potest homo generari ab alio tanquam à causa primaria, nisi is sit, è cuius corpore decisum semen est. Itaque non est præsens quæstio: Vtrùm Angelus dum hominem generat in assumpto corpore sit causa primaria generationis illius hominis. Sed solùm nunc examinatur difficultas, an possit generare hominem deferendo per corpus assumptum semen alterius hominis, illúdque immittendo in matricem mulieris, in quo sensu affirmant auctores secundæ sententiæ, & negant primæ vt retulimus.

A. Doctor.
Aristoteles.
A. Doctor.
Aristoteles.

Posse dæmonem generare prolem, deferendo animantis semen per corpus assumptum ostenditur, & quo pacto. §. 6.

AD Difficultatem ergo propositam respondetur; & sit

Prima Propositio: Ex concubitu dæmonis incubi cū muliere proles ex humano semine plerūque concipitur. Probatur propositio duplici argumēto. Primum est, quo vsus est A. Doctor in 2. vbi suprà: quia quod multis videtur non potest esse falsum, vt docet ex Aristotele 7. Ethic. cap. 13. vbi Aristoteles ex Hesiodo habet:

Non prorsus fama illa perit, quam multa per orbem
Turba hominum celebrat.

Aristoteles.
Hesiodus.

Idémque ex fine libri de somno & vigilia affirmauit A. Doctor in 2. vbi suprà, & 1. 2. q. 5. a. 3. in arg.

A. Doctor.

in arg. 3. adiuncta eius ſolutione; & in 4. diſtinct. 49. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 1. ad 1. quamuis autem Ariſtoteles id vere iis locis non doceat, tamen certum eſt apud ipſum Ariſtotelem lib. 1. Topic. cap. 1. illa eſſe probabilia, *quæ videntur omnibus aut plurimis aut ſapiētibus, & his vel omnibus vel plurimis.* Immò vocat lib. 6. Ethicor. cap. 11. *Peritorum hominum & ſeniorum, ſeu prudentum pronunciationibus & opinionibus abſque demonſtratione, non minùs quàm demonſtrationibus attendendum eſt.* Et ideò S. Auguſtinus in eo cap. 23. vt retuli ſuprà, pronunciauit, ea negare, de quibus fama celebris erat, & multi fide digni ſe expertos teſtabantur, *impudentiæ videri.* Ratio huius eſſe poteſt, quam indicat A. Doctor 1. 2. in eo argumento 3. cit. quia videtur à natura, quod à pluribus ac præſertim ſapientibus iudicatur. Natura autem non deficit in ſuis pronunciatis, hoc eſt quæ natura duce creduntur. Sic enim firmiſſima hærent animo principia, quæ ei naturaliter congruunt. Non ergo poteſt omninò eſſe falſum, quod multis iiſque ſapientibus comprobatur, ex concubitu dæmonis incubi cum muliere prolem ex humano ſemine plerunque concipi. Ergo non eſt falſum ex eodem concubitu prolem eo prædicto modo plerunque concipi ac proinde naſci. Minor patet ex dictis in ſecunda ſententia, vbi oſtendimus communem ea de re eſſe Theologorum ac Philoſophorum, Patrúmque conſenſum, qui ſapientiſſimi fuere & multorum id experientia confirmarunt.

Ariſtoteles. S. Auguſt. A. Doctor.

Alterum argumentum eſt quod ſuprà in Ponendo noſtro retulimus, quia dæmones poſſunt fœminis viri ſpecie ſemen in vterum iniicere ac reponere, ita vt prolificum illud ſit, & ſuis qualitatibus ad generandum aptis. quia vt dicebant auctores ſecundæ ſententiæ, ſicut poſſunt ad alios effectus ſemina proportionata applicare ſuis materiis; ita etiam & humanum, vt etiam explicat A. Doctor in ſecundo, loco citato, & in hoc artic. ad 6. vbi id ex S. Auguſtino libro tertio de Trin. cap. 8. & 9. docet, quia dæmon qua eſt agilitate, & naturalium rerum peritia, calorem illum, & ſpiritum prolificum in ſemine, eſto ſubtiliſſimus ille ſit & aëreus, proinde facilè diſſipabilis fouere ac conſeruare. Id enim etſi hominum diligentia, ac ſolertia fieri nequeat, non eſt negandum tamen dæmonibus, qui longè plura quàm homines norunt, qui ne tam ſubitò exhalent ſpiritus illi ex calore cæleſti confouere, ac circumſepire nouerunt, atque ita illud ſemen eo momento, quo mulier ad concipiendum optimè ab ipſis diſpoſita cognoſcitur (id enim Angelus probè ſua perſpicacitate ſcire poteſt) vtero infundere, vel naturali vi attrahendum porrigere, ac muliebri ſemine miſcendum exhibere; ita vt omninò imitari poſſint homines, ſolúmque differentia temporis ſit; quod hominis emiſſio eſt immediatè in vuluam; dæmonis verò emiſſio non eſt immediatè. Sed hoc parum refert, cùm conſtet mulieres in balneis quoque fœtum concepiſſe, attracto in vterum ſemine ab hominibus ibi relicto; vt etiam pòſt dicetur. Ergo tunc proles generabitur, vt dicebant Ricardus & ſanctus Bonauentura. Neque enim difficile vllum argumentum eſt, quod contra hoc obiici poſſit.

A. Doctor. S. Auguſt. Ricardus. S. Bonauent.

***

A

Non poſſe dæmonem ſuccubum prolem concipere, eámque progignere, & cur. §. 6.

EX hac propoſitione ita probata; Colligitur primò, non poſſe dæmonem ſuccubum generare, vt docent citati Theologi nam etſi fortaſſe in ipſo puncto conceptionis par vtriuſque parentis conatus, & fortè etiam maior ex parte viri, tamen materia quam ſuppeditat mater, debet eſſe in organo apto, vt fiat fœtus, eáque temperatura carnis, ac cæterarum concurrentium conditionum exigitur, quæ extra illa organa naturalia ab Angelo fieri non poſſunt applica-

B

tione efficientium ac naturalium cauſarum. quandoquidem fiunt illa ex ſemine, non quidem momento, ſed temporis tractu, cùm ſcilicet ſemen in corpus organicum commutari debeat, vt fiat mirabilis illa humani corporis fabrica. Nec minor requiritur vegetantis animæ operatio, vt fœtus intra matris viſcera foueatur alatúrque. Ita vt eadem de cauſa dæmon ex ſe formare non poſſit humanum ſemen, ob defectum ſcilicet corporeorum organorum, nec poſſit fœtum concipere ac fouere, nimirum ob defectum innumerabilium naturæ arcanorum, quæ in humano corpore ad fœtum natura ipſa

C

penitiſſimè coaptauit. Itaque multò plura requiruntur, vt dæmon alterius in ſe ipſo ſemen ad fœtum ſeruet, quàm illud in matricem infundat, generétque. Vnde rectè ſanctus Epiphanius, vt diximus intulit: *Si dæmon à corporibus aſſumit, & concipit, non amplius eſt ſpiritus, ſed corpus.* S. Epiphan.

At quid dicemus, cùm nonnulli ex dæmone ſuccuba geniti narrentur? Nam alium è marina ſuccuba è Lutzemburgenſi Meluſina etiam ſuccuba; alios etiā ex aliis ſuccubis videas apud Delrium vbi ſuprà. Qui etiam illud affert de quodam nobili Bauaro, huic ſcilicet cùm defun- Delrius.

D

ctam vxorem ferret impatientiùs, quadam nocte fœminam rediiſſe, & ex ea liberos ſuſcepiſſe; quæ tandem vt prædixerat veſte muliebri marito derelicto euanuit.

Mirum quoque eſt quod narratur ex Vierio lib. 2. de præſtigiis dæmonum cap. 46. qui id deſūpſit ex Vincentio lib. 3. hiſtor. vt refertur apud Theatrum vitæ humanę vbi ſuprà fuiſſe *in Sicilia ſub rege Rogerio iuuenem quendam ſtrenuum & natādi peritum circa noctis crepuſculum lucēte luna in mari lauaſſe, & mulierem poſt ſe natantem crinibus apprehendiſſe, tanquam ex ſociis aliquem, qui eum mergere vellet. quam alloquens ne verbum quidem extorquere poterat. quam tandem opertam pallio domum duxit, & in vxorē ſolemniter accepit. Increpatus aliquando à ſocio quod* Vierius. Vincentius.

E

phantaſma complexus eſſet, expaneſcens gladio extracto coniugi minabatur, ſe filium quem ex ea ſuſceperat interfecturum niſi ipſa loqueretur, ſuámque fateretur originem. Quæ væ inquit miſero tibi, vtilem perdis vxorem dū me fari cogis. Tecum manſiſſem ac in rem tuam eſſet ſi iniunctum mihi ſilentium permiſiſſes. Nunc autem poſthac me non videbis, & è veſtigio euanuit. Puer autē adoleuit, & marinum cœpit frequentare balneum. Tandē die quodam puerum rapit phantaſtica illa mulier. Hæc ibi.

Reſpondendum tamen his & ſimilibus altero ex his modis poſſe ex ſuccubis dæmonibus videri prolem reperiri. Vel primò, ſi dæmon aliunde, mulierum infantes aſportet, ſuóq; eos ex vtero proferre ſimulet. Similia naq; ex dæmone refert S. Aug. lib. 18. de ciu. Dei c. 18. de Iphigeniæ

niæ ceruā, ac Diomedis auibus *pro illa certam suppositam esse, ac pro illis aues, &c.* Vel secundò, si ab alio dæmone infantuli forma suscipiatur, qui se nasci atque adolescere mentiatur. De his vide Sprengerum 2. p. mallei q. 2. c. 7. Guilelmū Parisiensem p. vlt. de Vniuer. c. 25. Cuiusmodi putat Serarius fuisse Dessaniç puerum illum, qui vltra duodecimum annum adoleuit, & ciborum vt ait ipse, tantum quantum rusticis, frumentique trituratorib. quatuor suffecisset deuorabat. Et rursum illum alium prope Halberstadium, qui sugendo lac & matrem, & quinque alias fœminas iam exinaniuerat. Talem etiam arbitratur Delrius vbi suprà fuisse puerum, quem per Galiciam & Asturias Hispaniæ mendicus quidā summa cum defatigatione humeris baiulabat. *Cùm autē quidam ex nostris* inquit Martinus ibi *eum in itinere repertum prope flumen vt transuaderet, misericordia motus retrò se in iumentum sustulisset, vix valida bestia potuit eum in alteram ripam exponere. Paulo post mendicus deprehensus fatetur, eum puerum non puerum sed diabolū fuisse, qui sibi promisisset, omnes se ei ad eleemosynas conferendas pellecturū, quādiu sic circumferretur habitu pueri morbosi, & fasciis inuoluti.* Hæc Delrius.

Sprengerus. Guil. Paris. Serarius. Delrius.

Hic etiam quæri posset; Vtrùm dæmonis vi fieri queat vt virgo & mente, & corpore permanens, non tamen sine virili semine concipiat. Sed quia non facit ad nostrum institutum, & multa è fœminarum latebris essent exponenda; non curo quicquid hac in re dicatur. Legi possunt ea quæ scribit idem Delrius eodem loco §. *His consentaneum est*, vbi id affirmat. Sanè A. Doctor quodlib. 6. a. 18. ait. *Posse fortè mulierem absque miraculo salua omnimoda virginitate concipere, sicut dicitur de quadam puella pubescente, quam propter pudoris custodiam in lecto suo Pater habebat, qui dum somno pollueretur, semen ad matricem descendit, & puella concepit.* Hæc A. Doctor.

A. Doctor.

Illa generatio quæ Dæmoni attribui potest actus vitalis non est. differitúrque de generatione gigantum. §. 7.

Colligitur secundò: Vtrùm eo modo quo diximus, dæmonem generare sit actus vitalis annon, vt contendebant auctores in primo argumento Primæ sententiæ. Negandum enim id omninò est; quia hoc pacto dæmonem generare posse nihil est aliud, quàm posse applicare vim prolis effectricem, quæ est in semine humano ipsi materiæ dispositæ in vtero muliebri. Hoc autem pacto applicare non est actus vitalis, sed omninò extrinsecus, & ab agente non viuo fieri posset si casu coniungerentur. quemadmodū ex A. Doctore iam dixi a. illo 18. Idem patet de ea quæ suscepit semen āb alio relictum in balneo. de qua re multi recentiores. Quare etiamsi casu applicetur sine vllo principio vitæ, applicāte fiet generatio prolis. nō ergo actus est vitalis.

A. Doctor.

In quo discrimen est inter generationē quæ est opus vitæ, siue sit animalium siue cęterorum viuentium, & generationem quam Dæmoni incubo attribuimus. Quòd generatio quæ est opus vitæ in animalibus, est actio qua remotè generat; hoc est, qua emittit à se decisum semē, per quod tanquam per instrumentum deinde generat in vtero fœminæ re ipsa filium in actu secundo. & hæc esse non potest nisi à potentia viuentis. quia talis generationis definitio est:

A origo viuentis à viuente coniuncto, &c. de qua re A. Doctor q. 27. a. 2. nempe processio virtutis generatiuæ quę est in semine; quod est à mouente coniuncto, vt suprà diximus. Est ergo huiusmodi processio actus vitæ ex parte maris. Est enim actio viuentis potentiæ dum ex se fundit semen à se decisum per spiritus & organa, quæ mouentur à virtute motiua viuentis, vt etiam diximus de motu progressiuo. Sunt autem necessarij spiritus. quia vt ait Aristoteles libro 7. de histor. Animal. cap. 7. *cùm semen genitale exit, spiritus antecedit, & quiacm ipso exitu constat agi cum spiritu. nihil enim procul sine violentia spiritus proyci potest.* Est ergo opus vitæ, quod est secretio seminis emissioque. At verò generatio quam at-

A. Doctor. Aristoteles.

B tribuimus dæmoni, non est huiusmodi actus vitæ, sed sola applicatio seminis agentis cum sua materia; ex qua applicatione dicitur aliquo pacto dæmon generare. Sicut is qui applicat ignem domui conflagrandæ, dicitur domū ambussisse. & generans quòd elementa extra suum locum produxit mouere illa ad suum locum; vt loquitur Aristoteles lib. 8. Phys. vt suprà dictum est; & fusiùs infrà dicturi sumus.

Colligitur tertiò; vtrùm ex huiusmodi dæmonis concubitu cum muliere possint nasci gigantes. nam si gigantes possunt nasci aliquando ex humano semine; ergo poterit dæmon illud applicare ad generationem, vt gigantum moles ef-

C formetur. Suppono autem ex omnium gentium consensu generari aliquando gigantes; hoc est homines insigni mole ac vastitate corporis; vt ex variis auctoribus confirmant Pererius noster in cap. 6. Genes. disp. 4. & Delrius vbi suprà §. *Vltima in hac quæstione.* Sanè Tertullianus libro de Resurr. carnis cap. 42. docet suo etiam tempore fuisse gigantum cadauera. *Nec gigantum* inquit *antiquissima cadauera deuorata constabit quorum crates adhuc viuunt. diximus iam de isto alibi, &c.* Horum etiam genus expressè asseruit Ambrosius lib. de Noë & arca cap. 4. Cassianus collat. 8. capite 21. Theodor. q. 48. in Gen. Cyrill. vt mox citabo; aliique Patres omnes supponunt.

Pererius. Delrius. Tertullian. S. Ambros. Cassianus. Cyrillus.

D Non negarim tamen multos Patres interdum de gigantibus tanquam de fabulis locutos esse; vt Cyrillus libro 9. in Iulianum, vbi negat nos cum Græcorum Poëtis asserere gigantes fuisse *tam sublimibus corporibus, vt & insulas è medio mari rapiant, & in cœlum proiiciant.* Qua etiam in re reprehendit Poëtas libro 3. in Genes. non longè ab initio. *Nullo nos pacto* inquit *falsis gentilium rationibus assentiemur. qui enim inter eos eloquentes in primis habiti sunt Poetæ, &c. Quorum alius Siciliam totam ab vno gigante in cœlum proiectam cecinit, &c.* Nos autem *gigantes illos esse intelligimus, qui horribiles visu, robore incomparabiles, indomiti inuictique homines ob corporum magnitudinem fuerunt.* Quæ gi-

E gantum descriptio bene declarat, quid nomine gigantum intelligere debeamus. Vnde S. Augustinus libro 15. de ciu. Dei cap. 9. *de corporum magnitudine* inquit *plerūque incredulos nudata per tempestatem siue per vim fluminum variósque casus sepulchra conuincunt, vbi apparuerunt, vel vnde ceciderunt incredibilis magnitudinis ossa mortuorum.* addit quid ipse viderit: *non solus, sed aliquot mecum Vticensi littore molarem hominis dentem tam ingentem, vt si in nostrûm dentium modulos minutatim concideretur centum videretur nobis facere potuisse.* Legi etiam potest Plinius libro 7. cap. 16. & Scaliger exercit. contra Cardanum 263. & libro 13. Poëtices; & alij penè

S. August. Plinius. Scaliger.

penè innumeri apud Theatrum vitæ humanæ volum. 2. lib. 2. initio.

Deuter. 3. Sed ad hanc ipsam de gigantibus positionem confirmandam aperta afferri possunt sacrarum literarum testimonia. nam Deuter. 3. cùm Israelitæ in Amorrhæos irruissent duce Moyse, solus adhuc è gigantum reliquiis superestat Og Basan Rex, qui sexaginta oppidis imperabat, & tamen cum omnibus suis ad internecionem deletus est. *Solus quippe* inquit Scriptura *Og Rex Basan restiterat de stirpe gigantum.* Addit ne dubites intelligi oportere verum gigantem : *Monstratur* inquit *lectus eius ferreus qui est in Rabbath filiorũ Ammon nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* Fuit etiam Arba gigas maximus Pater Enaqui, à quo nomen habuit vrbs Cariatharba: Hebron postea dicta. è qua Calebus Iephonis filius expulit tres Enaquinos; Sesaim, Achimanem, & Tholmaim. Iosue 14. vt videri potest in libro Iosue cap. 14. & 15. Idẽ patet de Goliath, quem Dauid Rex funda interemit. Item de Isbosenebo Palæstino ab Abisæo Saruiæ filio; de Sapho à Dauidis milite interfectis. 2. Reg. 21. de altero Goliatho cuius hastæ lignum erat instar iugi textorij 1. Paral. cap. 20. & alibi. Ex quibus etiam patet cùm Genes. cap. 6. mentio fit gigantum non esse locum illum allegoricè interpretandum, ac si res fabulosa sit. in quem locum legendi sunt interpretes hæc ipsa verba de gigantibus explicantes.

2. Reg. 21. 1. Paral. 20. Gen. 6.

Peretius. Delrius. A. Doctor. Hoc supposito aio posse hos generari concubitu dæmonis. quam sententiam nonnulli docuerunt apud Pererium loco cit. idémque affirmat etiam Delrius eodem loco vbi supra. Expresse etiam id affirmat A. Doctor q. 6. de Pot. a. 8. ad 7. & in 2. d. 8. q. 1. a. 4. ad 3. Docet enim posse dæmones applicare semen tantæ virtutis, vt ex eo generari possint homines magni corporis & fortes, quos dicimus gigantes. vnde & nomen gigas, naturale denotat robur non acquisitum. & hoc pacto aptè Christum dici gigantem, cuius est omne robur connaturale, obseruat Lorinus (Lorinus.) in Psal. 18. vers. 7. Id tamen negant duo viri doctissimi noster Peretius ibidem, & noster Lorinus (Peretius. Lorinus.) in cap. 14. Sap. vers. 6. Ait enim generatim, incubos & succubos dæmones à multis concedi: *etsi forsan* inquit *irritus videatur potius ad prolificandum conatus.* Fundamentum Pererij est: propterea quòd extensio corporis humani prouenit ex materia; nempe ex materiæ vel copia vel penuria. At materiam humani corporis totam fœmina ministrat secũdùm Aristotelem. ergo hæc extensio non generanti, sed mulieri tribuenda est. Non est autem probabile à fœmina tantum materiæ subministrari posse.

Valesius. Verùm licèt hoc ingeniosè dictũ à viris egregiis sit, tamen aliter sentiendum nobis videtur: Rationem affert Valesius libro de sac. Philoso. cap. 8. quia si dæmones seligant semen crassissimum spiritibus affluens ac seri expers (quod ipsis non erit difficile conquirere ex hominibus robustis & gladiatorij corporis, quibus succumbant) mulieribus verò similis cõditionis incumbant, non erit difficilis gigantum generatio. quæ cùm ipse fusiùs prosequatur, libens prætereo; ne in re quæ lubrica videri potest diutius quàm deceat consistere videamur.

A. Doctor. Rectè etiam A. Doctor in eo art. 8. ad 7. confirmat *possibile esse quod per talem modum homines fortiores generentur & maiores : quia dæmones volentes in his effectibus mirabiles videri obseruando determinatum situm stellarum, & viri & mulieris dispositionem, possunt ad hoc cooperari. & præcipue si seminis quibus vtuntur sicut instrumentis per talẽ vsum aliquod augmentum virtutis consequatur.* Idem prorsus docet in 2. a. illo 4. ad 3. præcipue verò ibi requirit vt animaduertat dæmon *mulierem proportionatam ad seminis illius susceptionem, & etiam constellationem iuuantem ad effectum corporalem, scilicet optimæ complexionis in genito,* &c.

Ex his ergo aio, licèt fœmina subministret materiam, tamen non totam, quæ deinceps ad fœtum dum crescit accedit præbeturque. atque ita satis erit si talis suppeditetur, quæ sit fundamentum & conceptaculum magni caloris & virium generosarum, vt deinde crescente ætate in procerissimum, ac robustissimum corpus adolescat. Nam sanè qui nati aliquando sunt gigantes ex talis materiæ à fœmina subministratæ primordiis progenitos esse oportuit. Idẽque etiã dictum volo contrariis adhibitis causis de pigmæis, ac pumilionibus. de qua re à nostro Delrio ibidem rectè disputatum est. Delrius.

Satisfit argumentis oppositæ sententiæ quo nostra tradita doctrina stabilitur magis. § 9.

Ex his responderi potest ad argumenta Partis negantis. Ad illud enim positum initio ex Vlrico respondeo, spiritum emitti vnà cum semine compactum, atque ita posse vnà cum ipso semine conseruari à dæmone, qua præditus est solertia ac rerum peritia. Vt enim ait A. Doctor in eadem solutione ad 3. dæmones velocissimè mouentur, *& possunt aliqua ponere ad conseruationem seminis, ne calor vitalis euaporet.* Vlricus. A. Doctor.

Ad aliud ex Ponzinibio nego omnia quæ fiũt à dæmone esse illusoria, vt suprà diximus; & bene contra ipsum agit Barptolomæus de Spina loco citato. Pózinibius. Barptol de Spina.

Ad illud de semine quod spumosum sit, vigénsque tenuissimo calore, dico nihil officere nostræ sententiæ. nam breui tempore, adhibitisque vt diximus causis conseruatricibus, potest dæmon continere illas partes. quod magis persuadebitur iis auctoribus, si animũ adiiciant ad ea etiam, quæ naturaliter facta sunt. sic enim in balneo illo, & lecto patris seruatum cum suis spiritibus est semen prolificum, vt dictum est ex A. Doctore.

Ad confirmationem dico eodem modo: nam concedo illos spiritus esse separabiles à semine, & facilè euanescere; sed nego nõ posse ad breue seruari tẽpus. vnde nego statim, hoc est momento dissolui, præsertim adhibitis iis, quæ continere eius vim aliquanto temporis spatio possunt.

Quod verò attinet ad illos Patres Chrysostomum, & alios, dico hos solùm negare, dæmones posse gignere filios, tanquam ex se semina fundant, eo quòd incorporeæ naturæ sunt, vt ex iis retuli suprà q. 5. non tamen negare applicatione humani seminis posse generare; quia ad hoc non requiritur, vt ipsi Angeli sint corporei. Chrysost.

Ad illud ex Plutarcho dico verum esse, si de Diis cœlestibus hoc est sanctis Angelis sermo sit. Nam vt ait A. Doctor in eo a. 8. ad 5. *Angelis bonis* Plutarchus. A. Doctor.

bonis generare nunquam attribuitur. neque enim qui sancti sunt & beati, labi in has turpitudines aut quæuis peccata quantumuis parua possunt. Si tamen de dæmonibus & geniis, quos ipsi falsò Deos arbitrabātur, iam dictum est, & ipse etiam alicubi non potest negare si tradidit aliquando, Alexandrum magnum è dracone genitum, & alia huiusmodi.

Plato. Platonem autem variè locutum esse patet ex dictis, nec mirum esse cum Plato, vt dixi q. 50. non admodum constanter quædam docuerit ob eorum qui in dialogismo loquuntur varietatem. Idémque de Seneca; quoniam in Tragœdiis variè sentientes dicunt, ac variè loquentium personas agunt ipsi Tragœdi.

Ad primum nego esse actum vitalem; vt dixi in secundo *Colligitur.* fœmina verò & mas sunt principium generationis non sola applicatione seminis, vt dæmon, sed emissione vitali; vt dictum est.

Ad secundum dico, Deum concurrere ad omnem actionem realem; ideóque nec absurdum esse, si ad ipsam generationem & formationem tum corporis tum animi concurrat tāquam causa vniuersalis. Neque enim hoc erit concurrere ad peccatum, aut illius auctorem esse. Sicut nec sequitur Deum esse auctorem peccati, etiamsi cum sacrilegis, atque libidinosis actionib. concurrat: vt probatur latiùs in P. 2. Quòd ergo dæmones ad fallaciam moliuntur, ipsorum est peccatum, non Dei concurrentis. Sicut etiam cùm Deus ad actiones reales hominum quæ malæ sunt, concursum suum præbet.

Ad confirmationem quæ est tertium argumentum respondeo, dæmonem non vno tantùm modo misceri cum mulieribus, quas interdum non vult delectare sed angere, vt fusiùs notat Delrius, vbi suprà; non tamen hinc efficitur, vt dæmon non possit istas mulierculas voluptate afficere, & ex illis prolem generare, si permittantur. Delrius.

Ad quartum, si hæ generationes non sunt frequentes est, quia Dei benignitas eas frequentes non permittit: sicut etiam prouidè multorum aliorum peccatorum occasiones non sinit esse frequentes.

Ad quintum respondeo, ex omnibus Theologis locis citatis præsertim A. Doctore hîc ad 6. non fore illum qui nascitur dæmonis filium: Ratio est manifesta, quia illius est filius, cuius semen est instrumentum, & cui assimilat ipsum genitum, cùm generatio sit origo à viuente in similitudinem naturæ. At hoc semen nec est instrumentum dæmonis, nec ipsi hominem assimilat in natura. Erit ergo, vt iidem auctores docent filius eius hominis, cuius semen dæmon tulit ad generationem. Cur autem dæmones non gene- A. Doctor.

A rent dictum est. Ad vltimum iam diximus in primo *Colligitur* quæ sit disparitas, cur dæmon incubus possit generare, non tamen succubus formare in se prolem, propterea quòd ad formandam in se prolem organa atque actiones vitæ requiruntur: quæ vt sit incubus non sunt necessariæ. & ideò non concedimus formari fœtum sine organis ad finem à natura constitutis.

Tandem ex his ad caput Difficultatis initio propositæ respondetur ex dictis in secunda Propositione, dæmones nimirum licèt aliquo modo generare homines possint, non tamen verè ac propriè. Probatur ex dictis vtraque pars: Quia possunt applicare semen, ex quo sequatur generatio; atque ita vt diximus aliquo modo dici possunt generare; & ita est vera prior pars; non ta-


B men emittendo ex se verum semen, quo tāquam instrumento sibi assimilent genitum. quod est propriè generare, vt dictum est.

Hic etiam postremo loco notari oportet, etsi demus dæmones posse ex hominum semine facere, vt liberi generentur, atque adeò gigantes; tamen id non esse concedendum cuicunque dæmoni, sed certis ac determinatis. Nam vt auctor mallei maleficarum p. 1. q. 4. §. *Responsio* obseruat *hæ spurcitiæ ab aliquibus infimis perpetrantur, à quibus superiores propter nobilitatem naturæ secluduntur.* Cui consentiunt Ioannes Nider cap. 9. cit. & Syluest. libro 2. de Strigimagis cap. 3. pun. vlt. Quemadmodum enim naturarum est diuersitas, ita & in singulis diuersitas munerum esse debet. Quod Malleus malefica. Io. Nider. Syluester.

C etiam mirè congruit diabolicæ nequitiæ; qua vt magis homines impugnentur ordinatiùs pugnant. vnde vt ait Syluester apud sanctos sub Satana rege Tartareo, sunt duces qui de luxuria, qui de gula & huiusmodi tentant, & satellitibus suis pro cuiusque natura consentanea ingenio ac nequitiæ ipsorum mandent imperia. Fortasse Cassianum significare voluit Collat. 7. ca. 17. vbi ait: *vnicuique vitio certos spiritus incubare; nec omnes dæmones vniuersis hominibus inferre passiones.* Idem patet ex S. Ambrosio libro de Paradiso cap. 12. vbi docet *quædam tentamenti genera per principem huius mundi* in nos exerceri: esséque *alias potestates quæ veluti colluctantur nobiscum*, &c. *Sunt & alij ministri* inquit *qui & cordis & vocis suæ infectas ve-* Cassianus. S. Ambrosi.

D *neno, velut verborum suorum iactāt sagittas,* &c. Subscribunt huic sententiæ cæteri ferè Patres; vt Augustinus in quęst. ex vtroque testamento cap. 105. Hieronymus vt suprà retulimus & alij. Quæ etiam est aperta sententia Magistri in 2. d. 6. Id tamen intelligendum est, vt sibi mutua ferant auxilia; & vnus interdum varias nocendi artes experiatur, vt obseruarunt alij Patres; de quibus noster Lorinus in cap. 5. Actorum Apostolorum versu 16. Atque hæc dicta sint de tota hac quæstione 51. S. August. S. Hieron. Magister. Lorinus.

QVÆSTIO



QVÆSTIO QVINQVAGESIMA-SECVNDA,

DE COMPARATIONE ANgelorum ad loca.



Einde quæritur de loco Angeli.

Et circa hoc quæruntur tria.

Primò. Vtrùm Angelus sit in loco.

Secundò. Vtrùm Angelus posit esse in pluribus locis.

Tertiò. Vtrùm plures Angeli possint esse in eodem loco.

QVod prooemio huius operis obseruauimus, ante considerationem Angelicarum operationum præmittenda erat ea doctrinæ pars; quæ ipsam Angeli substantiam, & quæ eidem substantiæ ante omnem operationem inesse intelliguntur explicet. Inter ea autem esse Angelorum locum de quo proximè post cuiuscunque substantiæ explicationem disputari oportere confirmatum ibidem ex Aristotele à nobis est. A.Doctor. Idcircò A.Doctor in hac q.52.Angelici loci tractationem proximè ad superiores quæstiones, quibus de ipsa substantia copiosè disseruit, inchoauit. vt hic eadem repetere necesse ampliùs non sit. Quærit autem art.1. An sit Angelus in loco, simúlque quæstionem quid sit Angelum esse in loco dum docet quæ sit eius ratio per quam est in loco complectitur. in 2.& 3. articulis eiusdem rei proprietates examinat. in 2. quidem an vnus angelus possit esse in pluribus locis. in 3. vtrùm plures in vno. quibus examinandis multa huc ex Philosophis ac Theologis pronunciata transferenda. Si quidem quin hac in re ex analogia ad corporum loca philosophandum sit, nemini dubium esse potest. Sit ergo



ARTICVLVS PRIMVS,

Vtrùm Angelus sit in loco.

1.d.37.q.3. a.1.2.& 2.d. 6.a.3.& Pot. q.3.a.19.& quol 11.q.1.



*D primum sic proceditur. Videtur quòd Angelus nō sit in loco. Dicit enim Boëtius † in lib. de hebd. Communis animi conceptio apud sapientes est, incorporalia in loco non esse. Et Arist. in 4. Phys. * dicit, quòd non omne quod est est in loco sed mobile corpus. sed Angelus non est corpus vt suprà ostensum est. † ergo Angelus non est in loco.*

† Boet. in l. an omne quod est bonum sit, circa princ. * l. 4. Phys. tex.45.&57. to.2. † q.50.a.1.

2. Præterea locus est quantitas positionem habens. omne autem quod est in loco, habet aliquem situm: sed habere situm non potest conuenire Angelo, cùm substantia sua sit immunis à quantitate; cuius propria differentia est positionem habere. Ergo Angelus non est in loco.

*3. Præterea. Esse in loco est mensurari loco & contineri à loco, vt patet per Philosophum in 4. Physic. * sed Angelus non potest mensurari, neque contineri à loco; quia continens est formalius contento, sicut aër aqua, vt dicitur in 4. Phys. † Ergo Angelus non est in loco.*

* libr. 4. ex tex.119. † l. 4. Phys. t.35.& 4.to. 2.

*Sed contrà est quod in collecta dicitur: * Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant.*

* In collecta quæ solet cantari in completorio.

Respondeo dicendum, quòd Angelo conuenit esse in loco. æquiuocè tamen dicitur Angelus esse in loco & corpus. Corpus enim est in loco, per hoc quod applicatur loco secundum contactum dimensiuæ quantitatis. quæ quidem in Angelis nō est; sed est in eis quantitas virtualis. Per applicationē igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locū, qualitercunq, dicitur Angelus esse in loco corporeo. & secundū hoc patet, quod nō oportet dicere,

 quòd

quòd Angelus commensuretur loco, vel quòd habeat situm in continuo. hoc enim conuenit corpori locato prout est quantum quantitate dimensiua. Similiter etiam non oportet propter hoc quòd contineatur à loco: nam substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream, continet ipsam, & non continetur ab ea. anima enim est in corpore, vt continens, & non vt contenta. Et similiter Angelus dicitur esse in loco corporeo non vt contentum, sed vt continens aliquo modo.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Explanatio & Confirmatio eorum quæ hic dicuntur.

A.Doctor. RESpondet A.Doctor Angelum esse in loco, idque optima ratiocinatione probat.

Aliud ab A. Doctore probari in argumento, sed contra, aliud verò in articuli corpore. § 1.

ANtequam autem eiusdem A. Doctoris rationem explicem, illud sciendum est, duo hic præstari ab ipso. Vnum quidem in argumēto *Sed contra*; vbi directò ad quæstionem respondet ex principiis Catholicæ fidei ostendendo Angelos esse in loco: Quia in Collecta Completorij Ecclesia orat Deum, *Angeli sancti habitent in ea.* Ergo supponitur Angelos esse in loco. Alterum in articuli corpore, vbi non probat Angelum esse in loco, sed Angelum esse in loco per applicationem virtutis. quod diligentiùs notandum videtur, quia facilis alioqui lapsus erit ad eius methodum improbandam. quandoquidem ratio articuli conclusioni videtur non congruere. Id autem familiare est apud A. Doctorem, vt notaui A.Doctor. suprà q.50. a.1. Quæst.1. Quòd scilicet frequenter in argumento *sed contra* respondeat conclusioni: Explicet autem in corpore, conclusionis aut rationem aut congruentiam, ne summam scribenti breuitas eripiatur.

Quanquam fateri oportet dum efficaciter ostenditur Angelum esse in loco per applicationem virtutis, implicitè quoque ostendi ipsum esse in loco. certum namque est, si de aliquo demonstretur prædicatum aliquod, quod aliquo posterius sit, hoc ipso quæ priora sunt, eique antecedere necesse est demonstrari. Vt si probem cœlum esse sphæricæ figuræ, demonstrabo pariter cœlo inesse quantitatem quæ figuræ supponi debet.

A.Doctor. Itaque in corp. art. A.Doctor probat, Angelum esse in loco per applicationem virtutis hoc pacto. Corpora enim sunt in loco per applicationē contactus dimensionum quantitatis; Ergo & Angeli debent esse in loco per applicationem alicuius contactus. Siquidem, vt dixi, ad res ignotas ac spiritales proueniēdum nobis est, ex analogia ad ea, quæ notiora nobis sunt, nempe ex analogia corporum. quandoquidem nullus alius nobis aditus ac via datur ad minus nota procedendi. Cùm autem in Angelo non sit contactus quantitatis, debet esse contactus virtutis. Ergo sunt in loco per applicationem contactus virtutis. Idem

A autem est dicere per applicationem virtutis, & per applicationem contactus virtutis: quemadmodum idem est asserere corpus esse in loco per applicationem quantitatis, & per applicationem contactus quantitatis. Vnde hoc ipso quòd applicatur virtus alicuius applicatur eius contactus. Virtutem enim alicuius contingere aliud, nihil est aliud nisi illi esse proxime & immediatè applicatam, itaut eius virtutis effectus possit in illud proxime deriuari. Sic enim cum lignum potest calefieri ab igne, applicatum est virtuti ignis, quà proxime incalescere, accendique potest.

B Solùm difficultas est, cuinam veritati principiorum nitatur proposita eius argumentationis consecutio, ob duplicem quæ contra fieri potest, difficultatem. Nam primò si corpora sunt in loco per applicationem contactus; ergo per motum, qui est eiusdem contactus, ac dimensionum applicatio. nam ne fingi quidem potest quanam alia ratione corpora applicentur præter motum. Hoc autem est falsum; nam possunt esse in loco sine eo, quòd per motum applicentur, vt cum initio creata sunt, suum quoque locum adepta sunt: vt terra intra aëris ambitum, & arbores in terrestri Paradiso, & cætera similia sine vllo præuio motu. Deinde esto sit verum antecedens, tamen negari sequela potest: nam ideò cor-
C pora debent esse in loco per applicationem quantitatis; quia necesse est corpus finitæ ac certæ dimensionis tangat aliud corpus ambiens, quod sit locus; si intra vltimam cœli sphæram, & non in vacuo spatio sit. Vnde ob hanc rationem ipsa vltima sphæra non est in loco per huiusmodi contactum; quia extra cœlum non est corpus ambiens quod eam complectatur. quę est doctrina Aristotelis libro quarto Physicorum, Aristoteles. contextu quadragesimotertio. *Cùm* inquit *corpori est aliquod corpus extra continens ipsum, hoc in loco est; cui verò non, minimè.* & ideò cont.45. negat, cœlum
D esse in loco. propterea quòd vt ipse ostendit libr. 1. cœli, cont.100. extra cœlum neq; corpus vllum est, nec vacuum vllum. Ratio ergo cur corpora sint in loco per applicationē contactus, est quia ipsa finitæ quantitatis sunt, & habent corpus, quod ea extrinsecùs ambiat. hęc autem ratio cessat in Angeli contactu per eius virtutem. nam non est necesse, vt Angeli virtus alicui extrinseco corpori applicetur, à quo ambiatur, cùm Angelus ambiri non possit; cùm loco circumscribi corporum proprietas sit, fatente id quoque A. Doctore hic & in a.2. seq. vbi *corpus* inquit *in loco* A.Doctor. *est circumscriptiuè, quia commensuratur loco; Angelus autem non circumscriptiuè cum non commensuretur loco, sed definitiuè* &c.

E

Cùm Angelus vel corpus dicuntur hic ab A. Doctore esse in loco per applicationem virtutis, &c. intelligendum est de applicatione formali, non de applicatione quæ sit actio, & cur. § 2.

AD solutionem Notandum est primo omne corpus, quantum est de se, indifferenter se habere, vt huic vel illi loco determinatè applicetur, cùm possit esse nunc sub ex his vno, nunc sub alio, vt eadem columna quæ nunc est

est hic, potuit & potest esse alibi. Vnde vt in vno loco determinato potiùs sit quàm in alio, indiget determinante forma, quæ sit ratio, vt in eo determinato sit & non in alio, vt infrà accuratè ostendetur. Itaque illa forma per quam formaliter huic determinato applicatur loco corpus, erit applicatio formalis. quia omne applicatum cùm sit concretum alicuius formæ intrinsecæ, vt infrà ostédemus, debet esse per aliquam formam intrinsecam, ac proinde quæ sit applicatio formalis; sicut omne dulce est per formam quæ sit dulcedo formalis.

Quocirca cùm ait A. Doctor, corpus esse in loco per applicationem contactus non satis est si intelligatur de applicatione, quæ sit efficientia ex parte agentis; sed etiam, & quidem præcipuè oportet id accipere de formali applicatione.

Primum patet; quia applicatio illa causalis vt dicitur, non est talis vel talis in specie, nisi ex termino formali, è quo omnis actio in specie determinata reponitur, vt calefactio est in hac specie calefactionis, quia est caloris productio; & sic de cæteris. Ergo illa causalis applicatio corporis ad locum erit talis, quia est productio sui termini; nempe formalis applicationis. alioqui ne applicatio quidem esset causalis; sicut nec illuminatio esset causalis calor, nisi ipsa esset productio ipsius formalis caloris.

Secundum probatur: quia cognito termino seu forma quæ formaliter corpus applicat, facilè scitur quænam sit actio ad illam formam. vt cognita natura luminis facilè infertur: ergo illuminatio est productio luminis, non autem cognoscitur actio quid sit, nisi ex cognitione termini. ergo præcipuè loquitur A. Doctor de applicatione formali, quæ est terminus applicationis causalis alioqui nihil omninò statuisset de applicatione; quia nec naturam actionis posuisset, nec terminum assignasset, In quibus explicandis tota hæc quæstio consistit. A. Doctor.

A. Doctor. Præterea idem constat ex verbis A. Doctoris. ait enim Angelum esse in loco per applicationem virtutis, sicut corpus est in loco per applicationem contactus; ex qua applicatione ait corpus circumscribi loco. quæ sine dubio est applicatio formalis. Ergo applicationem per quam formaliter res ipsæ sunt in loco præcipuè intelligit; Idque sanè meritò; quia eam intelligere debet applicationem, qua posita corpus & Angelus, resque cæteræ sunt in loco, & qua sublata non sunt ampliùs in loco. Id enim curat A. Doctor in hoc articulo vt ostendat per quid Angelus sit in loco ex proportione loci corporum, vt apertè patet ex verbis contextus. At de loco corporeo considerat eam applicationem qua posita corpus sit in loco, eique coæquetur, & qua sublata desinat esse in loco: quam rectè esse ait applicationem dimensionum, seu contactus quantitatis ad locum ambientem, secundùm quam circumscribitur loco. cætera enim quæ extrinsecus adesse & abesse possunt, accidunt ei quod est in loco, & per illa non sunt in loco, nec circumscriptiuè corpora, nec alia definitiuè; Vt quòd corpus sit album, dulce &c.

Ratio etiam addi potest, quia cùm dicitur est aliquid in loco per applicationem, debet esse propositio per se & non per accidens. qualis cùm dicitur: Musicus ædificat. quæ propositio per accidens est, quia continet terminos nullum ex natura rei nexum habentes essentiæ & proprie-

A tatis, vt suprà dicebamus. Ergo debet esse operatio, in qua prædicatum essentialiter à subiecto dependeat, vt si dicatur: Ædificator ædificat. Hæc namque ædificatio ab ædificatore essentialiter dependet. Ergo inter ipsum esse in loco, & ipsam applicationem per quam est ipsum esse in loco, vt sit essentialis ista connexio, debet esse aliquis essentialis respectus. At hic nullus esset, nisi sermo esset de applicatione, quæ sit forma huius concreti; nempe esse in loco. Constat enim posse corpus esse in loco, absque eo quòd vel ad ipsum sit essentialis respectus aut actionis aut motus, si iam istæ actiones esse desierint ad ipsum, aut ipsius ad hos actus. nam nec motus localis, nec quæcunque alia actio; per se re-
B spicitur ab eo quod est in loco, nisi quatenus sũt vel fuerunt productio eius formæ quæ est ipsa formalis applicatio.

Constat ergo præcipuè intelligendam esse applicationem formalem, non esse sermonem præcipuè de applicatione actiua, siue sit motus siue creatio, aut alia productio, quæ per accidens sunt. Et de motu quidem locali patet: quia potest in loco poni res sine motu locali per productionem substantialem in eo loco. Nec difficiliùs idem probari potest de creatione: non enim per creationem præcisè ibi ponitur, quia potest alibi creari, & non necesse est, vt sit in hoc loco determinato, & sic de cæteris. Ergo A. Doctor
C applicationem assignauit potissimum, qua ipsa res formaliter est in loco, siue quod idem est quę est ipsa formalis applicatio. Ex his

Notandum est secundò, rectè ex illo antecedente sequi consecutionem A. Doctoris, quæ nititur veritati syllogisticæ. Nam verum est illud antecedens; nempe corpora sunt in loco per applicationem contactus; hoc est, per applicationẽ formalem, qua corpus attingit circumplectẽtem locum, siue vt alij loquuntur per ipsam applicationem, qua corpus locatum est præsens locanti, ab eóque non distat. Quid autem hæc forma seu præsentia sit, disputabitur infrà. Ergo Angelus est in loco per aliquam similem formam,
D quę eiusdem Angeli sit formalis applicatio. nam quia vtrobique est similis effectus formalis, cùm tam Angelus quàm corpus sit in loco; ergo non debet esse dissimilis forma in eo quòd sit applicatio rei ad locum; licèt differre inter se debeant suis differentiis. A. Doctor.

Quoniam igitur est similis formalis effectus in genere, nempe esse in loco; assignanda quoque erat forma eadem quoad genus vtrobique. Sicut etiam quia in specie differunt, diuersitas etiam naturarum per specificas differentias dari oportebat. Quod egregie ex A. Doctoris in præsenti articulo doctrina optimè explicatur. Nam sicut
E corporum seu applicatio seu præsentia, est formalis applicatio contactus quantitatis corporis ad quantitatem loci, quia vt contactus definitur ab A. Doctore in 4 d. 10. q. 4. a. 1. c. est *coniunctio terminorum*, hoc est extremorum *duarum quantitatum*: Ita hæc applicatio seu præsentia Angeli est formalis applicatio & coniunctio quantitatis Angeli ad quantitatem loci. Atque hæc quidem est similitudo. A. Doctor.

Discrimen verò specificum est in eo: quòd quia corpora habent veram quantitatem, quæ loco cui applicatur, circumscribi debet, ideò illa applicatio esse debeat formalis applicatio veræ quantitatis ad locum; quia verò Angeli nulla est alia

alia quātitas nisi virtutis, ideò applicatio quantitatis Angelicæ esse etiam debeat formalis applicatio metaphoricæ seu analogicæ quantitatis; nempe virtutis; vt scilicet sicut per applicationem quantitatis corporeæ est formalis contactus dimensionum ad dimensiones; ita per applicationem quantitatis Angelicæ sit formalis applicatio virtutis ad dimensiones, vt patet expressè ex verbis A. Doctoris in art. relatis. Cur autem Angeli potiùs dicatur applicari loco quantitas virtutis, quàm ipsa substantia; ideò est, vt infrà dicam, quia non in alium finem proximum Angelus applicatur loco, nisi vt in eum aliquid agat operetúrque; ergo potiùs applicatur secundùm virtutem operatricem. Præclarè autem vsus est hac argumentandi ratione A. Doctor, nimirum à simili effectu ad similē formam. quia id optimum iudicauit, eóque vsum Aristotelem frequenter agnouit, præsertim de loco & vase libro 4. Phys. à cont. 41. vbi essentiam loci inuestigauit ab eo in quo locus est similis vasi. Quæ omnia A. Doctor ne à consueta breuitate recederet prætermisit vt nota.

Soluuntur argumenta aduersus prædictam applicationem. § 3.

QVare ad argumenta opposita dicendū corpora applicari loco per motum non esse propositionem necessariam, vt diximus, sed per accidens, licèt hæc propositio vera sit, & necessaria. *Corpus ab altero distans ei naturali modo applicatur per motum.* Quin impossibile est naturali modo aliter intelligi applicationem corporum quæ distabant, licèt aliter intelligi possit naturalis applicatio virtutis Angelicæ, vt infra dicetur. Tunc ergo sunt per applicationem quæ est motus, non quidem quà motus est quomodocumque, sed quà est productio eius formæ, quæ est formalis applicatio; quæ omninò exigitur, vt res sit in loco. atque ita concedo reliqua quæ dicuntur, sed nego ea infringere constantem A. Doctoris rationem, vt ex dictis constat. Ad secundum dico si verum est antecedens, veram esse sequelam vt deduximus.

Ad id verò quod addunt de causa cur corpora sint in loco, respondeo falsum esse. non enim quia corpus finitum est, & tangit aliud corpus ambiens, est in loco, licèt hoc ex iis necessariò consequatur, vt mox dicam: sed quia si causam formalem spectes habet talem formam seu rationem, quę ex sua natura rem in tali loco constituit, vt explicabitur infra. Si verò finalē quæras, respondendum est, quia debet aliquid boni ex eo loco sibi conquirere. omnia enim naturâ mouentur ad bonum; & quia non omnia vbique nascuntur & conseruantur, vt notat Aristoteles libro 8. histor. animal. cap. 28. ideò nunc ab vno loco, nunc ab alio recedunt, ad alium verò atque alium accedunt tum animantia tum elementa, si tamen hæc dimoueantur à suis locis. si denique vis efficientem dicimus eam esse vim motricem, atque effectricem eius formæ, per quam fit huic loco vel illi præsens. Itaque causa nō est finita quantitas, cur sit res in loco.

Aristoteles.

Dico tamen id necessariò consequi, quia impossibile est quin corpus quod sit finitæ quantitatis, contingátque extrinsecùs ambiens, non sit in loco, quia hoc ipso est intra superficiem corporis ambientis; & ideò cœlum non est in loco, quia nihil est extra quod ambiat. ergo necessariò sequitur; sicut etiam ex appropinquatione agentis ad passum necessariò sequitur actio, cùm tamen falsa sit propositio causalis: Ideò agens agit quia propinquum est, nisi sit impropria locutio, vt philosophi fatentur. Sed adhuc dico: Esto, quia corpus est finitæ dimensionis, sit in loco, dico etiam Angelum esse finitæ virtutis, & quia finita est, oportere applicari loco determinato, vt in eum agat. Sicut enim ex eo quòd corpus tantæ dimensionis sit, applicatur tanto loco determinato & non maiori; ita & Angelus quia finitæ virtutis est, applicari debet tanto loco & non maiori. quia vt infrà dicetur, non potest agere nisi intra determinatum ambitum. quo autem modo sit necesse Angelo etiamsi non ambiatur loco applicari loco, dicemus deinceps, nempe egere præsentia erga illud corpus vbi operari debet. ideò necesse dicemus esse, vt virtus Angeli extrinsecùs corpori applicetur. Atque hæc circa rationē A. Doctoris satis sint. Vt autem quæ dicta sunt ab A. Doctore solidiora à nobis cognoscātur, duobus quæsitis ea examinari oportet. Sit autem

QVÆSITVM PRIMVM,

Vtrùm Angelus sit in loco & quàm certum inter Theologos.

VIdimus in art. A. Doctoris nullam afferri Theologicam probationem nisi in argumento *Sed contra* ex illa Ecclesiæ Catholicæ collecta: philosophicam verò incredibili breuitate conclusam esse in comparatione ad locum rerum corporatarum, omnémque huius rei doctrinam eò redigi, vt Angeli dicantur esse in loco ob contactum virtutis ad locum; quemadmodum corpora ob contactum quantitatis ad ipsum eundem. Neque enim hæc aut hic aut q. 3. de Pot. a. 19. aut alibi ab A. Doctore ampliore explicatione tractata sunt. Fateor tamen sparsim nonnulla hac de re doceri, quæ ad præsentis materiæ intelligentiam conferre poterunt, quæ deinceps adducentur ad rem propositam declarandam. Quamobrem posteris & philosophis & Theologis amplum philosophandi stadium, in quo ipsorū excurrat industria reliquit. Et videndum primò: Vtrùm id constet, & quid sit Angelum esse in loco. Secundò, Vtrùm Patrum sententiâ Angeli verè sint in loco. Sit ergo

PRIMA DIFFICVLTAS,

An Angelus sit in loco. & quid sit Angelum esse in loco. vbi multa de Platonis Ideis commemorantur.

QVoad priorem difficultatis partem vt explicemus quid significetur cum dicimus Angelum esse in loco.

Notandum est primò multis variisque modis rem

tem aliquam dici posse esse in loco. Primò quidem generatim, vt significare solemus aliquid esse in loco per aduerbia locum significantia, qualis demumcunque is locus sit:sicut dicimus alicubi aliquid esse,siue alibi extra sit, siue non. Quo pacto Deus alicubi esse significatur cùm dicitur : est Deus in cœlo;est in animo; est in omni re & loco. & hoc pacto non est propriè esse in loco,quia potest dici de rebus omnibus etiam formis siue accidentia sint siue substantiæ quòd sint alicubi, hic vel ibi;vt ibi est anima; hic est albedo in subiecto,&c.Vt rectè obseruat A.Doctor suprà q.8. a.2. quo etiam dicendi modo accidentia ipsa loci sunt in loco, vt ibidem dicitur. immò & locus ipse aliquo modo dici poterit esse in loco;cùm, vt docet Aristoteles lib. 4. Phys.cont.47.*& locus sit alicubi.* Cùm tamen anima propriè non sit in loco, vt docet Aristoteles libro 4.Phys. cont. 45. nec albedo nec scientia, &c. nec ipse locus ne detur progressio in infinitum.vnde Aristoteles in eodem cont. 47. cùm dixisset locum esse alicubi subdit : *non autem vt in loco,sed vt terminus in terminato.* Hoc igitur pacto sine dubio potest dici Angelus esse in aliquo loco,quia alicubi esse affirmatur etiam ipse sicut cæteræ res.Nec Aristoteles dissentit libr. 8. Physic.cont.84. cùm primum motorem esse dixit in maximo circulo; nec de hoc disputamus in præsenti.

A.Doctor.

Aristoteles.

Aristoteles.

Alio modo pressiùs dicitur aliquid in loco per modum proprium loci; sicut locata dicuntur esse propriè in loco,eo quòd repleant locum, siue contineantur ab ipso,& definiantur, siue secùs, vt etiam patet ex A.Doctore ibidem. Et hac ratione omnia non solùm substantiæ corporeæ, sed etiam substantiæ incorporeę,atque adeò ipsa substantia increata Deus sunt aliquo modo in loco,vt ibidem asserit A.Doctor.ac de corporibus quidem nulla prorsus est difficultas, quia ipsa locum vbi sunt, sua mole complent, atque exæquant.De Deo autem id docet,quia *Deus* inquit *omnem locum replet non sicut corpus,quod nõ compatitur secum aliud corpus.* sed, vt ipse explicat; quia eius substantia ibi est dans omnibus esse, vt dicitur Hierem.23. *Cœlum & terram ego impleo,* necesse est vt simul cum omnibus sit. Neque in hoc sensu nunc contẽdimus; Vtrùm Angelus sit in loco, quia est nimis generalis quæstio,& videtur certum, & facilè ex dicendis apparebit, Angelum replere aliquem locum, eo quòd ibi sit eius substantia non excludens, quin alia quoque ibi sint, quibus ipse intimè sit præsens.

A.Doctor.

Ierem 23.

Tertiò adhuc magis propriè aliquid dicitur esse in loco,pro eo quod est esse in loco,seu spatio,seu etiam puncto tamen determinato ita, vt verè eius substantia ibi contineatur non autem extra illum locum sit. Et esse in loco tali pacto non conuenit Deo, qui vbique totus est,nec vllis finibus definitur ob substantiæ immensitatem,vt probat A. Doctor q.8.a.3. Sed soli substantiæ conueniat oportet, quæ substantiæ immensitatem nullo modo habeat; nempe creatæ. Et ita quæ sunt huiusmodi dicuntur definiri loco, seu esse definitiuè in loco, siue sint corpora affecta dimensionibus siue substantiæ spiritales. vnde ab A.Doctore in 4.d.10.q.1.a.3.quæstiuncula 2. duo requiruntur, vt aliquid sit in loco definitiuè. *Primum est vt cõpetat ei ibi esse. quia quod non est in aliquo loco,non potest loco illo definiri. Secun-*

A.Doctor.

A *dum est quod sit ibi sicut in loco commensurato aliquo modo suæ quantitati vel virtuti.* ergo esse in loco definitiuè comprehendit substantias creatas siue corporeæ sint,siue secus. ideóque subdit:*Corpus enim bicubitale non definitur loco vnius cubiti quamuis aliquo modo sit ibi.neque anima est definitiuè in manu; quia est in aliis partibus, eo quòd non est in manu secundum totam suam virtutem. & ideò omne quod habet quantitatem finitam vel virtutem, oportet quod sit definitiuè in loco in quo est; & ideo Angeli definitiuè sunt in loco, non tamen Deus.* Constat ergo tam corpora quàm Angelos definitiuè esse in loco;si hæc particula *definitiuè* sumatur, vt idem sit ac in determinato ac certo spatio vel puncto.

B Atque hac quidem ratione nobis agitatur præsens controuersia;an Angelus sit in aliquo puncto vel spatio definitiuè;quia quærimus; Vtrùm debeat Angelus esse in determinato loco extra quem non sit; in quo sensu à Theologis examinatur vt patebit. Cùm autem dicimus *locum seu spatium seu punctum* non significamus spatia seu puncta quæ vocant *imaginaria*; quia hoc alterius quæstionis est,an Deus & Angeli possint esse in huiusmodi spatiis;sed accipimus spatiũ locum, ac punctum reale; nempe quæ assignari possunt in aliquo quanto corpore, eiúsque dimensionibus;vt, Vtrùm sit v.gr.in spatio aëris, in puncto linguæ,&c.Verùm in hac re

C Notandum secundò esse in loco hoc modo definitiuè adhuc bifariã sumi posse;vt notat Gregorius de Arimino in 2.d.2.q. 2.a. 2. initio vel amplè ac vniuersè ad omnem rationem qua substantiæ creatæ, quæcumque illæ sint loco definiuntur eo modo quo iam explicatum est; vel pressiùs, vt species quædam sub eodem genere alteri speciei eiusdem generis opposita ; nimirum vt ex aduerso diuidit huiusmodi genus cum alia eius specie,atque ex æquo ; vt esse in loco definitiuè modo explicato, sit vel esse definitiuè circumscriptis locati dimensionibus ambitu ipsius loci, vt corpora sunt in loco,ex quo dicuntur esse in loco circumscriptiuè ab A. Doctore in hac q.52.a.2.c. *quia commensurantur loco*; id est

Greg. de Arimino.

A. Doctor.

D circumscribuntur ambiente loco. vel non circumscriptis locati dimensionibus, sed instar animæ indiuiduæ; nimirum indiuisibiliter sint in loco. quo pacto simpliciter ab eodem A.Doctore dicuntur definitiuè in eodem art.2. *Angelus autem non circumscriptiuè, cùm non commensuretur loco;*nimirum secundùm dimensiones quantitatis,*sed definitiuè,quia ita est in vno loco quod non sit in alio.* Simpliciter ergo dicitur *definitiuè* quatenus opponitur ei quod est esse in loco circumscriptiuè:quæ duæ species diuidunt ex æquo esse in loco definitiuè amplè sumpto.

Quæ duo indicauit Vgo Victorinus libro 1. de Sacram.p.3.c.13. dicit enim, omne creatum

Vgo Victorinus.

E *non solùm esse in loco, sed & locale esse sine dubitatione pronunciemus.* & subdit : *Corpus quod dimensionem habet, loco circumscribitur.quia ei secundum locũ principium,medium & finis assignantur.Spiritus verò,quoniam dimensionem non capit, sed definitione soli terminatur,circumscriptionem non recipit loci, & tamen loco quodammodo concluditur, quoniam cùm hoc præsens alicubi sit, totus alibi non inuenitur.* In hac ergo re certum esse debet,Angelum nõ esse in loco circumscriptiuè,quia eius substantia non habet dimensiones, secundùm quas circumscribatur, ambiatúrque vndequaque à loco. Solùm ergo supererit Difficultas; vtrùm sit in loco determi-

Qq 4 nato,

nato, extra quem non sit, modo tamen indiuiduo siue sit in puncto, siue in loco extenso. de qua re infra disputabitur; quod est quærere, an sit in loco purè definitiuo.

Referuntur quorumdam Theologorum, Philosophorúmque præsertim Platonis sententiæ negantium substantias spiritales esse in loco. §. I.

PArtem negantem sequi videntur ij omnes, qui asserunt substantias creatas spiritales nullo modo esse in loco, sed solùm in loco esse earum effectus. Ita quidam arbitrati sunt apud

Durandus.

Durandum in 1. d. 37. 2. p. q. 1. n. 22. vbi volunt Angelum non esse in loco *neque per essentiam, neque per operationem, neque per quodcunque aliud*; atque ita dicunt, Angelo *non conuenire locum, vel situm etiam definitiue, aut differentias, seu proprietates situs, vel vbi, sicut esse propinquum alicui loco, vel esse distantem, sed solum dici esse in corpore locato non secundùm se, sed secundùm effectum, quod est esse in aliquo, sicut est mouẽs in motu, vel sicut est causa immediata in suo effectu.* Effectus ergo Angeli sunt in loco non ipsa Angeli substantia aut virtus. Vt autem hanc sententiam ampliùs explicent, addunt; *quòd ad hoc vt Angelus moueat corpus non requiritur aliqua propinquitas Angeli ad locum secundùm situm, nec aliqua exhibitio realis suæ præsentiæ ad corpus locatum, sed tantùm proportio inter ipsum & corpus mobile, secundùm rationem mouentis, & mobilis, qua existente Angelus mouet corpus quando vult, quia liber est in mouendo, & quando mouet, dicitur esse in loco modo iam dicto.*

Huius sententiæ nullum afferunt argumentum; sed fortasse illud fuit; quia visum est impossibile illis explicare, quo pacto ens spiritale substantialiter possit definiri loco corporeo; cùm verò dicere cogerentur aliquomodo esse in loco, ea cogitauerunt talia entia esse in loco tanquam in suo effectu, non autem secundùm substantiam.

Heruæus.

Nec ab his discrepat Heruæus tract. de motu Angeli q. 1. a. 1. §. *in tertio est quarta positio*; vbi licèt dicat propriè Angelum esse in loco, tamen id asserit verbotenus; nam expresse ait, ipsum esse in loco sicut causa efficiens est in suo effectu, *non ita quòd sit sub actum propinquitatis, vel distantiæ localis*; aitque esse in loco esse habere habitudinem ad corpus, negátque esse per operationes. quam sententiam neque ipse probat, sed solùm ab incurrentibus obiectionibus se defendit. Huc

Henricus. Carthusian.

etiam referri oportere Henricum Quodlibeto 4 q. 16. vt etiã illum refert Carthusianus in 2. d. 2. q. 4 dicam fusè q. 53. a. 1. quæsito vnico diff. 1. in 1. sententiam.

Hanc etiam sententiam quòd Angeli non sint in loco, sensere alij Philosophi apud A. Docto-

Heruæus. Ægidius.

rem in 1. d. 37. q. 3. a. 1. c. & apud Heruæum ibidem, & apud Ægidium in 1. d. 37. q. 1. § *secundus modus*. Qui dixerunt nullam Intelligentiam esse in loco, quia nullam habent operationem, per quam loco applicentur. Ideas etiam Plato teste

Aristoteles.

Aristotele libro 4. Phys. cont. 18. non credidit esse in loco. quare & eadem ratio de re purè spiritali & incorporea. *Platoni* inquit Aristot. *tamen dicendum erat, si liceat. quare non sunt in loco & forma*

A *& numeri.* Cuiuscunque tamen sit hæc sententia, probari potest ex Boetio libro de Hebdom. c. 1. vbi; *Communis animi conceptio* inquit *est apud omnes sapientes incorporalia in loco non esse.* Ergo Angeli incorporei in loco non erunt. Secundò, quia quicquid conuenit enti per aliud, non potest illi conuenire sine illo per quod conuenit; vt quia conuenit homini intelligere per animum, sine hoc homo intelligens esse non potest. At enti quà ens est, conuenit esse in loco per quantitatem; ergo nullum ens poterit esse in loco sine illa, proindéque nec Angeli.

Minor patet: quia Aristoteles libro 4. Physic. cont. 30. hoc ait per se conuenire loco, vt *conti-* Aristoteles.

B *nere illud cuius locus est*, eique sit æqualis. Ergo vt aliquod ens sit in loco, debet necessariò contineri à loco, eique esse æquale. alioqui non per se hæc loco conuenirent. Certum autem est contineri, æqualéque esse loco esse per quantitatem. Confirmatur: Quia quemadmodum *esse in tempore est mensurari tempore*; vt docet Aristoteles libro Aristoteles. quarto Physicor. cont. 119. ita esse in loco est mensurari à loco, quia non potest esse dispar ratio. certum autem est mensurari Angelum loco non posse. ergo non est in loco. Tertiò probatur, quia non potest assignari forma, per quam Angelus in loco constituatur: ergo non est in loco.

C *Ostenditur certum esse ex fidei Catholicæ effatis Angelos esse substantialiter corporibus præsentes, propriéque esse in loco.* §. 2.

PArtem affirmantem sequuntur Theologi omnes, vt citabo seq. Quæst. dum contendunt assignare rationem, ob quam Angelo locus debeatur. quam quæstionem fusè tractat Alber- Albertus. Carthusian. tus p. p. sum. q. 73. à mem. 1. & deinceps. & Carthusianus vbi suprà q. 4. & lib. 1. sent. d. 37. q. 5.

D Sanè A. Doctor in 1. d. illa 37. q. 3. a. 1. sententiam A. Doctor. illam quam recitauerat, quæ negat Angelos esse in loco, eo quòd non operentur in loco, ait esse hæreticam: quia *secundùm fidem nostram* inquit *ponimus Angelos circa nos immediatè operari.* Ad solutionem sit

Prima propositio: Certa fide credendum est Angelos substantialiter esse præsentes corporibus. Probatur hæc propositio: quia certum est ex Scripturis Angelos malos degere in inferni igne: *Qui paratus est diabolo & Angelis eius* Mat. 25. Matth. 25. eosque de cælo lapsos Apoc. 12. *Nec locus eorum* Apoc. 12. *inuentus est ampliùs in cælo.* Et *videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem* Lucæ 10. Quæ quidem Luc. 10.

E Scripturæ loca licèt quidam recentiores dicant nihil facere ad rem propositam, tamen certum est ex Patrum interpretatione ibi significari ruinam diaboli. De bonis etiam Angelis dicitur apertè, eos esse in cælo, quia *semper vident faciem patris mei qui est in cælis* Matth. 18. Ergo ipsi sunt Matth. 18. cælo præsentes. Quam ob causam S. Hieronym. S. Hieron. in illum locum lib. 3. comment. in Matth. *Dico vobis* inquit *quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei*; idémq; patebit infrà cùm ostendemus, Angelos in cælo creatos ab initio fuisse. Præterea ex omnibus Patribus patebit veram esse nostram propositionem seq. Diffic.

Ratione

Ratione ſic euidenter ea ex principiis fidei probatur: quia nunquam Angelus operatur in eo corpore, cui ſubſtantialiter non eſt præſens. At Angelos in plurimis corporibus operari tam certum eſt quam quod certiſſimum. Ergo Angelus debet in illis corporibus eſſe.

Ac primum quidem maior propoſitio patet dupliciter. Primò quidem ex Scripturis, in quibus iungitur cum operatione Angeli in aliquo loco eiuſdem Angeli in eodem loco præſentia. nam cum Lucæ 1. ab Angelo alloquenda eſt Beatiſſima virgo dicitur: *Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo ad Mariam*, &c. Cùm in piſcina quinque porticus habente commouenda erat ab Angelo aqua, dicitur Ioan. 5. *Angelus Domini deſcendebat de cælo, & mouebatur aqua.* Cùm liberandus eſſet Petrus è vinculis, ex Angeli operatione idē Petrus fatetur euidenter ſe ſcire ſibi adfuiſſe Angelum Domini, cuius opera vincula ceciderunt de manibus eius Act. 12. *Et Petrus ad ſe reuerſus dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me, &c.* Cùm apparuit Tobię corporata ſpecie, tótque ei operationes in itinere oſtendit, an non ſubſtantialiter ſe iis omnibus præſentem fuiſſe prædicauit? dicitur enim Tob. cap. 12. *Et nunc miſit me Dominus vt curarem te; & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem*, &c. *Et cùm eſſem vobiſcum per voluntatem Dei eram*, &c. *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere*, &c. & ſic prorſus dico de reliquis innumerabilibus. Ergo ex Scripturis certum eſt, Angelum eſſe præſentem ſubſtātialiter ei corpori in quo operatur. Secundò probatur eadem Maior; quia de fide eſt; Deum eſſe in omni corpore & loco ſubſtantialiter vbi operatur; quia neceſſaria conſecutione deducitur ibi eſſe ſubſtantiam, vbi ſunt eius operationes, vt oſtenditur p.p ſuprà q.8. Ergo ex principiis fidei euidenter deducitur ibi ſubſtantialiter Angelum eſſe præſentem vbi operatur. Vera ergo eſt propoſitio Maior.

Luca 1. — Ioan. 5. — Act. 12. — Tob. 12.

Tum de Minore vix quicquam vltra dici poteſt: Quia clarè patet ex iiſdem locis, Angelos in pluribus corporibus operari, vt in ea aqua piſcinæ; in innumerabilibus apparitionibus cum corpora aſſumunt vt videantur, de quibus ſupra diximus. certum enim eſt in iis corporibus Angelos operari. quandoquidem eorum operà componuntur huiuſmodi corpora in eas formas, quibus ſe in hominum conſpectum dare frequenter ſolent.

Secunda propoſitio. Certa etiam fide credendum eſt, Angelos ſubſtantialiter eſſe in loco: Probatur propoſitio primò ex ſcripturis, quibus euidenter docemur, Angelos ſe plerumque collocare in loco. atque vt omittam eos locos, in quibus dicitur bonos Angelos eſſe in cælo, malos in inferni cruciatibus; ex quibus certum eſt eos eſſe in iis corporibus tanquam in loco. Id patet ex Lucæ 1. nam dicitur Angelus miſſus à Deo in ciuitatem Nazareth ad virginem. ergo erat ſubſtantialiter ibi in eo loco, vbi erat ciuitas illa. Quid enim aliud eſt mitti aliquem in aliquem locum, niſi eum ipſum vel conſilio vel imperio alicuius ſe de vno in alium locum trāsferre: vt obſeruat A. Doctor ſuprà q.43.a.1. Nemo enim mitti intelligitur niſi aliquo modo ibi eſſe incipiat, quo mitti dicitur. ex quo etiam infrà q.112.a.1. expreſsè ait, manifeſtum eſſe ex dictis in eadem q. 43. cum Angeli mittuntur, oportere eos de nouo applicari ſua virtute eī

Luc. 1. — A. Doctor.

A corpori & loco ad quæ mittuntur. *Et ſic Angelus* inquit *de nouo ibi incipit eſſe. quia ille mitti dicitur qui aliquo modo ab aliquo procedit, vt incipiat eſſe vbi prius non erat.* quod accidit in creaturarum miſſione; *vel vbi prius erat per alium modum.* vt diuinæ perſonæ mitti dicuntur. *Filium enim* inquit *aut ſpiritus ſanctus mitti dicitur vt à patre procedens per originem; & incipit eſſe de nouo, id eſt per gratiam, vel naturam aſſumptam, vbi priùs erat per deitatis præſentiam.* Requiritur ergo ſi Angelus aliquò mittitur, vt ibi eſſe ſubſtantialiter incipiat. Idem dico cùm Angelus mouebat aquam, ibi ſubſtantialiter fuiſſe vbi erat aqua. & ſic de cæteris apparitionibus, de quibus diximus: cùm apparuerunt paſtoribus: cùm aſſiderunt Chriſti iam rediuiui ſepulchro, &c.

B

Quod ſi quis negaret Angelos eſſe in loco, etiamſi diceret Angelos ſubſtantialiter ibi adeſſe præſentes, iungique corporibus illis ad quæ mitti dicuntur; is ſanè reuincendus eſſet ex eo quòd Angelus ita illis corporibus iungitur ſubſtantialiter, vt ad illa vere moueatur, ſi quidem ad illa in quibus non erat mittitur. vnde dicitur *ad illa mitti a Deo, & de cælo deſcendere*, &c. vt vidimus, & infrà etiam patebit magis. ergo in illis eſt ſubſtantialiter tanquam in loco. Nam certum eſt philoſophis; ſi quid de vno in aliud diſtans corpus moueatur, ad illud moueri localiter, ac proinde vt in eo ſit tanquam in loco. nec enim alia ratione Ariſtoteles libro 4. Phyſic. cont. 45. dixit; *Corpus ſecundum lationem mobile alicubi eſſe per ſe*; niſi quia ſi localiter mouetur, vt ſit in loco mouetur. Sanè vt ait Ariſtoteles libro 4. Phyſ. cont. 32. *non quæreretur locus, niſi eſſet motus aliquis ſecundum locum.*

C

Ariſtoteles.

Dicere autem corpora quidem quæ mouentur eſſe in loco, quia dimenſiones habent; non autem Angelum qui iis caret, eſt arbitratu ſuo fingere notionem loci; vt ſolùm locus ſit corporum, nec rationem loci velle extendere ad ea, quæ cum eorumdem corporum analogiam habent. Perinde ac ſi quis vellet defendere, ſolam entis rationem conuenire ſubſtantiæ, non autem accidenti, nec naturam materiæ eſſe, niſi in corpore ſubiecto formæ artificis; accidens verò & materiam phyſicam, quæ ex analogia ad illa prædicta huiuſmodi rationes habere comperta ſunt, extra illarum fines relegare. quod & Philoſophis abſurdum, & Theologis omninò intolerabile videtur, qui hanc rationem loci non aliam intelligunt, cùm in illo Angelos eſſe dicunt, niſi quæ loco corporum proportionalis eſt, vt mox dicam. Et præterea confirmatur manifeſta ratione; quia ſi Angelo conceditur motus localis, qui proportionem habeat ad motum localem corporis. ergo debent eidem Angelo concedere locum, qui proportione ſaltem dicatur locus ad locum corporis. certum enim eſt, ſicut ſe habet motus localis ad motum localem; ita & terminus ad terminum. Secundò probatur propoſitio ex ſententia SS. Patrum, vt dicam ſeq. Difficult.

D

E

Tertiò probatur propoſitio ratione: quia omne illud eſt in loco ſubſtantialiter, quod ita alicui corpori ſubſtantialiter adeſt, vt ſit intra illud, nec extra illud ſit. Sed Angelus ſubſtantialiter ita alicui corpori ſubſtantialiter adeſt, vt ſit intra illud, nec extra illud ſit. ergo Angelus ſubſtantialiter eſt in loco. Maior probatur: quia ſi quid ſubſtantialiter adſit alteri corpori,

vt

vt intra illud non extra sit, verè habet proprietates loci & locati; Quia vt ait Aristoteles libro primo cœli cont. 69. *Extrà, & intra locum significant* & quod est intra corpus ab eo aliquo modo continetur: Continere autem est inter loci proprietates, vt idem docet lib. 4. Phys. context. 30. immò vt idem ait eodem libro context. 41. hoc solo differt locus à vase, quod vas est locus mobilis, locus autem est vas immobile, vt significet vtrobique commune esse continere; sed vasis continentiam esse, vt quod continetur transferat aliò; loci, vt non transferat, sed cum locato immobilis perseueret. Ergo si Angelus in corpore continetur, aliquo modo in ipso erit tãquam in loco. Et licet A. Doctor hic; & quæstione 8. suprà a. 1. ad 2. dicat res incorporeas non contineri à corpore, sed potiùs continere, sumit *continere* non quà significatur aliquid haberi intra ipsum, sed quà significatur conseruari à continente, & esse in illo tanquam in causa. nam hic negat animum contineri in corpore: *anima enim* inquit *est in corpore vt continens non vt contenta.* quod falsum esset, si denotaretur non esse intra ipsum; bene tamen dicitur quod non conseruatur, sed conseruat: & in ea q. 8. negat Deum contineri à rebus, sed eas vult à Deo contineri, quia eas in esse cõseruat. Quòd autem Deus sit intimè in rebus ipse concesserat ibi in corpore. ergo quod substantialiter corpori præsens est, & intra illud non extra est, est in eo tanquam in loco, quia est in eo quod habet proprietatem loci. nec alio modo corpora sunt in loco, si solùm excipias, quod proprium est corporum, nempe *circumscriptiuè* contineri, seu circumscribi à corpore vndique ambiente, quod scilicet locatum complectitur complexu superficiei. Quod licet requiratur ad locum corporum, non tamen requiritur ad omnem locum, quia secundùm rationem loci latior est ipsa ratio continendi, quàm vt restringi debeat ad solam corporis continentis superficiem.

Aristoteles. Quod etiam ne gratis videamur asserere patet ex ipsis Aristotelis verbis libro 1. de cœlo context. 22. vbi ex communi hominum sensu cœlum dicit locum Deorum esse, quia ibi præsentes sunt: *omnes* inquit *qui sursum est locum Deo tribuunt & Barbari & Græci quicunque putant esse Deos, tanquam videlicet immortali immortale coaptatū sit.* Ergo contineri à loco etiam apud Aristotelem latiùs patet, quàm superficie corporis extrema circumscribi. Quòd autem Angelus substantialiter adsit corpori, vt extra illud non sit, sit tamen intra illud; quæ erat Minor probanda patet. Et primum quod sit substantialiter intra illud clarum est, quia in eo operatur, ac proinde vt ostendi superiore propositione ibi est substantialiter. Ergo intra, quia ibi est, & non extra; ergo intra. Quod autem non sit extra, patet: quia de fide est Angelum non esse in omnibus locis, vt in fine dicetur.

A. Doctor. Ex his propositionibus ita probatis Colligitur primò rectè dictum esse ab A. Doctore in 1. vbi suprà, hæreticum esse negare Angelos alicubi esse; quia certa fide credendum est ipsos alicubi operari & esse in loco, ad quem locum se transferant, vt probatum est in nostris propositionibus ex diuinis Scripturis, & fidei principiis.

Carthusian. Sanè Carthusianus in 1. d. 37. q. 3. multis aduersantem sententiam notauit notis.

Colligitur secundò eadem ratione hæreticum esse negare angelos esse in corpore tanquam in loco; quia hoc ipso negaretur substantiam ipsorum esse intra corpora vbi ipsi operantur. Quod est contra manifestam scripturarum auctoritatem, vt ostendi propositione prima. Quod autem sequatur probo, quia si concedant intra & non vbique, hoc ipso eos concedunt esse in loco, non quidem corporum, sed vt possunt esse substantiæ incorporeæ. nam vt diximus in secunda propositione hæc satis est vt dicantur esse in loco quæ corporea magnitudine carent. Atque hæc de priore parte Difficultatis.

Quid sit Angelum esse in loco, & quo pacto definiendum.

§. 3.

QVoad posteriorem Difficultatis partem sit Tertia propositio, Angelū esse in loco, nihil est aliud nisi substantiam spiritalem complectam ita coniungi corpori extrinseco immediatè, vt intimè intra illud indiuisibiliter sit, nec tamē naturaliter extra illud. Dico *immediatè*, non vt excludam vnionem per quam nectatur loco, sed cæteras formas, quibus per se primò debeatur localis coniunctio, & ratione illarum Angelo. quemadmodum substantiæ corporeæ circumscribuntur ambiente loci superficie, ratione quãtitatis, cui subsunt, ob quam substantiæ ipsæ extenso loco cõiunguntur. Vt enim docet Aristoteles libro 4. Phys. cont. 76. Si corpus cubum ab omnibus qualitatibus sensibilibus separatum, fuerit in aqua, adhuc æquale spatium continebit; atque continet cùm illi subest substantia & afficitur cæteris accidẽtibus. In solam ergo quantitatem refunditur localis circumscriptio contenti corporis.

Aristoteles.

Probatur ergo propositio: quia hæc est adæquata definito, & à priori datur. quòd sit adæquata probatur: quia conuenit omni Angelo existẽti in loco, & nulli alteri; ergo est adæquata. Antecedens patet per singulas eius partes discurrendo. Nam primò quod ea definitio conueniat omni Angelo cùm est in loco non est dubium: quia cùm in loco est, in eo non est modo extenso, cùm Angelus sit immaterialis substãtia; ergo coniungitur corpori extrinseco seu loco indiuisibiliter. neque enim ob aliam rationem Deus, animúsq; hominis sunt in corporibus indiuisibili modo, nisi quia cùm substantiæ spiritales sint, nullum possunt habere cū illis modū coëxtensum, proindéq; indiuisibiliter in iis insint necesse est. Deinde Angelus debet esse intra illud corpus: quia est in illo & non solo extremorum contactu: vt vnū corpus est intra aliud, sicut in vase liquor; Ergo intimè intra illud est, nimirum ita vt intimas corporis partes Angelica substantia penetret & peruadat; vt certum est hominis animum esse intra hominis corpus. Denique non est extra illud. Vt enim pòst ostendam, omnis substantia finita sic est in suo loco, vt extra illud non sit, cùm necessariò certum ac definitum locum occupare debeat. Idcircò quod de corporibus dixit Aristoteles libro 4. Phys. cont. 30. nempe locum oportere æqualem esse locato, ita vt *nec maior nec minor sit,* transferri analogicè potest in rem quamcumque creatam: propterea quòd eius entitas in eo loco definiri ac comprehendi debeat vbi est, vt deinceps patebit meliùs. in quo creatura

A. Doctor.

creatura ab immensitate diuina differt, quæ omnem locum replet, vt ostendit A. Doctor suprà q. 8. a. 2. & 3. Conuenit ergo hæc definitio omni Angelo existenti in loco.

Quod verò nulli alteri siue corpus sit, siue forma corporis conueniat probatur. Etenim iungi corpori extrinseco modo indiuisibili nulli corpori conuenit; quippe omne corpus ipsi loco coextenditur: & ideò Aristoteli, vt modò dixi, locus est æqualis locato. Iungi autem immediatè corpori extrinseco non conuenit animæ rationali, quæ non immediatè iungitur corpori extrinseco, sed ratione sui corporis, quod est compars ad totum, siue vt veriùs dicatur, ratione sui totius, cuius ipsa est pars. quia corpus extrinsecum non est locus partis sed totius immediatè. & ita Aristoteles libro 4. Phys. cont. 45. dicit in loco esse *secundùm accidens* animam; Ergo non cōuenit animæ rationali.

Aristoteles.

Eadem ratione ostēditur nulli formæ aut materiæ conuenire immediatè esse in loco. Si quidem partes vnius compositi sunt. multóque minùs de accidentibus excepta quantitate id dici potest. Quæ partes quoque sunt vnius compositi accidentalis, vt albi, calidi, dulcis, &c. Præterquam quòd accidētia non sunt in loco, nisi quia eorum subiecta in loco sunt. Nam ea ratione dici oportet ea esse in loco qua ratione mouentur. Quia, vt docet Aristoteles libro 4. Physicor. cont. 32. propter hoc maximè corporibus assignamus locum, quia ea videmus moueri, aut certè moueri posse. *Propter hoc enim* inquit *& cælum maximè in loco putamus esse, quia semper est in motu* Ergo si quid per se moueri non possit, id per se non erit in loco. Neque enim ratio est cur ei locum per se tribuamus. At accidentia nullo modo per se moueri possunt, vt ibi Aristoteles expressè docet. Licèt enim concedat posse corporis partes per se moueri, motu nimirum aliquo proprio, cùm non mouentur ad motum totius, sicut cùm manus sola mouetur, *& in nauigio clauus* vt ipse ait; tamen accidentia nunquam per se moueri possunt. *Alia verò* inquit Aristoteles ibi *non possunt sed semper secundùm accidens; vt albedo & scientia.* subdit rationem egregiè. *Hæc enim mutantur secundùm locum, quia id in quo sunt mutatur.* vnde sequitur non esse ea in loco, nisi quia id in quo sunt, in loco est. non ergo eis conuenit definitio prædicta.

Solùm Difficultas fieri de quantitate posset, quam diximus esse per se in loco, ac proinde illi videtur competere hæc definitionis particula, nempe immediatè coniungi corpori extrinseco. Verùm esto ea particula illi conueniat; tamē definitio ei nō competet. Excluditur enim per alias eius particulas; nempe quia non coniungitur modo indiuisibili. Nulli ergo creaturæ præter Angelos prædicta definitio conueniet. Immò neque ipsi Deo. nam postremis eius particulis remouetur. Licèt enim Deus immediatè sit in omnibus locis, atque etiam indiuisibiliter; tamen ita in vno est, vt sit extra quemcumque. Quo etiam argumento excluditur ab hac definitione Christi Domini nostri corpus in Venerabili Eucharistiæ sacramento. quanquam etiamsi hoc non excluderetur per illas particulas, tamen ob alias nō conueniret definitio illi; nempe ob id quia non est substātia spiritalis; sicut ob illam aliam nempe *completam* nullo modo comprehendi potest anima rationalis, quæ est forma corporis.

A At inquies. Ergo Deus est in Mundo tanquam in loco; quia nec est extra Mundum; & illi conueniunt cæteræ particulæ Ergo saltem Deo conueniet tota definitio, ac proinde non est Angelo adæquata. Respondeo dupliciter: Primò falsum quidem esse, Deum non esse extra mundum; quia non definitur cœlo, vt alibi doceo. Secundò, esto Deus sit solùm in Mundo, aptitudine tamen naturalique Deitatis virtute est extra cœlum si creetur corpus; quod Angelo naturaliter nō conuenit: quia non est Angelus naturali vi extra corpus, cui tanquam loco coniungitur. Addimus etiam siue ex se Angelus possit esse extra illud siue secùs; tamen non posse per illam rationē,

B quæ est ratio & applicatio ad locum; atque ita vt patebit Quæsito sequenti, cùm iungi corpori extrinseco seu esse in loco includat loci rationem, seu id per quod est in loco, secundùm quam non potest esse extra, dico hoc ipso, quòd est, loco iungitur Angelus, intráque ipsum corpus est quod loci rationem habet, extra ipsum esse non posse; quia includit formam in se, quæ ipsum determinat, vt solùm sit ibi, & nullo modo alibi, quod non est in Deo, qui à nulla forma determinatur, vt solùm sit in his creaturis, vt explicabitur Quæsito sequenti. Immò potiùs contrà: Cùm eius immensitas exigat, vbique esse.

C Quod denique definitio prædicta sit maximè à priori patet: etenim denotatur per eam essentia & origo proprietatum localium. Ergo traditur per essentialia; & ita est maximè à priori. Antecedens probatur: quia immediata Angeli coniunctio ad corpus extrinsecum, est id vnde oriuntur proprietates loci, nēpe vt contineatur, & sit illi propinquum, & distet localiter à cæteris corporibus, quæ à loco distant. Coniunctio enim illa nihil est aliud, quàm forma existendi in loco, & præsentia localis, vt patebit sequenti Quæsito. Ergo ipsa est id, vnde oriuntur cæteræ locales proprietates. Præterea dicimus illam esse originem localium proprietatum, ad

D quam per se primò terminatur motus localis Angelicus. omnis enim motus localis per se primò terminari debet ad termini naturam & originem cæterarum proprietatum, non ad consequentes proprietates, quia assignaretur terminus per accidens. & ideò motus localis per se terminatur ad locum non ad proprietates loci. At motus Angelicus per se primò terminatur ad coniunctionem ipsius Angeli cum tali vel tali corpore. mouetur enim vt sit illi corpori iunctus & non alteri. nam descendit verbi gratia, de cœlo Angelus, vt esset in aqua quam mouere debuit in piscina: Vt esset Nazarethi ad salutandam Virginem Deiparam: vt sepulchro assideret; &

E sic de cæteris.

Angelum esse in loco definitiuè, & quo modo sit in loco adæquato. §. 4.

EX hac propositione ita probata

Colligitur primò, rectè à nobis dictum esse suprà, & à Theologis communi axiomate vsurpari, Angelos esse in loco definitiuè. Ratio ex dictis est: quia sunt indiuisibiliter intra locum; nempe intra corpus quod dicitur

dicitur locus, & non extra illud. hoc autem est esse definitiuè in loco; nimirũ ita vt sit illi præsens, & intra illum & non extra. quia definiuntur ibi, & aliquo modo circumscribuntur etiam non tamen modo corporeo, quo pars Angeli sit in parte loci, & totus in toto loco. quo pacto corpora dicuntur esse in loco simpliciter circumscriptiuè; sed totus in singulis partibus, vt explicabitur infrà, & docet hic A. Doctor expresse. Vnde etiam patet discrimen manifestum inter corpus, Angelum ac Deum, cum in loco esse dicuntur. quæ omnia optimè & paucis verbis significauit A. Doctor in hac q. a. 2. *Sic igitur patet* inquit *quod diuersimode esse in loco conuenit corpori & Angelo & Deo. nam corpus est in loco circumscriptiuè, quia commensuratur loco*; nempe pars parti, & totum toti; *sed Angelus definitiuè, quia ita est in vno loco quod non sit in alio.* quod nos hactenus diximus. *Deus autem neque definitiuè, neque circumscriptiuè*; quia est vbique. Vel nimirum actu, si ipsum dicamus esse extra cœlum, vbi spatia imaginamur immensa, vt existimo. vel certè aptitudine & virtute ex necessitate immensitatis. quia esset si extra cœlum corpora crearentur.

A. Doctor.

Colligitur secundò, quomodo sit Angelus in loco sibi adæquato & in loco inadæquato. est enim locus adæquatus, cùm non potest Angelus absolutè per suas vires occupare locum maiorem. inadæquatus autem cùm potest, vt patebit deinceps opinione omnium Theologorum. Erit ergo in loco adæquato, cùm est illi affixus corpori, extra quod non solùm non est, sed nec ad illud potest suis viribus se extendere. Secùs verò, si possit; atque ita erit in loco inadæquato.

Quanquam non dubito, quin etiam possit dici locus adæquatus atque inadæquatus alia ratione. nam si consideretur totus locus vbi est totus Angelus, extra quem locum ipse Angelus non sit; poterit dici locus ei adæquatus: sin autem spectetur pars loci, in qua est quidem totus Angelus, sed tamen non ita vt non sit etiam in alia eius loci parte totus; potest ea pars loci dici locus inadæquatus vt ex. gr. si Angelus Romæ sit tanquam in toto loco extra quem non sit; locus inadæquatus illius erit Capitolium, Vaticanum templum, mons Quirinalis, &c. In his enim singulis, Angelus est quidem totus, sed tamen ita vt totus etiam extra hos sit. Ratio huius doctrinæ est: quia illa sibi sunt adæquata, quæ sibi mutuò ex æquo respondent, vt neutrum excedat alterum; vt palmus palmo, linea lineæ, &c. quorũ æqua omnino potest esse mensura. Ergo cùm totus locus extra quem nõ est, & vbi totus est Angelus, se habeat ad Angelum hoc modo, cur non poterit ei adæquatus dici? ex quo sequitur eius partem dici posse locum inadæquatum; quia illa pars ex æquo non respondet toti Angelo. simpliciter tamen locum adæquatum dici eum, vltra quem Angelus se dilatare non possit secundùm suam virtutem, Theologi docent. quia est adæquatus non solùm actu, sed etiam potestate, vt dicam postea.

Colligitur tertiò ex omnibus dictis falli apertè eos auctores apud Durãdum in parte negante dum dicunt Angelos esse in loco tanquam in effectu, non autem secundùm substantiam. Nam esse secundùm effectum, non autem secundùm substantiam est esse effectum & operationem alicuius sine ipso cuius est operatio; vt cùm remanet effectus alicuius causæ ipsa non ampliùs extante; vt cùm dicimus A. Doctorem spirare doctrinam, nempe in suis aureis scriptis: B. Franciscum esse in suis religiosis: Lutherum adhuc viuere in sua hæresi, &c. tam in bonis quàm in malis. quod præcipue verum est in causa finali, cùm versamur circa media, etiamsi de causa illa non cogitatur ampliùs. Sic enim vt ait A. Doctor 1. 2. q. 1. a. 6. ad 3. vltimus finis nẽpe felicitas mouet nos ad singulas operationes. eo quòd *virtus primæ intentionis* inquit *quæ est respectu vltimi finis manet in quolibet appetitu cuiuscunque rei, etiamsi actu non cogitetur, sicut non oportet qui vadit per viã, in quolibet passu cogitet de fine.* Ergo est remanere effectum causæ non causam ipsam. hoc autem impossibile est in re præsenti: quia operatio arguit substantialem agentis præsentiam, cùm omne agens propinquum esse debeat patienti; & demonstrant Aristoteles libro 7. Phys. à cõt. 10. & A. Doctor supra q. 8. a. 1. & deinceps, & in re nostra præsenti de Angelo hoc ex dictis constat euidenter esse falsum ex ipsis sacris literis, vt ante deduximus.

Durandus.

A. Doctor.

B

Præsentiam agentis ad passum requiri vt sit actio, & Angelum qui mouet corpora, illis præsentem esse oportere. §. 5.

C

Colligitur quartò absurdè eodem auctores esse philosophatos, cùm dicunt ibidem ad actionem non requiri præsentiam, sed satis esse proportionem *inter ipsum corpus mouens, & corpus mobile, quã existente Angelus quando vult mouet corpus, quia liber est, & quando mouet dicitur esse in loco.* Absurdam autem omninò esse hanc philosophandi rationem aio.

Primò, quia vt bene contra ipsos arguit Durandus loco citato, posita causa sufficienti ad actioné, si non impediatur, oportet ponere actionem. At hoc est contra experientiam: nam videmus posita huiusmodi proportione inter actiuũ & passiuum, mouens & mobile, & excluso omni impedimento non sequi rationem, nisi sit appropinquatio agentis & passi. Quam ob causam Aristoteles libro 1. de ortu & interitu cont. 78. dicit impossibilia esse *non tangentia neque seipsa neque alia quæ facere nata sunt & pati.* quæ nimirum non se tangunt vel mediatè vel immediatè agere & pati impossibile est. Cuiusmodi essent si ignis calefaceret lignum non calefaciendo aerem intermedium. Quod si ipsi id concedant in causis necessariis, dicántque in liberis aliam esse rationem, vt ipsi insinuant, quia dicunt Angelum non mouere quia non vult; contra hoc est manifestum argumentum de homine, qui quantumuis habeat proportionem ad mouendum lapidem, nunquam tamen illum mouebit, nisi fiat proximus lapidi ita vt illum tangere possit, illúmque vel ad se trahere, vel impellere à se.

Durandus.

D

Aristoteles.

E

Quod si tandem dicant hoc non esse necessarium in mouente incorporeo, iam hoc ipso recedunt à recto philosophandi ordine, quo ex nobis notis ad ignota procedimus, quem sine vllo vrgenti argumento relinquunt. Si enim omne agens nobis notum siue liberum siue necessarium, requirit vt sit passiuo proximum ad actio

actionem. Ergo & agens incorporeum siue sit finitæ siue infinitæ virtutis. Hoc enim pacto non solùm a corporibus nobis notis, verùm etiam à rebus naturalibus quæ nouimus ad supernaturalia gradum philosophando facimus, nisi vbi rationum diuersitas aliter nos dicere cogat. Vnde quoniam dantur habitus virtutis *secundùm regulam rationis humanæ*, vt ait A. Doctor 1. 2. q. 63. a. 4. rectè deducitur argumētum à pari oportere eos quoque dari *secundùm regulam diuinam*; nempe habitus supernaturales. vt quēadmodum in Temperantiæ virtute habitus honestas ac modus *in sumptione ciborum humana ratione statuitur, vt non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum.* ita quoque dandus sit habitus honestas supernaturalis eo quod *requiritur secundùm regulam legis diuinæ, qua homo castiget corpus suum & in seruitutem redigat per abstinentiam cibi & potus & aliorum huiusmodi. &c. & eadem ratio* inquit *est de cæteris habitibus.*

Immò quod magis præsenti negotio fauet, addit ex analogia habituum politicorum aliud optimum argumentum, vt ostendatur varios oportere poni habitus supernaturales. Sicut enim Aristoteles ait libro 3. Polit. cap. 3. quod *diuersæ sunt virtutes ciuium secundùm quod bene se habent ad diuersas politicas*: ita diuersè debēt poni *virtutes morales infusæ per quas homines bene se habent in ordine ad hoc quòd sint ciues sanctorum & domestici Dei*, &c. Nec alio fundamento vita Theologis est vera hæc de habituum supernaturaliū infusione sententia. Sanè si hic modus philosophandi tolleretur, rueret omnis de cœlo philosophia, vt suprà diximus q. 50. & 51. sæpè. Nec nobis vlla rerum ignotarum indagandarum via relicta esset, vt ibidem diximus. Est ergo necessarium etiam in mouente incorporeo vt præsens substantialiter sit corpori, quod ab ipso mouetur; vt etiam Aristoteles posuit intelligentias motrices in cœlo, vt suprà diximus.

Aristoteles.

Secundò, quia malè dicunt Angelum esse in loco, quia eius effectus sit in loco; nam si resoluatur hæc propositio: Angelus est in loco secundum effectum, nihil aliud significabit, nisi effectum Angeli esse in loco, sicut vt antè dicebamus, cum dicitur causa esse in suo effectu, significamus esse effectum illius causæ, vt etiam ipsi concedunt, sicut communi loquendi modo dicitur, durare æstatem cum persistit æstus: quia æstus permanet qui est effectus æstatis. At hæc duo valdè diuersa sunt, Angelum esse in loco, & effectum Angeli esse in loco. Quæ cùm simpliciter diuersa sint, non ita facilè confundenda sunt. Ad eorum autem fundamentum diximus antè, quomodo Angelus sit in loco definitiuè. Sed adhuc hac de re plura sequenti quæsito Difficult. 2. dicturi sumus.

Colligitur quintò in eandem philosophandi inconuenientiam lapsum esse Heruæum, quem eodem modo sentire vidimus: nisi quòd nescio quid amplius absurdi eius sententia continet; vt quòd primò dicit esse in loco non habere habitudinem ad corpus. Quod falsum est: quia quod est in loco debet esse intra ipsum, atque ita ei coniunctum & præsens.

Heruæus.

Nam inter prædicata loci illud primo loco recensetur ab Aristotele libro 4. Physic. cōt. 30. vt locatum continere intra se debeat. Cùm enim ibi proposuisset se accepturum *quæcunque de ipso* nempe loco *videntur verè secundùm se inesse ipsi* loco, hoc primum ponit: *Censemus igitur* inquit *locum esse primum quidem quod continet illud cuius locus est.* ob quam intimam continentiam subdit cont. 34. vltima se tāgentium debere esse simul, hoc est contenti corporis ambientísque superficiem oportere se mutuò contingere, ac proinde locum æqualem corpori quod in eo est esse.

Aristoteles.

Quamobrem cont. 40. & 41. docet locum maximam habere cum vase proportionem, quia scilicet locus est quoddam vas continens intra se, solóque eo discrimine differunt inter se, quòd locus vas quidem est, & vas locus quidam, sed locus vas immobile, vas locus mobilis. *Vt autem vas locus est qui transferri potest, sic locus vas immobile.* Est autem locus in hoc oppositus vasi ex aduerso. quod simul cum vase *mutatur quod intus est* in ipso; rem autem dum intra locum esse intelligimus, immobiliter ibi eam esse arbitramur, quia cum loco transferri non possit. vt cùm dicimus est in Lycæo, est Romæ, &c. in quo omnes philosophi conuenere etiam ij qui ob hanc loci immobilitatem, locum putarunt esse spatium quoddam immobile, de qua re disputatum à nobis est libro 4. Phys. Ergo quicquid est in aliquo corpore tanquam in loco, intra ipsum contineri dicimus: quia scilicet hæc est ipsa notio qua intelligimus aliquid esse in loco, quodcunque sit illud. Quocirca etiam de Deo dicimus, ipsum esse hic aut ibi, quia est intra ea corpora, vbi ipsum esse dicimus. sic etiam Aristoteles, & philosophi omnes apud ipsum libro 1. de cœlo cont. 22. Deum dixere esse in cœlo & alibi. Si ergo Angelus, & quidquid sit, aliud est in loco, necesse est habeat realem habitudinem ad ipsum corpus, in quo est tanquam in loco. etenim saltē opus est vt sit realis habitudo præsentiæ (nedum propinquitatis) & continentiæ, vt sic dicam, actiuæ & passiuæ; æqualitatis; & si quæ sunt aliæ.

Aristoteles.

Absurdum quoque est, quod idem Heruæus secundo loco docet, nempe Angelos non esse in loco per operationes: Nam sequitur contra ipsum Angelos ne per suos quidem effectus esse in loco. Si etenim secundùm effectus Angeli essent in loco; ergo secundùm operationes nēpe motum localém. Non enim alium effectum habēt primarium in loco Angeli, per quem dicantur esse in loco secundùm effectum, præter ipsum motum. nimirum quia mouent corpora, & per motum aliquid aliud gignunt. Addo S. Thomæ asseclam, & sectatorem non decere in re tam perspicua ab eius optima doctrina recedere, cùm sit certum aliquo modo Angelos in loco esse per operationes A. Doctoris sententiā, vt infrà dicetur, & ad veritatem applicabitur.

Heruæus.

Colligitur vltimò, non esse audiendos illos philosophos in eadem parte negante dum dicunt, Intelligētias nullam habere operationem in corpore. nam vt dictum est suprà q. 50. Intelligentiæ ipsæ per se non per animam mouent cœlum in doctrina Peripatetica & vera. Ergo habent aliquam operationem in corpus: quia omnis motus est aliqua operatio: licèt enim Aristoteli libro 1. de ortu & interitu cont. 45. *Mouere in plus sit ipso facere*; non tamen idcircò motus non est actio ipsi Aristoteli. nam *facere* intelligit illam actionem, quæ facit subiectum verè patiens *secundùm quod alteratur solùm vt album, calidum.* cuiusmodi non est necesse sit motus, cùm localis motus in cœlo non sit alteratio.

Aristoteles.

Hinc autem non ſequitur non omnem motum eſſe aliquam actionem; quia certum eſt mouere eſſe agere; actionémque idem eſſe cum motu, patet ex iis quæ docet Ariſtoteles libro 3. Phyſ. à cont. 18. ad 21.

DIGRESSIO,

In qua diſputatur de ideis Platonicis, quid illæ ſint & vbi eas Plato poſuerit.

QVod verò dicitur de ideis Platonicis magnam petit quæſtionem; Quid nimirum, aut vbi ſint apud Platonem huiuſmodi ideæ. Et quidem hac in re Peripatetici ferè omnes putarunt ideas Platoni eſſe ſeparatas ſubſtantias immateriales per ſe ſubſiſtentes. quam ſententiam quia fuſè eam explicat A. Doctor, contentus ero eam ex illo ſolùm recitare. Hac igitur in re A. Doctor ſuprà q. 6. a. 4. ſecutus Ariſtotelem lib. 3. Metaph. à cont. 10. exiſtimauit Platonem poſuiſſe ideas cuiuſcunque ſpeciei ſubſtantialis omninò ſeparatas ac per ſe ſubſiſtentes, quarum virtute & efficientia ipſæ eædem materiales rerum ſpecies procrearentur, eſſéntque quædam veluti ipſarum idearum participationes ac deriuationes. quod ipſum fuſiùs explicat infrà q. 65. a. 4. c. Quo loco ſententiam Platonis de ideis explicat his verbis. *Plato poſuit* inquit *formas quæ ſunt in materia corporali deriuari & formari à formis, quæ ſunt ſine materia ſubſiſtentes, per modum participationis cuiuſdam.* hoc primùm ſtatuit, quantum attinet ad ipſarum idearum eſſe. Deinde quid ipſæ ſint ſic pergit: *Ponebat enim quendam hominem immaterialiter ſubſiſtentem, & ſimiliter equum & ſic de aliis, ex quibus conſtituuntur ſingularia hæc ſenſibilia, ſecundùm quod in materia corporali remanet quædam impreſſio ab illis formis ſeparatis per modum aſſimilationis cuiuſdam, quam participationem vocabat.* Tum de ipſarum ordine inter ſe hoc modo ait. *Et ſecundùm ordinem formarum ponebant Platonici ordinem ſubſtantiarum ſeparatarum. puta quòd vna ſubſtantia ſeparata eſt, quæ eſt equus, quæ eſt cauſa omnium equorum,* &c. Idem habet expreſſe q. 110. a. 1. infrà, & alibi ſæpe. eandem ſententiam Platoni tribuit Tertullianus in libro de An. c. 18.

A. Doctor. — Ariſtoteles. — Tertull. — Ariſtoteles.

Iuxta ergo hanc ſententiam Ariſtoteles in eo libro 4. Phyſ. cont. 18. citato in Prima ſententia ſuprà rectè Platonem carpit, quòd non dixerit: *Quare non ſunt in loco & formæ & numeri.* quandoquidem ex opinione Platonis ſequebatur ea de re ambigua quæſtio. nam ſi compoſita materialia ſunt in loco, quæ idearum vt diximus deriuationes ſunt, videbatur confici, ergo & ideæ in loco ſunt. quia vbi eſt effectus ibi & cauſa ſit oportet: cũ præſertim hi corporei effectus, idearum quædam deriuationes ac participationes ſint. Quocirca huius rationem reddere debebat Plato. Vnde nos argumento quod nobis obiiciunt hac ſententia poſita dicimus: ſi Plato ideas ſeparatas putauit, eáſque non poſuit in loco non rectè ſenſiſſe; cùm ſubſtantiæ finitæ ſint, ac proinde in aliqua vniuerſi parte eas degentes conſtituere debuit, vt inde rerum effectus deriuari Philoſophi ſcirent. quo pacto Ariſtoteles Intelligentias motrices cæleſtium orbium poſuit in cælo, quod ab illis tanquam rectoribus gubernaretur. atque eandem ob cauſam lib. 8. Phyſ. cont. 84. viſus quibuſdam eſt Deum ponere in maximo circulo, vt inde omnis Mundi virtus efflueret; Hinc tamen nego ſequi Angelos non debere collocari in loco; nam etiam Plato poſuit hos Angelos cæleſtes aereos, &c. tãquam in his locis degentes vt vidimus ſuprà q. 50. a. 1. Atque hæc ſi hoc pacto ideas explicemus.

At longè faciliùs reſpondebimus, cur Plato ideas non poſuerit in loco, ſi eas negemus Platoni fuiſſe ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes, atque adeò à Deo ſeparatas. Longè enim probabilius mihi videtur quod viri grauiſſimi atque doctiſſimi affirmarunt; nempe ideas nullibi poſitas eſſe à Platone præterquam in mente diuina, vt eas etiam Theologi noſtri poſuere. Id primum affirmarunt Platonici omnes communi ferè conſenſu Plotinus, Porphyrius, Alcinous, Proclus, Iamblicus, Pſellus vt obſeruat Iacobus Carpentarius in Alcinoum de doctrina Platonis Digreſſ. 2. Idem ex Plotino docet Marſilius Ficinus Enn. 5. lib. 7. cap. 1. Leonardus Coquęus in lib. 7. de Ciu. Dei cap. 28. Id quod Plotinus ipſe libro de intellectu & ideis cap. 6. & 8. & libro de Idearum multitudine expreſſè docuit. quam Platonis ſententiam optime explicauit idem Marſilius ſæpè, ſed præſertim in Timæum Platonis cap. 5. vbi poſtquam ex Platone dixit hunc Mundum pulcherrimum procreatum quidem à Deo temporalem, ſed ad æterni exemplaris imaginem, eo quòd omnes formæ atque Ideæ ſunt in Deo tanquam in Archetypo & principali Mundo, ſubdit cauſam eius rei. Propterea quòd Plato poſuit Ideas *non inter nubes vt maledici quidam calumniantur*, ſed eas voluit *in Archetypi mente conſiſtere.* in quo ipſas dixit eſſe vitam. & ideò Marſilius addit: *Vbi verò ait in ipſa vita Ideas eſſe vaticinari videtur Euangelicum illud, quod factum eſt in ipſo vita erat: & vbi ait, repetitque ſæpè, Mundum diuina prouidentia conſtitutum, totam quidem confirmat religionem. Quod quidem cùm obſeruaſſet Theophraſtus tanquam in Philoſophia mirum, ait: Plato ſolus vel certè maximè omnium à diuina prouidentia rerum cauſas aſſignauit.* Quia ſcilicet ex Ideis diuinis rerum procreationem ac regiminis modum à Deo Theophraſtus prouenire crediderit.

Plotinus. — Porphyrius. — Alcinous. — Proclus. — Iamblicus. — Pſellus. — Carpentar. — Marſ. Ficin. — Coquæus. — Plotinus. — Marſil.

De modo autem quo eas in Deo Plato poſuerit idem Marſilius rectè diſſeruit libro 2. Theologiæ Platonicæ cap. 11. *Cum effectus Dei* inquit *ſubſtantiæ ipſi in ſe ſint, ideo nullo modo in eo;* id eſt Deo *tanquam accidentia eſſe debent; Non tamen illic multæ ſunt ſubſtantiæ. itaque ſunt illic vna quædam; id eſt ipſamet Dei ſubſtantia. quandoquidem oportet in Deo cuncta modo quam perfectiſsimo inueniri, atque vniri illi, ſibique inuicem perfectiſsimè. Nequeunt autem ſubliniore modo in Deo eſſe, atque ſublimius vniri tum Deo tum ſibi ipſis, quàm ſi in Deo ſint ipſe Deus. Neque tamen abſolutè Idea diuina eſt eſſentia; ſed quatenus huius vel illius ſpeciei eſt exemplar. Quocirca vt rationes ex vna eſſentia plures intelliguntur; ſic plures dicuntur Ideæ. Reſpectuſq; huiuſmodi quibus Ideæ multiplicantur non à rebus ipſis efficiuntur, ſed ab intellectu diuino ſuam cum rebus eſſentiam comparante.* cum ſcilicet vt docet A. Doctor ſuprà q. 15. a. 12. *Deus cognoſcit ſuam eſſentiam, vt ſic imitabilem à tali creatura.* Tunc enim *cognoſcit eam vt propriam rationem & ideam huius creaturæ.*

Plato. — Marſilius.

Eandem ſententiam Platoni tribuere Seneca & Patres non pauci. Ille quidem ep. 58. & 65. In priore enim loco ex Platonis ſententia Ideas vocat

vocat ex quibus omnia quæcumque videmus fiunt, & ad quas cuncta formantur, quæ immortales, immutabiles, inuiolabiles sunt. Et ideò ideam definit, *eorum quæ naturâ fiunt exemplar æternum.* In posteriore autem loco illud ipsum exemplar quod Plato vocat ideam definit sic: *Ad quod respiciens artifex id quod destinabat efficit.* & subdit: *Hæc exemplaria rerum omnium* inquit *Deus intra se habet, numerósque vniuersorum quæ agenda sunt, & modos mente complexus est. Plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt; ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur permanet; & hominibus laborantibus intereuntibus illa nil patitur.*

Iustin. mart. Ex Patribus etiam Iustinus martyr eximius, tradit in exhortatoria ad Gentes; Platonem ex illo loco Genes. 23. vbi dixit Dominus ad Moysen: *Fac tibi secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, cognitionem Idearum hausisse ait. (Gen. 23.) inde enim existimauit exemplaria rerum, quæ à Deo fieri debent in eo procedere. Clem. Alex. Clemens etiam Alexandrinus libro 5. Strom. ante medium: *In Phedro autem* inquit *Plato veritatem declarauit esse Ideam. Idea autem est Dei intelligentia; quod quidem Barbari dixerunt* λόγον θεοῦ *id est verbum Dei seu rationem* &c. S. August. S. Augustinus etiam id docet expressiùs. nam libro 83. qq. q. 46. initio. *Ideas primus Plato appellasse perhibetur*, inquit; *non tamen si hoc nomen antequam ipse institueret non erat, ideò vel res ipsæ non erant, quas Ideas vocauit, vel à nullo erant intellectæ, sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatæ sunt.* & has ipsas ait esse in diuina mente. vnde ait: *Quod si hæ rerum omnium creandarum, creatarúmve rationes in diuina mente continentur, neque in diuina mente quicquam nisi æternum atque incommutabile esse potest, atque has rationes rerum principales appellat Ideas Plato, non solùm sunt ideæ; sed ipsæ verè sunt, quia æternæ sunt*, &c. Non minùs clarè hoc ipsum docet Augustinus libro 7. de Ciuitate Dei capite 28. ait enim ex Varrone Platoni in primis addicto: *exempla rerum quas Plato appellat Ideas*, Mineruæ nomine significata esse; quam Mineruam è Iouis cerebro enatam Poetæ mentiebantur. S. August. Citatur etiam locus ex sancto Augustino pro hac sententia in libro vigesimosecundo de Ciu. Dei cap. 26. vbi tamen hac de re ne verbum quidem dixit.

Ad id verò firmandum quod ex illo cap. 28. de Mineruæ significatione dictum est, in primis facit quod fusè obseruauit Franciscus Patritius (Franc. Patr.) to. 3. Discuss. Peripatet lib. 5. nempe constare Orphei, Ægyptiorum, Chaldæorum, Pythagoræ, Platonisque opinione Deum supremum vnum. quem vnum Deum *quinque nominibus appellarunt* τὸ ἓν τὸ ἀγαθὸν ἀρχὴν θεὸν πατέρα *vnum, bonum, principium, Deum, Patrem. hunc supra omne ens, supra omnem essentiam collocant. ab eo genitum esse primum ens, primam vitam, primam mentem*; nempe filium eius patris: *hæc tria vnita* Verbum, Mentem, Archetypum *intelligibilem Mundum nuncupant: in hoc sitas essentialiter esse omnium rerum formas, quas ideas vocant. ab hoc pendere animam vniuersi*; nempe per quam suprà ex Patribus dixi significari Spiritum sanctum. Quibus patet omnes ideas Platonis constitui in mente Verbi æterni quod ex Patre ab æterno generatur. Nec mirum videri debet si de Ideis Philosophos Platone antiquiores A differentes citemus. Rectè enim probat Carpentarius (Carpentar.) in Alcinoum de Doctrina Platonis Digress. 2. initio; & Franciscus Patritius (Franc. Patr.) tomo tertio Discuss. Peripatet. libro quinto non longè post initium, Idearum ne quoad nomen quidem Platonem fuisse auctorem, cùm earum meminerint Trismegistus, Ægyptij & alij. (Trismegist.) quo argumento refellendi sunt, qui apud sanctum Augustinum vt modò vidimus aliter senserunt.

Durandus. Ex Scholasticis quoque Theologis Durandus in 2. d. 3. q. 6. numero 24. apertè ait Platonem nomine Ideæ intellexisse diuinas cognitiones, non autem substantias per se subsistentes, *sicut ei fabulosè* inquit *imposuit Aristoteles.* B Quin etiam A. Doctor (A. Doctor.) opusc. 20. lib. 4. cap. 4. ait *ipsos Aristotelis commentatores* ei *attribuere, quòd non plenè retulerit aliorum opiniones, & præcipuè Socratis & Platonis circa Ideam bonitatis*, &c. Accedunt & Peripatetici. id enim expressè docet Eustratius lib. 1. Ethic. ca. 6. (Eustratius.) comment. 6. Ibi enim cùm Aristoteles de Idea bonitatis aduersus Platonem argumenta retulisset, sic ait de Aristotele ipso. *Si aduersus Platonis sententiam de bono disputationem hanc instituisset, nihil mihi in præsentia contra eum dicendum existimarem partim hominis reuerentiâ, partim quia nulla necessitate ad Platonem tuendum impelleret. Quoniam verò & alio modo Plato bonum accepit; & aliud est quod hìc ab Aristotele refellitur, non esse ab re videbitur, si* C *nonnulla aduersus obiectiones has accommodata subiungemus studio præsertim veritatis inducti*, &c. Idem de Aristotele putauit Simplicius (Simplicius.) in fine libri 1. de cælo apud A. Doctorem loco citato. idque perspicuis verbis docet libr. 2. Phys. in cont. 19. & fusissimè Theophilus Zimara (Zimara.) lib. 1. de Anima in cont. 7. & lib. 2. An. in cont. 84. vbi etiam argumenta Aristotelis discutit atque dissoluit. Addo etiam Auerroem qui Platonis potius insectator, quam fautor fuit. Is enim libr. 12. Metaph. comment. 36. *vnde hæ formæ* id est Ideæ quas dixerat esse in diuina mente, *videntur duplex habere esse abstractum & materiale, & hoc est quod facientes formas volunt dicere.* & licèt addat non satis modestè, *sed* D *non peruenerunt ad ipsum*: intelligit quantum ad exactam explicationem. quasi ipse solus penetralia explicationis adierit: Plato ob mentis impotentiam haudquaquam. Alensis (Alensis.) etiam libr. 1. Metaphys. in cont. 54. apertè docet, *Platoni imponi* quod crediderit Ideas separatas. Constat ergo Platoni ideas esse substantiales rationes in Deo, seu eius diuina mente.

Idem apertè colligimus ex ipsius Platonis verbis. Primò namque in Timæo; vt obseruat Theophilus Zimara (Zimara.) lib. 1. de An. in cont. 7. citat. sic ait Plato de opifice Mundi. *Bonus erat; bonus autem nullus vnquam aliqua de re inuidia tangitur. ergo cùm ab eo liuor alienissimus esset, omnia sibi quantum fieri poterant, simillima fieri voluit.* E At hæc similitudo operis cum artifice non aliter quàm secundùm formas exemplares quæ in ipso sunt esse potest. In Parmenide quoque dixit; ideas oportere concedi; nam alioqui sequi ait, Deum hæc quæ in Mundo sunt non cognoscere. Ergo eas ponit in eius mente, vt sint ratio cognoscendi. Tandem Plato (Plato.) in Hippia maiore ita Socratem cum Hippia disputantem inducit; postquam ille fassus est rerum opificem certa ratione agere quemadmodum periti sculptores solent: *Fatendúmne* inquit Socrates *præsciri*

ab eo quæ fiunt; vt si hominem faciat cognoscat se factu-rum hominem: si equum equum. Cui Hippias, *fatendum*. inquit. Rursus Socrates: *Nonne quemadmodum in te erat species annuli*; quem scilicet Hippias formauerat; *& in Phidia species Mineruæ, erunt similiter in eo species hominis & equi? Erunt*, respondit Hippias. *Habebit igitur* subdit Socrates *is rerum quas facit omnium in se species*. Putat ergo collocãdas esse rerum ideas in eius cognitione, cuius actio prodire debet in rerum naturas efformandas.

Ratione id ipsum patet desumpta ex eodem quem dixi Hippiæ dialogo: quia idcircò ponuntur ideæ à Platone, vt is qui operatur rectè ex perfecta rerum efficiendarum cognitione operetur. Ergo eas esse ponendas putauit in mente causæ efficientis, vt ex operis præcognitione *non caco & fortuito euentu, quemadmodum rudes & inexperti*, vt ibi fusè docet Socrates. Ergo in Deo sunt ideæ simpliciter; nempe perfectum & absolutissimum rerum exemplar, ita vt eo præstantius excogitari non possit. Vnde ideæ sunt immutabiles, æternæ & substantiales cùm sint Deus ipse. Hinc fit vt cùm huiusmodi ideæ sint primũ exactũmq; exemplar; nempe diuina essentia, cæteræ naturæ dicantur idearum participationes ac deriuationes. Quæcunque enim præsertim ad primum simpliciter, & à quo alia deriuantur comparari solent, participationes illius sunt. Vnde cùm vt A. Doctor suprà quæstion. decimaquinta a. 1. ait, Deus operetur ad similitudinẽ suæ ideæ, id quod efficitur extra, est similitudo illius. ergo deriuantur ab illa. neque in hac re Aristotelem Platoni contradicere posse fatebuntur etiam ij, *qui* inquit Simplicius loco citato *Aristotelem venerantur*. Aristotelem enim has in Deo ideas posuisse longa rationum serie ostendit Zimara vtroque loco iam citato.

A. Doctor. Simplicius. Zimara.

Duæ tamen hic dissoluendæ quæstiones vidẽtur. Prima quidem cur Aristoteles tam sæpe Platoni tribuerit quod ideas separatim à rebus naturas substantiales per se subsistentes faceret. Altera est cur Plato ideas dixerit esse per se hominem, per se equum, &c. vt suprà diximus. Breuissimè tamen iis respondendum est; cum non sit ea nobis hic mens absolutam de Platonicis ideis disputationem instituere.

Aristoteles. Plato.

Ad priorem autem quæstionem aio, vt Simplicius adnotauit lib. 2. Physic. cont. 19. Aristotelem non tam impugnasse eam opinionem, quam verè putauit esse Platonis, quàm ea quę tanquam Platonis circumferebantur; *Hac pulchre itaque Aristoteles* inquit *aduersus sententias & intelligentias vulgares & plebeias de Ideis obiecit*, &c. cui subscribit Theophilus Zimara lib. 2. de An. vbi suprà. Plato etenim ita alicubi de ideis locutus est, vt cæteris qui eius mentem non ita penetrarunt eius opinionis quam diximus occasionem dederit, vt fatetur etiam Carpentarius Digressiõn. illa 2. cit. Sanè obseruat Philoponus libr. 1. de An. in cont. 46. Aristotelem non tam Platoni obuiam ire, quàm his qui verba Platonis non rectè accipiebant, & interpretari potiùs eius sententiam quàm refellere. Sic etiam Theophilus Zimara libro 1. de An. cont. 21. ex Simplicio docet, Aristotelis narrationi cùm veterum sententias refert standum non esse. Quoniam antiquorum opinionibus recensendis ea eis tribuit semper quæ apparent primo verborum occursu penitiorem sensum non explicans. Neque enim vt multa alia prætereantur aliter Platonis doctrinam impro-

Simplicius. Zimara. Carpent. Philoponus. Zimara.

A bauit cùm dixit: animi intelligentis esse circularem motum; & intellectum esse circulum nisi ostendendo eam falsam esse, vt verba hæc sonant. Sententia enim est certa. nam cæterarum animarum actiones sunt rectæ quædam lineæ, quoniam ex alio in aliud protenduntur, nec in ipsam animæ essentiam retorquentur, quippe cùm ab anima ad corpora transeant, nec animaduertant se agere ac sentire, aut seipsas cognoscant. Contra verò anima rationalis cognoscendo se actionésque suas quasi in orbem reflexa cognoscit ab eodem in idem se reuocans non aliter quàm circulus. Plura hac de re Theophilus Zimara in eum contextum 46. Atque hæc summatim de priore quæstione. an verò Aristotelis rationibus Ideæ Platonicæ refellantur, disputat egregiè idem Zimara, vt antè diximus.

Zimara. B

Ad posteriorem respondetur ex doctrina A. Doctoris suprà q. 18. a. 4. & q. 4. de verit. a. 6. & 8. creaturas verius esse habere in Deo quàm in se ipsis. nam vt in eo a. 6. ad 1. dixit: *ibi verius esse habent creatura vbi sunt per similitudinem, qua est causa rei; minus autem vere vbi sunt per similitudinem causatam à re*. vnde ibidem ad 4. ait: *creaturas habere nobiliores operationes in verbo in quantum sunt effectiua rerum & operationum ipsarum*. ob quam causam docet a. illo 4. ad 2. creaturas in Deo esse vitam licet in se ipsis non viuant. Neque hinc sequitur C esse diuersas naturas: nam vt docet A. Doctor eadem quæstion. 18. a. 4. ad 2. exemplata, eorúmque exemplar debent esse inter se consentanea *secundum rationem formæ, non autem secundum modum essendi. Nam alterius modi habet esse forma, quando est in exemplari & in exemplato. sicut forma domus in mente artificis habet esse immateriale, & intelligibile; in domo autem quæ est extra animam habet esse materiale & sensibile. Vnde & rationes rerum quæ in se ipsis non viuunt in mente diuina sunt vita, quia in mente diuina habent esse diuinum*. Ex quibus verbis duo quę ad præsentem rẽ spectant colliguntur. Vnum est esse idem secundum formam, Ideas & res ipsas, quæ ex illis sunt. nam differunt secundum mo- D dum essendi tantùm. Alterum est, ideam hominis posse dici hominem, & sic de reliquis. Si enim sunt idem secundum formam; ergo sunt idem secundum essentiam. Ergo vtrobique est ratio hominis, ac proinde homo; id est habens humanitatem.

A. Doctor.

Ex quibus vlterius alia duo sequi intelligimus. Alterum est: posse verum aliquomodo esse quod aiebat Plato; Ideam scilicet hominis esse per se hominem; quia scilicet illud est per se homo quod primariò est habens humanitatem; sicut illud est per se domus, cui primariò conuenit ratio domus: Primariò autem rationem ho- E minis cõuenire ideæ certum est; quia ei independẽnter conuenit; cæteris verò dependenter ab illis. Alterum est: cætera habere esse participatum ab illis, earumque esse deriuationes; nimirum quia illis conuenit talis ratio non per se primariò, sed quia sunt effectus ipsarum. Id bene explicauit Alexander Alensis lib. 1. Met. in contextu 54. cum ait, discrimen esse inter *participationem, qua subiectum participat formam, & eam qua exemplatum participat exemplar*, seu ideam. *In prima enim participatione forma est ratio essendi in subiecto, & est in ipso subiecto subiectiue; quia illa participatio non est nisi quædam informatio materiæ à forma. In secunda autem participatione*

Plato. Alensis.

non

non oportet, quod exemplar sit in exemplato, quia illa participatio, non est nisi quædam assecutio qua ipsum exemplatum assequitur ipsum exemplar, sicut illud quod habet attributionem ad illud. Sicut nimirum imago Socratis ad Socratem. Ex his autem Alexander negat Aristotelis argumentum in Platonem recte concludere; nempe semper formam esse in ipsa re cuius est forma. Nam forma exemplaris debet esse in artificis mente non in re quæ est artificis opus. Quomodo autem deriuentur idem præclarè explicat eodem libro in cont. 30. q. 1. Ait enim secundùm Boetium formas materiales deriuari ab immaterialibus sicut extractum ab extrahente; nẽpe secundum quod opera artis dicuntur imitari suas ideas, eo quod fiunt ad similitudinem ideæ. Et ideò *Ideata* inquit *imitantur ideas, non è conuerso.* Addit hæc dici etiam Theologicè. Theologicè enim *Ideæ sunt formæ seu rationes* inquit *non quæcunque sed principales & intellectuales. Principales quidem, quia formæ secundariæ deriuatæ licet habeant naturam ideati, tamen non habent naturam ideæ, quia semper idea est ratio principalis. Intellectuales autem quia Ideæ non vocantur formæ, quæ sunt principium alicuius per modum naturæ, sed per modum artis & intellectus.* Quæ quidem omnia rectè explicant, quæ à nobis hactenus ex Platone dicta sunt.

Notandum tamen hic est, quod attinet ad illum modum loquendi Platonicum, ex quo Aristoteles occasionem eius dogmata refellẽdi sumpsit; nempe cum sæpe dixit has ideas esse substantias separatas à sensibilibus & subsistentes, &c. non deesse grauissimos Patres qui eum amplexati sunt. nam S. Dionysius cap. 5. de diu. nomin. *exemplaria dicimus* inquit *esse in Deo rationes substantificas rerum, & singulariter antè subsistentes, quas prædestinationes Theologia vocat, & bonas diuinásque voluntates, eorum quæ sunt definitrices, atque effectrices: secundùm quas ipse super essentiam Deus, quæ sunt omnia prædestinauit atque produxit.* Ideas ergo appellat singulariter subsistentes, &c. Et cum sint in Deo, separatæ à sensibilibus sint oportet. Qua loquendi ratione adeò ad Platonicismum accessit, vt Bessarion Cardinalis ab A. Doctore in ea Dionysij citata verba, scriptum commemoret libro 3. contra Trapezuntium cap. 3. *Difficultatem esse in libris Dionysij propter multa, sed maximè quia vtitur modo loquendi quo Platonici vsi sunt, qui apud iuniores consuetus non est. Cum enim reducere vellent composita & materialia in simplicia principia posuerunt species separatas. vndè hominem singularem sensibilem non esse ipsum hominem sed participatione illius primi hominis separati singularem hunc esse dicebant. quod vt in speciebus ponebant: ita etiam in maximè communibus vnum primum, quod esset ipsa substantia bonitatis vnitatis & esse quod Deum dicimus, ponendum censebant. Quæ Platonicorum opinio* subdit *non consonat veritati aut fidei quantũ ad hoc quod de specieb. separatis statuit, sed quantum ad id quod de primo principio dicebant verissima est & fidei Christianæ consona.*

Itaque animaduertimus & S. Dionysium modum loquendi Platonicum vsurpasse, & Platonem solùm in eo errasse, quod ideas singulares substantias ab omni ente separatas posuerit. In quo cum ostenderimus Platonem non esse lapsum, sequitur eum hac in re non malè sensisse. Immò etiam constat modum loquendi solùm reprehendi ab A. Doctore, non quia improbè vsurpetur, sed quia eo vti soliti non erãt eius temporis auctores. vnde sequitur non necessariò per eas loquendi formas significari ideas separatas extra diuinam essentiam. Alioqui reiicienda esset loquendi forma non eo solùm titulo, quia vsurpari solita non sit.

Superesset hic quoque explicandum; quanam ratione Plato putauerit, ideas subseruire cognitioni nostræ: sed tamen hæc quæstio Deo probante commodius differetur in alium locum. Sanè S. Augustinus libro 83. qq. quæst. 46. *Tanta vis in ideis constituitur* inquit *vt nisi his intellectis sapiens esse nemo possit.* quem locum de diuinis ideis etiam intellexit A. Doctor suprà q. 14. a. 1. in argumento *sed contra.* Sanè nisi sapientibus idea pulchri, vt scribit Plato lib. 7. de Rep. boni, iusti, ordinis, æqualitatis, proportionis, cæterorúmque id genus velut canon proposita esset, nihil ex virtute aut arte agerent perfectè vt sapientem decet. Cõstat enim eos in omni genere absolutissimum cõtemplari oportere, ad cuius similitudinem operẽtur. Sic medicus qui perfectè callet artem medendi, sanitatis ideam sibi præ mentis oculis proponit, ad quam humanum corpus accedere pro viribus satagit. Ciuilis quoque proposita iustitiæ forma absolutissima ciuium mores ad illã quasi exemplar exprimere nititur. In ipsis quoque artibus pictor pulchritudinis formam animo concipit, & figuras effingit quàm pulcherrimas, nunquam tamen ipsam pulchritudinis notionem figurat, &c. Omnes ergo ideam præconcipiunt rerum quamperfectissimam possunt. Vnde quoniam nihil in rebus creatis adeò absolutum exactumque videtur, quin aliud eo præstãtius excogitari possit, necesse est ad formas exemplares absolutissimas tandem animus sapientis conuertatur, quæ sint mensura modúsque rerum, idque excellere putet magis quod ad formas has propius accedit. Hinc est vt sanctorum virorum animi, qui nulla in rerum creatarũ perfectione conquiescere solent ad perfectas pulchritudinis, absolutásque formas referantur, atq; ad eas aspirent tanquam in finem. Ad quas eo propiùs accedunt, vt loco citato obseruat Carpentarius, quo magis à rerum quæ in sensum cadunt simulachris ac falsis imaginibus repurgantur. Vt penè Christiano more à Platone in Sympósio dictum sit; animum diuinæ pulchritudinis amatorem quando diuinas rationes attingit (nempe quoad fieri in hac vita potest) tunc non amplius simulachra rerum, sed res veras parere in seipso, partasque nutrire, familiarem Deo fieri, ac præ cæteris immortalẽ. Atque hæc quidem de Ideis Platonicis pauca pro rerum magnitudine, satis verò multa pro tempore dicta sint.

Regressio ad Difficultatem propositam eiúsque argumentis satisfit.

EX his respondetur ad argumenta partis negantis. Ad primum ex Boëtio respondeo ex doctrina A. Doctoris in hoc a. c. Boetium negare angelos esse in loco secundum communem animi cõceptionem, eo quod non sunt; vt assueti reb⁹ corporeis cõcipere solẽt esse in loco corporeo per dimẽsiones quãtitatis, vt corpora. Neque alia est cõmunis animi notio negantiũ Angelos in loco. Ex quo vlterius apparet A. Doctor. longè sublimiùs soluisse huiusmodi argumentum hoc loco, quam in 1. d. 37. q. 3. a. 1. ad 1. vbi visus est inclinare

Plato. S. Augustin. A. Doctor. S. Dionysius. Bessarion. Carpentar. A. Doctor. Boëtius.

inclinare in eam sententiam, quæ dicit esse in loco *sicut operans in operato, & sicut forma in materia.* Quam quidem doctrinam hic sapientior factus tanquam penitus falsam prætermisit.

A

Ad secundum negatur Minor, & ad probationem illius respondeo, Aristotelem ibi disputare de loco corporum; & ideò concludit cont. 41. locum esse *superficiem corporis continentis.* Huic ergo conuenit vt propriè contineat, æqualisque sit corpori, quod in ipso est: non tamen id docet de loco cuiuscunque entis. Quanquam non absurde dicere possumus, has quoque loci proprietates conuenire loco Angelico ex quadam analogia. Nam locus continet Angelum, quia est intra ipsum, estque æqualis locato definitiuè, eo quod tantumdem loci occupatur in quantū corpus se extendit virtus occupantis, vt ita sit æqualis extensio quantitatis, extensioni virtutis. Sicut enim ex eo quod corpus est in loco per applicationem dimensionum debet locus esse æqualis dimensionibus corporis; ita quia Angelus est in loco per applicationem virtutis, debet esse illi æqualis secundùm virtutem.

B

Ad confirmationem respondeo esse in tempore esse mensurari à tempore, si res sint in tempore quoad determinatam durationem seu mēsuram, vt sunt entia generabilia atque corruptibilia; vt docet Aristoteles cont. seq. 120. non autem quæ sunt cum tempore ob perpetuam durationem; vt cœlum atque intelligentiæ. nam mensura est, quæ per sui replicationē exæquare debet id, quod mensuratur; & ideò Aristoteles libro 4. Phys. cont. 133. expressè ait: *nihil esse aliud videri totum quam multa mensura; vt multa vlnæ totus pannus.* quasi dicat replicatione mensurarum totum absumi. Quæ etiam causa est, vt libro 1. cœli cont. 52. dicat: *finiti ad infinitum nullam esse rationem*; nempe mensuram: propterea quod nunquam potest finitum ad infiniti terminos, quantumuis finitum replicetur, peruenire; vt alibi dictum est. Sicut ergo ea quorum esse terminatam habet durationem in tempore esse in tempore est tempore mensurari, non autem ea quorum esse tali termino carent, esse in tempore est mensurari tēpore; ita ea quæ habent terminatas dimēsiones, esse in loco est mensurari loco; non autem esse in loco est mēsurari loco, si suæ substantiæ nullum habeant terminum, eo quod magnitudine careant. hæc enim quantitatis extensione metiri non possumus ob improportionem inter mensuram, & quod mensuratur; Quo pacto nec superficiem metimur lineā, vt docet A. Doctor q. 3. de Pot. a. 17. ad 24.

Aristoteles.

C

D

A. Doctor.

Adde etiam posse dici Angelum mensurari loco dupliciter: Primò dum eius virtus aliquo loco definitur, eo scilicet quod in tanto corpore nec ampliore nec contractiore operari velit. quo pacto licet non habeat Angelus terminatas quantitatis dimensiones, sunt tamen definitæ extensiones eius virtutis quæ tanta est, in quantum determinata est ad operandum tāto in corpore. sicut virtutes determinatę dicuntur ad hos vel illos effectus in tanta vel tanta intensione, &c. Secundò dum eius substantia per suæ præsentiæ localis extensionem, vt dicam quæsito sequenti substantialiter occupat tantum corpus, & non amplius, quia illi loco tantum est præsens non ampliori. Quo pacto licet Angelica substantia cum indiuidua sit nullis finiatur terminis, tamen quatenus subest tantæ extensioni

E

præsentiæ suæ localis, terminos locales habet, non quidem per se sed per accidens, nempe ob extensam formā cui subest & ob quam in tanto loco est. Quemadmodum conuenit substantiæ materiali quantæ, vt sui loci extremis comprehendatur, quatenus subest quantitati, cuius extrema comprehendi extrinseca superficie queūt. Itaque sicut substantia materialis quamuis ex se non habeat terminos locales, potest eos induere ratione quantitatis: ita & substantia Angelica poterit eos habere ratione præsentiæ extēsæ. vnde etiam dicuntur substantiæ finitæ etiam comparatè ad locum; quia scilicet cùm finitā præsentiā ad locum definiri debeāt, hoc ipso finitas substantias in occupando loco eas esse demonstramus. Ad aliud patet ex dictis quomodo explicandus sit locus Angelorum; formam autem assignabimus quæsito seq. vbi accuratè examinandæ sunt variæ Theologorum sententiæ, vt quid veri, quídve falsi dicatur suis momentis pensemus.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm sententiā Patrum & Philosophorum Angeli verè sint in loco.

PArtem negātem probare posse videmur: primò ex Patribus. Et primò ex S. Augustino libro 83. qq. q. 20. vbi *Deus* inquit *alicubi non est. quod enim alicubi est continetur loco. quod continetur loco corpus est. Deus autem corpus non est.* Cùm ergo Angeli non sint corpus non erunt verè in loco. Idem patet ex libro 8. super Genesim ad literam cap. 20. vbi docet; spiritum non se mouere per locum, licet se per tempus moueat, & ideò ait: *omne quod mouetur per locum non potest nisi etiam per tempus simul moueatur; at non omne quod mouetur per tempus, necesse est etiam per locum moueri:* & illa ait esse corpora; hoc verò Spiritum Angelicum; Creatorem autem nec per tempora, nec per loca moueri, subiungit. idémque docet cap. 26. ibidem. S. August.

Secundò ex S. Damasceno lib. 1. de fide c. 17. vbi non aliter videtur asserere Angelos esse in loco, *nisi intellectuali modo.* quasi velit dicere non propriè, sed quia à nobis ita apprehenditur. Tertiò quia Patres nunquam apertè videntur docuisse, Angelos esse in loco simpliciter. aut saltem afferatur locus ex illis aliquis, ne sententia sit ex Patribus anceps. S. Damasc.

Deinde probari potest ex philosophis eadem pars: nam Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 100. hæc habet de iis quæ sunt extra cœlum, quę non possunt alia esse nisi Intelligentiæ. *Extra autem cœlum quod neque est neque contingit esse corpus ostensum est. manifestum igitur est quod neque locus, neque vacuum neque tempus est extrinsecus. quapropter neque quæ illic sunt nata sunt in loco esse, neque tempus ipsa facit senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extima disposita sunt latione, sed inalterabilia & impassibilia optimam ducentia vitam, & per se sufficientissimam perseuerant toto æuo.* Ergo Intelligentiæ Aristoteli ne aptæ quidem sunt esse in loco, sicut nec esse in tempore.

His tamen non obstantibus contraria senten-

tia

tia vera est, quæ supponit ex Patribus omnes Angelos verè esse in loco. Ac de Angelis quidem bonis agit Magister cum suis lib. 1. sent. d. 37. De loco autem dæmonum post peccatum controuersia ex Patribus examinatur à magistro cæterisque Theologis in 2. d. 6. & ab A. Doctore in hac p. p. q. 64. a. 4. omnésque ex Patribus conueniunt locum dæmonum esse aërem hunc caliginosum, & locum inferni in centro terræ.

Magister.

A. Doctor.

Angelos esse in loco, Patrum certissima sententia est. §. 1.

CVm quibus ad Difficultatem respondetur; & sit

Prima Propositio. Patrum certissimâ sententiâ Angeli sunt in loco. hæc propositio dupliciter probari potest. Primò quidem afferendo eorumdem Patrum auctoritates, quibus implicitè contineatur, eos clarè sentire, Angelos esse in loco. Secundo autem modo ostendendo ipsorum verbis explicitè, & vt dicitur in actu signato, doceri nostram hanc propositionem. Et quidem ex primo probandi genere sanè nimis longum esset, ac penè operis immensi huiusmodi Patrum loca, in quibus id supponitur recensere, ac prorsus inutilis labor: cùm passim huiusmodi Patrum sententiæ ab interpretibus sacrarum literarum dum de Angelis ac dæmonibus frequentissima commemoratio est, attinguntur. Quàobrem iis prætermissis, solùm vtrique incommodo occurrere conabimur, si solum huiusmodi quædam capita quambreuissimè significemus, dirigamúsque lectoris animum ad plura inuestiganda si lubeat.

Primum ergo ad Angelorum locum ex Patribus demonstrandum caput sit, cum ipsi docent, Angelos degere in cœlo, dæmones de cœlo ruisse, cruciarique in inferno. Tunc enim supponût eos esse ibi definito ac certo loco. de his agit A. Doctor infrà q. 61. & 64. Magister cum suis in 2. d. 6. & Sacrarum literarum interpretes circa ea scripturarum loca quæ ibi citantur. Secûdum caput cùm explicant quomodo præsideant tum prouinciis ac ciuitatibus, tum rerum speciebus, humaníque generis singulis indiuiduis, de quibus Magister & Scholastici in 2. d. 10. 11. & 12. A. Doctor infrà q. 112. & 113. In qua re multa à nobis dicta sunt suprà, vbi de custodia Angelorum tractatum est; déque iis ex instituto disputabitur suis locis. Tertium est, cùm interpretantur ea loca scripturæ, in quibus dicitur Angelos mitti à Deo ad certos locos ac regiones: vt cum Lucæ 1. dicitur: *Missus est Gabriel Angelus*, & Act. 12. *Misit Deus Angelum suum*, &c. mulieribus ad sepulchrum, &c. in Christi ad cœlum ascensu, &c. Quæ facilè legêti occurrere possunt. de quorum etiam missione agit A. Doctor infrà q. 112. Magister in 2. d. 10. Necesse enim est tunc supponant Patres, Angelos ibi esse; quò mittantur, & fuisse vnde proficiscuntur. ex. gr. cum apud sacram scripturam commemorantur Angeli descendere è cœlo ad sepulchrum. S. Chrysostomus homil. in ps. 2. tres rationes affert, cur Angelus de cœlo descenderit, assideritque Christi iam redimiti sepulcho. primam; vt Angeli ostenderent, illic verum Deum fuisse sepultum, cum

A. Doctor.
Magister.

Luc. 1.
Act. 12.

S. Chrysost.

A ipsi ad sepulchrum tanquam in cœlo vbi Deus habitat assisterent. Secundam, vt mulieres edocerent, Christum iam è mortuis excitatum. Tertiam vt fraudes euerterent. In quibus omnibus Angelos esse in determinato loco ipse non dubitat. siquidem vt dicam infrà, cùm Angelus descendit de cœlo non remanet ibi; & cum assidet ibi verè ac substantialiter est, quia ibi operatur; vt etiam patebit deinceps melius. Simili ratione S. Hilarius can. 33. in Matth. *Angelus Domini* inquit *de cælo descendens & lapidem reuoluens, & sepulchro assidens misericordia Dei Patris insigne est*, &c. & sic de cæteris. De Christi etiam in cœlum ascensu S. Cyprianus argumentatur à fortiori, quod Christo in cœlum conscendenti occurrerit Angelorum multitudo his verbis: *Quoniam descendenti coram pastoribus Bethleemiticis decantauerunt in sublimi præconia. modo ergo expressioribus conatibus, & intensioribus iubilis reuertenti ad Patrem solemniora obsequia impenderunt*, &c. Adfuisse ergo illos docet corã pastoribus in sublimi, & ascendenti in cœlum Christo occurrisse, vt eum debitis obsequiis prosequerentur. eodémque ferè modo S. Augustinus serm. 178. de Tempore, Nyssenus Orat. de Ascensione; Epiphanius etiam Orat. de Ascensione. Quartum caput est de creatione, qua in cœlo primum recepti sunt, de qua re A. Doctor infrà q. 61. Magister & Scholastici in 2. d. 6. Vltimum denique est de apparitionibus tam veteris quàm nouæ legis. Ad quarum explicationem multorum Patrum egregias de Angelorum loco sententias animaduertere possumus. de quibus etiam nos suprà non pauca discussimus. Hoc ergo primum probationis genus sic prætermissum sit.

S. Hilarius.

B

S. August.
Nyssenus.
Epiphanius.

A. Doctor.
Magister.

C

In altera ergo probandi nostram propositionem ratione immorandum nunc est. Probatur autem primo ex Tertulliano in libro Apologetico cap. 22. initio, vbi *Omnis spiritus* inquit *ales est. Hoc Angeli & dæmones. Igitur momento vbique sunt. Totus orbis illis vnus locus est. Quid vbique geratur tam facilè sciunt, quam enunciant.* His verbis habes lector Angelos ob velocitatem se transferendi ad loca, momento vbique esse, non quidem vbique simul cùm hoc dari creaturis nequeat; sitque eius substantiæ proprium quę immensitatem essentiæ habeat. Idcircò dixit; Angelum esse alitem quasi celeres pẽnas ad se mouendum habeat. Vnde & statim subiungit: *Velocitas diuinitas creditur, quia substantia ignoratur*; sed tanta temporis breuitate, vt simul vbique esse videantur.

Tertullian.

D

Iisdem ferè verbis locutus est S. Nazianzenus orat. 34. quæ est 2. de Theologia in fine, vbi de Angelis sic docet: *Vbique impigre adsunt tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem.* Hinc enim patet, quid velint Patres cum aiunt esse vbique nempe ardore ministerij & pernicitate virtutis.

E

Eandem celeritatem qua omnibus adesse possunt, eleganter descripsit Lactantius libro 2. de Origine erroris cap. 15. *Hi vt dico spiritus* inquit *contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia fraudibus dolis erroribus complent. adhærent enim singulis hominibus, & omnes ostiatim domos occupant*, &c. & cap. 17. *Vt illiciant* inquit *facilè in templis se occulunt & sacrificiis omnibus præsto adsunt*, &c. Quibus apparet ipsorum tum velocitas tum loca, in quibus se occultent, & vnde euolent,

Lactantius.

euolent, vt præstò adsint, &c. Docet ergo eos esse in loco.

Eandem sententiam patet esse illorum Patrum, qui Angelos loco definiunt, quia naturæ terminatæ sunt; ideoq; vbique esse non possunt. S. Ambros. Sic S. Ambrosius libro de Spiritu sancto cap. 10. negat de Spiritu sancto quod concedit de Seraphim; nempe esse in loco: *Seraphim* inquit *de loco ad locum transit. non enim complet omnia; sed & cælum repletur à spiritu*, &c. *At verò de Spiritu sancto hoc non possumus æstimare*, &c. Ergo Angelus transit de loco ad locum. Ergo erat in loco in termino à quo, & cum transit postea est in loco in termino ad quem.

S. Athanas. S. Athanasius in epist. ad Serapionem Episcopum Tmuseos tom. 3. non longè à fine hoc interesse dicit inter Spiritum paracletum, atque spiritus Angelicos quod ille sit vbique; hi verò in certis tantummodo locis, ideóque ait hos loco *circumscribi*, nempe definiri, vt etiam nos supra diximus. *Quod si Spiritus* inquit nempe sanctus, *omnia adimplet, & per Verbum in medio est omnium; Angeli autem quia minores sunt loco circumscribuntur, & quo mittuntur eo se conferunt; qui dubium esse possit, Spiritum neque creaturam neque Angelum esse, vt vos dicitis, & supra Angelorum naturam?*

Theodor. Quem modum loquendi alij quoque vsurparunt Patres. Sic enim expressè Theodoretus q. 3. in Genes. vbi cum docuisset, singulos homines sub vnius Angeli tutela degere, ait hinc apparere, *Angelos determinatæ esse substantiæ*. Ex quo vlteriùs infert: *Quod si verum istud, sicuti profectò est, loco vtique opus habebunt: Nam sola diuinitas veluti minimè circumscripta loco non est obnoxia. At si quid circumscriptum est, in loco est, qui fit vt Angelos ante cælum ac terram extare arbitrentur? Nam si non sit in rerum natura quod comprehendat, quomodo esse possit quidpiam quod comprehendatur?* Quibus omnibus patet, sanctos hos Patres sentire Angelum vnumquemque loco definiri ac circumscribi. atque in hoc etiam à Deo differre.

Probatur etiam propositio ex aliis Patribus qui absolutè docent, Angelos necessariò circumscribi loco certo. Gregor. M. Sic Gregorius magnus libro 2. Moral. cap. 2. & homil. 34. in Euang. docet; Angelos esse naturâ circumscriptos, & ad nos frequenter mitti, quamuis mente atque intelligentia semper in diuina contemplatione defixi sint. *Quomodo* inquit in eo cap. 2. *aut semper assistere, aut videre semper faciem patris possunt Angeli si ad ministerium exterius pro nostra salute mittuntur?* cui quæstioni respondet sic: *Quod tamen citius soluimus, si quantæ subtilitatis sit Angelica natura pensemus. neque enim sic à diuina visione foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudiis priuentur*, &c. Nam *Angelorum spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientia longè super nos incomparabiliter dilatatur*, &c. *Et mittuntur igitur & assistunt; quia per hoc quod circumscripti sunt exeunt, & per hoc quod intus quoque præsentes sunt, nunquam recedunt. & faciem ergo patris semper vident, & tamen ad nos veniunt; quia & ad nos spiritali præsentia foras exeunt*, &c. Circumscribuntur ergo & cum mittuntur, mouentur ab vno loco quem relinquunt, transeúntque ad alium quem acquirunt. S. Damascenus. S. Damascenus quoque lib. 2. de fide cap 3. ante medium id magis explicans de Angelis ait sic: *atque circumscripti quidem illi sunt: nec enim in terra versantur cum in cælo sunt; nec cum à Deo in terram mittuntur in cælo remanent.* Ne autem quis putaret eos circumscribi eorum more, quæ

A dimensionem habent, subdit statim quid sentiat his verbis: *cæterum nec manibus nec portis nec repagulis nec sigillis circumscribuntur. non enim terminis vllis includuntur; terminis autem expertes ob hanc causam dico*, &c. E quibus vide circumscribi quidem ac definiri, quia non sunt vbique simul; non tamen terminis includi. quasi loco instar rerum extensarum ambiantur. Idem dixerat sed aliis verbis idem Damascenus lib. 1. cap. 17. vbi docuerat, eos S. Damasc. esse quidem in loco, sed intellectualem in modum; nempè vt scholæ loquuntur, indiuisibiliter, ac toti in singulis partibus loci. *Angelus* inquit *etiamsi corporis in modum non ita in loco continetur, vt formam ac figuram recipiat; In loco tamen esse* B *dicitur, quia intellectuali modo adest; atque vt ipsius naturæ consentaneum est operatur, nec alibi est; verum intellectualem in modum illic circumscribitur vbi operatur.* Patet igitur eos esse loco circumscriptos, non tamen instar corporum, quæ loco configurantur, sed intellectuali modo, hoc est indiuisibiliter; quia modo corporeo nempe extenso opponit modo intellectuali.

Probari etiam potest ex aliis qui dicunt Angelos mutare locum ac transire de vno ad alium: quod necessariò significat verè esse circumscribique loco. Id autem docent S. Hieronymus lib. S. Hieron. contra Vigilantium post epistolam 53. ad Ripar. contra eundem Vigilan. *Cum dæmones* inquit *toto* C *vagentur orbe, & ex celeritate nimia vbique præsentes sint*, &c. S. Chrysostomus Homil. 3. ad Hebr. in ea S. Chrysost. verba *In ministerium missi*, &c. *In multa loca* inquit *propter nos mittuntur & ad nostram ministrant salutem.* & infra *Circa nos cursitant, hoc est eorum ministerium propter nos in omnes mitti partes*, &c. Ne autem putemus particulam *mitti* significare metaphoricè, ostendit discrimen significandi quam ea particula habet cùm dicitur filius Dei mitti, & cùm mittitur Angelus, filius non sicut Angelus fuit missus, non enim à loco in locum transit, sed carnem suscepit. *Angeli verò loca mutant, & prioribus in quibus sunt dimissis, ad alia veniunt in quibus non erant.* Quid his apertius dici potest?

D Concludam tandem hanc propositionem auctoritate S. Hieronymi, eámque huic capiti co- S. Hieron. ronam imponam. Epistola enim 17. docet apertè post illud a Iudæis patratum scelerum maximũ ab Hierusalem Angelorum præsidia vnà cum gratia recessisse, atque aliò transmigrasse: &, *Iosephum qui vernaculus est scriptor Iudæorum, asserere eo tempore quo crucifixus est Dominus ex adytis templi erupisse virtutum cælestium voces dicentium. Transmigremus ex his sedibus.* vnde ait Hieronymus hæc omnia ad gentes fuisse translata. Idem repetit S. Hieronymus ep. 102. & ep. 150. q. 8. de quibus S. Hieron. memini me suprà dixisse quæst. 51. a. 2. quæsito 1. diffic. 1. Huc etiam afferre possem quæ docet S. Chrysostomus; se nimirum accepisse à viro S. Chrysost. quodam optimo, cui se credere profitebatur, E Angelos in templis frequentes esse, diúque in iis commorari, nisi hæc omnia suprà dixissem, vt nihil iis possim de nouo addere. Constat ergo Patrum certissimâ sententiâ Angelos esse in loco.

* * *

Philoso

Philoſophorum ac præſertim Ariſtotelis ſententia Angelos eſſe in loco. §. 2.

SEcunda propoſitio. Certiſſima etiam Philoſophorum ſententia Angeli ſunt in loco: Probatur propoſitio, & quod attinet ad Mercurium Triſmegiſtum, & reliquos Philoſophos ad Ariſtotelem vſque, conſtat manifeſtè ex dictis ſuprà q. 50. quæſit. 1. & 2. vbi eorum ſententiã oſtendimus ipſos dæmones ſeu Angelos è ſtatuis reſponſa dediſſe: cæleſtéſque aëreos ac terreſtres immò & aqueos dari Angelos, *totáque tellure vagari* & hominum curam gerere atque vltro citróque ire ac reuerti vt Deorum nuncios; iiſq; plenum eſſe aërem ac terras omnes, vagaríque nunc huc nunc illuc. Ergo exiſtimarunt, illos eſſe in loco determinato ac certo, ita vt dum ſunt in vno ſimul non ſint in alio. (Triſmegiſt. Ariſtoteles.)

Maior difficultas eſt quid Ariſtoteles hac in re ſentiat, qui immobiles atque indiuiſibiles poſuiſſe Intelligentias videtur, vt ſuprà diximus; Tamen probatur propoſitio etiam in Ariſtotelis ſententia. nam Ariſtoteles lib. 8. Phyſ. cont. 84. aſſerit, primum motorem eſſe in maximo ſui cæli circulo, & eadem ratio probat de ſingulorum orbium motoribus. concipiunt enim Mathematici in quocunque cæleſti orbe varios circulos inter quos ille eſt maximus, qui ampliſſimum ſpatium mouendo conficit. eſt enim is qui maximè a polis diſtat. hic enim ampliſſimus omnium concipitur. Probat ergo ibi id Ariſtoteles: motor enim eſſe debet in ea maxima cœli parte, quæ velociſſimè mouetur, quia *celerrimè mouentur quæ proxima ſunt mouenti.* Ea autem pars quæ eſt circulus maximus velociſſimè mouetur. *Illic ergo ipſum mouens.* Sentit ergo Intelligentias eſſe in cæli parte determinata & non eſſe in aliis, quia negat eſſe in medio contra Pythagoricos, nempe centro, quorum ipſe opinionem refert libr. 2. de cælo cont. 66. vbi ait Pythagoræos voluiſſe ignem eſſe in centro. nobiliſſimo enim loco nobiliſſimum corpus ponendum putarunt: *Medium autem eſſe tale, quem Iouis carcerem nominant.* in quem locum videri Simplicius poteſt, & Auerroes. (Ariſtoteles. Simplicius. Auerroes.)

Aduerte tamen non negari ab Ariſtotele primum motorem; nempe ſummum Deum eſſe vbique, quia alia eſt eius ratio, vt ſuprà diximus. Atque hæc de maximo circulo dixi ex ſententia Eudemi, referente id Simplicio ibi cont. ſuo 107. licet Alexander velit eſſe in tota circumferentia cæli extima, vt ibi etiam Simplicius refert. Sed vt vt ſit omnes cæli motrices Intelligentias collocant in aliqua determinata corporis parte: atque ita Intelligentia in omnium ſententia eſt in loco definito ac certo. (Simplicius. Alexander.)

Secundò probatur: quia idem Ariſtoteles lib. 4. Phyſ. cont. 1. ex omnium ſententia confirmat omne quod eſt in aliquo eſſe loco: *etenim quæ ſunt omnes exiſtimant alicubi eſſe; quod verò non eſt nuſquam eſſe. vbi enim eſt hircoceruus, aut ſphinx?* & quanquam vt aliqui interpretantur id intelligi debet de ente phyſico; Tamen idem de Intelligentiis eſſe dicendum, patet ex libr. 1. de cælo cont. 22. vbi vt ſuprà diximus ex omnium ſententia cælum Diis aſſignat tanquam ipſorum locum ac domicilium. Sic etiam lib. 5. Phyſ. cont. 8. ait: (Ariſtoteles.)

A *Quod non eſt non eſt in loco. eſſet enim alicubi.* Putat ergo quicquid eſt alicubi eſſe oportere adeò vt etiam ipſe locus lib. 4. Phyſ. cont 47. dicatur *eſſe alicubi, non autem vt in loco*, &c. Præterquam quòd lib. 1. de cælo cont. 100. licet neget Intelligentias, quæ ſupra cæli ſuperficiem extimam ſunt eſſe in loco eam ob cauſam, quia nihil ibi eſt quod cælum ambiat; tamen concedit ibi determinatè eſſe, *quæ illic ſunt*, vt mox dicetur in ſolutione argumentorum. Conſtat ergo de Philoſophis communem eſſe ſententiam, Angelos eſſe in loco nempe alicubi definitè ac determinatè ita vt alibi non ſint.

B

Explicantur quædam A. Doctoris ac Patrum loca, quibus Angelum eſſe in loco videntur, negaſſe. §. 3.

EX his propoſitionibus ita probatis Colligitur primò adhuc non eſſe probatum contra ea quæ docet A. Doctor q. 3. de Pot. a. 19. vbi contendit Angelum *quia prior naturaliter eſt quàm creatura corporalis, nullo modo à creatura corporali dependere.* vnde non neceſſariò coniungi oportere cum aliquo corpore; atque ita creatos fuiſſe ante omnem creaturam corpoream. Quæ ſententia vtrũ C ſit vera necne videndum erit infrà. Sed quod aio eſt, ex dictis non oſtendi aliquid contra hanc relatam ex A. Doctore ſententiam. Cùm enim ſolùm oſtenſum ſit, Angelos eſſe in aliquo loco, eóque circumſcribi propterea quòd non ſunt vbique, & in aliquo certo ſpatio definiuntur; hinc non conficitur ſemper neceſſario eos alligari alicui loco corporeo, eſſéque in aliquo corpore. Quamobrem A. Doctor expreſsè eodem a. 19. ad 2. concedit eos eſſe ſemper in aliquo loco; non tamen neceſſario. *Nihil* inquit *prohibet Angelos non eſſe in loco ſi voluerint; etſi etiam ſemper ſint in loco propter ordinem quo creatura ſpiritualis præ-* D *ſidet corporali ſecundùm Auguſtinum.* Vtrùm autem rectè dicatur, ipſos Angelos ab omni prorſus loco denudari poſſe, infra diſputabitur accuratè. ſanè hoc affirmat A. Doctor non ſolum in eo a. 19. verumetiam apertè in 1. d. 37. q. 3. a. 1. ad 4. & in hac q. vt dicam deinceps. (A. Doctor.)

Colligitur ſecundò, quomodo intelligi oporteat, quod ait A. Doctor in eadem q. 3. a. 1. citato ad 2. cum ait: *eſſe in loco vt loco non conuenire Angelis.* Non enim poteſt intelligi quod verè non ſint in loco, quia id ipſe, Philoſophi & Patres affirmarunt, vt dictum eſt. Sed quod non ſint in loco tanquam ab ipſo ſuis dimenſionibus menſuretur; quod ipſe intelligit ibi, cùm dicit propriè nõ E eſſe in loco. Vt enim ait ibidem ad 1. *Locus eſt nomen menſuræ; vnde eſſe in loco propriè ſignificatur, vt eſſe in menſura; & ſic nulli rei incorporeæ conuenit eſſe in loco*; nempe ſecundùm coæquationem vtriuſque extenſionis. Intelligit ergo ſecundum rationem loci Phyſici definiti ab Ariſtotele libro 4. Phyſ. cont 41. Vt ſit ſuperficies corporis ambientis, & coæquantis ſibi locati dimenſiones. Abſolutè autem ſunt verè in loco, quia ſunt hic & non alibi, & aliquo modo commenſurantur loco, cùm ſint intra tantum corpus determinatè vt dixi ſuper. Diffic. (A. Doctor. Ariſtoteles.)

Ex his reſpondetur ad argumenta Partis negantis.

gantis. Ad primum enim ex S. Augustino dico, ipsum intelligere de loco corporeo, quem Physici ac naturales simpliciter intelligūt cum nominãt locum, vt dixi ex A. Doctore in secūdo Colligitur. & ita verum est, quod continetur loco corpus esse: non tamen quod quouis modo continetur loco corpus esse debet. nam si quid continetur loco hoc sensu; quia scilicet ei præsens sit, alibique non sit substantialiter, dico Angelos contineri loco, vt suprà diximus; neque hoc negari ab Augustino, qui nunquam negauit, sed sæpè concessit, Angelos esse corpori præsentes, vt de apparitionibus & cæteris supra dixi.

S. Augustin. Ne autem pro arbitratu hæc ex Augustino dicere videamur, integrū locum afferam ex eius libro eodem loco citato; vbi vtrumque quod nūc asserimus perspicuis verbis docet. *Deus non alicubi est* inquit. *Quod enim alicubi est cōtinetur loco: Quod continetur loco corpus est. Deus autem non est corpus. Non igitur alicubi est. Tamen quia est, & in loco non est, in illo sunt potius omnia quàm ipse alicubi; nec tamen ita in illo vt ipse sit locus. Locus enim in spatio est, quod longitudine, latitudine, & altitudine corporis occupatur, nec Deus tale aliquid est. Et omnia igitur in ipso sunt, & ipse locus non est.* His verbis apparet, Augustino locum propriè ac simpliciter esse corpus, & præterea esse in loco non esse nisi corporum; quia quæ sunt in loco eo contineri debent, eique commensurari. & ideò dixit quod alicubi est contineri loco. Itaque ex hoc sequitur Angelum non debere negari esse in loco omni prorsus modo, sed eo modo, vt corpora in loco sunt. Quod verò habeant Angeli locum, nempe in quo sint alicui corpori præsentes, certum est ibi ex Augustino. nam ibidem de Deo subiunxit: *locus tamen Dei abusiuè dicitur Templum Dei, non quod eo contineatur, sed quod ei præsens sit*, nempe substantialiter. ergo multo magis Angeli loco præsentes substantialiter erunt: &, cum immensi non sint, oportet non cuilibet, ac proinde erunt alicubi definitè, non vbique extra quod est esse in loco, vt ad rem nostram facit, vt suprà definitum est.

Ad alium locum respondeo, quod mouetur per locum non posse nisi per tempus moueri, quia si se per locum mouet, nempe dimensum, debet aliquo temporis interuallo se mouere. At si se per tēpus moueat, vt Angelus dum se continuo motu applicat corpori extenso, non est necesse se per locum moueat; nempe per superficiem ambientis corporis, quam per locum intelligit vt diximus. Angelus enim mouendo se, corpus peruadit; non autem se superficiei tantummodo applicat, vt corpus. sed intus est.

S. Damasc. Ad secundum ex S. Damasceno patet ex iis quæ retulimus ex illo in nostræ primæ propositionis probatione, vbi explicauimus quid ipse velit cùm dicit *intellectualem modū*. Ad locum ex Aristoteles. Aristotele manifestum esse dico, ipsum nomine loci intelligere superficiem extrinseci corporis ambientis, quandoquidem negat quæ extra cœlum sunt esse in loco. *quod neque est neque contingit esse corpus*, vt vidimus: non tamen negat locum, intra cuius intimas partes contineantur; vt de cœlo diximus ex cont. 22. lib. 1. de cœlo, & ideò ait *quæ illic sunt non esse nata in loco esse*. vnde duo intelligi oportet: primum quod illa dicat esse in loco, quia dicit, *quæ illic sunt*. sunt enim *hic, ibi, illic*, &c. loci particulæ. alterum est, quod non sunt in loco ob defectum corporis ambientis. Ergo locū extrinsecus ambientem solummodo negat. Ad argumentum igitur in forma respondeo. Concesso antecedente Negandā esse consecutionem.

QVÆSITVM SECVNDVM,

Per quam formam Angeli sint in loco.

CVm esse in loco sit aliquis effectus formalis, quandoquidem est aliquod compositum concretumque ex pluribus partibus, nempe re quæ est in loco, & ex ipsa ratione per quam est in loco, examinandum nunc est, quæ sit huius effectus seu compositi forma; cùm Angelus est in loco. Siquidem hunc effectum esse a parte rei; nimirum Angelum esse in loco proximo superiore Quæsito demonstratum est. Quærimus autem de huius effectus compositi forma seu ratione formali illius: Constat enim nullum posse esse aut intelligi effectum formalem sine forma aut eius ratione formali. nam nihil est aliud formalis effectus, quàm quid concretum ex forma & subiecto seu quasi subiecto. ideo namque dicitur effectus formalis quia est a forma tanquam à vera causa formali componente ipsum intrinsecè. Hoc enim distinguitur causa formalis à cæteris causis, quod causa formalis est adeò intrinseca pars sui effectus, vt eius sit essentia.

Etenim constat hanc ob causam appellari formam ab Aristotele *rationem* lib. 1. Physic. cont. 69. lib. 7. Metaph. cont. 53. lib. 8. Metaph. cont. 3. quia nimirum est essentia & definitio rei, quam componit. quæ definitio ab Aristotele dicitur *ratio*, vt patet ex lib. 2. Phys. cont. 28. & lib. 7. Metaph. cont. 13. & 43. Vnde etiam forma dicitur quidditas, hoc est *quod quid erat esse rei*, vt libro 2. Phys. cont. illo 28. lib. 8. Metaph. cont. 3. At cæteræ causæ non sunt rei essentia. Etsi enim formalis causa cōueniat cum materia in eo, quod vtraque ingreditur naturam, essentiámque sui compositi; tamen cùm materia sit multis communis, non constituit rei essentiā sicut forma, ac proinde simpliciter eius rei, materia non dicitur essentia sed forma. De cæteris autem causis nihil dubitatur, quin ad effectum extrinsecus se habeāt, vt finis & efficiens. De hac igitur forma, & formali ratione, qua Angelus formaliter in loco constituitur est præsens quęstio. in qua exagitanda plurimum Theologorum ingenia desudarunt, adeò vt ob rei obscuritatē singuli fermè peculiarem sibi explicādi rationē sumpserint. Vt autem à magis vniuersalibus prædicatis inchoēmus; sit

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm forma quæ est in Angelis ratio existendi in loco, sit aliquid reale vltra totā entitatem tum Angeli tum loci cui Angelus applicatur, & an quid ab illis separabile.

IDem est illud quod Angelo est ratio existendi in loco, & per quod Angelus fit præsens loco; seu quod idē prorsus est quo vnitur loco. Quemadmodū idem est id per quod Christi corpus vnitur speciebus sacra in Eucharistia; & quod est eidem ratio existendi in speciebus & per quod fit præsens speciebus, & quod est præsētia corporis Christi sub specieb. Ratio horū vniuersalis est; quia

quia ratio cur aliquid sit in loco speciebus & aliis huiusmodi, est ratio qua illud vnitur & præsens est loco speciebus & cæteris. nam esse in loco, &c. est esse vnitum & præsens loco. ergo ratio cur aliquid sit in loco est ratio quæ est vnio & præsentia eius quod est, & vnitur ipsi loco. Idem ergo est quærere: Vtrùm Angelo ratio existendi in loco, sit aliquid reale vltra vtramq; prædictam entitatem. Pro qua re intelligenda

Notandũ est, hic non esse quæstionem: Vtrùm illa vnio ac præsentia localis sit aliquid vltra entitatem Angeli ac loci simul iuncti. Quia cum illæ entitates simul iunctæ inuoluant vnionem, sensus quæstionis esset; Vtrùm vnio prædicta distinguatur ab illis entitatibus & vnione; atq; ita quæstionis sensus, atque adeò quæstio ipsa inanis atque inutilis redderetur; quia euidens est nihil dari posse quod distinguatur ab aliis & à se ipso; quia esto possibilis, atque adeò de facto sit distinctio rei ab aliis, tamen impossibilis est distinctio eiusdem rei à seipsa; cum res sit idem, non autem quid diuersum à seipsa. Certum enim est, omne quod est; idem maximè esse cum seipso. *Idem* namque est vt docet Aristoteles lib. 4. Phys. cont. 134. *cuius non differt differẽtia*. Est ergo sensus: Vtrùm illa forma, quæ est ratio aut vnio seu præsentia ad locum sit aliquid reale vltra totam Angeli entitatem, & vltra totam loci entitatem, quę vnitæ sunt. Ita vt illa realis forma sit quid reale vtrique entitati superadditum. Quemadmodum cum quæritur; Vtrùm vnio sit aliquid reale præter suas partes vnitas, sensus quæstionis est; vtrũ à parte rei vnio sit aliquid reale præter partes quæ vnitæ sunt. In hoc ergo sensu præsens difficultas disceptabitur diligenter à nobis.

Aristoteles.

Angelum esse in loco immediatè per nudam eius substantiam opinantur complures Theologi vario tamen modo. §. I.

PRima igitur sententia negans, eo quòd Angelo vt vniatur loco satis sit nuda eius substantia sine vlla prorsus superueniẽte forma, quę sit vltra ipsum locum. Verùm hæc sententia non vno tãtùm modo explicatur ab eius auctoribus.

Primus dicendi modus est eorum, qui asserũt Angelos esse in loco per suam substantiam, qua possunt corpora mouere. Hunc amplectitur Durandus in 1. d. 37. 2. p. d. q. 1. num. 26. & deinceps; ad cuius explicationem ipse plurima notat, atq; obiicit, etiamsi eius sententia variè ab auctoribus referatur. nos autem quæ huius sententiæ capita sunt colligemus, & suo ordine distribuemus ex variis ac sparsis eius dictis, vt celebris sententia non populari, sed theologica trutina examinetur.

Durandus.

Primo igitur ait §. *ad primum argumentum* expressè sic: *Angelo conuenire esse in loco ratione suæ essentiæ*. Ex quibus patet, ipsum concedere saltem verbotenus Angelos in loco esse. Secundò ait ibidem nec esse circumscriptiuè nec definitiuè: *ita quòd essentiæ competat determinatus situs, & propinquitas, & distantia situalis*. quod etiam dixerat numer. 26. vbi etiam addit quæ dictis cohærent: *Angelum nusquam esse secundum situm.* Quoniam autem si est in loco ratione suæ essentiæ, explicandum

A erat, quo id pacto intelligeret; dicit tertiò eodem numero vigesimosexto Angelum esse *præsentem cuilibet corpori, quod potest mouere, præsentia ordinis, non situs; siue moueat corpus, siue non.* Explicans autem hanc ordinis præsentiam magis; dicit quartò; ipsam non esse per operationem, *quia substantia præcedit operationem eius in loco*, ex eo quod omnis actio quæ subiectum supponit, *præexigit præsentiam mouens ad mobile, & actiui ad passiuum.*

Hinc ipse apertè deducit quod verè ex dictis sequitur, ac dicit quintò, quod est accuratè animaduertendum, quia Angelus *potest agere in multa*
B *corpora simul vel successiuè, ergo antequam agat, præsens est corpori cuilibet simul.* Ac ne cuiquam mirum videatur, Angelum esse simul in omni corpore, quia videtur omninò sequi Angelum esse vbique, rationem huius dicti affert: *quia si primò esset præsens vni tantùm, deinde alteri, difficile valde esset assignare, quare magis esset præsens illi quam illi.* Vnde infert cuilibet corpori simul præsentem esse. Nec verum esse ait si quis diceret, Angelum esse præsentem vni & non alteri corpori: *quia sic* inquit Angelus *videretur definiri loco & per essentiam suam mouere; quod non videtur benè dictum*; vt paulò superiùs diximus.

Itaque sententia Durandi est, Angelum non
C esse in vno tantum loco, sed simul in omnibus corporibus, quæ ab ipso moueri possunt; idq; antequam operetur, ac proinde esse in omnibus nõ per aliquid substantiæ additum, sed immediatè per suam substantiam ob præsentiam ordinis quam habet ad corpora. quia scilicet illi substãtiæ subiacent corpora, quæ moueri ab ipso possunt. Hæc enim est pręsentia ordinis apud ipsum; nempe subiectio quædam, & vt dicitur subordinatio ad vim eius motricem.

Probat hanc suam sententiam Durandus eodem nu. 26. quia *quod facit situm in corporalibus hoc facit ordo in spiritualibus. sed videmus in corporalibus*
D *per præsentiam situs, quod corpus cœleste habens causalitatem super omnia generabilia & corruptibilia præsẽs est omnibus secundũ situm hoc modo, vt agat in omnia. ergo Angelus habens causalitatem in aliqua corpora quoad motum localem præsens est omnibus secundum ordinem, ita vt possit in ea omnia agere cum voluerit.* Vnum tamen discrimen esse ait inter cœlum respectu corporum, & Angelum respectu mobilium, *quòd præsentia corporis cœlestis cùm sit secundùm situm nõ est ad omnia corruptibilia, & generabilia immediatè*, quia quædam sunt viciniora cœlo, quædã ab illo distant. At præsentia Angeli cùm non sit secundùm situm non impeditur quominus sit immediata ad omnia mobilia. Sicut *ponendo* inquit *animam rationalem non esse quantam dicimus quòd ipsa se-*
E *cundùm se totam existens in vna parte corporis puta in capite non impeditur, quominus sit in parte tota distante, scilicet in pede. & idẽ est de Angelo respectu corporis quod potest mouere, nisi quòd Angelus non est forma sicut anima.* Hæc sincera Durandi sententia est.

Durandus.

Ex quibus patet ipsum sentire, Angelum esse quidem in loco, non tamen aut circumscriptiuè, aut definitiuè; sed vbique esse cuilibet corpori præsentem, non situs sed ordinis præsentia; hoc est eo quòd corpora eius imperio subiecta pareãt quoad motum localem.

Tandẽ Durãdus soluere nititur aduersaria argumẽta: Dicit enim Angelũ vel nõ posse mouere omnia corpora; vel si potest non esse vbiq; sicut Deus qui est vbique tãquã causa replens omnem locum

Durandus.

locum suis effectibus; Angelus autem tanquam A *habens habitudinem ad mouendum.* neque esse absurdum ait aliquot Angelos habere huiusmodi habitudinem ad omnia corpora. Quod si dicas, si Deus faceret plures mundos, an Angelus esset in omnibus? Respōdet fore in omnibus præsentem non præsentia situs sed ordinis. At Damascenus negat; Angelum simul esse in cœlo & in terra vt suprà vidimus: Respondet Durandus non esse simul quoad operationem, quæ est manifestatio suæ potentiæ, quia non est necesse vt Angelus possit mouere omnia corpora simul, quæ potest successiuè. vltimo loco num. 38. profitetur se hæc dixisse non asserendo sed disputando, *& dando occasionem peritioribus vlterius inquirendi.* Quasi veritus sit, ne aliis si hunc philosophandi modum absolutè probasset, nimia in philosophando licentia vsus videretur.

Damascen.

Secundus dicendi modus, est aientium nullam aliam esse rationem seu formam, per quam Angelus est in loco determinato ac certo definitiuè (in quo differt à sententia Durandi) nisi substantiam simul cum loco. Ita expresè Ricardus in 1. d. 37. a. 2. q. 1. c. in fine, vbi reiectis multorum sententiis concludit sic: *Dico ergo quod formalis ratio applicationis Angeli ad locum est sua simultas cum loco, vel cum re existente in loco.* Quare nihil aliud ponit nisi ipsum esse simul Angeli & loci, ita vt nihil sit superadditū vtrique entitati reale. vnde subdit: *Sicut formalis ratio applicationis corporis ad locum est circumscriptio; sic formalis applicatio Angeli ad locum est simultas sua cum loco.* Cùm ergo velit corpora non habere aliā formam, qua in loco constituantur nisi circumscriptionem, nempe superficiem ambientis, arbitratus est nec Angelos quicquam aliud habere nisi simultatem. Probat hunc dicendi modum Ricardus: *quia non est circumscriptio à loco: quia nihil potest loco circumscribi, nisi quod est dimensionatum. nec informatio corporis existentis in loco; quia Angelus nullius est corporis forma. nec terminatio magnitudinis existentis in loco; quia Angelus nullius magnitudinis terminus est. nec operatio in loco potest esse præcisa ratio huius applicationis, vt superius probatum est. nec ordo vniuersi; quia si ordo est ratio applicationis non est formalis sed finalis.* Atque ita concludit esse illam *simultatem.* quia putat aliud dari non posse.

Ricardus.

Tertius dicendi modus docet Angelum esse quidem definitiuè in loco, sicut Ricardus, sed nullam aliam assignat rationem præter *ordinem vniuersi & limitationem spiritus creati.* Ita S. Bonauentura in 2. d. 2. p. 2. a. 2. q. 1. vbi in fine corp. ait: *Et sic patet ratio duplex, quare data est corpori potentia locandi spiritum, & spiritum cōtineri à corpore. hoc enim exigebat ordo vniuersi tum propter limitationem spiritus creati; tum quia in solo corpore est distinctio hic & ibi.* Debet ergo esse in loco ratione suæ limitationis, secundùm quam debet esse definitiuè hic vel ibi; quod non potest esse nisi sit in corpore: in quo solo est hic vel ibi. Verum est tamen non explicari a S. Bonauentura: Vtrùm illa limitatio sit ratio formalis an originalis; videtur tamen intelligere esse rationem formalem, quia assignaret aliquam aliam, quia de ea præcipuè disceptatur. Hunc modum non aliter probat S. Bonauentura, nisi quia *si non haberent Angeli aliquod continens, non esset eorum existentia ordinata ad inuicem.* & præterea si non essent naturæ finitæ ac contractæ, essent vbique; sicut Deus ob suā immensitatem.

S. Bonauent.

Ab hoc dicendi modo vix differt Scotus in 2. d. 2. q. 6. §. *ad propositum.* Licet autem ante disputasset de loco corporum, ibi tamen dicit vers. *de quinto dico:* rationem cur Angelus sit in hoc vel illo loco, quod asserendum ipse docet esse *quia non est vbique;* nempe fortè quia naturam habet limitatam. Addit etiam, licet à Deo primum fuerit Angelus constitutus in aliquo loco, tamen postea ab ipso esse vt ad hunc vel illum se reducat. Per quid autem tanquam per formam Angelus se loco applicet, Scotus expresè non docet, videtur tamen omnem formam Angelo intrinsecam prorsus negare. nam cùm dixisset in Angelo esse potentiam passiuam, qua potest esse in loco, quam fundari ait vel immediatè in eius B *substantia qua potest esse in loco: vel in ipsa in quantum est natura limitata actualiter existens, vel in aliquo extrinseco ipsi Angelo quicquid sit illud;* subdit: *& ideò non oportet quærere aliquam intrinsecam rationem existendi Angelum in loco necessariò, quia ibi nulla est; sed tantummodo est in illo potentialitas passiua, qua potest esse in loco, quia non repugnat sibi.* Videtur ergo assignare finitam determinatámque substantiam, vnde oritur potestas passiua, vt sit in loco determinato. Quam suam sententiam nō probat Scotus, quia initio quæstionis cōstituit, se hæc de re quærere sine argumentis.

Scotus.

Huc etiam quibusdam videtur reuocari posse Gregorius de Arimino in 2. d. 2. q. 2. a. 2. vbi C ait, Angelum non esse in loco *per solam operationem, sed etiam per substantiam suam; sic intelligendo, quod eius etiam substantia præsens est loco, & eo definitur.* Verùm ibi non reperio apud Gregorium an ipse velit, substantiam non egere superaddita forma, qua determinetur ad hunc locum. Totus enim est vt asserat non solam operationem sed substantiam esse præsentem. quod verum est etiamsi substantia per præsentiam additam sit præsens. Eodem modo loquitur Gabriel in 2. d. 2. q. 2. a. 2. concl. 4. vbi licet affirmet, Angelum esse in loco per suam substantiam, solùm hoc docet vt neget esse per solam operationem: nihil tamen determinat, an sola substantia sit ratio formalis existendi in loco. & ita locuti sunt cæteri, D qui ad hanc sententiam à recentioribus reuocantur. Illud enim sibi proponunt vt non solum per operationem sint in loco, verum etiam substantialiter etiamsi non operentur. vtrùm autem substantia sit formalis ratio necne, ipsi non vocarunt in controuersiam; vt Maior in 2. d. 2. q. 7. & Henricus quodl. 2. q. 9. & Marsilius in 2. q. 1. a. 2. conclusione quarta; & alij.

Gabriel.

Maior. Henricus. Marsilius.

Fateor tamen non deesse recentiores, qui hūc tertium modum secuti sunt, vt Valentia Disput. 4. q. 3. p. 2. vbi hoc probat, quia per suam substātiam immediatè contingit locum; ergo immediatè per suam substantiam est in loco; sicut si E aqua spoliaretur quantitate, per suam substantiam contingeret vas. Ergo & Angelus. Fateor etiam afferri posse Gregorium in 2. d. 6. q. 1. a. 2. vbi multis contendit nihil produci per motum localem. Cuius argumenta soluit Lichettus in 2. d. 2. q. 5. a. 2. ad argumenta Gregorij, & nos aliquid infrà dicemus.

Valentia.

Gregorius.

Lichettus.

Verùm cuiuscunque sit hæc sententia, nō video afferri aliud pro ea argumētum, quàm quod tritum est in similibus sententiis; quia scilicet satis intelligitur locus Angeli, & hic effectus formalis; nempe Angelum esse in loco, si intelligatur ipse locus intra se cōtinere Angeli substantiam,

stantiam, etiamsi cætera non intelligantur. Tunc enim verè illa substantia est in loco: ergo non requiritur alia forma vltra illam vtramque entitatem, quia alioqui non posset intelligi sine illa forma superaddita, quia impossibile est effectum formalem intelligi sine suis essentialibus, ac proinde sine forma, qua essentialiter constituitur. Antecedés probatur: quia posita substantia intra locum non potest non intelligi esse in loco: quia si intelligitur esse intra locum, ergo intelligitur esse illi præsens & vnita; quod est intelligi esse in loco, vt suprà diximus. His etiam addi potest argumentum non paucis recentioribus familiare. Quia corpora sunt in loco non alio pacto nisi quia locus intrinsecè illa corpora connotat absque alio ente superaddito. Ergo etiam & Angelus erit in loco.

Angelum non esse in loco immediatè per suam substantiam validè probatur. §. 2.

Altera sententia omninò verior, quæ affirmat Angelos non esse in loco immediatè per suam substantiam tanquam per rationem existendi in loco: atque ita dicunt vltra entitatem Angeli & loci requiri aliquam aliam formam realem. Ita omnes illi auctores qui aliis assignarunt formas, vt dicam in consequentibus huius quæsiti Difficultatibus. Cum quibus ad Difficultatem respondetur. Et sit

Prima propositio. Angelus non est immediatè in loco per suam substantiam tanquam per rationem formalem existendi in loco determinato. Seu, quod idem est, substantia Angeli non est ratio formalis, vt Angelus sit in loco determinato. Propositio explicatur: nam dico tãquam per rationem formalem huius effectus, nempe existendi in loco, non autem tanquam per rationem originariam. Mihi enim certum videtur, id vnde oritur necessitas existendi in loco certo ac definito, si corpori præsens esse debet Angelus, esse naturam ipsius finitam ac limitatam. Nam ex eo quòd Angelus est finitæ entitatis, non potest vbique omnibus corporibus adesse. quemadmodum eandem ob causam corpus, nimirum quia habet finitas dimensiones suæ molis ambitur certo ac definito loco, extra quẽ moles illa se nequit extendere. Est autem Angelus finitæ entitatis tum quoad essentiam, quæ suo genere ac differẽtia cõstat, tum quoad esse quia modus finitæ essentiæ est. ergo vt dicebam vbique esse non potest Angelus; vt etiam postea patebit magis. ergo si corpori præsens esse debeat, non omnibus sed certis ac definitis sit oportet præsens.

Probatur ergo propositio hoc vnico argumento & à priori: quia illa non est ratio formalis alicuius effectus, quæ nõ determinat restringitque subiectum ad illum effectum. Sed substantia Angeli non determinat subiectum, nempe Angelum ad hunc effectum; vt scilicet sit in loco determinato. ergo substantia Angeli nõ est ratio, vt ipse sit in hoc loco.

Maior probatur: quia hoc adeò proprium est rationis formalis alicuius effectus determinare subiectum ad illum eundem effectum, vt id ne

A cogitatione quidem ab ea separari possit. nam certum est subiectum indifferens ad plures effectus oportere restringi ac determinari per aliquem actum, vt potiùs componat hunc quam alium effectum; Vt ex.gr. lignum, vt potiùs sit subiectum cathedræ, quàm statuæ aut alterius compositi, est formaliter à figura cathedræ. Et vt homo potiùs sit subiectum albi quam nigri, est formaliter ab albedine, & sic de cæteris. Vnde rectè Aristoteles libro 7. Metaph. cont. 49. *Actus* inquit *separat* ac distinguit. Ergo essentiale est rationi formali alicuius effectus suũ subiectum determinare ad illum effectum, ac proinde separare illum à quocunque alio. ergo illa non est ratio formalis, quæ id non præstat. Neque enim

Aristoteles.

B alia de causa nigredo est ratio formalis nigri non autem albi, nisi quia nigredo ad effectum nigri subiectum determinat, ad album nõ item. idémque dictum volo de his rationibus, quæ non distinguũtur à subiecto nisi ratione; vt cum dicitur Deus est sapiens ac potens: nam per potentiam ac sapientiam Deus intelligitur determinari, vt nostro modo intelligendi sit subiectum huius concreti effectus; nempe sapientis potentísque.

Minor autem probatur primò: quia substantia Angeli non est forma Angeli; sed est ipse Angelus. nihil enim est forma sui ipsius. Secundò quia esto sit forma; tamen quòd substantia Angeli non determinet Angelum, vt sit in hoc vel illo loco determinato pro-

C batur euidenti ratione: quia id quod est indifferens vt formaliter constituanturplures effectus non est ratio determinans subiectum ad vnum tantùm ex illis; Vt quia potentia intellectus est indifferens ad hos vel illos intelligendi actus, posita in ipsa Angeli substantia non determinat illam ad hanc potiùs intelligentiam quàm ad aliam. Ergo quod est indifferens ad plures effectus non est ratio subiectum determinans ad vnum effectum. At substantia Angeli est indifferens, vt formaliter Angelus constituatur in loco determinato, quia quantum est de se, non potiùs hunc postulat quàm alium locum, quia ipsa ex se his omnibus pro arbitrio iungi po-

D test. Ergo ipsa substantia non determinat subiectum, nempe Angelum ad hunc effectũ; vt scil. sit in hoc aut illo loco determinato.

Reiicitur responsio eorum qui aduersantem doctrinam connotatis fulcire conantur, improbantúrque vniuersè connotata, vt ea à recentioribus definiri solent. §. 3.

E

Video huic argumento responderi posse à quibusdam ex doctrina quadam ipsis, vt paulò antè dicebam familiari ob quam scripta ipsorum personant connotatis, vt ipsi appellant. Dicerent enim substantiam Angeli esse quidem ex se indifferentem, vt sit in hoc vel illo loco, at verò non esse indifferentem, quatenus connotat hunc locum aut illum. quemadmodum concauitas ex se est indifferens vt sit in hoc vel illo subiecto ad varios effectus formales; tamẽ quatenus connotat nasum non est indifferens vt constituat formaliter simum, quod *est nasus concauus*;

Aristoteles. *cauum*; vt docet Aristoteles libr. 6. Metaphys. cont. 2. Idem dicunt de actu comedendi; qui est cœna nempe cõnotando tale tempus. qua etiam ratione q. 51. a. 3. ex eorundem recentiorum sententia dicebamus, actum progrediendi & similes, esse motum connotando potentiam motiuam, posséque esse secundùm id quod dicit in recto, vt ipsi aiunt in Angelis, non autem secundùm connotatum.

Verùm hæc responsio multis improbanda est modis. & omissis iis quæ aduersus huiusmodi connotata diximus eodem a. 3. quæsit. vn. Diffic. 2. Not. 5. improbatur primò: quia idem est connotare & consignificare, ac proinde idem est connotatum ac consignificatum. Cùm ergo dicunt substantiam Angeli connotare locum, debent omninò fateri Angeli substantiam consignificare locum, & locum esse consignificatum. At quis dicet, Angeli substantiam consignificare locum? quandoquidem ne significat quidem, cùm sit res absoluta: significare enim signorum est, ac proinde eorum quæ ad alterum sunt. Quis autem Philosophorum dicet loci signum, esse substantiam spiritalem? certum namque est ex specie seu simulachro Angeli non ingeri in nostram mentem notionem loci; quod faceret si signum eius esset, vt patet ex definitione signi apud A. Doctorem in 4. d. 1. q. 1. a. 1. quæstiunc. 1. & ibidem q. 2. & q. 9. de Veritate a. 4. ad 4. & 5. Quæ causa fuit, vt nunquam apud Aristotelem, & A. Doctorem reperiatur hic connotandi modus, nisi cum explicantur nomina, quorum est significare & connotare. A. Doctor.

Secundò, quia quæro an Angeli substantia connotet locum se ipsa an non? si affirment contra est; quia ipsa est indifferens vt sit præsens huic vel alteri, hunc potiùs connotet quam aliũ, & potiùs hunc deposcat ipsa quam alium. ergo aliud assignari oportet, per quod determinetur, vt potiùs hunc connotet quàm alium. Si negent: Ergo per aliud Angelus hunc locum connotabit. atque ita per hoc ipsum aliud determinabitur ad certum locum. ergo assignabitur aliquid præter ipsam substantiam, quod sit forma determinans ad hunc locum, & non ad illum, quod in præsenti contendimus.

Quod si dicant hoc quidem non esse formam loci, sed connotatum. iam contra est primò, quia iam non erit ipse locus, quem aiebant connotatum. Deinde, quia si illud reale superuenit subiecto indifferenti, eóque contrahitur; ergo est actus distinguens ac separans. cur ergo non erit forma, sed connotatum?

Quòd autem dicunt de simo & cœna, id prouenit ex magna illorum nominum ambiguitate. nam si de simo & cœna loquantur quæ his nominibus significantur, vt debent loqui, non dubito quin sint connotata; hoc est nominibus consignificata; tempus & nasus. & quod vnum primariò, alterum minus præcipue denotetur. Sed si quis quærat an vnum ex illis quæ significantur, connotet alterum, negandum omninò est. neque enim aut actus comedendi connotat vespertinum tempus: nec concauitas connotat nasum, aut contrà. Itaque ad propositum dico, sicut nec illa corporis refectio connotat tempus, nec cauitas nasum; ita nec substantia Angeli connotat locum, nec locus connotat Angelicam substantiam. ergo nullo modo est ad rem exemplum illud.

A Præterea de iisdem, quæ illis nominibus significantur quæri potest; an v. g. nasus & cauitas; refectio ac tempus vespertinum se ipsis vniantur sine vlla re superaddita ipsis entitatibus nasi & cauitatis, &c. an non? Si se ipsis; iam contrà est quod diximus de Angeli substantia. Si enim tam nasus quàm cauitas sit indifferens vt iungãtur vel inter se vel cum aliis. ergo nõ vniũtur se ipsis, sed per aliquid superadditũ determinari debent. Si non se ipsis; iam primò contrà est, quia exemplum non est ad rem nostram. quandoquidem ostendimus Angelum & hunc locum esse indifferentem; vt vel inter se vniantur, vel cum aliis. quia illi loco cui substantia Michaelis vnitur, poterat vniri substantia Gabrielis, & substantia Michaelis alteri loco, &c. Secundò contra est: quia ille idem nasus poterat esse absque B cauitate, & cauitas illa poterat abesse ab illo. ergo subiectum erat indifferens ad illam vel aliam formam. ergo hæc duo non sunt determinata, vt se ipsis vnita sint.

Eodem prorsus argumento ostenditur v. gr. quantitatem debere esse alteram formam vltra entitatem materiæ ac formæ substantialis, quia illa duo possunt esse sine eo quòd sit effectus formalis quantitatis, nempe quæ sunt quantæ. ergo esse quantum requirit quantitatem tanquam formam ad hunc effectum formalem vltra illas duas entitates. Vnde sicut quantitas non potest esse connotatum ad illum effectum, sed necessariò est forma; ita & illa præsentia de qua diximus. C

Dicere præterea quis posset, huiusmodi entia quæ connotatiua ab his vocantur, non vniri quidem inter se à parte rei, sed solum vniri in vna ratione obiectiua, quæ vnico nomine appellatur, quod vnum ex illis significet in recto, alterum in obliquo & connotetur. Sicut cùm dicimus aliquid durare, significamus rem quæ durat, connotamus tamen temporis durationem cui coëxistit talis res, cuius esse permanere in tanto tempore concipimus, & sic de similibus.

Sed hæc etiam responsio inanis est. primò quidem, quia nihil vno conceptu tanquam vnum intellectus comprehendere potest, quod aliquam à parte rei vnitatem non habeat, ratione D cuius apprehendatur tanquam vnum, atque in intellectu vniantur. vnde nec intellectus alteri ob hanc ipsam rationem potest per vnum nomen significare, si vnum aliquo modo à parte rei non sit. Vt enim apertè docet, & probat Aristoteles lib. 4. Metaph. cont. 10. *non vnum significare nihil est significare. nihil enim intelligere contingit non vnum intelligentes.* Ergo debet esse vnum aliqua vnitate ex parte obiecti, quæ non sit solum extrinsecus ab vnitate conceptionis in ipso intelligente. Aristoteles.

Nam si non requireretur vnitas ex parte obiecti, non esset ratio, cur multa ac diuersa secundùm proprias rationes intelligi vno conceptu non possent, quia haberent vnitatem in intelle- E ctus conceptione; quam solam vnitatem ipsi requirunt. & tamen saltem à nobis huiusmodi multa vt multa vnica intellectione apprehendi non posse, docet tum Aristoteles loc. citato, tum A. Doctor infrà q. 85. a. 4. probátque in argumento *sed contra* optimo Aristotelis testimonio lib. 2. Top. loco 33. vbi Aristoteles expressè docet, non esse idem multa scire, & multa cogitare. *contingit enim* inquit *multa scire, sed non multa cogitare.* A. Doctor. Aristoteles.

tare. Ergo debet vnum aliqua vnitate esse à parte rei, vt vnum ab intellectu apprehendatur. Quod confirmari quoque potest, vt optime probat A. Doctor in eadem q.85.a.4.c. Vt enim aliqua tanquam vnum intellectus apprehendat, debent prius vniri in vnam speciem, qua in actu primo repræsententur intellectui, siquidem vt ostendam infrà q.58.a.2. nunquam est vna intellectio circa quodcunque obiectum, nisi eius antecedat in intellectu vna species. At non vnirentur illa plura in vnam speciem, nisi essent aliquomodo vnum à parte rei. quia alioqui vnumquodque suam speciem produceret, vt ibi fusius dicetur.

Ex his autem sequitur aduersus illam responsionem; si illa entia connotatiua non vniuntur à parte rei per aliquam vnitatem, non fore vnum conceptu. Sicut non esset vnus conceptus fascis, nisi esset vnitas vinculi, nec aceruí nisi cogerentur lapides v.g. in vnum locum, nec vnius exercitus nisi sub vno duce militarent bellatores; nec vnius continui nisi partes copularentur; nec vnius naturæ nisi vnirentur actus & potentia. & sic de aliis similibus. Quocirca redit argumentum antè factum; nimirum an illa comestio (idémque dico de substantia Angeli comparatione ad locum) se ipsa cônotet tempus vespertinum, an per aliquid aliud? An nasus cum cauitate vniatur se ipso an per aliquid aliud? Deinde contra hanc responsionem est quod diximus in eo Not.5 cit. Quærendum enim est, cur potiùs vnum ponatur in recto quàm aliud, cùm vtroque modo fieri rectè definitio possit?

Denique quod dicitur de actu durandi, non est magis ad rem, quàm ea quæ refutata sunt; idque solùm est in varia exempla transferre quæstionem. De re enim ipsa quæ durat quæro an connotet hanc temporis durationem se ipsa, an per aliquid aliud? an hæc duo vniantur se ipsis, an aliquo alio tanquam forma? dico *tanquam forma*. nam cùm esse in hoc potiùs tempore quàm in alio, sit quidam formalis effectus, à forma aliqua promanare debet, sicut de ipso esse in loco dicebamus. Vnde sequitur non esse recurrẽdum ad solam actionem, qua res ipsa in tali temporum differentia progignatur. Potuit enim Petrus per generationem alio tempore produci, ac proinde per actionem, quæ sit eius productio, non satis ad quæstionem responderi potest, vt efficacius id ipsum deinceps 2. & 3. Difficult. prosequemur.

Quæ quidem omnia debent intelligi non solum vt vera sint connaturali modo, verùm etiam de potentia Dei absoluta, quia implicat pugnantia esse effectum formalem sine sua forma, quia effectus formalis est esse compactum concretúmque ex sua forma & subiecto. ergo cùm hic effectus formalis nempe rem durare tali tempore: Angeli substantiam esse præsentem huic loco, &c. debeat esse per aliquid superadditum tanquam per formam vt ostensum est, omninò essentialiter requiritur, ac proinde ne per potentiam quidem Dei aliter esse potest. Quæ autem sit forma per quam res determinatur, vt duret hoc potiùs tempore quàm alio ostendi lib.4. Phys. esse formalem rei, intimámque durationem fluentem, cùm aliud omninò esse nequeat. neque id A. Doctoris sententiæ aduersari probabo tomo sequenti suo loco.

Refutatur multipliciter illa vis corporis motrix, quam Durandus asserit vt Angelum in loco constituat. §. 4.

A EX hac propositione ita probata colligitur primò reiiciendam esse Durandi sententiam in primo dicendi modo. quandoquidem in primo dicto ponit Angelum esse in loco per suam substãtiam, quatenus habet vim corporum motricem. plurimis autem eam argumentis ac titu-

B lis falsam esse ostendere possumus. Primò, quia assignat tanquam rationem formalem Angelo existendi in loco ipsam præsentiam ordinis; hoc est ipsam vim mouendorum corporum. nam vt in eo dicendi modo obseruauimus & patet ex Caietano hic a. 1. §. *Quoad secundum* præsentia ordinis est agens applicari ad passum, quo alterum agere, alterum recipere potest: Hoc autem falsum est. nam illa vis quemadmodum substantia est indifferens, vt sit huic vel illi loco præsens, quia eadem manens variis locis præsens esse potest. ergo sicut substantia non potest esse ratio formalis existendi in loco, ita nec illa vis. Caietanus.

Secundò quia pugnantia loquitur Durandus, Durandus.

C cùm ait in primo dicto, Angelo conuenire esse in loco ratione suæ essentiæ: quia ei conuenit ex præsentia ordinis; nempe facultatis motricis, vt vidimus ex ipso in tertio dicto. ergo non ratione essentiæ. nisi fortè remotè. qua ratione omnia illi naturalia conueniũt. cum essentia sit omnium proprietatum radix.

Tertiò quia falsum docet dum in secundo dicto negat essentiæ Angeli conuenire, quòd habeat præsentiam vel distantiam situalem. Est autem falsum in sensu, quo id vsurpat Durandus: nam huiusmodi distantiam negat, ne sit propinquitas Angelicæ substantiæ ad vnum potius locum quàm ad alium. At falsum & erroneum est,

D Angelum sua substantia non magis vni corpori esse præsentem, quàm alteri, sed omnibus, & vbique, vt concessit Durandus in quinto dicto.

Primò quia non omnibus corporibus, quæ mouere diuerso tempore potest Angelus simul debet esse præsens. nam apertè sequitur primò, Angelos malos saltem illos principes quorum potestas maxima dicitur apud sacram Scripturam; & quos fuisse inter Angelos supremæ potestatis patet ex A. Doctore infrà q. 63. art. 7. & ex communiore Patrum sententia, vt videri potest apud nostrum Molinam eodem a.7. sequitur Molina.
inquam, hos iam de facto esse in cælo empyreo, quia illud mouere possent saltem ex parte, aut certè in alio cælo, non autem relicto cælo in in-

E fera loca deiectos esse. quod tamen apertè pugnat cum sententia, quam supponit Catholica Ecclesia; vt dicetur suo loco.

Deinde verò; quia concedit ipsos eosdem saltem primarios, Angelos esse vbique. Hoc autem multipliciter est falsum. Etenim diuinæ immẽsitatis proprium esse vbique esse probat A. Doctor suprà q.8.a.4. & Scholastici in 1.d.37. Neq; rectè dicitur si quis respondeat, Deũ esse vbique ratione suæ immensitatis, quod Angelo concedere est absurdum. Non rectè autem: quia sequitur, Angelũ esse immensæ naturę, quia quod potest esse vbiq;, nõ habet naturã vllo loco termi-

natam, ergo immensam vt Deus. Immò vt ipse Durandus fatetur num. 35. si Deus crearet plures & plures Mundos, illis omnibus præsens esset Angelus, qui ea corpora mouere posset saltem alio & alio tempore successiuè. Ergo habet Angelus naturam immensam actu, quia quantum est ex se potest replere omnes possibiles Mundos, quia non tot darentur Mundi, quin in pluribus esse posset. Quo pacto Deus à plerisque Theologorum dicitur immensus. Si quidem putant eum actu non esse extra Mundum, sed solùm potentia, si alij aliique procrearentur.

S. Damasc. Quæ sanè assertio Durandi non caret impietate. Et ideò sanctus Damascenus vt vidimus ne talem immensitatem Angelis tribueremus docuit, dum Angelus est in cœlo non esse simul in terra. Cui auctoritati quod respondet Durandus num. 37. ridiculum est. ait enim, *Damascenum intelligendum esse non de præsentia Angeli ad locum absolutè. Sic enim simul est in cœlo & in terra, sed de præsentia eius quoad manifestationem, quæ fit per opera ipsorum. Sicut enim dictum fuit, non est necesse vt Angelus possit simul mouere omnia corpora quibus simul præsens est.* Hæc inquam responsio ludit huiusmodi testimonium. Ibi enim ait dicto capite tertio lib. secundo de fide; Angelos *esse quidem illos circumscriptos, nec enim in terra versantur cum in cœlo sunt; nec cum à Deo mittuntur ad terram in cœlo remanent.* Et paulò post id magis explicans subdit nihil creatum carere terminis. *Omnis enim condita res à creatore Deo terminatur.* Ergo Damascenus sensit, cùm sunt in vno loco Angeli, non remanere in alio ob terminatam substantiam, ne creaturam quoad immensitatem æquiparemus Deo. Itaque non loquitur de præsentia operationum, sed de præsentia substantiali. quandoquidem ipsi non remanent in cœlo, cùm ipsi mittuntur ad terram ob naturam, substantiámque definitam. nec posset explicatiùs loqui Damascenus, si contra Durandum disputare voluisset.

Nec Durandus imparem ostenderet rationem inter Dei, Angelorúmque immensitatem. nam quod dicere posset Deum esse vbique tanquam causam rerum apertè reiicitur. etenim falsum est Deum tantùm esse vbique tanquam causam rerum, nam etiam est vbique ob suam immensitatem. Ergo saltem in hac immensitate naturæ Angelus æquipararetur Deo. Immò sequitur si natura Angelica vbique esset, falsum esse non posse ipsam operari vbique simul, quia modus operandi vbique non excederet modum essendi vbique. Ergo sicut vbique esset simul, vbique etiam simul operari posset.

Addo etiam sequi Angelos & creare posse ex nihilo: nam naturæ immensitas arguit vim infinitam. Si enim natura nõ restringitur terminis; ergo nec potestas quæ naturæ sequitur conditionem. Sanè non esset saltẽ ratio cur Angelus non posset operari vbiq; simul, si præsens vbique sit. non enim esset à quo Angeli operatio retardaretur. in quo differret à modo operandi corporum, quæ licèt sint multis præsentia, non possunt tamen in illa omnia agere, quia possunt aliqua ex illis actionum capacia non esse. At si quodlibet capax sit applicatum, agẽs ab agendo nõ desistet; vt ignis ac Sol circumquaque calefacit, atq; illustrat quæ calefactioni ac lumini subiici possunt ex iis quæ illi præsentia sunt. Quod ergo conceditur igni ac soli, non denegetur Angelis.

Durandus. Tertiò impugnatur eadem Durandi sententia.

A Nam apertissimè ex ea primò sequitur Angelos non moueri de loco in locum, quia ex Durando non magis fit vni corpori propinquus, nec magis distans ab altero. At Angelũ non moueri de loco in locum pugnare cum sacris literis ostendemus q. seq. Sequitur etiam secundò Angelum semper esse in loco æquali quod improbabitur postea deinceps. Sequela probatur: Quia Durando Angelus non mutat locum. Ergo semper est in eodẽ. Deniq; quia sequitur plures esse Angelos in eodem loco, quod absurdum atq; adeò impossibile dixit A. Doctor in hac q. a. 3. Quæ autẽ Durãdus in 3. & 4. dicto videtur docuisse rectè docuit. nam B ait in 4. actionem præsupponere præsentiam motiui ad mobile, & actiui ad passiuum. in 3. etiam videtur cõcedere propinquitatem Angelicę substantię; nam philosophatur ex proportione ad reliquas efficientes causas, quæ requirant præsentiam substantiæ, adeò vt necesse sit ad operationem Deum vbiq; esse præsentẽ, vt ostẽdit A. Doctor suprà q. 8. quod etiam ex communi Patrum sententia ibidem ostendunt interpretes recẽtiores. Ergo à fortiori si præsentia infinitæ potestatis exigitur ad actionem, multò magis requiritur Angelicæ substantiæ præsentia qua verè non distet à loco, vt in illum agere queat.

C Nec refert quòd neget in Angelis Durandus præsentiam situs, solúmque præsentiam ordinis concedat, quia negando situs præsentiam, solùm eam negat talem esse, quæ propinquitas vera, ac realis corporum sit, non quamcunque. Constat enim situm ad corporum figuram pertinere, cum situs nihil aliud sit, nisi dispositio, & *ordo quidam partium corporalium secundum locum*, vt ait A. Doctor quodlib. 3. a. 7. in fine. idque videtur sumpsisse ex Aristotele libr. 5. Metaph. cont. 24. vbi dispositionem quæ situs est eodẽ modo definit. Ex quibus patet malè quosdam asseruisse, Durandũ negare præsentiam Angeli substantialem. quod etiam rectè obseruat Vasquez disp. 189. cap. 1.

D Denique quod ait Durandus in 5. dicto refutatum est. nec eius dicti ratio solidior est: nam facili negotio assignabitur ratio, cur nunc vni loco potiùs sit præsens, quam alteri. Ex parte enim efficientis causæ est voluntas: ex parte verò formæ erit talis præsentia, cui debeatur ex natura sua talis locus, vt infrà dicetur. Quòd autem Angelus definiatur loco verum esse diximus: Quòd verò non moueatur per essentiam falsum est & erroneum. Nam per essentiam & substantiã suam nunc est in vno nunc in alio, vt dicetur. Ergo mouetur per essentiam; hoc est nõ sine motu essentiæ, id est substantiæ. hunc enim motum in Angelis Durandus negare voluit, ideircò eos esse omnibus præsentes corporibus dixit quoad E substantiam.

Eodem modo eiusdem Durandi refutatur ordinis præsentia, ostenditúrque ipsum à temeritate non excusari. §. 5.

COlligitur secũdò, quamuis vt diximus modò Durãdus cõcedere videatur Angelos esse debere mobili præsentes substantiali præsentia, quia philosophatur ex analogia causæ efficientis ad passum, quæ substantialem præsentiam ante

ante actionem poscunt; Tamen quia in eius sententiæ probatione hanc substantialem præsentiam prætermittere, & solam requirere præsentiam ordinis videtur; Ideo vt dicebam colligitur aduersus ipsum Durandum si id velit, apertè hac in re ipsum falli. Nam ex eadem analogia argumentari in ipsius sententiam sic possumus. Quemadmodum corpora vltra vim effectricem exigunt præsentiam situs, & propinquitatem ad patibile, vt in illud exercere actionem possint; ita etiam Angeli vltra præsentiam ordinis, nempe quod virtute agendi polleant in corpora, debent habere propinquitatem substantię, per quam sint corpori præsentes. neque enim alio modo cognitionem de Angelis habere possumus *nisi per similitudinem sensibilium agentium*; vt ex sancto Dionysio cap. 1. & 2. cœlest. hierarch. obseruat A. Doctor eodem a. 7. Vnde quia nos *inuenimus in sensibilibus* inquit A. Doctor *agentibus*; *quod id quod est in actu agit in id quod est in potentia*, *& quod oportet quod agens coniungatur patienti secundùm situm per corporalem contactum*, infert inter Angelum superiorem illuminantem, & inferiorem qui illuminatur requiri ordinem; nempe quem Durandus dixit motiui ad mobile, quæ substantiali præsentia coniungi debent. Alioqui non rectè atque ex notis philosophatur Durandus, & fingit ex cerebro Mineruas suas.

S. Dionysius.

A. Doctor.

Itaque ad Maiorem dico præsentiam ordinis præcisè à præsentia substantiali in Angelo non facere quod præsentia situs facit in corpore. Hęc enim est conditio & appropinquatio substantialis agentis ad passum, quæ effectricem vim in agente prærequirit. At præsentia ordinis hoc pacto in Angelo est ipsa tantum agendi facultas. Ergo non facit quod præsentia situs in corpore si à præsentia substantiali præcisè sumatur. Vt ergo sit par vtriusque præsentiæ ratio debet affirmare Durandus, vt sicut præsentia situs in agentibus corporibus vtrumque includit, nempe & virtutis & substantiæ præsentiam; ita præsentia ordinis quæ est vis effectrix, non præcisè a substantiali præsentia desumatur.

Hinc clarè deducitur non esse bonum illud à Durando allatum discrimen ibidem de cœlo respectu corporum corruptibilium, & de Angelo respectu mobilium; sed omninò assignari oportere æquam vtrinque substantialis præsentiæ rationem. Nam ideò cœlum non potest agere in omnia corruptibilia immediatè, quia quædam ab eo distant secundum situm. Ergo pari ratione neque Angelus habebit vim in omnia mobilia immediatè, quia ei propinquitate substantię non sunt applicata.

Nec minùs exemplum de anima intelligente eidem Durãdo aduersatur. Si etenim animus esset tantùm in capite distaret à pede, ibique in ipso pede non esset, ac proinde neque in ipsum pedem immediatè ageret: quia scilicet illum mouere per intermedia & sibi proxima instrumenta posset ac deberet, quemadmodum is qui per interpositum funem trahit trabem: ideóque si motor ille per interiectas causas nullam haberet connexionem, non posset illam trabem trahere. Ergo nec Angelus posset illa corpora immediatè propellere aut mouere. Ergo requiritur præsentia substantialis, vt immediatè moueat corpus. Ad ea quæ addit modò dictum est.

Ad illud verò quod vltimo loco ait, *se non asserendo ea dixisse*, illud à temeritate non excusat. nam dupliciter potest aliquid asseri: vel primò si enuncietur vt firmum & stabile dogma: vel secundò si solum vt probabile. Esto ergo Durandus ea non asseruerit vt firma, tamen negare non potest, quin ea protulerit vt probabilia. Nam rationem eius doctrinæ stabiliuit; argumentorum pugnantium aciem retudit; difficile dixit quo pacto assignari possit vni loco potius quam alteri fieri præsentem Angelum, & huiusmodi alia. quæ omnia satis indicant, quantopere Durandi ingenio ea sententia arriserit. At ne probabilia quidem iudicanda sunt, quæ quouis modo sacris literis, Patrúmque pronunciatis aduersaria iudicentur; Quemadmodum nec in dubium quidem quæ sunt fidei Catholicæ sine hæreseos crimine verti possunt. cum constet inter omnes Theologos: *Dubium in fide hoc ipso infidelem esse.* Adde quòd Durandus, vt eam sententiam tueretur, absurdè interpretatus est Damascenum, quem si legit, non potuit non animaduertere, eius verba cum sua doctrina stare non posse.

Nec substantiæ Angelicæ cum loco simultatem, nec eiusdem finitatem, aut potentiam patibilem esse rationem formalem ob quam Angelus sit in loco. § 6.

Colligitur tertiò nec Ricardi sententiam in secundo dicendi modo probari posse, cum dicit, *formalem rationem applicationis Angeli ad locum esse ipsius simultatem cum loco.* Hoc inquam reiiciendum ex dictis est. Etenim quæstionem propositam non dissoluit. Quæri enim potest; an illa simultas sit aliquid reale vltra vtrãque entitatem & loci & Angeli? Si affirmet; ergo falsum est quod ait, nihil esse reale superadditum Angelo præter locum extrinsecus adiacentem; sicut corpora esse in loco nihil est aliud vltra corpus, nisi circumscriptio loci vt vidimus. Si neget; iam contra ipsum apertè militant argumenta, quibus nostram propositionem muniuimus. atque ita integer quæstionis nodus remanet. Præterea non rectè ait, rationem formalem applicationis esse simultatem, vt ibi ex eius verbis attulimus. Nam ista simultas est terminus applicationis, ac proinde non eius applicationis ratio ac forma. applicatio enim Angeli ad locum eò tendit, vt Angelus sit in loco; ergo vt simul cum loco. Terminus autem non est ratio formalis eius quod tendit nisi extrinseca, vt calefactionis calor. intrinseca enim non est extra prædicamentum suæ essentiæ, nempe extra suum genus & differentiã, quæ est ad terminum, vt ita dicatur ex. gr. calefactio est motus ac via, per quam mobile tendit ad calorem, seu vt in se calorem habeat. Tertiò quia non quæritur in præsenti, quæ sit ratio formalis applicationis ad locum. Scimus enim esse ipsam differentiam illius. Sed quæritur de ratione formali per quam Angelus est in loco; nimirum vtrum ratio formalis Angelo existendi in loco sit aliquid reale vltra vtriusque entitatem vt dicebamus.

Ricardus.

Reiiciẽdum præterea est quod ipse ibi subdit ad

ad exemplum: nam circumscriptio seu complexus loci ad corpus non est ratio formalis, cur corpus sit in loco, quia nunc quærimus: Vtrum sit aliquid reale vltra locum & corpus. Circumscriptio autem seu complexus vel est ipse locus, nempe superficies ambiens, aut certè explicandum est quid illa sit, & vtrum quid tertium vltra illa duo prædicta, nempe locatum & locum aliquid reale sit. Hinc etiam intelligitur, quid dicendum sit de eiusdem ad id confirmandum argumentatione. Quam non sufficere patet ex eo, quod non enumerat omnes partes; quarum exclusione propositum inferat. esto enim ratio formalis Angeli vt locati nō sit circumscriptio, non informatio aut terminatio aut operatio, nec ordo vniuersi; negatur tamen esse illā suam simultatem, quia aliam assignabimus veram infrà. vnde argumentum ab enumeratione partium nunquam validè sumitur nisi omnes partes enumerentur, quarum refutatione inferatur illud quod extra illas omnes concludere proponitur. Vt enim in simili ait Aristoteles lib. 2. Top. cap. 2. loco 2. *oportet considerare & inspicere à primis, deinde consequenter vsque ad indiuidua*, cum volumus vtrum aliquid sit vel non sit in omnibus affirmare. *nam si in aliquo ostendatur* inquit *quod non eadem* ratio sit *interimentes erimus problema*. Rectè autem ex Aristotele colligi potest lib. 2. Rhetor. cap. de locis enthymem. in argumento à diuisione, quod est à partium enumeratione debere in maiore propositione assumi vniuersitas partium; deinde in minore cæteras omnes excludi excepta vna quam consecutione inferre contendimus; *Vt si* inquit *trium rerum gratia homines iniuriam faciunt, quippe aut huius, aut huius, aut huius*. Sed *propter duas non potuit*. Ergo propter tertiam nos inferre possumus. Quamuis Aristoteles eo loco in alium finem huiusmodi exemplum adduxerit. Constat ergo rationem formalem ob quam Angelus in loco est nō probari eo argumento, esse illam Ricardi simultatem, quia argumentum non est à sufficiēti partium enumeratione. Quocirca videtur illa eius ratio formalis non tam esse simultas loci in Ricardi sensu quàm Latino; vt scilicet simultas illa significet potius à veritate dissidium, quam loci rationem.

Aristoteles.

Colligitur tertiò multa esse in tertio dicendi modo, quæ non omnino satisfaciunt. Primum est; quod si assignatur à S. Bonauentura pro ratione formali existendi in loco ipsa natura finita, facilè reiicitur ex dictis. nam etiamsi natura Angeli sit finita; est tamen indifferens vt sit in hoc vel in illo loco. ergo vt suprà diximus non est ratio formalis. & quamuis vt etiam diximus ordo vniuersi postulet vt Angelus sit in aliquo loco vt operetur ibi; tamen hic ordo non est ratio formalis quam quærimus; nimirum cur potius sit in hoc loco determinatè, quam alibi. esset enim ordo vniuersi, etiamsi hic & nūc prætermitteretur huiusmodi operatio, sicut etiam de corporibus dictum alibi est ipsa quidem locum postulare in quo degant, non tamen ordinem vniuersi esse rationem formalem, nec formaliter facere, vt vnum corpus nunc in hoc loco sit, nunc in illo.

S. Bonauent.

Secundum est, quod ait Scotus; nempe Angelum esse in loco quia non est vbique, non satis est. Refellitur enim primò, quia non esse vbique tam conuenit enti quam non enti. ergo non assignatur ratio formalis huius effectus realis ac positiui, qui est Angelum esse in loco. Secundò quia esto conueniat enti, tamen ipsum non esse vbique conuenit Angelo vbicunque sit. ergo non est ratio formalis Angelum determinans ad hunc locum determinatū potius quā ad alium. Tertiò quia nec exemplum de corpore sententiæ Scoti suffragatur. nam nec corpus est in loco quia non est vbique ob eādem rationem. Quod si Scotus velit non esse vbique idem significare quod habere finitam naturam, eodem modo de eo sentiendum est ac modò diximus de primo dicto S. Bonauenturæ.

Simili modo non placet quod ait Scotus ibidem vt retulimus de potentia Angeli passiua, vltra quam negat esse quærendam aliam rationem existentiæ Angelicæ in loco. Quāuis enim negari non debeat talem in Angelis esse potentiam, qua Angelus in loco collocari possit; Tamen cum huiusmodi potentia indifferenter se habeat, vt huic vel illi loco applicetur, rectè dicimus quærendam esse formam determinantē, quæ ab ipsa potentia talem tollat indifferentiā, dum eam ad vnum locū potius quam ad alium definit ac determinat, vt ostensum est. Quamobrem esto ex ea potentia consequatur non repugnare Angelo vt sit in loco, non hinc tamen conficitur nulla opus esse alia forma determinante. Non etenim ea non repugnantia est, vt Angelus sit determinatè in certo loco absque determinante ac definiente forma. Id enim esset concedere effectum formalem absque eius formali ratione; quod impossibile est; sed est nō repugnantia, vt ad locum certum definiri, restringique possit per formam. Quemadmodum etiam in materia esto sit potentia passiua adesse calidum v. gr. indéque non repugnantia ad idem esse oriatur; nullo tamen modo ex hoc ostenditur, immò nec ostendi potest, ad illud ipsum esse calidum nullam oportere poni formam per quā formaliter sit ipsum esse calidum. & sic dico de ipsis corporibus; quibus inest potentia vt locari possint; tamen non est ipsa potentia, vt locari possint sine forma qua formaliter locentur.

Scotus.

Tertium est quod affirmatur à reliquis illis auctoribus. Si putent substantiam esse rationem formalem, probandum nullo modo est. nam reiicienda est ipsorum sentētia ob rationes in nostra propositione allatas; quia scilic. illa cum sit indifferens eget determinante forma qua formaliter determinetur, vt potius sit hic, quam alibi. Sin autem velint, ipsam substantiam esse in loco non solum autem operationes, verum quidem dicunt, sed ad quæstionem præsentem non respondent, quia assignanda ratio est, per quam constituatur ille formalis effectus; vt dictum est.

Ratio formalis ob quam Angelus est in loco, est quid reale positiuum, vltráque totam entitatem, tum Angeli tum loci, & soluuntur argumenta contraria. §. 7.

SEcunda propositio. Forma illa per quā substantia Angeli formaliter est in loco est aliquid

quid reale non autem negatio aut ens rationis. Probatur propositio: quia quæcunque forma constituens effectum realem ac positiuum, debet ipsa esse realis ac positiua. Sed forma illa per quã substantia Angeli formaliter est in loco, est forma constituens effectum realem ac positiuum. Ergo huiusmodi forma est aliquid reale positiuum, ac proinde non est negatio aut ens rationis. Maior probatur: quia in hoc distinguitur effectus realis & positiuus à priuatiuo; quod huius forma est non ens & negatio; illius verò ens & forma positiua; vt esse tenebrosum ac cæcum non aliter est effectus priuatiuus; nisi quia forma cæci est negatio, & tenebrosi est lucis priuatio. nam ratione subiecti aliquid reale esse debent, alioqui non essent effectus priuatiui. Contrà verò esse lucidum ac videns sunt effectus positiui, quia eorum forma est positiua. ergo ex terminis ipsis patet quamcumque formam, quę effectum formalem positiuum constituit, ipsam esse realem ac positiuam. Minor probatur; quia forma illa per quam Angelus est in loco constituit aliquod esse positiuum. Ergo constituit effectum realem positiuum. Consequentia est clara: quia illud esse reale positiuum est aliquis effectus. antecedens patet: non constituit ipsum esse in loco, sicut dulcedo constituit ipsum esse dulce: quod quidem esse in loco est quid positiuum, quia verè reipsa est, ac per veram realem actionem, nempe per motum localem producitur. Neque enim aliter probari potest album esse effectum positiuum. Sicut enim album est aliquid reale formaliter, quia est aliquid formaliter vltra negationem nigri, quod est opposita forma, ita esse in loco est aliquid formaliter reale, quia est aliquid formaliter vltra negationem oppositi loci. v. gr. esse in loco sursum est aliquid formaliter vltra negationẽ loci deorsum. Aliud enim est esse in loco sursum, aliud non esse in loco deorsum vt clarum est. Illud enim conuenit leuibus corporibus, hoc verò enti pariter ac non enti. cum enim negationes apponũtur prædicatis tunc prædicata ipsa, vt loquuntur dialectici, infinitantur, & conueniunt omni, quod loco subiecti poni potest præterquam illi cuius negatio apponitur. vt *non homo* tam dicitur de ligno, lapide, ceruo, &c. quam de Chimæra, & similibus non entibus. Immò si esse in loco sursum nõ esset aliquid vltra negationem loci deorsum: ergo esse in loco deorsum esset aliquid positiuum, quia eius oppositum; nempe esse in loco sursum esset negatio. Sicut quia cæcitas est negatio, eius oppositum est affirmatio & positiuum, cum certum sit negationi non opponi aliam negationem sed formam positiuam vt nõ igni non opponitur nisi esse ignis per quod illa negatio tollitur. *Has* inquit Aristoteles lib. 2. Periermenias cap. 3. *oportet putare esse oppositas dictiones. Possibile non possibile, contingens non contingẽs, impossibile non impossibile*, &c. quia scilicet continent affirmationem & negationem eiusdẽ, quæ oppositionem constituunt. ergo loco sursum negatiuo opponeretur locus deorsum positiuus. Quare ergo esse in loco deorsum est quid positiuum, non autem esse in loco sursum?

Aristoteles.

Ex his deducitur directa responsio ad propositam Difficultatem. Et sit

Tertia propositio. Forma quæ est ratio Angelo existendi in loco est aliquid reale positiuum vltra totam entitatem tum Angeli tum loci, cui

A Angelus applicatur. Probatur propositio ex dictis euidenter: quia hæc forma existendi in loco est aliquid reale ac positiuum, vt probatum est superiore propositione, & non est sola Angeli substantia, aut entitas vlla, quæ substãtiam semper comitatur, nec loci entitas vt probatum est. Ergo est aliquid reale positiuum, quod est vltra illam vtramque entitatem. Consequentia patet: quia illud est vltra aliquas duas entitates, quod est huiusmodi, vt neutra entitas sit illud ipsum. quo pacto quantitas qualitas, &c. sunt vltra materiam ac formam substantialem. Nec responderi potest hanc formam non esse vltra totam entitatem & Angeli & loci simul, quoniam hanc similésque responsiones ostendimus

B Notando primo in huius difficultatis initio nullo modo facere ad præsentem quæstionem. Verùm alia complura quæ ad hanc propositionem spectare possunt adhuc fusius dicuntur infrà Difficult. 3. à vera sententia & deinceps.

Ex hac vtraque propositione Colligitur euidenter illam formam quæ Angelo est ratio existendi in loco esse aliquid reale positiuum separabile ab vtraque illa entitate. Probatur ex dictis: quia illæ duæ entitates; nimirum Angelus & locus ille determinatus possunt esse sine eo, quod sit huiusmodi realis ac positiua forma; nã potest esse hic locus, nempe corpus hoc cui Angelus applicatur, & ipse Angelus qui applicatur

C absque eo quod sit illa forma per quam illi determinatè applicatur. ergo est separabilis ab illis illa forma loci determinata, sicut videndi actus est separabilis ab oculo, quia oculus esse potest sine illo; & inhærentia accidentis est separabilis ab illo quod per se subsistere non inhærendo potest. & sic de cæteris. Fateor tamen huiusmodi formam nõ esse separabilem ab Angelo atque eius loco simul iunctis: quia res vnitæ vt vnitæ includunt vnionem. & pręsens quæstio non est; vtrum forma ista & præsentia localis his duobus vt vnitis sit superaddita, vt dixi in Notando iam citato.

Ex his respondetur ad argumenta, quæ ad vltimum dicendi modum in parte negantc nos

D ipsi fecimus. nam ad reliqua cæterorum modorum argumenta responsum est suo ordine in nostris Colligitur. Ad primum autem dico si intelligatur substantia Angeli esse intra locum, intelligitur hic effectus formalis; nempe Angelum esse in loco, vt rectè habet argumentum, nego autem consequentiam. nam quælibet forma est intima, atque essentialis ratio ipsi effectui formali. Cùm ergo esse in loco sit effectus formalis eius formæ quam probauimus, non potest hic effectus intelligi aut seclusa illa forma, aut præcisè ab illa. Ad probationem antecedentis patet ex dictis. Ad id quod additur de connota-

E to iam diximus in Prima propositione. vnde nego corpora esse in loco sine forma superaddita tam loco quam corpori. Quia id eædem rationes probant manifestè.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm forma per quam Angelus est in loco, sit aliqua Angeli operatio.

PEracta iam est magna cum iis Theologisqui negant vltra substantiam Angelicam, & locum

cum ipsum concedendam esse formam aliquam realem, præsentis quæstionis portio, nunc maior nobis ac difficilior cum cæteris Theologis colluctatio proposita est, qui A. Doctoré pro se stare crediderunt, cuius summa auctoritas si nobis aduersaretur validissimi argumenti instar nostram sententiam premeret. Sed tamen tentandum est Deo ac veritate ducibus; an ita se res habeat; nec desperandum est eos, qui veritatis studio tenentur de hac quoque sententia posse depelli.

Explicatur latè pars affirmans principum Thomistarum, quibus accedit Ioannes Picus aliique apud ipsum. §. 1.

IN hac igitur difficultate partem affirmantem sequuntur complures A. Doctoris sectatores. Ita Ægidius in 1.d.37.q.1.§. *Hæc igitur duo*: Ferrariensis lib. 3.cont. Gent.cap.68.§. *Considerandum tertio*. Capreolus in 2.d.2.q.1.art.1. Caietanus hic q.52.a.1.§. *Quoad quartum*. Gottifredus quodlib.8.q.13.vt putat Scotus in 1.d.37. q.6.§. *contra hoc*. Thomas ab Argent. 1.d.37.q.1.a.2. ad 1.contra primam conclusionem. Verùm quoniam difficilis huius doctrinæ explicatio apud hos esse solet varij dicendi modi inter ipsos extitere.

Ægidius. Ferrariensis. Capreolus. Caietanus. Gottifredus. Scotus. Th. ab Arg.

Primus est eorum, qui aiunt Angelos formaliter esse in loco per operationem transeuntem. Sic Ægidius loco cit & Ferrariensis §. illo *Considerandum tertio*. probat Ægidius: quia vnumquodque est in loco per aliquam suam quantitatem. Sicut enim rebus quantitatem tribuimus, ita & locum; quia scilicet tantam vel tantam quantitatem locus tantus vel tantus amplectitur. Ergo Angelus debet esse in loco per aliquam suam quantitatem; nempe virtualem, quia aliam non habet. At huiusmodi quantitas virtualis nihil est aliud quam operatio in corpus quod est locus: quia virtus Angeli instar quantitatis contingit tantum vel tantum corpus per tantam vel tantam operationem in ipsum. Ergo operatio est ratio ipsius Angelici contactus ad locum; atque ita erit in loco per operationem transeuntem.

Ægidius.

Ferrariensis vero probat ex A. Doctore in 1. d. 37. q.3. a.1. c. vbi postquam retulit S. Gregorij Nazianzeni auctoritatem, subdit sic: *Et ideò dico quod Angelus, & quælibet substantia incorporea non potest esse in corpore vel in loco nisi per operationem, quæ effectum aliquem in eo causet.* ergo est in loco per operationem transeuntem. Tertiò probari potest ex S. Damasceno lib. 1. de fide cap.17. vbi sic ait: Angelus *in loco esse dicitur, quia intellectuali modo adest, atque vt ipsius natura consentaneum est operatur, nec alibi est, verum intellectualem in modum illic circumscribitur vbi operatur.* Ergo causa quam affert Damascenus duplex est, & quia adest intellectuali modo, & quia operatur.

Ferrariensis. S. Damascenus.

Alter dicendi modus ait: Angelum esse in loco per applicationem, & contactum suæ virtutis. quem explicant vno ex his modis; vt nimirum sit vel operatio, vel quod operationi æquiparetur. Ita apertè docet Capreolus in 2.d.2. q.1. a. 3. ad argumentum Aureoli contra primã conclusionem. Atque hæc causa Capreolo fuit eadem q.1.a.1. concl.1. cur inter verba, quæ refert ex A.Doctore in 1.d. 37.q. 3. a.1. interponit hanc proxime sequentem explicationem de suo, vt hanc sententiam asserat, ac si illa verba essent A. Doctoris, cum tamen non habeantur in eiusdem A. Doctoris contextu. Cum enim ex eius contextu retulisset; Angelum *non posse definiri ac determinari loco nisi per actionem & operationem*, his de suo subiicit Capreolus hæc verba quæ sequuntur ad eorum verborum hanc declarationem. *Dico autem operationem communiter secundum quod Angelus se habet ad corpus contentum in loco per modum præsidentis, aut ministrantis, aut aliquo modo agentis aut patientis.* Quæ omnia apertiùs dixit Capreolus ad Aureoli argumentum loco citato. Hæc igitur omnia iam relata Capreoli sententia vno operationis nomine intelliguntur. Verba autem A. Doctoris in eo art. 1. corp. sunt hæc. *Angelus est in loco inquantum operatur circa aliquod corpus locatum, vel lumen vel motum vel aliquid huiusmodi*: Vnde ad 4.ibid. ait non esse inconueniens Angelum in nullo loco esse, *quando circa locum nihil operatur*. Ibi ergo requirit operationem transeuntem. Fatendum est tamen nonnulla ab A. Doctore dici his quæ Capr. attulit non omnino dissimilia Quodl.1.a.4. quæ verba mox referam.

Capreolus. A. Doctor.

Probat autem Capreolus hunc dicendi modum ex A. Doctore. Nam quodlib. 1. a. 4. his verbis A. Doctor probat ex analogia corporis Angelum esse in loco. *Est corpus in loco per contactum loci: contactus autem corporum est per quantitatem dimensiuam, quæ in Angelo non inuenitur cum sit incorporeus, sed loco eius in eo est quantitas virtualis.* & concludit. Sicut igitur corpus est in loco per contactum quantitatis dimensiuæ, ita Angelus *est in loco per quantitatem virtutis; Si quis autem velit contactum virtutis operationem vocare, propter hoc quod operatio est proprius effectus virtutis, dicatur quod Angelus est in loco per operationem. ita tamen quod per operationem non intelligatur sola motio, sed quæcunque vnitio, qua sua virtute se corpori vnit præsidendo, vel continendo, vel quocunque alio modo.* Hæc A.Doctor. Ergo Angelus in loco est per contactum virtutis, qui vel sit operatio, vel instar operationis aliquo modo habeatur.

Capreolus.

Deinde probat id ipsum Capreolus ex illa q. 3.a.1.cit. vbi A.Doctor cùm dixisset, vt retuli pro Ferrariensi, Angelum non posse esse in loco nisi per operationem, addit suammet explicationem, *in quantum operatur vel motum vel lumen, vel aliquid huiusmodi*. Debet ergo esse contactus, qui sit aliquo modo operatio; non autem est necesse, vt sit ipsa purè & propriè operatio. Vnde hoc confirmat Capreolus ex hoc a.1. in hac q.52. vbi A.Doctor concludit: *Per applicationem ergo virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercunque dicitur Angelus esse in loco.* Quibus apertè patet illam particulam *qualitercunque* significare applicationem, quæ quouis modo sit operatio aliqua, etsi ei non conueniat propriè ratio ac definitio operationis.

A. Doctor. A. Doctor.

Quod si obiicias Capreolo, vt obiicit Scotus in 2 d.q.6. §. *contra hoc* A. Doctorem sibi contradicere, quia suprà in hac p.p.q. 8.a.1. ex operatione Dei circa omnia ostendere nititur Dei præsentiam in omnibus rebus. *Et hoc* inquit Scotus *concluditur ex operatione sicut prius ex suo posteriori*. Ergo pari ratione hic debuisset concludere, Angelum loco esse præsentem; quia ibi operatur tanquam à signo & à posteriori: & tamen concluditur,

Scotus.

cluditur, Angelum esse in loco per operationem tanquam per virtutis cōtactum, quasi velit operationem esse formam, & contactum Angelo existendi in loco. Si inquam hoc obiiciatur Capreolo, respondet ipse a. 3. ad 1. Scoti negando concludi ab A. Doctore præsentiam Dei in loco ex operatione tanquam à signo posteriori, eo quod A. Doctori *prius est secundum eum operari in re, quam esse præsentem rei, quia habitudo præsentiæ consequitur operationem Dei, sicut effectus suam causam.* Ex qua doctrina confirmat Capreolus suam sententiam, quia si prius est Deum operari in re quàm esse in re; Ergo prius est Angelum operari in loco, quàm esse in loco; atque ita mirum non est, si sit Angelus per operationem tanquam per formam in ipso loco.

Verumtamen pro sententia Capreoli meliùs intelligenda notari oportet ea quæ ex eius mente dicemus sequent. Difficultate in secunda sententia.

Picus Mirand. Hanc Capreoli sententiam omninò secutus est Picus de Mirandula in Apologia disput. 1. non multo post initium pag. 128. in fol. vbi eam non solùm ab hæresi defendit; sed probabiliorem arbitratur, quàm sit opposita negans. *Ratio* inquit *ei essendi taliter in loco non est sua substantia sed operatio eius ab ea transiens ad extra. quam opinionem ego sic intelligendam & intellectam iudico non solum non hæreticam, sed probabiliorem sua opposita,* &c. *capiendo operationem pro omni habitudine ad corpus vel locum habente se per modum operationis actiuè vel passiuè.*

Ex qua doctrina idem Ioannes Picus defendit animam Christi seruatoris fuisse in inferno *solùm per operationem & per effectum,* nempe tāquam per rationem formalem; subditque hanc opinionem non solùm esse Durandi; sed etiam Bernardini de Gannaco, & Thomæ Anglici in quodlibetis, & Heruæi in suo 2. sent. lib eámque *tenuit,* inquit *Beatus Thomas in 1. sent. licèt alibi deinde videre p ssit sequi aliam opinionem. Tenuit Episcopus Malphiceus in suo 2. Tenet Ioannes Parisiensis in Correctorio corruptorij; & tenuerunt istam opinionem plusquam centum Doctores Catholici.* Quam opinionē ipse non confirmat nisi eo argumento, quòd corpora sunt in loco per quantitatem, quæ est ipsorum substantiæ extrinseca. Ergo debet Angelus esse in loco per operationem extrinsecam. Et postea soluere conatur argumenta, quæ contrà obiici solita sunt ab aduersariis.

Albertus. Ad hanc etiam sententiam videtur referri posse Albertus p. p. sum. Theolog. tract. 18. q. 73. a. 1. vbi docet in c. plures Angelos esse non posse in vno eodémque loco, non quidem *propter repletionem quantitatiuā, sed propter confusionem operationum, quæ esset si plures essent in eodem loco.* ergo putat rationem formalem cur Angelus sit in loco esse operationem. explicant autem paulò pòst quænam sunt huiusmodi operationes, significat eas esse purgare illuminare perficere, &c. ergo est in loco per operationes, siue propriè sint operationes siue latiore modo.

Verumtamen non id sensit Albertus. Sed potiùs vel non exposuit sententiam hac de re suā, vel sentit cum A. Doctore de applicatione virtutis, vt patebit seq. propos. Etenim a. 3. ibidem in fine ait; Angelum ex natura sua non determinare sibi locum in quo sit, sed ad illum mitti vt in eo operetur. *Ad aliud dicendum* inquit *quòd Angelus ex se, hoc est ex natura sua non determinat sibi locum corporeum, in quo vel sit vel fiat vel salvetur, sed ex congruentia virtutis assistricis, & ministratricis determinat sibi locum vel cœlum vel alium, ad quem mittitur vt in illo operetur.* Ex eo enim quod finita eius substantia est ait Angelum esse locabilem in certo loco. ergo putat Albertus prius Angelum esse in loco quam operetur, si quidem ad locum mittitur vt operetur. ergo operatio est finis existētiæ Angelicæ in loco, ac proinde non est forma, sed ei esse in loco supponitur, sicut medium ad finem. eodem modo loquitur Albertus sæpe in seqq. aa.

Quæ autem sit forma existendi in loco non explicat, etiamsi dicat cum Scoto & aliis, Angelum ex definitione substantiæ suæ esse locabilem. certum enim est quod finitum est posse in definito loco consistere. siquidem non in omni esse potest & vbique; vt in eo art. 3. contēdebat Albertus. Videtur ergo sentire Angelum esse in loco per applicationem virtutis; quia vult ideò loco applicari, vt in eo operetur; eodémque modo loquitur Carthusianus in 1. d. 37. q. 3. in reiectione opinionis Durandi, quam dicit esse fatuam, scripturisque diuinis aduersantem. Carthusian.

Tertius dicendi modus est Caietani in hoc art. 1. huius q. 52. §. *Quoad quartum* vbi dicit A. Doctoris sententia Angelum esse in loco substantialiter ac definitiuè, sed *per contactum virtualem,* qui vt ipse explicat ibidem nihil est aliud nisi præsentia operationis & præsentia ordinis, siue vtraque præsentia concurrat ad loci constitutionem, siue solùm altera. per præsentiam ordinis intelligit præsentiam actiui & passiui; nempe eam quæ est secundùm actionem & passionem, quam ait non distingui à præsentia operationis sicut actus primus ab actu secundo; nempe vt operatio & potentia operatrix; sed potius quemadmodum habitus ab actu secundo; nimirum quia habeat omnia requisita ad operandum, eo quòd nō solùm remotè, sed proximè possit operari; quia vt ait *habitibus vtimur cum volumus.* Caietanus.

Vnde ad hunc habitum quatuor requirit, quia scilicet *supra posse addit præsentia ordinis ex parte substantiæ Angeli negationem situalis distantiæ eo modo quo potest sibi conuenire: ex parte verò intellectus cognitionem practicam talis operationis in hoc corpus vt a se exercendæ. ex parte verò potentiæ executiuæ expeditionem ad operandum, quæ prompta habeatur; ex parte autem voluntatis electionem prædictæ præparationis ad hoc opus in hoc corpus exercendum. Hac enim est ratio habitus, vt cùm voluerit quis operetur.* est ergo Angelus in loco per contactum virtualem, qui vel sit præsentia ordinis nempe habitus ad operandum expeditus, vel ipsa operatio circa illud corpus quod est locus. Quare paulo pòst ait, dupliciter Angelos custodes esse præsentes loco. non enim oportet vt Angeli in eo ad cuius custodiam excubant aliquid faciant semper, sed satis esse vt semper vigilent, & nunc impedimenta amoueant, nunc promoueat, nunc euentum rei exspectent occurrentibus prouisuri, quamuis non contineant externam curam & operationem; Quia scilicet nunc operentur actu præsentia operationis; nunc habitu præsentia solius ordinis; Et hanc ipse ait esse mentem A. Doctoris; quod tamen ipse non probat. Quæ Caietanus excogitauit vt varia A. Doctoris dicta conciliaret, & vrgentia à se abigeret argumenta. Vtrùm autem id assecutus sit, colligi poterit ex dictis. Itaque omnis sententia defendens

dens Angelum esse in loco per operationem, docet huiusmodi operationem esse actionem transeuntem aut actualem aut virtualem; nempe quę sit vel actus secundus vel actus primus non quomodocunque, sed habitus expeditus. quæ explicatio vix differt ab ea sententia, quam Capreoli diximus, nisi quod Capreolus non ita expressit actionē in actu primo & in habitu, sed voluit esse per præsidentiam &c. vt vidimus; licèt si rectè considerentur solo verborū discrimine differant.

Angelum non esse in loco formaliter per suam operationem siue immanentem siue transeuntem, etiam A. Doctoris auctoritate ostendi posse. §. 2.

SEcunda tamen sententia negat Angelum esse in loco per operationem tanquam per rationem formalem existendi in ipso loco. contrariam enim sententiam ex instituto apertè argumentis reprobarunt Ricardus in 1.d.37.a.2.q.1. Scotus in 2.d.2.q.2 a.2.§. *contra istam opinionē*; qui omnes affirmant Parisiis fuisse damnatam a.204. à Stephano Parisiensi Episcopo, & ab illa Vniuersitate. in quo argumento triumphat Scotus vt videbimus. Eamdem sententiam impugnant Recentiores, vt noster Gabriel Vasquez disput. 188. à cap. 2. Molina in hac q. 52 a. 1. Disput. vnic. membr. 4. Hanc etiā secundam sententiam; quod scilicet non sit operatio, formalis loci ratio, secuti sunt ij qui aliam rationem conati sunt assignare, vt Durandus, sanctus Bonauentura & alij, de quibus superiori Difficultate in Prima sententia. Idem negarunt alij, qui vt videbimus in sequenti Difficultate aliam philosophandi viam tenuerunt. Puto autem eam negari etiam ab A. Doctore, vt dicemus sequenti Propositione. Ad solutionem sit

(Ricardus. Scotus. Vasquez. Molina. Durandus. S. Bonau.)

Vnica propositio. Angelus non est in loco per operationem tanquam per rationem formalem. hanc Propositionem probant Ricardus, Scotus, Gregorius, Gabriel primò ex illo articulo Parisiensi, vbi sic dicitur: *Dicere substantiam Angeli esse in loco per operationem, error.* Quod confirmat Scotus: quia si respondeas excommunicationem non transire mare vel diœcesim. contrà est: quia *si articulus condemnatus* inquit Scotus *est hæreticus, vbique est condemnatus vt hæreticus non auctoritate Diœcesani tantùm, sed etiam auctoritate Papæ. extra. de hæreticis. cap. Ad abolendum. vel saltem sententia est suspecta, quando in aliqua vniuersitate solemniter est damnata.* Huic argumento respondere conantur aduersarij auctores. nam Capreolus a. 3. ad 1. Gregorij contra Primam conclusionem, & Ioannes Picus loco citato aiunt ab articulo illo damnari solùm sententiam, quæ Angelum ponit in loco per operationem, quæ est exterior motio localis. Hanc fuisse mentem eius articuli confirmat Capreolus ex art. 77. vbi dicitur error illa assertio negans substantiam separatam non claudi in hoc vniuerso nisi per motum corporis. Verùm hæc solutio nō placet. nam sunt duo articuli, & vnus non est alterius explicatio, sed diuersos habent sensus, & clare significantur hæc, quæ contendunt dari aduersantis sententiæ auctores. Melius rursus Capreolus respondet, & Ioannes Picus vbi suprà ex Goffredo de Fontibus, hos articulos indigere magna correctione: *quia nonnulli* inquit Picus *sunt falsi, nonnulli sibi contradicunt*; quod ipse probare nititur, vt priùs fecerat Capreolus: ex quo idem Ioannes hæc sumpsit ad verbum. Sanè Capreolus addit ex Ægidio & aliis illos articulos non fuisse editos conuocatis omnibus Doctoribus Parisiensibus, *sed ad requestam quorundam capuosorum.* Vnde Henricus Quodlib. 2. quæstione nona, fatetur se illos articulos non agnoscere, etsi ex Doctoribus Parisiensibus fuerit vnus. ex quo non valet argumentum Scoti: quia non est damnata hæc sententia ab illa Vniuersitate. Immò Capreolus etiam addit excommunicationem reuocatam fuisse ab ipso Stephano episcopo Parisiensi, qua prædicti articuli tangunt doctrinam Angelici Doctoris. Itaque argumentum non vrget. Aliter soluunt aliqui recentiores, & aliter ad hos articulos respondent.

(Ricardus. Scotus. Gregorius. Gabriel. Capreolus. Jo. Picus. Henricus.)

Secundò probari potest alio Scoti argumento: quia si Angelus est per operationem in loco, vel est per operationem quæ ab ipso procedit mediatè: vel immediatè. neutro modo dici potest. Ergo non est per operationem. Minor patet, quia si est per operationem immediatè ab ipso procedentem. Ergo substantia Angeli immediatè est in illo corpore. ergo non per operationem. Si verò per operationem mediatè; tunc ne detur progressio in infinitum, deueniendum est ad operationem, quæ immediata sit in aliquod corpus. Ergo ibi erit substantia Angeli immediatè; atque ita non per operationem. Verùm hæc ratio deficit: quia dicerent aduersantes procedere ab Angelo immediatè tanquam à causa; non tamen tanquam à principio quod sit in loco, sed quod intelligatur poni in loco per ipsam operationem. quæ solutio indicatur à Capreolo vbi suprà ad secundam confirmationem Scoti; Quod explicari potest exemplo Christi se applicantis ad species sacramentales. nam sicut cum Christus qui est in cœlo se collocat sub speciebus panis in Eucharistia, illa actio immediatè procedit à Christo non tamen tanquam ab existente sub illis speciebus, sed tanquam à causa, quæ per illam actionem se sub speciebus illis reponit: ita & Angelus cum se in corpore collocat, actio se collocantis Angeli procedet quidem ab Angelo immediatè, non tamen tanquam ab existente in loco, sed tāquam à causa agente & se per illam actionem in loco collocantem.

Tertiò probant alij Recentiores: Quia prius est esse quàm operari; cùm operari supponat esse. Ergo prius est esse in loco, quàm in ipsum locum operari. Valet enim paritas in hoc: quod sicut se habet operari ad esse, ita operari in locum ad esse in loco. Clarum autem est; si operari in locum supponit esse in ipso loco, operationem ipsam non esse rationem formalem existendi in loco: quia nulla ratio formalis supponit suum effectum formalem, quem ipsa constituit. Verùm hæc etiam ratio nisi aliunde confirmetur, dupliciter non habet vim. Primò quia dicent Thomistæ, operari in locum, quia est ratio formalis existendi in ipso, & applicandi ipsam substantiam loco, non supponere esse in loco. Sicut etiam cùm mobile mouetur, & per motum se applicat illi loco per quem mouetur, non

non sequitur ipsum mobile prius ibi esse, quàm per eum motum moueatur; quia scilicet motus est ratio & applicatio ad illum locum. Ergo si operatio in illum est applicatio Angeli, non supponit ipsum Angelum esse ibi in eo loco. Secundò quia disparitas rectè assignari potest argumento. Nam ideò operari supponit esse, quia esse est principium à quo est actio. Vt enim ait Aristoteles lib. 2. de An. cont. 54. *omnia mouentur ab actiuo & actu ente.* vnde emanauit alterum huic persimile vulgatum axioma: *vnumquodque agit in quantum est actu.* quod sæpè vsurpat A. Doctor; vt suprà quæstione 2. a. 3. c. quæst. 4. a. 1. c. quæst. 25. a. 1. c. & ad 1. Et infrà quæst. 76. a. 1. quæstion. 89. a. 1. c. quæstion. 115. a. 1. 1. 2. quæst. 79. a. 2. & alibi sæpissimè. At verò agere in locum, non supponit applicatum esse in loco, si ipsa actio sit applicatio; quia ipsum esse in loco non est principium à quo est actio; idque in omnium opinione dicendum est. Nam illa operatio, quæ est applicatio operantis ad locum, non potest id quod operatur supponere in loco vt dictum est.

Aristoteles.

Meliùs ergo probatur propositio primò auctoritate A. Doctoris in hac quæstion. 52. a. 1. vbi docet: *per applicationem virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercunque dicitur Angelus esse in loco corporeo.* Ex quo loco sic ostendo, ipsum nobiscum apertè sentire. Quia illud non est in loco per operationem tanquam per formam, quod est in loco per aliquid prius operatione. Sed Angelici Doctoris sententia Angelus est in loco per aliquid prius operatione; ergo non est in loco per operationem tanquam per formam.

A. Doctor.

Maior est manifesta: Nam si est in loco per aliquid prius operatione; ergo operatio est posterior eo, quod Angelum constituit in loco: ergo operatio supponit ipsum esse in loco. quia omne posterius supponit suum prius, ac proinde operatio non est forma huius effectus, quia nulla forma supponit suum effectum, sed ipsum antecedit naturâ, cùm omnis causa secundùm naturam effectum suum præcedere debeat, vt patet ex Aristotele in Postpr. capite de priori: libro quarto Metaphysices, contextu vigesimoquinto & libro quinto Metaphys. cap. 11. Verum ergo est, illud non esse in loco per operationem tanquam per formam, quod est in loco per aliquid operatione prius. quæ erat Maior argumenti.

Minor probatur: quia A. Doctoris opinione Angelus est in loco per applicationem virtutis, vt ipse docuit; nempe operatricis; seu, quod idem est, per applicationem virtutis ad operandum. Ergo per aliquid quod antecedat operationem. Constat enim virtutem ad operandum esse causam ipsius operationis, ac proinde ea priorem esse. Sicut ergo si ignis esset in loco per applicationem virtutis exustiuæ ad exurendum, non esset in loco per ipsam exustionem, sed per aliquid antecedens ipsum exurendi actum; Ita & in re proposita; si Angelus est in loco per virtutem, seu per applicationem virtutis operatricis; erit in loco per aliquid quod antecedit ipsam operationem. Ratio horum vniuersalis est, quia omnis applicatio mediorum ad finem antecedit ipsum finem: applicatio autem virtutis operatricis est applicatio mediorum ad finem nempe ad operationem.

A. Doctor.

A Certum namque est operationem esse finem virtutis operatricis. Vt enim docet Aristoteles libr. nono Metaphysices, contextu decimoquinto, *non vt visum habeant animalia vident, sed vt videant visum habent. Similiter etiam ædificatiuam vt ædificent; & speculatiuam vt speculentur; non vt speculatiuam habeant speculantur nisi qui exercitantur.* Rationem huius rei generalem affert: quia *actus gratia potentia sumuntur.* Ergo applicatio huius virtutis antecedit operationem sicut medij applicatio est ante ipsum finem. Immò non fuisset ratio, cum potiùs Angelicus Doctor dixisset, Angelum esse in loco per applicationem virtutis, quàm per applicationem substantiæ, nisi

Aristoteles.

B significare voluisset per applicationem virtutis ad operandum constitui in loco, vt ita operari sit finis Angelorum constituendorum in loco, vt antè dicebamus ex Alberto: formalis verò ratio sit ipsa applicatio. Non enim Angeli sunt in hoc potiùs loco quàm in alio, nisi vt ibi operentur. quo etiam pacto sunt in cœlo vt manifesta Dei facie perfruantur; cuius rei proprius locus est cœlum. Quod etiam dicebat Albertus vt antè vidimus.

Ex his intelligitur, meritò ab A. Doctore tractari de loco proximè post duas quæstiones, quibus de Angelica substantia disputatum est: quia nimirum eius sententiâ locus est proximus mo-

C dus substantiæ, propterea quod cæteris Angeli operationibus antecedit. Nec de Angeli operationibus; immò nec de facultatibus operatricibus per se priùs tractauit quam de intellectu in quæstione quinquagesimaquarta, licèt de motu egerit quæstione quinquagesimatertia per accidens & occasione loci, cuius naturam in quæst. præsenti examinauit. Ex quibus patet A. Doctorem à Magistro Alberto non dissentire, vt significaui in prima sententia. Vnde valebit hoc posito ratio illa tertia, quam modò diximus non concludere, nisi aliunde vis accedat; nempe quòd sicut operari supponit esse rei operantis; ita

D & operari in loco supponit esse rei operantis in loco. Quia scilicet operatio non est applicatio, sed aliquid operationi præuium. Rectè autem operari in loco dicitur supponere rem operantem esse in loco; quia nullum operans agit nisi præsupponatur ipsum agens esse applicatum passo, ita vt applicatio seu appropinquatio sit conditio ex parte causæ requisita, vt alibi probatum est, & docet A. Doctor quæstione octaua a. 1. ex Aristotele septimo Physicorum à contextu decimotertio & alibi, vt suprà diximus. Ergo si Angelus operetur in locum veluti in passum; vt si illum moueat, vel illustret &c. supponitur ipsi loco applicatus; atque ita esse in loco supponitur, vt principium à quo procedit a-

E ctio, sicut esse à quo procedit operari; vt suprà diximus. ac proinde in hoc nulla est disparitas.

Sed clarissimè quæ sit A. Doctoris de Angeli loco sententia, apparet ex iis quæ idem habet in eo Quodlib. 1. a. 4. vbi vt retuli antè in secundo dicendi modo in prima sententia, explicans quid sit virtutis contactus (quem dicit vocari posse operationem) per quem Angelus est in loco, ait esse operationem in hoc sensu, *Quod per operationem non intelligatur sola motio, sed quæcumque vnitio qua se corpori vnit, præsidendo vel continendo vel quocumque alio modo.*

Itaque

Itaque ipsa vnitio Angeli ad locum ad operandum in eo, quod nihil est aliud nisi applicatio virtutis operatricis, est ipsa Angelici loci forma, non autem ipsa operatio transiens.

Secundò probatur propositio ratione: nam vt rectè argumentatur Scotus vbi suprà. Si Angelus est in loco per operationem, vel est per operationem transeuntem, vel immanentem. Non per immanentem: quia actio intellectus & voluntatis non possunt potius hunc locum inferioris mundi quam superioris; neque huius partis aut illius: & ita indiscriminatim possunt esse in hoc aut illo loco. Quod etiam clarè colligitur ex A. Doctore in 1.d.37.q.3.a.2.ad 3. & omnes Thomistæ concedunt. vnde A. Doctor ibidem a.1.ad 4. ait se non reputare inconueniens, Angelum non esse in loco, quando in illum nihil operatur, cum tamen tunc habeat operationes intellectus, à quibus eliciendis nunquã cessat Angelus. immò A. Doctoris sententia Angelus absolui potest ab omni loco, vt dicemus deinceps. ergo operatio intellectus aut voluntatis non sunt applicationes ad locum. Alioqui nunquam Angelus non se loco applicaret; quia nũquam non intelligit aliquid ac vult. Constat ergo per illas formaliter non determinari Angelum ad hunc locum; sicut nec ob eãdem causam determinatur per suam substantiam, quam indifferentem esse ad locum diximus super. Difficult.

Scotus.

A. Doctor.

Nec per transeuntem: Primò, quia si est in loco per operationem transeuntem; ergo ibi primò est, vbi primò operatur, vt optimè arguit Scotus. Sed primò operatur in toto cœlo, quod ipse Angelus mouet. ergo Angelus erit in toto cœlo. quod clarè repugnat dictis A. Doctoris vt infrà dicetur.

Nec dicas primò moueri aliquam vnam cœli partem, ibique primo Angelum esse, & per eam reliquas: nam contrà est duplex argumentum. Etenim in toto cœlo est motus, qui est ratio applicandi Angelum cœlo. ergo est in toto cœlo Angelus. deinde quia licet Aristoteles lib.2.cœli à cont.13. finxerit explicandi causa hominem habere caput & pedes in polis, bracchiáque extensa ac protensa ab Oriente in Occidentem, vt suprà descripsimus: Tamen verè si cœlum ponatur moueri & non quiescere, nullus punctus aut pars in cœlo est magis oriẽs quàm alius; licèt vt dixi q.51. rectè dicatur versus Orientalem partem nempe ab Oriente in infinitum omnibus solem oriri. Quilibet ergo punctus & pars successiuè est oriens atque occidens, & nullus punctus aut pars est magis capax motus, quàm alius; & ideò propriè non est pars dextra aut sinistra in cœlo vt diximus q.51. ergo non est ratio cur Angeli operatio constituat ipsum in vna parte potiùs quàm in alia. Dicere autem à Deo assignari partem, est ineptè philosophari, quia forma debet ex se, & ex sua natura determinatum effectum formalem habere.

Aliter quoque probatur ab aliis, quòd nõ per transeuntem operationem: nam sequitur vt etiam ait Scotus, Angelum non esse in cœlo empyreo; quia in illud non potest fingi quid operatione transeunte operetur, cùm ipsum sit omninò immutabile atque immobile, quippe domicilium beatorum. Quod autem respondent aliqui, vt Picus & Caietanus, occultum nobis esse,

Picus.
Caietanus.

A quid ibi moliatur Angelus, mirum est philosophos nullo argumento coactos in assignãda ratione formali manifesti effectus ad occultas atque incertas coniecturas confugere, cùm apertam habent veritatem. Nec meliùs respondet Ægidius cum ait Angelos esse in cœlo empyreo quia *aliquo modo circa tale cœlum virtutem suam applicant.* nam si intelligat applicationem hoc est operationem transeuntem, assignet qualem. sin aliud; ergo non est in loco per huiusmodi operationem. Immò cùm operatio Angeli transiens in corpus non sit nisi motus localis, etiamsi applicet actiua passiuis; quia nullum effectum immediatè producit nisi actiua mouendo ad passiua, vt apertè docet A. Doctor infrà q.110.a.2. &
B 3. nulla potest assignari in cœlo empyreo operatio transiens, cùm cœlum empyreum sit immobile ac fixum.

Ægidius.

Fateor tamen hanc rationem non omnino validè probare nostram propositionem. Etenim (quemadmodum infrà dicemus) videtur probabile Angelos beatos imprimere in cœlũ ipsum empyreum nonnihil ornamẽti ex ipsa dignitate beatorum, eo quòd loci maiestas nõ solùm summi regis regum diuinitate, verumetiam ciuium beatorum gloria, quasi luminum repercussione nobilitetur. quod ad maximum eius patriæ decus spectat. Hoc tamen dixerim non quod ita de facto esse crediderim, quis enim hoc scire po-
C test? sed ne has rationes vt aliqui putarunt instar demonstrationis habeamus.

Simili argumento putant iidem probari posse contra eosdem ipsos sequi animam Christi non descendisse ad limbum, quia nullam habuit ibi operationem transeuntem; nec damnatos esse in inferno; quia ne excogitari quidem potest, quam operationem transeuntem habeant circa ignem. Sed tamen de Christi anima eod. modo dici potest. De damnatis verò infrà dicemus, ipsos imprimere horrorẽ. Quod autem ait Ferrariensis esse per passionem in inferno ipsos damnatos, refelli posse dupliciter putãt. Primò, quia sequitur manifestè damnatos esse in inferno per
D passionem aliquam, quæ in ipsis recipiatur; non autem quæ ab ipsis in externum corpus deriuetur; quæ est propriè operatio transiens. Secundò, quia damnati prius sunt in igne inferni, quam in eo patiantur, vt docet A. Doctor in 4.d. 44.q. 3.a.3. quæstiuncula 3.c. vbi ait, animas ac dæmones cruciari ab igne, cui spiritus incorporeus *sic alligatur vt accipiens ab eo pœnam, & ex illa coniunctione concipit horrorem.* qui horror est illis cruciatus & pœna. ergo pœna sequitur ad locum non constituit, vt etiam tandem fatetur ipse Ferrariensis & rectè. Passio enim ad locum nihil conferre potest.

Ferrariensis.

A. Doctor.

Tertiò ergo probatur Angelum nõ esse in loco per operationem transeũtem ratione à priori. Et prima sit, quia illa debet esse ratio formalis
E constituens Angelum in loco, quæ sit nexus & quasi vinculum Angeli & loci. Sed Angeli operatio transiens non est huiusmodi. ergo operatio Angeli non est ratio formalis constituens Angelum in loco. Maior probatur, quia ratio illa formalis debet facere Angelum præsentem illi loco, in quo est, ita vt sit illi substantialiter non distans, sed proximus, & intra illud corpus v.g. intra Templum S. Petri: in Capitolio, &c. Ergo nectit & coniungit Angeli substantiam cum

cum loco, & consequenter est nexus vtriusque. Minor probatur: quia operatio Angeli transiens est motus localis, si loquamur de operatione merè naturali. neque enim aliam operationem in corpus habet nisi consequentem ad motum localem, vt ex aliis modò dicebam, & infrà constabit. At motus localis non est nexus vtriusque, nempe Angeli & loci. Nam cùm corpus ab Angelo abigitur per impulsum, potest moueri localiter sine præsentia mouentis, ita vt verum sit dicere in primo instanti motus extrinseco (hoc est in vltimo non esse motus) post hoc instans mobile per motum recedet à mouēte. ergo post hoc instans non erit mouenti mobile coniunctum: & hoc in cœlo patet vbi mouentur omnes B partes, quibus omnibus immediatè non est præsens Angelus, vt diximus. ergo ipse motus localis non est nexus vtriusque.

Quòd si dicas satis esse ante illud instās fuisse Angelum coniunctum mobili: contra hoc est, quia iam patet motum seu operationem illam non esse ipsum nexum, sed præfuisse ante ipsam operationem; vel certè nūquam illi præsentem fuisse Angelum. quoniam ante vltimum illud non esse motus non applicabatur corpori Angelus, immediatè post illud, corpus quod mouetur recedit ab Angelo, quia est verum in eo instanti dicere, immediatè post recedit à motore corpus si propellitur; ergo per istam operationem nunquam applicabitur. Aut si dicant corpus illud non posse moueri per impulsum, hoc C ipso fateri debent corpora non obedire Angelis ad nutum quoad motum localem. quod sanè est contra ea quæ docet A. Doctor infrà q. 110. a. 2. & negabunt viribus Angeli quod homines non difficili negotio faciunt. Quod si iterum dicant moueri corpora posse Angelico impulsu per motum aëris in quo sit Angelus ita vt mouendo aërem impellat sagittam v.g. Cōtra hoc manifestè argumentari possumus. quoniam absurdum primò videtur non posse suo imperio Angelum immoto aëre emittere sagittam aut lapidem sicut nos instrumentis corporeis proiicimus. Deinde si immediatè mouere potest aërem suo imperio & à se proiicere ne detur progressio D in infinitum; cur non possit suo quoque imperio sagittam mouere? hæ enim responsiones potiùs difficultatem transferunt, quàm dissoluant.

Secunda ratio à priori sit. nam omnis formalis ratio præsentiæ debet intrinsecè in eo esse, quod fit per illam alteri præsens. Sed illa operatio transiens non est intrinseca in Angelo, qui præsens alteri nempe loco. ergo non est Angelo ratio formalis præsentiæ localis; ergo neque ratio formalis constituēdi Angelum in loco, quæ debet esse aliqua præsentia, vt suprà diximus. Maior probatur: quia nihil est præsens alteri per E præsentiam alterius extrinsecam; sed per suam ipsius propriam atque intrinsecam, qua verè aliquo modo intrinsecè afficiatur. vt v. gr. vinum non est præsens dolio per dolij præsentiam sed per suam, quia verè est intra dolium; & sic de cæteris. Immò nec ipse Deus est corpori præsens, quia tantum illi corpus præsens sit, sed etiam quia verè eius substantia est in ipso non solum potestate, & præsentia obiectiua, sed immensitate substantiæ, vt ostendit A. Doctor suprà q. 8. a. 3. Ratio est, quia forma quæ est extrinseca vni est intrinseca alteri; vt visio est extrin-A seca rei visæ, intrinseca tamen videnti. ergo si quid est præsens alteri per præsentiam extrinsecam alterius illi alteri erit intrinseca v. gr. Si vinum est præsens dolio per extrinsecam præsentiam ipsius dolij, erit forma ipsa dolio intrinseca. At hoc non potest esse: quia dolium per suā est præsens vino tanquam continens contento; ergo & vinum dolio per suam aliquam intrinsecam tanquam continenti contentum, quia non est ratio cur vni sit intrinseca alteri non sit.

Quod si dicat quis: Vnio sicut ex eo quod est duorum duobus illis est intrinseca, ita & præsentia localis, quæ est quædam vnio locantis & locati duobus erit intrinseca, nimirum vni tanquam subiecto, alteri verò tanquam termino, vt est vnio hypostatica in Christo, quæ in Humanitate hæret, terminatur verò ad Verbi diuini hypostasim. Si inquam hoc dicatur, non repugno nunc, modò constet hāc præsentiam intrinsecam esse oportere Angelo. licèt quo pacto intrinseca sit infrà explicandum sit. Et ideò nō dixi in argumento, præsentiam debere esse formam intrinsecam rei præsenti tanquam subiecto, sed intrinsecam ita vt verè rem quæ est præsens afficiat siue vt subiectum siue vt terminum modo infrà explicando.

Præterquam quòd si hæc præsentia esset in Angelo tanquam in termino, & in corpore locante tanquam in subiecto; remoto illo corpore locante desineret Angelus esse terminus illius præsentiæ, ac proinde non esset ampliùs ibi Angelus quia eius præsentia mutaretur. Hoc autem falsum est. Nihil enim desinit esse alicubi naturaliter nisi vel intereat vel se aliò transferat. Quomodo autem hoc absurdum nō sequatur ex eo, quòd ponamus hanc præsentiam in Angelo tāquam in subiecto, in loco autem tanquam in termino dicemus postea. Explicabimus enim vnicuique enti creato oportere inesse suam præsentiam tanquam subiecto, in altero autem tanquam in termino secūdariò & quasi per accidens. Constat ergo præsentiam debere esse formaliter seu intrinsecè in re, quæ est alteri præsens. Minor probatur: quia operatio transiens, quam diximus oportere esse motum localem, est in corpore quod est locus, & nō est in Angelo intrinsecè, non quidem tanquam in subiecto, quia motus localis corporis non est in substantia spiritali, cùm forma materialis non hæreat substantiæ spiritali, nec tanquam in termino intrinseco, quia motus localis nō est vnio duorum, nempe Angeli & loci, sed potiùs est seiunctio & separatio, vt diximus. Vnde tantum abest vt motus localis afficiat intrinsecè motorem, vt eum nullo modo denominet moueri. Quapropter suprà diximus ex Aristotele, Angelos cœli motores nō denominari quidem moueri per accidens ad motum cœli quod ab ipsis mouetur. Denominarentur autem aliquo modo moueri si eo motu intrinsecè afficerentur tanquam terminus; sicut Verbum diuinum dicitur intrinsecè vnitum ob vnionem quæ illi tāquam termino est intrinseca, & qua cum Humanitate verè facit vnum per se substātiale; nempe vnam Christi personam. Ergo non est in Angelo tanquam in termino intrinseco; Vt motus localis lapidis non est in manu proiicientis ipsum tanquam in termino intrinseco; quia talem terminum nec afficit nec deposcit. vnde posset esse

proiiciente, in instanti, quod sit vltimum non esse motus, annihilato. ita vt idem momẽtum sit primum non esse proiicientis, & vltimum non esse motus. ergo non est intrinseca forma Angelo, qui est loco præsens.

Tertia ratio à priori sit: quia illa non est Angelo forma existendi in loco, qua sublata remanet effectus formalis, vt certum est ex supradictis. Sed sublata operatione transeunte remanet Angelus in loco. ergo operatio illa non est ratio formalis Angelo existendi in loco. Minor probatur: quia Christi corpus incipit esse sub speciebus, ac proinde in loco specierum, vbi nullam habet operationem transeuntem, nempe etiamsi species nihil operatione Christi transeunte mutarentur, vt de facto non mutantur receptione alicuius formæ. Vnio enim & præsentia illa quæ à Christo producitur, est in ipso Christi corpore tanquam in subiecto, vt ostendi 3. p. q. 76. quia verè Christi corpus mutatur eò quòd verè incipit esse sub speciebus per modum quo constituitur indiuisibiliter sub illis. ergo non est per operationem quæ sit actio transiens. Si autem nulla est operatio transiens, vt corpus Christi sit definitiuè sub speciebus, quæ sit ei forma existendi in loco. ergo neque vlla operatio transiens erit forma Angelo vt loco definiatur. quandoquidem tam Christi corpus quàm Angelus sunt *intellectuali modo* in loco, vt aiebat S. Damascenus suprà; nempe modo indiuiduo ac definitiuè. quia vtrobique est totum in toto, & totum in singulis partibus. Alia huc spectantia, & quæ nostra iam facta argumenta roborare possunt vide in consequentibus nostris *Colliguntur*.

Angelum ne per eam quidem formam quæ operationi æquiparetur esse in loco; ostenditúrque Deum non posse intelligi applicatum creaturæ tamquam agens passo, ante creationem. §. 3.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò contra primum & secundum dicendi modum supra in Parte affirmante non esse aut operationem, aut quod ei ęquiparetur; & de operatione quidem ostensum est: & præterea quia non dicunt ad mentem A. Doctoris, qui vult esse applicationem virtutis non operationem vt diximus. Immò si supponit, dæmones priùs alligari igni quàm ab eo crucientur, & patiantur vt diximus ex 4. sent. Ergo supponit dæmones priùs esse in loco, quàm sit passio, & proinde quàm sit operatio, quia est eadem ratio vtriusque, vt euidens per se est. De eo autem quod operationi æquiparetur nunc ostendo. quoniam id quod operationi dicunt æquiparari aut est actus primus aut actus secundus. Si est actus secundus; ergo est aliqua operatio; hæc autem nec est immanens nec transiens; ergo non potest esse actus secundus & operatio, vt ostensum est. Si est actus primus, aut est ipsa entitas Angeli etiam cum iis quæ ipsum Angelum necessariò comitantur, aut aliquid vltra illam. Non primum: quia illa cùm sit indifferens non potest esse forma loci, vt ostendi superiore Difficultate.

A Si dicant secundum: Ergo explicent quid illud sit, cùm operatio esse non posit.

Quod autem dixit Capreolus de modo præsidendi ac ministrandi, ac denique agendi ac patiendi, multiplicat quidem verba, sed veritatem magis non declarat. nam de illo ipso modo idem quæritur, atque de eo quod operationi æquiparatum dicebamus. Aut enim est aliquid præter operationem ipsam, aut non. Si non est; ergo operatio ipsa est forma essendi in loco. quod reiectum est. Si aliquid; ergo aliquid debet esse vltra illam entitatem necessariam: explicandúmque esset quid sit; vt verúmne sit an falsum agnoscatur. Capreolus

B Addo etiam ab ipsis non explicari A. Doctoris mentem; cùm hic ait Angelum esse in loco per applicationem virtutis, quæ nec est operatio nec operationi æquiparatur, cùm sit quid operationi præuium, ac proinde omni illi enti quod loco operationis intelligi possit.

Id autem quod Capreolus respondet Scoto in eodem secundo dicendi modo ambiguum est & falsum in vno sensu; nec argumento Scoti satisfacit: nam cùm dicitur; *Prius esse Deum operari in re, quàm illi esse præsentem*; dupliciter potest accipi; primò ita vt operari significet producere ipsam rem ac creare. & sic verum est, priùs Deũ producere rem, quàm Deus sit illi præsens, quia

C sine dubio non est habitudo præsentiæ de qua nunc est sermo alicuius ad aliud, nisi illud aliud præsupponatur esse. Huiusmodi enim localis præsentia est vnio ac nexus duorum ante existentium. ergo consequitur præsentia productionem rei.

Verùm non hoc modo intelligit aut Scotus cùm hanc sententiam impugnat, aut Capreolus cùm eam defendit, cùm dicunt Priùs Deum esse præsentem rei quàm in ipsa re operetur. Significant enim in hoc sensu; nimirum vt prius sit præsens rei Deus quàm res ipsa sit subiectum diuinæ operationis. hoc enim est operari in re, vt artifex in re operatur, cum in ea formas im-

D primit. Nam illo primo modo non est operari in re, sed rem operari. quemadmodum cùm formamus statuam non operamur in statua sed statuam, seu ad statuam. hoc autem pacto falsum est quod ait Capreolus, prius esse Deum operari in re quàm illi esse præsentem, quia operatio vt diximus supponit præsentiam seu vnionem agentis ac passi. Vnde A. Doctor in ea q. 8. art. 1. *Oportet* inquit *omne agens coniungi ei in quod immediatè agit*; idque ex Aristotele confirmat libro 7. Physic. à cont. 12. vbi Aristoteles ostendit, mouens & motum debere esse simul ita vt *nihil in medio sit consistens eius quod mouet, & eius quod mouetur.* Ergo supponit priùs esse coniuncta hæc duo quàm sit actio. Alioqui Aristotelis testimonium

E nullo pacto ad rem esset. Esto enim agens & passum debeant esse simul, hinc tamen non sequitur Deum & creaturam esse loco coniuncta cùm primò res creatur, quia non sunt agens & passum in eo primo instanti, cùm Deus entia creat primò. tunc enim nullum est subiectum quod actionem recipiat, quia creatio est actio independens à subiecto, vt mox confirmabitur. ergo nihil est quod in eo instanti patiatur & passum sit. ergo si est apta comparatio oportet creatura sit aliquo modo passum respectu Dei cuius actionem in se recipiat. Ergo non solum

loquitur

A. Doctor. loquitur de creatione rei, sed etiam de actionibus, quæ rem consequuntur, vt aperte fatetur ibidem A. Doctor cùm ait: *Hunc autem effectum causat Deus in rebus non solùm quando primò esse incipiũt, sed quandiu res in esse conseruantur. sicut lumen causatur in aëre à sole, quamdiu aër illuminatus manet*; vt continuatam Dei præsentiam in rebus ostendat.

Capreolus. Hoc autem posito Capreolus non satisfacit Scoti argumento. Eo enim Scotus contendit ab A. Doctore concludi præsentiam Dei in omnibus rebus ex operatione Dei in illis tanquam à signo & à posteriori, vt antè diximus. Ex hoc autem Scotus infert verborum argumentorúmque repugnantiam in doctrina A. Doctoris, B eo quòd hic operationem velit esse formã constituentem Angelum loco præsentem, non signum posterius forma ipsa. Huic igitur argumento non satisfacit Capreolus.

Cuius tamen modi facilis est in nostra doctrina solutio. Dicimus enim nullam esse repugnantiam: quia A. Doctor vult, Angelum esse in loco per applicationem virtutis, quod diximus esse quid antecedens operationem, non autem operationem esse formam. Quid autem hoc sit, & quomodo intelligendum patebit deinceps.

A. Doctor. At dicet aliquis: A. Doctor in eo articulo primo, non solùm probat Deum per operationem esse præsentem rebus dum eas conseruat in esse, sed etiam dum illas creat ex illa auctoritate C Aristotelis. vnde expressè ait à Deo tanquam à causa effectrice omne creatum esse ac pendere *non solùm quando res primò esse incipiunt sed quamdiu in esse conseruantur.* ergo vult esse agens coniunctum passo etiam in eo momento quando res à Deo è nihilo producuntur. ergo non rectè diximus quando res primò creatur, non esse agens & passum.

Respondetur rectè dictum à nobis esse cum primò res creantur non esse agens & passum pro eo instanti primo, quia non est passum nisi suscipiat actionem agentis. hoc enim est pati, vt patet ex libro 3. Physic. à context. 18. ad 21. D Res autem cùm primò creatur, non suscipit actionem Dei, nempe ipsam creationem; vt cùm creatur rationalis animus, ipse non suscipit creationem, quia vt ait A. Doctor suprà q. 45. a. 3. ad 2. creatio passiua est ipsa creatura, licèt intelligatur esse in creatura aliquo modo tanquam relatio quædam; nimirum quia in ea intelligimus esse quandam à Deo dependentiam; & quoddam accidens.

Quicquid tamen hoc sit, certum est ante creationem intelligi non posse Deum applicatum creaturæ tanquam agens passo; quia ante creationem nullo modo intelligi rectè potest esse creaturam, quæ intrinsece inuoluit vt E habeat esse per creationem tanquam per quid antecedens, vt expressè fatetur A. Doctor eodem art. 3. vnde cùm A. Doctor dicit, cùm res primò creantur & esse incipiunt debere esse à Deo, Deóque agenti coniungi tanquam agenti passum, verissimum omninò est: non tamen ita vt antecedenter coniuncta intelligantur, vt diximus, sed pro eo etiam instanti coniuncta intelligantur ob operationes consequentes quæ in creatura necessariæ sunt vt in suo esse permaneat.

Itaque licèt si probetur existentia Dei in rebus, quia in iis operatur sit demonstratio à signo; sicut cum ostendimus hominem viuere, quia operatur, tamen potest esse demonstratio à priori & ex causa finali, si ostendatur Deum debere esse coniunctum cum creatura in eo primo creationis instanti, vt in ea operetur deinceps. quemadmodum demonstratio à priori esset si ostenderetur cælum esse figuræ rotundæ ac sphæricæ, quia est vt moueatur in orbem: licet contra esset à signo, si probetur quia mouetur in orbem habere sphęricam figuram. Id quod clarissimum est in omnibus aliis similibus, in quibus regressus demonstratiuus datur.

Vera ergo est demonstratiò Angelici Doctoris in eo articulo primo, dum ostendit creaturam ex eo quòd est creatura, debere Deo vniri tum in creationis momento, tum in reliquo consequenti tempore, ex eo quòd agens debet esse coniunctum passo. quæ demonstratio vt sit clarior sic formari potest: Omne agens quod agit in passum ante actionem præsupponitur vnitum passo. sed Deus in omni duratione & tempore quod post primum creationis instans consequitur, est agens in omnem creaturam. ergo Deus ante omnem actionem in illa duratione & tempore quod post primum illud instans consequitur, præsupponitur vnitus creaturæ. ergo etiam in ipso creationis momento. Hoc enim solum antecedit omne tempus, quod consequitur ipsum primum instans creationis.

Quòd autem hoc probandum sibi proponat A. Doctor, expressè patet ex eius consecutione in corpore articuli. Sic enim concludit: *Quamdiu igitur res habet esse tandiu oportet quod Deus adsit ei secundum modum quo esse habet.* Quasi dicat; in A. Doctor. quauis siue momentanea siue successiua duratione creatura sit, illi Deus adest, quia agens in illam est. Et si quidem sermo sit de primo creationis momento illi adest, vt post illud deinceps agat; si verò de reliquo consequenti tempore etiam illi adesse oportet, quia scimus in illam semper agere. Quare demonstratio est à priori de præsentia Dei in primo momento, quia est ex causa finali. Quo etiam modo intelligi potest de præsentia Dei in quouis puncto ac differentia temporis, quæ comparentur ad consequentes operationes. Vt nunc Deus est præsens, vt postea operetur, &c. Potest etiam esse à signo de eiusdem præsentia in consequenti tempore hoc modo. Ex eo enim quòd certò cognoscitur Deus agere, inferri potest, ergo Deus creaturæ præsens est. vndè patet; quid Scoto omissa Capreoli responsione dicendum hac in re nobis sit.

Præsentiam aut operationis aut ordinis aut custodiæ, non esse rationem formalem Angelo existendi in loco, vbi etiam de descensu animæ Christi ad inferos.

§. 4.

Colligitur secundò qualenam de Caietani sententia oporteat esse iudicium in Caietanus. tertio

tertio dicendi modo suprà relato. etenim is multa dicit, quæ mihi probari nequaquam possunt. Primum enim quod ait disiunctim formam Angelo existendi in loco esse, *vel præsentiam operationis vel præsentiam ordinis*, non est probandum; quia vnus effectus formalis vnam tantùm admittit formam non plures. Ergo cùm quæritur huius vnius effectus formalis, nempe essendi in loco quænam sit forma, vna debet assignari & non plures formæ. Sicut cùm dicitur forma calidi est calor, animati anima, videntis visio; & sic de cæteris. Ratio esse potest, quia cùm quæsitum relatè proponatur ad responsionem, vnitas vtrimque deposcitur, quia vt ait Aristoteles libr. quinto Metaphysices, contextu vigesimoseptimo. *Vnum refertur ad vnum non ad quoduis sed ad determinatum.* Cùm ergo in Quæsito proponatur quæstio de vna forma, vna simpliciter responderi debet si possibile sit.

Aristoteles.

Secundum etiam quod ait, non est ad mentem A. Doctoris; nempe *contactum virtualem esse præsentiam operationis.* nam ab A. Doctore in hoc a. 1. non alius dicitur contactus virtualis, quàm applicatio virtutis operatricis, vt vidimus. hoc enim modo sol dicitur contingere viscera terræ, cum eius virtus effectrix illis per expansum lumen insidet ad operandum. Quod etiam clariùs confirmauimus ex verbis Quodlib. 1. a. 4.

A. Doctor.

Tertium quoque falsum est; nempe Angelum esse in loco nihil esse aliud, quàm esse per præsentiam quæ sit aut operationis aut ordinis. nam neutrum est verum. De operatione quidem satis fusè dictum est: De præsentia verò ordinis idem patet; nam præsentia ordinis est illa, quæ requiritur ad proximè actiuum & passiuum, vt ipse ibi explicauit ita vt habeat omnia requisita ad operandum, non solùm tanquam actus primus, sed tanquam habitus vt vidimus. Ergo illa præsentia est aliquid antecedens ipsam actionem & passionem per quam determinetur agens ad talem locum, in quo sit passo proximum, ab eóque non distans: Hæc autem determinata appropinquatio localis non constituitur per illa quatuor, quæ ibi enumerantur à Caietano. nam negatio situalis distantiæ ipsum esse propinquum consequitur ex quo oritur. Ideò enim aliquid ab alio non distat, quia illi est propinquum: atque ita superest definiendum per quid constituatur in esse illo propinquo formaliter; quod nos præstabimus deinceps. Cætera quæ addit ex parte intellectus & voluntatis non tam sunt forma per quam Angelus iungitur loco, quàm causæ producentes illam formam, sicut etiam euidenter patet in nobis. Non enim iudicium practicum & electio loci constituunt formaliter nos in loco, sed tantum effectrices causæ sunt, vt producatur id per quod formaliter constituimur in loco. Ad hoc enim intellectus practicus consultat, & voluntas media eligit, vt homo se in hoc vel illo loco constituat.

Quartò falsum etiam est quod subdit, dupliciter Angelos custodes loco esse præsentes; nimirum vel per operationem externam vel per custodiam dum inuigilant ad curam, atque excubant. Falsum autem est: quia vno tantum modo sunt in loco; nimirum per formalem præsentiam, & per coniunctionem ad locum, vt ostensum est. hæc autem non est excubatio ad curam quam etiam in cœlo assidentes gerere nostri possunt.

A Ad extremum fallitur Caietanus, dum hanc sententiam putat esse A. Doctoris, qui solam applicationem virtutis præsentiam localem fecit, non tot formas vnius effectus coaceruauit. Immò quod Angeli dum nobis inuigilant, non necessariò sint in loco nostro substantialiter præsentes, apertè docuit A. Doctor infrà q. 113. a. 6. ad 3. vbi ait: Angelos etiam dum sunt *in cœlo cognoscere quid circa hominem agatur, nec derelinquere eum quantum ad effectum custodiæ.*

A. Doctor.

Colligitur tertiò licèt Ioannes Picus magno vt solet ingenij acumine suam opinionem de descensu animæ Christi ad inferos illorum Theologorum munimine ab hæreseos crimine tutatus rectè sit, quòd non negarit realem animæ B præsentiam in Limbo, sed in eo sensu asseruerit per solam operationem & effectum fuisse in inferno, tãquam hæc operatio fuerit sola ratio formalis collocandæ in eo loco substantiæ animæ Christi: (quo etiam pacto Caietanus 3. p. quæstione quinquagesimasecunda a. 2. §. *quoad Tertium* docet animam Christi verè secundùm substantiam fuisse apud inferos, quia virtute Verbi ibi miracula patrauit) tamen vt rectè notauit Gabriel Vasquez Disputation. 188. cap. 2. num. 9. non apparet quæ Christi Domini nostri fuerit huiusmodi operatio transiens in ea corpora, quę sunt in Limbo. nam si dicas esse illustrationem C carceris. contrà est, quia illuminatio supponit applicationem substantiæ vt ostendimus. & ita prius erit, Christi animam ibi fuisse, quàm corpora illustrasse. Sed esto id fuerit concessum animæ Christi; quid dicent de reliquis Patrum animis, qui ibi aderant; an etiam ipsæ ibi adfuerunt semper patratione miraculorum? an aliæ erunt illorum formæ locales?

Io. Picus.

Caietanus.

Vasquez.

Præterea quod ille pro fundamento suæ sententiæ ponit, non est firmum: nam primò tametsi fatemur, quantitatem per quam corpora sunt in loco, esse corporibus extrinsecam, tamen ex hoc non sequitur, ipsam operationem transeuntem debere esse formam existendi Angelo in lo- D co, sicut corpori est quantitas. Quia assignari potest aliquid substantiæ Angelicę extrinsecum; nempe quod sit accidens inhærens illi, sicut quantitas substantiæ, quod accidens non sit operatio, sed aliquid aliud vt dicam in sequentibus. Immò retorqueri in ipsum posset argumentatio: quia sicut corpori quantitas est ratio loci, & est quid corpori locato inhærens, non autem operatio transiens: ita & ratio loci Angelici non debet esse operatio transiens, quæ hæret alteri corpori; sed aliquid in ipsa hærens. Secundò quia non est concedendum quantitatem esse rationem existendi corporibus in loco. nam vt probatum est suprà, & alibi copiosiùs dis- E putauimus: Quod est indifferens ad hunc vel illum locum non est ratio formalis existendi in hoc loco determinatè. Quantitas autem in corporibus est indifferens ad hunc vel illum locũ; & ideò aliud oportet sit forma loci. Vnde A. Doctor in hoc a. 1. dixit, corpora esse in loco *per hoc quod applicantur loco secundum contactum dimensiuæ quantitatis.* Quare non dixit esse per quantitatem, aut per contactum sed per hoc quod applicantur, &c. Non ergo ratio formalis est A. Doctori quãtitas, sed ea forma quæ est eiusdẽ quantitatis & contactus applicatio, de qua re deinceps disputabitur.

Argumen

Argumentis partis aduersæ satisfit, confirmaturque nostra sententia. §. 5.

Ægidius. EX his respondetur ad argumenta partis affirmantis. Ad fundamentũ enim Ægidij in primo modo dicendi respondetur, verum quidem esse corporibus tribuendum esse locum circumscriptiuum ob quantitatem, & tantum locum ob tantam quantitatem. negamus tamen ipsam quantitatem esse rationem cur sit in hoc aut illo loco determinato, cùm quantitas sit indifferens vt diximus.

Est autem huiusmodi forma vt mox dicemus VBI aliquod, per quod corpus formaliter potiùs est in hoco hoc determinato, quàm in illo. quod quidem VBI est applicatio corporis ad illum locum, vt accuratius dicemus deinceps, ostendemúsque hanc A. Doctoris sententiam fuisse. Similiter dico Angelum esse in loco conuenire quantitati virtuali, nempe virtuti Angelicæ, vt sit in tanto vel tanto corpore: virtuti inquam operatrici & applicatrici, eíque conuenire duplici ratione; nimirum tanquam causæ effectrici & tanquam subiecto eius formæ, quæ est ratio formalis constituens Angelum in hoc loco determinato vt patebit.

Itaque argumentum potiùs nobis quam aduersariis fauet. Retorqueri enim potest hoc pacto. Quemadmodum in corporibus non sufficit sola quantitas vt sint in loco, sed præterea requiritur forma, quæ est ipsorum applicatio ad hunc locum determinatum; ita in Angelis non est satis quantitas virtualis, sed etiam requiritur forma, quæ est ipsorum applicatio vt etiam diximus ex A. Doctore; & ob hanc causam Angelicus Doctor non ait hic Angelos esse in loco per contactum virtualem sed *per applicationem virtutis*, quæ virtus est contactus virtualis; ergo requirit formam quæ sit applicatio huius contactus. vnde nego eam rationem esse quantitatem virtualem, sed dico esse formam, quæ est eius applicatio vt dicemus. in quo est par ratio cum corporibus. — A. Doctor.

Ferrariensis. Ad Primum Ferrariensis ex A. Doctore ibidem respondeo dupliciter vel ipsum A. Doctorem intelligere per operationem ipsam applicationem virtutis operatricis, vt in hac p. p. explicatiùs dixit: nam non de quacunque operatione loquitur, sed de ea *in quantum* inquit *loco alicui per operationem applicatur*; vt ipse ibi dicit in c. & ita loquitur de operatione, quę est applicatio ipsa seu forma secundùm quam est loco præsens, ita vt possit in eo operari. & hoc pacto non discreparent quæ ibi docet ab iis quæ hic dicuntur. quod sanè habet fundamentum in Angelici Doctoris doctrina vt ante diximus præsertim ex illo Quodlib. 1. a. 4. & patebit mox ad primum Capreoli.

Vel secundò intelligere Angelum esse in loco per operationem non quæ sit forma prima, sed quæ sit forma posterior, & signum ipsius formæ primò locantis. quam tanquam notiorem sumpserit pro ipsa forma cuius est indicium. quemadmodum solet etiam dici, hominem constitui per rationalitatem seu risibilitatem, quorum nomine noto vtimur ad significandum penitiorem hominis differentiam, quæ latet philosophorum sagacitatem atq; industriam. & hoc modo in hac ipsa quæst. a. 3. probat plures Angelos non posse esse in eodem loco, quia non possunt plures eandem habere operationem. id enim affertur vel quia nullus sit finis ob quem collocari debeat Angelus in loco. Vel tanquam signum illius formæ prioris, non tanquam causa formalis in loco existendi. Sicut si quis negaret plures soles posse esse in eodem loco, quia plures soles nõ possunt habere eandem illuminationem. quod eodem a. 3. fusiùs examinabitur.

Vnde quod nonnullis videri potest, A. Doctorem eã sententiã mutasse in hac summa Theologica ob ea postea quę sequi absurda cognouerit, vt in multis aliis rebus vel ipsi Thomistæ fatentur, non videtur admodũ improbabile. Sed tamẽ esto sententiam non mutauerit. Nam vt diximus in eo a. 3. eodem modo loqui videtur, ac si operatio sit forma existendi in loco; Tamen vtroq; in loco explicandus est vt iam dictum est.

Ad S. Damascenum respondeo eodem modo; nimirum ipsum assignare tum rationem formalem tum signum; quia scilicet est *intellectuali modo* nempe modo indiuisibili; quia scilicet est totus in toto, & totus in qualibet eius parte; quod est ratio formalis. & quia *operatur*; Quod est eius signum. Nec mirum si sanctus Damascenus operationem afferat tanquam signum, quia non solùm erat eius mens afferre veram causam, quæ Angelo est ratio essendi in loco, verùm etiam eam quæ reddi potest cur dicamus ipsum esse in loco; quod debet esse à signo & à posteriore. Sic enim habet de Angelo: *In loco tamen esse dicitur quia intellectuali modo adest, atque vt ipsius natura consentaneum est operatur*, & cætera. — S. Damascenus.

Quod autem operatio non sit forma existendi in loco ipsi Angelo Damasceni sententia patet, quia ibidem planè fatetur Angelos in loco operari quia in loco sunt. *nam Angelus* inquit *ob naturæ pernicitatem & quia promptè ac celeriter transit in diuersis locis operatur.* Negatur ergo consequentia; nempe causam quam affert Damascenus esse duplicem si de causa rei sermo sit; conceditur autem si de causa tum rei tum etiam cognitionis & assertionis vt dictum est. Idem clariùs ex eodem Damasceno patet libro secundo de fide capite tertio vbi locum Angelis priùs assignat, & postea operationes. Quod vtique non esset, si operatio forma existendi in loco esset. Sicut si quis ita diceret de corpore calido. corpus calidum est, & habet calorem. Sic autem loquitur sanctus Damascenus ibidem de Angelorum loco: *Iam verò cùm mentes sint, in eiusmodi quoque locis sunt, quæ mente ac ratione intelliguntur, non quod corporeo modo circumscribantur*, & cætera. *Verùm quia vbi imperatum fuerit, illic spiritaliter adsunt atque operantur; nec eodem tempore hic atque illic esse atque operari possunt.* Vides priùs Angelis attribuit locum, quàm operationem in loco. — S. Damasc. — Damasc.

Ad primum argumentum Capreoli in secũdo modo dicendi, respondeo esse Angelum in loco per contactum virtutis seu per quantitatem virtutis, id est vt ipse A. Doctor in eo Quodlibeto explicat per *vnionem* ad locum in quem potest operari eius virtus. Ex quo loco maximè confirmari potest Angelum A. Doctori non esse — Capreolus.

esse in loco per operationem transeuntem tanquam per formam. quod nobis fauet maximè, & ei explicationi quam adhibuimus ad argumentum Ferrariensis in primis consentanea est. Vnde si quis vellet hác vnionem quam esse dicemus infrà deinceps formam loci, appellare operationem, nec A. Doctor nec nos prædictæ sententiæ repugnamus; modò non intelligamus operationem consequentem ad ipsam vnionem cum loco, vt dictum est suprà.

Ad secundum respondeo eodem modo esse operationem vel aliquid simile, modò per operationem intelligatur vnitio ipsa ad locum, secundùm quam Angelum esse in loco dicemus atque explicabimus infrà; quod etiam fatemur indicari ab A.Doctore in hoc a.1. nomine applicationis virtutis.

Ad ea quæ addit Capreolus ex Scoto suprà dictum est, sicut etiam patet respōsio ad ea, quæ è Pico retulimus.

Caietanus. Ad ea verò omnia quæ Caietanus dicit in Tertio modo dicendi satis responsum est in nostro Tertio *Colligitur*, vbi diligenter examinata sunt. Solet etiam citari S. Gregor. Nazianzenus: eúmque citat A.Doctor 1.d.37.q.3.a.1.c. Verùm non reperio talem locum.

TERTIA DIFFICVLTAS,

Vtrùm huiusmodi ratio formalis sit qualitas aliqua vel aliquid aliud ex prædicamentis superadditum, & quidnam illud tandem sit.

Alensis. ALexandri Alensis sententia quibusdam videtur esse Angelum quemcumque esse in loco per qualitatem diuinitus datam, per quam se determinent vt sint in hoc loco non in illo.

Verumtamen Alexander ait ex S. Ambrosio, propterea quòd vnaquæque creatura certis finibus definitur, Angelum esse in loco nihil esse aliud, nisi quandam proprietatem Angelo diuinitus datam, secundùm quam *spiritus Angelicus habet ad minus ex parte sua, vt debeat definiri loco, & quod sit hic ita quòd non ibi; & ita hæc duo conferunt ei esse in loco.* Quibus verbis Alexander nihil aliud definire vult, nisi Angelum esse in loco definito ac certo, ob proprietatē quam Deus omni creaturæ communicauit; vt videlicet ob limitatam substantiam loco definiantur nec vbique sint. Quid verò sit illa forma, per quam Angelus est in hoc potius loco quam in alio, ipse Alexander non disputat vllo modo.

Cuiuscumque tamen sit hæc sentētia probari potest: Primò quia quod est quantitas in corporibus est qualitas in incorporeis; nam sicut per quantitatem corpora dicuntur tantæ dimensionis; ita incorporea per virtutem, quæ est qualitas dicuntur tantæ perfectionis. Sed corpora sunt in hoc vel illo loco determinato per quantitatem. ergo & Angeli incorporei sunt in hoc vel illo loco per qualitatem. Secundò quia sunt per applicationem virtutis in loco vt suprà dictum est: applicatio autem virtutis aut debet esse formaliter qualitas, aut saltem reduci debet ad qualitatem, quia cùm applicatio sit quidam motus & via ad suum terminum, reducitur ad prædicamentum sui termini. Cùm ergo applicationis virtutis virtus ipsa sit terminus, quæ virtus est qualitas; ergo saltem ad qualitatem reducitur ista applicatio & forma loci.

Alij quidam præsertim ex recentioribus putarunt Angelum esse in loco solùm per relationem præsentiæ, ita vt distinguant aliud esse Angelum poni in loco, aliud verò esse in loco. Et quantum ad primum dicunt, poni in loco per ipsum motum localem; nempe, vt sic dicatur, per locationem; quia per illam actionem ponitur in loco, quæ est productio loci, & via ad locum; sicut calor per illam actionem ponitur in subiecto, quæ est productio caloris in subiecto, & via ad illum, nempe per calefactionem. Sed motus localis est huiusmodi, cùm motus sit via ad terminum, & non sit illius alia productio. ergo per motum localem seu locationem ponitur in loco. & hoc aiunt voluisse A.Doctorem, cùm in hoc art. dixit, Angelum esse in loco per applicationem virtutis; hoc est poni in loco per motum qui est applicatio virtutis & collocatio. Quoad secundum verò dicunt Angelum esse in loco per relationem præsentiæ.

Probari hoc potest primò quia Angelum esse in loco est esse vnitum loco; esse autem vnitum est relatio præsentiæ. vnde A.Doctor 3.p.q.2.a.7. apertè ait, vnionem quæ est inter Humanitatem, & hypostasim Verbi in Christo esse relationem. ergo vnio ad locum seu præsentia est relatio. Quod autem sit relatio præsentiæ patet: quia per illam fit loco præsens Angelus formaliter. ergo illa est relatio præsentiæ. Secūdò probant: quia illud debet esse forma constituēs Angelum in loco, ad quod mouetur Angelus. Sed Angelus mouetur ad relationē præsentiæ, quia mouetur vt sit loco præsens. ergo mouetur ad relationem. Quod si dicas ex Aristotele lib. 5. Physicor. cont. 10. ad relationem non esse motū; respondent non esse motum ad relationem vt relationem; non tamen ad talem relationem; nempe ad præsentiam loci, quia est terminus eius motus. (A. Doctor. / Aristoteles.)

Alij tertiò dicunt, Angelum poni in loco nihil esse aliud, quàm habere actionem, per quam in loco ponat sese; siue hæc actio sit motus localis; siue actio quæ est collocatio in loco etiāsi non sit motus localis; vt cùm Deus creauit Angelum in aliqua cœli empyrei parte, illa actio, forma fuit, ob quam Angelus in loco collocatus est. esse verò in loco esse denominationem extrinsecam ab illo actu præterito, quo collocatus est in loco. sicut peccare est ponere actum peccati; esse verò peccatorem est denominatio extrinseca ab actu non satis reuocato, cōdignéque retractato.

Probari potest hęc sententia primò, quia frustra ponitur alia forma, cum hæc denominatio sit sufficiens. Secundò, quia non est magis effectùs realis esse in loco, quàm esse in tempore; sed vt aliquid sit in tempore satis est esse productum in tali tempore, in eóque perseuerare sine vlla forma vltra illam actionem, qua productum est in illo tempore. ergo etiam vt sit in loco satis est esse ibi collocatum, in eóque perseuerare sine vlla forma vltra illam actionem, qua positum est in loco. Tertiò, quia Aristoteles 8.Physic.cont.59. apertè docet, per motum localem

calem nihil reale acquiri nisi locū. quod etiam docet A. Doctor locis infrà citandis, ergo nihil debet esse præter ipsam actionem.

Angelum esse in loco per formam quæ est vbi, verior sententia: disputatúrque de veterum Theologorum hac in re opinione. §. 1.

VEra tamen sententia mihi videtur eorum, qui asserunt Angelum esse in loco per modum quendam realem ac positiuum, vltra totam Angeli locique entitatem ante omnem operationem transeuntem. Quem modum aiunt esse de prædicamento Vbi, licèt inter se differant in eius explicatione. Ita recentiores in hunc articulum. Gabriel Vasquez Disput. 188. cap. 7. Molina in hunc a. 1. Disput. vn. memb. 5. §. *His ita prenotatis.* Suarez disput. 51. Metaphys. passim.

Vasquez. Molina. Suarez.

Verùm autem hæc sententia sit antiquorum Theologorum non cōstat; quia, vt vidimus, non videntur examinare subtiliter hāc quæstionem de ipsa Angeli præsentia ad locum. Scio tamen citari S. Bonauenturam, Scotum, & alios à recentioribus. Verùm non apparet vbinam hac de re quicquam perspicuè colligatur, licèt Scotus & Lichetus, vt dicam q. 53. a. 1. Quæsi. 1. Difficult. 4. fateantur Angelum acquirere Vbi, nō tamen explicant satis quid illud sit.

Scotus. Lichetus.

Eam tamen videtur insinuare Capreolus in 2. d. 6. q. 1. a. 3. ad argumenta *contra aliam partem* secundæ conclusionis. vbi ait expressè ad 1. *mobile localiter motum perdere vnum Vbi, & acquirere aliud.* explicans autem paulopòst quid sit huiusmodi (Vbi) ait; *tale, vbi, non est aliud quam respectus quidam vel comparatio vel habitudo corporis ad locum, vel locans & continens*; & paucis interiectis ait variari variatis fundamentis ac terminis, *ac tamdiu præcisè durare quamdiu locatum est in eodem loco proprio.* de quo etiam ait ibidem ad 5. *fundamento ac termino vniformiter manentibus, huiusmodi respectum vniformiter manere.*

Capreolus.

Videtur ergo velle hāc habitudinē esse Vbi, ac rationem essendi in loco: quia vt etiam paulò suprà dixerat mobile *de vno vbi mouetur ad aliud vbi.* Ergo est terminus motus localis, ac proinde est ratio existendi in loco. Quod ipse adeò clarè significat postea, vt non dubium sit, quin hanc ipse sententiam complectatur. Nam ibidem ad 3. ait: *hoc mobile simul acquirere per motum localem locum & vbi; quæ sunt duo realiter distincta, non tamen acquirere duos terminos motus; immò locum & vbi esse vnum completum terminum motus, quia per vbi habetur locus, & est certus ordo inter illa.* Ergo vbi est terminus motus ita vt locus per Vbi acquiratur tanquam vnus terminus. hoc autem esse nō potest, nisi sit ratio formalis ac terminus antecedens ipsum locum, siue id per quod formaliter ipsum esse in loco acquiritur. Ac ne fortè putemus, cum dixit esse respectum, ipsum existimare esse respectum seu relationem prædicamentalem, subdit in respōsione ad 7. *vbi esse respectum non pertinentem ad prædicamentum ad aliquid.* de quo ait se dixisse in probatione conclusionis. Quod etiam probat auctoritate A. Doctoris in tractatu de Relat. vbi apertè ait non esse de prædicamento relationis, sed suum cōstituere prædicamentum.

A

Quod si dicas Capreolo: Cur dicitur mobile acquirere locum, & esse in loco, non tamen acquirere vbi & esse in vbi, respondet ad 8. id dici, quia locus notior est quam ipsum vbi; non tamen quia de solo loco ea dicantur, ac quærantur: *quia ista duo* inquit *sunt inseparabilia, & vnum est de intellectu alterius, & ideò de ambobus simul quæritur, & per ambo simul respondetur.* Vnde subdit, cum dicitur aliquid esse in foro, in Ecclesia, in scholis, &c. significari quidem loca, *sed non præcisè; nam schola, Ecclesia, forum, locum significant: sed hoc complexum nempe in scholis, in Ecclesia, in foro, circumloquitur proprias differentias vel species vel indiuidua ipsius Vbi.* Constat ergo quid sentiat Capreolus quod attinet ad Vbi.

Capreolus.

B

Verùm hîc tria notari oportet pro sententia Capreoli. primum est, ipsum loqui de Vbi corporum non de Angelico, vt patet ibi ad 7. quare expressè non loquitur de Angelis. Immò a. 1. §. *ex prædictis infertur.* ait non posse concedi *propriè Angelum moueri ad vbi seu secundùm vbi, nec quod sit vbicabilis.* Dicit autem *propriè*, quia ait propriè non esse in loco, non tamen omninò negat. vnde Angelorum & corporum putabit esse analogicam rationē. Nam idem vbi significari puto à Capreolo, vt ex ipso retulimus super. Difficult. cùm dixit Angelum in loco esse per operationem, quæ vel sit operatio vel instar operationis, vel sit vnitio, &c. Quare nulla videtur in dictis Capreoli aperta repugnantia.

Capreolus.

C

Alterum est: iudicio Capreoli nō esse improbabilem omninò contrariam sententiam, quæ vbi negat. Nam ibidem ad 10. *aduertendum esse* ait *quod si quis vellet dictam Difficultatem euadere, posset dicere quod mobile localiter motum nullam rem sibi inhærentem acquirit; sed solum locum extrinsecum.* Quod probat ex A. Doctore in 2. d. 7. q. 3. a. 1. ad 3. Item de Pot. q. 6. a. 3. & suprà in hac p. p. q. 9. a. 2. Vnde in 4. d. 44. q. 2. a. 3. quæstiuncula 3. dicit sic: *Motus localis non est nisi successio diuersorum locorum.* Concludit tamen Capreolus; *tamen quod dictum est probabilius videtur*, nempe per motum localem præter ipsum locum acquiri vbi, quod est respectus & relatio non tamen prædicamenti ad aliquid.

D

Tertium est. hæc loca non ostendere A. Doctorem pro aduersariis stare: nam vt paulò antè dicebat Capreolus, etsi per motum localem dicamus nihil acquiri nisi locum; hinc tamen non conficitur non acquiri Vbi. nam in ipsa ratione loci includitur ipsum Vbi. vnde sensus est, nihil acquiri reale extra id quod locus essentialiter complectitur; nempe extra vnionem locati, secundum quam habet rationem loci completam, vt rectè dicebat Capreolus, apud quem etiam videre poteris A. Doctorem nobis fauere in asserendo Vbi quod nunc contendimus. Ab hoc philosophandi modo non differt Ioannes Bassolis in 2. d. 2. q. 3. a. 3. Ibi enim ait: Vbi esse respectum præsentiæ, quem videtur non velle esse prædicamentalem, quia dicit esse terminum motus, & per vnam partem constitui Angelum in vna parte loci, & per aliam in alia.

E

Bassolis.

Ex analogia ad locum corporum inquirendum esse locum Angelicum, ostenditurque immobilitatem loci oportere esse formam positiuam in ipso mobili vltra eius totam locique entitatem. §. 2.

AD solutionem Notandum est; quia esse in loco videtur proprium corporum, vt docet A. Doct. in 1. d. 37. q. 3. a. 1. ad argumenta & ideò lib. 4. Phys. cont. 41. simpliciter locus definitur corporum non aliarum rerum, cum dicitur: *Superficies continentis corporis*; idcirco ex eorum analogia & proportione videndum esse declarandúmque Angelorum locum tanquam ex notioribus nobis. In qua re etiam optimè præluxit nobis A. Doctor in hac q. 52. a. 1. cùm ex dimensionibus corporum quibus debetur locus, inuestigauit rationem aliam iisdem dimensionibus respondentem in Angelis, ob quam ipsi in loco esse dicerentur.

A.Doctor.

Ad loci autem corporei rationem duo mihi potissimum videntur necessaria. Primum est vt sit superficies continentis corporis: Secundum est, vt sit immobilis. Hæc enim duo in eius definitione poni constat ex loco Aristotelis citato; vbi etiam rectè probat Aristoteles, in hoc differre locum à vase, cùm vterque intra se aliquid contineat; quod vas est mobile, vt cum ipso locatum transferri aliò possit, locus verò sit immobilis ac fixus: nec quà locus est aptus sit ad transportandum aliò secum locatum; ita vt locus nō sit nisi fixus constánsque, vt ita vas sit locus mobilis, locus autem sit vas immobile; vt ibi patet ex Aristotele. Ex quo est vt quoniam nullū corpus ex se est immobile, aliunde immobilis rationem habere debeat vt sit locus: Non potest autem aliunde habere formaliter nisi à forma quæ sit ipsa immobilitas, sicut corpus non est aliunde formaliter album nisi à forma, quæ sit albedo. Pro qua re

Notandum secundò, licèt immobile quantum est ex vi nominis significet negationem potentiæ ad motum, sicut inuisibile negationem potentiæ vt videatur; & immortale quod non habet potentiam ad corruptionem, tamen hic non debere sumi immobile pro eo quòd habeat negationem potentiæ ad motum, sed pro principio aliquo positiuo, vnde exoriri intelligitur talis negatio. sicuti cùm dicitur: Angelus est essentialiter immaterialis: Brutum est irrationale: Deus est incomprehensibilis; & alia huiusmodi. In his enim & similibus nominib. significamus per se principium aliquod positiuum, quod explicamus negatione, quæ ex illo oritur. Cuius rei exempla Theologica passim occurrunt. nam vt rectè docet A. Doctor suprà q. 33. a. 4. ad 1. ex S. Augustino libro 5. de Trinitat. cap. 7. initio: *Ingenitum negationem generationis passiuè importat. tantum enim valet quod dicitur ingenitum quantum valet quod dicitur non filius*; & tamen *ingenitus* ponitur propria notio patris æterni; quæ sine dubio non consistit in negatione, sed in aliquo reali ac positiuo.

A.Doctor.
S.August.

Huius autem rei rationem assignauit A. Doctor ibidem: quia quæ sunt valdè *simplicia per negationes notificantur. Sicut cùm dicimus punctum esse cuius pars non est.* etiamsi positiuum aliquod esse

A habeat. Quo etiam pacto Deum dicimus increatum: quod dici de Deo secundum substantiam docet S. Damascenus lib. 1. de fide cap. 9. & obseruat A. Doctor ibidem ad 3. quia eo prædicato *differt substantia creata ab increata.* Idem patet ex alio loquendi modo Aristotelis, cum libro 1. Phys. cont. 44. docet, Musicum fieri ex immusico; consonans ex inconsonanti. Quæ nomina significare principium positiuum ibi patet ex eius doctrina. nam cum mutationes quædam sint accidentariæ, in hoc distinguuntur à substantialibus, quod illæ fiunt ex subiecto positiuo in subiectum positiuum; hæ verò ex non subiecto in subiectum, vt loquitur Aristoteles lib. 5. Physic. cont. 9. & deinceps; vt eo loco fusiùs obseruatum est.

S.Damasc.
Aristoteles.

B Ad rem ergo nostram aio in definitione loci ipsum immobile significare principium positiuū vnde talis negatio potentiæ ad motum exitat. Ratio huius duplex est: altera quia locus debet esse immobilis, immobilitate, quæ opponatur mobilitati vasis secundum quam vas aptum est moueri cum locato, vt patet apertè ex Aristotele lib. 4. Phys. cont. 41. Ergo huiusmodi immobilitas debet esse aliquid positiuum reale, alioqui vasi opponeretur locus secundum negationem tantum, & nonnisi à negatione à vase differret. quod est absurdum: quia locus vt locus non est negatio vasis, sed natura aliqua realis per differentiam realem contracta, quæ differentiæ vasis C opponatur: altera quia debet in loco assignari aliquid reale, vnde illa negatio potentiæ ad motum consurgat. Non enim illi corpori quod est locus, debetur secundum se ista negatio; quia corpus illud quantum est ex se potest esse mobile; immò cùm sit corpus Physicum, ex se mobile esse debet. Ergo si illi debetur illa negatio, necesse est vt ratione alicuius adiuncti debeatur. quod quidem positiuum esse oportet. Etenim nulla negatio consurgit in aliqua re integra in se manente, nisi aliquid positiuum sit eius fundamentum. Quamobrem rectè A. Doctor 1. 2. D q. 76. a. 6. c. dixit: *Semper in rebus negatio fundatur super aliqua affirmatione, quæ est quodammodo causa illius.* ergo corpus quod est locus, etiamsi nihil reale deperdat; vt si figatur vas, & fiat immobile, debet habere aliquid positiuum, ratione cuius illi talis negatio ascribatur. Pro qua re

A. Doctor.

Notandum tertiò, huiusmodi principium positiuum nihil aliud esse posse nisi formam quandam, quæ sit ratio vt corpus sit ibi determinatè & non alibi: Nam quodcunque aliud assignetur siue intrinsecum siue extrinsecum mobile est. Quia moueri potest ad motum corporis, ac proinde per ipsum non habet locus esse immobile. Oportet ergo si immobilis debet esse locus, habeat hanc formam realem, quæ ratio sit im- E mobilitatis: Ita vt locus secundùm quod habet hanc formam immobilis sit. Quod etiam patet manifesta ratione: nam locus quatenus est hìc aut ibi determinatè immobilis est. Sicut enim sedenti quà sedens est, non potest conuenire attributum vllum, quod sessioni repugnet, eo quòd dum sedet, necessariò sedet, vt docet Aristoteles lib. 1. Periher. cap. 6. & alibi vt paulò pòst dicam; atque ita sedens qua sedens non potest stare; quia posset simul sedere & non sedere. quod esse non potest: ita etiam corpori, quod est hic, quatenus hic non potest conuenire prædicatum, quod ipsi esse hìc repugnet; atque ita non potest moueri:

Aristoteles.

moueri: nam ſimul poſſet eſſe hic & in ſenſu vt A aiunt compoſito, moueri; Quod implicat repugnantiam. Dum ergo habet eſſe hic in ſenſu compoſito non poteſt moueri, ac proinde dum habet eſſe hic eſt immobile. Locus ergo ſi debeat eſſe immobilis, debet inuoluere in ſui ratione illam formam, per quam eſt hìc immobiliter ita vt ſi amoueatur ab ea determinata parte, illa forma deſinat eſſe, aliáque conſurgat, per quam alibi determinetur.

Hanc autem formam diſtinctam eſſe à loco ipſo, ſiue à corpore, quod eſt locus, & à cæteris omnibus quæ ſunt in ipſo, non poteſt verti in dubium, ſi hoc argumentum rectè percipiatur. Nam id ſine quo corpus illud ac cætera quæ ſunt in ipſo eſſe poſſunt, eſt ſeparabile ab ipſo corpore & à cæteris, quæ ſunt in ipſo. Sed forma B illa quæ eſt eſſendi hic ratio eſt id ſine quo corpus illud quod eſt locus, &c. Ergo eſt ſeparabilis à corpore ipſo quod eſt locus, & cæteris quæ sũt in ipſo. Minor patet: quia ſi moueãtur illud corpus & cætera quæ ſunt in ipſo, non erunt amplius hic, & ideò nec habebunt amplius illam formam, per quam erant hìc. ergo illa forma eſt ſeparabilis ab illis. quemadmodum figura eſt ſeparabilis à cera, & motus à mobili, & ſenſio à ſenſu vt viſio à vidente, &c. quia cera poteſt eſſe ſine illa figura, & mobile ſine motu, & ſenſus ſine actu ſentiendi, &c. Si autem eſt ſeparabilis ab illis; ergo eſt diſtincta ab illis, & non idem cum illis. Quandoquidem nihil eſt ſeparabile ab eo cum quo eſt idem, quia nihil à ſe ipſo eſt C ſeparabile vt dicebam ante in prima Difficultate huius Quæſiti. Conſtat ergo locum ab Ariſtotele in eo cont. 41. definitum non eſſe ſolum ſuperficiem corporum, ſed ſuperficiem habentem ſeu in ſua ratione includentem principium aliquod ſeu formam realem, per quam illi conueniat eſſe immobile.

Hinc autem vlteriùs ſequitur quod diximus de corpore quod eſt locus, id ipſum dicendum eſſe de quocunque corpore. Nam ex eo quòd quodlibet corpus quantum eſt ex ſe eſt indifferẽs, vt variis locis reponatur, debet per aliquam formam realem ſibi ſuperadditam determinari, vt ſit potiùs hic quam ibi vt oſtendimus Diff. 1. Vnde ſequitur neceſſariò oportere quodlibet D corpus hanc habere formam, per quam immobiliter ſit in hoc aut illo loco determinato. Nã vt modò dicebam de immobilitate loci ſi habet formam per quam determinatè eſt hic; ergo illa eſt ratio illi exiſtendi hìc immobiliter. Nihil enim aliud eſt immobiliter corpus eſſe hic, niſi habere formam, per quam ita eſt hic, vt ſi ab eo dimoueatur, non ſit ampliùs illa forma per quam eſt hic, ſed alia, quæ ſit ratio exiſtendi alibi, non hìc. Quare eadem forma eſt ratio immobilitatis in ipſo corpore, & ratio qua eſt hic determinatè. Quia dum ea forma in ſubiecto manet in ſenſu quem dicunt compoſito, neceſſe eſt corpus ibi ſit fixum, nec poſſit ab eo loci puncto recedere. Sicut dum Petrus ſedet, im- E poſſibile eſt ipſum ſtare. nam *ſimul ſtare, & ſedere* inquit Ariſtoteles libro 1. de cælo cont. 119. & *diametrum commenſurabilem eſſe, non ſolum falſum eſt ſed & impoſſibile.* Rationem ſubiunxit illis verbis. Etenim *ſedendi & ſtandi ſimul habet potentiam,* nempe pro diuerſo tempore, *quia quando habet illam & alteram, ſed non ſic vt ſimul ſedeat, & ſtet.* nempe eodem tempore. *ſed in alio tempore.*

Ariſtoteles.

Immò non ſolùm quodcunque corpus talem immobilitatis formam habere debet, verùm etiã quodcunque in ipſo corpore eſt permanens; ob eandem ſcilicet rationem. Quia cum ſit indifferens vt ſit hic vel ibi, debet cum determinatè eſt hic, aut ibi, ab aliqua forma reali determinari, ac proinde quæ ſit ratio immobilitatis. Quid autem ſit huiuſmodi forma, dicetur infra in ſecunda noſtra propoſitione. Ex his quoque conſtat, hanc formam eſſe illam ipſam, per quam vt ſuper. Diffic. 1. diximus, corpus eſt potius in hoc loco quam alibi. Nam idem eſt, corpus eſſe hic, & eſſe in loco hoc, ac proinde idem erit hæc forma, & ipſa vnio, ſeu præſentia corporis ad hunc locum.

Diſcrimen inter præſentiam localem corporum, & Angelicam.

§. 3.

VT autem ex his pari modo philoſophemur in re ad Angelos ſpectante.

Notandum quartò, quia etiam Angelus, quatenus eſt in hoc loco determinato, eſt hic & non alibi, de ipſo etiam dicendum eſt quod de corpore philoſophati ſumus in præcedentibus. Primum quidem ex eo quòd Angeli ſubſtantia ad varia loca determinari poſſit ſi ad vnum determinetur neceſſe eſt ſit per aliquam formam realem ſuperadditam, vt ſuprà oſtenſum eſt. Deinde verò hanc ipſam formam eſſe rationem Angelo, vt ſit immobiliter in loco à quo ſi recedat eam amittat aliamque conſequatur neceſſe eſt, quæ nimirum ſit ratio vt conſtituatur in alio loco. Poſtremum eſt, hanc ipſam formam eſſe præſentiã & vnionem Angeli cum loco, quia ſatis apta ex ſe eſt hæc vnio & præſentia vt determinet Angelum, vt hic ita ſit vt alibi non ſit. Atque hæ quidem ſunt rationes, quibus Angeli præſentiam cum corporum præſentia conuenire arbitrari rectè poſſumus.

Quod autem inter ipſas diſcrimen intercedat nunc paucis indicabimus, plura infra ſuo loco de iiſdem ipſis dicturi. Ac primum quidem illa forma corporum materialis ſit oportet, quandoquidem è materia extenſóque ſubiecto educta eſt. Contrà verò Angelica illa forma immaterialis ac ſpiritalis erit. Oportet enim illa ſit in Angelo tanquam in ſubiecto vt ſuprà dicebamus. Ille enim Angelus mutat locum, non corpus cui vnitur. ergo in Angelo eſt motus ac proinde forma quæ in eo eſſe debet qui tranſit ad ipſam formam. Sicut calor, qui eſt terminus calefactionis debet eſſe in eo ſubiecto in quo eſt calefactio, & quod mutatur. vnde vnio qua vnitur Chriſti Humanitas diuini Verbi perſonæ; quia Humanitas intelligitur mutari non Verbum reponi in Humanitate debet tanquam in ſubiecto non in ipſo Verbo. Quo etiam modo dixi ſuprà de vnione corporis Chriſti ad ſacramentales ſpecies, quæ cùm non in ſe mutentur, ſed Chriſti corpus, quod incipit ſub illis eſſe modo indiuiduo cùm priùs non eſſet, non debet in ſpeciebus collocari, ſed in Chriſti corpore, licèt in ſpeciebus ſit tanquam in termino. Atque hoc primum diſcrimen ſit.

Aliud quoque eſt: nam vnio corporum habet effectum talem in ipſis corporibus, vt partem corporis

corporis in loci parte, aliamque in alia, ac denique totum in toto ponat. Hæc vero Angelorum totum in singulis partibus loci Angelum collocat, si nimirum Angelus esse debeat in loco non indiuiduo sed extenso; modo quo infrà explicabitur.

Vnde etiam tertium discrimen existit, quòd illa ita se corpori aptat, vt corpus locatum intra ambitũ superficiei locantis corporis, intercludat absque vlla corporum penetratione: Hæc verò Angelum applicat intra partes corporis locantis ita, vt Angelus sit in singulis partibus loco intimis totus, modò ambitum ipsius loci non excedat. quandoquidem debet esse in loco finito, & terminato cum eiusdem Angeli essentia nec infinita, ne immensa sit, quę vbique omnem locum implere possit, vt diuina, de qua re suprà dictum est.

Quartum discrimen est; quia corpora postquam esse cœperunt in rerum natura non producũt de nouo huiusmodi formam nisi per motum localem, quo se transferunt ex vno in alium locum per medium spatium atque interuallum inter vtrumque locum; nempe inter eum qui est terminus à quo, atque eum qui est terminus ad quem. Non enim corpora sua virtute transire possunt ab vno in aliud extremum, nisi interualla quoque inter vtrumque media pertranseant. At verò Angelus vt infra dicetur, suam formam producere potest, etiamsi non moueatur localiter per medium, cùm possit de summo cœlo empyreo se nobis hic in terris applicare sine vllo per medium transitu. Dixi tamen de corporibus: *postquam esse cœperunt.* quia quòd producantur hic vel ibi, siue à Deo siue à causa secunda, idem efficientis causæ munus est, vt talem etiam comproducat formam, per quam res determinato in loco sint. queamdmodum in Angelis factum esse à Deo initio Mundi, vt scilicet creati sint in cœlo empyreo, & singuli in aliqua determinata eius parte, infra suo loco dicemus. Alias differentias esse patebit infrà.

Verum cum dixi suprà in fine Notandi tertij, & in hoc Notando, hanc formam vtrobique esse vnionem ac præsentiam ad hunc locum, intelligendum est, ne sit nominis ambiguitas, vt sit ad hunc locum, non quidem secundùm quod est hoc indiuiduum corpus: sed secundùm quod inuoluit esse hic vel ibi determinatè per suam illam prædictam formam. quam diximus esse rationem existendi hic aut ibi. Hoc namque pacto corpora seu Angeli dum vniuntur ipsis, sunt illis præsentes & ponuntur hic determinatè. Nam alioqui illa vnio seu præsentia non magis respicit hoc quam illud corpus ex se secundùm ipsorum indiuiduas rationes. Vt exempli gratia cùm Archangelus Gabriel de cœlo descendit à Deo missus salutatum Beatissimam Deiparam, in se eam formam produxit qua se eidem Virgini in eodem loco præsentem constitueret, idque siue ibi fuissent alia tecta, alius aer, alij parietes, & quodcunque aliud fingi potest corpus. Idcircò dixi eam formam esse, vt faciat Angelum seu corpus huic loco, vt locus est præsens, hoc est determinatè hic vel ibi.

***

A

Vnionem qua duo vniuntur vt simul sint & moueantur, non esse ipsam localem præsentiam qua aliquid est in loco determinato. §. 4.

PRo qua re Notandum est quintò, corpora seu Angelum (vtrumque autem vocemus *mobile* ob breuitatem) mobile inquam posse vniri loco dupliciter: primò quidem, quia vniatur corpori
B
quod est locus, vt sit inseparabiliter seu immobiliter vt alij loquuntur, cum illo, nulla habita ratione siue sit hic determinatè siue ibi; sed solùm vt cum eo sit, ac moueatur vbicunque sit: vt suo vnitur anima corpori quod informat, etiamsi anima sit in loco per accidens, vt habet Aristoteles libro quarto Physicorum, contextu 45. & Angelus vnitur ei corpori quod assumit, vt illud secum deferat; vt accidit in Angelo qui puerum Tobiam semper comitatus est itinere tot dierum. Quo etiam pacto corpus Christi vnitur speciebus sacramentalibus in venerabili Eucharistiæ sacramento, sub quibus corpus Christi esse
C
immobiliter apertè docet A.Doctor 3.p. q. 76.a. 6. vt ibi fusiùs explicatum est. Alio modo vt mobile vniatur corpori quatenus hic aut ibi fixum est ibique consistat; vt cum mobile solum mouetur, vt sit in determinato spatio seu corpore, quod habeat determinatã distantiam aut propinquitatẽ cũ alio corpore, vt cùm quis vult esse in horto, in Ecclesia, Romæ, Neapoli, in Capitolio, &c.

Aristoteles.

Et primo quidem modo mobile non solum habere deberet præsentiam localem, verumetiã aliam vnionem seu præsentiam, qua illi vniatur alio modo; nimirum vel vt compars ad vnum totum constituendum, vt anima est in corpore; vel
D
vt faciat vnum repræsentatione, vt Angelus induit corpus, & Tragœdus habitum Regis: vel vt vnum sit colligatione, vt plures virgæ in vno fasciculo; Vel vt faciat vnum sacramentum permanens, vt Christi seruatoris corpus est sub speciebus panis & vini; &c. Quæ vniones non sunt purè locales; hoc est non solùm rem ponunt hic vel ibi determinatè atque immobiliter. Etenim illa vnio quæ est purè localis dissoluitur motu; vel mobilis vt cùm quis recedit Roma vel Neapoli, & cætera. Vel loci vt cùm mutatur aër con tinens. quæ vnio saltem ex parte aëris cessat, esto non cesset ex parte locati; vel vtriusque, vt cùm nauis mouetur & aqua, saltem non pari motu.
E
At verò illa prædicta vnio primo modo non dissoluitur motu, sed permanet, ita vt moto vno ex illis vnitis moueatur etiam alterum. Vnde etiam in venerabili Eucharistia mouetur Christi corpus motis speciebus. Nam Christi corpus vt ait A.Doctor 3.p.q.76.a.6.cit. *mouetur per accidens ad motum specierum.* Quia scilicet vnio illa est, vt illa duo vnita sint vnum non solùm loco, sed sacramenti vnitate.

A.Doctor.

Quod etiam quadam proportione dico de Angelo in assumpto corpore. Tametsi enim videntur omnia saluari posse, si Angelus cum corpore assumpto pari motu moueatur, ita vt sola præsentia localis ex parte vtriusque simul mutetur tali modo, vt simul successiuè nunquam

numquam loco separētur, sed eodem loco semper collocentur. Tamen probabile etiam est, aliam inter Angelum assumptúmq; corpus vnionem intercedere cùm corpus assumitur, vt diu etiam in motu numquam vnio dissoluatur, vt fuit in Angelo Tobiæ comite. Nam videmus omnia ea quæ simul mouentur, aliqua vnione connecti præter localem, vt ea posita deinde cōnaturali modo simul moueantur; vt cùm plura ligna simul transferri debent, iunguntur vinculo, nauta cum naui vnitur vnione continentis & contenti, vt mouentur in vase ea quæ in ipso continentur, quæcunque tandem sit vnio illa, qua debent ita iungi, vt vnum moueatur per accidens ad motum alterius.

B Nec absurdum est similes concedere vniones. Si quidem rei natura eas diuersas exigit, cùm diuerso modo res vniri videamus; nec localis vnio videtur satis, vt connaturaliter fiat motus vtriusque ex æquo. Nam localis non est vt transferatur locus simul cum locato, sed vt in eo sit mobile immobiliter. In quo locus à vase distinguitur, vt ex Aristotele lib. 4. Physic. cont. 41. dictum antè est.

Ob quam causam licèt vestis videatur solo loco coniungi cum eo qui vestitus est, quia illi circumadiacet; tamen certum est alio etiam modo eidem vniri vestem ipsam, seu arma, &c. nempe eo peculiari modo, qui prædicamentum *Habitus* constituit. vnde & vestitus & armatus, &c. quispiam ex hoc Prædicamento denominatur, non ex vnione locali tantummodo, quam ad prædicatum *Vbi* postea reducemus.

C Dixi tamen dissolui vnionem localem si mobile & locus non moueantur *saltem pari motu*, vt quæ certa omninò sunt assererem. quia cùm ea duo mouentur pari motu, videri alicui posset non dissolui, retineréque eandem vnionem localem; quia loco ea mobilia non disiunguntur; sed tamen verè eam nullo modo retinent; si quidem alia atque alia per motum in vtroque producitur, vt cùm Angelus mouetur cum corpore assumpto. Mouetur enim vt vtrumque sit in alio atque alio loco, & ita mutatur præsentia ad D hunc & illum locum determinatè; retinent tamen illam aliam connexionem qua simul sunt vt dixi. Qua ratione non retinetur vnio vlla, cum duo homines pari passu per viam progrediuntur, &c.

Simili quoque vnionis generе connecti vltra localem præsentiam videtur cum corpore Angelus, cùm illud secum portat aut trahit. vt Actorum 8. *Spiritus Domini rapuit Philippum.* Daniel. 14. *Angelus portauit Abacuc Babylonem.* & Ezech. 8. *Angelus apprehendit Ezechielem in cincinno capitis & eleuauit eum inter terram & cœlum.* Itaque huiusmodi vniones vltra ipsam præsentiam localem, erūt vniones similes quibus vniuntur subiectum & forma, motor & mobile, trahens cum tracto & similia. Vnde rectè Aureolus in 2. d. 8. a. 1. docuit cum Angelus corpori quo repræsentatur, vnitur; *importari aliquid plus, quàm vnio motoris ad mobile. Illud autem est vnio similitudinaria materiæ ad formam, quia in illis corporibus supplet Angelus omnes operationes, quas natus esset spiritus vitalis exercere seu forma propria* (nempe ex quadam similitudine.) *& ideo videtur* inquit *constituere vnum per modum formæ dantis operationes & extremas perfectiones.* & quæ sequuntur.

Act. 8. Dan. 14. Ezech. 8.

Aureolus.

Ex his autem non sequitur nos quicquam hic A iis quæ diximus superiore quæst. 2. Quæsito 2. Diffic. 3. contrarium affirmare. Quamuis enim ibi docuerimus in secunda nostra propositione Angelos non vniri corpori nisi vnione locali & virtute mouentis ad mobile: Tamen id intelligendum est de vnione primaria, & vt dicitur radicali, vt expresse notaui in fine eiusdem secūdæ propositionis ibidem. Ex ea namque locali oritur, vt debeant esse aliæ: si nimirum Angelus motor & mobile debeant loco non separari vt dictum est, &c. Atque hæc de primo modo.

Iam verò cùm Angelus secundo modo est in loco nempe fixo, &c. aio illam præsentiam, qua siue Angelus siue corpus præsens est huic loco determinato, debere solam esse vnionem cum corpore, qua fixum est, ac proinde quæ veram loci rationem habet. Inuoluit enim esse hic vel ibi determinatè, ideóque est ita ibi immobiliter vt alibi non sit, ergo per suam formam qua fixum est. Sic enim Angelus, & corpora dicuntur esse in loco. Nam alioqui vt iam ex Aristotele dicebam potius viderentur esse in loco mobili hoc est in vase, quam in vero ac formali loco, qui debet esse fixus atque immobilis. Ex dictis ergo constat Angelum esse in loco per aliquam formam immobilem sibi locóque superadditam; quemadmodum etiam de corporibus dictum est. Quid verò sit hæc forma nunc examinare oportet.

Angelum formaliter non esse in loco siue per qualitatem, siue per relationem, siue per motum localem, siue per actionem, aut extrinsecam denominationem, &c. aduersus varios dicendi modos. §. 5.

PRo qua re Notandum sextò non mihi videri vllo modo probabile quod dicunt auctores in primo dicendi modo; nimirum esse Angelum in loco per qualitatem diuinitus datam. Etenim auctore Aristotele in Prædicamento qualitatis: Qualitas est id secundùm quod dicimur quales. At secundùm illam formam, qua in loco sunt, Angeli non dicuntur quales. quod patet: quia si quis interroget, qualis sit Angelus, ineptè respōderetur, est in loco hoc vel illo: Id autem non esset si Angelus secundùm illam formam diceretur qualis. & ideò quia Angelus secundùm scientiam dicitur qualis, rectè responderet quis interroganti; quales sunt Angeli? esse scientes, &c. quod etiam patet in corporibus. Cum enim Petrus est in loco, non debet dici qualis ex eo quod E est in loco, sed qualis quia est albus calidus, &c. Secundò idem probatur: quia vt dicemus infrà, illa forma debet esse de prædicamento Vbi; ergo non est qualitas; quæ est de prædicamento qualitatis.

Aristoteles.

Multò minus mihi probatur alius dicēdi modus suprà relatus; nempe Angelum esse in loco per relationem præsentiæ, &c. Poni autem in loco per ipsum motum localem. Non probatur autem.

Primò, quia vt sit aliqua relatio de nouo in aliquo subiecto debet variari prius in aliquo absoluto vel subiectum ipsum relationis vel saltem terminus eiusdem. Nam si nulla in illis

illis prius mutatio fiat eodem modo illa inter se comparantur; ergo nulla erit noua relatio, quia si qua esset, deberent illa duo necessario secundùm relationem illam vario modo comparari. Vnde rectè A. Doctor 3. p. q. 2. a. 7. in Deo ait non consurgere relationem nouam ad creaturas per ipsius mutationem, sed in creatura ipsa; *per cuius* inquit *mutationem talis relatio innascitur.* ergo supponit debere aliquid variari in fundamento vel termino.

A. Doctor.

Quæ doctrina videtur desumpta ex Aristotele lib. 5. Phys. cont. 10. vbi dicit ad ea quæ sunt ad aliquid non esse per se motum, quia potest aliquid sine vlla prorsus mutatione sui, relationem acquirere ex eo solum quod alterum mutetur. *Contingit enim* inquit *altero mutationem patiente, verè dici alterum nihil mutationis subire.* Quibus etiam significat apertè aliquam oportere esse mutationem vel in subiecto vel in termino relationis. Nam alioqui dixisset expeditiùs, non esse per se motum ad relationem. quandoquidem contingit relationem cõsurgere in aliquo, etiamsi nulla sit prorsus mutatio. Cùm igitur restringat non esse motum ad relationem quia in aliquo consurgit interdum ad mutationem alterius, clarum est supponi ab Aristotele aliquam oportere esse mutationem.

Aristoteles.

Quæ etiam sententia est A. Doctoris 3. p. q. 2. a. 7. vbi expresse dicit: *omnem relationem quæ incipit esse ex tempore ex aliqua mutatione causari, mutationem autem consistere in actione & passione.* Si autem est mutatio; ergo vel subiecti vel termini. Cæterorum enim ad relationis naturam nulla habetur ratio. At posset Angelus illorum auctorum sententia sine vlla aut ipsius aut loci mutatione de nouo esse in loco, ac proinde habere nouam relationem præsentiæ ad locum ipsum. Quod probatur: nam si Angelus fiat hic præsens vbi non erat antea. v. gr. sit de nouo in templo: iam templum non mutatur, vt clarum est: nec Angelus, quia solam acquirit præsentiæ relationem nouã per ipsos. Quid ergo mutatur: si enim aliud quidpiam sit, assignẽt. Illud enim dicemus vt infrà constabit esse rationem ac formam Angelo existendi in loco.

A. Doctor.

Neque satisfacient si dicant mutationem esse ipsum motum localem, vt nonnulli videntur dicere. Contra hoc enim est primò: quia nullus motus est per se, id est immediatè ad relationẽ, vt iam dixi ex Aristotele lib. illo quinto Phys. cont. 10. Si namque immediatè & per se motus esset ad relationem, nunquam posset esse naturaliter noua relatio absque præuio ad illam motu. sicut absque calefactione quæ per se & immediatè ad calorem terminatur, nunquã esse nouus calor potest. Cuius ratio est: quia ad terminum non datur accessus, nisi per viam quæ per se est ad illum. ergo ad relationem nullus est motus seu mutatio per se. quia cõtingit aliquid nihil mutationis subire, & acquirere relationẽ, vt dictum est. Confirmatur etiam ex eo quod ait ibidem Aristoteles. Docet enim ad relationem ipsam *esse motum secundùm accidens*, nempe quia sit motus per se ad aliam formam, ex cuius mutatione relatio consurgat. sicut Musicus per accidens ædificat, quia Musica est coniuncta cum ædificatore, qui per se ædificat, vt idem sit *secundùm accidens* quod secundùm aliud cõsueto more loquendi apud Aristotelem. ergo patet non esse per se motum ad relationem.

Aristoteles.

Aristoteles.

A Secundò quia potest Angelus applicare se alicui loco de nouo absque vllo motu locali. Nam cum creati fuerunt Angeli in cœlo empyreo nullus fuit motus, sed pura ipsorum substantia vnà cum perfectionibus substãtiam ipsam consequentibus. Quid ergo in ipsa assignabitur, cuius mutatione consecuta sit relatio præsentiæ? Quod ipsum aio cum vt infrà dicam, Angelus qui nunc est in cœlo immediatè post se applicat hic inter homines. Tũc enim nullus est motus localis; quia non transit per medium.

Quod si illam actionem dicant motum localem, quia per eam relinquit Angelus locum vbi priùs erat: Contra hoc est duplex argumentum. Primum est quia potest diuina potẽtia fieri vt Angelus non relicto priori loco se alteri B loco applicet. Quod sanè certum est corpori concedendum esse. Nam nefas Catholico est dubitare corpus, in pluribus locis spiritali modo esse, vt fides Catholica docet de corpore Christi, quod est in pluribus cõsecratis hostiis ac locis sacramentaliter. ergo tunc saltem erit sine motu locali; ergo tunc nulla erit in Angelo aut speciebus mutatio, qua posita debeat consurgere relatio præsentiæ. Alterum est: quia mutatio illa debet esse vltra ipsum motũ localem. Nam vt diximus ad relationem non potest esse per se motus; Quia scilicet non potest relatio per se & immediatè terminare ipsum motum, sed termiC nus debet esse alia forma è qua relatio existat, & ideò ad relationem illam debet *esse motus secundum accidens* vt diximus; ergo non assignatur sufficiens mutatio. Præterea contra hos auctores facit; quod distinguunt non rectè, quòd aliud sit Angelum poni in loco; aliud verò esse in loco. Pro qua re

Notandum septimò. cum nullus effectus formalis possit poni in rerum natura, quin habeat hoc ipso suam formam, qua formaliter constituatur, quia alioqui aliquid poneretur sine suis essentialibus; quod inuoluit pugnantia, necessariò sequi hunc effectum formalem, nempe AnD gelum esse in loco debere habere suam formam realem ac positiuam; nempe illam præsentiam & vnionem ad locum, quam ante diximus. Ex quo vlteriùs apertè deducitur non esse bonam illam distinctionem ab his auctoribus assignatam, vt aliam esse velint formam cum ponitur Angelus in loco, aliam cum postea est in loco. Nam vtrobique debet eadem forma assignari, cum vtrobique sit idem formalis effectus. Tam enim verè est in loco cum ponitur Angelus, quàm cum postea est. Cum namque ponitur in loco primò est in loco, postea verò est in loco, sed non ampliùs primò. Neque enim ipsum esse rei dum ponitur, & esse postquam positum est differunt, nisi quod res dum ponitur, primò est, E nempe per actionem alicuius agentis causæ; esse verò absolutè hoc est postquam accepit esse, ab illo primo esse atque actione absolui potest. Vt v. gr. cum ponitur primo calor, verè est calor & non differt ab ipso calore cum est. est enim vtrobique eadem natura, atque eadem caloris essentia. quamuis cum primò est calor, vltra suam entitatem habeat ab agente dependentiam, quæ est agentis actio per quam ab ipso agente dependet, nõ autem postea. Et ratio etiam assignari potest: quia eadem res quæ fit deinde in facto esse permanet, ne quid in facto esse sit, quod nũquam in fieri fuerit.

Cum

Cum ergo ponitur Angelus in loco, non ponitur per motum tanquam per formam, licet esto ponatur tãquam per viam atque actionem ad formam. nam cum Angelus vt diximus ponitur in loco, sit primò vere in loco, dependenter tamen ab actione agentis, debet etiam tunc primò habere formam per quam sit in loco, ne detur effectus formalis, vt diximus sine eius forma. quemadmodum cum ponitur calidum, verè primò est calidum, ac proinde per eandem formam ponitur calidum & est calidum, nempe per calorẽ qui est forma calidi, licet per calefactionem primò ponatur tanquam per viam & actionem, quæ est ad ipsum calidum.

Ex quibus fere argumẽtis refutari potest tertius dicendi modus, quòd nimirum Angelus ponatur esse in loco per actionem, & sit in loco denominatione extrinseca ab ipsa actione. Nam primò impossibile est intelligi actionem nisi etiam intelligatur terminus, qui per illam actionem producitur, siue terminus ab ea sit distinctus re, siue ratione tantummodo, de quo non disputamus in præsentia. est autem impossibile, quia omnis actio est idem cum motu, vt docet Aristoteles lib. 3. Phys. cont. 19. Motus autem est via essentialiter ad terminum, vt colligitur ex eodem Aristotele ibidem cont. 21. nam moueri est esse in via ad suum terminum; ergo non potest intelligi sine termino. Quod etiam confirmatur: quia actio est alicuius rei productio ita vt etiam in ipsis actibus immanentibus sit productio alicuius qualitatis; vt in visione producitur qualitas referens suum obiectum, & sic de cæteris; vt etiam suprà diximus q. 51. a. 3. At quæro quisnam erit terminus eius actionis? si enim nihil assignetur vltra entitatem Angeli ac loci, nec vllus eius terminus erit.

Aristoteles.

Dicent fortasse terminũ esse vel ipsam actionem quatenus constituit Angelum in tali loco. vel quod idem est, ipsum esse simul Angeli & loci. Verùm neutra responsio est vera. Etenim si nihil aliud per illam actionem efficitur nec in Angelo nec in loco: ergo ipsa actio non constituit Angelum in tali loco. Quoniam in ipso primo instanti quo Angelus est constitutus in loco, aut ipsa non est si fuit successiua, aut desinit si est momentanea. Ergo ipsa non constituit ipsum Angelum in loco. Constat enim cõstituentem formam oportere permanere semper, cùm eius effectus est. Quia vt diximus effectus formalis inuoluit suam formam, nec intelligi vllo pacto potest absque forma. vnde non aliunde efficacius ostendi potest calefactionem qua actio est non constituere formaliter calidum, nisi quia permanente calido calefactio esse desiuit.

Quod autem dicunt, satis esse si constituat in ipso instanti primo non autem in reliquo tempore est apertè falsum. Angelus namque nõ solùm est in loco in ipso instanti, sed etiam in continuo tempore post illud deinceps consequẽte. quoniam semper effectus includit essentialiter componi ex tali forma, nec magis in primo momento quàm in reliquo post momentum tempore. Quemadmodum dicebamus de ipso esse calido, quia esse calidum non solùm in primo est momento, aut dum calefactio est, sed etiam post ipsam; debet alia forma ipsum esse calidum constituere præter calefactionem. Sanè nisi hoc principium verum esset, nulla esset assignanda

A forma præter ipsam actionem. Dici enim posset calidum esse a calefactione quæ transiit, sicut dicunt esse in loco, esse à motu præterito. Quo etiam modo refelli oportet quod aiebant ipsum esse simul esse terminum actionis constituentis Angelum in loco. nam hoc ipsum esse simul est aliquid permanens; ergo ab aliqua forma permanente hic effectus erit; ergo eius forma non est actio quæ abiit; & ideò quærenda alia forma est quæ assignari non potest; nisi dicãt esse vnionem & præsentiam de nouo productam, quæ est ipsius esse in loco, formalis ratio.

Hinc euidenter deducitur, hunc effectũ, nempe Angelum esse in loco, non posse esse denominationem extrinsecam ab actione præterita.

B Primò enim actio quæ præteriit non est forma, cur in loco permaneat constanter Angelus, sicut nec calefactio est forma calidi permanentis, vt probatum est. Secũdò, quia denominatio extrinseca nihil est aliud nisi nominatio seu appellatio, ac deriuatio nominis ex nomine extrinsecæ formæ, vt cognitum appellatur deriuatione nominis facta à nomine cognitionis, quæ ipsi rei cognitæ est forma extrinseca, quæ à cognoscente in ipsam rem tendit: Hoc autem non potest esse in re nostra; Tum quia nec quærimus de eius nomine, vnde aut à quo nomine deriuetur: Tum quia nec talis forma extrinseca dari potest. etenim forma præterita nihil potest denominare nisi inuoluens præteritum; vt

C paries dicitur visus à visione, quę iam extincta est, & agens ab actione quę iam fuit eo quod agens sit a quo effluxit actio, & peccator qui iam peccauit, nec condignè peccati culpam retractauit; & sic de cæteris. Ergo Angelum esse in loco esset Angelum se aliquando applicasse in loco, & nihil præterea quod actu re ipsa esset significaret; sicut peccator, &c. Quod apertè constat falsum esse, quia rem esse in loco est effectus realis vt supra ostendimus.

Quocirca nõ minus est aliquis effectus realis, quàm cũ primò res se applicat eidem loco, sicut esse calidum nõ est minus realis effectus cũ primò fuit calidum, &c. Vnde non solum significamus ipsum Angelum esse applicatum loco, &

D ab eo mobile non recessisse, sicut de peccatore diximus, sed etiam verè adhuc illum ipsum effectum continuari, qui primò fuit, quod non est in ipso esse peccatoris, & in ipso esse agentis, & in ipso esse viso; in quibus non aliud esse significamus, quam quod fuerint illæ formæ iam præteritæ. Quod si hoc negetur, nulla datur via inuestigandi permanentes formas ad suum effectum. & facilè dicere quis constanter posset esse calidum esse denominationem à calefactione præterita quousque infrigidatio non ponitur; & alia complura similia quæ facile possunt oc-

E currere. Constat ergo non esse denominationem extrinsecam.

Ex quibus omnibus colligitur formam illam quæ est ratio essendi in loco esse aliquid reale positiuum vltra actionem & motum, & omnem qualitatem, & relationem prædicamenti ad aliquid, atque ita superest videndum, quidnam illa sit.

* * *

Forma per quam Angelus formaliter est in loco, non est quid ex aliis prædicamentis præterquam ex prædicamento VBI, & rectè nominari potest VBITAS intrinseca. §. 6.

AD Difficultatem ergo respondetur: Et sit Prima propositio. Forma realis superaddita per quam Angelus est in loco ex nullo alio prædicamento est, præterquam ex prædicamento Vbi. Probatur, & primò quidem quòd nõ sit de prædicamento substantiæ aut quantitatis, ex se certum est: Quoniam ratio formalis Angelo existendi in loco debet esse id, quo Angelus vnitur loco, eique fit præsens, vt hactenus dictum est. hoc autem non est de prædicamento substantiæ, aut quantitatis. Nõ quidem substantiæ. nam nihil de prædicamento substantiæ est vnio ad compositum accidẽtale; vt v.g. substantia non est vnio qua materia vnitur quantitati, & fit quantum, nec qua fit calidum, &c. Et ratio vniuersalis est, quia vnio debet esse modus quidam eorum quæ vniuntur. non enim vnio vnitur cum rebus vnitis per aliam vnionem, ne detur progressio in infinitum. ergo solùm à rebus vnitis modaliter distinguitur, ac proinde est motus illarum, vt paulò post patebit. At substantia non potest esse modus accidentis; quin potiùs contrà, accidens quod substantia est imperfectius, substantiæ modus est. Non enim quantitas est modus figuræ, nec materia est modus quantitatis, & sic de cæteris. Non est ergo de prædicamento substantiæ. Non etiam quantitatis: illi enim formæ locali non competit ratio extensionis partium è quibus oritur impenetrabilitas & subiecti coæquatio ad locum. quam esse formalem rationem quantitatis nunc supponatur ex dictis lib. 3. Physic. De qualitate, relatione & actione probatum est, ac proinde analogicè suo modo idem est de passione, quæ est idem quod ipsa actio vt diximus. De habitu, situ, ac Quando prædicamentis facilè patet. Nã Quãdo est id per quod aliquid reponitur in tali tempore; nimirum id quo respondere possumus interroganti per Quando; Vt Petrus viuebat sub anno Christi trigesimo, &c. Situs verò est dispositio partium in loco, vt suprà dixi. Habitus etiam est modus ad indumentum pertinens; vt esse vestitum, armatum, &c. Quorum nullum est forma illa, per quam aliquid est in loco, vt clarum est. Relinquitur ergo vt sit de prædicamento Vbi.

Sed probatur ratione à priori propositio; Quod huiusmodi forma sit de prædicamento Vbi. Nam, Vbi, nihil est aliud nisi esse in loco, vt in Licæo, in Foro, &c. vt expressè docet Aristoteles in prædicamentis cap. vlt. Ergo ratio per quam est hic effectus formalis, nempe esse in loco est de prædicamento Vbi. omnis enim forma per quam constituitur effectus, qui directè ponitur in prædicamento est de illo prædicamento; Vt forma per quam constituitur quantum est quantitas; forma per quam constituitur quale est qualitas; forma substantialis compositi substantia est, & sic de cæteris. Neque enim vnquam inuenietur, vnam qualis ea cumque

Aristoteles.

A sit, formam vnius prædicamenti reponere suum compositum in alio prædicamento. Non enim qualitas facit quantum, &c. sed quale, nec relatio nisi ad aliud, idémque de cæteris dictum generatim sit.

Secunda Propositio. Hæc forma per quam res constituitur in loco, nihil est aliud nisi modus de prædicamento Vbi, determinans formaliter rem, vt sit in hoc loco aut illo; rectéque à Theologis præsertim recentioribus dicitur *Vbi intrinsecum.* Hæc propositio quinque asserit de hac forma per quam res in loco constituitur. Primum est esse modum. Secundum, quòd sit formaliter rem determinans. Tertium est, quòd B sit de Prædicamento Vbi. Quartum, quòd rectè Vbi intrinsecum nominetur. Quintum, quòd nihil præterea sit.

Primum autem probatur: quia hæc forma est separabilis ab vtraque entitate; Angeli nimirum & loci, vt ostensum est. ergo distinguitur ex natura rei ab vtraque ipsa entitate. non autem à re ipsa nempe à subiecto tanquam res à re. non enim præsentia localis potest à parte rei esse absque illa ipsa entitate cuius est præsentia. esset enim præsentia nullius rei; hoc est esset præsentia & nihil esset præsens. quod est impossibile, cùm præsentia alicuius rei præsentis præsentia sit. Et certè frustrà maior distinctio quàm modi à re cuius est modus poneretur. ergo C est modus. non enim per modum aliud intelligimus quàm formam aliquam à re seu subiecto, cuius est modus modaliter distinctam.

Alterum probatur: quia id omne quod alicuius indifferentiam formaliter tollit, illud formaliter determinat ad tale esse. nam nullo alio modo res formaliter indifferens formaliter determinatur, nisi positione eius quod indifferentiam formaliter tollit. Sic voluntas formaliter indifferens determinatur formaliter per actum, quo posito voluntas non est amplius indifferẽs, sic materia per formam, &c. Ratio vniuersalis est, quia indifferentia idem est quod indeterminatio. indeterminatio autem formaliter non tol- D litur nisi per determinationem, quæ est illi opposita; nempe per illud quod formaliter rem determinat ad tale esse. At hæc forma quæ est præsentia localis ab Angelo tollit formaliter indifferentiam, qua potest esse in illo aut illo loco, quia facit Angelum formaliter huic loco præsentem non alteri. ergo formaliter illum determinat vt sit in hoc loco determinatè non in illo. Neque id alicui difficile videri debet, qui sciat proprium esse formæ & actus rem in qua est determinare ad vnum effectum. *Actus enim separat* ac distinguit teste Aristotele lib. 7. Metaph. cont. 49. Aristoteles.

Tertium non est quod iterum probetur, cum E satis efficaciter id ostensum modò sit in altera propositione.

Quartum facilè patet. nam plerumque loco abstracti nominis rectè vsurpatur concretum nomen. Quo pacto Aristoteles in prædicamento quantitatis & qualitatis & ad aliquid vtitur nomine *quanti, qualis & relatiuorum* pro ipsis formis, quæ sunt quantitas, qualitas, relatio. ergo rectè etiam vsurpatur hoc nomen concretum Vbi quod est esse in loco pro ratione & forma, per quam est in loco, præsertim cum abstractum eius nomen nondum vsu mollitum sit. Aristoteles.

Vnde

Vnde si quis vellet dicere ipsam formam essendi in loco esse Vbitatem, rectius sentiret quã exprimeret: sed quæstio hæc de nomine esset, cum de re ipsa constaret. liceat tamen nobis, quandoquidem nomine abstracto rectius signari res potest, breuitatis & claritatis causa eam formam Vbitatem in posterum nominare. Nec timendum opinor ne quis nobis vitio vertat ea nos ex vsitatis vocabulis quæ ad puriorem faciunt significationem eruere conari. Etsi enim Philosopho de nominibus curandum non esse monet A. Doctor infrà q. 54. a. 4. ad 2. tamen cum ad rerum intelligentiam declarandam in primis nomina ipsa conducunt, eorum quoque maxima ratio habenda est. Idcircò definitio illa seu interpretatio, quæ obscuris inuoluitur nominibus in primis damnatur ab Aristotele libr. 6. Top. cap. 1. Vbi etiam addit opinor contra Platonem, *Metaphora loquentem calumniari tanquam non propriè dicentem: nam omne obscurum quod secundum Metaphoram dicitur.* ita ibi loco 6. Sic etiam eodem loco 6. eum vituperat, *qui non positis nominibus vtitur,* cum scilicet alioqui res obscura redderetur.

Aristoteles.

Quintum denique probatur: nam in his terminis tota eius natura concluditur ac prædicamẽtum denotatur. Natura quidem; quia describitur adæquatè per eius genus, vltimámque differentiam; quæ maximè innotescit relatione ad effectum formalem suum adæquatum; Vt animus intelligens est principium primum quo homo est homo: idest primum principium quo intelligimus, &c. De prædicamento autem iam dictum est. Dixi tamen in his terminis totam naturam concludi, non tamen dixi distinctè per omnes eius causas definiri. nam de hac integra definitione agam Diffic. seq.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, huiusmodi Vbitatem non esse figmentum recentiorum Theologorum; vt quidam dictitarunt. nam ostensum est: doctrina Peripatetica esse certum dari huiusmodi formas, per quas corpora sunt immobiliter in loco. & præterea ab antiquioribus Scholasticis vel non negatas vel apertè concessas, nec deesse rationem vt opinamur euidentem, quæ easdem formas esse demonstrare possit.

Colligitur secundò, cum mutatur corporis continentis superficies, vt flante vento aër turrim ambiens, rem non mutare simpliciter locum, si ipsa non moueatur. Patet, quia licèt mutetur ambiens superficies, tamen nec mutatur simpliciter quà est superficies immobilis ambientis; Hoc enim pacto eam mutaret locatum seu mobile, si ea manente in suo loco recederet, alióque se transferret. Quemadmodum mutat superficiem & locum quà superficies immobilis est, is qui ex vno loco fixo v. gr. ex Capitolio accedit ad alium locum fixum v. gr. ad Vaticanum. Itaque non mutat simpliciter locum res, etiam si varietur superficies. Neque enim mutatur rei vbitas intrinseca, quæ est ratio existendi hic vel ibi determinatè. ergo remanet ratio essendi in loco determinato. Quod vt clariùs pateat, explicanda magis eius natura est sequenti propositione.

*

A

Vbitas non est primariò ad vniendum sed alium finem, & quis ille sit, Explicatúrque eius effectus. §. 7.

TErtia propositio; Modus ille, qui est Vbitas, non est primariò ratio vniendi rem cum corpore extrinseco, sed primariò est ratio ponendi rem in tali esse, vt inde sequatur, si adsint corpora tanta aut tanta, vel ab illis distantia vel ad illa propinquitas seu vnio: ac proinde

B

vt tali vel tali loco extrinsecus ambiatur si adsit, vel non ambiatur si absit vt in vacuo. Immò si locus adsit erit vt illi res vniatur immobiliter, si rationem loci immobiliter retineat; si nimirum fixum habeat esse ibi per suam formam. Vt si ponamus locum esse v. g. Templum S. Petri, Capitolium, &c. Hæc propositio habet quatuor partes. Prima est Vbitatem non esse ad primariò vniendum, &c. Secunda, esse ad primariò ponendam rem in tali esse, &c. Tertia, ex ea vbitate fieri vt res ambiatur, &c. Quarta, vt vniatur immobiliter. sic autem singulæ illius partes probantur.

Et primò quidem prima pars patet: quia modus non est ratio vniendi rem ad talem locum

C

extrinsecum determinatum; quia etiamsi nullum determinatum corpus esset permanens, sed continuò variaretur, adhuc res esset ibi si ipsa persistat, & non moueatur; vt accidit in illa turri, quam dicimus habere eandem Vbitatem, & esse in eodem loco intrinseco, etiamsi superficies ambientis corporis permutetur. ergo primariò non est, vt vniat rem cum corpore extrinsecus ambiente.

Secunda pars probatur: quia primariò omnis forma est ad suum effectum formalem primarium. Sed eius effectus formalis primarius est constituere tale esse, vt habeat illam tantam vel tantam distantiam vel propinquitatem, &c. ergo primariò est ad constituendum tale esse.

D

Maior est certa Minor probatur: quia cuiuscunque formæ est constituere primò & per se aliquod esse specificum, vt albedinis est componere album, &c. atque ita est ad suum effectum primarium: A quo nimirum sint reliqui effectus ab eadem forma dependentes. Ad hoc enim respicit tanquam ad primarium finem & effectum omnis forma, vt aliquod esse specificum tribuat, naturámque constituat in rebus compositis, quæ suarum proprietatum origo sit. Vt etiam rectè docet A. Doctor 3. p. q. 13. a. 1. c. Vnde forma ab Aristotele dicitur *ratio & quod quid rei* libro 8. Metaph. context. 5. & alibi; nempe Aristoteles.

E

essentia & natura, quæ ratione atque essentiali definitione explicatur. Ergo talis formæ primarius effectus erit tale esse specificum; nempe quòd sit radix atque origo cæterarum proprietatum in eodem composito. Hoc autem in re nostra est tale esse, vnde sequitur tanta vel tanta distantia vel propinquitas. Quia alium priorem assignare non possumus, & ipse est origo proprietatum huius effectus ab hac forma; nempe propinquitas aut distantia respectu corporum quæ sunt in rerum vniuersitate.

Tertia pars probatur: quia ex eo quod est

 talis

talis vbitas, ex qua consurgit rei propinquitas aut vnio ad corpus, vel distantia fit vt res cōtineatur à corpore, si illi intra ambitum vniatur ipsa res quæ habet talem vbitatem, vel non contineatur si distet.

Quarta denique pars omninò patet, quoniam res quæ habet talem vbitatem hoc quod constituitur hic vel ibi determinate vnitur corpori ambienti, quod est ibi. Ergo si illud ambiens maneat ibi immobile per suam illam formam immobiliter illi vnitur res: ac proinde tanquam loco immobili immobiliter coniuncta erit; vt si sit in Capitolio, Romæ, Mediolani, Venetiis &c. Neque huic propositioni nostræ obest, quod hāc vbitatem dixerimus suprà, esse vnionem mobilis cum loco. Hoc inquam non repugnat vt patebit in quarto *Colligitur* infrà.

Ex hac ergo propositione ita probata sequitur primò quod dicebam in secundo *Colligitur*, rem quæ habet talem vbitatem si non mouetur, esse in eodem loco intrinseco, etiamsi superficies ambientis corporis remoueatur: quia rem esse in eodem loco intrinseco est esse cum eadem forma per quam res ibi determinate est, & quantum est ex se à nullo corpore recedit. ac proinde, secundum quam res quantum est ex se, persistit intra idem corpus ambiens. quippe quæ ab eo per motum non amouetur. Vt est illa turris, quæ retinens eandem vbitatem semper retinet eandem formam, secundum quam fixa ibi est, nec quantum est ex se distat ab iis corporibus quæ illi proxima erant. ergo erit in eodem loco intrinseco.

Quod si quæras, vnde habet vt illi proximus sit aer? Respondeo habere ex sua vbitate, quæ talis naturæ est, vt si aliud corpus sit ibidem ab eo non distet. Hunc enim effectum sua cuiusque rei vbitas habet &c.

Si secundò quæras, quomodo res dici possit esse in sua vbitate tanquam in loco, cum in illa vbitate non contineatur. Loci enim est continere locatum, vt docuit Aristoteles libro quarto Physicorum, à contextu trigesimonono quia est corporis continentis superficies, Respondeo omnem formam continere suum subiectum aliquo modo, vt patet ex Aristotele quarto Physicorum à cont. 14. ac proinde posse dici subiectū esse intra suam formam. Et ideò dicitur ab A. Doctore in hoc art. 1. *Anima est in corpore vt continens non vt contenta. & similiter Angelus dicitur esse in loco corporeo non vt contentum, sed vt continens aliquo modo.* Erit ergo res in suo vbi tanquam in continente. A. Doctor.

At inquies superficies corporis continet vt quo; Ergo illa vbitas non continet, quia deberet continere vt quo. Immò cum sit ratio vt contineatur à superficie, est potius ratio complexus, vt ita dicam passiui; quàm contineat vt quo; quæ est ratio complexus actiui. Respondeo continere vt quo in hoc sensu quia continet vt forma, & est ratio vt corpus extrinsecum contineat. Neque enim absurdum est, vt sint duæ rationes cōtinendi, vt loquuntur, subordinatæ. Nam anima est principiū motus vt Quo, cuius eiusdem motus principium etiam vt Quo, est ipsa potentia motrix, sed hæc ab illa dependens. Ita ergo in re nostra superficies continebit vt Quo, sed ab illa forma prouenit vt contineat; neque solum est ratio passiui complexus vt res contineatur, sed etiam vt superficies contineat. Quemadmodum vnio formæ ad materiam non solùm est ratio vt materia contineatur à forma, sed etiam vt forma contineat materiam.

A

Colligitur secundò. Quomodo per hanc vbitatem Angelus sit in loco corporeo à quo aliquo modo contineatur, & ipsum aliquo modo contineat. Est enim in loco corporeo, quia habet illam Vbitatem per quam in tali esse reponitur, vt habeat propinquitatem & vnionem ad illud corpus determinatum. Continetur autem ab illo quia est intra ipsum, seu quod idem est quia substantia Angeli terminis illius corporis concluditur, quia non est extra suum locum nec vbique, vnde etiam est vt aliquo modo à loco circumscribatur vt supra diximus. Continet autem quia vt ait Angelicus Doctor in hoc articulo sua virtute perficit locum, & est veluti forma illius, quæ assistendo illum actuet, vt in eo vel cum eo operetur aliquid, vt cum Petri carcerem illustrauit, & cætera. Sic etiam Deus continet Mundum, *vt ei dans esse* inquit A. Doctor suprà quæstione octaua articulo secundo *& virtutem & operationem.* Ergo vtrumque habet Angelus. A. Doctor.

B

Colligitur tertiò quicquid aliqui recentiores obiiciant, multa rectè dici à Capreolo in secunda sententia circa Angeli locum, ac de ea forma quam vbitatem diximus, de quibus tamen dicam infrà in solution. argument. in fine Difficultatis huius, & adhuc fusiùs Difficultate sequenti.

C

Colligitur quartò, Vbitatem hanc esse vnionem saltem materialiter, non autem omninò formaliter. Probatur ex dictis: Quia illa est vnio formaliter, cuius primarius effectus est constituere vnitum; & ideò vnio formaliter definitur nexus & coniunctio aliquorum vt colligitur ex A. Doctore tertia p. quæstione secunda, articulo nono. At huius Vbitatis effectus primarius non est coniunctio aliquorum. nulla enim forma est sine suo primario effectu. At Vbitas potest esse, etiamsi non constituat esse vnitum. Si enim nullum adsit corpus extrinsecus ambiens, erit Vbitas in subiecto, quod nulli vniri tunc possit. Ergo non est vnio omninò formaliter. Quod verò saltem sit vnio materialiter patet. nam esse vnionem materialiter est esse talem entitatem, in qua aliqua possit esse formalis ratio vnionis. Sic enim corpus quod nihil contineat dici solet locus materialiter, quia in eo esse possit ratio formalis loci, & sic de cæteris. Omne enim illud, in quo potest quouis modo esse ratio formalis materia illius dici rectè potest. At in ea Vbitate potest esse aliquo modo formalis ratio vnionis in hoc sensu. Quia est talis entitas per quam eius subiectum sit præsens corpori si extrinsecus adsit, quod ei sit propinquum per suam Vbitatem; vnde suum subiectum ei corpori vniet: quia faciet ipsum cum illo esse simul. Ergo materialiter & consequenter vnit non primariò, & ab hoc secundo absolui potest. Explicauimus autem hactenus huiusmodi Vbitatem, locique præsentiam ac si esset ipsius Mobilis vnio cum loco. Per hunc enim secundarium effectum tanquam per notiorem differentiam eius naturam indagare ac declarare commodiùs ducebamus. vt patebit magis ex sexto *Colligitur*. Quoniam ergo materialiter est vnio, non est necesse eam variari ad mutationem sui termini vt di-

D

E

cam

eam pòſt, ad argumenta ſecundi modi.

Colligitur quintò hanc vbitatem poſſe ſubiectum conſtituere in vacuo ſi aliunde vacuum dari non repugnet. Ratio etiam ex dictis eſt, quia eſt talis naturæ, vt conſtituat ſubiectum corpori propinquum vel remotum ſi corpus adſit, non tamen vt neceſſariò ita debeat eſſe. Vnde ſi ponatur res in medio aulæ alicuius, deinde verò ambiens annihiletur, remanebit in eodem loco, hoc eſt, vbi erat ante determinatè & non alibi, ſine vllo corpore extrinſeco. Non enim videtur neceſſe, vt ſi ad nihilum redigatur ambiens, conſequens etiam ſit, vt aut illa res deſinat eſſe in rerum natura, aut alium in locum transferatur.

Colligitur ſextò, licèt hæc forma per ſe primariò non ſit applicatio ſui ſubiecti ad locum extrinſecum vt diximus, tamen poſſe nominari, ac ſi eſſet applicatio ad extrinſecum locum; quia ſemper de facto ſuum ſubiectum applicat alicui huiuſmodi corpori. Vnde quoniam hic effectus formalis eſt nobis notior, eam poſſumus ſimpliciter appellare applicationem ad locum. Generatim enim formas nominare ſolemus per earum effectus notiores. quo pacto docet A. Doctor in hac p. p. quæſtion. vigeſimanona a. 1. ad 3. in definitione perſonæ poni *indiuiduum* etiamſi nomen ſit *intentionis ad deſignandum modum per ſe ſubſiſtendi qui competit ſubſtantiis particularibus.* & infrà quæſtione ſeptuageſimaſeptima, a. 1. ad 7. *Quoniam* inquit *formæ ſubſtantiales, quæ ſecundum ſe nobis ignotæ innoteſcunt per accidentia nihil prohibet interdum accidentia loco differentiarum ſubſtantialium poni.* Sic etiam Ariſtoteles quinto Metaphyſices, capite de quanto definiuit quantitatem non per partes, ſed per ipſum eſſe diuiſibile, quod eſt quantitati accidens, & ſimilia. Quare nihil abſurditatis erit, ſi nos in poſterum ſimilem loquendi modum vſurpemus, quo etiam ſuprà vſi non ſemel ſumus.

A. Doctor. Ariſtoteles.

Colligitur penultimò, non rectè Capreolum vbi ſuprà ad S. & quoſdam alios recentiores in ſuis ad hunc articulum commentariis aſſerere hanc præſentiam *reſultare* ex eo quod loco circumſcribatur mobile. Falli hos aio: quia nulla ratio formalis eſt poſterior ſuo effectu formali, ſed prior. Ergo ratio vt corpus extenſum ſit intra tantum locum extenſum, eſt ratio vt corpus circumſcribatur. Nam corpus circumſcribi loco nihil eſt aliud, niſi corpus extenſum contineri intra tantum locum extenſum atque ita eadem eſt ratio, & cur corpus extenſum ſit intra tantum locum, & vt idē corpus extenſum circūſcribatur tāto loco. Ergo hæc ratio ſeu præſentia corporis ad locum non reſultat ex eo quod mobile circumſcribatur loco, quia hic eſt effectus formalis illius. Idem proportione dico de Angelis, qui licèt à loco non circumſcribantur, vt corpora, quia non ſunt intra ambientem loci ſuperficiem, ſed intra corporis craſſitiem quaſi penetratiuè peruadendo ipſam corporis molem; tamen quia aliquo modo definiuntur intra loci certos, ac deſignatos limites extra quos Angelorum ſubſtantia non eſt, cum vbique Angeli non ſint, aliquo etiam modo circumſcribuntur. Quare in illis etiam præſentia, quæ Angelo eſt ratio, vt ſit intra illum locum, erit etiam ratio vt circumſcribatur tanto loco, ac proinde non reſultabit ex circumſcriptione, ſed eam præcedet; vt oſtendimus.

Capreolus.

Colligitur vltimò, licèt magna ex parte naturam huius vbitatis explicauerimus, cùm diximus eſſe modum accidentarium de prædicamento Vbi, per quem res eſt in loco, nempe in actu primo, & quod eſt id per quod res eſt in loco ſi corpus ambiens adſit, tamen adhuc non eſſe integram rei definitionem aſſignatam, quia ſupereſt videndum; Vtrum huiuſmodi modus ſit materialis an immaterialis; Vtrùm diuiduus an indiuiduus, & ex quibus cauſis &c. Quæ peculiares exigunt explicatus. de qua re Difficultate ſequenti.

Satisfit argumentis primæ ſententiæ, ac doctrina tradita confirmatur.

§. 8.

EX his reſpondetur ad argumenta quæ contrà, facta ſunt in ſingulis dicendi modis. Ad primum in primo modo ex Alenſi dico, Quod eſt quantitas in corporeis eſſe qualitatem in incorporeis, verum eſſe reſpectu loci, quantum attinet ad radicem, ex qua oritur vt tam corporea, quàm incorporea, tantum vel tantum loci occupent. Quia ſicut quantitas trium palmorum verbi gratia in corpore eſt ratio & origo vt occupetur locus trium etiam palmorum à corpore; ita etiam tanta virtus in incorporeis exercenda ad tantum effectum; nimirum quâ poſſint ac velint Angeli operari in tantum corpus eſt ratio & origo vt poſſint eſſe & ſint in tanto loco. Vnde diſtinguenda eſt minor cum dicitur *corpora eſſe in loco determinato per quantitatem*; vel primò per quantitatem quæ ſit ratio proxima cur ſint in hoc loco determinato & non in illo; & ſic falſa eſt, vt diximus; Vel ſecundò per quantitatem quæ ſit origo vt occupetur tantum loci; & ſic vera eſt. Sed nihil ſequitur incommodi, quandoquidem ex hoc non impugnatur, vbitatem eſſe proximam rationem formalem loci modo explicato.

Alenſis.

Ad ſecundum dico, applicationem virtutis eſſe vnionem ipſam virtutis & præſentiam illius ad locum quam diximus vbitatem, quia ipſa eſt applicatio formalis, non efficientis actio; ſicut informatio ſeu vnio formæ ad materiam eſt ipſa formalis applicatio formæ ad materiam. Certum enim eſt formam formaliter applicari per vnionem, quia applicari formaliter eſt formaliter vniri.

Ad Primum ſecundi modi in primo dicto. nego ſemper poni in loco per motum localem vt diximus. Secundò, eſto. dico tamen poni per actionem quæ ſit productio eius formæ quam diximus. Vnde eſto, ita ſit poni in loco efficienter; nego tamen poni in loco formaliter abſque forma præſentiæ quam diximus.

Ad primum in ſecundo dicto ibidem, dico nō eſſe relationem præſentiæ prædicamentalem: ſed aio eſſe relationem preſentię tranſcendentalem. immò dico eſſe præſentiā non formaliter, ſed ſecundum fundamētum. Quia primaria eius ratio eſt

est ad suum effectum; nempe vt fiat tale esse modo explicato, ad quod sequitur relatio præsentiæ ad corpora, si ea sint, vt dictum est. Nego etiam ipsum esse vnitum esse relationem præsentiæ prædicamentalem, sed dico vnionem esse relationem transcendentalem per quam duo extrema vniuntur. Constat enim vt ante docui ex A. Doctore vnionem esse aliquorum nexum. In re autem præsenti dico illam vbitatem esse quidem vnionem & præsentiam, sed fundamentaliter modo explicato. Nam si esset formaliter variaretur ad varietatem loci extrinseci, nempe sui termini, cui vniret rem ipsam locatam.

Ad locum A. Doctoris dico ipsum intelligere vnionem Humanitatis Christi ad Verbum esse relationẽ vno ex duobus modis vel relationem fundamentaliter, vel relationem transcendentalem, vt accuratè probaui 3. p. in eum locũ. Huiusmodi autem relationem non esse prædicamentalem bene docuit Capreolus in secunda sententia, vt suprà vidimus.

Ad secundum nego moueri ad relationem præsentiæ, si relationem velint esse prædicamentalem. Nam vt diximus ex Aristotele, & A. Doctore ad relationem non est motus. Quod autem respondent ad Aristotelem ineptissimum est. Nam ad eam relationem esse motum negat Aristoteles per se, ad quam cõcedit esse motum secundum accidens. Quia hæc duo ibi inter se opponit, vt vidimus. At concedit esse motum secundum accidens non ad relationem vt relatio est in communi. quia ad hanc nullus est motus ne secundum accidens quidem. Nam si esset ad relationem vt relatio est in communi motus secundum accidẽs, deberet esse huiusmodi motus ad id ex quo sequitur relatio vt in communi, quia hoc pacto est motus ad aliquid secũdum accidens, quia scilicet est ad id ex quo sequitur id ad quod est motus secundum accidens vt antè diximus. At nullus est motus ad id ex quo sequitur relatio in communi, quia hæc non consequitur ex vlla re, sed ad id ex quo sequitur talis relatio, vt ad qualitatem, quantitatem, &c. ex quibus accidentibus tales relationes consequuntur. ergo negat esse per se motum ad talem relationem. non autem ad relationem in communi.

Confirmatur, quia Aristoteles cum negat, ad relationem esse per se motum, aut intelligit motum in communi, aut motum in specie. si primum malè negaret ad relationem in communi esse motum. quia si motus in communi est ad terminum in communi; ergo posset esse ad relationem in communi. Si secundum; ergo neque esset motus ad relationem secundum accidens; quod concedit Aristoteles. quia motus ad relationem secundum accidens debet esse ad id ex quo consequitur relatio vt diximus. At motus in specie non est ad id ex quo consequitur relatio in communi, quia debet motus in specie esse ad terminum aliquem in specie. ex termino autem in specie non sequitur relatio in communi; sed in aliqua specie determinata; vt ex qualitate sequitur similitudo; ex quantitate æqualitas vel inæqualitas; ex loco propinquitas vel distantia, & sic de cæteris. Præterea dico ad fundamentum totius doctrinæ eiusdem modi, falsam esse illam distinctionem, vt diximus suprà in Notandis.

Ad tertium modum dicendi dico, eodem modo falso niti fundamento quoad illam eandem distinctionem.

Ad primum verò argumentum nego esse sufficientem illam denominationem, vt probatum est.

Ad secundum argumentum dico, non posse eos auctores respondere, qui non ponunt in re, quæ est in tempore; aliquem modum fluentem, ratione cuius sunt res in tali tempore determinato, vt nos ostendimus lib. 4. Phys. Disputat. de Tempore. Quare dico esse parem rationem; & negãda est Minor, vt ibi accuratè demonstrauimus. hoc autem non repugnare A. Doctori dicemus infrà suo loco.

Ad tertium dico mobile nihil acquirere præter locum; hoc est nihil acquirere præterquam vt sit in loco. Quod verum est. Inter hæc autem inuoluitur vt acquirat formam; quæ est ratio huius effectus, vt dictum est. Sicut licet per calefactionem nihil acquiratur præter esse calidum, tamen non excluditur hinc calor, qui est forma calidi; & vnio per quam calor qui acquiritur est in subiecto, & necessaria est vt sit ipsum esse calidum. Quam solutionem rectè indicauit Capreolus vt vidimus in secunda sententia; & eodem modo dico ad auctoritatem A. Doctoris.

VLTIMA DIFFICVLTAS,

Vtrum huiusmodi Angeli vbitas sit materialis an immaterialis, diuidua an indiuidua, & de eius causis eiúsque integra definitione.

RAtio Difficultatis ex vna parte est, quia videtur materialis. quia applicat loco materiali Angelum, sicut ob eandem causam vnio animæ rationalis ad materiam est materialis, vt ostendimus lib. 3. de An. Secundò videtur indiuidua; quia est in subiecto immateriali, nempe Angelo qui est indiuisibilis, ergo quæcunque forma, quæ in illo sit indiuisibilis esse debet.

Ex opposita parte videtur omnino immaterialis, & diuidua. Primùm quidem quia debet esse in subiecto immateriali. Secundum verò, quia si esset indiuidua applicaret vni tantùm puncto loci, non autem pluribus eius partibus simul vt deinceps patebit.

Vbitatem Angeli esse immaterialem, sempérque diuiduam, cum Angelus se loco extenso applicat: posse tamen applicare subiectum indiuisibili modo, &c.

§. 1.

AD difficultatem tamen respondetur & sit Prima propositio. Ipsa forma quæ est Vbitas in Angelo est immaterialis. Probatur manifestè quia illa Vbitas educitur de subiecto immateriali. quod autem est huiusmodi immateriale

teriale eſt. ergo eſt immaterialis. Minor probatur. quia materiale illud ſolum eſt, quod educitur de ſubiecto materiali vel mediatè vel immediatè; ſeu quod idem eſt, cuius cauſa materialis mediata vel immediata eſt vera materia. Id ergo cuius cauſa materialis vel mediata vel immediata non eſt vera materia, non erit materiale, ſed eius quod educitur è ſubiecto immateriali, cauſa materialis ſiue mediata ſiue immediata non eſt vera materia. Non quidem immediata, quia hæc eſt ſubſtantia ſpiritalis. Non verò mediata quia ſubſtantia hæc ſpiritalis non educitur ex vera materia. Deberet autem educi, ſi materia eius formæ, eſſet materialis cauſa mediatè. Ergo quod educitur de ſubiecto immateriali non eſt materiale, ac proinde immateriale. Maior illa probatur: quia illa vbitas Angeli non per ſe ſubſiſtit. ergo educitur ex aliquo ſubiecto. Vel ergo ex loco, vel ex re locata, nempe Angelo, quia non eſt aliud è quo educi poſſit. Conſtat autem triplici argumento non educi ex loco; ſed ex Angelo.

Primò quia ab eo ſubiecto educi debet accidens in quo ineſt. At non ineſt loco illa Angelica Vbitas ſed Angelo. quia non applicat locum Angelo, ſed Angelum loco. locus enim immotus manet; & Angelus eſt qui ad locum mouetur; nempe cum Angelus miſſus eſt Nazarethũ, ad ſepulchrum &c. Eſt ergo in Angelo, educitúrque ex illo.

Alterum argumentum eſt, quia ab eo educitur terminus intrinſecus motus localis, à quo educitur motus localis qui eſt ad ipſum terminum. Terminus enim intrinſecus aut nõ diſtinguitur à motu tanquam res à re; aut eſto diſtinguatur, ſaltem poni non poteſt in alio ſubiecto a ſubiecto motus; vt patet in cæteris motibus. Et ratio eſt manifeſta prorſus: quia ſubiectum motus eſt id quod tranſit ab vno termino in alium. Quod enim erat ſub termino à quo tranſit ſub termino ad quem, & ideò motus ab Ariſtotele definitur lib. 3. Phyſ. cont. 6. *Actus entis in potentia prout in potentia*. hoc eſt tranſeuntis ad actũ quem mobile ſuſcipere debet. Eſt ergo is terminus in Angelo. Ariſtoteles.

Tandem probatur: quia in eo ſubiecto debet eſſe illa Vbitas, quod per eam aliter ſe habet reſpectu loci. Sed Angelus & non locus per eam aliter ſe habet reſpectu loci. Ergo ille debet eſſe in Angelo non in loco. Minor eſt certa; & primùm de loco patet: quia locus v. gr. carcer, ſeu aër carceris, cui ſe iunxit Angelus, cum Petrum in carcere degentem inuiſit, eodem modo ſe habuit antequam Angelus adfuiſſet ibi, & poſtquam ibi aſtitit. niſi quod *lumen refulſit in carcere*; quod tamen ad localem motum non pertinet, neque ad terminum illius nempe ad Vbitatem. Deinde quod Angelus aliter ſe habeat poſtquã ibi ſe applicuit, atque antè probatur. quia poſtea verum erat dicere. nunc Angelus eſt hic totus in toto, & totus in qualibet parte huius loci, quem occupabat, quod prius non erat verum dicere. ergo aliter ſe habet per eam vbitatem Angelus non locus. Maior probatur: quia proprium eſt formæ localis cum in ſuũ ſubiectum inducitur illud variare ac mutare reſpectu ſui loci, ſicut eſt proprium albedinis cum in ſubiecto recipitur variare illud reſpectu qualitatis. Vtriuſque enim eſt variare ſuum ſubiectum, vt fiat nouus effectus formalis, quem in eo vnaquæque forma conſtituit; vt forma loci locatum hic vel ibi, albedo album & ſic de aliis.

A Quæ quidem ratio rectè in hac materia, qua de agimus concludit. Etenim quicquid ſit de quibuſdã vnionibus; vt eſt ea qua nectitur humanus animus corpori, per quã terminus etiam mutatur vt ſuo ſubiecto vniatur indiuiſibiliter, vt alibi diximus, in qua eſt peculiaris ratio, certè vbitas non habet alium effectum formalẽ niſi ſubiectum ſuum facere loco præſens, eique coniũctum. Ergo in eo debet ſubiecto eſſe Vbitas, in quo habet effectum ſuum formalẽ, nempe quod per eam aliter ſe habet reſpectu loci. Et hoc apertè confirmatur: quia Vbitas Angeli

B ex illo ſubiecto educitur, quod per illam Vbitatem habet vt ſit hic vel ibi determinatè. Solus autem Angelus habet, vt per ſuam Vbitatem ſit hic vel ibi. nam id locus priuſquam illi vniretur Angelus habebat per ſuam. ergo ex Angelo tanquam è ſubiecto educitur, ergo ex ſubiecto immateriali.

Secunda Propoſitio Illa Vbitas immaterialis eſt diuidua, cum Angelus ſe loco diuiduo applicat.

Hanc propoſitionem damnat non nemo ex recentioribus in ſuis diſputationibus ad hunc articulum. Vbi ait: *ſe mirari philoſophos ac Theologos noſtri temporis, quod de Angelis ſpiritualibus diſſerentes nondum corporea hæc & materialia obliuiſcantur, &*

C *in ſubiecto ſpirituali, & omnino indiuiſo conſtituant aliquod accidens formaliter loco extenſum, & vt dici ſolet loco commenſuratum.* Cur autem hoc illi mirum ſit, duplex ratio eſt. Primò quia hoc proprium videtur corporis, & corporei accidentis. Secundò quia ex eo efficitur, vt Angelus non ſit totus in toto corpore, & totus in qualibet parte. *Deberet enim eſſe extenſus ſicut & ipſe modus extenſus.* Suam autem hic doctus vir doctrinam ait eſſe, quod hic modus ſit extenſus virtualiter *eo modo quo habitus dicitur habere diuiſionem cum extenditur ad plures concluſiones, quam vocant extenſionem virtualem.* Hic tamen auctor argumentum nullum pro ſua ſententia affert; niſi quòd accidens diuiſibile non poteſt ſubiecto indiuiſibili hærere.

D Veruntamen noſtra propoſitio vera videtur; eámque docere videtur noſter Molina hic q. 51. a. 1. Diſp. Vn. m. 5. §. *Quod ſi quis putat.* vbi ait, hanc applicationem Angelo eſſe rationem, cur nunc ſit in maiore nunc in minore ſpatio, *non ſecus ac quantitas eſt ratio ſubſtantiæ corporeæ, vt exiſtat ſimul in tanto ac tanto ſpatio.* eam autem apertè aſſerit Suarez Diſput. 40. Metaph. ſect. 8. n. 11. & ſect. 1. n. 5. & 11. Molina. Suarez.

Probatur autem noſtra propoſitio, quia illa ratio qua Angelus ſe applicat loco extenſo debet habere partes extra partes non diuiſas, per

E quarum vnam ſe totum Angelus applicet vni parti loci, per alteram alteri, per tertiam tertiæ & ſic deinceps aſſignando partes loci adæquati. Quod autem habet partes extra partes nõ diuiſas eſt diuiduum, quia *vnumquodque* vt ait Ariſtoteles libro 6. Phyſ. cont. 3. *in ea diuiditur ex quibus eſt.* Ex quo principio oſtendit, continuum nullum conſtare ex indiuiduis, *quia nullum* inquit *continuorum eſt in impartibilia diuiſibile.* Si ergo habet partes non diuiſas in eas diuidi poteſt vnumquodque; eſſet ergo diuiduum. Ariſtoteles.

Maior probatur: quia illa Vbitas, & ratio per quam Angelus ſe loco extenſo applicat, non poteſt

potest esse actu indiuisibilis ita vt per eandem omninò indiuisibilem entitatem applicet totum Angelum singulis partibus loci extensi. Ergo debet habere partes extra partes non diuisas, per quarum vnam applicetur Angelus vni parti per alteram alteri. Consequentia est clara: quia diuisibile & indiuisibile sunt opposita sub genere entis per affirmationem & negationem; quia indiuisibile est quod non habet partes, vt docet Aristoteles lib. 6. Phys. cont. 2. vbi etiam ab eodem Aristotele opponitur continuo habenti partes. Ergo si vnum negetur de aliquo debet alterum affirmari ex regula oppositorum per affirmationem & negationem tradita ab Aristotele in Postprædicamentis cap. 1. Vbi ait, huiusmodi opposita *sola verum falsumque dividere*. Si ergo illa vbitas non est indiuisibilis, diuisibilis esse debet, ac proinde debet habere partes non diuisas in quas diuidi possit, ac per quarum vnam applicetur Angelus vni parti loci per alteram alteri, &c. Si quidem per vnam formam indiuisibile non potest applicari toti loco extenso.

Aristoteles.

Antecedens ergo probatur primò à posteriori, quia si forma omninò actu indiuisibilis posset applicare totum Angelum loco extenso dum in eo cõsistit; ergo etiam posset illum ipsum applicare loco extenso, dum per illum continuo motu mouetur. Hoc autem falsum est, quia forma quæ acquiritur per motum continuum continua etiam esse debet; vt primæ qualitates, & quæ ab his oriuntur si continuo motu acquirantur. & ratio est quia motus continuus est continua acquisitio formæ, ergo diuisibilis, quia momentanea non est continua acquisitio. Sequela probatur: quia potest forma omninò indiuisibilis actu applicare Angelum toti loco extenso, & cuilibet illius parti. ergo & forma indiuisibilis potest applicare eundem Angelum toti loco extenso per quem transit, & cuilibet illius parti. Nam si esse indiuisibile non obstat quin subiectum Angelum applicet pluribus partibus loci dum in eo est fixus. Ergo neque idem esse indiuisibile obstabit, quin eundem Angelum pluribus partibus loci applicet dum illum pertransit.

Equidem video quid ab aduersariis responderi possit, illam scilicet formam indiuisibilem non posse in motu subiectum indiuisibile applicare pluribus partibus, quia ipsa forma permaneret in ipso motu quod est impossibile, quia efflueret per motum & consisteret. Efflueret quidem quia alia atque alia pars succederet noua, quemadmodum partes motus. Consisteret autem, quia eadem in toto motu applicaret Angelum toti spatio & corpori quod pertransit. Id verò impossibile est.

Sed huiusmodi responsio vana prorsus est atque improbanda. Nam ratio, ob quam negant aduersarij posse vbitatem continuam esse in subiecto indiuiduo est: ne forma extensa sit in subiecto quod extensione caret. Negant enim indiuisibile posse esse subiectum formæ continuæ habentis partes. At si concedant partes succedentes in eo esse posse, cur negent permanentes? nam sicut per vnam partium succedentium applicatur totus Angelus vni parti loci per quẽ transit, per alteram alteri & sic deinceps: Ita per vnam partium permanentium applicatur totus Angelus vni parti loci, cui est fixus per alteram A alteri, &c. Deberent ergo ostendere repugnantiam, non in eo quòd subiectum extensione carens non possit suscipere formam extensam, sed in eo quòd ipsum idem subiectum potest suscipere partes extensas successiuè & in motu, nequit formæ permanentis partes simul in se retinere. Hoc autem nunquam ostendunt.

Nam id propterea dicere deberent, quod partes permanentes ex eo non possint esse in subiecto indiuisibili, quia vna non debet remanere cum alia in eodem subiecto indiuisibili. Cum autem id non sequatur in partibus successiuis non est cur negetur eas posse esse in subiecto indiuisibili. Verum contra hanc doctrinam est: Quia superest reddenda ratio cur in B eodem subiecto indiuisibili non possint remanere simul partes, quæ non sunt essentialiter successiuæ. Earum enim subiectum est capax; & illæ cum non sint essentialiter fluentes, possunt permanere simul in subiecto indiuisibili. Vbitas enim illa ex se permanens est, quia Angelum collocat in loco permanenter. Ergo nulla est ratio, cur simul in eodem esse non possint. Alioqui eodem more dicere quis posset, partes caloris fluentis esse simul posse, non autem permanentis. quæ conficta pro arbitratu sunt.

Confirmatur, quia subiectũ indiuisibile est capax motus successiui & continui; ergo etiam erit capax formæ permanentis extensæ, quæ debet esse terminus motus. quia sicut in motu est vna C extra aliam in applicatione fluenti, ita & in loco est vna extra aliam in applicatione permanenti; nec quantum est ex ratione partium vlla est maior repugnantia. Immò si motus qui est in successione continuus non facit subiectum formaliter extensum & continuum; ergo nec partes permanentes necesse est formaliter extensum reddant subiectum. Ideò namque motus non extendit in successione subiectum, quia motus partes non sunt aptæ formaliter extendere. At dicemus iam nec partes illius vbitatis esse aptas ad hunc effectum præstandum. ergo propter has rationes negari non oportet huius formæ continuitatem.

Secundò illud antecedens probatur ratione à D priori, quia nulla forma actu indiuisibilis potest dare subiecto effectum formalem extensum. Sed illa vbitas dum Angelum applicat loco extenso, verè dat subiecto, nempe Angelo effectum formalem extensum. ergo non potest talis forma actu esse indiuisibilis. Maior probatur dupliciter.

Primò, quia forma actu indiuisibilis non potest se dilatare ad plures partes siue subiecti siue termini; vt patet in momento temporis, punctis, lineis, superficie, qua indiuisibiles sunt. Nec valet si occurrant quod forma quæ diuisibilis est virtute id præstare possit, vt videtur patere in animo rationali ac Deo, qui licet actus indiuisibiles sint, possunt tamen se quodammodo dila- E tare ad extensa corpora, quibus coëxistunt; atque ille quidem attingere partes subiecti extensas; hic verò replere omnem extensum locum. Non inquam valet: quia dico animum applicari subiecto per vnionem diuisibilem, cuius effectus sit applicare totam animam singulis partibus subiecti. Quod benè probat Suarez Disp. 40. Metap. sect. 1. n. 3. quia remanente eodem animo codémque modo in cæteris partibus vnito si abscindatur

Suarez.

tur

tur manus, desinit animus eam partem informare, eique vniri; ergo desinit pars vnionis remanentibus cæteris. ergo est diuisibilis. nam si esset indiuisibilis vnio, deberêt dicere, aut desinere esse totam vnionem animæ ad corpus, nouamque produci in eo casu; aut eandem indiuisibilem vnionem applicare animum nunc pluribus nunc paucioribus partibus corporis. quod vtrumque falsum esse sic opinor ostendi potest.

Ac primum quidem de priori patet: quia si desineret tota vnio & noua produceretur, omnes partes corporis de nouo animarentur; quia de nouo illis vniretur animus: quod est corpus animari de nouo. Si enim corpus animari est corpus informari animo. quod idem est atque illi vniri animum tanquam formam. ergo de nouo animari est de nouo informari animo, hoc est de nouo illi vniri tanquam formam. Præterea sequitur infinitudinem mutationum assignari, cum animus aduenientibus partibus per nutritionem successiuè vnitur. tunc enim si vnio sit indiuisibilis non produceretur successiuè & in tempore, sed momento sicut cætera indiuisibilia quæ extensa non sunt; vt mox probabitur. ergo in quolibet instanti noua produceretur vnio; vt paulo post dicetur. Quod ipsum dico cũ successiuè desinũt dispositiones in vna aliqua corporis parte; quarũ remotione animus successiuè se ad viuentes partes colligit. Tunc enim in quocunque instanti noua produceretur vnio, quia verum esset dicere in quolibet instanti nunc est noua vnio, qua totus applicatur animus corpori indiuisibiliter, cum antea non esset eadem, sed alia, vt ponimus. ergo essent infinitæ vnionum productiones. Vtrumque autem esse absurdum ex se patet: nempe & perpetuis momentis de nouo animari corpus totum, secundum omnes eius partes, & dari vnionum infinitudinem.

De posteriori autem sic ostendo non benè eos philosophari hoc argumento ex supradictis. nam si illa indiuisibilis forma potest nunc pluribus nunc paucioribus partibus corporis animum vnire, ergo ipsa quantum est ex se indifferens esset ad animum siue pluribus siue paucioribus partibus vniendum. ergo vt determinaretur, vt actu animum vniret his partibus & non aliis, egeret forma determinante ad hunc potius effectum formalem quam ad alium. Illa autem forma non debet dari: Tum quia non debet dari vnio vnionis, quæ per se debet esse ratio vniendi: Tum quia vel illa alia vnio esset diuisibilis, vel indiuisibilis. si secundũ, redit argumentum quia esset indifferens. si primum; ergo indiuisibilis animus potest vniri per formam diuisibilem. quod ipsis falsum videtur. Non ergo vrget quod de animo obiecerunt.

Similiter nec illud de Deo probat quod arbitrantur conficit: nam Deus non est forma, quæ suum effectum formalem præbeat. ergo extra rem affertur similitudo: & præterea cum Deus immensus sit, non est indifferens vt sit hic vel ibi, vt occupet tantum vel tantum locum: sed necessariò habet, vt totus vbique sit. ergo non eget forma determinante, potius hic quam ibi vt sit, seque possit dilatare aut contrahere ad tantum vel tantum locum, vt indiget Angelus. De illa autem forma dici non potest ipsam esse totam in omnibus illis loci partibus, quibus Angelum applicat, vt mox dicam, ac proinde non est par ratio.

A Secundò probatur eadem Maior, quia forma indiuisibilis aut necessariò applicat Angelum tot loci partibus v. gr. centum palmis; aut non necessariò; sed eadem potest nunc pluribus nunc paucioribus applicare si velit Angelus.

Si primum dicatur; sequitur quotiescunque Angelus se applicat corpori maiori vel minori, variari ipsam totam formam indiuisibilem: ergo si successiuè in motu (quod fieri posse dicemus deinceps) se applicet, sequitur vt modò dicebam eam variari in singulis momentis; quia in singulis momentis partium temporis assignabilibus est applicatio ad inæquale spatium, seu ad inæquales partes; ergo tot actu essent indiuisibilium vnionum multiplicationes, quot assignabilia momenta; ergo actu non finitæ, ac

B proinde actu infinitæ, quod falsum est. Immò secundò sequitur, cum intra duo quæcunque assignabilia momenta contineatur tempus intermedium continuum, quia duo momenta immediata esse non possunt, tunc in illa motus successione, non produci vllam vnionem Angeli ad locum; atque ita in eo tempore Angelum non esse in loco, sed solum in instanti. quod est contra rationem essentialem motus continui. Sequela probatur manifestè: quia nulla forma indiuisibilis produci in tempore potest; quia omne quod producitur in tempore partibile est; quia si non producitur pars post partem, totum simul producitur, ac proinde momento, vt Angelus, animus, cœlum, materia, &c. Ergo nulla

C tũc temporis applicatio Angeli ad locum fieret.

Si verò dicatur illud secundum; contrà est duplex argumentum. Primum est, quia omnis forma posita in suo subiecto apto facit totum effectum suum formalem quantum potest independenter à cuiusque voluntate; vt posito actu intelligentiæ in intellectu facit intelligentem; & sic de cæteris. Ergo illa applicatio posita in Angelo illum applicabit quantum potest loco, quicquid Angelus velit. Ratio huius est: quia effectus formalis non procedit à sua forma liberè sed necessariò. ergo posita forma tanti vel tãti effectus, hic non erit tantus vel tantus pro applicantis arbitrio, licet pro eius arbitrio forma applicans possit non poni. Quemadmodum li-

D cet pro applicantis arbitrio possit vnus vel alter ligni palmus incalescere, ex eo quod possit applicari ignis, vt tanto tempore calefaciat. Tamen si calor sit in vtroque ligni palmo, vterque palmus erit calidus, nec ex applicantis voluntate potest non esse calidus.

Alterum est: quia si ipsa eadem vnio indiuisibilis potest applicare Angelum nunc pluribus, nunc paucioribus loci palmis; ergo ipsa vt dicebamus est indifferens, vt applicet Angelum illis pluribus aut paucioribus palmis; ergo vt applicet tot determinatis non autem pluribus aut paucioribus, indiget alia forma determinante. vel ergo diuisibili vel indiuisibili. atque ita argumentum recurrit, vt modò dicebam.

E Neque confugiendum est ad voluntatẽ Angeli: quia voluntas Angeli & cuiusuis alterius causę non ponit extra se effectum formalem alterius formæ nisi ponat illam formam; vt nunquam ponetur esse extensum, quantumuis Deus vellet ponere sine extensione, quia forma essentialiter requiritur ad eius effectum formalem. Constat ergo veram esse illam Maiorem; nempe nullam formam indiuisibilem posse dare

subiecto

subiecto effectum formalem extensum.

Minor nunc probanda est eiusdem argumenti;scilicet,*Sola illa Vbitas dum Angelum applicat loco extenso,dat subiecto effectum formalem extensum.* Probatur autem, quia Angelum esse applicatum loco extenso est effectus formalis diuisibilis; nam potest contrahi & extendi magis non solum per momenta tẽporis sed continue;quia potest se applicare loco maioris, & minoris extensionis etiã successiue,in eoq; permanere. vt dicam sequenti articulo.Ergo illa Vbitas tribuit subiecto effectũ formalem extensum dum Angelum loco extenso applicat. Hic enim effectus formalis non est indiuisibilis. Hæc namque indiuisibilia extendi contrahiue non possunt.

Quod si dicant, non extendi aut contrahi per eandem applicantem formam, sed per aliam, & aliam indiuisibilem; atque ita quamlibet facere effectum formalem indiuisibilem.Contra dupliciter.Primò,quia hic effectus formalis;nẽpe Angelum esse applicatum loco centum palmorum non est in vno puncto, sed possunt designari saltem animo eius partes,ita vt dicamus Angelum esse applicatum primo palmo,secundo,tertio,& sic deinceps.Ergo non est effectus formalis totus simul in puncto sed in quanto,non solùm ex parte termini,nempe corporis cui applicatur, sed etiam ex parte applicationis; vt sensus sit: In hoc palmo est totius Angeli applicatio;in alio est etiã totius Angeli applicatio,&c.Ergo esto non se extendat & contrahat per eãdem omninò formam, tamen sequitur non esse indiuisibilem effectum, si quidem eius assignari partes possunt,cum partes formæ assignentur in eodem subiecto.Si autẽ respondeat non designari partes applicationis, sed ipsam totam formam indiuisibilem in singulis partibus loci & termini; sicut animus est totus in qualibet corporis parte.

Iam contrà,est secundum argumentum: quia Angelus remanens eodem modo vnitus cæteris partibus loci,potest se retrahere ab vno palmo illius,ergo pars illius vnionis perit non tota:aut saltem si tota perit in quacunque contractione & dilatatione, siue momentanea siue continua, sequuntur illa eadem absurda, quæ modò intulimus; nempe primò produci infinitas vniones, & deinde non applicari in partibus temporis, proindéque motum non esse continuum, &c. vt dictum est.

Vbitatem Angeli esse extensam formaliter non virtute, non tamen corpoream, nec quantitatem nec quæ subiectum extendat. §. 2.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò contra aduersarios quos retulimus, extensionem illam quam appellarunt virtualem,non esse satis vt applicet Angelum loco extenso. Nam esto virtualis extensio in ea vnione sit,tamen per hos auctores indiuisibilis actu esse debet;Ergo si varietur actu applicatio aut ad breuiorem aut ad longiorem extensionem,tota actu debet de nouo produci. Nam vt ostendimus ipsa eadem indiuisibilis non potest nunc paucioribus nunc pluribus partib.corporis Angelũ applicare: & præterea quia cum sit indiuisibilis actu, non posset.vt probauimus.actu facere effectũ formalẽ extensum.quæ esse absurda iam ostensum est.

Deinde quæri potest,quid sit illam Vbitatem, & vnionem continere virtualem extensionem. Id enim omne quod virtute in altero cõtinetur, in eo contineri debet tanquam effectus in causa. hoc enim pacto creaturæ continentur in Deo,& calor in lumine solis, & formæ in potentia materiæ,& sic de cæteris. Neque ratio est,cur alio modo virtute contineri dicantur. Nam quòd aliquid habeat suum esse alio nobilius, vt homo est nobilior leone,non arguit hominem continere virtute leonem:idque nonnisi quia homo non est eius causa, vt etiam colligitur ex Aristotele libro quarto Physicor. cont. 23. Iam ergo si illa Vbitas est virtute extensio, debet ipsa aliquo modo eius extensionis esse causa; nimirum aut effectrix,aut formalis, aut finalis,aut materialis. Certum autem est non esse materialem: quia extensio ex ea non educitur; neque in ea tanquam in subiecto est. nec effectricem: quia illa Vbitas est forma loci; nec agit quicquam, sed applicat Angeli potentiam ad effectum vt diximus. Nec finalem:extensio enim quæ sit effectus Vbitatis tanquam finalis causæ nulla assignari potest.Immò,vt ait Aristoteles lib. 2. Phys. cont. 81.forma & finis idem re sunt. Ergo si extẽsio esset in Vbitate tanquam in fine,in ea esset tanquã in forma.hoc autẽ dici non potest: nam deberet esse in ipsa tanquam in causa formali; quod est absurdum. quoniã si extensio esset in Vbitate tãquã in causa formali, deberet ipsa tribuere subiecto effectũ extensum;sicut album est virtute in albedine tanquam in causa formali,ergo faceret effectum formalem extensum, nempe Angelum in loco extensiuè,quod ipsi negabunt.Non ergo Vbitas virtute continet extensionem. Aristoteles.

Colligitur secundò, non sequi hanc formam seu applicationem extensam esse corpoream.Nã non omne quouis modo extẽsum est corporeum. Constat enim habitus tum intellectus tum voluntatis esse aliquo modo extensos, quia diuisibiles sunt secundum intensionem per gradus eorumq; partes;vt est lumen gloriæ,charitas,scientiæ &c.Quæ tamen affectiones animi incorporei sunt,ideóque ipsæ penitus incorporeæ.Sic etiam Angeli dum mouentur motu continuo sunt subiecti ipsi motui extenso; qui motus quoniam è substantia Angeli incorporea educitur,incorporeus quoque sit oportet ob rationem suprà dictã. Sic etiam infrà suo loco dicam durationem Angeli esse quandam extẽsionem partiũ succedentium,per quarum vnam formaliter coëxistit Angelus vni parti tẽporis,per alteram alteri: & hãc Scoti ac S.Bonauenturæ sententiam non aduersari A. Doctori. Et tamen certum est ipsam durationem incorpoream esse;nec aliquid assignari in ea posse, vnde ad esse corporeum reducatur; ergo non sequitur hanc Vbitatem esse affectionem corporis, etiamsi ipsa extensa sit.

Colligitur tertiò, nec sequi ex hac forma extensa subiectum extendi,vt volebant aduersarij. Nam non quælibet forma extẽsa extendit subiectum in quo est,vt habitus prædicti ipsi sunt extensi & diuisibiles in partes suas, non tamen faciunt animum extẽsum, in partesque diuiduum, vt etiam de motu cõtinuo, & de illa Angelorum duratione

durationе dicebamus. Ratio autem disparitatis inter formas, quæ sunt extensio & faciunt subiectum extensum; nempe quod habeat partes extra partes non diuisas; & eas formas quæ item sunt extensio, non tamen faciunt subiectum extensum, ea omninò est: quia illæ solæ formæ faciunt subiectum extensum quæ eam naturam habent, vt ipsæ sint ratio extendendi subiectum, seu quæ sunt extensio *vt quo*: At verò illæ quæ per se sunt extensæ; nimirum *vt quod* non faciunt subiectum extensum. & hujus generis sunt habitus motúsque prædicti. inter quas reponenda hæc est forma, de qua disserimus, quandoquidem cum eius natura postulet educi, atque esse in subiecto omninò incorporeo atque indiuiduo, non potest esse ratio illud in partes extendendi, ita vt vna eius pars sit sub vna parte formæ, alia sub alia, & totum sub tota cum subiectum his partibus careat.

Colligitur quartò, nec sequi hanc ipsam vbitatem esse quantitatem. Nam vt dixi non omnis extensio est quantitas propriè. quales diximus esse extẽsiones habitus, motus. &c. Immo vt ostendi ex sententia Aristotelis lib. 5. Physicor. in Digressione de rerum materialium extensione, omnis forma materialis habet suam extensionem secundum partes extra partes inter se copulatas quæ extensiones non sunt formaliter à quantitate. Non solùm enim quantitas est extensio suarum partium copulatarum, sed etiam calor est sua extensio partium, quæ sunt substantialiter calor, nec copulantur punctis quãtitatis, sed suis; siue actu sint, siue potestate iuxta varios philosophandi modos.

Aristoteles.

Non omnem extensionem Aristoteli esse quantitatem. §. 3.

QVod ne à Peripateticorum via deflectere videamur, nunc quàm id consentaneè ad mentem Aristotelis asseratur breuiter indicabimus hoc vnico argumento. Etenim id omne suã propriam habet continuationem, cui possunt assignari propria extrema, quibus eius partes aut continuentur, aut contigua sint. Sed formis plurimis Aristotelis sententia possunt assignari huiusmodi extrema. Ergo plurimæ formæ ex Aristotelis sententia suam propriam continuationem seu partium extensionem habent. Maior est per se nota.

Primum de extremis, quibus continuantur partes patet; quia propria extrema continuantia non possunt esse nisi in ente suas partes habente; nempe in ente per se continuo. illud enim necesse est sit per se continuum, cuius sunt propria extrema quibus eius partes copulantur. Ergo id omne habet propriam extensionem, cuius sunt propria extrema, quibus copulentur partes illius. Antecedens probatur, & primò quòd debeat esse continuum. Quoniam si vnum sit eius proprium extremum, cui partes copulentur, hoc ipso continuum est. Vt enim docet Aristoteles libro quinto Physicorum, contextu vigesimosexto, illa sunt continua, quæ vno termino se tangunt; hoc est cuius partes habent vnum communem terminum, per quem simul sunt, vt duæ partes vnius lineæ copulantur in puncto. Ideo addit ibidem dici continuum quasi

A vno termino *contineantur* nempe partes. Quæ definitio non differt ab ea, quam idem Aristoteles tradidit in Prædicamento Quãtitatis, vbi definiens lineam continuam ait esse eam, in qua *est* inquit *sumere communem terminum pũctum ad quem partes eius copulantur*. Idem ergo est, cõtinuum esse cuius partes se vno termino tangũt, & cuius partes copulantur termino communi. Ex quo etiam intelligitur alia definitio tradita ab Aristotele li. 11. Metaphys. sum. 4. cap. 4. in fine; vbi eodem ferè modo de continuo loquitur, vt lib. 4. Phys. cont. illo 26. *Continuum* inquit *est attiguum aliquod quod vtrisque est idem & vnus terminus, quibus tangunt & se continuant.* Ergo id cuius sunt propria extrema quibus eius partes copulentur, est continuum.
B

Quod autem sit per se continuum; hoc est non ob aliam formam nempe quantitatem, probatur. Si etenim aliquid habet propria extrema quibus eius partes copulantur; ergo partes copulatæ sunt propriæ illius non alterius formæ. Aut enim partes non distinguuntur ab huiusmodi extremis indiuisibilibus: aut si distinguuntur ipsa sunt partium modi, qui immediatè intercipi debent inter partes, quarum sunt modi; vt puncta inter partes lineæ, & linea inter partes superficiei. ergo non inter partes alterius formæ.
C ergo illæ partes copulatæ non sunt quantitatis, sed eius continui, cuius propria sunt illa extrema. quia alioqui illa indiuisibilia intercipi oporteret inter partes quantitatis quas copularet, nõ eius cuius sunt propria extrema; vt punctum proprium caloris esset inter partes lineæ quantitatis, ac proinde eas copularet, non partes caloris. Constat ergo debere esse per se continuum.

Similiter eadem Maior probatur de extremis, quibus partes contiguę sunt. Et primùm quidem, quòd ea quorum sunt propria extrema debeant esse continua patet apertè, quia extrema quibus
D partes contiguæ sunt, debent necessariò esse continuorum, quia contigua per extrema se tangunt contactu quem vocant Mathematicum. Et ideò definiuntur cõtigua quorum extrema sunt simul ab Aristotele lib. 5. Phys. cont. illo 26. & cap. illo 4. vt duę superficies corporum se tangentiũ sunt, &c. Si ergo sint extrema quibus contiguentur partes, necesse est sint eorum, quæ continua & extensa necessariò sunt. Ergo ea quorum sunt propria extrema debent esse continua.

Deinde quòd per se continua sint, non ob aliã formam, probatur: quia nulli formæ debentur propria extrema indiuisibilia, quibus illæ formę se contingant, nisi sint per se continuæ, & per se habeant partes, quæ illis extremis terminentur.
E Extrema enim terminantia non terminãt primò & immediatè nisi partes, quarum propria sunt extrema. Non enim punctum terminat immediatè, & per se nisi lineam, & linea nonnisi superficiem, &c. Idque nonnisi quia harum rerum sunt propria extrema. Quorsum enim ea assignarẽtur alicui tanquam propria, nisi eius sint propriæ & per se partes? Sicut enim partes essent alterius, ita & termini ipsi alterius essent quibus partes terminantur.

Præterquam quod huiusmodi indiuisibilia si à suis partibus distingui debent, non nisi modaliter distinguuntur. Ergo si sunt propria alicuius formæ, non debent terminare alienas partes: Terminarent autem alienas partes, si non essent

essent propriæ partes eius, cuius sunt propria indiuisibilia; vt si assignemus extrema caloris, & frigoris, quibus se contingunt in contiguis partibus eiusdem continui, hæc non terminant partes quantitatis, sed caloris. vnde, vt pòst constabit, adeò terminãt partes suarum formarum, vt eas faciant contiguas, etiamsi partes quantitatis continuæ sint. Id ergo continuum cuius extrema sunt propria habet per se suas partes, ac proinde per se continuum est. Atque ita probata Maior propositio est.

Minor probatur, quod scilicet Aristoteles plurimis formis assignauerit huiusmodi extrema. & primò de extremis quibus contiguentur partes; quia Aristoteles prædicta extrema etiam in eodem subiecto cõtinuo assignat formis contrariis, vt calori & frigori, &c. extrema inquam quibus contigua sint non continua, vt patet lib. 8. Phys. cont. 72. Ait enim contraria non posse continuari; quia non potest esse vnus terminus communis vtriusque contrarij, quia horum duo debent esse non vnum; vt si eiusdem continui ligni vnum dimidium sit frigidum, dimidium verò alterum calidum. *Quomodo* inquit *erit vltimum idem contrariorum vt dealbationis & denigrationis?* Negat autem postea ea facere vnum continuum, aut esse vnum extremum, eo quòd *duo sunt vltima.* Ex qua etiam doctrina libro 5. Phys. cont. 40. negauerat quoscunque motus diuersæ speciei continuari posse, vt si quis statim post cursum febri corripiatur. *Postquam enim cucurrit aliquis statim febricitare potest*, &c. *Quare contigui & consequenter sunt.* Ergo huiusmodi formæ Aristotelis sententia habent sua propria extrema. Propria inquam hoc est independenter à quantitate quibus contiguentur: quia illa duo extrema quibus se illæ formæ contingunt, non sunt formaliter quantitatis. Etenim in quantitate continua in qua ponimus illas se contingentes formas non possunt duo indiuisibilia simul sed vnum assignari cui partes copulantur: alioqui continuum non essent, sed contigua. ergo huiusmodi extrema non sunt formaliter quantitatis, ac proinde ea sunt ipsarum formarum propria. quia aliunde esse non possunt.

Aristoteles.

B

Quod si quis fortè dicat ea extrema esse à quantitate dependenter; Tunc demonstrandum est non rectè id dici, quia si sunt dependenter à quantitate; ergo dependenter à quantitate formaliter. nam efficienter dependere ab ipsa nequeunt. At hoc est falsum. quoniam nihil dependet ab alio tanquam à forma nisi eius effectus formalis; nempe quod ex ipsa forma concretum est & formæ subiecto: vt homo dependet ab anima, & calidum à calore, &c. At illa extrema non sunt huiusmodi concretum ex extremis quantitatis, quia vt dixi assignari duo extrema in quantitate illa non possunt.

Deinde probatur eadem minor de extremis quibus continuentur. Etenim quod habet propria extrema quibus continuetur cum alio habere debet proprias partes ex quib. sit aliquod per se continuum; quia vt modò probatum est huiusmodi extrema non debent alienas partes terminare. ergo Aristoteles assignat extrema, quibus aut continuantur, aut contiguantur plurimis formis. Immò omnibus formis materialibus, quia quod diximus de contrariis pari ratione dici potest de quacunque alia materiali forma, atque adeò de materia ipsa. vt v. gr. albedo

A potest esse in aliqua parte subiecti continui, & immediatè post nigredo, & sic de aliis. in quas omnes saltem argumentum à pari referri potest. Possem etiam hanc nostram argumentationem confirmare aliis Aristotelis testimoniis; Vt quod dicat lib. 1. de Gener. cont. 78. ea quæ continua sunt non posse agere & pati. *Connatum* inquit *vnumquodque existens impassibile est* quod etiam dixit lib. 4. Phys. cont. 48. & lib. 8. Phys. cont. 30. Quod tamen apertè falsum est, si de continuo per solam quantitatem intelligatur. cõstat enim in vna continua quantitate si vna eius pars sit calida, altera frigida, ibi non solùm actionẽ non esse impossibilem; sed omninò fore necessariam, vt cum per partes aëris aut cuiusuis alterius corporis continui transmittitur ad vlteriores partes calor ab igne. ergo aliam extensionem ac quantitatem intelligit Aristoteles, præter eam quæ est quantitatis. Sed hæc aliáque complura prætermittantur in præsentia. Plura longe fusiùs diximus Disput. cit.

Aristoteles.

Quod si quis inquirat; si dantur aliæ formæ, quæ suam propriam extensionem habeant; ergo non erit proprium quantitatis esse extẽsum. falsum ergo Aristoteles dixit *Quantum esse diuisibile in ea quæ insunt* lib. 5. Metaph. cont. 18. ac proinde assignanda alia erit definitio Quãti per quam distinguatur à cæteris extensionibus.

Aristoteles.

C Respondeo distinguendo primum consequẽs. dupliciter enim aliquid dici potest extensum. vel primò quia habeat partes absolutè cõtinuas, vel quia eas habeat continuas ita vt eæ possint diuidi ac separari, seorsimque per se in loco existere independenter à quocunque alio. Hoc posteriore modo aio esse quanti naturam, cæteras extensiones non item. Nam per se in loco quanto existere etiamsi cætera separentur, conuenit quantitati non cæteris formis. vnde Aristoteles lib. 4. Phys. cont. 76. Si corpus cubum separetur à cæteris eius formis, adhuc tantumdem spatij occupaturum, ac proinde per se in loco existet, quantum occupasset cum cæteris formis coniunctum; quia nimirum per se existere in loco, D ac demonstrari hoc aliquid est quantitatis.

Ex quo patet ad secundam consecutionem. nego enim falsam esse Aristotelis definitionem. quæ sic ab ipso eo loco ponitur: *Quantum dicitur quod est in ea quæ insunt diuisibile, quorum vtrumque aut singulum vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Quia scilicet hoc aliquid hoc est vnum per se indiuiduum ratione quantitatis ostendi à nobis existens atque vbi sit possit. Immò quia Aristoteles putauit latiùs patere continuum, quam quantum non definiuit eadem definitione, qua quantum descripsit. Quia alioqui falsa fuisset definitio quæ vt vera sit cum definito reciprocari debet. *Continuum*, inquit lib. 4. Phys. cont. 26. E & 40. *cum vnus vtriusque terminus quibus tangunt*, vt ante explicabamus. Quomodo autem distinguantur quantitas & cæteræ extensiones longum est amplè disserere. Verumtamen distingui quantitatis extensionem à cæteris diximus eodem lib. 5. Phys. in eo quod quantitatis dimensio est talis, vt inde oriatur connaturalis impenetrabilitas corporum in eodem loco, cæterarum verò formarum talis non est, vt ibidem copiosè probatum est, vbi etiam explicauimus, cur ex sola quantitate fit, vt corpora scindi possint, quod fieri sine illa nequit. Nec plura de hac materia. Satis enim nobis in præsenti sit ostendisse

Aristoteles.

non

non rectè eos argumentari qui ex eo quod aliqua forma conceditur extensa, inferunt eam esse quantitatem. quasi omnis extensio sit ipsa quantitas.

Explicantur partes Vbitatis extensæ, & qua ratione collocetur in loco diuisibili, subiectum indiuisibile, &c. §. 4.

Colligitur quintò, quo pacto explicari possint partes illius Vbitatis. explicandæ enim sunt ex dictis hac ratione; nimirum quia per vnam partem formaliter totus Angelus applicatur vni parti loci, per alteram alteri & sic deinceps, ita vt vnius partis illius Vbitatis sit formaliter applicare totum Angelum vni parti loci; alterius verò applicare totum eundem Angelum alteri parti, &c. Sunt enim hi varij effectus formales partiarij pro varietate formarũ etiam partiariarum; sicut per vnam partem vnionis applicatur totus animus hominis pedi vni, per alteram alteri, per aliam cruribus, per aliam pectori, collo per aliam, per suam capiti, &c. Vnde sequitur, si varientur, aut partes Vbitatis aut ipsa tota Vbitas, varietur effectus formalis aut secundum partes aut secundum totum ad formæ variationem.

Quamobrem necesse non est, vt si Angelus applicatus loco centum palmorum se contrahat ad viginti, in quibus prius erat; producat totam Vbitatem de nouo per quam formaliter applicetur illis viginti palmis, sed satis est si ex illis centum palmis Vbitatis desinant esse octoginta, remaneant verò priores viginti. & contra si Angelus applicatus vigintipalmis se extendat ad alios octoginta nempe ad centum, satis erit si illis prioribus viginti producat alios octoginta, quibus formaliter illis applicetur totus per illius formæ continuationem ad reliquos præcedentes. Quomodo autem possint hi palmi qui de nouo adduntur iis qui præfuerunt continuari, philosophandum est proportione habita ad cæterarum rerum continuationes iuxta varias sententias; nimirum productione alicuius rei modificantis, ac terminantis ipsam extensionem, quodcumque illud esse dicatur. Sicut enim si diuidatur linea emergit punctus aut quiuis alius modus terminans: & si superficies secetur, linea vel quiuis alius modus eam superficiem de nouo terminabit: ita & in illis extensionibus suo modo erunt formæ terminantes. Neque enim absurdum existimari debet, quod detur modus modi, si sunt assignandi diuersi effectus è modalibus formis prouenientibus, dummodo negemus sequi progressionem in infinitum. Quod enim modus modi in quibusdam dari oporteat, patet. nam linea si datur est modus superficiei, & superficies est modus corporis, à quo superficies, & ab hac lineæ modaliter distinguuntur. ergo datur modus modi; sicut etiam punctus est lineæ modus. sic etiam existentia modus est essentiæ; & tamen existentiæ modus est subsistentia, per quam natura per se subsistit non in alio more accidentium. in quibus inhærentia quoque est modus existentiæ ipsorum, & sic de cæteris plurimis. Constat autem in his non esse abire in infinitum. quandoquidem perueniri ad primum atque ad vltimum citò potest.

Colligitur sextò; quomodo subiectum indiuisibile secundum substantiam nempe Angelus, sit totum sub qualibet assignabili parte illius modi. quod rectè explicari potest habita proportione ad animum rationalem dum corpus informat. etenim quemadmodum animus sua vnione tota toti inest corpori, hoc est omnibus illius partibus, & partẽ vnionis, quæ est in capite totus insidet capiti, &c. Ita & Angelus sua vnione tota, &c.

Duo tamen discrimina libet supponere, quæ clariùs rem illustrant. Primum est, quia vnio animi & corporis cum sit media inter materiam & animum non est in animo sed in materia tanquam in subiecto ob peculiarem illius rationem, cum vi agentis naturalis producatur, ac proinde actione materiali. ergo ex materia educenda est, ideóque modus ac forma materialis est, quia in subiecto quod est materia gignitur, terminatúrque ad animum, quem collocare potest modo indiuisibili ad corpus; nempe totum in toto corpore, & totum in qualibet eius parte. At verò Vbitas quæ est in Angelis immaterialis est, & è subiecto spiritali, quia non est ratio, cur aliunde educi dicenda sit. vnde est vt illa animum tanquam terminum suo subiecto vniat, hæc verò Angelum tanquam subiectum loco tanquam termino; nimirum extrinseco nectat.

Alterum est, quòd vnio animi per se & primariò tendit in vtrumque extremum, quæ copulantur, nec potest esse illa vnio, quin hanc copulandi functionem, munúsque obeat, & ideò ab vtroque extremo, cuius vtriusque est modus, solùm modaliter distinguitur. vnio autem Angeli ad locum non est primariò vnio formaliter vt antè docuimus, sed forma Angeli in tali esse illum constituens, vt secundariò faciat illũ corpori præsentem, si adsit ambiens; & idcircò ab hoc secundario munere potest absolui ob corporis ambientis absentiam. atque ita modus hic non hæret nisi Angelo, cuius substantiam intimè attingit; locum autem nonnisi extrinsecus, quia illi ne tanquam termino quidem intrinsecó hæret ex necessitate. vt vnio animi intelligẽtis, quæ intrinsecè ipsum animum tanquam terminum afficit, cum vnio intrinseca esse debeat tam subiecto quàm termino, si ex illis vtrisque vnum per se conflari debeat. Quemadmodum 3. p. q. 2. dixi, vnionẽ quæ in Humanitate Christi est tanquam in subiecto, afficere tamen Verbi diuini hypostasim, non quidem tanquam subiectum, sed tanquam intrinsecum terminum cum quo Humanitas vnita facit vnum substantiale per se; nempe vnam personam. Quam vnionem negabat Nestorius esse hypostasi intrinsecam, quia volebat Verbum extrinsecus vnionem terminare, quasi Humanitas Christi non aliter Verbo vniretur, quam studio atque affectu voluntatis. Quæ omnia ibidem refutata sunt. Nestorius.

Colligitur septimò, falsum esse quod contrarij auctores aiebant, vt retulimus, nempe hanc Vbitatem esse virtute extensam, sicut habitus dicitur habere diuisionem, cum extenditur ad plures conclusiones. ex dictis enim manifesto discrimine impugnari potest. Nam hæc Vbitas debet seipsa actu & formaliter collocare præsentem

sentem toti loco extenso Angelum, vt etiam ipsi fatentur. ergo si extenditur ad varias loci extensas partes, se ipsa actu & formaliter, nimirum tanquam huius effectus actuali forma, non virtute aut efficientia in illis iisdem collocare illũ debet. Non sic est habitus respectu conclusionũ, quæ ex ipso eliciuntur, si vnus habitus ad plures huiusmodi conclusiones se extendat. Nõ enim extenditur ad illas, tanquam ad varias extensásque actu partes, cum quibus debeat constituere effectum formalem per suam entitatẽ. sic enim deberet applicari per diuisibiles partes, per quarum vnam vni applicetur, per alteram alteri: esset enim eadem ratio; sed sua innata vi illas varias conclusiones elicit in sua facultate cuius est habitus. Quandoquidem in illis reperitur formalis ratio specifica obiecti sui, vt Temperantiæ, scientiæ, &c. Quemadmodum vna indiuisibilis facultas videndi, audiendi, &c. elicit varios actus etiam specie diuersos, in quibus tamen ratio formalis, quæ per se respicitur à potentia illa repetiatur. Non ergo mirum, si aliquid sua vi indiuisibili atque effectrice producit varios actus, non possit tamen forma indiuisibilis collocare subiectum in variis extensisque partibus: quia nimirum forma non potest constituere varios effectus partiarios, nisi ipsa partes habeat, quibus varij illi effectus constituuntur. Sicut nec potest vna pars caloris, quæ sit in manu v.g. facere formaliter calidum subiectum quod sit extra manum, nempe bracchium. At potest vnum idémque efficiens in se non diuisum in partes producere varios effectus, quia hos non debet per varias sui partes constituere, cum satis sit ab eo pendeant efficienter.

Colligitur vltimò, an Angeli Vbitas qua collocatur in vno loco, sit diuersa essentialiter ab Vbitate, qua collocatur in alio, an verò solo differant hæ partes numero. Dicẽdum enim ex dictis est, solo numero differre tanquam partes & partes vnius continui. Nam si Angelus possit esse in loco centum palmorum, non tamen se applicet nisi decem palmis, rursus per aliam vnionem aliis decem palmis illorum centum, tunc certum est, has duas Vbitates solo numero differre. Nam sunt eiusdem prorsus rationis, ac esset illa Vbitas, per quam Angelus simul se applicasset illis viginti palmis. non enim est vnde differant natura, ergo differunt numero. Ratio vniuersalis est; quia neque ex parte subiecti differunt, neque ex parte terminorum, neque ex parte efficientis aut finis; ergo non differunt. Et quidem non ex parte subiecti; quia est idem: non ex parte termini; quia per se & primariò non est ad illum; & quamuis primariò esset ad illum, non tamen argueret diuersitatem, sicut nec in proiectis & animantibus: non ex parte finis; nempe intimi, quia finis est effectus ille præsentiæ: non ex parte efficientiæ, quia producitur ad nutum voluntatis Angeli. quandoquidem debet posse Angelus se mouere ac collocare vbicunque ei libuerit, quemadmodum animantia sibi producunt suas præsentias pro suo arbitrio. Verùm autem id fiat per intermedias facultates motrices an non parum id ad rem propositam refert. Constat ergo non necessariò distingui has Vbitates efficientia diuersarum causarum, sicut nec in animantibus.

Integra Vbitatis definitio, responde-turque argumentis. § 5.

EX his colligi potest integra definitio totius huius Vbitatis Angelicæ, quam in hac Difficultate assignare proposuimus. Pro qua re sit

Vltima propositio. Vbitas Angeli qua se collocat in loco extenso, nihil est aliud nisi modus quidam immaterialis atque extensus viribus Angeli productus, quo formaliter habet Angelus tale esse, vt corpori sit præsens tanquam loco, si adsit toto quidem modo omnibus loci partibus; eius autem singulis partibus singulis item partibus loci, voluntate eius ferè semper productus in ipso, vt illud tale esse in se habeat. Dixi tamen in loco extenso. Nam vtrùm possit esse in loco indiuisibili, dicemus à seq. déq; eius Vbitate. Dixi ferè semper. etenim in prima Angeli procreatione Vbitas determinata à Deo fuit, quandoquidem non suberat Angeli arbitrio, vt hic aut alibi procrearetur. Propositio est verissima; & continet integram definitionem à priori explicantem eiusdem Vbitatis naturam. Nam datur ex causis adæquatis, quæ naturam huius formæ perspicuam faciunt, vt ex fine adæquato intimo & proximo, qui est effectus ab ea constitutus; nempe Angeli esse tale ex quo sequitur propinquitas & præsentia ad locum. Quo pacto à priori Aristoteles libro 2. de An. cont. 5. & 7. dixit animam esse actum corporis organici viuentis. eius enim est forma; & cont. 24. ibidem eandem dixit: *principium quo primo viuimus*, &c. Addidimus causam efficientem extrinsecam, nempe à qua eius productio pendet. Et finalem extrinsecam, vt corpori sit præsens, vt meliùs declararetur. Tandem non præteriuimus materialem, quia accidens definitur per subiectum: nec omisimus formalem, hoc est prædicata eius essentialia posuimus, quia eius essentia in his consistit, licet relatè ad suas causas quas posuimus, quia est relatio, non tamen prædicamentalis sed transcendentalis. De finali non est dubium: nam intrinsecus finis & effectus formalis; extrinsecus verò est operatio, ad quam exercendam se in loco reponit Angelus.

Aristoteles.

Ex his respondetur ad argumenta initio facta in ratione dubitandi. Ad primum enim nego omne quod applicat etiam formaliter rem loco materiali, esse materiale. nam alioqui cum applicatio creaturæ incorporeæ debeat esse forma ipsi creaturæ incorporeæ inhærens, materialis esset, ac proinde materiale hæreret subiecto immateriali; quod est falsum. De vnione autem animæ non est mirum ipsam esse materialem: quia vt diximus, educitur de materia, eique inest tanquã subiecto, licet in animo insit tanquam termino, quem verè atque intimè afficit, vt antè diximus. Ad secundum nego ipsam esse indiuiduam, quia ostensum est habere partes. Neque verum est quod educitur de subiecto indiuiduo ipsum debere esse indiuiduum: quia, vt diximus, habitus & motus educitur de substantia Angeli, & tamen ipsi habent partes.

Superesset hic Difficultas; quo pacto Vbitas habeat partes permanẽtes, cũ Angelus quiescit in loco, & effluentes cum Angelus mouetur. Quæ Difficultas maior etiam in corporibus videtur.

detur. quandoquidem Vbitas cum in singulis momẽtis pereat æqualiter. v.g. palmaris in mobile palmari non faciet infinitũ actu per transitum. Præterea quia Vbitas successiua atque effluens non videtur eiusdem naturæ ac permanens; vnde est vt difficilis sit explicatio, quomodo illa permanens, quæ debet esse terminus successiuè pereuntis possit terminare ipsam Vbitatem, quæ in motu effluit. Verùm de corporibus satis diximus lib. 4. Phys. Disput. de loco, & Capreolus super. Difficult. Sanè videtur eadem Difficultas de motu: Quia in quolibet instanti periit palmus in mobile palmari; ergo infiniti palmi perierunt; ergo non vrget argumentum, quia communem Difficultatem petit. Quo etiam modo redarguit veterum argumentum Aristoteles libro 4. Phys. cont. 63. quo illi probabant dari vacuum; nempe ex iniectione cineris in vas aquæ plenum, vt demonstraret in eo vase dari vacuum. Ostendit enim etiam ipsis incumbere curam eidem argumento respondendi, quia eo argumento probatur totum vas esse vacuum, nec in eo esse aquam; & ita concludit Aristoteles. *Dubitationem igitur communem volunt soluere, sed non vacuum demonstrant quod est, aut totum corpus vacuum necessarium est* &c. De Angelis verò dicemus art. seq.

Aristoteles.

ARTICVLVS SECVNDVS,

Vtrùm Angelus possit esse in plurib. locis simul.

1. d. 17. q. 3. a. 2. & q. 4. a. 1. c. & 4. d. 44. q. 2. a. 3. q. 1. & po. q. 3. a. 19. 1.

AD secundũ sic proceditur. Videtur, quòd Angelus possit esse in pluribus locis simul. Angelus enim nõ est minoris virtutis quàm anima. Sed anima est simul in pluribus locis, quia est tota in qualibet parte corporis, vt Augustinus dicit. Ergo Angelus potest esse in pluribus locis simul.*

* lib. 6. de Trin. 6. c. 3.

2. Præterea. Angelus est in corpore assumpto, & cum assumat corpus continuum, videtur quòd sit in qualibet eius parte. Sed secundùm partes eius considerantur diuersa loca. Ergo Angelus est simul in pluribus locis.

3. Præterea Damascenus † dicit, quod vbi Angelus operatur ibi est. Sed aliquando operatur simul in pluribus locis, vt patet de Angelo subuertente Sodomam. Ergo Angelus potest esse in pluribus locis simul.

† lib. 2. Orthod. fidei c. 3. & l. 1. c. 7.

Sed contra est quod Damascenus dicit, quòd Angeli dum sunt in cælo, non sunt in terra.*

* lib. 1. c. 3. circa mediũ.

Respondeo dicendum, quòd Angelus est virtutis & essentiæ finitæ. Diuina autem virtus, & essentia infinita est; & est vniuersalis causa omnium, & ideò sua virtute omnia contingit, & non solùm in pluribus locis est sed vbique: virtus autem Angeli quia finita est, non se extendit ad omnia, sed ad aliquid vnum determinatum. Oportet enim quicquid comparatur ad vnam virtutem vt vnum aliquid comparari ad ipsam. Sicut igitur vniuersum ens comparatur vt vnũ aliquid ad vniuersalem Dei virtutem, ita & aliquod particulare ens comparatur vt aliquid vnum ad Angeli virtutem. Vnde cum Angelus sit in loco per applicationem virtutis suæ ad locum, sequitur quòd non sit vbique, nec in pluribus locis, sed in vno loco tantùm.

Circa hoc tamen aliqui decepti sunt. Quidam enim imaginationem transcendere non valentes, cogitauerunt indiuisibilitatẽ Angeli ad modum indiuisibilitatis puncti. Et ideò crediderũt quòd Angelus nõ posset esse nisi in loco pũctuali. Sed manifestè decepti sunt. nã punctũ est indiuisibile habens situm. Sed Angelus est indiuisibile extra genus quantitatis & situs existẽs. vnde nõ est necesse quòd determinetur ei vnus locus indiuisibilis secũdum sitũ, sed vel diuisibilis vel indiuisibilis, vel maior vel minor, secundùm quod voluntariè applicat suã virtutẽ ad corpus maius vel minus. Et sic totum corpus cui per suam virtutem applicatur, correspondet ei vt vnus locus. Nec tamen oportet quòd si aliquis Angelus mouet cælum, quòd sit vbique. Primò quidem, quia non applicatur virtus eius nisi ad id quod primò ab ipso mouetur. Vna autem pars cæli est in qua primò est motus, scilicet pars Oriẽtis. Vnde etiam Philosophus in 8. Phys. virtutem motoris cælorum attribuit parti Orientis. Secundò, quia non ponitur à philosophis, quòd vna substantia separata moueat omnes orbes immediatè. Vnde non oportet quòd sit vbique. Sic igitur patet quod esse in loco, diuersimodè conuenit corpori & Angelo & Deo. Nam corpus est in loco circumscriptiuè: quia commensuratur loco. Angelus autem non circumscriptiuè, cum non commensuretur loco, sed diffinitiuè, quia est vbique.

Et per hoc patet de facili respõsio ad obiecta, quia totũ illud cui immediatè applicatur virtus angeli, reputatur vt vnus locus eius, licèt sit continuũ.

Explanatio & Confirmatio eorum quæ hic dicuntur.

RESpondet A. Doctor Angelum in pluribus locis esse non posse. Probat ratione, quæ sic formari potest; quia id quod est in loco per applicationem suæ virtutis finitæ debet tantùm esse in vno loco. Sed Angelus est in loco per applicationem suæ virtutis finitæ. Ergo tantùm debet esse in vno atque ita non in pluribus. A Doctor.

Maiorem probat: quia omnis virtus finita est determinata ad vnum, cum omnia quæ comparantur ad vnam virtutem, comparentur vt vnũ. Quo pacto etiam vniuersum ens comparatur etiam vt vnum ad vniuersalem, infinitámque Dei virtutem. ergo ens particulare vt vnum comparari debet ad virtutem finitam. ergo quod est in loco per applicationem finitæ virtutis, est in loco per applicationem eius virtutis, quæ est determinata ad vnũ particulare. ergo debet esse in vno loco nẽpe particulari. quia sc. alioqui non esset determinatũ ad vnũ particulare, sed posset ad plura particularia se extendere simul.

Minorem probat. & quòd Angelus sit in loco per applicationem virtutis ostenderat superiore art. Quòd virtutis finitæ probat: quia virtus Angeli non se extendit ad omnia, in quo differt à Dei virtute, quæ est infinita sicut eius essentia; & ita Dei virtus se extendit ad omnia & vbique. Vult ergo virtutem Angeli esse finitã, sicut eius essentia, & ita esse in loco determinato nõ vbiq; quod superiore ar. dixerat: esse autem in vno loco determinato; quia est ad vnum determinata.

Hanc eandem ferè rationem vsurpauit A. Doctor in 1.d.37.q.3.a.2. Subdit deinde in hoc art. Angelum posse esse in loco siue diuisibili siue indiuisibili, non tamen quantocunque; vnde nec esse in toto cœlo quod voluit ac rotat. Quod etiam dixit in 1. sentent. loco cit. Dixi ibi ferè eandem rationem vsurpatam esse. nam paulò aliter eam ordinauit. Probat enim hanc ipsam conclusionem: Quia *angelus* inquit *est natura finita, & per consequens virtutis finita*. Hîc etiam à priori ostendit, virtutem finitam vel infinitam oriri ex essentia finita vel infinita. atque ita quoad hoc sibi mutuò hæc duo loca respondent. Sequitur ibi. *Impossibile est autem quod ab vna virtute finita procedat nisi vna operatio*. Ex quo implicitè infert Angelum non posse esse nisi in vno loco. Nam si non potest ab ipsius virtute finita procedere nisi vna operatio. Ergo ipsa erit circa vnum locum, in quo solo collocet Angelum: quia *vna operatio est quæ terminatur ad vnum operatum; & ita oportet quod operatum Angeli sit vnum* nempe locum *circa quod immediatè operetur*. Itaque ex essentia arguit virtutem, ex virtute operationem, ex operatione operatum, ex operato locum.

In qua ratione notari oportet discrimen vtriusque loci. Hîc enim dixit Angelum esse in loco per applicationem virtutis, ibi per operationem. atque ita hîc melius sentit. quanquam nec ibi in 1. sent. intellexit operationem transeuntem tanquam essentialem loci formā. Nam vult Angelos in cœlo empyreo esse absque vlla operatione transeunte vt patet ad 2. & nos eius verba referemus Quæsi. seq. Difficult. 3. in proposit. Deinde hic probat Angelum esse in loco vno per comparationem ad virtutem finitam particularem, cui respondere ait vnum particulare, sicut generali virtuti vnum vniuersale bonum: Ibi, quia virtuti finitæ respondere ait vnam operationem ex qua infert vnam loci formam esse oportere. Quod quidem consentaneè dictum est ad eam operationem Angeli ex qua statuit ibi oriri formam loci. quasi dicat, ex vna virtute oriri vnam formam constituendi Angelum in loco, ac proinde non esse nisi vnum effectum & vno in loco constitutum. Nos autē in præsenti explicare tantùm per se conabimur quæ in hoc art. quem explicandum suscepimus dicuntur. Quæ quidem difficilia prorsus sunt; & pretium est operæ, vt ob reconditas veritates ea examinentur diligentiùs. Sit ergo

QVÆSITVM PRIMVM,

Vtrùm firma sint quæ in proposita ratione ab A. Doctore afferuntur.

HIc articulus duas ha bet partes. In altera enim rem propositā concludit. In altera verò locum Angelicum ita explicat, vt quātus esse possit, edoceat. In hoc autem Quæsito priorē partē declarare est animus: in posteriore posteriorē.

Caietanus. In ea autem priore parte excitat tres dubitationes circa prædicta Caietanus in commentario huius art quas ipse sua obscura subtilitate inuoluit potiùs quàm explicet. Totus autem est in inuestiganda veritate eius propositionis; Vtrùm scilicet & quomodo virtus omnis sit ad vnum. Quo autē pacto id quod est in loco per applicationem virtutis determinatæ ad vnum sit in vno tantùm loco non dubitat. Ordiemur ergo ab iis, quæ Caietano dubitandi molestiam attulerunt, quibus A expeditis subiiciemus alia quæ ipse prætermisit.

Ex aliis verò Theologis vix vllū his de rebus cogitasse nedum disputasse video. vel quia ipsis visa sunt perdifficilia: vel quia inutilem iudicarint in his rationibus ponderandis laborem fore. Quod tamen nobis aliter videri debet. Nam si difficilia sunt, eò laudabilior existet conatus ad rerum veritatem, vt posteris detur occasio vel confirmandi si quæ rectè dicta sunt, vel subtiliùs inquirendi quæ veriùs dici poterant. Impendere verò multum operæ ac laboris in colligenda Theologica veritate, quæ in A. Doctoris argumentis plerunque latere solet, æquè gratum esse debere omnibus puto; quemadmodum iucundū B iis qui rectum iter amiserunt accidere solet, cum quis è specula lumen ad amissum iter quod sequantur, ostenderit. Sit ergo

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm verum sit omnem virtutem finitam esse determinatam ad vnum.

LOngissimam ac penè immensam huic difficultati commentationem contexuit Caietanus. Nec illi aliud propositum est magis, quam C vt planum fiat quo tandem pacto virtus finita dicatur ad vnum determinata. Igitur vt hæc examinet, in vtrâque partem dubitationes exagitat.

Pro Parte autem aduersante Caietanus in hoc Caietanus. art. 2.§. *Circa hanc partē*. sic potissimùm arguit. Aut sermo est de omni prorsus virtute; aut solùm de aliqua puta creata. Si primum; ergo sequitur diuinam virtutem determinari ad vnum. & virtutem rationalem non respicere nisi vnum; cum tamen illud sit falsum, quia Deus multa simul facere potest. hoc autem sit contra Aristotelem lib. Aristoteles. 9. Metaph. cont. 3. & 10. vbi ait, potentias quæ *cum ratione sunt esse contrariorum*. Quod ipse A. Doctor hic. q. 62. ar. 8. ad 2. & sæpissimè alibi confir- D mauit. Si secundum; hæc ait consequi absurda. Primum quidem quia esset probanda huiusmodi propositio, cum non constet de huiusmodi veritate: Deinde quia etiam inter virtutes creatas sunt rationales quæ sunt ad opposita. Tandem quia nulla significatur A. Doctoris verbis restrictio, vt propositio intelligatur de certo genere. Si tamen dicatur debere subintelligi restrictionem hanc, certè id esset ex duobus capitibus, scilicet aut ex differentia virtutis naturalis & voluntariæ: aut ex differentia virtutis finitæ & infinitæ. Quæ tamen ex vtroque capite restrictio etiāsi admittatur nihil facit. Etenim si restringitur propositio de virtute naturali; ergo non facit E ad propositum, quia Angelus agit ex voluntate, nō ex natura. Si de volūtaria; ipsa ad opposita fertur, ergo falsum est esse determinatam ad vnum. Si denique intelligi debeat de virtute siue finita siue infinita; parū refert; quia si voluntaria vtraque sit, iam vtraque fertur in vtrumque oppositorum vt diximus. Si necessaria: ergo fertur ad vnum; quæ tamen ad Angelū referri non potest. qui vt diximus ex voluntate arbitrióque operatur. Atque hæc vbi Caietanus arbitratus est se satis explicasse confert se ad alias duas dubitationes; vnam qua quærit de qua vnitate virtutis sermo sit: alteram de qua vnitate effectus, eásque longa disputatione examinat. ad quas omnes dubitationes dicemus hoc eadem Difficultate.

Vt

Caietanus. Vt autem his difficultatibus Caietanus faciat satis, plurima notat quæ prætereunda in præsentia duximus. Summa responsionis est: Propositionem illam in duplici sensu veram esse, eóque vniuersali. Primum quidem loquendo de vno, tanquam de obiecto formali virtutis, quod ipsi virtuti speciem tribuit, atque vnitatem; non autẽ de obiecto materiali. Sic enim verum est generatim, vnam virtutem esse vnius obiecti formaliter; hoc est habentis vnam rationem formalem ad quam primò & per se tendat virtus: Quia *omnis virtus* inquit *respicit vnam rationem formalem in suo obiecto adæquato, alioqui vna non esset formaliter.* Et sic tam de potentia diuina quam de rationali docet per se respicere vnum. Illa quidem, nempe diuina; quia per se respicit esse; cætera verò, *in quantum sunt essendi modi & participationes, & propterea potest plura producere formaliter sub ente, quemadmodum & visus potest plures colores videre sub vno tantũ genere.* Hęc verò quia per se respicit vnũ oppositorum; alterũ verò nonnisi secundariò ex lib. 10. Metaph. vnde ait virtutem Angeli, qua custodit, præsidet, mouet, facit quicquid facit esse vnã realiter & formaliter. realiter quidem, quia est in vno subiecto. formaliter verò, quia illæ omnes operationes tẽdunt in obiecta, in quibus assignari potest vna ratio formalis communis generica vel analoga. Ait tamen A. Doctorem sibi non proposuisse hunc vnitatis sensum, quoniam vnitatem numeralem concludere intendit, vt probet ex eo, Angelum esse in vno tantùm numero loco. Alium verò ait esse sensum si sermo sit non de vno obiecto, sed de vno effectu, vt illa sit vna virtus, quæ est ad vnum effectum. In quo etiam sensu veram esse ait generatim illam propositionẽ, quia virtus quæ sit realiter ac formaliter vna, etiamsi habeat multos ex se effectus, tamen ad illos omnes comparatur tanquam ad vnum solum totalem effectum. Quis verò sit hic effectus totalis ex Caietano non liquet.

Quà in re non sit Caietanus mentem A. Doctoris veritatémque doctrinæ assecutus omnino. §. 1.

VErumtamen tametsi non nego hæc à Caietano subtili sanè ingenio excogitata esse ad A. Doctoris doctrinam stabiliendam; tamen duo mihi probari nõ possũt in hac eius explicatione, quam longissimam videre potes apud ipsum. Primum quidem est in eo, quòd doctrinæ quam tradit veritatem non vsquequaque assecutus sit, vt mox patebit. Alterum in eo est, quòd ad mẽtem A. Doctoris nihil ferè dixerit; vt in secundo *Colligitur* infrà ostendetur. Ad solutionem ergo

A.Doctor. Notandum est, cum ait A. Doctor virtutem esse determinatam ad vnum, seu vt ipse loquitur: *Quicquid comparatur ad vnam virtutem comparari vt vnum*, per se intelligendum esse de vna numero virtute ac finita; deinde etiam de vno numero, quod ab ipsa virtute procedat tanquam eius effectus, aut operatio. Vtrumque manifestum est ex libro 1. sent. d. 37. q. 3. a. 2. c. vbi idipsum eodemque ferè vt vidimus argumẽto probare nititur. Siquidem probat, *Angelum non posse esse in pluribus locis simul, quia est natura finita, & per consequẽs virtutis finitæ.* Cui Maiori immediatè Minorem subiicit, & consecutionem hoc pacto: *Impossibile autem est, vt quod ab vna virtute finita procedat nisi vna operatio, operatio autem vna est*

A *quæ terminatur ad vnum operatum; & ideò oportet quod operatum Angeli sit vnum circa quod immediatè operatur.* Ac proinde docet, vt ante dicebamus, vnũ esse locũ Angeli vbi operatur. Constat ergo ipsũ loqui de virtute finita, quæ vnã numero habeat operationem & vnum effectum; ac proinde eam virtutem intelligit, quæ ipsa sit vna numero & singularis. Sola enim natura singularis, non cõmunis, operatur; cum actiones & singularium sint & circa singularia, vt docet Aristoteles libro 1. Met. cap. 1. & A. Doctor 2. 2. q. 58. a. 2. c. & 3. p. q. 19. a. 1. ad 3. & q. 20. a. 1. ad 2. & alibi frequenter.

Secundò idem manifeste patet ex fine, quem sibi proponit A. Doctor in art. in quo id concludi volebat, B vt Angelus simul non sit vllo modo in pluribus locis, sed in vno tantum in quo operatur: id autem probat, quia ad vnam virtutem finitam quicquid comparatur comparatur vt vnum. Si autem intelligeret vnum vel vnitate obiecti vel effectus totalis &c. impertinens id esset ad complexionem. Quia esto virtus tendat ad vnum obiectum formale, & ad vnum effectũ totalem; nego tamen sequi esse Angelum vno tantùm in loco numero, quia locus vnus numero neque erit obiectum formale, neque effectus totalis; dicéntque aduersarij plures locos esse eius virtutis effectus adæquatos. Si autem intelligat C vnam numero virtutem, vnum numero effectũ, vnamque numero operationem, optimè propositum concludit. Quia si virtus vna numero vnã solam operationem elicit, vnúmque effectum producit; ergo vna numero forma quæ sit vnius virtutis applicatio ad vnum quoque locum numero erit. Confirmatur nostra hæc explicatio; quia in hoc art. cum dixisset A. Doctor, vnum etiam comparari ad virtutem diuinã, vt vniuersum ens; eo dicto cõfirmat illam propositionem; nempe quod virtus finita sit ad vnum: Quia sicut virtus Dei quæ est vniuersalis est ad vnum veluti vniuersale; nẽpe ad *vniuersũ ens; ita aliquod particu-* D *lare ens cõparatur vt aliquid vnũ ad Angeli virtutem.*

A.Doctor. Ex quo sic argumentor. A. Doctor opponit virtutem Angeli virtuti vniuersali Dei, nempe infinitæ; ergo intelligit virtutem particularem Angeli ac finitam vt recta oppositio sit. Rursus vnum particulare, quod est virtutis Angelicę opponit vni vniuersali, id est *vniuerso enti*, quod est diuinæ virtutis vniuersalis. ergo intelligit vnum particulare. quod etiam ipse manifestè dixit illis verbis: *Ita aliquod particulare ens*, &c. vt dixi. Cõstat ergo intelligi virtutem particularẽ, & vnũ particulare & finitũ, quia hoc ad inferendã conclusionem faciebat. Vt autẽ videamus an sit verum huiusmodi principiũ; nempe vnã finitã virtutem non esse nisi ad vnam operationem & effectum

E Notandum secũdò. Quòd vna virtus finita nõ possit elicere nisi vnam operationem, ac proinde vnum producere effectũ; quæ nimirũ immediatè ab ipsa pendeat (de qua agit A. Doctor in similibus rationibus, vt patet ex illo 1. sent. loc. cit. nam mediatè posse plures certum est) posse intelligi dupliciter. Primò, quia sit vna operatio & vnus effectus in vno tantum subiecto; vt est vna calefactio cum calefit ab vno igne vnum lignum & non plura. & hoc pacto principiũ illud est falsum apertè. Nam videmus vnum lumẽ illustrare aërẽ, vitrũ, & quæcumq; alia illi simul applicentur: & vnum ignẽ adurere simul plures stipulas ligna &c. quæ in illum coniiciantur.

Nec sanè mirum id est: quia vnaquæque virtus

tus causæ agit non versus vnam tantùm partem suæ sphæræ, sed versus omnes circumquaque. ergo simul possunt variis in partibus applicari plura patibilia, quæ varias suscipiant causæ efficientis actiones. Secundò intelligi potest vna operatio, & vnus effectus, eo quòd etiam si plures sint reipsa, tamen sint per modum vnius ab vno agente: cùm scil. agit eadem numero virtute in omnia simul patibilia sibi proxima: Tunc etenim necesse est ea omnia patibilia ad ipsum agens comparentur *vt vnum quid.* Quia licet illa plura sint, eo quòd continua inter se non sunt, vt cum ignis calefacit lignum & stipulam, &c. tamen quia sunt illi proxima, & non disiecta & dissita aut distantia inter se, sed eodem modo immediata & contigua; æquiparantur ac essent B continua & quid vnum, in quod diffundatur agentis actio. Quomodo dicitur sol vna illuminatione illustrare vniuersum, eo quòd illustrat quæcunque sint, non diuisim applicata: & ignis vnica calefactione omnia sibi proxima ligna calefacere.

A. Doctor. Hoc autem pacto intelligi ab A. Doctore patet apertè ex iis quæ docet in 1. d. illa 37. q. 3. a. 2. Primùm enim in corp. ait: Angelicæ virtutis finitæ vnam esse operationem *& vnum operatum. vnde sicut* inquit *animæ non est simul in pluribus corporibus; ita nec Angelus in pluribus locis.* Quemadmodum ergo licet in corpore sint plures partes, tamen quia immediatè & simul non diuisim respectu animæ sunt materia, ideò dicuntur esse C quid vnum; ita & corpora quibus immediatè se applicat Angelus non diuisim ei vt vnum comparantur. Atque ita ait. *si* Angelus *immediate operetur circa vnam totam domum, tota domus,* quamuis in ea sint lapides, ligna, &c. *respondet sibi vt vnus locus, ita quod in qualibet parte erit, sicut dicimus quod anima est in qualibet parte corporis.* Hæc ergo omnia intelligit ac si vnum continuum essent. Deinde idipsum patet ex eodem art. ad 2. vbi ait: quando Angelus mouet corpus assumptum, & singulas eius partes diuersas, *illud totum corpus comparari ad Angelum sicut vnum indiuisibile* VBI *prout circa ipsum est vna operatio.* Itaque etiamsi corpora D quibus Angelus assidet, diuersa sint, eáque moueat, vna tamen est actio. quia Angelus omnia ea habet per modum vnius. ex quo ait nō sequi Angelum esse in pluribus locis.

Immò hoc ipsum ob eandem rationem docet in hoc art. in responsione ad argumenta; vbi etiam de iisdem diuersis partibus ait: *Totum illud cui immediatè applicatur virtus Angeli reputatur vt vnus locus eius,* licet ipsa loca sint diuersa, nec inter se continua: quæ omnia patent in loco corporum. quæ licet interdum ex diuersorū & contiguorum corporum superficie suum esse conflent, tamen quia immediatè corpori applicētur & inter se connectuntur vnus ex illis omnibus E est locus; quia est instar vnius. Quo pacto vnum esse corpus viuentium licet ex diuersis formis partialibus constet, quia est vnum applicatione ad animum, & contiguitate partium inter se, nonnulli philosophi docuerunt; de quibus alibi. Hoc igitur modo si illud principium intelligatur, verissimum est: virtutem scilicet finitā vnum effectum producere, vnámque operationem elicere posse: quia nulla virtus agit immediatè in ea, quæ non sunt sibi immediate applicata. Ergo vnam operationem tantùm habent atque vnum effectum, nempe per modum vnius. Verùm licet A hæc falsa non sint, tamen adhuc non videtur ex hoc principio sequi consecutio A. Doctoris. Pro qua re

Notandum tertiò, Si Angelus esset diuersis in locis adhuc non liquere, quomodo eius virtuti finitæ nō comparetur sicut vna operatio & vnus effectus, qui ab illo essent in illis abiunctis locis. Atque ita ex vna operatione & effectu non licet inferre ipsum esse in vno tantum loco. Nam si idem Angelus sit hic Romæ, simúlque Parisiis degat, æquè illi vnita erunt quæ sunt Romæ, atq; ea quæ sunt Parisiis, quia eius substantia si vtrique loco sit præsens, æquè vtrique est proxima & immediatè applicata; ergo operatio quæ in ipsa loca exercetur, effectúsque qui producuntur, erunt instar vnius, vt diximus de igne calefaciente, &c. ergo esset vna operatio & vnus effectus, non tamen esset locus vnus. Quāobrem esto verum sit illud principium, quod virtus finita debet habere vnum effectū & operationem; ex eo tamen non probatur ipsa conclusio, vt A. Doctor contendit. Ex vna namque operatione non infertur tunc vnus locus; quia vt ponimus esset vna operatio: Angelus verò pluribus in locis esset.

Quod si dicerent vnam tantùm tunc esse operationem cum est in vno tantum loco, non autem cum est in pluribus: Contrà instarent aduersarij: Nam hac posita responsione apertè supponitur in Maiore, quod esset in consequentia inferendum. Si enim ex prædicta responsione conficiatur argumentum hoc pacto; nempe Id cuius virtus est vna & finita in vno tantum loco debet operari: Sed Angeli virtus est vna & finita: ergo Angelus in vno tantum loco debet operari. Maior, vt patet, supponit quod confici oporteret in consequentia. cur enim virtus vna & finita in vno tantum loco operari debet?

Verumtamen vera A. Doctoris sententia & consecutio est, si rectè ad veritatem dirigatur. A. Doctor. Nam A. Doctor ex eo quod essentia Angeli finita est vim arguit finitam, vt vidimus ex illo loco in 1. sent. vnde etiam hic eodem modo diuinam virtutem infinitam esse ait, *& essentiæ infinitæ.* Quare non probat vim finitam ex eo quod ad vnam operationem contracta sit; sed potiùs cōtrà ex eo quòd est finitæ virtutis, Angelum ad vnam operationem locúmque tendere ostendit. Solùm ergo eam esse finitam ex finitate essentiæ supponit. Ex quo vlteriùs sequitur; si Angelus & virtus finita est, non posse operari ad plura loca, quia non potest operari nisi vnum vt diximus. ergo non potest se collocare in pluribus locis, quia alioqui manifestè sequitur ipsum Angelum non esse finitæ virtutis, quia si in duobus locis distantibus se collocare posset in iisque operari, iam nō esset operatio per modum vnius, quia ageret in ea patibilia, quæ non facerent vnum saltem contiguitate, atque ita non esset vna actio, nec vna virtus. Quo pacto diximus vnam actionem aut per modum vnius esse, si in corpora immediata, nec inter se dissita deriuentur.

Quod nunc dicimus ad explicandam A. Doctoris rationem. Nam seq. quæsi. absolutè dicemus, Angelum non posse operari nec esse in locis inter se distantibus: quia alioqui si posset in his esse, distantia non esset impedimento, quominus Angelus in pluribus locis quocunque interposito spatio esse posset, in iisque operari. Vnde

Vnde non posset Angelo assignari certum interuallum ac sphæra, extra quam se collocare non posset; in eáque suas functiones exercere. Ratio est, quia causa cur in aliis rebus creatis sit certa sphæra ad agendum, est, quia in vno continuato iunctóque spatio exerunt vires extra quod scimus non posse. ergo si semel detur aliquod creatum agens non egere hoc vno continuatóque spatio, nulla nobis superterit probabilis ac nota ratio, ex qua dicamus habere certos agendi fines. Si verò dicant assignari certos fines, quia sunt finitæ naturæ ac virtutis operatricis; iam contrà, vt dicemus, obstat; quia si sint finitæ virtutis ac naturæ; ergo vt cætera finita concludi debent intra vnius continuati spatij fines, nó autem ad dissita ac plura loca se extendere, atque operari. Sed hæc vt dicebam fusiùs persequenda sunt quæsito seq.

Nunc ad rationem A. Doctoris redeamus. Angelus ergo non potest cum sit virtutis finitæ operari nisi vnum, aut quod se habeat per modũ vnius; cum scil. operatio exercetur in ea quæ coniuncta agenti immediatè sunt, nec inter se disiuncta, quo pacto vnum, saltem patibilium contiguitate constituat.

At quæret aliquis vndenam pateat nobis, debere virtutem finitam esse determinatam ad vnam numero operationem, aut quæ se habet instar vnius ob immediatam cum agente copulationem patibilium, atque eorum inter se cohærentiam. Respondeo rectè colligi ex iis quæ in cæteris agentium virtutibus finitis animaduertimus. Semper enim natura agit in attigua corpora in sphæræ modũ circumquaque: nisi enim quid accidat præter naturam, hic ordo constitutus est in vniuerso. vnde optima inductione colligere potuit A. Doctor quæcumque sunt finitæ virtutis vna operatione agere, vnúmq; per eam virtutem operari: præsertim cum nũquam aliter videamus cæteris finitæ naturæ agentibus contingere etiam quantauis virtute in agendo polleant. Etenim, vt etiam hoc ipsum Theologico argumẽto declaremus, Christi Humanitas supposito Verbi diuini nixa, vno tantùm loco connaturaliter cõtinetur, atque in sibi attigua operatur in cœlo; extra quod cum se collocat aut operatur siue in Sacramento siue alibi, id supernaturali actioni quoties fit, ascribendum est, cum talis efficientia nonnisi verbis sacerdotis aut viribus instrumentariis supernaturali præditis virtute, ex Dei institutione promatur. Cõstat ergo (vt ad argumentum initio Notandi positum respondeamus) si Angelus se hic Romæ Parisijsque sisteret, eum non habiturum vnam actionem in iis locis: quia non esset operatio in vnum tantùm continuatum spatium, ac locum, sed esset in diuersis. quod non est habentis virtutem finitam sed potiùs infinitam vt deduximus, ac proinde non pertinet ad nostram quæstionem.

Neque verò ex hoc sequitur nos in Maiore ponere, quod est in consequentia inferendum, quod paulo ante obiiciebamus; nempe id cuius est virtus vna & finita, in vno tantum loco operari debet: Non sequitur inquam, quia in consecutione inferendum est: ergo Angelus in vno tantum loco debet operari. In illa autem maiore propositione medius terminus; nempe *id cuius virtus est vna & finita* subiicitur prædicato cõsecutionis: quod est *esse in vno tantum loco & operari*. Non est ergo in Maiore positũ quod in consecutionẽ deduci debet. Alioqui cum in hoc seruentur leges boni syllogismi, omnis bonus syllogismus in Maiore principium peteret. Hinc vlterius aio veram esse illam maiorẽ, & aptam ad conclusionem inferendam. veram quidẽ quia est finitæ virtutis proprium, vt in vno tantum loco operetur vt diximus. Aptam autem quia rectè ex illa sequitur, Angelum esse in vno tantum loco. Si enim illi Maiori subiiciatur Minor hoc pacto vt dicebam: sed Angeli virtus est vna & finita; rectissimè infertur per leges bonæ consecutionis: ergo Angelus in vno tãtum loco esse debet & operari. De qua re plura seq. Quæsi.

Virtutem finitam esse determinatam ad vnum numero effectum & operationem naturaliter, & quo modo. §. 2.

His positis ad difficultatem respondetur, & fit

Vnica Propositio. Verum est omnem virtutem finitam esse naturaliter determinatam ad vnum numero effectum & operationẽ; aut certè quæ se habeat instar vnius; & hæc est mens A. Doctoris. Dico naturaliter: quia secũdum vires supernaturales aliter sentiendum est.

Prima pars probatur: quia omnis virtus finita debet exercere suam operationem aut in vnũ tantùm subiectum, aut saltem in vnum quod sit instar vnius subiecti & loci, modo paulò antè explicato. ergo debet esse vna operatio & vnus effectus. nam cum sint omnia illa passa ipsi agenti immediatè applicata, & inter se non disiuncta, est ratio cur dicamus esse vnum subiectum & vnam operationẽ. Vnum quidem subiectum: quia quæ non sunt loco disiuncta sunt per modum vnius saltem contiguitate. sic enim dicimus hastam v.gr. in vno esse loco; etiãsi eius dimidium in aqua immersum sit, alterum verò dimidium aquæ in aëre superextet. Vnam verò actionem: quia illa rectè dicitur vna operatio, quæ vnam agentis virtutem respicit, in vnóque subiecto recipitur, nec diuersitatem habet in natura. sic namque cum apud ignem calefiunt decem homines dicuntur eadem calefactione calefieri, & de illustratione Solis iam in Notando dictum est. Verum ergo est, quandocumque virtus est finita esse ad vnam numero actionem, & ad vnum subiectum. quod contendebamus.

Secunda pars probatur: quia id colligitur ex hoc articulo, & ex illa d. 37. & ex fine art. vt in Notando deduximus. Quod autem A. Doctor intelligat naturaliter patet, quia non loquitur de potentia absoluta, sed quærit naturam ac vires Angeli naturales, & vniuersi ordinem, vt rectè notauit hic Caietanus initio art.: nec de potentia absoluta quæri admodum dignè de Angelo potest; Vtrum is in pluribus locis esse possit, cum ne corporibus quidem pluribus in locis esse posse denegetur.

Sed hinc oritur alia quæstio; nimirum quid si Deus dũ ignis agit in partes v.gr. versus Orientem & in partes versus Occidẽtem annihilaret aërem versus Austrum & versus Aquilonem; An

An tunc ignis diceretur agere in duo subiecta? Videri namque posset affirmãdum; quia Orientalis Occidentalisque pars sunt inter se dissitæ; ergo illa subiecta patibilia non sunt instar vnius subiecti patibilis; & tamen ignis in vtramque illam partem agere pergeret. Cur enim vacuum illud interpositum impediret ne continuaretur actio in eadem subiecta in quæ priùs ab agente emanabat? si quidem agens debitè applicatum esset, patibilibus? ergo nec actio esset instar vnius, quia patibilia essent inter se non coniuncta, vnde sequi videtur Angelum posse esse in duobus locis etiam dissitis in iisque operari. Nam quamuis loca illa inter se distarent, ab Angelo tamen qui vtrique præsens esset, neuter abesset; vterque enim illi esset immediate applicatus.

Respondeo; cum naturas rerum venamur, maxime consideranda esse ea quæ illis conueniunt connaturali modo, non autem ea quæ eis præter naturam sunt. Quod quidem & auctore Aristotele didicimus, & videmus semper ab A. Doctore seruatum, de quo sæpe dictum suprà est. Sic autem Aristoteles habet libr. 2. de cælo cont. 108. *Oportet aut vnumquodque tale dicere esse, quale quod natura solet esse & quod est, sed non quod vi & præter naturam.* Quare cum semper potentias virtutésque finitas videamus suas actiones non spargere nisi in immediatè ipsis coniuncta patibilia, & inter se non dissita, rectè dicimus congruere naturis virtutum finitarum, vt vnam habeant determinatam prædicto modo operationem. — Aristoteles.

Ex quo principio nobis perspecto rationem philosophandi non dissimilem ad ignota Aristotelæo more transferimus. Hac namque philosophandum esse ratione nos & docuit exemplo suo & præceptis erudiuit de cæli substantia Aristoteles lib. .de cælo a cont. 101. dùm ex eo quòd eam negauit esse genitam (nempe vi naturalium causarum) conclusit fieri non posse eandem corruptioni obnoxiam esse: & contrà si genita est oportere corruptibilem esse. Si quidem nec cælum excipiendum esse à communi corporum lege qua scimus omne corpus quod aliquando genitum est ad interitum tendere. Ideò cont. 102. ibidem hanc philosophandi methodum præcipit: *Sola enim hæc ponenda sunt rationabiliter* inquit *quæcunque in multis aut in omnibus videmus esse.* — Aristoteles.

Itaque obiectioni dicimus: esto patibilia illa posito vacuo connexa inter se non sint, tamen per accidens esse vt sublata corporum contiguitate agens agat in ea quæ ipsi quidem coniuncta sunt, non tamen inter sese. nam si spectetur connaturalis agendi modus, patibilia illa coniungi quoque inter se debuissent, nisi aliter præter naturam rerum ordo constitutus esset. Satis autem fuisse ad rectum philosophandi modum dicimus, si de rebus ea asseramus quæ illis secundum naturam conueniunt; nempe ea non agere secundum connaturalem modum nisi in patibilia connexa inter se, ac proinde nec Angelum operari in duobus locis inter se dissitis posse.

Verumtamen quoniam sequitur Angelum posse esse in duobus locis, si simpliciter non requiratur patibilium coniunctio: Posset enim eodem modo quis dicere, cum Angelus occupat aliquem locum extensum (sit vniuersa Italia)

A posse ipsum remanere in extremis locis etiamsi Deus annihilaret interiecta spatia, vt si Romæ ac Mediolani remaneret, quod reputari absurdum debet vt dicemus: Ideo aliter ad argumentum respóderi oportet hoc pacto. Dicimus etenim posito eo vacuo versus Austrum & versus Aquilonem, adhuc tamen fore agentis actionem in corpora non dissita inter se, sed contigua aliquo modo; ac proinde semper requiri patibilium coniunctionem vt sint instar vnius patibilis vniúsque actionis & effectus.

Hanc igitur etiam posito illo vacuo prædicto contiguitatem illa patibilia retinerent, quia copularentur inter se per interiectum agens inter vtrumque patibile, quod eidem agenti B immediate proximum esset, vt casum posuimus. vnde argumento dicimus etiam tum fore vnum subiectum patibile, vnámque operationem ad quam agens determinatum esse ostendimus, licet non adeò esset perfecta vnitas; vt si nihil præter naturam poneretur, ac proinde negatur obiectioni prima consecutio. At verò in duobus illis locis si vacuum interiaceret, Angelus non posset habere huiusmodi patibiliũ subiectorum vnitatẽ, ac proinde eius virtus quæ finita adeóque ad vnam actionem determinata in eadem loca agere non posset. Non esse autem hanc vnitatem patibilium interiecto vacuo dubium non C est. Fingamus enim Angelum Romæ eundémque Parisiis; intérque vtramque vrbem vacuum interiaceat: Quænam harum vrbium contiguitas erit, aut inter se immediatè, aut per interpositum inter vtramque agens?

Adde quod si naturam spectes repugnat eandem substantiam in duobus locis dissitis multiplicari: Tum quia, vt dixi si virtus est finita, est determinata ad vnum, & ad vnum locum: ergo & substantia, ex qua virtutis finitas exoritur; quia hæc exæquari commensurarique debent, vt hîc rectè docuit A. Doctor, & libr. 1. sent. vbi suprà. Neque enim aliunde colligimus essentiæ limites, nisi ex limitato operandi modo, & finitate virtutis; ergo vtrumque pari lance pen- D dendum est. Tum quia adeò fixum animo ex natura videtur, si de rebus secundum solas naturæ vires loquamur nullum ens duobus in locis esse posse, vt putemus quæ loco disiunguntur, subiecto quoque & substantia sua diuisa omninò esse, vt rectè obseruauit Albertus Magnus p. p. summ. Theolog. tract. 18. q. 73. memb. 2. a. 2. *Et dicit Aristoteles in multis locis* inquit ibi Albertus *quod quæcunque diuiduntur loco diuiduntur subiecto, & non potest intelligi quod diuisum loco idem sit subiecto.* — A. Doctor. — Albertus M.

Addit optimam rationem ex puris naturæ principiis: nam ex supernaturali virtute aliter dicendum est; quia quæ vno loco est, habet in eo suos fines ac terminos; ergo extra illum non E sunt. quia nihil est extra suos connaturales terminos. *Eo quod termini* inquit *intra se continentes totum esse & substantiam, non possunt esse diuersi in ratione terminorum sumpti. vnde si totum esse & substantia est intra terminos tales, nihil de esse & substantia potest esse extra. sequeretur enim quod si simul in pluribus locis esse posset quod totum esset intra & totum esset extra; & sic contradictoria de eodem verificarentur simul; scilicet totum esse intra & non esse intra; & totum esse extra & non esse extra. Quia intus & extra dicunt differentias Situs & Vbi oppositas circa locatum, & ideò mutuò se expellunt ab eodem susceptibili. Et si*

aliquis

aliquis inſtet de corpore Domini, quod eſt in plurib. locis ſimul; non valet. hoc enim miraculoſũ eſt; & hoc non habet in quantum eſt corpus, nēpe habens limites; *ſed in quantum diuinum. quin immò ſecundum quod eſt corpus figura & lineamentis determinatum non refertur niſi ad vnum locum. Sic enim in cælo eſt apud Patrem.* pergitque declarare omnipotentia Dei abſolui ab eſſe limitato ad vnum locum, vt omnibus ſit cibus ſpiritalis. quam Magiſtri doctrinam dignam ſibi viſam eſſe quam ſequeretur A. Doctor ſatis apparet ex iis quæ docet in 4. d. 10. q. 1. a. 1. ad 5. vbi eam ferè ad verbum complexus eſt.

An Angelus moueatur ad locum, vt ibi operetur & quo modo. §. 3.

Alia etiam & ſecunda quæſtio ex his quoque naſcitur. Videtur enim ſi Angelus eſt in loco per applicationem virtutis ad operandum; hoc eſt, vt nos diximus per Vbitatem in ſe ipſo ab Angelo productam parum referre; Vtrùm Angelus poſſit operari in duobus locis vt negetur ipſum eſſe poſſe in duobus locis. Etenim eſto operari non poſſit in duobus illis locis, tamen vt ſit in loco non eſt neceſſe operetur in loco, quia ſatis eſt ſi agat in ſe ipſum efficiendo ſuam Vbitatem; ergo quod non poſſit in duo loca operari non confert ad probandum non poſſe eſſe in duobus locis. vnde ſi hæc ratiocinatio formaretur: Is qui non poteſt in duo loca operari non poteſt eſſe in duobus locis; ſed Angelus non poteſt in duo loca operari; ergo Angelus eſſe non poteſt in duobus locis. facilè negari poſſet propoſitio Maior: quia operatio in locum non eſt ratio qua Angelus ſit in ipſo; ſed Vbitas, quæ eſt formalis applicatio; vt hactenus oſtenſum eſt. Aut ergo A. Doctor non putauit hanc Vbitatem eſſe rationem Angelo exiſtendi in loco, aut certè fruſtrà negauit poſſe operari in duo loca, vt oſtenderet in duobus locis eſſe non poſſe.

Reſpondeo facilem huius nodi ſolutionem eſſe: Nam nullum animal mouetur ad locum niſi ob bonum aliquod appetibile ab eo apprehenſum in eo loco potiùs quàm alio. Et idcircò Ariſtoteles libro 3. de Anima cont. 44. aduerſus Platonem propterea negat plantas moueri motu progreſſiuo, quòd huiuſmodi motus ſemper eſt propter aliquid, nec ſine imaginatione & appetitu: Idémque fuſiùs docet libello de animal. motu cap. 4. ſi autem mouetur ex appetitu; ergo propter aliquod bonum. Vt enim ipſe ait eodem libro 3. cont. 49. Appetitus eſt ad aliquem finem & bonum. ex quo ſequitur omne animal moueri oportere ad locum ob aliquod bonum vel aliis impartiendum vel ſibi acquirendum. non enim aliud bonorum genus, ob quod animal moueatur dari poteſt. (Ariſtoteles.)

Eodem ergo modo & Angeli ſi in aliquem locum mouentur, quia ex appetitu & electione, quæ bonum reſpicit vt patet ex lib. 1. Ethic. initio, mouentur, bonum aliquod appetunt. Aut ergo vt illud conferant in alios, aut vt ſibi acquirant. certum autem eſt Angelos nullum ſibi ex loco bonum adipiſci. ſi quid enim lucrarentur, certè eſſet aliqua cognitio aut delectatio: at neutram ex loco habent. non quidem cognitionem quia rerum ingenitas ſpecies habent. nec delectationem: quia omnis delectatio in ſub- A ſtantiis ſpiritalibus ex cognitione conſequitur. ergo vt bonum aliis impertiant, ac proinde per actionem aliquam transeuntem. Et ideò ab A. Doctore in hac q. art. 1. dicuntur Angeli non contineri à loco, ſed continere & perficere locum, quemadmodum animus non continetur in corpore ſed continet corpus. qua ratione q. 8. a. 1. dixit Deum eſſe in omnibus rebus tanquam eas continentem, eo quod eas omnes perficiat. Deberet ergo Angelus ſe loco applicare, vt in ipſo aliquam operationē exerceret.

Quod etiam expreſsè docuit Alb. in ſua ſum. Theolog. p. p. q. 73. a. 2. & 3. Ibi enim in fine ait: *Angelum ex natura ſua non ſibi determinare aliquem* B *locum corporeum in quo vel ſit vel fiat vel ſaluetur, ſed ex congruentia virtutis aſſiſtricis, vel miniſtratricis determinare ſibi locum vel cælum empyreum vel alium ad quem mittitur, vbi operetur.* Cum autem id non poſſit præſtare in duobus locis vt oſtenſum eſt, rectè ſequitur, ipſum non habere facultatem ſe ad duo loca applicandi. Vbi enim nequit eſſe finis, nec media ad finem eſſe poſſunt; ne fruſtrà aliquid in natura concedatur. *Fruſtra* enim inquit Ariſtoteles lib. 1. de cælo cont. 32. *eſt calceamentum cuius non eſt calceatio. Deus autem & Natura nihil fruſtrà faciunt.* (Albertus.) (Ariſtoteles.)

Quæ etiam cauſa eſt vt Angelus non habeat vires collocandi ſe in ingenti aliquo ſpatio, in C quod immediatè operari non poſſit. v.g. in vniuerſa Aſia, &c. fruſtrà enim illa potentia eſſet, quia non poſſet haberi finis, ad quem illa eſſe deberet. contrà autem in Deo, quia vbique operari poteſt ac debet, vbique neceſſariò eſt; vt probatur ſuprà q. 8. a. 2.

Nego igitur obiectioni hanc rationem ad rē propoſitam non conferre. Dico enim vt Angelus ſit in loco, debere eum poſſe in eum locum operari vt probauimus. Quocirca ſi eius ſyllogiſmi Maior negaretur, hoc pacto confirmanda eſſet: Qui non poteſt ſuum in aliquo loco conſequi finem, nec virtutem habet ſe in eo loco collocandi; quoniam vbi finis eſſe non poteſt, D nec ibi facultas eſt vtendi mediis, ne facultas fruſtra pro eo loco tradita ſit, vt dictum eſt. Neque huic rationi obeſt, quòd aliquid videtur habere videndi facultatem etiam vbi videre non poteſt. Sicut v.g. in tenebris habet quis videndi facultatem, quæ in tenebris reduci nequit ad actum. Hoc inquam non obeſt. Etenim nulla facultas eſt quæ actum ſuum promere non poſſit, cum omnis vis eſſentialiter ad actum ſit; &, ſi impoſſibilis ſit actus, ad ipſum non ſint vires. Quo pacto is qui morbo oppreſſus ſit, vires ad ambulandum dicitur non habere. & ideò virtus *ſemper,* inquit A. Doctor in 4. d. 1. q. 1. a. 4. quæſtiunc. 2. & alibi ſæpè, *nominat actum*; nempe ad quem eſt. Eſto ergo ſit virtus & facultas Angelis ad producendam Vbitatem in loco, vbi E eſſe volunt; tamen nego eſſe facultatem ad Vbitatem in vno loco dum habet aliā in alio loco, vt illæ duæ Vbitates ſint ſimul. Sicut habet quis vires ad ambulandum etiam dum ſedet; non tamen vt ſimul ſtare & ſedere poſſit. *Sedendi* inquit Ariſtoteles libro 1. de cælo context. 119. *& ſtandi ſimul habet potentiam; quia quando habet illam & alteram, ſed non ſic vt ſimul ſedeat & ſtet ſed alio tempore.* Quo etiam modo aio de facultate ipſa videndi. Eſto enim retineatur etiam in tenebris: non tamen retinetur tanquam facultas videndi in tenebris, quia is actus impoſſibilis eſt ſaltem natura (A. Doctor.) (Ariſtoteles.)

naturaliter: sed tanquam facultas videndi obiecta lumine illustrata debitéq; applicata, &c.

Sed hinc non parua exiſtit obiectio aduerſus ea quæ conſtituta ſunt: Nam ſi ad locum nõ mouetur Angelus niſi in quem operari debet; ergo nec moueri poteſt in vacuũ, nec in cœlum empyreum, in quæ loca nihil operari poteſt Angelus. In vacuũ quidem: quia nullum eſt ſubiectum in quo Angelica actio recipiatur. In empyreum autem nihil operari Angelum fatetur A. Doctor in 1. d. 37. q. 1. a. 2. ad 2. vt eius verba referã quæſt. seq. Difficult. 3. Reſpondeo tamẽ nihil rectè deduci contra nos, quoniam aliud eſt quærere in quod moueri poſſit Angelus abſolute: aliud verò quærere in quod moueri debeat per facultates naturales. Et quidem non dubito quin ex dictis ſequatur Angelũ abſolutè moueri poſſe in vacuum extra cœlũ: quia in ipſo produci põteſt vbitas, qua ita collocetur formaliter, vt inde in Angelo à corpore v. gr. cœleſti tanta vel tanta ſeu propinquitas ſeu diſtantia conſequatur, vt ſupra diximus. Neque id cogimur argumento retractare: neque enim ex hoc ſequitur Angelum non eſſe in loco per applicationem virtutis. Nam ibi ſine dubio applicatur Angeli virtus, vt quantum eſt ex ſe poſſit in corpus quod ibi eſſe poteſt operari. At verò in vacuũ non poteſt naturalibus viribus moueri; nam Angeli vires non poſſunt Angelũ ipſum mouere niſi electione & imperio voluntatis vt diximus. ergo cum volũtas non poſſit imperare niſi ex bono apprehenſo, quod nullũ apprehendi naturaliter poteſt in vacuo, nec vires Angelũ eò mouere poſſunt.

In cœlum autem empyreũ vtrùm moueantur naturaliter, eſt difficultas. Non enim videtur natura tribuiſſe vim ad motum, qui ſit ad locum beatitudini ſupernaturali cõgruũ: quale eſt cœlũ empyreum; vt docent omnes Theologi & A. Doctor in ea reſponſione ad 2. & alibi ſæpiſſimè. A.Doctor. Vnde q. 66. infrà a. 2. ait S. Baſiliũ Bedam & Strabum quorum auctoritate ponitur cœlum empyreum conuenire vt ſit locus beatorum; ſicque vt ait ibi ad 2. *ordinatum ad ſtatum Gloriæ.* Quare nulla vnquam ibi degit creatura, quæ vel gloria nõ fruatur, vel ad gloriam non dirigeretur à Deo: nec alia de cauſa inde eiectæ ſunt reproborum Angelorum catervæ. Itaque ſi locus ac ſtatus eſt ſupernaturalis beatitudinis, minimè mirum videri debet, ſi eò per vires naturales nulli creaturæ acceſſus pateat. Neque dicat aliquis aliquem locum naturalem Angelis aſſignandum. Reſpõdet enim A. Doctor infrà q. 102. a. 2. ad 2. A.Doctor. *Ridiculum eſſe dicere, quod animæ aut alicui ſpirituali ſubſtantiæ ſit aliquis locus naturalis, ſed per congruẽtiam quãdã aliquis ſpecialis locus ſpirituali creaturæ attribuitur,* &c. Et ideò ad 1. ibidem dixit, cœlum empyreum congruiſſe Angelis. quod veriſſimum eſt: non tamen ita cõgruiſſe, vt connaturaliter Angelo deberetur.

Itaque licèt verum ſit, quicquid eſt in Mundo, oportere ipſum alicubi eſſe vt ſupra diximus: Tamen negandum arbitramur eſſe, Angelorum naturæ deberi locum determinatũ ita vt ſi extra illum ſint præter naturã ſint, quemadmodum accidit inter corpora grauia & leuia. Solùm enim naturæ Angelicæ id congruit, vt ibi ſint vbi eam eſſe Deus deſtinauerit, ad optimam rerum vel adminiſtrationem vel conſtitutionẽ ſeu ornamentum.

Sin autẽ dicatur motus ad ipſum eſſe per facultates, Angelo naturales tũc videtur dicendũ collocari ibi Angelos per Vbitatẽ quæ ſit applicatio ad operãdum aliquid in cœlum ipſum, nõ quidẽ localem motũ cum cœlũ ſit immobile, ſed aliquẽ eius ornatũ, qui ad dignitatẽ eius pertineat. quemadmodũ A. Doct. infrà q. 66. a. 3. ad 2. A.Doctor. valde probabile ait eſſe, *quod ſicut ſupremi Angeli qui aſſiſtunt, habẽt influẽtiam ſuper medios & vltimos; ita cælum empyreum habet influẽtiam ſuper corpora quæ mouentur* &c. *& propter hoc poteſt dici* inquit *quod aliquid influat in primum cœlum ad dignitatem eius pertinens.* Si ergo cœlũ poteſt ex ſua dignitate aliquid in corpus cœleſte, & Angeli in Angelos influere, cur etiam iidem Angeli nõ poſſint aliquid in ipſum cœlum effundere ſpectans ad eius decus.

Quo etiam modo ex aduerſo dici poteſt de dæmonum præſentia in Inferni loca, vt ea horridiora damnatis reddantur. Saltem ſi Angeli in huiuſmodi loca nihil influunt; erunt ibi in loco per applicationem virtutis operatricis, vt ibi ſuã beatitudinem tanquam in loco congruo eliciãt; vt expreſsè docet A. Doctor in 1. d. illa 37. q. 1. a. 2. ad 2. vnde verum ſemper erit eſſe ibi per applicationẽ virtutis ad ibi operandũ, licèt in ipſũ locum nihil prorſus efficerent. Eſt enim peculiaris ratio de ipſo cœlo empyreo, quia eſt ſtatus beatorum; ſicut etiam de inferno vbi damnati, ſuæ infelicitatis miſeriam trahunt.

Potentias rationales & naturales diſtingui apud Ariſtotelem & quomodo: explicatúrque tum virtutis creatæ, tum operationis vnitas ad mentem A. Doctoris. §. 4.

Ex dictis colligitur primò, qua ratione ſoluendæ ſint argumentationes à Caietano oppoſitæ. Caietanus. Nam dico loqui de virtute finita & creata, quam rectè vult eſſe determinatam ad vnam numero operationem, atque effectum. licèt hoc etiam confirmet ex potentia diuina, & increata, vt diximus. Neque id eſt contra Ariſtotelem. Nã cum Ariſtoteles ait virtutem rationalem eſſe ad oppoſita, non intelligit, vt ſimul poſſit ponere oppoſita, quia hoc eſt impoſſibile, vt modò dicebam ex illo cont. 119. & in eo ipſo cont. 10. in argumento allato expreſsè docet, impoſſibile eſſe contraria ſimul fieri, ad quæ ſunt ipſæ potentiæ rationales; ſed quod ipſa poſſit ſe ex arbitrio determinare ad vnum oppoſitum altero poſthabito, in quo agens liberum differt à naturali & neceſſario, quia huiuſmodi agens ad vnum tantum tendit ex determinatione naturæ; illud autem ex electione. Quod ipſum totum docet Ariſtoteles eodem libr. 9. Metaph. cont. 10. vbi cum Ariſtoteles. diſtinxiſſet potentias irrationales à rationalibus ſubdit. *Et illas quidem*; nempe ratione vtentes; *neceſſe eſt in animato eſſe; has verò in ambobus. Huiuſcemodi quidem potentias neceſſe eſt vt cum quoad poſſint actiuum & paſſiuum approximent, hoc quidem faciat, illud verò patiatur*; quia nimirum ex agente & patiente propinquis, ſi neceſſariò agunt, hoc ipſo ſunt ad agendũ vnum determinatũ: *illas verò non eſſe neceſſe*, quia non ſunt determinatæ ad vnũ. & ideò ſtatim ſubiũgit huius rei rationẽ. *hæ enim omnes* irrationales, *vt vnius factiua, illæ verò cõtrariorũ.*

Eodem etiam modo dico ad A. Doctorẽ. Ait A.Doctor. enim *virtutes rationales ſe habere ad oppoſita in illis* ad

A *ad quæ naturaliter non ordinantur. Sed quantum ad illa ad quæ naturaliter ordinantur non se habere ad opposita:* In quo etiam distinguit naturam quæ sit ad vnũ determinata à voluntate quæ libera ad vtrumq; oppositorum est. non tamen vult vtrumque oppositum simul poni. Certum namque est ex doctrina A. Doctoris ea esse propriè opposita, quæ aliquam inter ipsa repugnantiã inuoluunt, vt docet in 1. dist. 3. quæstione prima a. 1. ad 1. vbi ideò etiam docet in omni oppositione includi aliquo modo contradictionem aliquam. quod sæpè docet alibi.

Ad ea verò quæ contra hoc Caietanus addit, dictum est præsertim in Notando, vnde nimirum colligatur mens A. Doctoris. B Quod autem ipse ibidem addit ex illis duobus capitibus; nempe ex discrimine virtutis aut finitæ & infinitæ, aut naturalis & voluntariæ, non est ad rem præsentem. Nam dico virtutem omnem finitam esse determinatam ad vnum effectum numero dum exit in actum siue ex natura agat siue ex arbitrio, vt dictum est. Hic posset oriri Difficultas; Vtrùm intellectus & voluntas quæ sunt virtutes finitæ possint elicere plures actiones simul. Ad hanc tamen Quæstionem dicemus infra suo loco, vbi ostendemus in his vnam esse debere operationem, aut saltem per modum vnius, vt ibidem explicabitur.

Caietanus. Colligitur secundò, Vtrùm explicatio Caietani vera sit, & ad mentem A. Doctoris: C Vtrumque enim ex dictis negandum est. Nam primò quod ait, virtutem respicere vnam rationem formalem obiecti; declarandum magis esset, an vna numero, an specie sit illa ratio formalis, vt ita certam habeat propositio illa veritatem. Secundò quod ait virtutem diuinam respicere esse; cætera verò esse essendi modos, falsum est, aut certè ambiguum. quia si intelligat de ipso esse in communi, & generatim, falsum est quæ sunt ei inferiora esse modos eius. Substantia enim quæ est sub ente in communi, species præcipua illius est non modus. Si verò intelligat de esse substantiali, ambiguum est vtrùm velit esse substantiale in communi, an esse substantiale in D qualibet specie atque indiuiduo. Si primum; falsum est species inferiores illi esse substantiali, esse modos illius. Si secundum, ambiguum est an sit verum, eo quòd in Quæstione positum & probandum esset. Tertiò quod ait virtutem rationalem primariò esse ad vnum oppositorum; secundariò ad alterum, aberrat dupliciter à vero.

Aristoteles. Primò quia virtus rationalis vt ait Aristoteles in eo cont. 3. ibi cit. *contrariorum est.* Non enim intellectus magis est determinatus vt exerceat intelligendi actum circa hominem quàm circa brutum; & circa calidum quàm circa frigidum &c. E Secundò quia supponit virtutem rationalem non esse determinatam vt in vnum tantùm actum prodire debeat nõ in duos simul, siue primariò siue secũdariò; quia necesse est vnum promat altero posthabito, vt ex Aristotele cont. illo 10. diximus. Quod verò non sint ea ad mentem A. Doctoris probatur; quia ipse non inquirit de omni virtute & vnitate sed de creata, quæ sit facultas operationis & effectus ad quos est ipsa virtus creata. & hoc solùm facit ad eius institutum, vt antè diximus.

Colligitur tertiò in nostra explicatione facilem esse eius quæstionis dissolutionem, in cuius veritate indaganda tandiu laborauit Caietanus, laboriosámque contexuit disquisitionem. nimirum an de vna virtute numero vt formaliter sumpta, & de vna operatione & effectu numero, A. Doctor intelligat hic, vt vidimus ex Caietano. Aio enim intelligi de vna virtute reali operatrice numero, quæ verè à cæteris sit distincta vel entitate vt calor & frigus; vel organis vt est visus & gustus; vel genere applicationis obiectorum ad suos actus; vt est voluntas cui applicatur obiectum per actus intellectus, & ipse intellectus cui applicantur obiecta per species intelligibiles, quo genere applicationis, saltem distinguuntur animæ potestates, si non ponantur re distingui, vt nonnulli Theologorum existimant. Has ergo virtutes quia finitæ sunt aio non posse simul prodire in plures actus, vt probatum est. vnde cessat duplex Caietani argumentum, quod illi difficultatem non paruam peperit. Caietanus. Nimirum si de vna virtute realiter sermo sit, contra quia virtus *generatiua, spiratiua, creatiua Dei sunt vna res, & tamen non est determinata ad vnum.* Si verò de vna virtute formaliter intelligat, contrà est quia *non incõueniũ* inquit *vnum & idem agens vti pluribus virtutibus simul formaliter distinctis ad varios effectus; vt anima audit & videt simul.* Ergo posset Angelus se constituere in loco per plures virtutes formaliter distinctas, quarum essent plures operationes & applicationes ad locum; & ita nihil probat A. Doctoris argumentum.

Hæc inquam duplex Caietani ratio ex nostra doctrina concidit. Prima quidem quia etiamsi sermo esset de vna potentia reali, tamen vt diximus non est sermo de quacunq; reali, sed de virtute creata & finita. Vnde argumentum non instat contra nos, quod vrget de diuina. Hæc enim ob essentiæ diuinæ infinitudinem non est determinata ad vnum numero, sed ad omnia prorsus quæ quocunq; modo ab ipsa diuina virtute possunt accipere esse. quia scilicet sicut diuina essẽtia est infinita, ita & virtus illius est infinita *& vniuersalis causa omnium*; vt ait A. Doct. in hoc a. 2.

Quanquam dici etiam & rectè potest, A. Doct. hic loqui primariò de virtute creata, quã ex virtute etiam diuina arguit esse ad vnum determinatam. Sicut enim diuina virtus comparatur ad vniuersum ens veluti ad vnum; ita etiã particularis virtus creaturæ cõparari debet ad particulare ens tanquã ad vnũ. Virtus autem diuina respicit vniuersum ens sicut vnũ, propterea quod vniuersa entia habent aliquã vnitatẽ, tum cum Deo ob eius immensitatẽ, quia ab eo non seiunguntur loco: tum inter se ob contiguitatem ob quam entia faciũt vnũ vniuersum, vt dicebamus de vnitate entium respectu virtutis creatæ.

Et quamuis Deus posset alios seiunctos Mũdos atque inter se distantes procreare, tamen ex hoc nihil aduersus traditam doctrinam inferri potest ob duplicem causam. Nã primò satis fuit A. Doctori ostendere, ex iis quæ Deus de potentia sua ordinata decreto suæ sapientiæ, secũdùm quam connaturali modo ad rerum naturas agere statuit, vt colligitur ex A. Doctore suprà quæstion. 25. a. 5. ad 1. & q. 1. de Pot. a. 5. ad 5. virtuti quoque diuinæ vnum numero effectum nempe vniuersum assignandum esse: quicquid de potentia absoluta dicatur. Secundum hanc enim potentiã ordinatã Philosophi pariter Theologiq; optima quidem ratione occasionẽ sumpserunt axioma illud celebre pronunciandi. *Deus & Natura nihil frustra faciunt.* Dico secundum potentiam ordinatam.

ordinatam. Nam certum est posse absolutè fieri aliquid frustrà, vt si Deus crearet aut quantitatem nudam extra cœlum, aut animas separatas à suis corporibus, &c. Id enim esset frustra, in eo sensu quo id nunc à Theologis negatur. nimirum ex eo quod aliquid ad finem est, quem non attingit, vt docet A. Doctor eadem q. 25. a. 2. ad 2. ille autem animus esset ad operationes quas non attingeret.

A

Dico igitur, si etiam Dei potentia ac virtus ordinata, vt se naturis rerum in earum procreatione Deus accommodaret est ad vnum effectũ, rectè ex hoc ipso A. Doctorem suam propositionem confirmare potuisse omnem virtutem creatam esse ad vnum, siquidem & diuina virtus ordinata non potest facere nisi vnum vt dictũ est.

B

Secundò, quia esto nihil colligatur ex iis quæ à Deo condita reipsa ac de facto sunt ad vnitatem effectus ex diuina virtute; tamen dico si Deus procrearet alios mundos inter se per interualla disiectos; tamẽ adhuc illos effectus non solùm cum Deo fore immediatè connexos ob eius immensitatem & præsentiam cum rebus omnibus vt clarum est; verùm etiam fore inter se vnum effectum numero per quandam contiguitatem veluti eminentialem. Quia scilicet cum ij mundi immediatè deberent Deo esse præsentes, inter ipsos interiacere deberet diuina substantia. Nam posito eo casu dicendum esset ipsum longè latéque diffundi extra quodcumque corpus omnísque Mundi complexum, ne diuina immensitas veluti interrupta mundis pręsens esset, non autem interiacentibus interuallis. Tũc ergo aio, mundos illos inter se aliquo modo esse contiguos, quia immediatè vnirentur Deo qui inter ipsos interpositus esset. Quemadmodum antè dicebam si corporeum agens ageret in corpus versus Orientem, & in corpus Occidentem versus, interiecto in parte Australi, atque Aquilonari vacuo, fore vt illa patibilia esset vnum patibile vnitate mediata: eo quod vtrinque contiguarentur agẽti interiecto inter ipsa patibilia.

C

Aut certè in eorũ sentẽtia qui negant Deum esse extra cœlum, propterea quòd extra ipsum nihil est, dicendum esset impossibile esse Mũdos fore inter se distantes, quia essent distantes sine interuallo, quod nullum est vbi nulla corporea moles intercipitur. quo pacto Aristoteles libro 4. Physic. cont. 36. negat spatium per quod mobile transfertur esse aliquid vltra corpus ipsũ: *Ex eo autem*, inquit *quod mutatur sæpè manente continente contentum & diuisum, vt ex vase aqua* (manentibus enim vasis lateribus mutantur cõtenta cum nunc aqua, nunc aër continetur, &c.) *ipsum medium videtur esse aliquod spatium tanquam aliquid existens præter ipsum corpus translatum. hoc autem non est*, &c. Simili etiam modo ibidem cont. 40. negat *posse esse spatium medium aliud quidpiam à motis magnitudinibus*. Itaque nulla potest esse intercapedo vbi nulla moles est corporis. Constat ergo ob duplicem hunc rationem nihil obesse ad vnitatem effectus virtutis diuinæ, quod Deus è nihilo infinitos Mundos proferre possit ad ipsum esse; Atque ita cessat prima Caietani ratio.

D

Cessat etiam secunda, quia diximus intelligi vnam virtutem quæ non sit diuersa vel entitate vel organis vel generica obiectorum applicatione; secundum quas rationes verè à parte rei vna non est alia, & inter se realiter distinguũtur.

E

Hoc igitur modo vnius potentiæ quæ verè sit diuersa ab alia aliquo certo modo à parte rei est vna operatio, vt intellectus, voluntatis, caloris, frigoris, &c. quo pacto visus & auditus nõ sunt vna potentia. ergo ex hoc non sequitur vnius virtutis à parte rei esse plures operationes aut plures effectus ab vna simul virtute promanantes.

Vnam Vbitatem non posse esse Angelo rationem applicandi se duobus locis inter se distantibus, & quid intelligat A. Doctor per operationem, per quam docet Angelum esse in loco. §. 5.

Colligitur quartò, non posse Angelum manente vna eius applicatione ad vnũ locum applicare se alteri loco distanti. Patet ex dictis: quia Angelus habet virtutem finitam ac proinde vnam habet operationem atque vnum effectum, vnámque applicationem ad locum. ergo manente vna applicatione ad locum nõ potest se alteri loco distãti applicare, quia haberet simul duas applicationes; quæ vt diximus esse nõ possunt, nisi vbi Angelus in corpus operari potest. Dixi distanti: Quia potest Angelus se applicare loco maiori & maiori continuo aut contiguo intra locum adæquatum vt dicam infrà.

Neque obest quòd iam actus præterierit applicandi, ita vt tantùm sit Angelus applicatus in facto esse. Hoc inquam non obest, quia manente illa applicatione in eodem subiecto nõ potest esse alia, ne medium detur vbi impossibilis est finis quod absurdum esse ante diximus. Confirmatur, quia non debent concedi in creatura illi effectus qui arguunt potentiam infinitam; sed si essent simul plures huiusmodi applicationes argueretur potentia infinita, quia non esset determinata ad vnum particulare ens, vt suprà diximus. ergo non possunt simul esse illæ plures. Dico non posse esse simul. certum enim est successiuè posse. vnde par est ratio de agente quod successiuè potest plures affectus producere, & de Angelo qui potest successiuè se applicare pluribus locis non manente præcedente applicatione: Nam sicut agens successiuè potest eos effectus producere in subiecto non retinente formas, quæ repugnant iis quæ producuntur; Ita & Angelus potest successiuè in se producere formam applicantem non retinendo in seipso applicationes respectu potentiæ finitæ repugnantes, quia hoc est proprium potentiæ infinitæ, quæ omnes potentiæ finitæ limites excedit.

Colligitur vltimò, quid intelligat A. Doctor per operationes quibus alibi ait Angelum esse in loco. Intelligit enim vel operationes quæ sint applicatio virtutis vt suprà diximus, quæ non possunt esse plures ne arguatur potentia infinita, vel certè hic sententiam mutauit, quia dicit esse *per applicationem virtutis*. Quocirca cũ ait Angelos esse per operationes in loco, dupliciter id explicari potest; vel vt suprà diximus eo quòd sint per operationes tanquam per signa nobis magis cognita & notiora; vel certè per operationes quæ sint productio Vbitatum, quibus se in loco constituant; nempe per operationes quibus applicatur Angeli virtus in locum, A. Doctor.

vt

vt dixi antè ex illo quodlib. 1. a. 4. Quo pacto propositio erit causalis. sensus enim est esse per operationes quæ sunt causæ formæ quæ est formalis applicatio. sicut cum dicitur: homo est homo per generationem; & Ira est efferuescens in corde sanguis, vt ex Aristotele lib. 1. de An. cōt. 16. suprà dictum est.

At dicet aliquis, hoc pacto etiam corpora & animalia essent in loco per operationes; & tamen A. Doctor ait esse per dimensiones. Respōdeo hic A. Doctorem dicere esse corpora in loco per dimensionum applicationem. quod etiam est esse per Vbitatem quæ est formalis applicatio. vel certè ne sit nominis controuersia significat ea esse in loco per applicationem quæ sit effectio & productio eius formæ quæ est Vbitas, vt etiam sit hac in re propositio causalis. Neque in hoc quicquam absurditatis contineri, vnquam probare poterunt aduersariæ sententiæ auctores.

Præterea dico esse disparem rationem; quia corpori assignamus dimensiones tanquam originem cui debeatur tantus locus. At verò in Angelis nihil aliud potest assignari radicitus, ratione cuius sit tantus vel tantus locus, nisi illud quod est applicatio virtutis; nempe applicatio quæ Angelum determinet ad tantum vel tantum locum vt in eo operetur quod operari vult. Itaque radix tantæ applicationis est operatio in eo loco exercenda, si sermo sit de origine ex causa finali: In genere autē causæ formalis est Vbitas ipsa vt dictum est.

Ex his respondetur ad ea quæ diximus ex Caietano pro parte negante; vt patet in primo & secundo *Colligitur* post nostrā propositionem.

Vnum hic tantùm animaduertendū est, huic A. Doctoris sententiæ, quam in hoc primo & secundo articulo de Angelorum loco explicauit, cæteras quasque de eodem loco explicationes, quæ ex variis A. Doctoris alibi dictis afferri possunt cedere oportere, fascésque submittere. Hanc etenim quæstionem hoc loco ipse & tractauit accuratiùs, & magis ex instituto definiuit. His namque quæ in hoc diuino opere scripsit tanquam vltima voluntate ac testamento testatum apud Theologos esse voluit, quid eius doctissimus animus perfecta iam præditus sapientia senserit. Cum ergo hic apertè doceat Angelum esse in loco per applicationem virtutis finitæ, parum refert si alibi aliter se sentire significauerit. Hoc autem dixerim non vt excludam cęteros huic consentaneos locos. (his enim magis firmabitur huius articuli doctrina) sed ne contradicentes A. Doctoris contextus curiosiùs inquirantur ab iis, qui vt Thomistæ videantur, ad absoluta eiusdem loca confugere malunt, quàm vera sectari.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm & quomodo concludat ratio A. Doctoris Angelum non posse esse simul in pluribus locis.

EXaminauimus superiore Difficultate, an verum esset principium illud in quo niti videtur tota præsentis articuli ratio: an scilicet virtus finita determinata sit ad vnum numero effectum atque operationem; nihil tamen explicite definitum est; an eiusdem articuli argumentatio ad consecutionem deducēdam efficax existimanda sit. Quod nunc de more inquirendum nobis est, ne vitalis ille succus, quo veritas Theologica ali potest, nostræ intelligentię subtrahatur.

Ex vna parte non videtur: quia esto vera sit propositio, quod vna virtus finita sit ad vnum numero effectum; tamen quia huiusmodi virtus debet esse determinata ad vnum effectum adæquatum non partiarium, superest probandum, vnum tantùm locum numero esse effectum adæquatum virtutis finitæ Angelicæ non partiarium: quod tamen non conficit ratio A. Doctoris; sed supponit. Præterea quia esto etiam vna partiaria virtus finita Angeli sit ad vnum tantùm locum, sicut ad effectum adęquatum; tamen quis prohibet ne Angelus habeat plures virtutes veluti partiarias se in loco collocandi: sicut enim in animali est virtus partiaria collocandi manum in loco, & alia collocandi pedem, &c. cur similes & quadam proportione respondentes vires non concedimus Angelis?

Ex parte aduersa est A. Doctoris auctoritas. & præterea quia si rectè ea quæ superiore Difficultatē dicta sunt considerentur, facilè cōcludetur optimam omninò ac firmam præsentis articuli esse rationem. Ideò ad Difficultatem respondetur; & sit

Vnica propositio. Rectè A. Doctoris ratione ostenditur Angelum non posse esse in pluribus locis. Patet: quia vtrumque principium est verū, & consecutio necessaria; ergo rectè ostendit propositum.

Id quod est in loco per applicationem finitæ virtutis debet in vno tantùm esse loco. §. 1.

ANtecedens probatur: quia vera est Maior, nempe id quod est in loco per applicationem suæ finitæ virtutis, debet esse tātùm in vno loco non in pluribus; vt fusè comprobatum est superiore Difficultate in nostra propositione & deinceps. veræ quoque sunt omnes eius probationes; nimirum quia eiusdem finita virtus est tantum ad vnam operationem, vnúmque effectum; nempe quod sit vnus saltem vnitate per contiguitatem, ex quo sequitur quod est finitæ virtutis debere tantummodo esse in vno loco, vt ostensum est super. Difficult. Not. 3. & deinceps præsertim in quæstiuncula secunda post propositionem. Probauimus enim si Angelus non potest operari in duplicem locum, apertè sequi, nec posse producere in se duas vbitates, quibus in duobus locis se constituat. Dubitationes autem huic doctrinæ aduersantes soluimus in nostris *Colligitur*. De Minore autem eiusdem syllogismi non potest esse dubium; nempe; sed Angelus est in loco per applicationem suæ finitæ virtutis. eámque veram esse ostendunt illæ ipsæ probationes, quas ad explicandum confirmandúmque hunc ipsum articulum in eius explanatione conscripsimus.

Ex his respondetur ad oppositas obiectiones. Ad

Ad primam enim nego superesse probãdum illum effectum vnum numero esse effectum adæquatum non partiarium. Si etenim probatum est, esse determinatam virtutem ad vnum effectum numero, qui nimirum saltem sit vnus per contiguitatem patibilium, sequitur necessariò fieri non posse, vt sit ad alium effectum prẹter illum ad quem est determinata. quia hoc ipso virtus illa esset determinata ad vnum effectum,& non esset determinata, quia vltra illum posset ad alium. quod pugnantia inuoluit. Sicut si diceretur potentia videndi esse determinata ad vnam visionem vnius albi, posse tamen ad visionem alterius,& ignem esse determinatum vt calefaciat, tamẽ posse etiam infrigidare. Ratio huius est, quia aliquod agens esse determinatum ad vnum nihil est aliud nisi ita restringi ad illud, vt præter illud nihil possit aliud. determinatum enim idem est, ac limitatum esse, & contractum. sic enim dicimus genus determinari per differentias, vt rectè explicat A. Doctor quodlib. 7. a.1. ad 1.& a. 6. Sic etiam dicimus agens necessarium esse determinatum ad vnum, liberum verò posse ad opposita; quia scilicet agens necessarium extra illud vnũ nihil possit: extra quod agens liberum possit. illud namque negamus agenti necessario quod de libero affirmamus. vnde determinatum illud est quod intra tales fines certósque limites restringitur ac definitur. Quo pacto Deum qui est vbique negamus esse definitum ad vnum tantum locum, &c.

Dicimus igitur argumento, si virtus finita est determinata ad vnum effectum, extra illum non habere vires. ergo ille effectus est illi virtuti adæquatus, quia est ei maximus, vltra quem nõ potest hoc enim etiam modo intelligimus effectum esse adæquatum suæ causæ, vt dicam Quæsit. seq. Diff. 1. Itaque ratio A. Doctoris non supponit illum effectum numero esse adæquatum, sed valide probat saltem implicitè & virtute: cum sumat talia principia ex quibus id necessariò deducitur, vt ostensum est. Potest ergo huiusmodi locus dici & adæquatus & partiarius. Adæquatus quidem, quia eo posito non potest in alium locum simul se collocare Angelus. Partiarius verò, quia si potest Angelus se maiori loco applicare, ille locus quem de facto occupat Angelus comparatè ad maiorem, partiarius dici potest.

Ad eosdem specie actus non sunt in eodem subiecto plures potentiæ etiam partiariæ. Vbi etiam de potentia motrice, quia nec potest Angelus se collocare pluribus in locis eodem tempore, siue per vnã siue per plures actiones. §. 2.

AD secundã obiectionẽ, respondeo dupliciter. Primò quidẽ falsum esse in eodẽ subiecto plures virtutes etiã partiarias esse ad eosdem specie actus, cum ne ponantur quidem ad actus specie diuersos. Non enim in animo aut ad varias intelligendi functiones insunt varij intellectus partiarij, aut ad varios voluntatis actus plures voluntates. nisi velimus tot multiplicare in animo potentias, quot possunt esse in eo actus. Quod sanè esset infinita cõcedere. Tot

A namque deberent esse actu potentiæ, quot in animo elici actus possent; non enim esset ratio, cur potiùs ad actus vnius speciei quàm ad alios potentiæ distinguerentur. At actus illi qui in animo esse possunt, non sunt finiti; cum non tot quin plures elici circa varia obiecta queant; ergo illæ potentiæ nõ essent actu finitæ ac proinde actu infinitæ. Quoniam quicquid actu est, debet esse aut finitum actu, aut infinitum actu: constat enim quæ potentia sunt finita aut infinita ea non esse simul actu. Non ergo sunt in eodem plures partiariæ vires ad se in loco reponendum. Nec impar est ratio de facultate motrice in animalibus. Nam imperans est volũtas, seu appetitus, dirigens est facultas cognitrix. Quæ vnæ sunt, non plures. exequens verò est
B vis in membris, quæ ea impulsu spirituum mouet, quò ab appetitu imperatur, de qua re legi potest A. Doctor opusc. 45. cap. 5. Exequens igitur est vna, si per facultatem intelligas quæ residet in anima. Si verò intelligas instrumenta, hæc plura quidem sunt partiaria, quia resident in variis subiectis partiariis. Hoc tamen non suffragatur obiectioni. esto enim hæc instrumẽta multiplicentur in animalibus ob varias eorum partes, atque ob varia ipsorum instrumentorum subiecta, in Angelis tamen, qui sunt substantiæ indiuisibiles, ac proinde penitus carentes partibus, ob has rationes multiplicari partiariæ potentiæ nullo modo debent.

Deinde respondeo esto dentur etiam in An-
C gelis plures huiusmodi potentiæ partiariæ, tamen dico ita oportere iis respondere effectus partiarios, vt tamen inter se faciant vnum, non autem sint inter se separati. quia ad separatos non est vis in Angelo, vt diximus constare ex aliorum agentium finitorum virtutibus finitis.

Immò retorqueri potest in ipsos auctores argumẽtum à pari de animalium membris: quamuis .n. demus in iis plures partiarias contineri vires ad ipsa eadem membra in loco cõstituenda; non tamen ita possunt in loco collocari, vt vnum membrum sit in loco separato ab aliorũ membrorum locis. non etenim manus potest esse in loco omninò seiuncto à loco brachij, nec brachium à loco corporis,& sic de cæteris. quia
D scilicet omnium harum partiariarum facultatum vis ad vnum effectum conspirat non ad plures,& separatos.

Tandem hoc in loco Notandũ est rationem A. Doctoris (nempe ex eo quòd virtus ad vnum determinata sit) ostendere Angelum non solùm non posse in pluribus locis se collocare vnica actione, sed ne pluribus quidem etiam diuerso tempore actionibus. etenim virtus ad vnum numero effectum determinata non potest siue in se siue in alio producere effectus saltẽ absolutos plures numero; qui nimirũ nõ faciũt quid vnũ, vt nõ possunt in eadem subiecti parte esse plures primi gradus caloris, plures figuræ rotundæ, quadratæ,&c. quam doctrinam expressit
E A. Doctor in hac p. p. q. 94. a. 3. ad 1.& 1. 2. q. 63. a. 4. ad 3.& alibi frequenter; idque disertè patet ex Aristotele lib. 4. Phys. cont. 76. vbi refert, si duo accidentia esse in eodem subiecto possent, cur non plura & plura in infinitum? *Si duo talia* inquit *propter quod & non quotlibet in eodem erunt?* Quamobrem Angelus nec poterit in se producere duas Vbitates quibus sit in diuersis locis distantib. quia earũ Vbitatũ partes non facerent quid

A. Doctor.

Aristoteles.

distantibus, quia earũ Vbitatũ partes non facerẽt quid vnũ, cum non essent continuæ nec extensiuè vt aiunt, nec intensiuè. Non quidem extensiuè, quia Angelum non copularent partibus loci aut spatij continuis siue contiguis. Non intensiuè, quia quantumuis addantur earum Vbitatum partes non idcircò Angelus magis est in loco, quam alius qui earũdem Vbitatum partes haberet pauciores; nec poterit producere alios plures effectus in alia subiecta seu loca quibus se applicat si dissita sint, quia illi effectus nõ facerẽt vnũ vt suprà diximus. ergo nec vna nec diuersis actionib. se collocare potest in diuersis locis simul, hoc est ita vt retineat simul plura loca.

B Sed dicet aliquis. si Angelus esset Romæ & Neapoli simul posset extendere suas actiones vtrinque quousque vnirentur illi effectus. v. g. si hinc Roma operaretur vsque Terracinam, ad quam etiam vsque transmitteret actionem ab vrbe Neapoli. ergo propter hoc non deberet Angelis negare plura loca.

Respondeo vt operatio & effectus cõtinuentur; hoc est non interrumpantur debent in partes ab agẽte remotas transmitti per partes agenti propinquas. Sic enim Sol illuminat aerem continua actione; idemq; patet in cæteris agentibus. ita nimirum vt actio & effectus priùs natura sit in partibus agenti propinquis, quam in remotis. quandoquidem illæ propinquæ sunt

C veluti medium & via per quam transit actio ad remotas. Hoc igitur non contingeret, si Romæ ac Neapoli essent initia actionis. prius enim natura saltem, essent à parte rei actiones illæ loco dissitæ ac seiunctæ non continuæ, quia neutra initia per intermedias partes copularẽtur inter se, ac proinde priùs natura non esset vna actio, vnúsque effectus. Addimus etiam cum Angelorũ potissimus effectus sit localis motus in corporib. qui necessariò successiuus est, tunc oportere effectus illos etiam tempore priùs esse inter se non continuos. quia prius tempore essent in partibus propinquis vtrique vrbi quàm in remotis, atque non esset vnus effectus. Itaque

D constet rationem A. Doctoris optimè ostendere Angelum neque vna neque diuersis actionibus in pluribus locis esse posse.

QVÆSITVM SECVNDVM, *Vtrùm & quomodo verum absolutè sit Angelum esse non posse nisi in vno loco determinato.*

Video equidem satis probatum A. Doctoris esse ratione, Angelum vno tantũ loco contineri, nec pluribus posse, ideóque aliã indagare opus non esse; præsertim cum difficile prorsus

E sit reperire meliorem. Tamen quia dissentiunt inter se Theologi in his aliisque similibus, & varias suæ quisque sententiæ argumentationes in medium proferunt ex natura rei quæstionem examini subiicere par est, veritatémque declarare quam apertissimè ex Theologorum rationibus. Quod factitatum quoque ab A. Doctore videmus, qui plerunque postquam conclusionis suæ veritatem sacrarum literarum aut Patrum auctoritate demonstrauit, aliorum quoque sententias, ac sententiarum fundamenta discutere solet. Vt (ne longius abeam) præstitit suprà q. 50. a. 2 3. & 4. & alibi sæpissimè. Sit ergo

PRIMA DIFFICVLTAS, *Vtrùm Angelus esse possit in pluribus simul locis non adæquatis.*

Duplex intelligi potest locus Angelorum, quorum quæstionem discuti in præsentia volumus. Primus est adæquatus; nẽpe cuius magnitudinẽ excedere Angelus sua naturali virtute non possit. v. g. si Angelus possit esse in loco centum palmorum, non autem in excedente centum palmos, is locus centum palmorum Angelo erit adæquatus. Hanc enim notionem loci adæquati intelligit Scotus in 2. d. 2. q. 7. §. *In ista quæstione* vbi appellat locum *adæquatum secundum vltimum potentiæ suæ*; iisdem prorsus verbis vtitur Gabriel in 2. d. 2. q. 2. a. 3. dub. 3. Gregorius in 2. d. 2. q. 3. Bassolis item q. 4. a. 3. Caietanus in hoc art. §. *Secundò sciendum*. Ferrar. 3. cont. Gent. c. 68. §. *Ad euidentiam primi dubij*. qui duo auctores etiam vocant *totales locos*. Gabriel Vasq. disp. 190. c. 1. & alij. Vocantur etiã huiusmodi loci adæquati, maximi, sub quibus esse possunt, à S. Bonau. in 2. d. 2. a. 2. p. 2. q. 2. & à Ricard. in 1. d. 37. a. 2. q. 3. Molina hic a. 2. & ab aliis. Ex quo sequitur locũ inadæquatum seu non maximum esse illum in quo Angelus ita est, vt possit esse sub maiore; hoc est possit occupare corpus, seu spatium vlterioris magnitudinis, nempe vltra limites loci inadæquati; vt iidem auctores docent.

Scotus. Gabriel. Gregorius. Bassolis. Caietanus. Ferrariensis. Vasquez. S. Bonau. Ricardus. Molina.

Non posse esse Angelum in duobus locis secundùm virtutem naturalem maximis seu adæquatis, licèt nullus locorum Angelo dandus sit terminus si ad Dei potentiã cõparetur. § 1.

In hac autem controuersia certum esse apud omnes debet, non posse Angelum esse simul in pluribus locis adæquatis seu maximis secundùm virtutem naturalem Angeli, vt docent omnes prædicti auctores iisdem locis; & Ocham q. 1. Quol. 4. vt eum citat Gabriel loco c. t. Et quamuis Scotus & Gabr. id non affirment tanquam certum, cum dicant hoc esse probabile, nõ tamen ita dicunt hoc esse probabile vt significent oppositum vllo modo esse probabile. Est etiam sententia Alex. 2. p. q. 32. m. 3. vbi ait; Angelum etiamsi moueat ingens aliquod corpus; non tamẽ esse in omnibus partibus illius. Ergo supponit esse terminum loci Angeli, vltra quẽ nõ sit. quod etiam docet A. Doctor vt vidimus, qui ob id negat Angelũ esse in toto cælo quod mouet. Idem supponit Albertus in sum. Theol. p p tract. 18. q. 73. a. 2. & 3. vbi negat Angelum posse esse aut vbique aut in pluribus locis ex eo quod est limitatæ finitæque substantiæ. Quod falsum esset si Angelus non haberet locales terminos vt etiam ipse Albertus ostendit, cuius verba superiore quæsito retulimus Diffic. 1. & paulo post etiam in parte negante nonnulla referemus. Hoc ipsum probari potest manifesta ratione, quia cum Angelus debeat esse virtutis finitæ, ac proinde non debeat esse vbique, necesse est habeat terminum, vltra quem non possit protendi locus eius, alioqui potest esse in Maiori & maiori, & sic vbique in toto Mundo simul. quod repugnat iis quæ ab vniuersis Theologis circa locum Angeli statuuntur. Quæcunque forma ponatur loci contra Durandum, qui vt suprà vidimus Angelum dixit esse vbique.

Ocham. Scotus. Gabriel. Alexander. Albertus.

Certum etiam est secundò, non esse hunc loci terminum dandum Angelo si cõparetur ad diuinam

uinam potentiã absolutam. quod docent apertè Scotus, Gabriel & alij citati, & probat Bassolis cõtra Gotfredum, qui id negauit Quodl. 12. Ratio autem est à pari. Non enim est magis coarctatus Angelus, vt sit intra fines vnius loci quam corpus. Sed corpus virtute diuina potest fieri atque esse actu simul in pluribus locis, vt patet in corpore Christi in pluribus hostiis, templis atq; altaribus. Ergo & Angelus virtute diuina poterit esse simul in pluribus locis.

Scotus. Gabriel. Bassolis.

Immò multo maiori ratione. quandoquidem quia corpus Christi non solùm eget virtute diuina vt ponatur in pluribus locis, verùm etiam vt addatur supernaturalis forma qua ponatur totum in totis specieb. panis, & totum sub qualibet illarum parte, vt ostendi 3. p. in materia de Eucharistia. Angelus autem solùm indiget virtute diuina, vt eius naturalis forma essendi in loco multiplicetur; sicut si Deus multiplicaret vbitates naturales in vno lapide vt circumscriptiuè esset in plurib. locis. vnde quod respondet Gotfredus apud Bassolium vbi suprà, diuersam nimirum esse rationem de corpore Christi ac de Angelo; propterea quòd corpus Christi est in loco per dimẽsiones panis in ipsum conuersi, quæ ratio non est in Angelo. vnde negat posse Angelũ diuina virtute esse in plurib. locis: quod inquam respondet rectè refellitur ab ipso Bassolio: quia licet si originem spectes & materialem causam, Christi corpus sit ibi per conuersionem panis in ipsum; tamen formaliter debet habere in se suam præsentiam qua præsens est speciebus seu dimensionibus panis; vt eo loco ostensum fusiùs à nobis est. ergo si talis forma in corpore multiplicari potest, multò id magis in Angelo concedendum est. Argumenta autem Gotfredi, quibus ostendere conatur huius multiplicationis in diuersa loca repugnãtiam, quia eodem modo impugnant multiplicationem corporum, & facilè solui possunt; in tractatione de Eucharistia refutanda sunt; & ideò Bassolius ibi rectè ait, contrariam sententiam *sibi videri falsam & periculosam.*

Gotfredus.

Ex his omnibus constat, solùm hîc quæstionem superesse vt videamus; possitne Angelus simul esse in pluribus locis non adæquatis nec virtute supernaturali sed propria, & in locis citra terminos loci adæquati. quæ scilicet loca simul coniuncta sphæram loci adæquati non excedant. Plura autem loca erunt, si inter se non sint contigua. Nam si sint, certum est posse etiam corpora esse in pluribus; vt cum ligni dimidiũ est in aqua, alterum in aëre &c.

Referuntur in proposita difficultate dissentientium Theologorum opiniones: & pars negans antefertur quæ est omnium ferè Theologorum. §. 2.

HIs positis in præsenti Difficultate Partem affirmantem sequuntur Ferrariensis locis citatis, & Caietanus in hoc art. §. *ad tertium.* Aiunt enim A. Doctorem, cum negat Angelum posse esse in pluribus locis, non intelligendum esse cum plura illa loca etiam distincta non possunt facere vnum locum totalem &

Ferrariensis. Caietanus.

A adæquatum, sed necessariò constituunt excedentem. Probari potest, vt colligitur ex ipsorum doctrina: Quia quotiescunque plura possunt accipi instar vnius comparatè ad vnam virtutem naturalem, ad illa potest tendere illa virtus naturalis, tanquam ad effectus suis viribus parem. Sed illa plura loca non adæquata, & vt ipsi dicũt partialia, comparata ad virtutem Angeli vt ita dicam, locatiuam naturalem, possunt esse instar vnius: quia illa omnia simul contineri possunt intra sphæram atque ambitum vnius loci adæquati, ac proinde esse instar vnius loci adæquati. Ergo potest esse in illis simul Angelus. Confir-B mant quia Angelus intra ambitũ virtutis actiuę potest in plura corpora simul operari, etiamsi corpora inter se coniuncta non sint. Ergo poterit esse in his locis. vt si Angelus possit mouere decem quantitatis palmos, posset mouere primum & vltimũ sine motu mediorũ. Addit Caietanus non liquere quãta oporteat sit hęc ambitus amplitudo, intra quam possit esse Angelus in pluribus locis. Sed tamen quid simile in illis docendum videri quod de corporibus dicitur; nempe *habere certam sphæram actiuitatis suæ vltra quam non potest immediatè operari.*

Posset etiam huc referri Scotus in 2. d. 2. q. 7. §. *Et ideò ad argumenta*, vbi soluit rationes probã-C tes Angelum non posse esse in pluribus locis. Sed tamen Scotus apertè ait ibi §. *In ista quæstione* hanc quæstionem esse ancipitẽ. Postquam enim dixit probabile videri non posse Angelũ naturali virtute se in duobus locis collocare, *quorũ vterque sit sibi adæquatus secundum vltimum potentiæ suæ,* subdidit, *sed vtrùm in duobus locis discontinuis possit esse, quorum nec vnus nec alius est sibi adæquatus dubiũ est; nec videtur ratio necessaria pro nec cõtra.* Cui Scoti sententiæ subscribit Lychetus in 2. d. 2. quæst. 7. §. *In ista quæstione.* Quod verò Scotus soluat eas rationes, quas diximus probare non posse esse in pluribus locis, id facit quia cõfirmare ibi vult, D posse esse Angelum in pluribus locis virtute diuina; aduersus quam sentẽtiam eas rationes adduxerat quasi ostenderent absolutam esse repugnãtiam. Addo etiam Scotum licèt hac in re anceps sit, vt dixi, tamen pẽdere in partem negantem. Nam §. cit. *In ista quæstione* docet ex sententia Damasceni, *Angelum de facto non esse in duobus locis: quia secundum eum cum sunt in cœlo, non sunt in terra: nec è conuerso.* Quare cum ita reipsa semper contingere concedat, potiorem etiam existimare debet rationem pro parte negãte. Si enim naturaliter possent esse in pluribus locis, non esset ratio cur aliquando non contingeret in vno aliquo ex tam multis Angelorum millionibus.

Scotus. Lychetus.

Videri etiam potest Bassolius hanc partem se-E qui in illo art. 3. c. Vbi postquam ostendit Angelum non posse esse in pluribus locis adæquatis addit: *Tamen non video quare virtute naturali non possit esse simul in duobus locis partialibus distinctis & contiguis, quæ prius fuissent partes illius loci totalis: & ita in pluribus distinctis æquipollentibus suo loco totali.* Verùm cum id affirmet de locis contiguis, non videtur asserere de pluribus locis simpliciter, quæ vt diximus contigua esse nõ debent vt sint plura. Citatur etiam Marsilius tanquam hanc partem amplectatur in 2. q. 2. post septimam cõclusionem. Ibi tamen habet Angelum *posse coexistere pluribus locis specie distinctis, quia distantia cui toti coexistere potest plurima specie distincta complecti posset;* nihil tamen docet de locis distãtibus. & paulò

Bassolius. Marsilius.

paulò post ad 1. licet doceat vnum dæmonem posse tentare plures homines, tamen addit: *Si tales homines distinguerentur ad tantum quod non possent ad totam diametrum coexistere, amplius non posset simul in ambobus remanere.* Quare videtur velle in pluribus locis hoc est corporibus, quæ in diametro loci adæquati continuentur. Sed non est pretium operæ, similium Theologorum mentem diligentius inquirere.

Partem negantem veram omnes ferè Theologi arbitrantur. Hanc sententiam apertissimè significat Albertus in sua sum. Theolog. p. p. tract. 18. q. 73. a. 2. probat enim vt antè diximus, Angelum in vno tantùm esse loco & non in pluribus, quia est finitæ substantiæ, ex qua oritur, vt sit intra terminos extra quos non sit. Ac ne putetur loqui de terminis loci adæquati tantùm, subdit locum Angeli oportere ita terminari, vt extra illos non sit Angelus quia termini sunt. hoc enim ipso quod aliquid terminis concluditur, *nihil de esse & substantia potest esse extra. sequeretur enim* inquit *quod si simul in pluribus locis esse posset, quod totum esset intra, & totũ esset extra; quia extra & intra dicunt differentias situs & vbi oppositas circa idem locatum; & ideò mutuò se expellunt ab eodem susceptibili.* Quibus clarè constat excludi ab Alberto quamcunque loci, siue adæquati, siue inadæquati multiplicationem. æquè enim aduersus vtrumq; genus hæ rationes pugnant. nam si ponatur locus inadęquatus multiplex, in vno totus esset Angelus, eiusq; terminis clauderetur, ac proindè esset intra terminos totus & totus extra. & cætera quæ Albertus tanquã maximè absurda infert. Immò vt hoc certius omninò appareat; negat naturaliter posse conuenire Angelo, quod cócedit corpori Christi miraculose contingere: Huic autem quod possit esse in pluribus locis. quæ singula certum est ei esse inadæquata & partiaria. Ergo hæc loca inadæquata negat Angelo naturaliter tribuenda esse. Maior & Minor patent ex verbis eiusdem Alberti. Sic enim pergit: *Et si aliquis insitet* inquit *de corpore Domini*; quod est in pluribus locis simul: *non valet. hoc enim miraculosum est; & hoc nõ habet in quantum est corpus, sed in quantum diuinum. nec habet hoc secundum idem*, &c. Verum ergo est concedere corpori Christi, quod negat Angelis qua terminis concluduntur.

Albertus.

Idem puto doceri ab Alexandro 2. p. quæ. 32. memb. 3. corp. Licèt enim non distinguat, Vtrùm possit Angelus esse in vno tantũ loco inadæquato, aut adæquato, tamen absolutè ait: *dicimus quod Angelus non est nisi in vno loco partibili.* Quod est negare plura loca etiam inadæquata quia etiam illa sunt absolutè plura, modo disiuncta sint.

Alexander.

Quo pacto intelligo A. Doctoré in hoc ar. vbi absolutè negat esse in pluribus locis. Quod etiam optimè probat eius ratio, quia virtus est determinata ad vnam numero operationem siue adæquatam siue inadæquatam. nam si solum esset determinata ad vnam operationem adæquatam, posset plures inadæquatas exercere, secundum quas non esset virtus ad vnam determinata. At contra hoc apertè pugnat rationis paritas in proximo argumento ex diuina virtute. Ex eo namq; quod virtus diuina vniuersalis est determinata ad vniuersum ens, nempe quod nũc creatum est de facto, confirmat omnem particularem virtutem esse determinatam ad particulare ens. At virtus diuina vniuersalis est determi-

A nata ad vniuersum ens quod est creatum, tanquã ad vnam operationem, & effectũ inadæquatum. Ergo hoc pacto intelligit determinatam esse virtutem Angelicam. Præterquam quòd ineptè assumpsisset A. Doctor illud vniuersale principiũ; nempe virtus omnis creata est determinata ad vnum, si vellet tantum ostendere virtutem Angeli esse determinatam non simpliciter ad vnũ effectum, sed ad vnum adæquatum. nam contra ipsum apertè cótraria consecutio concludi posset hoc pacto. Omnis creata virtus est determinata ad vnum etiã inadęquatum effectum; vt vis caloris ad vnã calefactioné, visionis ad vnã visioné, & sic de cæteris, quę sunt operationes inadæquatæ. ergo & virtus Angeli &c. Immò ait esse in

B vna parte cæli, vnde incipit motus, ne videatur asserere esse in plurib. eius partibus; Quod esset concedere plura loca inadæquata. Vnde ad argumentum quo obiiciebat sibi, Angelum subuertentem Sodomorum ciuitatem operatum fuisse in pluribus locis eius ciuitatis, ideóque fuisse in pluribus locis. nempe inadæquatis: Respondet totum illud continuum reputari vnum locum, *cui immediatè* inquit *applicatur virtus eius.* Quæ sanè responsio non fuisset necessaria, si existimasset inadæquatè esse in pluribus locis, quia concessisset argumento esse in pluribus licet inadæquatè. Quod etiam manifestè patet ex eius verbis, dum in corpore docet Angelum alicubi esse definitiuè:

C *quia ita* inquit, *est in vno loco quod nõ in alio*: quod negat conuenire Deo, *quia est vbique*; & ita negat Angelo quod asserit de Deo. de Deo autem asserit non ita esse in vno, vt extra illum non sit alibi. Ergo negat Angelo ita esse in vno loco, vt extra illum sit alibi etiam inadęquatè. Nam alioqui esset par ratio de Deo quantum ad hoc quia etiã Deus non est in pluribus locis adæquatis. Vnde in p. d. 37. q. 3. a. 2. c. expressè docet. Sicut anima non potest esse in pluribus corporibus; ita nec Angelus in pluribus locis. Sed anima nullo modo potest esse in pluribus corporibus etiam inadæquatis si ea disiuncta sint, ergo neque. Angelus in pluribus locis, &c.

D Eandem ex loco definito rationem expressit Ægidius in 1. d. 37. 2. p d. q. 2. vbi ex eo quod Angelus est in loco definitiuè, negat posse esse in pluribus, nisi habeant rationem vnius continuati loci. Vnde ad 1. ait: nec solem, nec quamcunq; creaturam *habere operationẽ non limitatam, vnde omnia illa circa quæ operatur sol licèt sint plura, in se habent tamen rationem vnius, vt comparantur ad virtutem solis. Ideò dato quod esset discõtinuatio inter ea, & esset dare vacuum, actio solis non transiret nisi ad ea, quæ cõiuncta & continuata, vel contiguata essent, sic & Angelus*, &c.

Ægidius.

E Eandem etiam sententiam sequuntur cæteri ferè omnes Scholastici, vt S. Bonauentura, & Ricardus vbi suprà. nam ille putat absurdum Angelum in vno loco moueri, in alio quiescere, vt patet in 2. argum. ex iis quæ contra fecit: quas rationes approbat in corp. Hic vero ait, cum Angelus se applicat parti aëris, & parti aquæ, si hæ simul iunctæ sint, non esse in pluribus locis, vt patet ad quintum argumentum; & §. *Dico secundo* absolutè negat pluralitatem locorum, & in hoc solùm vult Angelum differre à corpore in eo quod sunt in loco, quod corpus est in vno loco circumscriptiuè; Angelus verò in vno loco definitiuè, ergo vult in vno tantum loco non in in pluribus dissitis.

S. Bonauent. Ricardus.

Argentina. Clariùs etiam Argentina in 1. d. 37. q. 1. a. 2. A concl. 2. dicit, Angelum pẽsata eius naturali virtute non posse esse in pluribus locis vt plura sunt; quia natura sua sicut determinatur ad vnam speciem, ita determinatur ad vnum locum quo definiatur. nimirum ita vt non sit extra illum: quo pacto Deus non definitur loco etiam inadæquato, cum sit extra omnem locum. De Scoto quid senserit diximus in Parte affirmante, ipsum pro hac sententia referendum. In qua etiam apertè est Maior in 1. d. 37. q. 1. initio. vbi docet quid sit esse in loco *definitiuè & terminatiuè nimirum quod est in vno non in alio, sic Angelus & Socrates sunt in loco terminatiuè.* Quomodo negat corpus Christi in Venerabili Eucharistia contineri loco, quia est ita alicubi, vt etiam sit alibi. Ita in 1. d. 2. q. 1. versus finem.

Maior.

Capreolus. Huc etiam apertè accedit Capreolus in 2. d. 2. q. 1. a. 1. concl. 4. Ac ne putemus ipsum solùm negare Angelos posse esse in pluribus locis adæquatis docet in art. 3. ad argumenta cõtra quartam conclusionem in fine *implicare contradictionem, quod ab eadem potentia finita egrediantur plures operationes vt plures sunt, nisi sint aliquo modo vnum, ac per hoc non est possibile quod simul operetur in plura vt plura sunt licet operari possit in multa vt vnum sunt puta in totam vnam ciuitatem*, &c. Quare negat posse esse in pluribus locis nisi sint vnum contiguitate; vt est vna ciuitas. alioqui operaretur plura vt plura sunt, quia non facerent vnum eo quod nullam haberent vnitatem.

Petrus de Tarantasia. Vldaricus. Carthusian. Petrus. Accedunt etiam Petrus de Tarantasia & Vldaricus apud Carthusianum & ipse Carthusianus in 1. d. 37. q. 3. qui volunt Angelum esse ita in loco definitiuè, vt sit hîc non alibi. vnde Petrus ait ibi §. *Insuper. Quia eius* Angeli *operatio terminari non potest immediatè nisi ad vnum; nec virtus eius, nec essentia potest esse nisi in vno, ideò non potest esse in pluribus locis.* atque ita infert omnibus rebus creatis conuenire esse in vno loco tantùm. solùm autem relinquit in potestate Angeli esse in parte vnius loci vel in toto loco: *quoniam virtus voluntati conformatur secundum exigentiam actionis.*

Vldaricus. Vldaricus quoque ibidem §. *At verò* ait: *omne quod est esse in loco definitum.* additque *Stoicos Platonem Socratem Trismegistum consentire quod Angeli circa nos operantur, & loco definiuntur, & successiuè in pluribus locis sunt per motum de loco ad locum.* Vidésne in pluribus esse locis successiuè, non simul? cum tamen successiuè in locis adæquatis & inadæquatis esse possint: & præterea si loco definiũtur extra illum non sint.

Molina. Vasquez. Valentia. Idem sentiunt recentiores Theologi, vt Molina in hunc art. Noster Gabriel Vasquez vbi suprà c. 3. Valentia hic Disput. 4. q. 3. p. 2. Licèt enim hic auctor concedat plura loca inadæquata, tamen vult ea debere esse simul iuncta. Adhibet enim exemplum de anima, quæ plures partes corporis inadæquatè informat, quas constat esse non seiunctas.

Gregor. Idem puto sentire Gregorium in 2. d. 2. q. 3. dum ait Angelũ posse esse in pluribus locis, modò ea sint vel continua vel contigua, licet alibi aliter senserit fortè de potentia Dei absoluta.

*

Angelum non posse simul esse in pluribus locis etiam inadæquatis, & Patres docent & validis ostenditur argumentis. § 3.

AD solutionem sit

Vnica Propositio. Angelus non potest esse simul in pluribus locis sejunctis etiam inadæquatis; vt est sententia Theologorum, quos citauimus in secunda sententia. Probatur propositio ex Patribus eam manifestè docẽtibus. Nam Primò omnes illi Patres quos suprà citauimus B dicentes Angelum contineri loco determinato, eóque circumscribi, id apertè significãt, quia si essent in pluribus locis seiunctis etiam inadęquatis, possent esse in cœlo & in terra, & in variis ac remotissimis mundi partibus inadæquatè cum sua spatia possint ita contrahi ad varias partes, vt vni loco adæquato æquiparentur. quod Patres putarunt absurdum vt vidimus.

Sanè S. Nazianzenus orat. 6. quæ est de Spiritu sancto pro eiusdem Spiritus sancti diuinitate sumit argumentum ex eo, quòd definitus non est vno loco; cùm eodem temporis momento nõ iisdem locis vatum Apostolorúmque spiritus constitutos, obierit. de eo enim sic ibi disertis C ait verbis: *Obit omnes spiritus* inquit *intelligentia præditos, &c. sicut & vatum & Apostolorum spiritus eodem momento, nõ iisdem in locis sed aliis alibi dispersis, quo ipso infinitus, circumscriptionis expers significatur.* Quod planè confirmat ea quę modò dicebamus. Nam ex eo quod simul est in pluribus locis, putat Spiritum sanctum esse infinitum. cum tamen constet ea loca Spiritui sancto esse inadæquata. ergo negabit Angelos qui infiniti non sunt: posse esse in pluribus locis inadæquatis. In quem locum rectè obseruat Elias Episcopus Cretensis Nazianzeni commentator, cum apertè sentire, Angelos vno tantùm loco definiri oportere, vt extrà nullo modo sint. *Obit* inquit D nempe Spiritus sanctus *non per transitionem de loco ad locum nostro more vel more Angelorum. nam & horum vnicuique locus certus est descriptus, in quo existat. etenim Angelus ille qui astitit Cornelio non erat eodem tempore apud Philippum. neque is qui de propitiatorio cum Zacharia colloquebatur, eodem etiam tempore in cœlo stationem suam complebat*, &c.

Nazianzen.

Elias.

Idem quoque se sentire significant alij Patres qui putarunt, Angelos hoc ipso quod mittũtur de loco transire ad alium locum, in quo à Spiritus sancti missione differunt; ac proinde inferũt Spiritum sanctum non esse creaturam. In hoc autem non rectè Angelos à Spiritu sancto distinguerent, si eos putarent in pluribus locis esse posse inadæquatis. quia dici posset eos ita E mitti vt fiant nouo loco præsentes, retineántq; tantum prioris loci, quantum satis est, vt cum nouo loco quem acquirunt constituatur vnus adæquatus locus. Verba multorum Patrum hac de re loquentium adduci possent; sed duorum satis erit retulisse, vnde de reliquis ferri iudiciũ possit.

S. Athanas. Sanctus ergo Athanasius in epist. ad Serapionem Episcopum; cui titulus est, *Spiritum sanctum non esse creaturam* post medium illius: *Angeli* inquit *amandantur ad ministeria, & venerunt Angeli*

vt

vt assisterent coram Domino,&c. Quod si Spiritus sanctus omnia adimplet, & per Verbum in medio est omnium: Angeli autem quia minores sunt loco circumscribuntur, & quo mittuntur eò se conferunt, qui dubium esse possit spiritum nec creaturam nec Angelum esse? Putat itaque Athanasius amandari ex vno in alium locum Angelos quia omnia non adimplent vt Spiritus sanctus qui loco non circumscribitur.

S. Ambros. Vix S. Ambrosij locutio à verbis Athanasij dissentit. sic enim habet libro de Spiritu sancto cap. 10. *Et spiritus quidem sanctus missus dicitur, sed Seraphim ad vnum, spiritus ad omnes, &c. Seraphim de loco ad locum transit non enim complet omnia; sed & ipsum repletur à spiritu. Seraphim descendit cum aliquo secundum naturam suam transitu. At verò de Spiritu sancto hoc non possumus æstimare,&c. Si de loco exit quem pater mittit, aut filius, vtique de loco trãsiens spiritus atque progrediens, & patrem sicut corpus relinquere videtur & filium,&c.* Argumentatur itaque Ambrosius ex proprietate verbi huius quod est *mittere*, quod de creaturis quæ vbique non sunt, intelligi non possit sine progressione & transitu de vno in alium locum. quod falsum est de Spiritu sancto, qui vbique est. ergo pari ratione falsum quoque de Angelis esset, si ipsi vtrique loco præsentes esse possent. atque hoc sit primum ex Patribus argumẽtum ad nostram propositionem confirmandam.

S. Damasc. Deinde peculiari modo probatur nostra propositio ex aliis Patribus qui expressiùs ei fauẽt. Ac primò quidem probatur ex S. Damasceno, qui libro 1. de fide cap. 17. *Angelus* inquit *in loco esse dicitur quia intellectuali modo adest, & quia vt ipsius naturæ consentaneum est operatur nec alibi est; verum intellectualem in modum illic circumscribitur vbi operatur.* Ergo ibi tantum est & circumscribitur vbi operatur. Sed operari non potest in pluribus ac diuersis locis, vt ibi apertè subdit Damascenus. ergo nec potest esse in pluribus ac diuersis locis. Minor patet: nam subdit: *quia promptè ac celeriter transit, in diuersis locis operatur.* ergo vt operetur in diuersis locis debet ad illa moueri & transire. Dicere autem intelligi à Damasceno loca adæquata est dicere posse Angelum simul in cœlo & in terra operari sine eo quod celeriter transeat, sed manendo in suis locis inadæquatis, quod negat Damascenus. Immò nullo determinato loco circumscriberetur si in pluribus esset, quia esset extra quemlibet determinatum; & tamen Damascenus vult in eo loco circumscribi vbi operatur: *illic circumscribitur vbi operatur.* Quod si alibi Angelus operari debeat in eum locum ei transeundum esse arbitratur Damascenus.

Tertullian. Huic Damasceni doctrinæ consentanea sunt ea quæ prius de Angelis docuit Tertullianus in Apologetico cap. 22. Ibi namque cum docere vellet quonam pacto dæmones præstigiis falsis homines à diuinitatis cultu reuocarint, eas omnes præstigias refert in eorum celeritatem, qua ferè momento in varia loca commigrant, vt annuncient recondita, eorúmque auctores tãquam Dij habeantur. *Omnis spiritus* inquit *ales est. hoc Angeli & dæmones. igitur momento vbique sunt.* obserua non quia simul pluribus in locis sint, sed quia ad ea momento se transferant. *Totus orbis illis vnus locus est.* celeritate nimirum. nam sequitur: *Quid vbique geratur, tam facilè sciunt quam enunciant, velocitas diuinitas creditur quia substantia ignoratur. sic & auctores interdum videri volunt eorum quæ enunciant, & sunt planè nonnunquam,&c.* Hinc peculiaria facta enumerare pergit. Inter cætera ait, dæmonas eo tempore quo Crœsus domi suæ testudinem cum agnina carne decoxerat, clanculum fuisse apud Lydiam, sed momẽto alibi renunciasse,&c.

Sed adhuc expressiùs idem patet ex aliis; vt ex Didymo libro de Spiritu sancto longè post initium. Ait enim Spiritum sanctum nullibi contineri, quemadmodum & spiritũ creatum. *Angelus quippe qui aderat Apostolo in Asia oranti non poterat simul adesse aliis in certis mundi partibus constitutis.*

Denique est egregius locus S. Anastasij Sinaitæ Antiocheni Patriarchæ & martyris libro 1. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus longè post medium declinando ad finem, qui liber habetur to. 1. Biblioth. Vet. Pat. vbi loquens de Angelis sic ait: *Tales essentiã sortiti sunt circumscriptã, vt ne potuerit, agedum dicamus, Gabriel simul in cœlo esse, & apud Virginem. At neque apud Danielem in Babylone, & in Iudæa apud Abacuc. creata enim est natura: Spiritus autem sanctus adimplet omnia.* Ergo non est in pluribus locis seiũctis inadæquatis. si quidem inadæquatè esse posset saltem in Babylone & Iudæa. quod negat Anastasius. S. Anastasius

Ratione probatur propositio; quam nos suprà attigimus in confirmando A. Doctoris argumento: quia Angelus nequit esse in iis locis, ad quos non se extendit eius virtus naturalis ac finita, qua potest se in loco collocare. At Angeli virtus huiusmodi naturalis ac finita non se extẽdit ad plura loca etiam inadæquata. ergo Angelus nequit se collocare pluribus in locis inadæquatis. Maior est certa. Minor probatur: quia virtus finita non se extendit ad eos effectus, è quibus infinitas virtutis arguitur. At arguitur virtutis infinitas si se extendat ad plura loca seiuncta etiam inadæquata. Nam vt rectè ait Ricardus loco citato. qua ratione posset Angelus esse in pluribus locis dissitis spatio milliario, posset etiam esse in quantumuis distantibus. quandoquidem sphæram seu ambitum virtutis effectricis in ipsis agẽtibus intra terminos continuati spatij concludi videmus: quia in tanto spatio continuari potest eius actio non in maiore, nec alio modo probabili ratione asseritur terminus effectricis virtutis. Si ergo non sit continuata huiusmodi actio in Angeli virtute, ad ipsum Angelum in loco collocandum nullus debet, nisi fingere pro arbitratu sententias velimus, assignari terminus Angelicæ virtutis qua se collocare in loco possit, ac proinde arguitur eius infinitas. quandoquidem vbique collocare se Angelus posset. Ricardus.

Quod confirmatur à simili in corporib. ac cæteris formis. Hæc enim vt diximus vno tãtũ loco siue adæquato siue inadæquato esse possunt. ergo nisi sit peculiaris atq; vrgẽs ratio pro Angelorũ loco, nihil contra hoc asseri debet, cũ præsertim vt antè dicebamus, & q. seq. adhuc magis cõfirmabitur, Angeli dicantur mitti & moueri in scripturis de vno loco in alium etiam non longè remotum. quod non esset si se vtroque in loco reponere possent absque eo quod intermedium spatium occuparent.

Confirmari secundò validè potest: quia esse definitiuè in loco est ita esse ibi, vt non sit alibi, vt hic docet A. Doctor. Ergo Angeli, qui definitiuè

tiuè in loco esse debent non possunt esse in pluribus locis etiam inadæquatis. nam in nullo illorum locorum ita essent, vt alibi etiam non essent. immò nec in omnibus illis simul essent definitiuè:quia adhuc esse possent in aliis pluribus, si in singulis ad minus spatium se contraherent; vt si spatium adæquatum vni Angelo constituatur quanta est amplitudo Italiæ v. gr. Tunc Angelus in Italia posset se contrahere ad spatium quantus est locus vrbis Romæ: In Gallia quantus est Parisiorum; & sic de cæteris.ita vt si vellet se in pluribus & pluribus locis collocare, singulorum locorum inadæquatorum spatia diminuerentur magis ac magis in infinitum. vnde nunquam in illis omnibus simul absolutè esset definitiuè, quia adhuc in pluribus esse posset.Qua ratione Deus ipse non est definitiuè in vniuerso, quia adhuc alibi esse potest extra vniuersum si extra creentur alij Mundi.

Caietanus. Ferrariensis. Ex dictis Colligitur primò contra Caietanum & Ferrariensem, ipsos nec quæstionis huius veritatem attigisse,quia vnus tantùm locus, non autem plures etiam inadæquati, concedendus est virtuti finitæ, vt ostensum est in nostra Propositione; nec assecutos esse mentem A. Doctoris, vt patet ex dictis in secunda sententia.

Colligitur secundò, illa plura loca inadæquata non posse accipi instar vnius, vt non rectè iidem arbitrabantur auctores. Ratio est aperta ex dictis. Primò quia nullam haberent vnitatem secundum quam dicerentur vnum quid numero. Præterea quia illa loca non possunt facere vnum locum, in quibus non possit esse vnus effectus facultatis finitæ.omnis enim facultas est ad vnum numero effectum, vt probauimus. talia autem esse illa plura loca etiam inadæquata ostensum est. Vnde licèt corpus Christi in venerabili sacramento sit inadæquatè in singulis hostiis; tamen quia non est instar vnius loci,verè dicitur in pluribus locis esse sacramentaliter. Sanè cum dicitur ab auctoribus secundæ sententiæ Angelos non esse nisi in vno loco,intelligi oportet peculiari ratione de loco inadæquato, quia præsens controuersia inter auctores non potest esse;Vtrum Angelus possit esse in pluribus locis adæquatis,quia omnes fatentur ex ipsis terminis,si constet quid sit locus adæquatus, eos non posse esse.Ergo controuersia est de locis inadæquatis. ij ergo qui negant, negant loca inadæquata.

Ex his responderi potest ad argumenta Partis affirmantis.Ad 1.enim negatur Minor, quia non continentur illa plura sub vno loco adæquato, qui non est nisi sit in spatio continuato, aut certè non interrupto: quia vt dictum est, hoc est esse intra ambitum ac sphæram agentis alicuius. Ad confirmationem nego Angelum posse immediatè operari in corpora, quæ non habent continuationem; hoc est quæ saltem proxima & coniuncta non sint. Nego etiam posse Angelum esse in extremis partibus sui loci adæquati etiamsi non sit in partibus eius intermediis: quia hoc non est finitæ virtutis. nam se posset applicare omnibus locis simul & vbique,vt probatum est.


A

SECVNDA DIFFICVLTAS, *Vtrùm possit se Angelus applicare minori ac minori loco in infinitum.*

PRobauimus Angelum esse non posse in loco maiore ac maiore in infinitum, nec posse esse in pluribus locis etiam inadæquatis si seiuncta sint, nunc de minori, ac minori loco in infinitum disputandum est:sequenti verò Difficultate de loco indiuiduo omni ex parte qui scilicet sit loci punctum.

Partem negantem sequitur apertè Scotus in 2.d.2.q.6.§.*Ad propositum* vbi ait: *De isto articulo videtur concludendum quod habet locum determinatum,indeterminatè tamen hoc modo. quia aliquis locus est,quo maiorem non posset habere & aliquis locus est, quo non posset habere minorem loquendo de loco continuo quia fortasse potest esse in puncto.* Probat tamen Scotus non posse esse in loco quantumcunque paruo hoc argumento quod non rectè quidam intellexerunt: Quia Angelus habet terminum, vltra quem non potest esse in maiori loco;ergo debet etiam habere terminum,extra quem non possit esse in minori. Nam si non habet terminum huius minoris loci,sequitur manifestè posse esse in maiori & maiori in infinitum; quod repugnare diximus. Sequelam probat Scotus ex libro 1.Euclidis Propos. 35. quia quicquid potest esse in vno æqualium determinato, potest etiam esse in alio æquali determinato, si sibi figuratio non repugnet. Ergo si potest Angelus esse in loco minore & minore, poterit etiam esse in alio loco, qui ei sit æqualis quantumuis locus longior & longior sit in infinitum, si loci figuratio non repugnet Ergo Angelus potest esse in illo loco longiori & longiori in infinitum si possit esse in loco minore & minore in infinitum.

Prima consecutio probatur: Quia ponamus Angelum posse esse in quadrato vnius milliarij.Et sit huiusmodi Quadratum. Deinde verò si construãtur alia & alia parallelogrammata super eadem Quadrati basi, & intra easdem parallelas longiora & longiora in infinitum, lateribus tamen diuersorum parallelogrammatũ minus & minus inter se distantibus; semper eorum areæ erunt æquales areæ primi Quadrati, vt rectè docet & probat noster Clauius in commentario ad illam propositionem, & patet in his tribus figuris longiorum & longiorum parallelogrammatum per parallelas minus & minus inter se distantes super eadem basi æqualiũ quadratorum: in quibus omnibus figuris, eidem quadrato A B C D, est æqualis area cuiuslibet ex his parallelogrammatis,D.C.E.F.



Ia 3

Iam sic illius consecutionis probatio confici debet. Nam potest Angelus esse in illo Quadrato A B C D. ergo in quocunque parallelogrammate quantumuis longiore & longiore in infinitum. Semper enim huiusmodi loca erunt æqualia loco seu areæ Quadrati.

Item quod non repugnet figuratio (nimirum quod illa parallelogrammatũ latera minus inter se distẽt) si Angelus potest esse in loco minori & minori probatur: quia si Angelus potest esse in minori & minori, ergo intra angustiora & angustiora latera. Quid .n. potest esse Angelo impedimento, ne intra angustiora latera se cõcludat? Ergo si potest esse in minore, figuratio non repugnat. Sequitur ergo si possit esse in minore & minore, posse etiã esse in quantũuis longissimo spatio ita vt simul possit esse in cælo & in terra, modò protrahatur spatium intra prædictas parallelas.

Scotus. Secundò probat Scotus hanc sententiam: Quia Angelum posse esse in loco est aliqua perfectio, adhuc maior erit si possit esse in loco minore, quemadmodum eadem maior perfectio probaretur, si posset esse in loco maiore. ergo si posset esse in loco minore & minore in infinitum, argui debet virtus infinita. quemadmodum eadem virtus infinita ostenderetur, si semper se in loco maiore & maiore in infinitum collocare posset.

Bassolius. Ad hanc sententiam Scoti accedit Bassolius in 2. d. 2. q. 4. a. 1. ad 2. vbi apertè docet: *Si est vnus locum simpliciter adæquatur Angelo in maius, non posse esse in minori.* nempe in infinitum. Id tamen nullo pacto probat. Item Lychettus in 2. d. 2. q. 5. §. *Tertiò non videtur*, vbi multis declarare nititur Scoti rationem, nihil tamen noui adducit. Item videtur eiusdem sententiæ Petrus de Tarantasia apud Carthusianum in 1. d. 37. q. 3. §. *Insuper de hoc.* Ait enim quod Angelus possit esse in loco maiore vel minore metiendum esse secundum virtutem illius maiorem vel minorem. Vnde colligo quia debet dari terminus virtutis tam in excessu quam in defectu, assignandos quoque esse terminos Angelicorum locorum, nõ solùm vt definiatur maximus verum etiam minimus.

Lychetus.

Petr. de Tar.

Albertus. Qua eadem ratione videtur non dissentire ab hac sententia Albertus in sum. p. p. Tract. 18. q. 73. a. 3. in fine. vbi etiam in Angelicam virtutem refert, quod tantum vel tantum locum sibi Angelus deposcat. *Dicendum* inquit *quod Angelus ex se hoc est ex natura sua non sibi determinat aliquem locum corporeum in quo vel sit vel fiat vel saluetur: sed ex congruentia virtutis assistricis vel ministratricis determinat sibi locum vel cælum empyreum vel alium ad quem mittitur, vt in illo operetur*, &c. Quamquam vt verum fatear non ausim omninò hanc his auctoribus tribuere sententiam. Possunt enim intelligi, vt velint ibi maiorem virtutem requiri, vbi ad maiorem locum adæquatum, vltra quem applicari non posset, Angelus constituendus est. Ibi verò minorem vbi in minore adæquato loco collocari debet; sicut etiam dicimus maiorẽ vim requiri ad maiora pondera ferenda; minorem ad minora.

Hibernicus. Gregorius. Huc etiam referri potest Hibernicus in 1. d. 8. q. 2. ad 4. quem Gregor. in 2. d. 2. q. 2 a. 2. §. *Quantum ad aliud* citat dicentem, cuilibet Angelo definiri certum locũ, cúmque debere esse figuræ sphæricæ ita vt nec in maiore nec minore esse

A possit. Vnde ait: si corpus cui Angelus vnitur, sit minus ea debita quantitate, Angelum fore non solum in eo corpore, *sed etiam in alio extra ipsum, propinquo*; in cuius tanta parte erit, quãta sufficiat vt integrum locum constituat, idémque dicit de figura. Cuius dictum Gregorius ait esse *sat pulchrum & probabile*; nullum tamen argumentum pro eo affert.

Probari tamen posset primò quod sit definitus locus, nam illa virtus Angeli, qua locũ sibi efficit est determinata ad vnum; ergo non est liberum illi, vt locum variet. Deinde quod figuræ sphæricæ probatur: quia figura sphærica est omnium perfectissima. ergo debetur aliquo modo

B nobilissimæ creaturæ nẽpe Angelo, nonnisi secundum locũ. ergo locum occupat figuræ sphæricæ. quod videtur confirmari posse ex cælestib. orbibus, in quibus Angeli sunt tanquã in loco. ergo idem proportione dicẽdũ de reliquis locis.

Huic etiam sententiæ (quod sc. non sit locus Angeli minor & minor in infinitũ) fauet ex parte insignis nostræ ætatis Theologus noster Gabriel Vasq. disp. 191. c. 2. vbi ait: nobis non constare: vtrùm Angelus possit esse in minore & minore in infinitum: *Quãuis enim* inquit *nulla appareat repugnãtia, non statim sequitur vt nos illud affirmare possimus Angelo esse possibile, alioqui de quauis herba asserere possemus hoc vel illi ægritudini posse mederi.* Vasquez.

C quia nimirũ hoc est illi possibile. Probat nõ esse certum: quia non est certũ; Vtrùm ille modus, quo se loco accommodat, habeat definitam applicandi rationem. Pręterea quia si esset certũ posse esse in loco minore & minore; ergo esset certum esse in puncto; quod est falsum, vt ipse probat Disp. seq. Hoc ipsum Gregorio vbi supra dubium fuit. nã postquã soluit argumẽta Scoti, quæ attulimus cõcludit. *Dico igitur quod non video impossibilitatem alterius partis, nec necessitatem. Eligat ergo quod quis velit, dummodo nihil affirmet temere; nam hac materia abscondita est nobis dum hic sumus.* Gregorius.

Secunda sententia docet esse posse naturaliter in loco minore & minore in infinitum, & nullũ

D dari terminum extra quem in minore esse non possit. Ita expresè S. Bonauentura in 2. d. 2. p. 2. a. 2. q. 3. §. *Quod quæritur*, vbi addit discrimen cur anima nequeat in corpore minore & minore esse: Angelus verò in loco possit. Id enim rectè ait esse ex eo quòd anima requirit organa corporea ad suas functiones apta ac suis qualitatibus tẽperata quę determinatam poscunt quantitatem, vt in minore esse non possint. Non enim posset esse spirituũ conceptacula &c. At verò Angelus in quãcunq; loci quantitatem operari potest, vt etiã melius deinceps patebit. Idẽ docet Gabriel ibidẽ q. 2. a. 2. dub. 2. & apud ipsũ Ochã quol. 1. q. 4. Marsilius ibidẽ q. 2. a. 2. post 6. concl. Maior q. 9. Ricardus in 1. d. 37. a. 2. q. 2. c. initio. Ægidius eadẽ d. q. 2. §. *Dico autẽ.* Caietanus in hoc art. §. *Circa

E illã propositionẽ.* Ferrariensis 3. con. Gent. c. 68 §. *Ad rationẽ principalẽ* cæteriq; recentiores; vt Molina hic a. 2. con. 3. Valẽtia disp. 4. q. 3. p. 3. § *Quartò asserimus* & alij. Idem puto sensisse omninò A. Doctorem in hoc a. 2. Absolutè enim ait ex eo quod Angelus est indiuisibilis extra genus quantitatis nõ esse necesse *quod ei determinetur vnus locus indiuisibilis secundũ situ, sed vel diuisibilis vel indiuisibilis vel maior vel minor, secundũ quod voluntariè applicat suã virtutẽ ad corpus maius vel minus.* Itaq; A. Doctor apertè sensit esse positũ in Angeli arbitrio, vt se collocet in minori & minori loco vsque ad punctum

S. Bonau.

Gabriel. Ocham. Marsilius. Maior. Ricardus. Ægidius. Caietanus. Ferrariensis. Molina. Valentia. A. Doctor.

Scotus. punctum indiuiduum; nec determinari ab eius siue natura siue virtute, vt dixerunt Scotus & alij suprà in Prima sententia. Atque etiam in Capreolus hunc sensum Capreolus in 2.d. 2.q.1.a.1.concl. 2.adducit A.Doctoris hunc articulum ibi, probâtque esse positum in Angeli volũtate, vt tanto vel tanto corpori se applicet.quandoquidem à corpore non dependet.

Angelum posse esse in loco diuiduo ostenditur præcipuè ex Damasceno. §. 1.

AD solutionem Notandum est, omnes omnino citatos auctores in vtraq; sentẽtia expressis verbis cõcedere, Angelũ non esse necessariò in loco indiuisibili, sed posse substantialiter fieri præsentem applicaríque corpori diuisibili. Quomodo autem id probari possit, non facilè Ægidius. ostenditur. Ægidius in ea q.2.cit.§. *Primũ sic ostenditur*, id probat quia Angelus non est in puncto loci. Quia *punctus* inquit, *non est operationis susceptiuus*; quia nimirũ in puncto actio & passio esse Bassolius. non potest; ergo est in loco diuisibili. Bassolius etiam eandem rationem tangit vbi suprà art. 2. ad argumenta aliorum. Alij etiam qui vt videbimus difficult.seq.negant esse in puncto aliis vtũtur rationibus; & ita ex illis inferri potest esse in loco diuisibili. Verùm hæ argumentationes non sunt propositi conficientes. Nam primùm videbimus Difficult.seq. Vtrùm Angeli sint in pũcto. Deinde quod attinet ad quæstionẽ, Vtrùm actio & passio possint esse in puncto, affirmandum omnino videtur: non quidem quòd ipsæ actiones & passiones corporum recipiantur in puncto, hoc enim non examinamus in præsentia, de eóque aliquid dicemus Diff.seq.sed quòd per punctum in subiecto esse possint; & veluti per punctum actio trãsmittatur in ipsum passum. Nam si sphæra perfectissima & grauissima caderet super rem perfectè planam, eámq; facilè mobilem suo pódere illam moueret atque propelleret etiamsi circunstantia corpora non moueantur. Ergo illa actio per punctum reciperetur in illa re plana. sanè difficile est hoc negare. nam ad actionem satis est si nõ distet passiuum ab actiuo.hac enim ratione sunt debitè applicata. At non distant si se tangunt in puncto, etiamsi detur vacuum inter vtriusque corporis superficies, quia eorum extrema simul sunt.nẽpe puncta.quod est esse conAristoteles. tiguum.nam vt docet Aristoteles lib.5.Physi.cõt. 22.illa se tangunt, *quorum extrema sunt simul*. ergo sunt debitè applicata.

Alij probant: quia nisi Angelus esset in loco extenso non posset moueri localiter, quia vt ait Bassolius. Bassolius, vbi suprà a. 2. In eo non potest esse aliquid tanquam in loco, ad quod non potest moueri vt ad terminum motus. sed Angelus ad pũctum non potest moueri tanquam ad terminum Aristoteles. motus: quia vt probat Aristoteles libro 6. Phys. cont.32.& à cont.86.ad 90. indiuisibile non potest moueri. Ergo, &c. Hanc rationem tetigit etiã Molina. Molina loco citato, licet eam non probet nisi posita conditione, *si vera est sententia Aristotelis*. Verùm hęc ratio dupliciter soluitur. Primò enim negari potest, non posse esse terminum motus localis ipsum indiuisibile. Sicut enim locus diuisibilis potest esse terminus mobilis habentis quantitatẽ, ita locus indiuiduus potest esse terminus mobilis indiuidui. Quod verò attinet ad

A Aristotelem dicetur q.seq.

Secundò quia esto, non possit moueri ad punctum; tamen posset se per Vbitatem tanquã per formam indiuisibilem absque vllo locali motu se in puncto collocare. sicut collocati à Deo fuerunt initio creationis in ipso empyreo cælo. Neque esset eadem ratio motus, & Vbitatis permanẽtis. Nam in vbitate permanẽte cessaret Aristotelæa ratio; quod nimirum partim deberet esse in termino à quo, & partim in termino ad quẽ. ob quam rationem vt videbimus art.seq. Aristoteles negauit indiuisibile moueri posse. Si ergo dicatur Angelus voluntate sua producere in se ipso talem formam, per quam formaliter est in loco indiuiduo & in puncto, nihil ex motu inB ferri posset absurditatis. Vt ergo probetur, Angelum posse esse in loco diuiduo

Notandum secundò, optimã mihi videri eam rationem, quam significauit S. Damascenus li.1. de fide cap. 17. vt suprà diximus Angelum esse in loco: *quia intellectuali modo adest & quia vt ipsius naturæ consentaneum est operatur*.

Ex quib.verbis duo intelliguntur. Primũ est ex Damasceni auctoritate certũ esse, Angelum esse in loco diuisibili, quia intellectuali modo ei pręsens est substãtialiter, nẽpe totus in toto, & totus in qualibet parte. Hoc enim modo est intellect⁹ in loco, vt patet ex hominis animo, qui ita est in corpore: & ex Deo qui non aliter est in Mũdo. C Alterum est, quia debet esse in loco vbi operari possit. hæc enim est ratio ex Damasceni verbis citatis. Sed interdum in indiuisibili non potest operari, sed solum in loco extenso. Ergo interdũ solùm est in loco extẽso. Vtrùm verò semper videbitur seq.Diffic. Minor probatur: quia cũ mouet corpus assumptum v. g. corpus humanũ apparens ex aëre, atq; ex variis partib. compactum, quarum partium plurimæ sunt solùm inter se contiguæ & permistæ, quia non habẽt aliquam formã qua vnum fiant, vt particulæ aquæ particulæ aëris, &c. quibus repræsententur oculi, manus, bracchia &c. nec continuatione sunt vnum quia non est vnde continuentur.

D Cum inquã hoc corpus mouet Angelus, tunc vna pars non potest ab Angelo moueri saltem æquabili, siue vt dicitur vniformi motu, per alteram, quemadmodũ cùm animus contractione & extensione neruorum ac musculorum mouẽdo bracchium corporis humani, moueat etiam necesse est manum ac digitos qui bracchio, manuiq; adhærescũt; & sic de cęteris. quia huiusmodi partes non ita inter se nectuntur, vt vna veluti indissolubili nexu motum alterius sequatur. ergo immediatè omnes illas partes debet Angelus mouere. ergo singulis illis partibus erit præsens immediatè. Oportet ergo sit tunc saltem in E loco extenso, quia omne quod est substantialiter præsens pluribus partibus non disiunctis ac dissitis, sed inter se continuatis est in loco extenso. Quo pacto animus noster intelligens est in corpore extenso; vt Deus est in Mundo; quia scilicet corporis ac Mundi partibus substantialiter cohærent.

Idem dico cum Angelus mouet ventum, & grandinem demittit, cogit nubes, &c. Hæc enim moueri non possunt, nisi pluribus partibus adsit præsens Angelus immediatè, quia cum vna pars non moueatur per aliam, necesse est immediatè ab ipso Angelo moueantur. quandoquidem dissitæ dispersæque sunt, nec inter se cohærent.

Ergo

Ergo Angelus in his & similibus cohæret loco extenso.

Atque hanc ego puto rationem totius huius rei esse fundamentum. Nam quod dicunt alij: Animus noster est in corpore tanquam in loco extenso, & Deus est etiam in omnibus Mundi partibus qui est aliquo modo locus Dei. Ergo & Angelus extenso debet esse posse in loco: facilè refutaretur ab aduersariis. Dici enim posset disparem esse rationem earum rerum atque Angelorum. Nam animus humanus est in corpore tanquam forma, ac proinde diuisibili in corpore sit, oportet, vt omnes viuentis partes actuet atq; animet immediatè animo absente, cuius præsétia suppleri non potest per vicarias qualitates, quæ solum præsente animo cótinentur, ne alioqui euanescant. & idcirco animus est actus organici corporis, non vnius tantum partis. Similiter Deus ipse est in Mûdo multò potiori ratione, quam in corpore sit animus. Etenim vt loquitur A. Doctor suprà q. 8. a. 2. *Deus est in omnibus rebus vt dans eis esse virtutem & operationes.* & præterea, quia Deus Mundum sua immensitate replere debet. At Angelus nihil horum habet: quia nec forma corporis est, nec rebus impertitur esse aut operationes, nec replere debet corpus, vt Deus Mundum, qui ab ipso eius immensitate penetratur. Sed hæc examinis causa dicta sint. Nobis satis sit in præsentia ostendisse, Angelum debere quandoq; esse in loco diuisibili; & videndum est: Vtrum intra loci diuisibilis ambitum possit esse in minori ac minori in infinitum.

A. Doctor.

Angelum esse posse in loco minore & minore in infinitum, & quo pacto id ostendi debeat § 2.

PRo qua re sit

Vnica Propositio. Angelus potest esse in loco diuisibili minori & minori in infinitum. Probatur Propositio primò a Ricardo quæstion. 2. c. quia Angelus est totus præsens cuilibet parti: Ergo non datur terminus loci, quo non possit esse minor. Huic rationi affinis est illa, quam significauit quoque S. Bonauentura in q. illa tertia citata, quia tota ratio Angeli saluatur in qualibet loci parte, dum est in loco. ergo in quacunque loci parte minore & minore esse poterit. Verum hæc ratio non cóuincit aduersarios. Dicerét enim saluari quidem totum Angelum in qualibet parte, sed tamen non sequi posse esse in qualibet seorsim ab aliis. quemadmodum in quacunq; parte subiecti animati in homine conseruatur totus hominis animus. hinc tamen non fit, vt naturaliter seorsim ab aliis in quantumuis minima particula seruari possit. Constat enim sententia Aristotelis libro 1. Physicor. context. 36. *impossibile esse animal, aut plantam quantamcunque esse secundum magnitudinem aut paruitatem.* & post pauca. *Manifestum igitur est* inquit, *quod impossibile est carnem aut os aut aliquid aliud quantumcunque esse magnitudine, aut aliquid aliud aut in maius aut in minus.* Hinc libro 7. Polit. cap. 4. ait ciuitatum mensuram quandam esse oportere *quemadmodum aliorum omnium animalium, plantarum, instrumentorum. nam horum singula nec parua nimium, nec magnitudine excessiua suam potentiam retinebunt.* Dixit instrumentorum, quia eorum nullus esse vsus potest, nisi moderata sint. *ceu nauis vnius palmi, non erit penitus nauis, neque duorum stadiorum,* &c.

Ricardus.

S. Bonau.

Aristoteles.

Secundò alij probant, vt noster Molina, quia rationalis animus nunc est in maiore nunc in minore spatio, *quia modo accrescit, modo decrescit homo.* Ergo Angelus pro voluntate sua erit nunc in maiore nunc in minore spatio. Verum neque hæc ratio est ex se satis firma: quia vt dicebam ex Aristotele, viuentia habent determinatam magnitudinem in qua esse possunt, ita vt viuentium membra nec maiora possint esse, nec minora, quia inepta essent ad operationé, vt dicebâ de naui, & de animalium mébris docuerat lib. 4. de Gener. animal. cap. 4. Ergo si parem velint esse rationem tam de Angelo quã de Anima, sequitur non posse Angelum esse in minore & minore loco quia nec anima potest esse in minore & minore aut corpore aut corporis parte.

Molina.

Alij tertiò probant: quia in Angeli voluntate est positum, vt se in loco collocet, quandoquidé loco non indiget. Ergo cum possit velle se in loco minore ac minore reponere, poterit etiam esse in loco minore ac minore in infinitum. Hęc etiam ratio deficit: Primò enim incertũ videtur an Angelus possit se ab omni loco absoluere, dũ consistit Mundus; de qua re tamen infrà. Secũdò esto sit in loco liberè & possit non esse; probandũ tamé ex eius arbitrio esse, vt se in loco collocet minore & minore, sicut nec in eius arbitrio sitũ esse debet, vt se in maiore, & maiore ponat. Vnde dicere aduersarij possent; Angelo quidé liberum esse, vt in loco sit, sed tamen posito quod in loco velit esse, ita debere esse in eo, vt proportionem cum illo habeat. quam dicét non esse nisi in tanto loco, infra quem non sit alius. Atque ita superesset probandum, in quo consistat huiusmodi Angeli proportio ad locum.

Probatur ergo meliùs Propositio. Quia Angelus in omni illa parte loci potest esse, in qua potest operari immediatè; sed potest Angelus in omni parte loci diuisibilis minore & minore in infinitum operari immediatè. Ergo & in omni parte minore & minore in infinitum potest esse. Maior est euidens ex dictis: quia operari in loco supponit præsentiam Angelicæ substantiæ in eodem loco, ita vt ibi sit vbi operatur, vt suprà ostendimus. Ergo in omni illa parte potest esse vbi operari potest. Nec tantummodo intelligi debet ita posse Angelus esse in ea parte quæ cóiuncta sit cum cæteris, sed intelligo seorsim etiã vt sensus sit: Ibi etiam tantum & seorsim potest esse, vbi immediatè operatur. Solùm enim immediata operatio ducit nos in cognitionem substantialis præsentiæ. nam mediata potest alicubi esse non præsente causa ibi. Neque enim aliunde colligitur Angelum infra cælum empyreum esse in loco determinato, nisi vbi immediatè operatur. Ergo in ea parte vbi immediatè non operatur non debemus dicere esse substantiam Angeli si philosophandum sit ex principiis certis ac notis. Dixi tamen infrà cœlum empyreũ, quia in eo cælo Angelos esse ex aliis fidei effatis haud dubiè nouimus, vt in eo tanquã in loco ad felicitatem congruenti operentur, vt suprà significauimus. Minor probatur: quia quæcũque loci continui pars est diuisibilis in partes minores ac minores in infinitum, quia cótinuum non potest habere vltimam partem vt suppono ex libro 6. Phys. Ergo in quamcunque ex illis immediatè Angelus operari potest, quia saltem quamcunque mouere localiter posset.

Si au

Si autem dicas deueniri ad aliquam partem, A quæ diuidi à creatura nō potest; ac proinde Angelus in ea esset tanquam in minimo loci, quia eo minorem sibi facere non potest. contra hoc est: quia nec cognitionem Angelicam nec vires fugit quantumlibet minima pars quantitatis in quam ipsa diuidi potest. causa enim cur à nobis diuidi non possit in minores & minores est quia fugit sensus nostros, cum sensibilis non sit, nec potest applicari illi corpus diuidens: neutrum autem est in Angelis, quorum ingenij acies huiusmodi partes penetrare potest, vimque suam illis applicare. præterquam quod si Deus illas diuideret, cur non posset se in illis Angelus collocare, vt eas moueret connaturaliter? quandoquidem non effugerent vim illius: nisi gratis id B negetur ab aduersariis.

Quod verò dicere quis posset non omnem quātumuis minimam particulam esse capacem motus, sed eam solum quæ habet debitam quātitatem: refellendum est: quia quæcunque minima conseruetur à Deo, posset ea de vno loco in alium transferri ab Angelo connaturalibus eius viribus. ergo esset capax. Præterea esto ipsa minor & minor particula non conseruetur seiuncta ab aliis partibus; tamen potest illam solam quæ coniuncta est mouere ita vt immediatè in eam imprimat motum, & per eam in reliquas, sicut cum Angelus mouet cœlum in vna eius C parte est, quam primò mouet, & per eam cæteras partes totúmque cœlum, vt docet apertè A. Doctor in hoc a. 2. *Nec tamen oportet* inquit *quod si Angelus mouet cœlum quod sit vbique. Primò quidem quia non applicatur virtus eius nisi ad id quod primò ab ipso mouetur. vna autem pars est in qua primò est motus scilicet pars Orientis,* &c. Itaque non est absurdum si dicamus Angelum in quamuis minorem ac minorem corporis particulam suum posse imprimere motum primò, eáque cæteras mouere. Addo etiam posse Angelum quamcumque particulā separare à toto, eo quòd eam mouendo à cæteris separet; vt si mouendo vnam tantùm particulam aëris eam à reliquo aëre diuellat. D

Quod si hoc cuiquam difficile videatur, is meminerit vires eorum non esse humanis terminis metiendas, qui capillo capitis possunt hominem breuissimo temporis interuallo ex longissima regione in aliam transferre; possúntque vt patet in energumenis in paruissimis particulis delitescere, vt etiam patet in annulorum gemmulis in quibus dæmones includuntur & aliis similibus. Vtrùm autem id debeat affirmari ac si de facto detur talis casus, vt Angelus per minimam atque insensibilem particulam operetur, disputari potest in vtramque partem. Ex vna enim parte nulla videtur eius rei necessitas. Ex alia verò, id non est improbabile accidere in arreptitiis, in E quibus sæpè innumerabiles dæmones reperiuntur ita vt minimam hoc est insensibilem particulam occupent: Tamen quod dico est si id Angelus vellet fieri, ab ipso posse.

Hinc oriri difficultas posset, Vtrùm Angelus operationem inchoare debeat in eo loco & corpore cui applicatur Angelus substantialiter, an ab eo transfundi debeat in illud quod immediatè pòst consequitur. Vt si Angelus verè esset in Capitolio, vtrùm in ipso Capitolio operari deberet, an inde in corpus Capitolio attiguū: Ratio difficultatis ex vna parte est, quia corpora agūt in passum attiguum. ergo & Angelus eodē modo. ex alia parte Angelus est in loco vt in illud operetur & præterea quia alioqui Angelus qui mouet cœlum nō in eo cœlo quod ab ipso mouetur esset, sed in cœlo proximo & attiguo. Quod quidem repugnat Peripateticis vt supra vidimus. Quare dicendum opinor Angelum operari in corpus cui applicatur substantialiter. Probatur apertè. Nam primò S. Damasc. vt vidimus, docet Angelum ibi esse vbi operatur: non autem dixit ibi esse vnde operatur. Deinde quia suprà diximus Angelum esse in loco per applicationem virtutis operatricis. ergo ibi operari debet vbi applicatur virtus. Alioqui nō esset ratio, cur potiùs vni parti quàm alteri circa corpus in quod operatur applicari deberet Angelus. vt si operetur Romæ, non potiùs deberet applicari versus Orientem quàm Occidētem, &c. Tandem idem patet ex differentia in agendo inter corpus & Angelum. Nam corpus non agit nisi in materiam attiguam, quia vbi ipsum est, non est aliud corpus in quod agat. cum non detur corporum penetratio in eodem loco. Vnde si ea daretur, esset actio sine dubio. Esset enim passum debitè applicatum agenti. At Angelus est intimè præsens corpori quod permeat, & potest habere rationem passi. ergo in illud agere debet. Actio ergo in eo inchoatur.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò aduersus Bassolium & Hibernicū in prima sententia suprà, non esse eandem rationem de loco Angeli maximo ac minimo. Maximum enim ideò dari contendimus, ne demus in Angelo potentiam se vbique collocandi, ac proinde infinitam vt Patres docuerunt. At verò minoris ac minoris loci terminum non concedimus, eo quod neque ex parte Angelicæ substantiæ; neque ex parte corporis quanti quod est diuisibile in infinitum; neque ex parte operationis, quæ circa minora & minora corpora potest esse; neque ex parte rationis formalis, quæ est applicatio loci quæ minor & minor pro voluntate Angeli esse potest, concedendum esse probatum est. Ex quo vlterius sequitur non esse dādum locum Angelo instar figuræ sphæricæ, vt Hibernico placuit. Ex nullo enim enumeratorum capitum id colligi potest; vt immeritò hæc huius auctoris opinio laudetur à Gregorio tanquam *pulchram dictum & probabile*, vt vidimus; cum neque pulchra neque probabilis illa sententia sit, cui nulla subest ratio ad defendendam veritatem.

Colligitur secundò aduersus Scotum in secundo eius argumento; non esse maioris virtutis in Angelo posse se collocare in paruo loco quàm in mediocri, vt rectè affirmat contra ipsum Caietanus, & alij recentiores hic. Argumentum esse potest, quia Angelo pro libertate sui imperij tantumdem est siue in se producat minorem formam siue maiorem, per quam minorem aut maiorem locū occupet. quemadmodum non requiritur plus virium in sole vt minus vel plus caloris in aëre excitet, cum ab eadē solis vi existere maior & minor debeat. præsertim cum nulla sit in Angelo obsistentia, qua reddatur difficilior productio minoris Vbitatis, cum hæc ad Angelicum nutum ex eius substantia educatur. Æqualis ergo virtutis erit; quia eiusdem erit liberæ voluntatis actus æquè facilè elicitus ad vtrumque effectum. Deberet autem

A. Doctor. S. Damasc. Bassolius. Hibernicus. Gregorius. Scotus.

tem probare Scotus id esse maioris virtutis; A rémque ipsam de qua disceptatur, saltem non certam, non sumere vt concessam. Sanè in nobis non requiritur maior virtus vt bracchia contrahantur quam si extendantur, cum non obstat aliqua corporis ægritudo, aut aliquid extrinsecus.

Gregor. Colligitur tertiò an rectè dixerit Gregorius vbi suprà in prima sententia, neutram scilicet partem probari certò posse. Nam ostendimus posse Angelum in quamcumque minimam partem immediatè operari, ibique tantùm esse: quia alicubi esse, & non alibi colligimus ex operatione, & frustra diceremus esse vbi non immediatè operatur, vt docuimus ex Damasceno. Quod B adeò verum est, vt etiam animam abesse à corpore quod viuebat dicamus, cum primùm videmus non esse eius vitales operationes: ergo constare debet ibi tantum esse Angelum vbi eius operationes cernimus, quas finem esse diximus constituendi Angelum in loco; nisi aliũde aut ex congruentia aut ex fidei principiis Dei volũtate aliter esse colligamus.

Satisfit argumentis aduersantium, atque ex dispari ratione ex loco corporum confirmatur quod de loco Angelorum stabilitum est.

EX his respondetur ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum autem Scoti respondet Caietanus, & nonnulli recentiores eam Euclidis propositionem habere tantummodo locum in corporibus, quæ loci spatium sua mole replent, non autem in Angelis, qui sola suæ substantiæ præsentia sunt in loco. Verùm hæc solutio non probatur: nam esto de corporibus verba Euclidis sonent, tamen argumentum Scoti ducitur ex proportione, quæ est inter Angelicum locum & corporum. Sicut enim corpora quæ occupant quadratum possunt occupare D tantumdem spatij, si intra basim & parallelas eiusdem quadrati extendantur in infinitum; ita & Angelus suum locum occupare potest. quare vel concedendum est quod argumento contendunt, vel assignanda disparitas. Dico igitur demonstratione Euclidis non confici posse corpora quorum latera super eadem basi & intra easdem parallelas continentur extendi & protrahi ad locum infinitum. Id enim cum spectet ad alias scientias non est Mathematicorum; quorum solùm est considerare magnitudinum proprietates. Sed aio solùm demonstrari, si construetur parallelogramma super eadem quadrati basi & intra easdem parallelas, fore semper E eius æquale spatium cum spatio atque area quadrati etiamsi in infinitum protẽdatur à quacunque potentia id fiat. Itaque considerat sequi magnitudinum æqualitatẽ posito quod eo modo construatur parallelogrammum; non autem quod corpora siue Angelus possint se ei spatio quantumuis protrahatur, applicari. Quod enim corpora applicari possint aut debeant huic vel illi loco tanto vel tanto, non est referendum ad solam spatij vel loci capacitatem, sed etiam ad virtutem applicantis, à qua applicatio pendeat oportet vt talis aut talis sit hoc aut illo modo.

Scotus. Ad argumentum ergo Scoti nego id quod potest habere terminum ne sit in loco maiori debere habere terminum ne possit esse in loco minori: rationem huius reddimus modo ex ipsa virtute Angelica. Nego autem ex hoc sequi posse esse in maiori & maiori in infinitum. Ad cuius probationem ex Euclide respondeo negando antecedens: quia non sola figuratio obstat, quominus aliquid possit esse in quocunque loco, qui sit ęqualis loco proprio. Sed potest etiam obstare virtus motrix & alia. Alioqui sequeretur aquam naturaliter ascendere ad sphæram ignis, quia ibi etiam est æquale spatium loco ipsius aquæ. Itaque obstare dicimus defectum virtutis, eo quòd scilicet naturalis vis collocandi ipsum locabile in loco æquali desit; vt non potest corpus ligneum palmare collocari in media aëris regione prope summam aut prope cœlum Lunæ. Nam nulli subiecto naturaliter est talis vis debita collocandi corpus ad tantam distãntiam, & sic dico de cæteris. Quod ergo non habet vim collocandi seipsum in toto illo spatio longiore & longiore, vt simul sit in cœlo & in terra, licet sit æqualis alicui suo loco naturali, non poterit se collocare in quocunque toto illo spatio æquali.

Esto ergo non repugnet ab aliqua causa poni nempe à Deo; tamen negãdum est id esse in virtute locabilis corporis positum vt se collocet. C Itaque falsum est illud antecedens. vnde Angelus etiamsi non repugnet ipsum esse in illo longissimo parallelogrammate, quod æquiualet suo quadrato; tamen probandum esset id deberi virtuti Angelicæ, qua naturaliter occupare posset totum illud spatium. quod negamus. Quæ autem dicuntur ibi in probatione primæ consecutionis non faciunt ad casum propositum.

Ad secundum Scoti dictũ est in secundo *Colligitur.* non enim sequitur fore virtutem infinitam ex quibus etiam respondendum est ad ea quæ diximus ex Petro de Tarantasia & Alberto. Nam non est necesse vt Angelus si sit in minore & minore loco habeat minorẽ vim. Quia etiam per maximam suam virtutem se in paruo loco reponere potest. quo pacto qui habet virtutem ferendi centum libras per eam quoque potest ferre decem: & qui acumine oculorum potest videre ad decem milliaria, potest quoque intueri obiectum prope ipsum vidẽtem positum. Atque ita iis auctoribus responsum sit, si id iis ostendere propositum fuit. Sin autem pro nobis sentiant eos non solùm non refellimus, sed vehementer lætamur A. Doctoris sententiam virorum tam illustrium accessione locupletari. Vtro autem modo senserint mihi liquere non potest.

Scotus. Petrus de Tarantasia. Albertus.

Ad primum ex aliis nego illam virtutem esse determinatã ad vnum, cuius determinatio subest imperio voluntatis, vt virtus hominis ambulandi, quia regulatur applicatúrque ex voluntatis imperio in varias determinationes impelli potest; nimirum nunc in hanc nũc in illam partem. Ad secundum dico, figuram esse quantitatis affectionem, nec deberi nisi ratione quantitatis; & ideò concedo sphæricam figuram deberi nobilissimæ naturæ corporeæ nempe cœlesti, non tamen nobilissimæ substantiæ incorporeæ quæ absoluitur ab omni corporea cõcretione, ideóque ab omni figura. & quamuis occupare locum possit extensum, tamen non potiùs locum

cum huius vel illius figuræ occupare debet, nisi secundum quod finis, quem sibi in operando proponit, Angelus postulabit.

TERTIA DIFFICVLTAS, *Vtrùm Angelus esse posit in loco indiuiduo hoc est in puncto loci.*

Alexander. PArs negans est multorum Theologorum. Ita Alexander 2.p.q.37.m.3.c.vbi ait: *Dicimus quod Angelus* non est *nisi in vno loco partibili, secundum quod ipsum ponimus in loco ratione suæ essentiæ.* S.Bonau. Idémq; sentit S.Bonauentura in 2.d.2.p.2.a.2.q.3.c.vbi contrariam sententiam ait *esse falsam & non intelligibilem.* Eius fundamentum est duplex. nam primò omnis locus corporeus est partibilis. Sicut ergo impossibile est, vt *corpus sit impartibile & punctuale, ita & dicere locum punctualem.* Deinde probat quia punctus non est locus. Ergo ponere Angelum in pũcto est non ponere eum in loco. Ægidius. Idem docet Ægidius in 1.d.37.2.p.q.2.§. *Primum sic*, vbi vt suprà diximus id probauit, quia punctus non suscipit operationem.

Deinde quia aliquid esse alicubi dupliciter potest intelligi. vel primò quia intra ambitum eius magnitudinis est; vel secundò quia est intra essentiam illius conseruando illius esse: Neutro modo est Angelus in puncto. non primo; quia quod est in pũcto non est intra ambitũ alicuius, quia punctus non ambit. non secundo; quia solius Dei est esse in essentia rerum quas conseruat. Vldaricus. Puto idem sensisse Vldaricum apud Carthusianum in 1.d.37.q.3.§.*Insuper.* vbi cum ex instituto agat de Angeli loco, solum ex eius verbis mentio fit de loco qui sit vel totus vel pars illius, in quorum altero se constituit Angelus ex suomet arbitrio, vt ipse putat. Nullam tamen probationem eius refert.

Gregorius. Non videtur ab his dissentire Gregorius in 2.d.2.q.2.a.2.ante dubium quod ibi proponitur §. *Quantum ad illud* vbi apertè negat posse esse in loco indiuiduo, quia *nullum tale indiuisibile est in rerum natura.* Capreolus. Cuius hac de re argumenta fusè refert Capreolus in 2.d.2.q.1.a.2.cont.2. concl. eáque soluit a. 3. ad argumenta contra eandem Gabriel. conclusionem. Quod ipsum sequi videtur Gabriel eadem d.q.2.a.2. dub.2. vbi ait, non dari minimum locum Angeli, quia *posset* inquit *esse in loco punctuali, si possibilis esset.* Putat ergo ex eo non posse esse quia huiusmodi puncta esse nequeant. Occam. Marsilius. Quæ etiã est Occami sententia Quodl. 1.q.4.& Marsilij in 2.q.2.post quintam conclusionem. Vasquez. In hac etiam sententia ex parte est Gabriel Vasq. hic Disp. 192. c.2. vbi soluit vtriusque partis rationes, & tandem concludit in fine *vtramque partem incertam esse.* Scotus. Quod etiam significauit Scotus in 2.d.2.q.6.§.*Ad propositum.* vbi de hac quæstione ait: *Si tamen esse possit in puncto vel non, non videtur ratio necessaria, nec ad vnam partem, nec ad aliam, quia licèt Angelus sit indiuisibilis, non tamen habet indiuisibilitatem limitatam sicut punctus; & ideò non oportet ipsum esse in puncto sicut in loco.*

Probari etiam ratione potest hæc pars. Quia vt superiore diff. dicebamus, Angelus operari debet & inchoare actionem in eo loco vbi est, ita vt actio in loco ipso recipiatur, & non sufficiat inde in corpus attiguum promanet. At certum est actionem in puncto loci recipi non posse. Quæ enim illa actio esset? Præsertim cum A debeat esse motus localis; siquidem aliam immediatè non habet Angelus in corpora. Ergo Angelus non poterit se in puncto collocare. Confirmatur. quia vt ibi etiam diximus, Angelus non est nisi vbi immediatè operatur. sed in puncto immediatè non operatur, quia punctum immediatè nõ mouetur. ergo non est in puncto.

Pars affirmans est plurium Theologorum; quam sequitur A.Doctor in hoc art.c. dum ait; *non esse necesse quod ei Angelo determinetur locus secundum situm, sed vel diuisibilis vel indiuisibilis, maior vel minor, secũdum quod voluntariè applicat suam virtutem.* A.Doctor. A. Doctorem sequuntur Capreolus in 2. d.2.q.6.a.1.concl.7.& a.3.ad argumenta Gregorij contra illam; Capreolus. B Ricardus in 2.d.2.a.2.q.2. ad 3. vbi etiam soluit argumentum, quo probatur punctum non esse locum, & ideo Angelum non esse in loco; Ricardus. Carthusianus vbi suprà q.3. in fine; Bassolius q.4.a.2. Ferrariensis 3. contra Gentes cap.68.§. *Ad rationem principalem*, Caietanus in hoc art. vbi suprà, Molina hic art.2.concl.3. Valentia hic Disp.4.q.3.p.3.§.*Tertiò asserimus*, & alij complures. Carthusian. Bassolit. Ferrariensis. Caietanus. Molina. Valentia.

Angelus potest naturaliter se in puncto loci constituere, & quo id argumento probari debeat. §. 1.

C AD solutionem sit

Vnica propositio. Angelus potest se naturaliter collocare in solo puncto loci. Dico naturaliter, quia non est quæstio de potentia absoluta. Probat hanc propositionem primò Ricardus, & ex eo Carthusianus; quia Angeli simplicitas non requirit necessariò locum extensum: ergo potest esse in puncto. Ricardus. Carthusian. Verùm hæc ratio debilis est. Nam non omne indiuisibile debet posse esse in puncto; quemadmodum apertè patet in anima hominis rationali, quæ corpus quantũ non punctũ corporis flagitat. Et quamuis Ricardus animi, atque Angeli diuersam esse D rationem dicat; quòd animus est corporis forma, & punctum non est corpus: Angelus verò cum non sit corporis forma, potest esse in puncto; Tamen non probat hac disparitate Ricardus Angelum naturaliter puncto contineri posse. Responderi namque potest, non omne indiuisibile, quod non est corporis forma, posse se in punctũ contrahere. vt patet in Deo, qui necessario est vbique in omni corpore; atque ita superesset probandum, esse in puncto loci posse conuenire Angelo, non solùm ex eo quòd non implicat repugnantiam absoluta Dei potestate; verum etiam quia illius connaturalibus viribus debeatur. In quo præsentis quæstionis cardo conuoluitur.

E Alij probant quia Angelus potest operari in puncto; ergo potest esse in puncto. Putant enim per operationem esse in loco tanquam per rationem formalem; vt Caietanus & Ferrariensis, & alij de quibus suprà. Caietanus. Ferrariensis. Verùm hi falsum supponunt; nempe Angeli operationem esse formalem existendi in loco rationem, vt suprà ostensum est, etiam ex A.Doctore; præsertim in 1. d. 37.q.1.a.2. ad 2. cùm ibi velit, A.Doctor. Angelos degere in cælo Empyreo, non quia quicquam in illud operentur; sed solùm ob loci congruitatem ad beatorum contemplationem. *Operationi inquit contemplatiuæ Angeli non debetur aliquis locus corporeus*

rem, cum obiectum contemplationis spirituale ſit; & ideò cælum empyreum non eſt de neceſſitate contemplationis; ſed aſſignatur contemplationi per congruentiam, in quantum locus ille ſanctificatus eſt ad gloriam beatorum; ſicut etiam contemplationis magis dicitur locus eſſe Eccleſia, quam forum. vnde non oportet quod quandocunque contemplatur ſit in cælo empyreo. Quibus diſertè patet, operationem ſiue tranſeũtem, ſiue immanentem, non eſſe Angelo formam, qua ſe reponat in loco: cum operatio tranſiens in cœlum nulla ſit; contemplatio autem non neceſſariò cœlum poſcat. Præterquam quòd verum nõ videtur, Angelum poſſe in ſolum punctum præciſe operari, eſto per punctum in reliquas eius corporis partes poſſit: ſicut ſi perfecta ſphæra, aliam æquè perfectam indiuiduo contactu propelleret, per punctum quidem imprimeret motum in totum illud corpus; non autem in ſolum eius corporis punctum.

Alij probant, quia Angelus poteſt eſſe in minori & minori loco: ergo ſignum eſt non habere locum diuiſibilem neceſſariò: ergo poteſt eſſe in puncto. Ita recentiores in hunc articulum. Hæc tamen ratio nihil pro re præſenti conficit. Nam etſi poſſit eſſe in minore & minore loco, non ſequitur poſſe eſſe in puncto; ſicut eſſentia quantitatis conſeruatur in minore & minore parte, non tamen in puncto, & ſic de aliis rebus extenſis. Dicent autem aduerſarij, non conuenire Angelo eſſe in puncto, eo quod in ipſo non conſeruaretur eſſentia loci. vel certè quia punctum in rerum natura dari non poteſt; quod contendunt Gregorius, & alij; vt vidimus in Parte Negante.

Meliùs ergo atque efficaciùs probatur hoc pacto. In ea re ſe poteſt collocare naturaliter Angelus tanquam in loco, vbi per ſuam præſentiam naturalem poteſt habere, vt diſtet, vel non diſtet à cæteris partibus loci, vel corporis; ſed Angelus in ſolo puncto loci poteſt per ſuã naturalem præſentiam habere formaliter, vt diſtet, vel non diſtet à cæteris partibus loci, vel corporis; ergo poteſt Angelus ſe naturaliter collocare in puncto loci. Maior probatur: quia non aliter angelus ſe naturaliter collocat in loco extẽſo, niſi quia per ſuam naturalẽ præſentiam, & per ſuam vbitatem habet, vt à cæteris partibus loci, vel corporis, diſtet, vel non diſtet; vt ſuprà diximus. Si ergo poſſit ſe per ſuam naturalem præſentiam collocare in aliqua re, ita vt à cæteris partibus loci, vel corporis, diſtet, vel non diſtet; in ea re erit tanquam in loco. Minor probatur: Quia Angelus, ſicut poteſt per ſuam naturalem præſentiam collocare ſe in loco extenſo, ita vt à cæteris locis, vel corporibus diſtet, vel nõ diſtet, ex eo quod in eo loco debet exercere ſuas operationes; ita etiam per eãdem præſentiam naturalem poterit ſe collocare in ſolo puncto loci, vt ab aliis locis diſtet, vel nõ diſtet, ex eo quòd poſſit ibi exercere ſuas operationes. Ergo poterit Angelus in puncto loci habere, vt diſtet, vel non diſtet à reliquis.

Antecedens probatur: quia ſicut ibi, eſſe in loco extenſo, eſt in hunc finem, vt ibi operetur; ita eſſe in puncto loci poteſt eſſe in hunc finem, vt ibi operetur. Quæ paritas hac ratione à priori patet: quia ſicut operatio in loco extẽſo eſt cauſa finalis, vt ſe reponat Angelus in loco extenſo; ita & operatio in loco indiuiſibili erit cauſa finalis, vt ſit in loco indiuiſibili. Si enim operatio

A vnde colligimus, Angelum eſſe in loco, exigit locum extenſum, dicimus ipſum eſſe in loco extenſo; ſin autem eum non exigat, cur dicendus tunc erit eſſe in loco extenſo, & non potius in indiuiſibili?

Quòd verò ſufficiat locus indiuiſibilis, vt Angelus operari poſſit in corpus, probatur, quia corpora optime applicantur ad operationem in corpus, quod puncto contingant. Vt enim ſuprà diximus in Notando: vere illa ſphæra ei plano puncto applicata niteretur. Si ergo reperitur in corpore diuiduo, vt per contactum indiuiduum ad operandũ in aliud corpus, applicetur, cur non dicetur Angeli virtus indiuidua applicari corpo-

B ri per indiuiſibile punctũ, vt in illud ipſum corpus operetur? Ergo ſicut corpus eſt in loco per applicationẽ dimenſionũ: ita Angelus erit in loco per applicationẽ virtutis: vt ſuprà oſtẽſũ eſt.

Video equidem, quid huic argumẽto reſponderi poſſit: Nimirum non eſſe parem rationẽ de corpore, & Angelo. Nã vt dicebamus in vltimo argumento primæ ſententię: Angelus in ſuo loco operari debet, non ſolùm ex loco vbi ipſe ſit in aliud corpus, vbi non ſit. At corpora ex loco trãsfundunt actionẽ in corpus attiguum in quo ipſa non ſunt. Si ergo Angelus in puncto eſſet; deberet in ipſo puncto, & non ſolum ex ipſo puncto, exercere ſuam operationem. At cum nulla actio recipi poſſit in puncto; ſequitur

C Angelum non poſſe eſſe in ipſo loci puncto; neque ibi applicari eius virtutem: & ita negari debet allata paritas in eo argumento.

Verùm aduerſus hanc reſponſionem eſt, quia vt Angelus ſit in pũcto, ſatis eſt, ſi in eo immediatè operetur. Hoc enim diximus requiri, vt Angelus ſit in loco. Mediata nãque operatio extra locum Angeli eſſe poteſt. At poteſt Angelus immediatè in puncto, & per punctum in corpus operari, etiam motum ipſum localem: Ergo Angelus poteſt puncto applicare ſuam vim operatricem, ac proinde in eo eſſe, vt in loco. Minor probatur: quia vt aliquod agens immediatè in aliud operetur, nihil requiritur aliud, niſi vt nõ

D prius ſiue natura, ſiue tempore operetur in aliquid interpoſitũ inter agens & paſſum. ſic enim ignis agit immediatè in aërem; homo mouet baculum, & ſimilia. Nam hoc ipſo, ſi agit abſq; vllo intermedio, eſt immediata actio; quæ non alio modo immediata dicitur, niſi quia eſt abſque eo, quod ſit prius in medio Conſtat autem poſſe Angelum ita operari in puncto, vt non per aliud operetur in ipſum. Nam poſſunt corpora ipſa agere in punctum immediatè, & per punctum in alia corpora. Quod ſanè patet de illa ſphæra, quæ perfectum planum propelleret. In punctum enim immediatè ageret; quia reliquæ paſſi partes à puncto, diſtarent ab agente;

E ergo immediatè in punctum impulſio eſſet, & per punctum in ipſam reliquam ſphæram.

Nec mirum alicui ſit; ipſum indiuiſibile recipere actionem *vt quo*: Nam primùm idem dici oportet de cęteris agentium, patibiliúmque corporum actionibus; quæ ſemper in ipſis indiuiſibilibus recipiuntur ſubiectis; nempe ſuperficiebus *vt quo*; & per eas in corporibus; vt eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis libro 5. Metaphyſ. cont. 23. Docet enim; quot modis dicantur particulæ, *ſecundum quod*. Atque vno quidem modo dici ait, cum denotatur ipſa concreta rei ſubſtantia & forma; ſicut cum dicitur Petrus eſt bonus ſecundum Ariſtoteles.

cundum quod habet bonitatem: alio autem modo dici, cum significamus subiectum, in quo accidens primò fieri potest; & hoc subiectum expresse ait esse superficiem, *alio modo* inquit *in quo primum fieri aptum est, vt color in superficie*. Ergo subiectum, in quo primò recipitur accidens, est indiuisibile; nempe superficies Aristotelis sententia, ac proinde per illam in reliquis subiecti partibus; Ergo recipitur in ipsa *vt quo*: certum namque est, non recipi *vt quod*; cum hoc substantiæ sit, non accidentis.

Aristoteles. Eodem ferè modo loquitur Aristoteles libro 4. Phys. cont. 24. vbi etiam supponit, superficiem posse esse subiectum accidentis. docet enim aliquid posse dici tale vel tale *secundum partes*; *vt album, quia superficies alba sit*.

B Deinde id ipsum probatur ratione à priori: etenim indiuisibile recipere actionem *vt quo*, nihil est aliud, nisi esse subiectum illius actionis, sed non vltimum, tanquam subiectum quod, cui nimirum tanquam vltimo subiecto, & simpliciter, tribuitur ipsa actio. Hoc namque pacto virtus intelligendi, seu intellectus est subiectum intellectionis *vt quo*; quia scilicet recipit quidem actionem in se; sed cum ipse sit in animo, tanquã in subiecto, cui simpliciter ea actio tribuitur, ipsa virtus est subiectum *vt quo*; & sic de cæteris similibus. At huiusmodi subiecta sunt prædicta indiuisibilia: nam ipsa sunt subiectum accidentium, vt superficies coloris; nec sunt vltimum, quia sunt alia vlteriora, quibus tribuitur simpliciter actio; vt quantitas, & ipsum compositum; quæ colorata simpliciter sunt: Ergo indiuisibilia recipiunt actionem *vt quo*.

Cur punctum dicatur potiùs immediatè recipere actionem, quàm superficies &c. & cur Angelus dicatur esse in parte cœli orientali. §. 2.

Sed hic duplex existit quæstio: Vna quidem; cur potiùs dicetur punctum immediatè recipere actionem, quam superficies, & quantitas ipsa, in qua est punctum. Vt v.gr. si motus eius plani, quod propellitur ab illo perfecto orbe, est totus in ipso plano; cur primò recipi debet in puncto? Respondeo causam eius rei esse contactum, secundum quem id quod tangitur est agẽti proximum: Prius autem id quod est agẽti propinquius, recipit eiusdem agentis actionẽ, quam quod remotius ab eo est.

Aristoteles. Quæ causa est, vt ab Aristotele in eo libro 5. Metaphys. cont. 23. dicatur superficies esse id, in quo primum fit color: ob quam etiam eandem

A. Doctor. causam dixit in hoc art. 2. A. Doctor, Angelum esse in ea parte cœli, quæ primò ab ipso mouetur, nẽpe ea *cui applicatur virtus eius*, etiamsi totũ cœlum secundum omnes eius partes simul commoueantur: ergo sentit eam partem primò moueri quæ ab agente contingitur. Idem namque est applicari agens passo, & agens tangere passum. Si ergo Angelus applicetur puncto; quod fieri posse iam ostendimus; poterit punctum primò mouere etiam locali motu. Quamuis enim non moueatur per se ipsum solum punctum, sed

A etiam partes reliquæ corporis, in quo punctum inest, tamen est ratio, cur punctũ primò moueatur, etiamsi cum reliquis simul partib. moueatur. Sicut etiam, cum Sol illustrat simul totũ hemisphæriũ, ita tamen omnes eius partes illustrãtur, vt prius pars Soli propinqua lumen recipiat Solis, quàm remotior: idémque de cæteris dico.

Altera quæstio est: quia ex hoc sequitur, Angelum in cœlo debere esse in puncto. Nam non erit necesse Angelus sit in loco extenso, vt cœlum moueat; & tamen A. Doctor in hoc art. docet; Angelum esse in parte cœli Orientis. Respondeo hoc non sequi: Cum in tanto cœlo non sit probabile applicari virtutem immediatè soli puncto. Quod autem nos dicimus, est; in aliquo corpore id posse; licet non in omnibus sit necesse. Sicut etiam in corporibus, quædam applicari possunt in puncto vt moueant, quæ scilicet proportionem habeant, vt moueantur; non tamen omnia possunt per punctum moueri; scilicet si requirant ampliorẽ contactum; vt si homo tãgat aliquem lapidem digito; non eum mouebit, nec propellet; mouebit autem, & propellet ipsum, si integra manu. Et quamuis Angelus voluntate moueat, quæ non videtur requirere, nisi contactum præsentiæ, quantacunque illa sit; tamen si ex notis philosophandum sit, dicendum est, requirere debitam applicationem, vt eius virtus

C operetur, maiorem quidem in maiore corpore, minorem in minore; sicut etiam videmus in corporibus accidere. Hæc enim si magna sunt, in ampliorem sphæram agunt, quàm si parua, cæteris paribus; quia pluribus partibus applicatur virtus actiua. Vnde si Deus multiplicaret vnum ignem in pluribus locis, posita illa applicatione naturaliter ageret in plura corpora, quia plura sibi applicata essent, quam si non esset multiplicatus. Pari ergo ratione virtus Angeli in loco extẽso, veluti sæpius multiplicata, potest magis, ac in plura agere.

D Quod autem dicitur de parte Orientis, est quidem communis sententia, Angelum esse in determinata cœli parte, non autem esse in toto cœlo; quia hoc maius quoddam est, quam vt Angeli præsentiæ exæquari naturaliter possit; quandoquidem totum cœlum maius spatium est, siue secundum longitudinem, siue secundum latitudinem, quam sit inter cœlum & terram. Quare Angeli nobiliores esse possent in cœlo, & in terra simul, siquidem maius spatium occupare possent: Quod negauit Damascenus; S. Damasc. vt suprà vidimus; atque ita Angelos esse in parte cœli certa, docent Angelicus Doctor in hoc A. Doctor. articulo, sanctus Bonauentura vbi suprà artic. S. Bonauent. secundo, quæstione secunda, ad 2. Scotus dist. Scotus. secunda, quæstione tertia § *Præterea terriò*; & Re-

E centiores omnes. Quod etiam colligit A. Doctor ex Aristotele libro octauo Physicorum, Aristoteles. contextu octuagesimoquarto, vbi *virtutem* inquit *motoris cœlorum attribui parti Orientali*. Verùm quomodo sit in parte cœli Orientali, quæ nulla est; cum omnes nunc orientales sint, nunc occidentales, quæstio est Philosophorum. Nec Aristoteles in eo cont. 84. quicquam aliud docet, quàm cœli motorem non esse in centro, sed in maximo circulo. Hãc de cœli dextra sententiã Aristoteles lib. 2. cœli cont. 7. docet, doctrinam Pythagoreorũ esse, vt cœlo assignent dextrum, & sinistrum; vnde deinceps non tam videtur ex sua sententia loqui, quàm vt Pythagoræorum dogma ad ali

ad aliquem ſenſum veritatis trahat; vt patet ex illo contextu ſeptimo. Certum autem nunc ſit, Angelum habere talem Vbitatem, quam ſequitur talis, vel diſtantia, ſeu propinquitas ad corpus, ſi adſit: nec neceſſe eſt, eã variari ad motum cœli: quia nec vehitur cœlo, veluti curru Angelus; nec cœlo in alias atque alias partes compellitur; nec talis Vbitas eſt ad determinatas partes cœli, ſed eſt ratio, vnde ſequitur talis diſtantia &c. vt dictum eſt.

Quis ſenſus ſit, cum dicitur Angelus eſſe in puncto tamquam in loco. §. 3.

EX hac propoſitione ita probata Colligitur primò, non admodum verè negari à S. Bonauentura, Angelum eſſe in puncto; quia punctus non eſt locus. Cum enim auctores contendunt, Angelum eſſe in loco indiuiſibili, non intelligũt locũ, qui ſit ſuperficies corporis ambientis. Quis enim diceret hoc pacto, ſuperficiem latam atque extenſam eſſe punctum? Sed intelligunt locum indiuiſibilem; hoc eſt pũctum loci, ita vt ibi verè ſit Angelus, & non extra: quod nihil habet repugnantiæ: immò & verum eſſe oſtendimus. Quod autem ibidem ait Alexander, locum eſſe partibilem, in quo Angelus ponitur ratione ſuę eſſentię probandum non eſt. Nam ratione ſuæ eſſentiæ non poſtulat magis diuiſibilem locum, quã indiuiſibilem, cum in vtroq; eſſe poſſit: ad alterum autem determinetur ex imperio ſuæ voluntatis ad finẽ, quem ſibi præſtituerit vt inibi operetur.

S. Bonau. — Alexander.

Colligitur ſecundò, nec verum eſſe, quod ait Ægidius; nempe primò quod punctus non ſit capax operationis; contrà quam doctrinã iam oſtẽdimus, puncto denegandam non eſſe talem capacitatem. Deinde quod ait Ægidius, eſſe alicubi nihil eſſe aliud, quam vel eſſe intra ambitum alicuius, vel eſſe intra eſſentiam; verum non eſt. Etenim ſunt plures modi eſſendi alicubi, quam ipſe putat. Cum enim Angelus eſt in loco etiam extenſo, erit alicubi, & non erit intra ambitum, Ægidij ſententiâ. Quandoquidem ait, punctum non eſſe intra ambitum; *quia punctus* inquit *non habet ambitum*: quibus ſupponit; omne, quod eſt intra ambitum alicuius corporis; habere in ſe aliquem ambitum, atque extẽſionem aliquam. Ergo cum Angelus nullum habeat ambitum, quia eſt indiuiſibilis, neque ipſe erit intra ambitum. Præterea quia propriè eſſe intra ambitum eſt ambiri, & circumſcribi: quod propriè non conuenit Angelo, dum eſt in loco; vt ſuprà diximus. Et ideò A. Doctor a. 1. docet Angelum eſſe in loco non eſſe contineri in loco, ſed continere locum; quod nos ſuprà explicauimus. Poteſt ergo eſſe alicubi neutro ex illis aſſignatis modis. Dico ergo, eſſe alicubi definitiuè; hoc eſt: vt ait A. Doctor in hac q. a. 2. eſſe ita ibi, vt non ſit alibi. Quod etiam conuenire poteſt Angelo, dum eſt in puncto. Poteſt enim ita eſſe in eo puncto, vt extra non ſit. Hic tamen obſerua lector, licet negemus, Angelum propriè contineri & ambiri loco, non tamen nos nunc ea, quæ ſuprà ex ſanctis Patribus ſtabilita ſunt, demoliri; nempe Angelum verè eſſe aliquo modo intra ambitum loci, eóque circumſcribi ac definiri; quia ſcilicet extra illum non eſt, eique

Ægidius. — A. Doctor.

A verè præſens ſubſtantialiter adeſt.

Colligitur tertiò contra Gregorium, & Occamum; eſto indiuiſibilia actu non dentur in continuo; tamen ea ſaltem poſſe aſſignari contactu corporis aliquo. Et quidem in corporibus id patet, quia perfecta ſphæra non tangit planum niſi in pũcto, vt demonſtratur à Theodoſio libr. 1. Theor. 2. Propoſ. 3. Ergo ſaltem contactu aſſignari poſſunt: ergo Angelus poteſt ea aſſignare ſimili aliquo ſuo contactu ac proportionali; nempe applicatione virtutis ſuæ, & ſubſtantiæ; quia ſcilicet in ſe talem vbitatem producat, vt per illam conſtituatur in puncto: quia applicatio ſatis ſit ad operandum in illud corpus; vt diximus. Non libet autem hic diſputare, quo pacto puncta ſint, vel non ſint ſiue ex natura rei, ſiue deſignatione, & contactu. Quæſtio enim Phyſica eſt, & alibi à nobis exagitata lib. 3. Phyſ. diligenter. Quæ autem obiiciuntur à Gregorio aduerſus huiuſmodi puncta indiuiſibilia, ea omnia conatur ſoluere Capreolus longa diſputatione; vt ſuprà notatum eſt. Vtrùm autem rectè, an ſecus; hic prætereundum duximus.

Gregorius. — Occam. — B

Colligitur vltimò Vtrùm rectè dixerit Scotus, & Recentiores in parte affirmante, incertum eſſe, Vtrùm Angelus ſit in puncto loci. Id enim dupliciter intelligi poteſt: vel primò quia non habeatur ratio ex principiis omninò euidentibus, quæ nulla ratione negari poſſint; & hac ratione, eſto ſit incertum. Sed eodem pacto innumerabilia in ſcientia Theologica eſſent incerta; quæ tamen non immeritò abſolutè affirmantur, vel negantur à Theologis; vt; Vtrùm Angeli differant ſpecie, vel ſolo numero: An Angeli in loco ſint per operationes: An ſint in loco extenſo, &c. Vel ſecundò, quia non ſit ratio efficax inclinans in alteram partem, ita vt eam faciat ſaltem probabiliorem, & magis rationi congruentem: & ſic non rectè vt opinor dixit Scotus. Nam oſtenſum eſt, parem rationis efficaciam eſſe, & qua rectè probatur, eſſe in loco extenſo: & qua probatur, eſſe in loco indiuiſibili: Quia nimirum operatio, ob quem finem eſt in loco Angelus; interdum exigit locum extenſum, interdum loco punctoque indiuiduo contentus eſt. Si ergo Angelum eſſe in loco extenſo, cenſetur certum; eodem modo aut certè eodem ferè modo erit certum de loco indiuiſibili.

Scotus. — C — D

Ex his reſpondetur ad argumenta, quæ retuli in parte affirmante. Ea enim omnia reiecta ſunt in noſtris corollariis ſingillatim; præterquam, quod vltimo loco attulimus, nempe ex operatione in pũcto: de qua tamen re ſatis dictum eſt in argumento pro noſtra propoſitione. Oſtendimus enim, actionem recipi in puncto poſſe; etiam immediatè & per punctum in reliquo corpore eiuſdem puncti.

E

VLTIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Angelus abſolui poſſit ab omni loco ita vt nuſquam ſit.

PArs affirmans eſt multorum Theologorum. Scotus enim in 2. d. 2. q. 6. §. *Ad propoſitũ* probat non neceſſariò Angelum eſſe in loco; ex eo

Scotus.

quod *possit fieri Angelus sine creatione creaturæ corporalis: vel facta creatura corporali; posset fieri, & esse extra omnem creaturam corporalem.* Ergo non oportet sit actu in loco. Capreolus. Capreolus etiam in 2.d.2. q.1. a.1. conclus.2. affirmat, Angelum absolui posse ab omni loco, probátque ex A. Doctor. A. Doctore in 1.sent.d.37. q.3.a.1.ad 4. vbi expressè docet sic: *Non reputo inconueniens, quod Angelus sine loco esse possit, & non in loco; quando nullam operationem habet circa locum; Nec est inconueniens, quod tunc nusquam, & sine vllo loco esse dicatur, sicut non est inconueniens, quod nullo colore coloratus dicatur.* Fatetur tamen ibidem A. Doctor, hoc sub imaginationem non cadere, *quia imaginatio* inquit *continuum non transcendit.* Sed de Capreolo vide, quæ dico infrà, tum paulo pòst, tum etiam in fine primæ propositionis. Idem apertis verbis docet A. Doctor q.3.de potentia a.19.ad 2. vbi *nihil prohibet* inquit *etiam nunc, Angelos non esse in loco, si voluerint; etsi etiam semper sint in loco propter ordinem, quo creatura spiritualis præsidet corporali secundũ Augustinum.*

Caietanus. Ferrariensis. Conueniunt Caietanus in hoc art. & Ferrariensis libro 3. contra Gent.cap.68.& alij existimantes, Angelum esse in loco per operationem, eo quòd in potestate Angeli est, vt nulli loco applicet suam virtutem; ergo tunc nullibi erit. Ne autem hoc videatur incredibile, addit Caietanus §. *Quoad secundum*; si Deus sua præpotenti virtute ab aqua existente in vase separaret quãtitatem, eo ipso fore, vt aqua illa existeret quidem in rerum natura, nullibi tamen esset. Nam *quemadmodum hæc aqua secluso colore implicat contradictionem, quod sit visibilis; ita seclusa quantitate, quod sit locabilis.* Probat etiam Caietanus ibidem §. *sed ad hæc*: quia non debet reputari inconueniens, Angelum nusquam esse. Immò Aristoteles lib.1. de cœlo cont. 100. dixit: *entia illa beata non sunt apta esse in loco.*

Vasquez. Subscribit etiam huic sententię Gabriel Vasquez Disputat.188.num.26.& 27.vbi ait, immeritò recentiores quosdam mirari, cum audiunt posse Angelum substantialiter nullibi esse. Probat: quia esse alicubi, quod necessariò denotat distantiam, soli quantitati conuenire potest, & cæteris rebus ratione quantitatis. Præterea quia potest nullam vbitatem in sua substantia Angelus producere, quia hæc liberè producitur: ergo potest nullam rationem formalẽ habere cõllocandi se in loco; ac proinde poterit nullo esse in loco.

Denique probari potest: quia si licuit Aristoteli libro 4.Physic.cont.45.asserere vltimã sphęram non esse in loco, quia non habet superficiem extrinsecus ambientis corporis; ergo multò veriùs dici potest, Angelum nullo esse loco, quia non habeat applicationem ad vllũ corpus. Notari tamen oportet, Capreolum non omninò fauere huic sentẽtiæ. Quod ipsum fortè de Scoto, cæterísque antiquioribus sentiendum est; vt infrà in fine nostræ propositionis indicabitur.

Valentia. Partem negantem sequuntur cõplures Theologi. Ita ex recentioribus Gregorius de Valentia disput.4.q.3.p.2.§. *Porrò secundum.* quod probat: *quia verè semper Angelus est in Mundo.* Molina. Idem Molina in hac q.a.1.disputat.vn.m.4. in principio; vbi absolutè ait: fieri non posse, nec intelligi, Deũ producere aliquid; & nullibi illud producere.

Ricardus. Ex antiquioribus idem censent Ricardus in

A 1.d.37.a.2.q.1.ad argumẽta. Quamuis enim non neget, Deum posse facere, vt Angelus nullibi sit tanquam in loco corporeo; tamen affirmat, Angelum *alicubi esse Mundo corporali manente.* Vult ergo esse tanquam in loco etiam corporeo, si corporalis creatura sit. Et Sanctus Bonauentura S. Bonauent. in 2.d.2. p.2.a.2.q.1. vbi apertè ait; quoniã Angelorum simplicitas est finita, ideò ipsos *esse hic, & nunc.* Et paulò post, Deum procreasse *vnũ corpus nobilissimum, quod esset natum omnia ambire, & extra quod omninò nihil esset. & hoc esse empyreum; & ideò necesse esse, Angelum esse intra ipsum.* Itaque saltem negat, connaturalibus viribus Angelorum non posse ipsos collocari, ita vt non sint in aliquo loco, nempe intra ambitum cœli. Idémque B colligitur ibidem ex q.2.& 3.

Huc etiam accedit Alexander 2.p.q.32. m.1. Alexander. versus finem, vbi licet concedat Angelum esse posse, etiamsi non sit locus corporalis, quoniam ab hac ratione continendi Angelus non pendet; tamen apertè ait; quoniam quæcunque creatura certis limitibus definita est, *spiritum Angelicum habere ad minus ex parte sua, quod debeat definiri loco, & quod sit hic, ita quod non ibi.* & clarius m.2. corp. ait, etiamsi Angelo nullus est certus locus, vbi sit; *tamen cum nunc est, vel cum operatur, præsens est huic loco, & continetur ab illo, ita quod non ab alio.* Vult ergo, cum est, esse alicubi.

Idem tenetur dicere Durandus, & alij, qui vt Durandus. C suprà vidimus, dicunt, Angelum esse vbique. Si enim est vbique; ergo falsum est, esse nullibi. Bassolius etiam in 2.d.2.q.3.a.2.§. *Secundo modo dico.* perspicuè ait, non solùm nõ repugnare, Angelum esse in loco, verùm etiam esse in loco, *licet absolute loquendo, & virtute diuina posset fieri vnus Angelus non in loco.* Concedit ergo, de potentia Dei absoluta posse non esse in loco; significat tamen citra illam oportere ipsum in loco esse.

Hæc etiam sententia videtur mihi A.Docto- A. Doctor. ris essẽ iam in hoc a.2.c. ait sic: *Non est necesse, quod ei Angelo determinetur locus indiuisibilis; sed diuisibilis, vel indiuisibilis; vel maior, vel minor, secundũ quod applicat suam virtutem ad corpus maius, vel mi-* D *nus: & sic totum corpus cui per suam virtutem applicatur correspondet ei, vt vnus locus.* Ex quibus patet, A. Doctoris sententia illud esse necessariò concedendum Angelo respectu loci vel diuisibilis vel indiuisibilis, quod eidem negatur respectu loci diuisibilis tantum, aut indiuisibilis tãtum. Hæc enim duo opponit per particulam aduersatiuã *sed*, vt retuli. Sed Angelo negatur necessitas essendi in loco diuisibili tantum, vel indiuisibili tantum, vt vidimus: ergo conceditur necessitas essendi in loco vel diuisibili vel indiuisibili. Hinc etiam manifestum est, A. Doctorem hoc loco vel exuisse illam sententiam, quam expresserat in sententiis, & alibi; vt retuli in E Parte affirmante. Vel certè in aliis locis significasse, non esse necesse, vt Angelus sit determinatè intra aliquod corpus, tanquam in loco; si nimirum Angelus non applicaret suam virtutem operatricem alicui corpori, sed cum Dei auxilio se collocaret extra cœlum in vacuo; si nimirum, vt retuli in Prima sententia, Angelus non haberet amplius ordinem ad vniuersum vt pars illius: hoc enim posito semper sunt in loco corporum, vt retuli ex illa solutione ad 2.

Ab hac etiam sententia stare puto Albertum Albertus. in ea p.p. summæ Theologicæ tract.18.q.73.a.3.m.4. Quærit enim; vtrùm spiritus creatus possit

sit esse sine loco, ac respondet: *probatum esse, quod ex hoc ipso quod definita substantia est, localis est*: nec vllum aliud verbum addit, quod hanc quæstionem declaret magis. Existimo igitur, Alberto persuasum fuisse, Angelum absolui non posse ab omni loco. Quoniam id quærenti respódet, Angelum esse localem, hoc est constituendum esse in loco ob contractam, definitámque substantiam.

Sensus quæstionis eiusque resolutio. §. I.

AD solutionem Notandum est, quæstionem hanc posse bifariam in dubium verti. Primò quidem, vt absolutè quæratur; possítne Angelus absolui à loco corporeo, cui actu sit præsens; siue, quod idem est, in quo tanquam in loco contineatur; nimirum suo modo. Et hoc pacto mihi non difficilis ad quæstionem responsio videtur. Nam certum est, Angelum potuisse à Deo creari ante Mundum corporeum, & posse nunc aut creari aut collocari extra cœlum; immò posse destructis omnibus corporibus Angelos remanere in rerum natura; quia Angeli non dependent à corpore vllo: ergo non est necesse absolutè, vt Angelus sit præsens alicui corpori, tanquam continenti, & loco: & in hoc non video, vllam esse posse controuersiam. Atque hoc solum contendere voluit Scotus, cum affirmat, Angelos absolui à loco posse. Quod patet ex eius verbis suprà relatis in prima sententia. Sanè A. Doctor expresè fatetur, omnes Patres Græcos sensisse, Angelos fuisse ante mundum; mundique corpora, creatos; vt patet ex q. 61. infrà a. 3. ad 1. & licèt ipse his non assentiatur, (id patet ex corpore eiusdem articuli,) tamen potuisse id fieri, disertè docet q. 3. de pot. a. 19. vbi etiam inter errores recenset eorum sententiam, qui dixerunt, Angelos ante corpora creari non potuisse.

Alio modo; vt quæratur, Vtrum Angelus ita possit absolui ab omni loco, vt verè nullibi sit; nimirum vt nulli corpori sit præsens nec actu, nec potentia; quia scilicet nullam habeat vbitatem, per quam debet esse actu vel præsens corpori, vel ab eo distans, si corpus aliquod in rerum natura sit actu; vel potestate, si non sit actu, sed solùm in esse possibili atque in sua causa. Quod alij vt Molina a. 1. hic m. 4. explicat relatè ad spatium, vt scilicet non sit alicubi, id est in nulla parte spatij: quod sanè cæteris non videtur aptè explicari, quia negant spatium habere partes, si quidem cum spatium illud sit nihil & negatio extensionis, non videtur intelligibile, quo pacto partes determinatæ in eo fingi possint; aut certè in modum loquendi disputatio transfertur. Videtur ergo melior explicatio, quam sequimur; vt scilicet per Vbitatem sit alicubi, & si nullibi sit, nullam habet vbitatem ita, vt ne potestate quidem, nisi remotè sit corpori propinquum aut ab eo distans; quantumuis varia vbique creentur corpora. Hoc posito ad Difficultatem respondetur. Et sit

Molina.

Vnica propositio. Angelus non potest absolui ab omni loco, ita vt nusquam sit. Probatur primò ex communi notione, quam omnes de loco habent, quia omnes existimant, quæcunque sunt

A esse in aliquo loco vt expresè ait Aristoteles libro 4. Phys. cont. 1 *Etenim* inquit *quæ sunt, omnes existimant, alicubi esse, quæ vero non sunt, nullibi*: certum autem est, communem de rebus notionem non debere falsam existimari, vt suprà ex Aristotele diximus. Aristoteles.

Neque ij satisfaciunt, qui dixere, Aristotelem non dixisse in eo cont. 1. *omnes* simpliciter; sed omnes, contra quos ipse disputare ibi aggreditur, eo quod Aristoteles eodem libro cont. 45. expresè doceat, *Totum non esse alicubi*, quia à nullo alio corpore continetur. Non inquam satisfaciunt; nam Aristoteles eo cont. 1. comprobat eorum sententiam; qui affirmabant, quæcunque sunt, esse in loco: etenim eo dicto probat, quod B sibi proposuerat; nempe *necesse esse, naturalem & de loco, & de infinito cognoscere, si est, an non*: illico enim causam proximè subdit: *etenim quæ sunt, omnes existimant, alicubi esse.* Ergo hoc principium arbitratur verum Aristoteles; quādoquidem putat sufficere ad probandam veram conclusionem. nempe philosopho naturali agendum esse de loco. Nemo enim sanæ mentis sumet ad inferendam veram conclusionem principia falsa; cum sciat, si ea negentur, nullam esse posse consecutionem. Aristoteles.

Quod si dicas verum esse illud principium; Omnes scilicet existimare quicquid est, in loco esse: Iam hoc ipsum nos quoque dicimus; si omnes ita existimant, ita etiam esse oportere. Com- C munes namque rerum notiones animo inditæ falsæ esse nequeunt. Et ideo Aristoteles eas semper tanquam prima atque indubitata principia admittere solet. Hoc enim pacto lib. 4. Phys. cōt. 30. ex communi loci notione veram loci naturam inuestigare incipit. Et lib. 1. Phys. cont. 1. Scientiæ rationem tunc consistere docet, cum causas atque elementa omnia cognouerimus; eo quòd nos tunc scire quidpiam arbitramur. Sic etiam lib. 1. de cœlo cont. 22. cœli immortalitatem confirmat, quia scilicet *omnes qui de Diis habent existimationem, cum qui sursum est locum Deo tribuunt: tanquam videlicet immortali immortale*, &c. Id quod etiam repetit lib. 2. cœli cont. 2. Denique vt alia complura prætercam lib. 1. Ethicor. D cap. 4. non aliter statuit fœlicitatem esse vltimum finem, nisi quia ita inter omnes de ea re constabat. Idem patet ex cap. 8. &c. Aristoteles.

Quod autem Aristoteles dicat, totū seu cœlum nullibi esse, seu *non alicubi* non officit. Nam dupliciter ipse videtur intellexisse particulam *alicubi*; primo quidem modo pro eo, quod est esse intra superficiem ambientis corporis, & hoc modo negat in eo cōt. 45. cœlum esse alicubi secundum totum; & ideò secundum partes concedit esse alicubi: *altera enim partium alteri adhærens est.* Alio modo, vt idem sit, atque aduerbium de- E monstrans, rem esse taliter constitutam, vt possimus eam cum alio corpore, tanquam proximam, vel distantem comparare; & sic ipse apertè libro 1. de cœlo cont. 100. entia illa immortalia, atque à corpore abiuncta dixit esse extra cœlum; & ad hoc significandum vsus est aduerbio loci *illic* vt mox dicam. Sic autem ait: *extra cœlum quod neque est, neque contingit esse corpus ostensum est. Manifestum est igitur, quod neque locus, neque vacuum, neque tempus est extrinsecus.* Cum ergo significet, extra cœlum nihil esse corporeum, sumit illam particulam *extra*, ac si denotet, ipsum, quod non est corpus, aliquo modo compa-

rari localiter tanquam extra corpora positum, ad ipsa corpora, etiamsi nullius corporis superficie concludatur; vnde & subdit statim particulam loci: *Quapropter quæ illic sunt, neque nata sunt in loco esse, neque tempus facit ipsa senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extrema sunt dispositæ lationem; sed inalterabilia, & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se felicissimam, perseuerant toto æuo.* Non ergo *alicubi* significat, semper esse intra superficiem alicuius corporis.

Vnde hoc secundo modo particulam alicubi accipi debere ab Aristotele, cum ex antiquis Philosophis sensit, quæcunque sunt, alicubi esse; patet ex eo quod omnia non possunt esse alicubi primo modo, vt ipse docuit de vltimo orbe, ac cæteris substantiis separatis: ergo accipi debet secundo modo. Quin etiam libro 4. Physic. cont. 47. hos duos modos existendi in loco expressit Aristoteles, cum dixit, ipsum quoque locum esse alicubi sed non in loco: *Et est locus alicubi* inquit, *non autem vt in loco; sed vt terminus in terminato*, &c. Non ergo esse alicubi, idem est, quod esse in loco; hoc est in superficie continentis corporis; sed interdum est, vt dicebam, ac si denotet, esse extra causas comparatè ad corpora, à quibus vel distent, vel non distent, &c. Immò ipse idem Aristoteles libro 5. Phys. cont. 8. expresse ait: *Quod non est, non est in loco; esset enim alicubi.* ergo supponit, quod est esse alicubi; eo nimirũ secundo modo iam explicato. Itaque ex his sequitur, cum ea omnia, quæ sunt, alicubi esse oporteat, impossibile esse, Angelos absolui posse ab omni loco. Aduersatur enim insitæ, intimæque rationi, quam habent omnes de iis, quæ sunt extra suas causas in rerum natura.

Aristoteles.

Aristoteles.

Secundò probatur ratione nostra propositio. Quia illa non possunt absolui ab omni loco, de quibus necesse est verè affirmari aduerbia loci: sed de Angelo necesse est verè affirmari aduerbia loci: ergo Angelus non potest absolui ab omni loco. Maior probatur: impossibile namque est, de iis verè affirmari aduerbia locum significantia, quæ non sunt alicubi: vt si rosa in hyeme nullibi est, non potest dici, eam esse Romæ vel hic vel ibi; & sic de cæteris. Ergo si necesse est de aliquo verè affirmari aduerbia loci, seu locum significantia, illud non potest absolui ab omni loco; quia nimirum esset in loco, & non esset in loco: in loco quidem; quia ea debent esse in loco, de quibus verè affirmantur ipsa loci aduerbia vt dixi: Non autem in loco; quia ab omni loco liberum esset. Minor probatur: quia de eo necesse est verè affirmari aduerbia loci, de quo necesse est verum sit dicere, quod sit simul præsens, & substantialiter cum eo, quod verè alicubi est. Sed de Angelo necesse est verum sit dicere, quod sit præsens & simul substantialiter cũ eo quod verè alicubi est. ergo de Angelo necesse est verè affirmentur aduerbia loci.

Vtraque huius argumenti proximi propositio accuratè probatur: & primò quidem Maior, quia si quid necesse est sit substantialiter præsens, & simul cum eo, quod alicubi verè est, ipsũ quoque debet esse alicubi; quia oportet sit cum eo, vbi est illud, cum quo est, saltem inadæquatè, & ex parte. vt si Petrus sit presens, & substantialiter simul cum Paulo, necesse est Petrus sit, vbi est Paulus; nimirum si Paulus sit in aliquo cubiculo, in eodem Petrus sit oportet; alioqui

A non esset ei præsens, nec cum eo simul substantialiter. Quo pacto, quod est in diuerso loco, aut nullibi, non potest esse præsens ei, quod est alicubi, aut alibi. Ergo si necesse sit verum dicere de aliquo, quod verè sit præsens, & substantialiter simul cum eo, quod verè alicubi est, de eo verum etiam sit oportet, esse ibi, vbi est illud, quod est alicubi; atque ita verè affirmabuntur aduerbia loci; nempe quod verè sit ibi, vbi est illud aliud.

Minor etiam probatur: quia de Angelo necesse est verum sit dicere, quòd sit præsens & substantialiter simul cum Deo, qui verè alicubi est. Ergo de Angelo necesse est verum sit dicere, quod sit præsens, & substantialiter simul cum eo, quod verè alicubi est. Antecedens probatur; & Primò, quòd Deus sit verè alicubi, patet; quia verum est, Deum esse hic, esse ibi, & implere omnia, quia ob eius immensitatem debet esse in omnibus rebus substantialiter, vt demonstratur ab A. Doctore suprà q. 8. a. 1. Ergo Deus est verè alicubi, non quidem definitiuè, excludendo reliqua loca; sed alicubi, quia verè est hic, & ibi, & vbique: quod est, esse alicubi in aliquo loco. Neq; enim ex eo, quod est in omni loco, negari debet, quod sit alicubi; id est in aliquo loco; sicut nec ex eo, quod est infinitum, debet negari, esse aliquod ens. Deinde quod necesse sit verum dicere de Angelo, quod sit præsens, & substantialiter simul cum Deo, probatur: quia necesse est, vt agens sit simul cum passo, eique sit substantialiter præsens, vt ex instituto probat A. Doctor suprà q. 8. a. 1. Vbi ex hoc axiomate tanquam necessario principio concludit, Deum necessariò esse vbique substantialiter, & præsentẽ omnibus rebus, quia in omnibus rebus operatur; vt supra fusiùs dictum est. Cum igitur necesse sit, Deum immediatè etiam in Angeli substantiam operari, debet Angelus necessariò esse simul cum Deo.

B

C

Plura argumenta ex quodam auctore refert Capreolus in 2. d. 6. q. 1. art. 2. contra 3. conclus. Illud tamen ex S. Augustino libro de Immortal. animæ ad rem facit, cum ait: *Quicquid est, nusquã esse non potest:* cætera sunt parui momenti. Vbi etiam notari oportet, Capreolum, licet concedat, posse absolui ab omni loco, tamen intelligere apertè, quod possit absolui à loco corporeo, quia ab illo non dependet: quod nobis non aduersatur. Eodem modo puto, posse alios veteres exponi. Certè Scotus simpliciter Angelos alicubi potuisse esse ante Mundi creationem, & de facto fuisse, Damasceni sententia, concedit, vt dicam Quæst. seq. Diffic. vn. in prima sententia. ex quo videtur, non concedere absolui, nisi à loco corporeo; sicut antè dicebamus ex A. Doctore.

Capreolus. S. August.

D

Scotus.

Nullum posse dari ens in rerum natura quod alicubi non sit, & quo pacto esse in loco sit affectio necessariò consequens ipsas res, & satisfit argumentis aduersantium. §. 2.

E

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, nullum posse dari ens reale in rerum natura, etiam de potentia absoluta, quod alicubi non sit: probatum enim est, omne ens debere esse

esse simul cum Deo, saltem inadæquatè. vnde cū Deus sit alicubi, necessariò; etiam illud ens erit alicubi necessariò; & nō poterit absolui ab omni loco. Ex quo etiam vlterius sequitur, rectè dictū esse à veteribus illis Philosophis, Aristotele consentiente, *ea quæ sunt alicubi debere esse*; & quæ nullibi sunt, in rerum natura, esse non posse. *Vbi enim est si hynx, aut hircocerum?* inquit Aristoteles lib. 4. Phys. cont. 1.

Aristoteles.

Colligitur secundò, esse in aliquo loco esse affectionem necessariò consequentem ipsum esse rei: ex eo scilicet, quod res est, alicubi debet esse. Quod confirmari potest magis, & explicari dupliciter. Nam primò, sicut res se habet ad aliquam durationem, seu permanentiam, ita etiam ad aliquam Vbitatem. Quia vtrobique est veluti spatium aliquod, & proxima ratio mensuræ rei existentis in rerum natura. Illud quidem instar spatij successiui, quo scimus tanto temporis interuallo ac spatio rem in suo esse perseuerasse: Hoc autem instar spatij permanentis, quo rem tantam eiusdem spatij magnitudinem occupare cognoscimus. Sed non potest aliquid esse in rerum natura, quod non habeat determinatam aliquam durationem, secundum quam debeat si tempus extrinsecus sit, vel in determinata aliqua illius parte vel instanti constitui. Ergo nec poterit aliquid esse in rerum natura, quod non habeat determinatam aliquam Vbitatem, secundum quam debeat si locus extrinsecus detur, in aliqua illius parte, vel indiuisibili constitui. Et ideò dixit A. Doctor in hoc art. *Necesse esse, quod determinetur ei Angelo vnus locus vel diuisibilis, vel indiuisibilis*, &c. ergo A. Doctor id putauit necessarium. vt etiam mox patebit. Secundò, quia Deus ex eo, quod est ens infinitum, vendicat sibi necessariò infinitum locum, & infinitam durationem. Propterea namque æternus est, immensúsque. ergo ens creatum, ex eo quod est finitum, vendicat sibi finitum & determinatum locum, & durationem necessariò: neque enim assignabitur vlla disparitas.

A. Doctor.

Colligitur tertiò, non rectè Caietanum, & illos recentiores in prima sententia asserere, ipsum esse in loco, quod denotet distantiam, conuenire rei ratione quantitatis. Nam primò Angelus verè est in loco distanti, vel propinquo. Immò ipsa eius substantia verè ab aliquo corpore distat, & alicui propinqua est; vt cum Angelus est in cælo, verè distat à terra, cæloque ipsi proximus est; & tamen Angelus nullam in se habet quantitatem.

Caietanus.

D

Confirmari potest: quia ne esse quidem in loco conuenit per se quantitati: ergo nec per se quantitati conuenit esse in loco distanti. Quoniam esse in loco distanti, supponit esse in loco: cum distantia sit aliqua loci veluti passio: omne enim, quod ab aliquo distat, alicubi est. vnde Aristoteles libro decimo Metaphysic. context. 13 & 14. & ex eo A. Doctor 1. 2. q. 7. a. 1. in c. docent, *ab his quæ secundum locum sunt processisse nomen distantis ad omnia contraria.* Quasi clarè vterque significet, distantiam proprietatem esse loci; cæterorum verò non esse, nisi ex quadam accommodatione.

Aristoteles.
A. Doctor.

Antecedens probatur: quia id expressè docet A. Doctor in 2. d. 2. quæstione 2. articulo secundo ad tertium. *Quanto* inquit *prout quantum est, non debetur propriè locus, nec per consequens*

A. Doctor.

A

potentia ad Vbi: sed prout habet determinatam naturam. Hinc idem A. Doctor in 4. d. 10. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. c. esse definitiuè in loco, quatenus quid commune est corpori ac substantiæ spirituali, tribuit non quantitati, sed quantitati vel virtuti. *Omne* inquit *quod habet quantitatem finitam vel virtutem, oportet quod sit definitiuè in loco in quo est.* Idcircò id ait conuenire Angelis, non Deo. Ob eandem causam ibi etiam docet; omne, quod est in loco, oportere aliquo modo commensurari loco: Debet enim esse *in loco* inquit *commensurato, vel quantitati, vel virtuti.* Ergo ne conuenit quidem esse in loco commensurato ratione quantitatis, cum satis sit virtus, & substantia finita.

B

Deinde, quia substantia, etiam materialis, separata quantitate, esset in loco saltem indiuisibili, qui distaret ab alio assignabili; quia, vt ostensum est, alicubi existeret; ergo non conuenit rei ratione quantitatis: idémque dico de Christi corpore in venerabili sacramento altaris, quod sub speciebus continetur indiuisibiliter: quæ existendi ratio non prouenit ex quantitate corporis eiusdem, sed potius ex forma superaddita, quæ ipsi est ratio indiuisibiliter existendi, vt fusiùs ostendimus tertia p. quæstione septuagesimaquinta. Denique licet verum sit esse in loco extenso, & diuisibiliter esse ex quantitate, cui connaturaliter conuenit, vt substantia cum loco extrinseco diuisibiliter commensuretur; tamen falsum est, quantitatem esse generalem rationem, vnde proueniat, vt res in loco sit quocunque modo.

C

Sanè Angelicus Doctor in hac quæstione quinquagesimasecunda cum Angelo dixit conuenire esse in loco, nunquam dixit, ei conuenire ratione aut quantitatis, aut corporis; sed vel absolutè id pronunciauit, vel rationem eius assignauit substantiam virtutémque finitam. Sic enim articulo primo. *Dicendum* inquit *quod Angelo conuenit esse in loco*: Et quamuis subdat; esse in loco, *æquiuocè*, conuenire Angelo, & corpori, id tamen non est perinde accipiendum, ac si putet, id æquiuocè hoc est solo & puro nomine, Angelo conuenire: solum enim significare voluit, non eodem modo vtrique enti locum esse assignandum. Quin etiam hinc non conficitur, vni locum conuenire ratione alterius; vt cum dicitur æquiuocè: hoc est secundum analogiam, rationem entis de substantia, atque accidente dici: non debet aliquis colligere, ipsum ens de vno dici ratione alterius: quemadmodum de columna dextrum dicitur ob dextram hominis. Certum enim est, accidens verè in se habere rationem entis: ac proinde eam non sibi deriuare omnino extrinsecus à substantia; & sic de aliis. Immò cum Angelicus Doctor ibi ostendat, oppositas esse loci rationes in corpore, atque in Angelo, non potest vni tribuere, quod conuenit alteri; ne dicamus, rationem vnius oppositi alteri opposito tribuendam esse.

A. Doctor.

E

Sic autem loquitur Angelicus Doctor in eo articulo primo. *Corpus* inquit *est in loco per hoc, quod applicatur loco secundum contactum dimensiuæ quantitatis: quæ quidem in Angelo non est, sed est in eis quantitas virtualis.* Ex quo concludit, corpus esse in loco per cōtactum quantitatis, Angelum per contactum virtutis: corpus contineri à loco, cui ex

A. Doctor.

ex æquo respondeant partes; Angelum nec contineri, sed continere &c. Oppositas ergo loci rationes, corporibus Angelisque assignauit. Ergo absolute pronunciauit, Angelo conuenire locū non ratione quantitatis. In art. etiā 2. ex eo quod Angeli virtus est finita, ac proinde non se extendit ad omnia, probat in vno tantum definito loco ipsū esse oportere; & iterū oppositas vtriusque differentias assignat. Ergo ratio, cur Angelus sit in loco, non est corporum quantitas, sed suæ substantiæ, ac virtutis finitudo.


Scotus. Ex his respondetur ad argumenta primę sententię. Ad primum enim Scoti dico illud verum esse de ipso esse in loco, tanquam in superficie continente, vt dixi in Notando, & non tantum simpliciter de loco, vt nos diximus. Ad ea, quæ docet Capreolus, ex A. Doctore, dixi in Notādo. Ad Caietani doctrinam iam diximus. Ad primū ex aliis eodem modo dictum est. Ad secundum dico, non posse Angelum velle nullam habere vbitatem, etiamsi liberè omnem producat in se se. Ratio est; quia nullum ens creatum existere potest, nisi sit determinatum ad locum, & ad tēpus, eò quod de illo debent posse affirmari aduerbia loci, & temporis, cum simul debeant esse cum Deo alicubi, & aliquādo, vt dictum in propositione. Prætereaquamquod non valet consequentia ex eo quod liberè Angelus in se producit vbitatem; ergo potest nullam habere. Sicut etiam in simili argumento non valet: liberè homo est in hoc vel illo loco; ergo potest in nullo esse loco. Ad vltimum respondeo Aristotelem loqui de loco extrinsecus continente, respectu cuius negat, vltimum cælū esse in loco, eo quod *præter vniuersum, ac totum extra nihil est*. Nos autem loquimur non de loco extrinsecus continente, sed de loco qui est Vbitas seu locus veluti in actu primo, vt dictum est.



ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm plures Angeli possint esse simul in eodem loco.

1. d. 17. q. 3. a. 3 & Pot. q. 3. a. 7. 11. & a. 19. 1.



D Tertium sic proceditur. Videtur quod plures Angeli possint simul esse in eodem loco. Plura enim corpora non possunt esse simul in eodem loco, quia replent locum. Sed Angeli non replent locum, quia solum corpus replet locum vt non sit vacuum: vt patet per philosophum in 4. Phys. Ergo plures Angeli possunt esse in vno loco.*

* l. 4. Phys. t. 52. & 58. 10. 2.

2. Præterea; Plus differt Angelus & corpus quàm duo Angeli; sed Angelus & corpus sunt simul in eodem loco: quia nullus locus est qui non sit plenus sensibili corpore, vt probatur in 4. Physic. Ergo multò magis duo Angeli possunt esse in eodem loco.*

* li. 4. Phys. t. 58. to. 2.

3. Præterea Anima est in qualibet parte corporis secundum Augustinum. Sed dæmones licèt non illabantur mentibus, illabuntur tamen interdum corporibus. Et sic anima & dæmon sūt* A *in eodem loco. Ergo eadem ratione quæcunque aliæ spirituales substantiæ.*

* lib. 6. de Trin. cap. 6. non procul à fine: to. 3 & in ep. 28. ad Hieron.

Sed cōtrà Duæ animæ non sunt in eodem corpore. Ergo pari ratione neque duo Angeli in eodem loco.

Respondeo dicendū, quòd duo Angeli non sūt simul in eodem loco. Et ratio huius est: quia impossibile est quòd duæ causæ completæ sint immediatæ vnius & eiusdem rei, quod patet in omni genere causarum. Vna enim est forma proxima vnius rei, & vnum est proximum mouēs, licèt possint esse plures motores remoti. Nec habet instantiam de pluribus trahentibus nauem: quia B *nullus eorum est perfectus motor: cùm virtus vniuscuiusque sit insufficiens ad mouendum, sed omnes simul sunt in loco vnius motoris, in quantum omnes virtutes eorum aggregantur ad vnum motum faciendum. Vnde cum Angelus dicatur esse in loco per hoc quòd virtus eius immediatè contingit locum per modum continentis perfecti, vt dictum est:* non potest esse nisi vnus Angelus in vno loco.* * q. præc. a. 1.

*Ad primum ergo dicendum quòd plures Angelos esse in vno loco non impeditur propter impletionem loci, sed propter aliam causam vt dictum est.** C * in corp. ar.

Ad secundum dicendum, quòd Angelus & corpus non eodem modo sunt in loco. Vnde ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quòd nec etiam dæmon & anima comparantur ad corpus secundum eandem habitudinem causæ, cùm anima sit forma non autem dæmon. Vnde ratio non sequitur.

D

Explanatio & Confirmatio eorum quæ hîc dicuntur.

A. Doctor. RESpondet A. Doctor, non posse, nisi vnum Angelum esse in vno loco; vt patet ex fine corporis: probat hoc fermè pacto. Nā Angelum esse in loco, est virtutem illius contingere locū per modum continentis, & perfecti; nempe per applicationem completæ virtutis ad operādum in eo. Hoc enim est virtutem Angeli contingere locum; nimirum applicari loco eius virtutem; & hoc est per modum continentis, & perfecti; E nimirum ad operandum. Vt enim dixerat suprà a. 1. Angelus continet perfectè locum eò quod illum virtute operatrice cōpleta contingit. Angelum ergo esse in loco, est, eius virtutē applicari loco, vt in eo operetur. Sed nō potest nisi vnius Angeli virtus applicari vni loco, vt in eo operetur. Ergo nec potest nisi vnus Angelus esse in vno loco. Minorem probat; quia non potest nisi vnius causæ completa virtus applicari ad effectum, seu ad operandum: nam *impossibile est quod duæ causæ completæ sint immediatæ vnius, & eiusdē rei*, idque inductione per omne genus causæ confirmat. Ergo cum virtus Angeli ad operandum in loco sit completa; non potest ibi esse, nisi vnius.

Quæstionem

Quæstionem non intelligi de potentia Dei absoluta, eámque alibi ab A. Doctore non valdè diuerso modo comprobari. §. 1.

NOtandum autem hic est, hanc quæstionem non intelligi de potẽtia Dei absoluta; quasi Deus nequeat ponere plures Angelos eodem in loco: Tum quia A. Doctor, vt sæpè monuimus suprà, disputat de rebus ex rei natura, non quid Deus in illis facere possit: Tum quia id patet ex libro 1. sent. d. 37 quæstione tertia a. 3. vbi de eadem re disputans docet ad 1. ne plures Angeli esse possint in eodem loco, impediri; non quod plures non possint replere eundem locum, sed ne sequatur *confusio operationum, quæ quodammodo redundaret in confusione virtutis & essentiæ.* Et eandem rationem assignauit A. Doctor q. 3. de Pot. a. 19. ad 1. Ergo putat, esse impedimentum ex natura rei, & connaturali modo. Nam virtute præpotenti possent esse tali pacto dispositæ operationes, vt posset non sequi confusio; si nimirum suam distinctionem seruarent. Sicut si duo lumina, ex se singula sufficientia, illustrarent aërem, posset Deus illustrationes illas distinctas continere, atque ordinatas. Vel certè si in vnum ambæ coalescerent, nulla esset confusio: quæ necessariò debet esse inter plura. Itaque, more suo, non loquitur de potentia absoluta, sed ex connaturali modo, quem in rebus creatis cernere consueuimus; idque rectè animaduertit Capreolus in 2. d. 2. q. 1. a. 3. ad vlt. argum. contra 3. concl. quod ipsum confirmabimus seq. Quæsit. Difficult. 1. in Notandis. Constat ergo quæ sit ratio A. Doctoris in hoc art.

A. Doctor.

B

Notandum secundò, hanc ipsam conclusionem non valde diuerso modo probari ab A. Doctore in 1. sent. vbi suprà in corp. art. quam probationem, quia nonnihil explicare præsentis articuli argumentum potest, referre è re nostra iudicamus. Ait ergo, plures Angelos esse non posse simul in eodem loco: quia *impossibile* inquit *est, idem secundum idem pati, & moueri à diuersis agentibus, vel mouentibus; si vtrumque sit perfectæ virtutis ad inducendum effectum illum.* At hoc impossibile contingeret, si duo aut plures Angeli essent in eodem loco. Ergo non possunt plures Angeli esse in eodem loco.

Maiorem probat: quia *ab agente perfecto;* nempe perfectæ virtutis; *patiens ducitur ad actum perfectum, quo habito non remanet in potentia ad suscipiendum aliquid plus.* Ergo impossibile est, ab altero agente perfectæ virtutis quicquam recipi. Ab vno enim est expleta potentia: ergo non potest patiens moueri à duobus agentibus perfectæ virtutis. Quia scilicet ab altero expleretur eadem potentia, quæ ab altero iam completa esset. Confirmat hanc doctrinam A. Doctor ibidem, quia si quando contingit, aliquod patiens moueri à duobus mouentibus; id fieri solet, *quando plures mouent in virtute vnius mouentis, quorum quodlibet est imperfectum mouens; sicut patet in trahentibus nauim.* Tunc enim vnum non potest, quod ab vtroque præstatur: Ergo signum est, quando vnum potest totum effectum dare, non posse ad

A eundem effectum alterum agens adhiberi.

Minorem probat: quia quicunque Angelus *est sufficientis virtutis* (hoc est perfectæ, vt posuerat in Maiore; ex quo etiam patet, pro eodem sumi siue sufficientem, siue perfectam virtutem) *ad educendum in actum totum illud, quod virtute diuina operandum est circa aliquod corpus supra actus naturales, ad quorum operationes non mittuntur Angeli:* Ergo vnusquisque Angelus est agens perfectum ad effectum, quem in loco producunt. Si ergo duo Angeli essent in codẽ loco, illud impossibile cõtingeret; nempe idem patiens moueri à duobus agentibus perfectis: non enim sunt in loco, nisi per operationem, & effectum aliquem; nempe quia non alium in finem Angeli in loco collocantur, nisi vt ibi aliquẽ effectum operentur. Idcircò dixerat a. 1. ibidem Angelum esse in loco per operationem, vt exposuimus suprà articulo primo fusissimè. Ex his suam conclusionem deducit A. Doctor hoc pacto: *Et ideo non possunt* inquit duo Angeli *esse in eodem loco, quia alter eorum superflueret; vnde etiam philosophi vni orbi non tribuerunt nisi vnum motorem.*

Tandem ex his obserua, idem hoc loco apud A. Doctorem esse impossibile, & superfluum. A. Doctor. Quod enim dixerat in Maiore; impossibile esse, vt ad eundem effectum duo agentia perfecta

C concurrant; in consequentia non amplius vtitur nomine *impossibilis*, sed, *non posse quia superflueret alter.* Quasi denotare velit, se intelligere, non impossibile simpliciter, sed impossibile in natura, in qua etiam superflua impossibilia sunt; Cum *Deus, & Natura nihil frustra faciant*, teste Aristotele lib. 2. cœli. cont. 32. & alibi.

Vtriusque rationis conuenientia atque discrimen. §. 2.

D

EX his omnibus Colligitur, in quibus ambæ hæ rationes conueniant, & qua in re inter se dissideant. Conueniunt namque primum in basi, ac fundamento totius huius doctrinæ, quod est illud axioma. Idem effectus & operatio non potest esse à duobus mouentibus perfectæ virtutis, vt vidimus. Deinde conueniunt in eo, quod Angelus sit agens perfectæ virtutis; quæ erat argumentationis Minor. Differunt verò primum in eo, quod ait libro 1. sentent. Angelum non mitti ad effectus naturales, sed ad eos, qui diuina virtute fiunt, vt vidimus, quæ quidem prætermisit A. Doctor in hoc art. 3. vt clarum est, idque meritò ob duplicem causam. Vna est: quia si

E sermo fuisset tantum de effectibus, qui supra naturam sunt, ac diuina virtute fiunt, ob quorum productionem vnus Angelus constitui in loco debeat, plures verò non possunt; ratio generatim de quibuscunque Angelis non probaret; ac proinde eo argumento non ostenderetur, nec dæmones esse posse plures in vno loco. Hi nãq; non mittuntur ad effectus supernaturales, seu qui fieri diuina virtute debeant. Altera causa est: quia licet Angeli boni semper intẽdant aliquid in hominum animis supernaturale quod ad beatitudinem dirigatur; tamen effectus exterior, & operatio ob quam se in loco reponunt, saltem plerunque naturalis est, & ex causis naturalibus, vt locutio, apparitio, timor, quẽ incutiunt

liter, & adæquatè, opinione A. Doctoris. Probat Ferrariensis; quia hoc art. & 1. d. 37. q. 5. art. 3. ait: *impossibile esse, quod duæ causæ completa, & immediatæ sint vnius, & eiusdem effectus.* Ex Aristotele verò probat lib. 2. Physic. cont. 30. & libr. 5. Metaphys. cap. de Causa: quibus in locis cum dixisset, eiusdem effectus esse multas causas, vt statuæ ipsam artem statuariam, & æs, subdit: *sed non eodem modo, sed hoc quidem sicut materia; illud verò vt vnde motus.* ergo supponit, vnius effectus non esse plures causas totales, & adæquatas. Idem ratione probat: quia effectus alioqui nullam per se haberet determinatam causam, quia à neutra seorsim penderet, nec ab vtraque simul, quia non requireret illas causas partiales.

Tertius modus dicendi est eorum, qui docent absolutè; hoc est neque vt totales, neque vt partiarios motores, plures Angelos esse posse in eodem loco. Ita Albertus, S. Bonauentura, Ricardus, Ægidius, & Bassolius, vbi suprà; & Heruæus, vt mox dicam. Qui tamen omnes negant solùm, eos plures esse posse naturaliter, si suæ naturæ Angeli relinquantur in Mundo, citra vniuersi, eiusque ordinis turbamentum. Nam S. Bonauentura negat, esse repugnantiam, aut ex parte Angeli, cuius substantia alteri non est impedimento; aut ex parte loci, quia non indiget vnius tantum Angeli præsentia, sed solùm ait, id esse ex parte ordinis vniuersi, quem arbitratur virtute Angelica naturali tolli non posse. Ricardus quoque ait, non posse esse in eodem loco *per virtutem creatam.* Ægidius etiam ait: *Quantumcunque Angeli differant specie, quantumcunque vnus alio maiorem virtutem habeat, simul tamen esse non possunt, sicut nec corpora, quantumcunque specie differant.* Bassolius etiam nihil aliud contendit, quam posse Angelos virtute diuina plures esse in eodem loco; negat autem, posse virtute naturali; vt patet ex §. *Secundo ait*; & præterea quia probat à paritate corporum, quæ diuina virtute possunt esse simul. Similiter Heruæus tract. de motu Angeli q. vn. a. 1. §. *Et ideò aliter*, negat, duos Angelos posse esse in eodem loco, ita vt dicant *habitudinem ad idem corpus, quia esse ibi proprium non potest esse nisi vnius virtutis.* Denique Albertus ait: *Dico quod duo spiritus nequeunt esse in eodem loco, propter confusionem operationum vitandam, non propter repugnantiam naturæ.* Quam etiam opinionem secutus ferè fuit A. Doctor q. 3. de Pot. a. 19. ad 1. & libr. 1. sent. vbi supra ad 2 vt obseruaui in explanatione literæ.

Albertus. S. Bonauent. Ricardus Ægidius. Bassolius. Heruæus. S. Bonau. Ricardus. Ægidius. Bassolius. Heruæus. Albertus. A Doctor.

His addere possumus Capreolum, licèt suæ opinionis aliquantò latius rationem explicet. Nam a. 3. vbi suprà ad 2. contra 3. concludit, Angelos esse in loco, quemadmodum operans in operato; ideoque, quia non potest multiplicari naturaliter contactus virtutis circa idem operatum, negat, plures Angelos naturaliter posse esse simul in eodem loco. Quibus simpliciter asserere videtur non posse vllo modo, nempe naturaliter, Angelos simul esse in eodem loco; atque ita dissidet à Caietano, & Ferrariensi. Ac licèt ad 4. dicat ibidem: Si duo Angeli mouerent eandem corporis partem, ita tamen vt quilibet non esset sufficiens motor; neutrum propriè futurum in ea parte tanquam in loco; quia Angelum esse in loco, est esse per modum continentis perfecti, id est operantis, quod ex se sit sufficiens: quibus videtur supponere, plures Angelos posse eandem partem corporis mouere, atque ita alio modo sumere esse in loco; Tamen ad quintum

Capreolus.

A ibidem ait: Sicut impossibile est, naturaliter duo corpora esse in eodē loco, ita repugnare & Angelos. Quare simpliciter negat, naturaliter esse posse. Quare in ea responsione ad 4. non supponit, posse fieri; sed data hypothesi hac, sequitur, eos non esse in loco, non tamen concedit ipsam hypothesim simpliciter.

Plures Angelos in eodem loco esse non posse, ne vt partiarios quidem motores, secundum naturales eorum vires non tamen de potentia absoluta, A. Doctoris expressa sententia est. §. 2.

B Denique in hoc postremo dicendi modo puto esse A. Doctorem, eiúsque sententiam in duobus dictis consistere. Primum est; plures Angelos in vnum locum simul esse nullo modo posse; hoc est vt dicebam initio huius modi, neque vt totales neque vt partiarios motores. Alterum est; id non negari simpliciter ob absolutam rerum repugnantiam, siue per potentiam Dei absolutam, sed solum habita ratione ad connaturales Angelorum vires, atque ad connaturalem modum, quem natura seruat in rebus. Ex his autem quod priore loco propositum est, nūc ostendi oportet. Nam de posteriore dicto paulò pòst in Notandis dissseremus.

A. Doctor.

Prius ergo sic ostendendum est. Primò quia in C hoc articulo A. Doctor negat, esse posse plures Angelos in eodem loco, in quo sint per applicationem virtutis; ergo negat, posse esse plures Angelos, qui habeant formam, qua constituantur in loco. Hanc enim formam ipse dixerat esse applicationem operatricis virtutis, vt suprà ostensum est; ergo negat, absolutè posse plures esse in eodem loco. Siquidem impossibile est, absolutè esse plures effectus formales, si absolutè nequeant esse plures formales rationes, quibus illi plures effectus constitui debent. Confirmatur; quia per applicationem virtutis operatricis, tanquam per formam, Angelus est in loco definitiuè; nempe ita hic, vt non sit alibi: ergo si nequeunt plures Angeli in vno loco habere illam D virtutis operatricis applicationem, nec poterunt habere formam, per quam sint ibi determinatè, ac definitiuè, & non alibi. Ergo verum est dicere: plures Angeli non possunt esse hic, nempe in vno hoc loco definitè, siue vt partiarij motores, siue vt totales. Alioqui verè haberent formam existendi hic, & verè diceretur; Hic sunt plures Angeli; vt verum est, dicere, in eo fuisse plures dæmones qui legione dæmonum torquebatur. Neque enim vlla ratio dari potest, si ibi sint plures, cur absolutè plures ibi esse non affirmentur.

Deinde, quia A. Doctor in hoc etiam a. negat, esse posse Angelum in eodem loco, in quo alius E cum ipso Angelo concurrat ad eūdem effectum, & motū. Nam putat, non posse Angelos, quemadmodum homines, habere virtutem, quæ imperfecta sit, & non satis ad motum, poscatque iuuari ab alio. Illud enim negat de Angelica virtute, quod concedit virtuti humanæ illis verbis: *Nec habet instantiam de pluribus trahentibus nauim, quia nullus eorum est perfectus motor, cū virtus vniuscuiusque sit insufficiens ad mouendum:* quod proximè post negat de Angelis. Ergo negat, Angelū posse esse

A. Doctor.

esse in loco, ita vt sit ibi vnà cum alio, à quo ad vnum effectum iuuetur. Itaque existimat, non posse duos Angelos ita vniri ad vnum effectum, quemadmodũ duo vniuntur ad trahendũ nauim; cuius rationẽ tam hic, quam in 1. sent. dixit, esse imperfectionem virtutis: ergo duo Angeli non possunt vniri ad vnam operationem, tãquam causæ partiariæ; ac proinde nec ad vnum locum etiam vt motores inadæquati aut causæ partiariæ.

Caietanus. Ferrariensis. A. Doctor. Ex quibus tria consequuntur aduersus sententiam Caietani, & Ferrariensis. Primum est eos non rectè dixisse A.Doctoris sententia posse plures Angelos esse in eodem loco *materialiter*. Non rectè autem, quia si sunt in eodem loco materiali sunt ibi in loco definitiuo. At in eodem loco definitiuo negat A.Doctor vt diximus plures Angelos esse posse. Præterquam quòd esse in loco materiali propriè est esse in loco. Vt enim sint in loco materiali, satis est, si sint in corpore, in quo contineantur: ergo sunt propriè in loco. Tunc enim propriè est in loco aliquid, cum est in aliquo, tanquam in continente, & ambiente; Aristoteles. & ideò locus est veluti vas, vt ait Aristoteles libro 4. Phys. context. 12. & 41. & definitur eodem cont. 41. *superficies corporis continentis immobilis*. Ergo Angelus cum est in loco materiali; nempe in corpore continente, est in loco propriè. Non est autem propriè in loco formali; nempe in ratione formali loci, quicquid illa sit. Cum enim in ratione formali nihil sit tanquam in continente, non in eo propriè erit tanquam in loco: quemadmodum nec corpora sunt propriè in sua forma, vt in suo calore, sua albedine, in sua Vbitate & similibus. quæ sint formæ essendi secundum aliquem effectum formalem. Ratio autem huius est: quia subiectum propriè non est in sua forma. Aristoteles. Vnde Aristoteles lib. 4. Physic. cont. 23. non enumerat inter modos quibus aliquid in alio esse dicitur, subiectum ipsum in sua forma esse. Bene tamen contra docet formam esse in subiecto. *& omnino*, inquit, *forma in materia. Sicut scientia est in anima & album in homine* vt loquitur lib. 4. Phys. cont. 25.

A. Doctor. Neque illis fauet, quòd Angelus non est in loco, tanquam in continente, sed tanquam continens, vt docuit A.Doctor in hac q. a. 2. & 3. & 53. a. 1. & 2. Non enim significat non esse in loco tanquam in continente, eò quod A. Doctor neget esse in corpore tanquam in ambiente, & definiente sphæram ipsius Angeli. Nam concedit apertè in eo 2. art. vt etiam nos suprà diximus; Angelum esse in loco definitiuè, quia ibi definitur, cum non sit alibi; quemadmodum Deus non est in loco, quia non definitur illo, cum sit vbique. Sed quia negat ipsum commensurari loco, & ab eo perfici, vt colligitur ex iisdem locis; & ideò voluit, Angelum esse in loco tanquam continentem, quia est in loco per applicationem virtutis operatricis, & per modum operãtis seu per modum perficientis ipsum corpus, in quo est: quod in sensu A. Doctoris ibidem est esse in loco tanquam continens. Qua ratione Deus, Angelus, & anima suprà q. 8. a. 1. ad 2. dicuntur non esse in corpore, tanquam in continente; sed tanquam ea, quæ corpus ipsum continent, id est conseruant dum illud perficiunt. Cum ergo A. Doctor negat, Angelos plures esse in loco, negat esse in loco materiali, quia absurdè negaret esse in eodem loco, quia non sunt in eodem loco

A formali; nempe in eadem applicatione seu operatione, cum nihil sit in sua operatione, cum potius actus sit in sua causa tanquam in continente. Quo pacto A.Doctor suprà quæst. 4. ar. 2. ex S.Dionysio c. 5. de diu. nom. dixit omnia contineri in Deo, tanquam in omnium causa. Quod etiam dixit Aristoteles lib. 4. iam citato context. illo 23. *Amplius* inquit, *vt in Rege Græcorum res, & omnino in primo mouente.* nempe Deo qui simpliciter omnia mouet ac regit infinitis partibus melius, quam Rex suas ciuitates ac populos. Aristoteles.

Alterum est, eosdem nec rectè dixisse; posse Angelos plures esse in eodem loco materiali B per diuersas operationes. Nam A.Doctor in hoc art. negat, Angelos posse esse plures in eodem loco, propterea quod sunt in loco per modum continentis perfecti; hoc est operantis, alterius adiumentum non admittentis. Alioquin ex eo principio non deriuasset; *non posse nisi vnum Angelum esse in vno loco*, quod præstitit in fine corp. huius art. Quoniam in promptu fuisset responsio nimirum: esto sint per modum operantis perfecti respectu vnius operationis, non tamẽ simpliciter respectu operationis. Quam ob rem negari facili negotio posset ea consecutio argumenti; Angelus perfectè operatur in vno loco, ergo vnus tantum potest esse in eo. Dici enim posset: Esto perfectè vnica actione Angelus C vniatur loco, cum tamen eidem alter vniri possit alia actione, non rectè inferri vnum ibi tantùm Angelum esse posse. Constat plures Angelos ne per diuersas quidem operationes in eodem loco esse posse. A.Doctor.

Immò nulla esset doctrina huius articuli. Aut enim A. Doctor contendit conficere, Angelum non posse esse cum alio Angelo in eodem loco substantialiter, & entitatiuè: aut non posse esse ibi per operationem eandem. Si hoc secundum dicatur: Iam primùm ego quæro, cur aut non posuerit hanc quæstionem in titulo, aut eius decisionem non intulerit vnquam in corpore? Cum præsertim aliam longè diuersam D & posuerit, & tractauerit: nempe absolutè non posse plures Angelos esse in vno loco; quemadmodum longè diuersæ essent hæ duæ difficultates; nimirum *vtrum possit generari verum aurum, & vtrum possit generari per artem Alchimicam.* Deinde cur in superiore art. A. Doctor cum quæsiuit; possintne Angeli esse in pluribus locis, non intenderit negare posse esse per vnam, aut plures operationes, sed absolutè? Quod si dicant, id esse quia absolutè quærebat de Angelorum loco: Pari ratione dicemus & nos hic cum negat posse esse in vno loco plures, intelligi debere absolutè, & non per vnam operationem, quia absolutè quærit; Vtrùm plures An-E geli possint esse in eodem loco. Accedit quod Angelus A. Doctoris sententia non est in loco, nisi per applicationem virtutis ad operandum transeunti operatione, vt suprà diximus; Ergo per solum motum localem, quem solum naturalibus viribus immediatè exercere in corpus possunt, vt infrà constabit suo loco. Si verò dicatur primum, iam sequitur per nullam quantumcunque diuersi generis operationem in eodem loco esse posse plures Angelos, quia substantialiter non possunt esse simul; sicut quia corpora substantialiter, & secundum entitatem suam non possunt esse simul, per nullam opera-

tionem; nempe naturalem, esse possunt simul in eodem loco.

Tertium est, nec Caietanũ nec Ferrariensem ad mentẽ A. Doct. sensisse. Illum quidem, cũ dixit posse requiri plurium Angelorum virtutes motrices ad alicuius molis machinamentum; Hunc verò, cum docet, plures Angelos non posse esse in eodem loco totali, & adæquato, posse autem plures esse in loco non adæquato. Probatur autem primò in Caietanum: nam Angelicus Doctor contendit in hoc articulo, non posse duos Angelos esse partiarios motores quemadmodum homines esse possunt, atque ita in hac re quod concedit homini, negat ipsis Angelis, vt antè dicebamus. Ergo non sunt dicendi plures Angeli requiri ad vnum effectum: quia hoc ipso essent causæ partiariæ, vt fusiùs infrà dicam.

Caietanus.

Ferrariensis. Secundò in Ferrariensem non minus validè ostendamus, ipsum non esse assecutum quid senserit Angelicus Doctor: Quia A. Doctor negat, plures Angelos esse in eodem loco definitiuo, vt probaui; Ergo eius opinione non possunt esse plures Angeli in eodem loco, siue adæquato, siue partiali. Nam essent in eodem loco definitiuo plures: cum ita essent ibi vt non essent alibi. Qua ratione suprà diximus, cum negat A. Doctor Angelum posse esse in pluribus locis simul, quia loquitur de locis vbi sint definitiuè; negat posse esse in pluribus locis siue adæquatis siue non. His positis; Ad solutionem

Notandum est, in eo conuenire omnes secundæ sententiæ auctores, quod A. Doctor, cum asserit, non posse plures Angelos esse in eodem loco, intelligat, non de potentia absoluta. Quod expressiùs notauit Caietanus, vbi suprà; & Capreolus ad argumenta contra tertiam conclus. In quo A. Doctor non differt à cæteris auctoribus tertij modi, vt ibi dixi. Probo autem A. Doctorem ita intelligi oportere ex eius contextu tum hic, tum ex libro primo sententiarum. Ac primum quidem id colligo ex libro 1. sent. d. 37. quæst. 3. art. 3. vbi docet, vt antè retuli, non posse duos Angelos esse in vno loco, quia cum Angeli sint perfectæ virtutis, *alter superflueret, vnde philosophi non attribuunt vni orbi, nisi vnum motorem.* Loquitur ergo de potentia naturali, & secundum ordinem naturæ: non enim id negat ob rerum repugnantiam, sed quia frustrà alter esset. Qua ratione non vsus esset A. Doctor, si impossibilitatem simpliciter voluisset ostendere. Ad hanc enim probandam, repugnantia ipsarum rerum afferenda fuisset, non inutilitas. Constat namque multa de facto rectè negari esse, eo quod essent frustra, quæ absolutè fieri à Deo possunt in natura: frustrà enim assignaremus binas in homine quantitates, binas linguas, quatuor oculos; in Mundo centenos Soles, qui tamen omnium consensione à Deo fieri possunt. Quod quidem magis perspicuum est ex iis, quæ ibidem statim addit A. Doctor. Id etenim confirmat auctoritate philosophorum, qui vnum tantùm Angelum posuerunt vnius cœli motorem; quorum philosophorum est naturas inuestigare non Dei omnipotentiam in affirmandis iis, quæ naturaliter fiunt; vnde vt animaduerti in explanatione articuli, idẽ est ibi apud A. Doctorem esse impossibile, & superuacaneum.

Caietanus. Capreolus.

Deinde idem probo ex hoc art. 3. & eodem libro 1. sent. Vtrobique enim, ex eo quod impossibile sit, esse duas causas immediatas, & perfectas in vno genere causæ, ad eundem effectum; ostendit, nec duos Angelos esse posse in eodem loco, in quo deberent esse ad eundem effectum. Certum autem est, duas causas perfectas Dei omnipotentis voluntate posse esse simul ad eundem effectum; vt si penetratione corporum darentur duo Soles ad vnam tantùm eandémque lucem, quæ ab altero tantùm fieri posset, si Deus suum concursum attemperaret ad illum effectum. Quis enim neget, id fieri absolutè posse? Nam etiam de facto videmus produci in eodem aëre vnum lumen à pluribus corporibus luminosis, quod totum ab vno produci posset, si lucidius esset, duorúmque viribus polleret. Verum autem est, si de potentia naturali intelligatur, vt fusius infrà dicam. Atque hinc est, vt hoc principium; quod scilicet, *vna tantùm causa perfecta ad vnum effectum concurrat*, A. Doctor non probet, nisi inductione in singulis causarum generibus, non autem absolutè ex principiis rerum essentialibus: hæc enim indicant connaturalem rerum modum, non absolutam necessitatem; vt si ostenderemus, non posse esse ignem frigidum, quia inductione constat, omnem ignem calore præditum esse. Tunc enim ex connaturali rerum statu rectè ostenderetur, omnem ignem esse calidum; non autem impossibile esse, aliquem ignem simpliciter esse posse frigidum.

Confirmare hoc totum possumus ex iis, quæ habet A. Doctor vtroque loco citato in argumento *Sed contra* quæ, si de absoluta potestate sermo esset, retorqueri possent in ipsum A. Doctorem, ac proinde ipse soluisset, vt huiusmodi argumenta ob hanc ipsam causam soluit sæpè in qq. Disput. vt patet ex quæstione 3. de Potent. a. 14. & 17. & q. 4. ibidem a. 1. & a. 2. q. 9. ibidem a. 9. & quæst. 10. ibidem a. 2. & alibi frequentissimè, vbicunque se talis insinuat occasio. Vt verò appareat retorqueri posse in auctorẽ argumenta, quæ diximus, ex vtroque loco ea afferam. Ac primum quidem in eo libro 1. vbi suprà, dupliciter sic arguit. A. Doctor.

Prius argumentum est ex corporibus desumptum. *Sicut enim se habet corpus* inquit *ad esse circumscriptiuè in loco, ita & Angeli ad esse definitiuè: sed duo corpora non circumscribuntur eodem loco: ergo nec Angeli definiuntur ad vnum locum.* Posterius argumentum est: Vnius corporis non sunt duæ animæ; Ergo pari ratione neque duo Angeli in eodem loco: quo etiam eodem argumento vsus est in hoc art. 3.

His ergo positis aio; Si A. Doctor loqueretur de absoluta impossibilitate, hæc argumenta vrgeri in ipsum posse. Primò quidem inuertendo Minorem prioris argumenti hoc pacto. Sed duo corpora possunt diuina virtute circumscribi eodem loco; ergo & duo Angeli eodem loco definiri. Nec negaret A. Doctor hanc Minorem: cum constet fide Catholica, quantitatem corporis Christi esse intra quantitatem specierum sacramentalium. Vnde propter hoc etiã argumentũ, concedit Gregorio Capreolus in 2. d. 2. q. 1. a. 3. ad vlt. contra 3. concl. A. Doctorem loqui ex virtute naturali, cum negat, plures Angelos esse posse in eodẽ loco. Sanè A. Doctor 3. p. q. 76. a. 4. ad 2. ait: *Quod duæ quantitates dimensiuæ naturaliter non possunt esse simul in eodem*, &c. ac proinde cõcedit, esse posse absolutè; præsertim si altera non retineat modum A. Doctor. A. Doctor.

modum sui situs ac dimensionis; quam in Angelo omnes recte negabimus. Similiter diceremus ad argumentum posterius; naturaliter quidem non posse vnum hominis animum informare plura corpora; sed tamen absolutè posse; quia nullam inuoluit repugnantiam; vt alibi dictum est.

His etiam omnibus addere possumus, quod antè ex A. Doctore notauimus; nempe; plures Angelos ab ipso negari posse esse in eodem loco, ne sequatur operationum confusio, vt patet ex illo 1. sent. vbi suprà ad 2. & ex illa q. 3. de Pot. a. 19. ad 1. Quæ quidem ratio ostendit, confusionem illam reparari non posse ex viribus naturę: nam si diuina potestate, vt antè monuimus in explanat. art. Angeli plures essent in eodem loco, huiusmodi absurda non sequerentur.

Constat ergo doctrinam hanc intelligendam esse de potentia non absoluta Dei, sed naturali.

Ex quibus vlteriùs manifestum est, decipi eos auctores, præsertim recentiores, qui hanc A. Doctoris rationem impugnant, ac si eam ipse omninò simpliciter de Dei potentia absoluta necessariam iudicaret; cum tamen id falsum sit, vt ostensum est. Certè hunc morem A. Doctoris in philosophando esse suprà diximus, vt doctrinæ veritatem è rerum, de quibus disceptat, naturis eruat, & causarum vires perpendat; non tamen vbique, quid concedendum sit præpotenti Dei virtuti examinet; vt longa inductione suprà declarauimus. Hoc enim relinquit indagandum ex principio in materia de Dei potentia, nempe quæstione vigesimaquinta suprà stabilito: Deum scilicet posse facere quodcunque habeat rationem entis.

Ostenditur auctoritate S. Damasceni validisque argumentis plures Angelos in eodem loco naturaliter esse non posse.

§. 3.

IAm ad difficultatem respondetur, & sit Vnica propositio. Plures Angeli in eodem loco naturaliter esse non possunt. Hæc propositio est A. Doctoris, & aliorum; vt vidimus.

Ricardus. Probat autem eam primò Ricardus, vbi suprà; quia *Quæcunque sunt in eodem loco simul, oportet quod vnum penetret aliud. Sed nullus spiritus virtute creata potest alium penetrare. Ergo virtute creata non possunt esse simul duo Angeli in eodem loco.* Sed hæc ratio inanis est. Nam penetratio repugnat corpori ob solam quantitatem; vt experimento notum est. Quamobrem cętera quæ vnius quantitatis sunt, simul penetrant sese; vt materia & forma, cæteræque vnius subiecti affectiones, vt libro 3. phys. probatum est: ergo Angeli cum nulla eis insit quantitas, plures esse possent in eodem loco absque vllo penetrationis absurdo. Sanè in arreptitiis in eodem corpore & animus & Angelus est. Immò cum Angelus est in loco, substantia Angeli est intimè præsens, ac simul cum corpore in quo est. Non enim illud contingit per superficiem, sed substantialiter est intra corporis partes. ergo per penetrationem;

A hoc est per intimam præsentiam, quam corpori intra partes Angelus exhibet, quæ quidem præsentia esset penetratio si inter corpora, aut corporum partes dari posset.

Secundò probant alij ex argumento *Sed contrà* hîc apud A. Doctorem quia duæ animæ non sūt in eodem corpore: ergo pari ratione neque duo Angeli sunt in eodem loco. Verùm, prætérquam quod huiusmodi ratio ab A. Doctore potissimum affertur ad alteram partem dubitandi, proindéque non est necesse, in ea semper insint momenta veritatis; facilè etiam aduersarij disparem rationem in eo assignarēt, quòd duæ animæ si non sint in eodem composito, est quia B vnum compositum vnica tantùm anima constituitur, cum impossibile sit vnum effectum formalem duabus formis totalibus componi. At locus non necessariò vnam tantùm substantiam continere debet. Vnde plerumque continet in sese, plures locatas substantias; sicut cum locus hominis continet animam, corpus, & Angelos infestos. Dixi, non esse necesse in huiusmodi rationibus contineri momenta veritatis. Scimus enim plerunque ea inesse. Sępè etiam ab ipso A. Doctore dissoluuntur, vt monuimus in Notando.

Tertiò probat Ægidius, vbi suprà: nam post- Ægidius. C quam conatus est rationem Angelici Doctoris infringere, suam sic format: *Quæcunque sunt in aliquo secundum eundem modum, illà simul in eodem esse non possunt.* Ex quo infert, cum Angeli eodem modo ad locum comparentur; *quia omnes in loco sunt*, inquit, *per virtutem & operationem*; non posse plures esse alicubi simul. Verùm hæc ratio euidenter impugnatur. Etenim quæri potest, quid sit eodem modo comparari? An eodem modo generatim, an speciatim? Si primum dicat; iam falsa est eius propositio: nam plura accidentia sunt in eodem subiecto per modum formæ; & plures substantiæ sunt in eodem lo- D co; vt materia, forma, & Angelus. Si secundum; sequitur, Angelos non comparari eodem modo ad locum. Quoniam cum differant specie ac proinde diuersas virtutes habeant; diuersas etiam in locum operationes habebunt; quæ Ægidio sunt loci rationes; vnde diuersis specie operationibus, ac virtutibus ad locum comparabuntur, proindéque esse poterunt plures in eodem loco. Præterea Angelus & anima sunt in eodem loco, cum arreptitij à dæmonibus obsidentur; in eodem etiam loco est corpus, quod assumit Angelus, & ipse Angelus; quæ tamen non eodem modo comparantur, cū sint diuersæ rationes in loco existendi. ergo falsum principium, & ad inferendam cōclusionem E illam non idoneum.

Meliùs ergo probatur primò nostra propositio ex S. Damasceno libro 1. de fide cap. 5. vbi S. Damasc. hoc inter cætera argumento, ostendit non esse plures Deos, quia Deus non debet circumscribi loco; si autem multi sint, vnusquisq; circumscriberetur loco. Nam *vbi vnus fuerit* inquit *alter non erit*. Supponit ergo Damascenus, huiusmodi entia spiritalia perfecta, quemadmodum & corpora, nō esse simul in eodem loco. Siquidē alioqui nihil ea ratione cōficeret Damascenus: quia eius consecutio nullo generali principio niteretur. Nisi enim supponat, & corpora, & Angelos singula esse in vno loco, potiùs contrà vidisset sequi; Deum nimirum, & alium, qui esset, fore in eodem

eodem loco, quemadmodum in eodem loco plures substantiæ Angelicæ sunt naturaliter: nec ignorasset Damascenus, his argumentis infirmam reddi eius rationem. Vnde si ita ad rem Damascenus argumentatus esset: Nulla substantia spiritalis perfecta debet circumscribi loco alterius substantiæ eodem modo perfectæ: sed Deus est huiusmodi substantia; ergo non debet circumscribi loco alterius Dei, ac proinde vbi est vnus, alter non esset; ideóque quilibet loco suo circumscriberetur, nec vbique esset: si inquam ita argumentatus esset, certe Maiorem non fundasset, nisi in iis, quæ in creaturis accidere sciebat: est enim illa propositio vniuersalis, quæ è naturis, particularium veritatem sibi védicat; nec aliunde vera esse cognosci ab hominibus potest.

Angelos in eodem loco naturaliter esse non posse probatur ex ordine Vniuersi vt ait S. Bonauentura. §. 4.

S. Bonauent. SEcundò probatur argumento S. Bonauenturæ: Si plures Angeli naturaliter essent in eodem loco, tolleretur naturaliter ordo naturalis vniuersi: At naturaliter non debet tolli naturalis ordo vniuersi: ergo nó possunt esse in eodem loco. Neutram propositionem confirmat S. Bonauentura; sed vtraque propositio egregiè probari hoc pacto potest. Maior quidem: quia ordo vniuersi postulat, vt quæ non faciunt vnum aliquod compositum, tanquam actus, & subiectũ, non sint in eodem loco naturaliter. Hoc patet inductione; nam nec duæ quantitates, nec duæ substantiæ completæ, nec duæ materiæ sunt in eodem loco: immò nec duæ formæ, si non faciãt vnum cum aliquo subiecto in aliquo toto; vt color & dulcedo in pomo. Vnde quia hoc pacto anima equi & anima hominis non faciunt vnum, nón sunt in eodem loco simul: sicut ob eandem causam, nec materia scamni cum materia formicæ, &c.

Nec dicas, hoc prouenire ex eo quod sunt in diuersa magnitudine, cui repugnat esse simul cũ alia: nam licet ob quãtitatem rectè dicatur, duas formas, duóque corpora non esse in eodem loco extenso, tamen dicere non possunt, ex quantitate prouenire repugnantiam, ne corpora sint, in eodem loco, simpliciter. Etenim separentur è duobus corporibus ipsorum quantitates, seu magnitudines, quæro; vtrum illa duo substantialia corpora sint in vnum locum indiuisibilem coitura; an in diuersa? Non dicent opinor in vnum. Primò enim contra est: quia cur potius alterum in locum alterius? Vt si à lapide separetur sua quantitas, & à leone sua: immò etiam à duobus lapidibus contiguis, & non inter se distantibus separetur vtriusque quantitas, cur vnius substantia in alterius locum confluere debet? Præterea sicut se habent quantitates illorum duorum corporum ad duo loca quanta, ita & ipsorum substantiæ ad loca indiuisibilia. sicut enim quantitati debetur locus extensus; ita & substantiæ locus inextensus, & indiuisibilis. Quæ enim maior est ratio vt quantitas occupare debeat locum extensum, quam vt substantia locum indiuisibilem. Sed quantitates illæ duorum corporum ita occupare debent locum extensum, vt singulæ habeant suum. ergo & illæ substantiæ duorum corporum ita debent occupare locum indiuisibilem, vt singulæ habeant suum. Dicent ergo, illa duo corpora singula suum locum habitura, & non coitura in vnum locum, seu punctum loci. Huius autem rei nulla potest alia ratio esse, nisi quia ex se, & ex sua natura postulant, vt separato in loco sint ob ordinem vniuersi, qui seruandus est, ne rerum confusio oriatur, cogamúrque dicere rebus non esse prouisum satis.

Certè hanc ipsam nostram sententiam non poterent probabili argumento aduersarij reprehendere; cum præsertim facilè ex modò dictis pateat, potiorem a nobis stare rationem; quia nimirum sicut vna quantitas, quoniam res quædam est, cui debetur tanta loci occupatio, non potest in eodem illo loco aliam quantitaté sua natura distinctã admittere, ita nec corpus, quia est ens quoddam, cui debetur aliquis locus saltem indiuisibilis, non potest esse simul cum alio sua natura distincto in eodem loco indiuisibili. vt ita talis ordo, ac dispositio vniuersi vt rerum, ita loci distinctionem deposcat; vt quæ res distinctæ sunt naturaliter seipsis, & nullam inter se habent coniunctionem in vnum compositũ, siue ex actu, & potentia, siue ex partibus integrantibus; non postulent esse simul loco. Vt scilicet; sicut res se habent ad ipsarum entitatem aut diuersitatem; ita & ad loci vel identitatem vel distinctionem. Nam sicut ex eo, quod res est, habet vt sit in loco, vt suprà diximus; ita ex eo quod diuersæ res, ac separatæ naturaliter sunt, habent vt sint in diuerso ac separato loco. Constat ergo si naturaliter plures Angeli essent in eodem loco, fore vt naturaliter tolleretur naturalis ordo vniuersi, quo scil. res diuersæ diuersis in locis collocari debent.

Vnde potissimum est, vt opinione sanctorũ, quos suprà retulimus, maximè decuerit à Deo creari tantam Angelorum multitudinem, quæ omnem cæterarum rerum creatarum numerum excederet; vt nimirum innumerabilium Angelorum copiis illud cœli empyrei amplissimum corporum non minùs compleretur, quàm terrarum orbis ac mare animantibus refertum est. Quod non esset verum, si ordo vniuersi non exigeret diuersitatem locorum, vt diuersa entia in locorum quoque diuersitate cõtinerentur. Nam dici posset, frustrà poni tantam multitudinem ad illud cœlum Angelis complendum; quia omnes vnico indiuisibili, seu loco naturaliter contineri possunt; atque ita reliquum spatium suis ciuibus vacuum permaneret.

Ex quo vlteriùs colligitur, quænam causa sit, vt duo indiuidua; v. gr. Angelus, & corpus; esse possint in eodem loco, si habeant talem naturã, vt sic inter se coniungi possint, vt vnum, aliud aliquo modo intrinsecè perficiat per suammetipsam substantiam. Id enim est, quia illa duo, quæ ita iungũtur, vt ex illis alterum sit substantialiter, veluti intimus eius actus; alterum verò potentia ad illum, possunt esse simul. At corpus respectu Angeli est potentia ad Angelum tanquam ad actum suum intimum, cum Angelus sit illius corporis intimus motor; nimirum quia non necessariò mouet illud corpus per contactum, & impulsionem extimę superficiei; quemadmo

admodum vnum corpus mouet aliud impellendo, vel trahendo, &c. sed intima præsentia per contactum virtutis intimum, in internas corporis partes, quas omnes simul proximè mouet: qua ratione Angelus tot cœli partibus, seu tanto cœli spatio insidens, illas omnes simul natura immediatè mouet: pérque illas totum cœlum circumuoluit; sicut etiam, & multò clariùs corpora, quæ assumit ex aëre, & liquidis elementis, ex æquo secundum omnes partes mouet, ac ducit vt suprà dicebamus.

Ex quo sequitur, vt, quia Angelus in Angelum non habet huiusmodi vim, vt eum substantialiter è loco moueat, non sit ratio, vt dicatur vnus respectu alterius esse actus, alter verò potentia; etiam in genere motoris, ac mobilis; atque ita nec ratio est, vt dicatur esse cum alio Angelo intimè, & substantialiter eodem in loco. Quo etiam modo S. Damascenus vt vidimus, negat, si essent plures Dij, fore in eodem loco; quia scilicet non se haberent, vt actus, & potentia, quia vt antè obseruauimus, substátiæ essent perfectæ, atque completæ. Quod verò vnus Angelus alterum non moueat substantialiter, suppono vt certum, cum vnus ab alio non moueatur, nisi táquam illuminatum ab illuminante, dum sibi mutuò aperiunt suas cogitationes, & tanquam ab illiciente & obiecto; quemadmodum Aristoteles libro 12. Metaphys. cont. 36. dixit: concupiscibile & intelligibile mouere, non motum, sed tanquam amatum.

Aristoteles.

Duos Angelos non posse esse vnius corporis motores, & cur. §. 5.

At dicet aliquis; Cur duo Angeli non possint cum corpore facere vnum in genere motoris, & mobilis; ita vt corpus illud moueatur à duobus tanquam ab vno motore; vt currus trahitur à duobus equis, tanquam ab vno? Sanè nulla assignari ratio potest. Si autem hoc posse fieri dicatur, sequitur apertè, posse duos Angelos esse intimè in eodem corpore tanquam in loco, quia vterque faciet vnum cum illo; quemadmodum dulce, & album faciunt vnum cum lacte: quod satis esse, antè diximus vt plura sint in eodem loco.

Respondeo dupliciter, & simul impugnatur huiusmodi responsio. Primò quidem, quia, vt dicemus mox ex ratione A. Doctoris, impossibile est, vt idem moueatur à duobus motoribus completæ ac perfectæ virtutis; quales esse dicemus vnumquemq; Angelum comparatè ad corpus, quod ab illis mouetur. Deinde quia impossibile est naturaliter duos motores, qui inter se non faciant vnum, applicari immediatè eidem mobili secundum vnam, candémque eius partem. Nam vt patet in corporibus, vbi immediatè applicatur vnus motor, non applicatur alter, nisi detur penetratio corporum. si enim sit impellendum duorum manibus aliquod saxum, vnius manus applicabitur immediatè vni eius parti; alterius alteri. Neque id solum prouenit, quia duo illa corpora, cum quanta sint, non possunt se vicissim penetrare; sed etiam quia, cum distincta sint, diuersum quoque debent postulare locum, vt modò in argumento ostensum est; quia scilicet ita rerum ordo, atque vniuersitatis

A dispositio deposcit. Vt ergo duo motores comparatè ad vnum mobile habeant rationẽ vnius respectu eiusdem partis, deberent prius facere vnum aliquid inter se eo modo, vt ante dicebã: quod cum facere nequeant duo Angeli, non poterunt iisdem corporis partibus, ac proinde neque eidem loco immediatè applicari.

Vnde illud de duobus equis ad currum trahendum fauet nobis: cum enim duo illi equi inter se non faciant vnum modo iam dicto, non applicantur immediatè eidem parti currus, sed diuersis; quamuis totus currus motus, ab vtroque fiat. Quod autem dicitur de dulcedine, atque albedine in lacte, parum refert ad rem nostram.
B Nam esto inter se vnita non sint nisi per accidens, hoc est in vno subiecto, cuius vtraq; forma est actus; Tamen non est par ratio de substantiis completis mouentibus, ac de illis accidentibus. Mouentes namque substantiæ quia distinctæ sunt, nec sunt actus vnius corporis, nullum inter se nexum habere possunt, ratione corporis, cui applicantur, quia, vt diximus, eidem parti applicari nequeunt; Ac proinde si vnũ locum occupare debeant, priùs vniri inter se, vnúmque facere debent: At illa accidentia cum sint actus eiusdem subiecti, sua natura illi vniũtur, ideóque eiusdem locum occupare queunt, etiamsi inter se nullo alio nexu, præterquã subiecti, copulentur. Constat ergo hoc S. Bonauenturæ argumento nostram propositionem validè
C firmari posse.

Rectè ait A. Doctor, impossibile esse naturaliter vnius effectus, plures esse causas proximas & completas in eodem genere & quomodo. §. 6.

Tertiò probatur propositio ratione A. Doctoris, qua vtitur in hoc art. vt suprà retulimus: quia nimirum impossibile est naturaliter vnius effectus ponere plures causas proximas, & completas in eodem genere. At si Angeli essent in eodem loco, ponerẽtur plures huiusmodi causæ. ergo duo Angeli esse non possunt in eodem loco. Maior patet inductione. Non enim vnquam naturaliter sunt vnius ignis plures materiæ & formæ completæ proximæ, aut plures causæ efficientes. Nam quod calor & siccitas ad ignis productionem cócurrant, id est, quia vnaquæque completa non est, sicut nec artifex solus, nec malleus solus; sed vtrũque simul. Quod si duo ignes comburant idem lignũ, id non est ponere plures causas immediatas vnius effectus. Non enim idem prorsus ab vtraque causa effectus est, cum generetur ignis ab illa duplici agente causa secundum varias partes; secũdum quarum vnam applicatur vni, secundum alteram alteri: ergo eiusdem effectus non ponuntur plures proximæ, atque completæ causæ. A. Doctor.
D
E

Quamobrem rectè etiam dixit A. Doctor non esse contra hanc rationem, si dicatur, plures posse trahere nauim; quia illi plures nó sunt perfecti motores ex sese, *cum virtus vniuscuiusque sit insufficiens ad mouendum.* Nam virtus, qua proximè, seu immediatè trahitur nauis, non est ipsa vis motrix, quæ est in anima, sed quæ est in ner- A. Doctor.

uis,& spiritibus, quæ ab anima ad trahendum applicantur. Ex quo fit, vt quamuis aliquis sit robustissimus in actu primo, si tamen neruos, ac spiritus ad mouendum sufficientes non adhibeat in actu secundo, nullus sit futurus actus, quo proxime trahatur ipsa nauis. Quocirca Aristoteles libr. 5. de Gener. Anim. cap. 7. dixit *neruis omnes vires contineri*, & ideò eorum vsu vim omnē exerceri. Si igitur remissè quis neruos adhibeat, vis eius non erit satis ad motum illum, atque ita socium admittet, vt ex vtroque vis proxima, & immediata perfecta sit. Si autem dicas, posse ab vnoquoque applicari vim suam perfectè ad motum; tunc dico, motum illum futurum velocissimum, ad quem nullo modo alterius hominis seorsim satis esset vis, quanta quanta illa sit; quod de Angelo dici non debet, vt paulò pòst explicabitur.

Aristoteles.

Præterquam quòd in corporibus immediatè non applicatur vtraque vis eidem parti ad eundem effectum immediatum, qui nimirum immediatè exerceatur ab illa vtraque virtute. Nam si trahatur nauis fune aliquo v.gr. aut alio simili, vis vnius immediata est ad vnam partem funis, alterius ad alteram trahendam, in qua priùs natura motus ille exercetur, per quem mediatè totus funis mouetur, & per quem etiam nauis ipsa trahitur. Itaque non est à duplici causa proxima & perfecta idem omninò effectus; Sicut non est immediatè à sole lumen, quod in aëris parte ab ipso sole remota, producitur: Nec vt suprà dicebamus, si Angelus est in parte cæli determinata, totus motus, qui in tanto cælo est, immediatè ab Angelo promanare dicendus est: alioqui Angelus toti cælo ac singulis eius partibus inesset. Constat ergo veram esse Maiorem, quæ etiam paulò pòst magis confirmabitur.

Minor verò probatur: Quia Angeli non sunt in loco (saltem infra cælum empyreum, & extra Infernum) nisi ad ibi operandum actione transeunte: tum quia ideò dicuntur esse ab A. Doctore per applicationem virtutis, vt suprà diximus: tum quia non potest assignari alius finis. Cum enim habeant species rerum sibi congenitas, vt infrà constabit, nec à corporibus immutentur, non se loco adiungunt, vel ad cognoscendum, vel ad se oblectandum; Ergo vt tantum in eo operentur; ideóque sunt in cælestibus orbibus, vt eos moueant, & prope homines, vt eos regant; vt boni: vel vt eos in malum impellāt, si mali sunt. Ergo si plures Angeli essent in eodē loco, ponerētur plures causę ad operādum ibi; & cū sint causæ proximæ, & perfectæ respectu suæ operationis, essēt plures causæ proximę & perfectę vnius effectus. Dixi, saltem infra cælum empyreū, &c. nam licet ibi sint, vt operentur, nempe vt Deum videant, tanquam in loco Beatorum; & contrà in Inferno vt luant pœnas tanquam in loco damnatorum; tamen fortè ibi non est necesse, vt sint ad operandum actione transeunte: quia fortè nulla actio transiens necessariò ibi debet esse vt suprà dicebamus.

At instet aliquis. Si in cœlo, atque in Inferno nulla est necessaria Angeli actio in ipsum corpus, duo sequuntur absurda contra ea quæ dicta sunt. Primum est frustra adhiberi ab A. Doctore hanc rationem de causis perfectis. Si enim in cœlo nulla est operatio in corpus seu locum esto non sint duæ causæ mouentes proximæ ad vnum effectum; tamen non sequitur hinc in cælo, vbi non debent esse causæ mouentes, plures Angelos alicubi esse non posse. Alterum est A. Doctorem generali ratione vsum hic non esse; cum tamen decuisset, ipsum ex vniuersalibus principiis scientiam hanc de Angelis tradere: Alioqui eam non scientiario, sed imperfecto modo docuisset.

Respondeo, & simul improbatur vtraque obiectio. Etenim primò ad primum dico, falsum esse simpliciter in cælo Angelos nullam habere operationem transeuntem. vt enim suprà diximus, verosimile valde videtur, aliquid ornamēti beatos Angelos in ipsum cælum imprimere: cum enim ibi sint veluti reges in suo regno, decet ea quasi domicilia tantorum principum dignitate exornari. Quod si dicatur, recurrit ratio A. Doctoris; duas nempe causas proximas in eundem effectum simul esse non posse. Neque enim in nostra hac ratione talem effectum negauimus absolutè, sed dubitantis more diximus, fortè non esse necessarium; quia etiam hoc sublato stat A. Doctoris argumentum, vt mox dicam.

Deinde dico: demus, nullum esse talem ab Angelo in cælo effectum; tamen vt suprà diximus ea loca nempe cœlum & locus damnatorum non sunt loca, quæ naturis Angelorum connaturaliter debeantur, sed meritis seu operibus ipsorum ex diuino arbitrio, & sapientia ita disposita. At verò A. Doctor locutus est de locis quæ Angelo naturaliter debentur; nempe in quæ Angelus ipse naturaliter operatur; in quam operationem, tanquam in naturalem finem, sibi determinat locum. Quare in cælo quis, & quomodo sit Angelorum locus, proportione ad naturalem locum, colligendum nobis reliquit A. Doctor; nimirum; vt sicut infra cælum, & extra Infernum Angeli non possunt esse plures in eodem loco, quia plures non possunt esse causæ proximæ eiusdem effectus, ex eo quod inter se non faciunt vnum ad operandum; ita nec in cælo nec in Inferno possint esse in eodem loco, quia plures non possint eodem loco elicere suam actionem, propterea quod non faciunt vnum ad illam eliciendam. Ex quibus patet ad secundam absurditatem. Dico enim, A. Doctorem generalem rationem de loco naturali Angelorum exposuisse; omisisse autem locum tum damnatorum, tum beatorum, quia de his statibus nondum quicquam disputauerat; & quia ex his colligenda erat eorum locorum natura, vt ita ex notis ad incognita procedatur. de qua re plura suo loco. Constat ergo, veram esse vtramque propositionem argumenti Angelici Doctoris.

Verùm huic argumento ex dictis aduersariorum in prima sententia, dupliciter responderi potest. Primò si dicant, non fore causas eiusdem effectus: quia possunt esse causæ diuersarum operationum: secundò non esse inconueniens, si causæ liberæ ex arbitrio, & quantum est ex se ad effectum sufficientes, nolint quantum possunt operari; sed ita se attemperent ad operationem, vt illa à duabus eliciatur; licet ab vnaquaque ex se exerceri posset; quod etiam videmus inter homines: licet enim duo sint validarum virium, quorum quilibet satis esset ad trahendam nauim; tamen si ex arbitrio non adhibeat quisque omnes neruos; sed se cum socio aptet, vterque simul potest eandem nauim attrahere.

Attamen neutra responsio nodum argumenti soluit. Non quidem prima: quia Angeli nihil primò & immediatè efficiunt in corpus, cui tanquam loco hærent, nisi motum localem; vt infrà constabit suo loco, & paulò post dicam ex A. Doctore, ergo vna tantum potest in illud corpus naturaliter esse operatio. Immò etiam nec motus localis esse potest quomodocunque ab Angelo, sed vnius tantummodo generis; vt si sit motus rectus in vnam partem, non potest esse motus, aut in orbem, aut versus alias partes: quod non rectè concesserunt aliqui ex prima sententia. Hoc autem probatur euidenter: quia assignetur in eo mobili punctum aliquod verbi gratia D. Iam si D. moueatur versus punctum B. in quo sit in instanti A. non potest D. in eodem instanti A. esse in alio puncto v. g. C. quia punctum D. in eodem instanti non potest esse in variis punctis. Ergo non mouetur versus aliam partem eodem tempore; quia in aliquo instanti assignabili, quod terminus esset illius temporis,& motus,esset in variis punctis; quod est impossibile.

Et hoc argumento alibi vsus in Philosophicis ostendi, falsum esse, quod imaginati aliquando sunt Mathematici quidam; orbes scilicet cælestes inferiores duobus motibus eodem tempore ad diuersa circumagi; nempe Orientem versus motu, vt aiunt, raptus à primo mobili; motúque proprio simul in Occidentem. Quod adeò falsum vel prima facie apparet, vt nisi in eorum imaginationem, qui sibi fingunt falsa pariter ac vera, cadere non possit; Qua verò ratione dicantur duo motus,ibi latiùs à nobis explicatum est, nempe quia est vnus talibus partibus compactus, vt æquiparabilis duobus sit. Quemadmodum motus qui est in rota, cuius conuersione currus vlteriùs procedit, videtur aliquid habere recti, dum currus rectà decurrit; & aliquid rotationis in orbem, quia aliquo modo rota mouetur circa axem tanquam circa centrum. Est ergo vnus motus localis ab Angelo & non duplex, vt contendebat prima responsio, quia non est ad varias partes, siue ad varia puncta. Quod si dicerent, esse duplicem motum ad idem prorsus punctum, iam multiplicarent & quidem frustra motum solo numero distinctum in eodem subiecto. Quod etiam naturaliter esse non potest, nisi velimus dicere, cum aliquid mouetur à duobus motoribus,de facto esse duplicem motum;quod abhorret à recta philosophandi ratione.

Nec secunda responsio melior est. Nam esto in causis corporeis pro arbitratu agentibus id detur, vt probat argumentum ex trahentibus; tamen falsum id omninò in Angelis est. Etenim homines attemperant cum alio suam vim, quia applicant causam proximam cum alia sociabilem ad effectum; nempe tantam vel tantam contentionem neruorum ac copiam spirituum animalium, quam antè dicebamus causam esse proximam, vt ita causa proxima vnius ex se non sit sufficiens; sed compleatur coniunctione alterius concausæ, quæ vtraque ad effectum satis est, non quælibet seorsim: vnde non sunt plures causæ proximæ completæ. At similis causa proxima non est in Angelis, qui imperio voluntatis corpora sibi subiecta mouent. Neque enim suas vires ita inter se attemperant, vt vnus effectus qui ab vno fie-

A ri potest, à pluribus promanet. Quamuis enim eiusdem voluntatis imperio possint Angeli ipsi idem corpus velocius & minus velociter mouere; tamen à voluntate alterius non proximè pendet ita ille motus, vt ab vtriusque voluntate, tanquam ab vna efficiente, & proxima causa ille sit. Quoniam Deus ac natura hasce cum alia causa se ad vnum effectum attemperandi vires, meritò Angelis denegarunt, licet eas hominibus ob ipsorum indigentiam concesserint.

Quod etiam sic ostendi potest: quia ille Angelicæ voluntatis actus, à quo effectus, & operatio proximè pendet, debet in se ipso esse ita efficax, & absolutus, vt non exigat actum alterius ad productionem effectus sui;

B quia non debuit Angelus auxilio alterius indigere ad mouendum, quemadmodum corpora indigent. ergo frustra natura; hoc est Deus; huiusmodi vires indidisset Angelo, cum eas ob solam indigentiam animalibus indiderit.

Nam quod in corporibus præsertim inter homines hoc fit; vt scilicet vnus adiumento alteri esse possit, ideò est; quia cum non reperiantur sæpè causæ effectrices totales alicuius actionis, aut si reperiantur, non subsint imperio eius, qui iis indiget; debuerunt hi defectus suppleri à Deo, & à natura per causas adminiculantes; vt ex. gr. quia non potest homo mouere se solo marmoream co-

C lumnam, nec eius arbitrio subsunt, quæ eam mouere possent; debuit à natura, quæ vt ait Aristoteles libro tertio de Anima contextu quadragesimoquinto, non deficit in necessariis subministrari adiumenta, quibus id præstare posset. vnde sunt sociales copiæ, quæ auxilio homini esse possunt, & plurima instrumenta, quæ prompta hominis necessitatibus sunt. Quæ etiam causa est, vt homini datæ sint manus, & reliqua instrumenta; sine quibus operari nequit. Cum enim homo, vt ait Aristoteles libro quarto de Part. Animal. capite decimo, prudentissimus animalium sit, opus habuit ad suas functiones multorum instrumentorum auxilio, quandoquidem eas

D exercere sine instrumentis nequit. Ideóque *hom ni* inquit ibidem *multa auxilia habere licet, eáque subinde mutare: qui enim prudentissimus est, rectè vti plurimis instrumentis potest.* Itaque causa, cur his adiumentis homini, reliquisque animantibus indita sint; eiusdem hominis, cæterorúmque egestas, ac penè dixerim mendicitas fuit.

Aristoteles.

At inter Angelos talium adiumentorum necessitas nulla fuit: quippe quibus à Deo optimè prouisum est, vt singuli ad sua munera obeunda sufficerent; & ad maiora præstanda, ad quæ inferiores Angeli non satis essent,prompti essent nobiliores, qui vel à Deo, vel à suis superioribus Angelis naturaliter mittun-

E tur. vt enim ait glossa in illud 1. Corinth. 15. *Quandiu durat Mundus Angeli Angelis, homines hominibus, & dæmones dæmonibus præsunt.* Quod etiam confirmat A. Doctor infrà quæst. 109. art. 2. vbi ad 3. ait: inter dæmones quoque *esse naturalem prælationem*, eò quod *non sunt æquales secundum naturam.*

Quod multò magis verum est in Angelis bonis, vbi magis ordinatim cuncta disponuntur. Adeò

A.Doctor. Adeò vt A.Doctoris sententia sit infrà q. 108.a. 3.in fine c. *Si perfectè cognosceremus officia Angelorũ, perfectè sciremus, quod quilibet Angelus habet suum proprium officium, & suum proprium ordinem in rebus, & multò magis, quàm quælibet stella, etiamsi nos lateat.* Præterquam quòd nec plures homines, nec plures causæ sunt ad eundem effectum immediatè, vt ante dicebam. Sed esto sint; dico, eius non esse causas ad illum effectum per se sufficientes; & idcirco auxilio aliarum ad huiusmodi effectum opus esse. Atque hinc est, quod obseruauit etiam A.Doctor in 1.d.37. q. 3. a. 3. vt philosophi vni orbi mouendo vnum tantùm non plures assignent motorem Angelum; quia scilic. vnus vni actioni satis sit, nec illi alius naturaliter adiungendus; quia, vt ibi docet, alius superflueret.

Angelo non inesse naturalem facultatem qua cum alio Angelo ad vnum effectum concurrat & quo modo. §. 7.

QVocirca oportet in Angelis asserere, non esse eam facultatem, vt cum aliis concurrant ad eum effectum, quem ipsi præstare per sese possint; quia causa, nempe auxiliorum indigentia, in ipsis cessare debet ob innumerabilem quæ in ipsis reperitur munerum diuersitatem. Atque hæc quidem ratio desumitur à negatione finis; (nempe; quod non sit necesse, auxilio alterius, subuenire aliorum necessitatibus;) proceditque ad negationem mediorum; nempe virium ad talem effectum.

Sed idem nunc ostendendum est ex ipsa Angelorum natura, quæ verè non habet vires ad huiusmodi cõcursum; vt scilicet cum alio vnum effectum producat, quem ex se producere potest, vt etiam hinc appareat, quàm altè in A. Doctoris argumentis infixæ sint radices veritatis. Probatur autem: quia virtus effectrix quę necessaria est, & ad vnum determinata, non est indifferens, vt nunc se sola producat suum effectum, nunc cum alterius virtutis concursu. Sed Angeli virtus effectrix est necessaria & ad vnum determinata: ergo non est indifferens, vt nunc se sola, nunc cum alterius virtutis concursu producat suum effectum: ac proinde non potest, si ex se potest vnum aliquem effectum, eundem producere cum alio Angelo, quia esset indifferens, vt illum eundem nunc se sola, nunc cũ alterius virtutis concursu produceret: quãdoquidem vtroq; modo æquè benè illum producere posset; vt ex.gr. si ignis posset se solo producere vnum caloris gradũ, illumq; eundẽ cum alio igne; indifferẽs esset; vt altero ex his modis determinatè illum calorẽ gigneret. Atq; hæc quidem certa sunt. Probanda igitur vtraque argumenti propositio est, vt quid virium habeat appareat.

Maior autem sic patet: Quia illa virtus, quæ necessaria est & determinata ad vnum, est etiam necessaria & determinata, vt eodem modo semper ad suum effectum cõcurrat; vt si virtus ignis est necessaria, & determinata ad gignendum calorem; semper & necessariò ad calorem eodem modo concurret, & sic de reliquis inducendo.

Aristoteles. *Necessarium enim*, inquit Aristoteles libr. 5. Metaphys. cont. 6. *quod non contingit aliter se habere.*

A Ergo eodem modo se debet habere in eo effectu producendo. Si autem semper, & necessariò effectum eodem producet modo; Ergo illa virtus non est indifferens; vt nunc se sola eũ effectum producat, nunc cum alterius virtutis concursu, quia non eodem modo ad ipsum concurreret. Certum enim est, alio modo causam se habiturã ad effectũ, si ipsum se sola, atque si cum alia causa, aut virtute produceret. vno namque modo totali influxu, alio autem partiario nõ totali opus efficeret. Quemadmodũ alio modo Deus in effectum influit, cum agit absque causarum secundarum concursu; alio autem cum illæ in eundẽ effectum cum Dei influxu concurrunt.

B Minor nunc probatur: Quia Angeli virtus effectrix, qua proximè effectum producit, est ipse voluntatis actus vt dicã infrà q. 54.a. vlt. Diff. 1. Aut certè (quia nunc nihil id refert) sit vis aliqua in Angelo exequens actus imperium. Vtraque autem est necessaria, & determinata ad vnum: neutra enim est libera; cum libertas sit, vbi est indifferentia ad vtrumque; nempe penes voluntatem in actu primo. Vnde tantum abest, vt sit in ipso actu, vt per actum voluntas determinetur ad vnum, nec ampliùs ad effectum sit indifferẽs, vt alibi ostẽdetur. Actus ergo ille imperij (idémque suo modo dico de potentia exequente) quo C Angelus vult mouere cœlum, & quem tanquam suam causam necessariam motus ille consequitur, si ponatur; totaliter in motum illum influit: ergo alter Angelus in illum nihil influere potest; quia totus, & totaliter ab vno esse debet, cum eius causa necessaria sit, & semper eodem modo in effectum influere debeat, vt ostensum est. Immò vt mox dicam, nullo pacto partialis causa esse potest.

Ex quo tria intelligi optimè possunt ad rem præsentem spectantia. Primũ est, rectè dictũ esse ab A.Doctore q. 3. de Pot. a. 16. ad 8. *licèt ab vna causa possint esse plures effectus, tamen non potest vnus* D *effectus à plurib. causis immediatè procedere.* Vnde etiã est, vt lib. 1. sent. d. 37. loco cit. dixerit, non posse vnum Angelũ adiungi operationi alterius, quia *alter superflueret.* Rectè autem hæc dicta existimo, propterea quod alter in eundem effectum alterius, nullam posset habere actionẽ: quia effectus ab vno totaliter pendere debet, vt ostensum est. A. Doctor.

Alterum est, non posse vnum Angelum ita attemperare causam effectus proximam ad opus, quod efficere vult, vt idem opus cum altero Angelo efficiat; quod contendebant Scotus & alij in prima sententia suprà. Ratio est: nam vel eliceret illum actum, qui est totalis causa eius effectus, vel alium. Non illum; quia cum illo, qui est necessaria & totalis causa illius, non potest alia E virtus concurrere, vt dictum est. Non aliũ: quia deberet esse is, qui ex sua natura cũ alterius actu esset causa proxima illius effectus adæquata, ac totalis. Si enim id nõ applicetur, quod ex sua natura sit effectus causa immediata, & totalis; nunquam effectus ille, qui à sua causa necessariò pẽdet, existet. At huiusmodi actus naturaliter dari non potest. Quod nunc multis probatur modis. Scotus.

Etenim primò nulla creata volũtas habet tãtam vim in effectus corporeos, vt eliciat actum, qui physicè cum actu alterius voluntatis creatæ ad effectum concurrat. Nam in nobis ipsis experimur, quorũ volũtas despoticè, & solo nutu imperat mẽbris exequentib. motũ, nunquã posse elici motũ in mẽbris, expectando physicum concursum

curſum alterius voluntatis; ſed ſolùm elici ad actum imperij, qui ex natura ſua eſt phyſica cauſa determinans membra, & ſpiritus ad talē motum. Nunquam enim ſpiritus ad motum brachiorum mouebuntur, niſi volūtas ſuo imperio phyſicè has ſpirituum potentias motrices determinet, &c. Ergo cum Angelus non habeat imperium magis deſpoticū, atq; efficax in motū corporum phyſicorum, quam voluntas in ſuas motrices potentias, non poterit elicere actum qui cum alterius actu ſit cauſa phyſica, immediata, & totalis, in talem motum. Deinde quia id omninò redūdaret, ac ſuperuacaneū eſſet in natura. Non enim aliam ob cauſam natura negauit hominis animo, in ſua membra, talem actum, qui ſit proxima, & partiaria cauſa cum actu alterius ad motum ſuarum facultatum; niſi quia ſatis iudicauit ad hos effectus imperium ipſum totale, & abſolutum. Vnde ſuperuacaneum duxit, tales concedere actus qui eius effectus partiaria cauſa eſſent.

Ariſtoteles. Ad quod comprobandum non abs re afferri poteſt illud Ariſtotelis effatū libello de Iuuēt. & Seneᶜt. cap. 11. vbi ait: naturam nō facere duo inſtrumenta ad vnum effectum, ſed vnum ad vnū, quia alterū eſſet fruſtra: *Natura* inquit *vnum ad vnum opportunum inſtrumētum facit: nihil enim fruſtra natura facit; duobus autem exiſtentibus alterum eſſet fruſtrà.* Ergo quia ad illum effectum veluti cauſa inſtrumentalis eſt actus ille abſolutus; fruſtrà diceretur, poſſe Angelus eundem effectum facere, per actum illum inadæquatum; cum ſatis iudicari poſſit actus ille abſolutus.

His etiam addo ad hoc ipſum aliam efficaciſſimam rationem. Angelus enim quando vult effectum illum in corporibus producere, neceſſe eſt, vt abſolutè velit, ſeu iubeat illum exiſtere, hoc vel ſimili imperio: *Moueatur corpus:* non autem hoc alio vel ſimili imperio: *Moueatur corpus mea, & alterius voluntate.* Ratio huius eſt; quia nulla creatura vim habet, vt alia corporea creatura phyſicè ſubiecta ſit alterius imperio, vt ſuum effectum promat. Aut enim illa creatura in eo effectu promendo ex ſua natura ſubiecta illi alteri eſt; Aut ex natura ſua ſubiecta non eſt. Si primum dicas; ergo non virtute illius imperij ſubiicitur, ſed ex natura ſua illi alteri, v.g. ſi cœlum Iouis ſua natura ſubiiciatur Gabrieli, ſequitur ipſum cœlum non ſubiici eidem Gabrieli ex imperio Raphaelis. ac proinde ille actus imperij impertinens eſt. Si affirmes ſecundum; Ergo non poteſt vnus Angelus illam ſuo imperio phyſicè ſubiicere alteri creaturæ: hoc enim eſt præpotentis non creatæ virtutis. Nunquam enim Angeli cœlum mouentis imperio fiet, vt cœlum ad ſuum, hominiſque nutum phyſicè moueatur; neque vt montes meo, ſuóque iuſſu transferantur. Idcircò cum hominis iuſſu tranſlati ſunt, miraculo id aſcriptum eſt; quæ miracula ſolì Deo non Angelis reſeruantur, vt oſtendit A. Doctor infrà quæſtion. 110. a. 4. & de Pot. quæſt. 6. a. 3. & 4. & quæſtione decimaſexta de Malo art. 9. & alibi.

Concludimus igitur; Angelum, cum vult moueri corpora ſuo imperio; abſolutum, atque ab alio independentem oportere ſuæ voluntatis actum elicere, atque ita non poſſe elicere actum, qui ſit cauſa inadæquata ſui effectus, vt ita ex imperio alterius completa cauſa ſit. Atque hæc de ſecundo.

A Tertium eſt; rectè dici ab A. Doctore; vnius effectus; nempe numero; non poſſe eſſe plures immediatas cauſas eiuſdem generis; ſi nimirum attendātur vires naturales vniuſcuiuſque agentis. Ratio ex dictis ſatis apertè patet. Nam vnaquæque cauſa proxima eſt totalis cauſa ſui effectus: Ergo alteram non admittet, vt oſtenſum eſt. Per cauſam autem intelligo eam, quæ ex ſe poteſt effectum totum producere; vt calor & ſiccitas in ſubiecto diſpoſito generāt ignem; grauitas motum deorſum; ſemen arborem, & cætera. Vnde etiam patet, cum vnus homo vult pondus trahere cum alio homine, quod per ſe trahere poſſet, non adhibere ſuum conatum, qui eſſet ſufficiens ad illam tractionem, ac proinde non eſſe plures cauſas immediatas eiuſdem generis ad eundem effectum, modo ante explicato. A. Doctor.

B

Solùm hic quæri poſſet; An vnus Angelus in eodem corpore poſſet imperare motum velocem vt quatuor; alter verò eiuſdem aliam velocitatem vt quatuor, vt vtraque conflaret motum velocem vt octo. Si hoc enim fieri poſſit; ergo poſſunt eſſe in eodem loco ad eundem effectum in eodem corpore; nempe ad vnum motum tantæ velocitatis; vt ſi vnus poſſet mouere cœlum ſpatio duarum horarum, acceſſione alterius moueretur ſpatio vnius horæ.

C Reſpondeo hoc argumentum in fronte, videri difficilius; quia aſſignare videtur pluribus cauſis diuerſos effectus. Tamen re ipſa eodem modo ex dictis ſoluitur, & impugnatur. Etenim velocitas illa non fit, niſi cū motu ipſo, ita vt non poſſit aſſignari motus tanquam effectus vnius cauſæ; & velocitas tanquam effectus alterius; ſed oportet, vt eiuſdē ſit effectus velocitas, cuius etiā eſt motus ipſe, & contrà. Quemadmodū cū calor citius producitur à pluribus partib. ignis, quàm à paucioribus, & velocius trahitur nauis à pluribus hominib. quā ab vno. Totus enim huiuſmodi pendet ab omnib. ſuis cauſis, & non pars ab vna & pars ab alia. Iā ergo deberet ille Angelus qui

D cœlum non poteſt mouere velocius quā vt quatuor, acceſſione alterius tanquam conſortis in agendo, poſſe motū velocem vt octo imperare; vt cum duo ignes velociùs manum calefaciunt. At hoc dici rectè non poteſt: quia, vt oſtenſum eſt, ille mot⁹ velox vt octo ſua natura ſubderetur imperio eius, qui accedit, vt ponit argumētū, nō autē Angeli prioris: Ergo ille Angelus nō poſſet facere, vt penderet ab imperio illius, vt dictū eſt.

Quod ſi dicas à neutrius voluntate ſeorſim ſumpti effectū pendere, ſed ab vtroque ſimul. Iā contrà eſt: quia, vt dicebamus, duo Angeli ſimul non poſſunt phyſicè ſua voluntate concurrere ad vnum effectum, quem per ſe neuter præſtare

E poſſit. Nam primò ſunt alij Angeli innumerabiles ac prompti, qui ſinguli poſſunt per ſe tales effectus producere; nempe qui ſunt præſtantioris naturæ: ergo non debemus aſſerere, plures ſimul poſſe efficere aliquem vnum numero effectum in eodē prorſus corpore, quem illi ſinguli non poſſent. Quemadmodū in corporibus, cum ſunt propriæ cauſæ aliquorum effectuum, non videmus eſſe alias quaſcunque, quæ ſimul poſſint eūdem effectum præſtare; vt v. gr. quia ignis, Sol, ſtellę &c. poſſunt aërem illuſtrare, non videmus, lapides ac terram ſimul habere eundem illum effectum illuſtrationis quem vna ex illis cauſis habet. & ſic de cæteris.

Cum

Cum præsertim connaturalius sit, ponere huiusmodi singulares causas per se sufficiétes, cum æquè bene fieri potest, quam plures simul. Vnde nullus aut Philosophorum aut Theologorū posuit in cœlo plures Angelos, qui simul possent cœlum mouere; sed vnū, cuius viribus ille motus ex æquo respondeat. Vt enim suprà diximus & docet A. Doctor q. 16. de Malo a. 10. c. ex Aristotele libro 2. cœli à cont. 61. *motor orbis Saturni non potest mouere cœlum stellatum, nec motor eius posset eum mouere, si haberet plures stellas.* Adeò Deus aptas causas ad suos effectus aptauit.

A. Doctor. Aristoteles.

Immò alioqui non esset inter Angelos ordo superioris, & inferioris; quia plures inferiores possent simul, quod ipsorum superior potest solus; quod infrà suo loco falsum esse, ostendemus ex Patribus, rationibus Theologicis, atque ex naturæ principiis; quia qui natura superior, & viribus superior omnibus suis inferioribus simul esse debet.

Deinde quia videmus nullum effectum immediatè pendere à pluriū voluntatum imperio, ne tanquam quidem à causis moralibus, nedum physicis: ergo nec physicè poterit pendere ab illis immediatè, quippe in quibus minus potest apprehendi vnitas, quam in causis moralibus. Adeò enim voluntates multorum nequeunt habere vnitatem vnius causæ physicæ atq; immediatę in rerum productione, atque administratione. Antecedens autem patet; quia inter homines nemo paret immediatè pluriū imperio. Necesse namque est ei ab aliquo vno immediatè proponatur, vel per promulgationem legis, vel testificatione principis voluntatis. ergo nūquam immediatè paret plurium imperio. Deniq; quia natura abhorret duorum imperio immediatè quicquam subiacere: Neq; enim vllus vnquam effectus apparet, qui immediatè duorum imperio subsit: sed quilibet imperij actus suū immediatum effectū habet à se solo imperáte dependentem. Vnusquisque enim homo imperans habet immediatè vel suum motum, vel applicationem, &c. ex quibus cum aliis causis effectus pendet. vnde nec Deus dedit duos Angelos custodes, nisi fortè subordinatos, & ad varios effectus &c. Melius enim natura iudicauit ad vnum, quā ad plures effectum redigere, si possit. Vt enim ait Aristoteles lib. 8. Physic. cont. 48 *Vnum magis, quā multa; & finita, quam infinita oportet existimare.* Vt iure magno laudum pręconio, à summis philosophis, ac Theologis illud Aristotelis pronūciatum celebretur lib. 12. Metaphys. cont. 55. & vlt. *Entia nolunt male gubernari. Non est bona pluralitas principatuum. vnus ergo princeps:* Quia nimirum ad vnius voluntatis physicam effectuū causam res omnis redigenda est. Constat ergo ad mouēdum Angelis opus non esse, vt sibi ab aliis adminicula subministrentur.

Aristoteles.

Ex quibus omnibus Colligitur, non solū non esse hanc A. Doctoris sententiam reprehendendam, vt recentiores nimis ad reprehensionem proni factitant; sed & tanquam verissimam stabiliendam, vt ordo rerum causarúmque in hac rerum molitione, & gubernatione seruetur.

***

Satisfit argumentis aduersantium, quorum solutione confirmatur doctrina iam tradita. §. 8.

EX his respondetur ad argumenta Partis negantis. Ad 1. bene respondet Capreolus a. 5. vbi suprà ad 1. in illo *dæmoniaco potuisse esse multos dæmones, secūdum diuersas eius corporis partes, in quas operabantur, vel in quibus eum vexabant. Nam Angelus indifferenter potest esse in loco paruo vel magno.* Bene autem arguit ex eo loco Vgo Victorinus, dæmones esse incorporeos; nō quidem quia sint in eodem loco; sed quia sint ferè in minimo, & simul cum corpore. Ex hoc enim eandem doctrinam consequi supra dictum à nobis est.

Capreolus. Vgo Vict.

Si queras, quam operationem habuerit legio dæmonum in vnum hominis illius corpus; Respōdeo vel territasse homines, qui tanta dæmonum multitudine audita magis contremiscerēt; & posteri fructuosiùs edocerentur. Vel vt magis diuina iustitia conspiceretur in multiplicandis improborum hominum carnificibus. Vel denique, vt eorum multitudo, & subtilitas nota hominibus esset, &c. Nam ex huiusmodi dæmonibus perspecta rei veritate; quod scil. tantillum loci tanta multitudo occuparet, hæc omnia documento erant homini, vt naturam horum dæmonum certius nosse posset. Itaque erant in loco ad operandum aliquid in variis corporis particulis in eum finem; vt scil. ex eo loco agnoscerent homines, quæ iam diximus.

At dices: ergo non erant in loco, vt localiter mouerent aliquid in ipso; quod suprà visi sumus dixisse. Respondeo negando sequelā: quia quilibet torquebat aliquantulū obsessum illum hominem, vel suas quisque partes simul, si nō impediebantur. Vel vt ibi præsto essent ad imperiū sui superioris Angeli; vt, si ille voluisset, singuli suas partes torquerent, ederéntque aliquid, vnde ibi esse agnoscerentur, & appareret etiā inde exiuisse; quæ est aliqua operatio externa. Finis ergo proximus essendi in loco est aliqua operatio localis; nimirum vnde cognoscatur Angelus ibi esse ad alium finem magis remotum; quam operationem (licet pro aliquo tépore interdum exercere prohibeantur à suo superiore) satis tamen est, si exerceant suo præstituto tempore. In actu tamen primo sunt per applicationem virtutis ad operandum, vt suprà probatum est.

Ad secundum concedo antecedens; nempe substantiam Angelicam posse quidem in eodem loco simul esse cum corpore; nego tamen, posse plures Angelos naturaliter esse simul, tum ob ordinem vniuersi seruandum, tum ne duæ causæ immediatæ & perfectæ sint ad eundem effectum, ac denique ne idem effectus à duorum voluntate immediatè pendeat, vt diximus. Itaque dico repugnare Angeli substantiam esse simul cum alio Angelo, non quidem vt repugnāt corpora, sed ob repugnantes fines; nempe ordinem vniuersi, & effectus, vt dictum est: qui fines non repugnant, vt sit Angelus cum corpore simul.

Ad primam confirmationem dico, non posse Angelum se transferre per locum alterius, dum ab eo occupatur. Neque enim est necesse, vt Angelus ibi residens secedat. Nam, vt infrà dicam, Angelus potest ex vno loco ad alium peruenire,

re, etiamsi per media spatia non pertranseat.

Ad aliam confirmationem dico, Angelum hominis custodẽ non semper esse in tota sua sphæra, quia non semper in ea operatur. Interdum enim est in phantasmate, quod mouet ad sanctam cogitationem; interdum ad auertendum aliquod periculum imminens; interdum è cœlo respicit. Esto igitur, non possit, interdum à dæmone tentari, tamen plerunque tentari potest; quod nihil absurdi continet.

Ad tertiam confirmationem dico, facere contra ipsos argumentũ: Nam multitudinem Angelorum apparuisse, est ita visam esse, vt solet hominum frequentia cerni; nempe quia vnusquisque suo loco, & ordine distinctis cernatur. Idémque dico, cùm Lazari anima in cœlum translata fuit, & similibus: nempe Angelos visos esse tanquam corporis portitores, quia scil. vnus partem dextram, alter sinistram sublimem sustulerit, &c. vt hæc serui Dei gloria apud homines non ignoraretur.

Scotus. Ad tertium Scoti respondeo, si omnes fuissent creati ante creaturam corporalem, fuissent collocati alicubi per talem modum; vt si adfuissent corpora, vnus ab illis distasset tanto interuallo, alter verò tanto vel tanto, & comparatè etiam ad diuersas partes; vt suprà de loco diximus. quare negandum est fuisse in eodem loco; hoc est fuisse eodem modo comparabiles ad corpus si fuisset: Vtrùm autem de facto fuerint creati ante creaturam corporalem, examinabitur infrà.

Scotus. Ad quartum Scoti & aliorum dico, absurdum esse, Angelos in idem corpus operari; nimirum in eandẽ omninò corporis partem, & eodẽ loco.

Ad primam probationem antecedentis, nego, posse prouenire illum effectum ab illis causis, nisi se penetrent. Nam alioqui illæ causæ non possunt applicari eidem patientis parti: ergo non habebunt eũdem effectum. si autem miraculo se penetrent, iam casus non est naturalis, ac proinde nec facit ad præsentem disputationem, qua de naturalibus corporum facultatibus disceptatur, vt dictum est. Præterquam quod si se penetrarent, illæ causæ habituræ essent effectum, quem singulæ non possent habere, quia singularum non essent vires ad illum in tanta, vel intensione, vel facilitate, vel celeritate, &c. de quibus suprà diximus.

Ad secundam probationem nego, illos Angelos, vnum quidem vna, alium alia operatione aliquid efficere in illud corpus & secundũ eandem partem, vt diximus in Notando: neq; enim creatura corporalis obedit Angelo, nisi quoad motum localem; vt docet A. Doctor infrà q. 110.

A a. 3. præsertim ad 2. vt ibidem fusiùs dicetur. Mirum ergo est, Caietanum concedere, solam Angelorum illustrationem in naturam corpoream. Nam id præstare non potest, nisi applicatione agentium ad patibilem materiam; vt ibi docet A. Doctor.

Ad obiectionem Scoti ibidem respõdeo, verum quidem esse posse, Angelum mouere, nunc magis, nunc minus, intra limites suæ potentiæ; quia liberè mouet; nego tamen, hinc sequi, posse vnum Angelum ab alio iuuari, quia actiones in corpus non possunt a pluribus Angelis manare naturaliter; vt probatum est in vltima ratione nostræ propositionis. Visi autem sunt plures dæmones in humano corpore, non vt illum torqueant magis vnica actione, & torsione; sed vt acriùs, nũc vna, nunc alia actione in diuersas partes & à diuersis; &, vt apprehẽsione tam multorum carnificum, magis etiam terreretur. Scotus.

B

Ad tertiam probationem antecedentis, patet ex dictis; non posse esse tales motus. si verò motus localis magis, ac magis incitetur, id erit ab vno Angelo, qui id possit, non à pluribus; vt dictum est in tertia, & quarta ratione nostræ propositionis.


Ad quintum argumentum dico, Angelum, & animum humanum esse simul in eodem corpore; animum quidem informando; Angelum verò corpus mouendo: nec est eadem ratio de duobus Angelis; quia deberent habere eandem actionẽ; quod fieri nequit vt diximus. quo eodem modo dico ad illud de materia & forma; eas scil. posse esse in eodem loco, quia faciunt vnum; non autem duos Angelos; vt dictum est.

C

Ad sextum Gregorij dico, Angelos non posse attemperare suum imperium cum imperio alterius, ad constituendum vnam totalem causam eius effectus: quia, vt ostensum est, idem effectus non potest immediatè pendere à duorũ imperio, nec physicè, nec in genere moris. Vnde dico; si quilibet moueret citra vltimum suæ potentiæ, & citra id, quod requireretur ad illum motum, non secuturum effectum; quia non potest à duorum imperio immediatè pendere, & multo minus à potentia executrice imperij; si datur, cum illa sit determinata ad exequendum, quod imperio voluntatis decretum est. Gregorius.


D

Ad vltimum respondeo, non facere aduersus præsentem doctrinam, quia nõ est sermo de potentia Dei absoluta, sed de facultatibus Angelorum connaturalibus vt dictum est. vnde concedimus totum, quod argumento confictur, idque etiam concedit Capreolus vbi suprà a. 3. ad argumenta Gregorij contra tertiam conclusionem. Atque hæc de tota hac quæstione.



QVÆSTIO QVINQVAGESIMA-TERTIA.

QVÆ EST QVARTA DE ANGELIS. De motu locali Angelorum.



Onsequenter considerandum est de motu locali Angelorum.

Et circa hoc quæruntur tria.

Primò, Vtrùm Angelus possit moueri localiter?

Secundò, Vtrùm moueatur de loco ad locum pertranseundo medium?


Tertiò, Vtrùm motus Angeli sit in tempore vel in instanti?

Connexio huius cum antecedentibus quæstionibus.

POstrema hæc de Angelorum substãtia quæstio est. Nam ad substantiæ Angelicæ explicationem Angelorum locum pertinere diximus in proœmio. Et quoniam de loco disputatũ est proximè de eorundem motu agendum erat, qui ad locum tanquam ad suum terminum est via. Aristoteles. *Neque enim* inquit Aristoteles libr. 4. Phys. cont. 32. *quæreretur locus nisi esset motus aliquis secundum* C *locum.* Idcircò hanc quæstionem A. Doctor hic instituit vt etiam diximus ibidem. In ea autem sic progreditur vt primum quærat an sit motus in Angelis; deinde quomodo an videlicet per medium, & an in instanti in sequentibus articulis. Sit ergo

ARTICVLVS PRIMVS, Vtrùm Angeli moueantur localiter.

1. d. 37. q. 4. a. 1. & opusc. 5. cap. 18. & Mat. 28 c. 3. * t. 32. & à t. 86. vsque ad 90.



D Primum sic proceditur. Videtur quòd Angelus non possit moueri lo- D *caliter. Vt enim probat Philosophus in 6. Phys.* * *nullum impartibile mouetur; quia*

A *dum aliquid est in termino à quo non mouetur, nec etiam dum est in termino ad quem, sed tunc mutatum est. Vnde relinquitur, quòd omne quod mouetur dum mouetur partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem. Sed Angelus est impartibilis. Ergo Angelus non potest moueri localiter.*

2. Præterea. Motus est actus imperfecti, vt dicitur in 3. Physic. † *Sed Angelus beatus non est imperfectus. Ergo Angelus beatus non mouetur localiter.* † libr. 3. t. 6. to. 2.

3. Præterea. Motus non est nisi propter in- B *digentiam. Sed sanctorum Angelorum nulla est indigentia. Ergo sancti Angeli localiter non mouentur.*

Sed contrà, Eiusdem rationis est Angelum beatum moueri & animam beatam moueri. Sed necesse est dicere animam beatam localiter moueri, cum sit articulus fidei, quòd Christus secundum animam descendit ad inferos. Ergo Angelus beatus mouetur localiter.

Respondeo dicendum, quòd Angelus beatus potest moueri localiter. Sed sicut esse in loco æquiuocè conuenit corpori & Angelo, ita etiam & moueri secundùm locum. Corpus enim est in loco inquantum continetur sub loco, & commensuratur loco. Vnde oportet quod etiam motus corporis secundùm locum commensuretur loco, & sit secundùm exigentiam eius. Et inde est quod secundùm continuitatem magnitudinis est continuitas motus; & secundùm prius & posterius in magnitudine, est prius & posterius in motu locali corporis vt dicitur in 4. Physic. * *Sed Angelus non est in loco vt commensuratus & contentus, sed magis vt continens. vnde motus Angeli in loco non oportet quod commensuretur loco, nec quod sit secundum exigentiam eius, vt habet continuitatem ex loco, sed est motus non continuus. Quia enim Angelus non est in loco nisi secundum contactum virtutis vt dictum est* *: *necesse est quòd motus* * 4. Phys. t. 99. to. 2. * q. præc. a. 1.

*motus Angeli in loco nihil aliud sit, quàm diuersi contactus diuersorum locorum successiuè & non simul: quia Angelus non potest simul esse in pluribus locis vt suprà dictum est †. huiusmodi autem contactus non est necessarium esse continuos. Potest autem in huiusmodi contactibus continuitas quædam inueniri: quia vt dictum est * nihil prohibet Angelo assignare locum diuisibilem per contactum suæ virtutis: sicut corpori assignatur locus diuisibilis per contactum suæ magnitudinis. Vnde sicut corpus successiuè & non simul dimittit locum, in quo prius erat. & sic motus eius erit continuus. & potest etiam totum locum simul dimittere, & toti alteri loco simul se applicare. & sic motus eius non erit continuus.*

† q. præced. art. 2.

* q. præced. art. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa ratio dupliciter deficit in proposito. Primò quidē quia demonstratio Aristotelis procedit de indiuisibili secundùm quantitatem, cui respondet de necessitate locus indiuisibilis: quod non potest dici de Angelo. Secundò, quia demonstratio Aristotelis procedit de motu continuo. Si enim motus non esset continuus posset dici, quòd aliquid mouetur dum est in termino à quo, & dum est in termino ad quem: quia ipsa successio diuersorum Vbi circa eandem rem motus diceretur. Vnde in quolibet illorum vbi esset illa res posset dici moueri. Sed continuitas motus hoc impedit, quia nullum continuum est in termino suo vt patet, quia linea non est in puncto. Et ideo oportet quòd illud quod mouetur non sit totaliter in altero terminorum, dum mouetur, sed partim in vno & partim in altero. Secundùm ergo quod motus Angeli non est continuus, demonstratio Aristotelis non procedit in proposito; sed secundùm quod motus Angeli ponitur continuus. Sic concedi potest; quod Angelus dum mouetur partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem: vt tamen partialitas non referatur ad substantiam Angeli, sed ad locum, quia in principio sui motus continui Angelus est in toto loco diuisibili à quo incipit moueri. Sed dum est in ipso moueri est in parte primi loci quem deserit, & in parte secundi loci quem occupat. Et hoc quidem quòd possit occupare partes duorum locorum, competit Angelo ex hoc, quòd potest occupare locum diuisibilem per applicationem suæ virtutis, sicut corpus per applicationem magnitudinis. vnde sequitur de corpore mobili secundùm locum, quòd sit diuisibile secundùm magnitudinem: de Angelo autem quòd virtus eius possit applicari alicui diuisibili.

Ad secundum dicendum, quòd motus existentis in potentia est actus imperfecti. Sed motus qui est secundum applicationem virtutis est existentis in actu: quia virtus rei est secundùm quod actu est.

Ad tertium dicendum, quòd motus existentis in potentia est propter indigentiam suam. Sed motus existentis in actu non est propter indigentiam suam; sed propter indigentiam alterius. & hoc modo Angelus propter indigentiam nostram, localiter mouetur secundùm illud Hebr. 1. Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.

Explanatio Articuli & Confirmatio.

RESpondet; Angelos moueri secundùm locum. Probat: quia potest Angelus; & successiuè amittere locum, in quo priùs erat; & potest amittere totum simul, & alium acquirere. ergo potest Angelus moueri localiter; nempe; & motu continuo, & motu non continuo; quia nimirum nihil est aliud moueri localiter, quam nunc vnum nunc alium habere locum. Vt verò hanc doctrinam clarius explicaret A. Doctor, docet non eodem modo conuenire moueri localiter Angelo, & corpori: sed *æquiuocè*, vt ipse loquitur. Sicut enim esse in loco conuenit æquiuocè corpori, & Angelo; ita moueri secundùm locum; vt clarè patet ex contextu ipso.

Aequiuocè idem hic esse ac diuerso modo: similésque probationes ex aliis A. Doctoris locis affirmatur. §. 1.

NOta tamen; cum hic dicitur; Angelum, & corpus mouere *æquiuocè*; non significat, nullam habere analogiam: quemadmodum nec id significauit, cum dixit super quæstione articulo primo, Angelum & corpus esse in loco *æquiuocè*: sed solùm id expressit, vt sensus esset, longè diuersa ratione motum vtrique conuenire; vt colligitur ex super. q. articulo primo illis verbis: *Sic igitur patet, quod diuersimodè esse in loco conuenit corpori, & Angelo, & Deo.* Quod ergo in articulo primo dixit *æquiuocè*, in eo articulo 2. dixit *diuersimodè*; nimirum *circumscriptiuè, & definitiuè*; vt ibi explicauit. Vnde non placet, quod ait hic Caietanus §. *circa prædicta*; nempe motum localem non conuenire propriè substantiis spiritualibus; de qua re infrà. Caietanus.

Eandem conclusionem non dissimili argumento probat Angelicus Doctor in prima d. trigesimaseptima quæstione 4. articulo 1. Sic enim in c.art.probat: In Angelo est successio variorum locorum, quia nunc se applicat vni loco per vnam operationem, nunc alteri per alteram; *Talis autem successio operationum*, inquit, *per quas in diuersis locis esse dicitur motus eius*; nempe secūdùm locum *vocatur*. Ex hac operationum successione infert, motum Angeli non esse continuum: quia hæ successiones cōtinuæ non sunt, A. Doctor.

sed consequenter se habentes circa diuersa loca. Obseruat etiam ibidem A. Doctor, sicut esse in loco æquiuocè dicitur de Angelo & corpore; ita & moueri secundum locum æquiuocè enunciari de ipsis: quia scilicet pari passu & locus & motus ad ipsum procedere debent.

Notari etiam oportet, optimam etiam huius conclusionis probationem haberi apud A. Doctorem eodem libro 1. sent. a. 1. in arg. *Sed contra*: quod videtur maximè à priori rem hanc explicare. Omne enim, quod est hic, & ibi, & non simul mouetur secundùm locum; sed Angelus est hic & ibi & non simul; quia simul non est in pluribus locis. Ergo Angelus mouetur secundùm locum. Maiorem non probat, sed supponit, tanquam definitionem motus. Minorem verò, nempe quod Angelus sit hic, & ibi, probat: Quia idem Gabriel Angelus in scripturis dicitur, annunciasse futurum filium Zachariæ in Templo, Lucæ 1. & Mariæ Incarnationem Verbi in Nazareth. *Lucæ 1.*

Explicatur locus Dionysij Areopagitæ de triplici Angelorum motu. §. 2.

S. Dionysius. PRæterea obseruandum est, quoniam S. Dionysius cap. 4. de diu. nomin. multa de motu Angelorum docet, quæ difficultatem in hac materia parere possent, ideò A. Doctorem in eo lib. 1. sent. vbi suprà, dedisse operam, vt Dionysij mentem diligēter exponeret. Ait ergo, à Dionysio ibi tres species motus in Angelica mente distingui; tria nempe genera illustrationum; quæ ita ab ipso edocentur, ac si species localis motus eas esse censuerit. Eas enim distinguit in motum circularem, rectum, & obliquum.

Circularem vocat, vt eum interpretatur A. Doctor, lumē Angeli intellectuale, quod descēdere ait à Deo, tanquam à sua origine, in intellectum Angeli; ex quo lumine rursus intellectus Angeli ad Deum ascēdit; hoc est erigitur in Dei contemplationem; idque æquabiliter, quia in eodem intellectu eandem simplicitatem retinet: quod non est, cum transfunditur in intellectus imperfectiores, vt mox dicā. Est ergo veluti circularis motus; quia æquabiliter est ab eodem in idem; nempe à Deo, & in Deum.

Motus autem rectus est, cum idem lumen, à Deo in intellectu Angeli receptum, ab eodem Angelo transfunditur in intellectum sui inferioris: & quoniam intelligitur, quasi per lineam rectam ab Angelo in Angelum transfundi, dicitur motus rectus.

Denique motus obliquus est eiusdem luminis promanatio à Deo, quatenus veluti ab intellectu superioris Angeli reflectitur in intellectū inferioris. Non enim emanatio illa luminis à Deo in Angelum superiorem æquabiliter consideratur, atque eiusdem luminis emanatio ab intellectu Angeli superioris in inferiorem. Illa enim illustratio, quæ simpliciter, & veluti vnus radius, recipitur in intellectu superioris, si refundatur in inferiorem, pluribus speciebus, & veluti radiis refundenda est, vt ita quasi è speculo Angeli superioris repercussum, simplex lumen in plures radios refrangatur. Constat enim vt docet A. Doctor infrà quæstione centesima vndecima art. 1. ab Angelo superiori in inferiorem manare illustrationem; *secundum quod superior Angelus*, inquit, *veritatem vniuersalem conceptam diuidit secundum capacitatem inferioris Angeli*; nempe per plures species, vt idem explicat quæstione 106. articulo primo & tertio. Hos ergo tres motus veluti locales explicare voluit ibi A. Doctor, ne decepti vocabulo motus recti, circularis, & obliqui, arbitraremur, hos motus, tanquam veri localis motus species, propriè esse in Angelis; cum solùm sint secundum Metaphoram, & similitudinem.

Verùm ad examinandam huius articuli, tum conclusionem, tum rationem accedamus; ad cuius etiam explicationem facient non parum, quę attulimus ex loco illo sentent. Ad hæc ergo examinanda sit

QVÆSITVM VNICVM,

Vtrùm & quomodo Angeli localiter moueantur.

COmprehendemus hoc Quæsito priorem partem articuli; nempe de motu Angelico, & eius continuitate; nam de motu non continuo dicam sequen. art. vbi etiam examinandum erit, quid intelligat A. Doctor per motum non continuum. In cuius explicatione rei valdè nobis desudandum erit, cum valde difficilis contextus literæ commentatoribus visus sit. Curabimus tamen, Deo fauente, quantum in nobis erit, latentem veritatem in apertum, lucémque proferre. Sit ergo

PRIMA DIFFICVLTAS,

Quo pacto certum sit Angelum moueri localiter Scripturæ sacræ auctoritate, Patrum testimoniis, Theologorúmque sententiâ.

INter Theologos Scholasticos, qui apertè negarunt motum verè localem in Angelis; nec ipsos Angelos putarunt verè in loco esse. Inter hos sunt Durandus, & Heruæus, vt retuli super. q. Quæsito 1. Difficult. 1. idque satis quidem aptè, si ex his alterum verum esset. Nam vt dixi modò huius quæstionis initio ex Aristotele, nihil de loco quærendum esset, si motus localis nō sit. Vnde & subdit Aristoteles in eodem libro 4. Physic. cont. 32. *Propter hoc enim*, id est propter ipsum motum localem *& cælum maximè in loco putamus esse, quia semper est in motu.* Itaque si negetur motus localis, non est inquirendum de loco; & contrà: si negetur locus, nec localis motus dignosci poterit. quia non esset localis motus, si ad locum non tenderet. Durandus. Heruæus.

Duradus ergo in 1. d. 37. 2. p. d. q. 2. n. 3. licèt dicat; se *recitatiuè loqui, non assertiuè*; tamen verè probat eam sententiam, quæ negat verum localem motum in Angelo. Vtitur autem Durandus hoc argumento: *Motus est ad non habitum, vel secundum totum, vel secundum aliquam partem; possibilem tamen haberi. Sed Angelus dicitur esse in omni loco, in quo potest esse.* vt dixerat ibidem quæstio. prima, & nos Durandus.

& nos retulimus loco citato; *& ita nullus eſt locus ab eo non habitus, qui ſit poſſibilis ab eo haberi: ergo non competit Angelo moueri localiter.* Vult tamen, competere Angelo eſſe in loco, ſecundum manifeſtationem; quia cum mouet corpus alicubi, ille motus tribuitur Angelo, qui in eo corpore eſſe cognoſcitur.

Heruæus. At verò Heruæus Tract. de Motu Angeli q. vn. a. 2. §. *Ad ſecundum principale;* licet aperte concedat, Angelos moueri localiter; tamen quia exiſtimat, eos eſſe in loco, tanquam cauſa effectrix eſt in ſuo effectu; non autem ſecundum propinquitatem ad corpus, vt dixi ſuperiori q. Quæſito 1. Difficult. 1. in prima ſententia; non aliter concedit, eos moueri localiter, niſi ſecundum quod nunc ſunt in vno corpore, nunc in alio, vt in ſuis effectibus; nimirum eos producendo: non autem quia ſubſtantialiter ſint, nunc vni loco præſentes, nunc alteri: quod propriè eſt moueri localiter, & eſſe in loco. Vnde ait, Angelo conuenire motum localem *per hoc, quod ſua virtus non extenditur ad omnem locum; nec etiam determinata ſit ad vnum tantum mouendum; vel ad vnum locum ſolum, quia ſucceſſiuè poſſit operari nunc in vno loco, nunc in alio.* Vult ergo extrinſecus aduenire illis denominationem motus, eò quod variis in corporibus operentur.

Henricus. Henricus etiam apertè hanc ſententiam ſecutus eſt quodlib. 4. q. 16. vt etiam illum fusè refert Carthuſianus in 2. d. 2. q. 4. §. *Amplius hac de re ſcribit Henricus.* Primò enim dicit, motum localem non deberi niſi exiſtenti in loco, eo modo, quo in loco eſt; Vnde quia dicit, Angelum *non habere per ſe eſſe in loco ſecundum ſuam ſubſtantiam, niſi forte in aſſumpto corpore;* negat Angelum propriè moueri ſecundum locum. Secundò dicit, Angelos dici poſſe moueri localiter, *innouando operationes, & influentias ſuas circa loca & corpora, & hoc; vel continuè; influendo ab extremo in extremum per medium in continuo tempore: vel alternando influentias modo in vno extremo, modò in altero, & non in medio; & tunc mouebuntur de extremo in extremum ſine medio* &c. Quibus vides; Angelum, Henrici ſententia, non eſſe in loco; aut moueri ad locum ſubſtantialiter; ſed extrinſecè; hic, aut ibi, aut per mediū, aut in extremis opus aliquod efficiendo in ipſis corporibus. Vnde, vt magis explicet hoc ſecundum dictum, ait; Angelum eſſe in loco per applicationem ſuæ virtutis; *non per emiſſionem virtutis eius, ſed via generationis, & emiſſionis virtutis eius extra ſe: quemadmodum ſol multiplicat lumen, & virtutes ſuas in medio toto, & ſecundum hoc, per virtutem ſuam, habet eſſe in toto medio.* Vnde propter hanc virtutis præſentiam ait, poſſe dici Angelum præſentem ſecundum ſubſtantiam: *quia dum operatur, præſens eſt ibi, & non alibi;* & hoc pacto intelligit Damaſcenum cum ait: Angelum ibi eſſe, vbi operatur. Tertiò dicit; Angelum, dum nihil in corpora operatur, non eſſe in vniuerſo, niſi vt partem illius; & falſum eſſe ipſum tūc propius occidentem, quam verſus Orientem eſſe: quæ ipſe explicare pergit. Itaque ſententia Henrici de Angelorum motu eſt in hoc, quod Angeli non ſecundum ſubſtantiam locum occupent; ſed ſolùm quia in loco ſint ipſorum effectus.

Verùm, vt obſeruat ibidem Carthuſianus, addidit Henricus, Angelos eſſe præſentes ſecundum ſubſtantiam, in ſecundo dicto; ne incideret in articulum Pariſienſem damnatum. Quāquam hoc ipſum eſſe ſecundùm ſubſtantiam ſuo modo

A Henricus explicauit. Immo quoniam cogebatur Henricus huic argumento reſpondere, nempe *quid eſſet dicendum, ſi Angelus ponatur eſſe abſque omni applicatione, & actione virtutis ſuæ circa quodcunq; corporale? Numquid dicendum eſt nuſquam eſſe* inquit Henricus, *& ita nullo modo moueri de loco ad locum?* Reſpondet ſic Henricus: *Hoc non dico; eſt enim contra articulum condemnatum,* &c. Qui articulus damnat ſententiam aſſerētem, Angelos ſine operatione non eſſe in loco, nec tranſire de loco ad locū. *Cui ſententiæ* inquit Henricus, *non cōtradico, quamuis intelligere hoc mihi ſit valdè difficile.* Concludendū igitur eſt, hanc ſentētiam Henrici cum ſuperiorib. conſentire; niſi quod Henricus videtur à Durando diſſidere, quia non dicit, Angelum eſſe vbiq;

B vt Durandus. Probat Henricus hanc ſuā opinionem, quia Angelus natura ſua eſt puncto ſimplicior; Ergo deberet eſſe in loco indiuiſibili, ideóq; cum medium tranſit, attingere omnia puncta, eaque infinita Ergo infinitum pertranſiretur.

Ab hac ſententia non abeſt Caietanus hic ar. 1. §. *Circa prædicta.* expreſſe enim habet: *motū localē propriè loquendo non conuenire ſubſtantiis ſpiritualibus:* ex quo, ait, eas moueri localiter, nō eſſe, eas ſubiectum eſſe motus; ſed virtualiter tangere, in genere cauſæ efficientis, diuerſa loca. Quod ait *expreſſè, & abſque dubitatione ſentire S. Thomam;* alióſq; Thomiſtas reprehēdit, quòd aliter illi tribuerint. Fundamentum ipſius eſt; quia A. Doct. ait, Ange- Caietanus.

C lum moueri æquiuocè, & eſſe æquiuocè in loco.

Angelos verè moueri localiter, communis Theologorum ſententia eſt, ac certa fide credendum, tum quòd Scripturæ id ſupponunt, tum quòd Patres id exprimunt omnes. §. 1.

CÆteri tamen omnes affirmant; Angelos verè moueri, nō quidem vt corpora; ſed verè; quia nunc ſubſtantialiter ſint in vno loco, nunc

D in alio. Ita expreſsè docet A. Doctor in hoc art. & infrà q. 112. a. 1. & deinceps, & in 1. d. 37. q. 4. a. 1. Alexāder 2. p. q. 33. m. 1. & 3. Vbi etiā vult; Angelū ſubſtantialiter moueri, non ſolùm in aſſumpto corpore, ſed etiam abſq; illo. Magiſter in 1. d. 37. vbi Ricardus a. 3. q. 1. S. Bonauentura 2. p. d. a. 2. q. 1. Ægidius etiam 2. p. q. 1. & alij. Idem docent Scotus in 2. d. 2. q. 9. §. *Ad quæſtionem dico:* Gabriel ibidem q. 3. Maior ibidem q. 8. Gregorius d. 6. q. 3. a. 2. Capreolus in 2. d. 6. q. 1. a. 1. concluſ. 1. Recentiores omnes in hunc art. vbi Molina, Vaſquez, Valentia, cæteríque omnes; qui etiā addunt, ſententiam Durandi aut cōtra fidem eſ-

E ſe, aut certè temerariam. Eſt etiam expreſſa ſententia Alberti p. p. ſum. tract. 18. q. 74. a. 1. Vbi rectè ſic ait: *Omninò concedendum eſt ſecundum ſacram Scripturam; quod Angelus, ſecundum ſe ipſum abſque corporis aſſumptione, mouetur, & tranſit de loco ad locū,* &c. & artic, 2. dicit; videri dicendum, ſecundum dicta Sanctorum, *quod Angelus de loco ad locum tranſit per medium,* &c. Similiter Carthuſianus q. illa 4. cit. reprehendit Henrici opinionem, eámque docet *eſſe periculosè conſentaneam dictis Peripateticorum, dicentium; Intelligentias eſſe loco, & operatione immobiles,* &c. Idem ſenſerunt alij complures. Ad ſolutionem ſit

A. Doctor. Alexander. Magiſter. Ricardus. S. Bonauent. Ægidius. Scotus. Gabriel. Maior. Gregorius. Capreolus. Molina. Vaſquez. Valentia. Albertus. Carthuſian.

Vnica propoſitio. Certa fide credendū eſt, An-

gelos verè, & propriè localiter moueri. Dico verè, ac propriè moueri, non quidem motu corporeo: ſed motu, quo verè, & ſubſtantialiter mutāt locum. Probatur propoſitio primò ex ſacris literis, quæ eam clare ſignificant. Mitto, quæ Albertus in eo art. 1. adducit ex veteri teſtamento; vt Iſaiæ 18. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam.* & Zach. 1. *Perābulauimus terram dixerunt Angeli ad Dominum.* Dan. 10. *Venit ad me citò volans vir Gabriel*; & alia huiuſmodi, quia fortè multi ea interpretātur in ſenſu allegorico. Melius probatur noſtra propoſitio ex iis, quæ ſubiiciam ex nouo teſtamento.

Iſa. 18. Zach. 1. Dan. 10.

Luc. 10. Nam primò Chriſtus Lucæ 10. dicit: *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Qui locus ferè omnium Patrum ſententia intelligitur, ad ſignificandum diaboli caſum è cœlo, vt dicam infrà q. 61. a. 4. Ergo diabolus in cœlo ſubſtantialiter non remāſit: ergo è cœlo abiit: ergo localiter ſecundū ſubſtantiā ſuam motus eſt. Deinde clariùs noſtra propoſitio patet ex verbis ſcripturæ. ſic enim Luc. 1. dicitur: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ:* & ſequitur; *& ingreſſus ad eam Angelus dixit*: & paulò poſt; *& diſceſſit ab ea Angelus.* ergo Angelus acceſſit ad locū, & receſſit ex loco, vbi erat Beatiſſima Virgo: ergo mouetur localiter. Quod enim aliqui recentiores dicunt, ex eo quod Angeli dicātur miſſi, nō probari Angelorum motum localē: propterea quod diuinæ quoque perſonæ dicuntur mitti, quæ nō mouentur localiter; non ſatisfacit argumento. Nam licet, diuinæ perſonæ cum dicuntur mitti, intelligi oporteat earum proceſſio, & nouus exiſtendi modus in eo, ad quod mittuntur, ſine vlla ipſarum mutatione locali; vt explicat A. Doctor ſuprà q. 43. a. 1. & deinceps: tamen, cum Angelus dicitur mitti in aliquem locū, verè ita mitti intelligendus eſt, vt verè mutetur, tranſeátq; eius ſubſtantia in locum vbi non erat prius: quia nō eſt ratio, cur ſcriptura diuina non proprio ſenſu accipi debeat cum aliter neceſſitas non cogit, iuxta S. Auguſtini vulgatam regulam libro 3. de Doctr. Chriſti c. 7. vt hac ratione aliquid certū, ac firmum in ſcriptura eſſe poſſit. Alioqui omnis ex ſcripturarum teſtimonio argumentatio peribit, ac fides: & cum dicitur Chriſtus reſurrexiſſe; cum mortuus, &c. vnuſquiſque pro arbitrio formabit ſenſus ſuos. eſt ergo motus localis in Angelo ex iſtis Scripturæ ſacræ locis. Id ipſū patet Act. 12. cum dicitur Angelus ad Petrū in carcere degentē miſſus, & Petrus è carcere eductus ſecutus Angelum eſſe; & aliis multis locis, quæ paſſim occurrūt: præſertim illud ex Matt. 8. vbi nonnulli dæmonum orarunt Chriſtum, vt ſi ab illo homine obſeſſo eiicerentur mitterentur in porcos. *Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum; & ait illis Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos. & ecce impetu abijt totus grex per praceps in mare & mortui ſunt in aquis.* Itaq; Chriſtus eos Dæmones longè ab eo loco quem ipſi infeſtum habebant pepulit. & propterea dicitur, *exierunt, abijt*, &c. Idem patet cum alibi dicitur, *exibant dæmonia.* Quæ ſine dubio motum localem demonſtrant cum ex vno loco in alios ipſorum ſubſtantiæ transferantur.

Luc. 1. Act. 12. Matth. 8.

Deinde probatur ex communi Patrum ſententia. Mitto ferè omnes illos quos longa ſerie q. 51. a. 1. quæſito 1. Diff. 1. citauimus dum nominis *Angeli* id eſt nuncij etymon explicauimus. Quibus certum eſt Angelos moueri localiter, ſi quidem id nuncij munus efflagitat. Mitto etiā quos ſuprà q. 52. a. 1. adduximus, vt oſtenderemus, eos eſſe in loco opinione ſanctorū, qui etiam concedunt de loco in locum moueri: mitto inſuper eos, qui illum locum ex Lucæ 10. interpretantur de caſu diaboli, vt diximus: mitto denique alios innumerabiles, qui huc ex variis ſacræ Scripturæ commentariis afferri poſſent. Solum è multis paucos, qui ad manus ſunt, ne in re manifeſta laboremus, ſeligere ſtatuo.

Id ergo aperte patet ex S. Dionyſio, qui cap. vlt. cœleſtis hierarchiæ dixit, Angelorum pedes alatos eſſe propter motus celeritatem. Sic etiam ibidem cap. 15. poſt medium docens, cur ventis comparentur Angeli, ait: id eſſe ob celeritatem motus, qua ſe conferūt momento ad omnia loca: *Ventorum nomen* inquit *in eis celerem declarat, & in omnia ferè puncto temporis penetrantem efficiētiam, motúmque ex ſuperis ad infera loca: ruſuſque ex inferis ad ſupera traiiciendi:* & poſt; eodem modo, cur aquilæ figura præditi dicantur, docet, per eam deſignari *regiam poteſtatem, ſupera petendi; celeriterque volandi vim*, &c. Quanquam hæc non tribuit omnibus Angelis Dionyſius, ſed inferioribus ordinibus Angelorum; tamen certum eſſe debet, hanc vim etiam iis multò maiorem ineſſe ob perfectiorem naturam, ac proprietates, inter quas hæc etiam motus celeritas reponi debet. Nobis ſatis nunc eſt ex Dionyſio oſtendere, Angelos ſaltem aliquos moueri localiter, quod præſtitimus ex hîc dictis. Præterea idem oſtendi poteſt ex iis, quæ docet de Angelis, qui mittuntur. vnde cap. 11. 12. & 13. ibidem docet, Angelos, qui ad nos mittuntur ad miniſteria; eſſe inferiorum ordinum, non ſuperiorum; qui è cœlo mitti non ſolent. Et ideò cap. 13. ſignificat hāc ſententiam inter fideles naſcentis Eccleſiæ fuiſſe communem. Quod etiam obſeruauit A. Doctor in 2. d. 10. q. 1. a. 2. c. illis verbis *hac poſitio vulgata erat tempore primitiuæ Eccleſiæ*: vbi etiam idem A. Doctor ait: hanc poſitionem eſſe veriſimillimam; quia *eam tradit, qui diſcipulus Pauli fuit, & dicitur eius viſiones ſcripſiſſe, vnde eum frequēter in authorem inducit.*

S. Dionyſ.

Origenes hom. 11. in Num. confirmat, Apoſtolos vſos eſſe adiutoribus Angelis ad explendum Dei munus: *Sic enim* inquit *dicebatur, quod Angelus Petri eſſet, qui pulſaret ad oſtium.* & libro 3. de principiis cap. 2. docet, Angelum fuiſſe, qui Tobiam comitabatur. Non ergo Origenes dubitat quin Angeli verè moueantur. Quod quidem faciliùs ij ſibi perſuadebunt, qui animaduertent Origenis ſententia Angelos corpora animare, déque corporibus, in corpora pro varietate meritorum tranſmigrare. De qua re nos ſuprà fusè meminimus.

Clemens Alex. libro 5. Strom. ait: *Platonem indicare, Angelos, Deum videntes, noſtri curationem habere:* & præterea *indicare viſitationem, quæ ad nos per Angelos venit.* Quare ſupponit, Angelos ad nos accedere, & à nobis recedere ad Deum, vt Plato voluit. Clem. Alex.

Clariùs S. Nazianzenus orat. 34. quæ eſt 2. de Theologia: *Angeli* inquit *diuinæ voluntatis adminiſtri ſunt roboréque non modò naturali, ſed etiam aduentitio pollent loca omnia peragrant, omnibus impigri adſunt, tum ob miniſterij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem.* Nazianzen.

S. Damaſcenus libro. 2. de fide cap. 3. *ad explendam Dei voluntatem fortes, ac prompti ſunt, eáque natura* S. Damaſc.

turæ celeritate præditi, vt vbi Dei nutus iusserit, illic statim inueniantur: & paulò suprà dixerat; *Nec cum à Deo in terram mittuntur, in cœlo remanent,* &c.

Tertullian. Ex Latinis Tertullianus in Apologetico cap. 22. apertè ait: *Omnis spiritus ales est; hoc Angeli, & dæmones. Igitur momento vbique sunt. Totus orbis illis vnus locus est: Quid vbique geratur, tam facilè sciunt, quam facilè enunciant. velocitas diuinitas creditur, quia substantia ignoratur.* Vbi vides, quod S. Dionys. dixit ad Angelorum celeritatem declarandam, ipsos nimirum in omnia ferè loca puncto temporis penetrare, à Tertulliano absolutè dici, momento vbique esse.

S.Cyprian. S.Cyprianus libro *quod Idola non sunt Dij. Spiritus* inquit *insinceri & vagi, qui postquam terrenis vitiis immersi sunt, & à vigore cœlesti, terreno contagio, recesserunt,* &c. Supponit ergo esse vagos, & à cœlo recessisse.

S.Ambros. Idem ferè Ambrosius ep. 84. Nam de Diabolo ait: *A cœlesti sublimitate deiectus est:* & in comment. ad cap. 8. Lucæ ait, Dæmones petiisse à Christo mitti in porcos, quia fugiunt splendorem lucis æternæ, & pœnas suas: & *iam ab hominibus recedentes, propter quod sciunt, pœnam sibi esse subeundam, petunt, in porcos mitti.* &c. Et apertissimè libro 1. de Spiritu sancto cap. 10. vbi inter spiritum creatum, increatúmque, discrimé esse, ait; quod creatus de loco in locum transit, quia non implet omnia: At contrà spiritus increatus. *Seraphim* inquit *de loco ad locum transit; non enim complet omnia,* &c. *At verò de Spiritu sancto, hoc non possumus æstimare.*

S.Hieron. Apoc. 14. S.etiam Hieronymus libro aduersus Vigilantium post epistolam 53. ex illo Apocalyp. 14. *Sequuntur agnum quocunque ierit:* planè docet, Angelos vbique præstò esse, ob naturæ suæ pernicitatem: *Cum diabolus;* inquit, *& dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint,* &c. Quibus verbis Hier. loqui videtur vt Tertullianus.

S.August. S. August. libro 8. de ciu. cap. 22. ait: *multos dæmones in hoc aere habitare, quia de cœli superioris sublimitate deiecti merito irregressibili, transgressionis, in hoc sibi congruo veluti carcere prædamnati sunt.*

S.Gregor. S.quoque Gregorius hom. 34. in Euang. inter medium, ac finem docet; Angelos mitti è cœlo, eos tamen assistere Deo semper, *quia etsi circumscriptus est ipse Angelicus spiritus, summus tamen spiritus, qui Deus est, circumscriptus non est.* Quasi dicat; etiamsi Angelus mittatur, tamen quocumque sit loco, Deo, qui immensus est, assidet, eiúsque faciem videt. Hæc autem ipsa eadem verba repeRiũtur apud Bedam super cap. 1. Lucæ in ea verba: *Ego sum Gabriel*; eáque citantur à Magistro in 1. d. 37. §. *Sũt ergo.* Idem etiam prorsus supponit S. Gregorius libro 2. Moral. cap. 3. Ait enim, eos, qui ad ministerium salutis mittuntur, pro hominũ salute, semper assistere, & videre faciem Patris posse. Non enim Angeli *sic foris exeunt, vt interna contemplationis gaudiis priuentur.* Denique S.Bernardus ser. 5. in Cant. apertè docet, Angelos moueri; quamuis videatur dubitare, vt suprà notaui, an sint corporei. Legenda sunt, quæ ex Ambrosio, Hieronymo, Athanasio, Lactantio & aliis dixi suprà q. 52. a. 1. Constat ergo ex Patribus, Angelos moueri.

Beda. Magister. S.Gregor. S.Bernard.

Ratione probatur propositio ex dictis; quam sic conficio à priori, eodémque recidit, quò illa, quam attulimus ex A. Doctore in explicatione articuli: quia illud, quod nunc est in vno loco, A nunc in alio, mouetur localiter. Sed Angeli nũc sunt in vno loco, nunc in alio. Ergo Angeli mouentur localiter. Maior probatur: quia idem est moueri localiter, & mutare locum, seu transire de loco in locum, & acquirere varia loca, derelictis iis, in quibus prius erant: sicut moueri secundum qualitates, est acquirere varias qualitates, seu mutare qualitates. Quod autem nunc est in vno, nunc in alio loco mutat locum, & transit de loco in locum, vt acquirat nouũ, &c. Ergo mouetur localiter. Minor patet ex dictis: quia Angeli ex Scripturis, & Patribus nunc sunt in vno loco, nũc in alio, cum è cœlo ad nos mittuntur, cum è cœlo ceciderunt, cum vagantur, &c. vt diximus. Et generatim optimè docet A. B Doctor infrà q. 112. a. 1. *Cum aliquid est fiendum per aliquem Angelum circa aliquam creaturam corpoream, de nouo applicatur Angelus illi corpori sua virtute, & sic Angelus de nouo incipit ibi esse,* &c. Ergo Angeli nunc sunt in vno loco, nunc in alio. Cõfirmatur ex iis, quæ A. Doctor docet in argum. A Doctor. *Sed contrà* in hoc art. Quia non minus debemus credere, ex sacris literis Angelos moueri, & mutare locum, quam animas humanas. Vtrobique enim docemur, & Angelos descendisse ad nos, cum dicitur: *Angelus Domini descendit de cœlo.* Matth. 28. & alibi, & de Christi anima in symbolo: *Descendit ad inferos.* At certa fide credendum est, animam Christi descendisse ad inferos, ac proinde motam esse localiter. ergo & certa fide C credẽdum est, Angelos è cœlo ruisse ad Inferos, & motos esse localiter. & sic de cæteris locis.

Quid de iis sentiendum qui Angelos vel hominis animum putant vel non moueri localiter vel interdum nullibi esse. §. 2.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, sententiam Durandi Catholico non Durandus. esse tolerandam: quandoquidem apertus in fidem error est, vt probauimus. Eius autem argu- D mentum expressè facit contra ipsum. Nam si motus est ad id, quod non habetur, possibile autem est haberi; ergo Angelus, qui multa loca nõ habet, cum non sit vbique; quod est proprium Dei ob suam immensitatem; eáque possint ab ipso haberi, cum non careat facultate ad ea acquirenda, vt melius etiam patebit deinceps, potest habere motum localem, seu moueri localiter. Itaque duplex cauendus error in hac Durãdi sententia. Primus quidem est, quia Angelo tribuit immensitatem; ac proinde ab eo aufert circumscriptionem. Alter est, quia Angelis ne- E gat motum, eósque facit immobiles. Quod vtrumque cum Scripturis, Patribúsque pugnare ostensum est.

Colligitur secundò aduersus eundem Duran- Durandus. dum in 1. d. 37. 2. p. q. 1. ad 6. & in 3. d. 22. q. 3. dum docet, animas separatas secundum se nullibi esse; & in inferno, aut purgatorio solum esse per deputationem. Errat autem; quia verè, & substantialiter anima Christi descendit ad Inferos: & verè, & substantialiter animæ damnatæ sunt in Inferno; & Beatorum sunt in cœlo; vt suis locis patebit meliùs.

Colligitur tertiò, non magis tutam esse Heruæi

Heruæus. uæi sententiam; dum negat, Angelos substantialiter esse præsentes nunc vni corpori, nunc alteri. Nam negat in illis verum motum localem, & solùm illis cõcedit varios effectus ob quos Angeli dicantur extrinsecus in loco esse vt ibi vidimus. Quod sane est erroneum, & contra Scripturas, & Patres, vt probauimus.

Henricus. Colligitur quartò contra Henricum, vbi suprà in prima sententia, primùm Theologice errasse, non solum dum negat, Angelos esse in loco, & propriè secundum substantiam moueri de loco ad locum; vt Durandus autumauit: verum etiam dum ait, si Angeli cessent ab operatione, non esse eos in mundo, nisi vt partem vniuersi. Contra quem faciunt argumenta, quæ in Durandum, & Heruæum adduximus; & præterea quia nec dæmonum locum, nec Angelorũ beatorum patriam agnoscit. si enim cessaret dæmones ab operatione transeunte, (quod illis liberum videtur) hoc ipso absoluerentur ab Inferno; atque ita ab igne corporeo absolui possent. Deinde patet ipsum à vera philosophandi ratione in hoc ipso aberrasse. Aut enim cum operantur in locum, ibi sunt Angeli substantialiter; aut substãtialiter ab eo absunt. Si sunt: ergo non solùm ibi sunt, secundum ipsorum operationes; sed etiam secundum substãtiam. Si absunt: quæro; cur ponat actionem absente agente, cum, vt suprà q.52.a.1. ostendimus, agẽs, & passum coniuncta esse oporteat? Nam alioqui assignet causam, cur quæ non sunt, verè non agant: Cur Patres dixerint ibi Angelos adesse, vbi operantur, & alia sexcenta huiusmodi.

Damascen. Henricus. Ridiculè autem Damascenum interpretatus est Henricus. Si enim ibi Angelum esse secũdum substantiam, est ibi esse præsentem virtutem, quia est eius effectus; ergo, vt asseramus, causam aliquam esse præsentem substantialiter, satis est, si eius aliquis effectus actu sit. Ergo si sit hîc statua, quæ sit effectus Polycleti; hic quoque Polycletus substantialiter præsens erit, etiamsi multis antè sæculis is obierit. atque ita alia similia absurda concedenda erunt. Sanè Damascenus non solùm vult effectum Angeli esse presentem, verùm etiam ipsum Angelum vltra effectum. Hæc enim duo distinguit; & de vtroque asserit esse in eodem loco, cum dixit, Angelum ibi esse, vbi operatur: quæ falsa essent, si operatio ibi esset, non autem Angelus. sicut falsum est: Ibi est Henricus, vbi est eius liber. Quæ incommoda vidisse Henricum, patet ex eius relatis verbis; quia cum premitur argumentis, hæret, aitque: *Hoc non dico*, &c. Vnde mihi videtur rectè obseruasse Carthusianus, his verbis non excusari

Carthusian. Henricum; quia non significant illum ab errore deflexisse. At quo argumento se in has angustias redigi passus est? Falsis quidem omnibus, & vt ait ibi Carthusianus *ex erronea imaginatione procedit*. Non enim Angelo competit necessariò locus indiuisibilis, vt ostendimus suprà; Ergo propter hoc non erat recedẽdum à pura Patrum, & Scripturarum loquendi ratione. Rursus non rectè supponit, in continuo esse puncta actu infinita. Sed esto sint. Non tamen maius absurdum Henricus ostẽdet esse in motu Angelico, quàm quod Physici rectè putãt se affirmare de sphæra, si contactu puncti moueretur per planum, & alia, de quibus deinceps.

Caietanus. Colligitur quintò, eodem modo refutandam esse sententiam Caietani, quia cum Angelus verè & substantialiter mutet locum, verè & propriè moueri dicendus est, vt ostendimus. Vnde quod ait, Angelum moueri, esse solùm virtualiter tãgere diuersa loca, in genere causæ efficientis, non discrepat ab Heruæi, Henricique sensu; atque ideò eodem modo dicimus vitandum. Neque dixit ad mentem A. Doctoris duplici de causa. Prima est: quia A. Doctor in c. art. apertè docet, Angeli *motum in loco, nihil aliud esse quam diuersos contactus diuersorum locorum successiuè, & non simul*; per diuersos autem contactus non intelligit solùm efficientiam Angeli in loco, sed veram applicationem virtutis effectricis, vt ibidem declarat; immò & substantialem præsentiam. Primò quia probat, esse hos diuersos contactus, ex eo quòd Angelus non potest esse simul in pluribus locis, vt ostenderat q. præced. art. 2. ergo de substantiali præsentia intelligit. Secundò, quia in fine corporis docet, posse motum Angeli non esse continuum, quia *potest se totum simul alteri loco applicare*, dimisso priore loco toto simul. Ergo se verè & substantialiter applicat & non solum operationem. Altera causa est: quia in argumento *Sed contra* A. Doctor ait; eiusdem rationis esse Angelum beatum moueri, & animam beatam moueri. vnde, cum necesse sit dicere, animam beatam localiter moueri; quia est articulus fidei; animam Christi descendisse ad Inferos; nempe verè, & substantialiter, & non solum per operationem. Addo etiam alias rationes, & auctoritates A. Doctoris, quas attulimus, tum in explanatione articuli, tum in probatione nostræ propositionis. Fundamentum autem Caietani non est firmum, vt diximus in explicatione Angelicæ rationis.

A. Doctor.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm motus localis sit ab Angelo immediatè & efficienter cùm mouetur. vbi etiam aliqua in hac re ex opinione Philosophorum ponuntur. & de motu animæ extra corpus nonnihil significatur.

A. Doctor. Capreolus. NOtandum est ex his, quæ ex A. Doctore referuntur à Capreolo in 2. d. 6. q. 1. a. 1. concl. 1. & 2. aliud esse, Angelum, siue aliud quodcunque moueri à se, aliud verò Angelum moueri à se, & per se. Nam, vt à se Angelus moueatur, satis est, si efficienter ab ipso fit eius motus: quia scilicet, à se moueri, sit in se habere principium eliciens ipsum motum. Quo pacto A. Doctor p. p. q. 18. a. 3. ad 1. concedit ex Platone, ex eo quod Deus intelligit se ipsum, mouere se ipsum: quia scilicet principium, intelligentiam diuinam eliciens, est in ipso Deo, non extra ipsum. At verò Angelum moueri à se & per se, est ita moueri à principio, quod est in ipso Angelo, vt non moueatur per accidens, seu ad motum alterius, vt explicat idem A. Doctor in 1. d. 37. q. 4. a. 1. ad 4. A. Doctor. vbi ait: *Si accipiatur motus Angeli in loco per modum corporalis motus, sic non mouetur in loco, nisi de per accidens, ad motum corporis assumpti*; nempe quem motum Angelus ipse efficit in assumpto corpore, in quo mouetur. Qua etiam ratione dixit Aristo

Aristoteles libro 1. de An. cont. 37. nautam moueri per accidens, cum mouet nauim, ad cuius motum nauta mouetur. Vnde etiam idem Aristoteles libro 7. Phys. cont. 10. ait: *Quod vehitur, non secundum se mouetur, sed secundum accidens.* Mouetur autem etiam à se, quia principium motus efficiens; à quo est motus, est in ipso nauta: quod Aristoteli sufficit, vt aliquid dicatur mouere seipsum seu moueri à seipso; vt patet ex eodem libro 7. Phys. cont. 1. Dixit tamen A. Doctor ibi, Angelum moueri per accidens ad modum corporalis motus; nempe progrediendo in corpore assumpto, bracchia porrigendo, &c. Nam alioqui motus, non corporalis, Angelo inest per se, non per accidens; vt deinceps confirmabitur. Mouetur ergo à se, quod habet in se principium motus.

Aristoteles.

Declaratur quid sit Angelum & quiduis aliud moueri à seipso, seu mouere seipsum. §. 1.

NOtandum secundò; dupliciter adhuc posse sumi moueri à se, seu mouere se ipsũ; quod habeat in se principium motus: Vel primò quia non requiratur extrinsecus aliquod mouens, vt ipsum, quod mouetur; nempe mobile; motum suum inchoet, atque eliciat. Vel secundò quia requiratur huiusmodi extrinsecus principium mouens, quo constituatur in tali dispositione, vt inchoare suum motum possit.

Et primo quidem modo apud Aristotelem primus motor mouet se ipsum; cætera verò non item. Quod patet. Nam quæ posteriore modo mouentur, simpliciter dicuntur apud Aristotelẽ ab alio moueri, non à se ipsis: propterea quòd requiritur extrinsecus principium mouens: qua ratione voluntatem docet moueri ab appetibili, & bono: lib. 3. de An. cont. 49. quia scilicet, licèt voluntas suum eliciat actum; quandoquidem est effectrix causa sui actus; tamen quia bonum, & appetibile extrinsecus requirit, vt voluntatem constituat in actu primo, & proximo ad suum actum prodendum, meritò dicitur ab ipso Aristotele moueri à bono, & appetibili. Eodémque modo libro 8. Phys. cont. 25. Aristoteles dixit: *ventum mouere lapidem deorsum, quem impulit* extra tectum vbi quiescebat. Nam si de principio eliciente sermo esset, doctrina non esset vera: quia pondus lapidis deorsum vergit; non vẽtus deorsum illum impulit. Vera autem est de principio, quod extrinsecus constituit mobile ad motum; nempe, quod ita lapidem extra locum, vbi quiescebat, constituit, vt ad motum suum nihil illi esset impedimento. Etenim si ventus tegulam impulerit extra tectum, tunc sublatum ei omne impedimentum est ne deorsum rueret. Idem patet cum libr. 8. Phys. contex. 33. docuit; grauia, & leuia moueri, vel à generante; (quod scilicet ea constituerit extra proprium locum, à quo per virtutem suam, motus effectricem, necessariò recedunt, si non sit impedimentum; vt si generetur aliquis habitus igneus in terra vel aëre; statim enim ille ignis ascendit.) Vel à remouente prohibens; quod nimirum remoueat impedimentum, quo detinebantur extra proprium locum; vt si quis rumpat filum, quo pila saxea in aëre detinetur.

Aristoteles.

A Ex his ergo patet, quæ constituuntur ab alio in tali conditione, vt inde motus sequatur, licèt à suo principio motum eliciente; moueri ab alio apud Aristotelem. Quod cum verum sit de omnibus, vno excepto primo motore, qui ab alio non constituitur ad suum motum, quia alioqui non esset primus, sed alius esset eo prior; solum primum motorem ait mouere seipsum; ita nimirum, vt non egeat extrinsecus mouente: cætera verò moueri ab alio, modo explicato. Pro qua re

Notandum tertiò, ex hoc oriri aliam differentiam inter illa duo mouentium genera. Etenim illa, quæ motum eliciunt, mouente extrinsecus adhibito, apud Aristotelem simpliciter moueri ab alio dicuntur, etiamsi principium eliciens sit B in ipso, quod mouetur. Illud verò, quod se ipsum mouet, nullo extrinsecus requisito priori, verè, & simpliciter dicitur se ipsum mouere. Et quidem, quod mobile, hoc secundo motus genere, se ipsum simpliciter moueat, nullam habet difficultatem: quandoquidem à nullo alio mouetur, si est primum motus principium: & in hoc sensu li. 8. Phys. cont. 29. dixit animalia mouere se ipsa. Quod verò attinet ad primum, probatur euidenter: quia lib. 8. Phys. cont. 33. hoc pacto generatim ait: omne quod mouetur, ab alio moueri. Ac de his quidem, quæ violenter mouentur, ait, esse C certum, quod ab alio moueantur; nempe ab eo, quod in mouendo vim infert; vt cum lapis proiicitur in sublime. Ea verò quæ naturaliter mouentur, etiam docet moueri ab alio, hoc pacto. Nam vel sunt animata, vel anima carent. Si animata, licèt dicat ea moueri à seipsis, quia habẽt in se principium sui motus; tamen ea quoque vult moueri ab alio: quia in ipsis est assignanda vna pars mouens, alia verò mota; siue illa sit cor, siue quiduis aliud. Præterquamquod vt diximus lib. 3. de An. cont. 49. ea etiam dicuntur moueri ab appetibili & bono quod mouet appetitum, cuius est cæteras partes mouere; ita scilicet vt assignari possint mouentes partes & motæ. Sin D autem anima carent vt grauia & leuia docet moueri vel à generante vel à remouente prohibens vt diximus. Verum ergo est quæcunque mouente extrinsecus adhibito mouentur, ea simpliciter moueri ab alio opinione Aristotelis.

Hinc est vt Aristoteles ab eo contextu trigesimotertio postquam confirmauit vsque ad contextu 83. ea omnia quæ diximus moueri ab alio, concludat ibi deueniendum esse ad primum motorem immobilem, à quo omnia moueantur, ipse autem à nullo. Quæ quidem Aristotelis doctrina adeò certa est apud ipsum vt ob hanc causam generalissimum axioma protulerit: *Mouens & motum debere esse distincta.* ita vt E quod continuum est sine vlla partium distinctione non possit à se ipso moueri. Quod ipse latè probat libro 8. Physic. à contextu 28. & à contextu 40. & libro 1. de Gener. context. 73. vbi aduersus Empedoclem negat idem secundum idem mouere se ipsum. idémque probat libro de animal. motu capite tertio & sexto & deinceps. Ex quo etiam intelligitur illud commune Peripateticorum effatum quod expressè patet ex Aristotele libro secundo de An. cont. quinquagesimonono, nempe *actiua sensiuum esse extra*, hoc est obiecta quæ ad sensuum actiones facultates operatrices excitant, esse extra sentientem; vt

Aristoteles.

visibile & odorabile sunt extra videntem odo- A
rantémque. Intelligitur autem verum esse huiusmodi effatum quia mouens & motum debét esse distincta.

Aristoteles. Ex quibus vlteriùs patet cur idem Aristoteles libro 5. Metaphys. cont. 17. & libro 9. à cont. 2. definiat actiuum principium, esse principium transmutandi aliud, vt aliud est. Passiuum verò esse principium transmutandi ab alio vt alio. Quia nimirum inter hęc duo talis debet esse distinctio vt sit aliud & aliud: Alioqui nec actiuũ principium esset nec passiuum. Cõstat ergo quæ extrinsecus requirunt principium mouens vt eliciant suum motum etiam efficienter ea simpliciter ab Aristotele dici moueri ab alio. Vt verò ex his ad propositam Difficultatem venia- B
mus;

Notandum est quartò, cum quærimus vtrùm Angelus moueat seipsum efficienter, non esse perinde accipiendum ac si quæreretur; Vtrùm Angelus ita moueat seipsum vt nullum requirat extrinsecus mouẽs. Nam certum esse debet, Angelum cum in sese motum elicit localem, id facere ex imperio voluntatis, cum ab alio ad motum cogi non possit, vt mox melius constabit. At ad imperium voluntatis nouum necessarium est mouens extrinsecus, quod alliciat voluntatem ad actum quem prius non habebat, nempe bonum & appetibile quod ei ab intellectu proponatur. Hoc enim vt iam diximus ex C
Aristoteles. Aristotele est mouens voluntatem. quod etiam repetit Aristoteles eodem libro 3. de An. cont. 54. vbi loquens de eo quod mouet appetitum ait; esse *appetibile quod mouet & non mouetur eo quod sit intellectum aut imaginatum.* Hoç autem appetibile proximum in re proposita erit ipsa operatio quam Angelus edere debet in loco. Vt enim supra ostensum est, Angelus nõ se mouet ad locum nisi vt in eo operetur, & ideò diximus esse in loco per applicationem virtutis operatricis.

Si ergo Angelus ad motum requirit mouens aliquod extrinsecus; non propriè Aristotelico more loquendi mouet seipsum sed ab alio mo- D
uetur. etenim, vt diximus illud propriè mouetur ab alio apud Aristotelem quod eget extrinsecus mouente, quo constituatur proximè vt eliciat suum motum. At Angelus eget extrinsecus mouente, quo constituatur proximè vt eliciat motum; quia extrinsecus poscit sibi proponi appetibile & bonum, quo posito velit in se elicere motum. Vnde A. Doctor 1. 2. q. 9. a. 1. docet voluntatem mouere cæteras potentias ad suos actus; ergo extrinsecus requiritur obiectũ mouens voluntatem quæ vim motricem excitet ad motum. Non ergo propriè se mouet modo prædicto. E

Itaque difficultas præsens non est hoc pacto examinanda; hoc est, Vtrùm egeat extrinsecus mouente vt moueatur, ac proinde an moueat seipsum tanquam ex se inchoans motum, sed intelligi oportet ita; An scilicet moueat seipsum efficienter & immediatè per principium quod in ipso sit motum ipsum eliciens in sese; non autem ita vt moueatur ab alio principio extrinsecus eliciente motum; vt cum quid trahitur vel vehitur, &c. Tunc enim passiuè se habent ad motum qui in ipsis ab alio imprimitur.

Proponuntur dissentientium Theologorum sententiæ. §. 2.

PArtem negantem tribuere quis possit Capreolo in 2. d. 6. q. vnic. a. 1. vbi conclus. 1. ait *Nec Angelum nec aliquod corpus posse se ipsum mouere localiter, vt propriè per se mouens & per se motum localiter.* Quare opinione Capreoli Angelus immediatè non eliciet in se motum: quia alioqui moueretur per se, quia non per accidens & ad motum alterius. Sed de Capreoli sententia dicam paulò pòst. Nam etiam dicit in 2. conclus. Angelum moueri à seipso & per accidens.

Cuiuscunque tamen hæc sententia esse dicatur; probari potest; Primò ex A. Doctore libro 1. A. Doctor.
contra Gent. cap. 13. vbi ex Aristotele lib. 7. Physic. cont. 2. & deinceps tripliciter probat omne quod mouetur ab alio moueri: Primò quidem, quia quod mouetur à se, debet esse primò motum; & non quia vna eius pars primò moueatur per quam deinde aliæ: *Sicut inquit mouetur animal per motum pedis. Sic enim totum non moueretur à se sed sua pars.* Ergo opinione Aristotelis & A. Doctoris, vt aliquid moueat se ipsum debet moueri nõ ratione alterius quod est in ipso. At Angelus mouetur ratione alterius quod est in ipso, nempe ratione imperantis voluntatis. Ergo non mouetur à se.

Secundò probat inductione: quia quod mouetur per accidens non mouetur à seipso: mouetur enim ad motum alterius. Similiter nec quod mouetur vi; quia certum est ab alio vim illam inferri; nec quæ mouentur vt grauia & leuia, quia à generante mouentur; Ex quibus patet nec Angelum moueri à se & immediatè: quia non est ratio si omnia quæ mouentur aut vi aut natura, non mouentur à se, cur Angelus à se moueri debeat.

Tertiò, quia nihil simul potest esse actu & potentia respectu eiusdem. Sed omne quod mouetur est in potentia. quia hoc ipso quod mouetur est in potentia ad id ad quod mouetur. nẽpe ad formam quæ est terminus motus. Si enim motus est actus entis in potentia & tendentis ad formam; Ergo id quod habet motum est in potentia ad aliquid & tendit ad formam. Esset etiam in actu si seipsum moueret nempe per ipsam formam ad quam se mouet, quia esset principium actionis & motus. Nihil enim agit nisi secundum quod est actu, vt expresse patet ex A. Doctore suprà quæstione secunda, art. tertio, A. Doctor.
& quæstione quarta, art. 1. & quæstione vigesimaquinta, a. 1. & infrà quæstione 76. a. 1. quæst. 89. a. 1. & quæst. 115. a. 1. & sæpissimè alibi, idque expressè docet Aristoteles libro 2. de An. Aristoteles.
contextu quinquagesimoquarto, libro secundo Phys. cont. 17. & sæpe alibi. Ergo esset simul actu & in potentia respectu eiusdem formæ, nempe ad quam est motus. Quę sanè ratio militat etiam in Angelum, vt clarum est.

Ratione etiam probari potest hæc sententia, quia omne quod mouet se ipsum ad aliquem locum, eius habet aliquam indigentiam. Sic enim animalia mouẽtur vt sibi necessaria conquirant, vt post dicemus ex Aristotele. Sic etiam grauia & leuia mouentur vt sint in proprio loco in quo conseruantur. Ideò Aristoteles,

teles vult libr. 4. Phyſ. cont. 4. & 65. in loco ineſſe quandam potentiam, nempe ſeruatricem locati, & cont. 48. & 49. ait locum eſſe locato ſimilem & locati formam, cuius eſt continere & ſeruare compoſitum. Sed Angelus nullam habet loci aut corporis indigentiam. ſiquidem ab omni corpore independens eſt ad ſuam conſeruationem. ergo non mouet ſe ipſum.

Alexander. Capreolus. Partem tamen affirmantem ſequuntur omnes Theologi ferè. Alexander 2. p. q. 33. m. 3. in fine. Capreolus in 2. d. 6. q. vn. a. 3. ad 1. principale ſecundo loco poſitum contra primam concluſionem, vbi apertè concedit grauia & leuia habere in ſe ipſis principium ſui motus nempe formam ſubſtantialem, & qualitates motrices quibus efficienter elicitur motus, ac proinde principium proximum & remotum, additque dici moueri non à ſe ſed ab alio, eo quod hæc non determinant ſibi hunc vel illum motum, ſed id habent à generante vel remouente prohibens. quod fuse ibi explicat ex variis locis Angelici Doctoris. Ex his etiam ſæpè ait, in Angelo eſſe virtutem motricem ſui motus.

Scotus. Hanc partem planè ſequuntur Scotus in 2. d. 2. q. 10. §. *Concedo quod.* vbi etiam ſoluere conatur auctoritates & rationes quæ conficere videntur grauia & leuia moueri ab alio. Ioannes

Maior. Gregorius. Gabriel. S. Bonauent. Ricardus. Ægidius. Maior eadem d. 2. quæſtione 8. concluſion. 1. & 2. Gregorius in 2. d. 6. quæſtione tertia, articulo ſecundo, concluſione prima, Gabriel d. 2. quæſt. 3. concluſione ſecunda, S. Bonauentura in 1. d. 37. 2. p. d. a. 2. quæſtion. 1. ad 2. & 3. Ricardus ibidem a. 3. quæſt. 1. Ægidius ibidem p. 2. d. quæſtione prima ad argumenta. Recentiores omnes in

Vaſquez. Molina. Valentia. hunc artic. vt Vaſquez diſputat. 194. cap. 2. Molina articulo primo licèt hic putet ſe aduerſari A. Doctori. Idémque ſupponit Valentia hic p. 1.

A. Doctor. Vtrùm autẽ in hac opinione ſit A. Doctor videtur quibuſdam dubitari poſſe. Verumtamen ſine dubio A. Doctor hanc quoque docuit partem: nam in corpore huius articuli ait Angelum moueri localiter, & non continuè, quia *po eſt totum locum ſimul dimittere, & toti alteri loco ſe ſimul applicare.* Ergo ſe ſufficienter applicat & mouet localiter. & in 1. d. 37. quæſt. 4. a. 1. ad 4. apertè fatetur Angelum per ſe moueri, & non ſolum per accidens ad motum corporis. Ergo exiſtimat motum Angeli efficienter ab ipſo procedere.

Ex quibus patet cũ A. Doctor dixit in prima ſẽtẽtia ex Capreolo omne quod mouetur ab alio moueri, non ita debere intelligi, vt non habeant in ſe principium efficiens ſui motus; ſed ita vt dicantur moueri ab alio, quod nimirum eſt cauſa illius motus; quia ſcilicet ea conſtituit in actu primo, vnde ſequitur motus, vt diximus ex Ariſtotele in Notandis. Sicut etiam ob eandem cauſam is qui ignem applicauit ſtupæ eam combuſſiſſe dicitur. Vnde idem Angelicus Doctor 1. 2. quæſtione nona, art. 4. dicit, voluntatem moueri extrinſecus ad primum actum; nempe à Deo qui proponendo obiectum voluntatem conſtituit ſibi in actu primo ſufficientem, vt exire in actum ſuum poſſet; vt etiam docuit quæſtione 6. de Malo a. 1. Sic etiam eadem 1. 2. quæſtione nona, articulo primo in argument. *Sed contrà.* docet ex Ariſtotele libro tertio de An. contextu quinquageſimoquarto, voluntatem moueri ab appetibili nempe obiecto quod ei

A per intellectum proponatur, à quo appetibili certum eſt voluntatem non moueri efficienter; Alioqui ſe voluntas haberet paſſiuè tantùm: ſed moueri per modum trahentis atque allicientis vt mouent puerum nuces aut poma. Quo pacto vt obſeruat S. Auguſtinus tractatu 26. in Ioann. poetæ dicere licuit,

Trahit ſua quemque voluptas.

Vult ergo A. Doctor ea non moueri à ſe, quia ab alio conſtituuntur in actu primo & potentia proxima, vt ſe ipſa moueant: non autem propterea quod ipſa in ſe efficiens principium ſui motus non habeant. Hanc etiam ſententiam

B ſupponit Albertus p. p. ſum. tractat. 18. q. 74. per totam. Carthuſianus in 2. d. 2. quæſt. 4. & alij qui loquuntur de Angeli motu ac ſi ipſe verè ad locum accedat, à loco recedat, ſe applicet loco, &c. Quæ omnes locutiones ſignificant in ipſo eſſe principium eliciens eius motus quo in locum mouetur. Albertus. Carthuſian.

Motus Angeli eſt ab Angelo efficienter. §. 3.

C AD difficultatem ergo reſpondetur & ſit Vnica Propoſitio. Angeli motus localis eſt immediatè & efficienter ab ipſo Angelo. Probatur primò, quia id Scriptura perſpicuis verbis ſignificauit cum dixit Lucæ 4. Marci 1. *Luca 4.* Actorum 4. dæmones exire. Non enim ea dicuntur exire, quæ non eliciunt ſuum motum; *Marc. 1.* *Act. 4.* ſicut nec dicuntur ire; vt lapis non it aut exit cum trahitur è domo niſi metaphoricè, vt dicitur: Fluuius currit. Similiter cum dicitur Lucæ 1. *Ingreſſus Angelus ad eam*, & paulò pòſt cum *Luca 1.* dixit: *Diſceſſit ab ea Angelus*, & ſæpe alibi. Hæc enim ſignificant Angelum mouere ſe ipſum,

D ſuumque motum elicere. quæ enim ab alio mouentur, niſi metaphoricè non dicuntur diſcedere, accedere, abire, & ſimilia. Qua ratione etiam rebus inanimis tribuitur ſenſus & motus. vt & illud Virgilij lib. 2. Æneid. Virgilius.

Anchiſæ domus arboribuſque obiecta receſſit.

Vbi ſpecioſam eſſe tranſlationem Seruius ait, cum rei mobilis ad immobilem & contrà, transfertur officium. Ergo cum Scripturæ debeant verba propriè accipi ſi poſſint, Angeli ex Scriptura habent principium ſui motus, à ſe que mouentur.

Deinde patet ex Patribus ſuper. Difficult. citatis, cum dicunt Angelos ob naturæ celeritatẽ

E præſtò vbique eſſe, & impigrè adeſſe, & cœlo receſſiſſe, &c. Ergo habent principium internum ſui motus eliciens. Nam alioqui non naturæ celeritati aſcribendum eſſet, quod præſtò ſint atque impigri, ſed extrinſecus mouentis virtuti; ſicuti cum lapis ab aliquo proiicitur; quod velocius vel tardius moueatur, non prouenit ex naturæ eius procliuitate, ſed ex agentis vel viribus vel artificio.

Denique probatur ratione propoſitio. Et primò à pari vt argumentatur Angelicus Doctor in argumento *Sed contrà*: Quia ſi anima ſeparata poteſt moueri à principio efficiente quod ſit in ipſa; Ergo cur non Angelus qui eſt perfectioris naturæ non poſſit? Quòd

Quòd autem anima separata à seipsa moueatur, A hoc est à principio quod sit in ipsa; probatur quia dum est in corpore mouet seipsam mouendo suum corpus; ergo habet virtutem effectricem mouendi suum corpus, ac proinde etiam seipsam. Nam corpus mouet imperio suæ voluntatis determinans potentias motrices ad suum motum; ergo eodem imperio potest determinare suam facultatem motricem vt seipsam separatam moueat ex vno loco ad alium. Quod enim separata non coniungatur suo corpori nihil obstat ad motum. Quia dum anima corpus informat, non concurrit corpus ad vim motricem quæ residet in anima nisi obediendo, eo quod continet spiritus & alia instrumenta ad motum prompta; vnde quia vt moueat alterius B corpus quod eius nutui non obedit, non solum requiritur voluntatis nutus, sed etiã instrumentum corporeum, quo illud mouere possit, nõ potest anima separata corpus mouere, vt docet A. Doctor infrà q.117.a.4. ad 1.

Delrius. Confirmari potest hæc ratio, vt etiam significat Martinus Delrius libro 2. Disquisit. Magic. q.26. sect.2. nam humanus animus vi sua subsistit, & res absentes cognoscit; estque inter illum & Angelos quædam naturalis societas atque coniunctio. ergo huius affinitatis conscius potest concupiscere propius ad illas accedere vt eorum colloquia percipiat, suásque cogitationes aperiat. At frustrà id concupisceret, si se illis C motu locali nequiret aggregare, & facultate sua motrice se ad illas transferre non posset vllo modo. Hoc autem absurdum est. Etenim si ex eo quod homo socialis cum aliis futurus erat, tot ad hunc finem à natura facultates habet tum motrices tum alias; quanto magis oportuit his facultatibus hominem præditum à natura esse ad præstantissimum finem? constat enim vt ait Aristoteles. Aristoteles libro 2. de gener. animal. cap.4. *naturam perinde ac prudentem patrem familias nihil solere omittere, ex quo commodi aliquid facere possit*, &c. *vt cibus optimus detur liberis, deterior seruis*, &c. Hinc libro 2. de cœlo cont.50. Aristoteles negat probabile esse vt natura animalium curam habue- D rit; astra verò corpora nobilissima posthabuerit. *Irrationabile* inquit *est nullum organum ipsis astris præbuisse naturam ad motum* (*nihil enim vt contingit facit natura*) *atque curam quidem animalium habuisse, quæ autem tam pretiosa sunt despexisse.*

A. Doctor. Sanè A. Doctor in 4.d.45.q.1. a.1. quæstiuncula 3. animæ hanc facultatem ad motum tanquam naturalem inesse supponit, cum docet, *animas beatorum cum voluerint apparere posse viuentibus*; quanquam docet damnatorum animas non exire de inferno; id tamen non asserit quia ipsis facultas desit. Nam dicit aliquando his quoque *ad eruditionem hominum & terrorem permitti viuentibus apparere*; ergo facultates habent quæ permis- E su Dei in actum exeant, sicut cum peccata permittuntur. Sed quia à Deo nõ semper exire permittuntur è carcere. & quia vt ibi ait ad 1. *separati à carne vel omninò conformantur diuinæ voluntati, ita quod non liceat eis, nisi quod secundum diuinam dispositionem congruere intuentur; vel ita sunt pœnis oppressi, vt de sua miseria magis doleant, quam curent hominibus apparere.* Hæc ille. Et ita ibi A. Doctor interpretatur Augustini locum lib. de cura pro mortuis, vbi videtur negare, posse animas siue ex inferno siue è cœlo hominibus apparere.

A. Doctor.

S. August. *Si rebus* inquit Augustinus *viuentium interessent animæ mortuorum, vt de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quia terra marique secuta est vt mecum viueret*, &c.

S. Hieron. Videri posset hoc ipsum probari ex S. Hieronymo epistola illa 53. & pòst immediate aduersus Vigilantium. Quibus locis aduersus Vigilantium aientem animas Apostolorum ac martyrum vel in sinu Abrahæ vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei considere nec posse suis tumulis cum voluerint esse præsentes sic arguit: *Et ita tu leges Deo ponis, tu Apostolis vincula inicies, vt vsque ad diem iudicij teneantur custodia?* &c. Rursus. *Cum diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint, martyres post effusionem sanguinis ara operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* Quibus etiam supponere videtur Hieronymus beatis animis inesse hanc naturalem facultatem motricem. Nam alioqui respondere potuisset Vigilantius, dæmoni naturale esse in varia loca se transferre; animis cum tali facultate pręditi non sint non deberi talem motum. Quod quidem probabile mihi esse videtur. Sed alterius loci sit accuratior hac de re disputatio, modò constet ex aliis argumentis vim hanc se mouendi inesse animis naturalem, ac proinde multò id magis asserendum in Angelis esse.

Aristoteles. Quid verò hac in re Aristoteles dixerit non disputo. Vnum illud certum sit, ipsum Aristotelem huic sententiæ non aduersari libro 1. de An. cont.41. vt non rectè putarunt aliqui recentiores. Ostendit enim contra eos (fortè contra Platonem) qui dicebant animum secundum seipsum moueri, & ex suo motu mouere corpus in quo est, & idcircò definiebant animam per motum *dicentes animum* inquit Aristoteles eodem libro cont.36. *esse ipsum seipsum mouens*. Impugnat ergo cont.41. vnum ipsorum dictum, nẽpe *anima mouere iis motibus quibus ipsa mouetur*. vt expressè ibi loquitur Aristoteles.

Vtitur autem hoc argumẽto ex absurdo quod inde sequitur; nempe si hoc verum est sequitur si corpus vel secundum partem vel secũdum totum de vno in alium locum transferetur, & animam secundum partem & non secundum totum transferri; atque ita poterit deserere vnum corpus aut eius partem & iterum regredi. Hoc autem posito animalia mortua poterunt reuiuiscere. *Si autem hoc* inquit Aristoteles *& egressam iterum ingredi continget. Ad hoc autem sequetur vt resurgant mortua animalium.* Quæ ipse deducit tanquam absurda. Itaque Aristoteles ibi rectè negat, animam dum est in corpore, priùs mouere seipsam, locali nempe motu, & deinde ex suo motu mouere etiam corpus. Nam si priùs mouet seipsam quàm corpus; ergo potest moueri etiam independenter à corpore. quemadmodum quia nauta mouet nauigium ex eo quod mouet seipsum, benè sequitur ipsum nauclerum independenter à nauigio moueri posse. Vnde anima iam egressa regredi poterit ad suum & quoduis aliud corpus, vt expressit Aristoteles. Quod quidem absurdum esse veteres ante Aristotelem non putarunt, & ob eam causam nunquam existimarunt absurdum transmigrationem animarum concedere, secundum Pythagoricas fabulas; vt expressè docet Aristoteles eodem libro cont.53. Quocirca rectè Themistius in illum cont.41. ait Aristotelem in hos argumentum hoc intorsisse. Etenim *eos* inquit *qui animam in corpore*

Aristoteles.

Themistius.

corpore tanquam in vase quodam & loco constituunt, nullum perfugium subleuat, qui cogantur fateri animalia semel obita extinctaque animari denuò posse & ad vitam redire. In quo genere ait maximè periclitari Democritum & omnes qui animã aut ignem aut aquam effecere.

Ex quo etiam vlteriùs sequitur, Aristotelem putasse absurdum mortua animalia iterum reuiuiscere, nempe generatim, vt illi philosophi arbitrabantur, & contra quos est argumentum vt diximus. Visum enim illi est id esse quia non est liberum, nec in potestate animarum iterum ad corpora transmigrare, & idcircò id putauit esse inter Pythagoræorum fabulas recensendũ. Sed hæc obiter dicta sint, vt constet vim loco motricem potiori ratione Angelis esse tribuendam.

Secundò probatur nostra propositio ratione à priori: Quia quandocunque Deus & natura præstituunt alicui enti completo finem naturalem, eidem tribuunt facultatem & instrumenta quibus illum finem sibi acquirere possunt. Sed Deus præstituit Angelis finem naturalem vt operentur in hoc vel illo loco inter se distantibus. ergo tribuit Angelis facultatem & instrumenta, quibus se applicare possint huic vel illi loco distanti, nempe facultatem motricem se mouendi in hunc vel illum locum. Ergo Angeli motus localis est immediatè & efficienter ab ipso Angelo, quia est ab eius principio motum efficiente.

Maior probatur primò, quia eam docet Aristoteles libro 3. de An. cont. 60. vbi docet corpora naturalia habere sufficientia media à natura vt consequantur finem ne alioqui finis esset frustra: *Animal autem* inquit *necesse est sensum habere si nihil frustrà facit natura*, &c. quia alioqui tanquam absurdum sequi ait: *ad finem non perueniet.* Deinde probatur quia vt ait Aristoteles libro 4. de Generat. animal. c. 1. *Natura simul & facultatem cuius dat & instrumentum*, nempe ad finem consequendum. *Sic enim* inquit *melius est.* Vnde quia vt ibidem docet, fœminis præscriptus est finis concipiendi in se prolem, eámque nutriendi, maribus verò gignendi, apta vtrique & facultatem dedit & instrumenta, illis quidem vterum & menstrua: his verò vim ac materiam generandi, cęteráque ad prolem necessaria. Hinc etiam est vt animalia quibus in variis locis versandum erat, vt sibi prouiderent ad pastum & ad vitam, facultatibus motricibus prædita sint & sensu, quibus non sunt prædita plantæ, quæ pabulum per radices è terra sibi proxima sumunt, vt apertè docet Aristoteles libro illo 3. de An. cont. 60. Ergo si Angelo præstitutus est finis à natura vt operentur variis in locis debuit ipsi dari facultas motrix, qua eò se transferre posset, quia hæc est medium necessarium ad hunc finem.

Aristoteles.

Quod autem quis diceret posset satis esse facultatem vt ab alio transferri possit: refellẽdum est primò; quia *melius est*, si se transferat ipse quã si transferatur ab alio, & ideò debuisse dari instrumentum vt dixit Aristoteles vt modò eum citaui. Sic enim expeditiùs finem adipiscetur, quia pro arbitrio faciet. Secundò quia si facultas motrix data est homini tãquam eius perfectio, vt se transferre aliò atque aliò posset etiam ad bonum alterius, nec sine aliquo suo plerumque incommodo, cur hæc non dabitur perfectissimæ

A substantiæ qualis est Angelus? Quod etiam confirmatur, quia ideò data est facultas motrix animãtibus perfectis, vt possent se mouere in finem distantem præcognitum. Vnde tantò perfectior huiusmodi est facultas, quantò perfectiùs finis ab animante cognoscitur. Quæ causa est vt probat A. Doctor suprà q. 18. a. 3. vt homo perfectiùs se ad finem moueat quàm cætera animantia; quia perfectius cognoscit finem & media ad ipsum. Ergo huiusmodi facultas longè perfectior danda erat Angelis: quibus longè perfectior de fine cognitio concedenda est. Constat ergo iis entibus completis, quibus natura determinat finem dare etiam instrumenta, quibus efficienter sibi acquirant illum finem.

B Dico tamen de entibus completis vt materiã remoueam cui præstituitur finis constituendi compositum, nullam tamen vim effectricem habet. Dico etiam in hoc & illo loco vt indicarem discrimen cœlestium corporum, quorum nõ est moueri vt operentur in diuersis locis, cum sint semper in vno loco adæquato: & ideò vt suprà diximus non debuit habere principium sui motus efficiens quia non esset ratio cur mutaret vnam Vbitatem in aliam. Atque ita constat de veritate maioris propositionis.

Minor autem eiusdem probatur, quia Angelis Deus demandauit rerum administrationem in his & illis locis, idque tanquam finem naturalem non supernaturalem: quia vt ostendit A.

C Doctor infrà q. 110. a. 1. & deinceps, omnia corpora reguntur per spiritum vitæ rationalem; *& hoc non solùm a sanctis Doctoribus ponitur sed etiam ab omnibus philosophis qui incorporeas substantias posuerunt.* Ergo præstitutus est Angelis finis naturalis vt possent operari in hoc & illo loco etiam distanti. Regunt enim corpora quia ea mouent ad suos fines per connaturalia media. A. Doctor.

At dicet aliquis, hæc ratio solùm conficit illos Angelos quibus mandatur huiusmodi cura, mouere seipsos non autem omnes quibus nimirum nulla est rerum cura. Constat enim nõ omnes Angelos mitti ad corpora vt docet A. Doctor ex S. Dionysio infrà q. 112. a. 2.

D Respondeo & contrà vrgeo, id probari de omnibus. quia esto aliqui non mittantur, tamen certum est posse illis si Deo videretur conuenire vt in distantibus locis operarentur, idque naturaliter non supernaturaliter. Neque enim si inferiores naturaliter possunt se transferre in corpora, id negandum superioribus est; cum superiores omnia possint quæ inferiores & longè ampliùs; vnde qui cœlum infimum mouet non potest superiores orbes mouere qui à perfectioribus Angelis commouentur: qui verò superiores, etiam possunt quæ inferiores. sicut enim natura inferiores subduntur superioribus: ita &

E actiones & facultates, ratione quarũ est in Angelis prælatio, vt docet A. Doctor infrà q. 109. a. 2. Quemadmodum enim superior potest quod potest inferior quantum ad potestatem moralem inter homines; ita inter Angelos quoad potestatem naturalem. Quod enim in hominibus est ex prælatione morali; id in Angelis est ex prælatione naturæ, vt patet ex A. Doctore ibidem ad 2. Si ergo Angeli supremi possunt naturaliter mouere illa corpora; ergo debent etiam se posse applicare ad illa. Atque ita patet, vniuersalem esse rationem ad omnes Angelos.

Angelum mouere seipsum veterum Philosophorum sententiâ, nec sequi idem respectu eiusdem esse actu & potentia, argumentisque aduersantium respondetur. §. 4.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò, Vtrùm opinione veterũ philosophorum Angeli à seipsis moueantur. Nam certum esse debet horum philosophorum sentẽtia (Aristotelem excipio de quo Difficult. seq.) Angelos esse Deorum nũcios vt suprà diximus. Ergo horum finis naturalis est, vt operentur nunc in vno nunc in alio loco, ac proinde data fuit illis facultas naturalis motrix. De Angelis verò quib. putarũt cœlum & astra animari, putarunt etiam eos à se moueri, vt cœli motu hæc corpora regerent. De quibus satis sint ea quæ suprà dicta sunt q. 50. a. 1. & q. 51. a. 1. & aliis locis suprà citatis.

Colligitur secundò, Vtrùm Angelus ex eo quod seipsum mouet possit dici potentia & actu respectu eiusdem, quod negat Aristoteles libro 8. Phys. cont. 40. & libro 3. Phys. cont. 8. Impossibile enim est, vt id quod mouetur habeat actu id ad quod mouetur & tendit. Sicut impossibile est quod calidum actu est, moueatur ad calorẽ; quia vt ait Aristoteles in eo cont. 40. *idem secundum idem calidum erit & non calidum.*

Dico ergo id non sequi in Angelo, quia cùm Angelus mouetur ad locum & ad Vbi, non habet actu illum locum & Vbi ad quod mouetur. Quemadmodum cum intellectus informatus specie est quidem potentia ad actum intelligentiæ; sed non est actu intelligens vt est potentia ad actum intelligendi; sed virtute tantum & facultate est intelligens. Absurdum autem illud certum est sequi in eo quod à se moueretur tanquam à causa vniuoca, vt ibidem expresse docet Aristoteles, vt si haberet calorem, & ad illũ moueretur. An verò in cæteris sequatur nunc videbimus.

At dicet aliquis, Aristoteles contendit nihil mouere seipsum; quia idem esset actu & potentia respectu eiusdem. Quod enim mouet est actu, quod mouetur potentia. ergo supponit in quocunque genere causæ nihil seipsum mouere.

Alexander. Respondeo verum esse non tantùm sermonem esse de motu ex causa vniuoca sed etiam ex causa æquiuoca, vt ibi rectè explicat A. Doctor. Nam Aristoteles ibi proponit ostendẽdum, *Impossibile esse ipsum mouens penitus mouere seipsum. feretur enim & feret secundum eandem lationem.* ergo vniuersè id docet de omnibus motibus. Generatim ergo verum esse debet nihil mouere seipsum eo modo vt ibi ait Aristoteles. Quia mouere seipsum est se constituere in tali conditione ac statu vt ex eo tanquam ex actu primo, eóque completo sequatur motus vt supra ex Aristotele diximus: siue, quod eodem recidit, mouere seipsum, est ipsum mobile se reducere de potentia remota ad actum primum completum. Quomodo obiectum mouet facultates animæ, & generans mouet graue & leue, quia nimirum tam obiectum constituit potentiã in actu primo com-

A pletè ad operandum, quam generans gignendo corpus cum suis motiuis qualitatibus extra locum, corpori connaturalem, præbet illi omnia requisita vt se in suum locum reducere possit. ergo illud corpus à generante completur in actu primo. Ergo mouens debet esse actu id ad quod mouet: siue secundum formam; vt calidum mouet ad calidum: siue virtute; vt vinum frigidum in stomacho sua virtute facit vt anima calefaciat stomachum ipsum. vnde si stomachus à vino reducitur ad actum. ergo non habet illam virtutem vini. Alioqui à se ipse reduceretur ad actum, nec vini facultatem exspectaret: & ita non esset potentia ad illum actum, & sic de

B cæteris. Atque ita generatim verum est; si quid hoc modo seipsum reduceret ad actum, fore potentia & actu respectu eius motus. Potentia quidem, dum non se reduceret. Actu verò, quia illam vim haberet se reducendi. quod cum sit impossibile, quia nunquam esset in potentia, cum semper formam illam ac virtutem haberet se reducendi, rectè dixit non posse fieri, vt aliquid se ipsum moueat in quouis genere motus vt clarè patet ex dictis.

Hæc autem non aduersantur doctrinæ iam traditæ de Angelorum motu: quia voluntas Angeli imperat motum mota ab obiecto re-

C præsentato per intellectum. sicut etiam accidit in nobis in quibus imperio voluntatis motæ ab obiecto determinantur ad motum facultates ipsæ motrices, vt etiam infrà explicabitur magis. Atque ita non sequitur aliquid mouere se ipsum eo modo vt negatur ab Aristotele.

Ex his respondetur ad argumenta pro parte negante. Ad primum enim patet ex dictis quomodo verum sit Angelum moueri à se & non moueri à se. Diximus namque moueri à se, eo quòd in ipso est vis effectrix motus. Non moueri autem à se, eo quòd non se ipsum Angelus in actu primo perfectóque, constituit modo iam explicato.

D Ad secundum patet responsio eodem modo. cætera enim mouentur à se & non mouentur à se vt nunc dictum est. Quod etiam fusius explicat Capreolus vbi suprà ex A. Doctore p. p. q. 18. a. 3. vbi ponuntur quatuor gradus eorum quæ mouent seipsa. Inter quos secundum gradum habent animalia, & tertium homines; quæ dicuntur mouere se ipsa eo quod eliciunt suum motum; non tamen quia ab alio non moueantur eo modo vt ex Aristotele explicatum est.

Ad Tertium diximus in secundo corollario.

Ad Vltimam rationem respondet Albertus in eo tractat. 18. quæstione 74. articulo primo ad quartum. & Alexander secunda p. quæst. 33. Albertus.

E memb. 1. ad 1. duplicem esse indigentiam. Vnam simpliciter; alteram comparatè ad eum qui omnino perfectus est. Et quidem indigentiam simpliciter esse aiunt defectum alicuius rei quæ pertineat vel ad esse, vel ad benè esse, vel etiam ad operationes benè eliciendas eius quod indigentiam habet: *sicut artificem* inquit Albertus *dicimus imperfectum, si manus non habeat, si scientia ædificandi careat, si dolabram vel securim non habeat.* Id autem dixit quia manus pertinent ad esse, scientia ad artem quæ principium est operis. Ars enim vt ait Aristoteles libro 6. Ethicor. cap. 4. *est habitus cum recta ratione effectiuus*; Securis & dolabra est instrumentum sine quo Alexander. Aristoteles.

operari

operari non potest artifex ille. Indigentiam verò comparatę ad ens perfectissimum dicunt esse dependentiam creaturæ à creatore sine quo creatura nec esse, nec conseruationem in esse, nec operationem habet.

Albertus. Hoc posito respondet primò Albertus. Illud quod mouetur ad locum, non necessariò esse ob indigentiam primo modo. Nam Angeli qui mouentur ad locum ex eo nihil consequuntur, sed solùm ad illum mouentur vt in loco congruo sint vel ad contemplationem vel ad ministerium. In qua re differunt ab animalibus, quæ ad locum tendunt, quia verè eo indigent, eo quòd in ipsis locis sint ipsorum appetibilia; & ideò motus ad illa loca est de ipsorum perfectione, & actus entis in potentia. Dicit autem esse indigentiam loci in eo quod mouetur ob indigentiam seu dependētiam à creatore, cuius imperio obedire omnes tenentur. Similis ferè est Alexandri responsio. quæ tamen responsiones non carent difficultate, quam lectorum remittere nunc iudicio satius duximus.

Meliùs ergo respondendum videtur in forma ad argumentum, hoc pacto distinguendo Maiorem. Dupliciter scilicet posse mobile quod ad locum mouetur eius habere indigentiam. Vel primò quia eius habeat indigentiam simpliciter; hoc est vt sine illo esse non possit secundum naturæ debitas & congenitas perfectiones, vt animal indiget loco, &c. & hoc pacto non est necesse, vt omne mobile habeat loci ad quem mouetur indigentiam; & negatur Maior, quam aduersarij nunquam ostendere poterunt. nam si eam probarent inductione in cæteris; tunc assignanda esset Alberti disparitas, quam attulimus de Angelo & animalibus. Vel secundò, quia saltem sit indigentia loci non simpliciter, sed ad finem quem sibi mobile proponat, eo quod nimirum locus ipse aliquid ad operandum conducat; & hoc pacto dico generatim posse esse verum Maiorem illam; nempe mobile semper habere aliquam indigentiam. Nam alioqui nulla esset ratio cur appeteretur ille locus potius quàm alius. Vnde ad Minorem dico, Angelum hoc secundo modo habere loci indigentiam, quia certum est ipsum tendere ad locum, vt vel honestius vel commodius vel appositè ad finem operetur; sic enim beatos esse in cælo diximus, vt in loco ad beatitudinem honestissimo. Sic etiam dæmones & Angeli boni ad locum se transferunt. illi, vt ad peccatum homines incitent; hi verò, vt virtutem persuadeant. Quamuis autem Angelus à nullo corpore seu loco dependeat in suis bonis connaturalibus & congenitis conseruandis; quia hæc præcisè atque independenter à loco, habent à Deo; tamen ab eo dependere potest ad finem sibi propositum consequendum. Quemadmodum licet homo substantialiter, & quoad naturales perfectiones seruandas non opus habeat vno determinato siue loco v.g. Roma, Neapoli, &c. siue instrumento v.g. malleo, serra, &c. Tamen ei opus esse possunt tanquam necessaria subsidia ad finem; vt ex.gr. studiorum causa, ad oblectamentum, ad diuitias, ad opera artificiosa & similia.

* * *

Stephani Bubali de Angelis.

A

TERTIA DIFFICVLTAS,

Vtrùm auctoritate vlla aut argumento Aristotelis conficiatur Angelos non moueri localiter; vbi nonnulla obiter de Dei in agendo libertate ex Aristotele afferuntur.

EX vna parte loca quibus Aristoteles cæli motrices substantias esse penitus immobiles docet, videntur esse clarissima. Primò quidē in libro 8. phys. cont. 52. postquam suprà dixerat
B moueri per accidens vt ipse loquitur esse moueri ad motum alterius, ostendit fieri non posse eum motorem qui per accidens moueatur perpetui motus causam esse posse.

Deinde libro etiam 12. Metaphys. contex. 48. concludit tot esse substantias separatas orbium cælestium motrices atq; immobiles, quot sunt sphæræ deferentes ac referentes astra: quas ait esse quinquaginta quinque.

Denique certum est ex dictis hoc ipsum: quia ex Aristotelis sententia omne quod mouetur ab alio mouetur: atque ita dandi sunt primi motores orbium immobiles, vt stabiluit lib. 12. Metaphys. cont. 43. vt fusius notaui supra q. 50. quæst. 2. diff. 1. Atque hæc de motoribus cæli
C Angelis.

Præterea ab hac eadem parte quadruplex videtur esse argumētum Aristotelis, quibus euincere videtur substantias separatas moueri non posse localiter; quibus vsus est libro sexto Physicorum.

Primum argumentum est in cont. 32. vbi probat; quod indiuiduum est, nempe vt Peripatetici loquuntur, indiuisibile non posse moueri. Nimirum quia omne quod mouetur partem habet sub termino à quo, partem sub termino ad quem. Cum enim non possit esse totum aut sub termino à quo, aut sub termino ad quem, quia quiesceret, debet partem habere sub vno
D termino partem sub alio. Ergo omne quod mutatur diuisibile est, ac proinde indiuiduum esse nequit.

Alterum argumentum est eodem libro contextu octogesimoseptimo, vbi cum negasset contextu octogesimosexto indiuisibile secundum quantitatem posse per se moueri (concedit enim moueri per accidens) vtitur tali argumento ad illud ipsum probandum; & ferè eodem recidit atque illud ex contextu trigesimosecundo. quia ait, moueatur punctum ab vno termino in alium: tum sic; Dum mouetur punctum non potest esse totum aut in termino ad quem aut totum in termino à quo, quia hoc
E pacto non moueretur sed quiesceret. Ergo debet esse partim in termino à quo, partim in termino ad quem, atque ita non esset punctum indiuiduum quia partem haberet.

Tertium argumentum est ibidem in contextu 89. vt idem confirmet. omne mobile quod mouetur per spatium ipso eodem mobili maius, debet prius transire per spatium aut minus se, aut æquale sibi. Hoc autem non potest conuenire puncto. Nam certum est non posse pūctum transire per minus; quia nihil datur minus puncto, quod puncto sine dubio est minimum in quantitate: Nec potest transire per

per æquale; quia transeundo immediatè post A quietem tangeret æquale sibi nempe punctum, atque ita darentur puncta immediatè. Vnde & linea componeretur ex punctis si vnum immediatè post aliud sumi posset.

Quartum argumentum est desumptum ex tempore, quod ex æquo diuidi oportet cum motu ita vt tantus motus sit in tanto tempore & tantus in tanto. Supponit enim motum non esse nisi in tempore. Sic ergo argumentatur context. nonagesimo ibidem: Omne quod mouetur, mouetur in tempore determinato ita vt tanto tempori, ex parte sua respondeat tãtus motus, & minori tempori minor motus. Vnde si quid moueatur per spatium æquale ipsi mobili mouebitur in B tanto tempore, quod sit maius eo tempore in quo illud ipsum, in quo moueretur per spatium minus; Vt si mobile palmare moueatur per spatium palmare mouebitur spatio vnius horæ: si per spatium semipalmare, mouebitur per spatium semihoræ. Moueatur ergo punctum ex vno termino in alium per spatium æquale sibi in tanto tempore v. gr. per horam, sequitur per semihoram moueri per spatium minus, vt docuerat ibidem cont. 37. Ergo punctum erit diuisibile, quia datur spatium minus puncto, ac proinde punctum est spatio aliquo maius: quod esse non potest nisi sit diuiduum. Nam omne C maius continet æquale ei quo est maius, & insuper excessum quo ipsum minus superatur. vt patet ex Aristotele libro quarto Physicorum, contextu 71.

Ex quibus omnibus inferri potest, Angelos Aristotelis opinione non posse localiter moueri, quia diuidui non sunt. Ideóque hæc argumenta tantumdem in ipsorum Angelorum motum, negotij facessunt quantum in ipsa puncta indiuidua. Vnde absolutè lib. 8. Phys. cont. 46. ait: *nihil moueri impartibile.*

Dæmones Angelósque supercœlestes seipsos mouere posse, Aristotelis auctoritate demonstratur: Ostenditúrque nullum deprauari posse Aristotelis locum ex quo talis potentia Angelis deneganda sit. §. 1.

EX altera tamen parte nec auctoritates allatæ cogunt nos asserere Aristotelem negasse Angelos posse localiter moueri; nec argumenta contra motum Angeli localem, videntur pugnare; vt etiam obseruat A. Doctor hic ad primum. Vnde ad solutionem sit

Prima propositio. Dæmones illi seu Angeli quos supra quæstione quinquagesima, Quæsito primo, Difficultate vltima diximus concedi ab Aristotele, eiusdem opinione mouentur localiter. Probatur aperto argumento; quia eos concedit duces atque hominum custodes vt ibidem vidimus. Ergo cum hominibus mouentur quorum duces sunt. Non enim putauit eos vbique esse sua immensitate, quod proprium Dei est. Præterea idem patet ex Aristotele apud Plutarchum in libro de Homero paulò post initium, vbi tradit Homerum ex Genio natum, cuius verba suprà non semel retulimus. Certum autem est, generationem non fuisse sine motu locali, per quem ad fœminam ille Dæmon accessit, ab eáque postea se subtraxit.

Aristoteles.

Plutarchus.

De iis ergo Angelis supercœlestibus est Difficultas, quos Aristoteles posuit in cœlo ad eius perpetuam æternámque conuolutionem quid senserit ipse. In qua re sit

Secunda Propositio. Nulla est auctoritas Aristotelis, ob quam Peripateticis negandum sit, Angelos cœli motores posse moueri localiter: Immò clarè deducitur ex eius principiis, eos posse quidem moueri localiter licet nunquam moueantur. Prior pars probatur: Nam illæ allatæ auctoritates & his similes non negant Angelis potentiam motricem, sed solum actum secundum. Ergo nulla est auctoritas Aristotelis qua negandum sit, Angelos cœli motores posse moueri localiter. Consequentia patet: quia idem est posse moueri localiter & habere potentiam ad motum: Sicut idem est posse esse album & habere potentiam ad albedinem; seu, vt melius dicam, idem est posse videre & habere potentiam ad videndum. Antecedens probatur: quia si vlla esset Aristotelis auctoritas, certè ea esset quia sæpè; locis nimirum citatis dixit eos motores esse immobiles; & alibi: *omne quod mouetur diuisibile esse debere*; vt libro sexto Physicorum contextu trigesimosecundo, trigesimoseptimo, nonagesimo, & alibi sæpè. At his non negatur potentia motrix Angelo ab Aristotele.

Et primum quidem non negari ex eo quod dicatur motor immobilis patet. Nam motorem esse immobilem Aristoteli est non moueri ipsum in mouendo, non autem ipsum nullo modo habere potentiam ad motum. Etenim Aristoteles primos hos motores inuestigauit ex eo quod in omni motu oportet nos deuenire ad primos motores; ne in causis mouentibus & quę motum efficiunt progressus detur in infinitum; vt patet ex libro octauo Physicorum à contextu trigesimoquarto & à contextu quadragesimoquinto, & libro duodecimo Metaphysices, contextu quadragesimotertio & alibi. Cui rationi D satis est si veniatur ad primam causam cœlum mouentem, non motam, & immobilem non simpliciter sed ex parte. Nam vt perueniatur ad primum motorem simpliciter immobilem, alio modo philosophari ex ipso Aristotele debemus. Quia scilicet in ea causarum serie sistendum est ad primam, quæ sit infinitæ virtutis à qua tum cœlum tum omnis natura dependeat, vt præstitit Aristoteles ipse libro duodecimo Metaphysices, cont. 38. & A. Doctor suprà quæstione 2. a. 3.

Ex quibus vlteriùs patet rectè nos animaduertisse suprà quæst. 50. Quæsit. 2. Difficult. 1. §. *Quartum locum* alio modo ab Aristotele dici Intelligentias esse infinitæ virtutis, immobiles, se- E paratas, ac Deum putauit. Deus enim est Aristoteli simpliciter omninóque omni ex parte immobilis, omniq́ue caret ad motum potentia. At Intelligentiæ sunt Aristoteli immobiles; proptereaquòd mutationem nullam susceperũt, licèt ipsæ ad motum potentia non careant.

Quid sit Aristoteli, immobile, incorruptibile & impossibile. §. 2.

NE autem mirum alicui hoc videri possit, quasi vim Aristotelæis verbis inferamus, nempe quòd hoc verbum seu particulam, *immobile* interpretemur ipsum quod non mouetur, nõ autem

autē quod caret facultate ad motum; proferam eiusdem Aristotelis testimonia; tum quæ hanc ipsam particulam expresse explicent, tum etiam quæ ex similibus locutionibus id ipsum non obscurè confirment.

Aristoteles. Primum quidem patet: quia etiam in hoc eodem sensu Aristoteles idem verbum vsurpauit libro 5. Physicorum, contextu vigesimo vbi duo huius vocis *immobile* significata profert. quorum alterum expressissimè facit ad rem nostram. Sic enim loquitur: *Immobile autem est & quod omnino non potest moueri sicut sonus est inuisibilis, & quod in multo tempore vix mouetur*, &c. Quibus verbis perspicuè constat, vtramque significationem huius verbi tanquam genuinam ab Aristotele admitti; nempe vt non incongruè immobile sit tam illud quod omni ad motum caret potestate, tum quod motum vix vnquam habere soleat. Ergo multo magis dicet immobile illud quod nunquam in æternitate putauit motum iri. Crediderim enim Aristotelem arbitratum esse cæteros quoque motores esse immobiles eo quod nunquam mutentur motu locali: propterea quòd nullam opinor vidit rationem, cur qui sempiterno tempore circumducere eodem semper modo cœlum deberent, mutare debuerint aliquando locum: atque ita ea ratione vsum esse ac si cuiuslibet cœli motor immobilis hoc posteriore modo esset; quia scilicet in alium locum nunquam in æternitate moueretur. Hoc enim pacto immobiles eos vocat; nimirum qui moueant non moti, vt patet ex libro octauo Physicorum. Nam ibidem contextu quinquagesimosecundo, quia cœlum semper moueri necesse est, eius mouens debere esse ait immobile & perpetuum. Explicās autē cur sit immobile subdit sic: *Immobile enim eodem & vno motu semper mouebit eodem modo tanquam nihil ipsum mutetur ad id quod mouetur.* Quibus significat motorem debere esse immobilem hoc est nunquam mutari, vt eodem modo semper cœlum moueat. Vnde & subiungit in contextu quinquagesimotertio discrimen, cur quę mouētur ab immobili semper moueantur; quæ verò ab eo quod mouetur moueātur non semper. *Huius enim causa manifesta nunc est, quod alia quidem ab immobili, sempiterna mouentur, quapropter semper mutantur. Alia verò ab eo quod mouetur & mutatur, quare & ipsa necessarium est mutari.* Sumit ergo mobile pro eo quod mutatur; & immobile pro eo quod non mutatur, sed eodem modo maneat. Ex hoc enim ipso procedit, quod sit semper motus, quia nimirum non defatigatur virtus *& eodem modo & in eodem permanens*; vt ipse in fine contextus explicauit.

Iam de altero testimoniorum genere; nempe ex similibus locutionibus ostendo. In qua re prætermissis plurimis aliis solum afferam quæ de his vocibus *incorruptibili & impossibili* alicubi scripsit Aristoteles. Ac primum quidem de *impossibili* sic loquitur libro primo de cœlo, contextu 111. *Impossibili dicitur* inquit *dupliciter. Aut enim simpliciter; quia non verum est dicere quod factum vtique erit. Aut quia non facilè neque citò aut benè.* vbi apparet quod nostræ sententiæ mirum in modum fauet. Non enim dixit impossibile simpliciter esse quod nullo modo esse potest, sed dixit esse id de quo verum non sit dicere aliquando ipsum esse, hoc est quod nunquam habuit aut sit habiturum esse. Ergo si simpliciter immobile (quod est impossibile moueri) intel-

A ligatur quod nunquam aut habuerit aut sit habiturum motum, consentaneè id sine dubio ad mentem Aristotelis intelligitur. Præterquam quod si impossibile hoc pacto sumptum est secundum simplicem atque strictam eius significationem: Ergo eodem modo simplex & propria ipsius *immobilis* significatio erit, cum denotat id quod in se motum nunquam nec habuit nec habiturum est: ac proinde optimè sentiunt ij qui aliam præter hanc ipsam immobilitatē ex Aristotelis doctrina Intelligentiis cœli motricibus concedendam esse negant. Neque enim cum de cœli immortalitate disputauit, alterius incorruptibilitatis mentionem vllibi fecit.

B Iam similiter ex voce *incorruptibile* id ipsum probemus, ex eodémque Aristotele libro 1. cœli context. 125. vbi ex instituto definit incorruptibile hoc pacto. *Dico* inquit *propriè incorruptibile quod nunc existens posterius non erit verum dicere non esse.* sicut etiam dixerat *propriè ingenerabile quod est nunc & prius non erat verum dicere non esse.* In qua etiam definitione Aristoteles non exigit aut certè non exprimit, quod est propriè incorruptibile nullo modo posse desinere esse. Id enim putauit opinor tale genus corporis reperiri non posse; cum omnia voluntati diuinæ potestatique subiaceant, vt iam significabam. Et quamuis Aristoteles eodem libro contextu vigesimo, C neget in eo quod incorruptibile est vllam esse debere potentiam ad interitum, quia hanc potentiam ponit in eo quod corruptioni obnoxium est: Tamen per potentiam intelligit eam, ex qua vi alicuius naturalis agentis sequi interitus & corruptio debeat; nimirum vi contrariorum agentium, vt expresse patet ex eodem libro in fine; nempe contextu centesimoquadragesimo, vbi longissimam de corruptibili atque incorruptibili disputationem concludens ait: *Et naturaliter & non vniuersaliter*, hoc est extra fines causarum naturaliter agentium *considerantibus, impossibile est aut quod sempiternum erat prius corrumpi posterius; aut quod prius non erat, posterius* D *sempiternum esse. Corruptibilia enim omnia & generabilia & alterabilia sunt. alterantur autem contrariis ex quibus constant quæ natura sunt, & ab iisdem ipsis corrumpuntur.*

E quibus animaduerte; primùm eam esse potentiam in corpore corruptibili ad corruptionem quæ viribus contrariis ad interitum trahi potest. Idcircò enim dixerat naturaliter considerantibus, corruptibile quod corrumpi potest sempiternum esse non posse.

Deinde non negari ab Aristotele ea quæ sempiterna sunt posse à Deo destrui licet in se incorruptibilia sint. Expresse enim fatetur se intra fines naturæ non ampliore significatio- E ne de his hactenus disputasse. Nec mirum: constat enim ibi Aristotelem totam de corruptibili atque incorruptibili aduersus Platonem instituisse disputationem; qui in Timæo dixit, cœlum à Deo quidem ex materia genitum, ac proinde sua natura corruptibile esse; voluntate tamen diuina seruandum, ac proinde fore incorruptibile. Arguit autem hanc doctrinam Aristoteles ex eo quod palàm est, nullū incorruptibile sua natura, posse seruari; quia remanet in illo potentia ad contraria quibus alteratur, &c.

In qua re obseruandum est, Aristotelē nunquā obiicere Platoni quod Deus hoc absolutè prȩstare

nó possit sua infinita virtute; sed quod si spectemus rerum naturam causarúmque naturalium efficientiam, ac dispositionem, cum omninò alterentur à contrariis ac proinde habeant naturalem potentiam non impeditam ad interitum, nullum corruptibile corpus ab interitu seruari posse dicendum sit. Idcircò namque disputationem conclusit Aristoteles vt vidimus: *& naturaliter considerantibus non vniuersaliter,* &c. Quod quidem reuincere valdè potest multorum temeritatem dum putant Deum Aristoteli stipitē quēdam esse, cum tamen lōgè secus sit, vt postea disputabitur.

Aristoteles.

Tertio loco intellige quod hic cōficere contendimus; nempe cum Aristoteles ait immobiles esse omnes primos motores cœli, non esse perinde accipiēdum quasi nulla eos ratione pati aut moueri posse voluerit. Nam neque ad rationes Aristotelis quibus eos probauit immobiles esse; neque ad proprietates vocabulorum, quibus id significauit retinendas; neque ad eius dum de his disputauit institutum; neque ad ea quæ ipse profitetur expressè, aliud necesse est nos fateri, quam quod nunquam fuerit aut futurum sit, vt Intelligentiæ naturali aliqua virtute moueantur. Constat ergo Aristoteli satis esse si Angeli astrorum motores sint immobiles per quamuis potentiam naturalem, non autem exigi vt nullo pacto potentiam habeant ad motum.

Id ipsum rationi consentaneum est: quia illud est simpliciter immobile quod caret omninò potentia vt moueatur. ergo quod solùm est immobile ex parte seu secundum quid, carere debet ex parte seu secundum quid potentia vt moueatur. Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundum quid, ad secundū quid: vt est regula Aristotelis in libro 2. Top. loco 34. Motores autem orbium sunt immobiles secundum quid. Quia solus Deus est simpliciter immobilis. ergo carent potentia ad motum secundum quid; nempe quia ex eo quod semper debent mouere cœlum, eíque assidere, non debent ab eius cura per motum vllum distrahi ac remoueri. Hoc igitur posito non possunt moueri: & ita carent naturali potētia ad motum ex hythesi finis. Quod scilicet in cœlo eos semper degere oporteat vt ipsum semper moueant. Non est autem absurdum aliquam potentiam desinere habere suam rationem potentiæ respectu alicuius actus ex alicuius rei vel requisitæ amotione vel impedientis appositione. Quo pacto dicitur aliquis dum in tenebris est, impotens ad videndos colores, & qui vinctus est dum vinculis implicatur non posse ambulare. Sicut nec ignis Babylonicus poterat comburere tres illos pueros denegante Deo concursum ad illā actionem, vt suprà q. 50. a. 5. copiosiùs confirmaui. Vt enim potentia sit subiectúmque denominet potens, expedita sit oportet ad actum, vt ex Aristotele patet libro 1. de ortu & interitu cont. 54. *Potens* inquit *calidum esse* est illud quod *præsente calefaciente & approximante necesse est fieri calidum.* Requirit ergo illam cum requisitis, vt aliquid sit potens simpliciter & non remotè. Potentia namque non est quid vnum simplex ens, sed ex pluribus conflata sit oportet, vt in actum suum prodire possit. vt loco citato dictum est: & ideo nec calor solus nec siccitas sola, sed vtraque simul est vis ad ignem generādum, & sic de similibus.

A De qua etiam re accuratè à nobis disputatum est in disputat. de materia cœli in primo libro de cœlo.

Quod autem opinione Aristotelis intelligentiæ sint immobiles nō natura, sed ob finem cœli circumuoluendi probatur: quia nuspiam probauit intelligentias Aristoteles alia ratione immobiles, nisi quia sunt primi motores, vt clarum est ex locis supra citatis. Ergo cum non putauerit eas esse simpliciter primos motores sed subiectos primæ causæ, vt infrà dicetur; nec proinde putauit eas esse simpliciter immobiles. Nā si non sunt simpliciter primi motores; ergo ab alio moueri possunt: quia Aristotelis opinione, omne quod mouetur ab alio mouetur. Quod

B quidem verum est de omnibus motoribus vltimis & intermediis. Sic enim libro 12. Metaph. cont. 35. dixit mouentia intermedia esse illa quę mouent & mouentur, quia saltem moueri possunt. Constat ergo opinione Aristotelis Angelos etiamsi immobiles dicantur, non hinc colligi eos nulla ratione posse localiter moueri.

Quod verò nec ex eo quod Aristoteles dicat, omne quod mouetur esse diuisibile, ostendatur Angelos debere esse eius opinione omninò immobiles (quod erat altera pars Minoris in syllogismo nostram propositionem probante) confirmatur. Etenim in iis locis Aristoteles vt patet ex cont. illo 32. non loquitur de quocunque motu; Aristoteles.

C sed de eo quo fit transitus aut in qualitates corporum, aut in locum diuisibilem. Vnde apertè profitetur cont. 86. vbi probare aggreditur indiuisibile non posse moueri, se loqui nō de omni indiuisibili; sed solum de eo quod est quantitatis. *Impartibile* inquit *dico id quod est secundum quantum indiuisibile.* ergo non excludit motū substantiarum immortalium, & immaterialium; quæ indiuiduæ quidem sunt, sed non secundum quantitatem, nimirum non secundum indiuisibile quod opponitur quanto, & terminus est illius. Immò ex hoc clarè apparet nonnihil subesse huic Aristotelicæ restrictioni quo indicare voluerit, huiusmodi indiuisibilia non compre-

D hendi talibus demonstrationibus, quas ibi ipse construxerat eo modo quo antè vidimus, vt solum ea quantitatis indiuidua non posse moueri ostenderet quæ eidem quantitati infixa sunt. Vtrum autem tales argumētationes verè demonstrent Aristotelis propositum, dicam in earū solutionibus postea.

Constat ergo de priore propositionis nostræ parte. quæ etiam confirmanda est ex iis quę mox subiiciam pro altera parte eiusdem propositionis. Itaque nunc de posteriore parte agēdum erit accuratè, quippe in ea plurimum momenti ad Aristotelis mentem rectè intelligendam inesse non ignoro.

E Altera ergo pars propositionis probatur, nēpe ex Aristotelicis principiis deduci Angelos posse moueri. Primò, quia Aristoteles libro 6. Phys. cont. 15. cœlum significat non necessariò moueri tanta velocitate quanta nunc, sed posse moueri velocius ac tardius: ergo apertè significat, Intelligentias posse mouere cœlum ex arbitratu. Nam si potest cœlum moueri velocius ac tardius. ergo ab Intelligentiis conuoluitur, quæ sua natura non sunt determinatæ ad vnum motum; ac proinde non sunt causæ necessariæ in mouendo, quia essent determinatæ ad vnum. ergo ex arbitratu; si autem ex arbitratu mouent nec Aristoteles.

nec sunt alligatæ cœlo mouendo ex sua natura. ergo possunt quantum est ex se recedere à cœlo quod mouent. Cur enim cœlo hæreant? Si enim cum eo non sunt connexæ in operando, neque in essendo connexæ esse possunt. Hoc enim pacto supra diximus; intellectum si communem operationem cum corpore non habet ab eo diuelli posse, separatúmque ab eo cōsistere. Quod multò magis de Angelo, quem formam cœli nō esse ostendimus informantem, quia solum cœlo assidet, verum esse debet. Si enim forma informans, quæ corpori magis coniuncta est ab eo separari potest, eo quod cum eo connexam non habet operationem. ergo & id quod minus cum corpore coniunctum est. Verissimum enim est quod docet Aristoteles libro 2. Rhetor. cap. de Enthymematum locis. *Si cui magis inesse debet non inest, profectò neque cui minus.* Antecedens autem in quo vis argumenti nititur, probatur: Quia Aristoteles eo loco perspicuè dicit: *Omne quod mouetur potest velocius & tardius moueri.* Ergo & cœlum potest moueri non tanta velocitate quātam nunc habet.

Aristoteles.

Ad hoc Aristotelis antecedens confirmādum afferam, quæ Alexander insignis Peripateticus in eum locum scribit, quæ mirificè hunc ipsum locum illustrant, vt patebit. Is namque apud Auerroëm ibi comment. 15. & apud Simplicium in illum cont. 15. claris verbis ait, verba Aristotelis citata intelligenda quoque esse de cœlo, propterea quod à motore voluntarius est motus ipsorum. *Nam corpora cœlestia* inquit Alexander apud Auerroëm ibi, *secundum quod eorum motus est voluntarius possunt velocius moueri; & si non mouentur: quemadmodum boni possunt moueri ad non bonum, licet non moueantur.* Atque ex his patet Alexandro Intelligentias non esse determinatas ad vnum; sed arbitratu mouere, nec cœlo tantum vel tantum motum necessariò conuenire simpliciter.

Alexander.

Quam interpretationem ibi etsi Simplicius improbat; idque non rectè vt mox dicam; tamen eam ibi non improbauit Auerroës, licèt aliam sequatur ipse eo loco. Immo nonnullis videtur hanc sententiam Alexandri amplexus idem Auerroës libro 12. Metaphys. comm. 41. vbi videtur expressè distinguere æternitatem motus atque æternitatem substantiæ in cœlo, vt hanc nempe substantiæ dicat competere cœlo ex se & per se, illam verò motus non ex se & per se, sed tantùm à motore, cum ex se contingenter possibile sit etiam quiescere. Sed re vera quid ibi Auerroës sentiat non liquet, & suo more adeò perplexè loquitur vt facilius ex luto colligas aurum, quam eius consilium ex eius verbis. Nunc tamen nobis satis hac in re sit Alexander, qui etiam libro de fato (quem vt Aristotelis sententiam de diuina prouidentia Imperatori Antonino explicaret edidit, vt patet ex eius fine) eadem de Diis dixit cap. 16. Ait enim *à Diis actiones quasdam fieri circa contingentia quæ & aliter se habere possunt. Nam nec facultas Pythio surrepta est vt eidem responsum det & non det, &c.*

Simplicius.

Auerroes.

Alexander.

Secundò probatur eadem pars ex Aristotele libro 4. Topic. loco 64. Concedit enim ibi Deos, id est Angelos absolutè posse mutare voluntatem, licèt eam non sint mutaturi. ergo & eos dicet posse mutare locum, ac proinde moueri posse. Consequentia patet: quia si possunt mutare voluntatem, ergo sunt mutabiles ex se. ergo possent etiam mutare locum. Quæ enim ratio est cur loci mutatio denegetur iis qui voluntate sunt mutabiles, cum id concedatur homini cui potest accidere vt optet nunc vno esse loco nūc alio etiam ob amici bonum? Antecedens patet ex verbis Aristotelis ibidem: *Potest* inquit *Deus & studiosus praua agere; non sunt autem huiusmodi. Nam omnes praui secundum electionem dicuntur.*

A

Aristoteles.

Ex quibus concludit non propterea Deum & studiosum esse vituperabiles: propterea quod nullus dicitur prauus aut bonus ex eo quod aut bona aut praua agere possit. Vult ergo Intelligentias posse mutare voluntatem ita vt in prauitatem degenerent. Nam nomine Dei non potest intelligi summus Deus quem facit libro 12. Metaph. cont. 39. *se optimè habere semper*, & degentem *vita optima*; quæ est *ipsa intellectio eius quod secundum se optimum*, eo quòd vt ibidem ait cót. 51. *illud intelligit, quod diuinissimum honorabilissimúmque est.* nempe seipsum. ita vt omni careat potentia ad intellectionem cum sit *intellectio intellectionis intellectio.* Accipit ergo alios Deos minores; nēpe Intelligentias & Angelos: quos q. 50. quæsi. 1. Diffic. 2. diximus Aristoteli concedendos esse. & cum non sit maior ratio vnius quàm alterius, motrices orbium substantias intelligere debet quantum in ipsis est, mutare posse voluntatem.

B

Ex quibus obiter intelligitur non ad Aristotelis mentem Simplicium redarguisse Alexandrum vbi suprà, quod vt vidimus dixerit posse Intelligentias nō mouere cœlum, licèt nūquam futurum sit vt non moueatur. Quod dictum reprehenditur à Simplicio quasi Alexander in cœlestibus posuerit potentiam ad opposita. *Nam necesse est* inquit Simplicius *animas immistas nunquam in mala incidere*, &c. & post pauca. *Cœlestia ergo necessitatem habent diuiniorem; vnde & eodem modo semper moueantur, & voluntatem ad bonum determinatam. Non enim similiter habent animæ diuinæ bonum, vt animæ humanæ; sed hæ quidem finitum bonū, & quod mutari potest in contrarium. At illæ semper infinitum quod semper idem est.* Hæc inquam quæ à Simplicio dicuntur Aristotelicè dicta non sunt. Si quidem negat Aristoteles quamcumque substantiam abstractam præter Deum esse determinatam ad bonum; nimirum quantum est ex natura ipsius; & ideò dixit Deos posse praua agere. ex quo fit vt falsum sit cœlestia ex natura sua habere voluntatem ad bonum determinatam, eo quod in se habeant bonum infinitum. Immò infrà q. 63. a. 1. vnà cum A. Doctore ostēdemus, nullam creaturam esse posse, quæ ad bonū ex se determinata sit.

C

Simplicius.
Alexander.

Simplicius.

D

Sed tamen fateor excusari posse Simplicium aliquo pacto. Nam cum negat in cœlestibus esse potentiam ad opposita, nomine potentiæ fortassis intelligit eam quæ expedita sit absque impedimētis ad actum, vt etiam nos eam antè intelleximus. Quod patet ex eius verbis ibidem: *Existimo* inquit *quod viri probi dicuntur habere potentiam ad contrarium, quia interdum agunt ex eo, sed cœlestia & quæ sunt sempiterna quomodo habuerint potentiam quæ nunquam exeat ad actum?* Quibus verbis Simplicius significat cœlestia esse determinata ad bonum, & ad illud habere potentiam tantùm, quia oppositum actum non eliciunt. In qua re fortasse arbitratus est hanc necessitatem non esse à natura sed ex felicitate & propinquitate cum Deo, vt idcircò dixerit habere infinitum

E

tum bonum nempe tanquam obiectum. Quo etiam modo Ariſtoteles libro 1. de cœlo cont. 100. ait eas quæ ſuper cœlos ſunt degere vitam feliciſſimam, &c. Quæ tamen omninò ſtabiliri non poſſunt, quia horum Peripateticorum ſententiæ ad nos integræ non peruenerunt.

Ariſtoteles. Porrò quod Ariſtoteli motrices orbium Intelligentiæ moueant ex obſequio in diuinam voluntatem arbitratus eſt quoque Iulius Cæſar Scaliger exercitat. in Cardanum 359. num. 8. (Iul. Scalig.) Cuius verba non pigebit referre; vt qui nos rident quod Ariſtotelem Chriſtianum facere nitimur, ſciant non deeſſe ſui generis auctores, qui rei veritate coacti prius eam curam ſuſceperunt: *Quod legimus* inquit *in duodecimo libro diuinæ ſapientiæ ſæpe eſt a nobis exigente re ita repetitum. Primi orbis motricem Intelligentiam ſola ſui ipſius intellectione id præſtare. quod eſt, omnium maximum principium plurimarum concluſionum. Intelligit enim ſe à Deo creatam vt id agat. Quare ad eam intellectionem non ſolùm accedit conſequens amor & conſenſus verum etiam opera; ita vt illa moles gyro agitetur. quæ res omnium difficillimarum eſſet difficillima, niſi haberemus illud compertiſſimum; ſolo Dei iuſſu facta eſſe omnia. Ita quaſi iuſſu Intelligentiæ vertiginem cieri illam. Huic tam profundæ contemplationi addimus nos: non acquieſcere ſecundam Intelligentiam intellectioni ſuæ; ſed intelligere etiam motricem primam. quod & ſuprà dicebamus. Quare quemadmodum prima ſe intelligendo mouet ita ſuum, vt alios quoque torqueat inferiores, ſic inferior intelligendo primam, vult orbem ſuum cum primi orbis motu ſimul verſari*, &c. Ex his ergo putat Intelligentias ſponte ſua obſequi diuinæ voluntati, dum ſui quæque orbis vertiginem ciet. Huic etiam ſententiæ videtur (Zimara.) adſtipulari Theophilus Zimara libro 2. de An. in cont. 31. in ea verba *quam verò ob cauſam*; licet non ita perſpicuè id doceat.

Denique probari poteſt noſtra propoſitio ex eo quod Ariſtoteli Deus eſt liberrimæ in agendo voluntatis vt poſt oſtendam. ergo manifeſtè ſequitur etiam Intelligentias cæli motrices Ariſtoteli in agendo libera præditas eſſe voluntate. Quoniam ſi in agendo libertatem, perfectionem aliquam putauit eſſe quam in Deo reponeret, atque in homine qui Dei veſtigium aliquod in agendo ſeruat agnoſceret; quantò magis eam in Intelligentiis ineſſe arbitrari cenſendus eſt? longè enim magis Intelligentias ad Dei perfectionem faſſus eſt Ariſtoteles quam homines accedere. *Diis* inquit Ariſtoteles libro 10. Ethic. cap. 8. *beata tota vita eſt: hominibus autem eatenus quatenus ſimilitudo quædam operationis in ipſis ineſt.* Conſtat ergo intelligentias quæ Ariſtoteli mouent cælum multos voluntatis actus habere potuiſſe quantum eſt ex ſe, quos nunquam habituræ ſunt. Quod etiam confirmari poterit ex iis quæ ſubiiciam in conſequentibus noſtris corollariis.

In æternis idem eſt eſſe & poſſe, quo pacto Ariſtotelicè ſit intelligendum, diſputatúrque an Ariſtotelis opinione plures eſſe poßint Soles, aſtra, Mundi, &c. quàm de facto ſint. §. 3.

Ex hac propoſitione ita probata Colligitur primò, perperam intelligi à multis illud

A Peripateticorum axioma. *In æternis idem eſt eſſe & poſſe.* de quo Ariſtoteles libro 3. phyſ. cont. 32. (Ariſtoteles.) cum dixit. *Poſſe ab ipſo eſſe nihil differt in æternis.* Suppono autem hoc axioma eſſe Ariſtotelis contra expoſitionem quorundam qui putarunt eſſe Architæ ac veterum Philoſophorum. Nam Auerroes, Simplicius, aliique tanquam Ariſto- (Auerroes. Simplicius.) telicum explicarunt: illúdque Ariſtoteles ipſe aliis verbis vſurpauit vt libro ſecundo de cælo contextu trigeſimotertio & 9. Metaphyſ. contextu decimoſeptimo & alibi. Hoc autem poſito aio colligi omninò non rectè à pleriſque intelligi talem propoſitionem: vt ſit ſenſus, quia æterna nullam prorſus habent potentiam ad B quemuis actum, non differre in ipſis poſſe ab ipſo eſſe: eo quod omninò non aliter poſſunt eſſe niſi quomodo ſunt.

Non rectè autem ad mentem Ariſtotelis id exponunt. Primò, quia oſtenſum eſt æterna quantum eſt ex ſe poſſe aliquos actus ſuſcipere. Secundò, quia Ariſtoteles libr. 8. Metaphyſ. cont. 12. & lib. 12. Metaphyſ. cont. 10. dixit cælum habere materiam ac potentiam ad vbi, quia mouetur: & ad lumen, cum luna eclipſim patitur: Idémque dixit lib. 9. Metaphyſ. cont. 17. ergo æterna habent aliquam potentiam. Tertiò, quia certum eſt Ariſtoteli materiam eſſe æternam C quæ tamen potentiam habet, vt docet Ariſtoteles libro 1. Phyſ. cont. 81.

Quartò, quia aut ponunt in æternis potentiam & actum, aut non ponunt. Si ponunt; ergo differāt neceſſe eſt ex intima ratione potētiæ & actus. Quia Ariſtoteles libro 9. Metaphyſ. cont. (Ariſtoteles.) 5. & deinceps reprehēdit Megaricos quod poſſe ab actu non diſtinguerent; proindè volebant tunc aliquid poſſibile eſſe cum actu eſt. Inter cæteras autem rationes quibus eos redarguit eſt prima ex ipſa ratione potentiæ. quia ſcilicet *eſſe ædificatorem eſt eſſe potentem ædificare*, nempe eſſe habilem ad ſtructuram; quod poteſt ſeparari ab ipſo actu ædificandi. Ergo Ariſtoteli dif- D fert poſſibile ab actu etiam in æternis, quia etiā in his non eſt idem eſſe potentia & eſſe actu. Si non ponunt; Quo ergo pacto dicunt, poſſe non differre ab actu? Nam de eo quod non eſt dici non poteſt non differre ab eo quod eſt cum infinitè diſtent eſſe & non eſſe; vt docet A. Doctor de Pot. quæſtione tertia articulo quarto, & (A. Doctor.) quæſtione vigeſimaſeptima de Verit. art. 3. ad 9. Vndè ob hanc diſtantiam Ariſtoteles lib. 4. phyſ. cont. 71. dixit: Vacui ad plenum nullam eſſe proportionem, vt obſeruat etiam A. Doctor in eo art. 4. cit. Itaque cum aliter intelligenda ſit propoſitio illa Ariſtotelis, aduerſariis nullo modo fauet ad rem propoſitam de qua agimus, vt ſcilicet indè colligant, nullam eſſe in æternis E potentiam. Quin potiùs cum eorum doctrina ex aduerſo pugnat; quia ſi non differt, ergo in æternis eſt ipſum poſſe ac proindè non eſt nihil.

Quintò, quia multa cogunt nos Ariſtotelis opinione aſſerere, in æternis multa dari poſſibilia. Etenim primò in æternis nulla eſt ex rei natura neceſſitas vt ſint eclipſes. Hæ enim non contingunt niſi quia per eundem Zodiacum ſol & luna circumuoluuntur. At per Zodiacum ſeu obliquum circulum nulla eſt ex rei natura Ariſtoteli neceſſitas ipſa aſtra moueri: ſed hoc Deus & natura teſte ipſo Ariſtotele libro 2. de Generat. cont. 59. fecit ex præſtituto

ſtituto fine, nempe ad variandas vices rerum, quæ oriuntur & occidunt, eo quod ita melius eſt ad id quod natura ſibi proponit; nimirum vt perpetuentur rerum ſpecies quæ in indiuiduo non ſeruantur, ſed neceſſe eſt interire, vt ibi expreſſit Ariſtoteles. Cùm enim contextu quinquageſimooctauo dixiſſet: *Adueniente ſole generationem eſſe, recedente autem corruptionem*; ſubdit in contextu quinquageſimonono eius rei cauſam ex naturæ deſiderio, & ex eo quòd Deus perpetuare vult rerum eſſe, quod perpetuum eſſe non poſſet in non perpetuis indiuiduis. Cauſam ergo his verbis ſic explicat. *Hoc autem inquit rationabiliter contingit. Quoniam enim in omnibus inquimus quod melius eſt deſiderare naturam ſemper: melius eſt autem eſſe quam non eſſe, hoc autem impoſſibile in omnibus exiſtere propterea quòd longè à principio diſtant*; nempe ob naturæ corruptionem quæ à primo ente longè abſunt.

Ariſtoteles.

His ergo Ariſtoteles naturæ deſiderium monſtrat. Cui Deus ſe accommodare quantum poteſt ad naturæ corruptibilis capacitatem oſtendit his verbis. *Reliquo modo compleuit totum Deus continuam faciens generationem. ita enim maxim continuabitur ipſum eſſe*; quia ſcilicet Deus generationem rerum inſtituendo continuam largitur etiam ipſius eſſe continuationem in natura, quod in vno corruptibili indiuiduo perpetuum eſſe non voluit.

Quare Ariſtotelis ſententia ſol accedit receditque ad rerum generationes atque interitum, quia Deus vult perpetuum eſſe rerum ortum, vt earum eſſe conſeruetur, vt ita quantum fieri poteſt ſe rerum naturis ac naturæ propenſioni accommodet. Solùm ergo Ariſtoteli eſt neceſſitas ex fine, quem ſibi Deus ac natura propoſuit; vt ſcilicet ita maximè continuetur ipſum eſſe, vt dicebat Ariſtoteles, atque ita deſiderio naturæ ſatisfactum eſſet; quæ vt Ariſtoteles docet libro ſecundo de Anima contextu trigeſimoquarto in omnibus ſuæ ſpeciei perpetuitatem appetit, ſi eam in indiuiduo habere nequit: *Naturaliſſimum* inquit *operum quæ in viuentibus*; ideóque ſuo modo ac proportione in reliquis, *quæcunque perfecta & non mutilata ſunt, aut generationem ſpontaneam habent eſt facere aliud quale ipſum; animal quidem animal, planta autem plantam, vt ipſo ſemper ac diuino participent ſecundum quod poſſunt. omnia enim illud appetunt, & illius cauſa agunt omnia quæcunque agunt ſecundùm naturam.*

Ariſtoteles.

Adeò enim Deus ſuæ diuinitatis veſtigia impreſſit in omnibus rebus, vt *vnumquodque* inquit Philoponus in illum contextum *imitetur, quatenus poteſt eam quæ eſt in primo æternitatem.* Quod eleganter inter cæteros expreſſit Themiſtius ibi: *Nihil enim* inquit *æquè natura inſitum habetur, quam aliud quale ipſum eſt parere, vt animans animantem, frutex fruticem procreet, procreando perennet, perennando diuinæ naturæ particeps fiat; cuius deſiderio tenentur omnia quantum cuique eſt ſatis, eiuſque gratia quæ natura ſunt agunt quicquid agunt; ita volente & poſtulante natura*: de qua etiam re vide eundem Themiſtium primo Phyſicorum contextu tri-

Themiſt.

A geſimoprimo. Ergo Ariſtotelis opinione ſimpliciter poſſibile fuit aliter eſſe cæli motum; immò & ſubſtantiam cæli. Si enim finis alius Deo fuiſſet propoſitus aliter & materia & cæteræ cauſæ diſpoſitæ fuiſſent; cum finis inter cæteras cauſas primatum teneat velut earum regula & menſura, vt manifeſtum eſt ex eodem Ariſtotele libro primo de partibus anim. cap. 1.

Adde quod ridiculè diceret opinione Ariſtotelis is, qui abſolutè negaret cœleſtes orbes aut non potuiſſe eſſe maiores ſeu minores quam actu ſint, aut velociùs ſeu tardiùs moueri, aut in oppoſitos terminos, quàm re ipſa moueantur. Nam hoc ipſo teneretur ille ipſe dicere eiuſdem Ariſtotelis opinione B talem repugnantiam eſſe eo quod talis ac tantus motus quantitas & numerus orbium eorum eſſentiis debeatur. quo pacto repugnat eſſe alium Deum & plures Angelos in eadem ſpecie in eorum ſententia qui id pernegarunt; quia ſcilicet eſſentialiter ſunt ipſa indiuidua. Quoniam ſi hæc eſſentiis debita non ſint, nulla eſſe poteſt repugnantia ex qua denegetur alios eiuſdem rationis eſſe poſſibiles. vnde quia lunæ eſſentiæ lumen aut tanta quantitas non debetur; non repugnabit lunæ iis rebus priuari. & ſic de cæteris. At opinione Ariſtotelis tam certum eſt quam quod certiſſimum, ea quæ diximus nempe vt nunc ſunt determinata ad tantam quantitatem C talémque motum tot numero orbes, cæleſtium orbium eſſentiis non deberi.

Nam primò id patet de Sole, de quo Ariſtoteles Platonis definitionem improbauit libro ſeptimo Metaphyſices contextu quinquageſimoquinto, eo potiſſimum titulo, quòd per illam definierit hunc ſolem, ac ſi nec poſſent eſſe alij ſoles nec aliter moueri. Aiebat namque Plato ſolem eſſe quod circuit terram, aut quod nocte abſconditur. Improbauit autem huiuſmodi definitionem Ariſtoteles his verbis: *Quemadmodum* inquit *dictum eſt latet quod impoſſibile eſt in perpetuis definire; maximè verò quæcunque vnica ſunt; vt Sol aut Luna. Non ſolum* D *enim in hoc peccant, quod talia addunt quibus ablatis adhuc erit Sol; vt puta quod circuit terram, aut quod nocte abſconditur. ſi enim ſteterit aut apparuerit non amplius erit Sol. Sed inconueniens eſt, ſi non. Sol enim ſubſtantiam quandam ſignificat. Item quæcunque in alio contingunt: veluti ſi alter fiat talis quod erit Sol. Communis ergo ratio.*

Plato.

Ariſtoteles.

Quibus verbis vt per ſe clarum eſt, & conſonat Alexandri atque Auerrois explicatio, negat Ariſtoteles ſingularium vt ſingularium etiam æternorum poſſe eſſe definitionem. Quod quidem patere ait primùm etiam quia illa ipſa quam Platonici exprimere conati ſunt de ſole, communis neceſſariò eſt, E *ſi alter fiat Sol.* Deinde quia per ea definiunt quæ non neceſſariò conueniunt in ſolem; quod circuit terram & quod nocte occultatur, *ſi ſteterit*, &c. ergo non eſt ſingularium. Quare ſtatim ſubdit Ariſtoteles ibidem: ſi Platonici, Ideæ definitionem traderent eos in eoſdem errores lapſuros. *Cæterum cur nemo eorum definitionem profert Ideæ? fiet enim profectò mani*

Alexander. Auerroës.

Ariſtoteles.

manifestum tentantibus verum esse quod nunc dictum est. Ex his ergo patet non conuenire essentiæ Solis aut astrorum cæterorum, atque adeò cœlestium orbium, vt non possint esse plures aut alio modo commoueri; quia plura huiusmodi indiuidua fatetur esse posse.

A

Ex quibus etiam sequi necesse est eadem illa attributa; quòd scilicet orbes tali modo moueantur: quod tanta quantitate sint prędicti, &c. ne tanquam quidem proprias eorumdem orbium passiones esse posse, quæ nimirum naturam indicent esse talem cui eæ passiones conuenire debeant. Etenim cum propriæ passiones cum essentia cuius passiones sunt reciprocentur, nequit essentia sine illis reperiri, vt docet Aristoteles libro secundo Topicorum, capite 1. Itaque concedit Aristoteles possibile reperiri etiam in natura ac specie æternorum.

B

Secundò idem patet expressius de ipsis cœlestibus orbibus, seu potiùs de ipsis Mundis eos scilicet opinione Aristotelis posse esse plures quàm nunc de facto sint. Etenim libro primo de cœlo contextu nonagesimosecundo, ex eo quod aliud est, esse cœli simpliciter, aliud huius cœli, concludit non repugnare esse plures cœlestes orbes. *Alterum* inquit *est hoc cœlum & cœlum simpliciter. & hoc quidem vt species & forma. illud autem vt cum materia mistum. Quorum autem est forma quædam & species, eorum aut sunt aut possunt esse plura singularia. Siue enim sint species* id est Ideæ *vt dicunt quidam necesse est hoc accidere; siue etiam separatum, nihil talium sit non minus. In omnibus enim sic videmus: quorumcunque substantia in materia est, plura & infinita esse ea, quæ eiusdem sunt speciei. Quare aut sunt plures cœli, aut contingit plures esse.* Quibus verbis licèt Aristoteles quæstionem hanc de Mundorum pluralitate instituat dubitando; Tamen manifestum esse debet ex ipsa hac dubitandi ratione Aristoteli possibile esse plures Mundos, propterea quod quæ habent formam in materia in eadem specie multiplicari queũt. Id namque in cæteris signum est multiplicabilitatis in eadem specie, vt ipse philosophatur inductione ex cæteris.

Aristoteles.

C

D

Quamobrem non obstat quod Aristoteles in initio contextus proximè sequentis; nempe 93. illud argumentum velit dissoluere, ac proinde constet illud proposuisse potius examinandum quàm certa ratione stabiliendum: & idcircò etiam contextu nonagesimoquarto licet approbet quod cœlum sit singulare, éque materia constans, tamen negat esse multiplicabile. Hoc inquam non obstat. Ex eo etenim negat aut esse aut posse esse plures Mundos, propterea quod in hoc Mundo vniuersa materia continetur. *Non tamen* inquit *aut erit aut contingit fieri plures, propterea quod hoc materiam comprehendit vniuersam.* Itaque ratio cur neget esse posse plures Mundos, nulla est vt sic dicam impossibilitas ex essentia rerum sed ex defectu materiæ; ex qua alius Mundus conflaretur. Perinde ac si diceret: Posito quòd hic Mundus omnem materiam habeat, vt certè videtur, quia extra cœlum probat ex corporum motibus nullum esse corpus, sequitur esse non posse plures Mundos. Nam materia alia extra cœlũ iam superesset, ex quã cæteri constarent Mundi, quod improbare incipit ibidem à contextu 96. & præsertim contextu 99.

E

Hoc tamen refellit atque improbat rationibus naturalibus non ex repugnãtia naturarum; vt patet ex context. nonagesimoseptimo, & nonagesimooctauo. In priore enim loco nempe cont. 97. id ostendere nititur, quia si esset vllum corpus naturale, aut illud simplex esset aut mistum: &, aut esset secundum naturam aut præter naturam: quæ vtraque corporum genera ipse suis argumẽtis exagitat. In posteriore autem, nempe contextu nonagesimooctauo, concludit ibi non solum non esse, sed nec possibile esse (nempe nunquam fore) plures Mundos. Nam in fine eiusdem contextus 98. ea de quibus vsque in eum locum disputauerat claudit his verbis. *Quare neque nunc sunt plures cœli, neque fuerunt, neque contingit fore plures sed vnum & solum & perfectum est hoc cœlum.* Sumit ergo *non possibile* pro eo quod supra diximus ex eodem Aristotele, quod scilicet neque est neque fuit, neque futurum aliquando est, non autem pro eo quod ex natura rei absolute repugnat esse. Alioqui frigidæ omninò Aristotelis essent rationes illæ, quia in promptu ad argumenta responsio esset: esse scilicet extra cœlum corpora aliis materiis ac formis composita, ibique esse secundum suam naturam, nec alium ea petere locum, quàm quem habent & similia. Signum ergo est euidens Aristotelem disputasse ex iis quæ connaturali modo videmus esse.

Quæ causa ei quoque fuit, vt cum in ea ratione dubitandi supra posita ex cont. 92. vellet ostendere plures esse Mundos non visus sit ratione simpliciter probante, nullam dari huius rei repugnantiam: sed vt vidimus id probauerit inductione qua cernimus in rerum natura quęcunque habent formam in materia ea multiplicari numero solere. *In omnibus enim* inquit *sic videmus quorumcunque substantia in materia est*, &c. vt antè diximus. Quamobrem negauit esse alium Mundum ob defectum materiæ. non quia hæc possibilis non sit, sed quia potior ratio est, vt eam vltra Mundum esse non putemus. Vnde nunquam ibi negat absolutè materiam ampliorem esse posse quàm de facto sit. Id enim proficisceretur ex essentia vt diximus.

Immò si ostendere voluisset eam non esse possibilem debuisset soluere, & quidem potissimum eam rationem quę ex Aristotelęis principiis valida existimari debet; nimirum materiæ essentiam Aristoteli certam ac definitam magnitudinem non poscere. Materia namque ex sua ratione quid indefinitum atque indeterminatum est ex eodem Aristotele libro tertio Physicorum, contextu sexagesimoquinto & sexagesimosexto, sicut terminare & continere formarum est, vt ibidem dicitur. Idem etiam colligitur ex libro secundo de An. contextu quadragesimoprimo, vbi docet ignem posse excrescere in infinitum si ei apponatur combustibile. Idem pluribus confirmandum ex seq. Corollario; ex fine nimirum quem habuit Deus in condendo Mundo. Quare nunc ex his constet apud Aristotelem in æternis quoque potuisse esse multa quę non sunt de facto in rerum amplissima ista vniuersitate.

***

Cum

Cum alia complura Aristoteli sint possibilia quàm de facto sint; quod hæc potiùs quàm alia sint, à causa intelligente ac libera determinatum est. §. 4.

COlligitur secundò, (vt etiam hoc obiter à nobis commemoretur quod suo loco copiosè confirmandum est) Deum Aristoteli esse causam liberam; ex qua cœlum & terra Aristoteli æterna, tali vel tali modo definita ac determinata sint. Nã constat ex dictis alia æterna Aristoteli fuisse possibilia, & hæc quæ sũt alio modo; Ergo cur hęc potius & hoc modo quã alio de facto sint, debuisse determinari ab aliqua causa extrinsecus, agente propter finem, eaque intelligente ac libera, ac proinde à Deo.

Ac primum quidem quod à causa extrinseca patet, quandoquidem effecta hęc huiusmodi determinationem ex se non habent. ergo debuerunt determinari ab aliqua causa extra ipsa effecta. Quod ab agente propter finem probatur. Quoniam aut determinatio illa esset ab agente tantum, aut à fine tantum, aut ab vtroque simul, quia aliud causarum extrinsecarum genus non datur. Non à duobus primis; ergo dandum est tertium, nempe ab agente propter finem. Quod autem non à duobus primis patet: quia illa determinatio est aliquis effectus, ergo non à fine tantum, cum ipse nihil agat, sed causam efficientem ad agendum moueat. finis enim *mouet vt quod amatur*; vt ait Aristoteles libro 2. Metaphys. cont. 37. ergo mouet agens ad operandum. Illud enim quod amatur non aliter mouet, nisi quatenus obiectum bonum sui desiderio excitat motum, actionémque agentis: & idcircò Aristoteles eodem contextu statim subdit: *quod mouetur autem cætera mouet.* Excitato enim finis desiderio in agente hinc primò in cætera exoritur motus. cum agens sit vnde primum principium motus. quo pacto causa efficiens definitur ab Aristotele libro 2. Phys. cont. 29. Ille ergo effectus non est à fine tantùm. Non ab agente tantùm, quia hoc agens vel est intellectuale vel naturale. Si primum; agit propter finem ex Aristotele libro secundo Physicorum, contextu quinquagesimosecundo, & libro secundo Metaphys. cont. 9. Quocirca docet in eo cont. 52. fortunam quia est causa per accidens in iis, quæ agunt ex electione, nempe in agentibus ex intellectu debere causam esse *eorum quæ propter aliquid sunt.* quasi dicat hoc ipso quod fortuna accidit iis quæ ex intellectu agunt oportere eam esse inter causas quæ ob finem agunt. Idque non solùm aliquando & in aliquo loco, verum etiam semper & vbique. *Nullus enim* inquit in eodem libro 2. Metaphys. cont. 8. *inciperet agere quicquam si non esset peruenturus ad finem.* Nam *nec esset intellectus in huiusmodi. alicuius enim gratia agit quicunque intellectum habet.* Si secundum; eodem modo contrà est: quia omnis natura propter finem agit. *Sunt enim* inquit Aristoteles eodem libro 2. Phys. cont. 49. *propter aliquid & quæcunque ab intellectu & quæcunque à natura.* Nam quod quidam opinantur vt agens agat propter finem debere agere ex electione, vt ita A ad finem deliberando perueniat, falsum esse ait Aristoteles illo libro 2. Phys. cont. 86. *Inconueniẽs autem* inquit *non opinari propter aliquid fieri nisi videant ipsum mouens deliberasse.* Reddit rationẽ statim: *Attamen etiam* inquit *ars non deliberat. Namque si esset in ligno nauis faciendæ ars, haud secus atque natura faceret. Quare si in arte inest propter aliquid, & in natura inest.* Ergo ille effectus & determinatio non esset ab agente tantum causa præcisè à fine, sed ab agente causa propter finem.

Sed quod huiusmodi causa debeat esse intelligens ac libera probatur: quia causa necessaria quantum est ex se est determinata ad vnum, & agit quantum potest. Quæ enim est ex se ad plura indifferens, & sibi temperat non est necessaria sed libera. B Natura enim vt ait Aristoteles libro 3. Ethic. cap. 5. sibi temperare non potest. Id enim electionis est & dominij. Ideò libro 9. Metaphys. cont. 3. potentias quas ait agere cum ratione vocátque rationales, docet esse contrariorum. At verò quas irrationales appellat docet esse vnius, ad quod vnum determinata est; *vt calidum ipsius calefaciendi solius*, & cont. 10. ibidem docet easdem irrationales potentias facere quantum possunt, cum actiua patibilibus applicata sunt. Si ergo illa necessaria causa determinasset cœlum ad hãc substãtiam & ad hunc motum, ita necessariò fecisset hunc orbem cum his conditionibus, vt alium non potuisset efficere. C Alioqui omnes qui possunt esse condidisset, cum non sit, à quo potiùs determinata esset ad hunc & non ad alium possibilem Mundũ, ad hãc materiam & non ad aliam & sic de cæteris. Cuius rei perspicuè patet ratio. Cum enim hæc omnia eruenda essent ex nihilo, non posset assignari quid siue intrinsecus siue extrinsecus causã necessariò agentẽ determinasset ad hunc numero talibus conditionibus præditum effectum non autem ad alium. Ea namque quæ ipsi causæ insunt, respiciunt æqualiter possibilia omnia, quia ad illa omnia producenda vim habent. Extrinsecus verò nihil est quod concurrat, cùm è nihilo effecta promuntur. Non potuit ergo esse D agens causa & necessaria; ergo intelligẽs libera. Ergo Deus. Nulla enim intelligens causa nisi infinita potest Aristoteli esse à quo depẽdeat liberè hic totus Mundus præterquam Deus ipse. *A quo* vt ipse ait libro 12. Metaph. cont. 38. *tum cœlum tum natura dependet.* qui est vnicus in Mundo princeps rerumq; omnium gubernator, vt ibidẽ ait contex. 55. Constat ergo Deum Aristoteli in Mundo condendo causam esse liberam non ad vnum determinatam.

Verumtamen antequam ad reliquam præsentis Difficultatis partem accedamus; & ad argumenta, quæ contra obiecimus initio, respondeamus; E non abs re nos facturos puto si hanc ipsam de diuina libertate quæstionem paulo altiùs repetamus, ne hac tanta verborum parsimonia rem difficillimam non explicasse, sed potius quodã quasi integumento inuoluisse videamur. Etenim cum haud ignorem nonnullos qui hoc nostro ac superiore sæculo tanquam philosophi haberi voluerunt, dum variis interpretationibus pertinaciter inhæserunt; obdurasse se contra manifestam veritatem; ab horum ego erroribus reliquorum studia ad rectiorem viam pro viribus reuocare constitui; planéque quantum ratione assequi possum, certissimis Aristotelis nec inter se dissidentibus testimoniis, ostendere eos

A eos qui maluerũt in præcipitium labi, quam rectum ac tritum Peripateticorum vestigiis ad sapientiam iter sequi, ab Aristotelæa veritate lõgè multúmque in maxima causa aberrasse; propterea quod vt rectè monet Lactantius libro 3. de falsa sapientia cap. 2. *nunquam reperiri potest quod non rectè quæritur, aut omninò non quæritur.* Sit ergo

Lactantius.

BREVIS DIGRESSIO,

De Dei in condendo mundo libertate ad Aristotelis mentem. vbi complura ad libertatem necessitatémque naturæ spectantia discutiuntur.

OCcasione superioris proximi argumenti quo in secundo nostro Corollario vsi sumus (quoniam de re omnium grauissima disputamus) ne nimis tantæ rei ieiuna atque angusta sit nostra tractatio, libet nonnullas alias ex Aristotele depromptas rationes huc accersere. Non enim omnes quæ plurimæ sunt afferre licet in præsentia, cum earum fusiorem tractationem in suum locum seruemus, vbi de Angelorum creatione infrà disserendum erit. Erunt autem ni vehemẽter fallor, ea quæ allaturi sumus tam lucida ac clara Aristotelis hac vna in re vel testimonia vel argumenta, vt quilibet vel mediocriter in philosophicis versatus, eorum claritate (nisi manu velit tantùm veritatis lumen abigere) Atheos hos tetram nostrorum temporum caliginem, eorúmque mendacia, quamuis Aristotelæo colore circumlita deprehẽdere valeat. Vt autem Aristotelæa hæc lumina melius horum oculos verberent declarãdum priùs erit, quid nomine *natura* Aristoteles intelligere solitus sit cum frequenter inculcat: *Naturam nihil facere frustrà: & opus naturæ esse opus artis: & naturam esse rerum opificem.* & cætera id genus pronunciata non pauca. Pro qua re

Notandum est duplicem colligi ex ipsomet Aristotele *naturæ* acceptionem. Prior est vt natura sit idem quod ipsa rei substantia, & eius inclinatio & propensio ad rectè vel patiẽdum vel agendum ob finem in quem substantia ipsa propendet: perinde ac si arte quadam ac ratione duceretur. Quandoquidem quælibet res sic à Deo condita & constituta est, vt apta sit suis motibus, dispositionibus, actionibus, facultatibus atque instrumentis consequi eum finem, quem & Deus rerum artifex acquiri vult, & ipsæ rerum naturæ suomet instinctu appetunt: vt dubitauerint ex sapientibus nonnulli; Vtrùm intellectu aliquo operentur tã quæ sensu carẽt, quàm ipsa bruta, dum ea in suos se fines permouent ac progrediuntur. *Maximè* inquit Aristoteles libro 2. Phys. cont. 80. *manifestum in cæteris animalibus quæ neque arte neque inquirendo neque deliberando faciunt. Quapropter dubitant quidam vtrum intellectu aut quodam alio operentur & aranei & formicæ & huiusmodi. Paulatim autem sic procedenti & in plantis apparent conferentia quadam fieri ad finem, vt folia propter fructuum cooperimentum. Quare si & natura & propter aliquid hirundo nidum facit & araneus telam, & plantæ folia gratia fructuum, & radices non sursum sed deorsum gratia nutrimenti; manifestum est quod est causa talis in iis quæ natura fiunt & sunt.* Vbi vides nomine naturæ intelligi ipsas rerum substantias, & propensiones ad consecutionem sui finis. Vt sensus sit; quæ natura fiunt, hoc est quæ fiunt in substantiis naturalibus secundum propensiones ipsis à Deo rerum opifice inditas, absque ratione atque intellectu accidere non videntur.

Aristoteles.

Similii modo loquitur ibidem cont. 82. vbi comparat naturam cum arte in agendo, & cont. 84. dum dicit: *Ea quæ natura sunt ab aliquo in seipsis principio, continuo motu perueniunt in aliquem finẽ.* & cont. 86. ait: Naturam nõ deliberare nec in hoc ab arte differre. Quia & natura & artifex habẽt
B determinata media, per quę agant. Artifex enim qui artem perfectè possidet, indeliberatè assumit certa media ad certum finem: non secus ac *si in ligno nauis facienda ars esset.* Tunc enim *non secus ac natura faceret*; nempe nihil deliberans de mediis ad ipsam nauim fabricandam. Et similibus locutionibus Aristoteles illud significare contendit, vniuscuiusque rei naturam ex se determinatam esse ad agendum propter finem. Vult tamen Aristoteles in eo cont. 86. Naturam in eo esse arti dissimilem, quod ars est principium agendi in exteram materiam: natura verò in seipsam. vnde ibi ait: naturam esse similem medico qui *medetur ipse sibi ipsi.* Tunc enim ars est principium
C motus in eo in quo est. Quo etiam pacto eodem libro cont. 3. naturam ab arte distinxerat, eámq; hoc pacto descripserat: *est principiũ motus & quietis in eo in quo est,* &c. Hæc ergo prior est naturæ significatio.

Aristoteles.

Posterior verò naturæ acceptio est, vt sumatur pro ipso primo rerum artifice, & cæterarum rerum auctore, à quo scilicet res habent vt facultatibus sibi ab ipso inditis suos appetant, cõsequantúrque fines. Id patet ex plurimis Aristotelis locis in quibus ea naturæ tribuit, quæ nonnisi Deo liberè agenti conuenire possunt. Quod dum ostendo vnà pariter conclusum erit quod volumus in præsentia; nempe Deum esse
D cœli æternorúmque causam liberam effectricem.

Ad hanc ergo nostram propositionem stabiliendam adducam proximè consequentes locos, eorúmque quoad potero veritatem confirmabo.

In hac ergo re Primus locus nonnullis viris doctis videtur sumi posse ex libro 1. de gener. animal. cap. 4. initio, vbi testes datos esse ait animantibus, quia melius sit eos habere quam non habere. Probat autem id Aristoteles hoc argumento: Quia *Natura rem quamcumque facit, aut quia necessaria est, aut quia melius ita est.* Vnde cum eos neget esse necessarios ad generationẽ, quia
E non in omnibus quæ generant insunt, quia eos nec serpentes, nec pisces habent, infert. *Restat igitur vt melioris cuiuspiam notæ gratia testes habeãtur.* Ex quo loco confici illi auctores putant, vt Aristoteles intelligat nomine naturæ Deum liberè agentem. Deum quidem; quia eam naturam videtur intelligere in cuius potestate est vni speciei indere meliora, quæ alteri denegat. quod certum est Aristoteli Deum esse. Nulla enim est altera causa, cuius munus sit res omnes tali vel tali modo procreare. Liberè verò agentem: quia illud agens quod in rerum productione discernit & iudicat quæ illis sint aut necessaria aut melio

meliora, liberè ſe habeat in agendo neceſſe eſt. At natura hæc quam diximus Deum Ariſtoteli eſt agens quod in rerum productione diſcernit & iudicat quæ ſint illis neceſſaria aut meliora. Ergo hæc natura Ariſtoteli ſe liberè habet in agendo. Minor probatur: quia hæc natura Ariſtoteli ſemper facit quod aut melius aut neceſſarium eſt vt diximus. ergo in rebus diſcernit & iudicat quæ neceſſaria ſint & meliora: quia ſi non iudicat & diſcernit, ſe habet in agendo vt ignis & cætera inanimata, quæ ſemper efficiunt quantum poſſunt, nec interdum aut neceſſaria aut meliora efficere conantur. Aristoteles. *Ignis enim* vt Ariſtoteles libro 2. de An. cont. 41. *augmentum in infinitum abit ſi fuerit combuſtibile.* Quo etiam pacto loquitur libro 1. Meteor. cap. 3. arguens aduerſus eos qui totum ſupra aërem etiam ipſius cœli ſpatium eſſe ignem aiebant. *Si & diſtantiæ plenæ ſunt igne* inquit *pridem annihilatum vtique eſſet vnūquodque aliorum elementorum.* Quæ ratio valet de reliquis agentibus ſine cognitione & electione, quæ ſemper eodem modo ſe habent in agendo, & non diuerſo; ita vt nunc agant quæ neceſſaria, nunc quę meliora. Aristoteles. Et ideò generatim Ariſtoteles libro 9. Metaphyſ. cont. 10. *Neceſſe eſt* inquit *vt cum quo ad poſſint, naturale actiuum & paſſiuum approximent: hoc quidem agat illud patiatur.* Quia ſcilicet ex naturæ neceſſitate vno modo actionem ſuam produnt. & libro 8. Phyſ. cont. 8. vult ea quæ ſecundum naturam agunt agere vnum determinatè: ea verò quæ ex intellectu poſſe agere contraria. *Alia* inquit *mouentur ſingulariter, alia autem ſecundum contrarios motus; vt ignis quidem calefacit frigefacit non. Scientia autem videtur contrariorum eſſe vna.* Quare debuit eſſe agens quod diiudicet quæ neceſſaria ſint & quæ meliora. Maior probatur: quia actus diſcernendi & iudicandi quæ ſunt neceſſaria & meliora eſt actus intelligentis naturæ, quia neceſſariò prouenire debet à ratione. Aristoteles. *Vtrum enim aget hoc an hoc* inquit Ariſtoteles libro 3. de An. cont. 57. *iam rationis eſt opus.* Ex quo ſequitur tale agens liberè ſe habere in agendo, quia quod ratione diſcernit & iudicat quæ ſint meliora, confert & expendit eligibilia; quod proprium eſſe conſultantis atque eligentis patet ex Ariſtotele libro 3. Ethic. c. 2. & 3. ac proinde liberè ſe habentis.

Verùm licet hæc ratio non omninò ab re ſit; immò nec paruifacienda, quia eam naturam videtur Ariſtoteles intelligere, quæ cauſas dirigit atque ordinat, vt in rebus quod neceſſarium eſt atque optimum ingeneret. Tamen quia præclarioribus teſtimoniis abundamus vt rationes omninò firmas afferamus, dicam quomodo huic & ſimilibus argumentis reſponderi poſſet ab aduerſariis, qui obſtinatè contrariam ſentētiam tueri vellent. Poſſet enim quis dicere, naturam quæ rem quamcumque facit aut quia eſt neceſſaria aut quia melior, non eſſe quid vnum ſingulare quod faciat nunc quod melius nunc quod neceſſarium eſt ex electione: qua ratione intelligi deberet vt ſignificaretur Deus; ſed eſſe ipſas rerum inclinationes, viréſque effectrices; quæ neceſſariò quidem agunt; ita tamen vt illæ quæ in quibuſdam inſunt procreent neceſſaria; quæ verò in aliis inſunt, quod melius eſt. Vt v. gr. ſi dicamus calorem nunc producere quod melius eſt, nunc quod neceſſarium, non quia ipſe diſcernat vtrumque; ſed quia qui in vno ſubiecto eſt meliora producat; qui in alio, neceſſaria. vt

A dum in ligno producit ignē producat quæ igni ſunt neceſſaria; dum verò in animali concoquit cibum in optimum temperamētum efficiat quæ illi ſunt meliora. Itaque tunc Ariſtoteles intelligeret naturam quæ eſt vel in his vel in illis ſpeciebus; vt ſenſus ſit: Natura facit quod melius, aut quod neceſſarium eſt: id eſt natura quæ reperitur in rebus diuiſa, hoc eſt quęcunque natura in quacunque ſubſtantia ſit. ſeu, quod idem eſt, naturæ rerum id præſtant, vt per ſuas functiones aut quæ neceſſaria ſunt aut quæ meliora conficiant.

Nec diſſimili ratione diceretur: Natura ſpiritalis eſt aut coniuncta cū corpore, aut à corpore auulſa. Tunc enim intelligitur non quod aliqua B natura ſingularis ſit aut diuiſa aut coniuncta (hoc enim cum contineat pugnantia apertè falſum eſt) ſed quod cum naturæ ſpiritales quædam ſint cum corpore, quædam ſine corpore; rectè natura quæ tanquam communis ac præciſa à ſingularibus ſignificatur, diuiditur tāquam in hæc duo adæquata membra, vt ſit aut cum corpore aut ſine corpore. Vnde non obeſt quod Ariſtoteles loco citato dicat naturam in ſingulari; quia illud ſingulare non eſt ſingulare & indiuiduum; ſed membrum commune quod in duas partes adæquatè diuiditur: licet efferatur nomine ſingulari, vt in allato exemplo patere poteſt.

C Præterquam quod eſto de ſingulari ſit ſermo, non tamen de vno tātum ſingulari id accipi debet; ſed de quolibet etiam diſtributiuè intelligi poteſt: quia de qualibet natura ſingulari poteſt efferri hoc diſiunctum; nempe quod faciat aut neceſſarium aut melius; ſicut & de quocunque intellectu dicitur ipſum eſſe quid vel creatum vel increatum. Neque ad hoc eſt opus iudicio aut diſquiſitione in ipſa natura, quia ex propenſione naturali id haberi poteſt. vnde falſę eſſent vtriuſque prædicti argumenti propoſitiones. In primo quidem Maior: in ſecundo Minor. Sic enim reſponderi ab iis poſſet in forma; Negandum ſcilicet intelligi ab Ariſtotele Deum. & ad D probationem negarēt Maiorem duplici de cauſa. Primùm quidem: quia nuſpiam ibi Ariſtoteles ait, naturam indidiſſe animalibus teſtes, ſed eos eſſe in animalibus debere; vel quia neceſſarij ſint ad generationem, vel quia melius ita ſit. Deinde quia eſto dicat, naturam eos indidiſſe (quod ſanè colligitur ex eo quod idcircò Ariſtoteles dicit eos eſſe ob alterum illum finem ex duobus prædictis, quia natura facit vel quod neceſſarium eſt, vel quia melius: quibus ex dono naturæ eos eſſe ſignificat:) tamen intelligi poſſunt dati à natura in hoc ſenſu vt eos natura quæ eſt in ſemine generante produxerit in hunc finem, quia melius ita eſt, quem finem natura quæ in aliorum animalium iis carētium E ſemine ineſt non habeat, eo quod ei propoſitus ſit finis neceſſariarum nō meliorum rerum productio: Neque enim vt diximus de vna ſingulari natura producente Ariſtoteles intelligendus eſt. atque ita ruunt cætera quæ in eo argumento dicuntur.

Ad aliud verò argumentum quo probatur eam cauſam eſſe liberam aduerſarij negarent Minorem. Nā nullam ibi intelligit Ariſtoteles naturam, quæ diſcernat & iudicet, cum eam naturam quæ in ſemine eſt earum rerum effectrix nihil cognoſcat, sed neceſſariò operetur

quæ in animalibus generat.

Ad eiusdem Minoris probationem negarent Maiorem, si velint Aristotelem intelligere ibi, vnam naturam esse quæ semper facit aut melius aut necessarium. Illud enim pronunciatum iam diximus non necessariò supponere pro vno singulari, sed pro natura vel hac vel illa sub disiunctione; vt explicauimus exemplis allatis de calore, & spiritali natura. Cætera autem quæ in iis argumentis afferuntur vera sunt, & non parum confirmare possunt quæ deinceps à nobis dicenda sunt. Meliùs ergo probandum est.

Sit autem primus locus ex libro 8. Physicor. contextu decimoquinto, vbi hunc Mundi præclarissimum ordinem omniúmque rerum constitutionem à Natura esse docet, non autem ab alteriùs virtute causæ. Ac constitutio Mundi eiúsque ordo non potest esse inclinatio naturæ alicuius particularis ac substantiæ indita: Ergo debet pertinere ad naturam generalem; ac proinde ad Deum ratione ac libertate vtentem in Mundi constitutione. Singula ex illo loco inspiciamus, vt nihil prætermittatur. Ait ergo Aristoteles primùm contra Anaxagoram qui rerum principium mentem illam faciebat infinito tempore quiescentem &postea mouentem omnia, nimirum ex illo omniseminario, vt retulerat ibidem à contextu secundo & deinceps. Ait inquam *Nihil esse inordinatum eorum quæ natura & secundum naturam sunt*; ex eo quod *natura est causa ordinis omnibus*.

Anaxagor. Sequi autem ex ipsius Anaxagoræ dictis aliquid esse inordinatum in rerum vniuersitate, nempe sine ratione, idest sine proportione, quæ est aliquis ordo. Probat Aristoteles hoc pacto & infert suam sequelam: quia cum per ipsum Anaxagoram ante motum fuerit infinita quies, & post quietem finitum tempus, nulla erit inter quietem tempúsque proportio: quia *finitum ad infinitum nullam proportionem habet*. Præterea alio argumento eiusdem dicta impugnat: quia reddenda Anaxagoræ fuisset ratio, cur quæ natura sunt alio atque alio modo se habeant. *quare nunc potius quam prius* reddit causam. *Aut enim simpliciter se habere oportet id quod natura est, & non aliquando sic, aliquando aliter, vt ignis sursum natura fertur & non aliquando quidem aliquando verò non; aut rationem habere quare non simpliciter.*

His ergo verbis clarè constant quæ mox dicam opinione Aristotelis consequi. Primùm quidem admitti ab Aristotele eam Anaxagoræ doctrinam de diuina mẽte quæ ab eo tradita est: quod scilicet ea mens omnia moueat; quia hoc non improbat aut hic aut alibi; cum tamen cætera corrigat aut refutet. Ergo Deus est causa Aristoteli cum res tali vel tali modò inter se cõparentur. Deinde Aristotelem vt probet mẽtem illam non quieuisse infinito illo tempore quod asserebat Anaxagoras, hoc vti argumento vidimus; Nimirum quia illa infinita quies inordinata esset ad tempus illam consequens; quæ inordinatio non debet admitti in Natura, quæ est causa ordinis omnibus. Tertium est, Aristotelem exigere ab Anaxagora rationem cur illa mens ac virtus, quæ motum post infinitam quietem generauit non se eodem modo semper simpliciterque habuerit, vt vidimus; atque ita vt non multo post dicam ei naturæ absolutam libertatem in efficiendo tribuit.

Ex his ergo aio hic per naturam ab Aristotele intelligi causam generalem, nempe Deum liberè agentem. Quod quidem totum meliùs atque expressiùs patebit, si ea quæ ex eodem Aristotele diximus, eiúsque rationem, ad formam syllogismi reducamus. Ac primùm quidem, quod Aristoteles per naturam intelligat Deum sic ostendo. Etenim illam naturam intelligit Aristoteles quæ Anaxagoræ erat causa infinitæ quietis, ac proinde inordinatæ, eidémque naturæ quæ debet ordinis in omnibus esse causa, repugnantis. At huiusmodi natura non potest esse nisi Deus, ergo per naturam hanc Aristoteles intelligit Deum.

Minor est clarissima: quia nulla natura potest esse causa infinitæ quietis & ordinis in omnibus rebus nisi solus Deus, à qua scilicet pendeat primùm infinita quies, pòst verò omnium rerum motus & ordo. Dei namque attributum solius est illud apud Aristotelem elogium libro duodecimo Metaphysices contextu trigesimooctauo. *A tali ergo principio tum cælum tum natura dependet.* Debet enim esse id in cuius potestate situm sit, vt totius Mundi vel quies, vel tempus ac rerum motus esset, vt volebat Anaxagoras, vt etiam paulò pòst dicetur. ergo est Deus.

Maior autem probatur: quia vt vidimus ex verbis Aristotelis, eam naturam intelligit, quam Anaxagoras dicebat infinito tempore quieuisse, & postea mouisse omnia. Hanc enim eius positionem impugnat Aristoteles, eo quòd non potuit esse proportio inter infinitam quietem, & finitum motum vt vidimus. ergo eam naturam intelligit quæ Anaxagoræ erat causa infinitæ quietis, ac proinde inordinatæ ac naturæ repugnantis.

Ex quibus vlteriùs sequitur alterum ex duobus propositis; nempe Deum Aristoteli esse causam generalem, quæ intellectu & libera voluntate vniuersa condiderit: Priùs autem probabitur, Deus Aristoteli esse causa generalis, quia ordinem in omnibus causat, & nihil inordinatum esse permittit, quippe quæ mouet ac disponit omnia congruenter ad finem. quod conforme est ei doctrinæ quam tradidit in eo contextu trigesimooctauo libro duodecimo Metaphysices de quo iam diximus, à quo cœlum & vniuersa natura dependet. Est ergo causa generalis.

Quocirca etiam abigitur quædam responsio quam posset peruicax aliquis obtrudere; nimirum Aristotelem cum dicit naturam esse causam ordinis in omnibus; intelligere per naturam causas particulares, quarum vnaquæque causat suum ordinem partiarium in hoc vniuerso. Vnde impugnari Anaxagoram ex eo, quod posita illa quiete in natura, hoc est in rebus, concedere teneretur, non fore ordinem in omnibus; non quidem à Deo generatim; sed à suis causis singillatim.

Hæc inquam responsio abigitur, quia negat Aristoteles fore ordinem non qui est inter res particulares, seu inter particulares causas. huius enim non meminit ibi: sed inter vniuersi cœlique durationem quæ erat tempus finitum, & quietem illam infinitam, quæ ante tempus infinito interuallo præcessit: eoquod finiti ad infinitum nulla est ratio seu

seu proportio vt diximus. Ergo intelligit naturam, à qua pendet ipsa cæli vniuersique proportio, quam ipsa natura debet ponere, ne hæc inordinata sint in rebus. Quam planè constat esse naturam non singularem rei alicuius; sed generalem ac Deum; qui solus potest ponere hunc ordinem in cœlo, & auferre illam infinitam quietem, è qua oriebatur illa vt sic dicam improportio.

Præterquam quòd nihil in Anaxagoram Aristoteles intorsisset. Nam si causam ordinis intellexisset naturam cœli aut rerum cæterarum singularium; vnico verbo Anaxagoras vim argumenti lusisset; si nimirum dixisset, naturas illas particulares esse quidem causam ordinis inter se ad vniuersi finem, postquam à mente illa ordinatæ sunt, non tamen ipsas posse esse causam ordinis & proportionis ad quietem illam infinitam, antequam ipsæ à conditore Deo, aut ordinarentur aut producerentur. Immò expressiùs id ipsum patet ex iis quæ de ipsa mente affirmabat Anaxagoras eodem libro octauo contextu secundo. Ponebat enim res omnes ab æterno sed sine motu, pòst verò æternam illam quietem, Deo mouente motum in rebus iisdem cœpisse, ac Mundum suo ordine procreatum esse. *Si igitur* inquit Aristoteles de Anaxagora in eo contextu secundo *contingit aliquando nihil moueri, dupliciter necesse est hoc accidere. Aut enim vt Anaxagoras dicit. Inquit enim ille simul omnibus existentibus aut quiescentibus infinito tempore, mentem fecisse motum & disgregasse.* Itaque Anaxagoras Deum dicebat ordinis causam in rebus non ipsas res quæ ab alio; nempe à Mente ordinari ac moueri cœperant. Si ergo Aristoteles contendit posita æterna quiete, hoc ipso tolli ordinem à rebus, cum tamen debeat poni quia natura est causa ordinis, per naturam debet Deum ipsum intelligere.

Aristoteles.

Quod hoc syllogismo planum fiet. Ab ea natura debet Aristoteli manare ordo in res à qua Anaxagoras contendebat manare motum post æternam quietem; vt vidimus. Sed Anaxagoras contendebat manare motum post æternam quietem à natura quæ est Deus; vt etiam vidimus. Ergo Aristoteles hanc naturam intelligit, quæ sit Deus: Euidens ergo argumentum est ab Aristotele intelligi naturam generalem, quæ debuit esse causa ordinis in omnibus, ac proinde quæ debuerit cœlum tempúsque æternum efficiendo quietem illam sine proportione ad reliquas res auferre. Et sic sincerè Aristotelis mens ac sensus exponitur.

Nunc verò quòd huiusmodi causa generalis Mundi, ipsum Mundum ex libertate ac intellectu condiderit, Aristotelis sententia probatur. Primò, quia si est generalis causa ordinis in omnibus. ergo ex intellectu agit & liberè in rebus ordinandis ac disponendis. Quia vt ait Aristoteles libro sexto Ethicorum capite duodecimo, Prudentis est disponere seu ordinare alia in finem siue respectu sui ipsius, siue respectu subiectorum; hoc est eorum qui prudentis curæ subiiciuntur. Vnde eodem libro capite octauo dixit: prudentiam esse in Principe instar artis arhitectonicæ, quæ scilicet sit ciuitatum *præses ac legislatrix.* cuius est

Aristoteles.

A cuncta ad finem Reipublicæ ordinare, & constituere; & libro tertio Polit. capite tertio, Prudentiam esse ait virtutem eius, qui præest aliis. Ergo Deus Aristoteli ex prudentia agit in rebus ordinem seruando & in constitutione vniuersi. Si quidem dispositio hæc actus est prudentiæ non alterius virtutis. Ergo Deus agit Aristoteli ex intellectu & libera voluntate. Quandoquidem is qui ex prudentia agit, liberè agere debet. Etenim prudentia est recta ratio circa ea quæ agenda sunt ex libro sexto Ethicorum capite primo. vt nimirum sit electio recta, vt ibi clarè docet Aristoteles. Quæ electio ideò nō aliunde definiri potest *consultatrix appetitio*, vt

B eam definiuit Aristoteles sexto Ethicorum capite secundo, nisi quia prudentia consultat, vt quæ vtilia sunt eligamus. Ergo Deus ex prudentia & electione disponit vniuersum: quos certum est esse actus tum intellectus nempe prudentiam; tum liberæ voluntatis nempe electionem, vt patet ex eodem Aristotele libro tertio Ethicorum capite secundo.

Hic tamen obserua, quamuis dicamus in Deo esse actum prudentiæ, quæ virtus consultatrix est: non tamen nos per consilium intelligere actum inquirendi ignota qui Deo repugnat, nec aliter in nobis est nisi cum media ad finem

C ignorantur; sed actum qui eminenter sit consilium; hoc est vt rectè explicat A. Doctor suprà quæstione vigesimasecunda articulo primo ad primum, adeò certa cognitio sit, ac si per exquisitam (vt more nostro loquamur) inquisitionem esset elicita. Neque enim ab hac loquendi ratione sacræ literæ abhorrent. Nam vt ibi animaduertit. A. Doctor hoc eodem sensu Paulus ad Ephes. 1. de Deo pronunciauit: *Omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.* Habet ergo Deus liberæ voluntatis actus.

Ephes. 1.

Deinde probatur, quia Aristoteles in eo contextu decimoquinto citat. ex libro octauo Phys. reddendam fuisse rationem Anaxagoræ ait, cur

D quæ natura sunt non simpliciter se habent. ergo supponit, naturam esse causam intelligentem, quæ omnia ratione ac arbitrio disponat quæ ab ipsa oriantur. Nam alioqui non esset reddenda ratio cur non simpliciter se habeant; sed casu quodā aut fatali necessitate euenirēt; & ideò qui opinati sunt effecta nō regi ab intelligente causa, ea dixere esse vel à casu vel fato ac necessitate. Illud quidē placuit vt Democrito, Epicuro & aliis. quo posito nullam effectorum rationē reddi posse arbitrabantur, quippe quia casus & fortuna repugnant arti & rationi, vt colligitur ex Aristotele lib. duodecimo Metaphysices contextu tertio. Et ideò libro secundo Magnorum Moralium capite nono dixit: *Fortunam esse minimam vbi mens & ratio plurima*: & contrà. Hoc au-

Aristoteles.

E tem nempe esse à fato vel necessitate secuti sunt alij, de quibus Angel. Doctor infrà quæstione centesima decimasexta ibique commentatores. Qui tamen omnes fatum, hoc est rerum necessitatem iis rebus inferebant, in quarum vel productione vel regimine nullam posse dari rationem arbitrabantur. nulla enim erat ratio cur potiùs hunc assererent quàm illum effectum, quia sic necesse erat esse. vnde & de singulis quicquid vnquam atque alicubi contingeret pronunciabant: *Sic erat in fatis.* Ex quo nunc confirmatur quod de diuina libertate

dicebamus;nimirum cum Aristoteles in eo context.15.dicat reddendam esse rationem, cur res simpliciter se non habeant sed vario modo, sequitur necessariò Aristotelem quæcunque scimus à Deo facta, non putasse aut fato aut fortuna contigisse;sed ad naturę vniuersalis solertiam hoc est ad diuina consilia rationem omnem referendam esse censuisse.

Aristoteles. Alter locus est dum Aristoteles de natura asserit quòd faciat ex possibilibus quæ optima sunt.Tunc enim ea tribuit naturæ,quæ non possunt ascribi nisi Deo liberè ex intellectu & voluntate agenti. Hic autem locus multiplex est: nam libro de Iuuent.& Senectute. Vita & Morte capite secundo. *Naturam* inquit *videmus ex possibilibus quod optimum est in omnibus facientem.* B Nimirum vt ostendat cor animalis optimè à Natura in medio animalis esse collocatum.& libro de animal. incessu cap. 2. *Natura* inquit *nihil frustra facit, sed semper ex iis quæ cuicunque animalium contingunt id quod optimum est.* Quod dixit vt inde conficiat optimè constituta esse omnia,quæ spectant ad animalium progressionem, & libro 8. Phys.cont.56. *Quod melius* inquit *est, semper arbitramur in natura esse si possibile est.* Hinc autem deducit, motum localem cōtinuum ac perpetuum cæteris motibus priorem esse. & libro secundo de cœlo cont.34. *Natura* inquit *semper facit eorum quæ fieri possunt quod optimum est.* Ex quo probat nobilissimo corpori, nempe cœlo diuinissimum datum esse à natura locum. Ex his ergo constat Aristotelem asserere; naturam semper ex possibilibus optimum facere siue in constituendis partibus animalium,siue in collocando cœlo,siue in ordinando æterno motu, siue in quibusuis aliis rebus disponendis.Hoc posito aio:hæc quæ ab Aristotele tribuuntur naturæ,non posse conuenire nisi Deo liberè agenti, proinde nomine naturæ ab Aristotele intelligi Deum liberè agentem.

Probo igitur non posse ea conuenire nisi Deo liberè agenti. Et primùm quidem soli Deo ea quæ ex Aristotele iam dicebam posse attribui patet:quia ea natura intelligi ab Aristotele debet, in quam conuenire ipse arbitratur illa attributa quæ naturæ ipse tribuit in prædictis locis. Sed huiusmodi attributa ipse arbitratur non conuenire nisi in eam naturam quæ sit Deus.Ergo eam naturam intelligit esse Deum. Maior est nota ex ipsis terminis. Nam id vnusquisque ratiocinando intelligit in quod putat conuenire quæ illi tribuit;vt si dicat:Petrum esse filium Socratis,intelligit Petrum qui est filius Socratis &c. Minor probatur: quia non potest Aristoteles arbitrari ea attributa conuenire nisi in ipsum Deum; nimirum quod cælum collocauerit in optimo loco. quod motum localem continuum cæteris priorem esse voluerit &c. Quam enim aliam potuit Aristoteles arbitrari fuisse cœlo causam quæ ipsum cœlum collocauerit in amplissimo loco? Non enim dicent esse ipsum cœlum, aut ipsam cœli naturam. Nam cœlum vt supra ostendimus, Aristoteli non habet vim actiuam se mouendi localiter: Ergo nec habet vim actiuam se collocandi in hoc aut illo loco.

Quin etiam detur cœlo inesse vim effectricem sui motus; Tamen non potest cœlo tribui quod se collocauerit in isto potius loco quam in alio. Id enim non est corporis inanimati, sed

A se ipsum mouentis ex principio quod in ipsum motum dominium habeat. Et idcircò Aristoteles libro octauo Physicorum à contextu vigesimoseptimo docet hoc esse animatorum proprium; nempe eorum quæ etiam seipsa sistere possint;vt habet cont.vigesimusnonus. *Vitale* inquit *est hoc & animatorum proprium, & sistere possent se ipsa, vt si ambulandi causa sit sibi & non ambulandi esse debet.* Quare eodem contextu vigesimonono negat ignem ferri sursum posse à seipso. neque enim vno tantum motu nempe sursum ignis moueretur. *Irrationabile* inquit *est vno motu moueri solùm à se ipsis,si ipsa seipsa moueant.* Si ergo cœlum in eo loco quem tenet collocasset seipsum,animatum esset, nec vno tantùm moueretur motu,sed in contrarias partes, & quocunque liberet se transferret. Quo pacto se ipsum mouet animal. Et sicut se moueret ignis si à seipso moueretur;vt ibi ait Aristoteles: *Nam si in ipso igne* inquit *est sursum ferri, manifestum est, quod in ipso & deorsum.* Hæc autem omnia cœlo repugnant, vt ostendimus suprà quæstione quinquagesimaprima,articulo primo.Ergo cœlum non se collocauit in illo loco, vbi nunc illud scimus esse. Aristoteles. Aristoteles.

Quod si dicas ipsum cœlum se collocasse ibi ex necessitate naturæ opinione Aristotelis.Contra est:quia quæro à qua natura id fuerit necessariò? Si extrinsecus ab aliqua natura,profectò C hæc debet esse aliqua Intelligentia cœlo præstantior. Hanc autem dicimus Deum & primam causam. Decet namque ab ea causa cœlum in suo loco collocatum esse à qua in suo esse dependet, si extrinsecus à causa aliqua locum habet. Hoc enim videmus in cæteris effectibus, qui ab iisdē causis à quibus producuntur in loco etiam primùm reponuntur, quicquid sit deinceps. Quod multò magis verum sit Aristoteli oportet in iis quæ ipse ab æterno opinatus est in loco constituta esse. Eadem enim efficiens causa à qua effectus ipse æternum accepit esse, debuit & locum determinasse æternum. D Verissimum enim est;Id quod dat esse dare quoque ea quę ipsum esse necessariò consequuntur; quale est esse alicubi determinatè. Quo pacto res creata inquit A.Doctor quæst. 5. de Veritat. a.8.c. non solùm à diuina bonitate habet quod sit; sed etiam quod aliis esse & bonitatem largitur; sicut etiam Sol per diffusionem radiorum suorum non solùm facit vt corpora sint illuminata,sed etiam illuminantia:Quia scilicet ab eodem est ipsum esse & facultates operatrices quæ consequuntur. A.Doctor.

Si verò dicant non esse collocatum extrinsecus à natura, sed intrinsecus à seipso; contra hoc dupliciter arguo. Nam primò collocare se E in loco est se mouere, aut saltem non se collocant determinatè in loco quæ se ipsa non mouēt, aut certè quæ non habent in se principium eliciens motum. Nam cætera non à seipsis, sed ab aliis in determinato loco constituuntur;vt patet inductione per singula. Vnde quia res in primo sui esse cum primùm producuntur à suis causis, non est huiusmodi principium expeditum vt eius actione res ponantur in determinato loco, ab alio habent determinatum locum vt modò dicebam. Cœlum ergo cùm non habeat in se tale principium eliciens motum, quia cœlum in se motum Aristoteli patitur non agit, nō potuit à se collocari in loco. Deinde contra est;

Quia

quia illud non est alicubi determinatè ex necessitate naturæ quod habet naturā ab alio dependentem, quia sicut res ab alio dependet in esse, ita dependet ab eodem vt sit in hoc determinato loco; Vt quia radius est à Sole ab eo etiam habet vt sit hic vel ibi. Cum ergo cœlum ab alio dependeat in esse Aristoteli; vt patet libro 12. Metaphys. cont. 38. debet quoque ab eodem depédere vt sit in tali loco. Ergo non est ibi ex necessitate naturę; quasi id à natura necessariò fluat.

Quin etiam, rideret hujusmodi necessitatem Aristoteles: quia vt suprà dicebā, similem de Sole necessitatem ridiculam existimauit: cùm libro 7. Met. cont. 55. ineptā illā Platonis de Sole definitionem vt vidimus iudicauit; quasi aut plures esse Soles non potuerint, aut hic qui est aliter non posset moueri aut stare. Ergo iudicauit hæc quæ habet Sol siue locum siue motum non habere ex necessitate naturæ. Ergo nec quæ habet cœlum, erunt ex necessitate cœlestis naturę. Immò Aristotelis opinione posse cœlum velociùs ac tardiùs moueri suprà diximus in primo Corollario. Si ergo cœli natura non est determinata ad motum, cur dicent ad locum determinatam esse?

Addimus quoque illud; quod cum cœlum semper secundum partes locum mutet, non potest esse in loco determinato ex necessitate naturæ. Est namque cœlum totum quoddam continuum, & vt vocant homogeneum. In quo & similibus eadem esse loci necessitas debet totius & partis, cum sint eiusdem naturæ. Ergo si totum cœlum necessariò ex natura est in eo loco determinato, & pars cœli in parte eius loci determinata necessariò esse debet. Sicut enim in his continuis homogeneisque corporibus idem est locus totius & partis: vt docet Aristoteles libro tertio Physicorum contextu 48. *Vt totum terræ* inquit *& vnus gleba; & ignis atque scintilla*; Ita & locus totius necessariò determinatus, & partis etiam necessariò determinatus. Quapropter pars aeris cum in sui totius loci parte collocata est, nunquam ab ea recedere conatur, sed fixa ex se manet ibi. Quod à fortiori conuenire cœli partibus deberet, quę, vt aeris, atque aquę, fluentes nó sunt, sed fixæ cóstantésq; Ergo partes cœli séper motu violéto & repugnáte cœli natura mouerentur. Semper enim extra locum suum determinatum ac definitum in orbem ducerentur ab Intelligentia non minus quàm cum terra sursum attollitur. Ergo partibus cœli motus in orbé violentus esset. Cum auté nullū Aristoteli violentum sit perpetuum, falsum esset Aristoteli cœli partes æterno tépore moueri. Quod etiā ipse Aristoteles probat libro 1. cœli cont. 15. Nā *si præter naturam* inquit *feruntur ea quæ ferunt circulariter, mirabile & omnino irrationabile est continuum solum hunc motum & sempiternum existentem præter naturam esse. Videntur enim in aliis citissimè corrumpi quæ præter naturam sunt.* Constat ergo in his locis Aristotelem nomine naturæ intelligere Deum. Quod confirmandum quoque est ex iis quæ nūc subiicio de Deo liberè agente.

Quod autem prædicta attributa tribui Deo debeant liberè non necessariò agenti, probatur manifestè: Quia si natura & Deus ex iis quæ fieri possunt facit quod melius & optimum est; ergo operatur ex electione. quia vult vnum nempe optimum posthabitis cæteris quæ velle potuisset. Vt enim habet Aristoteles libro 3. Ethic. c. 2. Electio est actus quo aliquid volumus *ex aliis & quod ante alia ponitur*; nimirum quod melius est comparatè ad alia, & ideò posthabitis cæteris. Vnde paulò ante dixerat ibidem. Electionem esse propositum *cum ratione & cogitatione*, nempe per consultationem, de qua re plura apud A. Doctorem 1. 2. q. 13. a. 2. vbi ex hac ratione negat electionem posse conuenire brutis quæ ait esse determinata ad vnum. quod etiam docet Aristoteles libro 3. Ethic. cap. 2. Ergo Deus operatur Aristoteli ex electione; nimirum vnum efficiendo præ aliis nempe melius; rejectis iis quæ minorem habent rationem bonitatis ad finem; nimirum alia quæ potuisset velle. Si enim ex possibilibus Deus vult optimum, ergo potuit cætera velle.

Alioqui non vellet ex possibilibus optimum; sicut brutum nó appetit ex possibilibus herbam, sed herbam non habita ratione possibilium; atq; ita non appetit ex possibilibus, hoc est inter ea quæ esse possunt. sicut rectè dicitur, qui inter amicos pręferat Iulium, ex amicis maximè amare Iulium. Si autem Deus Aristoteli agit ex electione; ergo liberè agit Aristoteli Deus. Quicunque enim agit ex electione non est determinatus ad vnum. Quia electio vt in eodem art. 2. probat A. Doctor debet esse respectu plurium, quorum vnum cæteris pręferatur. Et ideò Aristoteles libr. tertio Ethic. cap. 2 dixit electionem *esse eorum quæ sunt in nostra potestate*; nempe quæ possumus facere & omittere. & electionem esse *consultatiuam appetitionem*, quę consultatio est circa plura, vt pręstabilius iudicetur. Quę causa est, vt quæ *fiunt ex ira non existimentur facta ex electione*, vt ibidem docuit Aristoteles, quia præter arbitrij libertaté fiunt & ob iræ passionem ex determinatione ad vnum. Ob quam etiam causam negat Aristoteles libro 2. Phys. cont. 59. electionem esse in brutis & pueris. Ergo Deus Aristoteli est natura liberè agens.

Tertius locus è multiplici auctoritate conflabitur. Quæ omnia hac argumentatione cóplectar, vt altius animo penetrentur. Si Aristoteles nomine naturę significet causam cœli, astrorúmque, cæterorúmq; Aristoteli æternorum ratione atq; ordine effectricé, nomine naturę non potest intelligere nisi Deum liberè agentem. Sed sæpè Aristoteles significat nomine naturæ causā cœli astrorúmve, cæterorúmq; Aristoteli æternorum ratione atque ordine effectricem. Ergo sæpè nomine naturæ Aristoteles non potest intelligere nisi Deum liberè agentem. Maioré huius argumenti propositionem ostendam postquam eius Minor multipliciter probata erit.

Minor itaq; probatur multipliciter. Primò ex lib. 2. de cœlo cont. 69. vbi naturæ ratione & ordine effectrici æternos effectus tribuit: nimirum cur cœlum quod Aristoteli est primum, nempe stelliferū habeat tam multa corpora, id est astra; & nonnisi vno moueatur motu; cæteris verò orbibus nonnisi vnū datum sit astrum, cum tamen moueantur pluribus motibus. *Sic igitur* inquit *exæquat natura & ordinem quendam facit, vni quidem lationi multa tribuendo corpora; vni verò corpori multas lationes.* Ergo opinione Aristotelis & eius verborum significatione æterni effectus sunt naturæ, ratione atq; ordine agétis, quod plurima scilicet astra infixa hæreant cœlo, & quod reliqui orbes multiplici motu reuoluantur. Naturę quidem quia illa exæquat ordinéque facit. Ratione verò

verò agentis, quia illa causa quæ facit comparationem inter plura & exuperantiæ vnius, alteriúsque defectum ad æqualitatem redigit ratione agit: quia nihil comparare plura inter se potest ad finem æqualitatis constituēdum nisi causa intelligens, quæ habitudinem vnius ad alterum proportionémque cognoscat. Vt enim habet A. Doctor 2. 2. q. 58. a. 4. *apprehensio sensitiua non se extēdit ad hoc quod considerare possit proportionem vnius ad alterum, sed hoc est proprium rationis.* Alioqui bruta possent ex iustitia operari, & reddere suum cuique. quod clarum est falsum esse. At natura quæ exæquat & ordinem facit inter plura, est causa quæ facit comparationem inter plura & exuperantiam vnius, alteriúsque defectum ad æqualitatem redigit. Nam si exæquat defectum vnius cum exuperantia alterius & ordinem facit, id sanè comparando illa plura facere debet. Et ideò huiusmodi natura vt ex Aristotele diximus vni plus tribuit, alteri minus vt defectum compenset. Hoc enim ipso quod ad defectum subleuandum plus vni tribuit, ab alteróque aliquid detrahit, quousque ad æqualitatem perueniatur, comparatè id faciat necesse est, quia intimam hæc omnia inuoluunt comparationem, nempe æqualitas, defectus, excessus. ergo natura quæ exæquat & ordinem facit inter plura, est causa quæ facit comparationem inter plura, & exuperantiam vnius alteriúsque defectum ad æqualitatem redigit. Constat ergo huiusmodi naturam ratione vti. Quod denique etiam ordine agat facile patet: quia exæquando exuperantiam vnius cum defectu alterius ordinate agit, tribuendo nimirum vnicuique secundum exigentiam suæ naturæ & habita proportione rerum ad bonum vniuersi, quod est ordinatè seu ex ordine agere; vt patet ex iis, quæ docet A. Doctor suprà q. 21. a. 1. ad 3. Itaque illa natura ratione, & ordine agit. quæ erat Minoris prima probatio.

A. Doctor.

Secundò probatur eadem Minor ex eodem libro cont. 50. vbi etiam effectus æternos eodem modo esse docet effectricis naturæ; nimirū quod natura astris, quæ per seipsa moueri non oportebat, non dederit organa ad motum: quin potiùs natura ex industria huiusmodi organa ab astris abstulerit: propterea quod astra seipsa mouere non debuerunt, ne quid in natura casu & absque ratione factum affirmetur. *Irrationabile* inquit *est nullum organum ipsis præbuisse naturam ad motum, nihil enim vt contingit facit natura; neque curam quidem animalium habuisse, quæ autem tam pretiosa sunt despexisse. Sed videtur tanquam ex industria abstulisse omnia per quæ contingebat progredi per seipsa, & quamplurimum se mouisse ab iis quæ organa ad motum habent.*

Vides hîc etiam opinor lector effecta duo attribui Naturæ rationem atque ordinem in agēdo seruanti. Alterum est; quod non dederit organa substantialia, quibus stellæ progredi possent; quia nihil casu facit natura: quæ tamen organa dedit animantibus quorum curam habet, vnde ea stellis irrationabiliter denegasset si progrederentur: quia non casu id fecisset. Alterū; quod ex industria ea abstulerit. quasi id sapienter præclaréque constituerit, ne quid temerè & casu à natura factum asseratur.

Ex quo loco facilis eius Minoris duplex probatio existet. Primò quia in prædictis verbis

A Aristoteles eam naturam significat; cuius cura & prouidētia astra & habuissent organa ad motum, si eis progredi datum esset; & nunc de facto non habent eo quod ipsis progrediendum non erat, vt patet apertè ex allatis verbis. Sed natura cuius est huiusmodi cura & prouidentia est causa eorum quæ Aristoteli æterna sunt, ratione & ordine effectrix. ergo Aristoteles in prædictis verbis significat naturam quæ sit causa eorum, quæ Aristoteli æterna sunt ratione & ordine effectrix. Hæc ipsa postrema Minor probatur: etenim si alicuius naturæ cura & prouidentia dari possunt organa astris, eáque ab ipsis auferri cum opus est; ergo in eius potestate est formare in cœlo astrorum organa, eáque nō formare, quatenus finis ea vel postulat vel recusat,

B ac proinde est causa effectrix eorum, quæ Aristoteli sunt æterna nempe astrorum, & ratione & ordine vtitur, quia si opus sit ad finem sibi præstitutum media apta adhibere potest, eáque de facto astris adhibuisset si opus eis fuisset, vt præstitit in animalibus, quæ his organis indigēt. Confirmatur, quia eam naturam significat quæ casu non operatur. ergo ex electione & fine præstituto, & cum ei maior cura sit rei nobilioris quam minus perfectæ, ordinatè atque ex ordine agit.

Deinde quia eam naturam significat illis verbis Aristoteles, quæ ex industria remouet media

C quorum nullus esset finis si essent ipsa. nempe organa ad progressionem vbi nulla futura erat progressio; vt patet ex iisdem relatis verbis. ergo significat causam æternorum effectricem, cámque ordine & ratione agētem. Causam quidem: quia in cuius potestate est auferre & remouere aliquid, in eius etiam potestate est illud ponere, vt si in potestate regis est auferre ac remouere leges, eiusdem quoque est eas condere; & sic de cæteris. ergo est eorum causa effectrix. Ordine verò & ratione agentem: quia ex industria remouet quæ inutilia & frustrà essēt. Ergo ex præscripto rationis & ordinatè agit.

Tertiò probatur eadem Minor ex eodem cōt.

D 59. in quo Aristoteles ostendit naturam, quę nihil absq; ratione aut frustra facit, rectè in astris sphæricā figuram efformasse, eo quòd talis figura non est apta ad progrediendum: cuiusmodi motus non conueniebat ipsis astris. *Quoniam enim ostensum est quod neque natura apta sunt moueri per seipsa. Natura autem nihil absque ratione frustráque facit, palàm est quòd figuram talem dedit immobilibus quæ minimè est motiua, propterea quod nullum habet organum ad motum. Quare patet quod sphærica vtique erunt mole.* Si ergo natura nihil absque ratione & fine facit, rationem quandam & methodum in agendo seruat in æternis effectis progignendis; ergo æternos hic quoque effectus na-

Aristoteles.

E turæ tribuit Aristoteles rationem atq; ordinem in agendo seruanti. quæ verba sunt adeò per se clara, vt ea Minor ampliore probatione non egeat.

Quartò probatur eadē Minor & libet alium locum ex eodē libro referre huc in primis spectantem. Nam cum Aristoteles cont. 54. & 55. ostendisset contra Pythagoræos astra suo motu non edere sonum; quia nec per seipsa mouētur, nec orbes cœlestes frangunt medium per quod mouentur; quæ sunt soni causa; subdit cont. 56. Rectè id factum esse. Nam si ferrentur aut in

aëre

aëre aut in igne astra, nihil posset conseruari eorum quæ hic apud nos sunt; *veluti id quod futurum erat prouidente natura. quod non hoc modo se habente motu nihil vtique esset eorum quæ sunt circa hic existentem locum.* Ergo beneficio naturę prouidentis atque auferentis incommoda habemus vt astra tantum sonum edere non possint. Ergo naturam causam esse significat huius effectus ęterni ratione ordinatéque agentem; quod scilicet eo modo sint facta vt obstrepere huic mūdo nequeant.

Simplicius. In quem locum Simplicius commentario suo 37. multa egregiè pro hac sententia tum ex Alexandro tum ex sese scripsit. Inter cætera verò illud præclarè docuit ex Alexandro: *Secundo autem* inquit *notat* Alexander *& hoc benè quod ex his quæ dicuntur manifestus est Aristoteles planè existimans prouidentiam eorum quæ hic sunt. Naturā enim prouidentem ait eorum, quæ hic sunt facere sphæras motus sed non astra. Nam causa faciens hæc & prouidet. Patet autem quod naturam hanc Deum vocat Aristoteles. Nam propriè dicta ab ipso natura est principium motus & quietis, in quo est quæ non solum prouidere nō valet, sed neque videre aut cognoscere totaliter nata est, neque sentire in insensibilibus corporibus primùm innata.* Hæc Simplicius ex Alexandro aurea dicta.

Quintò eadem Minor probatur ex libro primo cœli, cont. 20. Ibi enim expressè laudat naturam quod cœlo exemerit contraria; quandoquidem futurum erat incorruptibile. quod non poterat esse, si contrariis subiectum fuisset: *Si iam* inquit *huic nihil contrariū contingit esse ex eo quia lationi circulari non sit aliquis contrarius motus, rectè videtur natura id quod futurum erat ingenerabile & incorruptibile exemisse à contrariis. In contrariis enim est generatio & corruptio.* Cur ergo cœlum careat contrariis est beneficium à Natura appositè ad finem operante promanans: quæ à cœlo, contraria vt sit incorruptibile, remouerit. Ergo Natura ratione vtens est causa huius æterni effectus; nimirum quod talis ipse effectus sit naturæ ob futuram incorruptibilitatem ita operantis.

Denique probatur eadem Minor ex libro 2. Phys. cont. 45. vbi perspicuis verbis cœli aliquā causam esse ait aut naturam aut intellectum aduersus Empedoclis sententiam affirmantis cœlum esse à casu. Quod eo argumento confutat: Quod si animalia sunt à Natura vel ab intellectu, indignum est cœlum præstantissimum corporum negare esse ab huiusmodi causis. Verba

Aristoteles. Aristotelis clara sunt. *Et valde admiratione dignum quod dicunt: ipsa quidem animalia & plantas à fortuna nec esse nec fieri; sed aut Naturam, aut intellectum, aut quidpiam tale aliud esse causam. Non enim quoduis ex semine vnoquoque fit; sed ex tali quidem, olea; ex tali autem homo: cœlum autem & diuiniora sensibilium à casu fieri. talem autem causam nullā esse qualem animalium & plantarum.*

Quibus verbis patet Aristoteli absurdum esse nullam concedere causam effectricem cœli; nempe Naturam intelligentem & ratione vtentem. Certum enim est Aristoteli talem causam non esse naturam inanimem; quæ cœli cum sit causa, debet esse rerum è nihilo procreatrix, ac proinde omni creato ente nobilior, atque ita intelligens ac Deus. Nam primò quæ cœli causa esse potest quæ cœlum è nihilo non creet, si cœlum ingenerabile? At creatrix causa præsertim corporis tam immensi ac nobilissimi præter eam

A quæ eadem omnipotens sit esse non potest. Ergo non potest esse causa nisi intelligens.

Id quod etiam indicauit Aristoteles eodem libro secundo Phys. cont. 67. cum dixit: si casus est causa cœli; ergo necesse est prius intellectum esse & Naturam huius vniuersitatis causam, quia intellectus & Natura sunt causæ per se; Casus autem causa per accidens. Causæ autem per se sunt priores causis per accidens. Vnde Simplicius ibidem commentario suo 38. sic ait: *Censeo autem obiicientes Aristoteli velut dicenti non causam effectricem cœli benignè & prudenter audire quæ hic dicuntur*, &c. Quibus remouere ab Aristotele conatur calumniam illam, quæ à nonnullis ei obiectabatur quod negaret Deum esse cœli B causam. Idcirco orat huiusmodi homines ne sint tam ad calumniam proni, sed benignè audire velint quæ hic dicuntur, vt facilè talis de præstantissimo philosopho suspicio de eorum animis euellatur. Vnde paulò post explicans quæ sit efficiens causa, quā Aristoteles innuit. *Et erit efficiens mens, vel aliquid mente præstantius.* Quod fortasse dixit more dubitantis; non quod non putet absolutè causam vniuersi esse Deum: Sed quod hîc noluerit definire; Vtra potior sentētia esset, Platonisne an Aristotelis. Ille enim in Timæo arbitratus est, vniuersum à Deo esse ordinatum per Deos minores; id est Angelos administros, vt suprà dictum est. Aristoteles verò à Deo solo proximè & immediatè voluit esse conditum vt vi-C dimus ex eius verbis: & idcirco dixit libro 12. Metaphys. cont. 38. à Deo cœlum naturámque pendere. Constat ergo veram esse illam Minorē; nempe Aristotelem sæpe nomine naturæ significare causam cœli, æternorúmque ratione atq; ordine effectricem. Atque hæc de Minore cæteris innumerabilibus locis prætermissis. nunc ad Maiorem illam cuius probationem huc distulimus veniendum est.

Aristoteles. Simplicius. Aristoteles.

Maior itaque nunc probanda est: Nimirum si Aristoteles nomine naturæ significet causam æternorum ratione & ordine effectricem non posse intelligere nisi Deum, liberè agentem. Et primò quod nō possit intelligere nisi Deum, probatur manifestè ex libro illo 12. Metaph. cont. D 38. vbi de eo principio quod simpliciter necessariò est; ait: *A tali ergo principio tum cœlum tum natura dependet.* Ergo non est alia causa cœli effectrix nisi Deus apud Aristotelem. Nuspiā enim aliam causam à qua cœli substantia dependeat assignauit.

Aristoteles.

Ratione etiam ex Aristotelis principiis patet: quia causa cœli effectrix est Aristoteli effectrix per creationem ex nihilo; non autem per motum aut per generationem vt ipse Aristoteles longa disputatione contra Platonem probat lib. 1. cœli à cont. 101. & deinceps. Hoc autem nulli creaturæ conuenire potest: & hoc probant E argumenta in secundum locum facta. Vnde Auerroës libro 1. de cœlo comm. 20. ait cœlum esse creatum à prima causa non tamen per motum. Quia fuisset generatum ea generatione quam negat Aristoteles. Simplicius etiam libro 1. cœli commentario suo 21. post medium ait cœlum esse incorruptibile: quia *generatio & corruptio penitus sunt aliena ab eo quod proximè ab immutabili causa genitum producitur.* & in vltimo suo commentario ad librum primum de cœlo ait: *Plato & Aristoteles cœlum à Deo generari & moueri proximè dicentes nouerunt non contingenter & præter*

Auerroes. Simplicius.

naturam, sed necessario & secundùm naturam, æternitatem & sempiternam mobilitatem à Deo inditam cælo. Quam æternitatem vult à natura cæli *pullulare.* Non potest ergo aliam causam intelligere nisi Deum.

Quod verò intelligat Deum liberè agentem probatur: quia Aristoteles vult in his effectibus, naturam egisse non ex necessitate naturæ, sed solum ex fine sibi proposito. Ergo vult talem naturam liberè agere & non necessariò. Consequentia patet dupliciter.

Nam primò quæ necessariò agunt non agunt ex fine sibi præstituto & præconcepto, sed præstituto ab alio qui propensionem ad finem illis indidit: *Sicut sagitta* inquit A. Doctor suprà q. 19. a. 4. c. *prædeterminatur finis à sagittante* ob vim ab eo impressam, per quam sagittarius eam in finem quem sibi præstituit dirigit, vt rectè idem explicat 1. 2. q. 1. a. 2. Sicut enim sagitta ex se non tendit ad illum sagittarij finem nisi per hoc quod habet illam à sagittario impressam propensionem; ita nec substantiæ intellectu carentes in finem mouentur nisi ob propensionem ab agente qui finem illis præstituit impressam. Hinc Aristoteles libro 2. Phys. cont. 51. ostendit, fortunam solùm esse in iis quæ agunt ex electione, ac proinde apti sunt sibi præstituere finem. Ille enim qui in forum veniens animi causa offendit amicum à quo pecuniam reportauit, fortunatus dicitur ab Aristotele ibi: quia *causa recipiendi argentum venisset, reportaturus pecuniam si sciuisset: venit autem non huius gratia, sed accidit venisse,* &c. Eos ergo solum, qui ex electione agunt posse sibi finem præstituere non alia vult Aristoteles. Idcircò cætera dicuntur esse determinata ad vnum à Natura; & idcircò nec fortunata dici possunt. quia non possunt ob illum fortunæ euentum operari eo, quòd sibi eligere & præstituere finem nequeunt. *Quapropter* inquit Aristoteles eodem libro secundo contextu 52. *Circa idem intellectus & fortuna.* sed hæc fusiùs vide post in vltimo argumento ex Aristotele.

Deinde eadem consequentia probatur: quia quæ necessariò agunt, non solùm agunt ex fine ab alia causa præstituto, sed etiam ex necessitate materiæ. Qua ratione pluuia æstus & frigora, & rerum vicissitudines sunt in vniuerso; quia materia determinat actionem agentium ad hos effectus, & non alios; cum tamen efficientes causæ quantum est de se alios effectus gignerent. Ex quo etiam fit, vt huiusmodi causæ monstra non rarò edant. Quorum causam Aristoteles libro 2. de Generat. animal. cap. 4. in materiam refert. *Apertum est* inquit *euentorum* monstrorum *causam in materia putare oportere*; Vt si ex ingenti materiæ copia nascatur puer insolentis magnitudinis: aut si ex defectu materiæ non sint requisita membra, & similia. Ratio etiam huius est quia talis & talis materia debitè applicata in efficientem causam necessitatem agendi affert. Ideo enim Aristoteles libro nono Metaphysic. contextu decimo, dixit vt suprà vidimus, necesse esse causam agentem agere patiente applicato.

Antecedens verò probatur, quod scilicet Aristoteles velit illam naturam non agere ex necessitate naturæ, sed ex fine proposito: probatur, quia in illis locis citatis nunquam Aristoteles assignauit causam materialem sed finalem ad illos effectus æternos; vt figuram sphæricam, quia non erat alia opus ad motum; remotionem contrarij ad immortalitatem; priuationem organorum in astris ad motum, quia non debuerunt se ipsa mouere; plures motus concessos esse inferioribus orbibus cælestibus; summo verò plura corpora, vt constitueretur æqualitas; cœlestes orbes non frangere medium, nec attritu moueri ne nimio sonitu inferiora turbarentur. quæ omnia sunt argumenta petita ex fine. Immò vt vidimus dixit naturam *ex industria* abstulisse organa astris. ergo ex fine præconcepto, non autem ex necessitate.

Confirmari hoc argumentum validè potest: Quia cum Aristoteles in prædictis locis structuram cæli ac stellarum referat in causam ratione atque ordine agentem, vt diximus, debet omninò talem causam intelligere, quæ intelligendo quid melius sit & optimum tanquam perfectissimus artifex optima ratione & ordine cœlum stellásque construxerit. Nam alioqui non ageret ex rationis præscripto; sed pro arbitratu postpositis rationis legibus. Et ideò Aristoteles dixit suprà: Naturam non agere absque ratione, & agere ex industria, & optimum facere ex possibilibus. Ergo ex artificio agit natura quam diximus Aristoteli Deum esse. Quod etiam Aristotelis opinione conuenit omni naturæ, vt scilicet agat ex arte, ductu summi opificis Dei. Nam libro 1. de part. animal. cap. 1. *Vt ars* inquit *in artificiatis; ita in rebus ipsis aliquod esse principium aliud & talis causa videtur, quam ex vniuerso: perinde vt caloris frigorisq; primordia habemus. Quare & verisimilius dixeris cælum & factum esse ab huiusmodi causa si factum est, & magis esse ob eam causam, quàm animalia caduca, atque mortalia.* Vult ergo si factum est cælum (factum autem quia creatum esse diximus) ab ipsa causa artifice esse factum.

Quod etiam patet ex ratione quam subdit ob constantem nimirum ordinem rerum cælestium. *Ordo enim* inquit *& ratus certúsque status longè magis in rebus patet cælestibus quàm in nobis.* In iis enim nihil ait aut fortunæ aut temeritatis deprehendi posse. Ex ipso ergo cælestium constanti ratóque statu causam esse intelligentem, quæ res ordine suo stabiliuit, colligit. Ergo cælum Aristoteli est ex Deo artifice, & quod melius est ordinante. Melius autem appetere ex arte, est naturæ eligentis non ad vnum determinatæ: quia qui ex arte vult, meliora ex possibilibus eligit, quod in primis conducit ad finem: quia ars est cum ratione effectiua 6. Ethic. ca. 4. quod est optima velle media cæteris recusatis: quod est eligere, ac proinde liberè velle, vt antea dictum est. Vnde si ea optima vellet ex necessitate naturæ, iam ex natura determinata ad vnum non ex arte & cum ratione vellet; vt homo cum operatur ex naturæ instinctu. Ideò Aristoteles libro 9. Metaphys. cont. 3. illas facultates quæ cum ratione sunt ait *contrariorum esse.* cuiusmodi ait esse omnes artes. Idémque repetit cont. 10. ibidem. Atque hic sit tertius locus Aristotelis.

Quartus locus erit ex iis quæ docet Aristoteles libro 1. Oeconom. cap. 3. & lib. 4. de Gener. animal. cap. vlt. quibus in locis habet, naturam per rerum vicissitudines perpetuare rerum species, quarum non potest indiuidua conseruare. Sic enim habet in eo c. vlt. *Natura igitur ita sibi* inquit

inquit *vult, vt eorum numeris generationes & obitus numeret*; nempe solis ac lunæ vicissitudinibus, quorum mutatione reliqua corpora variantur. Ex quibus sic conficio argumentum. Natura per syderum vicissitudines res variare vult in finem perpetuitatis ipsarum. Ergo illa natura est Deus liberè suam potestatem in res ipsas exercens. Deus quidem quia est moderator omnium syderum. reliqui enim motores suum quisque orbem à primo simpliciter motore moderatur. Liberè verò exercens potestatem: quia ducitur ex fine, in quem media optima disponit ac dirigit: quod est eligentis & imperantis voluntatis vt diximus.

Aristoteles. Et hoc totum manifesta Aristotelis auctoritate confirmatur ex illo cap. 3. cit. ex Oeconomicis. Ibi enim ait, coniunctionem maris & fœminæ à natura decretam esse ad liberos procreandos *non solùm vt id naturæ tributum ferant, verumetiam vt commoda exinde suscipiant.* Quæ verò commoda sint explicat his verbis: *Valentes enim ipsi imbecilles suos labore tuentur & alunt; mox imbecilles ob senium facti à valentibus eadem reportant.* Tandem effectricem causam sic assignat: *& simul Natura per hunc circuitum adimplet sempiternitatem; ex quo secundum numerum non potest, at secundum speciem.* Quæro iam quæ sit hæc natura, quæ tam apposita media ad finem propositum præparauit? Annon causa vniuersalis rebus prouidens omnibus? Hoc quidem per se patet: quia liberis ac parentibus in perpetuum affert opem ex fine præconcepto.

Sed ne hac de re dubium suboriri posset, ipsemet Aristoteles explicare ibidem voluit quē intelligat tantorum operum parentem his verbis quæ statim subiunxit: *Sic enim diuina prouidentia viriusque naturæ ordinata est, viri scilicet & mulieris ad societatem. Tendunt enim eorum omnia in idem vtilitatis, licet contraria quædam videantur. Alterum enim robustum facit: alterum imbecillius; vt hoc quidem ob timorem cautius; illud verò propter fortitudinem pugnacius esset.* Idem omninò repetit libro 1. de re familiari c. 3. *Sic ab ipso Deo* inquit, *viriusque & maris & fœminæ natura ad societatem prouisa atque instituta est*, &c.

Videant ergo tantam veritatis lucem & sapiant, qui ne sapiant fallaces vmbras consectantur. Diuina prouidentia est quæ omnia in suos fines dirigit per aptissima media, quæ viros robustos & fortes facit ad pugnam, fœminas imbecilliores ad cautionem. Quæ adeò perspicua sunt, vt si nullus alius locus apud Aristotelem esset qui diuinam sapientiam ac libertatem assereret; certè hic instar omnium omnem improbè philosophantium proteruitatem comprimere debuisset. Quid enim natura aliud esse potest, quam Dei rebus omnibus prouidentis & consulentis sapientia? Si quidem nulli alteri causę conuenire potest, vt res omnes tanto támque suaui constantique tot seculorum ordine in eos propensione singulorum referat fines, quos assequi honestè ac sanctè omnia cupiunt.

Verùm vt prætermittam alia Aristotelis loca, quæ maiore egent declaratione, vnam tantùm (isque sit vltimus) confirmationem afferam, vt

Aristoteles. Deum Aristoteli esse causam intelligentem, liberámque meliùs demonstrem, ex libro 1. de cœlo cont. 32. Vbi *Deus* inquit *& natura nihil faciunt frustrà*, hoc est sine eo quod suum finem sortiantur. *Frustrà enim* inquit ibidem Aristote-

A les *calceamentum cuius non est calceatio*; hoc est vt libro 2. Phys. cont. 62. magis declarat, frustra est id quod suum finem assequi nequit; cum scilicet non fit id, cuius gratia aliud fit: *Frustra enim dicitur* inquit *cum non fit quod propter aliud est, illius gratia; vt ambulare si purgationis gratia est, si non facta fuit ambulanti; frustrà dicitur ambulasse, & quod ambulatio frustrà fuit*, &c. Ergo Deus Aristoteli quicquid facit, ad finem facit, ergo ad finem præconceptum. Nō enim ignorat Deus finem & media. quandoquidem cæteris omnibus finem præstituit; & inanimatis quidē, quia hæc egēt moueri ab alio cum finem ignorent. Quemadmodum ij qui artem architectonicam tenent, mouent &

B dirigunt eos qui manibus laborant eo quod nescientes operantur, vt apertè patet ex Aristotele lib. 1. Metaphys. sum. 1. cap. primo. ergo debent moueri ab intelligente & vniuersali causa præscribente finem & media. ergo à Deo. qui vt ibidem ait Aristoteles capite secundo *omnibus causa apparet*, propterea quòd solus sapientiam & causarum omnium cognitionem habet.

Porrò etiam animatis non solùm brutis sed etiam ratione præditis; quibus cum sæpè sint in potentia ad concipiendum hunc vel illum finem, vt sunt homines ad primam cognitionem, debet præstitui finis. atque ita prima co-

C gitatio est ab inexistente in nobis numine; vt patet ex Aristotele libro septimo Moralium Eudem. capite 18. Quod etiam ex ipso colligit A. Doctor 1. 2. q. 9. a. 4. c. & præterea quia homines interdum nescientes ducuntur in finem; ergo tunc se habent vt res inanimæ quæ debent moueri ab alio; vt artifices inferiores ab artifice architectonico, à quo gubernantur, vt docet Aristoteles libro secundo Physicorum contextu 25. Ergo omnia mouentur à Deo præscribente illis finem.

Sanè hanc sententiam esse omnium Peripateticorum sic ostendi potest. Etenim hoc est quod ait Auerroës libro duodecimo Metaphy- Auerroës.

D sices commentario decimooctauo cum dicit hunc rerum ordinem *prouenire ab arte diuina intellectuali, quæ est similis vni formæ artis principalis; sub qua sunt artes plures. Secundum hoc igitur est intelligendum quod natura facit aliquid perfectè & ordinatè quamuis non intelligat: quasi essent rememorata ex virtutibus agentibus nobilioribus ea quæ dicuntur Intelligentiæ.*

Idem habet ferè Themistius libro primo Themist. Physicorum ad cont. octuagesimumprimum & apud Auerroëm libro primo de Anim. contextu Auerroës. vigesimotertio. Sic quoque idem Auerroës disputatione decima in Algazelem dubio secundo dixit: *Naturæ opera procedere sicut opera artis: & ideò concluserunt Philosophi, quod à primo intellectu virtutes naturales procedunt, & ille est qui*

E *omnibus entibus ordinem dat.*

Sic etiam Hippocrates naturam modò indo- Hippocrat. ctam vocat; vt in libro de alimento: modò doctam & eruditam; vt in libro de arte.

Quod deinde Galenus imitatus est libro pri- Galenus. mo de Vsu partium & libro sexto de locis affectis dum naturam indoctam explicat: quia in se consilij & deliberationis est expers; & doctam, quatenus eius operibus intelligens natura præest, eáque dirigit in finem.

Id quod A. Doctor præter ea loca quæ antè A. Doctor. citauimus ad hanc ipsam rem declarandam in hac etiam p. p. quæstione 103. articulo primo,

egregia

egregia illa similitudine explicauit; vt quemadmodum sagitta motus sui ignara, impetu tamen & directione iaculantis in scopum tendit; ita & natura impetu à Deo impresso nempe per inditas à Deo propésiones dirigatur ad finem quem ipsa non apprehendit.

Idem dico de Angelis qui etiam Aristoteli suum finem cósequuntur per suas actiones, quia solus Deus sine actione suum finem possidet, cęteræ verò Intelligentiæ, nonnisi per aliquas actiones ex Aristotele libr. 2. de cœlo cont. 62. *Videtur autem* inquit *optime se habenti inesse ipsum bonum sine actione: propinquissimo autem per paucam ac vnam; iis verò quæ longissimè absunt per plures*; & rursus cont. 64. ibidem. *Et autem* inquit *quod quamoptime sese habet nihil actione opus est.* Reddit causam statim his verbis quæ syllogismum conficiunt necessariũ. *Est enim* inquit *ipsum cuius gratia. Actio autem* non est in ipso cuius gratia sed *est in duobus cum & cuius gratia sit, & quod huius gratia*; nempe consistit ipsa actio in duobus; vt scilicet (Simplicio id optimè declarante in illum contextum commentario suo 41.) sit bonum cuius desiderio mouetur agens in finé, & ad ipsum tendat actio agentis. Constat ergo etiam Intelligentias moueri per suas actiones in finem; Et cum ad eum non necessariò moueantur, quia ex voluntate & electione mouent orbes; ergo finem huiusmodi possunt non consequi; quemadmodum vt suprà diximus possunt non mouere cœlos. Ergo necesse est ab aliquo superiori principio dirigantur ad motum & ad actionem. Etenim quandocunque aliquid ex se non est determinatum ad vnum motum, aut ad talem ac tantum, debet ab alio moueri & constitui in actu primo perfecto, vt inde sequatur motus, & talis ac tantus. vt ex dictis Aristotelis suprà ostensum est, & copiosè infrà ostensuri sumus cum de intelligendi actibus agendum erit. Rectè enim omninò Angelicus Doctor 1. 2. quæstione nona, art. 1. ait: *In tantum aliquid indiget moueri ab aliquo in quantũ est in potentia ad plura. Oportet enim vt id quod est in potentia reducatur ad actum per id quod est actu, & hoc est mouere.*

Præterea quia eius ad cuius naturam spectat finis superior, est mouere alios ad quos spectãt ea quæ sunt ad finem inferioré ei superiori subiectum; vt quia dirigere nauim est finis nauis gubernantis, eiusdem erit mouere & dirigere eum qui temonem tenet, vt eum hoc vel illo modo dirigat vt docet Aristoteles eodem libro secundo Phys. context. vigesimoquinto. *Gubernator enim* inquit Aristoteles ibi *qualis sit forma temonis cognoscit & præcipit, alius autem ex quo ligno & quibus ex motibus est.* Vnde quia illa ars ad quam finis superior spectat præcipit ac dirigit, illa ab Aristotele ibi Architectonica dicitur. Ea verò quæ eius normæ ac regulæ subiacet, nullo proprio nomine appellatur, sed *ea qua vtitur* dicitur. Et ideò generatim A. Doctor in ea q. 9. cit. a. 1. ait. *Semper ars aut potentia ad quam pertinet finis vniuersalis, mouet ad agendum artem vel potentiam ad quam pertinet finis particularis sub illo vniuersali comprehensus; sicut dux exercitus qui intendit bonũ cõmune, scilicet ordinem totius exercitus, mouet suo imperio aliquẽ ex tribunis, qui intendit ordinẽ vnius aciei.* Quę omnia ferè verbatim confirmant ea quæ iam dicebamus.

Is ergo qui superiorem finem spectat, mouet eos quibus finium inferiorum cura incumbit. At bonum vniuersi est finis omnium finium supremus, qui Aristoteli spectat ad Deum; vt patet ex libro 12. Metaph. cont. 52. & 55. vbi vult Deũ esse in hoc Mundo tanquam ducem in exercitu, & vnũ esse principẽ quia entia nolunt malè gubernari. Ergo Dei est mouere cæteros ad quos spectant ea quæ sunt ad finem, nempe media ad bonum vniuersi; cuiusmodi sunt motus cœli & cæterarum rerum. Ergo Deus Aristoteli mouet Angelos eis præcipiendo fines suos & media; vt gubernator nauis præcipit moderanti temonem. Deus ergo mouet omnia entia in suos fines ex præconcepto fine sibi proprio, nempe bono vniuersi.

Ex quo sequitur Deum liberè mouere omnia: Quia quicunque agit ex præconcepto fine liberè agit. Is enim versari debet circa eligibilia, quæ ad illum finem ex recta ratione, & prudenti iudicio referantur. Alioqui quorsum præconciperet finem, nisi ad illum media dirigenda essent: Finis enim vt ait Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 2. est veluti sagittarij scopus in quem collimare cæteræ actiones debent. & ideò ait finem esse *quem propter ipsum, & propter quem alia volumus.* Si autem ad finem animo præstitutum alia velit is qui finem præconcipit; ergo versari debet circa eligibilia, quæ recta ratio ad illum conducere iudicabit. *Recta enim ratio* inquit Aristoteles libro 6. Ethic. cap. 12. *est quæ secundum prudentiam existit.* Quicumque autem agit ex recta ratione & prudentia liberè agit, quia recta ratio & prudentia sunt circa ea quæ optima sunt ad finem, vt eligantur. ergo quæ sub libertatem cadant. Nam vt ait Aristoteles lib. 7. Ethic. c. 4. Quæ necessaria sunt non eliguntur.

Vbi tamen diligenter obserua quod etiam ex A. Doctore antè significauimus, licèt in nobis deliberatio locum habeat in eligendis iis quæ ad finem sunt quousque nobis non est definita eorum cognitio; Menti tamen principi deliberatio non tribuitur, quòd hæc sine vlla dubitatione quæ certa exploratáque habet, ea sua prouidentia peragat multo immo infinitis partibus consultiùs ac certiùs, quàm possit humana consultatione definiri.

Constat ergo Deum Aristoteli esse causam liberè agentem in iis quæ sunt ad finé ex eo quod non agit frustrà; hoc est quod agat ac dirigat omnia in finem præconceptum. ex quo vlteriùs sequitur rectè dici ab Aristotele; Deum & naturam nihil facere frustra. Nam primo loco posuit Deum tanquam originem, vnde natura ab eo directa habet vt tendat in pręstitutos fines, ac proinde nihil frustra faciat.

Porrò hæc ipsa eadem quæ ex Aristotelęis effatis eruere conati sumus, veteribus Peripateticis adeò perspecta fuere; vt eorum nullus sit qui Deum putarit causam necessariò agentem ex naturæ necessitate vt suo loco ostendam; & paulò pòst nonnulla ex Peripateticis de prouidentia Dei referam accuratè. Quin etiam Auerroës, cuius sententia ferè in omnibus in Atheismum multis non vulgaribus philosophis videtur prona, optimè sic de Deo loquitur ad rem præsentem Disputatione tertia contra Algazelem in solutione secundi dubij. *Dei actio* inquit *à scientia procedit secundum philosophos absque necessitate inducente eum ad agendum, neque ex se neque ab aliqua re extrinseca; immò tantùm ex sua bonitate, & ideò necessario vult & eligit.* (non quidem simpliciter

ter hoc enim proximè negauerat) ſed *in nobiliori gradu omnibus gradibus volētium & eligentium.* Quare illa particula *neceſſariò* cadit in ipſum meliorem eligendi ac volēdi modum, vt ſenſus ſit: Ipſe quidem in agendo liber eſt: ſed quoniam eſt perfectiſſimo modo agens, ideo neceſſe eſt vt nobiliore modo velit, eligátque quam cæteri quibus voluntate & imperio agere datū eſt.

Quod etiam clariùs videtur docuiſſe Disputat. 11. contra eundem Algazelem in ſolutione primi dubij. Sic enim ait: *Deum agere modo naturæ falſum eſt: Immò dicunt Peripatetici ſecundum veritatem loquentes quod entia procedunt ab eo modo altiori quàm ſit natura & quàm humana voluntas. Probatum enim eſt demonſtratiuè; quod impoſſibile eſt aliquē actum procedere ab eo, naturali modo ſeu volūtario iuxta intentionem*, hoc eſt rationem *voluntatis quæ eſt in nobis. Quapropter actus diuinus procedit ab eo nobiliori modo quam voluntario modo qui clarè non poteſt comprehendi niſi ab eo.* Videant hic recentiores & quicunque ſint alij, qui in rebus quæ ad Dei ſubſtantiam ſpectant, tam malè de Peripateticis atque Auerroë vel ſentiunt vel garriunt, non ita lumen rationis in iis ſapientibus obſcuratū fuiſſe, vt hæc non viderint, quæ natura in omnium oculis expoſuit. In qua re meritò Scotus reprehenditur à Zimara in Tabula, verbo *Deum agere*, &c.

Scotus. Zimara.

Illud quoque afferri poteſt ex Auerroë quod ſuprà ſignificabamus de libertate Intelligentiarum; & quod hoſce philoſophos planè reuincere queat. nempe Intelligentias non ſolùm non neceſſariò mouere cœlum, ſed ita liberè, vt ex electione conſequatur motus. Sic autem Auerroës in diſputationibus Phyſicis contra Algazelem Diſput. 1. in ſolut. 4. dub. ſcribit: *Quod autem attribuunt philoſophis, quod entia ſeparata agunt naturaliter non electiuè, nemo hoc dixit cui adhæreatur, ſed omnis habens ſcientiam apud eos agit electione, tamen propter dignitatem quæ eſt eis non prouenit ex duobus contrariis niſi quod eſt dignius eorū* (in nobis enim ex defectu perfectę inquiſitionis aliter ſe habet) *& electio eorum non eſt propter aliquid quod perficiat ſubſtantiam cum in eis nulla ſit diminutio, ſed vt perficiatur id ex entibus, quod eſt diuinum in natura ſua;* nempe cœlum.

Auerroës.

Eadem ratione dixit de Deo; poſſibile nimirum non eſſe quicquam ex ipſo prouenire niſi quod eſt nobilius; vt habet Diſputat. 10. contra eundem in ſolut. 1. dub. *Deus* inquit *operatur ſecundum philoſophos per ſcientiam ſuam; & quia ſcientia in eo quod ſcientia eſt in duobus contrariis, poſſibile eſt vt proueniat ab eo vnumquodque eorum; & prouenit excellentius non vilius ex ſciente ea; & ideò appellatur ſciens excellens.* Vbi apertè docet licet Deus ad vtrumque oppoſitorum poſſit; nihil tamen vnquam operaturum niſi quod excellentius eſt ob eius dignitatem. Vnde deriuatur axioma illud. *Naturam ſemper facere quod optimum eſt ex poſſibilibus.* Quod habet Ariſtoteles lib. 2. cœli cont. 34. & cap. 2. de Iuuent. & Seneɛt. quod valdè confirmat quod ſuprà dicebam, poſſe Deum facere Ariſtoteli quod nunquam fiet. Iam ſi ex Auerroë hęc tam de Dei Intelligentiarúmq; libertate afferre potuimus, quāto clariora ex aliis ſapientioribus Peripateticis teſtimonia in medium proferre poterimus, cum de illis infrà agendum erit? Sed hæc prætermittantur in præſentia.

Quæ huic ſententię obiici poſſunt; vt de Mūdi æternitate ac prouidentia inania eſſe oſtendemus infrà cum examinabitur: An Deus ſit cauſa Angelorum effectrix opinione Ariſtotelis. Nam quod attinet ad Mundi æternitatem dicemus; eſto eam æternitatem cœlo putauit neceſſariam Ariſtoteles, ipſum tamen non ita neceſſariam exiſtimaſſe, vt ſimpliciter debuerit eſſe ab æterno Mundus. Vnde enim iſta apud Ariſtotelem neceſſitas oſtendi vnquam poterit? ſed neceſſariam ex hypotheſi; ſi nimirum Deus ab æterno ſtatuit, aliquando è nihilo Mundum exiſtere. In ea namque Ariſtoteles opinione videtur fuiſſe; quod diuina voluntas efficax de condendo Mundo, neceſſariò debuit ab æterno fuiſſe, ac proinde eius quoque voluntatis effectum æternum eſſe oportuiſſe. Neque enim Ariſtoteles fidei diuinæ illuſtratione deſtitutus, facilè videre potuit quod illi in obſcuritate naturæ ſatis perſpectum non erat; Quo nimirum pacto ſi Dei voluntas efficax ęterna fuit, non debuerit illicò ex ea æternus effectus exiſtere, ita vt non eſſet verum dicere: Priùs non fuit Mundus, poſtea cœpit eſſe. *Si non ſemper mouebatur,* inquit lib. 8. Phyſ. cont. 9. *manifeſtum eſt quod nō ſic ſe habebant, vt poſſet hoc quidem mouere, illud autem moueri, ſed oportebat mutari alterum ipſorum,* &c. & cōt. 10. *Ad hæc autem prius & poſterius quonam modo erāt tempore non exiſtente, aut tempus non exiſtente motu?* Itaque tota Ariſtotelis vis in eo nititur; quòd ſi Mundus creandus erat, æternus eſſe debuerit. Quia hæc & ſimilia argumenta negotium illi faceſſerunt.

Ariſtoteles.

Quibus & ſimilibus nos diuinis inſtructi oraculis facilè ſatisfaciemus loco citato, dicemúſq; Deū quidem ab æterno habuiſſe voluntatē cōdendarum rerum, non tamen de æterno effectu, ideóq; ex nulla æterna Dei voluntate, effectum æternum exiſtere oportuiſſe. In id enim volūtas Dei æterna ferebatur tanquam in obiectum, vt effectus eſſet in tali temporis initio ac momēto, vnde proflueret reliqua tēporis duratio. Efficaci namq; voluntati reſpōdere opus debet ſecundū ea ad quæ efficax voluntas tendit non alio modo. Si ergo Dei voluntas fuit de Mūdo procreādo in tali temporis initio, non debuit effectus extra ſuas cauſas prodire, niſi in tali temporis initio, ante quod verè dici potuiſſet, Nunc nō eſt ille effectus, poſtea erit. Illud autem *antè* ſeu *prius* fuit ante tempus reale, quia prius illud fuit temporis poſſibilis. Fuit enim quædam negatio tātæ poſſibilis durationis, quæ potuit eſſe fundamētū vt diceremus: In ea negatione temporis poſſibilis potuit eſſe Mundus: quemadmodū ante Mundum fuit negatio tantę extenſionis quantę nunc magnitudinis eſt Mundus totus. Quemadmodū negatio aliarū magnitudinū ſiue Mundorū ſiue aliarum rerum extenſarū nunc de facto eſt extra cœlū, quę eſt fundamētum vt dicere poſſimus: In ea potuit, aut poteſt eſſe Mundus: poſſunt etiam aliæ eſſe corporum magnitudines, &c. Sed vt dixi de his copioſiùs alibi ſi Deo placebit.

Quantum verò ſpectat ad prouidentiam; nūquam æquo animo ferre potui eos Recentiores qui ac ſi præſtātiſſimi philoſophi arcana omnia ipſorū mentib. pateſcerēt, tam facilè enunciant, nullā ab Ariſtotele Deo cōcedi prouidentiā, nec verētur tantā tāto philoſopho impietatis ac ſceleris notā inurere. Quod licet ſciam viſum eſſe nonnullis Patribus, tamē eos excuſandos ſuprà cenſuimus, quia huiuſmodi pronunciata tanquam

quam Aristotelæa vulgò circumferebantur, necdum Aristotelis scriptorum veritas, luce interpretum Patribus emicare poterat. Quocirca necesse illis fuit hæc vulgata tanquam Aristotelæa dogmata scriptis atque argumentis palàm refutare.

Verùm quid Aristoteles de diuina prouidentia sentiat aliqua ex parte liquet ex dictis cum is naturæ prouidentiam tribuit. Sed alia validiora & multò latius cum de creatione Angelorum disputabimus afferemus. Interim vt & tãtam notam à summo philosopho eximamus; & tandem aliquando isti ex plebe philosophi desinant in ore habere quod nesciunt, breuissimè pauca quædam attingam, quæ nonnulli Aristotelis supremi interpretes hac de re scripta reliquere.

Rerum prouidentiam Deo tribuunt præstantes quique Peripatetici. ex quo confirmatur Deum Peripateticis esse causam liberam. §. vnicus in hac digressione.

Alexander. AC primum quidem Alexander interpres eximius ita de Aristotele loquitur libro 1. Meteor. cap. 2. com. 4. *Deus iuxta Aristotelis mentem* inquit *prouidentiam habet rerum corruptibilium.* & lib. 2. Meteor. cap. 3. *Prouidentiam in inferiora esse* inquit *hic etiam ex Aristotelis mente elicitur.* & libro 2. Natur. qq. cap. 21. longæ disputationi, quam in eo cap. exagitat titulum inscripsit: *Non esse per accidens prouidentiam secundum Aristotelem*; & libro 2. de An. cap. vlt. probat non omnia fieri necessariò ex fato. Inter alia illud est argumentum, quia *id satis ostendunt vota & preces quæ Dijs funduntur, cùm alij auersionem & fugam alicuius rei ab ipsis petant; alij bonorum largitionem tanquam quædam contingant, & esse & non esse, propter nostram petitionem a Diis,* &c. & multo post: *Multò magis* inquit *Deus & eius auxilia & nostræ preces & rogationes proprium locum seruabunt,* &c. Denique integrum de Fato librum scripsit, in quo plurima de Dei prouidentia permiscet ex Aristotelis sententia. quem librum in epilogo sic concludit. *Hæc sunt ô diuinissimi Imperatores Aristotelis de fato & eo quod in nobis est vt ego opinor summæ secundum quam opinantes & in Deos pij erimus, modo ipsis agentes gratias pro beneficiis quibus ante ab ipsis affecti sumus, modo ab eis petentes; vtpotè quibus dandi, non dandique facultas insit,* &c. Hæc omnia Alexander.

Themistius. Themistius etiam libro 12. Metaphys. in sua paraphrasi in eam partem vbi Aristoteles loquitur de Deo: vbi de Deo hæc expressis verbis habet. *Ab eo manant omnia, vestit omnia,* &c. *proinde palàm est ipsum intelligere omnia quæ sunt eo modo quæ sunt per esse, & eo modo quo possunt ea entia esse; omnia verò apud eum simul sunt, omnia igitur necessariò intelligit.* & longè pòst: *Sed simul omnia affatim intelligit, vt oculus acuti visus, qui multa simul cernit; longè tamen meliùs primus intellectus omnia intelligibilia simul intelligit,* &c. *Et sicut tu cum citharam pulsas, omnes quidem chordas pulsare nequis: si verò cithara animal esset, acutum simul & grauem sonũ ederet; ita Deus multa simul complectitur,* &c.

Addit argumentum à Minori: si anima currentis potest simul multa membra mouere, vtramque manum vtrumque pedem caput & quoduis horum membrorum totum simul non partem post partem, *Quid igitur obstat* inquit *ne hic intellectus, a quo nullus locus vacuus est, quia totum Mundum mouere potest, intelligat omnia, cum admirabilius sit plura simul mouere?* Cognoscit ergo Deus Themistio ex Aristotelis sententia, mouet, vestit omnia, omnibus prouidet. Dicit & ibi Deum esse legem, vigorem causam ordinem Mundi huius. & post: *Deus* inquit *est ratio & causa rectitudinis entium, & eorumdem ordo; nec est lex quæ in libris ponitur, sed lex viua; vt si animatam legem depingere posses.* Adhibet quoque exemplum; vt si Lycurgus esset ipsa lex in omnibus esset, omnésque ad virtutem impelleret; sic Deus est, &c. quæ clarissima elegantérque exposita cum sint, apud ipsum legi possunt.

Ammonius etiã Simplicij Philoponíque præceptor in libros Periher. sect. 1. in ea verba: *Ex opposito autem* num. 6. expressè scribit Deos omnia cernere, nobisque quod pro dignitate debetur tribuere. *Immò verò nos* inquit *per huiusmodi visiones* nempe Deorum *appetitus, inclinationésque quæ ex constitutionibus proueniunt, secundum hanc congrua nobis Deorum frui præsentia.* & post multa concludit se ea dixisse: vt philosophorum ea in re consensum ostenderet. Et quamuis Deos, nomine multitudinis appellet, ea tamen diceret potissimùm conuenire Deorum omnium maximo, cuius reliqui sunt administri, illorum philosophorum, potissimúmque Platonicorum sententia. & sect. 2. ibidem in ea verba: *In iis ergo* num. 7. *neque dictat ratio* inquit *Deos vel eorum quæ in naturam promunt esse ignaros; vel ceu quosdam ignauos ac desides tum illorum cognitionem tum gubernationem negligere,* &c. pergítque ostendere Deos rerum nec cognitione nec gubernatione defatigari. Alia permulta sunt quæ ex Ammonio afferri possunt. Sed alibi id commodius Deo bene iuuante peragemus. Ammonius.

Simplicius lib. 2. Phys. in cont. 77. commentario suo 60. in fine paucis verbis multa cõplexus est. Cum enim ostendisset multa accidere in rebus præter naturæ finem; subdit, non tamen ea fieri præter finem simpliciter; vt *si pluuia fit* inquit *vt putrescat frumentum, tamen non fit à natura alicuius gratia; sed ab ipso Deo opifice qui cum vtitur natura, tum etiam cuncta pro iure & æquitate dirigit.* prout illi placet, vt alij addunt ex ipso Simplicio. Sed mirum non est hæc à Simplicio doceri qui vt patet ex libro 8. Phys. comment. vlt. fusè ostendere nititur Deum Aristoteli esse causam Mundi non solùm finalem verumetiam effectricem; idque etiam probat ex quodam libro edito ab Ammonio eius præceptore. *Est enim liber quidam* inquit *vniuersus ab Ammonio præceptore meo conscriptus qui locupletissimam fidem facit quod Aristoteles censuerit Deum ac mentem, esse effectricem vniuersi causam. è quo ego quoque mihi sumpsi & traduxi quæ proposito congruebant.* Si ergo Deus rerum conditor est è nihilo; sanè oportet ipsum esse omnipotentem rerúmque gubernatorem. Vnde idem Simplicius eodem libro 8. Physic. commẽt. suo 101. in Digressione aduersus Joannem Grãmaticum circa medium illius, cum repellere vellet quod Philoponus aiebat, cœlum futurum incorruptibile diuina volũtate, ait fore quidem incorruptibile cœlum diuina voluntate à qua conditum est, sed tamen non sine tali cœli natura, quæ ipsamet expers interitus sit. Nam cœlum Simplicius.

A lum neque formam abijcere necesse est non solùm propter Dei voluntatem, sed etiam suapte natura: etenim Dei voluntas non quibusuis, sed his quæ apta sunt & habilia bona elargitur, ac dispensat: nimirum vt naturis rerum quoad fieri congruenter potest se Deus accommodet. Censet ergo & meritò ab eo res gubernari debere à quo conditæ sunt. Neque enim res alio indigere possunt quo seruentur, quàm eo quo indiguerunt vt crearentur. Sed nunc tantum hæc indicasse satis sit. Alibi accuratè ex instituto, vbi ex Aristotele & cæteris Peripateticis testimonia & argumenta validiora proferentur.

Auerroes. Vnum tamen Auerroïs locum adducā, quem atheum plerique vocare solent; an iure: non disputo. Is ergo vt cæteros locos prætercam Disputat. 1. contra Algazelem in solut. dub. 13. adeò tribuit diuinæ prouidentiæ, vt ab eo supplex B sui intellectus illustrationem petat: *Illuminet* inquit ibi in fine *Deus gloriosus oculos nostros lumine scientiæ suæ, & auferat a nobis velamine ignorantiæ, nam ipse est tribuens scientias*, &c. Quid clarius à perfectissimo Theologo dici posset: Immò & disputat. 3. contra eundem in solut. dub. 29. imprecatur vindictam à Deo in eos qui parum honorificè de ipso Deo philosophantur: *Et Deus gloriosus dignetur facere vindictam de eo qui loquitur his sermonibus loquela vulgari, & loquitur topicè in Deo glorioso absque scientia*. Generatim verò libro 9. Ethic. cap. 4. sic ait: *Deus distributor bonorum speciebus, quæcunque specierum fuerint; & non dat vni indiuiduo nec vni speciei & prohibet reliquis; sed diuidit vniuersa bona secundum merita & aptitudinem ipsarū.* Denique hoc pacto posse Deum dici naturam ait quatenus scilicet ab eo *prouenit actio intellectualis ordinate*, &c. vt ipse loquitur Disputat. 12. contra Algazelem initio.

Ex quibus vlteriùs patet, non esse eos in doctrina Auerroïs versatos, vel saltem non verè, sed arbitratu suo loqui, qui Auerroëm putant negare Deum cognoscere res vniuersi. quos fusiùs redarguere non licèt in præsentia. Illud instar omnium satis sit, quod Auerroës testatum omnibus voluit quomodo intelligēdum sit cum videtur à Deo rerum scientiam auferre: *Deus* in-

Auerroes. quit Auerroës Disputat. 3. contra Algazelem in solut. dub. 18. *in quantum sunt causa quod ipse intelligat ea*; quia scilicet non accipit cognitionem à rebus; atque ita mox subdit: *Sicut noster intellectus intelligit ea. Vnde philosophi hoc intendunt dicere dum asserunt Deum non intelligere entia posteriora eo modo quo nos ea intelligimus; immò modo, quo nullus intelle-*

Zimara. *ctus potest ea intelligere*, &c. Hinc Zimara in Tabula verbo *Deus non rectè* ait. *Et nota* inquit *quod nostri Theologi quoad hoc concordant quod Deus non intelligit creaturas sicut nos quorum intellectus mouetur ab obiectis*. Ex quibus vlteriùs sequitur falsum esse quod quidam dicunt ex Aristotele libro 12. Metaphys. cont. 52. si Deus intelligeret omnia fore vt eius intellectus vilesceret. falsum inquā est simpliciter; verum est tamen si acciperet obiectum à rebus, vt infrà dicturi sumus. Atque pro præsenti Difficultate significata sint. Hactenus de rebus diuinis digredientes disputauerimus, pro locorum temporúmque angustiis.

Nunc ad Difficultatem nostram redeamus, nec ampliùs ad digressionem disputatio hæc nostra spectabit.

Stephani Bubali de Angelis.

Regreßio & continuatio propositæ difficultatis. Rursusque disputatur quo pacto in æternis differat posse & esse.

Colligitur tertiò, Quomodo intelligendus sit Aristoteles cum docet. *In perpetuis posse* Aristoteles. *non differt ab esse*, vt suprà retulimus. Intelligi enim debet non quod nullum posse sit in æternis, vt diximus; sed quod posse non sit seiunctum ab illo esse quod æternum est. Hoc enim pacto & ad mentem est Aristotelis, & aliquo modo veritatem habet ea propositio. Primum patet, quia Aristoteles in eo cont. 32. lib. 3. Phys. illud axioma sumpsit vt antiquorum dubitationem de infinito confirmaret, quam deinceps meliùs enodare posset. Aiebant autem ij dari infinitum eo argumento persuasi quod Aristoteles ibi dicit: *Maximè & proprijssimum & quod communem facit dubitationem omnibus*; quia scilicet videntur extra cœlum esse infinitæ magnitudinis. Nam est spatium infinitum; ergo & corpus infinitum. Quia nō est ratio cur vnus locus potius quam alius corpore repleatur. Immò etiamsi daretur ibi esse vacuū, necessariò fatendum esset locum illum esse infinitum, & corpus infinitum. Nam si ibi vacuum est; ergo potest repleri corpore; ergo actu repleC tur. quia *posse non differt* inquit *ab ipso esse in perpetuis*. quæ ratio significat quod antecedentia verba permittunt. Antecedentia autem verba permittunt, vt si possit repleri corpore vacuum; sit actu repletum. Et ideò dixit: *si vacuum infinitum & locus infinitus, & corpus infinitū necesse est esse*. quasi si possit repleri actu sit repletum.

Ratio autem huius doctrinæ est; quia in his quæ pendent à solo Deo vt suprà indicaui, & dicam infrà, arbitratus est Aristoteles aut semper esse aut nuuquam. Vnde quia extra cœlū, quod vacuum contineat corpora pendet à solo Deo per creationē ex nihilo, debet esse actu, aut certè nunquam. Et idcirco subdidit: *In perpetuis* quę nimirum à prima causa per creationem sunt, D qualia sunt corpora cœlestia, & quæ primò habuerunt esse à Deo, *non differt posse ab esse*; hoc est posse nō est separatum à suo actu ita vt si sit vacuum potens intra se concludere corpora, ea debeat actu habere. Itaque non ait Aristoteles, in æternis nullo modo prorsus esse potentiam, sed negat eam carere suo actu, ab eóque esse seiunctam. In quo etiam sensu eādem propositionem aliquo modo intellexit A. Doctor q. 5. de Pot. a. A. Doctor. 14. ad 5. pro ratione dubitandi: *Quod* inquit *dicitur quod in sempiternis non differt esse & posse, intelligendum est secundum potentiam passiuam, non secunE dum actiuam. potentia enim passiua actui non coniuncta principium corruptionis est & ideò sempiternitati repugnat.* Quæ quidem vera sunt vt statim dicam; sed tamen non omninò ad mentem Aristotelis eo loco vt vidimus. & ideò dixi hanc propositionem aliquo modo intelligi in nostro sensu, quatenus nimirum affirmat posse nō differre ab esse, eo quod actum cum potentia cōiunctum in sempiternis esse oporteat.

Secundum patet: quia verum est aliquo modo, in æternis non esse separatum posse ab ipso esse. Pro qua re

Notandum esse potentiam receptiuam de qua

ibi loquitur Aristoteles, cum ait de Vacuo quod recipere possit corpora proprie esse eam aptitudinem quæ est ad aliquem actum quem non habet sed possit habere ab aliquo agente secundum quod rerum natura poscit. Quod apertè colligitur ex Aristotele libr. 9. Metaph. cont. 17. *Nihil incorruptibilium simpliciter potentia est; secundum autem aliquid nihil prohibet; vt Quale aut Vbi.* Ad hæc enim quia ea induci possunt naturaliter; hoc est rerum causarúmque serie id poscente dicuntur incorruptibilia esse potentia, nempe ad hos actus quibus carent.

Aristoteles. Aristoteles. Quod etiam patet ex causa quam Aristoteles reddit ibi cur id negat: quia scilicet *omnis potentia* inquit *contradictionis est*; quia nimirum tunc est cum non est actus, cuius tantùm esse respicit; & ideò est contradictionis quia affirmari de ea potest quod sit ad esse & non esse. Ad esse quidem quia potest illum suscipere. Ad non esse autem quia potest illum perdere. omnis enim forma quæ cum priùs non sit, potest produci ab agente secundum ordinem causarum naturalium, potest amitti: quia scilicet est per generationem. ergo per corruptionem amitti potest; vt ipse probat libro 1. de cælo à context. 102. quia omne quod habet potentiam ad esse, priùs fuit possibile, id est potuit fieri cum non esset. nempe ex potentia materiæ, vt patet ibidem à context. 115.

Alexander. Ex quo patet Alexandrum libro secundo Natural. qq. c. 15. peripatetico more locutum esse, cum aliquid habere potentiam definiuit *esse nondum in illo esse actum, sed posse in illum mutari.* Significat enim potentiam esse cum negatione actus. Dixi autem actum qui possit ab agente produci vt rerum ordo deposcit; quia non aliter Aristoteles intelligit corruptibile & incorruptibile, seu possibile & impossibile fieri, nisi secundum causarum cursum ac naturam eiusmodi generationes aut corruptiones deposcentium. Vnde Aristoteles. Aristoteles in eo contex. 17. vt probet *non esse timendum, ne Sol aliquando stet, quod timent qui de natura*; causam ex natura rei in medium attulit. nimirum; *Non enim fatigantur* inquit *cum hoc faciunt eo quod motus eis non est circa contradictionis potentiam quemadmodum corruptibilibus.* hoc est non fatigantur ex eo quod motus possit esse & non esse, vt corruptibilia, *ita vt laboriosa sit eis motus continuatio.* Refert ergo causam in naturam rei de qua disputatur, non in absolutam Dei potestatem, & in repugnantiam seu contradictionem vt solent recentiores, qui quotiescunque reperiunt dici aliquid fieri non posse, id ex rerum absoluta repugnantia dici putant.

Aristoteles. Eandem naturalem causam Aristoteles expressit libro primo de cœlo cont. 101. cum probet: *genitum sempiternum esse dicere impossibilium est.* id enim ostendit ex iis quæ apparent. *Sola enim hæc ponenda sunt rationabiliter quæcunque in multis aut omnibus videmus esse. de hoc autem accidit contrarium. omnia enim quæ generantur corrumpi videntur.* id est apparēt & cernūtur. Simili modo Aristoteles ex rei natura probauit cœlum esse incorruptibile cont. 22. lib. 1. de cœlo ex eo quod in cœlo nunquam visæ sunt mutationes; & cont. 20. ex eo quod cœlum non habet contrarium quemadmodum nec eiusdem cœli motus Ex quibus patet, non rectè eos sentire qui putarunt cœlum vt sit incorruptibile, nulla prorsus effectrice potentia debere posse corrumpi cum satis sit

A non minus ad rei veritatem, quàm ad Aristotelis mentem, si nulla vi causarum secundarum destrui queat.

His positis aio verum esse in æternis nullam esse potentiam nisi ad Quale & Vbi, vt dixit Aristoteles. In iis namque non est potentia cum negatione actus qui causarum secundarum vel virtute vel postulatione produci debeat, & proinde ad quem subiectum propriè sit in potentia. ergo propriè non est potentia nisi ad Vbi. Antecedens patet, quia nullus alius effectus in æternis; nempe in cœlo & Angelis quæ Aristoteli æterna sunt, potest ab agentibus creatis naturaliter produci præter Quale & Vbi, vt B considerante patet, tum ad Aristotelis mentem, tum etiam quia non potest ab eo naturali agente produci substantia aut quantitas, vt certum est in Angelis qui substantiæ spiritales sunt, quæ creatione præpotentis virtutis è nihilo produci debent. Idémque in cœlesti corpore patet, quæ applicatione agentium ac patibilium substantiarum suum esse habere nequeunt. Non ergo ad hæc duo prædicamenta sunt potentia. De relatione autem parum refert. Hæc enim cæteras formas consequitur, per se autem fieri non potest, quia ad illam per se non est motus, vt docuit Aristoteles libro quin- C to Phys. cont. 10. ergo nihil aliud produci potest. Dico igitur, si in æternis non est propriè potentia quia est coniuncta cum actu, sequi manifestè: In æternis posse non esse separatum ab ipso esse quod per actum est. Per *posse* autem intelligo id quod est subiectum actus. quod est potentia quidem secundum quid, non autem simpliciter quia non caret actu, vt diximus.

Ex his responderi potest ad argumenta quæ proposuimus in ratione dubitandi initio huius difficultatis. Nam ad primum locum ex illo contextu 52. dico Intelligentias non moueri per accidens eo modo quo ibi contendit Aristoteles; nempe tanquam formas cœlestium D orbium: quia essent formæ compositi corruptibilis; atque ita non essent causa perpetui motus; cuiusmodi sunt omnes formæ cæterorum corporum. Hinc tamen non sequitur Aristotelem contendere Intelligentias omninò esse immobiles; quia possunt moueri per se, & per accidens etiam; non tamen tanquam formæ corporum, sicuti mouentur Angeli in corporibus assumptis. Ad alium locum ex cont 43. iam diximus quid intelligat Aristoteles cum eas ponit immobiles; quia scilicet sunt alligatæ cælo in omnem posteritatem, & ab æterno in sententia Aristotelis, ita vt inde nunquam sint recessuræ. quod est ex hypothesi non posse moueri, nec habere potentiam vt moueantur modo explicato in Tertio corollario.

E

Quo pacto veræ esse possint Aristotelis demonstrationes in libro 6. Physicorum, quòd scilicet indiuisibilia moueri nequeant. §. 5. in hac Difficultate.

AD primum argumentum quod ibi ex libro sexto Physicorum addidimus, respondeo dupliciter posse examinari illas demonstrationes

tiones. Primò quidem an abſolutè veræ illę ſint. Secundò an veræ ſint ad mentem Ariſtotelis, & quomodo.

Quoad primum dico illam primam demonſtrationem in eo niti, quod mobile diuiduum debeat eſſe: eo quod partim debet eſſe in termino à quo, partim in termino ad quem; hoc eſt ſecundum vnam eius partem in vno termino, ſecundum aliam in alio. Alioqui non probaretur eſſe diuiduum. Hanc autem propoſitionem aio falſam eſſe abſolutè. Nam primò cum ſunt mutationes quæ momento abſoluuntur, vt eſt illuminatio, & productiones ſubſtantialium animatum aio, In his & ſimilibus nunquã poſſe mobile partim eſſe ſub termino à quo, partim ſub termino ad quem. Non enim priùs producitur in vna parte ſubiecti forma, poſtea in alia parte: quia momento tota in toto producitur; & ideò totũ quod eſt ſub termino à quo, momento tranſit & eſt ſub termino ad quem; ita vt verum ſit dicere in eo momento quo aër illuminatur, aër in tempore proximè antè erat non illuminatus; nunc verò, hoc eſt in hoc puncto temporis illuminatur, & illuminatus eſt. Nam in his quæ momento fiunt idem pũctum temporis eſt quo fit & factum eſt, vt oſtenſum eſt lib. 6. Phyſ. Itaque generalis propoſitio falſa eſt: *Omne quod mutatur partim eſt ſub termino ad quem, partim ſub termino à quo.*

Simili modo dico ſecundò, nec veram eſſe hanc propoſitionem in mutatione loci ſi mutatio fiat in puncto temporis, vt ſi Angelus tota hora ſit in cœlo, in extremo autem eius momento ſit in terra, vt dicemus infrà poſſe fieri. Tunc ergo non erit partim in termino à quo & partim in termino ad quem. quia tota hora fuit in cœlo totus & in extremo puncto in terra totus. Quod etiam verum eſt ſi corpus à Deo ponatur diſcretis momentis nunc in hoc loco nunc in illo; vt poſſe fieri non eſt controuerſum inter Theologos. Nam certum eſt de facto id contingere in venerabili Euchariſtiæ ſacramento, vt nunc vno momento ponatur in hoc loco, nunc in alio. Ergo poſſet Deus ita ponere corpus aliquod alicubi momento temporis, vt alibi vbi erat deſinat eſſe. ergo mutaret locum corpus illud abſque eo quod partim eſſet in termino à quo partim in termino ad quem.

Immo tertiò nec vera eſt propoſitio illa ſecundum Ariſtotelicam doctrinam. Nam poteſt ſubiectum aliquod progredi ex vna qualitate in alteram totum ſimul, vt non prius ſit ſecundum vnam ſui partem, deinde ſecundum alteram, ſub illa qualitate quæ acquiritur; ipſo etiam Ariſtotele fatente ita accidere in congelatione, & coagulatione; vt patet ex libro de ſenſu & ſenſili cap. 3. Vnde libro 8. Phyſ. cont. 23. *Non enim* inquit *ſi partibile eſt in infinitum id quod alteratur, ob id & alterum; ſed ſimul in vniuerſa fit ſæpè, vt congelatio.* Id eſt ſi totum corpus coagulatum ſit in toto aliquo tempore, non eſt neceſſe vt pars eius in particula temporis concreſcat, ſed totum ſimul ſecundum omnes partes congelari poteſt.

Ariſtoteles.

Præterea idem Ariſtoteles libro primo Phyſicorum contextu vigeſimotertio reprehendit argumentationem Meliſſi aientis. Omne factum habere principium & rei & temporis, nempe inſtans aliquod in quo res incipit, poſtea verò progreditur per ſubſequens tempus. & præſertim alterationis, quam putabat progredi oportere ex vna ſubiecti parte in aliam. Reprehendit autem Ariſtoteles huiuſmodi axioma, nempe Omne factum habet principium & rei & temporis eo modo quo diximus: idque tum aliis argumentis, tum verò quòd falſum manifeſtè ſit in alteratione, nempe in coagulatione & congelatione, & in mutationibus momentaneis. Hæc autem verba ſunt Ariſtotelis, quibus dictum Meliſſi eneruat. *Proinde* inquit *ac ſi mutatio nulla fieret ſimul*, vt benè vertit ibi ex contextu Græco Collegium Conimbricenſe noſtrum. Ergo Ariſtotele teſte non ſemper mobile partim eſt in termino à quo partim in termino ad quem; hoc eſt nec ſecundum varias ſui partes, nec ſecundum partes formarum ſuccedentes.

Ariſtoteles. Meliſſus.

Denique falſa probatur illa propoſitio hoc argumento quod eam falſam eſſe oſtendit, tum in motu momentaneo tum in ſucceſſiuo: Quia vt ratio mutationis tota conſiſtat; ſatis eſt ſi mobile prius ſit ſub termino à quo, deinde ſub termino ad quem. Nam hoc pacto eſt tranſitus mobilis ex quodam in quoddam; in quo ſaluatur tota ratio mutationis, vt patet ex libro quinto Phyſicor. contextu tertio & nono. At ad hoc vt mobile prius ſit ſub vno termino quàm in alio ſiue momento ſiue ſucceſſiuè, non eſt neceſſe vt habeat vnam partem ſub termino à quo, aliam ſub termino ad quem. Minor probatur; & primò ſi mutatio ſit momentaria erit etiam tranſitus momentarius; vnde prius potuit eſſe ſub termino à quo in toto tempore præcedenti tranſitum, vt verbi gratia ſub tenebris; deinde verò in inſtanti quo eſt tranſitus eſſe ſub termino ad quem; nempe ſub luce dum eſt tranſitus qui eſt illuminatio. Nam formas indiuiduas atque impartibiles incipere intrinſeco momento ſeu vt aiunt per primum ſui eſſe docet Ariſtoteles libro octauo Phyſicorum contextu ſexageſimonono & libro ſexto Phyſicorum contextu quadrageſimoquinto, vt ibi etiam explicant interpretes. ergo forma, nempe terminus ad quem eodem momento eſt cum ipſa momentaria mutatione, ne dentur duo inſtantia immediatè ſibi ſuccedentia, quod eſt impoſſibile vt ibidem docet Ariſtoteles. Ergo ſi mutatio erit momentaria, mobile erit totum ſub termino à quo in tempore ante tranſitum, & in momento tranſitus totum erit ſub termino ad quem. Ergo in motu momentario non eſt neceſſe, vt mobile habeat vnam ſuam partem ſub termino à quo, & aliam ſub termino ad quem.

De motu etiam continuo patet dupliciter: Primò quidem quia mobile indiuiduum poteſt prius eſſe ſub termino à quo; deinde totum ſimul motu continuo acquirere terminum ad quem; vt ſi intelligatur fluere punctum percurrendo ſpatium huius aulæ; tunc totum punctum erit in continuo fluxu, quia termini ad quem acquirendo partes poſt partes totum ſimul eidem termino magis ac magis appropinquat. Secundò, quia id etiam dicendum eſt opinione Ariſtotelis. Nam ipſe libro ſexto Phyſicorum contextu octuageſimo ſexto concedit apertè id quod indiuiduum & inſectile

sectile est, posse moueri dum est in alio, nempe per accidens dum in suo subiecto seu in sua magnitudine est. *Id quod impartibile est* inquit *non contingit moueri nisi secundum accidēs vt corpore moto, aut magnitudine in qua est.* Ergo non est necesse vt mobile habeat vnam sui partem sub termino à quo & aliam sub termino ad quem: quia tunc cum mouetur ipsum insectile in omnium sententia totum est sub termino à quo & totum sub termino ad quem. Insectili enim & impartibili ascribi non possunt partes, secundum quarum vnam sit sub termino à quo, & secundum alteram sit sub termino ad quem. Certum namque est partes repugnare ei quod non potest diuidi, de cuius ratione est vt sit id quod nullas habeat partes.

Quod autem dicere quis posset partes non esse necesse cuicunque mobili: nam mobili per accidens non est necesse habere partes; esse tamen necesse vt mobile per se eas habeat; facilè refutari potest. Assignanda namque est ratio cur mobili per se sint necessariæ partes non autem mobili per accidēs. Nam eadem ratione si punctum moueretur per se, moueretur eodem prorsus modo ac mouetur cum mouetur in sua magnitudine per accidens; nimirum quia flueret totum per totum spatium vsque ad terminum ad quem in quo consisteret. ergo in hoc non esset diuersa ratio. Atque ita patet esse falsam absolutè illam propositionem.

Ex his quoque respondetur ad secundum argumentum Aristotelis. Negandum enim est antecedens cum dicit, Dum mouetur punctum non potest esse totum sub termino à quo & totum sub termino ad quem; quia non moueretur sed quiesceret. Negandum inquam est propterea quod dupliciter potest esse falsum. sicut dupliciter potest intelligi esse totum sub termino ad quem: nimirum vel primò quia sit totum in termino ad quem totaliter & adæquatè, quem scilicet acquirat puncto temporis totum, nec mobile vltra tendat. Vel secundò quia sit totum in termino ad quem partialiter & inadæquatè, quem scilicet acquirat successiuè magis ac magis vltra tendendo. Exemplum primi est, si Angelus siue quodcumque aliud indiuiduum in toto tempore ante motum sit in puncto huius aulæ A. immediatè autem pòst, momento sit in alio puncto B. distanti ab ipso puncto A. Exēplum secundi est, si Angelus seu quodcunque aliud etiam indiuiduum sit immediatè ante motum in puncto A. huius aulæ, postea verò per motum acquirat reliquum spatium successiuè vsque ad terminum B. quod sit extremum spatij eiusdem aulæ.

Aristoteles. Iam dico antecedens vtroque modo posse rectè negari. Si enim punctum aut quodcumque indiuisibile sit primo modo totum sub termino ad quem, nego quiescere & non moueri. Non quiescere quidem, quia vt ait Aristoteles libro sexto Phys. cont. 30. *quiescere non est in ipso nunc*: Non moueri etiam nego si motus amplè sumatur pro mutatione quæcunque illa sit, modò sit transitus ex quodam in quoddam. Omnis enim termini ad quem acquisitio est transitus ad ipsum terminum; vt si in ligno non calido sit acquisitio caloris, est transitus ligni ad calorem. Neque enim subiectum aliter transit ad terminum ad quem nisi ipsum acquirendo. vnde mo-

A tus est transitus ex quodam in quoddam, vt dixi ex libro 5. Phys. cont. 3. Cum ergo in eo momento mobile indiuisibile acquirat terminum ad quem, in eo quoque momento moueatur necesse est. Neque contra hoc est quod ait Aristoteles libro primo de generat. cont. 55. habitibus præsentibus cessare motum. Id namque verum esse fatemur in omni motu, vnde etiam quæ sunt momentanea vt diximus cessant per primum quod etiam est vltimum sui esse; & verum est dicere tunc primò & vltimò est generatio seu acquisitio, immediatè post ampliùs non erit. Falsum ergo absolutè est illud antecedens.

B Si verò indiuisibile sit totum sub termino ad quem secundo modo, nego etiam & multò magis quiescere & non moueri. Ratio vtriusque est prorsus manifesta: quia quandocumque mobile tendit vlterius magis ac magis acquirendo terminum ad quem successiuè, tunc necesse est non quiescat; sed moueatur. quandoquidem dum mobile vlteriùs tendit, in eo est actus tendentis ad vlteriorem perfectionem, ac proinde est actus mobilis qua mobile est. quod est esse motum; vt patet ex Aristotele libro tertio Phys. cont. 9. vbi definit motum esse actum mobilis qua mobile est. Mouetur ergo & non quiescit illud insectile mobile si totum sit sub termino ad quem secūdo modo. Atque ita vtroq; modo negandum est antecedens. C

Ad Tertium argumentum respondeo negando Maiorem: quia non est necesse vt omne mobile prius transeat per spatium minus aut æquale: vt patet cum punctum mouetur per accidens in suo toto. Quod concedit Aristoteles libro illo 6. cont. 87. vt diximus. Tunc enim dum punctum est in motu nūquam potest puncto assignari spatium vel æquale vel minus; sed semper in quacumque motus particula assignabitur spatium maius. Ratio est apertissima; quia D quæcunque pars motus est diuisibilis, ac proinde pars spatij ei parti respondens. ergo quæcunque pars spatij in quo punctum mouetur est puncto maior.

Quamobrem si sphæra perfectissima tangens perfectè planum super eo moueretur non quidem in orbem, sed motu planè recto, sanè ipsa sphæra quæ vno suo puncto planum tūc attingeret non moueretur nisi cum puncto quod illi ratio est tangendi planum, ergo punctū etiam illud moueretur licèt in sphæra. Posito autem quod punctum illud motu recto moueatur, debet moueri super eiusdem plani linea, quia in eo motu tangeret planum non secundum latitudinem, sed solum secundum longitudinem. E Non quidem secūdum latitudinem; quia sphæra per punctum tangeret: ergo non secundum latitudinem. Secūdum verò longitudinem planum ipsum contingeret; quia illud punctum applicaretur ipsi plano per motum continuū. Per motum autem continuum mobilis, punctum non potest applicari puncto spatij. Quia mobilis punctum pūcto spatij in solo temporis puncto applicari potest, quemadmodum in tempore motus recti & continui applicari debet spatio quanto & diuiduo. Sicut enim in toto tēpore motus, applicatur mobile toti spatio quod pertrāsitur; ita in parte tēporis applicari debet parti eiusdem spatij. Alioqui si in parte temporis soli

spatij

spatij puncto applicaretur mobile per motum continuum, nunquam ad terminum perueniret per illum motum. quia non esset maior ratio vnius partis temporis quam alterius, ac proinde semper vel in eodem puncto consisteret, vel immediatè à puncto in punctum se transferret. quod impossibile est cum in motu continuo non possit de puncto in punctum immediatè se transferre mobile, quia darentur in continuo duo puncta immediata, & continuum componeretur ex punctis. Debet itaque mobile in parte temporis transire partem spatij, sicut in toto tempore transit totum spatium. Vnde rectè docet Aristoteles libro sexto Physicorum, contextu trigesimoseptimo. *Necesse esse easdem esse diuisiones & temporis & motus & eius in quo mouetur.* Punctum ergo illud in motu continget secundum longitudinem & lineam ipsum spatium. Vt scilicet sibi proportione respondeant tanta temporis portio & tanta spatij pars, quemadmodum se habent totum tempus & totum spatium. Vt si totus motus continuus sit vnius horæ per spatium milliarium; per dimidiam horam sit in dimidio spatio & sic de cæteris. Et quamuis Aristoteles in hac proportione citatis verbis inuoluat ipsum mobile; quia vult easdem diuisiones esse temporis spatij motus *& eius quod mouetur* vt vidimus. Tamen quia nunc contendimus hoc non esse necessarium, dicamus Aristotelem loqui de motibus, qui solent esse proprietates corporum naturalium. de quibus agebat in scientia Physica; cuius per se obiectum est corpus naturale. Atque hæc vera sunt in motu puncti continuo.

Aristoteles.

In motu verò momentaneo etiam falsa est Maior, quia vt diximus; si punctum totum à spatio A, transeat ad spatium B, sine medio, quod fieri diuina saltem potestate posse non est negandum, non est necesse transeat aut minus aut æquale spatium prius. Neganda est itaque argumenti Maior in ipsis mobilibus indiuiduis quæ partes nullas habent ex quibus componantur.

Ad quartum argumentum dico ibi aliquid inuolui quod verum non est, vnde nec sequitur quod contēdit argumentum. Verum autem non est quod argumentum supponit: nempe posse punctum moueri per spatium sibi æquale. Nam puncto non est æquale spatium nisi spatij punctum. Punctum autem in puncto spatij non potest moueri si in eo persistat. Quia punctum in puncto spatij nihil acquirit noui spatij: ergo non mouetur. Dixi si in eo persistat. Nam si mutet spatij punctum seque in aliud punctum transferat per mediam lineam mouebitur, quæ interiaceat inter vtrunque punctum cum non sint duo puncta immediata, vt modò dicebamus. Ex hoc ergo non sequitur, si moueatur punctū per semihorā fore vt moueatur per spatium minus, quia non admittimus id ex quo sequitur. Atque hæc quantum attinet absolutè ad veritatem earum propositionum, quæ ab Aristotele enunciantur; vtvt fuerit eius mens & consilium, de qua re mox dicemus.

Ex his autem vlteriùs multò veriùs & faciliùs affirmo, Angelos posse localiter moueri. Primò quidem, quia non est necesse vt Angeli indiuisibiliter, hoc est vel per puncta vel per lineas ad locum moueantur; quia possunt moueri applicando se diuisibili spatio per vbitatem diuisibilem vt supra ostendimus. Ergo non faciunt argumenta Aristotelis contra motum localem Angelorum; vt etiam obseruauit hic q. 53. ar. 1. ad 1. A. Doctor. vbi etiam duplici de causa negat huic Angelorum motui Aristotelis argumenta aduersari. *Primò quia demonstratio Aristotelis* inquit *procedit de indiuisibili secundum quantitatem cui respondet locus de necessitate indiuisibilis; quod non potest dici de Angelo. Secundò quia demonstratio Aristotelis procedit de motu continuo. Si enim motus non esset continuus, posset dici quod aliquid mouetur dum est in termino a quo, & dum est in termino ad quem, quia ipsa successio diuersorum Vbi circa eandem rem, motus diceretur,* &c. *Sed continuitas motus hoc impedit, quia nullum continuum est in termino suo,* &c. Quæ omnia rectè confirmant quæ à nobis hactenus dicta sunt. Secundò addimus nos etiamsi Angeli moueantur applicando se loco indiuisibili per vbitatem indiuisibilem, quod fieri posse dicemus infrà; non tamen sequi aliquam repugnantiam, quia huiusmodi argumenta absolutè nihil probant vt ostensum est.

A. Doctor.

Superest nunc videamus de Aristotelis consilio in iis proponendis argumentis; ne tantum Philosophum in re adeò clara lapsum esse existimemus. Quare examinandum nunc est: Vtrum mens Aristotelis fuerit in iis argumentis negare posse Intelligentias quas diximus Aristoteli simpliciter esse mobiles, moueri; & Vtrum aliquo modo ea argumenta in punctis mobilibus veritatem habeant. In qua re

Notandum est Aristotelem in his argumentis non agere de motu quacunque ratione, sed de motu Physico, qui vt modò significabam est proprietas corporum naturalium. Suppono enim nunc physici esse agere de naturali corpore tanquam de suo obiecto adæquato; ac proinde non posse vagari extra eas passiones, quæ ipsi corpori non conueniant. Agit ergo de motu corporum, hoc est de motu naturali qui per qualitates corporis motrices è corporibus naturalibus manat. Cùm ergo Aristoteles ait indiuisibilia non posse moueri, intelligi oportet non quidem absolutè. Nam vt diximus Aristotelis opinione falsum quoque est tum in alterationibus, & aliis mutationibus substantialibus; tum etiam in motu locali, quo saltem per accidens huiusmodi indiuisibilia moueri possunt: sed intelligi debet ea non posse moueri per qualitates naturales, hoc est ingenitas ipsis indiuiduis corporibus à natura; quemadmodum cum idem Aristoteles libro 4. phys. à cont. 71. ostendit in vacuo si daretur motus, ipsum futurum in instanti, plerique rectè vt eodem libro ostendimus, intelligunt non absolutè de quouis motu, sed de motu per easdem corporum qualitates naturales. Hæ namque cum sint ad mouenda corpora motu successiuo & continuo per plena non vacua spatia, si per eas corpora mouerentur in vacuo interuallo, mouerentur ipsa momentaneo motu; quia non successiuo ad quem determinata sunt. Quod quidem rectè sequitur. Si enim ponamus in vacuo ipsas motrices qualitates mouere sua corpora, debemus hinc asserere alio ac diuerso motu atque eo ad quem sunt determinata. Alioqui si suo motu mouerent, iam mouerent per plenum non

per vacuum spatium. Mouerent ergo in instanti. Quod Aristoteles putauit esse impossibile; ideoque conclusit in vacuo non futurum motũ. Itaque dicimus Aristotelẽ negare indiuisibile moueri qualitate naturali. Pro qua re meliùs explicanda

Notandum secundò, licet difficile adeò sit cõstituere quem motũ Aristoteles huiusmodi indiuiduis neget in iis demonstrationib. ita vt Auerroes lib. 6. Phys. comm. 32. dicat: *In hac quæstione accidit expositoribus quæstio quasi insolubilis contra Aristotelem* tamẽ mihi videri Aristotelem iis solum motum localem per se negasse, non cæteros motus. Hũc enim solum tractauerat in eo 6. libro; in quo tantùm de diuisione partiũ quas motus in spatio habet disputat; vt patet ibi à cont. 4. & deinceps; & hanc expositionem rectè sequitur Cardinalis Toletus in illum cont. 32. vbi cæteras non admittit. Dixi tamen *per se*, nam ex consequenti & per accidens possunt illæ demonstrationes explicari interdũ de cæteris motibus; vt etiam facit Aristoteles in eo cõt. 32. vbi exemplũ affert de motu alterationis; quod quidem adduxit vt claro exemplo rem obscurã declararet; non verò quia significare vellet se de eiusmodi speciebus ibi disputare. quemadmodũ dum nõ dissimili modo lib. 8. Phys. cõt. 69. docet formas substãtiales incipere per primũ sui esse: Explicat id exemplo albi & nigri tanquam per formas notissimas; licet omninò par exemplum non sit, cum hæ qualitates successiuè fiant, ac proinde incipiant per vltimum sui non esse vt alibi dictum est. His positis

Auerroes. Toletus.

Dicendum videtur Aristoteli demonstrationes veras esse. Probo veritatem de singulis. Et prima quidem vera est: quia omne quod mouetur motu naturali & per prædictas qualitates, est partim in termino à quo & partim in termino ad quem; Vt si mouetur lapis bipedalis deorsum à summo aëre ad terram; verum est dicere: ille lapis bipedalis secundum vnum pedem adhuc est in termino à quo, cum secũdum alterum pedem ab eo spatio bipedali primùm recessit; nempe cumprimum per alterum pedem egressus à termino à quo incipit esse in termino ad quem, dum illum incipit acquirere per motum; & sic de cæteris. vt patet inductione; qua inductione solum huiusmodi physica principia nota sunt; vt patet ex lib. 2. poster. analyt. cap. vlt. Ergo omne quod mouetur motu naturali partim est sub termino à quo partim sub termino ad quẽ; Cum autem indiuisibile non sit huiusmodi, non potest moueri motu naturali, nempe per qualitates sibi inditas.

Nec valeret responsio eius, qui diceret illam inductionem satis non esse, quoniam non est par ratio de corpore quanto; atque de puncto indiuiduo. Non valeret inquam huiusmodi responsio. Etenim cum aduersarij qui puncta & alia huiusmodi indiuidua per se moueri asseuerant, nullam sufficientem rationem habeant qua id affirment; meritò Aristoteles eos improbauit ex eo quod inductione constat nõ moueri nisi corpora; quæ ita se ad motum habent, vt partim sint in termino à quo, partim in termino ad quẽ. ergo cum indiuisibilia huiusmodi non ita se habeant, non est quod ea moueri per se dicantur. Qua ratione cum Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 6. dixit omne corpus simplex moueri, aut à medio, aut ad medium, aut circa medium; quia nimirum non alio motu corpora moueri cernimus: si quis diceret puncta simplici motu moueri transuersim, bene refelli posset hoc argumento; quia simplex motus non debetur nisi corporibus, quæ a medio, & ad medium, & circa medium mouentur. ergo puncta & similia indiuidua, quæ non habent huiusmodi vim non mouentur, ac proinde nec transuersim. Potior enim ratio esset apud eum, qui ita argumentaretur, quam apud eum, qui eo vt dixi modo responderet. Itaque mirum non est si huiusmodi argumẽtationibus vtatur Aristoteles, quia ex inductione non tamen ex absoluta impossibilitate hæc ostendere adnititur.

Atque hinc est vt rectè Aristoteles dixerit, non posse hæc indiuidua moueri per se, posse tamen moueri per accidens; virtute nimirum alterius motrice: rectè inquam, quia consiliũ Aristotelis eò spectabat vt ostenderet, propositum sibi esse non afferre repugnantiam ex essentia motus & mobilis; quia alioqui contrarium ne per accidens quidem posset in ea indiuisibilia conuenire. Quod enim alicuius essentiæ repugnat, ne per accidens quidem illud habere potest; vt homo non potest ne per accidens quidem constitui per hinnitum, &c. Propositum ergo illi fuisse debet clare demonstrare, non conuenire indiuisibilibus qualitates tales quibus moueantur: fortasse aduersus eos, qui continuum componebant ex atomis, vt Anaxagoras, Zeno & Stoici, & communis opinio erat ætate Aristotelis, ac proinde multi ex illis atoma corpuscula moueri arbitrabantur, in quos videtur totus ille sextus liber exaratus; vt indicat Simplicius in eum librum commentario suo primo & deinceps.

Aristoteles. Simplicius.

Simili modo aio de secunda demonstratione. Nam inductione constat cum totum corpus est sub termino ad quem in motu locali, non amplius corpus ipsum moueri, quia ibi cessat motus successiuus; & verum est dicere; nunc primò non est amplius motus; quemadmodum necdum est motus, cum totum corpus est in termino à quo; quia vt sit motus debet ab ipso termino à quo mobile recedere, & accedere ad ipsum terminum ad quem. ergo debet esse partim in termino à quo partim in termino ad quem. Qua ratione puncta esse non possunt, quæ indiuidua cum sint, partes nec habent nec habere possunt. Nec dissimilis est ratio in cæteris demonstrationibus. Nam experientia constat motu naturali corpora transire spatium minus & æquale priusquam maius. Priùs enim mobile bipedale transit spatium vnius digiti palmare, & bipedale quam quadripedale, &c. Hoc ergo pacto ex motu naturali atque ex virtute indita & motrice omnia videmus mouere per se, & hoc ordine se habere in motu. ergo puncta non possunt per se ex tali virtute quæ ipsis propria & connaturalis sit moueri. *Solum enim* inquit Aristoteles libro 1. de cœlo cont. 102. *hæc ponenda sunt rationabiliter, quæcunque in multis aut in omnibus videmus esse.* Idémque colligitur ex lib. 3. cœli cont. 24.

Aristoteles.

Aliter soluit Albertus de quatuor coæuis q. 9. a. 1. ad 1. vbi significat veram esse Aristotelis demonstrationem eo quod indiuisibile quod est in genere quantitatis non potest moueri. Quia *Illud* inquit *habet situm in continuo, & per consequens comparationem ad quantitatem spatij. Et quia non potest transire maius se nisi prius transeat æquale, cum in* quocum

Albertus.

quocunque paruo spatio sint infinita æqualia sibi, nō contingeret ipsam transire in quantocumque tempore quantumcumque paruum spatium. Quæ quidem responsio vera non est. Tum quia in quantitate punctū habet situm & in cōtinuo. ergo neque in quantitate posset moueri; Quod tamen concedit Aristoteles. Tum quia vt ostendimus non est necesse absolutè, vt mobile quodcumque prius transeat spatium sibi æquale quam maius. Itaq; puto standum esse in nostra solutione quam diximus.

Constat ergo Aristotelis demonstrationes hoc pacto veras esse, non tamen officere sententiæ nostræ, qua volumus Angelos esse mobiles dominio voluntatis; non naturali aliqua virtute quæ debita sit punctis aut cæteris naturis simplicibus atque indiuisibilibus, qua hæ naturæ motu aliquo necessario, atque ad vnum determinato moueri debeant in sententia Aristotelis.

QVARTA DIFFICVLTAS,

Vtrùm motus Angeli debeat esse in ipso realiter an in corpore an in vtroque simul & quo modo.

NOn hic quærimus; vtrùm id per quod tanquam per formam Angelus est in loco sit aliquid Angelo realiter inhærens. Affirmantem enim eius rei partem stabiliuimus, nisi fallor, euidenter superiore quæstione 52.a.1. Quæs. 2. Difficult. 3. Sed de motu ipso an hic videlicet motus Angelo realiter hæreat, an alteri corpori & quomodo. quod in controuersiam vocarunt recentiores nonnulli.

Quocirca nec quærimus; Vtrùm motus sit aliquid reale positiuum, distinctum ex natura rei ab eo quod mouetur. nam id supponere libet tanquam Peripateticis indubitatum. Reale quidem quia est à parte rei non cogitatione aut fictione intellectus. Et ideò Aristoteles id tanquam per se notum physicum motum dari supponendum esse ait libro 1. Phys. cont. 11. & libro 2. Phys. cont. 6. & libro 8. cont. 22. Quicquid Zeno contrà senserit apud Aristotelem libro 6. Phys. cont. 75. & libro 8. cont. 67. & 68. ob quædam inuoluta sophismata, quæ ab ipso Zenone euolui non poterant. Positiuum verò; quia cum sit à parte rei, & non entis negatio. ergo positiuum. Omne enim quod est à parte rei, aut ens positiuum est, aut entis negatio. Nihil enim inter contradictoria medium est.

Non est autem negatio: primò quia est idem prorsus re ipsa cum actione & passione, vt docet Aristoteles libro 3. Phys. cont. 11. & à cont. 18. In quibus locis ait, hos actus esse vnum eundémque actum, soláque ratione differre inter sese. Vnde libro 11. Metaphys. summ. 4. cap. 3. docet motum non esse calorem sed calefactionem. Ergo eius entitas est positiua, quia est realis actus.

Secundò quia motus *est actus mobilis quatenus mobile existit* vt docet idem Aristoteles eodem libro 3. Phys. cōt. 16. & propterea est operatio proueniens à motiuo. *Motiui enim* inquit Aristoteles ibidem cont. 18. *actus non alius est*, nimirum quam motus. ergo est ipsa efficientis ac motricis causæ operatio, quæ sine dubio non est negatio entis; vt calefactio, exsiccatio, &c.

Denique idem patet ratione: Quia negatione eadem permanēte in aliquo, illud ipsum in quo talis est negatio, nō alio atque alio modo se habet per eam negationem, vt permanente cæcitate non aliter se habet cæcus per cæcitatem. At permanēte motu per motum aliter se res habet, quæ mouetur; vt cùm quis ambulat cùm tēdit ad sanitatem, calorem & cæteras formas.

Non tamen hic nego quemadmodū sunt formæ positiuæ, ad quarum similitudinem earum negationes formas appellamus; vt cum dicimus tenebras esse formam tenebrosi; ita esse quasdam negationes veluti fluentes, quę ad similitudinem motus, motus quoque dicuntur; vt formarum corruptiones, quæ quia negationes sunt fluētes instar motus tendētis ad terminum, motus negatiui solent vocari à philosophis. Sed quod contendimus est, motum qui verè est motus & transitus ad formam, esse actum positiuum non negatiuum, in qua re distinguitur à corruptionibus, quæ tendunt ad non esse.

Quod denique sit distinctus ex natura rei ab eo quod mouetur, patet manifestè: Quia omne illud positiuum quod potest separari ab alio positiuo, est distinctum ex natura rei ab illo. Sed motus positiuus potest separari ab eo positiuo quod mouetur. ergo motus positiuus est distinctus ex natura rei ab eo quod mouetur. Maior patet: quia non alia ratione primùm scimus vnum accidens esse distinctum ex natura rei à suo subiecto, & ab alio accidente. Quo pacto figuram dicimus à quantitate distingui ex natura rei, & alia huiusmodi. Ratio est etiam nō dubia, quia idem non est separabile à seipso. Si ergo aliquid est separabile ab aliquo non est à parte rei idem cum illo. ergo est diuersum ab illo à parte rei, seu quod idem est ex natura rei distinctum est. Idem enim & diuersum *oppositè dici* docet Aristoteles libro 5. Metaphys. cont. 16. Minor probatur: quia motus desinit esse manēte eo quod mouetur; vt manente lapide cessat motus cum lapis peruenit ad locum suum; & sic de cæteris. Ergo motus positiuus separabilis est saltem sui corruptione ab eo positiuo quod mouetur. Vnde patet huiusmodi motum non esse separabilem quomodocumque, sed tanquam actum positiuum ab eo cuius est actus, quandoquidem est actus mobilis & ab eo est separabilis. ergo est separabilis ab eo quod mouetur tāquam eius actus. Posito ergo quod motus sit ens & actus positiuus, quærimus cum Angelus mouetur: Vtrum sit actus Angelo hęrens an corpori an vtrique.

Variæ Theologorum dissentientésque sententiæ, an Angelo hæreat motus. §. 1.

PRima sentētia negat esse actum Angelo hærentem. Hanc sententiam docuerunt ij qui negarunt Angelos propriè moueri, vt Heruæus Durandus & Caietanus, de quibus supra diximus. Hi enim si motum negent, nihil Angelo tanquam actum hærere dicent, dum Angeli moueri dicuntur. Citatur etiam pro hac sententia Gregorius in 2.d.2.q.1.a.2. Verùm hic auctor solùm

solú negat in quocúque mobili siue corporeo, siue incorporeo, per ipsum motú acquiri formã quæ sit Vbi: non tamen negat, motú esse actum mobili hærentem, vt patet ex eo loco conclus. 1. & 2. Immò si proprie motum non negat in corporibus esse, nec in Angelo negabit. Philosophatur enim hic auctor expresse de vtrisque

Ægidius.

pari ratione. Citatur etiam Ægidius in prim. d. trigesimaseptima secunda parte articulo secũdo qu. 1. Vult enim in ea quæstione in corp. §. *Aduertendum tamen*, Angelum cum sit in loco per operationem transeuntem magis dici moueri per tempora quam per loca: *quia per se primò motus Angeli est successio operationum, & quodammodo ex consequenti est successio locorum.* Itaque cum in Angelo non sit operatio transiens sed in corpore, successio etiam motus erit in corpore. Hanc tandem sententiam nostro tempore fusiùs docuit illustrauitque quidam vir in primis doctus in suis disputationibus in hunc art. 1. Disputat. 195. cap. 4. vbi contendit, nunquam in motu Angelico esse variationem in ipso Angelo, licèt concedat esse variam vnionem per quam Angelus corpori vnitur. Vnde ibi tria docet, quæ quoniam examinare placet (id enim ad veritatem conducere maximè arbitror) referam priùs eius dicta fideliter.

Tria ergo docet ille auctor. Primum est, cum Angelus loco mouetur non motu corporis in quo est, sed per se, nunquam oportere esse ait variationem modi intrinseci in ipso Angelo. Quam variationem explicat vt sit variatio vnionis qua vnitur corpori: non tamen variatio quæ sit motus ad suum terminum: *sicut* inquit *si anima diuerso corpori vniretur, diuersum modum in se ipsa haberet.* Itaque negat esse variationem modi, qui sit terminus motus localis, sed vult esse variationem modi, qui sit vnio ad corpus; vt magis ex ipso patebit in consequentibus dictis. Secundum est; motum secundum locum formaliter non consistere in variatione illius modi, sed in extrinseca quadam denominatione distantiæ à punctis fixis; ac proinde terminus motus non est illa forma realis, sed distantia illa. Tertium est, cũ Angelus mouetur per accidens motu corporis in quo est, nullam in eo fieri intrinsecam mutationem, quia motus corporis extrinsecè tantum denominat Angelum moueri; etiamsi realiter mutetur: quia multa fiunt realiter talia, quæ non habent in se formam denominantem eiusdem rationis. Immò etiamsi talis forma nullibi sit; vt cum dicitur Deus Creator, Dominus, &c. quarum rerum relatio nec est in Deo nec in Creatura. Itaque negat motum esse quid Angelo hærens: quia siue per se vario modo vniatur corporibus, siue cum eodem corpore moueatur, nunquam mouetur ipse ad terminum motus: quia vel extrinsecè mouetur denominatione motus qui est in corpore cui vnitur, vel solùm producit modum varium vnionis, qua coniungitur nunc vni corpori nunc alteri: In qua variatione ait non consistere motum.

Probat autem hic vir doctus sua ista tria dicta. Primum quidem quia cum Angelus variis corporibus vnitur, necesse est mutari modum vnionis, quemadmodum accideret in anima si variis corporibus successiuè vniretur. ergo oportet vt sit aliqua variatio modi intrinseci in ipso Angelo. Secundum probat: quia A ille modus vnionis non infert ex se distantiam à punctis fixis, quia ex se non ordinat Angelum ad aliquam huiusmodi distantiæ relationem, sed solùm ad corpus, seu ad rem cui vnitur. ergo non consistit motus localis in ea variatione. Confirmat: quia entia spiritualia, vel instar spiritualis entis se habentia non possunt ex se situm habere, nisi ratione corporis aut quantitatis cui coniunguntur; qua de causa nec esse possunt nec moueri in vacuo, nec vt moueantur requirunt medium quod pertranseant. ergo ille modus non est terminus motus localis, ac proinde motus localis non consistit in variatione illius. Quocirca Angeli etiamsi retineant eandem vnionem cum aliquo corpore, possunt tamen variare loca; quemadmodum B etiam corpus Christi retenta eadem vnione cum speciebus & anima cum suo corpore potest variare locum & moueri localiter. ergo variatio illius modi non est motus localis. Tertium probat: quia Angelus respectu punctorum fixorum non habet situm & distantiam nisi ratione corporis cui vnitur. ergo extrinsecè tantum mutat distantiam & situm nempe in corpore, ac proinde extrinsecè localiter mouetur. Moueri enim localiter nihil est aliud quàm mutare distantiam ad puncta fixa, quod solum est in corpore intrinsecè non in Angelo.

Secunda sententia docet, motum esse Angelo hærentem actum, siue per se moueatur, siue cum corpore cui iungitur. Hanc senten-

Scotus.

C tiam secutus est Scotus in secund. d. secunda quæstione nona §. *Ad quæstionem dico*; vbi expressè docet per motum *Angelum mutari de vno Vbi ad aliud*; & paulo post dicit, cum Angelus mouetur cum corpore, eius motionem *esse aliam à motione corporis.* Similia docet ibidem quæstione decima §. *Concedo quod potest.* Scotum ex Sco-

Lychetus.

tistis sequitur Lichetus in secund. d. secunda quæstione quinta articulo secundo ad argumenta Gregorij ostendentis non acquiri Vbi.

Alexander.

Idem ex antiquioribus insinuarunt Alexander secunda p. quæstione trigesimatertia membr. tertio. Vbi ait: Angelum *cum corpus assumit moueri per accidens:* cum verò sine corpore *moueri de loco ad locum* definitiuè; quemadmodum ani-D mæ separatæ possunt moueri non assumendo

Albertus.

corpus. Albertus de quatuor coæuis quæstione nona articulo primo ad quartum concedit expressè, Angelos etiam moueri per se ita *quod non moueantur ad motum alterius.* Dupliciter enim ponit motum in Angelo; nimirum & ad motum corporis & motu proprio non alterius. & longè clarioribus verbis in summa Theolog. p. p. tractat. 18. quæst. 74. art. 1. ait: *omnino concedendum esse secundum sacram scripturam, quod Angelus secundum seipsum, hoc est absque corporis assumptione mouetur & transit de loco ad locum.* Rectè

Carthusian.

autem obseruat Carthusianus in 1. d. 37. q. vlt. *hæc Alberti scripta & responsa magis Catholice meliúsque sonare, quàm ea quæ super ista materia scribit* E *in suo commento super librum de causis; in quo commento tractatu de Intelligentiis cap. 3. dicit & multipliciter probat quod Intelligentia non mouetur, neque cum mota est,* &c. *Et quod non sit immediatus motor orbis sed in se immobilis perseuerans mouet orbem, seu immediatum eius motorem videlicet animam eius mobilem, sicut desideratum mouet desiderium ac desiderantem,* &c. *quas deinde opiniones indicat non solùm esse erroneas, sed etiam hæreticas, vt patet in illo libro*

de

de quatuor coœuis. Hæc Carthusianus & rectè; qui etiam sequitur hanc secundam sententiam. Et Vdalricus in summa sua libro 4. *cuius dicta* inquit Carthusianus *in verbis Alberti virtualiter continentur*; cuius Vdalricus ille discipulus fuit.

Vdalricus.

S.Bonauent. Idem sentiunt S.Bonauentura in 1. d. 37.a.2. q.1.vbi ad 2.docet, sicut definitiuè Angelus est in loco sine corpore, ita & definitiuè transire & per se transferri de vno loco ad alium, *ita quod nec alio mouente nec per alium motum.* Putat enim ex eo quod Angelus *non sit minoris libertatis, nobilitatis ac potestatis* sine corpore quàm cum corpore assumpto, debere etiam posse per se moueri absque illo, definitiuè tamen: nam moueri circumscriptiuè per locum ait conuenire Angelo per accidens ratione corporis assumpti; & ita ait cum corpore moueri per accidēs alio moto, *sicut nauta, mota naui mouetur.* Ricardus etiam a.3. q.1.& 2. expressè ait, Angelum *semet mutare & mouere & esse mutabilem de loco ad locum ratione sui possibilis.* Dixerat enim Angelum esse compositū ex natura actuali & potentiali, vt assignaret aliquid mouens, & aliquid motum. Gabriel etiam in 2.d.2.q.3.concl. 2.ait: *Angelum non tantum ad motum corporis cui assistit, sed etiam per se immediatè absque cuiuscunque corporis immutatione moueri localiter.* Quod probat quia id de facto præstitit anima Christi cum descendit ad inferos. Quid verò in hac re senserit Capreolus latè diximus superiori quæstione art.1.Quæsi.2.Difficult.3.vbi ex ipso ostendimus, Angelum acquirere Vbi & moueri.

Gabriel.

Capreolus.

Molina. Ex recentioribus idem sentit noster Molina in hac q.53.a.1.conclus.1.ostendit enim motum localem Angeli nihil esse aliud *nisi successiuam acquisitionem existentiæ Angeli in alia atque alia parte spatij, quæ est in substantia Angeli tanquam in subiecto.* Vnde expressè infrà ait se mirari eos qui affirmant Angelos non moueri localiter nisi formaliter à motu quem efficiunt in corpora, cum nemo sibi persuadere id possit. Suarez etiā disputat.40.Metaphys.sect.8.à num.11.& deinceps, concedit Angelum moueri motu qui in ipso hæret etiam secundum terminum motus: nempe quia in Angelo tanquam in subiecto est forma illa spiritualis quam ipse vult esse Vbi Angelicum, & nos suprà appellauimus Vbitatem. Non dissensit Gregorius de Valentia hic disputat.4.q.4.p.1.vbi expressè supponit, & docet Angelum posse sine motu vllo corporis moueri tum motu continuo tum successiuo. ergo supponit in ipso recipi motum formaliter non in alio.

Suarez.

Gr.de Val.

A Doctor. Hanc etiam sententiam puto esse A. Doctoris in hoc art. Ait enim Angelum successiuè corporibus applicare suam virtutem, & successiuè contingere corpora, & ita successiuè moueri. *Nā motus Angeli in loco nihil aliud est* inquit, *quàm diuersi contactus diuersorum locorum successiuè & non simul* Ex quibus patet motum localem esse in Angelo tanquam actum illius; nam applicando se successiuè variis corporibus vario modo se habet erga illa per realem præsentiæ & virtutis contactum. Quod est moueri localiter; sicut corpora moueri localiter, vt ibi ait A.Doctor, est; ea applicare vario modo contactum suæ magnitudinis. Idem patet ex art. seq. vbi docet Angelum posse moueri de loco ad locum pertrāseundo medium, & non pertranseundo, etiamsi nullo corpore assumpto moueantur. Ergo ipse in se localiter mutatur: quia illud localiter mutatur, quod verè & substantialiter transit de loco ad locum.

Motus Angeli hæret Angelo dum mouetur absque corpore. §. 2.

Ad solutionem sit

Prima Propositio. Angelus dū sine corpore mouetur, verè mouetur per motum localem sibi hærentem. Probatur propositio: quia illud quod verè transit de vno loco in alium, verè mouetur per motum localem sibi hærentem. Sed Angelus dum sine corpore mouetur, verè transit de vno loco in alium. Ergo Angelus dum mouetur sine corpore, verè mouetur per motum localem sibi hærentem.

Maior probatur dupliciter: nam primò illud quod verè transit de vno loco in alium, est mobile vt mobile secundum locum, hoc est progreditur & est in via ad locum. Neque enim aliter ostendere possumus corpora moueri nisi quia transeunt de vno in aliud. Mobile autem vt mobile secundum locum verè mouetur per motum localem sibi hærentem: quia omnis motus est *actus entis in potentia prout in potentia* ex definitione motus tradita ab Aristotele libro 3. Phys.cont.6.nimirum actus entis tanquam subiecti quod mouetur ac tendit ad vlteriorem perfectionem. Et ideò Aristoteles explicās eandem definitionem ait, motum esse actum mobilis, vt mobile est; hoc est secundum quod mouetur, vt patet ex eodem libro cont.16.18.19. & 23.& libro 11.Metaphys.sum.4.c.1. In quo postremo loco idem magis explicans ait, alterationem ad sanitatem esse actum in eo quod progreditur ad sanitatem; & motum ad locum esse actum eius quod mouetur secundum locum. Ergo illud quod verè transit de vno loco ad aliū, verè mouetur per motum localem sibi hærentem. Habes etiam pro hac ipsa re egregium locum, qui hanc doctrinam maximè omnium cōfirmare possit, apud Aristotelem libro 5. Phys. cont.3.Vbi docet in motu tria exigi; nempe terminum à quo; in quem; & subiectum quod mouetur. ex quo infert Aristoteles motum debere esse in ligno, non autem in termino ad quem. *Horum autem aliud quidem quod; aliud verò in quod; aliud autem ex quo motus, manifestum est quod in ligno est non in forma.* hoc est in subiecto quod mouetur; quod significat nomine ligni, non in termino. Ergo per Aristotelem motus est in eo quod verè transit ex vno termino in alium.

Aristoteles.

Aristoteles.

Secundò probatur eadem Maior: quia in eo quod verè transit de vno loco in alium, inest verus transitus de vno loco in aliū. Transitus enim est in eo quod transit; sicut transitus ad sanitatem est in eo quod transit ad sanitatem: & transitus ad calorem est in eo quod calefit, &c. Ratio à priori est quia transitus est in eo subiecto quod abiicit terminum à quo, & acquirit terminum ad quem. ergo est in eo quod transit: Transitus autem ipse est essentialiter motus. Hic enim nihil est aliud nisi transitus ex quodam in quoddam; vt ex Aristotele patet libro 5. Phys.cont. 3. 7. & 49. Ergo si in eo quod verè transit de vno loco in alium, inest verè transitus de vno loco in alium, in eodem etiam inerit verus

rus motus localis, qui est verus transitus de loco ad locum; atque ita illud quod verè transit de vno loco in alium, verè mouetur per motum sibi inhærentem seu inexistentem.

Minor ergo probatur; quòd scilicet Angelus dum mouetur sine corpore verè transeat de vno loco in alium. Quia dum Angelus mouetur sine corpore à cœlo in terras per intermedia spatia & successiuè, verè transit de cælo in terrã. Nam post illum motum verè non est amplius in cælo, & verè substantialiter degit in terris. Ergo verè transit de cælo in terras, ac proinde de vno loco ad alium. Nihil enim est aliud, quempiam transire de vno loco ad alium, quàm nõ esse ampliùs realiter præsentẽ vni loco, & realiter fieri præsentem alteri. Sic enim transit Socrates de platea in templum, & cætera corpora quæ transeunt. Quo pacto anima Christi seruatoris trãsiuit descendendo ad Inferos, quãdo relicto corpore & loco in quo seruabatur corpus, præsens fuit infernis locis. Hinc A. Doctor hic art. 1. in argumento *Sed contra* docet articulum fidei esse animam Christi motam esse localiter: quia *Articulus fidei est quod Christus secundum animam descẽdit ad Inferos*; dum relicto corpore quod erat in sepulchro exanime, se præsentem exhibuit Patribus in Limbo degẽtibus. Sanè alia notio motus ac definitio ne fingi quidem potest, quæ cum hoc quem diximus transitu non conueniat. Ergo Angelus dum mouetur; nempe de cœlo ad terras, verè transit de vno loco in alium.

A. Doctor.

Secundò probatur propositio etiam à priori: Quia illud mouetur per motum localem sibi hęrentem, quod habet sibi tanquam subiecto hærens id quod est per se terminus eius motus localis: Sed Angelus dum mouetur localiter sine corpore, habet sibi tanquam subiecto hærens id quod est per se terminus motus localis. Ergo Angelus dum mouetur localiter sine corpore, mouetur per motum localem sibi hærentem.

Maior probatur: quia impossibile est, vt quod est per se terminus motus localis inhæreat subiecto, nisi etiam ipse localis motus inhæreat. Non enim motus & terminus distinguuntur subiecto. Vnde Aristoteles libro 3. Phys. cont. 4. & libro 11. Metaphys. sum. 4. capite primo, dixit: *Non est autem motus præter res*. Hoc est omnis motus est idem cum re ad quam est motus. concludit enim motum non esse præter qualitatem, vbi, & quantitatem; ad quas dixerat motum respicere.

Aristoteles.

Quod etiam probatur ratione: nam motus localis est aliqua actio, cum motus & actio solùm ratione separentur; vt expresè docet Aristoteles lib. 3. Phys. à cont. 18. ad 21. Ergo est aliqua formæ seu termini productio. Non enim intelligi potest actio sine aliqua re quæ producatur, ita vt in actione ipsa vitali, quæ nihil aliud videtur esse præter ipsam actionem assignetur à Theologis ac philosophis aliquis terminus; vt in intellectione est imago obiecti; similiter in voluntate qualitas qua voluntas in obiectum propendet, vt in materia de Trinitate fusiùs probatum est. Idémque patet in cæteris actionibus. Calefactio enim est productio caloris; Generatio productio substantiæ; augmentatio est productio maioris quantitatis. Ergo motus localis est productio alicuius formæ. Quod ipsum confirmatur ex iis quæ superiore quæstione art. 1. Quæsito primo toto, attulimus vt ostenderemus,

A debere dari vbitatem in Angelo, per quam Angelus formaliter determinetur ad locũ. Illa enim vbitas non potest naturaliter effici nisi actione quæ sit motus localis; quandoquidem quælibet alia actio impertinens est; Ergo motus localis est productio illius. Necesse ergo est, si motus localis est actio, qua aliqua forma producitur, eam non distingui subiecto ab ipso motu: quia motus localis non est actio transiẽs sed immanens; vt ambulatio cæterique motus siue sursum siue deorsum. Quod si verum est, illud quoque verũ sit oportet; nempe si quod est per se terminus motus hæret Angelo, ipsum quoque eidem Angelo motum inesse oportere: Quia si subiecto

B non separantur, ergo in eodem subiecto sunt. ex quibus sequitur veram esse illam Maiorem, quam fecimus, nempe Illud mouetur per motum localem sibi hærentem, quod habet sibi tanquam subiecto hærens id quod est per se terminus motus: Quia scilicet cum terminus motus localis non debeat subiecto distingui à suo motu quem per se terminat, si terminus hæret, & motus hærens esse debet eidem quod mouetur. Alioqui subiecto distinguerentur.

Minor autem probatur: quia id quod est per se terminus localis motus in Angelo, est forma

C per quam constituitur in loco certo ac definito. Hanc autem formam Angelus dum mouetur localiter habet sibi hærentem. Ergo Angelus dum mouetur habet sibi hærens quod est per se terminus motus localis. Vtraque hęc propositio nunc probanda est.

Et primò quidem Maior probatur, quia id quod est per se terminus motus localis in Angelo, est id ad quod per se tendit motus Angeli. Hoc patet ex definitione termini per se. Nã terminus per se est id ad quod aliud per se tẽdit; vt calor est terminus per se calefactionis, quia ad calorem tendit per se calefactio; & sic de cæte-

D ris. At motus localis Angelicus per se tendit vt Angelus sit in loco, nimirum vt sit in templo, in lycæo, in cubiculo, &c. Vnde motus localis non tẽdit ad locum tantùm extrinsecum, sed vt collocet mobile in loco, vt suprà dicebamus. Si quis enim quærat cur ambulet quis versus forum: Rectè respondebit; vt sim ibi in foro videndi amici causa. Itaque motus tendit ad esse subiecti in loco definito ac certo, hoc est vt mobile sit in loco illo. Ergo terminus per se motus localis Angeli est ipsum esse in loco definito ac certo. Constat autem ipsum Angelum in loco certo esse formaliter per formam; nempe per vbitatem qua Angelus formaliter est in loco, vt ostendi superiore q. quæsito secundo Difficult. 3.

E Ergo terminus per se motus localis est Angeli forma per quam constituitur in loco certo ac definito.

Iam Minor probatur: Quia Angelus dum mouetur, est successiuè in loco aliquo definito ac certo; vt si moueatur Romam versus, aut alio. Ergo debet esse per vbitatem aliquam. Sicut enim esse permanenter in loco est formaliter per vbitatem permanentem; ita etiam esse in loco successiuè debet esse formaliter per vbitatem fluentem. Nam vtroque modo est similis effectus formalis, ac proinde per similem formam constitui debet. Si autem debet esse per Vbitatem aliquam; Ergo per formam Angelo hærentem: quia vt ostendimus loco citato,

Vbitas

Vbitas hæc debet Angelo hærere. Ergo Angelus huiusmodi formam dum mouetur localiter habet sibi hærentem.

Tertiò denique probatur propositio etiam à priori: quia moueri localiter nihil est aliud nisi mutare in se rationem essendi in loco, ita vt cum aliquid mouetur aliam; rationem essendi habeat atque prius habebat. Nam motus *est actus entis in potentia prout in potentia* ex libro 3. Phys. cont. 6. nempe entis potentis aliam atque aliam rationem essendi suscipere. Illud enim *in potentia* non denotat potentiam actiuam quæ est mouentis, sed passiuam quæ est moti seu mobilis, nempe eius quod mouetur; & ideo dixit cont. 18. motum esse in moto, & vt dixerat cont. 16. in eo quod patitur. ergo motus localis est actus entis potentis in se suscipere nouam rationem essendi; siue quod idem est, entis quod suscipit in se aliam atque aliam rationem essendi in loco. Ergo mouetur per motum tanquam per actũ sibi hærentem. Consequentia est certa: Quia si dum mouetur suscipit aliam atque aliam rationem seu formam essendi. Ergo illa forma fit, atque hæret in ipso quod mouetur. Ergo & motus est actus in ipso hærens, quia motus est fieri ipsius formæ; sicut calefactio quæ est motus ad calorem est fieri caloris; & dealbatio quæ est motus ad album fieri ipsius albedinis seu albi. & idcircò Aristoteles libro 5. Physic. cont. 5. dixit albedinem non esse motum, sed dealbationem quæ est ad albedinem.

Cum Angelus absque corpore mouetur, fieri variationem vbitatis intrinsecæ & quo modo. §. 3.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, non verè asseri ab illo viro docto, quod primo loco dixit in prima sententia, cum fit variatio in Angelo qui realiter moueatur sine corpore, esse variationem vnionis cum corporibus, non autem quæ sit ipse motus, aut variatio modi intrinseci qui sit Vbitas. Colligitur inquam hæc non verè dici, & vtrumque esse falsum. Et primò quidem falsum est non fieri varietatem quæ sit motus: nam constat hanc varietatem quæ sit motus localis esse, cùm subiectum transit substantialiter in alium atque aliũ locum seu terminum. Nam tunc necesse est ipsum transitum duplicem afferre in suo subiecto varietatem. Alteram quæ est formaliter transitus ipse, cum sit partium motus continuitas & successio. Alteram quæ sit termini ad quem per se est ipse transitus. Variari enim tunc constat formam dum succedunt partes ipsius alia atque alia, per quarum aliam, atque aliam sibi succedentes mobile constituitur in alia atque alia loci seu spatij parte, vt probatum est. Angelum autem verè transire substantialiter in alium atque alium locum iam non obscurè demonstrauimus.

Deinde quod falsum quoque sit esse varietatem in vnione Angeli ad corpora, cum ipse ad illa mouetur probatur. Quia vt dixi superiore q. Quæst. 2. Difficult. 3. Not. 5. Angelus cum loco corporeo non vnitur aliqua vnione, per quam faciat vnum cum ipso loco corporeo, cui debeat esse adnexum, vt cum eo semper

A quandiu durat moueatur. Non enim se habet Angelus seu locatum ad locum eodem modo, quo ibi diximus Christi Domini Corpus vniri cum speciebus panis, vt fiat vnum permanens sacramentum: sed satis est si ei vniatur localiter; quia nimirum ei fit Angelus substantialiter præsens. Vnde sequitur falsum esse huiusmodi vnionem variari. Quia satis est si varietur præsentia Angeli localis, vt nunc per eam vni nunc alteri corpori coniungatur; quemadmodum accidit etiam in corporibus. Vt enim lapis descendens ab ignea sphæra in profundum maris in suo descensu non vnitur nunc cum aëre nunc cum aqua, nunc cum reliquis corporibus, per quæ descendendo transit alia vnione præter
B localem; ita nec Angelus cum in terras e cælo se demittit variis se applicando intermediis corporibus, non aliter illis adnectitur, nisi per vnionem ac præsentiã localẽ. Nõ ergo est huiusdi varietas alterius modi prẹterquam Vbitatis.

Addunt alij ne necesse quidem esse, vt Angelus vniatur alia vnione præter localem cum corpore cum quo diu mouetur. satis enim esse arbitrantur si vtrumque nempe tam corpus quam Angelus pari motu moueantur seruata eadem inter se distantia. Tunc enim ad huiusmodi motum satis videtur esse continua productio Vbitatum, per quas simul & pari vt aiunt passu moueantur; quemadmodum mouentur
C duo equi, dum semper æquidistantes currum quem trahunt antecedunt. Immò nec aliam volunt requiri vnionem, vt alterum debeat aliquo modo moueri per accidens ad motum alterius, vt putant patere in nauta qui mouetur ad motum nauis. Dicunt tamen si debeant facere vnum, aut ex natura rei, vt anima & corpus, aut ita indissolubile, vt tandiu permaneat quandiu vtrumque retineat esse, tunc concedendam esse vnionem immobilem. Qua ratione 3. p. q. 76. a. 6. ostendi Christi corpus habere immobilem vnionem, quandiu nimirum species sacramentales sunt. Sed re vera non puto hos bene hac in re philosophari, cum suprà ostenderim cum ali-
D qua vniuntur vt simul moueantur ad locum, semper aliquam aliam vnionem requiri. Tamen id nunc parum facit ad rem nostram. Satis enim nunc sit ostendisse, non rectè philosophatum illum auctorem esse ex vnione siue animæ cum corpore, siue corporis Christi cum speciebus, vt patet ex dictis.

Colligitur secundò, nec verum esse quod idem ait in probatione secundi dicti: nempe illum modum vnionis ex se non habere distantiam eo quod ex se non ordinat Angelum ad huiusmodi distantiæ relationem. In qua re illi multipliciter non assentior.

E Primò quia Angelus quem dicunt vniri corpori, verè & substantialiter est ibi, vbi est corpus ita vt non alibi, quia vt supra diximus est ibi definitiuè. Ergo non solum corpus sed etiam eius substantia formaliter distat ab illis punctis fixis, quæ ipsi ponunt. Ergo eius substantia distantiam habet; quam distantiam non potest habere, nisi ratione formæ determinantis ipsum Angelum, vt sit hic vel ibi: quam formã diximus ea Difficultate 3. esse Vbitatem.

Secũdò quia impossibile est, vt Angelica illa Vbitas, per quã est in hoc loco definitè & nõ alibi, non ordinet Angelũ ad aliquã distantiã à rebus quæ distant ab ipso. Nam Angeli distãtia à rebus

quæ

quæ distant ab ipso, sequitur Angelū esse hic vel ibi definitè. ex eo enim quod Angelus est hic Romæ v.gr. definitè sequitur quòd distet ab Hispaniis. Non enim corpora alio modo distant. Ergo si illa Vbitas ordinat Angelum vt sit hic vel ibi tanquam horum effectuum forma, necesse est vt ordinet etiam Angelum ad relationē distantiæ, nempe nō tanquam ad primarium effectum, sed tanquam ad secundarium, vt explicatum est de ipsa Vbitate.

Denique quia anima Christi cum descendit ad inferos libera à nexu corporeo, verè tunc distabat ipsa à corpore, quod exanime in sepulchro iacebat in agro Hierosolymitano; ita vt verum esset dicere non solum Inferorum locū, sed etiam ipsam animam substantialiter esse distātem à corpore suo; quemadmodum dæmones qui tenentur alligati in igne tanquam in carcere apud inferos, verè ipsi non solùm ignis ille inferorum distat à cœlo empyreo, & animus Petri qui est Romæ distat ab India. Ergo ex se ille modus vnionis distantiam facit, non verò solum corpus. Quod etiam validè confirmandum est argumentis sequentis propositionis ad posteriorem eius partem, vbi ostenditur impossibile omninò esse Angelum moueri sola extrinseca denominatione à motu sui corporis cum quo mouetur; vnde & cōficitur vt impossibile sit ipsum acquirere locum seu distantiam sola denominatione extrinseca à loco & distantia sui corporis in quo est tanquam in loco; quod illi viri docti contendebant in prima sententia. de qua etiā re mox nonnulla significabuntur.

Colligitur tertiò, nec verè dici ab eodem auctore in eadem probatione; illum modum seu Vbitatem non posse esse terminum motus localis in Angelo, propterea quod Angeli atque entia spiritualia nō habent situm nisi ratione corporis, & ideò non indigere medio per quod moueantur, nec posse moueri in vacuo; ex quib. etiam concludit, ipsa entia ex se non habere distātiam, sed solum ratione corporis. Hæc inquam & similia non sunt vera. Probatur ex dictis: quia esto non habeant situm qui est dispositio partium, secundum quam corpora habent vt tali vel tali modo se habeant ad locum; nempe secundum vnam partem in loco superiori, &c. entia verò spiritualia non habeant partes quibus corporum modo disponantur; Tamen distantia vel propinquitas ad corpora non sequitur simpliciter ex situ; sed ex eo quòd sint hic vel ibi definitè secundum substantiam. Patet exemplo animi humani, qui non solùm distat formaliter eo quod corpus distat, verùm etiam quia est hìc definitè & substantialiter. Ergo formaliter non aliena distantia sed sua distat. Illa enim quæ sola denominatione extrinseca sunt talia vel talia, non habent in se formam, per quam sint talia, sed forma est in alio ex quo talia vel talia denominantur, Vt quia obiectum esse cognitum est per cognitionem tanquam per formam quæ est in cognoscente, ipsum obiectum denominatur cognitum denominatione extrinseca.

Quo etiam pacto hæretici errarunt, dum asserebant homines extrinseco Dei fauore peccata non imputantis, iustos esse ac denominari per iustitiam Christi. contra quos definit Conciliū Tridentinum sess. 6. cap. 7. & can. 11. iustos verè esse iustos per iustitiam inhærentem; ideóque non sola forma extrinsecus denominante iustos. [Margin: Conc. Trid.]

A Verum ergo est quę sola denominatione extrinseca sunt talia non habere in se formā per quam sint talia. At Angeli animique substantia verè habent in se formam, per quam distant; nempe Vbitatem per quam formaliter sunt hic aut ibi cum hoc vel illo corpore; & ex qua in ipsis consequitur formalis distantia & propinquitas vt suprà ostendimus. ergo non distāt per formalem distantiam corporum.

Confirmatur euidenter ex motu animæ; nam dum ipsa mouetur licet corpus in quo est ipsa moueatur, ideóque ipsa consequenter & per accidens moueatur, quia ad motum alterius mouetur; tamen nō mouetur formaliter motu corporis sed suo; & ideò aliquo modo per se; nempe dum motu proprio qui in ipsa hæret formaliter non motu alterius mouetur. Partes enim licet moueantur per accidens ad motum totius, tamen quia mouentur motu suo, non mouentur formaliter motu alterius. quemadmodum clauus & nauta in nauigio mouentur motu sibi inhærente, cum formaliter alium aliúmque permutent locum ipsa, cui subsunt. (B)

Sane Aristoteles libro 6. Phys. cont. 86. expressè docuit partes moueri non motu totius etiam dum sunt in toto eo quod parte motus ipsis propria moueantur. quod etiam docet Aristoteles ibi ostendi posse in sphæra. Partes enim quæ centro propinquiores sunt, tardiorem motum habent, quam à centro remotiores, quæ in motu ampliorem circulum designant. *Non enim eadem velocitas* inquit *erit & partium quæ sunt iuxta centrum, & quæ extra.* ergo supponit partes moueri sua parte motus qui ipsis hæreat, licet non sine continuatione ad cæteras partes. Ergo sicut clauus in nauigio, ita anima mouetur motu suo & sibi hærente. & patet: quia anima verè seipsa alio modo se habet dum mouetur respectu loci; non enim solum corpus alio atque alio loco se habet sed etiam anima secūdum substantiam suam. Ergo ipsa mouetur motu suo, & distat distantia sua, non verò distantia alterius. [Margin: Aristoteles.] (C)

Quod autem spiritualia non exigāt medium per quod transeant de vno loco in alium, non fauet eius auctoris opinioni. Nam siue situm habeant siue non, entia possunt indigere & non indigere medio. Corpora enim quæ situm habent, possunt à Deo transferri ex vno loco in alium sine medio. posita enim ratione formali in subiecto, illicò existit effectus formalis ex illa. Ergo posita ratione formali in corpore essendi hic Romæ, in instanti post tempus in quo manebat in Gallia, erit in eo instanti effectus formalis; nempe erit hic Romæ corpus in instanti post tempus in quo in Gallia erat: & ita ex Gallia Romæ erit corpus illud sine eo quod medium pertransierit. Similiter dico de Angelis ex aliis quæ situm non habent, posse ea pertransire medium & non pertransire; si nimirum producatur ratio formalis pertranseundi medium vel non producatur. Itaque neutrum genus exigit medium. (D, E)

Verum est tamen, licèt non absolutè vt diximus, ipsa corpora secūdum naturalem modum essendi exigere vt prius conficiant mediū quàm extrema occupent. Id tamen non prouenit ex eo quod situm habeant. Nam & puncta continui, quæ situm ex se non habent, media requirunt vt perueniant ad loca extrema; sed ex eo est quod corpora non habent talem vim producendi

di Vbitatem, qua collocari possint formaliter in extremo sine vbitate medij priore. quia posterioris loci vbitas, pendet ab vbitate prioris loci. Satis enim visum est naturæ, si talem vim continuati motus corpora haberent non Angeli, quorũ auxiliis momento citiùs indigebat Mundi gubernatio, corporum verò non item.

Id quod clarum est etiam in agentibus naturalibus.

Quorum enim actio oportuit ad Mundi beneficium & conseruationem subitanea esse, natura his corporibus vim momento producendi effectum liberaliter dedit, etiam ad loca dissita & remota, non tamen absque medio, vt patet in illuminatione & similibus. Quod quidem nec esse poterat, quia nulla virtus agentis est quæ in distans agat; nec expediebat vniuerso quod per continuatas actiones gubernari debuit. Vnde quia vniuersum totum simul ex ea parte quæ à sole respicitur illuminari oportebat, ne alioquin longè postquam Sol supra Orizōtem fuisset, eius radij in hoc terrarum orbe exspectarentur; atque ita breuissimo vix temporis spatio lucis vsura ac beneficio corpora fruerentur, natura ei vim largita est, vt illustrare res omnes momento posset; non tamen absque interiecti corporis illustratione. Etenim licèt Sol momento illustret totum hemisphærium; non tamen efficit lumen in partem distantem nisi priùs natura perfundat sua luce medium; quia vtroque vt diximus rerum naturæ indigebant.

Hæc tamen continuata per medium illustratio non ex situ est, quem nullum habet lux, sed tum ex natura agentis, quod in rē distātem agere nisi per interiecta spatia non potest; Tum etiam ex fine, non solùm quia vniuersitati rerum continuata agentium actio congruebat; verumetiam vt ex agentium actione eorundem agentium præsentia comprobaretur in rebus, ex quo tanquam singulari optimóque argumento diuinæ essentiæ immensitas hominum Angelorúmque intelligentiæ innotesceret. Quo argumēto vsus est A. Doctor suprà q. 8. a. 1. & 2.

Denique quod supponit ille vir doctus, nempe corpora moueri in vacuo posse, Angelos nō posse, partim falsum videtur, partim controuersum. corpora enim moueri in vacuo negat Aristoteles libro 4. Phys. à cont. 71. cúmque eo non minima Peripateticorum pars. Sed esto moueri possint, cur id negandum Angelis? Possunt enim corpora ideo moueri quia possunt habere formam definientem, vt corpus sit in hac vel illa determinata spatij vacui parte. At id etiam habere possunt Angeli: quia sine vlla corporis coniunctione per Vbitatem suam haberent Angeli vt possent determinari ab aliquo agēte esse hic definitè & non alibi. Nam ideò colligimus corpora posse habere talem Vbitatē in vacuo, quia eam habent in plenis spatiis ad quā constituendam impertinens est medium plenum. At idem prorsus accidit in Angelis, vt suprà dictum est. Ergo quod supponit falsum est.

Colligitur quartò quod idem auctor subdit in eadem probatione, nempe Angelos etiamsi retineant eandem vnionem cum corpore, posse locū variare vnà cum corpore; quemadmodum corpus Christi potest locum mutare non dissoluta cum iisdem speciebus vnione, non plus veritatis habere quam cætera quę impugnata sunt hactenus. Nam supponit esse aliam in Angelo

A ad locum vnionem præter pręsentiam localem; quod falsum esse iam diximus. Neque est par ratio de anima quæ est forma corporis, aut de corpore Christi sacramentaliter coniuncto cum speciebus panis. Hæc enim habent esse immobiliter cum suis illis rebus, quibuscum coniunguntur. Anima enim est in toto tanquam forma quæ sine reali vnione cum sua materia non facit vnum compositum. Corpus verò Christi intra species continetur vt faciat vnum permanēs sacramentum quamdiu durant species; & ideò sub speciebus est *immobiliter*, vt docet A. Doctor 3. p. q. 76. a. 6. quæ non est necesse ponere in Angelo cum vnitur corpori tanquam loco, quādoquidem frustrà punitur talis vnio cum satis sit, vt Angelus habeat suam Vbitatem qua formaliter sit, vbi est illud corpus, cui se iungit atque applicat. Verùm ne hac in re decipi quis possit, A. Doctor.

B Notari oportet posse Angelum mutare locum non dissoluta cum eo vnione, posse intelligi bifariam. Vel primò ita vt mutet Angelus locum remanente corpore vbi priùs erat cum Angelo; quemadmodum dæmones qui interdū induunt corpora mortuorum, possunt euanescere relictis illis corporibus. Vel secundò ita vt mutent locum vnà cum corpore pari motu, vt cum Angeli sumunt corpus ex aëre dissolubile.

C Si primo modo, iam dico dissolui vnionem localem. quia loco distrahuntur, atque ita locū non variant retenta eadem vnione locali; quemadmodum cum exit animus humanus è mortuo corpore. Si secundo modo, dico non retineri eādem vnionem localem, quia semper alia atque alia in vtroque succedit quemadmodum alia atque alia pars motus. Debet tamen dici retineri aliam vnionem, qua simul inter se coniuncta sunt, ex qua oritur vt simul locum mutent & alium acquirant. Quæ enim mouentur tāquam vnita inter se, non solum loco coniuncta sunt, sed aliqua alia vnione, vt suprà dictum est. Vnde quod aliqui putant posse dici retineri eandem vnionem localem ob æquiualentiam eo quod

D nō apparet dissolutio, cum seruetur in pari motu continuitas quædam ac nexus amborum; cum Angelus semper permaneat intra corpus, quemadmodum nauta in naui & auriga in curru, cum non habeat aliam cum illis connexionem quàm loci nulla interposita loci distantia, non probatur. Non enim potest ob æquiualentiam retineri eadem localis vnio cum loci mutantur. Alioqui simpliciter dici posset cum quis Roma transit in Indiam, esse in eodem loco ob æquiualentiam. quod sanè ridiculum esset. Tunc enim dicitur aliquid idem per æquiualentiam, cum diuersitas vel non est sensibilis; vt cum dicitur lux esse in eodem aëre, licèt ventis varietur: Vel si sensibilis sit non censetur diuersitas ob aliquam

E rationem quæ ita hominibus persuasit; vt cum dicitur restitui eadem pecunia ab eo qui abstulit centum nummos aureos etiamsi pecuniam reddat argenteam, &c. At illa diuersitas localis maximè apparet, & non censetur idem locus. Benè tamen est censenda eadem vnio, qua semper Angelus v. gr. & corpus assumptum vnita perseuerant. Vnde licèt verum sit esse eundem amborum nexum; non tamē verum est esse eandem localem vnionem quia mutatur locus. Simili modo aio de auriga in curru; & de nauclero in naui. nam ipsos habere cum iisdem rebus

quas diximus aliam vnionem præter localem supra constitutum est.

Cùm Angelus mouetur per accidens, ad motum corporis variari modum Angelo hærentem. §. 4.

SEcunda propositio. Etiam cum Angelus mouetur per accidens ad motum corporis, variatur modus Angelo hærens: Impossibile autem est ipsum moueri realiter & denominatione solùm extrinseca à motu sui corporis. Hæc propositio habet duas partes ex aduerso pugnantes cum duabus quæ in 2. & 3. eiusdem auctoris dicto comprehenduntur.

Prior autem pars quæ est aduersus tertium illius auctoris dictum, probatur: quia Aristoteles libro 6. Phys. cont. 86. docet partes in corpore ad cuius motum mouentur moueri per se vt suprà retuli. Ergo Angelus etiamsi moueatur ad motum corporis & per accidens, mouebitur etiam per se. Non enim alia ratione partes mouentur nisi quia sunt substantia quæ in se potest recipere motum. Ergo pari ratione Angelus. Si autem mouetur per se mouetur motu suo, ac proinde variatur modus Angelo hærens; nempe qui est per se terminus motus localis. Quia vt antè ostendimus; impossibile est esse motum alium & alium, qui non sit acquisitio alius & alius termini. Cum motus nihil sit aliud re ipsa, quam acquisitio termini sui per se.

Neque dicat aliquis hæc duo inter se pugnare, quod nimirum partes moueantur per accidens & per se. si namque mouentur per accidẽs; ergo mouentur motu alterius. si per se; ergo motu proprio. Repugnat autem idem moueri motu alterius & motu proprio. Hoc inquam nemo rectè dixerit. Etenim dupliciter potest aliquid moueri ad motum alterius. Vel primò quia moueatur ad motum illius tanquam originarium, & veluti ad causam motus eius quod mouetur ad motum alterius. Quo pacto currus mouetur ad motum equorum, & nauta ad motum nauis, & quodcunque trahitur aut vehitur & similia ad motum eius a quo trahuntur, &c. Vel secundò, quia moueatur formali motu alterius, ita vt non sit duplex motus eius quod mouetur per se, & eius quod alterius mouetur motu. Cuius exemplum afferri nullum potest cum sit impossibile aliquid verè moueri, non per motum qui in ipso hæreat. Nam vt ostensum est, illud quodcunque sit quod moueatur motu alterius, verè transit de vno in alium locum substantialiter; quia verè eius substantialis entitas relinquit vnum locum aliúmque de nouo acquirit. ergo verè substantialiter in eo est transitus & motus hærens etiamsi cum alio quod eius motus origo & causa est moueatur.

Dico igitur ad argumentum, refutatúrque prædicta responsio. Quoniam falsum est esse repugnantiam quod aliquid moueatur ad motum alterius, tanquam ob motum originarium sui motus per accidens, & moueatur motu sibi hærente & proprio. Immò necesse est vt ita contingat vt probauimus. Esset tamen repugnantia manifesta, si moueri ad motum alterius idem esset ac moueri motu formali alterius, nullo suo proprio. Tunc enim moueretur motu suo & non motu suo.

Hinc facile cognoscitur discrimen inter motum localem & cæteros motus, cùm aliquid in aliquo eorum genere mouetur ad alterius motum. Quod enim alteratur verbi gratia per accidens alteratione alterius, non est necesse vt etiam ipsum alteretur propria qualitate quæ in ipso recipiatur; vt cum dicitur animus hominis calescit per accidens ad calorem materiæ. Sensus enim est: Animus est in eo quod calescit; sicut cum dicitur: Medicus ædificat, significamus illi homini qui ædificat artem medicinæ inesse; vt patet ex Aristotele libro primo Phys. cont. 74 Sic etiam dicimus. Animus hominis quantus est per accidens: quia id in quo est quantum est.

Ratio horum generalis est, quia veritas harum propositionum interdum non aliter consistere potest, nisi ex formæ quæ alteri per accidens tribuuntur sint solùm in eo, cum quo illud alterum coniunctum est; vt in exemplis allatis. At verò in motu locali quo aliquid dicitur moueri per accidens ad motum alterius aliter se res habet. Impossibile enim est, vt aliquid moueatur per accidens, nisi etiam ipsum transeat substantialiter de vno loco in alium, ac proinde in se non habeat transitum & motum. Vnde Aristoteles libro octauo Phys. cont. 51. & libro secundo Topicor. loco 24. ex eo probauit Platonis Ideas si in nobis essent, non esse immobiles, quòd si *mutat locum corpus quare & quod in corpore existit*. Putauit ergo non solum corpus mutare locum & transire; verùm etiam ea quæ in corpore sunt. Cuius rei ratio generalis est, è qua in cæteris quæ per accidens mouentur discrimen petendum est. quia scilicet hoc ipso quo proferuntur huiusmodi propositiones; Anima mouetur per accidens; Nauta mouetur per accidens; & similes; denotantur etiam ipsa quæ mouentur per accidens mutare locum, alitérque se habere ad ipsum locum substantialiter, quod non est contra reliquos motus per accidens. significamus enim aliter atque aliter, vt explicatum ostensúmque est. De qua etiam re vide quæ dicimus infrà in primo Corollario.

Aristoteles.

Ex his secundò probatur nostra propositio: quia quandocunque Angelus mouetur ad motum assumpti corporis, eius substantialis entitas in se & non in alio se habet alio atque alio modo respectu loci in quo seu ad quem mouetur. Eius enim substantialis entitas nunc est in vno, nunc in alio loco quemadmodum ipsum corpus, ad cuius motum mouetur. seruant enim inter se parem illam coniunctionem localem æquabilémque distantiam, quam esse diximus cùm duo æquabiliter mouentur ad locum & per locum. vt cum duo equi trahunt currũ, &c. Ergo in substantiali entitate Angelica variatur modus ille, secundum cuius varietatem Angelus variis locis illis applicatur substantialiter, non verò tantum per corpus cum quo mouetur. Quia non alia ratione corpus ipsum scimus admittere sui modi localis varietatem, nisi quia videmus corpus alio atque alio modo se habere respectu sui loci. Ergo variatur modus ille Angelo hærens. Idem enim est variari modum in Angelo, & variari modum Angelo hærentem.

Tertiò denique probatur ratione à priori: Quia

A Quia variari modum illum localem Angelo hærentem substantialiter, nihil est aliud nisi aliã atque aliam successiuè formam, quæ est ratio constituendi Angelum in loco, in ipso Angelo produci. Sed cum Angelus mouetur ad motum corporis assumpti, forma quæ est ratio cõstituendi Angelum in loco, alia atque alia successiuè in ipso Angelo producitur. Ergo cum Angelus mouetur ad motum corporis assumpti variatur modus ille localis Angelo hærens. Consequentia est certa. A definitione enim ad rem definitam in bona syllogismi forma est præsens argumentatio. Minor autem probatur: quia cum Angelus mouetur, non solum successiuè mouetur corpus in quo est, sed etiam Angelica ipsa B substãtia. quia vt diximus ipsa in se vario modo se habet successiuè, & vario modo successiuè cõparari substãtialiter potest ad loca quæ pertransit, ita vt ipsa substantia in se & formaliter nunc propinquior nunc remotior sit respectu locorũ. Ergo successiuè producitur alius atq; alius effectus formalis illius formæ, qua Angelus cõstituitur in loco. Eius.n. effectus formalis est esse in hoc vel illo loco definito & certo. successiuè ergo est ac producitur alius atq; alius effectus formalis eius formæ. Ergo successiuè etiã producitur alia atque alia ratio formalis; nempe ratio constituẽdi Angelum in loco. Sicut si successiuè producatur aliud atque aliud album, successiuè etiam eius ratio formalis alia atque alia, nempe C albedo debet produci. Maior probatur: quia variari formam localem substantialiter est esse aliam atque aliam successiuè albedinem. Non enim alio modo variantur substantialiter formæ in suis subiectis. Ergo per productionem: quia alia & alia forma non est nisi per productionem. Variari ergo modum Angelo hærentem erit esse aliam atque aliam formam successiuè per productionem; id est aliam atque aliam formam successiuè produci in Angelo. Si enim est in Angelo est illi hærens. Et cum ille modus localis sit debet esse forma, quæ sit ratio constituendi Angelum in loco. quia non D alium localem modum nunc vocamus in controuersiam.

Sed contra hanc doctrinam obiiciat aliquis quod ait Aristoteles libro 4. Physic. context. 32. nempe non posse *albedinem & scientiam* moueri nisi secundum accidens. Reddit rationem sic: *Hæc enim sic mutantur secundum locum, quia id in quo sunt mutatur.* ergo Angelus dum est in corpore non mouebitur per se, sed solum quia id in quo est mouetur. Vnde nec valet nostra argumentatio: Angelus substantialiter mutat locum. Ergo variatur eius forma in ipso; nam etiam accidentia substantialiter mutant locum, quia mouentur; non tamen mutant in se modum E quia mouentur, eo quòd aliud in quo sunt mutatur. Respondeo dupliciter. Primò Esto detur accidentia non moueri nisi eo motu quo subiectum mouetur; tamen dico diuersam esse rationem accidentium & substantiarũ. cum enim illa hæreant in subiecto non alium videri possunt habere locum nisi subiecti, ac proinde nec alium modum, qui ipsa determinet ad certum locum tanquam forma eius effectus. ergo nec alium motum quo moueantur. At verò substantia Angelica nulli corpori hæret sed per se subsistit. ergo per se mutat locum & mouetur. Eius enim est actio cuius est esse. Quia vt rectè do-

Aristoteles.

cet A. Doctor suprà q. 12. a. 4. Modus operandi sequitur modum essendi. Ergo si esse rei sit in se & non in alio, operatio & motus qui est aliqua operatio, erit in ipsa re & non in alia. Quamobrem Aristoteles in eo loco tribuit motum ipsi clauo in nauigio; Vt scilicet licèt clauus moueatur ad motum nauigij, tamen in eo suus motus sit; non autem in illis accidentibus. Clauus enim substantia est, & est ratio cur in se recipiat motum, quia capax illius est, cum per se subsistat, possitque moueri per sese; cuiusmodi accidentia non esse certum est. Ex quibus sequitur valere nostram argumẽtandi formam; si nimirum Angelus substantialiter mutat locum, variari in ipso formam loci; non tamen valere in illis accidentibus.

A. Doctor.

Verùmtamen meliùs secundò respondetur ex antè dictis. nimirum in omnibus valere eandem rationem; Vt si quid nunc in vno loco est, nunc in alio, verè ipsum in se mutari localiter, ac proinde etiam valere in accidentibus, vt etiam dicam seq. proposit. Ad Aristotelem autem dico ipsum non negasse accidentia moueri motu in ipsis hærente, sed solùm asserere accidentia moueri *quia id in quo sunt mutatur*; Vt illa particula causam exprimens *Quia* non significat causam formalem sed vt ante dixi, originariam quæ est hic materialis, & vt dicitur subiectiua.

Aristoteles.

At inquies. Quod concedit de clauo negat de accidentibus. Sed concedit de clauo moueri motu suo, cum mouetur nauis. ergo negat accidentibus moueri motu suo cum mouetur subiectum. Respondeo eandem esse rationem de accidentibus, ac de partibus cum sunt in toto, quas tamen ait moueri motu suo Aristoteles libro 6. Phys. cont. 86. vt antè dicebamus. Confirmatur: Quia accidentia posse separari à substantia deducitur ex principiis Catholicæ fidei. Ergo neque ex hoc capite est ratio, cur non dicamus ea quoque moueri motu suo & non totius. Ad Aristotelem ergo respondeo ibi docere partes corporis & clauum in nauigio posse moueri per se, non posse accidentia. Partes enim & clauus diuersum habere possunt motum à motu totius, vt cum clauus à nauiculario vertitur in eas partes, in quas nauis non tendit; & cum manus mouentur sursum, homo rectà pergit in forum. Quo motu non moueri accidentia; vt albedo & scientia dum subiecto affixa sunt clarum est. Atque ita solùm negat Aristoteles accidentia posse moueri per se; hoc est motu tendente in alium locum ad quem non tendat subiectum; quia semper necesse est moueri quò subiectum abit, ac proinde semper mouentur eodem subiecti motu, non quidem numero; sed eodem; hoc est ad eundem locum; Ideóque semper mouentur secundum accidens; non autem negat habere motum sibi hærentem. Quod etiam clarè patet ex ipso Aristotelis contextu retorquendo argumentum aduersariorum in ipsos. Nam illum motum negat accidentibus, quem concedere intendit partibus cum sunt in toto; & clauo dum est in nauigio. At intendit concedere ita motum per se partibus dum sunt in toto, & clauo dum est in nauigio. vt moueri possint in ea loca ad quæ non mouetur totum; vt si attollatur manus sursum dum homo mouetur deorsum. &; si clauus transuersim vertatur dum nauis recta tendit. ergo

Ergo hunc motum in diuersa loca à loco in quē tendit subiectum negat Aristoteles accidētibus; non autem quod in se non habeant proprium motum. Constat ergo Angelum ita moueri per accidens ad motū corporis; vt tamē suo sibi hærēte motu moueatur, mutétq; modū illū in sese.

Substantiam completam moueri tantùm denominatione extrinseca impossibile est. §. 5.

SEcunda pars propositionis quæ pugnat cum illius viri docti secundo & tertio dicto, probatur; Primò quia impossibile est aliquam substantiam completam realiter moueri tātum denominatione extrinseca ab alterius motu. Sed Angelus est substantia completa vt certum est. Ergo impossibile est ipsum moueri realiter denominatione solùm extrinseca à motu sui corporis. Maior probatur: Quia impossibile est vt substantia quæ realiter mouetur, nō sit realiter mobilis; quia substantiā realiter moueri est realiter tendere ad terminum. Hoc autem est esse mobile. At substantia quæ realiter est mobilis in se motū suscipit, non denominatione extrinseca. Nam substantiæ seu enti mobili, id est in potentia ad motum, hæret motus tāquam actus illius, vt docet Aristoteles libr. 3. Phys. cont. 6. & 16. & nos nō multo antè ostēdimus. Ergo impossibile est aliquam substātiam completam realiter moueri denominatione extrinseca ab alterius motu. Dixi substantiam, vt abstineam nunc hāc quæstionem ab ea de qua diximus controuersia, Vtrùm accidens sit subiectum motus an non; Quia satis sunt ea quæ modò dicta sunt; quod vnumquodque mobile suum motum habet. Confirmatur: quia nullam substantiam videmus realiter moueri quæ non sit subiectum motus, ne illam quidem quæ mouetur ad motum alterius: Vt est nauicularius in naui, quem constat in se suscipere motum, cum etiam ipse tendat ad locum vlteriorem. Quod autem ille respondet esse disparem rationem de ente spirituali eo quod non habet distantiam à punctis fixis, improbatum est argumento ex anima Christi & cæteris, de quibus superiore Propositione.

Secundò probatur eadem pars: Quia illud quod mouetur denominatione solùm extrinseca à motu alterius, dicitur solùm moueri eo quòd motus alterius illi tribuitur ac si in ipso esset; ipsum autem in se realiter habet negationem proprij motus. Sicut dicitur Deus mutare voluntatem, & pœnitentia duci quoad effectus, quorum mutatio Deo tribuitur ac si ipsi inessent; cum tamen ipse habeat in se negationem talis mutationis; vt explicat A. Doctor suprà quæstione decimanona, articulo septimo, ibique Theologi. At impossibile est Angelum dici solùm moueri, eo quòd motus alterius illi tribuatur. Ergo impossibile est, &c. Minor probatur: Nam primò si Angelo tribui debet motus alterius maximè eius corporis in quo est. At impossibile hoc esse patet in cœlo: cuius motus maximè tribuendus esset Angelo, qui cum illo facit magis vnum in ratione mouentis ac mobilis, quàm cū quouis alio corpore quod assumat hic inter nos, cum cœli mouendi diutissimè illi sit iniunctum munus; non autem ita se habeat Angelus cum mouet cætera corpora; & tamen illi non tribuitur motus cœli, cum Angelus insideat cœlo immobilis; vt suprà ex Aristotele diximus.

Solum discrimen esse potest, quod hæc corpora vt suprà diximus, assumuntur vt præsentiam Angeli nobis referant, cuiusmodi non est cœlum. Verùm ex hoc non magis debet motus horum corporum tribui Angelo quàm cœli, quia repræsentatio non est causa vt hi motus realiter magis sint Angeli, quam qui est ipsius cœli. Tantùm enim repræsentatio est, vt magis repræsentetur operari Angelos, non tamen vt magis reipsa operetur; vt cum Angelus repræsentatur loqui aut ambulare, &c. non tamen hinc fit vt re vera ambulet, loquatur & similia. Deinde quæro, cur motus corporum, in quibus mouentur Angeli, denominent Angelum moueri? Id certe esset: quia motus mobilis deberet denominare motorem immobilem. Non enim potest alia ratio excogitari ad hanc denominationem. Quia scilicet nos assueti tales motores denominare moueri, eandem denominationem transferamus in Angelos, vt in plerisque aliis denominationibus huiusmodi solet accidere. Quo pacto dicimus Angelos loqui, cum sonos quos in corpore efformat Angelus audimus: comedere, currere, seu ambulare cum eiusmodi corpora nobis tales actus figurant. At hoc est falsum: quia nunquam est talis apud nos denominatio. Non enim ex eo quod nauis mouetur, nauicularium immemobilem moueri dicimus; sed ipsum moueri dicimus ad motum nauis, quia realiter in se suscipit motum. Immò cum sciamus nec loqui nec currere aut comedere Angelos posse propriè; negamus tales actus qualesquales sint, realiter esse Angelorum: sed solùm dicimus esse corporum, in quibus Angeli apparent. *Videbar quidem enim* inquit Angelus Tob. 12. *vobis manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili & potu qui ab hominibus videri non potest vtor.* Ergo docet Angelus se non manducasse verè & bibisse; tametsi figura corporum visus sit eos actus edidisse. Pari ergo ratione negandum videretur Angelos realiter moueri, si solum corpora in quibus apparent Angeli verè ac realiter mouerentur. Tob. 12.

Confirmari etiam hæc ratio validissimè potest: quia ponamus Angelum suo imperio mouere corpus assumptum, remanente ipso in eodem loco. verbi gratia vibret hastam, ensem, iaciat spicula, & cætera intra sphæram suæ virtutis motricis. Tunc sic. Angelus verè tunc non mouetur; sed solum corpus ad illius imperium. Ergo vt realiter denominetur moueri, non satis est motus sui corporis, ac proinde necessarius est motus in ipso hærens. Consequentia est prorsus manifesta. Quia vt realiter denominetur moueri, debet verè moueri. alioqui falsa esset propositio, qua illi motus tribueretur. Ergo si ipse non moueatur posito illo motu in corpore, non satis ille corporum motus erit, vt realiter denominetur moueri.

Quo etiam pacto nec cum Angelus edit sonos vt loqui videatur, nec cum ita frangit cibum, vt comedere appareat & cætera, realiter Angelus denominatur loqui & comedere. Quin potius dicimus verè Angelum nō loqui nec comedere, quia

quia ad hos effectus caret instrumentis. ergo tantum abest vt realiter denominetur talis, vt realiter dicamus propositionem quæ id simpliciter significat, simpliciter quoque in sensu reali esse falsam. Cur autem dicamus simpliciter à parte rei Angelum loqui, comedere &c. non inde est, quia realiter has actiones & simpliciter edat; sed quia significamus has actiones realiter repræsentari tanquam Angelicas in corpore quod personam Angeli refert. sicut in tragœdiis dicimus loqui Constantinum simpliciter &c. Vnde dispar ratio harum actionum & motus localis esse debet in Angelo. Nam quia vere substantia Angeli nunc est in vno loco, nunc in alio, verè & realiter moueri dici potest, quia veritas propositionis retinetur, non sic autem cum dicitur loqui &c.

Tertiò probatur eadem pars ratione à priori: Quia localiter moueri est transire de loco ad locum. Moueri enim est transire, sicut motus est transitus ex quodam in quoddam, vt ex Aristotele diximus libro 5. Phys. cont. 3. 7. 49. Ergo moueri localiter seu secundum locũ est transire de loco ad locum. Impossibile autẽ est id quod realiter transit de loco ad locum, transire solùm denominatione extrinseca à transitu alterius. Ergo impossibile est Angelũ realiter moueri secũdum locum, & solum denominatione extrinseca. Hæc Minor probatur: quia quod realiter transit de loco ad locum, nunc habet esse in vno loco, nũc in alio. Id verò quod transit denominatione extrinseca à motu alterius, secundũ se non est nũc in vno loco nunc in alio; sed ipsum secũdum se permanet in vno loco, aliud verò mouetur pergitque aliò. Sicut cum paries vt ante dicebamus, dicitur visus denominatione extrinseca à visione videntis, secundum se non elicit visionẽ, nec visione mutatur ipse, sed videns elicit ac mutatur, & sic de cæteris. Ergo impossibile est id, quod realiter transit de loco ad locum, transire solùm denominatione extrinseca à motu alterius. Confirmatur, quia Angelus cum eius corpus mouetur & transit de vno loco ad alium, vel ipse etiã substantialiter transit vel non. si non; ergo ipse substantialiter non est nunc in vno loco nunc in alio, ac proinde falsa sint necesse est, quæ supra constituta à nobis sunt; nempe cum Angelus de cælo ad nos descendit esse verè hic apud nos & non amplius in cælo: & cum operatur in vno loco ibi esse, non autem amplius vbi prius operabatur si noua operatio sit extra ambitum suæ facultatis operatricis. si transit; ergo ipse substãtialiter nunc est in vno loco nunc in alio, ac proinde non solo transitu alterius sed suo; nec denominatione à motu alterius, sed denominatione à motu suo.

Mitto quod huiusmodi denominationes sunt solum ab intellectu deriuante nomen vnius formæ in effectus vel intrinsecos; vt esse album ab albedine hærente in ipso albo; vel extrinsecos, vt esse visum à visione hærentẽ non in viso. *Denominatiua enim* inquit Aristoteles in Antepredicamentis cap. 1. *dicuntur quæcunque ab aliquo differentia casu secundum nomen habent appellationẽ.* Quasi deriuentur appellationes ex alterius nomine sola desinendi formula differentes. Nos autem quærimus non quo pacto motus Angelo denominetur, sed vtrùm Angelo insit an non? Quare nihil pertinet ad quæstionem; An extrinseca denominatione dicatur Angelus moueri. Addo etiam non rectè auctorem illum fateri Angelum vere in se mutari, vt vidimus in prima sententia in tertio eius dicto, negare autem moueri secundum locum. Nam hæc duo pugnantia inter se sunt. Mutari enim aliquid secundum locum formaliter est moueri formaliter secundum locum, sicut mutari aliquid secũdum qualitatem est formaliter moueri secundum qualitatem. Ergo si in se Angelus mutetur secũdum locum, formaliter debet mutari secundum locum. Non enim alia ratione dicimus aliquid mutari formaliter nisi quia mutatur in se; hoc est secundum formas quas recipit. Ergo si mutatur Angelus secundum locum formaliter, mouetur secũdum locum formaliter, ac proinde non tantùm denominatione extrinseca.

Aristoteles.

Motum vnius subiecti non esse formam denominantẽ alterũ subiectum moueri. § 6.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, motum non posse esse formam quæ sit sufficiens fundamentum, vt extrinsecus denominet aliud subiectum, in quo ipse non sit, ac si realiter moueretur. Patet ex dictis: Quia motus ex sua intima & essentiali ratione est actus mobilis vt mobile est. Ergo essẽtialiter debet intelligi in ipso mobili tanquam in suo proprio & adæquato subiecto. Ergo nõ potest intelligi esse alterius actus præterquam sui subiecti. Vnde sequitur nec posse denominare alienum subiectũ moueri realiter. Quia hoc ipso quo dicitur aliquid moueri, intelligitur in seipso esse motus tanquã in mobili. Idem enim est moueri & esse mobile seu tẽdere ad suum terminum. Ergo hoc ipso quod aliquid dicitur moueri intelligi debet in eo esse motus; quemadmodũ cum aliquis dicitur videre, hoc ipso intelligitur in eo esse, & elici visionem. Ergo non denominat extrinsecus, quia forma extrinsecus denominans intelligi debet esse in alio; quemadmodum visum denominatur obiectũ extrinsecus à visione quæ est in vidente. Ex quo est dispar ratio quãtum attinet ad hoc de visione & de motu, quòd visio dum obiectum denominat visum intelligitur afficere extrinsecus obiectum; quia ad hanc denominationem satis est, si intelligatur esse quidem visio in vidente, & versatum esse circa obiectum. At verò motus dum denominat aliquid moueri, nõ potest intelligi nisi tanquam actus illius, vt dictum est; secus verò dum denominat mouere. Quia tunc cum intelligatur esse actus motiui; vt docet Aristoteles lib. 5. Phys. cont. 13. & sæpè indidẽ non denominat nisi extrinsecus, vt actio denominat agens.

Ex quibus vlteriùs colligitur, quid dicẽdum sit ad illã doctrinã, quam idẽ vir doctus exposuit in eodẽ tertio dicto; nimirum multa denominari talia à formis extrinsecis diuersæ rationis. Dicẽdũ enim est id posse fieri dũ verũ est, id quod per se & ex volũtate significãdi denotatur per eas denominationes; vt cũ dicitur Deus creator, vera est denominatio à forma, quæ est in alio diuersæ rationis ab eo quod tali modo denominatur. quia verũ est quòd ex ea per se & ex impositione nominis significatur; nẽpe Deum à se dependentes habere creaturas. Vt etiã cum dicitur idẽ Deus rerum Dominus: quia per se significatur eius imperio

imperio res omnes esse subiectas, &c. Licèt autem in huiusmodi locutionibus inuoluatur quidam rationis respectus, quia si creator est, alicuius rei est creator; & si Dominus est, rei alicuius Dominus est; qui tamen respectus nô est in Deo, sed mente concipitur à nobis esse; Tamen huiusmodi significationes se habent per accidens; nimirum ob modum nostrum intelligendi imperfectum, non autem ex impositione nominis ad eum modum imperfectum per se significandum. Quoniam ergo propositiones istæ habent eam veritatem in significatione, quam per se nominibus exprimere volumus; ideò simpliciter veræ sunt propositiones. Quæ doctrina apertè colligitur ex A. Doctore suprà q. 13. a. 7. ad 4. & 5.

Quod si verum non sit, quod per se & ex impositione nominis significari oportet, dico non posse fieri tales denominationes deriuato extrinsecus nomine formarum, quæ in alio subiecto esse debent; sicut non potest dici lapis videre, quantumuis videatur oculis animantium: nec potest dici centrum moueri quantumuis cœlestia corpora circa illud ducantur; & alia similia. Inter hos autem aio esse motum, qui nisi intelligatur inesse ei quod moueri dicitur, falsam reddit propositionis significationem; ideòque talem esse non posse denominationem quæ à motus nomine in subiectum extrinsecus deriuetur, vt ostensum est.

Colligitur secundò. Quæ idem vir doctus in probatione tertij dicti attulit contra ipsum retorqueri posse; nempe localiter moueri esse mutare distantiam ad puncta fixa. quod quia est solùm corporis nô spiritalis entis, ideò solius corporis esse moueri non Angeli. Dico autem colligi ex dictis retorqueri posse argumentum in ipsum auctorem. Si enim moueri est mutare distantiam ad puncta fixa. ergo Angelus mouetur substantialiter quia substâtialiter mutat distantiam ad puncta fixa. quandoquidem cùm eius substantia siue cum corpore siue ex se propinquior est cœlo, magis accedit ad pûcta fixa nempe polos; cû autem terris vicinior est ab iisdem punctis recedit. Ergo mutat distantiam in seipso non in corpore.

Quanquam quod attinet ad doctrinam, ei in prædicta motus definitione non assentior. Nam distantia relatio quædam est. ergo moueri secûdum locum non est mutare distantiam formaliter: quia moueri est mutare formaliter formam, quæ est terminus motus; sicut moueri secûdum quale & secundum quâtum, est formaliter mutare quantitatem & qualitatem, quæ sunt terminus per se motus; & idcircò motus definitur libro 3. Physs. cont. 6. *Actus entis in potentia prout in potentia*; hoc est, actus vt sæpè diximus, eius qui tendit ad id quod est per se terminus motus. Distantia autem cum sit relatio, non est terminus motus primò & per se; quia ad relationem per se non est motus; vt docuit Aristoteles libro 5. Physs. cont. 10. & ideò tres tantummodo species motus enumerauit in Physicis Aristoteles; nempe ad Quale, Quantum, Vbi, lib. 3. Physs. cont. 3. lib. 5. Physs. cont. 9. 18. 19. & alibi frequenter. Vnde A. Doctor 3. p. q. 2. a. 7. *Relationem* ait *innasci per alicuius creaturæ mutationem*. A. Doctor. præterquamquod non est mutanda alia etiam definitio motus per quam Aristoteles siue 3. Physs. côt. 6. siue 5. Physs. cont. 3. & 4. cum dicit esse transitum ex quodam

A in quoddam; quem transitum diximus Angelo hærere dum mouetur.

Colligitur vltimò, Vtrùm hæc sententia differat ab iis, qui negant Angelum moueri. Dico enim ex dictis colligi re non differre, sed voce. Voce quidem; quia dicit moueri, esse denominatione extrinseca à corporis motu mutari, & vniri nunc vni corpori, nunc alteri. Ergo concedit aliquo modo moueri. Re tamen nô differt: quia si Angeli substantia nô mutat in se distantiam, nec recipit motum; verè non est nunc in vno loco nunc in alio in se, sed in corpore in quo est, vt deduximus. ergo verè non mouetur. vnde ostendimus, sequi quod sola denominatione extrinseca mouetur, impossibile esse ipsum realiter moueatur. B Verum est tamen huiusmodi errorem potius esse in praua philosophâdi ratione quam in voluntate dissentiendi à veritate. Non enim distinxit distantiam duplicem. Alteram quæ sequitur rem quæ loco extenso commensuratur. Alteram quæ sequitur rem indiuisibilem, & rationem existendi in loco definitiuè, quæ necessariò esse debet hic aut ibi determinatè, ac proinde tanto vel tanto à cæteris corporibus interuallo distare.

Ex his respondetur ad argumêta primæ sententiæ. Ad argumentum enim Ægidij dico non esse solùm successiuam operationem, sed etiam successionem formæ quæ est ratio loci. Ægidius. C Dicuntur autem Angeli magis moueri per tempora, quia plurimum operantur, & non plurimû mouentur. ergo magis per tempora quam per loca. Ad argumêta; viri docti responsum est in nostris corollariis. Cur autem nô sit necesse moueri per medium dicam seq. a. 2. in nostris Difficultatibus.

VLTIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Angelus moueri possit motu continuo.

D HÆc etiam Difficultas plurimum conferet tum ad explicandum Angelicum motum quo is modo fit in Angelo, tum etiam ad ea probè intelligêda quæ de motu Angeli per medium & momentariò dicenda deinceps sunt, & qua de re disputat A. Doctor in articulis sequentibus.

Graues Theologi Angelum moueri non posse motu continuo senserunt, eorùmque argumenta complura referuntur. §. 1.

E PArtem autem negantem videtur secutus A. Doctor in 1. d. 37. q. 4. a. 1. vbi videtur expressè non solùm asserere sed etiam confirmare, Angelum nô posse moueri motu continuo, his verbis in fine corp. A. Doctor. *Vnde motus localis Angeli non est continuus, sed ipsæ operationes eius consequenter se habentes circa diuersa loca, secundum quas in illis esse dicitur motus localis, sic esse dicuntur.* Probat igitur non esse continuum, quia motus Angeli sunt ipsæ operationes, quibus se applicat locis variis; quæ operationes succedentes sunt nô continuæ sed succedentes cùm vna sit post alteram.

Huius

Albertus. Huius etiam sententiæ fuisse Albertus videtur in summa de quatuor coæuis q. 9. a. 3. vbi quærit, Vtrùm Angeli motus sit in tempore. Distinguit autem duplex tempus. Alterum quidem quo motum metimur; hoc est quod mensura est motus; & hoc tempus ait esse continuum, déque eo locutos esse philosophos. *Alterum autem* inquit *quod est mensura motus indiuisibilium, & illud non est continuum, sed est collectio ipsorum. Nunc inter quæ non est tempus medium.* Hoc posito ait motum Angeli localem non esse in tempore primo modo, sed in tempore quod est nunc, hoc est in collectione ipsorum Nūc, inter quæ nō interiacet tempus. Atque vti explicat ipse ad penultimum argumentum; Motus Angeli est in tempore hoc pacto; vt Angelus sit in aliquo Nūc in termino à quo, deinde verò in alio Nunc immediatè succedente sit in termino ad quem, & ita motum esse ait in tempore quod est collectio plurium Nunc. Quæ sententia eidem Alberto tribuitur etiam à Carthusiano in 1. d. 37. q. vlt. quanquam vt postea dicam in secunda sententia Albertus alibi non ita aut sensit, aut locutus est.

Thomas ab Argentina. Ab his quoad rem ipsam non videtur differre Thomas ab Argentina in 1. eadem d. 37. q. 1. a. 2. §. *Sed vtrum.* quamuis enim dicat rem hanc cognitu esse difficilem, *& sequendo dicta Doctoris nostri oportere nos dicere quod motus Angeli fiat in tempore.* Tamen explicans quo pacto motus hic in tempore fiat, putat id non aliter esse, nisi quia in actionibus Angeli est successio, propterea quod non simul operatur in omnia corpora; concluditque his verbis: *Ergo ex successione talium operationum ipse dicitur moueri localiter, vt patet per Ambrosium & Bedam in litera istius distinctionis.* Itaque videtur docere esse in tempore non isto quod philosophi dixere esse motus durationé secundum prius & posterius, sed illo quod successione rerum constat; quod Albertus dixit collectionem ipsorum Nunc. Non dissident alij apud

Greg. Arim. Gregorium Ariminensem in 2. d. 6. q. 2. §. *contra conclusionem istam* qui censuerunt, *impossibile esse Angelum per se ab aliqua virtute creata posse localiter moueri continuè quamuis concedat,* (refert autem esse cuiusdam Doctoris moderni vt ipse loquitur) *eum sic moueri posse immediatè à Deo.* Idem tenet Io-

Io. Maior. annes Maior in 2. d. 2. q. 8. concl. 2. vbi licet ostendat posse Angelum momento moueri; & licet nihil dicat an successiuè; tamen videtur ex ipso colligi pars negans, cum suam cōclusionem non aliter probet nisi argumento quod ostendit ita esse, non autem solum posse ita contingere; quod argumentum paulo post referam.

Scotus. De huius etiam quæstionis materia Scotus (licet vt post dicam ipse contrariam sententiam sequatur) longam disputationem contexuit in 2. d. 2. q. 9. vbi sibi obiicit ex Aristotele multas auctoritates & rationes quibus ostenditur indiuisibile non posse moueri. Quarum aliquot proposuimus suprà difficul. 4. & soluimus; aliquot pertinent ad motus quantitatem. solùm tamen afferam quæ huius materiæ propria videri possunt.

Albertus. Damascen. Probari ergo primò hæc sententia potest argumento apud Albertum loco citato: quia Damascenus libro 2. de fide cap. 3. de Angelis ait: *Confestim inueniuntur, vbicunque diuinus iusserit nutus, velocitate naturæ.* Sed nihil confestim inuenitur in loco, subdit Albertus, ad quem est motus,

Albertus. nisi moueatur in Nunc. ergo Angeli mouentur

A in Nunc, non autem motu continuo.

Secundò probat idem Albertus, quia nullum secundum quantitatem indiuisibile potest suo motu diuidere spatium secundum partes priores & posteriores; vt ex Aristotele 6. Phys. ostendi posse ait. At Angelus est indiuisibilis secūdum quantitatem. ergo suo motu non diuidet spatium secundū eius partes priores & posteriores; Erit ergo *motus eius* inquit *secundum hoc & indiuisibilia & nunc & nunc.*

Tertiò probat idem Albertus apud Gregoriū: Albertus. quia tota successio & continuitas motus prouenit ex resistentia medij per quod mobile moueatur. Hoc enim motui obstat & ipsum retardat. Vnde si nulla sit resistentia medij vt accideret in vacuo si in eo fieret motus, mobile mo-

B mento moueretur seu in instanti, vt docet & probat Aristoteles libro 4. Phys. cont. 71. Cum ergo Angelico motui nihil resistere fingi possit, non poterit Angelus moueri motu continuo.

Quartò probatur argumento A. Doctoris vbi A. Doctor. suprà desumpto ex spatio. Continuus enim motus est ex cōtinuitate eius super quod fit motus, vt docet Aristoteles libro 4. Phys. cont. 99. *Quia* Aristoteles. *enim* inquit Aristoteles *magnitudo est continua, sequitur magnitudinem motus.* In quam etiam sententiam loquitur libro 5. Metaph. cont. 18. Ergo corpora habent sui motus cōtinuitatem ex spatij continuitate. Continuitas autem ex spatio non potest prouenire in motum Angelicū, quia

C in eo cessat ratio quæ motum corporum continuum facit. Ex eo enim quod corpus debet moueri per spatium maius ipso corpore, fit vt simul sua mole non possit occupare totum spatium sed partem tantummodo. v. gr. mobile bipalmare non potest simul occupare totum spatiū milliarium. Si autem non potest totum simul occupare, sed partes singillatim: ergo debet occupare per partes successiuè, si sua illud mole ipsi mobili transigendum sit. Angelus ergo cùm sua mole spatium non occupet, ex spatio non potest motus sui continuitatem habere; ergo nullam habebit continuitatem.

Quintò probatur ratione Aristotelis, qua vti- Aristoteles. tur libro 4. Phys. cōt. 71. vt probet in vacuo spa-

D tio motum esse non posse. quam Scotus vbi su- Scotus. prà versiculo *Item per rationem philosophi* sic format. Quæ est proportio medij ad mediū in subtilitate, eadem est proportio motus ad motum in velocitate & tarditate. Sed nulla est proportio vacui ad plenum in subtilitate & densitate; quia vacuum nullam habet. ergo nec motus qui fieret in vacuo ad motum qui fieret in pleno. ergo quia in pleno motus est continuus, in vacuo deberet esse momentaneus. Momentum enim ad tempus nullam habet proportionem, quia inter durationes nullam habet continuitatem; quem-

E admodum vacuum inter media nullam habet subtilitatem. Tunc enim est proportio vt ibi docet Aristoteles cont. 71. cùm vnum includitur in alio, & aliquid vltra habet, vt duo ad vnum. Hæc autem ratio potest applicari Angelico motui transferendo proportionem quam sumit ex parte medij ad eam quæ debet esse inter ipsa mobilia hoc pacto. Quæ est proportio motus ad motum in velocitate, eadem est proportio mobilis ad mobile in subtilitate; Sed nulla est proportio Angeli & corporis in subtilitate, quia Angelus nullam habet. ergo nec motus ad motum in velocitate. ergo motus Angeli nullam

velocitatem habet, & consequenter non est continuus. quia omnis motus continuus debet Aristoteles. esse velox aut tardus ex Aristotele libro 4. phys. cont. 96. *Mutatio quidem omnis* inquit *velocior aut tardior est.*

Aristoteles. Sextò probari potest ratione eiusdem Aristotelis ibidem cont. 72. vbi probat non posse esse motum continuum eo quod sequitur; si in vacuo fiat motus posse motum aliquem in vacuo esse æquè velocem, atque aliquis qui fiat in pleno; quod ipse ait esse impossibile: quia si media illa nempe plenum & vacuum non habent inter se proportionem, qua exæquari possint; ergo nec motus habebunt proportionem. Sequela probatur: nam detur motus in vacuo & sit semihoræ; quandoquidem tu dicis esse continuum non momentaneum. detur motus alius in pleno; & sit vnius horæ. Tunc sic: si plenum illud medium fiat duplo subtilius, tunc necesse est motum in eo peragi per semihoræ spatium. ergo eadem velocitate motus peragetur in vacuo atque in pleno. Iam hoc ipsum argumentum Aristotelis totum quantum est applicatum Angelo idem inconueniens demonstrat. Moueatur Angelus motu continuo quantumcunque velocius moueatur quam corpus; & ex. gr. sit triplo velocior quàm motus aquæ. Ergo si fiat aqua triplo subtilior exæquabit Angelici motus velocitatem. Ergo corporis & spiritus erit motus æquè velox. quod debet reputari inconueniens: quia sicut inter mobilia non est proportio, nec inter motus proportio esse debet.

Anonymus. Gregorius. Septimò probari potest argumento illius Doctoris apud Gregorium vbi supra: quia Angelus perfectior & maioris virtutis non posset se mouere velocius, quàm Angelus minoris virtutis. Hoc autem est absurdum, quia si ponantur duo Angeli, & vnus altero validior, & vterque se moueat eodem spatio quamcitissime, necesse est moueantur æquali tempore, quia respectu neutrius est medij obsistentia. ergo ab inæquali facultate procedunt motus æquales & actiones. *Quando virtutes agunt* inquit *secundum vltimum potentiæ suæ quod non est intelligibile, & contra Aristotelem lib. 7 phys. cont. 35.* Sequela probatur: quia ex contraria sententia sequitur quemcunque Angelum posse se mouere per quantamcunque distantiam in quantocunque tempore, eo quod non esset sibi difficilius se mouere per magnam quàm per paruam, quia nulla illi obsisteret difficultas aut resistentia ex parte medij. ergo per illud ex æquo mouerentur ambo.

Io. Maior. Octauò probatur à Ioanne Maiore: Quia *omnis potentia motiua* inquit *appetens se mouere ad aliquod Vbi, in quo nulla est resistentia intrinseca vel extrinseca, subitò se mouet ad illud. Angelus autem est potentia motiua localis & nulla est resistentia extrinseca, quia non magis ei resistit medium densum quam rarum. Ita enim benè transit Angelus per plumbum, quam per aërem aut cælum. & nulla est resistentia intrinseca: quia maximè esset potentia motiua finita. Sed hæc non obstat, quia etiam secundum aduersarios Angelus vel anima potest elicere actum in instanti. Immò in primo instanti quo est in rerum natura. Et confirmatur per Aristotelem 4. Physic. t. c. 6. & per commentatorem eius facientem longam digressionem contra Auempace & Auicennam, negantes graue simplex positum in vacuo moueri & mutari in instanti.* Hæc ille. Ergo debet moueri in instanti.

Nonò probāt alij apud Argentinā: quia maioris A virtutis est substantia spiritalis quā corporea, vt certum est. At aliqua corporea mouetur necessariò per locum in instanti, vt patet de Solis radiis, qui ab Oriente in Occidentem transeunt in instanti; vt docet Aristoteles libro 2. de An. cont. 70. contra Empedoclem opinantem eos transire breuissimo quodam temporis interuallo, quod à nobis percipi nequit. Ergo & Angelus necessariò mouetur in instanti.

Decimò si animus hominis necessariò mouetur in instanti; multò magis necessariò Angelus in instanti mouebitur. Non enim dabitur ratio dispar. At animus necessariò mouetur in instanti. Nam cum à corpore separatur, immediatè post se in destinatum locum constituit. Neque enim esset potior ratio, cur tanto vel tanto tempore in via B detineretur, vt perueniret ad terminum.

Sententiam A. Doctoris & multorum veterum Theologorum esse affirmantem, Angelos posse ac de facto moueri motu continuo, siue in assumpto corpore siue per sese, idque probandum esse. §. 2.

C PArtem tamen affirmantem veriorem arbitror. quam sequitur expressè A. Doctor in hoc a. 1. c. vbi ait posse in motu Angeli reperiri continuitatem quandam eo quod *Nihil prohibet Angelo assignare locum diuisibilem per contactum suæ virtutis, sicut corpori assignatur locus diuisibilis per contactum suæ magnitudinis.* Ex quo infert cur in motu Angeli reperiri continuitas possit sumpta à corporum motu paritate. Si enim in loco Angeli potest sicut in loco corporis esse continuitas. ergo *sicut corpus successiuè & non simul dimittit locum in quo prius erat, & ex hoc causatur continuitas in motu locali eius; ita etiam Angelus potest dimittere successiuè locum diuisibilem in quo prius erat; & sic motus eius erit continuus.* A. Doctorem sequuntur recentiores Theologi: Caietanus in hunc art. §. *Circa* Caietanus. D *continuitatem*; Ferrariensis libro 3. cont. Gent. cap. Ferrariensis. 102. §. *Ad euidentiam primi dubij*: Gregorius de Va- Gr. de Val. lentia hic Disp. 4. q. 4. p. 1. §. *Deinde sciendum*: Molina in hoc art. §. *His constitutis.* Vasquez Disput. Molina. Vasquez. 195. cap. vlt. nisi quod hic auctor apponit hanc conditionem: *dummodo dicamus* inquit *esse in loco diuisibili.*

Ex antiquioribus Scholasticis idem sentiunt Albertus in sua summa Theologica p. p. tract. Albertus. 18. q. 74. a. 3. vbi id etiam probari putat hoc argumento. Nam *Angelus habet* inquit *motum suum in potestate, & ideò non sequitur regulas aliorum motuum, & regulas motus medij per quod est motus. Mouetur enim per medium sicut vult siue in tempore continuo, siue repentè, siue subitò, &c.* Additque *talem con-* E *tinuitatem non esse ex spatio super quod motus est, sed ex protensione animi in mora à primo vsque in vltimū.* Vt enim ibi ait ad 1. Prius & posterius in motu dupliciter sumi potest. Vel primò ex adæquatione mobilis cum alia & alia parte spatij, in quo mouetur; & hoc pacto prius & posterius non esse in Angelo certum est. Vel ex comparatione eiusdem mobilis ad terminos motus; quia scilicet sit prius mobile propinquius termino à quo

quo, quàm ab illo remotius. *Et sic* inquit *Angeli motus habet prius & posterius, quia comparatur termino à quo secundum principium motus*, &c. *absque eo quod commensuretur spatio.* Dicit autem hoc prius & posterius esse tempus in anima vel mente, quia in ea est huiusmodi protensio & mora. opinor quia ab illa procedit, vt ita Angelus se successiuè applicet corpori, in quo mouetur. Et ideò dixerat hunc motum esse in Angeli potestate.

Alexander Alensis. Idem docet Alexander Alensis 2.p. quæst. 33. membr. 2. vbi ait: *Cum Angelus mouetur localiter moueri per medium*, &c. ita vt *cum est in illo medio spatio non sit in illo loco à quo recedit, & in illo ad quem tendit.* Idque ait esse, quia *in motu oportet de necessitate esse rationem medij differentem ab vtroque termino.* & subdit. *Ideò cum Angelus mouetur localiter, necesse est quod moueatur per medium; quia hoc exigitur non ex parte eius quod mouetur, sed ex parte ipsius motus, in quo necesse est esse rationem medij differentem ab vtroque termino.* Putat ergo necessariò debere esse continuum & in tempore, quia necesse est sit in medio priùs quàm sit in termino ad quem. ergo motum illum non censet momentaneum Alexander sed continuum. Qui enim momento est, non est prius in medio quàm in termino ad quem, si quidem à termino à quo proximè & immediatè pòst est in termino ad quem. Hoc autem non solùm docet Alexander cum Angelus mouetur simul cum corpore assumpto, verùm etiam cum per se absque illo de loco in locum transit. Tum quia absolutè Alexander loquitur cum mouetur totus Angelus indiuisibiliter, *& se non commetitur partibus loci sicut corpus.* Tum quia hanc motus continuitatem necessariam esse ait ad rationem motus, vt vidimus. ergo si Angelus ex se absque corpore assumpto mouetur, ita continuè moueri debet. Concedit autem Alexander peculiari disputatione Angelum ex se absque corpore moueri; vt expressè patet in eadem q. 33. m. 3. Vnde de motu Angeli in corpore assumpto specialem instituit Quæstionem postea q. 35. m. 3. Ibi enim statuit Angelum vnà cum corpore concitatissimo moueri motu non simpliciter; vt si ex se motum eliceret, sed *quantum permittit natura eius corporis quod mouetur, & quanta est intentio virtutis ex parte mouentis*; hoc est vt statim explicat *secundum virtutem Angeli influentis ei virtutem.* Itaque nō solùm concedit posse moueri continuo motu Angelum, verùm etiam aliter non posse, vt ratio motus consistat. Quod tamen si simpliciter intelligatur probandum non est, vt post patebit.

S. Bonauent. Ricardus. Ab hac eadem sententia ex veteribus Theologis nullus videtur discrepare; vt S. Bonauentura in 1.d.37.p.2.a.2.q.3. Ricardus ibidem a.3. q.3. Vbi etiam addit cum mouetur per medium non posse moueri nisi in tempore, vt dicemus seq art. Ægidius in 1.d.37.2.p.a.2.q.3. §. *Respondeo.* Scotus & Gregorius locis modò citatis, Gabriel in 2.d.2.q.3.a.3.dub.1. Marsilius in 2.qu.7. concl.3. Capreolus in 2.d.6 q.1.ar.1. concl.4.& a.3. ad argumenta contra eandem; & complures alij. Ad solutionem

Ægidius. Scotus. Gregorius. Gabriel. Marsilius. Capreolus.

Albertus. Notandum est non esse hìc quæstionem An Angelus necessariò moueri debeat motu continuo & successiuo. Nam vt benè obseruat Albertus vbi suprà, non mouetur Angelus ex virtute motrice quæ sit necessariò ad motum continuū determinatā, sed ex ea quæ imperio voluntatis

A nunc ad vnum nunc ad aliud motus genus dirigitur ac mouetur. Nec probanda est Alexandri opinio, dum tanquam motui locali essentialem putat esse continuitatem. Nam vt infrà ostendam cum Angelus in locum momento moueatur, tota essentia transitus secundum locum in eo motu retinetur, ac proinde est tota essentia localis motus. sed de hoc infra sermo erit cum quæremus, Vtrùm motus Angeli esse possit momentaneus. Nec quæstio est; Vtrùm successio huiusmodi & continuitas solùm debeat esse cum pertransit medium, quia de hoc agetur vnà cum A. Doctore seq. art. Solùm ergo difficultas est absolutè, Vtrùm Angelus possit, & de B facto moueatur motu continuo cum mouetur siue cum corpore, siue sine corpore coniuncto. Et in hoc sensu ad difficultatē respondetur, & sit Alexander.

Vnica propositio. Moueri potest Angelus & sæpe de facto mouetur motu continuo & successiuo siue iunctus corpori, siue seiunctus à corpore. Probatur propositio à quibusdam: Primò quia si Angelus non posset in tempore motu continuo moueri, necessariò deberet moueri in instanti. At hoc absurdum est. Sequelam probant: quia quicunque motus est aut continuus aut in instanti. Minor probatur: non enim posset Angelus virtute Dei velociùs moueri quàm C suamet naturali virtute, cùm nulla mensura breuior sit quàm momentum. Debet autem virtute Dei posse velocius: Quia virtus infinita debet posse velocius mouere mobile quàm virtus finita. quod supponit Aristoteles apertè libr. 8. Phys. context. 79. Ex eo enim quòd infinita vis potest mouere velociùs quàm quæcunque vis finita, infert vim mouendi infinitam non posse esse in magnitudine finita, quia deberet mouere in instanti. Nam si cæteræ virtutes possunt velocius & velocius in infinitum mouere suam magnitudinem; ergo vis infinita, quæ omnem velocitatem ex virtutis motricis finitudine manantem superare debet, velocissima esse debet D ad quam nulla vis finita pertingere possit, ac proinde in instanti. Quæ ratiocinatio in hoc solo fundatur axiomate, quod ibi ponit Aristoteles: *Maior* inquit *potentia semper* ea est *quæ æquale in minori tempore facit; vt quæ calefacit aut dulcefacit, aut proiicit aut omnino mouet.* Ergo absurdum arbitratur Aristoteles si vis finita in mouendo aliquo corpore exæquaretur virtuti infinitæ. Aristoteles.

Verùm hæc ratio non satis firmiter nostram propositionem stabilit. Concedent enim aduersarij motum Angeli fore momento temporis si continuus non sit; negabunt tamen id quicquam absurditatis continere. Et primò quod attinet ad vim infinitam, dicent verum quidem esse, virtutis infinitæ esse cæteras virtutes quæ ad motum continuum & in tempore determi- E natæ sunt velocitate mouendi superare. Ratio huius in promptu est: Omnis enim finita mouendi vis definitur intra certos cancellos ac limites, vltra quos promere actum suum nō possit. Id enim est de ratione finiti, vt ei termini præfixi sint: in quo differt ab infinito quod terminis ac fine caret, vt clarum est; ergo non potest velocius & velocius mouere suum mobile in infinitum finita virtus. Quam ob causam suprà diximus vim Angelicam ad occupandum locū habere suos locales terminos, ne ampliorem & ampliorem in infinitum ac sine termino occupare possit. Et quidem illa vis est maior, vt

ex

ex Aristotele dixi iã, quæ æquale in minore tépore facit. Ergo quæ potest velocius & velocius sine termino ac fine velocitatis, esset maior & maior sine termino ac fine, ideoq; infinita. Verũ ergo est virtutis infinitæ in mouendo debere suamet innata vi cæterarum omnium motricium facultatum motum continuum velocitate superare.

Ex quo vlteriùs dicerent in hoc sensu de motu scilicet continuo locutum esse Aristotelem. Tum quia id patet ex exemplis quæ ipse ad illius propositionis confirmationem attulit. Vt enim retuli ea omnia desumpta ex motibus continuis sunt. *calefacit, dulcefacit, prouocat, mouet*; nempe secundum locum. Hunc enim localem motum ipse paulò ante in cont. 77. propriè motum ex omnium veterum philosophorum Empedoclis, Anaxagoræ, Democriti, Platonis cæterorúmque sententia dixerat esse. Hi namque omnes per motum absque restrictione prolatum intellexerunt localem eo quod hic omnium motuum primus est. *Et propriè* inquit ibi Aristoteles *dicimus quoque moueri solum quod mouetur eo qui secundum locum est motu*. Tum quia id ipsum patet ex eo quod certum est Aristoteli velocitatem tarditatemque in motu, proprietates atque affectiones continui motus esse. quod ipse docuit apertè libro 4. Phys. cont. 96. cum velox tardúmque definiuit. nam *velox* dixit esse *quod in pauco tempore multum mouetur. Tardum autem quod in multo paucum*. Idémque patet ex libro 6. Phys. cont. 13. Sunt ergo motus continui, hoc est eius qui in tempore fit affectiones, quia ad ipsum tanquam ad proprium adæquatumque subiectum referuntur. Itaque si Aristoteles comparat vim infinitam cum cæteris facultatibus motricibus, quod eæ possunt velocius & velocius mouere, illa autem vltra omnem velocitatem ac proinde in instanti, comparatio est inter motum virtutis infinitæ & alios motus continuos virtutum finitarum, non autem momentaneos, vt ita plus tribuat virtuti infinitæ quàm finitis quibuscunque. Quamobrem ad argumentum responderent: esto virtus infinita debeat velocius mouere magnitudinem posse, quàm virtus quæcunque finita possit in motu continuo, non tamen debere posse velocius mouere quàm illæ quæ aliquod mobile momento mouere possunt; quia non datur velocitas maior quam sit momentaneus motus. Vnde non potest virtus infinita velociùs idem spatium illustrare quam Solis illustratio momento fiat totastimul, vt censuit Aristoteles lib. illo 2. de An. cont. 70. Si ergo motus Angeli asseratur momentaneus, negarẽt aduersarij velociorem fieri posse virtute diuina.

In hac autem re obseruari oportet ne dictis nostris aduersemur ipsi, licet propriè motus momento per actus velox non sit eo quod per ipsum non mouetur in multo spatio breui tempore; quod est motum esse propriè velocem vt dixi; tamen posse eundem ipsum momentaneum motum aliquo modo dici velocissimum omnium, quia aliquo modo & momentum ipsum solet breuissimum tempus dici, propterea nimirum quia tempus eo breuius dari nequit. Quocirca sensus Aristotelææ argumentationis est huiusmodi: Virtus infinita debet suam magnitudinem mouere quacunque finita virtute velociùs. Ergo debet posse suam magnitudinem

A momento mouere. hoc enim pacto velocissimus omnium motus esset. Vtrùm autem hæc Aristotelæa consecutio veris principiis nitatur, non quærimus in præsenti, solùm constet eam non aduersari nostræ solutioni, vtut ipsa vim habeat.

Secundò alij probare possent propositionem nostram: quia animus separatus non mouetur in instanti. Ergo nec Angelus, ac proinde in tẽpore & motu continuo. Consequentia patet: quia nõ est ratio cur maioris velocitatis sit vis Angeli motiua quàm animi separati. Si quidem neutrius virtuti resistit mediũ. Ergo æquè velociter possent se mouere. Antecedẽs patet quia non debet animus separatus plus virtutis habere, quam ipse idem animus dum est in corpore iam beato. B Tunc enim habet summã & vltimam perfectionem quam habere potest, cum sit in termino & cumulo omniũ bonorum. At animus in corpore beati non potest moueri in instanti vt certũ est.

Verùm neq; ratio hæc validè consistit. Etenim primùm negari rectè potest antecedens: constat enim, vt docet A. Doctor 3. p. q. 59. a. 5. ad 1. & in 4. d. 45. q. 1. a. 1. quæstiuncula 2. animos statim post mortem consequi vel præmium vel pœnã, ac proinde statim esse in termino. neque verò neganda sua animo est vis, ac facultas motrix; de qua disputant nostri Conimbricenses libr. 3. C de An. tract. de An. separ. Disp. 6. Ad probationem autem nego inde sequi animum plus virtutis habere separatum à corpore quàm in corpore. Sed dico eandem vim quæ corpus mouet motu successiuo & continuo ob eius obsistentiã mouere momento ipsum animum, quia ei virtuti animi substantia non resistit quemadmodũ corporis. Hoc igitur diuersitatis proueniet ex varia mobilis conditione: ad eum modum quo vis calefaciendi in subiecto contraria qualitate affecto non potest nisi continuè & succedentib. partibus calorem generare; secus in subiecto si contrario careret omni, hoc ipso momentanea D actione incalesceret. Scitum enim est inter Peripateticos, totam in similibus motibus oriri continuitatem ex obsistentia; quod quidem patet apertè in productione luminis; quod quidem quia nihil ei obsistit, momento in totum aërem diffunditur. & hoc pacto deinceps dicemus motum per medium non posse esse in instanti, eo quod motus per medium mobili obsistit, ne simul vna pars cum alia sit in eodẽ subiecto; quẽadmodum accidit in partibus quantitatis permanentis. Non ergo efficax est hoc argumẽtum.

Præterquam quòd dici etiam posset virtutem animi humani esse minorem quam virtus Angeli; sicut patet in cæteris potentiis. Vnde Angeli virtus est ad mouenda cætera corpora; cum E tamen animus nisi suum quod informat mouere non possit, vt docet A. Doctor infrà q. 110. a. 3. & quæst. 117. a. 4. Quare esto dicent aduersarij animæ non se momento transferant de loco ad locum, tamen id poterunt Angeli, qui perfectiores sunt; cum præsertim diuinæ voluntatis administros docent moueri momento posse. Horum namque interest vt prompti ocyssimè mandata exequantur nutu diuinæ voluntatis; vt etiam deinceps dicetur.

Tertiò probari posset nostra propositio. Quia sicut se habet punctum ad lineam, sic instans ad tempus, ergo à permutata proportione; sicut se habet punctum ad instans, sic linea ad tempus. Sed per punctum pertransiri non potest breuiore

Aristoteles. | A Doctor. | Conimbricenses.

breuiore duratione quàm momentanea; ergo non poteſt pertranſiri per lineam breuiore duratione quam temporis & motus continui.

Cæterum ratio hæc nullum aduerſariis faceſſeret negotium triplicem ob cauſam. Primùm quidem quia nec aduerſarij dicent Angelum ſi per medium pertranſiret ab extremo in extremum, non moueri motu continuo, quia partes medij prius pertranſiri debent, quam ad extremum veniatur, vt probabo poſtea. Sed qui negarent motum Angeli continuum, negarent etiam lineam pertranſiri, tanquam à puncto per lineam ad aliud punctum extremum eiuſdem ſit motus; quod tamen in argumenti Minore ſumitur, dum dicitur: ſed per punctum pertranſiri &c. quaſi per punctum ſit tranſitus ad alium terminum.

B Deinde quia in eadem Minore falſum ſupponitur, nempe punctum pertranſiri. Per punctum enim non poteſt ad vlteriorem terminum motus eſſe. Nam nec punctum ſpatij poteſt mobili eſſe via ad aliud. Vt enim aliquid ſit via & tranſitus ad terminum vlteriorem in locali motu, non debet mobile cum eſt in termino ad quem, ſimul etiam eſſe in illo ipſo quod eſt via; vt cum itur Romam per Lauretum tanquam per viam, is qui Romam proficiſcitur non eſt Laureti dum eſt Romæ tanquam in termino. Ratio autem huius eſt euidens: Quia cùm via ſit tranſitus ad terminum, ſi ſimul eſſet in termino & in via tranſiret ſimul ad terminum, in eoque eſſet. Nihil autem ſimul tranſit ad locum vbi eſt ſi propriè loquamur. Ex quo etiam neceſſariò poſtea oſtendetur, non poſſe mobile quod ad terminum tranſit per medium tanquam per viam, eſſe ſimul in termino & in via.

C Neque rectè reſponderet is qui diceret poſſe mobile eſſe ſimul in termino & in via, quando via eſt indiuiſibilis, non autem quando eſt diuiſibilis. Hoc inquam non rectè dicitur: Nam ſi eſt indiuiſibilis via, hoc ipſo eſt quid & modus termini; vt ſi per punctum tranſeatur ad lineam, illud punctum eſſet terminus ſeu extremum lineæ. Non enim datur aliud punctum per quod ad lineam tranſiri immediatè poſſit, cum duo puncta immediata non ſint. Ergo mobile nunquam in linea illa eſſet, niſi etiam eſſet ſimul in eo puncto, ac proinde nunquam mobile eſſe poſſet in termino, quin ſimul quoque in via eſſet; atque ita ſemper moueretur & quieſceret, quod plane repugnantiam inuoluit; vnde in motibus momentaneis licet detur aliqua via quæ eſt tranſitus ad terminum; vt exempli gratia, productio Vbitatis quæ tendit ad ipſam Vbitatem; tamen non datur via, per quam veluti per ſpatium interiectum ad terminum tranſeat mobile, vt dicetur poſtea. Supponitur ergo in ea Minore falſum.

Denique, quia ille modus argumentandi non ſeruat leges quibus ritè fit argumentum à permutata proportione. Inter cæteras enim leges duæ potiſſimùm requiruntur. Altera eſt vt retineatur ſemper proportio eiuſdem generis in illis quatuor terminis, in quibus fundatur argumentatio; hoc eſt vt non fiat tranſitus in argumento ſiue ab vno genere proportionis ad aliud, ſiue ab aliqua determinata proportione ad terminos diſparatos qui nullam inter ſe habeant proportionem. Cuiuſmodi argumenta

A ſunt, vt ſe habent duo ad quatuor, ita linea palmaris ad bipalmarem. Ergo permutando; ſicut ſe habent duo ad lineam palmarem, ita quatuor ad lineam bipalmarem.

Hæc inquam argumentandi ratio non valet: propterea quod ſit tranſitus à proportione dupla quæ eſt in antecedente ad terminos qui nullam in conſequenti proportionem inter ſe habent. Vt enim conſtat ex Euclide libro quinto definitione quinta, & obſeruat ibidem in commentar. ad definitionem duodecimam, noſter Clauius, nulla eſt proportio lineæ ad numerum. Pari modo nec rectè diceretur: Sicut ſe habet punctum ad lineam, ita cor ad venas; ergo permutando, ſicut ſe habet punctum ad venas, ita cor ad lineas. Non valet inquam, quia inter punctum & venas non eſt proportio principij & eius quod à principio deriuetur; vt ſumebatur in antecedente. Euclides. Clauius.

Altera lex eſt; vt cum ſubſumitur Minor poſt commutatam proportionem, in eadem Minore non ſit tranſitus ad rationes extrinſecas, quæ ſcilicet per ſe non pertineant ad proportiones quæ in antecedentibus inter terminos ſumebantur. quo pacto peccatur in hoc argumento: Vt ſe habent duo homines ad quatuor homines, ita ſex lapides ad duodecim lapides. Ergo permutãdo; ſicut habent duo homines ad ſex lapides, ita quatuor homines ad duodecim lapides; Sed duo homines ſunt duo cõpoſita ex animo & corpore; ergo & ſex lapides ſunt ſex compoſita ex anima & corpore. Hæc ratiocinatio enim inde eſt falſa, quod in Minore ſubſumpta accipiantur ea, quæ ad propoſitiones illas in antecedentibus per ſe non pertineant. nam proportio in antecedentibus erat dupla & tripla, poſtea verò dicitur de compoſitione ex anima & corpore, quæ nihil facit ad illam proportionem duplam & triplam. In qua re quoniam extra numeros & magnitudines ferè ſemper peccatur: ideò ab Ariſtotele libro . Poſter. cont. 13. alias 40. expreſsè dicitur argumenta à permutata proportione firma non eſſe niſi inter numeros & magnitudines. Quod etiam docet D. Doctor in 3. d. 34. quæſt. 2. a. 1. quæſtiuncula 1. ad 1. & q. 27. de Veritate a. 7. ad 4. & quæſt. 29. a. 8. ad 7.

Iam ergo ad argumentum dico quicquid ſit de priore legum genere, in ipſo non ſeruari leges poſterioris generis. Eſto enim ita ſe habet punctum ad inſtans, ſic linea ad tempus, eo quod illa ſint principia hæc autem ex principiis: Tamen, quod in Minore ſubſumitur, ad proportionem principij, & eorum quæ ex principiis ſunt non pertinent. Quid enim refert, vtrùm punctum ad lineam, & inſtans ad tempus habeat rationem principij, quod punctum poſſit pertranſiri in inſtanti & linea in tempore? Siue enim ſit principium punctum vel inſtans lineæ & temporis, ſiue non ſit principium, eodem modo pertranſiri poſſet. Sicut nec ob eandem rationem validè argumentaretur is, qui hoc pacto diceret: Sicut ſe habet punctum ad lineam, ita inſtans ad tempus: ergo permutando, ſicut ſe habet punctum ad inſtans, ita linea ad tempus. Sed punctum non poteſt in vno aliquo inſtanti bis à corpore tangi. ergo neque linea bis à corpore tangi poterit in vno aliquo tempore.

Hoc

Hoc enim falsum est. Cōstat ergo his argumentis non rectè probari nostram propositionem.

Meliùs ergo probatur primò: Quia quòd Angelus corpori iunctus aliquando motu continuo de loco ad locum venerit, habetur ex sacris literis: Sicut patet in eo qui cum Iacobo luctatus est Genes. 32. *Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane*; & in eo qui diebus plurimis Tobiam iuniorem comitatus est dum iret redirétq; Tob. 5. *Egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum*; & paulo post: *Et dixit illi Angelus, ego ducam & reducam filium tuum ad te*. & paucis post: *ambulauerunt ambo simul*. & cap. 9. sic loquitur Angelus cum Tobia: *Si placet itaque tibi præcedamus, & lento gradu sequantur iter nostrum familiæ*. Idem sæpè indidem. Ergo Angelus corpori iunctus gradiebatur vnà cum Tobia, qui motu continuo non momentario suum conficiebat iter. Ergo & Angelus qui æquis illum passibus comitabatur.

Genes. 32. Tob. 5. Tob. 9.

Secundò probatur propositio, quòd Angelus siue corpori iunctus siue ab eo abiunctus, possit successiuè moueri optima ratione quam tetigit A. Doctor in hoc art. Quia illud potest successiuè & cōtinuo motu moueri quod potest moueri motu, in quo assignari possit pars prior & posterior. Ergo Angelus siue corpori iūctus siue abiunctus potest moueri successiuè & continuo motu. Consecutio ex bona syllogismi forma est clara. Vtraque propositio probanda efficaciter est.

A. Doctor.

Ac primùm quidem Maior probatur, quia in motu qui momento peragitur non est pars motus prior & posterior, quia nullis motus ille cōstat partibus prioribus & posterioribus. quamuis enim in ipso mobili quanto v. gr. bipalmari omnes partes moueantur, ac proinde sint partes motus; nempe quæ sunt in primo palmo & quæ sunt in secundo; tamen non sunt partes motus priores & posteriores. Illæ enim in motu sunt priores, quæ prius labuntur & fluunt: Illæ posteriores quæ succedunt. Nam quæ simul sunt in fluxu, simul tempore sūt, ac proinde nec priores aut posteriores sunt. Hinc est vt docet Aristoteles libro 4. Phys. cont. 112. vt non solùm tempore motum, sed etiam motu ipso tempus metiamur. *Tempore enim* inquit *motum, motu autem tempus mensuramus*: quia scilicet ob partium priorum, posteriorúmque successionem quæ in vtroque reponitur, alterum alterius mensura esse potest. Sic enim v. gr. ex horis possumus scire quantum itineris confecimus; vt si tres horas ambulatū continuo sit dicimus nouem passuum millia peracta esse. Rursus ex motu vicissim tēpus quantum fuerit cognoscere possumus; vt si tria passuum millia confecerimus dicimus tres horas in itinere defluxisse, &c. Ergo motus qui constat huiusmodi partibus prioribus ac posterioribus non momentarius erit, ac proinde continuus. omnis enim motus aut cōtinuus est; nempe in tempore: aut non continuus; & est indiuisibilis & momentarius, vt supponit Aristoteles lib. 4. Phys. cont. 71.

Aristoteles.

Deinde probatur eadem Maior: Quia motus qui partes priores & posteriores habet, diuisibilis est in suas partes. *Vnumquodque enim in ea diuiditur ex quibus est* teste Aristotele libro 6. Phys. cont. 3. Si autem est diuisibilis in partes priores & posteriores, quantus est & continuus, vt expressit Aristoteles libro 5. Metaphys. cont. 18. vbi loquens de motu ac tempore ait: *Hæc enim quanta quædam & continua dicuntur, eo quod hæc diuisibilia sunt quorum hæc sunt passiones*. ergo ille motus est continuus in quo sunt partes priores & posteriores.

Aristoteles.

Denique eadem Maior patet, quia motus qui habet partes priores & posteriores, habet partes quarum vna succedit alteri, & consequenter in quibus est prius & posterius secundum durationem. Id autem in quo est prius & posterius secundum durationem, continuum & quantum est quantitate successiua quæ est tempus. Tempus enim nihil est aliud quàm *numerus motuum secundum prius & posterius* ex Aristotele libro 4. Phys. cont. 101. Hoc est duratio motus in quo partes priores & posteriores sibi succedunt. Vera ergo est illa Maior.

Aristoteles.

Minor autem probatur: Quia Angelus siue corpori iunctus siue non, potest suam substantiam, & virtutem seu vt loquitur A. Doctor *contactum suæ virtutis* applicare alicui loco extenso ita vt prius eum applicet vni parti, deinde alteri; nulla interposita mora seu quiete inter vtrāque applicationem; nimirum producendo in se priùs rationem essendi in parte loci sibi vicinioris, v. gr. in proximo loci palmo; deinde rationem essendi in alia parte loci remotioris v. gr. in secundo loci palmo, & sic deinceps; idque in tempore continuo, non verò per interpositam quietem ac momenta. Quid enim prohibet ne id in potestate sit Angeli? si quidem in potestate hominis etiam est, vt velociùs se successiue applicet, & minùs velociter? Præterea cur magis dici debet in eius potestate esse, vt vno momento se applicet loco toti eiúsque partibus, quàm successiuè & in tempore? Quemadmodum enim liberum Angelo est, vt se applicet huic vel illi loco; ita & liberū illi esse debet vt prius vni parti quam alteri se applicet; Vt si Angelus sit hic Romæ, & velit se transferre Tusculum seu Neapolim, priùs tamē velit se applicare viæ quæ ad illas vrbes tendit, cur non possit id facere actione continua & successiua, qua successiuè & continuè producatur alia & alia vbitas? præsertim cum sit ratio vt potius dici debeat se applicare successiuè posse & in tempore, cum ex scripturis habeamus corpori iunctum Tobiæ Angelum in tempore in longas vias esse progressum.

A. Doctor.

Si ergo potest Angelus siue corpori iunctus siue abiunctus suam substantiam & contactum suæ virtutis alicui loco extenso ita applicare, vt priùs eam vni parti, deinde alteri nulla interposita quiete applicet; potest moueri motu in quo assignari possit pars prior ac posterior. Nam certum est si in termino motus assignentur partes priores & posteriores, eas quoque assignari posse in eius productione & motu: quia diuisionem vnius correspondere diuisioni alterius apertè docet Aristoteles libro 6. Phys. cont. 37. & 39. Et patet: quia si forma acquiritur secundum partes priores & posteriores; ergo vna pars priùs acquiritur quam alia. ergo adeptio vnius partis prior est adeptione alterius: atque ita adeptio quæ est motus, reipsa habebit partes priores & posteriores respondentes ex æquo partibus termini: nec alia ratione corporum motus sunt successiui, nisi quia termini successiuè acquiruntur.

Confirmari validè potest eadem Minor: nam si Angelus cum corpore assumpto se applicare potest prius vni loco quàm alteri & alteri; idque conti

continuata quadam actione & applicatione. ergo & poterit se eodem modo prius applicare vni parti loci, & posterius alteri abiunctus à corpore. Etenim corpus illud ab Angelo assumptū; ita successiuè ideò priùs vni applicatur quam alteri, quia vel cōtinuato quodam imperio Angeli impellitur, vel cōtinuato motu Angeli quasi trahitur vt sic applicetur. Vtroque autem modo id fiat, sequitur Angelū à corpore abiunctum se eodem posse modo applicare. Nam si suo cōtinuato imperio corpus impellat, ne ipse Angelus impellens distet à corpore quod impellitur, debet se illi corpori prius in vno loco applicare quam in altero. Ergo si corpori assumpto prius se Angelus applicare potest in vno loco quam in altero, poterit etiam ipse sine corpore se applicare prius vni loco immediatè quàm alteri. Non enim est ratio cur corpori se prius in vno loco quam in altero potiùs se applicet, quàm loco immediatè qui etiam corpus est. Nunc idem & à fortiori dico, si cōtinuo motu Angelus trahat corpus eo quòd illi aliquo nexu illigatum sit. Tunc enim necesse est, Angelus veluti antegrediatur corpus quod attrahitur. Vnde Aristoteles libro 7. Phys. cont. 1 c. adeò trahentem antecedere vult id quod trahitur vt opinetur velociorem oportere esse trahentis motum quam sit motus eius quod trahitur. *Tractio inquit aut cum ad seipsum aut ad alterum velocior est motus trahentis.* Si autem antegreditur; ergo Angelus applicat se prius natura vni parti loci quam alteri; idque continuata quadam actione independenter à motu corporis, quemadmodū is qui alium trahit. Vnde sequitur quod dicebamus; nempe Angelum si possit se prius vni loco quam alteri, idque continuè non interrupta actione cum assumpto corpore applicare, posse idem præstare à corpore abiunctum, cum ab eo in huiusmodi applicatione non dependeat.

Aristoteles.

Concludendum ergo est, Angelum siue extra siue intra assumptum corpus moueri posse, & de facto moueri motu successiuo & cōtinuo, quod nobis nunc conficiendum erat.

Tertiò probatur propositio ratione A. Doctoris qua vsus est seq. art. quæ omninò eam demōstrat, vt in explicatione eius articuli notabimus ipsi non multo post.

Posse Angelum moueri motu continuo siue intra spatium sui loci adæquati, siue ab ipso ad aliud spatium, siue priùs in loco diuiduo fuerit; siue indiuiduo, &c. §. 3.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò Angelum posse moueri motu continuo siue intra partes sui loci adæquati, siue in toto loco adæquato. Patet: quia intra locum adæquatum potest successiuè aut se contrahere ad minorem locum; nempe ad pauciores eiusdem loci partes; vt ad pauciores palmos; aut extendere se ad plures. Ergo vt diximus mouebitur successiuè. Præterea potest ex loco inadæquato successiuè se extendere extra ipsum. Idem dico si sit in loco adæquato posse ipsum se extendere ad loca vlteriora applicādo illis suam virtutem & substantiam successiuè, relicto loco quē prius

A adæquatè occupabat. Tunc enim est verus motus localis, quia locum mutat vel partiarium vel adæquatum.

Quod si quis obiiciat, cum se Angelus contrahit ad pauciores loci in quo prius erat partes ita vt occupet minorem, tunc non transit de loco ad locum, quia non acquirit nouum, sed ampliorem deperdit. ergo non est motus localis. Si inquam id dicatur, occurrendum est contrà: quia etiam illa localis contractio est aliquis localis motus & mutatio: non quidem quæ sit acquisitio, sed quæ sit amissio loci saltem ex parte. puto autem omnem loci mutationem esse aliquo modo motum localem. Vnde si Angelus qui Romæ vbique priùs fuerit, séque solùm ad

B Vaticana spatia colligeret, ille verè diceretur locum mutasse, nempe ex potiore parte. quod satis est ad denominationem simpliciter; fatemur tamen nō esse loci adeptionem, ac proinde non esse transitum de loco ad locum, sed de loco amplissimo ad eius negationem. quo etiam pacto mutari dicitur secundum qualitatem luna cum de illuminata ex oppositione terræ eclipsim patitur & obscuratur. Ad eandem enim motus speciem saltem vt aiunt reductiuè pertinet acquisitio formæ & eiusdem amissio. Vnde Aristoteles lib. 5. Phys. ad motum ad quantitatem reducit augmentum & decrementum, vt patet ex cont. 6. & eadem ratio est de alteratione & qualitatis deperditione.

C Colligitur secundò, non esse necesse vt Angelus moueatur successiuè sit priùs in loco diuisibili, nempe vt termino à quo: quod volebat ex secunda sententia non nemo. Ratio ex dictis est: quia etiamsi Angeli terminus à quo sit punctus, potest deinde se applicare successiuè partibus loci quæ à puncto proximè deriuantur in remotiores & remotiores partes: Quemadmodū cum punctus mouetur in perfecta sphæra, licèt terminus eius à quo fuerit locus indiuiduus; tamen immediatè post motus eius est continuus, cum punctus in motu designet lineam non pūctum. Alioqui vt suprà diximus, si punctus designaret in motu punctū iam immediatè post terminum à quo designaret punctum, atque ita duo puncta

D immediatè & proximè se consequerentur; vnde & linea & quantitas constaret ex indiuiduis; quod est contra Aristotelem 6. Phys. & multis probat ac demonstrat Scotus in 2. d. 2. q. 9. ad secundum principale. ergo non est necesse vt moueatur successiuè Angelus, debere ipsum in termino à quo esse tanquam in lóco diuiduo. Scotus.

Colligitur tertiò (quod etiam sentit Gregorius vbi suprà concl. 2. & 3. licèt alio fundamēto) posse Angelum moueri successiuè motu non solùm acquisitiuo vt ipse ait, verùm etiam deperditiuo. Probatur ex dictis: quia posset successiuè fieri diminutio eius formæ qua constituitur formaliter in loco adæquato, ita vt successiuè se contrahat magis ac magis intra illum vt modò dicebam. Tunc autem diminutio partium est modi amplioris, quo adæquatè erat in loco; absque eo quod nouas eius formæ partes adipiscatur Angelus: quia satis sunt illæ priores; vt v. gr. Angelus qui habet formam qua reponitur in linea decem palmorum si se cōtrahat successiuè ad septem palmos ex vna parte lineę, tres amittet palmos, & in cæteris septem constanter remanebit. ergo non mutat illam partem formæ septem palmorum, sed solùm tres pal- Gregor.

E

 mos.

mos. Ergo erit succeſſiua diminutio formæ ſine alterius adeptione,ac proinde erit motus deperditiuus.De motu qui ſit acquiſitio dubium non eſt ex dictis, quia Angelus poteſt ſuam formam magis ac magis amplificare. Ergo eius formæ erit adeptio.

Albertum atque A. Doctorem longè rectiùs ſenſiſſe de continuitate motus Angeli in ſumma Theologica, quàm alibi.

§. 4.

Albertus. COlligitur quartò,longè rectiùs ſenſiſſe Albertum de Angelicorum motuum continuitate in ſua Summa Theologica; quod retuli in ſecunda ſententia; quàm in Summa de quatuor coæuis quod retuli in prima. In illa enim Theologica optimè conceſſit, in poteſtate Angeli eſſe pro arbitratu ſuo moueri ſiue in tempore continuo ſiue alio modo, eo quòd non neceſſariò ſequitur regulas medij; nempe vt corpora quæ in medio denſiore tardiùs,in ſubtiliore velociùs moueri neceſſe eſt, & omninò motu continuo. Cum enim Angelus pro arbitratu poſſit ſe applicare nunc vni parti nunc alteri ſucceſſiuè nec per interpoſitas moras;motu continuo moueri poteſt quod in præſentia probandum erat. Cum autem ad id non neceſſariò his legibus teneatur,momento etiam ſine medio in diſtantem locum transferri poteſt,vt dicam ſeq. art.

At verò in hac Summa de Coæuis vix intelligi poteſt quid ſentiat cum negat motum Angeli eſſe in tempore continuo, affirmátque eſſe in tempore quod eſt collectio plurium nunc. Etenim in illo Angeli motu debet aliqua duratio eſſe. Nihil enim eſt in rerum natura, quod aliqua duratione metiri non poſſimus ſiue ſecundum totum, ſiue ſecundum partes; & ideò entibus ſempiternis aſſignamus vel æternitatem vel æuum: corruptibilibus vel momenta vel tempus. Motus ergo Angelici aſſignanda eſt aliqua duratio. Aut ergo momentanea, aut non momentanea.Si primum dicat Albertus,quæro quorſum dicat, motum Angelicum eſſe in tempore, quod eſt collectio plurium nunc? Nam ſi momento peragitur tranſitus ille de loco ad locum, ille motus momentaneus erit, & non in tempore quod ſit ea collectio. Sic enim dicimus,illuminationem, ſubſtantialem generationem & ſimiles motus ſeu mutationes eſſe momentaneas. Quod verò ipſe Albertus ait, vt retuli in prima ſententia,vnum Nunc ſumendum eſſe dum Angelus eſt in termino à quo; alterum verò dum eſt in termino ad quem; id omninò impertinens ad motum eſt, ſi rectè intelligatur. Dum namque mobile eſt in termino à quo non eſt motus, quia nondum eſt receſſus mobilis ab illo,& acceſſus ad terminum ad quem.Quapropter mora mobilis in ipſo non eſt aſcribenda ipſi durationi motus; ſicut nec mora dũ quieſcit in termino ad quem.Immò verò eſto illud Nunc motui aſcribatur; falſum eſſet motum conſtare ex pluribus Nunc. Quærendum enim eſſet eodem modo de illo Nunc termini à quo; Aut eſt duratio momentanea aut non eſt. Si momenta-A nea; ergo ſubſequẽs ille motus non eſt momentum, ne dentur duo momenta proximè inter ſe cohærentia. ergo non conſtat ex illis pluribus Nunc motus ille. Sin autem dicat non eſſe momentaneam, iam contra illam argumentor ratione quæ nunc ſubiicitur.

Si verò ſecundum dicat Albertus; nempe ſi Albertus. non eſt momentanea illa duratio;ergo quæcunque illa ſit,debet eſſe continua. Quoniam cum Angelus tranſit de vno loco ad alium,ille tranſitus & acquiſitio loci aut totus ſimul,aut prius eſt acquiſitio vnius partis, poſterius verò alterius. Non totus ſimul:quia eſſet momentaneus. neque enim haberet partes ſibi inter ſe ſucce-B dentes:qualis eſt generatio animarum, & creatio rei ſubſiſtentis vt Angeli,cæleſtiũ orbiũ,&c. Neque enim eſt ratio cur hæc dicantur inſtanti compleri propterea quòd ſimul tota ſint; aliæ verò actiones quæ ſimili modo ſunt non item. Immò A.Doctor nõ eſt veritus non ſolùm crea- A.Doctor. tionem, verùm etiam Angelicas operationes, quæ totæ ſimul ſunt, vt motus liberi arbitrij & ſimiles, momentaneas nuncupare infrà q.63.ar.5.c.Vbi in eodem inſtanti creationis docet fuiſſe bonos liberi arbitrij motus. *Manifeſtum autem eſt* inquit *quod creatio eſt inſtantanea, & ſimiliter motus liberi arbitrij in Angelis. non enim indigent collatione, & diſcurſu rationis. Vnde nihil prohibet ſimul & in eodem inſtanti eſſe terminum creationis, & terminum li-C beri arbitrij.* Ex eo ergo quòd vna operatio nõ ſit per partes ſuccedentes ſicut collatio & diſcurſus putat eſſe in inſtanti. vnde oporteret motum illum eſſe momentaneum, & recurrunt argumenta iam poſita.

Itaque aſſerendum eſt Alberto motum illum Albertus. & acquiſitionem loci in Angelo priùs eſſe ſecundum vnam partem loci, & poſteriùs ſecundum aliam; ídque non per interpoſitas quietes. Nam contrà recurreret iam factum argumentũ. quoniam ante quamlibet quietem illa pars loci vel acquireretur tota ſimul,vel pars prius poſteriùs alia.Si primum; ergo in inſtanti. Si ſecundum; ergo continuò; cum præſertim oſtenſum D ante ſit, non eſſe rationem, cur debeant interponi huiuſmodi quietes. Sequitur ergo motum illum poſſe ſubeſſe menſuræ temporis cõtinui; cum quodcunque cuius partes ſuccedentes ſint fluxu continuo,tempore metiri poſſimus.Quod adeò verũ eſt,vt A.Doctor ſuprà q.10.a.5.ad 1. A.Doctor. dixerit: *quod creaturæ ſpirituales* quantum ad *affectiones & intelligentias in quibus eſt ſucceſſio menſurari tempore. vnde & Auguſtinus ibidem*; nempe 8. ſuper Geneſ.ad lit.cap.20.*dicit* inquit *quod per tempus moueri eſt per affectiones moueri.* Conſtat ergo rectius locutum eſſe Albertum in Sum. Theolog.

Colligitur quintò ſapientiùs quoque docuiſ- A.Doctor. ſe in hac q. a.1.& deinceps A. Doctorem quàm E in lib.1. ſent.d.37.q.4. a. 1. & 2.in quibus locis apertè docet Angeli motum non eſſe continuũ, ſed ſolùm eſſe ſucceſſiuum ob operationes ſibi inter ſe ſuccedentes *Dicitur* inquit ibi a.1. *Angelus eſſe in loco in quantum applicatur loco per operationem; & quia non ſimul eſt in diuerſis locis,ideò ſucceſſio talium operationum per quas in diuerſis locis eſſe dicitur, motus eius vocatur. vnde ſicut conceptiones intellectus conuenienter ſe habent ſine continuatione, ita & operationes eius. Vnde motus localis Angeli non eſt continuus,ſed ipſæ operationes eius conſequenter ſe habentes circa diuerſa loca ſecundum quas in illis eſſe dicitur, locales motus ſic eſſe dicuntur.* Eſt ergo in motu Angeli ſuc-

li ſuc

li successio non continuitas. & ideò ibidem a. 1. ad 1. ait: *Angeli motus non est continuus vt dictum est*; nempe in eo a. 1. vbi etiam id probauerat ex libro 5. Phys. cont. 34. quia nimirum *continuitas motus* inquit *est ex continuitate eius, super quod est motus*. Cuius sententiæ impugnationem deterreret tanti Doctoris auctoritas, si eius falsitatem ipse idem auctor non agnouisset, cum huiusmodi sententiam abiecerit in Summa, vt mox dicam. Impugnanda itaque est argumentis tum in nostra propositione, tum aduersus Albertum in quarto nostro Corollario allatis.

A. Doctor. Sed nunc eundem A. Doctorem sapientiorem in summa Theologica factum aureo ore clarissimísque verbis motum Angeli continuum esse docentem audiamus. Ac primum quidem in hoc art. 1. cum docuisset, Angelum non esse in loco *nisi secundum contactum virtutis* subiungit; cũ non sit necesse hos contactus esse continuos, neque eius motum necessariò esse continuum; quia scilicet possit Angelus momento suam virtutem alicui loco applicare. Vnde sic declarat, vtroque modo fieri ab Angelo posse si velit. *Vnde sicut corpus* inquit *successiuè & non simul dimittit locum in quo prius erat; & ex hoc causatur continuitas in motu locali eius; ita etiam Angelus potest dimittere successiuè locum diuisibilem in quo prius erat; & sic motus eius erit continuus.* In quibus verbis duo tanquam certa obseruanda sunt, quæ breuiter nunc significabo. Primum est nos consentaneè ad mentem A. Doctoris ex partibus sibi succedentibus motus ad eius continuitatem, & ex eo quod sit totus simul ad eius durationem momentaneam tum in nostra propositione tum etiam in Albertum argumentatos esse. Vtrumque enim patet ex verbis allatis. Alterum est, de Angelici motus continuitate philosophandum esse habita proportione ad motum corporis. Vt quemadmodum ex eo est continuus corporum motus, quod non simul sed successiuè acquiritur locus; ita ex eodem Angeli quoque motus habeat continuitatem.

Quod etiam expressiùs patet ex solutione ad 1. in eodem art. vbi ait: demonstrationem Aristotelis 6. Phys. (quòd scilicet omne quod mouetur partim debeat esse in termino à quo, partim in termino ad quem) posse habere etiam locum in motu Angeli continuo non momentaneo, & *sic concedi potest* inquit *quod Angelus dum mouetur partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, vt tamen partialitas non referatur ad substantiam Angeli, sed ad locum, quia in principio sui motus continui Angelus est in toto loco diuisibili à quo incipit moueri; sed dum est in ipso moueri est in parte primi loci quem deserit, & in parte secũdi loci quem occupat, &c.* Non minus clarè loquitur a. 2. vbi ex eo quod motus Angeli sit continuus, docet tunc motum ipsum debere esse per medium: Quia *ordo* inquit *prioris & posterioris in motu continuo est secundũ ordinem prioris & posterioris in magnitudine, vt dicitur in 4. Phys.* Ergo sensit queadmodum motus corporum est cõtinuus ex eo quod ordine quodam pertransitur priùs vna pars spatij quàm alia, vt docet Aristoteles in eo lib. 4. Phys. contex. 99. ita & motum Angeli esse continuum ex eo quod ipse applicat suam virtutem prius vni loci parti quam alteri, sic prius deserendo vnam loci partem quam aliam. Posset confirmari ex iis quę docet a. 3. sed præstat ea differre in eum locum. Cõstat ergo meliùs A. Doctori hic hui⁹ rei circa motum Angeli continuum perspectam fuisse veritatem. Ex quibus etiam patet quomodo respondendum sit ad hanc auctoritatem A. Doctoris, quam notaui pro prima sententia.

Satisfit argumentis, disputatúrque de medio An & quomodo sit causa continuitatis motus apud Aristotelem. §. 5.

Albertus. Ex his respóderi potest ad argumenta primæ sententiæ in parte Negante. Ad primum enim ex Alberto dico ex illa Damasceni auctoritate nihil plus haberi, quàm Angelos velocissimè exequi diuina mandata. Ideò dixit ibi: *Ad explendam porrò Dei volũtatem fortes ac prompti sunt, eâque naturæ celeritate præditi, vt vbi Dei nutus iusserit, illic statim inueniantur.* Significat ergo summam naturæ celeritatem ad obeunda vbique locorum munia ipsis à Deo iniuncta; non autem quod moueri nisi momento non possint. Falsum autem est quod subdit ibi Albertus; nempe particulam *confestim* significare momentũ & Nunc. Non enim apud Latinos alium habet sensum, nisi perinde sit, ac sine mora; quod potest etiam esse si breuissimo tempore fiat. Tunc enim confestim ac statim fieri dicitur; vt cum dicitur Mulier confestim huc aduolauit; Cæsar confestim exercitum adesse iussit & similia; & hoc modo A. Doctor in 4. d. 44. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. ad 1. ex eo quod id quod parum deest nihil deesse videtur ex Aristotele libro 2. Phys. cont. 56. *Dicimus* inquit *statim facio quod post modicum tempus fiet*, & hoc modo interpretatur Augustinum libro 12. de Ciu. Dei dicentem, Vbicunque voluerit spiritus ibi statim fore corpus, loqués de corporibus gloriosis. Intelligi ergo oportet Damascenum loqui, vt Angeli confestim sint vbi adesse volunt vel momento vel breuissimo tempore. Quo pacto Angelus Prophetam Abacucum capitis capillo confestim transtulit Babylonem. Dicitur enim Danielis vlt. *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, &c. posuitque eum supra lacum in impetu spiritus sui.* A. Doctor. Aristoteles. S. August. Dan. vlt.

Ad secundum dico quid Aristoteles ibi velit nos dicturos infrà. Certum in præsentia sit, Aristotelem loqui non de quocunque indiuisibili, sed de eo quod est quantitatis, quod negat per se ab ipsa quantitate separatum moueri posse, licèt concedat moueri in quantitate & per accidens. Sed esto moueri non possit indiuisibile; quod scilicet locum indiuisibilem occupet. Tamen quod nunc ad rem nostram facit, dicimus vnà cum A. Doctore hic ad 1. vt vidimus, Angelum moueri motu continuo posse quando per locum diuisibilem mouetur. Tũc enim partim est in termino à quo partim in termino ad quem; vt explicauimus ex A. Doctore in quinto nostro Corollario.

Ad Tertium dico, Vtrùm tota successio & cõtinuitas proueniat ex medij resistentia an secus; disputatum alibi esse à nobis lib. 4. Phys. & nonnulla dicta sunt suprà. Sed quicquid sit de naturali vi corporum motrice, negandum non videtur posse esse motum successiuum & continuum etiam vbi nullum est corpus ambiens; Vt si Deus impelleret vniuersum motu recto, vel sublatis ex cœli complexu elementis moueretur aliquod corpus ab vno in alium polum;

& aliis modis, vt ex Peripateticis ostẽdimus nos eadem Disput. lib. 4. Phys. addidimúsque posse esse successionem ex aliis multis capitibus, vt ex virtutis determinatione; ex quantitate mobilis &c. Sanè vt ait A. Doctor in 4. loco cit. ad 2. docet in motu cœli nullam esse resistentiam per quam eius motus sit continuus, nisi ex quantitate mobilis, cum ibi nullum sit medium quod obsistat. *Quando* inquit *in motu non est resistentia nisi ex parte mobilis, sicut accidit in corporibus cœlestibus, tunc tempus motuum mensuratur ex proportione motoris ad mobile; & in talibus non procedit ratio Philosophi* libro 4. Phys. cont. 71. *quia amoto omni medio adhuc manet motus eorum in tempore* &c. Quæ omnia vera sunt ibique à nobis fusiùs comprobata. Cæterùm esto resistentia solùm oriatur ex medio, dico tum esse etiam hanc resistentiam in Angelico motu. Nam posito quod Angelus velit de vno loco ad alium transire per medium, necesse est vt priùs in medio sit, quàm in termino ad quem. Implicat enim vt per mediũ transeat quin priùs sit in illo, vt seq. art. probabitur. Atque hoc quidem pacto medium etiam dici potest resistere: quia scilicet repugnantia est ex medio. vt si per ipsum fiat transitus, eodem momento mobile quodque illud sit, in medio atque in termino ad quem simul sit.

A. Doctor.

Ad Aristotelem autem dico verum esse quod ait ipse in eo cont. 71. nimirum non futurum motũ in vacuo nisi momentaneũ, ob eius argumenta quæ retulimus. Ipse enim disserit de motu corporum grauium & leuium, quorum virtutes motrices sunt determinatæ ad mouendum in tali & tali medio, tanto vel tanto tempore. Quare si remoueatur quodcunque medium, nõ habent definitam ac certam rationem mouendi; atque ita vel simpliciter non mouebunt; vel si moueant mouere debẽt in instanti: quia ad motum continuum nullam habent determinationem. & ita vacuum ad motum non iuuat, quod veteres putabant, in quos Aristoteles ibi argumentabatur.

Aristoteles. Id autem colligit Aristoteles subtili, atque vt apparet vera obseruatione. Nã cont. 71. sic progreditur. Sit mobile A. quod moueatur per medium spatium B. nempe aqua; in tanto tempore sit C. vna hora. Idemque mobile moueatur postea per æquale medium, subtilius tamen aqua; sit aër D. Tunc argumentum fiat hoc pacto. Videmus in ea proportione velociorem esse motum eiusdẽ mobilis per medium subtilius nempe aërem, in qua proportione medium subtilius scilicet aër est subtilius medio quod est aqua; vt scilicet si aër sit duplò subtilior aqua; motus per aërem sit duplò velocior, quam motus per aquã. idque quia medium subtilius minus resistit in mobilis motionem. Quare si motus per aquam spatio vnius horæ fiat, iam motus per aërem fiet ob duplò maiorem velocitatem spatio horę dimidiatæ. Ex quibus colligitur Aristoteli totam obsistentiam prouenire ex medio comparatè ad vim motiuam mobilis; nempe grauium & leuium. Etenim quò magis vel minus mediũ obsistit mobili eo quod densius aut rarius sit; eò maior vel minor velocitas æquali proportione etiam Arithmetica, quam in nostro casu diximus duplam. Ergo tantum diminuitur & augetur temporis, in quo fit motus velocior & minus velox, quantum diminuitur vel augetur de medij resistentia. Ergo tota resistentia est ex

A medio. quod quidem verum est, si vera sit experientia ex qua infertur huiusmodi consecutio. Quam etiam doctrinam confirmat idem Aristoteles libro 7. Phys. cont. 35.

Dico ergo ad argumentum. Esto oriatur tota resistentia ex medio in virtutem motricem grauium & leuium, de qua solùm loquitur Aristoteles ibi & deinceps: tamen dico in Angelico motu non esse huiusmodi vim motricem, sed aliam longè perfectiorem; nimirum quæ motũ efficiat velociorem & minus velocem ex præscripto voluntatis Angelicæ cuius arbitrio subest. Quemadmodum virtus ambulandi & cæteræ virtutes mouentes in nobis, quæ non mouẽt intra suas vires nisi ex rationis præscripto, se voluntati attemperant, ex eaque motum suum dirigunt. Quantumuis ergo nulla medij spatij

B sit obsistentia in vim illam Angeli motricem; est tamen tantæ ac tantæ successionis & continuitatis præscriptio ac definitio ex legibus voluntatis. Vnde si fieret siue noster siue Angelicus motus in vacuo, posset quantum est ex se successiuè fieri, quia virtus illa attemperaretur arbitrio voluntatis, vt tanta successione moueret. Itaque nego consequentiam argumento, & paritatem quam supponit; & eodem modo soluitur quintum argumentum & sextum. Præterquam vt antè diximus resistentiam in motu Angelico assignamus ex medio, cum per illud mouentur Angeli, ne scilicet moueantur per

C medium ac simul sint in termino, quod repugnare diximus modò.

Ad quartum respondeo etiam in Angelo spatium esse causam veluti materialẽ continuitatis in motu, ex eo quod habet partes quarum vni prius Angelus applicat sese quam alteri. vnde si nullæ partes omninò esset, sed prorsus quid vsquequaque indiuisibile, non esset causa vt sic dicam materialis ad successionem. Aio ergo non cessare huiusmodi causam. Vnde quod corpora ex sua mole & quadam necessitate faciunt, vt se partib. interiecti spatij prioribus & sibi vicinioribus applicent prius quàm remotiorib. id Angelo est ex arbitrio vel simpliciter quia possit se

D remotiorib. posthabitis intermediis præsentem exhibere (de qua re dicã art. vlt.) vel secundum quid, atque ex hypothesi; si nimirum velit se mouere in distantem locum tanta vel tanta velocitate per medium spatium, vt infrà dicetur. Nego igitur cessare eam rationem quam sumit in argumento, & modo explicato. Pro hac solutione vide quæ ex A. Doctore in hoc a. 1. ad 1. diximus in nostro vltimo Corollario.

Ad quintũ ex Aristotele patet ex dictis ad 1. & eodem modo responsum sit ad 6. vt significauimus ibidem ad 1. quia argumenta valent de medio & vacuo comparatè ad vim motricem grauium & leuium, quorum motus definiuntur

Aristoteles.

E medio quoad successionem, quod non accidit virtuti Angelicæ, quæ ratione & arbitrio ducitur. Dico igitur semper motũ Angeli posse esse velociorem quocunque motu corporis. Virtus enim eius motrix licet Angelũ applicet medio, ex quo in eius motum vt antè dicebam est aliqua obsistentia; non tamen eodem modo eius velocitas retardatur medio, quomodo retardatur virtus corporis. Et ita siue fiat medium subtilius siue densius perinde est virtuti Angelicæ. Quo posito ruit omne illud quod dicitur de proportione medij ad medium & motus ad motum.

Ad

Gregorius. Ad ſeptimum reſpondet ibi Gregorius in ſolutione tertij, non eſſe abſurdum, ſi Angelus nobilior non ſuperet inferiorem quoad motus celeritatem. Non enim nobilior virtus Angelis eſt ex eo quòd ſe celeriore motu moueant; ſed ex eo quòd plura corpora & maiora eáque meliùs ac velociùs mouere poſſit. Nam nobilioris Angeli vis maius corpus quàm alter minùs nobilis mouere poteſt, & idem vel æquale velociùs. Neque eſt neceſſe vt quælibet virtus quomodocunque maior in quolibet effectu ſuperare minorem poſſit. Quod patet quoque in corporibus. Nam corpus illuſtrius non velociùs ac citiùs illuminabit partem aëris proximam, quàm corpus minus lucidum, quandoquidem vtrumque illuminat in inſtanti totam. Id verò in quo corpus magis luminoſum excedit vim minus luminoſi eſt, quod poſſit perfectiùs & in corpora magis diſſita, atque in ampliorem ſphæram. Hæc Gregorius & benè.

Gregorius. Addit Gregorius ſi foret vacuum, æquali duratione futurum motum grauioris & minus grauis corporis: eo quod cùm nulla vtrimque reſiſtentia eſſet, vtriuſque motus momentaneus perageretur. Sed hoc non probo, quia aliquam ſucceſſionem eſſe poſſe ex virtute motrice antea nobis dictum eſt. Negandum ergo eſt id eſſe abſurdum aut Ariſtoteli aduerſari. Is enim ſolùm ab inæquali virtute neceſſaria, comparata ad idem medium æquè velociter futurum motum putat eſſe abſurdum: Non autem putabit abſurdum ab inæquali virtute eorum quæ mouentur vel ex appetitu vel voluntate prouenire motum æquè velocem etiam circa idem mediũ, quia poteſt experientia contrarium doceri. Neque putabit abſurdum eoſdem motus eſſe æquè veloces ab inæquali virtute circa medium, quod non reſiſtit vt diximus de illuminatione, & ideò momentaneas concedit alterationes contra Meliſſum Ariſtoteles libro primo Phyſ. cont. 23. vt antè docuimus.

Io. Maior. Ad octauum argumentum ex Ioanne Maiore, diſtinguo Maiorem. Si potentia motrix moueat ex neceſſitate naturæ veram eam eſſe. Sin ex libertate, falſam. quia tunc mouet ex iudicio rationis, quâ poteſt repræſentari bonum eſſe ad finem Angeli mouere ſucceſſiuè & non in inſtanti; vt de facto fuit cum Angelus comitatus eſt Tobiam vt ſuprà dixi. Quod autem addit de graui ex Ariſtotele patet ex dictis.

Argentina. Ad nonum benè reſpondet ibi Argentina non eſſe parem rationem de lumine quo aër illuminatur, & de mobili quod per aërem mouetur. Lumen enim propriè non mouetur per aërem. Sunt enim in aëre luminis continuæ generationes, cum in parte remotiore à corpore luminoſo ingeneretur lumen per lumen in parte eidem propinquiore. quanquam enim eæ generationes momentaneæ ſint omnes & vnico inſtanti ſimul ſint, tamen vna aliam præcedit ordine cauſæ & originis, eo quod vt dixi remotior à propinquiore dependet. Quamobrem cùm eadem Angeli entitas verè nunc ſit in vno loco nunc in alio, ipſa verè tranſit & mouetur de vno loco in alium. At lumen quia idem non eſt nunc in vno nunc in alio loco; ſed eius variæ partes in variis medij partibus adgenerentur, lumen ipſum verè non mouetur.

Ad argumentum igitur in forma reſpondeatur: Eſto vera ſit Maior, negatur Minor. Neque A enim verũ eſt, radios propriè tranſire ab Oriente in Occidentem cum iidem non mutent locum, vt dictum eſt. Ariſtoteles autem ibi aduerſus Empedoclem non docet radios tranſire in inſtanti ab vno loco in alium, ſed ſolùm arguit Empedoclem quod diceret: *quod feratur lumen & extendatur inter terram & continens, nos autem lateat.* Oſtendit autem Ariſtoteles eius doctrinam dupliciter falſam eſſe. nimirum quod eſt contra rationẽ quam ſubiicet Ariſtoteles. quia ſcilicet in cõtextu proximè antè dixerat lumen eſſe actũ corporis perſpicui. ergo lumen nõ fertur. Et prætera experientiæ aduerſatur; quia ſcilicet in tanta diſtantia non lateret nos huiuſmodi motus. *In paruo enim ſpatio lateret nos* inquit, *ab Oriente autem* B *in Occidẽs latere magna quidem multũ petitio eſt.* Quare argumentum potiùs in doctrina Ariſtotelis pugnare dicendum eſt. (Ariſtoteles. Empedocl.)


Ad decimum eſto animus moueatur in inſtanti cum ſeparatur à corpore ob rationem quę in argumento tangitur: Tamen nego id eſſe neceſſarium. Quod etiam patet: quia cum apparẽt animi in corpore aſſumpto, mouent illud motu ſucceſſiuo & continuo. Ergo & ſeipſos mouere ſucceſſiuè & continuè queunt. Quæ conſecutio eodem modo firmanda eſt, quo eam deduximus in vltima noſtræ propoſitionis confirmatione in hac eadem Difficultate.

C

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Angelus trãſeat per medium.

1. d. 37. q. 4. a. 2. & Quol. 1. q. 3. a. 2. & ver. q. 1. a. 13. 14.



D ſecundum ſic proceditur. Videtur quod Angelus non tranſeat per medium. Omne enim quod pertrãſit medium, priùs pertranſit locum ſibi æqualem quàm maiorem. Locus autẽ æqualis Angeli qui eſt indiuiſibilis, eſt locus punctualis. Si ergo Angelus in ſuo motu pertranſit medium, D *oportet quod numeret puncta infinita in ſuo motu. quod eſt impoſſibile.*

2. Præterea Angelus eſt ſimplicioris ſubſtantiæ quàm anima noſtra. Sed anima noſtra ſua cogitatione poteſt tranſire de vno extremo in aliud non pertranſeundo mediũ. Poſſum enim cogitare Galliã, & poſtea Syriam, nihil cogitãdo de Italia quæ eſt in medio. Ergo multo magis Angelus poteſt de vno extremo tranſire ad aliud non per medium.

Sed cõtrà. Si Angelus mouetur de vno loco ad E *alium quando eſt in termino ad quem, non mouetur: ſed mutatus eſt. Sed ante omne mutatum eſſe præcedit mutari. Ergo alicubi exiſtens mouebatur. Sed non mouebatur dum erat in termino à quo. Mouebatur ergo dum erat in medio. Et ita oportet quod pertranſeat medium.*

*Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt *, motus localis Angeli poteſt eſſe continuus & non continuus. Si ergo ſit continuus, non poteſt Angelus moueri de vno extremo in alterum quin tranſeat per medium. quia vt dicitur in ſexto Phyſicorum †, medium* eſt

* art. præced.

† lib. 5. t. 22. & libr. 6. ex t. 77.

est in quod priùs venit, quod continuè mutatur, quàm in quod mutatur vltimum. Ordo enim prioris & posterioris in motu continuo est secūdum ordinem prioris & posterioris in magnitudine, vt dicitur in 4. Phys. Si autem motus Angeli non sit continuus, possibile est quod pertranseat de aliquo extremo in aliud nō pertransito medio. Quod sic patet. Inter qualibet enim duo extrema loca sunt infinita loca media siue accipiantur loca diuisibilia siue indiuisibilia. Et de indiuisibilibus manifestum est, quia inter qualibet duo puncta sunt infinita pūcta media, cum nulla duo puncta consequantur se inuicem sine medio; vt in 6. Phys.* probatur. De locis autem diuisibilibus necesse est hoc dicere. & hoc demonstratur ex motu continuo alicuius corporis. Corpus enim non mouetur de loco ad locum nisi in tempore. In toto autem tempore mensurante motum corporis non est accipere duo nūc, in quibus corpus quod mouetur non sit in alio & alio loco. Quia si in vno & eodem loco esset in duobus nunc, sequeretur quod ibi quiesceret: cum nihil aliud sit quiescere, quàm in loco eodem esse nunc & prius. Cum igitur inter primum nunc & vltimum temporis mensurantis motum sunt infinita nunc, oportet quod inter primū locum à quo incipit moueri, & vltimum locum ad quem terminatur motus sint infinita loca. Et hoc sic etiam sensibiliter apparet. sit enim vnum corpus vnius palmi, & sit via per quam trāsit duorum palmorum; manifestum est quòd locus primus à quo incipit motus est vnius palmi; & locus ad quem terminatur motus est alterius palmi. Manifestum est autem quòd quando incipit moueri, paulatim deserit primum palmum, & subintrat secūdum. Secundum ergo quod diuiditur magnitudo palmi, secundum hoc multiplicantur loca media: quia quodlibet punctū signatū in magnitudine primi palmi est principium vnius loci, & punctum signatum in magnitudine alterius palmi est terminus eiusdem. Vnde cum magnitudo sit diuisibilis in infinitum, & puncta sint etiam infinita in potentia in qualibet magnitudine, sequitur quòd inter qualibet duo loca sint infinita loca media. Mobile autem infinitatem mediorū locorum non consumit nisi per continuitatem motus: Quia sicut loca media sunt infinita in potentia, ita & in motu continuo est accipere infinita quædam in potentia. Si ergo motus non sit continuus, omnes partes motus erūt numeratæ in actu. Si ergo mobile quodcumque moueatur motu non continuo, sequitur quod vel non transeat omnia media; vel quod actu numeret media infinita. quod est impossibile. Sic igitur secundum quod motus Angeli non est continuus, non pertransit omnia media. Hoc autem scilicet moueri de extremo in extremum & non per medium potest conuenire Angelo, sed non corpori: quia corpus mensuratur & continetur sub loco. Vnde oportet quod sequatur leges*

*lib.4.phys. t.99.to.4.

*lib.6.Phys. à princ.lib. per 10.tex. to.2.

A *loci in suo motu. Sed substantia Angeli non est subdita loco vt contenta, sed est superior eo vt continens. Vnde in potestate eius est applicare se loco prout vult vel per medium vel sine medio.*

Ad primum ergo dicendum, quòd locus Angeli non accipitur ei æqualis secundum magnitudinem, sed secundùm contactum virtutis. Et sic locus Angeli potest esse diuisibilis, & non semper punctalis. Sed tamen loca media etiam diuisibilia sunt infinita, vt dictum est. Sed consumuntur per continuitatem motus; vt patet ex prædictis.*

*in corp. art.

B *Ad secundum dicendum, quòd Angelus dum mouetur localiter applicatur eius essentia diuersis locis; animæ autem essentia non applicatur rebus quas cogitat, sed potiùs res cogitatæ sunt in ipsa. Et ideo non est simile.*

Ad tertium dicendum, quòd in motu continuo mutatum esse non est pars moueri, sed terminus. Vnde oportet quod moueri sit ante mutatum esse. Et ideò oportet quod talis motus sit per mediū. sed in motu non continuo mutatum esse est pars; sicut vnitas est pars numeri. Vnde successio diuersorum locorum etiam sine medio

C *constituit talem motum.*

Explanatio & Confirmatio eorum quæ hic dicuntur.

RESpondet A. Doctor præmissa distinctione: Si motus Angeli sit continuus, non posse transire de vno extremo in aliud quin transeat per medium. Probat: Quia illud continuè mutatur quod priùs venit in medium, quàm in extremum, vt patet ex Aristotele libro 5. Phys. cont. 22. & lib. 6. cont. 77. Si ergo Angelus continuè

A. Doctor.

D moueatur secundum locum, prius debet transire per medium, quam ad extrema loca perueniat.

Sin autem Angeli motus non sit continuus; potest ipse pertransire de aliquo extremo in extremum non pertransito medio. Probat: quia si motus non sit continuus, non potest pertransire omnia media: quia cùm media inter vtrumque extremum sint infinita, aut non pertransibit omnia, aut pertransiet infinita. Si autem non pertransit omnia. ergo mobile pertransit de aliquo extremo in extremū sine aliquo medio; ac proinde potest peruenire ad extremum nullo medio

E pertrāsito: quia non est ratio maior vnius quam alterius. Consequentia est certa: quia si nō pertransit omnia; ergo aliqua præteruolat, ac prætermittit. & tunc erit de extremo in extremum non pertransito aliquo medio. Antecedens quòd sint infinita media probat: quia media inter quæcunque duo loca extrema sunt infinita tum quoad puncta tum quoad partes continuas. possunt enim in eo continuo intermedio assignari infinitæ partes spatij, & infinita puncta; atque ita sunt infinita loca media siue diuidua siue nō diuidua. Ergo si motu non continuo pertransiret Angelus omnia media, sequitur omnes partes

tes medij seu quod idem est omnia loca intermedia esse numerata actu. quod est impossibile; quia scilicet infinitum non potest pertransiri numerando. ergo non omnia media loca pertransiet Angelus motu non continuo. Huc spectat ratio A. Doctoris.

Doctrinæ huius articuli consentire alia loca A. Doctoris. §. 1.

A. Doctor. Doctrinæ huic præsentis articuli est valde affinis illa quam tradit idem A. Doctor quol. 1. q. 3. a. 1. seu 5. vbi hanc eandem quæstionem ex instituto tractat. Ait enim in corp. Angelum si vult (quia est in loco non per adæquationem sui cum loco vt corpora sunt, sed per contactum virtutis) *posse pertransire omnia media & moueri de extremo in aliud absque hoc quod pertranseat medium.* & ad 1. ait apertè si pertransire medium debeat, eius motum tunc debere esse continuum, quia priùs debet auctore Aristotele (Aristoteles.) libro 6. Phys. pertransire medium, quàm perueniatur ad extremum. Vnde ad 3. ait ibidem Angelum *posse continuè moueri, sicut aliquid in loco diuisibile existens continue intercipiendo spatium; secũdum verò quod in loco indiuisibili est, non posse eius motum esse continuum, nec pertransire omnia media.*

Itaque duo doctrinæ præsentis articuli omninò consentanea docet A. Doctor (A. Doctor.); nimirum si sit continuus motus debere pertrãsiri medium, ac proinde posse pertransiri omnia media, quæ interiacent inter vtrumque extremum. Secus si motus non sit continuus. Tunc enim non potest nec omnia media nec vnum medium pertransire: Et præterea in Angeli potestate esse, altero ex his modis moueri: quia cum non sit in loco per contactus dimensionum, sed per contactum virtutis, *voluntati suæ subest* inquit *quod applicet se per contactum virtutis huic loco & illi; & si vult absque medio.* Quod etiam confirmat exemplo, quo præsens doctrina non malè explicari potest. *Sicut etiam intellectus potest* inquit *applicari intelligendo vni extremo puta albo, & postea nigro; indifferenter vel cogitando vel non cogitando de mediis coloribus, quamuis subiectum colori non possit moueri de albo in nigrum nisi per medium.* Atque hæc ex illo opusculo satis vt dixi consentaneè.

At in 1. d. 37. q. 4. a. 2. in quo de eadem materia disceptat longè diuersa ab vtroque loco docuit. Cum etenim ibi art. 1. vt supra Difficult. vlt. in nostro vlt. Corollario retuli, probasset nullum Angeli motum posse esse continuum quod ipsum approbat in eo art. 2. ad 1. expressè ait in eiusdem art. 2. corp. Angelum posse pertransire omnia loca intermedia, si circa illa omnia operetur; posse etiam vel nullum vel aliquod pertransire si vel circa nullum vel circa aliquod operetur. *Non enim operatio ad distans* inquit *dependet ab operatione ad propinquum. Vnde secundum quod habet aliquid operari vel in omnibus mediis locis, vel in aliquibus vel in nullis, secundum hoc potest pertransire omnia media vel quædam vel nullum.*

Quod si obiicias si omnia media pertranseat, sequi ipsum numerare omnia loca; Respondet ibi ad 5. *quod Angelus potest pertransire omnia media, non tamen apparet quod numeret infinita puncta existentia in linea. quia locus in quo est Angelus non semper est indiuisibilis*, &c. *& cum nullum spatium finitum diuidatur in infinita diuisibilia actu accepta, constat quod omnia media pertransire potest*; nimirũ absque eo quòd numeret infinita. Reddit rationem ad 6. ibidem magis distinctè cur media non sint infinita: *Quia media* inquit *possunt accipi diuisibilia, & hæc finita sunt: vel indiuisibilia, quæ infinita sunt & pertransiri si actu numerentur non possunt.*

Discrimen inter huius articuli aliorumque locorum doctrinam traditur. §. 2.

Ex quibus omnibus huius doctrinæ & eius quam tradidit in hoc art. & in illo quodlibeto discrimen patet. & quanto profundiùs ac veriùs in his locis senex, quàm in eo lib. 1. adolescens ferè, philosophatus sit. In hoc enim articulo (& quod de hoc scribo idem dictum volo de illo quodlibeto) primum docet motum esse continuum quod ibi negat, vt obseruaui superiore art. Difficult. vlt. in vlt. nostro Corollario.

Secundò hic docet motu continuo pertransiri posse omnia media; non item si motus cõtinuus non sit. Vtriusque rationem optimam affert. Ac primum quidem de continuo. Cum enim mobile motu continuo transit omnia media, tunc *infinitatem locorum mediorum non consumit nisi per continuitatem motus.* Quod quidem absurdũ non est. Non enim absurdum est in motu continuo pertransiri infinita non actu sed potentia: *quia sicut* inquit *loca media sunt infinita in potentia; ita & in motu continuo est accipere infinita quædam in potentia.* Quam responsionem puto A. Doctorem desumpsisse ex Aristotele libro 8. Phys. cont. 68. vbi postquàm Zenonis argumẽtum ex eiusdem doctrina dissoluit (quomodo scilicet contingat infinita in motu pertransiri) Aristoteles posuit suam. (Aristoteles.) *In continuo* inquit *insunt quidem infinita dimidia sed non actu sed potentia*, &c. *Quare dicendum est ad interrogantem si contingit infinita transire aut in tempore aut in longitudine: quod est quidem sic, est autem non sic. Actu enim si sint, non contingit; potentia autem*, nempe si sint infinita, *cõtingit. Qui enim continuè mouetur secundum accidens infinita trãsiuit, simpliciter autem non. Accidit enim lineæ infinita similia esse.* Quia scilicet ei accidit designatione partiũ, non quia substantialiter sint partes infinitæ. sed pro hac ipsa re vide quæ dico infrà ad argumenta primæ Difficultatis. De motu autem non continuo sic rationem ponit: Nam si motus non sit continuus, omnes partes motus erunt numeratæ actu. ergo *sequitur quod mobile actu numeret media infinita*; nempe per contactum illarum partium. *quod est* inquit *impossibile.* ergo motu non continuo non pertranseuntur omnia media. At verò in eo lib. 1. huic vtrique dicto ex aduerso ponit pugnantia. Nam concedit motu non continuo omnia media pertransiri, vt vidimus. Neque hinc sequi putat pertransiri infinita, quia locus in quo est Angelus non semper est indiuisibilis, & quia nullum finitum diuiditur in infinita actu accepta, vt ex eo retulimus. Quare si motu non continuo moueatur Angelus, negat attactu designari infinita in finito spatio; quod tamen hic expressè concluserat vt vidimus, & postea examinabitur.

Denique in hoc articulo dixit: si motu non conti

continuo mobile moueatur per omnia media, sequi numerari omnia media siue diuidua siue indiuidua. Ibi verò ait numerari non posse indiuisibilia, & si actu numerentur pertransiri non posse. quasi velit distinguere enumerationem ipsorum à contactu & motu; cùm tamen in hoc art. idem apud ipsum sit media numerari, & ea attingi motus attactu, & veluti saltibus, ipsius motus continui omnia illa spatia.

Concludendum ergo longè aliter sensisse senem A. Doctorem, ac iuuenem docuisse plerunque in sententiarum libris. Ideóque quæ diuiniore hoc opere exarata sunt, instar veritatis oracula attentiore cura studióque non vulgari perscrutanda. Qua in re

Notandum est quoad priorem partem doctrinæ huius articuli ex A. Doctore relatę, nempe de motu continuo non esse difficultatem inter Theologos, An pertranseant media. Nam omninò ea ratione demonstratur motum successiuum seu continuum debere esse per medium, quod priùs debet pertransiri, quàm perueniatur ad extremum in motu continuo vt ex Aristotele ipse probat in contextu. Atque ita nihil ferè deinceps hac de re à nobis disputabitur. Quod verò attinet ad alteram partem non est parua Difficultas. & ideo nobis in præsenti examinanda.

QVÆSITVM VNICVM,

Vtrùm & quomodo Angelus in motu debeat pertransire media spatia dum tendit ad loca extrema.

Difficultatem hic facit motus per medium. Sitne necesse illud ipsum medium pertransiri ab Angelo in motu non cótinuo. Quod hic ab A. Doctore in controuersiam vocatum est. Nam de continuo motu Angelico non est Difficultas vt diximus modò in Notando. quanquam disputari posset de motu corporum si cótinuo motu in orbem moueantur. Nullum enim tunc videtur medium per quod ipsa eant. Sed certe hic corporum motus in orbem non facit ad nostram Quæstionem; quandoquidem de Angelico motu disputamus, quem scimus non posse esse in orbem. Nam omne quod circumuoluitur debet saltem secundum partes variare distantiam, & modum quem distantia consequitur, vt patet in motu cæli. Angelus autem cùm careat partibus non potest secundum illas variare huiusmodi modum & distantiam, atque ita non potest circumuolui. sed si mouetur alio motu continuo, per medium moueri necesse est.

Immò demus quoque Angelum moueri in orbem, & occupare suum determinatum spatiũ; quia non est vbique; & sit spatium centum mille palmorum v. gr. si circumuoluatur in orbem sanè non occupabit idem spatium fixum. quorsum enim semper in eodem loco circumageretur? ergo aliud & aliud acquiret spatium etiam dum mouetur circa centrum. Vt si moueretur circa Vrbis mœnia; & Capitolium esset vrbis centrum, tunc motu ipso acquireret spatium nunc portæ Capenæ, nunc Hostiensis, nunc Portuensis, &c. ergo in illo circulo & orbe semper moueri posset per medium. Vnde dispar est ratio

A tio motus qui esset tũc in Angelo, & corporum cœlestium dum mouentur circa centrum. Nam quia hæc sua mole complectuntur totum spatium, per quod ab Angelo circũducuntur, ipsum totũ cœleste corpus non acquirit aliud & aliud spatium cùm sit semper intra suum, ac proinde esto non moueantur per medium. At Angelus cum illud spatium in quo mouetur, non complectatur, necesse est si moueatur de loco in locum acquirat aliud & aliud, ac proinde si moueatur successiuè & continuè moueatur prius per vnam partem illius, deinde per aliam, ac proinde per medium. quanquam dum agitur ab Aristotele de motu locali, simpliciter puto semper

B intelligendum esse motum rectum non orbicularem, vt ostendi lib. 4. Phys. & ideò A. Doctorem more Peripatetici locutũ esse arbitror, dum motu continuo existimauit mobile simpliciter oportere transire per medium. Sed vt vt res se habeat, supponamus in præsentia motum Angeli continuum debere esse rectum, ac proinde per medium; & quæramus quomodo id verum sit eo modo quo in titulo proposuimus. Sit autem in hoc quæsito

PRIMA DIFFICVLTAS,

C

Vtrùm vera sit ratio A. Doctoris, qua in hoc art. 2. probat motum non continuum Angeli non esse per medium.

NOn desunt Recentiores, quibus videtur ratio A. Doctoris allata nullius efficacitatis esse. Primò, quia per motum non cótinuum aut intelligit momentaneum aut non momentaneũ. Si detur primum, contrà est; quia seq. art. 3. A. Doctor negat motum Angeli esse posse in instanti. Sin dicatur secũdum; ergo intelligit con-

D tinuum: quia ex Aristotele libro 4. Phys. contex. 71. non datur motus tertius vltra mométaneum & continuum. Nam ex eo quòd mobile in vacuo nullam habiturum esset medij obsistẽtiam, negat posse esse continuum; infertque si in vacuo mobile moueatur, fore momentaneum eius motum. Ergo per motum non continuum intelligit continuum. quod ex terminis ipsis repugnat.

Secundò, quia ait fore vt Angelus si moueatur motu non continuo per medium, numerando pertranseat omnia loca quæ sunt infinita. Hoc autem falsum est: Nam supponit Angelum numerare media dum ea percurrit. At potest Angelus non numerare, cùm possit non

E exercere huiusmodi functionem intellectus, quæ est enumerare vnitates, & colligere eas in certum numerum. Quod si enumerare intelligat idem quod attingere per contactum & applicationem suæ substantiæ; Contrà est; quia etiam corpus mobile dum mouetur motu continuo, attingit per contactum & applicationem suæ substantiæ, omnia loca media & puncta assignabilia illius spatij, per quod transit; vt si sphæra super planum moueatur, puncto attinget illud planum quoad omnia puncta & partes extensas in linea, quam in eodem motu designabit, dum rectà aut etiam obliquè mouetur attingendo planum ipsum in eodem puncto:

Tunc

Tunc ergo illud punctum attinget suo cõtactu omnia puncta illius lineæ & partes extensas: quia nulla est quam prætermittat. Alioqui ille motus non continuaretur super lineam sed interrumperetur in aliqua particula temporis, dũ veluti saltu transiliret partem illam lineæ quam prætermittit.quod est absurdum.

At contrà est auctoritas A. Doctoris, qui ea ratione se rem propositam demonstrasse autumat; nec immeritò, vt ex dicendis iam apertè constabit.

Continuationem motus continuationi temporis respondere, idque siue per loca communicantia, siue non communicantia. §. I.

AD solutionem Notandũ est mihi non videri verum quod aliqui non vulgares interpretes in hunc articulum comminiscuntur; nimirum si Angelus moueretur ita, vt locum v.gr. decem pedum quem occupabat relinqueret simul & acquireret alium locum decem pedum proximè seu immediatè consequentem atque finitimũ, non fore huiusmodi motum continuum, etiamsi tempore continuo moueretur. Eius rei rationem afferunt: *Quia non sufficit* inquiunt *ad continuationem motus continuatio temporis in quo motus fit, sed requiritur etiam continuatio spatij in quo moueatur.* quod tunc nullum est: quia vt sit spatij continuatio in motu Angelico debet Angelus paulatim relinquere loca communicantia, nempè partialia, quæ extremis locis continentur tanquam eorum partes; vt si relinquendus sit locus duorum palmorum, & subeundus alius proximus duorum item palmorum, loca communicantia erunt palmus & palmi dimidium,&sic in infinitum qui in illis sunt tãquam partes quas vocãt proportionales. Paulatim ergo debet relinquere loca communicantia.quod in eo motu non fit:nam simul relinquit totum, & acquirit totum subsequentem locum.

Hunc ergo philosophandi modum ego nulla ratione probo duplici de causa. Altera est ob auctoritatẽ Aristotelis qui lib. 6. Phys.cont. 37. ait:*necesse esse easdem esse diuisiones & temporis & motus*;nempè quæ sibi vicissim correspondeant.Ergo si tempus in quo est motus diuidi potest in partes,motus etiam ei respondens in partes diuidatur necesse est;Vt v. gr. si motus continuus perseueret vna integra hora, si hora diuidi potest in quatuor quadrantes, hique in minuta,& motus quoque in easdem partes diuidi poterunt quæ sub illis temporis partibus, tanquam sub partiariis mensuris continentur. Quod adeò Aristoteli verum est, vt ob istam motus temporisque partium mutuã exæquationem & commensurationem dixerit nos non tantùm tempore metiri motum,sed etiam motu tempus. *Tempore enim* inquit lib. 4. phys.cont. 112. *motum, motu autem tempus mensuramus.* de qua re suprà dixi a. 1. huius q. Difficult. vlt.in argumentis nostræ propositionis. Si ergo motus est in tempore,erit diuisibilis ac proinde continuus. Non ergo satis rectè negatur ipsum motum fore continuum etiamsi in tempore continuo peragatur.

Aristoteles.

Neque dicat aliquis easdem esse diuisiones temporis & motus in corporibus, de quibus ibi Aristoteles locutus est, non autem si motus &

A tempus sint substantiarum separatarum, quæ cum locorum leges in motu non seruent, neque eas seruare oportet temporis ac motus diuisiones sibi omni ex parte consentientes. Hoc inquam dicere nullus debet.Nam ille motus & tempus substantiarum separatarum sunt quædam formæ continuæ & fluentes, vt ostendi suprà Difficult. vlt. in nostra propositione & in quarto Collolario.ergo possunt subesse mensuræ nostri temporis, vt totæ respondeant alicui toti tempori & partes partibus.Toti quidem: si enim mensuræ permanentes, vt æuum atque æternitas inadæquatè subesse possunt tempori nostro per quod illas metiamur;vt dicamus,Angelos durasse sex millia annorum,acDeum fuisse iam toto tempore quod ab initio Mundi hucusque fluxit, & ante per omne possibile tempus,

B posteàque futurum esse per omnia seculorum interualla;cur eodem modo subesse non poterũt alicui toti nostro tempori illæ formæ fluentes, vt eas tempore metiamur?

Quòd verò partes partibus respondere debeant,patet primò, quia si totum fluens toti etiã fluenti respondet; ergo etiam fluentes partes fluentibus partibus exæquari debent.Non enim est maior ratio totius si continuum sit quam partium:cum in continuo partes eiusdem rationis cum toto esse debeant.Vnde & ob hanc causam eadem mensura totum motum metimur & partes; vt si hora horologij metiamur longissimum motum,eadem hora metimur & eius motus partes.Deinde quia illa continuitas & duratio motus etiam in Angelo est tanta vel tanta;

C vt vnius horæ,vnius diei &c. Et verè dici poterat cùm Angelus comitabatur Tobiam, cum eo integrum diem, horam, quadrantes horæ &c. ambulasse; idque non solùm ratione corporis assumpti, verùm etiam ratione suæ substantiæ, quæ nunc vni loco nunc alteri continuè applicabatur; vt ostendimus eadem Difficult. vlt. in vltima Confirmatione nostræ propositionis.Ergo etiam illa Angelici motus duratio quã tempus saltẽ proportione ad nostrum nominamus & motus ipse diuidi poterunt,vt totæ toti alicui tempori,& partes partibus consentirent.

Quod autem dicunt Angelos non seruare loci leges, id quidem verum est in vno sensu, falsum autem in alio.Si enim intelligatur Angelos

D non necessariò eas loci leges seruare, vt nimirũ non necessariò locum diuiduum occupent, non necessariò interualla pertranseant,motúque cõficiant,& similia, verum est vt ex dictis manifestè constat. At verò si putent non seruari leges loci si medium pertranseant:ita vt non necessariò prius & continuo motu partem mobili propinquiorem Angeli percurrant,quàm remotiorem,falsum apertè est.Non enim possibile est vt prius non pertranseat medium,quam mobile sit in termino ad quem,ac proindè nec possibile est quin prius partem propinquiorem attingant quàm remotiorem. Hæc enim remotior ad illã propinquiorem comparata rationem termini ad

E quem habet; illa verò remotior medij & sic de aliis.Itaque non licet inferre non debere Angelicos motus habere partes tempori respondentes, propterea quòd substantiarum separatarum sunt. Quanquam si in iis est duratio motus secundum prius & posterius, non video cur tempus verè appellari non possit ea ratione qua cæteri corporum particularium motus:cum ad rationem

tionem particularis temporis formalem non necessariò corpora postulentur; nisi fortè vt ea duratio sensilis sit, ac tanquam nota mensura à nobis sumi possit. Atque hæc de priore ratione quę etiam ex proximè sequēti cōfirmari poterit.

Altera ergo ratio est ex euidentibus omninò principiis. Nam motum esse in tempore est contineri tempore tanquam à mensura excedente, vt docet Aristoteles libr. 4. Phys. cont. 117. Vnde cont. 119. ibidem nullas res ait esse in tempore nisi secundum quantitatem motus cum tempus sit mensura motus per se, cæterorum verò per motum. Ex quo patet rectè Aristotelem ibi in cont. 116. dixisse, non esse idem esse in tempore, atque esse cum tēpore. Etenim hoc pacto *Cælum esset*, inquit *in milio*: quia est cum milium est: sed esse in tempore, quemadmodum etiam esse corpus in loco; & esse vnitates in numero, est contineri & mensurari ab ipsis. Et ratione patet: quia in hoc differt motus cōtinuus à motu momentaneo, quod hic non est in tempore, sed in instāti; eo quod illum non tempore sed momēto metimur. At contrà: Motus continuus non est in instanti sed in tempore, quia ipsum non momēto, sed temporis parte definimus. Si ergo motus aliquis est in tempore, debet esse continuus, quia alioqui non posset mensurari tempore. Continuo enim continuum non puncta aut indiuisibilia dimetienda sunt.

Aristoteles. Et ideo Aristoteles dixit libr. 10. Metaphys. cont. 4. *semper mensuram esse eiusdem generis* cum eo cui mensura applicatur & mensuratur. *Magnitudinum enim* inquit *magnitudo & secundum vnumquodque; longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, vocum vox, grauitatis grauitas*, &c. Vnde sequitur cū tempus sit quædam magnitudo, non posse metiri nisi magnitudinem. Ergo si motum Angelicum tempus metitur, sequitur motum Angelicū oportere esse continuum, cum præsertim totum aliquod tempus v. gr. hora dies &c. totum metiatur motum Angelicum, pars temporis partē illius vt dictum est. Constat ergo hoc ipso quod motus est in tēpore debere esse continuum, siue id habeat ex spatio siue aliūde; nec debere cōcedi esse in tēpore, quin consequēs sit ipsū esse continuū. Difficultas ergo præsēs est, posito quòd motus non sit continuus, nec in tempore; Vtrum sit vera ratio A. Doctoris ad probandum, Angelū non moueri per media motu non continuo.

Optimè probat ratio A. Doctoris, Angelum motu non continuo non pertransire intermedia loca. §. 2.

A. Doctor. AD difficultatem autem respondetur, & sit Vnica propositio. Optimè probat ratio A. Doctoris motu non continuo non pertransiri intermedia loca. Probatur: nam per motum non continuum mobile non attingit priùs vnā partem loci quàm aliam: quia alioqui motus haberet partes priores quibus prius transiret mobile in partem loci priorem; & posteriores quibus transiret posterius in posteriores: atque ita haberet partes priores & posteriores, essetque continuus. Ergo debet per motum non continuum esse in toto termino ad quē loci simul, postquam fuit in termino à quo; vt v. gr. Angelus sit in loco ignis, & postea velit esse in terris, totus simul erit in terris hoc ipso quod desiit esse in loco ignis. Quia ab ipso termino à quo non acquirit per partes terminum ad quem terrarum. Ergo per motum non continuum vel non transit per media loca, vel numerat omnia loca infinita; quod conficit ratio A. Doctoris. Consequentia hæc in qua tota difficultas posita est probatur quia Angelus postquam est in termino à quo ignis, si se applicet simul in toto termino ad quē terrarum, sanè non transit per medium aërem priusquam sit in termino ad quem terrarum, quia immediatè postquam desiit esse in igne se per illum motum collocat in terris. Sermo enim præsens est de vno tantùm motu qui continuus non sit; nam per plures motus se potest variis terminis applicare vt patebit.

Quod si dicas, antequam se collocet in terris debere prius totū esse in aëre; Contrà: quia quæro quando est in aëre totus Angelus, vtrùm in eo aëre per illum eundem motum sit tanquam in termino ad quem, an tanquā in medio, quod Angelus eodem motu pertranseat. Si dicas secundum; ergo est motus, continuus quia eodem motu prius transit per medium quàm perueniat ad extremum. Cum autem dico priùs, non significo prius tantùm natura, sed etiam tempore & duratione aliqua. Nam alioqui cum Angelus mouetur de termino à quo immediatè in terminum ad quem diuiduum & non per medium, deberet dici moueri per medium. quia priùs natura esset in parte termini ad quem quæ propinquior est ipsi termino à quo, quàm in parte quæ ab eo magis distat. Ergo moueretur per medium semper, & nunquam immediatè in terminum ad quem absque medio moueri posset. Si ergo prius transit medium quam perueniat ad terminum ad quem, erit motus continuus. Si dicas primum; ergo non transit per medium eodem motu, sed solùm est in termino.

Quod si iterum dicas, esse quidem in aëre tāquam in medio; non tamen tanquam in medio, quod percurratur eodem motu quia contra hoc rectè probat allata ratio: sed tanquam in medio, quod per vnum motum discontinuum debeat esse, vt deinde alio motu sit in terris In quo sanè non erit prius & posterius eiusdem motus continui; sed prius & posterius diuersorum motuum non continuorum sed discretorum. Si inquam hoc dicas, iam contra hoc sequitur alterum consequentiæ A. Doctoris membrum. Si enim prius debet medium pertransire motu non continuo. Ergo vt perueniatur ad illum aërem debet pertransiri aliud medium in quo sit prius & posterius in infinitum per motus discretos & non continuos: quia non est ratio cur ad vnum locum perueniatur sine eo quod pertranseantur interiecta spatia; ad alios verò debeat per ea perueniri. Ergo assignabuntur loca media omnia. eodémque modo dico de punctis, si per puncta media transeundum sit: ergo omnia loca media assignabuntur motu Angeli discreto; quia in quemcunque terminum ad quem peruenire debet per media intercepta. Atque ita sequitur altera pars consecutionis A. Doctoris; quod scilicet numeret quodcunque medium post aliud, omnia infinita loca eo motu discreto assignando.

* * *

Ratio

Rationem A. Doctoris veram esse de medio communicante & non communicante. §. 3.

Video responderi posse huic argumento si dicatur, vt etiam dicam seq. Diffic. in quarto dicendi modo pro sententia Scoti, duplex esse medium per quod in terminum ad quem debet peruenire Angelus motu illo non continuo. Vnum quidem est quod dicitur communicans; alterum quod dicitur non communicans, de quibus Recētiores in hunc articulum. Illud quidem est, vt rectè ait Valentia hic p. 1. §. *Sed cum* quod participat vtrumque extremum, nempe terminnm à quo & terminum ad quem, vt si mobile bipedale sit in termino à quo bipedali, & proximè post sequatur finitimus terminus ad quem bipedalis. Tunc enim mobile quod successiuè mouetur à termino à quo, incipit prius secundum vnam partem sui recedere à termino à quo bipedali, & immediatè accedere ad terminum ad quem bipedalem v. gr. incipit secundum sui dimidiū recedere à termino à quo palmari; & simul & immediatè accedere ad terminum ad quem palmarem, vt postea cum totum à termino à quo bipalmari recesserit, hoc ipso sit totum in termino ad quem bipalmari, vbi absoluto motu quiescat. Medium ergo illud per quod partes mobilis mouentur tum in parte termini à quo; tum in parte termini ad quem, dicitur medium communicās apud hos auctores. Hoc verò est quod neutrum participat, & est id quod totū interiacet inter vtrumque terminum prædictū & vtriq; finitimum seu attiguum est; vt v. gr. spatium aliorum duorum pedum interiacens inter finem termini à quo, & initium termini ad quē, vt est aër inter ignis sphæram & ambitum aquę, si ex igne in aquam veniendum esset: & vt est linea inter duo puncta terminantia lineam, si ab vno puncto terminante in aliud per lineam Angelo transeundum esset.

Valentia.

Dicunt ergo argumento Angelum quidem moueri sine vllo medio non communicante, ac proinde simpliciter sine medio ad terminum ad quem attiguū, vt è loco bipedali in bipedalem finitimum & proximum, licet non moueatur sine medio non communicāte cū mouetur in distantem terminum: vt v. gr. cū mouetur ex superficie concaua ignis ad attiguum aërem, mouetur simpliciter sine medio, quia non interiacet medium non communicans & simpliciter. cum verò mouetur ex eadem superficie ignis in terras, moueri motu non cōtinuo prius in attiguum aërem, qui est medium communicans & simpliciter. inde verò in attiguam terram; atque ita dicent debere transiri medium in terminum distantem, non autem in terminum attiguum.

Contra hanc responsionem est primò, quia ex ratione allata saltem habemus Angelum posse transire in terminum ad quem sine medio simpliciter, hoc est non cōmunicante. Vnde assignādum illi superest discrimen cur corpora dicātur simpliciter moueri per mediū etiamsi illis transeundum sit in terminum finitimum per mediū communicans. quādoquidem omnis motus corporum est per medium à termino ad terminum quicunque ille sit. Nec satis est si dicant id esse quia corpora necessariò mouentur successiuè & continuè; non verò Angelus. Nam etiam cum

A Angelus mouetur successiuè, illud ipsum mediū esset medium communicans. At medium communicans iisdem auctoribus simpliciter non est medium. Cur ergo corpora per medium necessariò mouentur; Angeli non item?

Deinde probo in hoc quoq; motu sequi mobile numerando assignare infinitas partes dum mouetur in terminum finitimum, & medium communicans pertransit. Quia si Angelus per medium communicans non deberet assignare numerando infinitas partes; id certè esset quia potest se totū simul à termino à quo in terminū ad quem finitimū applicare: propterea quod hic

B terminus non distat quemadmodū cum debet se applicare termino distāti, quando interiacet mediū non cōmunicās. Sed hoc est falsū dupliciter.

Primò, quia cum Angelus est in loco bipalmari, & transire debeat in terminum finitimum bipalmarē, licet totus ille terminus ad quem bipalmaris non distet à termino à quo, quia finitimi sunt, tamen secundum partem quæ posterior est; nempe secūdum posteriorem palmum distat terminus ad quem à termino à quo. Sicut licet aër non distet à sphæra ignis, quia vtriusque extrema se tangunt. Tamen media & infima aëris regio non est igni finitima; sed ab eo longè distat per supremum aërem interpositum. Ergo vt An-

C gelus ex igne se transferat in mediam regionem aëris, deberet trāsire per summū aērē prius alio motu discreto & non cōtinuo, vt in eam regionem se extendat. Sic enim mobile corporeum bipalmare licèt debeat transire ad locum finitimum bipalmarē, vt tamen perueniat ad punctū, quod finitimi loci bipalmaris extremum est, debet transire priùs totum medium, quod inter extremum illud punctum loci ad quem tendit, & extremum punctum loci à quo tendit interponitur. Atque ita mobile bipalmare quamuis locus bipalmaris finitimus sit adæquatus mobili bipalmari, quia eius capacitas completur mo-

D le mobilis bipalmaris: tamen debet per partes medias priùs pertransire, vt punctum extremū loci pertingat. Signum ergo est, si pari modo philosophandum esset, Angelum quamuis possit moueri ex igne ad totum aërem tanquam in locum sibi adæquatum, debere tamen prius pertransire partes omnes intermedias, vt ex extremo puncto sphæræ ignis se transferat vsque ad extremum punctum sphæræ summi aëris; nēpe ad punctum vnde incipit media regio. Ergo si eas partes omnes transire debeat motu non continuo sed discreto, sequitur euidenti consecutione id quod dicebamus; transiri scilicet eas infinitas partes motu discreto singillatim, atque ita etiā per mediū cōmunicans deberet assignare

E numerando per discretum motū omnes partes.

Secundò, quia falsum est illud prædictū medium inter illos duos terminos finitimos nō esse non communicans. Nam est communicans & non communicans comparatum ad diuersas partes terminorū inter quos fit motus. vt ex. gr. sit linea quatuor palmorum, & mobile bipalmare debeat in ea transire à duobus prioribus palmis ad duos finitimos posteriores transeundo prius secūdum palmum prioris partis, & primū posterioris, quàm adipiscatur integrum terminū ad quem in quo quiescat; vt patet in hac linea

A | C B | | D

Tum sic fit argumentum: Cùm mobile bipalmare ex termino à quo bipalmari A.C. transit in

termi

terminum ad quem bipalmarem finitimum & attiguum B.D. licet illud spatium C.B. bipalmare quod post primum palmum termini à quo A. & ante secundum palmum termini ad quem B. fit communicans comparatum ad totos vtrosque terminos, nempe ad A.C. & B.D. quia conflatur ex vno palmo termini à quo, & alio palmo termini ad quem. Tamen si comparetur ad primum palmum termini à quo A. & ad secundum palmum termini ad quem D. aut etiam ad duo puncta terminantia vtrumque terminum; nempe quæ sunt initium termini à quo A.C. & finis termini ad quem B.D. verè est medium non communicans: quia inter illas partes & illa duo extrema totum interiacet vtrique parti finitimum & attiguum. Ergo cum mobile moueatur non solùm de toto termino à quo A.C. in totum terminũ ad quem B. D. quo pacto est medium communicans; verùm etiam de primo palmo termini à quo A. in secundum palmum termini ad quem D. & à puncto extremo loci termini à quo, vt perueniat ad punctum extremum termini ad quem, medium illud quod pertransitur est medium non communicans. Vt enim patet in illa linea duo illi palmi C.D. inter palmũ A. & palmum D. toti interiacent.

A

B

Ex quo vlteriùs sequitur, si Angelo assignandæ numerando sint omnes partes medij non communicantis; quia mouetur in totum locum, qui est terminus ad quem distantem à toto loco qui est terminus à quo; eiusdem quoque assignãdas esse numerando partes omnes etiam medij non cõmunicantis: quia mouetur in partem termini ad quem, distantem à parte termini à quo; & à pũcto termini à quo omninò distanti à puncto termini ad quem.

C

Nec faceret ad rem si diceretur, discrimen esse quia ibi esset distantia totius ad totum; hîc verò solius partis ad partem. Nam si in mobili corporeo eadem est ratio, siue distantia & medium se habeat vt totius ad totum, siue vt solius partis ad partem, cum vtrumque medium eodem modo necesse sit ab ipso mobili pertransiri; cur eodem modo quoad hoc de Angelo dici non oporteat? Vel ergo in vtroque debet esse par ratio; vel in vtroque dispar, quod attinet ad ipsum Angeli motum, quia in vtroque par est ratio in motu mobilis corporei. Sed plura de hac re seq. Difficul.

D

Ex his respondetur ad argumenta in priore dubitandi parte. Ad primum enim dico idẽ esse in motibus naturalibus motum non continuum & instantaneum, vt rectè atque ex Aristotele illo argumento probatur; & ita motum Angeli non continuum aio esse momentaneum. Quod qua ratione intelligatur ab A. Doctore explicabitur seq. art.

A. Doctor. Ad secundum dico, veram esse sequelam A. Doctoris, vt ostendi in nostra propositione. Nec A. Doctor supponit, Angelum numerare omnia media ea numeratione quę est actus intellectus; sed numero contactuum Angelicorum sibi deinceps succedentium, vt in articuli explanatione docuimus. Hoc ipso enim quod per illos contactus moueretur infinitis motibus discretis & non continuis, quorum vnus esset post alium & alium in infinitum: attingeret infinita media, finémque contactuum poneret cum motus absoluuntur. Atque ita infinitum pertransitum esset tempore finito; quod est impossibile, vt patet ex Aristotele lib. 6. Phys. cont. 19.

E

Præterquam quod dico posse etiam Angelum verè enumerare enumeratione quæ sit actus intellectus, omnia illa loci puncta interiecta, & partes omnes interpositas. Nam quemadmodũ per contactus potest successiuè ea omnia attingere; ita etiam per intellectum potest omnes illos contactus numerare, & quodammodo successiuè attingere: cum non minoris virtutis censeri debeat Angelicus intellectus, in numerando loca quæ attinguntur, quàm potentia motrix in applicando substantiam vt attingantur.

Neque verum est, hanc ipsam enumerationem reperiri in motu continuo dum mobile per medium mouetur in terminum ad quẽ. quia in eo non pertransitur actu infinitum, sed quod est infinitum in potentia, vt antè dicebamus in explanatione articuli. Neque enim actu aut partes designantur aut puncta per motum continuum, sed totum toto. Quo pacto Aristoteles lib. 6. Phys. in eo cont. 19. improbat Zenonis non rectè philosophantis argumentum, quo adductus ille motum negabat; videlicet si in quolibet spatio sunt infinita puncta & partes: ergo non possunt aut transiri aut tangi tempore finito. ergo non datur motus. Respondet Aristoteles ibidem non esse infinita actu sed potentia. Absurdum autem esse pertransiri infinita actu finito tempore. At non esse absurdum si pertranseatur infinitum potentia finito tempore, quod est etiam infinitum potentia eodem modo atque est motus & magnitudo nempe *secundum diuisionem*, secundum quam in plura & plura diuidi queunt. *Infinita* inquit *secundum quantitatem non continget tangere in tempore finito, quæ verò infinita secundum diuisionem continget. Etenim ipsum tempus sic infinitum est. Quare in infinito & non finito accidit rei. Neque ergo infinitum potest tempore finito transiri; neque in infinito finitum; sed si tempus quidem infinitum sit, & magnitudo eius infinita, & si magnitudo & tempus.* de qua etiam re dixi in explanatione huius articuli. Itaque dico ad argumentum, mobile motu continuo non attingere aut designare actu omnes illius spatij puncta & partes, & ideo non pertransire infinitum actu. At per motum discretum sequi vt assignẽtur actu, quia omnes illas actu distingueret per infinitos actu contactus, & motus discretos actu infinitos.

Aristoteles.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm in quocunque motu non continuo Angelus transeat ab extremo in extremum distans sine medio & quomodo.

Ex iis quæ tum in explicatione articuli tum superiore Difficultate diximus cõstare possunt duo. Alterum est Angelum non posse moueri continuo motu nisi pertranseundo mediũ. Alterum verò est posse eundem Angelum motu discontinuo non pertransire medium; idque ostendi ratione A. Doctoris in hoc articulo. Iam verò superest examinandum; Vtrùm id verum sit in quocumque motu non continuo & quomodo. Quæ eò accuratiùs est exagitãda quæstio, quò

quò grauior inter grauissimos auctores ea de re A dissensio est.

Referuntur variæ dissentientium auctorum sententiæ. §. 1.

PRima sententia negat. Ita omnes auctores quos statim referam in eorum variis dicendi modis. Primus autem dicendi modus est eorum qui planè negant Angelum posse moueri motu non continuo; atque ita docent Angelos semper debere pertransire mediũ ita vt videantur intelligere de potentia Dei absoluta. Ita Alexander 2.p.q.53.m.2. Vbi in c. quærens *cur necesse sit Angelum pertransire medium in motu suo* respondet id *exigi ratione motus localis*. Probat quia in omni motu locali, & generatim in omni eo motu qui quomodocunque differt à mutatione, oportet esse rationem medij differentem à ratione terminorum; nempe termini à quo & termini ad quem. Quæ terminorum mediique distinctio non est in mutatione momentanea. Nam hoc ipso quod momento mutatur est in termino ad quem. ergo si Angelus mouetur localiter necesse est sit ratio medij ab vtroque termino diuersi; alioqui *alio modo non potest* inquit *intelligi moueri localiter*.

Alexander. B

S. etiam Bonauentura in 1.d.37.2.p.d.a.2.q.2. in fine c. postquam dixit posse à nobis motum intelligi per medium peragi, subdit quod non sit per medium his verbis: *Illud membrum quod dicit quod possit sine medio arbitror reyciendum, nõ quia asseram esse falsum, sed quia non est auctoritas in promptu quæ hoc dicat, & ratio non cogit. immo non capit.* Vult ergo non intelligi posse motum localem sine medio. probat ergo hanc sententiam quia contraria non capitur mente.

S. Bonauent.

Idem patet ex Ricardo in 1.eadem d.37.a.3.q.2. Ait enim: *Dico quod dum Angelus mouetur de loco ad locum oportet ipsum transire medium, non tamen quomodo res corporales*; nempe per exæquationem mobilis ad locum. Ideò proximè ante dixerat aduersus contrariam sententiam *esse communiorem Doctorum opinionem*, quæ asserit motum esse per medium. nec alio argumento probat suam sententiam. Videtur autem loqui absolutè: Tum quia id significare videtur voluisse per illam particulam *quomodo*: Tum quia nihil est vnde colligatur limitatio; & præterea quia, vt est apud Carthusianum in 1.d.37.q. vlt. Ricardus confutat eorum sententiam qui dixerunt: Angelum transire posse sine medio.

Ricardus.

Huc etiam referri potest Ægidius in 1.d.37.p.2.a.2.q.3.§. *Hoc viso*. Vbi ait motum Angeli requirere medium & fieri in tempore ob medij resistentiam, non solum cum mouetur in corpore assumpto, verum cum suam substantiam applicat variis locis. explicans autem quæ sit resistentia medij ad Angelum, ait eam nihil esse aliud nisi *distinctionem motoris ad mobile, vel applicantis virtutem ad id cui applicat*. Probat esse talem resistentiam; nam eo ipso quod mobile est distinctum à motore si est alibi vbi non est virtutem applicans, *ibi quædam resistentia dici potest*. Arbitratur itaque vbicumque est distinctio motoris ad id cui vis applicatur esse resistentiam, ac proinde esse successionem motus & continuitatem & transitum per medium.

Ægidius.

De Alberto quamuis dubitent nonnulli sitne in hac sententia ob ea quæ dicam in tertio modo post. Tamen mihi absque dubio hunc dicendi modum videtur secutus. Nam in p.p. sum. Theolog. tract.18.q.74.a.2.c. apertè ait sibi videri dicendum *secundum dicta Sanctorum, quòd Angelus de loco ad locum transit per medium, quia aliud non potest intelligi*. Vnde addit medium non obstare Angelo eo quod si obstaret, dupliciter ei posset inpedimẽto esse; Vel ob spissitudinem & soliditatem, propterea quod facile penetrari non possit, vt accidit in corporibus; vt ferrum & lapis difficilè permeantur; vel ob magnitudinem distantiæ atque interualli, ex qua longus adeò est transitus, vt ad finem eius difficilè perueniatur. Neutro autem modo medium obstat Angelo; quod ipse rectè ibidem probat. Non enim obstat primo modo, quia id accidit ob contactum corporum, quod Angelo non competit. Nec secundo modo ob Angeli agilitatem, qua ipse omnem distantiam superare potest. Itaque negat medium obstare Angelo, non quia non sit necesse ipsum pertransiri ab Angelo; sed quia has medij difficultates respectu Angeli esse non putat. Quod etiam magis declarans ad 3. ait: *Angelum non venire de extremo in extremum nisi per medium, & alios duos modos impossibiles esse, sed transire medium vincendo ipsum, vt dictum est.* Adhuc etiam clariùs ibidem ad aliud 3. dum ait: Angeli motum non esse mutationem, & aliter dicere *esse fictionem*. quia proculdubio secundum dicta Sanctorum motus Angeli habet medium, in quo est moueri; quia non potest intelligi quod de extremo in extremum veniat loci nisi per mediũ. Sed ne putemus hæc dici ab Alberto de Angelo cum corpus assumit, in fine articuli ait ex scriptura idem conuenire Angelo absque corpore.

Albertus.

C

Probat Albertus hanc sententiam primò ibi ad 1. Nam Angelus in termino à quo non mouetur, nec similiter in termino ad quem: quia à termino à quo incipit, & in termino ad quem desinit motus. ergo motus solum est in medio. vnde si medium non transiret nullus esset motus. Secundò probat ibidem ad 3. secundo loco positum: *quia propterea generatio & corruptio, vt dicit Auerrois in commento super tertium Physicorum sunt sine medio & non in tempore. sed in nunc. quia sunt fines motus & non motus.* Ergo cum Angelus est in termino aut à quo aut ad quem, non est in motu sed in fine motus. ergo tunc solum est in motu cum est per medium. Idipsum etiam probat Albertus aliis argumentis in ratione dubitandi, quæ tamen libenter prætermitto, quia potiùs ad obscuritatem doctrinæ, quam ad veritatis examen facere videntur. Illud tamen aduerto propter ea quæ dicam in tertio modo dicendi, Albertum eodem loco dum impugnat quartum argumentum, quod in ratione dubitandi secundo loco adduxit, adeò motum per medium requirere, vt etiam vacuum dicat oportere esse medium in motu eius quod per vacuum mouetur. *Intercedit enim* inquit *distantia, & sic adhuc non est intelligibile qualiter aliquid de extremo veniat ad extremum, nisi accipiendo partes medij.* Putat ergo priùs oportere transiri medium. Itaque sententia, & probationes Alberti quoad omnia conueniunt cum Alexandro & S. Bonauentura, & Ricardo.

Albertus.

D

E

Ab his non dissentit Thomas ab Argentina in

Thomas ab Argentina.

in 1.d.37.q.1.a.2.§. *Sed licet.* Ait enim veram esse conclusionem quæ negat Angelos moueri in instanti.quod etiam docet §. *Sed verum.* quasi velit significare; cum Angeli motus necessariò sit continuus, ipsum necessariò debere esse per medium. Alioqui cur non posset esse in instanti? Quamuis autem ita sentiat hic auctor, tamen nullam pro sua sententia affert rationem, quin potius quæ pro ea facere videntur, ipse conatur soluere tanquam non efficaces ad propositum. Parum autem refert in præsentia eas adducere.

Secundus dicendi modus eorum est qui dicunt, naturaliter Angelum non posse moueri localiter nisi per medium, posse autem diuina omnipotentia. Ita Gregorius in 2.d.6.q.3. art.2. concl.1.& 2. In prima enim probat posse Angelum in instanti de loco in locum moueri transeundo per totum medium. In secunda probat posse Angelum à Deo mutari de loco in locum non per medium. Fundamentum eius est, quia *corpus Christi existens in cœlo mutatur ad hostiam sacramentalem mutatione acquisitiua, quamuis non deperditiua non transeundo per medium. Ergo Deus posset vnum Angelum existentem in vno loco, ponere in alio distante, absque eo quod eum portaret per medium. Non enim hoc est minus possibile quam illud. Ergo pari potentia posset Angelum sic mutare de loco in locum, non per medium, quod nouum locum acquireret & primum desereret.* Subdit autem Gregorius se ancipiti sententia fluctuare: Vtrùm id possit fieri ex viribus Angeli, an solũ potestate diuina. *Quãuis aliqui solemnes Doctores dicãt quod sic; mihi tamen dubium est, nec benè clarum; ideo de hoc nihil ad præsens.*

Gregorius.

Eundem dicendi modum sequuntur nonnulli Recentiores, vt noster Molina in hunc art.§. *Contrariæ tamen* & alij. Probat ipse Molina hanc sententiam: Quia Angelus dum est in rerum natura, semper alicubi collocatam habet suam substantiam. Ergo sicut corpus eo quod perpetuò sit alicubi, viribus naturæ transferri non potest a loco in locum nisi per medium: Ita cùm Angeli substantia sit perpetuò alicubi, migrare non poterit naturaliter in locum, nisi per medium. Nisi enim contrarij auctores *adducant pro se firmam rationem, standum est sententiæ, quæ idem de Angelis ac de cæteris rebus ea in parte affirmat.*

Molina.

Secundò probat: quia *sicut non potest* Angelus immediate immediatione suppositi transmittere suam actionem in *locum absentem; sed necessariò deferre eam debet per medium*; ita nec mutare locum potest nisi per medium. Vtrùm verò possit moueri de potentia Dei non per medium ipse non loquitur.

Tertius modus est eorum qui volunt Angelum in motu debere transire medium; nec explicant an naturaliter an absolutè. Volunt tamen non in tempore continuo, sed momento nostri temporis. ob quam causam eos refero in modum dicendi separatum. In hoc autem modo conueniunt cum Gregorio in prima conclusione, in qua vt retuli probat posse per medium transire Angelum in instanti. Hunc ergo dicendi modum apertè sequuntur ex antiquioribus Scholasticis Albertus magnus, & Henricus Gandauensis. Quamuis verò de Alberti sententia circa Angeli motum multa dixerimus antè ex eius summa Theologica, tamen non prætermittam ea quæ docet in libris sententiarum. Is ergo Albertus in 1.d.37.a.23. in c.ait: *Dico quod transit medium & distantia medium est, sed non sibi; eo quod*

Albertus.M. Henr.Gand.

Albertus.

A *virtute mouendi vincat eam.* & cõcludit; licèt transeat medium Angelus, tamen transit in instanti, eo quod virtus infinita si esset in corpore vinceret resistẽtiam; ergo etiam virtus Angeli, quæ est incorporea, vincet, & fiet motus in instanti. Quod fusius explicat seq.art.24. Vult ergo transiri per spatium medium licet in instanti. Quæ tamen non sunt iis quæ in summa Theologica dixerat cohærentia. Nam p.p.tractatu illo 18.q.74.a.3. in corp.dixit Angelum habere motum suum in potestate; & idcircò eius motum non sequi regulas aliorum motuum, & regulas motus medij per quod est motus. *Mouetur enim* inquit *per medium, sicut vult, siue in tempore continuo, siue repentè, siue subitò.* quæ ibi ex instituto ac sigillatim ipse explicat. B In qua Summa fortè sapientiùs correxit, quæ iunior nõ ita limauerat.

Idem quod Albertus docuit in eo libro 1. sent. habet Henricus quolib.13.q.7.post mediũ. Ait enim Angelum, *si habet situm in loco absque operatione in illo*; hoc est si substantialiter est in loco, & non tantum per operationem, *ita quod æqualiter sit natum situari in quolibet signo medio, sicut in extremis: sicut corpus natum est situari sub quolibet signo sibi æquali in spatio siue in extremis sit siue in medio; oportet quod Angelus transeundo de situ ad situm, puta ab Orientis puncto in punctum Occidentis transeat per omnes partes spatij intermedias, & per omnia puncta existentia in illis. Quod tamen totum fit in eodem instanti temporis Angelici, & similiter nostri, quia* C *in illis est solum in transitu, & sic in potentia.* Vult autem corpus esse semper in sibi æquali spatio; scilicet in quolibet instanti temporis, vt ipsemet explicat. Ait autem possibile esse Angelo transire omnia illa in instanti temporis sui & nostri: *quia non est prius super vnum dictorum signorum quàm super aliud nisi natura & consideratione nostri intellectus.* quemadmodum lapis transiret spatium vacuum in instanti si daretur; quia nec transiret priùs vnam partem spatij quàm aliam nisi natura, non autem prius secundum tempus. Quod etiam ex parte docuit Albertus in primo dicẽdi modo vt vidimus; nimirum quia putauit D etiam in vacuo transiri medium: non tamen dixit prius natura transiri partes vacui. Nam cũ docuerit ibi motum per mediũ posse esse & in tẽpore, & in instanti, arbitratus opinor est posse illas partes trãsiri vel priùs natura vel tempore.

Henricus.

Neuter tamen ex his auctoribus validam affert rationem, cur medium transiri oporteat, vt Angelus ad extremum locum perueniat. Videtur tamen ea ex illis colligi; quia priùs saltem natura omne mobile debet transire partem sibi propinquiorem quàm remotiorẽ: & hoc pacto in vacuo vbi nullum esset medium, mobile ex ipso naturæ instinctu moueretur. Hunc etiam modum dicendi videtur sequi Maior, vt dicam E in secunda sententia.

Arbitror tamen hos omnes auctores in hanc venisse sententiam, propterea quod intelligere non poterãt, quo pacto Angelus se loco distãti à termino à quo applicare posset. Quoniam tamen putarũt Angelum vbique præstò esse oportere ad exequenda diuina mandata; idcircò motum illius etiam per medium, momentaneũ esse voluerunt. In qua re puto hos vehementer à veritate lapsos, vt deinceps apertè constabit.

Quartus modus dicendi idem ferè dicit quod superiores docuerunt, nisi quod clariùs doctrinam motus per mediũ explicat. Nã distinguit

guit

guit de medio. Asserit enim Angelum debere transire per medium cum terminus ad quem distat à termino à quo, siue vt ipsi aiunt cum medium non est communicans seu participans, quod idem est. At cum medium est participans aiunt Angelum posse transire de loco ad locum sine medio.

Scotus. Hanc sententiam apertè docuit Scotus in 2. d.12.q.vlt.§. *Hic dicunt.* Licèt enim dicat semper debere transire medium altero ex illis duobus modis si motus sit continuus. Tamen addit infra sic: *Si loquamur de motu indiuisibili, dico quod in tali motu potest pertransire de extremo in extremum immediatum non transeundo per medium.* Addit præterea Angelum non transire per medium esse necesse si sit huiusmodi motus momētaneus. Nā *si transiret per tale medium continuè transiret non instantaneè.*

B Secundò docet aliter sentiendum esse si de extremis distantibus sermo sit. nimirum *habentibus medium distinctum ab extremis.* De his enim ait non posse Angelum de extremo distante mutari, *mutatione includente totam realitatem motus.* Hoc ait se dixisse in q. antecedenre, quæ est 11. Vbi §. *Et si obijcias.* ait motum illum non habere totam realitatem motus, qui fit ad solum terminum ad quem non per medium; si terminus ad quem distet per medium à termino à quo; quemadmodū orbis lunæ distat ab elemento aëris per ignē medium. Rationem huius affert: quia tota realitas motus debet habere omnia Vbi intermedia. Docet etiam ibi hunc motū de extremo ad extremum distans non posse fieri virtute naturali Angeli; quasi significare velit posse fieri diuinā. Quod ipsum Scotus significauit clariùs in suo argumento; quod iamiā eius verbis explicatum fideliter referam.

C Probat ergo in ea q. vlt. §. cit. hanc suam sententiam, quòd scilicet non possit esse transitus à termino in terminum non finitimum absq; medio. *Quia ordo præfixus à superiori agente videtur necessarius cuicunque agenti inferiori quando habet actionem præcisè circa talia ordinata. Exemplum. Ordo formarum naturalium succedētium sibi in generatione naturali determinatus est ab instituente naturam: & ita respectu cuiuscunque agentis naturalis est necessarius, ita quòd nullum agens naturale potest facere immediatè acetum ex vino. Ergo cum à Deo sit præfixus ordo partium principalium vniuersi cuilibet agenti creato, & virtuti creatæ, videtur iste ordo necessarius, quando debet agere circa ista, quorum est talis ordo. Igitur Angelus quando mouet se per corpora, quorum est talis ordo, non potest absque omni ordine de quocunque Vbi facere se in quodcunque Vbi immediatè. Tunc enim nulla distantia videretur impedire actionem eius.*

D Verùm ne quis inuerteret istam rationem in alterum membrum doctrinæ ab ipso explicatæ, eo quod videatur idem quoque probare de mediis communicantibus quæ sunt aliquid extremorū; obiectioni occurrit Scotus negando idem probari. Nam cū Angelus pertransit ab vno termino in aliū finitimum terminum, habet totam realitatem motus: quia habet omnia Vbi intermedia in instanti; ordine tamen naturæ vnum priùs aliud posteriùs: quia ex natura priùs acquiritur Vbi propinquius quàm remotius, vt videmus accidere in omni naturaliter agente. At si moueatur à termino distanti in terminū distantem non per mediū quod intercedit, nō haberet omnia illa Vbi intermedia nec ordine naturæ, nec ordine durationis. Si enim præteruolaret

Scotus.

E medium; Vbi etiam illa, hoc est loca prætermitteret, ac proinde absque vllo ordine transitet illa quorum est ordo. Ergo non æque militat prędicta ratio contra vtrumque membrum.

Ex his patet doctrina Scoti dicendū esse, Angelum motu continuo oportere transire omnia media, in quo conuenit cum A. Doctore. Motu verò momentoneo non esse necesse transire media, cum terminus à quo & ad quē finitimi sunt inter se per extrema simul, hoc est quę cōiuncta sint. Esse verò necesse transire media, cū termini inter se aliquo interuallo distant, ne naturæ pręfixus ordo, quē in rebus omnibus cernimus perturbetur. ex quo aliter tenetur Scotus dicere de potentia Dei absoluta cum in potestate Dei sit totum naturæ ordinem inuertere si ei placeret. Hanc Scoti sentētiam eodem prorsus modo explicatam sequitur Lichetus in 2. d. 2. q. 12. in conclus. Scotus. A. Doctor. Lichetus.

Ex recentioribus hunc dicendi modū complexus est Gregor. de Valentia hic q.4. p.1.§. *Sed in primis* & sequentib. Vbi addit non posse intelligi quomodo possit Angelus non transire per medium non participans, cum trāsit de extremo in extremum, in quo consentit cum primo dicendi modo; vt si è cœlo in terras descendat, nō trāseat per sphæram ignis & aëris, nec contrarium sensisse A. Doctorem, nec rationē eius probare nisi de medio participante, seu communicante. Gregor. de Valentia.

Probat etiam suam sententiam non minus ingeniosè quàm valenter Valentia, quòd Angelus debeat priùs transire medium non participans, quam perueniat ad extremū. Primò, quia id videtur sequi necessariò ex ipso locorū ordine; Vt statim ac substantia quæuis vnum locū deserit, vel inuita suscipiatur à loco proximo illi priori. Secundò, quia ideò in disputatione de Eucharistia defenditur Christum incipere esse de nouo in Sacramento, & non pertransisse mediū, quod est à cœlo vsque ad terram, quia non deserit locum vbi erat in cœlo, nec in Sacramento incipit appropinquare per motum localem, sed per supernaturalem transubstantiationem panis in ipsa. Ergo cum Angelus appropinquet termino motus per motum localem, & naturaliter deserat locum priorem, non potest ipse quidem naturaliter non transire per media loca. Tertiò, quia multò difficilius est ponere suam substantiam in aliquo loco, quàm in eo loco producere aliquem effectum. Sed in loco distanti Angelus non potest producere aliquē effectum nisi prius se collocet saltem in loco proximo, quia nō potest agere in locum distantē. Ergo vt ponat suam substantiam in aliquo loco, debet prius esse in loco illi immediato & proximo. Valentia.

Denique probat ab absurdo: nam si possit Angelus acquirere locum distantem non transeundo vlla loca media, sequeretur nulla quantumuis magna distantia locali posse Angelum impediri quo minus posset in instanti agere in quocunque loco distanti vellet. At hoc consequens videtur falsum. Nimis enim multum hoc modo tribueremus Angelo. ergo, &c. Sequelam probat: quia quemcunque locum distantē si non debet vllum medium transire, potest Angelus momento acquirere & ibi operari.

Quod si respondeas cum Caietano, sequelam non esse absurdam eo quod postquam absoluta est operatio in aliquo loco, substantia Angeli secundum se à nullo loco distat, vnde nihil

nihil impedit cum quæcunque distantia. Contra argumentatur: quia ista Caietani responsio supponit falsum; quod impugnauit quæstione 3. p. 1. scilicet non distare Angelum per se ab vllo loco. Quod si iterum dicas parum tribui velocitati motus discreti Angelici, si Angelus necessariò debeat transire omnia loca non participantia; Respondet multum ei tribui, quia potest moueri discretè magna loca simul acquirendo, & non continuè per partes. *Cuius enim* inquit *absoluuntur quatuor vel sex mutata esse simultanea, quàm infinita in potentia, quæ sunt in motu continuo.* Atque his sanè Valétia pro ingenio quod illi & natura & studium non mediocriter acuerat, suã sententiam confirmauit.

Quintus modus distinguit de loco adequato, & non adæquato. quem sequitur Gabriel in 2. d. 2. q. 3. a. 3. dub. 1. Distinguit autem hoc pacto. (Gabriel.) Aut enim Angelus assistit loco minori quàm adæquato sibi; aut assistit loco adæquato nempe maximo cui potest assistere & non maiori. Si detur primum; tunc ait posse Angelum mutari in instanti ad locum maiorem, cuius ille minor est pars. Vt si *locus* inquit *adæquatus Angeli fuerit vnius leuca, & Angelus assistat eius medietati, tunc potest Angelus non dimittendo illam medietatem se facere præsentem toti loco sine vlla successione.* & consequenter sine eo quod transeat per medium. Probat: quia nulla tunc dari potest causa successionis. Cum enim Angelus debeat esse in loco diuisibili tanto vel tanto vt libuerit, dũmodo non excedat locum adæquatum; totus tamen in toto, & totus in qualibet parte. Ergo poterit velle se extendere in totum locum adæquatum. Ergo si velit, erit, cum cæteræ partes loci in quas se transfert Angelus illi non resistunt.

Sin autem detur secundum; nempe Angelum assistere toti loco adæquato, velitque ipse se in alium locum adæquatum transferre; tunc debet omninò dimittere locum priorem; & illa translatio nequit fieri in instanti. Probat: *quia si fieret in instanti, tunc dimitteret primum locum totum simul, & faceret se præsentem toti secundo loco simul; & ita deinceps primum locum per vltimum instans esse in eo; & inciperet esse in secundo loco per primum esse in eo.* Ergo illa duo instantia vel duo essent vel vnum. Non vnum, quia in vno instanti esset Angelus in duobus locis sibi adæquatis, quod est impossibile per vires eius naturales. Si duo, cum non possint esse immediata, inter illa duo debet esse tempus medium in quo fit translatio; & sic non est in instanti. Ex quo patet inferri posse ipsum debere trãsferri per medium; quia in eo tempore medio non potest esse translatio nisi per medium. Atque hi sunt dicendi modi, quos reperi apud auctores dignos qui citentur.

Ad hos autem modos libet addere sextum dicendi modum non quidem tanquam diuersum à cæteris in modo explicandi, sed tanquam eum qui aduersantem sententiam peculiari nota censuráque afficit. Non enim desunt quidam apud Capreolum in 2. d. 6. q. 1. a. 2. contra 3. (Capreolus.) conclus. qui existimant eam sententiam, quæ asserit Angelum posse transire de loco in locum non per medium continere errorem. Quod probant primò, quia ex hoc sequitur error condemnatus Parisiis, scilicet Angelum aliquando nusquam esse, quod est contra Euangeliũ Matt. 18. (Matt. 18.) *Angeli* inquit *eorum qui in cœlis sunt.* Secũdò, quia hoc est contra Damascenum libro 1. cap. 18. (Damascen.) *Circumscriptibile est* inquit *quod loco vel tempore vel apprehensione comprehenditur. Incircumscriptibile est solus Deus. Angelus enim & tempore circumscribitur. incipit enim esse: & loco similiter vt prædiximus & apprehensione, nam & naturam suam inuicem sciunt.* Tertiò, quia hoc est contra philosophum libro secundo de cœlo: *Omnes inquit homines consentiunt in loco huius corporis primi motus, quod est locus spirituum.* Cum ergo Græci & alij ex Ethnicis, qui Deum & eius potentiam creandi confitentur, arbitrentur Angelos esse in loco, nos id negare non debemus. Affert etiam alia argumenta, quæ solum probant Angelos esse in loco, non tamen ita necessariò debere esse.

Sed quod ad rem attinet, probant primò Angelum debere pertransire medium, simili ferè modo, vt Albertus in primo dicendi modo hoc pacto; Quia sint duo extrema A. D. & sit medium B. C. & transeat Angelus ab A. in D. quæro tunc; Vbi est Angelus dum transit. Non enim in A. quia quandiu est in eo quiescit. Nec est in D. quia dum est ibi non transit; sed cùm D. sit terminus, in eo quiescit. Ergo dum transit nusquam est; vel certè est in B. C. Sed non est dicendum quod nusquam. quia dicit Augustinus de immortalitate animæ: *Quicquid est nusquam esse non potest.* (S. August.) Restat ergo vt Angelus dum transit sit in medio. Ergo Angelus transeundo de extremo in extremum transit per medium. Probant secundò, quia res mobilis magis indiget loco dum mouetur quàm dum quiescit. Et ideò Aristoteles libro 4. Physicor. cont. 32. ait: (Aristoteles) *Non quæreretur locus nisi esset motus aliquis secundum locum.* Vbi Auerroës ait: Motus magis propriè significat locum, quàm quies. Sed Angelus indiget loco cum quiescit: nã opposita doctrina est damnata. Ergo indiget loco dum mouetur; & ita trãsit per medium.

Secunda sententia verior, Angelum non necessariò transire per medium dum de loco ad locum mouetur. Et hæc sententia generatim de omni medio intelligitur. Nec enim distinguit de medio communicante & non communicante; & generatim probat eius ratio. Hæc sententia est A. Doctoris in hoc art. vbi ait: (A. Doctor.) *Si motus Angeli non sit continuus, possibile est quod pertranseat de aliquo extremo in aliud non pertransito medio.* nempe quod intercedat inter terminum à quo & terminum ad quem. Ergo loquitur de quocunque medio. Immò præcipuè de medio non communicante, cum illud sit simpliciter medium. quod etiam probat eius ratio: quam suprà confirmare conati sumus; quæ est vniuersalis de quocunque. Eandem sententiam sequitur Capreolus in 2. d. 6. q. 1. a. 1. concl. 3. & a. 3. ad argumenta contra 3. conclus. (Capreolus.) Citatur Maior in 2. d. 2. q. 8. (Maior.) Verùm hic auctor videtur sequi opinionem Alberti & Henrici potiùs. Nam ad argumenta contra secundam conclusionem, ait: *Secundò dicitur & rationabilius quod potest se de cœlo ad terram ponere in instanti & per lineam infinitam.* Quare potiùs ait, medium petransiri sed in instanti; vt etiam applicat magis in sequentibus.

Hanc tamen sententiam secuti sunt Thomistæ recentiores, vt Caietanus in hũc articulum. (Caietanus.) Ferrariensis libro 3. contra Gentes cap. 102. §. (Ferrariensis.) *Ad euidentiam primi dubij.* & alij. Eam etiam fusè defendit noster Gabriel Vasquez disputatione 196. capit. 2. & 3. vbi etiam citat Marsilium in 2. q. 7. a. 3. (Vasquez. Marsilius.)

Gregorius. q.7.a.3.post 1.conclus.& Greg.in 2. d. 6.q.1.a.1. conclus.2. Verùm quid sentiat Gregorius suprà relatum à nobis est. De Marsilio autem rectè docet: *nam nihil prohibet* inquit *aliquid mutari de extremo in extremum, tamen nunquam esse in medio. Unde in hoc casu idem est primum instans existentiæ Angeli in Occidente, & non esse existentiæ suæ in Oriente.*

Angelum non pertransire medium, cum terminus à quo & terminus ad quem finitimi sunt, nec posse terminum ad quem habere rationem medij. §.2.

AD solutionem Notandum est primò plerosque ex prima sententia auctores conuenire cum secunda quod Angelus non necessariò pertranseat media, cum loca sunt attigua, & media sunt participantia; vt Scotus & alij in quarto & quinto dicendi modo. Immò etiam eos arbitror conuenire, qui dicunt Angelum posse momento transire per totum medium, vt auctores secundi & tertij modi dicendi. Nam si Angelus momento transit totum medium; ergo simul illi loco totum se applicat tanquam termino ad quem. Quandoquidem ibi vbi se in instanti applicat, tunc cõsistit nec tendit vlteriùs. Nam si tenderet vlteriùs, maximè in terminum ad quem; quia post totum mediũ nihil aliud superest nisi extremum & terminus ad quem. At non potest in illum tendere duplici de causa.

Nam primò si se Angelus medio applicauit in instanti, si post illud instans vlteriùs tenderet ad terminum, deberet moueri in tempore cum non dentur duo momenta attigua & immediata. Ergo postquam se medio iunxit Angelus moueretur in tempore, ac proinde motu tenderet cõtinuo ad ipsum terminum. Quod sanè perquam absurdum est. nam si necesse est mobile moueri motu continuo, id profectò per medium necesse esset, quod est via per quam trãsitur ad terminũ non per ipsum terminum; vt si Laureto quis Romam proficiscatur per Vmbriam, per hanc potissimum deberet continuo moueri, non cum est Romæ in termino, aut cum Laureti est, vnde motus incipit.

Deinde idem patet ratione à priori: Quoniam terminus ad quem qui est post totum medium, est id in quo mobile quiescit. Alioqui mobile progrederetur vlteriùs; atque ita nõ esset in termino ad quem post totum medium; sed esset in ipso medio. Terminus enim ad quem in hoc differt à termino à quo & à medio: quod terminus à quo est id vnde incipit motus: Medium per quod est motus & mobile transit; Terminus verò ad quem est id in quod desinit motus. idcircò dicitur terminus motus quia ibi motus desinit, & est finis illius, vt docet Aristoteles libr. 5. Metaphys. cont. 22.

Aristoteles. Hinc etiam est vt Medio Aristoteles tribuat motum, non terminis seu extremis. Sic enim medium definit libro 10. Metaph. cont. 22. Medium est id *in quod* inquit *necesse est prius transmutari quod transmutatur* ab extremo in extremum. Ergo terminus ad quem post totũ medium est id in quo quiescit mobile, nec vlteriùs mouetur, ne vltra

A fines motus aliquid moueatur, & ita aliquid sit finis motus & non finis. ergo sequitur si mobile sit in instanti in toto medio, ibi debere omninò consistere. Ergo in illo ipso quod dicunt ij auctores medium, consistit mobile: ac proinde non est medium; sed terminus ad quem, finitimus tamen termino à quo. ergo tunc Angelus ex termino à quo ad quem mouetur sine medio; siquidem vbi consistit mobile terminus dici oportet non medium.

Volunt ergo posse moueri ad terminum non per medium, si medium deberet esse participãs; non autem si esset interiacens inter terminum ad quem distantem à termino à quo, vt antè ex illis dicebamus. Ideò opinabantur aliqui ex illis Angelum moueri per medium in instanti, ad quod medium mobile moueatur priùs quidem non tamen duratione sed natura, vt loque-B batur Henricus in tertio modo dicendi. Quod certè est reducere controuersiam ad quæstionem de nomine. Nos enim quod ipsi dicunt prius natura pertransiri tanquam medium, dicere possumus esse terminum ad quem transit momento ibique à motu desistit. Quo quidem loquendi modo Aristotelicè terminum ad quem à medio distinguimus, vt mox dicam.

Non ergo dissentiunt quoad hoc ab auctoribus secundæ sententiæ, qui dicunt non pertransiri tunc per medium, quia in eo Angelus C est totus simul in termino ad quem sine eo quod priùs fuerit in aliquo, per quod illi priùs fuerit transeundum, priùs inquam tempore & duratione, non natura tantùm. Quod dicunt esse pertransiri medium: Vt medium sit id in quod permutetur priùs quàm in extremum: Et ideò dicunt motum non esse continuum, quia medium non priùs pertransitur, vt vidimus suprà ex Angelico Doctore. Quod enim mobile saltem priùs natura sit in parte sibi viciniore, quàm in remotiore cùm mouetur, nemo negabit ob dependentiam motus in parte remotiori à motu in parte propinquiore. quemadmodum in productione lucis manifestè con-D tingit. Licet enim lux simul in instanti producatur in totum spatium; tamen prius natura & causalitate in parte propinquiore concedunt effici quàm remotius. Pro qua re

Notandum secundò non rectè dici ab his auctoribus pertransiri medium cum in eo est mobile tanquam in termino ad quem. Etenim mobile aliquod moueri per medium est prius esse in eo quàm in termino, ita vt prius esse debeat tempore & non tantùm natura. Quoniam vt diximus ex Aristotele, medium est id in quod priùs permutatur mobile quàm sit in extremo. Quod *prius* antecedentem temporis partem significat apud ipsum. vnde in libro quarto Phy-E sicorum, contextu nonagesimonono, vt notaui suprà ad literã A. Doctoris ex eo quòd magnitudo super quam fit motus, habet partes priores & posteriores, quæ realiter priùs & posteriùs secũdum durationem debent pertrãsiri; docet motũ habere prius & posterius, secundum quæ vna pars motus est super vnam partẽ magnitudinis, alia verò super aliã partẽ; & ideò ait talem motum esse cõtinuum. quoniam omnis magnitudo inquit *continua est, sequitur magnitudinẽ motus. quia enim magnitudo continua est, & motus continuus: quia verò motus, & tempus.* Vult ergo ex magnitudine spatij

spatij seu medij oriri prius & posterius quoad motus durationem, vt ita ex spatio quod prius secundum vnam partem pertransiri debet, sequatur successio & continuitas motus, ex qua continuatè ipsum tempus existat, quod est duratio motus secundum prius & posterius, quæ reipsa sint, & non solum varietate conceptionum in mente. Si ergo non prius duratione pertranseatur medium, nõ habebit motus rationẽ prioris & posterioris absolutè, vt intelligit Aristoteles in motu habente prius & posterius.

A

Quamobrem libro 5. Phys. cont. 22. definiens ea quæ sunt *inter*; nempe ipsum quod est intermedium inter aliqua, sic ait: *Inter verò est in quod prius aptũ est natura peruenire id quod mutatur, quàm in quod vltimum mutatur secundum naturam cõtinuè mutationem patiens.* Ergo id quod est medium localis transitus debet esse id in quod prius duratione peruenitur. quandoquidem id quod mutatur continuè prius tempore subit mediũ quàm extrema adipiscatur. Id quod etiam rectè animaduertit Scotus q. 12. cit. §. *Hic dicunt.* vbi ait: *medium esse rationem continuitatis inter extrema transita, vt apparet ex definitione medij.* Quo pacto loquitur vnà cũ Peripateticis & A. Doctore idem sentientibus.

B

Scotus.

Sed ratione idem probatur: quia cum Angelus ex vno palmo lineæ v. gr. se transfert in aliũ palmum finitimum illi & attiguum totũ simul & in instanti; non est ratio cur aliqua pars illius secũdi spatij palmaris dici debeat terminus ad quem transit, & alia pars medium per quod transit. Si enim dicatur terminus ad quem esse dimidium illius palmi, alterum verò dimidium esse medium spatium: contrà est; quia dicam terminum ad quem esse dimidium dimidij, & sic in infinitum per vlteriores partes proportionales vt vocant & communicantes. Ergo nunquam assignabitur terminus ad quem à medio distinctum, qui sit eius lineæ pars. Quod si extremum punctum assignare velint eius lineæ: contrà est manifesta ratio; quia ille est terminus ad quem motus localis ad quem mouetur mobile, vt in eo tanquam in loco consistat; sicut medium est locus per quem transit non in quo consistit vt antè notabamus. Punctus autem non est terminus ad quem mouetur, vt in eo tanquam in loco consistat Angelus cum est in loco diuisibili; sicut nec punctus est terminus ad quem mouetur corpus, vt in eo tanquam in loco consistat. Locus enim diuidui corporis diuiduum spatium sit oportet, quia huiusmodi spatia occupantur à corpore diuiduo, non puncta; & ita connaturaliter conquiescit in complexu sui ambientis. Sanè Angelus ad eum locum tendit, in quo operetur vt supra ostendimus. Non operetur autem in puncto cum degit in loco diuiduo.

C

D

Constat ergo non benè assignari ab iis auctoribus medium per quod transeat Angelus cum ex termino à quo in mediũ illud mouetur puncto temporis, cum illud quod ipsi dicunt medium sit terminus ad quem, & non medium, vt loquuntur A. Doctor, Scotus & alij. Quod etiam verum est siue Angelus moueatur in terminum distantem ab ipso siue in propinquum; modò tamen moueatur puncto temporis. Nam primò si à cœlo in terras non pertransito igne aëre, &c. descendat, tunc solum erit duplex terminus absque medio; nempe cœlum erit terminus à quo; orbis terrarum ad quem. Deinde id multò clarius patet, cùm puncto temporis mouetur in locum ipsi termino à quo finitimum: quia vt probatum est tunc nihil est quod propriè dici medium debet, cum totus ille locus sit terminus ad quem. Itaque illi auctores à sententia Scoti tenentur non dissidere, qui concedit sine medio moueri in terminum finitimum. atque ita tertius modus incidit in eadem quæ quartus sentit ac docet. & videndum de cæteris superest.

E

Conuenire ferè omnes in eo quòd Angelus de potentia Dei absoluta possit se ex vno in aliud extremum transferre nullo pertransito medio. §. 3.

PRo qua re

Notandum tertiò exceptis auctoribus primi modi. in prima sententia cęteros omnes videri in eo consentire vt Angelus per Dei potentiam absolutam possit transire de extremo ad extremum sine medio. Et secundus quidẽ modus id apertè fatetur vt vidimus. Tertius verò quamuis id non distinguat, tamen fundamenta ea iacit doctrinæ, ex quibus omninò apparet posse id à Deo fieri. Nam cum Angelus transit in instanti per medium, vt ipsi loquuntur, vt autem nos ostendimus in terminum ad quem attiguum; tunc verè non transit per medium. ergo Deo non est denegandum posse esse motum etiam in terminum distantem non per medium. Etenim si fieri potest in terminum proximum, cur non etiam in remotum? quandoquidẽ transitus etiam ipsis fatentibus in medium non pertinet ad naturam motus, nec eam necessariò consequitur. si quidem vt ipsi concedunt potest Angelus naturaliter transire non per medium.

Quod verò dici posset, Angelũ in proximum terminum transire posse; quia nulla est distantia quæ superanda sit: in remotum verò non posse quia est interuallum, per quod prius necessariò transeundum est: refellitur duplici argumento; vno quidem ad hominem vt dicitur. Nam Albertus ibi vt retuli vult posse ab Angelo distãtiam naturaliter superari; quippe quæ eius virtuti non resistit; & distantia non est Angelo distantia. Ergo hoc non denegabit Deo: ergo distantia non obest. In Henricum verò sic argumentor: Nam tametsi deberet Angelus prius natura intelligi esse in parte propinquiore quam in remotiore, cum Angelus ex vno termino se alio collocat; tamen id non est ita simpliciter necesse, vt à Deo aliter fieri nequeat. Quemadmodum enim licèt corpus prius natura & tempore etiam, sit in medio quàm in termino cum transit de vno in alium locum; non tamen hinc fit vt non possit Deus transferre vnum corpus ex vno termino in alium non per medium, eò quòd hoc motui nec essentiale est nec propriũ; ita quia nec essentiale nec proprium id Angelo esse debet (quia non magis essentialiter medium postulare Angelus debet quam corpus) diuinæ omnipotentię dandum omninò est, vt Angelum non per medium transferre possit. Quod autem id Deus præstare possit in corpore, non dubium Theologo est. Etenim si potest multiplicare in diuersis locis distantibus idem corpus

Albertus.

Henricus.

saltem

saltem quod non habeat extensionem ad locũ, vt fides Catholica docet de Domini corpore; & est communis Theologorum sententia, quam ipse Henricus quoque complectitur quol. 9. q. 32. & fusiùs eam docent Theologi 3. p. q. 76. a. 5. & 6. Ergo potest idem corpus Deus transferre in locum distantem relicto priore loco à quo translatũ est. cum enim Deus multiplicat idem corpus sine extensione locali & cum modo indiuisibili, vt corpus Christi in Sacramento in locis distantibus & abiũctis; idem est in pluribus locis. ergo idem corpus poterit poni in loco distanti à termino à quo eo termino relicto, ac proinde erit transitus ex vno loco in alium; quia erit recessus ab vno, atque ad alium accessus. Neque enim magis repugnat idem corpus poni in pluribus locis distantibus, quam poni in vno relictis cæteris. Immò plura requiri videntur vt aliquid ponatur in pluribus locis distantibus, quam vt ponatur in loco distanti abiecto alio in quo prius erat. ergo potest Deus id facere multo magis in Angelo. Secundò refelletur dum id probabo simpliciter, & ex natura rei, vt in prima nostra propositione mox dicam. Consentiunt ergo auctores tertij modi.

De auctoribus verò quarti & quinti modi non est difficultas. Nam auctores quarti, vt Scotus loquitur, intelligunt secundum ordinem à Deo præfixum, vt retuli in eius ratione: similiter etiam Valentia ibidem, qui Scotum sequitur de medio participante, eiúsque rationem defendit. Quinti denique auctores id apertè concedunt in loco saltem non adæquato. quia conuinci eodem modo possunt, vt auctores tertij modi. Nec ipsi hoc negarunt; sed solum cũ sunt in loco adæquato inferunt repugnãtiam; de qua tamen re infrà. Solùm ergo difficultas præsens examinanda remanet quoad duas partes. Altera est de potentia Dei absoluta in auctores primi modi. Altera verò secũdum vires naturales Angeli, vt confirmetur secunda sententia, quæ est A. Doctoris.

De potentia Dei absoluta posse Angelum se in locum distantem transferre absque medio argumentis ostenditur. §. 4.

PRo quarum rerum solutione sic ad Difficultatem respondetur. Et sit

Prima propositio. Absoluta Dei potentia potest Angelus transire de extremo in extremum etiam distans sine medio. Hæc propositio videtur aduersari auctoribus primi modi in prima sententia. Et probatur primò à posteriori ex modò dictis. Nam vt dicebamus Deus potest sua omnipotentia ponere corpus non extensum, sed indiuisibiliter se habens ad locum, in duobus locis inter se dissitis. Ergo à fortiori potest ponere Angelum in termino ad quem, qui abiiciat terminum à quo; vt si potest eundem Angelum ponere Romæ & Neapoli, potest etiã ponere Neapoli eundem Angelum qui erat Romæ auferendo ab illo ipsum esse Romæ. Non enim ne in corpore quidem est necessaria coniunctio, vt id quod Neapoli collocandum est, sit quoque simul Romæ. Immò connaturalius est ei Angelo aut corpori si ponendum sit Neapoli vt careat cæteris localibus formis. Quo pacto magis connaturaliter Deus creat cœlum alicubi determinatè; cum illud producit absque alia forma, qua debeat esse alibi. Sanè negari non potest quin si hoc fieri possit in corpore per formam & modum, quo collocetur corpus indiuisibiliter Romæ ex vrbe Neapolitana; ergo idem à fortiori contingere potest in Angelo, cui magis connaturalis est modus ille, quo indiuisibiliter in loco collocetur. Ergo tunc Angelus mouebitur sine medio ad terminum distantem non finitimum, quia abiiciet terminum à quo, dum terminum ad quem adipiscitur, vt mox melius confirmabo.

Secundò probatur propositio nostra ratione ex natura rei. Nam omne mobile quod cum est in termino à quo, potest acquirere formam, per quã collocetur immediatè in termino ad quem distanti à termino à quo, potest transire de extremo in extremum distans sine medio. Sed Angelus absoluta Dei potestate cum est in termino à quo, potest acquirere formã per quam immediatè collocetur in termino ad quem distanti à termino à quo: Ergo Angelus absoluta Dei potestate potest transire de extremo in extremũ distans sine medio.

Maior ferè nota est ex terminis: quia si mobile cum est in termino à quo, potest acquirere huiusmodi formam, hoc ipso habebit effectum formalem eius formæ; nempe esse ibi in eo loco distanti; atque ita immediatè transit de termino à quo ad ipsum terminum ad quem distantem, ac proinde non per medium. Alioqui non immediatè, sed mediatè transiret. Ergo tale mobile transit de extremo, nempe de termino à quo in extremum terminum ad quem non per medium.

Minor probatur: quia potest Deus in Angelo, qui sit hic Romæ producere formam per quam sit Parisiis, non producendo formam per quã sit in reliqua parte Italiæ, & in ea Galliæ regione, quæ Parisios ducit. Illa enim forma, quæ ponit Angelum Parisiis, non necessariò præsupponit aliam, quæ ipsum collocet in prædictis interiacentibus partibus. Vt enim diximus suprà; si Deus potest ibi collocare corpus indiuisibiliter ad locum in loco distanti non collocando ipsum in medio, poterit etiam in eodẽ producere formam, qua sit ibi, etiamsi non producat formam, per quam sit in prædictis partibus intermediis, eo quod forma per quam est ibi non præsupponit formam per quam sit in medio. Ergo poterit etiam in Angelo qui sit hic Romæ producere formam per quam sit Parisiis, etiamsi non producat formam per quam sit in prædictis partibus, eo quod forma collocans Angelum Parisiis non præsupponit formam per quam sit in medio. si autem potest Deus producere formam per quam immediatè sit Parisiis in Angelo qui est hic Romæ, etiamsi in eo non producat formam per quam sit in via quæ tendit Parisios; ergo absoluta sua potestate potest Angelus qui sit hic Romæ tanquam in termino à quo, habere formã vt collocetur immediatè in termino ad quẽ, nempe Parisiis.

Neque responderi potest tunc Angelum propriè non transire eo quòd cum non se moueat, sed à Deo transferatur, propriè non transit, sicut cùm nauta fertur in naui potius mouetur quàm transit.

transit. Hoc inquam dici non poteſt, quia omne quod in ſe mutat formam, ſiue ab alio ea generetur, ſiue ab ipſomet mobili, tranſit de vna forma in aliam. Hoc namque pacto aqua quæ ex frigida caleſcit agente igne extrinſecus, tranſire dicitur de frigido in calidum eſſe. Neque hic aliter ſignificare volumus verbo tranſeundi, cũ non diſputetur hic, An motus ille ſeu tranſlatio efficienter ſit ab Angelo an ſecus. Tantum enim inquirimus; poſſitne eſſe motus abſolutè ab vno termino in alium diſtantem non per medium, vndecunque actio manet; nimirum an è ſolo Deo an etiam è creatura. Conſtat ergo fieri poſſe.

Eſſentiam localis motus perfectè intelligi præcisè à continuatione & ſucceſſione. Vbi multa de motus definitione ab Ariſtotele tradita libro 3. Phyſicorum. §. 5.

EX hac propoſitione ita probata Colligitur primò, poſſe intelligi eſſentiã motus localis etiamſi non intelligatur tranſitus per medium.
Alexander. S.Bonau. quod Alexander & S.Bonauentura negabant in primo dicendi modo in prima ſententia. Hoc autem patet: quia eſſentia motus localis conſiſtit vt ſit tranſitus alicuius ſubiecti de loco ad locum. Sed tranſitus de loco ad locum poteſt intelligi ſine eo quòd intelligatur tranſitus per medium. Ergo tota eſſentia motus localis poteſt intelligi etiamſi non intelligatur tranſitus per medium.

Ariſtoteles. Maior probatur dupliciter: Primò ex Ariſtotele, qui libro 5. Phyſ. cont. 3. expreſsè dixit; *omnem motum [illegible] ex quodam in quoddam*; nempe tranſitum. Et ideò tria tanquam motui ſubſtantialia ponit: nempe ſubiectum quod tranſit, terminos a quo & in quem trãſit. *Alterum enim eſt quod primum mouetur, & in quod mouetur, & ex quo mouetur.* Quod & ex ipſo nomine tranſmutationis confirmat cont. 7. ibidem ſic: *quoniam omnis transmutatio eſt ex quodam in quoddam. Manifeſtat autem & nomen. Poſt aliud enim aliquid, & aliud quidem prius ſignificat, aliud autem poſterius, mutabitur quod mouetur quadrifariam* &c. Cum ergo motus localis ſit quidam motus tota eius ratio conſiſtet, vt ſit tranſitus ex quodam loco in quẽdam locum. Deinde id ipſum ratione patet: Nam hoc ipſo quod eſt alicuius tranſitus ex aliquo in aliud, eſt actus mobilis qua mobile eſt, hoc eſt tranſeuntis in aliud, & *actus entis in potentia prout in potentia*; hoc eſt tendentis ad aliud. quæ ſunt definitiones motus eſſentiales, vt patet ex lib. 3. Phyſ. cont. 7. & 9. Ergo tranſitus ex quodam in quoddam eſt tota ratio motus. Vnde etiam ſequitur vt tranſitus ex quodam loco in quẽdam locum; ſeu quod idem eſt de loco in locum ſit tota ratio motus localis. Omnis enim ſpecies motus generatim ſumpti contrahitur per differentiam ſuam, quam ex termino ad quem deriuamus.
Ariſtoteles. Motus enim vt ait Ariſtoteles lib. 5. Phyſ. cont. 48. *Vnuſquiſque dicitur eo in quod mouetur magis quam eo ex quo; vt ſanatio qui in ſanitatem, agrotatio qui in ægritudinem.* Idémque aliis verbis docuerat eodem libro cont. 4. *Magis autem ab eo in quod quam ex quo mouetur, denominatur mutatio.* Quo

A dicendi modo idem ſignificatur ac quod Philoſophi dicunt ſuis verbis: *Motus ſpecificatur à termino ad quem magis quam à termino a quo.* Ex quibus patet; ſi motus localis dicatur Tranſitus de loco in locum, ibi poni integram eius definitionem; nempe genus in eo quod eſt *tranſitus*; & differentiam in eo quod eſt ad locum ex loco. ac proinde totam eius naturam conſiſtere in eo quòd ſit tranſitus de loco ad locum: quandoquidem hoc explicatur eius eſſentiali definitione, quæ erat Maior probanda.

Minor verò non habet difficultatem: quia in hoc quod intelligitur tranſitus de loco ad locum, non intelligitur *per medium*; quia aliud eſt
B tranſire de loco ad locum, aliud verò de loco ad locum per medium. Hoc enim poſterius eſt quid ſuperadditum priori. Illud enim prius mente ſeparatur ab hoc poſteriori; quia ad eius rationem non pertinet, cum illi ſuperueniat. Nam tota motus eſſentia eſt, ſi ſubiectum mutet locum; hoc eſt ſi aliter ſe habeat ſecundum locum, non autem vt hoc vel illo modo; nempe per medium aut huiuſmodi, quæ intelliguntur aduenire eſſentiæ motus, extráque ei adiacere, non penitus ineſſe. Sicut aliud eſt tranſitus ligni in calorem; aliud verò tranſitus ligni in calorem ſucceſſiuus & continuus. Illud enim
C ſaluaretur in ligno etiam non habente contrarium frigus; hoc verò nonniſi in eo quod frigore affectum eſt.

Ex quibus obiter Colligitur, motui non eſſe eſſentialem ipſam continuationem & ſucceſſionem partium. Nam eſſentia motus ab his mente ſeparatur. Vnde cum Angelus tranſit de loco ad locum, nec medium pertranſit, verus eſt motus localis; quia eſt mutatio loci: ſicut ſi ſubiectum tranſiret de frigido in calidum, momento temporis eſſet vera alteratio etiamſi ſubiectum non tranſiret per medium; eo quod ſcilicet prius duratione vnam qualitatis partem quàm aliam non acquireret: quod eſt tran-
D ſire per medium propriè. Quia vt diximus ex Ariſtotele, Medium eſt illud in quod mobile priùs mutatur, quàm ad extrema perueniat.

Hinc autem video exoriri difficultatem illam, quam à nonnullis recentioribus qui arbitrantur tum Ariſtotelis tum vera ſententiã motum non poſſe ſimul eſſe cum forma, magni fieri ſolere ſcio. Etenim ſi motus *eſt actus entis in potentia*, vt eum definiuit Ariſtoteles libro tertio Ariſtoteles. Phyſicorum contextu ſexto: ſeu *actus mobilis quatenus mobile exiſtit* vt ipſe loquitur eodem libro contextu decimoſexto, nimirum actus eius quod tendit ad vlteriorem terminum; impoſſibile eſt vt ſit ſimul cum forma ſeu termino ad quem motus ipſe eſt. Nam poſito termino ad
E quem motus tendit, hoc ipſo mobile eſt in termino; ergo non eſt in via, ac proinde non eſt in motu qui via ad terminum eſt, cum ſit tranſitus ad ipſum terminum. ergo poſito termino non poteſt eſſe motus ad ipſum terminum, quia mobile ſimul eſſet in via ac termino; quod fieri non poteſt; cum hæc pugnent inter ſeſe.

Confirmari poteſt ex iis, quæ antè dicebamus de Medio, per quod eſt motus. Propterea enim mobile non poteſt tranſire medium eodem momento, quo eſt in termino: quia repugnat eſſe tranſitum per medium in eodem inſtanti, in quo mobile eſt in termino. Nam ſi in eodem inſtanti quo mobile pertranſire dicunt

per

per medium, ipsum mobile est in termino; ergo mobile tunc consistit, ac proinde in eo momento non transit per medium. Vnde dicebamus mobile prius secundum durationem necesse esse per medium quod est ad terminum via, transire quàm sit in termino; ne eodem momento cogeremur asserere, mobile simul moueri atque consistere. ergo nec rectè dici potest eodem momento mobile simul habere motum ac terminum motus; quia mobile transiret ad terminū eodem momēto, quo illum habet; ideóque sequeretur mobile eodē omninò momento, moueri simul, atque consistere & quiescere.

Attamen hæc si rectè pendantur non abducunt animum à veritate quam modò constituimus. Nam primò ex eo quod motus est transitus, nego rectè deduci, non posse ipsum motum simul esse cum forma, ad quam est transitus. Immò motum simul esse debere necessariò cum suo termino proximo & immediato, patet hoc argumento. Quoniam cum omnis motus sit re ipsa aliqua actio, vt docet Aristoteles libr. 3. Phys. cont. 18. 19. & 20. impossibile est motum secundum aliquam temporis durationem re ipsa prius esse quam terminum. Neque enim actio tempore terminum antecedit; ne dicamus aliquo tempore esse productionem aliquam, sine eo quod aliquid actu producatur; Vt non est motus localis, qui est ad locum, nisi acquiratur locus ipse, dum mobile mouetur; nec productio caloris nisi calor ipse fiat, & sic de cæteris. Sunt enim actiones huiusmodi quædam formarum & terminorum acquisitiones; vt motus localis adeptio loci, & calefactio caloris acquisitio, &c.

Aristoteles.

Præterquam quòd actio & passio idem re sunt vt accliue & decliue; & vt eadem via Athenis Thebas, Thebisque Athenas teste Aristotele libro tertio Phys. context. 18. & 21. Ergo actio, motus, & passio, sunt vnum idémque in re. At constat passionem non esse sine suo termino. Non enim quis docetur nisi hoc ipso sit in addiscente doctrina, quam à docente perdiscit; nec subiectum calescit, nisi quia in eo fit calor, & sic de cæteris. Actio ergo & motus sunt simul cum suo termino, non autem ipsum aliqua temporis duratione antecedunt.

Ex hoc autem sequitur etiam ipsum motum successiuum atque continuum eodem tempore esse simul cum termino, qui successiuè & continuè acquiritur, pro rata portione motus. Si enim est motus ad octo gradus caloris, totus ille calor acquiritur eodem tempore, quo est motus; v. gr. vna hora qua elapsa nihil amplius caloris existet in subiecto. Si verò est motus ad calorem vt quatuor, dimidiata hora; eodem tempore simul calor vt quatuor fit, &c. Sicut enim se habet totus motus, ad totum terminum, ita pars ad partem. Vnde cum est motus ad octo gradus caloris, est etiam pars motus in aliqua eius durationis parte, ad aliquem gradum illius; v. gr. dimidium illius motus ad quatuor gradus, &c.

Non enim audiendi sunt ij qui putant, totum illum motum & partem illius quamcunque esse ad negationem vlterioris caloris; ita scilicet vt alius terminus siue totalis, siue partiarius assignandus non sit quàm prædicta negatio. Quare si ab his quæratur; quisnam est terminus calefactionis vt quatuor? respondendum putant esse

A negationem vlterioris gradus, quæ est in calore vt quatuor, & sic de toto, & cæteris partibus. Hos aio non esse audiendos. Nam terminus est is ad quem per se tendit motus, seu ad quem motus per se est via. Et idcircò motus est actus tendentis ad terminum, nempe per se, non per accidens. At motus non per se tendit ad negationem; esto illa consequatur ex termino per se: quoniam motus est transitus per se ad formam, licèt sit transitus ex negatione formæ tanquam ex termino à quo. Quam ob causam Aristoteles lib. 1. Phys. à cont. 41. præsertim 56. 57. 68. 69. & 70. consentientibus ibi Peripateticis omnibus, docuit motus & mutationis tria oportere esse

B principia; nempe materiam tanquam subiectum quod transit; priuationem, à qua transitur; formam quam per motum subiectum acquirit, & ad quam per se transitus est. Nec vspiam huius negationis meminere.

Sanè argumentum Aristotelis eodem libro vbi cont. 56. tria probat esse principia (nempe per se; quia principia per accidens infinita esse possunt, sicut de causis per accidens docet idem Aristoteles libro secundo Phys. cont. 50.) nihil ad rem esset, si illa negatio per se terminus esset. Probat nàque hoc pacto esse tria principia: Duo sunt prima contraria; iis autem satis est, si **Aristoteles.**

C vnum subiectum subiiciatur. ergo tria sunt mutationum principia; quia scilicet omnis mutatio est ex contrario in contrarium, sub quibus vnum reponitur subiectum, quod mutatur ex eo, quod nunc sub vno, nunc sub altero contrariorum esse oporteat. Non inquam valeret propterea quod tria deberent esse contraria vltra subiectum quod illis subest; nempe priuatio, forma, & negatio illa quæ formam tanquā per se terminus consequi ab his auctoribus dicitur. Non est ergo illa negatio per se terminus motus, sed forma cui adiacet illa negatio. Vnde falsum est quod dicunt, si nimirum quæratur quis sit terminus calefactionis vt quatuor, responD

deri oportere esse negationem. Nam per illam formam respondeti oportet ei quæstioni, per quam ei quæstioni satisfit. At ei satisfit per formam positiuam non autem per negationem.

Quod quidem patet inductione per singulas motuum species. Quoniam si quæratur, in quē terminum mutetur seu transeat aqua per motum calefactionis? ad rem dices, si respondeas; ad esse calidum, siue ad calorem. Si rursus alius sciscitetur; ad quem terminum moueatur Petrus cum locum mutat: prompta ei respōsio erit: Mouetur Romam: it ad templum S. Petri, &c. Idémque de reliquis aio. Vnde nec Aristoteles, qui terminos ad quos motus diligenter est persecutus ex instituto lib. 5. Phys. cont. 9. alios assi-

E gnauit præter hos; nempe qualitatem ad quam est alteratio: quantitatem ad quam est augmentatio: & locum in quem tendit latio. Non ergo negatio est per se terminus motus sed forma.

Non magis rectè sentiunt ij qui putarunt vnam partem motus esse ad aliam eiusdem motus subsequentem tanquam ad terminum: vt cū est calefactio continua ad octo caloris gradus, putant vnam partem calefactionis. v. g. eam, quæ est primi gradus, tendere ad eam quæ est secundi in eadem calefactione, & quæ est secundi progredi ad eam quæ est tertij: & similiter de cæteris. Quos non rectè sentire aio. Primò quia nullus

nullus motus, est alterius motus per se terminus; cum nullus motus esse possit sine suo termino, possit autē esse vnā pars sine alia subsequenti, si idem motus vlterius non perseueret. Præterea quia eiusdem rationis est totus continuus motus, & eius quælibet pars; vt tota calefactio ad octo gradus, & pars calefactionis ad quatuor. Termini namque specie non differunt cum sint homogenei. Constat autem totum motum esse ad formam tanquam ad terminum; ergo & pars motus debet esse ad eandem partiariam formā, tanquam ad terminum; ac proinde nō ad aliam motus compartem.

Accedit, quia si motus speciem sumit à termino, certè vna pars non potest esse per se terminus alterius. Idcircò enim à suo termino motus sumit speciem, quia ad illum per se respicit. At vna pars motus per se non respicit aliam subsequentem, non solùm ob eam causam, quia vt diximus absque ea comparte motus antecedens totus esse potest: Verùm etiam quia absque ea definiri essentialiter potest. Quod certè non esset si eam per se respiceret; vt patet in cæteris quæ per se ad terminum referuntur; vt intellectus, voluntas, & cæteræ potentiæ quæ definiuntur comparatè ad suos terminos, seu actus, seu obiecta, ad quæ per se tendunt. Definiri autem essentialiter posse vnam calefactionis partem absque alia, patet: quia dicitur vna pars calefactionis esse ad vnum gradum caloris, alia ad alium &c.

Denique id ipsum patet argumento Aristotelis libro quinto Phys. cont. 12. & deinceps, vbi contendit nullum motum esse ad alium tanquam ad terminum. Ait autem in eo cont. 12. ex eo quod omnis mutatio, est inter duos terminos oppositos, non posse motum esse terminum alterius motus. Quod argumentum sic ad rem nostram transfero. Omnis motus est inter terminos oppositos. ergo vna pars mutationis non est ad aliam vt ad terminum. Deberet namque vna pars ad aliam transire ex termino à quo qui illi opponeretur parti. Quæro ergo quisnam sit terminus à quo ei parti oppositus? vt cum transit aqua continuo motu ad frigus suum. Tunc enim cum alteratur per refrigerationem vt duo, terminus à quo oppositus non est pars refrigerationis vt vnum. Nam nullus terminus à quo oppositus componit vnum continuum cum termino ad quem opposito. opposita enim se mutuò perimunt, non sunt partes vnius. At pars illa qua refrigescit aqua vt vnum, componit cum ea qua refrigeratur vt duo; ergo vnum continuū componunt.

Constat ergo ex dictis semper terminum debere simul esse cum suo motu, siue motus momento tantùm, siue etiam tempore continuo peragatur. Vnde vt dicebamus deduci non potest ex eo quod motus sit transitus, ipsum non posse simul esse cum termino ad quem est transitus; vt ita interemptione argumēti aduersariorum ostenderem, ipsum in nostram sententiam vires habere non posse.

Deinde ad argumentum respondeo directè, & in rigore seruatis legibus formæ. Nego enim primam propositionem argumenti. Etenim verum non est etiamsi motus sit actus entis tendentis ad vlteriorem terminum, hoc ipso mobile non posse esse simul in termino. Vnde ad eius probationem dico dupliciter posse mobile esse in via. Primò enim potest esse in via per modum conficientis & transeuntis interuallum & spatium interiectum inter terminum à quo & terminum ad quem. Quo pacto qui Roma Parisios proficiscitur, conficit intermedium Italiæ & Galliæ spatium quod inter illas duas vrbes interiacet. Alio modo per modum in se suscipientis formam, quæ est via & transitus & quædam relatio, quæ tanquam intermedia inter terminos, à quo, & ad quem intelligi debet; sicut cum intelligitur subiectum & materia, mutari de non esse animato ad esse animatum; vt cùm materia præparata per dispositiones leonis, eius animam suscipit.

Hinc ergo ad illam probationem dico, etiam posito termino ad quem ipsius motus posse mobile esse in via hoc modo posteriore, non priore. Nam vt mobile sit in via hoc modo; satis est si habeat formam illam, quæ est transitus & relatio ad vtrumque terminum prædictum; nempe ad terminum à quo, & ad quem: vt iam diximus. Hanc autem formam mobile habere, dum habet terminum, non repugnat: vt patet in cæteris relationibus huiusmodi. Hoc enim pacto patibile seu passum dum agentis actionem in se suscipit habet formam quæ est via ad terminū; nempe actionem. Quam esse viam ad terminum indicat Aristoteles libro 3. Phys. cont. 21. vbi ait actionē passionémque inter se differre sicut via Athenis Thebas; & Thebis Athenas. Et ratione patet: quia ipse docendi actus qui disciplina est dum in discente recipitur, est via ad scientiam disciplinabilem, & ædificatio est via ad ædificiū. & sic de aliis similibus. Tunc autem subiectum simul actionis quoque terminum habet; cum antè ostenderimus actionem sine suo termino in aliqua reali duratione prius esse non posse.

Ratio autem, cur id non repugnet; immò potius cur debeat esse cum suo termino motus ipse, à priori est. Etenim huiusmodi transitus seu via quæ est relatio ad terminum, intimè deposcit terminum existentem, cuius est modus. Deposcit quidem terminum; quia transitus huiusmodi & via sunt ipsæ actiones reipsa; cum vt docet Aristoteles libro illo 3. Phys. cont. 19. & deinceps actio & motus idem sunt. Vnde eodem cont. hanc ob causam ait, actionem non esse in mouente. quia *si hoc motus in mouente erit.* Sic etiam cont. 11. ibidem: *necesse est* inquit *ædificationem actum quendam esse: ædificatio autem motus quidam est.* Actio autem adeò terminum exigit existentem, vt impossibile sit ipsam absque termino esse, quia actio est termini productio; vt antè docuimus. Est ergo actioni ac motui necessarius terminus non quocūque modo, sed qui sit actu. Est autem termini modus: quia si ab eo separatim existere nequit; ergo ab eo non distinguitur tanquam res à re, sed tanquam modus à re cuius est modus. Ergo huiusmodi transitus & relatio ab ipso suo termino existente modali tantùm distinctione seiungitur. Itaque ad illam probationem negatur consequentia. Non enim absurdum est mobile simul esse in via & in termino, si via tantùm sit quædam forma & relatio ad ipsum terminum.

Sin autem alio priore modo sumatur via, nempe

nempe pro interuallis & spatio, quod mobili transeundű sit, vt sit in termino, hoc est in eo loco, vbi motus cesset, vt sit verbi gratia Romæ, aliunde mobile aduenienens; Tunc dico non posse simul esse mobile quodcunque sit illud in via & in termino. Ratio prorsus mihi videtur esse ex se perspicua. Nam mobile cum est in medio interuallo quod est via ad terminum, non debet ibi consistere, sed vlterius moueri ad terminum. Hoc enim est mobili esse medium interuallum; vt nimirum mobile pertranseundo illud ad suum terminum perueniat. Idcircò enim antè ex Aristotele dicebamus libro decimo Metaphysices, contextu vigesimosecundo medium esse id *in quod necesse est priùs permutari quod permutatur ab extremo in extremum*; ita vt illud prius antecessionem temporis denotare debeat, vt ibi diximus. Ergo prius tépore mobile debet per medium transire, quàm in extremo se loco collocet. Quapropter libro sexto Physicorum, contextu septuagesimoseptimo expressiùs dixit; *quod prius ad medium oportet peruenire id quod fertur quàm ad finem.* vbi cum loquatur de motu locali continuo, intelligi oportet ita vt priùs tempore sit in medio quàm in fine: quia quod fertur Aristoteli motu continuo fertur non momentaneo, cum nullum motum localem qui momentaneus sit concesserit vspiam. Quod expressit manifestis verbis libro quinto Physicorum, contextu vigesimosecundo, eadem de re disputans. Definit enim quid sit esse *inter* seu quod est idem, quid sit esse interuallum, & inter duo intermedium corpus; & sic scribit: *Inter verò in quod prius* inquit *aptum natura peruenire id quod mutatur quam in quod vltimum mutatur, secundum naturam continuè mutationem patiens.* Sermo igitur ibi est de medio quod prius secundum aliquam durationem pertransitur, quam ad extrema motu locali perueniatur.

Aristoteles. Ex hoc igitur sequi manifestum est quod cótendimus, nimirum mobile non posse in medio interuallo consistere cum ad extrema progreditur. Nam ibi consisteret & progrederetur. Progrederetur; quia transit medium ad vlteriorem terminum: Et non progrederetur; quia ibi consisteret. Neque enim vt antè diximus, satis esset, vt prius natura per medium transiret. Hoc namque pacto dici posset etiamsi daretur Angelum transire absque medio in terminum ad quem diuisibilem, ipsum Angelum prius natura transire per partes eius termini ad quem, quæ viciniores termino à quo assignari possunt: & ita transiret medium semper. Alia etiam plura vide infrà in fine præsentis Difficultatis; quæ hanc rem magis declarabunt & confirmabunt validiùs.

Ex quibus respondetur ad confirmationem. Dico enim causam cur medium pertrâsiri oporteat tempore priùs quam terminus ad quem attingatur, non esse quia repugnet esse transitum quomodocúque simul cum termino, vt ostẽsum est. Immò etiam tunc transitus per medium est simul cum aliquo termino motus; nempe cum ipsa vbitate effluente, quæ successiuè per motum acquiritur, deperitque vnà cum motu. Sed causam esse aio, quia per medium interuallum peruenitur ad extremum locum, in quo mobile consistere debet, & immobilitatem quærit. *Cui enim* inquit Aristoteles lib. 3. Phys. cont. 16. *inest motus huic immobilitas quies est*; nempe in termino

Aristoteles.

A ad quem. Si enim, vt dictum est per tale interuallum transit; ergo ad terminum vlterius moueri debet; non verò ibi consistere, cum quies non sit medij sed termini. Hoc autem (vt diuersitatem rationis vtrinque constituamus) non reperitur in motu: qui est transitus ad terminum eo quod sit forma & respectus ad illum, quę potest esse & necessariò esse debet simul cum suo termino; eo quod non dicatur per eam moueri ad vlteriorem terminum; nisi quia per eam tanquam per actum agentis formam adipiscitur, ad quam ille actus est, & quam secum in subiectum adducit; vt calefactio calorem; addiscendi actus doctrinam &c.

B Hinc quoque intelligi potest alia ad rem nostram diuersitas, in constituendo mobili in potentia ad vlteriorem formam. Nam motus respectu sui termini ad quem; quẽ secum motus ipse à parte rei necessariò adducit, constituit subiectum in proxima potentia ad vlteriorem formam & perfectionem, in hoc sensu; quia scilicet ipse in posteriori quodam rationis trahit secum ipsam formam ac terminum; & ita formaliter ac præcisè per motum subiectum tendit proximè ad ipsam formam, cum ante motum proximè non tenderet; ideóq; ad ipsam non erat in potentia nisi remotè. Et quamuis vt suprà diximus, vt aliquid propriè sit in potentia ad aliud

C debeat habere in se negationem eius ad quod tendit; quo pacto diximus ex Aristotele libr. 9. Metaph. cont. 17. æterna carere potentia; nam vt ipse ait: *Nihil simpliciter incorruptibilium potentia est*, nisi ad *quale aut Vbi*; eo quòd actu habent quæcunque vi naturalis agentis habere possunt. & ideo subdit: *Actu ergo omnia.*) Quam negationem non videtur habere subiectum illud quod trãsit, quia habet simul & motum & terminum illius: Tamen vt hoc etiam verè dicatur de ipso subiecto habente motum ad terminum, intelligi id hoc pacto debet: Vt scilicet mobile precedentem negationem retineat in quodam priori na-

Aristoteles.

D turæ, nempe in eo in quo intelligitur transitus. Quippe negatio illa antecedens in subiecto per motum formaliter & pręcisè non expellitur, sed per subsequentem terminum, quia ei negationi oppositus est. Non enim cũ aqua calida refrigeratur, intelligiturq; in potentia proxima ad frigus, cuius negationem habebat, desinit habere eiusdem frigoris negationẽ formaliter per motũ qui est refrigeratio, cùm expelli formaliter debeat frigore quod illi ex aduerso est, opponitúrque vt habitus. Itaq; id quod mouetur ad terminum quem secum necessariò motus adducit, est in potentia proxima in priori naturæ, in qua retinet negationem termini ad quem; quo ter-

E mino præcisè in eo priori illa sublata expulsáque non est; sed solùm intelligitur mox per terminum abiicienda. Quocirca non debet tũc in eo instanti motus, si hic momentaneus sit, illa negatio illa reipsa à parte rei, nisi in hoc sensu; quia scilicet pręcisè ex vi motus non sit expulsa. Nam simpliciter cum in eo momento sit ei opposita forma, certum est esse desiisse.

Vnde cum Aristoteles definiuit in eo cont. 6. libro tertio Phys. motum esse actum eius quod est in potentia ad vlteriorem formam, rectè eum definiuit secundum rationem formalem obiectiuam ac præcisam, quam intelligũt homines nomine motus; non autem secundum omnia cũ quibus cõiunctus est à parte rei. Cõstat enim nomina

Aristoteles.

nomina ac proinde definitiones quæ nominibus explicantur, immediatè esse signa nostrarũ notionum quas de rebus habemus non ipsarum rerum, vt reipsa à parte rei atque in seipsis sunt; vt disputatum est lib. 1. Periher. c. 1. ergo cum notio motus sit transitus ad formam; ideóque constituat subiectum transiens, ac proinde in proxima potentia ad formam suscipiendam, debuit rectè definiri per actum tendentis ad formã vlteriorem. Atque hoc ex parte ipsius motus qua motus est ad terminum.

At verò medium per quod transit mobile ad terminum, quia comparari debet ad terminum vltimũ, in quo mobile consistere debet, origo & causa est, vt motus qui fit per ipsum, alio modo constituat mobile in potentia ad vlteriorẽ terminum ac formã. Nam ita constituit motus per medium, in potẽtia ipsum mobile, vt verè à parte rei in se habeat negationem termini ad quem vbi consistere mobile debet; vt v.gr. cum lapis è fastigio turris descendit per aërem vt sit in centro, certum est cum per intermediũ aërem transit, ipsum lapidem ita esse in potentia ad locum centri, vt eius reipsa negationem tunc temporis habeat. Cuius ratio est quam dicebamus. Oportet enim medium hoc spatium prius tempore pertransiri à mobili, quàm sit in termino ad quẽ est illud medium; ergo in eo tempore retinebit reipsa negationem termini vltimi, ad quem motus per medium ducit.

Itaque vt summatim hæc perstringã, sic aio: motum comparari posse ad duplicem terminũ ad quem. Ad vnum quidem quem per se & immediatè affert, & ad illum est trãsitus relatiuus, hoc est qui sit forma, quæ est relatio ad illũ essentialiter tanquam ad suum verũ ac per se terminum; vt calefactio ad calorem, latio ad suam vbitatem, &c. Et hos motus aio simul aut instãti, aut tempore oportere esse cum terminis suis, quia necessariò hos secum quicũque motus adducit; nec respectu horũ motus facit subiectum in potentia nisi in priori naturæ, eo quod sit forma quæ præcisè & formaliter & proximè subiectum constituit transiens ad eam formam, vt ostensum est. Ad alterum verò non quidẽ quem immediatè secum motus adducit, nec ad quem motus ipse est per se via, & essentialiter relatio; sed ad quem motus est via denominatione extrinseca ab ipso medio per quod transit. Ex eo enim quod mobile transit per medium quod interiacet inter extrema, dicitur ille transitus ac motus, via ad terminum illum, in quem per medium ipsum tendit. Vnde ille motus est quidem actus entis tendentis ad vlteriorem terminum; non tamen qui sit terminus motus per se. Hic enim terminus est forma, quam secũ simul motus affert, & cuius est productio vt diximus; sed qui sit terminus ipsius medij, cuius est extremũ in quo mobile appetit conquiescere. quo pacto cum lapis ille descẽdit per aërem ad centrum, motus ille per aërem est quidem actus lapidis in terminum tendentis; sed tamen ita vt sit tendẽtis ad terminum aëris; non tendentis ad terminũ qui sit terminus immediatus ipsius motus, qui suas habet vbitates vel totales vel partiarias pro varia motus portione.

Non tamen nego illum ipsum quem dicebamus aëris terminum, posse dici eius motus per medium, terminum mediatum & vltimum; nimirum tanquam id quod est finis & extremum A rei. quo pacto mors dicitur terminus vitæ, non tamen terminus ad quem per se est vita. In qua re optimè Aristoteles lib. 2. Phys. cont. 25. Homerum, siue Euripidem vt Philopono placet, laudare potuit, quod de quodam qui mortem iam obierat ioco dixerit, habere finem ob quem natus erat. *Quocirca & Poëta derisoriè adductus est* inquit ibi Aristoteles *vt diceret. Habet finem, cuius causa natus est*. Non enim licet mors sit terminus vitæ sicut nox est diei, idcirco dici debet vitæ finis ac per se terminus, acsi vita propter mortem tanquam ad per se terminum sit, cum non concesserit natura vitam in hunc finem vt moriamur: Quo in loco obiter obserua lector ferè omnes interpretes existimare, ab Aristotele re- B prehendi ibi Poëtam, quod mortem finem cuius causa vitæ esse dixerit. quod sanè falsum est. Nam Aristoteles ibi postquam dixit, derisoriè à Poëta dictum illud fuisse, probat id benè esse dictum derisoriè, ex eiusdem Poëtæ sententia ac verbis, hoc pacto subdẽs. *Vult enim* Poëta ille *non omne vltimum esse finem sed optimum.* Aristoteles.

Ex his autem vlterius intelligitur, malè recentiores quosdam ex definitione motus ab Aristotele tradita eo cont. 6. colligere, ea definitione solùm comprehendi motum successiuum. Arbitrati enim sunt motum quia est actus subiecti transeuntis non posse esse simul cum termino. Contra quam tamen doctrinam ostendi- C mus, non posse esse motum, quin simul suum terminum proximum & immediatum, cuius est productio, secum in subiecto habeat. Præterquam quod non distinxerũt ij vllo pacto de subiecto transeunte ad terminum medij, & de subiecto transeunte ad terminum motus per se; quod tamen necessariò distinguendum esse patet ex dictis. Vnde hoc pacto aqua v. gr. cum calescit continuè ad tres gradus caloris; cum primus gradus producitur est quidem in potentia ad secundum, & tertium gradum tanquam ad terminos, non tamen calefactionis quæ est ad primum gradum; sed ipsius primi gradus qui est veluti interiacens medium inter illos. Hæc au- D tem volui aliquantò diffusiùs explicari, ne in re ob dissensionem Recentiorum controuersa, aut non vidisse difficultatem, aut laborem in ea diligentiùs examinãda subterfugisse videremur.

Vna hic Difficultas postrema videtur esse. Nã ex dictis sequitur, cum Deus in primo momento Mundum è nihilo procreauit, tum illuminationem fuisse motum, quia illuminatio est actio. actio autem omnis est motus vt diximus. Hoc autem non videtur verum; quia illuminatio tunc non fuit motus, quia nec fuit transitus à termino à quo, nempe à tenebris ad terminum ad quem nempe lucem.

Respondetur tamen sine dubio fuisse motum E incompletè. licèt enim fuerit actio quæ est realiter motus, tamen non fuit terminus a quo, & priuatio, quæ ad essentiam motus completam requiruntur. Nec absurdum est aliquid requiri extrinsecus ad aliquod relationis complementum, vt sit simpliciter & completè talis, vt patet in ratione potentiæ effectricis & susceptricis, de quibus suprà iam fusè diximus, non vno tantum loco. Eadem ratione dicimus de relatione; quæ quantum attinet ad illud, quod se tenet ex parte fundamenti, cum deest terminus illius est relatio incompleta, posito autem termino illo ipsa est relatio completa, quæ termino indiget

tanquam

tanquam essentiæ complemento. Non quidem quod essentia ex duobus diuersæ cathegoriæ entibus cōstetur; sed quod exigat alterius cathegoriæ terminum existentem tanquam complementum; vt visio est circa colorem actu illuminatum & similia. Cum ergo dicimus, non esse motum & transitum completè, id intelligimus ob defectum antecedentis priuationis, quæ illuminationem tunc tanquam terminus non antecessit. Est ergo incompletè motus: quia illa actio quantum ex parte ipsius, transitus fuisset; si in corpore illuminato priuatio præcessisset tāquam terminus à quo, ad quem ipsum terminū à quo ille transitus respexisset. Sed hac de re aliàs in Physicis accuratè disputatum est.

Motum à mutatione distingui non per medium, sed ex eo quòd motus est ex subiecto in subiectum, &c. idque ad Aristotelis mentem. §. 6.

Colligitur secundò, non esse necesse quod aiebat Alexander in eodem loco; nempe vt motus à mutatione distinguatur, oportere ipsum esse per medium, quasi non aliter à mutatione nisi partium succedentium vicissitudine distinguatur. Hoc aio necesse non esse. Primò, quia nec motus omnis successiuus est; nec mutatio omnis momēto clauditur. Illuminatio enim actio momentanea est; vt antè diximus ex Aristotele libr. 2. de Anima cont. 70. Similiter si calor in subiecto contrariis qualitatibus denudato induceretur, in instanti compleretur calefactio & alia huiusmodi. Item multæ generationes substantiarum successiuæ sunt; quales eæ sunt quibus introducitur forma substantialis ad productionem primarum qualitatum, cæteratúmque præparationum, quæ successiuè gignuntur; vt cum in ligno generatur ignis prius in vna eiusdem ligni parte quàm in alia, eo quòd priùs vna pars quàm alia per illas affectiones ac dispositiones præparetur. Certum autem Aristoteli est; Transitum illum qui est ad accidens motum esse; qui verò ad substantiam esse mutationem propriissimè. Ergo continuitate non distinguitur motus à mutatione opinione Aristotelis.

Alexander.

Aristoteles.

Minor probatur: quia motus Aristoteli à mutatione propriè dicta distinguitur per suam differentiam, quæ ad terminum suum in quē transit, respicit. Omnis enim mutatio, vt ex Aristotele supra diximus, ex terminis ad quos suam sumit distinctionem & speciem. Vnde Aristoteles libro 5. Phys. cont. 9. mutationem, quam cont. 7. definierat generatim, atque vniuersè dixerat esse transitum ex quodam in quiddam, diuidit in mutationem quam dicit esse ad substantiam, & ideò esse generationem, & non esse motum; & motum qui est ad quale, quantum, & Vbi, nempe motum propriè dictum tanquam mutationi speciem oppositam, ex terminis ad quos; vt motus sit transitus *ex subiecto in subiectum*. Mutatio autem sit, *quæ secundum contradictionem fiunt*; quā scilicet definierat cont. 7. esse ex non subiecto in subiectum. Ergo Aristoteli transitus ad accidens est motus: ad substantiam verò est mutatio.

Consecutio probatur explicatione horū terminorum; nempe quid sit transitum esse ex subiecto in subiectum; &; ex non subiecto in subiectum. Cum enim est trāsitus ex subiecto in subiectum, necessariò est ad accidens; cum ex non subiecto in subiectum, est ad substantiam. Quid verò sit subiectū ipse Aristoteles explicare voluit cont. 7. ibidem; nimirum id quod sub vtroque termino affirmatione non negatione monstratur. *Dico autem subiectum* inquit *quod affirmatione monstratur*, ita vt etiam priuationem significet non instar negationis sed affirmationis. *Etenim priuatio ponitur contrarium & affirmatiuè monstratur, vt nudum.* Motus ergo erit ex subiecto in subiectum, cum subiectum transiens idem affirmatur sub vtroque termino. Subiectum inquam vt dicitur denominationis, non inhæsionis; vt cum dicitur: Homo nudus fit homo vestitus; &; Homo qui cæcus erat recipit videndi facultatem: Aër tenebrosus illustratur: Lignum frigidum fit lignum calidum, &c. Contrà verò in mutatione, quam ait esse ex non subiecto in subiectum, contingere docet; vt cum dicitur: Id quod non erat ignis fit ignis. negatione enim monstratur in termino à quo; in termino autem ad quem, affirmatione. & ideo dicitur mutatio, *quæ est secundum contradictoria* ab ipso Aristotele. Quia quod negatur in termino à quo, affirmatur in termino ad quem in ipsa generatione. Et ideò dicitur inter contradictoria; hoc est inter terminos, qui per cōtradictorias particulas exprimūtur. Quod enim non erat aqua fit aqua. Simili etiam modo & substantiales corruptiones; cum scilicet substantiæ esse desinunt, contradictoriis enunciationibus efferuntur. Dicitur enim: Quod erat aqua non est amplius aqua, &c. Ex quibus discrimen apertum est inter transitum ex subiecto in subiectum, qui est ad accidens, & motus est; & transitum ex non subiecto in subiectū; qui ad substantiam est, & est mutatio, etiamsi motus nihil habeat continuitatis aut successionis. Eius enim transitus ex subiecto in subiectū quem motum esse dicimus, subiectum idem sub vtroque termino monstratur positiuè, vt lignum frigidum fit lignum calidum. At non ita eius transitus subiecto monstrantur, cum in termino à quo non affirmatiuè dicantur. Non enim lignum non ignis, fit lignum ignis, rectè dici potest. Quam veritatem inter cæteros significarunt Vicomercatus, Auerroës & Simplicius in eum cont. 7. & 8. & alij.

Aristoteles.

Vicomercat. Auerroes. Simplicius.

Cur autem Aristoteles nomine subiecti intelligere voluerit subiectum denominationis non inhæsionis, ratio est optima: quia subiectū *quod*, seu subiectum denominationis est simpliciter motus subiectum, & tanquam notissimum quod trāsit ex vno in alium terminum, dicitur, denominatúrque simpliciter subiectum. Non enim cùm aqua calefit, notum est materiam calefieri, & ideo simpliciter non dicitur materia calefieri; sed aqua, & sic de cæteris; & de hoc dicitur quod manet sub vtroque termino quod à posteriori scimus, quia eodem nomine nominamus, iisdémque particulis definimus; Vt dicimus, lignum quod erat viride fit lignum aridum, &c. Dicitur verò, ex non igne fit ignis, vt significetur id quod generatur simpliciter, non esse simpliciter antè generationem; sed fieri: quia generatio est ex non ente simpliciter & per se vt ibi Aristoteles explicat. Quod si dicatur: ex ligno fit ignis, tunc non significatur terminus à quo per

per se, sed materia ex qua generatur. Nam vt denotetur terminus à quo, debet dici, Ex ligno, in quo est non esse ignis, fit ignis.

Attamen huic doctrinæ instabunt vehementiùs Recentiores. Dicēt enim Aristotelem nihil aliud nomine motus intellexisse, quam transitū successiuum atque continuum. Initio enim libri 3. expressè dixit, *motum esse continuorum*; & cont. 6. definiuit esse actum transeuntis vlteriùs. ergo ille transitus debet esse continuus. Vnde libr. 5. Phys. cont. 39. adeò perspicuis verbis docet, motum omnem esse continuum, vt nullus detur interpretationi locus: *Quoniam autem continuus omnis motus est* inquit, *& simpliciter quidem vnū & continuum esse necesse est, si omnis quidem diuisibilis est.* Quod etiam supponit lib. 4. cont. 73. vbi omnis motus ad omnem motum esse proportionem ait, eo quòd omnis motus est continuus. *Motus* inquit *omnis ad motum est proportio. in tempore enim est.* Sanè si aliquis motus non esset continuus, sed aliquis momentarius, quia momentum ad tempus proportionem non habet, falsum esset quemcunque motum habere proportionem ad quemcunque motum. Ex quibus omnibus liquet verum esse quod dicebant Alexander, & alij, si Peripateticam doctrinam sequamur, motum à mutatione distingui non solùm ex illis terminis ad quos vt nos asseueramus, verùm etiam continuitate & momentanea duratione.

Aristoteles.

Alexander.

In hac equidem difficultate putarem non esse magnopere laborandum quod attinet ad ipsam rei qua de agimus, veritatem; nisi aduersarij insimularent nos cum Peripateticorum pronunciatis pugnantia docere. Dicerem namque argumento, siue transitus momentaneus appelletur motus siue mutatio, modò constet Angelum verè momento se transferre ab extremo in extremum non pertransito medio, nullam nobis contentionem cum Theologis esse oportere, ne de nominis controuersia dimicetur. Tamen ne in Peripateticam doctrinam quam meritò & nos magni facimus, & A. Doctor; cuius mentem in hoc opere assequi pro viribus nitimur semper amplectitur, peccasse videamur, agè nunc ostendamus, immeritò Peripateticorum principi hanc de necessaria motus continuitate sententiam ab aduersariis ascribi.

Probandum ergo est ad Aristotelis mentem motum vniuerse non necessariò esse successiuum atque continuum. Relictis autem cæteris quæ non pauca suppetunt argumenta iis quæ iam in nostro primo Corollario diximus, solùm motus definitionem ab Aristotele traditam contextu illo sexto libro tertio in medium proferam. quandoquidem & aduersarij in ea magna suæ sententiæ præsidia posita esse opinati sunt.

In qua ostendendum facili negotio ducimus, Aristoteli id fuisse consilij, vt in ea motus etiam ac mutationes omnes vel momentaneas comprehenderet. Primum autem id patet ex iis quæ Aristoteles docuit circa ipsam motus definitionem. Primò enim illum motum Aristoteles in ea definitione describit, cuius naturam dixerat esse principium in libro secundo; sed naturam dixerat in libro secundo esse principium non solum successiui & continui motus, sed etiam momentanei. Ergo Aristoteles in ea A definitione non solum motum successiuum, sed etiam momentaneum descripsit.

Maior probatur dupliciter. Primò quia Aristoteles in eo libro tertio contextu primo expressis verbis docet: *Quoniam natura quidem est principium motus & mutationis; methodus autem nobis de natura est, non latere nos oportet, quid sit motus. necesse enim est ignorato ipso ignorari & naturam.* Quibus patet Aristoteli propositum in eo libri initio esse explicare ac definire, quid sit motus, eo quòd natura est principium motus. ergo illum motum in eiusdem libri contextu sexto describit, cuius natura est principium. Alioqui si alium definisset, ridiculè dixisset, se quid sit B motus considerare velle, quoniam natura est motum principium. Sicuti si quis diceret: quoniam animal est principium sentiendi, consideremus, An baculus sit in angulo. Vtrobique enim nulla connexio esset inter causam & occasionem considerandi, & inter ipsam considerationem.

Aristoteles.

Secundò probatur eadem Maior: quia eius motus est definitio, quo ignorato necesse est ignorari & naturam esse; vt patet ex verbis Aristotelis iam positis. At esse naturam ignorari necesse est, ignorato motu cuius ipsa est principium. Ignorato enim effectu ignoratur esse causa. & contrà non ignorato effectu non ignoratur esse causa. ergo eius motus est definitio, C cuius ipsa natura est principium.

Nec satisfaciet quis si dicat, Aristotelem quidem agere in ea definitione de motu, cuius natura est principium, sed non de omni motu; sed de successiuo tantum. Hoc enim ignorato ignoratur natura esse; ideóque ab Aristotele definiri motum successiuum. Hæc inquam responsio ad argumentum non est satis duplici de causa.

Primò, quia falsum esset ignorato motu necesse esse ignorari naturam, si motum successiuum intelligeret tantùm. Nam essent alij motus momentanei, quorum natura est principium. Sunt enim generationes & corruptiones substantiarum, cùm vna substantia mutatur in a- D liam; vt cum lignum putrescit in tineas, caseus in vermes, &c. Harum autem naturam esse principium patet; quia etiam his tantum positis res naturales distinguerentur ab his quæ arte comparantur. ex eo quòd res naturales continent in sese huiusmodi principia motuum, quibus carent quæ arte fiunt. Quo pacto Aristoteles intelligauit naturam libro secundo Physicorum contextu primo, secundo & tertio. ergo non esset necesse eum qui ignoraret successiuos motus ignorare & naturam. Vnde sequitur debere sumi motum ibi ab Aristotele non solum successiuum, sed generatim & adæquatum ad naturam, vt eo ignorato lateat & natura.

E Deinde, quia eum motum in ea definitione describit, qui est communis ad species, quas explicat libro quinto Physicorum. Sed talis communis motus debet esse non solum successiuus sed etiam momentaneus. ergo in ea definitione non solum successiuum motum, sed etiam momentaneum descripsit. Minor est clara: quia motus communis ad species successiuas; & momentaneas non potest esse solum successiuus aut solum momentaneus. Si enim detur alterum ex his duobus

non

non erit communis ad vtrasque species. At debet esse communis ad successiuas & momentaneas ille motus qui est communis ad species, quas lib. 5. explicat. Constat enim Aristotelem lib. 5. Phys. cont. 9. explicare motum successiuum & mutationem momentaneam; nempe generationes rerum substantialium; vt etiam diximus in primo nostro Corollario.

Maior autem probatur: quia certum est illis speciebus libro quinto enumeratis dari posse motum communem. ergo eius communis motus essentiam in ea definitione descripsit. Ibi enim vt patet ex eius libri tertij context. 1. & 2. Aristoteles. proponit Aristoteles se agere de motu, vt priùs de communibus agat, quàm de minus communibus: Quia *posterior* inquit *est speculatio de propriis ea quæ de communibus est*; & *propterea quod cunctis sunt communia & vniuersalia hæc omnibus considerandum erit*. Ergo cum ibi definiat motum essentiam motus prædictis speciebus communem describit. Alioqui nuspiam definisset motum illis speciebus communem, si illum in ea definitione non descripsisset: cum tamen ibi aliter proponat, præcipiátque Aristoteles immediatè ante illam definitionem; nempe in eo contextu 1.

Sanè mirum esset sapientem Philosophum eo ipso in loco & præcipere tractandas prius esse communes naturas, posteriùs proprias; vt ita in scientiæ explicatione recto ordine procedatur, & eas leges suo negligere facto, quibus se aliosque astringi oportere docet. Immò summa ea in tractatione peruersitas fuisset, si tantùmodo successiuum motum descripsisset. Primùm enim ibi in tertio libro vno modo speciem motus successiuam; deinde verò in libro quinto eandem speciem alio modo definiuisset; cæterásque species sine suo communi genere considerasset. Atque hæc circa Maiorem illius argumenti: quæ etiam confirmanda est ex iis, quæ nunc dico ad eiusdem Minorem comprobandam; & deinceps in aliis argumentis.

Minor itaque illa probatur nimirum; sed naturam dixerat in eo libro 2. esse principium non solum successiui motus, sed etiam momentanei. Probatur inquam: Quia naturam dixerat in libro 2. cont. 3. esse *principium mouendi*; id est principium motus. ergo nomine motus comprehendere debuit omnem mutationem, quæ ab ipsa natura promanare intelligitur, vt prædicatum illius sit vniuersale, definitæque rei ex æquo respondeat; Vt si definiremus animum ratiocinantem esse principium quo enunciamus, non rectè diceretur; secus; si dicamus esse id quo intelligimus, vt eum definiuit Aristoteles libro 2. de An. cont. 24. Quod etiam in re nostra patet ex eodem Aristotele lib. 3. context. 1. vbi repetens & Aristoteles. quodammodo explicans, quo pacto dixerit lib. 2. contex. 3. Naturam esse principium mouendi, nō solùm ponit motum sed etiam mutationem. *Quoniam* inquit *natura est principium motus & mutationis* quasi dicat indiscriminatim esse principium motus & mutationis quocunque modo ij transitus appellentur. Ergo cum dixit Aristoteles naturam esse principium motus, cōprehendit omnem mutationem. Vnde cum explicasset motum eiúsque species, cuius cont. 1. in eo libr. 3. dixerat; naturam esse principium, cont. 5. concludit: *Quare motus & mutationis species tot sunt quot entis*. Ergo indiscriminatim sumit motum & mutationem, quia indiscriminatim vtriusque species sumpsit; & ideò eas nec distinxit vsque ad librum quintum in contextu 9. Atque hoc primum argumentum ex iis, quæ circa definitionem prædictam docuit Aristoteles.

Deinde probatur, Aristotelem in ea prædicta definitione comprehendere motum quemcunque siue momentaneum siue successiuum ex iis quæ ponit in ipsa motus definitione: Nam omnes particulæ definitionis rectè applicantur vtrique motus essentiæ ac naturæ. Vt enim diximus in primo nostro Corollario, vterque motus est actus transeuntis in vlteriorem terminum. Quocirca Aristoteles contextu illo sexto, postquam protulerat prædictam definitionem, vt eam comprobet esse rectè traditam subiungit inductionem omnium motuum, in quibus est ratio actus, per quem definierat motum ibi Aristoteles; *Vt alterabilis quidem* inquit *quatenus alterabile est alteratio; augmentabilis autem, & oppositi decrescibilis (nullum enim est commune nomen in vtrisque) augmentum & decrementum; generabilis autem & corruptibilis generatio & corruptio: eius verò quod fertur, latio*. Ergo Aristotelis consilium fuisse hos omnes motus mutationésque comprehendere in prædicta motus definitione satis liquet. Alioqui cur eam benè assignatam fuisse ostenderet inductione etiam per mutationes momentaneas; nempe generationes, substantiarúmque interitus? Si namque his natura motus non conuenit, malè probaretur, naturam motus rectè explicatam esse ex eo, quòd de his quoque definitio tradita dici potest. Constat enim iis quibus alicuius rei definitio non conuenit, nec eiusdem rei naturam definitam conuenire posse.

Ex quibus etiam vlterius manifestum est, Aristotelem nomine generationis non intelligere alterationem, cum de generatione locutus ibi est: vt non pauci ex Recentioribus arbitrati sunt. Nam eam generationem intelligit, secundum quam aliquid est generabile, cámque alterationem, qua formaliter aliquid est alterabile, vt patet ex relatis verbis. At generatio qua aliquid est generabile, non est idem atque alteratio qua aliquid est formaliter alterabile. Sunt enim & enumerantur tanquam diuersi effectus formales ab Aristotele: ergo & diuersæ Aristoteli sunt formæ. Id quod etiam confirmatur: quia ibidem cont. 4. apertè has distinxerat tanquam varias mutationis species cum dixit: *Mutatur semper id quod mutatur aut secundum substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale, aut secundum locum*. Ergo cum eodem modo eas recenset cont. 6. eodem etiam modo eas tanquam diuersas intelligit. Constat ergo rationem motus definiti in eo cont. 6. communem esse cuicunque motui, adeò vt ne excipiendus quidem sit ab hac regula motus momentaneus.

Neque argumenta aduersus nos posita vires habent. Ad primum enim dicitur facile falsum sumi cum dicunt, Aristotelem eò loco intellexisse solum motum successiuum atque continuum. Quamuis enim Aristoteli motus sit de genere continuorum: hinc tamen nego sequi motum definitum solum esse continuum. Nam constat ibi Aristotelem loqui non de motu ge-

neratim sumpto, sub quo comprehendit ibi generationem vt ostendimus; sed de aliqua eius specie, vt sibi viam struat ad tractationem de Infinito. Nam quoniam de motu agendum sibi erat, cuius natura est principium; inter motus autem plurimi sunt partium successione continui, in cuius continui definitione clauditur aliqua infiniti notio. (*Quapropter & definientibus continuum accidit sæpenumero*, inquit ibi, *vti ratione infiniti; cum in infinitum diuisibile continuum sit.*) Idcircò se infiniti disputationem aggressurum in eodem libro pollicetur.

Immò quod non de motu generatim, sed de specie motus intelligat cum ait motum esse cõtinuorum; patet euidenter ex cont. 2. Vbi expressiùs quàm cont. 1. dixerat, motum esse continuũ; affirmat *impossibile esse motum esse sine loco vacuo & tempore*: proptereáque de his quoque disputari oportere. Certum autem est, his verbis Aristotelem intelligere motum localem ex veterum opinione, qui putabant corpora non moueri nisi per vacuum &c. De cæteris enim motibus nulla difficultas est, quin absque vacuo tum veterum, tum Aristotelis sententia esse potuerint. Ex quibus sic argumentum ad rem propositam conficio: Non magis debent Aristotelis verba accipi de motu generatim, cum ait motum esse continuorum, quam cum ait impossibile esse, motum absque vacuo esse. Sed cum ait impossibile esse motum absque vacuo esse, non debent accipi de motu generatim, sed de aliqua motus specie vt ostensum est: Ergo nec generatim debet accipi, sed de aliqua motus specie cum ait motum esse continuorum. Maior patet ex contextu Aristotelis; cùm eodem modo per vtramque motus affectionem aditum sibi ad infiniti, vacui, loci, ac temporis naturam peruestigandam aperiat: nec potior pro vna parte, quam pro altera parte sit ratio. Quin potius si verba eius spectentur, expressius videatur significari motum generatim atque vniuerse cum dixit; impossibile esse motum sine vacuo esse, non solum propterea quòd absolute loquitur de motu, verum etiam quia exprimit aliter esse impossibile.

Ad id verò quod ait ex ipsa motus definitione satis multa dicta sunt antè, in primo Corollario. Quod autem aiunt ex illo contextu trigesimono, libro quinto Physicor. fateor locum esse difficilem. Quidam enim dicunt, Aristotelem nihil aliud ibi contendere, quàm probare omnem motum, qui continuus sit, esse vnum; & contra, omnem vnum motum esse continuum; vt ibi explicat A. Doctor & Cardinalis Toletus. Vnde videbitur fortasse alicui negandum, Aristoteli ibi omnem motum esse continuum ita vt particula continuum sit prædicatum; motus verò subiectum. Dici enim videtur posse totum hoc esse subiectum; nempe: *Omnis motus continuus*: copulam autem & prædicatum hæc quæ sequuntur: *est & simpliciter vnum & continuum esse necesse est*. supple quod vnum est. quasi velit, hæc duo reciprocari.

Verùm hęc probanda non sunt. expressè enim Aristoteles docet. *Quoniam omnis motus continuus est & simpliciter quidem vnum & continuum esse necesse est*. Si ergo motus continuus subiectum esset propositionis, nugatoria prorsus atque inepta esset propositio. Sensus enim esset: *Quoniam omnis motus continuus est simpliciter vnum.* (Hic au-

Aristoteles.

A tem dixisset vnus potiùs quàm vnum) *& continuum esse necesse est*. Hic namque esset idem prædicatum cum subiecto, & solœcismum contineret; nempe motus continuus est simpliciter vnum, & necesse est esse continuum. Clarus autem sensus est; Quoniam motus omnis continuus est, necesse est simpliciter eum esse vnum, & continuum, si omnis quidem diuisibilis est. Itaque videtur Aristoteles affirmare, omnem motum esse continuum eo quod omnis diuisibilis est.

Alij tamen dicunt, Aristotelem intelligẽdum esse de motu locali, qui cum necessariò mobile transeat per spatium medium, debet esse continuus. Sed neque hæc expositio ad Aristotelis mentem est. Generatim enim Aristoteles loquitur & ponit exempla tum motus localis tum aliorum. Explicans namque omnem motum esse continuum ait id esse: quia *omnis quidem diuisibilis est*. Ergo loquitur generatim. Exempla autem ex aliis etiam motibus poni possunt. Ait namq; ibi non quemcunq; motum cuilibet esse continuũ, sed eos tãtùm *quorum sunt vnum vltima: vltima autem aliquorum quidem non sunt; aliquorum autem sunt* &c. *Quomodo namque vnum vltimum fiet lineæ & ambulationis*, &c. sermo itaque etiam de aliis motibus est.

Aristoteles.

B

Vera ergo vt arbitror responsio ad argumentum est, Aristotelem ibi loqui de motu in specie; quem nimirum cont. 9. eodem libr. contraposuit ipsi mutationi, & de quo dixerat cont. 10. esse inter contraria, hoc est inter ea, quæ aliquam inter se habent repugnantiam; & ideò ad substantiam negauerat esse motum; *propterea quod nullum est entium substantiæ contrarium*. Quam etiam ob causam context. 18. eundem motum dixit solummodo esse *secundum qualitatem, & quantitatem, & Vbi. In vnoquoque enim horum est contrarietas.* Cuius etiam motus deinceps affectiones atque attributa explanat. In eo igitur cont. 39. de hoc ipso motu inter terminos eo pacto contrarios atque obsistentes loquitur, cum ait omnem motum esse continuum. Quod quidem verum est, & eius ratio optima, quam modò retulimus.

Aristoteles.

C

D

Hinc tamen nihil in nostram doctrinam dicitur; qui licet affirmemus motum ex se & generatim non esse continuum sed posse esse momentaneum; tamen non negamus cum eodem Aristotele aliquam motus speciem, nempe eam quæ terminos habet ita inter se repugnantes, vt per partes post partes acquiri à mobili debeant, esse continuam. Quamuis autem etiam in motu Angeli terminus à quo & terminus ad quem pugnent, cum in eodem subiecto esse nequeant; Tamen non ita pugnant, vt per partes post partes ab Angelo acquiri debeant, vt accidit cum mobile per medium transit ad locum extremum. Si enim non pertranseat medium, tunc non esset huiusmodi terminorum oppositio, ac proinde mobile terminum adipisceretur in instanti, vt Aristoteles probat libro quarto Physicorum, cont. 71. & patebit magis sequenti propositione.

E

Ad vltimum locũ respondeo ibi Aristotelem loqui de motu locali; de eo enim disputabat; Verùm per vacuum si fieret, momento transigeretur; atque ita rectè ait omnem motum ad omnem motum habere proportionem. Vnde concedimus motus momentanei non esse proportionem ad motum continuum, dicimúsq;

id

id absurdum non esse in Angelico motu. immò & necessariò consequi si motus ab extremo in extremum sit & non per medium. Etsi absurdum id sit concedi in motu corporum, quod ibi contendebat Aristoteles. Constat ergo negandum esse Alexandro motum generatim à mutatione distingui per continuitatem, licet verum sit si sermo sit de motu qui sit inter terminos prædicto modo oppositos.

Nec secundum dicta sanctorum, nec ob medij resistentiam, nec ob alias causas oportere Angelum transire per interiecta media. §. 7.

Albertus. COlligitur tertiò, multa dici ibi ab Alberto in eo primo dicendi modo, quæ iisdem ferè rationibus improbanda sunt, quibus Alexandrum & alios refutauimus. Primùm quidem cum ait secundum dicta sanctorum Angelum oportere transire per medium, non video quo id argumento ostendi ab Alberto possit. Nam si sanctorum testimoniis nititur, proferantur, vt iisdem vt par est assentiamur. Ipse tamen nullum profert, nec proferre potest. Etsi enim inter Patres Tertullianus in Apologetico, capite vigesimosecundo & alij non pauci Patres, quorum suprà meminimus, doceant Angelos vbique incredibili velocitate promptos adesse; nũquam tamen hanc pernicitatem explicarunt ita vt velint eorum motus esse continuos. Pernicitas enim ac velocitas, vt suprà diximus a. 1. Quæsit. vnic. Difficult. vlt. non est necesse vt significet eam celeritatem quæ est passio motus continui, cum possit etiam esse pernicitas momentanea. quod sane Tertullianus ibi significasse videtur, cum ait: *Igitur momento vbique sunt. Totus orbis illis vnus locus est.* Sin autem ex sanctis id colligat Albertus, eo quod motum Angelis illi tribuunt secundum locum, quem ait ipse Albertus non posse intelligi nisi per medium vt vidimus; Hoc quidem non rectè deducitur. Motus enim localis esto in corporibus medium quod transeat poscat, ideòque continuus sit, id tamen in Angelo non exigit, qui aliter ad locum quàm corpora conferuntur.

Tertull. (margin)

Albertus. Deinde in eo quod ibi addit Albertus, Angelum nempe transire per medium vincendo ipsum, nihil peculiare docet, quod Angelorũ proprium sit non commune cum corpore. Etenim & corpora cum mediũ suo motu diuidunt vincunt medium. Quamuis autem minus obstent Angelo media quã corporibus, vt murus obstat ne corporum per illum transitus sit, & similia: Tamen hoc propriè non est Angelum vincere ac superare media: Quia vincere ac superare est eius qui obsistentibus superior est; & ideò victoria nisi inter certantes esse non potest. Cum ergo Angelo medium non obsistat, vt ait Albertus, non est quod Angelus medium vincere dicatur.

Aristoteles. Illud verò Peripateticè non pronunciatur; nimirum in vacuo debere pertransiri mediũ. Nam Aristoteles lib. 4. Phys. cont. 36. in hoc quoq; veteres arguit, quod spatiũ præter corpora aliquid esse docuerint, cum tamen ipsum nihil sit: *Ipsum medium* inquit *aliquod videtur spatium tanquam aliquid existens præter ipsum corpus translatum: Hoc autem ipsum non est sed quoduis incidit corpus eorum quæ transferuntur ac tangere apta natura sunt.* Idemque ferè repetit cont. 40. Ergo si illud vacuum velit esse medium, ab Aristotelæis effatis se dissidere fatebitur Albertus.

Albertus. Tertiò non valet argumentum quo probat Albertus Angelum medium percurrere debere. Nego enim in solo medio (si medium intelligat corpus ipsum seu vacuum interiectum inter vtrumque terminum à quo & ad quem) motum peragi. Dico enim etiam in ipso termino ad quem motum ipsum esse, nempe in eo momento, quo Angelus primum appulit ad terminum ipsum, esse illum transitum qui est relatio ad vbitatem illam per quam est in eo loco determinato formaliter, vt antè diximus aduersus Alexandrum in proximo Corollario. Neque absurdum est eodem momẽto quo ibi est Angelus motum esse ac desinere. Hæc namque pugnãtia non sunt in iis entibus, quæ solo momento durant, vt scilicet sint per primum sui esse, vt philosophi loquuntur, desinántq; per vltimum esse. Sensus enim est, vt explicatum à nobis est libr. 6. Physic. Nunc huiusmodi entia primò & vltimò sunt; quia scilicet nec ante nec post illud momẽtum in suo esse consistunt. Vnde in eo momento, quo sunt desinunt esse; quia immediatè post consequenti proximo tempore non erunt. Cum ergo dicitur in argumento in termino ad quem motus desinit, ergo non est; neganda est consecutio: cum motus ille momentaneus sit, nec plus quam vno momento consistat in esse. Sed pro hac re plura vide infra ad rationes quinti modi in fine Difficultatis.

Similiter nec secundum argumentum probat magis. Esto enim substantiarum generationes & corruptiones non sint motus, quod medium non habeant: Tamen motus non erunt, non quia eius generali ratione essentiáque careant: sed quia rationem specificam illam non habent, qua motus peculiari ratione denominatur ex continuitate ob terminorum repugnantiam. Quem motum continuum ob notissimam transitus rationem simpliciter motum appellarunt; ideóque vt ex Aristotele suprà dictum est, motus localis propriissimè dicitur motus. Vnde Auerroës libro 8. Physic. comm. 23. ait *de motibus localibus dici principaliter hoc nomen motus*; quia scilicet ob successionem, continuitatémque partium clarissimè in eo ratio mutationis appareat. Itaque negamus argumento consecutionem; nempe tunc Angelum tantummodo moueri cum est in medio. Dicimus namque etiam moueri cum primò est in termino ad quem. tunc enim cum sit trãsitus ille qui tendit ad formam, per quam ibi formaliter est. motus quoque esse debet. Mitto alia impugnare quæ ibi ab Alberto asseruntur; quæ facilè apparere cuilibet falsa possunt. Nunc autem ad alteram propositionem veniamus.

Auerroës. (margin)

Angelum nunquam transire per medium cum motus non est continuus, idque suismet viribus & quo modo. §. 8.

SEcunda propositio. Angelus in quocunque motu non continuo transit de extremo in extre

extremum etiam distans, non per medium; idque naturaliter non alienis viribus. Dico motu non continuo, nam si deberet esse cōtinuus, deberet esse per medium, vt supra diximus. In hac propositione partim conueniunt partim dissident auctores primæ sententiæ. conueniūt enim in eo quod concedunt medium non opportere transiri dum ipsum est participans: dissidēt verò cum negant posse esse motum ad terminum distantem sine medio. Est tamen propositio A. Doctoris, & auctorum secundæ sententiæ.

A. Doctor. Prior autem nostræ propositionis pars probatur: Primò optima ratione A. Doctoris; quia si motu non continuo dum Angelus transit ad extremum distans deberet pertransire interiacens medium, sequitur Angeli motu discreto & non continuo enumerari omnes partes medij & puncta illius, siue medium sit participans siue non participans. Hoc autem falsum est & impossibile. ergo Angelus in quocunque motu non continuo transit de extremo in extremum distans sine medio. Maior & Minor probata sunt super. Difficul. & consequentia certa est.

Scotus. Secundò probatur euertendo rationem Scoti potissimam. quia ordo vniuersi à Deo præfixus ab ipso Scoto colligitur ex inductione qua videmus, quæ mouentur ordinatim, moueri prius per vnam partem medij, quàm per aliam, quæ distet magis. At hoc ipsum probat contra medium participans, sine quo ipse concedit fieri posse motum inter extrema. Nam eadem inductione videmus mobilia non prius transire in extremum terminum vbi consistunt, quam pertransierint omnia media participantia. Ergo vel hanc inductionem Scotus neget valere in Angelico motu, eo quod sit diuersa ratio corporū, & Angelorum; vel affirmet valere etiam in motu per media participantia. Quod autem ad disparitatem assignat Scotus, falsum est, nec rem declarat. Nam videtur conficta ex arbitratu. Tota enim realitas, in qua est essentia motus, in ipso transitu de loco in locum sita, vt ostēdimus. Ergo vt motus sit, non requiritur realitas quam ipse ponit in adeptione omnium Vbitatum, quę sunt in medio. Deinde quæro cur realitas tota motus sit in adeptione tot Vbitatum & non plurium, cum certum sit medium nunc posse esse amplius, nunc minus: Cur ergo non sufficit tota essentia? Quod Scotus non dicet vnquam, nisi sibi fingat pro arbitratu causas. Ergo Angelus in quocunque motu non continuo prætermittit media.

Tertiò probatur propositio ratione ex natura rei & à priori: quia mobile cuius nulla pars, superficie loci, circumscribitur, potest transire de extremo in extremum etiam distans, non per medium in quocunque motu non continuo. Sed Angelus est aliquod mobile cuius nulla pars, loci superficie circumscribitur. Ergo Angelus potest moueri de extremo in extremum etiam distans non per medium in quocunque motu non continuo Minor est certa, cum Angelus nec habeat partes nec sit in loco nisi definitè absque vlla loci circumscriptione. Maior autem probatur: Aristoteles. quoniam Aristoteles libro 6. Physic. cont. 32. ex eo probat: *omne quod mutatur diuisibile esse:* quod partim debet esse in termino à quo, partim in termino ad quem; & ita ibidem cont. 89. ait, omne quod mouetur prius esse in æquali sibi spatio, aut minore, quam in maiore; & sic mo-

A uetur per interualla locorum. Ergo si mobile careat huiusmodi partibus, eius non erit moueri per intercepta spatia, quale esset punctum indiuiduum, quod dicit ibidem ideò nō posse moueri; quia prædicto modo mediū non transitur. Ergo si punctum Aristoteli moueretur per se, non prius esset in spatio medio, quam in termino: quia eius quod insectile est non potest Aristoteli moueri per medium. Cum ergo Angelus non habeat eiuscemodi partes, poterit transire de extremo in extremum etiam distans non per medium in quocunque motu non continuo. Et fortè ab hac Aristotelica doctrina desumpsit A. Doctor, cum in hoc art. docuit: *moueri de extremo in extremum non per medium potest conuenire Ange-* A. Doctor.
B *lo, non corpori: quia corpus mensuratur, & continetur sub loco; vnde oportet quod sequatur leges loci;* à quibus ait Angelum esse immunem: quia scilicet eius non est sed corporis, prius transire per propinquiorem sibi partem, quam per remotiorem, vt ex Aristotele diximus.

Confirmatur id quod diximus dupliciter. Primò ex Aristotelis doctrina hoc argumento; quia si corpus moueatur vbi nulla est resistentia medij, posset ipsum quoque corpus moueri de extremo in extremum non per medium: quia motus eius momento absolueretur, vt patet ex libro 4. Phys. cont. 71. Ergo Angelus cui nullum medium resistere potest, vt certum est ex suprà
C dictis; quia saltem intra ambitum suæ sphæræ potest se momento in minorem locum contrahere, ac dilatare in ampliora spatia, poterit de extremo in extremum etiam distans se transferre non per medium. Secundò confirmatur etiam ratione: quia ratio cur corpora moueantur transeundo prius per interualla media est, quia eorum virtus motrix sua corpora non mouet nisi prius per intermedia spatia transeat; idque patet inductione quam benè obseruauit Aristoteles iisdem locis vt suprà notabamus. Ergo cum hæc ratio cesset in Angelo, quia has leges non obseruat eius virtus, vt diximus; poterit ipse moueri ab extremo in extremum distans præ-
D dicta spatia non percurrendo.

Secunda propositionis pars non difficili negotio probatur: quia ille motus est Angelo naturalis, id est secundum eius naturales vires, qui subest eius naturali arbitrio. Hoc enim non potest illi esse præter aut supra naturam; sicut ob eandem rationē non est homini supra vel præter naturam motus qui eiusdem hominis arbitrio subest. At eius motus ab extremo in extremum distans subest naturali eius arbitrio.

Primò quia id concedunt ipsorum aduersariorum plurimi de motu non per medium participans. Ergo idem dicere tenentur de motu per medium non participans; quia est eadem ra-
E tio vt diximus.

Præterea quia motus ille subest Angelico arbitrio, quo ab ipso potest produci hæc vel illa Vbitas intra ambitum suæ sphæræ. Talis autem est motus, quo Angelus transit in distans extremum non per medium. Quia si talis est motus, quo se contrahit ac dilatat intra ambitum suæ sphæræ non per medium. Ergo talis quoque sit oportet motus ille quo se transfert in extremum non per medium; quia medium non habet maiorem resistentiam in vno quàm in alio; nec difficilius est Angelo moueri vno motu quàm alio, vt probatum est.

Deni

Denique probo; quia ad motum naturalem Angeli ſpatium mediū non plus pertinet, quam ſi non eſſet, vt oſtendimus. Ergo in eius arbitrio eſt, vt vel per illud tranſeat Angelus, vel illud prætermittat. Quod etiam vidit A. Doctor in hoc art. cum in fine corporis dixit: *Vnde in poteſtate eius eſt applicare ſe loco prout vult vel per medium vel ſine medio.*

A.Doctor.

Ex hac propoſitione ita probata Colligitur primò non ſequi quod contendebant aliqui in ſecundo modo dicendi: Si Angelus ſemper habet alicubi collocatam ſuam ſubſtantiam; ergo viribus naturæ non poteſt ab vno extremo in aliud tranſire niſi per medium; quemadmodum corpora cum mouentur. Hoc inquam non ſequitur; nam oſtenſum eſt rationem cur corpora mouentur per medium eſſe ex eo quod loco circumſcribantur, & vt dicitur commenſurantur; ex quo habent talem vim mouendi, vt priùs vnam ſui partem in partem medij proximā moueant, quàm aliam in aliam remotiorem. Quod cùm non habeat Angelus non debet dici moueri hac corporum lege. Nec negamus Angelum ſemper eſſe alicubi. Id enim ſuprà ſtabilitum eſt. Tamen ſemper erit alicubi etiamſi nullum per medium tranſeat in extremum. Nam antequam acceſſit ad terminum ad quem eſt in termino à quo; & poſtea immediatè ſiſtit ſe in termino ad quem, atque ita ſemper in quocunque temporis momento alicubi eſt. Eſſet tamen non alicubi ſi dum non tranſit medium aut aliqua mora aut punctum temporis aliquod interponeretur; in quo puncto aut mora verum eſſet dicere: Angelus non eſt hic nec ibi nec vllibi. Tunc enim neque eſſet in medio neque in altero ex terminis. ergo nullibi. quod tamen non dicimus, qui nullam huiuſmodi moram aut momentum, in quo Angelus ab omni abſoluatur loco eſſe concedimus. Quo autem modo immediatus ſine vlla mora ſit ille tranſitus dicetur art. ſequenti. Ex quo illud etiam ſequitur poſſe nos rectè à paritate corporum in huiuſmodi Angelico motu recedere, quia non deeſt nobis firma ratio, quæ meritò nobis à præfixa corporibus lege recedere ſuadet; atque in A. Doctoris ſententiam abire. Vt enim antè dicebamus vis corporum motrix eſt vt corpora moueat ad loca propinqua prius quam ad remota ob eius dependentiam à medio. Quod negauimus in virtutem Angeli motricem conuenire, quæ voluntatis arbitrio ſubeſt omnino, non à medio depēdet ob rationes dictas.

Colligitur ſecundò, quod alij in quarto dicendi modo contendunt, nempe nec poſſe intelligi quomodo Angelus pertranſeat in extremum non per medium; nec ſententiam hanc A. Doctori conſonā eſſe, facilè poſſe refutari. Nam quæro cur potiùs intelligi poſſit Angelus tranſire non per medium participans; quàm non per medium non participans; cum vtraque media pertranſeant corpora ad extremum? Deinde dico poſſe intelligi, quia Angelo non inſunt partes quibus ad pertranſeunda vtriuſque generis media determinatur, vt oſtenſum eſt. Id autem optimè congruit in Angelos: qui (vt ait Tertullianus in Apologet. cap. 22. *momento vbique ſunt: Totus orbis illis vnus locus eſt, &c. Velocitas diuinitas creditur*. Et vt ait S. Nazianzenus orat. 34. quæ eſt 2. de Theologia *omnibus impigri adſunt*. Non enim momento vbique eſſent, ſi media ſpatia peragrare illis neceſſe eſſet. De A. autem Doctore nulla dubitatio eſſe poteſt: nam & eius ratio generatim probat, vt diximus; & eius verba in fine corporis clariſſimè eius mentem exponunt; ſiquidem generaliſſima ſunt nulla prorſus reſtrictione adhibita. Nam *in poteſtate eius eſt* inquit *applicare ſe loco prout vult vel per medium vel ſine medio*. Quod deduxit ex eo quod Angelus non menſuratur loco quemadmodum corpora. Ergo ex imparitate rationis negat Angelis neceſſariò dādum illud medium quod corpus efflagitat cum ex vno in alium locum tranſit.

Tertullian.

Nazianzen.

A.Doctor.

Quo pacto Angelus dimittat priorem locum cum ſe aliò transfert, argumentiſque ſatisfit. §. 9.

Colligitur tertiò, non rectè philoſophatum eſſe Gabrielem in quinto modo dicendi circa locum Angeli adæquatum & non adæquatum. Nam cum ait Angelum non poſſe ſe momento transferre in locum diſtantem adæquatum dimiſſo priore adæquato, eo quod dimitteret priorem locum *per vltimum eſſe in eo*, & poſteriorem locum acquireret *per primum eſſe in eo*; cum hæc, inquam, dicit; non philoſophatur cōgruenter ad ea quæ priùs dixerat; nempe poſſe Angelum in inſtanti mutari ad locum maiorem intra ſpatium loci adæquati, ſi prius erat in loco qui erat adæquati pars; vt ibidem retulimus.

Gabriel.

Aio autem non congruenter ad hæc eſſe philoſophatum. Quoniam primò Angelus cùm ſe ad locum ampliorem extendit, tranſit de aliquo non eſſe ad eſſe; nempe de negatione loci maioris ad ipſum locum maiorem: Quæro ergo an Angelus dimiſerit illam negationem per vltimum ſui eſſe annon? Si non: ergo non dimiſit illam totam ſimul. In hoc enim vim facit Gabriel; quòd ſcilicet Angelus dimitteret vltimum locum per vltimum ſui eſſe, quia dimitteret illum totum ſimul. At certum eſt illam negationem abiici totam ſimul, quia nō per partes; ſicut nec eius oppoſita forma per partes acquiritur. ſi per vltimum ſui eſſe; vt neceſſe eſt dicat Gabriel, tunc ſequitur eius argumentandi modum non eſſe congruentem ad ea quæ docet ibidem ipſe. Nam Angelus in loco ampliore incipit *per primum eſſe in eo, & deſinit per vltimum inſtans* eſſe ſub illa negatione tanquam in termino à quo illius mutationis. Vel ergo duo illa inſtantia quæ dicit primum eſſe ac vltimum inſtans, ſunt duo momenta vel vnum? Non vnum: quia Angelus eſſet in duobus terminis oppoſitis ſimul in eodem inſtanti; nempe ſub negatione & habitu oppoſito. quia ſcilicet per primum eſſe, eſſet in loco ampliore, & per vltimum inſtās in quo deſinit, eſſet ſub negatione: quo pacto ea quæ deſinunt per vltimum inſtans verè ſunt, immediatè autem poſt, non erunt, vt dicuntur deſinere viuentia, & cætera indiuiſibilia. Hoc autem eſt omninò impoſſibile; quia de eodem vera eſſent ſimul duo contradictoria. Si duo; cum nō poſſint eſſe immediata, debet inter illa duo eſſe tempus medium in quo fit tranſitus; & ſic non in inſtāti. Itaque Gabrielis argumentum aut in noſtram

sententiam non habet vim, aut iugulat suam.

Vnde dicendum est ad argumentum incipere non esse primum locum in quo est Angelus tanquam in termino à quo, per primum non esse illius, in quo eodem instanti est primum esse subsequentis loci siue adæquati siue non adæquati. Atque ita nec Angelus simul erit sub vtroque termino opposito; nec duo momenta proximè inter se cohærebunt. vt ipse idem Gabriel tenetur respondere ad argumentum nostrum in illam negationem. Neque absurdum est vt forma desinat esse per primum non esse. quandoquidem idem prorsus in plerisque rebus dicendum est, cum subsequens forma quæcunque illa sit momento in subiectum ab agente producitur; forma verò antecedens tota simul desinat esse in subiecto; vt si cadaueris forma fiat anima recedente. Si quidem cùm ea forma momento esse debeat ac producatur; idem momentum quo verum est dicere forma cadaueris primò est, est etiam instans, in quo primum verum est dicere: Nunc non est amplius animal cum immediatè antè præfuerit. Sic etiam si res à Deo ad nihilum redigeretur, & simul alia crearetur. Tunc enim quia momento interiret, verum in eo momẽto diceretur: Nunc illa res primò non est; &; Illa alia res primò est. vt affirmatio vnius negatio esset alterius. Idem de actibus deinceps succedentibus dicemus tum intellectus & voluntatis, tum aliarum rerum. Qua de re vide fusiorem explicationem seq. art.

Alexander. Ex his respondetur ad argumenta primæ sententiæ. Ad primum enim Alexandri in primo dicendi modo negat necesse esse in locali motu & quocunque alio etiamsi à mutatione differat, successionem & continuationem requiri; vt ostendi in primo Corollario post primam propositionem. vbi etiam dixi ad id quod ex S. Bonauentura diximus in eodem dicendi modo.

Ægidius. Ad ea quæ ibidem docet Ægidius nego resistentiam nihil esse aliud nisi distinctionem motoris & mobilis. Nam etiam cum Deus agit in creaturas est distinctio motoris & mobilis; & tamen nihil Deo, eiúsque omnipotentiæ obsistit. *Nemo enim est qui possit resistere voluntati tuæ*; vt ait Scriptura Esther 13.

Esther 13. Ad eius argumentum respondeo Angelum non esse vbi non est virtutem applicans. Nam ipse sibi est virtus. Dum enim producit in se rationem formalem essendi alicubi, hoc ipso se applicat illi loco. Quod etiam accidit in corporibus, quæ dum in se per motum producunt Vbitates se applicant ei loco; cuius applicatio est ipsa Vbitas. At verò Ægidius labitur in eo, quod putat Angelum applicare virtutem mobili corporeo per operationem transeuntem. Vnde Si corpus in quod efficiendum aliquid est, distet, iam mobile non est vbi est virtutem applicans. Quę doctrina à vero aberrat; vt suprà ostẽsũ est.

Immò ex hoc potissimum argumento refelli potest quod ipse docet. Nam Angelus debet posse operari in corpus ab ipso Angelo remotum, etiamsi non operetur in intermedia corpora; Vt Angelus qui nunc est in cœlo debet posse mouere aërem distantem, etiamsi non moueat ignem. Ergo debet posse se applicare aëri distanti etiamsi se prius non applicet igni. Si autem deberet se applicare loco per operationẽ transeuntem, Angelus qui nunc est in cœlo deberet priùs agere in ignem, quam in aërem; nec actio

A transiret in corpus distans, non per medium.

Ad argumenta Alberti in eodem primo dicendi modo satis est factum in Tertio Corollario post primam propositionem. Ibi enim omnia eius dicta perpendimus, atque à veris falsa secreuimus.

Ad argumenta Gregorij in secundo modo dicendi. Et quidem quod attinet ad posteriorem eius conclusionem non discrepat à doctrina, quam prima nostra propositio continet. Quod verò docet in prima idem est quod Henrico Albertóque placuit; & ideò eodem modo reiicienda sunt ex dictis Notando primo, & deinceps.

Ad argumenta aliorum in eodem secundo modo respondeo ex dictis in primo Corollario post nostram secundam propositionem.

B Ad secundum respondeo non posse Angelum transmittere actionem in locum distãtem, quia actio requirit sui agentis præsentiam, seu etiam negationem distantiæ, vt suprà ostensum est. atque ita agens vbi non est non operatur nisi per medium sibi attiguum ac finitimum. Vt verò se constituat in loco distanti à termino, vnde recedit, non est necesse transeat per medium vt ibi fiat præsens. Satis enim est si in se gignat formam quæ est ipsa præsentia qua ibi formaliter sit præsens; quia posita forma in subiecto effectus formalis totus hoc ipso est: Neque tunc agit Angelus in distans cum agat in se ipsum; qui sibi idem est, nedum coniunctus. Requiritur autem ad actionem medium, per quod actio

C transmittatur in distãs per medium; non autem requiritur medium, vt Angelus præsens loco distanti fiat: quia huiusmodi præsentia non pendet à medio, eo quod caret partibus Angelus, vt probauimus. Videtur autem huius opinionis causa esse, quia putant cum Angelus se de cælo in terras demittit, ita in se agere, ac si ageret in terras distantes à cælo; quod tamen non ita est. Angelus enim cum est in cælo, & ad terras descendere vult, momento producit in se Vbitatem, per quam eodem momento est terris primò præsens, & primò non est ampliùs in cælo.

Ad ea quæ dicuntur in tertio dicendi modo, dictum est in Notando. Ad fundamentum tamen illius facilis est responsio. Neganda etenim est

D Maior propositio, si vniuersè intelligenda sit; quia cum Angelus non dependeat à partibus spatij interiecti inter vtrumque terminum, non debet priùs natura esse in parte eius propinquiore, quàm remotiore. Constat enim, quod hoc pacto est prius natura, esse, quod est prius secundum dependentiam; vt est apud Aristotelem libro 5. Metaph. cap. de priori cont. 16. quia est prius secundum aliquod causæ genus. Non moueretur autem mobile in vacuo propter eas rationes, quas suprà retulimus: quásque in Angelo cessare diximus.

Ad ea verò quæ in quarto dicendi modo ex Scoto diximus, respondeo ex dictis in secundo argumento nostræ propositionis posterioris. Scotus.

E Neque enim necesse est motus habeat omnia Vbi, licet id exigatur ad mobile corporeum, in quo dissidet ab incorporeo. Hinc etiam patet ad ea quæ dicit de motu Angeli continuo. Dico enim ea rectè dici atque explicari, in iísque conuenire cum A. Doctoris nostráque sententia, vt dictum est. Neque enim præsens difficultas intelligitur de motu continuo.

Ad ea etiam quæ Recentiores in eodem modo

do addunt initio suæ doctrinæ dictum est in nostro secundo Corollario post secundam propositionem, nec quicquam vltrà superest considerandum, quod negotium facessat.

Ad secundum dico, etiamsi Christi corpus cum incipit esse in venerabili Eucharistiæ sacramento, desereret locum priorem vbi prius Christus erat, adhuc tamen de nouo reciperet esse sub speciebus panis per consecrationem in sacramento, si illa verba à Christo instituta essent eiusdem efficacitatis: quia eodem modo illa verba facerent præsens corpus Christi per transubstantiationem etiamsi desereret priorem locum. Etenim de facto panem desinere vt Christus ibi sub speciebus sit ex vi verborum probauimus vnà cum A. Doctore 3. p. quæst. 75. a. 2. Alioqui illa propositio: *Hoc est corpus meum* non haberet suam veritatem; quia falsum est panem esse corpus Christi; quod fusè probatum à nobis est in ea q. Quæsit. 2. Difficult. 1. Ergo etiamsi locum priorem desereret, Christus tamen adhuc deberet esse præsens vi verborum, vt propositio illa verè à sacerdote proferretur.

A. Doctor.

Immò si Christus instituisset aliis verbis formam consecrationis, ita vt ad veritatem illorum non requireretur panis destructio; & solum adesset per motum localem: ibi deberet esse per motum localem. vt si voluisset esse hæc forma: Sub his speciebus est corpus Christi. Tunc enim si non sint multiplicanda miracula sine necessitate; sed standum sit in eo quod significat propositio; corpus Christi erit sub illis accidentibus relicto priore loco vbi erat, nisi aliter à Deo decretum sit. Vt enim argumentatur A. Doctor 3. p. ead. q. a. 5. Forma panis non debet remanere post consecrationem separata: *quia si remaneret à materia separata tum esset forma intelligibilis actu & etiam intelligens*; nam omnes formæ à materia separatæ sunt tales. Supponit ergo A. Doctor illud solum miraculum esse ponendum, quod significatur forma verborum; cætera autem relinquenda esse secundum ea quæ naturaliter habent, eisque conueniunt. Cum ergo solùm significetur verbis consecrationis sub speciebus panis esse corpus Christi; & non esse ibi substantiam panis; sequitur formam panis non remanere separatam à materia. quia si remaneret separata, id esset naturaliter. (neque enim multiplicanda miracula sunt vltra necessitatem verborum, vt idem A. Doctor expressè docuit eadem 3. p. qu. 77. art. 5. c. in fine.) omnis autem forma naturaliter separata intelligens est.

A. Doctor.

Itaque dico posita ea institutione formæ, (si tamen aliunde aliter non constaret) miraculum esset quod Christi corpus sub illis speciebus poneretur, cætera verò relinquenda forent suo connaturali modo, atque ita non esset alibi, & priorem locum relinqueret Christus. Quod tamen nunc in consecratione quæ à Christo instituta est non accidit: quandoquidem aliunde ex fide Catholica constat, Christum simul esse in cœlo & in sacramentis vbicumque illa sint. Vnde Concilium Tridentinum sessione decimatertia capite primo: cum definisset contineri Christum sub speciebus panis & vini sacramentaliter subdit: *Nec enim hæc inter se pugnant, vt ipse Saluator noster semper ad dexteram Patris in cœlum assideat iuxta modum existendi naturalem, & vt multis aliis nihilominus in locis sacramentaliter præ-*

Conc. Trid.

A *sens sua substantia nobis adsit.*

Ad quartum de loco & actione in distans dictum est paulò ante.

Ad quintum rectè respondet Caietanus hic §. *Ad hoc breuiter*: Angelum se habere indifferenter, & vt ipse loquitur *indistanter* ad omnem locum. intellige non quod non distet, quia verè habet præsentiam definitè in loco. sed quod perinde est illi ac si non distaret ob eam caussam quod momento potest vbique esse, vt locutus est Tertullianus; hoc est momento potest se in quemcunque locum transferre. Neque hoc tribuere nimium est Angelo, qui in quemcunque locum à Deo debet momento temporis mitti posse, vt vbicunque Deo visum sit, Angelus suas functiones ex Dei præscripto ac lege exerceat. & ita patet ad reliqua.

Caietanus.

B

Ad argumenta quinti modi; & primò ad Gabrielis rationem dictum est quoad illa prima & vltima momenta, non esse congruentem eius dictis vt vidimus in tertio Corollario post propositionem secundam.

Gabriel.

Ad primum ex aliis apud Capreolum, quicquid sit de illis articulis Parisiensium, nego sequi Angelum nusquam esse; vt suprà deduximus in primo Corollario post secundam propositionem; & ita non faciunt contra nos quæcunque ex scripturis & Patribus, & ex Aristotele ibi afferuntur, quibus ostendere nituntur, Angelum debere semper esse alicubi.

Capreolus.

C

Ad primam rationem dico Angelum dum transit, momento esse in termino ad quem; vt dixi in tertio Corollario primæ propositionis. In iis enim quæ momento peraguntur non est necesse vt mutatum esse sit post mutari. quemadmodum in motu continuo, vt hic articulo secundo ad tertium benè obseruat Angelicus Doctor. Vnde in ipso termino non quiescit in primo instanti acquisitionis; sed acquirit per motum; licèt in tempore proximè deinceps subsequenti quiescat. Vt enim ait Aristoteles, nulla quies est in instanti; sed *omnis quies in tempore est* libro quarto Physicorum contextu centesimo decimooctauo. Nego igitur Angelum esse aut in B. C. aut quiescere. de qua re vide quæ dicam art. seq.

Aristoteles.

D

Ad secundam rationem respondeo: Esto mobile dum mouetur indigeat loco. neque enim hoc negamus in Angelo; & ita dum momento mouetur indiget loco; quod est dum primò acquirit terminum ad quem. Quod si dicas: Prius est moueri quàm esse in termino ad quem; quia prius est, mobile esse in via, quàm esse in termino. Ergo priùs debet assignari locus mobilis dum est in via, quàm locus dum est in termino. Ergo debet assignari locus in via distinctus à termino ad quem.

E

Respondendum est vt suprà dixi in primo Corollario post primam propositionem, dupliciter intelligi posse mobile esse in via: Primo quidem modo vt sit in via quæ sit spatium intermedium inter vtrumque terminum à quo & ad quem. Secundo vt sit in via non quæ sit spatium medium; sed quæ sit acquisitio formæ, & relatio ad ipsam formam. quemadmodum dicitur mobile esse in via ad calorem cum calefit, & in via ad scientiam cum discimus, & in via ad sanitatem cum incipimus conualescere.

Dico igitur argumẽto mobile dũ est ĩ via primo modo,

modo tunc debere habere locum distinctum à loco termini ad quem; quia etiam ipsa via est spatium & locus. Sin autem sit in via secundo modo, nego debere habere locũ distinctum. Ratio est, quia mobile esse in via hoc pacto est mobile esse in adeptione termini; seu quod idem est, est mobile incipere esse in termino; non est autẽ necesse, vt dum momẽtaneus est motus nõ sit in termino. Immò contrà necesse est. si enim motus in instanti perficitur; ergo est simul cum forma quæ fit, & est eo ipso per motum momẽtaneum. Alioqui cũ impossibile sit duo instantia sibi proximè succedere, deberet tempus medium interponi inter motum instantaneum & instans, quo mobile est in termino ad quem; quod est impossibile. cùm hoc ipso quod est motus sit etiam acquisitio termini, & ipse terminus qui acquiritur. vt antè ostendimus euidenter.

ARTICVLVS TERTIVS,

Vtrùm motus Angeli sit in instanti.

1.d.57.q.4. a.2.& 4.d. 44.q.2.a.3. q.3.& Quo. 1.q.3.a.1.& Quo.9.q.4. a.3.& Quo. 11.a.4.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd motus Angeli sit in instanti. Quanto enim virtus motoris fuerit fortior, & mobile minus resistens motori, tanto motus est velocior. Sed virtus Angeli mouentis seipsum improportionabiliter excedit virtutem mouẽtem aliquod corpus. Proportio autem velocitatum est secundum minorationem temporis. omne autem tempus omni tempori proportionabile est. Si igitur aliquod corpus mouetur in tempore, Angelus mouetur in instanti.

2. *Præterea Motus Angeli simplicior est quàm aliqua mutatio corporalis. Sed aliqua mutatio corporalis est in instanti; vt illuminatio; Tum quia nõ illuminatur aliquid successiuè, sicut calefit successiuè: Tum quia radius non priùs pertingit ad propinquum quàm ad remotum. Ergo multo magis motus Angeli est in instanti.*

3. *Præterea Si Angelus mouetur in tempore de loco ad locum, manifestum est quod in vltimo instanti illius temporis est in termino ad quem: in toto autem tempore præcedenti aut est in loco immediatè præcedenti, qui accipitur vt terminus à quo; aut partim in vno & partim in alio. Si autem partim in vno & partim in alio, sequitur quod sit partibilis, quod est impossibile. Ergo in toto tempore præcedenti est in termino à quo. Ergo quiescit ibi; cum quiescere sit in eodem esse nunc & prius vt dictum est*. Et sic sequitur quod non moueatur nisi in vltimo instanti temporis.* (*art. preced.)

Sed contrà. In omni mutatione est prius & posterius. Sed prius & posterius motus numeratur secundum tempus. Ergo omnis motus est in tempore etiam motus Angeli cum in eo sit prius & posterius.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerũt, A *motum localem Angeli esse in instanti. Dicebant enim quod cum Angelus mouetur de vno loco ad alium, in toto tempore præcedẽti Angelus est in termino à quo, in vltimo autem instanti illius temporis est in termino ad quem. Nec oportet esse aliquod medium inter duos terminos, sicut non est aliquod medium inter tempus & terminum temporis. Inter duo autem nunc temporis est tempus medium. Vnde dicunt quod non est dare vltimum nũc, in quo fuit in termino à quo, sicut in illuminatione, & in generatione substantiali ignis non est dare vltimum instans,* B *in quo aër fuit tenebrosus; vel in quo materia fuit sub priuatione formæ ignis. Sed est dare vltimum tempus ita quod in vltimo illius temporis est vel lumen in aëre, vel forma ignis in materia. & sic illuminatio & generatio substantialis dicuntur motus instantanei. Sed hoc non habet locum in proposito: quod sic ostenditur: De ratione enim quietis est, quod quiescens non aliter se habeat nunc & prius. Et ideo in quolibet nunc temporis mensurantis quietem, quiescens est in eodem & in primo & in medio* C *& in vltimo. Sed de ratione motus est, quod id quod mouetur aliter se habeat nunc & prius. Et ideò in quolibet nunc temporis mensurantis motum mobile se habet in alia & alia dispositione. Vnde oportet quod in vltimo nunc habeat formam quam prius non habebat. Et sic patet quod quiescere in toto tempore in aliquo puta in albedine, est esse in illo in quolibet instanti illius temporis. Vnde non est possibile, vt aliquid in toto tempore præcedente quiescat in vno termino, & postea in vltimo instanti illius temporis* D *sit in alio termino. Sed hoc est possibile in motu; quia moueri in toto aliquo tempore nõ est esse in eadem dispositione, in quolibet instanti illius temporis. Igitur omnes huiusmodi mutationes instantaneæ sunt termini motus continui. Sicut generatio est terminus alterationis materiæ; Et illuminatio terminus motus localis corporis illuminantis. Motus autem localis Angeli non est terminus alicuius alterius motus cõtinui. sed est per seipsum à nullo alio motu dependens. Vnde impossibile est dicere quod in toto tempore sit in aliquo loco, & in vltimo nunc sit in alio loco. Sed oportet assignare nunc, in quo vltimo* E *fuit in loco præcedenti. Vbi autem sunt multa nunc sibi succedentia ibi de necessitate est tempus, cum tempus nihil aliud sit quam numeratio prioris & posterioris in motu. Vnde relinquitur quod motus Angeli sit in tempore. In continuo quidem tempore si sit motus eius continuus: in non continuo autem, si motus sit non continuus. Vtroque enim modo contingit esse motum Angeli vt dictum est †. Continuitas enim temporis est ex continuitate motus; vt dicitur in 4. Physicor.* Sed istud tempus siue sit tempus continuum siue non, non est idem cum tempore quod mensurat motum cæli, & quo mensu-*

† a.1. huius quæst.
* l.4.Phys. 99.to.2.

mensurantur omnia corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu cœli. Motus enim Angeli non dependet ex motu cœli.

Ad primum ergo dicendum: Quòd si tempus motus Angeli non sit continuum, sed successio quadam ipsorum nunc, non habebit proportionem ad tempus quod mensurat motum corporalium, quod est continuum; cum non sit eiusdem rationis. Si verò sit continuum, est quidem proportionabile, non quidem propter proportionem mouentis & mobilis, sed propter proportionem magnitudinum in quibus est motus. Et propterea velocitas motus Angeli non est secundum quantitatem suæ virtutis, sed secundum determinationem suæ voluntatis.

Ad secundum dicendum, quòd illuminatio est terminus motus, & est alteratio non motus localis, vt intelligatur lumen moueri priùs ad propinquum quàm ad remotum: motus autem Angeli est localis, & non est terminus motus. Vnde non est simile.

Ad tertium dicendum, quòd obiectio illa procedit de tempore continuo. Tempus autem motus Angeli potest esse non continuum. Et sic Angelus in vno instanti potest esse in vno loco, & in alio instanti in alio loco; nullo tempore intermedio existente. Si autem tempus motus Angeli sit continuum, Angelus in toto tempore præcedenti vltimum nunc, variatur per infinita loca, vt priùs expositum est. Est tamen partim in vno locorum continuorum, & partim in alio. non quòd substantia illius sit partibilis, sed quia virtus sua applicatur ad partem primi loci, & ad partem secundi; vt etiam suprà dictum est.†*

* art. præced.

† a. 1. huius quæst.

Explanatio & Confirmatio eorum quæ hic dicuntur.

A. Doctor.

Respondet A. Doctor non posse motum Angeli esse in instāti, sed in tempore; non quidem continuo, sed Angelico. De ratione huius articuli fusiùs dicemus infrà Diffic. 2. Summam eius nunc attingam. Probat igitur A. Doctor quod non sit in instanti: Quia si deberet esse in instanti, deberet quies præcedens in termino à quo esse toto tempore ante instans motus, ita vt in vltimo esse quietis esset instans motus. Sed hoc rectè dici non potest. Ergo non est in instanti. Sequela probatur: quia si motus est in vltimo quietis instanti; ergo quies præcedens est in tempore vsque ad vltimum instans, in quo primùm non est ampliùs quies, & primùm est motus. Nam si quies esset vsque ad vltimum instans sibi intrinsecum, cum immediatè pòst sequitur instans motus, deberent esse duo instantia, immediatè sibi succedentia; quod est falsum. Minor illa probatur: Quia quies præcedens cum debeat esse in tempore, debet etiam esse in vltimo instanti. Quia quiescere est nunc & prius eodem modo se habere. Ergo quie-

A scens in quolibet nunc temporis est eodem modo se habens; nimirum *in primo & in medio & in vltimo instanti*. Et ita quiescere in albedine est esse in illa in quolibet instanti temporis etiam vltimo. Falsum ergo est non quiescere in vltimo instanti, & in eo esse motum. Quæ quidem difficilia sunt; indigéntque magna declaratione.

Ad hanc rationem faciunt alia A. Doctoris loca. §. 1.

A. Doctor.

B Hvc etiam spectant quæ idem A. Doctor aliis docet in locis. Ac primùm quidem in 1. d. 37. quæstion. 4. a. 3. expressè probat, Angeli motum non posse in instanti esse non valdè dissimili argumento atque hic ostendere nisus est. Est autem huiusmodi. *Illa mutatio dicitur* inquit *esse subito vel in instanti, qua in vltimo instanti temporis, quod mensurabat motum præcedentem, acquiritur illa forma vel priuatio, cuius nihil prius inerat*, &c. *Vnde omnes tales mutationes instantaneæ sunt termini cuiusdam motus; vt in 6. Physic. commentator dicit*; nempe com. 55. Si enim in vltimo sunt momento temporis præcedentem motum metientis, necesse est termini sint alicuius motus. *Sed motus Angeli non potest esse terminus alterius motus.* Ergo C *oportet quod sit in tempore, non in instanti.*

Minorem ibi non probat expressè. Eam tamen hic confirmat in hoc articulo vt mox dicetur: & ideo dixi non valdè dissimili ratione ostēdi in eo libro 1. sentent. ab ea qua in hoc argumento vsus est A. Doctor. Probat igitur hic Minorem illam. Postquam enim ostendere nisus est, quiescere non debere esse vsque ad vltimum instans, quod quasi extrinsecus quietem terminet, sed perseuerare oportere etiam in vltimo illo momento, docuerátque non esse eandem de motu rationem: *Moueri* namque *in aliquo tempore* inquit *non est esse in eadem dispositione in quolibet instanti illius temporis*: Quiescere autem est nunc & D prius eodem modo se habere, vt dixi antea; sic concludit, vt inde probet illam Minorem: *Igitur omnes huiusmodi mutationes instantaneæ sunt termini motus continui. Sicut generatio est terminus alterationis materiæ, & illuminatio terminus motus localis corporis illuminantis.* Non sic autem se habere motum Angeli docet. Etenim (& ita probat Minorem) *est per seipsum & à nullo alio motu dependens*, quia nimirum non est necesse, vt illum antecedat aut motus alterationis, aut secundum locum, &c. Ergo motus Angeli non est terminus alterius motus. Quæ erat Minor probanda. Patet ergo vtroque loco ostendi ab A. Doctore non E esse motum illum momentaneum; idque non dissimili omninò argumento.

Quoniam verò A. Doctori obiici poterat, si motus Angeli non est momentaneus; ergo est continuus & in tempore quod illum metiatur; idcircò docet in eo libro primo, loco citato non posse negari, quin ille motus in tempore sit. *Vnde oportet* inquit *quod in tempore sit non in instanti*. Sed tamen subiungit quid ipse per tempus intelligat; nempe non hoc nostrum, quod horis diebúsque distinguitur, sed aliud longè alterius rationis. *Sed dico quod tempus* inquit *istud est aliud à tempore, quo mensuratur motus cœli, & aliorum corporalium.*

Hoc

A.Doctor. Hoc autem ipsum probat hoc pacto ibi A. A Doctor: *Nullus motus mensuratur* inquit *per motum cœli nisi qui est ordinatus ad ipsum.* Atque hinc esse ait, vt si plures Mundi essent teste Aristotele libro 1. cœli cont. 90. plures quoque deberent esse primi motus, & plura tempora, quibus nimirum quoslibet motus in suo Mūdo homines metirentur, cum quilibet ad suum non ad alterius tempus respicerent. At *motus Angeli nullum ordinem habet ad motum cœli.* Quod non aliter confirmat, nisi quia; *si dicatur motus eius Angeli processio operationum sicut dictum est*; nempe eadem q. a. 1. *oportet quod non mensuretur tempore quod est mensura primi mobilis*: sed alio tempore quod continuum non sit, sed componatur ex pluribus nunc, quæ respondeant pluribus operatio- B nibus Angelicis, quæ succedunt aliæ atq; aliæ, ita *vt numerus ipsarum operationum succedentium sibi tempus vocetur, sicut ipsa successio operationum dicitur motus; & quot sunt operationes ex quibus componitur motus secundum diuersa loca; tot erunt nunc ex quibus componitur tempus.* Sensus itaque est, quia motus Angeli non est continuus; sed nihil est aliud quàm plurium operationum successio, motus eiusdem Angeli non est in tempore, quia esse in tempore est temporis mensuræ subesse. At nihil subest temporis mensuræ quod continuū non sit. Est tamen in tempore vt esse potest; vt scilicet sicut motus est plurium succedentium operationum congeries atque collectio; ita & C tempus sit plurium NVNC compositio & coaceruatio. quib. omnibus NVNC illius temporis suo modo illæ operationes quæ motus sunt, respondeant.

A.Doctor. Addit postremò A. Doctor ibi, hæc omnia quæ de motu ac tempore Angelorum dixit, consonare iis quæ Aristoteles docuerat libro 6. Phys. cont. 1. de Indiuisibilium motu. Cum enim Angelus indiuiduus sit, naturam motuum indiuiduorum cum mouetur habeat necesse est, ac proinde & temporis. Verba eius referam vt eius sententia accuratiùs exponatur. Hæc autē subdit postquam dixerat & motum esse successionem plurium operationum, & tempus plurium D NVNC iisdem operationibus respondentiū collectionem: *Et hoc etiam* inquit *consonat ei quod philosophus dicit in 6. Phys. quod eiusdem rationis est indiuisibile moueri, & tempus componi ex nunc, & motum ex momentis, & lineam ex punctis. Quia quamuis linea sit continua per quam Angelus transit; non tamen est continuitas secundum quod refertur ad motum Angeli, qui diuersa Vbi non continuatè pertransit.*

Quibus clarè patet A. Doctorem existimare, si quod atomum corpus moueretur fore vt pertranseundo pūcta vnum assignaret post aliud proximè & immediatè; atque ita & continuum componeretur ex punctis; motúsque ex momen- E tis, ac denique tempus ex NVNC seu ex instantibus. In quod inconueniens non labimur cū Angelus qui etiam indiuiduus est mouetur; propterea quòd Angelus *diuersa Vbi non continuatim pertransit*: atque ita non metitur suo motu lineam per immediata puncta; quia eius motus esset continuus & non plurium operationum successio, vt ipse dixit.

Diuersa hic atque alibi sensisse A. Doctorem & quid sit tempus motus. §. 2.

At verò de hoc in Angelico motu tempore longè diuersa hic A. Doctor pronunciauit, A.Doctor. ex quibus quantopere eas sententias quæ iuniori placuerunt, idem ipse maturior aspernatus sit, intelligi potest. Docet ergo ex eo quòd motus Angeli non sit in instāti ob rationem quam supra formauimus, ipsum Angelum in tempore moueri. *Vnde relinquitur* inquit *quod motus Angeli sit in tempore.* Explicans autem, an tempus hoc sit continuum, an verò alterius rationis, vti statuerat in eo lib. 1. sent. subiungit statim, ipsum esse continuum, si motus continuus sit; non autem esse continuum si motus non sit continuus: *In continuo quidem tempore* inquit *si sit motus eius continuus; in non continuo autem si motus non sit cōtinuus.* Nam vt dixerat art. 1. huius præsentis q. vtroque modo Angelicum motum peragi posse docuerat. Addit etiam (quod rem præsentem illustrat) huiusmodi continuitatem temporis esse ex motus continuitate auctore Aristotele lib. 4. Phys. cont. 99. Probat enim si motus Angeli sit continuus & tempus fore continuum, hoc pacto: *Continuitas enim temporis est ex continuitate motus, vt dicitur in 4. Phys.* Fatetur tamen hoc tempus *siue sit continuum, siue non, non esse idem cum tempore quod mensurat motum cœli, & quo mensurantur omnia corpora quæ habent mutabilitatem ex motu cœli. Motus enim Angeli non dependet ex motu cœli.* In qua re

Obseruandum est dupliciter posse intelligi tempus seu durationem, quæ motum Angeli metiatur non esse idem cum tempore, quod ex motu cœli profluit. Vno quidem modo quia non sit idem realiter cum ipso; sicut non eadem est duratio, qua lignum calefit, & qua descendit aqua deorsum in procliuia: & hoc modo si intelligatur, nulla prorsus dubitatio est, quin idem illa tempora non sint, sed reipsa atque entitate distinguantur. Nam vniuscuiusque motus duratio passio quædam, ac proprietas consequens est ex motu ipso in quo est tanquam in subiecto. Sicut enim ex motu cœli promanat tanta eius motus duratio, quæ in ipso motu est; ita & quæcunque particularis duratio effluit ex suo motu, in quo recipitur. Vnde Aristoteles libro Aristoteles 4. Phys. cont. 98. & libro 12. Metaphys. cont. 29. apertè docet; tempus *aut idem* nempe cum suo motu, *aut quandam ipsius passionem esse*; quæ nimirum ex motu manat atque existit, in ipsóque recipitur. Idcirco etiam tunc ille motus est velox cum ipse plurimus est, in eóque duratio est parua: & contrà tardus: vt colligitur ex Aristotele apertè lib. 4. Phys. cont. 96. Si ergo subiecta sunt diuersa & passiones quæ in ipsis sunt diuersæ erunt: si quidem *nullum accidens excedit* inquit A. A. Doctor. Doctor infrà q. 115. a. 1. ad 5. *suum subiectum in essendo, licèt excedat in agendo.* Non tamen hoc modo negare contendit A. Doctor in hoc art. tempora Angelicorum motuum esse idem quod cæleste tempus; nimirum cum dixit tempus motus Angelici *non esse idem cum tempore quod mensurat motum cœli.* Quoniam eam diuersitatem intelligit, quæ nascitur ex independentia à motu cœ-

li;

li; quia scilicet *Angeli motus non dependet ex motu cœli*, cæteri autem corporum dependent. Ob hãc etenim rationem vt vidimus A. Doctor negat tempus Angelici motus esse idem cum tempore quod mensurat motum cœli. ergo non intelligit eam diuersitatem temporum, quæ solùm in reali distinctione consistat. Constat namque hanc non innasci ex independentia à motu cœli cum eam cæteri motus habeant, qui à cœli circumuolutione dependent A. Doctoris opinione.

Alio modo intelligi potest tempus Angelici motus non esse idem quod tempus motus cœli eo quod non est eiusdem naturæ & rationis atque illud est. Et hunc quidem sensum significat se A. Doctor intelligere. Diuersitatem enim horum temporum vt dixi constituit ex diuersa dependétia, quæ ipsorum temporum diuersitatem potissimum arguit. Ait ergo hoc modo continuum tempus in Angelico motu diuersum esse à motus cœli tempore. Quæ rursus durationum diuersitas essentialis, intelligi bifariam videtur posse: Vel primò, quia sit sola ipsarum durationum, atque essentialium prædicatorum diuersitas, vt differt natura leonis à natura equi. Vel secũdò, quia vltra naturarum discrimen sit quoque diuersitas in ratione temporis seu in ratione mensuræ, quæ maximè propriè atque vltimo tempus in suo esse constituit. ideò rectè dicitur ab Aristotele libro Phys. cont. 101. *Quando tanquam vnum ipsum* NVNC *sentimus & non vt prius & posterius in motu, non videtur tempus factum esse vllum*, &c. *Cum autem prius & posterius est*; nempe vt ipse explicat numerus motus secũdum prius & posterius, in quo consistit temporis mensura, *tunc dicimus tempus*.

Aristoteles.

Dico igitur non primo modo diuersitatem intelligi ab A. Doctore, sed secundo. Patet argumento iam dicto. Nam diuersitatem eam intelligit quę est vel ex dependentia vel ex independentia a motu cœli. Hæc autem diuersitas est à motu cœli in ratione mensuræ; primò quia ideò dixit hoc motus Angelici tempus, non esse idem cum tempore quod cœli motum mensurat, vt significaret hoc in ratione mensuræ discrimen. Deinde quia ad primarium propositum A. Doctoris non refert, vtrùm sit alia durationũ, temporúmque dependentia à motu cœli præter eam, quæ est in eadem mensuræ ratione. Nam si dependentiã solùm in ratione motus & durationis intelligeret, non autem in ratione mensuræ, nõ assignaret ipse discrimen quod contẽdit. Propositum namque illi erat ostendere tempus Angelici motus eam habere diuersitatem à tempore motus cœli, quæ non est inter cæterorum motuum tempora & tempus motus cœli. vt apertè patet ex eius verbis in fine corporis articuli, & in responsione ad 1. At inter horum motuum tempora, & tempus motus cœli est quidem diuersitas essentialis quoad durationes ipsas, non est autem diuersitas illa sola quæ spectat ad rationem mensuræ; ergo hanc diuersitatem esse ostendere vult in ratione mẽsuræ, non illam, quæ est inter essentiales durationum differentias. Minor patet quoad vtramque partem. Et primò quoad priorem sic ostendo: quia constat particularium motuum quos in corporibus cernimus, naturas esse varias, ergo nec ipsorum vna est essentialis duratio, cum duratio proprietas motus sit, quæ diuersa est pro eorum diuersitate, quorum proprietas est: vt motus sursum diuersa duratio est à duratione motus deorsum. ergo essentialis ista durationum seu temporum diuersitas reperitur etiam inter cæteros corporum motus, & motum cœli. Quod verò attinet ad posteriorem partem Minor eadem probatur dupliciter. Tum quia A. Doctor ad 1. ait Angeli motũ non habere proportionem ad tempus ac motum cœli, cæteros autem motus habere talem proportionem, ergo hanc solam diuersitatem putat esse quæ spectat ad rationem mensuræ; nam quoad cætera non negasset in iis quoque esse proportionem. Tum quia ex eo probat tempus motus Angelici non esse idẽ cum tempore quod mensurat cœli motũ & cæteros motus corporum, quia motus Angeli non dependet ex motu cœli, sicut motus cæterorum quo ad mutabilitatem, ex qua habent vt tempore mensurari possint, vt ait in fine corporis articuli. ergo hanc solùm assignat quæ spectat ad rationem mensuræ.

Constat ergo A. Doctorem diuersum motus Angelici tempus esse opinatum, esse non solùm quoad durationem, verùm etiam quoad rationem mensuræ potissimum. Quod etiam manifestè patet ex illo 1. Sent. vbi suprà. expresè enim hanc de ratione mensuræ sententiam docuit A. Doctor. Vt autem vbi sita sit hæc in ratione mensuræ diuersitas intelligatur

Notandum est secundò, illas durationes esse diuersas in ratione mensuræ, quæ non possunt subesse vni eidémque mensuræ, sed eas oportet esse diuersas, si illæ durationes metiendæ sint. Si namque metiendæ sint, vt vni mensuræ subesse nequeant; ergo in illis est diuersa ratio mẽsurandi, ac proinde differant in ratione mensuræ necesse est. Quod optimè generatim obseruatum est ab A. Doctore in 1. d. 19. q. 2. a. 1. ad 2. Vbi: *Omnibus illis* inquit *in quibus inuenitur diuersa ratio mensurandi, oportet esse diuersas mensuras proprias*. A. Doctor.

Hinc rectè ait, non esse panis ac vini mensuram eandem. Constat namque nos panem vnciis & libra; vinum verò congiis, cadis, doliisq; metiri. Sicut etiam vt ait Aristoteles libro 10. Metaphys. cont. 4. in Musicis concentus metimur hemitonio, & syllabas elementis. Quorum ratio est, quam Aristoteles tetigit eodem libro 10. cont. 2. quia scilicet, *Mensura* nihil est aliud quàm *id quo quantum cognoscitur*. & idcircò omnium mensuram vnitatem esse ait, cuius replicatione omnem quantitatem siue discretam siue continuam dimetimur. Dicimus enim numerum esse tantum vel tantum; ex tot vel tot vnitatibus: & quãtitatem tantam ex tot palmis, vlnis, &c. Angelus ergo (vt ad rem nostram propius accedamus) cum mouetur motu continuo, si eius motus duratio seu tempus differt à tempore quod cœli motum metitur in ratione mensuræ, non debet posse ei mensuræ subesse tanquam ab ea dimetiendus. Alioqui si ei metiendus subesse posset, vtriusque communis mensura esset; atque ita in ratione mensuræ conuenirent, ac proinde in ea non discreparent. Cum ergo A. Doctor hîc neget idem esse tempus Angelici motus, motúsque cœlestis, videndum erit, quo pacto non habeant vtrique motus mensuram communem ac tempus, vt ita in ratione mensuræ differant inter sese. Aristoteles.

Dicendũ autem in hac re est negari ab A. Doctore A. Doctor.

ctore hic esse commune tempus, & communem rationem mensuræ, propterea quòd non necessariò motus Angelicus est cõtinuus seu per spatium ac magnitudinem mediam inter terminos à quo & ad quem. Probatur quia non alia ratione dixit Angeli tempus dum mouetur non esse eiusdem rationis cum tempore, quod cæli motum metitur, nisi quia motus Angeli non dependet à motu cœli; nempe in ratione mensuræ; vt ostendimus; Quemadmodum cæterorum corporum motus, *qui habent* inquit *mutabilitatem à motu cœli.* Cum ergo cæterorum corporum motus habeant mutabilitatem à motu cœli, ab eoque pendeant in ratione mensuræ, quia habent necessariò continuitatem, & per medium spatium trãseunt. (Hac enim sublata continuitate non exercentur in tempore, ac proinde nec sunt tempore cœli mensurabiles; eáque posita sola hoc ipso sub mensuram cœli cadere possunt) Angelici motus tempus non erit commune cum cœlesti, nec cum eo communem habebit rationem mensuræ propterea quòd non necessariò est continuus.

A. Doctor. Confirmatur apertè ex iis quæ docet A. Doctor in hoc ipso art. ad 1. Ait namque ex eo motum Angeli qui non sit continuus, *non habere proportionem ad tempus quod mensurat motum corporalium, quod est continuum, cum non sit eiusdem rationis; si vero sit continuum, esse proportionabilem.* Ergo vt tempus cœli vel sit mensura vel non sit, ex eo prouenit, quod motus vel est continuus vel non est continuus. Ex eo ergo quod Angeli motus non necessariò sit continuus non habet communem mensuram cum motu cœli. Quod etiam magis patet ex iis quæ in eadem responsione ad 1. subdit. Nam cum est continuus motus Angeli dicit esse proportionabilem tempori, quod mensurat cœli motum; *non quidem propter proportionem mouentis & mobilis; sed propter proportionem magnitudinum, in quibus est motus.* Quibus clarè docet ex ea parte qua motus est determinatus ad tantam vel tantam cõtinuitatem sub mensuram temporis cadere, nempe ex eo quod virtus motrix suum mobile per tale spatium tanta motus duratione mouere debet. Qua re quia caret Angelus; eius motum aut durationem ait non subesse temporis mensuræ; sed solum ob proportionem spatij. Vnde & subdit: *& propterea velocitas motus Angeli non est secundum quantitatem suæ virtutis*; nempe ad tantum motum determinatam; *sed secundum determinationem suæ voluntatis.* Quasi dicat si necessariò haberet tantam vel tãtam durationem ex virtute; qua ratione corpora determinationem habent, motum Angelicum habiturum communem mensuram cum motu cœli. Vnde cum non sit talis determinatio continuitatis nisi ex voluntate, hinc fieri vt sub cœlestis temporis mensura non cadat.

At dicet aliquis. Si vera hæc doctrina est, sequitur neque motum hominis cadere sub mensuram motus cœli: etenim nec virtus hominis motrix est determinata ad tantam motus continuitatem, sed vt virtus Angeli motrix habet determinationem ex imperio voluntatis. Respondeo omnem humani corporis motum esse determinatum ex virtute motrice immediata. Tametsi enim ex voluntate hominis pendeat vt ad motum eliciendum applicetur tantus vel tantus conatus; nempe tanta vel tanta spirituum copia, & musculorum neruorúmque contentio

A (quam suprà diximus esse immediatam, proximamque mouendi vim) tamen ex eius causæ applicatione tãtus motus, eiúsque tanta existet duratio, ad quantam potest se extendere illa virtus motrix in suum mobile per tale medium. *Et propterea* inquit A. Doctor *velocitas motus Angeli non est secundum quantitatem suæ virtutis; sed secundum determinationem suæ voluntatis*; à qua scilicet immediatè determinatur, definitúrque tantus vel tantus motus; tantæ vel tantæ durationis. Voluntatis namque est præscribere tantum vel tantum motum, non ipsius virtutis, quæ quantum est ex se ad has definitas, certásque mensuras indifferenter se habet. A. Doctor.

B Negatur igitur argumento sequela Maioris. Ad probationem autem aio motricem virtutem hominis proximam esse determinatam ad tantum motum; quia non est voluntas, sed talis vis motrix conflata ex tanta copia spirituum, contentione neruorum, &c. At motus Angelici determinatio immediatè est ex voluntate; & ideò ille motus hominis necessariò est continuus, ac proinde subest mensuræ temporis; non autem Angeli.

Vnde vlterius sequitur ab A. Doctore non negari, si quando virtus Angeli ex voluntate determinatur ad tãtum aliquem motum, ipsius motus tempus posse cadere sub mensuram motus cœli. Habent enim mutuam in duratione proportionem. Immò id apertè concedit ad 1. Postquam enim negauit, si Angeli motus sit momentaneus, posse habere proportionem cum tempore, quo mensurabilis sit, subdit statim: *si verò sit continuum*, nempe tempus, ac duratio motus Angelici *est quidem proportionabile*; nempe cum tempore cœlesti; *non quidem propter proportionem mouentis & mobilis.* Hæc enim cum non sint definita ad tantum tempus proportionem mensuræ habere nequeunt, vt dictum est; & ideò simpliciter nõ sunt vnius communis mensuræ, *sed propter proportionem magnitudinum in quibus est motus.* Ex eo enim quod per medium peragatur motus; ideoque continuus sit, affirmat tempora esse æquiparabilia inter se, ac proinde sub communem mensuram cadere posse. Concedit ergo motum continuum ex voluntate Angeli ad tantam durationem determinatum posse esse sub communi temporis cœlestis mensura ex continuitate per medium. A. Doctor. C D

Ex dictis Colligitur primò, quæ nam discrimina assignanda sint inter doctrinam quam hîc Angelicus Doctor de motu Angelico tradidit, interque enim quam scripsit eadem de re libro illo primo sententiar. Primum enim discrimen est in eo quod hic docet; Motum Angeli posse esse continuum. Vnde negat debere solummodo compositum esse ex momentis, eiusque tempus ac durationem constare oportere ex pluribus Nunc. Id quod apertè patet ex illis verbis in c. art. postquam negauit motum esse in instanti. subdit enim sic: *Vnde relinquitur quod motus Angeli sit in tẽpore; In cõtinuo quidẽ tempore, si motus eius sit continuus*, &c. *Continuitas enim temporis est ex continuitate motus vt dicitur in quarto Physicorum. Vtroque enim modo contingit esse motum Angeli vt dictum est*; nempe articulo primo huius q. vnde ad 1. ibidem sic expressè docet: *Dicendum* inquit *quod si motus Angeli sit successio quædam ipsorum* Nunc, &c. *Si verò sit continuum* E

continuum, &c. At verò in eo libro primo contrà docet, nullo modo posse esse continuum; sed omninò constare ex pluribus NVNC, atque esse *per successionem operationum*, &c. *& ideo tempus illud non est continuum, sed est compositum ex* NVNC *succedentibus sibi, vt numerus ipsarum operationum succedentium sibi tempus vocetur.* Quam dictorum contrarietatem conciliare nititur auctor concordantiæ in A. Doctorem Dubio 118. ita vt in primo neget continuitatem ex parte mobilis, non autem ex parte viæ; quod hîc affirmat. Si tamen rectè considerentur verba A. Doctoris in illo libro primo negat omninò posse esse vllo modo continuum Angeli motum cum ex pluribus Nunc constare debeat. Quare meliùs dicendum est Angelicum Doctorem vnà cum ætate sapientiorem factum esse.

Alterum discrimen est, quod libro primo idcircò affirmauit tempus Angelici motus non posse subiici mensuræ motus cælestis; quia *nullus motus mensuratur per motum cœli, nisi qui est ordinatus ad ipsum.* Qualem negat esse Angelicum motum. *præcipuè si dicatur motus eius esse processio operationum*; vt dictum est. Idcircò ad 3. ibi affirmat expressè tempus quo mouetur Angelus non esse diuisibile *diuisione continui, sed diuisione discreti in plura instantia finita.* At verò hic concedit esse proportionabilem motum ad illud tempus eo quod non solum est processio operationum, verùm etiam continuus ob applicationem successiuam, & continuam virtutis Angelicæ ad medium corpus inter vtrumque terminum.

Tertium discrimen est, quia libro primo expressè dixit, *quod eiusdem rationis est indiuisibile moueri, & tempus componi ex* NVNC, *& motum ex momentis & lineam ex punctis.* In hoc autem hæc ipsa tanquam apertè falsa prætermisit: & Angelum indiuisibilem moueri docuit motu continuo ad tempus proportionabili, ac proinde quod tempori metienti subesse possit: nec dignum putauit eas rationes & absurda memorare, quæ in eo primo libro dixit. Supponit namque si punctum in continuo moueatur non hoc ipso omnia indiuidua puncta contactu assignari. Legenda sunt ea quæ hic docet ad tertium. vbi expressè docet, quo pacto nostro tempore motum Angeli metiri possimus. Alia plura discrimina facilè occurrunt consideranti, quæ missa nunc facio ad breuitatem.

Sapientiùs A. Doctorem hîc sensisse concluditur quàm alibi.

§. 3.

A. Doctor. Colligitur secundò, quantò sapientiùs Angelicus Doctor in hoc articulo hanc doctrinam de motu eiúsque duratione, quàm in libro primo sententiarum loco citato tradiderit. Qua de re quoniam multa dicta à nobis sunt suprà articulo primo Quæsito vnico Difficultate vltima in nostris Corollariis, vbi etiam animaduertimus rectius quoque in sua Summa Theologica quam in libris de quatuor Albertus M. coæuis locutum esse Albertum magnum; ideò in præsentia pluribus hæc obseruare supersedendum est. Illud tamen notare operæpretium est; Angelicum Doctorem in Quod- A. Doctor. libetis secutum omninò doctrinam esse quam scripserat in libro primo sententiarum eo modo vt relata à nobis est. Nam quodlib. nono articulo nono: postquam dixerat motum Angeli non esse continuum, quia *temporis continuitas sequitur continuitatem motus, & continuitas motus sequitur continuitatem magnitudinis super quam transit motus*, vt habetur in quarto Physicorum concludit in ipsis operationibus Angeli *ratione quarum dicitur moueri per diuersa loca, non esse inuenire aliquam continuitatem, sed consequenter se habere; vnde & NVNC quæ mensurant motum Angeli sunt consequenter se habentia, & non est inter ea aliquid continuans. & ipsa pluralitas sic se consequentium est quoddam tempus, in quo dicimus Angelum moueri; & hoc consonat dictis Philosophi vbi dicit quod eiusdem rationis est indiuisibile moueri, & tempus componi ex Nunc.* Quod ferè totidem verbis repetit Quolib. 11. articulo quarto, additque ibi *sequi quod motus Angeli mensuretur quodam tempore in quo sunt instantia sibi succedentia sine continuatione.*

Quæ quidem omnia vt consentanea sunt iis quæ libro primo dixerat, vt vidimus; ita ab iis quæ in hoc art. sapientiùs docuit apertè dissentiunt. quandoquidem & docuit Angeli motum non solùm esse continuum, sed etiam continuitatem habere temporis ex continuitate motus; vt patet ex art. c. Et hanc motus continuitatem deriuari ex magnitudine in qua est motus, non ex magnitudine mobilis aut virtutis; vt dixit in responsione ad 1. Immò hanc motus continuitatem posse cadere sub mensuram temporis cui illa est proportionabilis, vt ibidem patet. Quo autem modo eam tempore metiamur expressit ad 3. Hæc autem notasse volui, ne frustrà in iis locis conciliandis laboretur, in quibus sapienter à se ipso dissentire ipse Angelicus Doctor voluit. Quam etiam discrepantiam rectè obseruauit Dionysius Carthusianus in primo distinctione trigesimaseptima quæstione quarta §. *In quibus videtur.* Dion. Chart.

Concludendum autem hac in re est, optimè constare ea quæ ab A. Doctore in hoc art. de motu Angeli continuo explicata sunt, nec ad ea intelligenda opus esse disquisitione. In eo autem totam verti difficultatem; Vtrùm & quo pacto vera sint quæ de Angeli motu in instanti disseruit. quæ difficiles vt patebit habent explicatus. Ad ea tamen examinanda sit A. Doctor.

QVÆSITVM VNICVM,

Vtrùm & quomodo vera sit doctrina A. Doctoris circa motum Angeli non continuum.

Sæpè diximus suprà Angelum moueri posse motu non continuo, ac proinde in instanti,

instanti, quod proximè quietem antecedentem subsequatur. Neque enim arbitrati sumus dari posse tertium motum, qui nec continuus sit, nec momentaneus. Cum præsertim Aristoteles libro 4. Phys. cont. 71. putauerit consecutionem hanc necessariam esse; nempe, si moueretur corpus in vacuo quia nullam haberet resistentiam fore, vt moueretur in non tempore; ergo in instanti. Quamobrem cum A. Doctor expresse videatur probare non posse esse motum in vltimo quietis momento, vt suprà vidimus in art. explanatione, quia quies quæ aliquo temporis spatio durauit, in vltimo etiam illius temporis instanti perseuerare debet: videmur apertè hactenus sensisse aduersus A. Doctoris mentem & veritatem si vera sunt quæ ipse in hoc art. videtur docuisse. Diximus namque motum non continuum esse momentaneum, eúmque esse oportere in vltimo quietis instanti. eo quòd in alio esse nequit. Hoc ergo vtrumque doctrinæ huius articuli aduersari è diametro videtur. Nam si in eo vltimo instanti quietis est quies, proinde certum esse debet tunc non esse motum, ne in eodem instanti moueatur & quiescat simul. Si autē motus non est in eo momento quietis vltimo, ergo nunquam dari potest motus momētaneus, quia non superest aliud momentum in quo esse queat. Quare ad huiusmodi rei declaratione sit

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm verum sit Angelum non posse moueri in instanti, cum motus est non continuus.

PRima sententia est nonnullorum Thomistarum qui asserunt non posse esse in instanti motum sed quietem. Ita Ægidius in 1. d. 37. p. 2. d. a. 2. quæstione tertia § *Ad id autem.* Capreolus in 2. distinct. 6. quæstione prima, articulo primo, conclusione quarta, & articulo tertio ad argumenta contra illam. Videtur etiam esse Caietani hic articulo tertio, §. *Quoad primum*; & §. sequenti. Verùm Caietanus quid sentiat dicam infrà in nostra propositione. Ferrariensis libro tertio contra Gentes, cap. 102. §. *ex his sequitur:* & seqq. Gregorius de Val. disput. 4. q. 4. p. 3. & alij. Probari potest hæc sententia ex A. Doctore in hoc art. vbi in c. expresse docet. cum Angelus recedit à termino à quo, oportere *assignare* NVNC *in quo vltimo fuit in loco præcedenti.* Si autem assignatur vltimum NVNC in quo sit Angelus in termino à quo. Ergo assignatur vltimū instans quietis in termino à quo etiam cum motus non est continuus; & ita non potest motus esse in instanti; quia duo instantia non possunt esse immediata. Secundò probari potest ratione, quam significat A. Doctor, quia de ratione quietis est, vt quiescens non aliter se habeat nunc & prius. Ergo in quolibet instanti cum quiescit in termino à quo Angelus se habet eodem modo, ac proinde etiam in vltimo. Ergo in eo quiescit in termino à quo, & non mouetur in instanti.

Ægidius. Capreolus. Caietanus. Ferrariensis. Gr. de Val. A. Doctor.

Secunda sententia est cæterorum qui hac de re disputarunt; Qui omnes asserunt fieri in in-

A stanti cum est motus non continuus. Ita Scotus in 2. d. 2. quæstione vndecima. Franciscus Mayronius in 2. d. 2. quæstione decimatertia. Gregorius in 2. d. 6. quæstione tertia articulo primo. Noster Molina hic articulo tertio. Vasquez disputatione centesimanonagesimasexta capite septimo §. vltimo. Idem ex antiquioribus senserunt Albertus, Henricus & alij; de quibus diximus super. Difficult. in 1. & 2. sententia. Consentiunt etiam ij qui negant Angelum posse moueri in instanti si moueatur per medium, quia tunc successiuè moueri debet. Ergo supponunt hæc duo ex aduerso opponi, vt si alterum negetur, affirmandum sit alterum, de quibus dictum est superioribus difficultatibus. Videtur B idem sensisse Caietanus vt infrà.

Scotus. Franciscus Mayronius. Gregorius. Molina. Vasquez. Albertus. Henricus. Caietanus.

Sensus quæstionis eiusque resolutio. §. 1.

AD solutionem Notandum est non esse quæstionem, Vtrùm ita motus Angeli peragatur in instanti, vt illum momento temporis tanquam connaturali mensura mensuremus per se & propriè. Nam vt rectè philosophatur hic A. Doctor in fine c. Motus Angeli, sicut etiam quælibet eius C operatio cum per se nō subiaceat tempori, nec tempore aut eius instanti per se metiendæ omninò sunt cōnaturaliter. Sicut enim si procedēdum ex notis sit, ea tēpore per se & connaturaliter metienda sunt, quæ in tempore per se & connaturali modo ex naturalibus causis mouentur secundum quod mouentur, vt suprà dixi ex Aristotele libro quarto Physicorum, contextu centesimodecimooctauo & centesimodecimonono, ita etiam ea metienda per se sunt instanti quod est terminus temporis, quæ sunt terminus motus. Quod si quædam aliæ Angelorum operationes tempore mensurantur D cum videlicet plus quam per instans perseuerant in suo esse, vt actus intelligendi, & cætera, id est per accidens, & ratione motus; quia scilicet tandiu existimamus ea durare, quandiu fuisset motus si in iis fuisset. Et ideò etiam rectè hîc Angelicus Doctor in articuli c. docuit omnes mutationes momentaneas *esse terminos motus continui*; scilicet connaturali modo, eo quòd vt proportionem habeant mutationes cum instanti quod est terminus temporis; debent illæ esse terminus motus; vt sicut motus extensio se habet ad extensionem temporis; ita & termini eius extensionis motus ad terminos extensionis temporis: quod etiam patet in quantitate con-E tinua. Nunquam enim aliquid connaturaliter coexistet puncto, quod est terminus lineæ, nisi quod est extensionis alicuius terminus; vt si mobile moueatur per lineam in vltimo puncto lineæ non consistet, nisi in vltimo mutato esse quod est terminus motus. Dixi tamen connaturaliter; quia & hoc modo intelligendum esse Angelicum Doctorem, & hoc pacto vera esse quæ ab ipso in hac materia dicuntur, dicam seq. Difficult. Vnde sequitur vt quia motus localis Angeli à nullo vt ipse ait motu dependet, sed est per se ipsum, neget posse mensurari momento temporis; nempe per se & connaturali modo.

Solùm

Solùm ergo quærimus; Vtrùm siue per se siue per accidens motus Angeli non continuus possit mensurari indiuisibili temporis: ita scilicet, vt eius duratio definiatur temporis momento, ad quod illam comparamus; nec ante aut vltra illud instans motus ille perseueret. Quemadmodum res cæteras etiam indiuisibiles momento temporis metimur ac definimus, cum dicimus eas esse momentaneas. Qua etiam ratione A. Doctor suprà quæstione decima, art. 5. ad 3. concedit expresse comparatione ad nostrum tempus posse etiam substantiam Angeli mensurari, cum dicimus eam esse vel fuisse & futuram esse. Dum enim simul est cum nostro tempore eiusque partibus eam fuisse dicimus, secundum quod fuit cum præteritis temporis partibus; & præsentem esse, secundum quod est simul cum præsentibus; & futuram secundum quod erit simul cum futuris. Quod etiam de æternis pari ratione concedit eadem quæstione, art. 2. ad argumenta. In hoc ergo sensu inquirimus; Vtrùm Angeli motus esse possit momentaneus. Et ita ad Difficultatem respondetur & sit

Vnica Propositio. Verum est, Angelum se ipsum mouere in instanti nostri temporis, cum eius motus non est continuus. Dico cum non est continuus: quia si motus sit continuus in instanti non potest esse; & contrà cū est in instanti non debet esse continuus, vt explicatum est.

Variæ probationes pro motu Angeli momentaneo. §. 2.

Scotus. PRobatur propositio primò quidem à Scoto dum putat se A. Doctoris de quiete fundamenta conuellere. Nam si Angelus in quocunque tēpore quiescens debet in vltimo illius temporis esse in eadem quiete; Ergo Vbitas seu Vbi illius nunquam mutatur; nec in tempore continuo nec in discreto. Hoc autem dici nō debet: quia altero ex his duobus modis mutari debet, vt etiam fassus est suprà a. 1. & 2. A. Doctor.

Sanè in hoc a. 3. ostendit si motus sit cōtinuus, tempus in quo mouetur esse continuum. Sin autem motus non sit continuus fore tempus non continuum, ac proindè discretum. Ait namq; ad 3. hic cum Angelus mouetur motu non cōtinuo, *in vno instanti posse esse in vno loco, & in alio instanti in alio loco nullo tempore intermedio existente.* quod est esse tempus discretum. In hoc enim discreta quantitas opponitur continuæ, quod in continua est vnum medium quo extrema continuantur. in discreta verò nullum medium est. Immò si ex continua quantitate auferatur nexus hoc ipso discreta fit. Vnde & dicitur numerus qui quantitas discreta est oriri ex diuisione continui, vt docet suprà A. Doctor q. 30. a. 3.

Sequelam Scotus probat. Et quod non in tempore continuo, dant aduersarij. quia dicunt cum Angelus mouetur in tempore non cōtinuo, moueri in Nvnc Angelico. In tempore autem continuo moueri non dicūt nisi quando est per magnitudinem & medium: cum temporis continuatio pendeat ex cōtinuitate motus; vt ex Aristotele libro 4. Phys. cont. 99. docet A. Doctor in hoc art. 3. & super. a. 2. vt antè dictum est.

De tempore ergo discreto sequelam Scotus probat: quia accipiatur aliqua pars temporis

A in quo Angelus quiescit ac proinde in vltimo illius non est mutatus, quia etiam in illo quiescere debet. Tunc sic; si in aliquo instanti temporis discreti debeat Angelus mutari localiter; quæro; Aut hoc instans est immediatum instans post illud vltimum instans terminans quietem: Aut mediatum. Si mediatum; ergo intercedit tempus: & cum hoc tempus sit ante instans discretum quo motus incipit, in eo quiescet; Ergo illud instans quod ponebatur vltimum ante intermedium tempus, non erat vltimum quietis: cum post illud adhuc sit tempus consequens in quo datur Angelum quiescere. Sin autem est

B immediatum; quæro quid illi respondeat temporis nostri? Si tempus; Ergo non mutatur Angelus in instāti; sed in tempore nostro, ac proinde continuo non discreto, vt ipsi ponebant. Si instans. ergo instans temporis nostri immediatè post aliud instans sequitur. nempe illud quod quietis erat postremum. Ergo assignari poterunt duo instantia temporis, quorum vnum immediatè post aliud consequatur. nempe absque vlla intermedia temporis particula; ac si duo puncta dari possent in linea ita immediata, vt vnum esset post aliud absque intermedia lineæ particula. Hoc autem est apertè falsum & impossibile, si tempus non componatur ex momē-

C tis. Ergo Angelus nō mutatur tempore discreto.

Huic autem argumento conatur respondere Capreolus ad tertium Scoti: sed verè non soluitur. Ait enim loco citato ei Nvnc Angelico non esse proportionabile aut tempus aut instans nostri temporis. Aduersus quam responsionem est quia omnis duratio vel est simul cum nostro tempore; vel non. Si est simul; ergo ei respondet tempus; sicut etiam æternitati cum dicimus, horam totam, & quamlibet eius partem, ac momentum coëxistere æternitati, seu esse cum æternitate. Immò etiam ab ea mensurari tanquam à mensura excedente Capreolus.

D concedendum est in doctrina Angelici Doctoris. Hac enim ratione Angelicus Doctor suprà quæstione decimaquarta, articulo decimotertio dixit Deum cognoscere futura contingentia tanquam æternitati præsentia; quia *æternitas tota simul existens ambit totum tempus.* Ergo circumscribit aliquo modo, metitúrque nostra tempora, non tamen sine exuperantia. Vnde idem Angelicus Doctor in 1. dist. 19. quæstione secunda, articulo primo ad secundum expressè docet, *vnam mensuram posse ordinari ad aliam, nempè ad æternitatem sicut ad primam mensuram, & excedentem.* additque *Vnde sicut diuinum esse est mensura omnis actus, ita æternitas est mensura omnis durationis excedens, & non coæquata. Sed præter hoc oportet* A. Doctor.

E *tet habere alias proprias mensuras propter diuersos modos mensurandi.*

Eodem pacto tempus primi mobilis est mensura eius motus, qui finem habet atque principium; nempe mensura excedens, vt habet Aristoteles libro quarto Physicorum contextu centesimovigesimo. Ergo illi respondebit tanta duratio temporis. Vnde etiam operationes Angelicæ, quæ ipsis Angelis fuerunt meritum ac demeritum, & vno vel pluribus temporis discreti instanti comprehensæ respondisse tempori nostro dicemus infrà suo loco. Quin etiam ipsum esse Angelicum respondere nostro tempori patet auctoritate & ratione A. Doctoris suprà quæst. 10. art. 5. ad 3. vbi postquam dixit in ipso esse

esse Angeli secundum se considerato non esse differentiam præteriti & futuri, sed solùm secundum adiunctas mutationes subdit: *Sed quod dicimus, Angelum esse vel fuisse, vel futurum esse, differt secundum acceptionem intellectus nostri, qui accipit esse Angeli per comparationes ad diuersas partes temporis.* Possumus ergo illud tempus discretum sumere si nostro tempori coëxistat per comparationem ad nostrum tempus, illúdque nostro tempore aliquo modo metiri, sicut non absurdè dicimus Angelū fuisse superiore sæculo, victurúmque omni consequenti tempore, &c.

Sin autem dicant illam Angelici motus durationem non esse simul cum nostro tempore; id sanè debet esse quia est momentanea. Nam alioqui omnis duratio quæ momentanea non sit, simul cum nostro tempore esse debet etiam si non formaliter extensa sit sed virtute & eminentia. Quo pacto iam diximus æternitatem æuúmque omne nostro tempori coëxistere, ab iisque quæ in tempore sunt mensurari ex parte, & ex parte etiam saltem nostro intelligendi modo ipsa æterna nostri temporis mensuræ subesse. Ergo vel fatebitur Capreolus esse durationem momentaneam, quia solo temporis momento coëxistat; vel simul esse cum nostro tempore, & aliquo modo communem habere rationem mensuræ.

Quod si iterum dicat nō esse simul cum tempore eo quod non habet cum illo proportionem vt mensuretur; Contrà est quia sequitur illam durationem nulla ratione esse diuisibilem, ne virtualiter quidem. Nam sola illa duratio non habet proportionem cum nostro tempore, quæ momentanea actu est & virtute; nimirum instans. cæteræ namque durationes vt dicebam, etiam æternitas cum tempore aliquam proportionem habent. Licèt enim æternitas sit infinita, tempus verò finitū; qua ratione inter ipsa nulla est proportio seu ratio, vt ait Aristoteles lib. 1. de cœlo cont. 52. nempe ea secundum quam possit finitum sæpius replicatum exæquare infinitum; vt linea palmaris decies replicata exæquat lineam palmorum decem: Tamen alio modo est inter illa proportio in ratione mensuræ inadæquatæ, quia scilicet quod finitum est exæquet partem aliquam infiniti. Sic enim tempus quod Aristoteli infinitum est, est mensura motuum inferiorum qui finiti sunt; & vt dicebam æternitas atque æuum res corruptibiles metitur ex parte.

Neque obest quod infinitum nullas habeat partes actu; vt æternitas. satis enim est si illi insint partes virtuales; quia scilicet sit virtualiter diuisibile, propterea quod respondeat diuiduæ durationi. Hoc autem si habeat potest etiam esse mēsura finiti motus inadæquata, vt iam dicebam. Sic ergo dicemus æternitatem habere proportionem cum motu, quia virtute saltem est diuisibilis, eo quod scilicet intra eius ambitum virtualem tempora contineantur. Sic enim dixit A. Doctor vbi suprà æternitatem complecti omnia tempora. Debet ergo aliquid nostri temporis illi respondere; & ita currunt argumenta Scoti.

Gregor. Eadem ratione probat Gregorius vbi suprà in 2. argumento, quod huc transfero, vt sit amplior explicatio argumēti ex Scoto recitati. Quia esto nec Angelus nec eius motus dependeat ex motu cœli, tamen ita *coëxistunt* inquit, *vt verè dici*

A *possit, dum Sol est in tali loco Angelus esse in tali situ: & dum Sol mouebitur à tali loco ad talem, Angelus mouebitur à tali loco ad talem.* Ex quo patet esse aliquam proportionem, vt illa tempora mensurari possint, idemque dico de instantibus. Nam eodem modo ille motus si non coëxistit tempori, potest dici coëxistere momento. v.gr. dum extrema Solis perueniunt ad lineam æquinoctialem, &c.

Secundò probari etiam potest propositio nostra ex Gregorio. Quia si motus ille Angeli cum non est continuus non esset momentaneus, id maximè esset quia debuit fuisse Angelus in vltimo quietis momento in termino à quo, ac proinde non potest in instanti immediatè & proxi-
B mè post quod dari nequit, moueri. At falsum est assignari debere vltimum instans quietis. ergo motus ille Angeli post illam quietem poterit verè esse momentaneus. Probat autem Minorē, quia cùm materia transmutatur ex vna forma substantiali indiuisibili, in aliam substantialem etiam indiuisibilem; si datur vltimum instans in quo quiescebat seu erat sub priore forma: Aut ergo in eodem instanti est sub forma in quam transmutatur; & hoc esse non potest, quia esset simul sub duabus formis oppositis. Aut in altero momento sequenti; & cum nullum instans sequatur alterum instans sine medio, erit tempus medium quo materia careat vtraque forma.

C Huic argumento respondet Capreolus a. 3. vbi suprà ad 4. Gregorij, has formas esse terminum motus; & ideò assignari posse instās extrinsecum, in quo verum sit dicere: Nūc primò non est motus, nec forma antecedens; sed est terminus motus & forma subsequens. Quod etiam hîc fatetur A. Doctor. Capreolus.

Verùm ratio Gregorij aduersus hanc responsionem confirmatur: Quia si non posset absolutè assignari instans extrinsecum in quiete; sed solum quando formæ sunt termini motus, id esset quia de ratione quietis est vt mobile ab ea non mutetur in vltimo instanti. Hanc etenim rationem putant assignari ab A. Doctore, vt eius verba sonare videntur. At hoc est falsum, quia id
D esset vbicunque est quies. semper enim quies deberet esse cum sua ratione formali, quæ nimirum illi essentialis est. At videmus apertè posse esse quietem etiamsi in vltimo instanti sit motus in ipso mobili quod quiescebat. Nam si postquam materia fuit sub forma aquæ spatio vnius horæ, introducat momento Deus formam ignis in illam materiam; Tum sic: Hoc momentum non potest esse immediatè post vltimum illud instans horæ in qua quieuit materia sub aqua. Duo namque momenta immediata esse nequeunt: Neque momentum illud esse potest post intermedium tempus; nimirum inter vltimum
E instans illius horæ, & illud momentum quo forma ignis introducitur in materiam aquæ. Hoc enim ipso daretur quod ante contendebat Scotus; nempe dari quietem in eo tempore, quod esset post vltimum instans quietis. Ergo necessariò sequitur tale momentum debere omninò esse illud, quod ponitur vltimum intrinsecū quietis, quia aliud nullum reperiri potest in quo primò introducatur à Deo illa forma ignis. Ex quo vlteriùs sequitur non esse illam materiam sub termino à quo in vltimo instanti quietis, nempe sub illa forma præcedēti quam ponebamus esse aquæ formam, cum tunc necessariò sit forma ignis,

ignis, ne in aliquo inſtanti concedamus in materia duas formas contrarias ac pugnãtes. Quod cum ex ſe abſurdum eſt; tum opinione Thomiſtarum intolerabile, qui refugiunt concedere plures formas eſſe in eadem materia quouis modo.

Caietanus. Certè Caietanus huiuſmodi argumentis dat manus, aitque §. *Titulus eget : menſuram deſitionis prioris loci & acquiſitionis poſterioris conſtare eſſe inſtans*, nec in iſto ſenſu quæri ab A. Doctore; & certum eſſe argumenta Gregorij & Scoti nihil aliud inferre, *niſi quod in inſtanti acquiritur terminus ad quem, in quo etiam deſeritur terminus à quo, cuius oppoſitum creditur nos opinari.* Itaque Caietanus in his momentis à Gregorio & Scoto non diſſentit; ſed omninò conſentanea horum ſententiæ docuit. Vnde perſpicuis verbis fatetur primùm *poſſe Angelum in inſtanti applicare ſe ad locum ſi priùs nuſquam fuiſſet.* Quaſi verò quod fuerit alicubi, impedimento ſit ne ex illo loco ſit tranſitus momentaneus. Quod ſane dici non debet. Si enim cum prius nuſpiam eſſet, momento ſe in locum applicare poteſt; cur non momento à loco ad locum ſe transfert? Deinde ibidem Caietanus profitetur; huius quæſtionis (nempe ſi quæratur de menſura tranſitus ex vno in alium locum) euidentem eſſe ſolutionem. *Quoniã conſtat* inquit *talem menſuram eſſe inſtantis*, &c. Itaque putat argumentis Gregorij & Scoti hunc momentaneum tranſitum ab iis qui hoc negarent extorqueri, ſed tamẽ ea eſſe præter quæſtionem præſentem.

A. Doctor. Immò idem A. Doctor 3. p. q. 75. a. 7. ad 1. ait conuerſionem panis in Chriſti corpus perfici in eo inſtanti in quo primum eſt ſubſtantia corporis Chriſti, & quod eſt primum non eſſe ſubſtantiæ panis. Vt ſit vnum inſtans re, & diuerſum ratione ad diuerſa ad quæ comparatur. Ergo falſum eſt id quod quieſcebat in termino à quo, debere quieſcere in vltimo etiam inſtanti. Quãdoquidem in eo inſtanti tantum abeſt vt quieſcat panis, vt verè in eo momento vltimo ſit conuerſus in Chriſti corpus, ac proinde vt verè primum non eſſe illius ſit. Quod totum expreſsè patet ex verbis ipſius A. Doctoris in fine eius ſolutionis. *Et ideò eſt* inquit *dare primum inſtans in quo eſt corpus Chriſti; non autem eſt dare vltimum inſtans, in quo ſit ſubſtantia panis, ſed eſt dare vltimũ tempus.* Quod etiam aliquanto fuſiùs proſequemur pòſt, in primo noſtro Corollario.

Ac ne quis exiſtimaret, vt reſpondere videtur hîc Caietanus §. *Quoad ſecundum*; hæc ſolùm dicenda eſſe in ſupernaturalibus mutationibus, non autem in iis quæ naturaliter fiunt, ſubdit A. Doctor. A. Doctor proximè ad illa verba recitata; id totum contingere in mutationibus naturalibus. *Et idem eſt* inquit *in mutationibus naturalibus, vt patet per Philoſophum libro 8. Phyſ. cont. 72.* vbi id habet apertè: *Simul* inquit *corruptum eſt non album, & factum eſt album.* ergo idem inſtans eſt, in quo primum non eſt non album; & primum eſt ipſum album; vt nimirum ſit idem inſtans quo primum non eſt forma quieſcens, & quo primum eſt ſubſequens, ita vt vnum inſtans re, duplex ſit, vt dicebat A. Doctor, comparatione diuerſorũ. Quid ergo clarius dici poteſt ad A. Doctoris mentem declarandam? Quę fortaſſe non vidit Caietanus; aut ſi vidit, difficultatem ſuppreſſit, & nullos in eum locum edere voluit commentarios. Non ergo eſt de ratione quietis etiam connaturali

A modo, vt ſub ea ſit mobile etiam in vltimo inſtanti.

Denique probatur noſtra propoſitio ex ſuper. Quæſi. Difficult. 1. Quia omnis motus aut eſt continuus aut momento abſoluitur; vt diximus ſupponi ab Ariſtotele libro 4. Phyſ. cont. 71. Et licet Ariſtoteles loqui dicẽdus ſit ſolùm de motibus naturalibus, vt etiam ſuprà dicebamus; Tamen cum ſit eadem ratio de motibus Angelicis, locum quoque ſuum in illis habeat neceſſe eſt.

Quod autem ſit eadem ratio probatur: quia motus Angeli, vt paulò antè dicebam, vel durãt dum temporis aliqua pars durat; vel durãt dum nulla pars temporis labitur. Si detur prius; ergo

B ſunt ſaltem virtute in tempore; quo aliqua ratione menſurantur vt diximus. Si detur poſterius; ergo ſaltẽ virtute momentanei ſunt. quandoquidem virtute nullam habent durationem, qua in tempore ſint; atque ita cum eodem tempore nec habent virtualem proportionẽ. Quod ſoli momento & puncto temporis conuenire ſuprà dicebamus.

Quod quidem argumentum clariùs explicari poteſt de re reſpectu loci extenſi vel indiuiſibilis; Vt ſi quæſtio eſſet; Vtrum ſubſtãtia denudata ipſa quantitate eſſet in loco extenſo, an in puncto illius. Si quis enim ita argumentaretur: Subſtantia illa non eſt in loco extenſo. Ergo ſi non eſt extra omnem locum, ſed alicubi, neceſſe eſt

C ſit in loco indiuiduo, cùm vniuerſum genus loci ex æquo diuidatur in locum vel diuiduum vel indiuiduum. Quemadmodum etiam quia animal ex æquo diuiditur in brutum atque hominem, ſi aliquid non eſt extra omne animal, neceſſariò erit vel brutum vel homo. Id quod in Angeli loco clarè patet. Nam quoniam Angelus non poteſt eſſe extra omnem locum, vt ſuprà oſtendimus; neceſſe eſt ſequi ipſum Angelum eſſe in aliquo loco, ſi non diuiduo, ergo indiuiduo. Iam ergo pari ratione ſic de motu Angeli argumentari poſſumus: Aut motus Angeli eſt diuiduus & continuus; aut non eſt. Si primũ; ergo eſt in tempore. Si ſecundum; ergo eſt in inſtanti, quia non poteſt eſſe ita, vt ſit extra quam-

D cunque temporis ſiue diuiduam ſiue indiuiduã durationem: hoc eſt non poteſt eſſe ita vt nõ ſit dum eſt aliquid temporis, nimirum vel continuum, vel momentaneum; vt hactenus oſtendimus.

Et quamuis Ariſtoteles libro 4. Phyſ. cont. 116. dicat non eſſe idem, aliquid eſſe in tempore, & quãdo eſt tempus: *Sicut* inquit *neque in motu eſſe, neque in loco, quãdo motus eſt, & locus eſt.* Quaſi indicet non eſſe verum quod diximus, nempe ſi eſt dum eſt inſtans; ergo eſt in inſtanti: Tamen vt ipſe explicat cont. 117. quia verum eſt eſſe in Ariſtoteles.

E tempore idem eſſe atque contineri à tempore. *Sicut ea* inquit *quæ in loco ſunt, à loco*, contineri; neceſſe eſt vt ea quæ ſunt dum eſt inſtans ita vt extra illud non ſint, contineantur in illo inſtanti. Non enim alia ratione mutationes mõmentaneæ dicuntur eſſe in inſtanti, & contineri ab eo, niſi quia durant dum eſt inſtans, extráque illud ſuam durationem non cõtinuant; ſicut duraſſe per horam, & extra illam non fuiſſe, dicitur vna hora tantùm duraſſe non ampliùs.

Quod etiam à ſimili patet: quia res quæ continentur loco, non aliter continentur niſi quia intra ſuperficiem, quæ ipſis æqualis eſt ſunt,

 extrá

extráque non sunt. Quamobrem quod ibi dicit Aristoteles in eo cont. 117. contineri tempore & loco esse cum tempus & locus sunt quid maius,eo quod continetur; intelligendum est non ita vt tempus & locus, quæ mensura sunt, ampliora sint iis quæ mensurantur; hoc enim falsum est., cum locus locato æqualis esse debeat, Aristoteles. Aristotele teste lib.4.Phys.cont.30.vbi ait: *locum neque minorem esse, neque maiorem*: & mensura sit, *qua primo quantitas cognoscitur* ex eodem Aristotele libro 10 Metaph context.2. nimirum qua cognoscitur tanta vel tanta quantitas. quod non esset,si mensura eam non exæquaret, eique non commensuraretur. Sed ita vt res illæ quæ mensuræ sunt exuperent ea, quibus tanquam mensuræ aptantur. Quo pacto locus locatum excedit, quia corpus continens cõtento amplius est: Sic etiam res illa quæ est instans,nempe temporis entitas excedit illud ens momentaneũ; quod dum est instans durat; ac proinde eius duratio momento mensuratur atque cognoscitur. Continentur ergo instanti durationes momentaneę, ab eoque mensurantur, quia eas momento metimur; atque ita eas momentaneas esse cognoscimus ac denominamus.

Mobile in mutationibus tam naturalibus quàm supernaturalibus non esse in termino à quo in vltimo instanti quietis, non aduersatur dictis A. Doctoris. §.3.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò, non esse contra A. Doctoris mentem dicere, in mutationibus siue naturalibus siue supernaturalibus, mobile non esse sub quiete termini à quo in vltimo instanti eius quietis. Nam vt diximus quod nos nunc asserimus affirmauit quoque A. Doctor 3. p. loco citat.quoad vtramque mutationem.Et de mutatione supernaturali quæ fit cum conuertitur panis in Christi corpus iam diximus,ex 3.p.q.75. art.7. ad 1. idémque docuit apertè eadem 3.p. q.78. a.2. & quinto c.

Et ratione patet manifesta.Nam conuersio fit in vltimo instanti prolationis formæ sacramentalis, in quo tunc esse debet corpus Christi, vt vera sit illa propositio; vt iisdem articulis 2. & A. Doctor. 5.docet A.Doctor. Ergo tunc primò est corpus Christi; quia non antea. ergo tunc primò non est substantia panis,quia alioqui falsa esset propositio, *Hoc est corpus meum*: quia vt ibidem ait sensus esset, *Hoc quod est panis est corpus Christi*: quod falsum esse nemo non videt. Ergo in eo instanti primum non est panis, qui antea erat. Vnde quodlib.7.q.4.a.2.peculiarem instituit A. Doctor quæstionem; Vtrum simul sit corpus Christi,panisque substantia?respondétque; *Dicendum quod nullo modo est ibi corpus Christi, & substantia panis, nec est assignare vltimum instans in quo sit ibi panis, sed vltimum tempus quod continuatur ad instans illud, in quo primo ibi est corpus Christi*, &c. quæ persequitur optimè. Ergo putat, non esse vltimum instans, in quo quiesceret panis, hoc est in quo esset vltimum non esse motus seu mutationis subsequentis, qua incipit ibi esse

A corpus Christi. quod ipse ibi explicat ex aliis naturalibus exemplis.

De mutationibus verò secundum naturam patet, quod A. Doctori non detur vltimum in- A. Doctor. stans,in quo sit terminus à quo; seu quod idem est in quo mobile sit sub quiete in termino à quo. Nam quodlib.7. q.4.a.2. ait non dari vltimum esse aeris. Cum enim sit transmutatio aeris in ignem, *oportet* inquit *quod in vltimo instanti illius temporis sit primo non aer*,&c.fateor tamen ibi A. Doctorem negare dandum esse vltimum instans in iis terminis à quo: propterea quod eas mutationes putat esse terminos pręcedẽtis motus. Sed de hac re mox sequenti Corollario.

B Eodem etiam modo videtur locutus A. Do- A.Doctor. ctor 1.2.quæst.113.art.7.ad 5.cum vniuersè ait: *In iis autem quæ subiacent tempori non est dare vltimum instans in quo prior forma subiecto inest. Est autẽ dare vltimum tempus & primum instans in quo forma sequens inest materiæ vel subiecto. Cuius ratio est, quia in tempore non potest accipi ante vnum instans aliud instans præcedens immediatè, eo quod instantia consequenter se haberẽt;sicut nec puncta in linea, vt probatur 6. Phys. Sed tempus terminatur ad instans; & ideo in toto tempore præcedenti, quo aliquid mouetur ad vnam formam subest formæ oppositæ; & in vltimo instanti huius temporis, quod est primum instans sequentis formæ, habet formam quæ est terminus motus.* Sanè ibi concludit tandem iustificationem impij fieri eodem C momento,quo desinit esse culpa præcedens:quę tamen iustificatio cum sit diuinæ gratiæ productio, non est cum motu successiuo; vt etiam patet cum ex fide parentum paruuli in veteri lege à peccato sanabantur. In primo namque esse gratiæ necesse fuit,primum non esse peccati.

Colligitur secundò,licèt A.Doctor loquatur in prædictis locis de illis instantibus, quæ sunt terminus motus ita vt sensus sit, non posse dari vltimum esse in iis quæ desinunt ex præcedente alteratione; vt cum conuertitur aër in ignem &c. Tamen eandem esse rationem etiamsi ex præuio illo motu non desinerent;vt si Deus momento aërem conuerteret in aquam, aut solem D momento produceret. Tunc enim quia nec materia spoliatur omninò forma, nec duas simul habet formas oppositas, necesse est vt in eo instanti quo primum habet aquæ formam, primum non habeat formam aëris; quam vsque ad illud instans habuit. Alioqui haberet duas formas.

Et ideò A. Doctor in ea q.75. a.7. ad 1. & 3. eandem esse rationem censuit cum fit conuersio panis in corpus Christi, in qua nullus est præuius motus, nisi quo profertur forma consecrationis: Qui motus omninò extrinsecus accidit conuersioni. Solùm enim est applicatio agentis causæ, vt fiat effectus per verba significantia, E quæ sunt Dei instrumentum: Qui motus se habet per accidens ad ipsam conuersionem instantaneam,& proinde est ac si non esset. quemadmodum si aër momento sine alteratione fieret aqua ad actionem ignis momentaneam, qui eò translatus esset per motum, quo applicatus esset passo;& sic de cæteris. Quod præsertim patet in lumine solis. Tametsi namque sol applicetur per localem motum huic vel illi aëri, tamen quòd lumen in hac vel illa aëris parte gignatur non pendet per se à locali motu. Eodem enim pacto gigneretur lumen in iisdem aëris partibus,etiamsi ibi à Deo crearetur vel ab alio quocunque

cunque alio modo vnico momento applicaretur. Immo eius quæcunque sit, applicationis, ignis siue solis terminus, esset præsentia illius; non autem terminus esset aut actio, aut conuersio ad quos non tendit motus localis; sed solùm ad locum. Vnde dico si considerentur ea quæ sunt per se ad illam conuersionem supernaturalem, etiamsi nulla eius, quod extrinsecus & per accidens illi adiunctum est, ratio habeatur; non debere dari vltimum esse formæ præcedentis; sed primum eius non esse, vt dictum est.

Ex his respondetur ad argumenta primæ sententiæ. Dico enim non oportere assignari vltimum instans in quo sit sub termino à quo mobile recedens. Quod verum est etiam opinione A. Doctoris & Aristotelis, vt vidimus. Vnde *quiescere* vt ait Aristoteles lib. 6. Phys. contex. 31. *dicimus id quod similiter se habet & ipsum & partes nunc & prius*. quæ definitio tota conuenit mobili quiescenti sub termino à quo, etiamsi in vltimo eius momento moueatur. Nam ante illud instans sunt infinita instantia assignabilia, in quibus verum est dicere, mobile & eius partes se habent similiter nunc & prius. Ergo non est necesse, vt mobile habeat naturam quiescentis, quiescat seu non moueatur in vltimo instanti, quod quietem terminat. Ex quo sequitur non valere hanc consecutionem: Ergo in quolibet nūc temporis mensurātis quietem, debet quiescens esse in eodem, non solum in primo, medio, sed etiam in vltimo. Non valet autem quia in quolibet nunc tempus illud componente, debet id esse, non autem in quolibet nunc terminante, vt dictum est. Quid verò velit sibi A. Doctor in hoc art. sequenti Difficultate dicendum est; quam ex proposito ad eius mentem declarandam instituemus. Sit ergo

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm A. Doctor in hoc art. absolutè negauerit in vltimo nunc temporis mensurantis quietem mobile moueri: & an negauerit Angelum posse moueri in instanti.

PArtem affirmantem docent auctores citati superiore Difficultate in Prima sententia; & ideò eam tanquam A. Doctoris sententiam impugnarunt Scotus, Gregorius, & Molina locis citatis in secunda sententia. Fundamentum ipsorum est, quia id expressis verbis docuit A. Doctor, & probauit, vt retuli in eadem prima sententia, adeò vt eius verba nullam interpretationem admittant. Confirmari etiam potest ex paritate, quam A. Doctor sumit, vt confirmet Angelum non posse moueri in instanti: eo quòd Angelus in instāti vltimo quietis debeat esse in termino à quo. Quod sic confirmat ex conuenientia inter motum & quietem quoad rationem mensuræ: Quia quicquid mouetur in aliquo toto tempore, in quolibet illius temporis aliter atque aliter se habet, ergo similiter quicquid quiescit in aliquo toto tempore, in quolibet illius temporis eodem modo se habet. Ergo etiam in vltimo instanti eodem modo se habebit & quiescet.

Scotus. Gregorius. Molina.

Partem negantem sequitur Caietanus in hoc art. §. *Titulus eget*; & §. *Tertia deinde instantia*,

Caietanus.

A cuius sententiam tanquam A. Doctori consentaneam libenter amplectar, ac pro viribus explicare tentabimus.

Ad inuestigandam A. Doctoris mentem dum negat motum Angelicum esse momentaneum, Caietani partitione vtendum est, & quid intendat A. Doctor. §. 1.

AD solutionem Notādum est, licèt difficilè B appareat quid sibi voluerit A. Doctor in hoc art. dū negat motū Angeli esse in instanti, & dum vult quietem perseuerare etiam in vltimo suo instanti; tamen si in partes diuidamus ea quę hic ab ipso edocentur, non difficile de eius mente constare poterit. Sequar autem contextus Angelici partitionem, quam optimam fecit Caietanus hic, eamque comprehendam ac distinguam claritatis causa in sequentibus paragraphis.

A. Doctor. Caietanus.

Sit autem §. Primus. Nam primò A. Doctor refert quorundam opinionem, cuius proponit quatuor dicta. Vnum est; Cum Angelus mouetur, in toto tempore antecedente motum, est in termino à quo; in vltimo autem instanti est C in termino ad quem, atque ideo puncto temporis est eius motus. Hoc primum initio corporis vsque ad illa verba, *Nec oportet*. Alterum est, quod inter duos terminos non est aliquod medium, sicut nec inter tempus & temporis terminum. Et hoc vsque ad illud, *Vnde dicunt*. Tertium quod ex his sequitur. Quod non est dare vltimum Nunc, in quo Angelus fuit in termino à quo. Sicut nec in generatione & illuminatione. Et hoc vsque ad illa, *Sed est dare*. Quartum est: Quod est dare vltimum tempus, in quo fuit in termino à quo. Ex quibus omnibus recitatis videtur explicata Scoti, Gregoriique sententia, & aliorum qui eam sectantur. Atque hæc in hoc primo §. A. Doctor, ex eorum opinione dicta retulit.

A. Doctor.

D §. Secundus est, in quo impugnantur omnia horum auctorum dicta excepto secundo. Et primum quidem dictum tali argumento conuellere nititur. Quia omnes huiusmodi mutationes momentaneæ sunt terminus alicuius motus continui, sicut generatio est terminus alterationis, & illuminatio terminus motus localis corporis illuminantis. Et hoc ab illis verbis, *Igitur omnes* vsque ad illa *Motus autem localis*. Sed motus localis Angeli non est terminus alicuius motus continui, quia est per se ipsum à nullo alio motu dependēs. Ergo impossibile est ipsum esse in aliquo loco toto aliquo tempore, & in vltimo illius momento esse in alio loco. Et hoc E inde vsque ad illa: *Sed oportet*. Licèt inter illa verba interponat impugnationem tertij dicti, vt mox notabo. Minorem non probat; quia est certa per se. Maiorem probauerat inductione ex generatione & illuminatione, retorquendo exempla in ipsos auctores vt fecimus. Constat ergo Angelum non moueri in instanti; quia Angeli motus non est terminus alterius motus. Tertium etiam dictum in eodem §. sic improbat: Quia de ratione quietis est, vt quod quiescit non aliter se habeat nunc & prius.

& prius. Ergo quod quiescit se eodem modo habere debet in tota quiete; ergo in quolibet nunc temporis mensurantis quietem, quod quiescit, debet esse sub quiete seu in codé loco vt prius, ac proinde quiescat oportet siue in primo, siue in medio siue in vltimo instanti. Ergo datur vltimum instans in quo mobile sit in termino à quo. Confirmat antecedens vt ante dicebamus ex conuenientia inter quietem ac motum: Quia sicut ex eo quod de ratione motus est vt mobile aliter se habeat nunc & prius, & ideò in quolibet NVNC temporis mensurantis motum, mobile se habet in alia atque alia dispositione, potest in termino motus habere formam quam prius non habebat; Ita id quod in aliquo tempore quiescit *puta in albedine* ex eo quod debet esse eodem modo in illa, ac proinde in quolibet instáti illius téporis, debet etiam esse sub illa in vltimo instanti illius. Ex his etiam infert aduersus idem tertium dictum, quod licet non sit possibile in quiete dare vltimum NVNC in quo quod quiescebat moueatur, tamen possibile id esse in motu, quia moueri est esse in alia atque alia dispositione. Ergo in vltimo NVNC, potest esse sub alia forma. Quartum dictum impugnat etiam in eodem §. Quia debet assignari vltimum NVNC in quo mobile est sub quiete termini à quo: Ergo non potest assignari vltimum tempus in quo sit in termino à quo, cum debeat esse vltimum NVNC. Et hoc vsque ad illa, *Sed oportet*.

§. Tertius est inde vsque ad illa verba, *In continuo quidem*. In eo autem continetur responsio ad titulum articuli. Nempe motus Angeli est in tempore. Probat autem sic: quia in motu Angeli est assignare duo NVNC, quia in eius motu est NVNC prius & NVNC posterius. Prius quidem in quo vltimo fuit in loco præcedente: & posterius in quo sit in loco subsequente; nempe in termino ad quem, vt probauerat argumentis in refutatá opinionem. *Vbi autē sunt multa* NVNC *sibi succedentia, ibi de necessitate est tempus; cum tempus nihil aliud sit quam numeratio prioris & posterioris in motu.*

§. Quartus incipit ab illis verbis *Vnde relinquitur*. In quo ex dictis deducit, motum Angeli posse esse continuum & non continuum. Continuū quidem si fit in tépore continuo. Non continuū verò, si sit in tempore nó continuo. Probat, quia tempus habet suam continuationem à motu; vt dicitur in libro 4. Physicor. context. 99. Ergo si sit in tempore continuo signum est ipsum esse continuum; & contra. Et hoc vsque ad illa *Sed istud*.

§. Quintus est in quo declarat quale tempus sit, quod motum metitur Angelicum, atque vtrumque tempus quod metitur Angelicum motum esse diuersum à tempore nostro; nempe quod est numerus motus primi mobilis, de quo Aristoteles libro quarto Physicorum à contextu centesimoprimo. Nam tempore nostro *mensurantur omnia quæ habent mutabilitatem ex motu cœli: Motus autem Angeli non dependet ex motu cœli.* Hæc vsque ad finem corp. ar. A. Doctoris. Ex his ergo vt constituamus aliquid ex mente Angelici Doctoris

Aristoteles.

Notandum secundò doctrinam quam improbat A. Doctor, non refutari tanquam falsam; ac si diceret impossibilia, sed tanquam non sufficientem. Id patet, quia cum A. Doctor eam retulisset, impugnat eius primum dictum, & totius doctrinæ basim his verbis: *Sed hoc non habet locum in proposito quod sic ostenditur*, &c. Nec aliter refutat, nisi quia eius doctrinę exempla de mutationibus momentaneis non probant ipsas esse in vltimo instáti solius quietis; sed etiam cum sint terminus motus sunt in vltimo instanti præcedentium motionum, hoc est, in quo verum sit dicere, Nunc primò præcedentes mutationes non sunt; sed sunt primò mutationes illæ momentaneæ vt vidimus in 2. §. Ergo solum ostendit eas ab aduersariis allatas instantias non esse sufficientes.

A. Doctor.

A

Difficultas tamé sola oritur ex impugnatione Tertij dicti in eodem §. 2. Vbi videtur contendere A. Doctor non posse assignari vltimum instás quietis, in quo primo sit motus. Nam id videtur probare ex natura ac definitione quietis, cum dicit, *De ratione quietis* &c. vt vidimus. Verū nec ex hoc loco id táquá impossibile simpliciter impugnatur. Nam primò id non potest esse de natura alicuius, sine quo potest esse illa natura; vt si homo esse posset sine rationali, hoc ad naturam essentiámque hominis non pertineret. At potest esse quies in ipso mobili, etiamsi mobile in vltimo illius momento mutetur; vt super. Difficult. etiam verbis A. Doctoris ostendimus.

B A. Doctor.

Nec refert quòd cum mobile mutatur in vltimo quietis momento sit illud instans terminus motus cótinui, vt ita nó sit solus terminus quietis, sed etiam motus. Etenim si quid probat ratio A. Doctoris ostendit, vltimum instans etiamsi sit terminus motus, non posse in eo mobile moueri. Et hoc patet dupliciter: Tum quia id quod est de ratione alicuius semper debet esse cum illa re de cuius ratione est. Nunquam enim potest esse res sine suis essentialibus, quibus constituitur; Ergo ne tunc quidem cum instans est terminus motus, potest in eo nó quiescere id quod quieuit in tépore ante. Tū quia quod instans sit terminus motus alterius subiecti non debet mutare naturam antecedentis quietis in alio subiecto. Ex eo enim quod Petrus ambulat non mutat naturam quietis in Paulo. Ergo etiamsi sit motus in aëre dum proferuntur verba consecrationis, cuius terminus est instans, in quo producitur præsentia corporis Christi in Venerabili Eucharistia; non deberet tamen in eo instanti desinere esse panis, qui immediatè ante mutationis instans quiescebat: quia scilicet tale instás ad rationem eius quietis pertinebat. Vt nimirum panis ille in toto eius tempore, & in quolibet eius momento in suo esse conquiesceret.

C

D

Et tamen non est ita etiam opinione A. Doctoris, vt superiori Difficultate dictum est. Præterquam quòd non est propriè terminus motus instans; quia propriè terminus est id ad quod tendit motus; hic autem tendit ad suum terminum ad quem; non verò ad instans. Solum tamen est terminus quia vltra illum non est motus; non tamen quia ad illum sit motus, vt nox terminus est diei, mors vitæ, mœnia ciuitatis, limites agrorum & similia. Ergo non posset ex hoc dici esse de ratione quietis illud instans tanquam terminus est de ratione motus. Non est ergo de ratione quietis vt in quolibet eius instanti etiam qui est terminus totius quietis mobile quiescat.

E

Secundò quod contrariam sententiam non impugnauerit tanquam impossibilem A. Doctor

A A. Doctor, patet ex eadem conuenientia quam tradidit ipse inter motum & quietem. Nam sicut de ratione motus non est, vt ex eo quod mobile in motu aliter atque aliter se habet, in vltimo instanti transeat ad diuersam formam ab ea quæ in motu producebatur; vt verbi gratia, non est necesse mobile in vltimo instanti transeat ad esse maius per quantitatem maiorem, si prius mouebatur ad qualitatem verbi gratia ad calorē; ita nec de ratione quietis est, ex eo quod in ipsa mobile se debet eodem modo habere, vt in vltimo instanti non mutetur ad aliam formam. Hac enim conuenientia vsus est Angelicus Doctor ad oppositam confirmationem, vt vidimus.

B Denique, quia potest tota ratio integra quietis saluari in ipso mobili etiamsi in vltimo instanti moueatur, vt superiori Difficultate diximus. Ergo non est de ratione quietis. Quocirca aliam A. Doctoris mentem esse in ea doctrina tradenda certum esse debet. Pro qua re intelligenda

Notandum tertiò est, vt benè aduertit hic Caietanus §. *Quoad secundum* hanc A. Doctoris doctrinam non esse veram ratione formæ, sed ratione materiæ.

Non quidem ratione formæ, quia ea doctrina est vera ratione formæ, quæ eadem argumentandi forma seruata, in omni materia quæ possit esse sub illa forma, vt ipse ait, *verificetur.* vt verbi gratia, si ex eo quod homo est rationalis est risibilis, ratione formæ argumenti verum erit, in omni eius indiuiduo Petro, Martino, Socrate, & cætera, ipsa esse risibilia, propterea quod rationalia sunt. Si ergo verum esset quod mobile quiescens in toto aliquo tempore, debet esse in quolibet eius momento quiescens, deberet de omni mobili quiescente eadem veritas reperiri. Hoc autem esse falsum probat Caietanus: Quia *ista* inquit *conditionalis non est necessaria. Si est homo in aliqua hora; ergo in termino illius horæ est homo.* Immò addit de facto falsam esse consecutionem; quia homo interire posset in vltimo instanti illius horæ. Benè autem reddit causam; cur ea doctrina non sit vera ratione formæ: Quia *totum* inquit *tempus præcedens ipsum terminum comparatur ad illud tanquam prius ad posterius. Non est autem necessarium quod est tale in priore mensura, perseuerare tale in posteriori.* Quæ causa optima ac verissima est, vt patet inducendo per singula quæ momento intereunt, postquam aliquanto tempore durarunt. Non est ergo vera doctrina ratione formæ.

Caietanus.

Est autem vera ratione materiæ, hoc est in aliqua materia determinata; nimirum secundum consuetum naturæ cursum. Quia scilicet secundum consuetum naturæ cursum nihil in termino à quo quiescit aliquo tempore, quod in vltimo illius quietis instanti mutetur in terminum ad quem; nisi sit aliquis motus continuus, cuius illud instans sit terminus ac limes. Id quod apparet in omni quod mutatur substantialiter siue per generationem siue per corruptionem, siue etiam quoad alterationes perficientes animum, vt scientia est & virtus voluntatis.

Ex quibus omnibus rebus Angelicus Doctor axioma desumpsit, mutationes momentaneas non esse nisi cum sunt terminus motus, atque ita illuminationem ac generationem non esse in instanti post solam quietem, sed etiam post motum localem quo Sol applicatur. Ex quibus rebus naturalibus vt eandem methodum etiam supernaturalibus formis accommodaret, similem de Transsubstantiatione in venerabili Eucharistiæ sacramento doctrinam deriuauit. Vt scilicet vltimum instans prolationis verborum in forma sacramentali, in quo completur integra formæ significatio, ac proinde in quem terminetur motus totius prolationis verborum, sit primum non esse panis, & primum esse corporis Christi, vt obseruauimus ex eodem A. Doctore Difficult. super. Adeò namque ex sibi notis philosophandi rationem esse sibi seruandam duxit, vt ne latum quidem vt aiunt vnguē, ab ea recedendum, nisi vbi manifesta ratio coëgerit, arbitratus sit.

Quare de ratione quietis, vt eam accipimus in rebus naturalibus; si ab his motibus continuis disputatio euocanda sit, est; vt in termino à quo mobile quiescat etiam quoad vltimum instans, non quia id putauerit esse de ratione essentiali quietis, vt probatum est; sed quia quasi id de necessitate quietis connaturali modo se habentis intelligi significauerit. Cum ergo motus Angeli, quem volunt aduersarij esse momentaneum instans, non sit terminus

C alicuius motus continui, non est quod dicatur esse in vltimo instanti quietis: cum id satis probare nequiuerint aduersarij.

Ex quibus apparet manifestè quid A. Doctor reprehendat in aduersante sententia. Dupliciter enim eam redarguit: Primò quod non benè philosophetur in mutatione Angelica, dum momento eam peragi arbitratur; propterea quòd ex notis in natura contrario modo dicendum esse apparet. Secundò quia eius exempla in explicanda doctrina ad rem propositam non faciunt. Ex quibus vlterius patet non negari ab A. Doctore Angelum posse moueri momento temporis, sed reiicere eorum doctrinā id probare molientem tanquam necprobantem quod volebāt,

A.Doctor.

D nec vera ex notis elicientem.

Non negat A. Doctor Angelum, moueri momento temporis. §. 2.

His positis ad Difficultatem respondetur, Et sit

Prima Propositio. Non negat A. Doctor Angelum moueri puncto temporis. Hanc propositionem docet Caietanus §. *Titulus eget.* & §. *Tertia deinde instantia.*

E Probatur primò, quia saltem concederet motum Angeli momentaneum, quando quies illum non præcessit; Vt si in tota hora moueatur continuè Angelus, in termino illius horæ transeat ad terminum distantem. Patet: quia tunc cessat causa cur id neget Angelicus Doctor, nempe eo quod Angelus in instanti vltimo quietis non debuit moueri. cessante autem causa cur neget effectum non negabit amplius eundem effectum si eam eiusdem effectus veram causam putet. Cum enim nulla sit amplius negandi causa, non est rectè philosophantis quidpiam absque causa & gratis inficiari

inficiari, quod præsertim multorum sapientum consensus confiteatur. Adde etiam esse rationem eámque firmam ex alia parte in affirmantem doctrinam: quia scilicet cum Angelus potest transire de extremo in extremum non per medium, sequitur illum motum non esse continuum, ac proinde momentaneum vt suprà dicebamus.

Quod verò tunc cesset ratio patet: quia ante illud vltimum instans mobile non quiescebat, sed erat in motu. Ergo cessat ratio ob quam dicitur non posse moueri; quia nimirum quies debet perseuerare etiam in vltimo momento. Immò est ratio cur possit moueri in vltimo illo instanti, ex doctrina A. Doctoris suprà recitata. (A. Doctor.) Nam quia de ratione motus est, vt in quocunque momento aliter atque aliter se habeat mobile; ergo in vltimo instanti potest habere formam quam priùs non habebat; quia etiam acquirendo talem locum momento temporis se aliter atque priùs habebit. qui est modus argumentandi traditus ab A. Doctore in §. 2. vt vidimus.

Secundò probatur propositio: Quia A. Doctor concedit motum Angeli non continuum, quē opponit motui Angeli continuo. ergo quod vni tribuit negat alteri. Hoc enim est aliqua duo opponere, vt diuisibile & indiuisibile; At A. Doctor concedit motui continuo, vt ex aliqua analogia respondeat tempori quoad eius durationem. Quia vt dixerat a. 2. proximo concedit motum Angeli esse cōtinuum, ex eo quòd priùs pertranseat vnam partem spatij quàm aliam, ac proinde priùs sit vna pars motus quàm alia. ergo ex analogia ad motum corporum per spatium asserit motum Angeli continuum, ac proinde eius durationem esse proportionabilem, vt ipse loquitur, ad tempus nostrum, vt antè obseruatum est. Idque rectè omninò; quia non est ratio, cur non sit proportio durationis eius ad tempus; quod est veluti effectus spatij & motus super spatium; vt diximus suprà ex Aristotele libro 4. Phys. cont. 99. Si enim inter causas est analogia, & proportio; ergo etiam inter earum effectus.

Et sanè si nulla esset proportio quoad durationem inter motum Angeli continuum & nostrum tempus, de eo nec loqui possemus per cōparationem ad continuitatem nostri motus & nostri temporis; multóque minus de æternitate, quæ minus esset ad nostrum tempus proportionabilis. omnis enim comparatio supponit aliquam analogiam inter res, quæ comparantur. Nam quæ omninò diuersa sunt, comparari inter se minimè possunt, vt linea & numerus, vt ex Euclide optimè docet A. Doctor in 2. d. 24. q. 3. a. 6. ad 3. Et tamen certum est de iis durationibus nos loqui, quæ sunt tempori attribuendæ. Dicimus enim Angelum, Deúmque durare per secula: Cōtinuum esse motum Angeli dum medium percurrit, &c. Quare hæc omnia aliqua ratione nostro tempore soliti sumus dimetiri. (A. Doctor.) Confirmatur: quia A. Doctor infra q. 63. a. 6. docet Angelos *statim* post primum actum meriti posuisse impedimentum peccati; & posuisse esse *moram aliquam inter creationem & lapsum.* Ergo supponit esse aliquam proportionem inter durationem operationum Angelicarum, & nostri temporis, vt ibi fusiùs dicetur.

Si ergo concedit motum continuum respondere tempori; ergo negat non continuum eidem

A nostro tempori respondere, vt patet ex responsione ad 1. atque ita respondebit instanti quoad durationem; cum non sit aliud cui respondere possit, cum non sint extra quamuis durationem temporis. Quemadmodum si diuisibile cōcederetur respondere quantitati, ergo indiuisibile negabitur eidem respondere; concedetur proinde respondere puncto quantitatis, si omninò nō sit extra quamcunque ratiōnē quantitatis. Nam oppositorum qua opposita sunt, oppositæ etiam sunt rationes; vt patet ex Aristotele libro 2. (Aristoteles.) Rhetor. cap. *de Enthym. locu.* Vnde libr. 7. Topic. cap. 2. loco 23. rectè dixit, *& differentias contrarias de contrariis arbitramur prædicari; vt de albo & nigro. Nam illud quidem disgregatiuum; hoc autem congre-* B *gatiuum visus,* &c. Ita vt etiam libro 2. de Gener. cont. 56. disertè dixerit: *Contrariorum contrarias esse causas;* nempe per se & non per accidens. Constat ergo motum continuum A. Doctori correspondere nostri temporis momento.

Ex hac propositione ita probata & ex Notandis sup. Colligitur primò: Quādo negatur ab A. Doctore Angeli motum esse in instanti, non (A. Doctor.) negari itaut nulla ratione neque proximè neque remotè possit temporis momento mensurari. quod rectè à solo Caietano video esse animaduersum in hoc art. §. *Titulus* & §. *Tertia instan-* (Caietanus.) *tia* vt modò explicatum est; sed solùm negari esse in instanti tanquam in propria mensura. Hoc C primū patet ex verbis A. Doctoris in fine corp. (A. Doctor.) vbi cum asserit esse in tempore dicit non esse tempus *quod mensurat motum cœli, & omnia corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu cœli. Motus enim Angeli non dependet ex motu cœli.* Non ergo negat esse quocunque modo in instanti; sed asserit esse in tempore diuerso à nostrate. Quod tamen non habet proportionem quoad durationem cum tempore nostrate; quia illi non respōdet cum non sit continuum, sed sit non continuum. qua ratione diximus respondere nostris momentis. Secūdò quia in hoc art. nusquam negauit A. Doctor esse in instanti; sed solùm dixit esse in *Nunc,* & *esse in tempore non continuo.* Ergo D ex verbis illius non potest colligi id ab ipso negatum esse.

Motum Angeli esse in instanti tanquam in propria & adæquata mensura negat A. Doctor, & quid intelligat, per vltimum NVNC *termini à quo, & primum* NVNC *termini ad quem.* §. 3.

Colligitur secundò A. Doctoris consilium (A. Doctor.) E in hoc art. fuisse eorum sententiam reprobare, qui aiebant motum Angeli esse in instanti tanquam in propria, & immediata mensura, quemadmodum cæteri motus momentanei. & ita in ea refutanda totum ferè consumpsit articulum, vt patet ex dictis in §. 2. Alia etiam ratione eā refutauit; quia scilicet motus qui sunt in instanti nostro, non habent prius & posterius; nempe duo Nunc; vltimum quidem quo fuit in termino à quo: alterum quo est in termino ad quem. Motus enim Angeli non cōtinuus est successio quædam contactuum virtualium ad loca diuersa; seu vt ait in hoc art. ad 1. & alibi sæpè

vt

vt vidimus in huius articuli explanatione, eſt ſucceſſio pluriū NVNC; Quia ſcilicet ſicut continuus motus eſt ſucceſſio per medium; ita non continuus eſt ſucceſſio terminorum. Ille autem motus, in quo eſt prius & poſterius, debet eſſe in tempore, vt argumentatur in argumento *Sed contra*; & ipſe aperte ait in corp. art. & nos diximus in §.2. quia cum non ſit terminus alicuius motus, vt ex eo vidimus, debet in vltimo NVNC eſſe in termino à quo, ac proinde in alio eſſe in termino ad quem; Atque ita ſucceſſio eſt ipſorum NVNC.

Colligitur tertiò, Vtrùm hæc duo NVNC includantur vnico noſtri temporis momento, an verò aliter res ſe habeat, & quomodo. Quod quoniam eſt potiſſima huius difficultatis pars, diligenter conſiderandum in præſentia eſt quid ea in re ex dictis concludatur. Dicere quiſpiam poſſet: Ea duo NVNC vnico momēto noſtri temporis inuolui, non autem eſſe huiuſmodi, vt vnū NVNC vni, alterum alteri noſtri temporis momento reſpondeat opinione A. Doctoris. Probari id poſſet: quia debet per motū non continuum Angelus acquirere totum locum ſimul, qui eſt terminus ad quem. ergo ea duratione quæ non reſpondet tempori: nam motus cuius duratio reſpondet tempori eſt acquiſitio ſpatij cōtinui, ex quo habet continuitatem, vt docet A. Doctor in corp. ergo terminus acquiritur per partes priores ac poſteriores, & non totus ſimul. Similiter deſerit ſimul totum locum in quo erat: ergo ea duratione quæ non reſpondet tempori: ergo duratione indiuiſibili vt dicebamus: ergo vnico inſtanti non pluribus (alioqui intercederet tempus medium quod negat A. Doctor) includuntur illa duo NVNC. Quod etiam videtur expreſſiſſime noſter Valentia Diſput. 4. q. 4. p. 3. §. *Neque obſta*. Cur autem iſta duo NVNC requirantur, & non ſit potius vnum, dicerent id eſſe quia ſubſtantia Angeli menſuratur diuerſis NVNC Angelicis ſecundum varios eſſendi modos ſibi ſuccedentes inuicem non continuos; & ideò ex diuerſis operationibus ſibi inuicem ſuccedentibus non continuis, diſtinguemus Angelica inſtantia ſeu momenta infrà q. 62. & 63. vbi de Angelorum meritis ac peccatis diſputabitur. Vnde A. Doctor infrà q. 62. a. 5. ad 2. apertè ait accipi inſtantia ſecūdum operationes ſuccedentes.

Valentia.

A. Doctor.

Quoniam ergo motus non continuus inuoluit duos varios eſſendi modos, quorum vnus alteri ſuccedit ſecundum ſuam naturam, etiamſi ſint in eodem temporis inſtanti, ideò duo NVNC ſeu inſtantia Angelica nominantur. Quod autem motus non continuus includat hos duos modos eſſendi patet: quia omnis motus includit ſucceſſionem aliquam. Alioqui non eſſet tranſitus. Et in continuo quidem motu includitur ſucceſſio & varietas locorum mediorum, quibus continuè ſe applicat Angelus. Idcircò enim eſt continuus ex continuatione ſpatij medij, vt docet Ariſtoteles lib. illo 4. Phyſ. cōt. 99. & A. Doctor in hoc art. in corp. Motus autem non continuus in Angelo cum non habeat aliā ſucceſſionem, debet includere ſucceſſionem modorum, quibus Angelus nūc eſt in termino à quo, nunc in termino ad quem. Et hoc pacto dicent A. Doctorem motum non continuum conſideraſſe. Includi ergo dicerent ipſum actum deſe-

A rendi & actum adipiſcendi; & idcircò in argumento *Sed contra* dictum eſſe ab A. Doctore: *In omni mutatione eſt prius & poſterius*. A. Doctor.

Ex his etiam diuerſitatem aſſignarent, cur id non valeat in momentaneis motibus corporum, vt duplici inſtanti menſurentur, vt motus Angeli; quia ſcilicet huiuſmodi ſubſtantiæ nō menſurantur ſuis variis modis eſſendi, ſed tempore ac temporum inſtantibus; & quamuis ipſi termini motus in ipſo tranſitu ſibi ſecundum naturam ſuccedant; ſi tamen ipſe tranſitus ſit in inſtanti non dicuntur duo NVNC; ſed vnum; quia immediatè vt diximus ipſo momento temporis menſurantur.

B Attamen ſi quis hæc diceret, ad mentem A. Doctoris quam declarauimus non philoſopharetur. Nam vt vidimus, is in hoc art. contendit ſibi concedi, quemadmodum in motibus naturalibus ſi præcedat motum quies, debet mobile quieſcere in vltimo etiam quietis momento in termino à quo; ſic etiam contingere oportere in motu Angelico, qui poſt quietem ſit: nempe debere Angelum in vltimo quietis momento, eſſe in termino à quo. ex quo infert motum Angeli non poſſe vnico temporis momento peragi: ne duo momenta ſibi immediatè ſuccedentia affirmentur. Ex his autem manifeſtum eſt, falſum illud eſſe; illa ſcilicet duo NVNC vnico inſtanti noſtri temporis comprehēdi. Nam ſi hoc

C detur, neceſſariò ſequitur, Angelum vnico momēto noſtri temporis eſſe in duobus locis; nempe in termino à quo & in termino ad quem. In poſtremo namque quietis momento eſſet Angelus in termino à quo quieſcens. ergo ſi illud momentum eſt idem atque illud inſtans, in quo eſt motus, & Angelus eſt in termino ad quem; eodem prorſus momento Angelus erit in vtroque loco. Immò vlterius ſequitur Angelum eodem illo ipſo momento moueri & non moueri. quod enim in termino à quo eſt & quieſcit, non mouetur, ergo ſi in eo inſtanti mouetur & tranſit in terminum ad quem, quieſcit & mouetur, ac proinde mouetur ac non mouetur. Quæ omnia eſſe abſurdiſſima in ſententia A. Doctoris per ſe euidenter patet.

D Quare ex dictis colligi aio iſta duo NVNC A. Doctori non comprehendi vnico noſtri temporis momento, vt oſtēdit argumentum modò factum; ſed vnum illorum reſpondere tempori noſtro; alterum verò reſpondere momento illi, quod illius eiuſdem temporis eſt terminus ac limes. Vt autem hoc melius explicetur

Notandum eſt, rectè vt arbitror dictum eſſe diuerſa NVNC Angelica deſumi à diuerſis eſſendi modis, & non continuis ſed ſibi ſuccedentibus in ipſis Angelis. & idcircò vt modò ex A. Doctore dicebamus, ex diuerſis operationibus

E ſibi inuicem ſuccedentibus non continuis numeramus Angelica momenta. Ex quo ſequitur vt quoniam alius eſt Angelo eſſendi modus in termino à quo, quam ſit in termino ad quē mouetur ipſe Angelus, (ibi enim quieſcebat, hic verò in tranſitu primum eſt) duo ſint Angelica momenta numeranda.

Quoniam verò oſtenſum eſt, cum Angelus in terminum ad quem non continuè mouetur; trāſitum illum eſſe in ipſo noſtri temporis momento, quod eſt poſtremum quieſcentis Angeli in termino à quo; ideò illud temporis momen-

A tum nullo pacto assignandum est Angelo manenti in termino à quo, cum illud demus Angelico motui quo primum est in termino ad quem, ne in ea absurda incurramus, quæ sententiæ id paulo antè affirmanti obiectabamus. Nimirum ne Angelus eodem momento temporis plura loca occupet, sequatúrque impossibile illud; quod scilicet eodem momento moueatur, ac non moueatur. Quare si ex diuersis essendi modis ipsa Angelica NVNC distinguenda sint; oportet in termino à quo, aliquid ante vltimum illud momentum quietis inuestigare. Pro qua re

B Notandum secundò: ante illud instans vltimum quietis, non esse in ipsa duratione temporis, nisi tempus, quod ab ipso vltimo instanti terminatur. Ante instans enim temporis nihil est quod instanti respondeat, ne concedantur duo instantia immediata. Ergo assignandum aliquid est quod respondeat tempori. quia nihil superest aliud durationis, nisi aut duratio continua saltem virtualiter aut momentanea. Cum igitur ante vltimum quietis momentum sit ipsa quies Angeli in termino à quo, illa assignanda erit, & non instans aliquod, cum aliud esse non possit.

C Itaque rectè modò dicebatur, ex illis duobus instantibus vnum respondere tempori, alterum momento. Etenim quod in termino à quo assignari posset durationis, nihil est nisi aut vltimum esse quietis, aut quies ipsa durans. Non vltimum esse, quia vt ostendimus non datur, cum sit in eo transitus: ergo assignanda est quies, quam ante illud instans tempori respondere diximus. Et quamuis per se quies à tempore non mensuretur, vt docet Aristoteles libro quarto Physicorum contextu centesimo decimooctauo; tamen certum etiam est, vt ipse ibidem ait, quietem quoque sub mensuram temporis cadere per accidens. *Quoniam autem* inquit ibi Aristoteles *tempus mensura motus est, erit & quietis mensura secundum accidens. omnis enim quies in tempore est*; quam dicimus tantam esse quantus fuisset motus, si fuisset. (Aristoteles.)

D His positis colligi ex dictis aiebam; Duo illa NVNC A. Doctori non comprehendi vnico temporis instanti; sed illud quidem quod est quietis comprehendi tempore, quod verò est motus instanti. Prior pars iam ostensa est. Posterior probatur. Et primùm de quiete patet; quia quies illa non est momentanea: ergo subiacet durationi, quæ sit pars temporis, sicut motus Angeli continuus, vt diximus ex Angelico Doctore. De motu verò probatum est, quia illa duratio non est continua, nec instar continuæ; ergo non respondet nisi momento temporis.

E Quamobrem totum quod hac de re docuit A. Doctor verum est. Nimirum sicut in rebus naturalibus quies debet esse in vltimo etiam instanti, nisi illud instans sit terminus alicuius motus; ita etiam in motu Angelico, ne nota in philosophando dimittantur, assignari debet quies in NVNC Angelico, nempe in illo essendi modo quem habet Angelus in ipso termino à quo quietis, ex quo desumimus vnum Angelicum NVNC.

Illud etiam præterea verum erit; motum Angeli non continuum esse successionem duorum NVNC. vnum enim NVNC est cùm est in termino à quo; aliud verò cùm mouetur, aut primò est in termino ad quem.

Tertiò verum etiam est quod ait; motum scilicet Angeli non continuum non habere proportionem ad tempus nostrum; vt ipse docet ad 1. in hoc articulo. Nam cum sit momentum purum, eius nulla est proportio ad tempus; sicut nec puncti ad lineam; vt antè docuimus.

Qua in re animaduerte lector mirum A. Doctoris ingenium. Non enim dixit illa duo NVNC non habere proportionem ad tempus nostrum, vt ipse docet ad primum, sed id solùm dixit de motu qui est successio momentanea ex vno NNNC ad alium essendi modum, quem acquirit in termino ad quem. Nam quietem, quæ facit vnum NVNC in termino à quo, certum est cum tempore esse proportionabilem; cùm eam velit non esse momentaneam, sed aliquanto tempore perseuerantem; est tamen verum de illo transitu, qui cum non sit continuus, se habet veluti punctum, & ita ad lineam proportionem minimè habet. (A. Doctor.)

Quartò verum est etiam quod ait ibidem ad primum; nempe cum motus & tempus Angeli non est continuum, tunc *Angelum in vno instanti posse esse in vno loco, & in alio instanti in alio loco, nullo tempore intermedio inexistente.* Illa enim duo NVNC quæ assignauimus, ita sunt immediata, vt vnum sit proximus & immediatus terminus alterius: ergo nullum intercedit medium tempus inter illa. Quæ vera non essent si alio modo illa momenta distinguerentur, vt per se clarè patet.

Denique si hoc pacto philosophemur, omnia consentanea videntur doctrinæ Angelici Doctoris; nec quicquam aduersus illam facere possunt argumenta Scoti & aliorum. Vnde etiam sequitur, bene redargui ab Angelico Doctore contrariam sententiam tanquam minus sufficientem, nec ex notis ad ignota procedentem. Quare sit

Secunda propositio. Non contendit A. Doctor negare, in vltimo NVNC temporis mensurantis quietem mobile moueri. Probatur ex modò dictis, & in Notandis secundo & tertio. Quia solum redarguit contraria sentientes; quòd nec rectè philosophentur, nec vera enuncient, dum ita absolutè dicunt, motum Angelicum vnico temporis momento absolui. (A. Doctor.)

Satisfit argumentis ac tradita doctrina confirmatur.

§. 4.

EX his respondetur ad argumenta primæ sententiæ superioris Difficultatis. Ad primum enim assignamus NVNC in quo vltimo fuit in termino; nempe modum essendi diuersum, qui abiicitur, & primum qui acquiritur. Sed non intelligit Angelicus Doctor esse

esse duo NVNC nostri temporis, sed diuersæ durationis, vt diximus.

Ad rationem Angelici Doctoris diximus non esse contra nos: Quia de ratione quietis naturalis, quam non comitatur aliquis motus, cuius terminus sit instans, potiùs debet includere vltimum instans, quàm non includere vt diximus Notando secundo & tertio. Non tamen hinc sequitur opinione Angelici Doctoris debere Angelum quiescere in instanti vltimo suæ quietis sub termino à quo. Hoc namque vt diximus non contendit sibi concedi Angelicus Doctor; sed solùm eius consilium in eo positum est, vt refutaret ea argumenta aduersariorum, ostenderétque ea non rectè concludere. Immò motum Angeli nec negare contendit esse in instanti absolutè, vt diximus, quia ait non esse continuum, sed contendit non esse in instanti tanquam in propria mensura & proxima, cum in eo solùm sit tanquam in mensura remota & proportionali; vt dictum est in prima propositione.

Ad Confirmationem eiusdem argumenti in prima sententia huius Difficultatis respondeo ex dictis; Primò non probari, nullum motum Angelicum posse esse in instanti, vt dixi in primo argumento nostræ propositionis. Deinde dico illam rationem, qua confirmat quietem perseuerare vsque ad vltimum instans temporis mensurantis quietem ex conuenientia ad motum, esse vt confirmet, aduersarios non esse rectè philosophatos in assignando motu, qui sit in vltimo instanti; vt dixi Notando tertio in fine, & ex aduersariorum doctrina concludi potiùs Angelum non moueri in illo instanti ex analogia ad motum corporum.

A.Doctor. Sed contrà obiiciat aliquis: Angelicus Doctor hic ad primum docet motum Angeli non continuum *esse successionem quandam ipsorum* NVNC; ergo non est transitus ex vno NVNC in aliud NVNC: Tamen cum quies sit vnum NVNC, motus sit aliud NVNC, sequitur vnum NVNC esse ad aliud. quod sanè videtur absurdum. Denique quia non esset successio duorum NVNC sed trium. Esset enim quies; motus & terminus illius.

Respondetur breuiter; verum quidem esse, motum successionem esse duorum NVNC. Idem enim est esse successionem & esse transitum. Est autem transitus ex NVNC quod erat terminus à quo; nempe cum erat Angelus sub quiete termini à quo in aliud NVNC, quod est terminus ad quem; seu cum Angelus adipiscitur Vbitatem seu locum, qui est terminus ad quem. Nego autem hinc sequi omne NVNC esse ad aliud, sed vnum esse post aliud. Non enim NVNC quietis est ad NVNC motus; sed est ante ipsum NVNC motus; & NVNC motus est post quietem. Dico ergo esse successionem duorum NVNC, quia est transitus ex vno NVNC termini à quo in aliud NVNC termini ad quem.

Et quamuis dixerimus transitum esse NVNC; illum transitum tamen NVNC eam ob causam appellauimus, quia vnà cum Angelico Doctore voluimus etiam in hoc aliquo modo assignare successionem duorum NVNC; nempe quietis & motus. Quo loquendi modo idem sensus est ac si diceretur: Motus est duo NVNC succedentia; sumendo nimirum abstractum pro concreto. Sicut cum dicitur tempus est numerus motus secundum prius ac posterius; hoc est; est duratio quæ numeratur; non numerus, vt aiunt, numerans; vnde hoc pacto successio ipsorum NVNC significat duo NVNC succedentia; & ad hoc propositum hactenus cum Angelico Doctore locuti sumus.

Si tamen formali sensu accipienda locutio sit; dico motum illum momentaneum esse NVNC ad aliud, NVNC nempe ad terminum; non tamen qui sit NVNC illi realiter succedens dum est motus; quia Angelus est in illo dum est momentaneus motus, sed ad NVNC materialiter, quia est ad terminum qui potest vocari aliquod NVNC, postquam acquisitus est & permanet post motum. Nec absurdum est assignari ista tria NVNC; quia tot assignari possunt, quot sunt varij modi essendi. Sed ad rem nostram contenti erimus duo assignare, nempe quietem & motum, de quibus præsens contra aduersarios controuersia erat; constituimúsque esse duo NVNC succedentia, quorum alterum respondeat tempori; alterum verò instanti.

At dicet aliquis secundò: Illud NVNC contendit assignare Angelicus Doctor in quiete antecedente motum Angeli momentaneum, quod docet esse in rebus naturalibus cum non mouentur motu in instanti, quod sit terminus alterius motus. At hoc NVNC est vltimum quietis momentum; ergo hoc idem vltimum quietis momentum contendit assignare in prædicto motu Angelico. A.Doctor.

Respondeo negando Maiorem; quia id omninò impossibile est. Inter duo namque momenta intercedere tempus debet, ne duo dentur immediata. At inter NVNC quietis Angelicæ, & motum negat Angelicus Doctor ad primum intercedere tempus vt diximus. Quare solùm contendit Angelicus Doctor aliquid proportione simile NVNC reperiri in vtroque motu; Vt nimirum in quiete Angeli sit vltimum quidem NVNC; sed hoc totum sit tota illa quies, cuius vltimum temporis momentum pertineat ad motum, non sit ampliùs quietis, vt explicatum est.

Disputant hîc Recentiores de motu Angeli discreto, quem putant consistere in vtroque termino non in vno tantùm: quemadmodum numerum quæ est quantitas discreta, aiunt consistere in pluribus vnitatibus, non tantùm in vna.

Verùm hac in re dupliciter à vero recedunt. Primùm, quia Angelicus Doctor hic nunquam disputauit de motu discreto: sed solùm ait esse non continuum. quæ duo differunt; cùm non continuum non sit idem quod discretum. Instans enim est non continuum: non tamen est discretum, & sic de aliis. Præterea, quia diuersa ratio est numeri & motus. Hic enim cùm sit transitus vnius subiecti transeuntis, non potest esse in duobus subiectis, sed in vno subiecto, quod recedat à termino à quo, accedat verò ad terminum ad quem. Ille verò est in pluribus partiariis subiectis, quia non est vnum

vnum quid, sed conflatur ex pluribus vnitatibus siue realiter sit vnũ, siue per intellectum. Quod si velint motum discretum esse numerum plurium motuum non est ad rem, quia de vnico motu disputatur.


Hic etiam obiici posset, quia instantia Angelica *non desumuntur nisi ex successione in ipsorum actibus* vt ait A. Doctor infrà quæstione sexagesimasecunda art. 5. ad 2. Ergo non sunt desumenda ex actibus, qui simul sunt in eodem instanti temporis. Alioqui possent dici diuersa instantia Angelica, cum intellectus Angeli proponit obiectum voluntati prosequendum; & voluntas in eodem instanti prosequitur. quod est absurdum. Respondetur, hîc A. Doctor sumpsit diuersa instantia pro diuersis modis essendi successiuis, hoc est quorum vnum succedit alteri. operatio autem intellectus licèt sit præuia voluntati, cum illi proponit obiectum, non est ita vt illi succedat voluntas propriè cum remaneat actus intellectus dum est voluntatis affectus. Itaque nego numerari plura instantia ibi, quia non est successio plurium actuum. At esse in termino ad quem succedit verè termino à quo. quemadmodum vna forma incompossibilis succedit alteri dum vna abiicitur, altera acquiritur. Non ergo est par ratio. Sed de hac re fusiùs in ea q. 62. loco citato.

A. Doctor.

Atque hæc mihi visa sunt dicenda ad explicationem A. Doctoris. Si quis meliora habebit, proferat vt discamus. Atque hæc de tota q. 53 dicta sint; sequitur Quæstio 54.




QVÆSTIO



QVÆSTIO QVINQVAGESIMA-QVARTA,

QVÆ EST QVINTA DE ANGELIS.

DE COGNITIONE ANGELORVM IN quinque Articulos diuisa.



Onsideratis his quæ ad substantiam Angeli pertinent, procedendum est ad cognitionem ipsius. Hæc autem consideratio erit quadripartita. Nam primò cõsiderandum est de his, quæ pertinent ad virtutem cognoscitiuam Angeli. Secundò de his quæ pertinent ad medium cognoscendi ipsius. Tertiò de his quæ ab eo cognoscuntur. Quartò de modo cognitionis ipsorum.

Circa primum quæruntur quinque.

Primò, Utrùm intelligere Angeli sit sua substantia.

Secundò, Utrùm eius esse sit suum intelligere.

Tertiò, Utrùm eius substantia sit sua virtus intellectiua.

Quartò, Vtrùm in Angelis sit intellectus agens & possibilis.

Quintò, Vtrùm in eis sit aliqua alia potentia cognoscitiua quàm intellectus.

Nexus atque ordo cum antecedentibus.


COnsiderata Angelorum natura atque substantia, pergit A. Doctor in disputatione Angelicarum operationum, quæ ab Angelica substantia veluti illius proprietates emanant. Ac A primùm quidem de omnium præstantissima, quæ ordine naturæ cæteras anteit, disputare aggreditur; eáque est intelligendi actus, seu cognitio. Ex illis autem quatuor, quæ in huius operis prooemio considerari diximus, solùm in hac quæstione quinquagesimaquarta quod primo loco ibi positum est examinat; nempe ipsius cognitionis substantiam, atque principia: hoc est virtutem cognitionis effectricem; id est facultatem intelligendi; vt deinceps constabit in ipsorum articulorum tractatione. & ideo in hac quæstione est

B

ARTICVLVS PRIMVS,

Vtrùm intelligere Angeli sit eius substantia.

2.d.2.q.1.a.1.corp. & 1. & 2. contra Gẽtes, c.52. &quo.2 a.3. q.4.& op.3. le.7.& 9.



D Primum sic proceditur. Videtur quòd intelligere Angeli sit eius substãtia. Angelus enim est sublimior & simplicior quàm intellectus agens animæ. Sed substantia intellectus agentis est sua actio, vt patet in 3. de An. per* C *Aristotelem* & eius commentat. Ergo multò fortior substantia Angeli est sua actio, quæ est intelligere.* * tex.19. *

Secundò. Præterea philosophus dicit in vndecimo Metaphysices †, quod actio intellectus est vita. Sed cum viuere sit esse viuentibus; vt dicitur in 2. de An. videtur quòd vita sit essentia. Ergo actio intellectus est essentia intelligentis Angeli.* † tex.39. * l.2.tex.37. co.2.

Tertiò. Præterea, Si extrema sunt vnũ, mediũ non differt ab eis; quia extremum magis distat ab extremo quàm medium. Sed in Angelo idem est intellectus & intellectum ad minus in quãtum intelligit essentiam suam. Ergo intelligere

quod cadit medium inter intellectum & rem intellectam est idem cum substantia Angeli intelligentis. A

Sed contrà. Plus differt actio rei à substantia eius, quàm ipsum esse eius. Sed nullius creati suũ esse est sua substantia. Hoc enim solius Dei proprium est, vt ex superioribus patet. Ergo neque Angeli, neque alterius creaturæ sua actio est eius substantia.*

* q. 3. a. 4. & q. 44. a. 1.

Respondeo dicendum, quòd impossibile est quòd actio Angeli vel cuiuscunque alterius creaturæ sit eius substantia. Actio enim est propriè actualitas virtutis; sicut esse est actualitas substantiæ vel essentiæ. Impossibile est autem quod aliquid quod non est purus actus, sed aliquid habet de potentia admixtum, sit sua actualitas: quia actualitas potentialitati repugnat. Solus autem Deus est actus purus. Vnde in solo Deo sua substantia est suum esse & suum agere. B

Præterea si intelligere Angeli esset sua substantia, oporteret quòd intelligere Angeli esset subsistens. Intelligere autem subsistens non potest esse nisi vnum, sicut nec aliquod abstractum subsistens. Vnde vnius Angeli substantia non distingueretur neque à substantia Dei, quæ est ipsum intelligere subsistens: neque à substantia alterius Angeli. Si etiam Angelus ipse esset suum intelligere, non possent esse gradus in intelligendo perfectiùs & minùs perfectè, cùm hoc contingat propter diuersam participationem ipsius intelligere. C

Ad primum ergo dicendum, quòd cum dicitur quod intellectus agens est sua actio, est prædicatio non per essentiam, sed per concomitantiam: quia cum sit in actu eius substantia statim quantum est in se concomitatur ipsam actio. Quod non est de intellectu possibili qui nō habet actiones, nisi postquam fuerit factus in actu. D

Ad secundum dicendum, quòd vita non hoc modo se habet ad viuere, sicut essentia ad esse; sed sicut cursus ad currere. quorum vnum significat actum in abstracto, aliud in concreto. Vnde non sequitur si viuere sit esse, quòd vita sit essentia. Quamuis etiam quandoque vita pro essentia ponatur: secundum quod Augustinus dicit in libro de Trinitate, quod memoria & intelligentia & voluntas sunt vna essentia, vna vita. Sed sic non accipitur à philosopho cum dicit, quòd actio intellectus est vita.*

* lib. 10. de Tri. c. 11. ante medium 10. 3. & 9. de Trin. c. 4.

Ad tertium dicendum, quòd actio quæ transit in aliquid intrinsecum est realiter media inter agens & subiectum recipiens actionem. Sed actio quæ manet in agente non est realiter medium inter agens & obiectum, sed secundum modum significandi tantùm. Realiter verò consequitur vnionem obiecti cum agente. Ex hoc enim quòd intellectũ sit vnum cum intelligente, cōsequitur intelligere quasi quidam effectus differens ab vtroque. E

Explanatio & Confirmatio eorum quæ hic dicuntur in articulo.

NEgat A. Doctor a. 1. intelligere Angeli eius esse substantiam, ex eo quòd impossibile sit non solùm Angeli, sed cuiuſuis naturæ creatæ actionem esse ipsarum creatarum naturarũ substantiam. Id probat duplici argumento. Primum est, quia impossibile est, vt aliquid quod non est actus purus, qualis est Deus, sit sua actualitas. Sed nulla creatura est actus purus ac Deus. ergo impossibile est, vt creatura sit sua actualitas. Si autem alicuius creaturæ actio esset eius substantia, ipsa eadem creatura esset sua actualitas; ergo impossibile est, vt vllius creaturæ actio sit eius substantia. Minorem probat, quia omnis operatio est aliqua actualitas essentiæ creatæ. Ergo impossibile est vt quæuis res creata sit sua actio. Maiorem illam probat; quia actualitas potentialitati repugnat; ergo impossibile est vt aliquid quod non sit actus purus, ac proinde quod habeat admixtam potentialitatem sit sua actualitas: Quia scilicet ex repugnantibus conflaretur; ex quibus sequitur non esse Angeli substantiam eius intelligere; quod est operatio.

Alterum argumentum est: quia si intelligere Angeli esset eius substantia, ipse actus intelligendi subsistens esset. Ergo intelligendi actus in Angelo, non distingueretur ab ipso intelligendi actu increato, qui est in Deo. Quia intelligendi actus subsistens vnus tantùm est; sicuti vnum tantùm est abstractum subsistens. ex quo vlteriùs duo absurda sequerētur. Alterum quidem quod ne ipsæ quidem substantiæ Angelicæ essent distinctæ nec inter se se, nec à substantia diuina. Alterum verò est quod intelligentiæ seu cognitiones Angelorum non essent magis aut minus perfectæ secundum varios gradus perfectionis. Hæc enim varietas prouenit ex eo quod diuerso modo participes sint *ipsius intelligere*, hoc est actus intelligendi, qui simpliciter est actus intelligēdi. quæ nimirum diuersitas non esset, si esset vnum intelligere.

Hanc porrò quæstionem nullibi alibi exagitauit ex instituto A. Doctor: Nec Capreolus qui accuratè varios locos A. Doctoris congerere solet ad eius mentem declarandam magis, vllum ad hanc quæstionem alium affert in 2. d. 3. q. 2. a. 1. concl. 1. vbi de hac materia disserit; nec art. 3. contra eandem conclusionem, vbi argumentis eam impugnantibus respondet. Immò nec Scoti, cui cum huiusmodi argumentis magna luctatio esse solet, in hanc rationem vllus conatus apparet. Vt mihi in mentem veniat suspicari, A. Doctorem non tam quia res dubia inter Theologos fuerit, quam quia inter philosophos Peripateticos hac de re non constaret, hunc articulum instituisse. Mouet me quoque illud vt hanc suspicionem nō deponam, quod A. Doctor consuetis Patrum testimoniis ad hanc cōclusionem stabiliendam nō vtitur; sed Aristotelis, & Commentatoris quibusdam pronunciatis adductis satisfacere nititur. quasi indicare voluerit sibi non cum Theologis, sed cum philosophis nō rectè sentientibus hac in re esse certamen.

A. Doctor. Capreolus. Scotus.

Sed quomodocunque res se habeat, res dignissima

gnissima est, in quam nostra desudet industria;& ideò ad ea examinanda non tantum quid philosophis, verum etiam quid Theologis sentiendum sit stabilire conabimur. Vnde vt hoc ipsum quoad licet optima methodo præstemus, totam huius rei disputationem duobus quæsitis complectemur. Primum erit circa rei qua de agitur veritatem tum ex Theologico tum naturali lumine;ac præcipuè ex ratione A.Doctoris. In altero inuestigabimus veterum Philosophorum sententiam.Sit ergo

PRIMVM QVÆSITVM,

Vtrùm & Theologicè & ex ratione A. Doctoris, tanquam ex naturalibus, euidentibúsque principiis ostendi possit, Angeli cognitionem non esse idem re quod eius substantia, seu essentia.

NOtandum hîc diligēter est,etiamsi plerumque nomine substantiæ intelligi possit ipsa rei entitas,seu realitas, quæ accidentibus substat, hoc est quæ ex ipsa essentia existentiáque conflatur; tamen vt bene obseruat Caietanus initio primi articuli hîc ab A. Doctore nomine substantiæ Angelicæ idem intelligi atque essentiam eorumdem Angelorum;quia intelligit eam substantiam, quæ præcisè sumitur ab existentia seu esse. Nam vtrùm intelligere Angeli sit eius esse,disputat A.Doctor art. 2. in hac ipsa quæstione.Substātia autem quæ præcisè sumitur ab existentia seu esse,est essentia.Vnde quæstio hęc articuli primi eadem est ac si quęreretur:Vtrùm Angeli operatio sit eidem Angelo essentia, seu quidpiam essentiale. Essentialia enim solùm sunt idem quod essentia; quia essentialia sunt prima rei prædicata in primo modo dicendi; vt patet ex Aristotele lib.1.Poster.cont.com.30. & 31. Vnde multa quæ obiiciuntur inania reddi poterunt;vt deinceps consideranti patebit. Itaque cum hîc & deinceps quæremus; Vtrùm intellectio sit Angeli substantia, solùm id proponitur discutiendum; An actus intelligendi essentialiter inuoluatur in Angeli quidditate ac definitione essentiali:aut certè(vt etiā hæc paulò latiùs discutiantur) si conceptu & ratione distinguatur ab essentia;saltem Vtrùm inuoluatur ita in essentia, vt ab ea ex natura rei distinguatur.Sit ergo in hoc Quæsito

Caietanus. A.Doctor.

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm ratione Theologica ostendi possit intelligendi actum non esse Angelo essentiale prædicatum,aut certè non esse idem quod essentia illius.

PArtem negantem videntur sequi ex Theologis ij qui existimarunt Angelum intelligere seipsum cognitione, quæ est ipsa eius substātia.Si enim putarent ostendi Theologicè posse non esse suam substantiam, id non affirmarent.

A Id videtur secutus Durandus in 2.d. 3. q. 5. vbi probat in c. potentiam intelligentem esse idem ex natura rei cum Angeli essentia: propterea quod ex nulla parte potest conuinci quod potentia intellectiua Angeli differat realiter(*id est ex natura rei.*hoc enim ipse inquirit) *ab eius essentia.* Ad primum autem ait, *actum potentia actiua intellectiua esse realiter ab ipsa*;nempe potentia *differentem, quando intelligit alia à se.* Vnde per illam restrictionem videtur significare solum tunc actum intelligendi à sua facultate distingui;non verò quando intelligit seipsum; atque ita tunc intellectio erit idem ex natura rei cum potentia,quam dicit re non differre ab essentia. Idem tenentur dicere alij apud Capreolum in 2. d. 3.

Durandus.

B q.2.a.2. contra 1. concl. qui absolutè negarunt cognitionem Angeli esse aliquid absolutum à potentia distinctum, sed eam arbitrati sunt purum esse respectum potentiæ ad obiectum. Negarent igitur esse actum potentiæ distinctum, quia actus & cognitio sunt aliquid absolutum, & non purus respectus potentiæ ad obiectum;& ita videntur solùm respectum distinguere & variare in ipso actu;vt etiam indicant ipsorum argumenta.

Videntur autem horum argumenta supponere potentiam intelligendi esse idem re cum ipsa essentia Angeli;& ita non distinguunt cognitionem à substantia Angeli, sed solum respectum

C addunt. & ideò argumenta hæc refert Capreolus in eo art.2. quasi faciant cōtra primam conclusionem positam in art.qua ex A. Doctore stabiliuit intelligere esse ab essentia Angeli planè distinctum. Eadem argumenta eorumdem auctorum retulit ante Gregorius in 2.d.7.q.2. a.1. contra primam partem conclusionis.Pro eadem conclusione est Adam apud Capreolum ibidem. Affert enim Aristotelem pro se sentientem Intelligentias cognoscere per suam substantiam. Referam autem solummodo ea argumenta, quę aliquid virium habere videri possunt.

Capreolus. Gregorius. Adam.

Probant autem quod actus cognoscēdi in solo respectu consistere debeat.Nam primò si operatio sit forma absoluta distincta à potētia, pro-

D ceditur in infinitum; cum omnis forma absoluta possit habere operationem. cōsequens autem est falsum.Secundò,quia omne absolutum Deus potest separare à subiecto, intelligere autem nō potest Deus separare. Tertiò, quia Aristoteles libro 3.de An.cont.14.docet intellectum nō pati sicut cęterę res;sed sicut ait Auerroës ibi comm. 14. *Passio intellectus est receptio tantùm sine transmutatione*;id est non patitur nisi obiectiuè tantùm. ergo non subiectiuè. Vnde secundū philosophum vna Intelligentia non patitur ab alia cum eam intelligit;sed per essentiam intelligit eam, & nō per formam inhærentem substantiæ suæ. ergo intellectio non est aliquid vltra intelligentis es-

Aristoteles. Auerroës.

E sentiam. Quartò probari potest aliis argumētis. de quibus Difficultate sequenti.

Partem affirmantem sequuntur pręstātes quique Theologi, qui omnes id vel supponunt, vel probāt ratione Theologica; vt ij omnes qui docent Angelos inter se loqui; vt dicetur infrà q. 107. Et inferiores illustrari à superioribus, vt dicemus q.106. Ergo nouæ ingenerātur cognitiones. Item ij qui dicunt, Angelos in instanti suæ creationis non fuisse beatos, hoc est non vidisse Deum;sed in altero instanti vidisse. Tunc enim est noua cognitio, de qua re infrà citabo auctores

res suos q.62.a.1. Insuper huc accedunt qui volunt Angelos habuisse fidem & cæteras cognitiones supernaturales, quæ à Deo infunduntur nec naturales sunt; de quibus q. etiam 62.art.1. Denique omnes qui dicunt Angelos intelligere non semper eadem, nec omnia suis viribus cognoscere; & moueri, vt hoc potiùs cognoscant quàm aliud, suæ voluntatis imperio. quos suis locis commemorabimus infrà. Hanc etiam sententiam expresse supponit Alexander 2.p.q.21. m.1. vbi ex S.Dionysio probat facultatem intelligendi in Angelis esse distinctam ab essentia eiusdem Angeli; quia est media inter essentiam & actum. Si ergo potentia est distincta, multò magis actus, qui potentiam exigit sui effectricem. Id etiam supponit Capreolus vbi suprà in 1.sent.a.1.concl.1.& alij.

Alexander.

Capreolus.

Ex Recentioribus hanc partem sequuntur Valentia hic p.vlt.& Vasquez Disputat.198.c.2. qui afferunt argumenta Theologica. Molina hic art.1. qui ait eam esse clariorem, quàm vt probatione indigeat; nec ipse vllam rationem profert; Quod tamen verum non est. Nam Peripatetici nonnulli adeò eius claritatem infuscarunt, vt non mediocriter laborandum sit, si ea suo nitori restituenda sit. Hanc eandem sententiam probant Gregorius in 2.d.7.q.2.a.1. concl. 1. Marsilius in 2.q.7.a.1.2.p.concl.2.& alij. Ad solutionem huius Difficultatis

Valentia. Vasquez. Molina.

Gregorius. Marsilius.

Notandum est nos hic non disputare; Vtrùm cognitio sit quædam imago obiecti expressa vt Theologi loquuntur, quia huius rei tractatio in alium locum commodiùs differetur. Neque enim hic ex A. Doctore vlla nobis ea de re disputandi occasio oblata est. Immo id in præsentia libet supponere; Tum quia in hanc sententiam conueniant ferè omnes; adeò vt etiam cognitio Dei siue circa se, siue circa obiecta extra, rerum imago perfectissima dicatur, vt suprà diximus q. 14. Tum quia id etiam supponit A. Doctor; cum solùm quærat; Sitne cognitio idem ac ipsa Angeli essentia. Quamobrem solùm eò tendit proposita difficultas vt sciamus vnà cum A. Doctore; Vtrùm huiusmodi cognitionem, quæ est imago obiecti expressa, non esse ipsam Angelorum essentiam; sed aliquid ex natura rei ab ipsa distinctum, ostendi Theologicè possit.

Theologicis argumentis ostendi potest, Angelorum cognitionem ex natura rei ab ipsorum essentia distingui. §. 1.

HOc posito ad Difficultatem respondetur, Et sit

Vnica propositio. Angelorum cognitionem non esse ex natura rei ipsorum essentiam ostendi Theologicè potest. Vt hæc propositio probetur afferam argumenta Theologica, quæ nimirum saltem ex vno principio vel fidei vel ex Patrum auctoritate deriuantur. Quorum si Maior & Minor certa erunt, argumenta quoque Theologica sint oportet. Itaque non deducam aut inferam ratiocinando hanc propositionem explicitè, seu vt dicitur in actu signato. *Ergo Theologicè ostenditur*; Sed solùm implicitè seu in

A actu exercito conficiam, vt Theologicis ratiocinationibus ostendatur, Angelicam substantiam non esse idem ex natura rei cum sua operatione & actu intelligendi.

Hanc ergo propositionem probant aliqui Theologice hoc pacto. Primò ex S. Dionysio cap.11.cœlest. hierarch. vbi ait omnes cœlestes mentes diuidi in tria, in essentiam, virtutem & actionem. Ergo substantia & actio Angelica non sunt idem. Verùm hæc ratio nisi aliunde robur accipiat, infirma est. Nam S.Dionysius non docet distingui ex natura rei; sed solùm sic: *Sed quoniam in tria omnes diuinæ mentes, cœlesti ratione sua diuisæ sunt, in essentiam, in virtutem, & actionem*, &c. Quæ auctoritas præcisè ex se nó vrget. Nam etiam in Deo possumus mente diuidere hæc tria; nempe essentiam, virtutem effectricem, nempe intellectum & volũtatem, & actionem mentis, quæ est diuina intelligentia, nostro modo intelligendi à diuino intellectu promanans; & tamen in Deo non possumus dicere cognitionem non esse idem quod eius essentia. Quæ duo esse vnum idémque re ipsa rectè demonstrat A.Doctor suprà q.14.a.4. Alij referunt S.Anselmum libro de casu Diaboli cap. 8. idem ac Dionysius dicentem; Ibi tamen nihil hac de re docet Anselmus: & quamuis ea diceret (quæ quidem dicit libro de conceptu Virginali c. 4.) valide non probarent quod volunt vt diximus de auctoritate S. Dionysij. Alia quoque argumenta ab Gregorio & aliis in medium proferuntur, quæ efficacia non sunt; & ideò in præsentia omittantur.

S.Dionysius.

B

S.Anselm.

C

Probatur ergo melius propositio nostra. Primò, Ea quæ ab aliquo reipsa separari possunt, non sunt idem ex natura rei cum illo: Sed cognitio Angeli potest separari ab eius essentia; ergo cognitio Angeli non est idem ex natura rei cum eius essentia.

Maior est certa apud Philosophos: Quia si essent idem ex natura rei cum illo à quo separari possunt, posset idem separari à seipso, quia possent separari ab illo, quod est illa ipsa, cum quibus est vnum & idem ex natura rei. Vt v.g. si essent idem homo & equus; si equus separaretur ab homine, separaretur à se ipso, eo quòd equus & homo idem sunt. Constat autem apertissimè, nihil posse separari à se ipso; vt idem indiuiduum v. gr. Petrus non potest separari ab ipso Petro; quia hoc ipso Petrus non esset vna entitas, sed duæ entitates; nempe vna quæ separatur, & alia à qua separatur. cum quæ inter se separantur re ipsa, re ipsa etiam diuersæ entitates inter se sint, ac proinde non idem essent. Vt enim ait Aristoteles libro 5. Metaph.contex.16. *diuersum omninò dicitur oppositè ad id quod idem dicitur.* & idcirco libro 4.Phys.context.134. dixit: *Idem dicitur cuius non differt differentia, sed non cuius differt.* Hoc est quæ diuersitatem aliquam habent non sunt idem. Ergo idem non esset idem sibi ipsi, sed à se ipso diuersum esset re ipsa; quod est omninò impossibile. Verum ergo est: ea quæ ab aliquo separari possunt re ipsa, non sunt idem cum illo ex natura rei; quia ex natura rei sunt diuersa ab illo.

D

Aristoteles.

E

Minor probatur multipliciter. Primò, quia potest Angeli essentia esse re ipsa sine hac aut illa cognitione. immò sine cognitione sui, quæ maximè videtur aduersariis debere esse idem. Ac de hac quidem aut illa cognitione determinatè

S.August. natè patet, primò quidem à fortiori. Nam S. Augustinus expressè ait libro 9. de Trinit. cap. 12. *Manifestum posse fieri vt sit aliquid scibile, & tamen nesciatur.* & paulò post ait, id reipsa contingere in mente nostra. Etenim *erat* inquit *sibi ipsa noscibilis & antequam se nosset, sed notitia sui non erat in ea, antequam se nouerat.* Si autem potest nostra mens carere sui cognitione; ergo potest Angeli essentia esse sine hac aut illa cognitione determinata, cum aliquid etiam nostræ menti proportione respondens debeat esse in Angelo, vt ita possit esse sine hac aut illa cognitione. quod melius infrà probabitur suo loco q. 58.

A. Doctor. Sanè A. Doctor q. 16. de Malo art. 6. in argumento quarto ex S. Augustino lib. 8. super Gen. ad litt. c. 20. 22. 23. ait, intellectum Angeli mutari per tempora, quia actu simul Angeli non considerant omnia, ad quæ Angelorum naturalis cognitio se extendit; & ideò quantum ad naturalē cognitionem posse esse potentiam absq; actu. Et quamuis hæc dicantur in argumento, in quo sibi pro ratione dubitandi obiiciebat; Tamen quia eam totam doctrinam admittit in eius argumenti solutione, idcircò eam pro hac propositione attulimus. Sic autem loquitur ad 4. ibi cum docet; aliquem intellectum habere notitiam in actu dici dupliciter. *Vno modo* inquit *quantum ad actualem considerationem; & sic non intelligitur quod Angelus habeat notitiam omnium ad quæ sua naturalis cognitio se extendit. Alio modo quantum ad habitualem notitiam,* &c. *Et hoc modo Angelus habet actualem notitiam respectu omnium quæ naturaliter cognoscere potest,* &c. Quod autem Angelus interdum careat sui actuali cognitione, etiam in sententia A. Doctoris confirmabitur infrà eadem q. 58.

Præterea probatur hæc eadem Minor ex propriis. Primò, quia Angelus antequam illustretur, doceatúrque à Deo, & inferiores Angeli à superioribus non habent eas notitias, quas superiorum beneficio adipiscuntur; ergo Angeli essentia caret his cognitionibus. Antecedens est certum: nam antequam à Deo & à superioribus doceantur inferiores, ignorare eos necesse est ea quæ docentur. Quæ enim docentur discuntur; vnde idem est actus *doctio*, *& disciplina*; vt docet

Aristoteles. Aristoteles libro 3. Phys. cont. 21. Is autem discit qui quæ ignorabat prius, per nouam rerum notitiam assequitur. ergo antequam doceantur, ignorantur. Quod autem doceantur superiores à Deo, inferiores à superioribus res est comperta de fide. Id enim S. Dionysius Areopagita (qui

S.Dionys. quæ de cœlesti hierarchia docuit se ab Apostolo, quem initiatorem sui vocat, accepisse testatur cap. 6. cœlest. hierar.) apertè scriptum reliquit cap. 3. eiusdem libri ipsam definiens hierarchiam. *Est sacer ordo, scientia, & actio quæ ad diuinitatis similitudinem, quoad eius fieri potest, accedit; & proportione illustrationum, quæ ei diuinitus datæ sunt, ad Dei intentionem traducuntur.* En à Deo illustrationes; nempe eorum quorum cognitionibus Angeli veluti lumine illustrantur.

Quod etiam ipsum, patet ratione inter Catholicos manifesta. Et primùm quod illuminentur à Deo. Nam Angelum illuminari à Deo nihil est aliud, quam ab ipso Deo Angelicā mentem alicuius veritatis cognitione imbui atque

A. Doctor. instrui. Nam vt ait A. Doctor infrà q. 106. art. 1. *Illuminare nihil est aliud quàm manifestationem agni-* A *tæ veritatis aliis tradere.* Vnde non aliter vnus Angelus alium illuminat, nisi *inquantum* inquit *ei* manifestat veritatem, quam ipse cognoscit; vt colligit ipse ex S. Dionys. cap. 7. cœlest. hierarch. Nec aliter vt ipse ait q. 9. de Verit. a. 1. Magister discipulum illuminare dici solet. At certum fide catholica est, Angelicas mentes sic à Deo imbui, vt eius ope atque auxilio multas rerum supernaturalium veritates agnoscant. Si quidem certum etiam fide catholica est, omnes huiusmodi supernaturales veritates nonnisi Deo reuelante cognosci ab intellectu creato. Etenim Dei, supra naturæ vniuersæ ordinem agentis est ea ad quæ nulla rerum creatarum vis pertin- B gere potest, procreare ac gignere, vt fidem, gratiam, &c. vt probatur in disputatione de fide. Certum ergo sit, superiores Angelos à Deo edoceri.

Deinde quòd à superioribus inferiores illuminentur patet ex S. Dionysio cap. 4. eiusdem libri à medio. S.Dionys. Vbi cum dixisset Angelorum ministerio legem Moysi datam esse & ad nos peruenisse; subdit spectare ad diuinam prouidentiam, vt quæ inferiora sunt à superioribus dirigantur. *Hæc* inquit *lex à Deo sancita est, vt in quacunque hierarchia & primi sint, & medij, & postremi ordinis; inferioribusque superiores sint, eisque quasi digito* C *viam monstrent, aditumque ostendant ad diuinitatem.* Qua de re fusè A. Doctor infrà q. 106. & nos ibi differemus copiosiùs. Ergo inferiores à superioribus edocentur. Constat ergo Angelos posse esse sine hac vel illa cognitione.

Tertiò probatur eodem modo illa Minor ex ipsa Angelorum locutione, qua vnus Angelus alteri cognitionem suam aperit, atque ita nouam ingenerat in altero notitiam, vt suo loco infrà fusiùs dicetur q. 107. vbi etiam proferemus alios Patres, ac disputabitur quid senserit Augustinus. Dum namque vnus Angelus alteri significat mentis conceptiones suæ, necesse alter de nouo cognoscat, quid loquens intelligat D atque significet. Angelos autem inter se ita loqui, vt cogitationes latentes sibi vicissim enuncient atque euulgent, fide catholica omninò certum est; cum dicat Apostolus 1. Corinth. 13. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum.* Hoc est, si Angelorum sermocinatione & significandi ratione vtar, vt ibi exponunt interpretes. Et Zachar. 1. *Respondit Angelus Deo, & aixit Domine exercituum,* &c. Zachar. 1. Vnde & secum ipsi sermonem conferunt Angeli, cùm Dionysio teste S.Dionys. capite septimo cœlest. hierarch. à medio: *Inferiores Angeli superioribus dixerunt: Quis est iste Rex gloriæ?* & alia multa ad hanc sententiam suo loco quæstione centesima septima exami- E nabimus. Adhuc clarior erit huius rei confirmatio ex eo quod Angeli fidei notitiam, beatámque visionem aliquando adepti sunt, quæ nulli creaturæ possunt esse congenitæ; cum sint supra naturam cuiusque creaturæ, vt dicemus infrà quæstione sexagesimasecunda, ac proinde debuerunt de nouo in ipsorum mentibus ingenerari. Ex quibus omnibus apertum est, Angelos hac & illa cognitione caruisse, postea verò eas adeptos esse. atque ita constat illa Minor propositio.

Huic argumento responderi posse videtur, si dicatur, Angelos habere quidem cognitionem distinctam à sua substantia, si cognitionem

nem intelligamus in ratione cognitionis; non autem in esse entitatis & rei. Quod explicari ea ratione posset, qua de diuinæ voluntatis actu philosophati sumus suprà quæstione decimanona. Diximus enim ibi in Deo actum liberum posse esse & non esse; non quidem quoad entitatem, sed quoad eminentialem tendentiam in hoc aut illud obiectum, nempe in hanc vel illam creaturam determinatè. Cum etenim entitas actus diuini sit idem quod Deus, tolli ab ipso non potest illa realis tendentia, quæ est ipsemet diuinus actus. Si ergo vel incipit vel desinit esse huiusmodi diuinus actus, id nequit esse ex parte diuinæ entitatis, ac proinde ex parte eius eminentialis tendentiæ simpliciter; sed esse debet ex parte terminationis ad hoc aut illud obiectum determinatè: seu quod idem est, ex parte eiusdem tendentiæ quâ ad hoc vel illud obiectum & creaturam determinatè tendit. Nam cum Deus per actum suum liberum aliquid definitè ac determinatè extra se velle debeat; nimirum vel esse creaturam, vel eandem non esse, necessariò illa tendentia in Deo ad aliquid extra ipsum terminabitur; nempe vel ad esse creaturæ; vel ad eiusdem non esse, exempli gratia, vel ad hunc Mundum, vel ad negationem illius; & sic de cæteris. Quamobrem quod illa tendentia diuini actus sit ad hunc Mundum determinatè non est simpliciter necesse, cum potuerit absolutè illa tendentia esse, & nostro intelligendi modo veluti verti aliò; nempe in negationem Mundi tanquam in suum terminum; si Deus ab æterno in Mundi non esse eam quodammodo inflexisset; vt latius explicauimus suprà eadem quæstione decimanona.

Pari ergo ratione philosophari quis in Angelico intellectu posset; fuisse scilicet in Angelo totam naturam cognitionis, eámque esse idem cum Angelica substantia quoad entitatem; posse tamen abesse secundum quod est cognitio talis vel talis obiecti determinatè, nempe eo quod determinatè non sit ad hoc aut illud obiectum; verbi gratia ad mysteria gratiæ, ad Deum vt est in se, ad ea quæ diuinitus reuelantur, & cætera. Quod si ita philosophari licet, negare aduersarij possent Angelicam illam cognitionem secundum entitatem posse abesse aut aliquando non fuisse in Angelico intellectu. Vnde ad Maiorem illam nostri argumenti distinguendo responderent. Ea scilicet quæ reipsa separari possunt quoad entitatem, illa distingui ex natura rei. Ea autem quæ separari solùm reipsa possunt secundum aliquam terminationem seu rationem tendentiæ & respectus ad hoc vel illud obiectum determinatè, illa distingui non posse ex natura rei. Exemplum etiam est de relatione reali eorum sententia, qui à fundamento proximo relationem distingui reipsa negant. Cum enim pereunte termino ad quem est relatio, deficit relatio ipsa, aiunt ipsam non deficere quoad entitatem suam; sed solùm in eo quòd sit ad illum terminum determinatè. Exempli gratia paternitas alicuius hominis sit ad tres filios, si ex iis pereat vnus, illa quidem paternitas quoad entitatem non perit, nec absolutè esse desinit; sed illa ipsa quæ erat ad tres filios, remanet ad superstites duos. Hæc inquam videntur posse dici ad argumentum nostrum.

Verùm hæc & similes responsiones satisfacere non possunt nostro argumento. Esto enim ea verè & ad rem dicantur quæ dicta sunt de Deo & relatione; non tamen rectè in Angelicam cognitionem conuenire possunt. Quod patet, quia ex eo non aduenit Deo actus liber quoad actus entitatem, propterea quòd Deus infinitam, immutabilémque entitatem habet; Et ideò cùm alia atque alia entitas ei superuenire nequeat, dicimus rectè actum liberum tantùm in Deo variari, eo quod nostro modo intelligendi voluntas diuina quæ in actus liberos tendit, ita illam, quam diximus, tendentiam veluti inflectit, vt eam applicet vni certo obiecto ad extra; cum potuerit in illud eam tendentiam non vertere, ac proinde potuerit illud non respicere, vt diximus loco citato. At secus in natura Angelica & cæteris, quæ mutari queunt, philosophandum est, ideóque dicendum esse aio, cognitionem Angelicam esse huiusmodi vt noua omninò quoad eius entitatem Angelicæ substantiæ superuenire debeat. Quod probatur tripliciter.

Primò, quia cum sit noua cognitio, debet quoque esse noua obiecti imago verbi gratia, de Verbo incarnando; de Beatorum gloria, de æternitate suppliciorum, & cætera. Omnis enim cognitio imago quædam obiecti esse debet; vt antè supponere me dixi ex alibi dictis. Vnde Verbum diuinum quia procedit; vt Patris æterni Verbum & cognitio, vera est eiusdem Patris imago; non autem Spiritus ipse sanctus, qui procedit vt amor, vt optimè obseruat Angelicus Doctor suprà quæstione trigesimaquinta, articulo secundo. Si ergo est noua in Angelo cognitio, noua obiecti imago esse debet, cum sit aliqua repræsentatio obiecti, quæ antè non fuerat. Ergo noua debet esse mutatio ac forma in intellectu Angelico, quæ sit ipsa imago & repræsentatio obiectorum; non autem satis est noua ratio vnius veteris imaginis ac tendentiæ ad hoc vel illud obiectum determinatè. Etenim ratio imaginis ac repræsentationis est tota in illa re quæ est imago, & repræsentatio, nec aliunde extrinsecus pendet ex rerum existentia, quarum est imago. Neque enim imago Socratis vt ipsum Socratem referat, poscit vt Socrates actu sit; idémque de cæteris dico. Itaque si noua est imago in Angelico intellectu, est aliqua noua ac realis mutatio ac forma in ipso; non noua tantùm præexistentis imaginis ratio. Vnde si poneretur in Deo noua rerum cognitio, ac noua repræsentatio, quia hoc ipso in diuino intellectu poneretur noua forma, fieret in eo mutatio; ad quam à Deo remouendam imperfectionem, nullam de nouo prorsus in Deo cognitionem tota æternitate affirmarunt Theologi.

Quin etiam Aristoteles hoc ipsum eandémque ob causam falsus est libro duodecimo Metaphysices, contextu quinquagesimoprimo cum dixit: Si diuinæ intellectioni aliud obiectum esset, præter ipsam diuinam substantiam (hoc est si alia obiecta

cta intelligeret non in se, sed extra se, vt & supra significauimus, & Quæsito sequenti patebit magis) fore, vt intellectus diuinus esset potentia. Quocirca Deus optima substantia non esset; quoniam aliunde extrinsecus intelligendi actus, absolutióque ei superueniret. Ergo supponit Aristoteles, cognitionem eorum obiectorum quæ in diuina substantia non continentur aut relucent, esse formam aliquam superadditam quoad suam entitatem: vt ita respectu eius actus, diuinus intellectus foret potentia susceptrix, ideóque eodem actu diuina substantia perficeretur. Nam alioquin illæ diuinæ cognitiones obiectorum extra Deum si differrent à diuina substantia non forma & entitate, sed variatione dumtaxat prædictæ tendentiæ in hoc aut illud obiectum determinatè, nec hoc ipso diuinus intellectus esset potentia ad illum actum; nec rectè deduceretur diuinam substantiam non fore absolutissimam. Responderi namque facilè posset, intellectum seu substantiam diuinam omnes habere formas sibi intrinsecas actúsque, ad perfectissimam substantiam, solúmque deesse variationes illas extrinsecas quoad terminationem. Quod quidem non arguit in Deo imperfectionem vllam, cùm de facto ita communis Theologorum consensus diuinos actus liberos absque vlla imperfectione explicandos esse fateatur.

Ex his autem sic ad rem præsentem conficit argumentum. Omnis cognitio obiecti quod in cognoscentis substantia non continetur, est distincta realiter ab eadem substantia cognoscentis: Sed plurima in Angelo cognitio, est cognitio obiecti quod in cognoscentis substantia non continetur; ergo plurima in Angelo cognitio ab eadem Angeli cognoscentis substantia est distincta realiter. Maior patet ex Aristotele vt retulimus; quia scilicet si obiectum non contineatur in ipsa cognoscentis substantia, cum ea necessariam connexionem habere non potest vt cognosci debeat, vt patet inductione per singula quę extra se obiecta cognoscunt. Quamobrem in Deo cui omnia perspecta necessariò esse debent, obiecta omnia relucent & continentur vt necessariò eius intellectui debitè applicata sint omnia. Ergo cum cæteris quæ extra suam substantiam obiecta cognoscenda possunt, non possunt habere cum illis nexum necessarium vt cognosci debeant, cum nec illis applicata necessariò sint. Si autem huiusmodi obiecta non necessariò cognosci debent, ergo illa cognitio quæ circa illa obiecta est, non necessariò elicitur à substantia cognoscente; ideóque ab eadem substantia realiter distingui debet. vt Aristoteles argumentatus est de Deo, vt vidimus. Minor autem facilè probatur. Certum namque Theologo est ab Angelis plurima obiecta cognosci quæ in ipsorum substantia naturaliter non continentur aut relucent. Cuiusmodi sunt omnia supernaturalia, & quæ ipsis perfectiora sunt, vt sunt Angeli superiores respectu inferiorum, & omnes perfectiores cognitiones quæ in superioribus insunt. Immò tales etiam esse puto omnes effectus naturales, quorũ species à Deo imprimendæ in mente Angelica erant, vt infrà suo loco patebit. Constat ergo nouam imaginem ac repræsentationem obiecti debere in Angelo esse formam eius substantiæ superuenientem.

Secundò idem probatur, quia vt noua consurgat atque existat in Angelico intellectu imago, obiectique repræsentatio, cùm ea priùs non esset, debet prouenire ex aliqua mutatione in rebus. Nam si omnia se habeant eodem modo, non potest nunc potiùs esse noua imago ac repræsentatio, quàm alio tempore aut priùs aut postea. Scitum enim inter philosophos est auctore Aristotele libro secundo de Ortu & interitu contextu quinquagesimosexto. *Idem similiter se habens semper idem natum esse facere.* Quæro, in quonam subiecto huiusmodi mutatio concedatur? In ipsóne intellectu, an extrà dumtaxat? Non potest dici secundum: quia id non sufficit. Nam ipse intellectus remanens idem in se nihil immutatus, nihil de nouo repræsentabit. cum vt iam dicebam: *idem similiter se habens semper idem natum sit facere.* Et quamuis verum sit causam effectricem etiamsi nihil recipiat in se, posse si ponatur concausa acquirere vires ad agẽdum, quas prius non habebat quàm concausa poneretur. vt exempli gratia possunt duo homines habere pondus quod alter sine altero nequibat; Tamen in genere causæ repræsentantis & imaginis, id verum esse nullo modo potest; quæ debet ex se non exspectata concausa id referre, cuius est imago. Etenim visio corporata oculorum posita in oculo repræsentabit obiectum suum, etiamsi obiectum non sit quod oculis obiiciatur. Experientia enim compertum est, postquam aliquis intuitus est colorem aliquem, remanere etiam oculis clausis aliquantisper eiusdem coloris imaginem. Aristoteles.

Et sanè Aristoteles libro de somniis capite secundo concedit permanere ad breue tempus sensionem alicuius obiecti, etiamsi ille sensus aliò transferatur. *Palàm* inquit *cum continuè sentimus aliquid. Transferentibus enim sensibus sequitur passio, vt de Sole ad tenebras. Accidit enim nihil videre propter adhuc subsistentem motum in oculis à lumine:* motum nempe visionem. Pergit enim proximè post illa verba: *Et si ad vnum colorem multo tempore aspiciamus, vt album vel viridem, huiusmodi videtur ad quodcunque visum permutemus.* Vult ergo ipsum vidẽdi actum perseuerare ad breue tempus. Immò ait ibi permutari visionem, etiamsi nullum sit obiectum præsens, eò quòd solùm remaneant vel gignantur obiectorum species ac simulachra. Ait enim: *Etsi ad Solem prospicientes vel ad aliquod aliud splendidum conniuerimus obuersantibus accidit visum videre, primum quidem huiusmodi colorem, deinde permutatur in puniceum, deinde in purpureum quousque in nigrum euanuerit colorem, & euanuerit.* Ergo modò sit visio, siue mutetur res obiecta, siue eadem immutata persistat, repræsentabit idem. Aristoteles.

Quod multò magis dicendum est in actibus interioribus, vt imaginationis, memoriæ, & similium, & adhuc multo magis in intellectu, qui minùs dependet ab organis obiectísque extrinsecis, & perfectior est obiecti imago. Ideò enim cognitio obiecti est posita visione, quia illa forma habet naturam cognitionis sublato quocunque alio, etiam præsentia ipsius obiecti. ergo id à fortiori conueniet actui intelligendi, qui perfectiori modo naturam habet cognitionis. Non ergo satis est si extra substantiam intelligentem

telligentem fiat mutatio; atque ita in Angelo aduenire debet noua imago quoad entitatem suam. Immò si satis esset mutatio quæ fit extra intelligentem nullæ omninò forent necessariæ species seu ad visionem seu ad intelligentiam eliciendam in hominis animo; quia satis esset ad huiusmodi actus, si mutatio sit extra, vt posita tali conditione intellectus intelligat, visus intueatur &c. vt exempli gratia posito lumine supra orizontem, oculus videat lumen illud, posito obiecto in tali distantia intellectus illud intelligat, &c. absque eo quòd noui intelligendi actus eliciantur ab intellectu, & nouæ species in ipso efformétur. Quę omninò absurda & in philosophia Peripatetica nullo modo toleranda, vt etiam infrà dicetur.

Concludendum ergo est huiusmodi mutationem & nouos intelligendi actus, concedendos esse in intellectu Angelico. vnde vlteriùs sequitur oportere intellectum Angeli informari noua forma quæ sit imago ac repræsentatio obiecti cum nouas cognitiones habet, quia non satis est si intellectus Angeli aliter se habeat in ratione tendentię ad hoc vel illud obiectum determinatè: Atque ideò dispar est ratio in intellectu diuino & Angelico, cum Dei intellectus non sit potentia ad nouas imagines ac cognitiones obiectorum; Angeli verò sit potentia ad illas de nouo suscipiendas.

Tertiò idipsum probatur ex disparitate Dei & Angelorum. Nam manifesta ratio cogit nos in Deo nullam agnoscere mutationem ob eius maximam simplicitatem, & infinitam perfectionem; cui cum perfici vltrà non possit, omnis ei mutatio aduersatur. At in Angelis cessat huiusmodi ratio, quippe nec simplicissimi sunt, nec infinitæ perfectionis, ideóque perfici vltrà semper possunt. ergo tãtum abest vt illis mutari repugnet, vt illis maximè congruat, vt sic magis ac magis cognoscendi perficiantur. Neque enim definire ac ponere limites cognitionum decet in intellectu nobilissimo, quando in hominum animo nullus finis cognoscendi datur. Experimur enim ipsi natura nos impelli, vt quo plura nouerimus, plura adhuc nosse cupiamus. Et ideò *omnes* inquit Aristoteles initio Metaphysices *homines natura scire desiderant.* Quod desiderium ardentius concitare debet intellectum Angelicũ, qui cum perfectiùs Dei effecta cognoscat, perfectiùsquoque sciet diuinam omnipotentiam, qua alia plura & plura in infinitum fieri possit, quorum distinctam cognitionem non habeat. Ergo Angelicus intellectus impellitur desiderio & causam & eius plures effectus distinctè cognoscẽdi; cùm in earum rerum cognitione animaduertant Angeli magnam esse positam perfectionem suæ substantiæ. Vt enim ait A. Doctor suprà q. 12. a. 1. *In tantum vnumquodque perfectum est, in quantum ad suum principium attingit.* Magis autem intellectus Angelicus ad suum principium attinget, si plura ac plura quæ à Deo proficisci possunt, distinctiùs cognoscat. Perfectius enim Dei naturam, virtutémque cognoscet; si ab ea perfectiores effectus promanare posse distinctè perspiciat. Nec satis est si quis respondeat, intellectui naturali Angeli esse determinatos fines obiectorum, extra quos nihil naturaliter possit cognoscere. Nam nulli fines ei sunt assignandi intellectui, qui semper plurium ac plurium notitia amplius perfici potest. Constat autem talem esse Angeli intellectum, vt iam diximus; & ideò ne intellectus quidem humanus vllis obiectorum limitibus circumscribitur; cum eius obiectum sit ens in tota sua amplitudine.

Aristoteles.

A. Doctor.

Denique idem ex eo probatur, quia si nulla noua cognitio quoad entitatem ingeneraretur in Angelis, sed dumtaxat nouæ exoriri dicerentur cognitiones, posito aliquo extrinsecus excitamento, vera esse magna ex parte posset Platonis opinio in eo quod sæpe docuit in Phædro, Phædone, & libro 7. de Rep. homines scilicet reminisci, non addiscere, cum noua obiecta sese in hominum animos insinuant, à quibus solùm excitentur, & ad pristinam scientiam reuocentur. Nam eadem ratione dici posset congenitas esse rerum notitias, non tamen cognosci nisi huiusmodi positis obiectis, & simulachris, quibus veluti pulsentur animi, & quodammodo excitentur, vt sit completus ille actus intelligẽdi. quod quam absurdum sit in Theologia; quin etiam à philosophia vera, & à Peripateticis institutis abhorreat, nemo mediocriter in Theologicis, ac philosophicis eruditus ignoret. Idque falsum ostendit Aristoteles lib. 1. Metaph. ab initio, & deinceps. libro 1. Poster. cont. comm. 4. & lib. 2. cap. vlt. Ita vt ex eo quod animus nouas semper rerum notitias conquirit addiscendo, dixerit lib. 3. de An. cont. 14. Hominis intellectum *esse potentia intelligibilia, sed actu nullum, antequam intelligat. oportet autem sic vt in tabula, in qua nihil est descriptum actu.* Si ergo concedamus Angelos noua gratiarum mysteria addiscere; & beatitudinem quæ consistit in claro ipso in Deum contuitu adipisci, certè sequitur ipsas hasce notitias quoad entitatem recens exoriri, cum prius quoad eãdem entitatem nõ essent. Atque hæc de primo nostræ propositionis argumento.

Aristoteles.

Secundò probatur nostra propositio alio argumento Theologico: quia quæcunque substantia non est essentialiter suum esse; sed illud habet, quia ipsius esse particeps est, seu quia habet esse per participationẽ, habet etiam suam operationem à seipsa ex natura rei distinctã, & non sibi idem realiter. Sed substantia Angeli habet esse per participationem; non autem est essentialiter suum esse. Ergo habet suã operationem non idem cum sua substantia, sed ex natura rei ab ipsa distinctam. Minor probatur, quia cuiuscunque creatæ substantiæ esse, à primo ente in ipsam deriuatur; cum ab ipso primo ente omnis creata natura pendeat, siue dum fit, siue dum conseruatur. Ergo substantia Angeli habet esse ab alio; quod est habere esse per participationem.

Maior probatur apertè ex verbis S. Leonis ep. 93. cap. 5. vbi etiam totum hoc argumentum significatur. Cum enim docuisset ab initio capitis naturam hominis non esse diuinæ substantiæ (quam impietatem ait ex quorundam philosophorum & Manichæorum opinione manasse) subdit rationem, cur natura hominis non sit diuinæ substantiæ his verbis: *Nemo enim hominum veritas, nemo sapientia est, nemo iustitia est; sed multi sunt participes veritatis, sapientiæ atque iustitiæ sunt. Solus autem Deus nullius participationis indiget est. De quo quicquid dignè vtcunque sentitur, non qualitas est sed essentia.* Sentit ergo Leo, solum Deum, cuius

S. Leo.

A ius increatum est esse, & non per participationẽ, esse suam iustitiam & suam sapientiam: cætera verò, quorum esse est ab alio, non esse suam sapientiam, ne realiter quidem aut ex natura rei. Eodem enim modo hæc idem esse negat in cęteris, quo eadem affirmat idem esse in Deo. At ea idem esse in Deo affirmat realiter & ex natura rei: nam in sensu vt aiunt formali, & secundum rationes præcisas cogitatione intellectus nostri Deus non est sua sapientia, sed sapiens, iustus, &c. vt alibi dictum est. Vnde ibidem vt

S. Leo. retuli Leo dixit: quod de Deo dicitur non qualitas est sed essentia. Qualitas inquam quæ realiter superaddita sit: nam nostro modo intelligendi & significandi concipitur, & significatur modo adiacentis qualitatis. Ergo contendit non esse

B in Deo aliquid adiectum, & superadditum reipsa, cum non sit qualitas, quæ substantiæ adiacet, sed essentia; hoc est, non re ipsa diuersum, sed eadem res quod eius essentia. Volebat enim Deum ostendere nulli mutationi obnoxium; & ideò statim post illa verba causam dictorũ subiungit: *Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit; quia esse illi quod est sempiternum, semper est proprium.* Est ergo Deus sapientia; quia hæc non est qualitas superueniens, qua id quod incommutabile est, permutetur. Itaque concedit creaturis sapientiam aduenire, quæ in ipsis sit realis mutatio; atque ita non sunt diuinæ substantiæ; vt ita Manichæorum, philosophorúmque errata conuelleret.

C S. Dionys. S. Damasc. Tertiò probatur propositio ex principiis S. Dionysij Areopagitę & S. Damasceni. Nam nulla substantia per ea quæ ipsi idem sunt ex natura rei mutatur. Sed substãtia Angelica per suam intelligendi actionem mutatur. Ergo substantia Angelica non est idem ex natura rei cum eius intelligendi actione. Maior probatur: quia omne quod mutatur transit de aliquo esse ad aliud esse ex natura rei; quia scilicet aliter atque aliter se habet in se nunc atque prius se habebat. Et idcircò Deus qui semper se eodem modo habet in se, nihílque in eo variatur, immutabilis omninò est. At substantia per ea quæ sunt

D illi idem & non diuersa ex natura rei, non se habet aliter atque aliter in se; cum per ea nec transeat de vno esse ad aliud, quia illa quę sunt idem sibi semper secum habet; nec quicquam separari potest ab eo quod cum illo est idem & nõ diuersum, vt suprà diximus. Ergo substantia non mutatur per ea quæ sibi sunt idem ex natura rei.

S. Dionys. Minor probatur; & quidem ex S. Dionysio, qui vt etiam obseruat A. Doctor seq. art. in argumento, *Sed contrà*; dixit cap. 4. de Diu. Nomin. intelligere Angeli esse motum illius. Sanctus

S. Damasc. verò Damascenus libro 2. de fide cap. 23. definiẽs omnem cuiusque rei creatæ actionem, siue eæ

E sint in cognitione positæ, siue vitales & naturales, vt ipse apertè fatetur initio eius capitis ait: *Actionem esse naturalem cuiusque rei vim ac motum*; & naturalem actionem esse, *natiuum cuiusque rei motum.* Intelligere ergo quod actio quædam est, erit motus realis quidam in Angelica substãtia. Si autem est eius substantiæ realis motus; ergo substantia Angeli per suam intelligendi actionem realiter mutatur. si namque realiter nõ mutetur non est realis motus, quantũuis actionem à sua substantia animo ac mente separemus. Vnde nunquam in Deo in quo constat actionẽ intelligendi ac volendi dicemus esse realem motum. Et rectè quidem talis actus dicitur realis in Angelo motus, quia per huiusmodi actum Angelus acquirit notitiam nouam, & transit de vno ad aliud esse, nempe ab ignoratione ad cognitionem; vt ita ex non cognoscente fiat cognoscens. ergo mouetur. Quare dici non potest esse actionem à substantia solùm ratione distinctam. Quia nec essentia dici potest per illum mutari simpliciter; vt patet in Deo qui simpliciter est immutabilis, & nullum prorsus habet motum, etiamsi in eo operationes & naturam mente diuidamus. Et ratio est quia per illas reipsa Deus non transit de non intelligente ad esse intelligens; ergo non debet dici motus in ipso; & ideò vt S. Leo dicebat est impermutabilis; quia est suamet sciẽtia, & iustitia. Qua ratione dicerentur Angeli, si idem essent Angeli scientia, eiusdémque substantia.

Nullum producens posse idem re esse cum producto, probatur ex Patribus, & ideo substantiam Angeli distingui ab actu intelligendi. §. 2.

QVartò probatur propositio ex principiis S. Augustini: Quia nulla res quę aliam reipsa producit, potest esse idem ex natura rei cum ea quæ producitur. Sed substantia Angeli est res, quę reipsa producit suum intelligere. Ergo substantia Angeli nõ potest esse ex natura rei idem cum suo intelligere. Maior conceditur ab omnibus Theologis; & est aperta sententia Patrum, qui Filiũ à Patre æterno realiter distingui oportere docent, ex eo quòd Pater est producens, Filius productus. Nunc satis sit vnum aut alterum adducere. S. August.

Athanasius qui aduersus Sabellianos errores in Oratione: *Contra Arrianos in hoc dictum: Ex Deo Deus est Verbum*, non lõgè ab initio sic argumentatur: *Reliquum igitur est, Verbum ex Deo existere. Quod si concedas, aliud haud dubiè fuerit quod ex aliquo naturam accepit, & aliud quod sui naturam dedit, ac proinde duo sunt.* Vides hîc nihil dubitationis esse apud Athanasium, quin duo sint realiter distincta producens & productum? sed causam accipe, cur id ita sit certum. Pergit enim sic: *nam si duos esse non admittas, sed vtrumque de eodem prædicari; erit eadem res causa & causatum, gignens & genitum; quas absurditates in Sabellianis residere demonstratum est.* Athanasius.

Nec obscuriùs idem intulit Tertullianus in libro aduersus Praxeam hæreticum Asiaticum. Nam c. 4. ex illo Apostoli 1. Cor. 15. quod Deus pater filio regnum tradiderit hoc pacto argumentatus est: *Hoc vno capitulo epistolæ Apostolicæ iam & patrem & filium ostendisse duos esse; prætorquam quod ex nominibus Patris & Filij, etiam ex eo quod qui tradidit regnum, & cui tradidit: Item qui subiecit, & cui subiecit duo sint necesse est.* & cap. 7. ibidem in fine: *Et Dei filium agnosco, secundum à Patre defendo.* & c. 8. ibidem post medium generatim ait: *Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit eius necesse est, de quo prodit, non ideò tamen est separatum; secundus autem vbi est duo sunt.* Et capite vndecimo infert. Si filium nominat; ergo filius non est ipse qui pater est. Tertullian. 1. Cor. 15.

est. *Non enim* inquit *ipse prodiit à semetipso.* Idémque toto libro hoc contendit, vt filium ex eo quod à patre genitus dicitur in scripturis, aliam personam à patre demonstret. Ratio etiam eidem rei astipulatur: Quia vt ait Aristoteles lib. 2. de An. cont. 47. *Nihil generat se ipsum, sed conseruat.* Oporteret enim idem se ipso esse prius & posterius: idem esse actu & potentia. quæ omnia tanquam pugnantia inter se docuit Aristoteles libro 3. Phys. cont. 8. & libro 8. Phys. cont. 40. Ex quo patet veram esse illam nostram propositionem: Nulla res quæ aliam re ipsa producit, est idem ex natura rei cum illa quæ producitur.

Aristoteles.

S. August.

Minor autem patet ex verbis S. Augustini lib. 14. de Trin. cap. 6. Vbi, *Mens* inquit *quando cogitatione se conspicit, intelligit se & recognoscit; gignit ergo intellectum hunc & cognitionem suam.* Ergo mẽs nostra gignit & producit cognitionem sui & suum intelligere. Ergo etiam mens seu substantia Angeli eidem Augustino gignit eandem sui cognitionem, & suum intelligere. Nam ex mentis nostræ analogia & quadam proportione ibi Augustinus consurgit ad mysterium Trinitatis, vt sit persona quæ gignit, & persona quæ gignitur, & persona quæ sit amor copulans vtramque. Subdit enim: *Hæc autem duo gignens & genitum dilectione tertia copulantur, quæ nihil aliud est quàm voluntas fruendum aliquid appetens vel tenens; ideóque etiam illis tribus nominibus insinuandam veriùs putauimus Trinitatem,* &c. Vnde & cap. 10. in fine eandem nostram mentem sic comparat Trinitati, vt eius imaginem statuat. *Quando ad se ipsã cognitione conuertitur sit Trinitas, in qua & Verbum possit intelligi. formatur quippe ex ipsa cognitio, voluntate vtrumque vrgente. Ibi ergo agnoscenda est imago, quam quærimus.* Vide iam imaginem Trinitatis in eo, quod mẽs nostra Verbum producit comprobante voluntate. Si ergo simile quid reperitur in nostra mente, vt in eo quod cognitionem à se distinctam gignat, productionis diuini Verbi à Patre realiter distincti esse imago possit; quantò id magis Angelo tribuendum, qui & perfectiùs se intelligit, & naturam magis Deo propinquã habet? Angelus ergo producit suum intelligere; quod contendebamus.

Ex actibus voluntatis ostendi actus intellectus distingui à substantia Angelica. §. 3.

DEnique probatur nostra propositio etiam Theologicè à pari ex actibus voluntatis. Etenim impossibile est, si actus voluntatis sint distincti ex natura rei à substantia Angeli, actus intellectus ab eadem non distingui ex natura rei. Sed actus voluntatis à substantia Angeli ex natura rei distinguuntur. ergo & actus intellectus. Maior patet: quia si distinguuntur actus voluntatis à substantia Angeli, ideò esse id debet, quia debuerunt posse variari actus pro varietate obiectorum, quæ creatæ voluntati vario modo ex natura rei proponuntur. Nam si ea nõ vario modo ex natura rei obiicerentur, sed eodem semper modo ad illam comparari deberent, nulla esset ratio, cur voluntatis actus ex natura rei à volentis substantia differrent. Esset enim tunc omninò immobilis voluntas in volendo, sicut est diuina voluntas. Nam vt docet

A A. Doctor suprà q. 19. a. 7. c. voluntas non mutatur *nisi præsupposita mutatione vel ex parte obiecti, vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiæ ipsius voluntatis.* Rationem addit. *Cum enim voluntas sit boni, aliquis de nouo potest incipere velle dupliciter. Vno modo sic quod incipiat illud esse sibi bonum, quod non est absque mutatione eius. Sicut adueniente frigore incipit esse bonum sedere ad ignem quod priùs non erat. Alio modo sic, quod de nouo cognoscat illud sibi esse bonum, cùm prius hoc ignorasset.* Ex quibus concludit Dei voluntatem esse immutabilem; quia scilicet non potest illi apparere noua ratio boni vel ob nouam comparationem ad diuinam substantiam, vel ob nouam cognitionem eius quod priùs ignorabatur. A. Doctor.

B Si ergo obiecta eodem semper modo ad alicuius voluntatem compararentur, neutra ratio boni de nouo voluntati eius obiici posset, quia hoc ipso in obiectorum comparatione voluntatum diuersitas esset. Vnde illa voluntas esset prorsus immutabilis; idéoque nulla esset ratio, cur ab eius substantia actus distinguerentur. quoniam voluntati ex se immutabili nullus actus superaddendus realiter esset, cum satis esset ipsa voluntas immutabilis. immò esset perfecta adeò vt ex conditione naturæ declinare non posset à naturali rectitudine, ac proinde regula suimet esset ac norma. quod esse proprium Dei docet A. Doctor infrà q. 63. a. 1. corp. & nos ibi ex instituto disputabimus. Non igitur essent

C actus à substantia volentis ex natura rei diuersi, si vario obiecta ex natura rei modo voluntati non proponerentur. At si vario modo proponuntur obiecta voluntati, necesse est vt per varios actus intellectus eidem voluntati proponantur. Vnus enim idémque actus non potest vario modo ea offerre voluntati: non solùm ob eam causam quia idem inquãtum idem semper facit idem; verùm etiam quia vario modo obiecta proponi ad varios voluntatis actus est nunc proponi vnum nunc aliud. immò vnum & idem nunc vno modo nunc alio; sicut modò dicebam ex Angelico Doctore. Non enim aliter voluntas nouè mouetur vel ad prose-

D cutionem vel ad fugam, nisi noua obiecti propositione aut mali aut boni. Ergo debent esse noui actus intellectus, vt mutentur actus voluntatis, quia si sunt varia obiecta quæ ab illis proponuntur, varij sunt actus qui circa illa versantur; quia eorum sunt variæ repræsentationes atque imagines. Verum ergo est quod dicebam in ea argumenti Maiore propositione; impossibile nimirum esse si actus voluntatis sint distincti ex natura rei à substantia Angeli, actus quoque intellectus ab eadem ex natura rei non distingui.

Iam Minor eiusdem probatur: quia actus voluntatis priùs initio creationis in prauis Angelis laudabiles fuerunt atque honesti; quippe

E quibus Angeli se in Deum retulerunt, suámque beatitudinem promeriti sunt. Id enim docet A. Doctor infrà quæst. 62. ab art. 1. vsque ad 5. certúmque Theologis est ex Scripturis & Patribus, licet in quæstionem vocetur; An id meritorum fuerit in primo an in secundo momento. de qua re eadem quæst. 62. à nobis disseretur. Si autem illi actus honesti erant; ergo erant propter ipsam honestatem, ex qua in ipsum actum honestas deriuatur. Vt namque ait Aristoteles libro 2. Ethic. cap. 4. vt aliquis honestè Aristoteles.

honestè agat, ita elicere suum actum debet, vt sciens eligens & propter ipsum honestum agat. Vnde sequitur oportere actum tendere in obiecti honestatem tanquam in rationem formalem, ac proprium motiuum: à quo nimirum species honesta deriuetur. Rursus cum in peccatum iidem Angeli prolapsi sint, honesti illi actus esse desierunt. Nam iis successere vitia, nempe actus deprauati atque inhonesti; siue ij fuerint actus superbiæ, vt ferè communis est Theologorum sententia, siue alterius generis peccati. ergo illi actus honesti cessarunt. Ea namque vitiositas contraria priori actuum virtuti fuit;& ideò simul in eodem saltem naturaliter manere non poterant. Virtus enim honestásque priorum actuum ac meritorum aut erat charitatis tantùm, aut non sine charitate. Certum enim est eos se supernaturali dilectione in Deum conuertisse. Vnde vt ait S. Augustinus lib. 12. de Ciu. cap. 9. *Simul vt facti sunt ei à quo facti sunt amore cum quo facti sunt adhæserunt. Eóque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi* nempe boni, *in eadem voluntate bona manserunt; illi* hoc est praui *ab ea deficientes mutati sunt; mala sc. voluntate hoc ipso quod à bono defecerunt, à quo non defecissent, si vtique voluissent.* Si ergo fuit actus charitatis quo ipsi Deo adhærescebant, certum est huic vitiositatem peccati quodcunque illud fuerit fuisse contrariam. Siquidem peccatum à Deo auersio quædam est, vinculíque ac nodi, quo nos charitas nectit Deo, dissolutio. Vnde A. Doctor 2. 2. q. 24. a. 12. ex hoc potissimùm capite peccatum quodcunque sit, simul cum charitatis actu esse non posse definit, quòd scilicet peccatum auertit à Deo cui creaturam præfert; contrà verò charitas conuertit in Deum, quem omnibus rebus anteponit; vt ita sit eius amor super omnia. Cessarunt ergo superueniente peccati actu non solùm actus charitatis, verùm etiam ij qui ex eo deriuabantur; quales sunt qui ex virtutum supernaturalium atque infusarum efficientia promanant. Si autem cessarunt: Ergo voluntatis actus ab Angelica substantia ex natura rei distinguuntur. quæ erat Minor eius argumenti confirmanda.

S. August.

Neque respondeat aliquis eosdem actus qui priùs virtutis fuerunt, fuisse postea malos, non mutatione substantiæ ipsius actus, sed obiectorum; vt ita neget actus à substantia differre ex natura rei. Hoc inquam dicendum non est: Etenim impossibile est mutari obiecta formalia actuum, eorúmque substantiam non variari. Quia ille actus charitatis talis substantialiter erat per essentialem ordinem ad tale obiectum formale; à quo solo essentiam, speciémque suam actus quicunque habet, vt ex instituto probat Angelicus Doctor prima secundæ quæstione decimanona articulo primo & secundo & aliis locis quæ ibi citantur. Ergo si obiectum formale varietur, omninò variari debet actus substantia. Alioqui nulla ratio subesset, ex qua de bona in malam mutari posse Angelicam voluntatem assereretur. Nam si eadem actus substantia maneat, quæ priùs erat bona; ergo manet eadem tendentia essentialis eiusdem actus ad honestatem obiecti, in quam priùs erat, & à qua talis erat essentialiter. ergo non potest explicari quomodo fiat mala.

Neque enim dici potest eandem prorsus

A tendentiam actus & substantiam nunc verti in vnum obiectum, nunc in aliud determinatè. Quandoquidem hanc responsionem efficacibus argumentis paulò antè profligauimus. Hinc rectè sanctus Augustinus eodem loco citato tanquam indubitatum supponit verbis modò relatis Angelorum peruersorum voluntatem debere in malam verè fuisse mutatam. *Illi* inquit, nempe praui *ab ea* bona voluntate *deficientes mutati sunt mala scilicet voluntate*, &c. Quod etiam supponit sanctus Isidorus libro primo sententiarum capite decimo cum ait, Angelos esse mutabiles natura sua; *sed eos facit incorruptos charitas sempiterna* &c. *Nam si natura* B *incommutabiles essent, diabolus non vtique cecidisset.* & subdit; priuatum esse apostatam Angelum contemplatione creatoris, *dum fortitudinem suam non à Deo, sed à se voluit custodiri.* Idem quoque supponunt omnes ij Patres, qui vt suprà vidimus, idcircò docuerunt, solum Deum habere immortalitatem, quia eius voluntas ad peccata mutari non potest.

S. August.

Isidorus.

C

Non solùm intellectionem supernaturalem, sed etiam naturalem qua seipsum cognoscit Angelus ab eius essentia distingui.

§. 4.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò; Non solùm Angelorum substantiam seu essentiam non esse idem ex natura rei cum cognitione rerum supernaturalium & reuelatarum; sed ne idem quidem esse cum quauis cognitione, quam naturaliter elicit ac format Angelus, etiam cum se ipsum intelligit. Ac primum quidem de cognitione rerum supra naturam patet: quia vt ostendimus, illæ cognitio- D nes nouæ adueniunt Angelo, nec illi insitæ sunt à natura. ergo non sunt idem re cum ipsa substantia Angeli.

De cognitione verò qua seipsum intelligit probatur; Primò quia mens nostra cum se ipsam intelligit, gignit sui notitiã à se ipsa distinctam, vt argumentati sumus ex S. Augustino. Ergo & Angelus, vt etiam deduximus.

Secundò, quia si Pater æternus intelligendo se ipsum producit Verbum diuinum à se realiter distinctum, licet non distinctum secundum naturam ob summam Dei simplicitatem. Ergo & Angelus producet verbum seu cognitionem à E se ipso distinctam etiam in natura; quia longè abest à Dei simplicitate; cùm nulla creatura producat indiuiduum, nisi à se numero diuersum, vt ita sit effectus à sua causa diuersus numero. Alioqui idem produceret seipsum; nempe eandem entitatem quę est ipsum producens. Quod sanè impossibile, quia vt antè ostendimus, docétque Aristoteles libro secundo de Anima contextu quadragesimoseptimo. *Nihil se ipsum generat, sed conseruat.*

Aristoteles.

Tertiò, quia S. Dionysius & alij generatim dixerunt intelligere Angeli esse motum illius: nec est ratio, cur intellectio sui excipiatur. Quin potius ratio obstat: nam si qua ratio esset, id certè esset propterea quod nunquam non se intel

S. Dionys.

intelligit, aut certè quia id ad perfectionem eius pertinet. At vtrumque falsum est: nam & Angelum cessare posse, & re ipsa interdum cessare ab ipsa sui intellectione ostendam infrà suo loco. Nec potest ad eius perfectionẽ pertinere, quod eius perfectioni repugnat, quia signum esset maximæ simplicitatis, quæ illi non conuenit, ne creatura æquipararetur Deo. Etenim ideò Deus se intelligit, & alia omnia actu non ab essentia distincto, quia ens simplicissimum, atque omni ex parte perfectum nullam admittit sibi hærentem formam, qua eius substantia perfici absoluíque possit. At Angelus non est simplicissimum ens, cum ei aliquæ huiusmodi cognitiones hærent, vt ostendimus. Nec omninò quid perfectum infinitè est, cum sit creatura. Quare perfici absoluíque etiam in sui cognitione per aliquam formam potest, vt apertè deinceps probabitur. Ergo illi repugnat; quod talem habeat sui notitiam.

Quod si dicas, Deum intelligere seipsum non ex eo quòd est maximè simplex; sed ex eo quòd est substantia immaterialis completa, & per se subsistens. Quod ipsum etiam in Angelum congruere potest. Contrà est: quia quæro, vnde hoc certum sit. Neque enim quicquam philosopho licet gratis affirmare. Sanè Deus ideò nullius vlterioris perfectionis est capax, ac proinde nec intellectionis, quæ ab ipso distincta sit; quia est actus purus. Alioquin admixtam haberet aliquam potentiam formarum, perfectionúmque susceptricẽ. Solùm enim hæc duo inter se ita aduersaria sunt, vt affirmato vno negetur alterum; & contrà: nempe actus purus, & potentia vlterioris perfectionis capax. Vnde rectè A. Doctor in hoc articulo, hæc tanquam inter se ex aduerso pugnantia opposuit vt diceret impossibile ea esse simul; &; si vnum negetur, alterum affirmandum esse. *Impossibile est autem* inquit *quod aliquid quod non est actus purus, sed habet aliquid potentiæ admistum sit sua actualitas, quia actualitas potentialitati repugnat.* Immò eodem modo philosophatum de Deo esse Aristotelem patebit sequenti Difficultate in 3. Notando.

A. Doctor.

Sed detur, hoc verum esse, tamen si ex notis philosophandum sit, potiùs dicendum contrà est; cum videamus animum nostrum intelligentem, se notitia distincta intelligere ex eo quod admittit sibi hærẽtes cæteras cognitiones. Vnde rectè infertur: Nulla intelligens natura creata quæ sit potentia ad intelligenda quæuis obiecta cognoscit seipsam cognitione à se non distincta. Ergo neque Angelus, cum id sit proprium naturæ infinitæ ob maximam eius simplicitatem.

Confirmari potest hæc ratio ex modò dictis de peccato Angelorum, quorum voluntas fuit peruersa, dum inordinatè seipsos Angeli dilexerunt. Ergo in seipsos nouam habuerunt voluntatem. ergo & cognitionem sui. Antecedens patet: nam vt infrà dicam appetierunt se esse vt Deus: ergo in se ipsos voluntas fuit inordinata & mala. Consequentia illa probatur: quia aliter seipsos conspexerunt, cum se amarunt ordinatim ad Deum in primo instanti suæ creationis; aliter cum se supra Deum extulerunt, & indignati sunt Deo se esse subiectos in secundo instanti. Ratio per se clara est; quia vt se amarent propter Deum, debuit ex parte intellectus id proponi ac repræsentari voluntati, vt ita ten-

A deret in suum obiectum quod est bonum cognitum, vt dicitur in 1.2. quæstione octaua. Vt verò se extollerent supra se, debuit repræsentari tanquam bonum hoc ipsum quod est se extollere.

Quæ causa est vt A. Doctor infrà quæstione sexagesimatertia a. 2. c. dixerit in Angelo non potuisse esse primum peccatũ inuidiæ, eo quod *bonum alterius non poterat æstimar. impedimentum boni affectati per Angelum malum, nisi inquantum affectauit excellentiam singularem.* vt ibidem fusiùs disputabo. Ergo varia tunc fuit cognitio circa se ipsum in Angelo. quandoquidem varia fuit sui ipsius repræsentatio. A. Doctor.

Quartò probatur notitiam qua se cognoscit

B Angelus, esse ab ipso distinctam ex natura rei: Quia si notitia ista esset idem re cum Angeli substantia, eadem ratione dilectio qua se diligit esset idem re cum eadem substantia. Hæc enim duo pari passu procedere patet inductione tum in Deo tum in nobis, & proportione quadam in cognitione brutorum. At consequens est falsum; quia Angelus non potuisset se nunc plus nunc minus diligere; quia nec substantiam cum qua idem est actus, nunc plus nunc minus habet. vt dicam infrà in explicatione rationum, quibus hic vsus est A. Doctor. Ergo Diabolus nõ immoderatè se dilexisset cum peccauit; quia non magis se dilexisset, quàm ad eum amorem

C naturâ cum qua idem fuisset ille actus cogebatur, ac proinde nec immodico nec peruerso sui amore peccasset: cuius oppositum docuit sanctus Augustinus libro secundo super Genes. ad lit. capite vigesimoprimo & vigesimosecundo, & libro decimoquarto de Ciuitate Dei, capite vltimo. Præterquàmquod non fuisset liber actus, nec in potestate diligentis, si idem cum essentia fuisset.

Denique probatur nullam cognitionem naturalem esse idem cum substantia ex dictis. Propterea quod cognitio eorum quæ sensa animi sunt siue secreta cordium ab Angelis non cognoscuntur, vt dicam suo loco. Ergo etiam ad

D cognitiones naturales sunt potentia. Præterea, quia si cognitio suiipsius Angelo inest tanquam forma distincta ex natura rei ab eius substantia. Ergo multo magis illi intelligendi actus distincti ab ipsa erunt; quibus alia obiecta cognoscuntur, quia hæc minus applicata sunt, ac proinde minorem connexionem habent cum Angelico intellectu, vt antè in primo nostræ propositionis argumento dicebamus.

Referri potest etiam pro hoc nostro Corollario quidam articulus Parisiensium, in quo damnatur contraria sententia. Quem articulum sic refert Gregorius in 2. d. 3. quæstione secunda Gregorius.

E articulo tertio. *Quod substantia Intelligentiæ non differt à scientia eius. ubi enim non est diuersitas intellecti ab intelligente, nec diuersitas intellectorum. Error.* Quare existimarunt hi Doctores, in quacunque notitia esse distinctionem realem siue ex natura rei à substantia Angelorum. Verùm quid sentiendum sit de his articulis, suprà dictum est à nobis, vt eadem necesse non sit rursus afferre.

***

Non

Non rectè negari cognitionem Angeli esse quid absolutum ab eius substantia distinctum: & satisfit argumentis primæ sententiæ. §. 5.

Durandus. Colligitur secundò nec Durandum, nec cæteros auctores, qui negarunt cognitionem in Angelo esse aliquid absolutum realiter à potentia distinctum, rectè sensisse. Ac primum quidem de Durando res est manifesta ex dictis. cum probatum sit etiam Angeli cognitionem circa se non esse idem ex natura rei, seu realiter, vt ipse loquitur cum Angelica substantia.

Præterea, quia nec eius ratio satis erat, qua moueretur Durandus vt eam doctrinam profiteretur. Cum enim ait, nullo argumento conuinci, vt dicatur potentia Angeli distingui realiter ab eius essentia, dupliciter id potest intelligi. Vno quidem modo, vt non possit adduci ea demonstratio, quæ ex principiis constet omninò certis ac necessariis ita vt intellectus necessarium eliciat assensum ob obiecti euidentiam. Et sic vix quicquam de rebus à sensibus longè remotis haberi certum potest; præsertim vbi nihil nobis diuina fides subministrat. Nam vt ait Aristoteles libro primo de part. animal. cap. 5. initio. *Partem illam æternam ac proinde nobilem ac diuinam minus contemplari propterea possumus, quod admodum pauca illiusmodi sensui patent, quorum beneficio tum de ipsa parte diuina, tum de iis quæ nosse cupimus, facultas nobis cogitandi indagandique suppeditetur*, vt etiam suprà in aliam occasionem dictum est. Altero modo vt certæ sint propositiones ac principia in quorum cognitionem deueniamus ex paritate rationis ad ea, quæ hîc nobis perspecta sunt. Qua ratione circa ea philosophandum esse monet Aristoteles eodem iam citato loco cum ait: *Hæc inferiora quia cognosci pleniùs possunt, idcircò præstantiam sibi scientiæ vendicare.* & præterea *quod & nobis propria, & naturâ familiariora sunt aliquid cum rerum diuinarum studio rependunt atque compensant.* Quare ex iis quæ nobis perspecta sunt rerum diuinarum studia diriguntur. Vnde & libro primo Physicor. cont. 2. ait: *Ex manifestioribus nobis ad ea quæ manifestiora natura sunt procedere necesse esse.* Quam philosophandi rationem in primis commendat Aristoteles libro septimo Metaphys. cont. 10. *Prodest* inquit *transcendere ad notius. Ita namque disciplina fit omnibus per minus nota natura ad magis nota.* Et hoc pacto si sufficiens ratio fuit Durando, asserere intellectum & voluntatem animi nostri esse facultates ab eo distinctas; vt ipse videtur insinuare in 2. d. 32. q. 3. n. 6. cum ait, *has potentias respicere essentiam animæ tanquam proprium & per se subiectum cui insunt inseparabiliter*; nempe naturaliter. *unde sunt in anima separata sicut in coniuncto.* Ergo fuisset illi sufficiens quoque ratio idem de natura Angelica sentiendi. cum & sæpè illud Aristotelis in memoria reuocandum nobis sit (quod etiam sæpè hactenus fecimus) libro 2. de cœlo cont. 102. & libro 3. cont. 24. *Sola hæc ponenda sunt rationabiliter quæcunque in multis aut in omnibus videmus esse.* Non ergo defuisset illi ratio nisi eidem suorum dictorum memoria defuisset.

Aristoteles. Aristoteles. Aristoteles. Durandus. Aristoteles.

A De cæteris verò nunc probandum est, ipsos non rectè philosophatos in prima sententia. quia si volunt variari solum respectum actus ad obiectum, ipsamque cognitionem absolutam eandem remanere, facilè redargui possunt. Nam solus respectus si mutetur non facit aliam & aliam cognitionem. Vt si in mea cognitione varietur, quod sit alteri similis vel dissimilis, non aliter repræsentabit nisi obiectum suum: neque erit alia atque alia cognitio si respectus ad obiectum sit alius atque alius; Vt si dum ego intelligo lapidem aut saxum quod ingens viderim proiici in fundamenta Templorum, siue ab eo loco recedam, siue ad illum accedam ita, vt B ad illum sit varius respectus, eadem tamen erit cognitio modò meæ intelligentiæ per eandem speciem referatur. Vel certè explicandum ipsis est quisnam debeat esse ille respectus, ex cuius variatione diuersa existit cognitio. Aut enim huiusmodi respectus accidit cognitioni, aut cognitionem constituit in suo esse. Si primum: ergo substantiam cognitionis specificam non variat. Si secundum: fatebor quidem ipsam substantiam cognitionis variari: sed tamen tunc non potest esse purus respectus. Quia si constituit cognitionem, ergo eius respectus esse, non est solum ad purè referendum subiectum ad aliud, sed etiam C est, vt repræsentando obiectum perficiat intelligentis intellectum. Ergo nō est purus respectus; sed etiam repræsentatio obiecti, ac proinde concedent quod nos contendimus in præsenti; nempe cognitionem in Angelo esse quid absolutum non purum respectum; quia concedent esse repræsentationem imaginémque obiecti. Præterquam quòd respectus non potest cognitionem variare, nisi simul varietur repræsentatio obiecti. nam quodcunque aliud ponatur aut in subiecto aut extra subiectum, nullam varietatem ponet in cognitione, nisi varietur ipsa obiecti repræsentatio, quæ est ipsa cognitionis D substantia, non pura relatio. Variabitur ergo cognitionis substantia non extrinseca relatio.

Ex his respondetur ad argumenta primæ sententiæ. Ad Durandi auctoritatem patet ex dictis in primo Corollario. Ad primum argumentum aliorum bene respondent Gregorius & Capreolus locis citatis negando sequelam. Neque enim est necesse, vt omnis forma absoluta quæcunque illa sit, habeat à se dependentem operationem. Nam quantitas est forma absoluta, quæ tamen actiua non est. Quod probant ex Auerroë libr. 4. Phys. com. 54. Meliùs probassent ex Aristotele libr. 2. de Generat. cont. 53. vbi ait: *Materiæ esse pati & moueri, mouere autem & facere* E *alterius potentiæ*: & tamen materia est quid absolutum non purus respectus.

Gregorius. Capreolus. Aristoteles.

Ad secundum esto Deus possit separare omne absolutum, nego tamen posse ita absolutum separare, vt separatim à subiecto sit; cuiusmodi sunt omnes formarum modi, & ea omnia si quę alia sunt, quæ à subiecto distinguuntur modaliter; vt est figura à quantitate, subsistentia à substantia & alia huiusmodi. Nos autem hîc non contendimus cognitionem esse tale ens, vt possit esse separatim ab anima, seu ab intellectu Angeli. quasi ab eo distingui debeat tanquam res à re. Satis enim sit, si non sit idem re seu ex natura rei cum Angeli substantia, eo quod hæc substantia notitias suas sibi superadditas habeat; siue di-

stinguantur ab ea modaliter, siue realiter tanquam res à re. Quod in præsentia nolumus definire, cum ad quæstionem non faciat.

Aristoteles. Ad tertium dico, Aristotelem semet quo sensu pati intelligat explicare. Ait enim non pati secundum eum modum, *quo diuisum est prius*, Vt ita alterum genus passionis sit alicuius rei corruptio: alterum verò solummodo alicuius perfectionis productio. Quod docuit libro 2. de An. cont. 57. vbi ipsum pati diuiserat ita vt sit *aliud corruptio quædam à contrario, aliud autem salus magis eius quod est potentia ab eo quod est actu*. & tali modo ait speculantem pati, de quo docet *quod quidem aut non est alterari. in ipsum enim additio est & in actum*; nempe sine eo quod quicquam deperdatur. *aut alterum genus alterationis est*. Ait ergo Aristoteles in eo libro 3. de An. cont. 14. intellectum nō pati primo genere passionis. Nam in altero genere concedit aperte debere ipsum pati. Eodem enim libro 3. ibi cont. 17. & 18. apertè docet intellectum potentiâ, omnia fieri ab eo intellectu qui actu est. Est generatim certum est apud Aristotelem, quæ potentia sunt, *omnia pati & moueri ab actiuo & actu existente*; vt docet lib. 2. de An. cōt. 54. Idémque dixerat lib. 3. Phys. cont. 17. lib. 2. de Generat. cont. 53. & lib. 9. Metaphys. cont. 10. Patitur autem sine formarum connaturalium amissione. Et hoc est quod ibi ait Auerroës pati *sine translatione*; nempe de sua connaturali forma ad aliam repugnantem, cum huiusmodi passio perficiat, nihil detrahat de subiecti perfectionibus. (Aristoteles. Auerroës.)

Ad Aristotelem de Intelligentiis respondebo quæsito vltimo; vbi eius mens discutietur in vtramque partem.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm ostendi possit ex ratione A. Doctoris suprà allata tanquam naturæ euidentibus principiis, intelligere Angeli non esse eius essentiam seu substantiam, & an possit afferri ratio euidentior.

DVplicem ex A. Doctoris præsenti articulo in eius explanatione suprà attulimus rationem. Alteram quidem; quia impossibile est vt creatura quæ non est actus purus sit sua actualitas, ac proinde vt sit sua operatio. Alteram verò, quia intelligere Angeli esset subsistens, nec à Dei intelligendi actu differret. ex quibus duo absurda deducebantur; vt ibi vidimus. De his ergo argumentis quæstio in præsentia est quam proposuimus.

Gregor. de Valentia. Partem negantem sequuntur plures recentiores. Nam Gregorius de Valentia vbi suprà, subtili vt solet philosophandi ratione apertè negat probari posse; atque satis esse ad hanc conclusionem probandam Theologicas rationes. Hinc occasionem arripit ostendendi A. Doctoris argumenta firma non esse. Ad primum enim ait, eo tantum probari, substantiam creatam nō esse omnem suam actualitatem. quia potentialitati non quæcunque actualitas repugnat; sed ea dūtaxat actualitas, quæ faciat actum omni ex parte purum, omnéque ens simpliciter perfectum

A in omni genere. Qua ratione solum ens simpliciter infinitum nempe Deus, est actus purus. Quamobrem quia creatura non est huiusmodi, nihil obstare ait, quominus creatura sit sua actualitas in operando; simúlque sit potentia ad varias perfectiones. Atque ita ex hac actualitate in operando negat A. Doctoris argumento sequi creaturam fore actum purum. Ad secundum verò ait se non videre quo pacto probetur ab A. Doctore si intelligere Angeli sit subsistens, fore vt sit vnum néc distinctum ab ipso Dei intelligere: si quidem intelligere Angelicum creatum esset, Dei autem increatum. Negat ergo sequelam. Sicut enim natura vnius Angeli est subsistens & differt ab natura cæterorū: Ita & intel-

B ligere, esto sit subsistens; differret à Deo cæterísque. Similiter & ad aliam sequelam dicit, ipsos Angelos fore magis ac minus perfectos secundum varios gradus; quemadmodum ipsæ naturæ subsistentes; plus, minúsve propriæ perfectionis participes essent.

Molina. Vasquez. Ad hanc ipsam sententiam videntur accedere alij doctissimi Theologi, vt Molina & Vasquez locis suprà citatis. Nam silentio prætereunt omnes prædictas rationes opinor quasi eæ dignæ non sint, quarum consideratio habeatur. Atque hic quidē nullas alias addit aut suas aut aliorum. ille verò triplicem profert. Sed an ex lumine tātum naturæ, incertum. Primò qui-

C dem probat, quia Angeli operatio est actus vitalis, mentisque verbum. Substantia autem Angeli non est huiusmodi: ergo non sunt idem ex natura rei. Secundò, quia Angeli non semper intelligunt; ergo actio est separabilis, ac proinde non idem cum natura. Tertiò, quia volitio Angeli non est idem ac substantia Angeli: ergo neque intellectio. Antecedens probat, quia alioqui Angeli non essent libero præditi arbitrio; quod est absurdum.

Caietanus. At Caietanus aliter obiicit Angelicis rationibus; vt eas ex impugnationibus reddat validiores. Et primò quidem sic obiicit aduersus illam propositionem suprà relatam; Nimirum *Im-*

D *possibile est aliquid, quod non est actus purus, sit sua actualitas*. Seu, quod idem est: *Solus actus purus est sua actualitas*. Quia hæc propositio si formaliter intelligatur, habet repugnantiam ex ipsis terminis. Nam si actus purus est sua actualitas formaliter; ergo in illo actu puro actualitas, alicuius potentiæ actualitas erit. Actualitas enim respectu alicuius potentiæ est actualitas: Ergo si actus puri sit actualitas, in eo debet esse potentia, cuius esse possit actualitas; & sic actus purus non erit actus purus. Sin autem non sumatur formaliter, sed materialiter tantum illa propositio, sequuntur duo incommoda: ex quibus vnum ego tantùm refero, quod ad rem spectare puto;

E quia scilicet si solus actus purus est sua actualitas, id est operatio, de qua tanquam de materia disputatur hic: *est* inquit *petitio principij*; quia hoc negant aduersarij; vt Auerroës lib. 12. Metaphys. com. 25. Nam dicunt etiam illas substantias quæ non sunt actus purus; nempe Intelligentias orbium cœlestium motrices esse suam operationem. Alia etiam multa obiicit, quę apud ipsum videri possunt. Prætermitto etiam nonnullorum aliorum argumenta, qui apud Capreolum in 2. d. 3. q. 2. a. 2. ad initium contra 1. conclus. labefactare conantur prædictam doctrinam. Ea autem prætermitto, ne transferam ad alias non huius

huius materiæ difficultates quæſtionē. Eò enim tendunt, vt probent intelligere non eſſe actionem ſed paſſionem, quia intelligere eſt quoddam pati.

A. Doctor. Partem tamen affirmantem ſequitur A. Doctor in hoc art. qui eas rationes vt validas propoſuit: Quia initio corp. art. prædictis rationibus oſtendere aggreditur tanquam impoſſibile Angeli ſubſtātiam eſſe ſuam operationē. Quam Capreolus. etiam partem ſequitur Capreolus; dum art. 3. ibidem ad argumenta contra 1. concl. tuetur prædictas rationes; & cæteri Thomiſtæ, quib. idem propoſitum eſt.

Albertus. Ad has quoque rationes mihi videtur accedere ratio Alberti in Sum. Theolog. 2. p. tract. 4. m. 2. Ibi enim contendit ſolum Deum qui eſt actus purus, eſſe ſuum intelligere. *Dicendum* inquit *quod hoc ſoli Deo conuenit, quod ipſe eſt quicquid habet: eo quod ſibi ſoli conuenit, quod in ipſo eſt, idem penitus quod eſt & eſſe, & quod quicquid in ipſo eſt idem cum ſubſtantia ipſius.* Quare videtur huius identitatis eam cauſam aſſignare, quod Deus eſt ſuum eſſe. Hoc autem eſt eſſe actum purum. Id enim quod eſt ſuum eſſe eſt adeò actus purus, vt ne potentia quidem ſit ad actum, qui primus omnium eſt, nempe ad ſuum eſſe, quod cæteris omnibus actibus præſupponitur tanquam eorum baſis ac fundamētum. Idem puto voluiſſe Alexander. Alexandrum 2. p. q. 21. m. 1. ad 3. Ait namque, quia in Angelo *non eſt omnimoda ſimplicitas, ideò non eſt idem potentia quod eſſentia omnino.* Cauſam ergo refert in ſimplicitatem perfectiſſimam, cur potentia & eſſentia non ſint idem: idémque à fortiori diceret de operatione. Simplicitas autem perfectiſſima idem eſt quod pura actualitas ſeu purus actus, quia ſimplicitas vt actualitas excludit omnem potentiæ ſuſceptricis rationem; ex qua tanquam ex origine cōpoſitio in rebus exoritur. Hæc enim fundetur oportet in ratione potentiæ ſuſceptricis, ex qua & eius actu componitur quicquid conſtat ex pluribus. Idem ergo videtur ſimpliciſſimum ens & actus purus, eo quod vtrūque immediatè & per ſe primò quamcunque compoſitionem ex pluribus reſpuit, eique opponitur.

Ariſtotelæus mos in philoſophando de iis quæ à ſenſibus remota ſunt, idémque A. Doctoris. §. 1.

AD ſolutionem Notandum eſt, ad philoſophandum circa res quæ omninò à ſenſibus noſtris remotiſſimè degunt, illud in primis conferre quod ſupet. Difficult. in ſecundo Corollario ex Ariſtotele monuimus; vt ſcilicet de iis nihil ſtatuatur gratis & pro arbitratu; ſed quod ex notis nobis præſertim ex analogia ad hæc inferiora comprobetur. Quod quidem perpetuò ab Ariſtoteles. Ariſtotele & A. Doctore video eſſe ſeruatum. Ac de Ariſtotele quidem patet. Is enim cum de immortalibus ſubſtantiis ſiue de cœlo ſiue de eius motoribus diſceptauit, ne latum quidem vnguem ab hac regula receſſit. Nam libro 1. de cœlo vt cœli naturam inueſtiget, principium illud ſtatuit, vt fundamentum totius diſputationis; quod ex inductione ſolùm inueſtigari, ſcirique à nobis poteſt; nempe *cuilibet corpori ſimplici deberi motum ſimplicem*; vt patet ex cont. 7. & 8. Ex quo motu ſimplici, quia id in cęteris notum eſt, deducit deinde cœlum eſſe ſimplicis ſubſtantiæ.

Item cum eiuſdem libri cont. 17. definiuiſſet: *Graue eſſe quod ferri natum eſt ad medium; leue autem quod à medio*; quæ non aliter perſpecta ſunt quam ex ſenſibus, quibus ita apud nos in corporibus videmus accidere, concludit in cont. 18. cœlum nec graue eſſe, nec leue: quia in gyrum conuoluitur. *Corpus igitur* inquit *quod circulariter fertur impoſſibile eſt habere grauitatem aut leuitatem.*

Similiter vt idem cœlum omnis expers corruptionis affirmet, duo aſſumit principia, quæ ſolo experimento certa ſunt; & ex proportione ad nobis nota cognoſcuntur: quia *quod corrumpitur, corrumpitur ex contrario.* hoc vnum eſt in cont. 20. Vnde quia cœlo nihil eſt contrarium; quia nec eius motui orbiculato vllus eſt contrarius motus, negat cœlum poſſe corrumpi. Alterum in cont. 22. ibidem: quod *in omni præterito tempore ſecundum traditam inuicem memoriam nihil videtur immutatum.* ergo non eſt corruptibile. In libro etiam 3. Phyſ. cont. 32. vt dubitaret An detur infinitum, ait id videri eſſe extra cœlum vbi eſt ſpatium infinitum. Ex quo cōficit vt hoc ipſum improbet, ſequi vt inibi ſit corpus infinitum ex paritate rationis ad ea, quæ hic apud nos cernuntur. Nam ſpatium illud infinitum debuit repleri corpore; ſicut apud nos ſpatia omnia corpore aliquo complentur. *Infinitum* inquit *cum ſit quod extra eſt, & corpus infinitum eſſe videtur. Cur enim magis vacui hic quam ibi. Quare ſi vno in loco, & vbique neceſſe eſt eſſe molem.* Idem patere poſſet alibi ſexcentis in locis.

Quibus tamen ſi proteruus quiſpiam obſtinatè ſe vellet opponere, nec rationabili cauſa vti, ex his Ariſtotelæis argumentis non reuinceretur proteruitas. Negabit enim vnicuique corpori ſimplici deberi motum aliquem ſimplicem; nec tametſi corporis orbiculati motui concedat nihil eſſe cōtrarium; idcircò admittet cœlo non eſſe contrarium; & ſic de cæteris. Quod quoniam omninò rectam philoſophandi rationem tolleret è medio, viámque philoſophis obſtrueret ad veritatem, meritò qui ſic diceret, exſibilandus è veritatis Republica eſſet. quippe vt rectè monet Ariſtoteles lib. 4. Metaphyſ. cont. 9. Ariſtoteles. *Ridiculum eſt quærere rationem ad eum, qui nullius habet rationem, quatenus nullam habet rationem.* Atque hic quidem modus conſuetus fuit Ariſtoteli in philoſophando de cælis, cæteriſque rebus abſtrúſis. De diuinis etiam rebus nec diſſimilis eſt ratio. Pro qua re

Notandum ſecundò, cum nullum ſubſtantiale ens in Mundo ſit, quod ſua actione non conſpiret in vniuerſi bonum, dum vnumquodque in ſuum finem tendit; quia *Deus & natura nihil fruſtrà faciunt*: ex libro 1. de cœlo cont. 32. Ideò miro artificio Ariſtoteles ex hac inductione Ariſtoteles. ſenſibus perſpecta docuit libro 12. Metaphyſ. cont. 48. non eſſe, nempe ſparſim in cœleſtibus orbibus alias Intelligentias præter eas quæ cœlum voluunt. *Si omnem* inquit *naturam, omnémque ſubſtantiam impaſſibilem* nempe ſeparatam, *& per ſe arbitrari oportet optimum ſortitam finem eſſe, nulla profectò præter has alia natura erit*; ne ſcilicet in iiſdem orbibus infructuoſæ otiarentur. Quo argumēto Ariſtoteles eodem libro cont. 30. Ideas Ariſtoteles.

Platonis irriserat illis verbis: *Nulla igitur vtilitas erit ne quidem si perpetuas substantias faciamus, quemadmodum qui faciunt formas, id est Ideas illas Platonicas.*

Quæ quidem Aristotelis ratio non est ita accipienda, ac si ex eius mente conficeretur, nullo modo posse plures Angelos esse quàm sint orbium cœlestium motores. Id enim suprà validè reiectum à nobis est, cum ostendimus, multò plura Aristotelis opinione Deo esse possibilia quàm facta sint; sed vt ibi dixi ita intelligi debet, vt neget eos sparsim in singulis orbibus esse; nimirum ita vt quia solo lumine naturali insistendum illi fuit, nulla illi visa sit ratio; vnde eius generis plures substantiæ sparsim in cœlis degere affirmentur. Atque ideò Aristoteles initio eius contextus 48. non dixit impossibile esse plures dari Intelligentias; sed ex cœli motibus sic conclusit: *Quare substantias quoque & principia tum immobilia, tum sensibilia, tot rationabiliter arbitrandum est esse.* Non ergo absolutè & simpliciter, sed quantum natura duce ex notis assequi potuit, negauit plures esse. Alioqui non posuisset particulam *rationabiliter.* Dixi quoque *eius generis*; nempe quæ in prædictis cœlis immobiles sunt, ac nulli dæmonum muneri destinatæ. nam quod attinet ad eosdem dæmones ex Aristotelis sententia suprà constitutum à nobis est satis.

Aristoteles. Idem philosophandi mos apud Aristotelem cernitur eodem lib. 12. Metaphys. cont. 49. cum asserit non esse plures primos motores quia differrent numero, quod negat in substantiis separatis à materia esse posse. eò quòd *quæcunque multa numero materiam habent.* Id enim non potest ostendi nisi ex eo, quod videmus multiplicari indiuidua substantialia ob materiam. propterea quod vt dixit lib. 2. de An. cont. 35. cum *nihil contingat corruptibilium idem & vnum numero manere* institutæ generationes sunt, vt in eadem materia multiplicarentur indiuidua ad speciem conseruandam, cùm ipsa per se perpetuò consistere nequeant. Est itaque argumentum ab iis quæ nobis nota sunt inductione ac sensu. Quod obseruatum quoque esse ab A. Doctore à nobis supra q. 50. a. 4. dictum est. Atque hæc quidem in eo cont. 49. Alibi tamen ex necessariis omninò argumentis ostendit, non esse plures primos motores simpliciter; hoc est plures Deos, ex eo quod *non est bona pluralitas principatus*; vt patet ex iis quæ docet ad finem libri 12. Metaph. Aristoteles.

Aristoteles. Haud dissimili ratione philosophatus est Aristoteles de ipso Deo eodem libro context. 51: vt probaret Deum aliquid intelligere. Eius aurea ratiocinatio est huiusmodi. *Si nihil intelligat, sed ita se habeat vt dormiens, quidnam præcellens erit?* Quia scilicet videmus ea quæ sunt intelligendi facultate prædita, perfectiore modo se habere cum aliquid intelligunt, quàm cum intellectionem nullam habent, cum operatio cuiusque rei propria sit vltima eius perfectio finisque vltimus; Ideóque eadem operatio dicitur ab Aristotele actus secundus lib. 2 de An. contex. 2. adiuncto 3. & 6. vt obseruauit A. Doctor 1. 2. q. 3 a. 2. c. Ergo constat Aristotelem in rebus etiam diuinis eo modo philosophandi esse vsum; nempe ex iis quæ in cæteris videmus. quandoquidem argumentum sumpsit ex iis quæ per suam propriam operationem perfectionem consequuntur, vt ostenderet Deum qui est ens perfectissimum, debere habere operationem suam, ne illi desit ea perfectio, quæ in cæteris omnibus vltima absolutio est.

Aristoteles. Verumtamen non negamus Aristotelem argumenta etiam necessaria adhibuisse, vt Deum intelligere se ipsum demonstraret. Nam eodem cont. 51. concludit de Deo: *se ipsum ergo intelligit, si quidem quod optimum est; & est intellectionis intellectio.* Vbi ex eo quod Dei intellectus est perfectissimus, paulò antè deduxerat id circa quod versatur diuinus intellectus esse *quod diuinissimũ, honorabilissimúmque*, &c. Ex eo autem quòd Deus est purissimus actus & intellectio, optimúmque ens in vniuersa rerum natura, tandem conficit debere intelligere se ipsum, & esse intellectionem intellectionis. Quod argumentum etiam posuit Aristoteles libro 10. Ethic. c. 8. de qua re suo loco infrà. Ex his ergo vniuersè concluditur in inuestigandis rebus abditis eam philosophandi rationem Aristotelem sæpè complexum esse, quæ nos ex sensatis ad ignota congrua ratione perducat. Hæc dixisse volui, ne facilè quis in eorum opinionem incideret, qui existimant id omne quod Aristoteles de rebus à materia abiunctis docuit dictum esse, quòd nullo pacto aliter esse posse iudicauerit; non autem quòd id sæpè docuerit, propterea quòd ex rebus notis congrua philosophandi ratio id suaserit. Quod in sequentibus etiam fusiùs dicetur. Vt autem idem ostendamus de A. Doctore.

Notandum tertiò; Quia id sæpè de ipso tractatum suprà est; vt q. 50. a. 1. & 4. & alibi, breuiter vnum aut alterum locum nunc notari oportere, vt eandem rem vberius atque luculentius explicemus. Ac primum quidem in hoc ipso articulo id animaduerti commodè potest. Vt enim probet Angeli substantiam non esse suam actionem, primum axioma ex rebus sensu perceptis statuit sic; *Actio est propriè actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantiæ vel essentiæ.* Quo in axiomate huius articuli ratiocinatio nititur, vt sicut creatura non potest esse sua actualitas, ita nec sua actio. Quod quidem non minùs verè quàm subtiliter rem propositam demonstrat; non tamen ita vt si quis illud procaciùs neget, possit ei aliunde probari, quàm quòd ita inductione exploratum est; vt patet in corporibus. Idem patet ex art. 2. q. seq. vbi ostendit Angelos non intelligere per species à rebus acceptas, eò quòd Angeli quia in genere substantiæ spiritualis præcipui sunt, debent naturaliter esse perfecti quoad facultatem operatricem. Quemadmodum corpora cœlestia, quia in genere substantiæ corporatæ sunt pręcipua, se ipsis perfecta naturaliter sunt, habéntque quodcunque requiritur ad suam operationem. Quæ quidem ratio & ingeniosissima est & vera vt dicam in eo loco; non tamen quæ sufficiat irrationabilem philosophandi modum euidenter euincere abſque vlla prorsus dissensione intellectus. Similiter idem confirmabitur ex aliis locis, dum eorum explicationem aggrediemur.

Quocirca ad rem propositam dico; Si hæc qua de agimus A. Doctoris ratio ita concluderet, vt ex principiis sensu notis eius intellectum ad assensum traheret; qui nollet peruersè in philosophia ratiocinari, eam ratiocinationem diceret, & conflari ex naturalibus euidentibúsque principiis, & optimè suam conclusionem deducere,

deducere, modò cætera non desint. Quandoquidem neque is philosophandi modus ab Aristotelæo dissentit, nec dissimilis est argumentatio iis rationibus, quæ iure optimo tanquam demonstrationes naturales habentur; quæ tamen certioribus principiis non nituntur. Id tamen non propterea dixerim quod putem hác A. Doctoris rationem intra horum cancellorum angustias contineri; sed solùm vt nemini obscurum sit, si talibus conditionibus argumentatio prædita sit, eam non indignam esse, vt demonstrationis loco habeatur.

Angeli operationem non esse eius substantiam realiter, ostendi validè argumento A. Doctoris nempe eo quòd Angelus esset actus purus ac Deus. §. 2.

AD difficultatem ergo propositam respondetur; Et sit

A. Doctor. Vnica propositio. Ratione A. Doctoris ostenditur tanquam ex naturalibus euidentibúsque principiis, Angeli essentiam seu substantiam nō esse suam operationem. hoc est ab Angelica substantia distingui operationem ex natura rei, nempe separabiliter. Probatur nostra propositio: Et quia tota difficultas in eo sita est vt appareat verum esse, Angelicam substantiam quæ non est actus purus non esse suum intelligere, quia esset actus purus & Deus, & careret omni potentialitate: Ideò id in præsentia solùm ostendere conabor. Cætera enim clara esse nemo dubitare poterit; vt quod solus Deus sit actus purus: & quod operatio sit aliqua actualitas, &c.

Probatur ergo: & sic formo ratiocinationem. Omnis illa substantia completa, quæ caret omni potentialitate est actus purus & Deus. Sed si Angelica substantia esset suum intelligere, esset substantia completa & careret omni potentialitate. Ergo si Angelica substantia esset suum intelligere, esset actus purus & Deus. Maior nota est ex terminis: quia substantia completa est actus: esset etiam purus, si illi nihil potentialitatis admistum est. Idcircò enim dicitur actus purus: quia in ipso nihil est potentiæ ad recipiendum. Purum enim est id, quod nihil de extranea re habet admistum. sic dicitur purus homo, purum aurum, &c. Actui autem nihil extraneum est præter potentiæ rationem ac naturam. Quicquid enim potentia non est, actus est. Idcircò enim tanquam membra adæquatè opposita Aristoteles libro 8. Phys. cont. 40. censuit idem non posse simul esse actu & potétia. Alioqui si actus non est quicquid potentia non est, non se excluderent tanquam adæquatè opposita. Actus ergo purus est, quod nihil de potentia, quæ sola extra actus rationem est, admistum habet. Verum ergo est actum purum esse eum, cui nihil inest potentiæ, nempe susceptricis.

Quod ratione etiam patet à posteriori: Quia Deus non alia ratione dicitur actus purus, nisi quia est actus sine vlla ratione potentiæ, vt patet ex A. Doctore suprà q. 4. a. 1. præsertim ad 3. & alibi sæpe. Ergo actus purus nihil potentiæ

A habere debet; Quo etiam pacto ibidem A. Doctor, materię primæ quæ est potentia ad omnia, contraponit Deum, qui est actu omnia.

Minor probatur: Et quod Angelica substantia esset aliqua substantia completa patet; quia non desineret esse Angelus vt ponimus; ergo esset substantia completa. Quod verò esset aliquis actus non est dubium; quandoquidem id omne quod in actu est, oportet vt sit aliquis actus & aliqua perfectio. Per actum enim est quicquid actu est & actum habet, vt patet ex eodem loco A. Doctoris; & 1. 2. q. 3 a. 2. c. ergo etiam ipsum debet esse aliquis actus, præsertim si sit substantia simplex & forma quædam quales sunt substantiæ incorporeæ. Quod etiam careret omni potentialitate probatur: Quia omnis

B perfectio substantiæ completæ & immaterialis debet omninò esse ad perfectam operationem. Hoc primum patet ex Aristotele libro 2. de cœlo cont. 17. *Vnumquodque inquit eorum quorum est opus est gratia operis.* id est propter operationem. seu vt alij dicunt est propter operari tanquam propter finem; vt etiam probat A. Doctor q. 65. a. 2. & q. 105. a. 5. Aristoteles.

Hinc etiam idem A. Doctor 1. 2. eodem loco ostendit vltimum hominis finem, nempe beatitudinem oportere esse operationem aliquam. *Necesse inquit est dicere quod beatitudo hominis sit operatio.* eo quòd finis cuiusque rei est operatio. A. Doctor.

C Quo etiam pacto Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 7. cum dixisset felicitatem esse vltimum finem, eam consistere docuit in operatione.

Denique omnem actum primum esse ad actum qui est operatio, expressè docet 1. 2. codé loco A. Doctor; atque ideò ab Aristotele lib. 2. de An. cont. 2. & 3. dici actum secundum. Vnde idem Aristoteles lib. 9. Metaphys. cont. 15. *visum* inquit *habemus vt videamus.* vnde *frustra* dixit lib. 1. de cœlo cont. 32. *calceamentum esse, cuius nulla est calceatio.* Immò vt modò diximus ex illo 12. Metaph. cont. 51. *Si Deus se habeat vt dormiens, & nihil intelligat, quid praecellens erit?* Ideóque ibidem cont. 39. quia substantia Dei est intellectus, erit Aristoteles.

D eius opus ipsa intellectio. vnumquodque ergo est ad suum opus ita, vt quò vnumquodque est perfectius, eò ad perfectiorem operationem esse debeat.

Quæ etiam causa est, vt virtus operatrix non alia ratione perficiat absoluatque subiectum, nisi quia illud reddit promptius ad opus, quod est finis ipsius. *Sicut finis citharistæ* inquit A. Doctor infrà q. 73. a. 1. c. *est citharizare.* Tunc enim est perfectissima virtus effectrix, cum excellentissimæ eius operationi coniuncta fuerit. Vt enim ait Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 7. Illa generatim virtus tanquam excellentissima habenda est, *si excellentissima virtutis operi fuit adiuncta. Citharœdi* A. Doctor. Aristoteles.

E *enim est cithara canere; probi citharœdi probè id facere.*

Quamobrem optimè huiusmodi virtus definita est ab ipso Aristotele lib. 7. Phys. cont. 17. vt sit *dispositio eius quod perfectissimum est ad optimū* nempe ad finem qui est operatio. Finis enim idem quod optimum; vt habet Aristoteles lib. 2. Phys. cont. 31. Aristoteles.

Ex hoc autem sequitur manifestè si substantia Angeli sit suum intelligere; & sibi idem ex natura rei habeat suas operationes, seu vt dicūt identificatas, nihil opus habere alia perfectione ad operādum; & ita ad nullam operationem esse potentiā.

potentiâ. Ex quo conficitur nullo pacto esse potentiâ ad quasuis perfectiones in se suscipiẽdas. Quod quidem ex iam dictis manifestum est. Nã si esset potentia ad aliquam perfectionem, ideò esset vt disponeretur ad operandum. At ad operandum non disponitur illud quod suas sibi operationes identificatas habet. quo pacto Deus noua perfectione non indiget, quia perfectus est omnibus modis ad functiones suas. Si ergo non sit potẽtia ad illas perfectiones; Ergo caret omni potentialitate, cùm nullo modo sit potentia.

Quod autem respondere posset aliquis; Angelos esse quidem actus puros, vt argumentum probat, non tamen esse actum purum vt Deum, quia ab ipso tanquam à creatore dependent, ac proinde non sequi ipsos Angelos habere infinitam perfectionem quemadmodum Deus, eo quòd hoc ipso quod dependent à creatore, creaturæ sunt. Ergo finita eorum perfectio esse debet.

Hoc inquam quod dici posset apertè refellitur: Quia omnis creatura dependens in suo esse à creatore, debet posse perfici ab illo respectu sui finis; nimirum vt magis ac magis assimiletur suo creatori secundum plures, aut certè secundum maiorem ac maiorem rationem bonitatis. Etenim cùm nulla creatura sit infinitè perfecta, perfici semper vlteriùs potest, nouásq; assequi formas. Si enim pendet à creatore vt sit & conseruetur in suo esse; cur non dependeat vt magis ac magis perficiatur? Immò si potest magis ac magis à sua perfectione Deo volente deficere, congruum est vt eodem sic statuente possit magis ac magis ad perfectionem accedere. Hoc namque commune omnibus creaturis sit oportet, vt docet A. Doctor Opusculo secundo capite 103. vt per suas perfectiones assequatur magis ac magis diuinam similitudinem. Ergo debet Deus posse eas in ipsa creatura producere.

Atque hinc quoque est vt in qualibet creatura sit duplex capacitas, vt docet idem A. Doctor 3. p. quæst. 11. a. 3. ad 3. quod etiam dixit ibi quæst. 11. a. 1. *Vna quidem secundum ordinem potentiæ naturalis, quæ à Deo semper impletur, qui dat vnicuique secundum suam capacitatem naturalem. Alia verò secundum ordinem diuinæ potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutum*, &c. Ait autem hanc capacitatem non semper à Deo compleri. *Alioqui* inquit *Deus non posset facere in creatura, nisi quod facit, quod falsum est*; vt ostenderat in hac p. p. quæstione 105. a. 6. Vbi rectè ex sancto Augustino libro 26. contra Faustum capite tertio docet, *quòd Deus aliquando facit contra solitum cursum naturæ.* quod tamen rei ipsi in qua operatur, naturale esse docet, quia est secundum ordinem rebus à Deo inditum. Id verò *cuilibet rei est naturale quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus & ordo naturæ.* Licèt addat Augustinus hæc ipsa quæ Deus facit contra consuetum & cognitum nobis cursum ordinémque naturæ, magnalia vel mirabilia nominari. Constat ergo creaturam omnem debere posse semper saltem secundum potentiam quam A. Doctor in ea 3 p. quæst. 11. a. 1. vocat *obedientiæ* à Deo magis ac magis absolui iis formarum perfectionibus quas ad operandum naturalem aptitudinem esse eis consentaneum est.

A.Doctor.

S.August.

A.Doctor.

Sanè cum videamus cæteras creaturas, ex eo quòd infinito modo perfectæ non sunt, A posse ad maiorem perfectionem semper progredi, rectè dicemus Angelis quoque nullos esse præfixos suæ perfectionis limites, quin vlterius ab infinito creatore possint absolui ac perfici. Ergo hoc ipso actus purus non sunt Angeli, qui potentia ad aliquid recipiendum sunt.

Huc maximè spectat Aristotelis sapientissimũ effatum cùm libro 12. Metaphys. cont. 51. docuit Dei operationem esse eius substãtiam quia eius substantia est optimum in natura. Vnde concludit non debere ab eius esse distingui operationem, eò quod perfectissima substantia non esset. *Profectò* inquit *non erit optima substantia si quidem eo quod intelligit ei honorabilitas inest.* nẽpe ex eo quod ei perfectio potissima atque vltima quæ est opeB ratio per formam superuenientem inesset. Pro qua re multa dicam infrà Quæsit. seq. Diff. 2.

Aristoteles.

Vnum hic contrà obiici posset, si diceret quis à Deo Angelos posse perfici nõ quidẽ ad operationes naturales, quia distinctæ ab ipso nõ sunt, sed quoad supernaturales; nempe ad visionem beatificam &c. quas solas affirmarent esse ab essentia distinctas.

Attamen si intermisceamus supernaturalia, iam in lumine naturæ non persistimus, quod huiusmodi supernaturalia non attingit, & ea quæ dicta sunt inter naturalia quoque locum habet. Immò si ad ea quę diuinitus reuelata sunt disputationem transferamus, satis huiusmodi respõsio C ex dictis super. Difficult. remouetur. Sed tamen esto nobis graue non sit hoc quoque admittere, pertinere scilicet ea quæ dicta sunt ad formas supernaturales. Tamen adhuc contra eam respõsionem primò fit: Quia iam saltem conceditur aliqua operatio, quæ non est idem re cum substantia Angelica.

Deinde quia illa substantia, quæ perfici nequit secundum operationem naturalem, ne perfici quidem poterit operatione supernaturali. Idcircò enim perfici posset supernaturaliter, quod ex se non habet omnes perfectiones, & ob hanc causam indiget bono increato & summo, vt in eo quiescat tanquam in vltimo fine. At ne D omnes quidem operationis perfectiones habet quibus potest perfici intra limites naturæ. Quid enim repugnat, vt Deus tanquam auctor naturæ ad Angelorum perfectiores ac perfectiores operationes suo auxilio concurrat, cum omne finitum intra suam speciem crescere semper possit ad perfectiùs operandum.

Quod confirmari euidenter potest ex eadem ipsorum responsione. Nam si operatio supernaturalis; quæ est visio clara Dei, quòd finita est, semper in infinitum fieri potest perfectior; cur non possit perfectior esse & operatio naturalis, E quæ etiam finita est? Cum enim vtrumque entis genus diuinæ omnipotentiæ subsit, non est ratio cur potiùs vnum diuina virtute crescere posse dicamus, quàm alterum. Atque in Angelis quidem, cæterisque intelligentibus naturis, hoc ipsum magis clarè semper perspici potest. Etenim creatura intelligens semper potest plura ac plura intelligere, quia nec eorum quę sub eius intelligentiam cadunt, terminus vllus ac finis assignari vllo pacto potest, etiamsi loquamur in iis quæ ordinis naturalis esse possunt. Qua ratione ostendetur infrà q. 86. a. 2. intellectũ nostrum non posse tot cognoscere, quin eidem plura intelligẽda supersint; vt etiam paulò post confirmabitur.

Quod

Quod si quis adhuc diceret, Angeli naturalem intelligentiam non posse crescere quia est tota simul; dupliciter ea responsio confutabitur. Primò, quia iam recurrit argumentum. Non enim est tota simul, quando nec operationes supernaturales sunt totæ simul, quia ab illis Angelica substantia magis ac magis perfici potest. ergo nec naturalis. Mirum quoque esset si hominis animus immaterialis, semper quia finitus est ad perfectius operandum assurgit, Angelum verò, cuius etiam finita est cognitio, in vna quam semel habuit cognitione consistere deberet. Neque enim hoc esset rerum naturas perscrutari ex notis, sed sibi fingere rationes pro arbitrio; quod nefas esse in philosophia dictum est suprà.

Secundò, si haberet totam simul, haberet perfectissimam operationem, quæ naturaliter haberi potest; nec ab ea amoueri posset: ergo haberet felicitatem naturalem, ac beatitudinem, quę est perfecta stabilisque operatio naturalis; vt docet Aristoteles libro 10. Ethic. cap. 8. & A. Doctor libro 1. cont. Gent. cap. 100. Ergo daretur creatura intelligens naturaliter beata, quæ saltem in iis quæ naturalia sunt peccare non posset. quod repugnare creaturæ intelligenti probabitur infra suo loco.

Immò quod maius longè est, esset natura substantialiter beata: quia felicitas ab eius substantia non differret, ac proinde in tali cognitione quiesceret naturalis appetitus. Nam perfectius cognoscendi omnis naturę auctorem, nullus vltrà superesset naturalis appetitus. Hoc autem est tam falsum, quàm quod falsissimum. Primam enim causam & auctorem naturæ perfectiùs cognoscendi naturale desiderium omni creaturæ intelligenti innatum est. Quod duplici ratione patet: Primò quia experimur naturam maximè inclinare ex visis effectibus ad inuestigandam causam, quia natura maximè nos impellit ad rerum scientiam, quandoquidem teste Aristotele libro 1. Metaphys. initio: *Omnes homines natura scire desiderant.* Ergo ad cognoscendas causas, & multo magis primas ac præstantissimas, in quarum cognitione scientia omnis est sita; vt patet ex proœmio libr. 1. Phys. & ex definitione scientiæ tradita ab Aristotele libro primo Poster. cont. comm. 7. *Aristoteles.*

Secundò, quia natura creaturæ intelligentis summo conatu nititur, vt se ad summum bonum suum excitet atque inflammet. Cuiusmodi est cognitio de Deo quantum fieri potest perfecta, ex Aristotele libro 10. Ethic. cap. 8. Vnde à plerisque ex naturali propensione ideò tam multum in Dei inuestigatione laboratū est, vt posthabitis cæteris in eius contemplatione defixi hærerent. Ergo si homini tantum desiderij in cognoscenda perfectiùs ac perfectiùs prima causa insitum est; qualenam tandem erit in Angelo, qui perfectiùs videt Dei effectus, ac proinde amplioris cognitionis debet esse capax: quod etiam antè considerabamus.

Ridiculum autem esset dicere, hominem perfectioris de Deo cognitionis capacem esse & non Angelum, qui naturam magis immaterialem habet; & ideò magis ad perfectiùs intelligendum aptam. Vnde cōfirmatur hæc ratio: quia sicut natura hominis est capacior ampliore cognitione quàm illi datum sit à natura; ita etiam Angelus sit oportet. Sicut enim animus se habet ad suam cognitionem; ita & Angelus ad suam.

A Neque enim dici potest, totam naturæ capacitatem in Angelo expletam esse non hominis, qui imperfecte cognoscit Deum ex effectibus. Nam etiamsi perfectiùs quàm homo Deum naturaliter cognoscat Angelus, imperfectè tamen cognoscit, tum simpliciter, quia per effectus, cum naturaliter non videat Deum cognitione, quæ dicitur intuitiua, sed abstractiua per res creatas, vt infrà dicetur. Tum etiam comparatione facta ad eius naturam. Sicut enim natura hominis amplioris cognitionis de Deo est capax; quia cum per effectus eum cognoscat, potest ex perfectioribus creaturis ad perfectiorē Dei cognitionem peruenire; ita etiam natura Angeli; quia etiam per effectus, & creaturas Deum spe-

B culatur, debet posse eum perfectiùs nosse, si creaturæ nobiliores fiant, quarum prius non habuit notitiam. Neq; enim omnia possibilia nosse potest Angelus, cuius potentia vim intelligendi infinitam minimè habere potest. Ergo neq; est expleta eius capacitas; quia sēper Deus per effectus potest magis ac magis referri ac repræsentari.

Ex quibus rectè A. Doctor libr 3. cont. Gent. cap. 50. *Cognitio* inquit *quam substantia separatæ habent de Deo non cognoscentes ipsius substantiam plenè, est imperfecta cognitionis species. Non enim arbitramur nos aliquid cognoscere si substantiam eius non cognoscamus. Vnde & præcipuum in cognitione alicuius rei est,* *A. Doctor.*

C *scire de ea quid sit.* Et pergit ostendere ex hac imperfecta cognitione existere naturale desideriū in Angelis ampliùs cognoscendi Deum. *Ex hac igitur* inquit *cognitione quam habent substantiæ separata de Deo non quiescit naturale desiderium; sed incitatur magis ad diuinam substantiam videndam.* Vbi etiā præter hanc quatuor alias affert ad hoc ipsum non contemnendas rationes. Primò quia post cognitionem An est, exurgit desiderium cognoscendi quid est. Secundò, quia nulla res finita potest sedare cognoscendi appetitum.

Tertiò, quia etiam in Angelis est naturale desiderium expellendi ignorationem, quam sciunt sibi inesse ex eo quod plurimum de diuina sub-

D stantia ignorare se nō dubitant. Quartò, quia intensiùs feruntur in finē quę fini propinqua sūt, &c.

Denique huc transferri potest optimum argumentum quo vsus est A. Doctor 2. 2. q. 24. a. 7. vt probet, non posse dari vllum terminum, quo limitari debeat charitas, ne vltra illum augeatur. Probat enim optimè nullos fines assignandos esse, intra quos contineri debeant perfectiones rerum; præsertim creaturarum rationalium; siue perfectiones illæ sint naturales siue supernaturales. Est autem huiusmodi: Si non possit augeri perfectio naturalis (ipse autem de charitate arguit) id necessariò debet esse, propterea- *A. Doctor.*

E quòd habet præfixum terminum. ergo *Vel ex ratione formæ quæ habet determinatam mensuram, ad quam cum peruentum fuerit, non potest vltra procedi in forma.* Vel ex parte agentis, *cuius virtus non se extendat ad vlterius augendam formam in subiecto.* Vel denique ex parte subiecti, *quod non est capax vlterioris perfectionis.* Ex hoc namque triplici capite solummodo impossibilitas plurium aut maiorū perfectionum enasci potest, vt ipse supponit, & verum est. Aliud enim caput repugnantiæ quod ad hæc nō reducatur, assignari nō potest. At *nullo istorū modorū imponitur terminus augmēto perfectionū.*

Etenim ipsæ secundum proprias suarum specierum rationes terminū non habent. Sunt enim quidam radij seu vt loquuntur Theologi, participationes

ticipationes quædam diuinæ bonitatis, quarum creaturæ participes esse possunt, & reipsa sibi eas à Deo largitore concreatas habent. Nec habent terminum ex parte causæ quæ est Deus, cum sit infinitæ virtutis ac potestatis. Denique neque ex parte subiecti: quia semper crescente perfectione *supercrescit habilitas ad vlterius augmentum.* Nam perfectio subiecti ipsum subiectum perficit, redditque idoneum magis, vt perfectiores eliciat operationes; ideóque eius habilitas maior atque capacior erit. Vnde non est quod dicas, has plures perfectiones repugnare subiecto; siquidem iis & perficitur magis, & promptius ad perfectè operandū redditur. Quo etiam pacto refelleretur qui dicerent, illas plures species non esse perfectiones Angeli. Si enim in eius intellectu ponantur plures aptæ rerum imagines ac species ad plura & perfectiora percipienda obiecta; hoc ipso perficitur eius intelligendi vis, vt plura ad quæ prius ob simulachrorum defectum deuenire non poterat, cognoscere possit.

Neque enim intellectus est eiusmodi, vt veluti sensus in suis percipiendis obiectis defatigetur, lassitudóque eius officium ac munus impediat. Etenim vt sensus ex vehementi sensili hebescit ac retunditur; ita intellectus circa sua intellectilia quò plura & validiora sunt, eò robustior fit. Quod expressè docuit Aristoteles libro tertio de An. cont. 7. vbi causam huius diuersitatis refert in organa sensus, quibus intellectus absoluitur. *Quod autem* inquit *non sit similis impassibilitas intellectiui & sensitiui, manifestum est ex sensoriis & sensu. Sensus enim non potest sentire ex vehementi sensibili, vt sonum ex magnis sonis*, &c. *Sed intellectus cum intellexerit magnum intelligibile, magis intelligit*, &c.

Aristoteles.

Ex hoc autem vlteriùs reiiciendum est, quod alicui venire in mentem posset; nempe intellectum Angelicum esse determinatum ad vnā aliquam formam, etiamsi humanus animus plura in infinitum intelligere queat; idque ex Angelici intellectus supra humanum perfectione prouenire; vt scilicet, quemadmodum rerum inferiorū materia ex eo quod cœlesti imperfectior est, ad omnes formas receptricem potētiam habet; cœlestis verò quia perfectior est, nonnisi ad vnam: sic esto humanus intellectus plura & plura semper intelligat, quia horum intellectilium obiectorum successione perficiatur, tamen Angelicus qui humanum sua perfectione longè antecellit, vnica forma eáque perfectissima contentus esse debeat. Hoc autem non esse absurdum confirmari etiam potest ex iis quæ docet A. Doctor infrà q. 55. a. 2. nempe pauciores species, easque magis vniuersales esse in Angelis superioribus, quàm sint in intellectu Angelorum inferiorum; quia nimirum cum Angeli superiores sint etiam perfectiores, paucioribus formis informari eos oportet, vt ita ad diuinam simplicitatem magis accedant. ergo non incongruenter dici potest, intellectum Angelicū perfici non posse pluribus formis, sed vna tantùm. Esto plures humano animo ob eius imperfectionem non repugnent.

Hoc inquam responsum reiiciēdum ex dictis est. Etenim ille intellectus non potest determinari ad vnam aliquam formam tantùm, qui in intelligendis suis obiectis nullum potest habere terminum. Sed intellectus Angeli in intelli-

A gendis suis obiectis nullum potest habere terminum. ergo intellectus Angeli non potest determinari ad aliquam vnam formam tantùm.

Maior probatur: quia nulla forma ac species creata potest esse repræsentatio omnium obiectorum quorum nullus sit finis. Hoc enim esse proprium diuinæ & infinitę essentiæ ostendi suprà q. 12. vnde hæc doctrina in præsenti supponatur. Deberet autem si intellectus ille qui in obiectis suis intelligendis nullum potest habere terminum, determinaretur ad vnam aliquam formam, esse talis illa creata forma, vt omnium atque infinitorum obiectorū repræsentatio esset. Per illam enim ei intellectui deberent repræsentari omnia illa obiecta, in quibus intel-
B ligendis nullus eidem intellectui constitutus terminus esset ac finis. Ergo ille intellectus non potest determinari ad vnam aliquam tantū formam, si in suis obiectis intelligendis nullū habere terminum potest.

Minor autem patet: quia intellectus Angeli obiectum est ens in tota sua amplitudine. Non enim est vnde coarctari restringiq; possit ad aliquod vnum entis genus, ad quod ne restringitur quidem intellectus humanus, qui Angelico imperfectior est. Idcirco Aristoteles lib. 3. de An. cont. 18. tanquam intellectus humani attributum dixit, *ipsum omnia fieri*, nempe omnium recipiendo species ad omnia intelligenda, etiam ad
C ea quæ ipse propriè intelligibilia nuncupat; vt patet eodem libro cont. 15. Ergo multò minùs restringi debet ad certum entis genus intellectus perfectior, qui hoc ipso perfectior est, quo plura cæteris paribus intelligit.

Aristoteles.

Immò si restringi detur; quæro quodnam sit tale entis genus? an rerum materialium? an immaterialium? Si primum dicatur, vt interim omittam, nullum etiam in his rebus dari obiectorum finem; Contrà est quia perfectius est intelligere quæ à materia abiuncta sunt, quàm quæ materiæ immerguntur: quippe longè præstantiora ac diuiniora obiecta ab Aristotele assignantur, in quibus cognoscendis sita sit actio
D intelligendi perfectissima, & nostra felicitas; vt patet ex lib. 12. Metaph. cont. 39. & libro 10. Ethic. cap. 7. & 8. Ergo si intellectui humano id naturæ datur vt ea possit intelligere, id multò certiùs intellectui nobiliori conueniet, qui ex perfectioribus obiectis maiorem illam suam nobilitatem trahere debet. Quo pacto intellectus noster omnium animantium sensibus omnibus præstat. si quidem & perfectiora magisq; immaterialia, & longè perfectiore cognoscendi modo ea comprehendit. Præterquam quod omnis intellectus debet posse cognoscere diuinam essentiam, ad quam cognoscendam est vniuersale desiderium vt antè diximus. Ergo restringi
E nequit ad genus entis materiale. Si secundum affirment; certum etiam est quia ex hoc apertè sequitur quod contendimus; nempe nullum dari terminum in iis obiectis intelligendis; quia hæc semper possunt cognosci plura & plura; nec est ratio cur potiùs vnum, quam aliud excludatur horum entium genus, cum præsertim quò plura ponantur ab eo cognosci, eò magis ille intellectus eorum formis in cognoscendo perfici verè possit.

Sanè sensus, qui vnam aliquam rationem apprehēdere possunt, circa omnes eiusdem generis versari constat; vt quia visus vnum colorem

tem percipere potest, omnes colores intra eius obiecti fines continentur. similiter & soni omnes ab auditu sentiuntur; & sapores à gustu; & qualitates tangibiles à tactu. Ergo si quis intellectus apprehendat rationem entis substantiæ accidentisque communem, omnes rationes entis intelligere potest. Verùm de hac re plura cum de Angelorum cognitione dicemus infrà suis locis.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, huiusmodi rationem A. Doctoris quam hactenus confirmauimus, esse omninò ex necessariis euidentibúsque naturæ principiis, saltem ex eo genere demonstrationum, quæ ex congruo philosophandi genere conflari solent. Cuiusmodi sunt ferè omnes ex quibus nostræ in hac vita scientiæ deriuantur. Patet ex dictis: quia horum principiorum veritas apparet ex probato philosophandi modo, omnibusque tum Peripateticis tum Theologis consueto. Dixi *saltem*, quia ea principia puto esse omninò & simpliciter necessaria, quia sequitur manifestè eam substantiam, quæ non est actus purus, carere omni potentialitate, ac proinde non actum purum, esse actum purum. Quod manifestam continet repugnantiam. Neque valet quòd quis potest ab iis dissentire, si obstinatè ea negare velit. Nam etiam potest aliquis insipienter ac stultè negare Deum esse iuxta illud Psal. 52. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* cum tamē Deum esse demonstretur ex principiis omninò ac simpliciter necessariis, quibus reluctari nemo, qui sanæ sit mentis queat.

Psal. 52.

Angeli operationem non esse eius substantiam, quia ipsa operatio nempe intellectus, esset subsistens, ac proinde Deus. §. 3.

Colligitur secundò, Vtrùm benè concludat alia A. Doctoris ratio, quam secundo loco attulimus suprà; nempe sequi ipsum intelligere Angeli esse subsistens ac proinde Deum. Dicendum enim est optimum esse argumentum, modò ex dictis confirmetur, id quod ad Angeli & creaturæ, vt ita dicam, perfectibilitatē attinet. Et patet si cā sic formemus. Id cuius intelligere est subsistens nō est nisi vnum, quod sit ipsemet Deus. Sed si substantia Angeli esset suum intelligere, ipsum Angeli intelligere esset subsistens; ergo non esset nisi vnum, quod sit ipsemet Deus. quod clarè patet esse falsum. Nam nec intelligere Angeli est vnum, cum multiplex sit pro varietate Angelicarum substantiarum; nec ipse Deus, cum debeat omninò esse creatura. Minor probatur: quia intelligere Angeli esset ipsa Angeli substantia, à qua nō distingueretur ex natura rei. At substantia Angeli est subsistens. ergo intelligere Angeli esset subsistens.

Et quidem perfectissimo modo. Quoniam esset substantia quæ à Deo perfici non posset, vt perfectiores haberet cognitiones, ac proinde nullo modo suas perfectiones à Deo exspectare posset. Nam quæcunque perfectio substantiæ

A est in hunc finem vt diximus, vt perfectiùs operetur. Cum ergo illa substantia Angeli à Deo non posset perfici, esset omninò independens à Deo, quia non esset creatura; ergo ipsum Angeli intelligere esset subsistens perfectissimo modo. Esset enim intelligere independens, adeóque perfectum, vt perfici vltrà non posset.

Maior probatur: quia id cuius intelligere est subsistens, non potest esse creatura. Ergo est vnum tantùm, ac proinde Deus; de quo solo negari potest esse creaturam. Antecedens probatur, quia quæcunque creatura subsistens per varias formas potest perfici à suo creatore, vt diximus. Illud autem intelligere, seu id cuius intelligere est subsistens, perfici non posset. quia

B deberet perfici per intelligentiam de nouo aduenientem ipsi subsistenti intellectioni. quod est impossibile. Sequelam probo: quoniam deberet aduenire substantiæ quæ est intelligendi actus. Ergo adueniret ipsi intellectioni. Quod verò sit impossibile, patet dupliciter. Nam primò actus intelligendi non est perfectio nisi sui principij à quo elicitur. est enim actus immanens; ideóque in suo principio eliciente recipi debet, eóque immediato & proximo; vt actus voluntatis in voluntate, intellectus in intellectu. ergo vt esset perfectio Angeli deberet recipi in eius intellectu, qui eius intellectionis eliciens esset principium, non autem in intellectione. Quod si dicas, recipi in ea substantia

C quatenus habet intellectus rationem: iam contra est, quia in ea substantia quæ habet rationem intellectionis sibi identificatam, non potest esse ratio potentiæ receptricis respectu aliorum similium actuum. Idcircò namque affirmari debet illum identificatum actum ab ea non distingui, ne sit ratio receptrix ad eius generis actus. Si namque in ea semel concedatur facultas & potentia receptrix intellectionis, cur respectu omnium intellectionum hoc ipso eadem potentia non detur? Vnde nunquam videmus aut scimus vnum actum esse idem cum alicuius substantia, aut ab eadem diuersum, nisi etiam cæteri eius generis sint cum illa idem, vel diuersi ab illa. Non enim vna visio est oculus; cæteræ verò ab oculo diuersæ: & similiter in aliis.

D similiter nec Deo intelligēdi vnus actus est substantia; cæteri verò ab ipso sunt realiter differentes.

Secundò, quia illa substantialis cognitio oportet perfecta sit in omni prorsus genere cognitionis, quæ illi naturæ conuenire potest. Nam si non est in eo genere perfecta, debet ipsa posse, altera adueniente desinere; vt ita imperfectum perfectiori cedat. Ad eum modum quo si quis ignorasset lumen esse qualitatem, aut cœlum esse naturæ interitus expertis, deinde

E verò id per causam cognosceret; ille quidē hoc ipso à priore cognitione desisteret. Idque non solùm quia talis cognitio superuacanea illi substantiæ esset, eò quòd nullus eius esset finis in Natura. quo pacto Apostolus 1. Cor. 13. dixit: *Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*; Verùm etiam propterea quòd Natura eo imperfecto quod per superuenientem perfectionem non perficitur, ita vtitur, vt illud abiiciat superueniente perfecto. 1. Cor. 13.

Hoc namque modo docet A. Doctor infrà q. 118. a. 2. ad 2. formam embryonis vegetantem hoc A Doctor.

hoc ipso cessare, quo superuenit forma sentiẽs, & hanc rursus interire aduentu animi intelligentis. Quod etiã dixerat q.76 .infr. a.3.ad .Eo namque imperfecto natura vti solet, tanquam via & medio, vt ad perfectionem tanquam ad finem pertingat. Vnde imperfectum hoc pacto est veluti motus ad terminũ; quo præsente cessare motus debet, vt ait Aristoteles lib.1. de ortu & interitu cont.55. Hinc rectè ait A.Doctor imperfectum cum de eius ratione est imperfectio, semper aduentu perfecti desinere debere; Et patet ex eo, quòd hoc pacto perfectum & imperfectum habent rationem contrariorum, vt ipse docet in plurimis locis; vt infrà q.58.a.7.ad 3. vbi ob hanc causam negat, in patria remanere fidem; & 1.2.q.67.a.3.& 6.in corp.& 2.2 q.4. a.4. ad 1. quibus in locis id ipsum ob eandẽ rationem confirmat.

Qua etiam ratione optimè ait in 3.d. 31.q.2. a.1.quæstiunc.2. imperfectum loquẽdi modum qui in pueris dum balbutire incipiunt, tolli cũ ad perfectam ætatem perueniunt. Sic etiam suspicio, quæ est imperfectum quoddam de re aliqua iudicium, esse illico desinit, cum eiusdem rei manifestam cognitionem assecuti sumus. & sic de cæteris huiusmodi. Ergo illa imperfecta cognitio tollenda esset; si quidem ea perfici non potest superueniente perfecta, cùm ipsa sit substantialiter imperfecta; vt cognitio fidei desinit superueniente clara rei cognitione, & opinio superueniente scientia, & iudicium falsum, superueniente veritate.

A.Doctor. Et quamuis rectè doceat A. Doctor infrà q. 62.a.7.ad 1. In Angelis cognitionem naturalem simul cum visione beata remanere, eò quod Natura non tollitur per Gratiam sed perficitur. Tamen id contra ea quæ iam dicta sunt nihil facit. Etenim eæ naturales cognitiones ideò remanent, vt per eas simul cum aliis natura perficiatur. Cum enim animus Angelúsve ex iis quæ per Gratiam nouit, cognoscit quantò præstet Gratia ipsi naturę, perficitur natura quidem cognitione naturali, qua id præstantiæ vtrasque cognitiones comparando cognoscitur; sed non ea numero cognitione, quæ priùs erat imperfecta. Hæc enim recessit atque esse desiuit, cum successit alia. vt enim dicemus q.58. infrà a.2. ibíque docet A.Doctor, nullus Angelus multa simul intelligit eiusdem ordinis; nempe per plures species naturales, ac proinde nec simul plures naturales habet actus. Ergo illa imperfecta cognitio non perficitur, cum non remaneat. Vt v.gr. Angelus antequam beatus esset cognoscit naturali actu Deum esse primam rerũ causam; Beatus verò videt idem clarè; nempe Deum totius entis fontem esse, omniáque in se cõtinere. Iam verò ex vtriusq; obiecti cogniti per vtramque cognitionem comparatione, quæ fit per alium actum & per aliam speciem, cognoscitur discrimen inter eas notitias, quæ per Gratiam & per Naturam eliciuntur.

Itaque non perficitur cognitio formaliter; sed vt ita dicam causaliter & in origine, cùm ipsa eadem numero non maneat, sed principium illius nempe intellectus siue habitus, &c. Vnde sequitur nec posse cognitionem illam substantialem dari; quia de ratione illius cum sit imperfectio, debet desinere esse superueniente perfectione, vt ita locum daret perfectiori formæ, A cui illa non subordinatur. Hinc rectè in Deo cum quo identificatur cognitio, rectè dicimus illam esse perfectissimam omni ex parte, nec posse ea dari perfectiorem de eodem obiecto vt ea superueniente tolli oporteat. Constat ergo impossibile esse superuenire ei substantiali intellectioni nouam cognitionem, ac proinde ipsum substantiale intelligere non esse creaturam.

Ex his autem patet verum esse, quod initio Corollarij deducebamus; nempe esse optimam rationem A. Doctoris ad concludendum ipsum intelligere Angeli fore vnum ac Deum; quia scilicet quod nullo modo perfici potest, nullo B modo est creatura; sed debet esse vnum subsistens ac Deus, & cætera quæ dicta ac demonstrata sunt.

Quid hic A. Doctor intelligat, si intelligere Angeli esset eius substantia, eius intellectio esset subsistens, &c. §. 4.

C QVa in re Notari oportet, vt optimo quo possimus modo penitúsque A. Doctoris mentem introspicere possimus, duo hîc ab ipso significari. Vnum est: *Si intelligere Angeli esset sua substantia, oporteret quod intelligere Angeli esset subsistens.* Alterum est: *Intelligere autem subsistens non potest esse nisi vnum; sicut nec aliquod abstractum subsistens.* Quod quidem vtrumque quantum attinet ad illam particulam *subsistens*, quæ negotium hac in re facessere potest, dupliciter intelligi potest, ex iis etiam quæ à nobis dicta sunt suprà q.50.a.4.Quæsi.1.Difficult.3.in 2.Coroll. Vno quidem modo, vt subsistens idem prorsus sit atque habens subsistentiam, sicut dicitur album esse id quod habet albedinem, & cætera D similia concreta ex formis abstractis. Qua ratione Petrus dicitur subsistens, lapis subsistens, materia subsistens, & quæcunque substantia nulli alteri cohærens, & quæ suppositum aliquo pacto sit. Vnde A.Doctor 3.p.q.16.a.vltim. ad 3.apertè docet, suppositum esse idem atque per se subsistens; sicuti persona idem est atque per se subsistens in natura rationali. A.Doctor.

Quod si ita subsistens intelligatur, absque vllo dubio, sicut verum esset, Angeli intelligere fore subsistens si ab Angeli substantia non differret; ita falsum esset, vnum tantùm fore intelligere subsistens, hoc est habens subsistentiam; sicut quodcunque abstractum subsistẽs. Etenim dato quod illud intelligere quia esset idem ac E substantia Angeli, sit habens substantiam, non ex hoc præcisè sequitur tanquam per locum vt aiunt intrinsecum, esse vnum. Si enim solùm foret subsistens, hoc est habens subsistentiam, ex hoc præcisè nihil aliud sequitur, nisi quod sequitur in cæteris subsistentibus substantiis, quæ etiam habent subsistentiam, & consequenter in quibus quoad hoc est eadem ratio. Cum ergo in his non sequatur subsistens esse vnum; ita nec in præsenti argumento. Sicut si actus videndi in homine esset eius substantia, hoc ipso idem actus subsistens esset, ac homo ipse subsistit; Hinc tamen non cõficeretur esse vnum subsi-

subsistens, quia non magis singulari modo subsisteret quàm homo, ob cuius identitatem illi actui subsistentia deberetur.

Alio modo significari potest ipsum intelligere esse subsistens, vt illi sit substantiale ipsum esse subsistens, ab eóque intelligendi actu non distinctum. Sicut cum dicitur Verbum diuinum est subsistens; Aut Verbum diuinum est sua subsistentia, sicut etiam est sua sapientia, &c. Quæ & similes propositiones veræ sunt in sensu vt dicunt identico & reali, licet non in sensu formali. Atque in hoc sensu A. Doctor quæst. 2. de Pot. a. 1. c. hoc differre ait naturas substantiales materiales à natura diuina: *quod formæ materiales non sunt subsistentes. vnde humanitas in homine non est idem quod homo qui subsistit, Deitas autem est idem quod Deus; vnde ipsa natura diuina est subsistens.* Quo loquendi modo si denotaretur, formas materiales non habere subsistentiam veluti radicaliter, & tanquam proprietatem sibi debitam; vt humanitas, falsum esset. Substantiæ enim debetur vt per se non in alia sit, ac proinde subsistat. Sin autem indicetur, ipsas non subsistere substantialiter, quia substantialiter non includunt suas subsistentias, tanquam quid ab ipsis indistinctum; sic verè dicitur: Natura diuina est subsistens, non autem humanitas, ob naturæ diuinæ simplicitatem, quæ à sua subsistentia distingui non debet. Cum tamen humanitas, cui subsistentia est modus superadditus ab ipsa sua subsistentia distingui modaliter debeat.

A. Doctor.

Hoc igitur modo aio intelligi oportere hoc nomen *subsistens*, cum A. Doctor hic ait: *intelligere Angeli esse subsistens.*

Quo autem id modo probari possit, non est facile constituere. Quibusdam visum est, id patere ex contextu ipso huius articuli. Putarunt enim legendum esse verba contextus hoc pacto. *Si intelligere Angeli esset eius subsistentia oporteret*, &c. Quod si ita verè legi oporteret, res clarior esset, quàm vt probatione indigeret. Nam ne aliunde probaretur, faceret ipsa euidentia significationis ipsorum verborum. Si enim intelligere Angeli esset sua subsistentia, ille sensus identicus & realis apertè significaretur, nimirum qui fundatur in ipsa reali vtriusque extremi identitate; sicut cum dicitur, sapientia Dei est sua subsistentia, &c. ergo oporteret ipsum intelligere esse subsistens ea subsistentia, quæ illis esset substantialis atque indistincta, quia esset sua subsistentia.

Verùm aduersus huiusmodi lectionem, est duplex ratio manifesta. Altera quidem; quia nullus codex quem ego viderim, prædictam continet lectionem. Sic enim vbique legitur. *Si intelligere Angeli esset sua substantia*, non autem subsistentia. ergo qui ita legerent, vim inferrent contextui. Altera verò est; quia ea lectio ad rem A. Doctoris non esset. Etenim ex positione eius quod aduersarij defendunt, A. Doctor contendit, illud absurdum deducere, nempe intelligere Angeli fore suum esse subsistens. At aduersariorum positio est, intelligere Angeli esse Angeli substantiam, non subsistentiam. Quare aliter dicendum est; nempe vt ait A. Doctor sequi si intelligere Angeli esset eius substantia, ipsum intelligere esse per subsistens. Nam vt ex iam dictis patet, si intelligere Angeli esset Angeli substantia, hæc non posset à Deo perfici ab-

A soluique per superuenientes formas. ergo esset substantia independens atque increata. Vnde sequitur fore simplicissimam, nec eius substantiam à natura distingui, vt in Deo. quod quidem peculiari ratione sequi oportet ex ipso actu intelligendi. Nam ille actus vt ostendimus, non posset esse imperfectus; sed omnis prorsus perfectio intelligendi ei inesset, oporteret in genere cognitionis atque actus intelligendi. Alioqui perfecta non esset. Quoniam perfectum illud est, teste Aristotele libro 2. de cœlo contextu vigesimotertio *extra quod nihil eorum quæ ipsius sunt possibile est accipere.* Ergo esset æquè perfectum ac ipse actus diuini intelle-

B ctus; vnde manifestè sequitur fore cum eius subsistentia identificatum, perinde ac ille qui Dei est. Etenim ne hæc quidem perfectio illi deesse posset, cùm hoc quoque sit de ratione eius actus intelligendi, qui perfectissimus & substantialis est. & ideò dixit Angelicus Doctor, intelligere subsistens non posse esse nisi vnum ob peculiarem etiam quam diximus rationem. Constat ergo de ratione præsentis articuli: An; & quomodo veritatem habeat.

C
Non omne abstractum esse per se subsistens substantialiter & cur. §. 5.

SEd vnum contrà obiiciat aliquis ex verbis A. Doctoris citatis. Ait namque intelligere subsistens non fore nisi vnum, sicut nec aliquid abstractum subsistens. ergo omne abstractum deberet esse subsistens substantialiter. Quod falsum est, vt patet in anima rationali & Angelis, &c. Ergo per subsistens non intelligit subsistens substantialiter.

Respondetur, huius sanè argumenti non facilem esse solutionem ob duplicem rationem.

D Primò namque si daretur albedo separata esset subsistens; & tamen plures esse possent; sicut verè de facto sunt plures quantitates separatæ post consecrationem in venerabili Eucharistia. Secundò, quia esto vnum sint, quomodo ex hoc sequitur illud vnum subsistens fore Deum? Verumtamen neutra ratio officit doctrinæ iam explicatæ. Pro qua re

Notandum est dupliciter posse intelligi aliquid separatum. Primò, quia sit separatum à subiecto, aut à subsistentia propria per omnipotentiam diuinam: Vt esset calor à subiecto auulsus si à Deo sustineretur efficienter: & Humanitas Christi est sine propria subsistentia, omni-

E potentis Dei perpetuo miraculo. Secundò, quia sit separatum & abstractum essentialiter; hoc est ad eum modum quo naturæ vniuersales à singularibus abstractæ mente à nobis concipiuntur; nempe eo modo quo Plato Ideas rerum posuit separatas ac per se subsistentes; vt cum concipimus hominem, leonem, Angelum, &c. Quia scilicet habent essentialia sine differentiis singularibus eas contrahentibus. & hoc modo intelligit Angelicus Doctor, vt dixi in eo secundo Corollario antè citato, cum ex hypothesi ait, si esset albedo separata, non fore nisi vna & similia. Vnde non ait si esset hæc aut

aut illa albedo; sed si esset albedo, quo loquendi modo denotatur essentiæ albedinis separatio.

Itaque hoc pacto intelligi hic pronuncio cũ dicit: *Abstracta non posse esse nisi vnum.* nimirum essentialiter abstracta. nam cætera possunt esse plura vt probat obiectio. Est autem hoc verum: quia si essent huiusmodi abstracta, essent ideæ atque essentiæ rerum. Vna autem est vnius speciei non plures ideæ. Non enim in se est nisi vna hominis natura, leonis, &c. Et ideò Plato eas posuit tanquam exemplar alicuius speciei. Quæ species in indiuiduis nihil est aliud Platoni, nisi quædam naturæ Ideæ participatio, quæ reperitur in singulis indiuiduis. Vnde & dicebat, Socratem esse hominem secundum Ideam hominis separatam, vt refert Aristoteles 1. Metaphysices, contextu sexto, & ex eo A. Doctor suprà quæstion. 6. a. 4. c. & nos suprà fusè docuimus. Esset ergo vnum subsistens sic separatum.

Ex his ad illa duo argumenta paulò antè vt difficultatem hanc exaggerarem facta respondeo. Ad primum dico sequi ex eo quod aliquid sit separatum hoc secundo modo vt dictum est. Vnde non facit ad rem præsentem quod obiicitur ex Venerabili Sacramento Eucharistiæ: quia non est quantitas per se separata, sed hæc aut illa quantitas quæ erat in hoc & illo indiuiduo. Sermo autem præsens vt diximus, est de essentia ipsa separata præcisa ab indiuiduis, ita vt ipsa essentia ac natura secundum se identificetur cum sua subsistentia ob rei simplicitatem; quemadmodum Plato suas Ideas ponebat. Ad aliud autem dico: esto in aliis immediatè & præcisè non sequatur, vt verè Plato non putauit sequi ex illis Ideis, quia solùm volebat vniuscuiusque speciei vnam tantùm esse Ideam, ideóque vnum tantùm fore subsistens in aliquo genere determinato, non tamen simpliciter ita vt illæ Ideæ coalescerent in vnum Deum: posito tamen quòd vniuscuiusque speciei & naturæ vna esset Idea Platonis opinione. de qua re suprà diximus satis. Quod etiam colligi potest ex doctrina Angelici Doctoris in hac p. p. quæstione quadragesimaquarta, a. 1. c. libro secundo cont. Gent. cap. 51. ad 1. & 2. & opusc. 15. ca. 13. & de Pot. quæst. 9. a. 3. ad 5. libro octauo Physicor. lect. 20. circa medium & alibi. Tamen hoc apertè sequitur in re proposita, vt antè indicauimus. Nam si Angeli substantia esset suum intelligere; Ergo esset vt cætera abstracta modo iam dicto, vnum subsistens. Ex quo in materia proposita vlteriùs infert. *Vnde vnius Angeli substantia* inquit *non distingueretur à substantia Dei.*

Quod quidem rectè sequitur: Primò namque, cum eius intelligere esset, vt vidimus, perfectissimum, non posset distingui ab ipso Dei actu intelligendi.

Deinde si est intelligere separatum ac subsistens. Ergo vnum debet esse intelligere subsistẽs tanquam idea omnium intellectionum. Ergo cæteræ essent intellectiones per participationẽ, ac proinde non distingueretur à Deo, cuius huiusmodi subsistens intelligere proprium est. Neque dici potest Angeli intelligere non fore quodcunque intelligere subsistens, sed in tali specie; vt albedo non est quæcunque qualitas sed talis. Non enim intelligere subsistens est determinatum ad speciem, quia deberet esse omnium rerum. Est enim ad omnia entia ita vt nullum sit ad quod tale intelligere se non extendat in tota entis amplitudine. Ergo non esset à quo contraheretur ad talem tantummodo speciem. Si enim diceretur à subiecto: Contra est, quia esset substantialiter per se subsistens. Si à natura. Contrà etiam quia natura illa non posset perfici vt diximus. Ergo non esset creatura & contracta ad intelligendum tanquam ens creatum ad tale genus, ac modum intelligendi.

Dixi tamen: *esse in aliis, immediatè*, &c. Nam si verè philosophandum sit, sequitur saltem mediatè Ideam eo modo non esse nisi vnum simpliciter subsistens; quia nimirum non posset perfici nec esset creatura ergo creatrix essentia. Iam ad obiectionem concedo omne abstractum non fore nisi vnum, vt ait Angelicus Doctor: concedo etiam fore subsistens substantialiter modo explicato. nego autem hoc esse falsum; vt dictum est. Ad illud de anima rationali & Angelis respondeo vt iam diximus de quantitate, non esse ad præsentem Quæstionem.

Colligitur tertiò, vera etiam esse quæ ab Angelico Doctore inferebantur ex hac ratione, vt vidimus suprà in Explanatione ad hunc articulum. Nam primum est verissimum, nempe non fore Angelos distinctos inter se: quia essent suum intelligere subsistens, ac proinde vnum. Ergo nulla diuersitas in re. Alterum etiam sequitur: quia diuersitas in intelligendo magis minúsve perfectè prouenit ex eo quod diuerso modo participatur ipsa ratio intelligendi. At non esset diuersa ratio quæ participaretur; quia esset vnum intelligere. In qua re notandum est, hanc sequelam ita explicitè positam esse ab Angelico Doctore, vt etiam nonnullos Auerroïstas refutaret: qui vt dicam sequenti Quæsito putarunt Angelos intelligere per subsistentem intellectionem alterius. Vnde etiam esset vnum intelligere omnium Angelorum; si intelligerent omnes eundem Angelum aut Deum, ac proinde non esset diuersitas. Quod fusiùs dicemus eodem Quæsito sequenti.

Angelum non esse suum actum intelligendi non probari efficaciter nisi rationibus A. Doctoris: & quo pacto actus purus sit sua actualitas. §. 6.

COlligitur quartò, has solas A. Doctoris rationes inter eas quæ afferri solitæ sunt, efficaciter probare Angelos non esse suum intelligere. Nam quæ illi recentiores dicebãt in prima sententia, nihil ponderis habent. Primùm enim cum dicũt operationẽ Angeli esse actũ vitalem, aduersarij concederent quidem, sed negarent esse distinctum. Quemadmodum Aristoteles lib. 12. Metaph. cont. 39. dixit Deum intelligere cognitione quæ est eius substantia, non autem aliquid superadditum. Concederent ergo esse actũ vitalem ratione solùm à substãtia distinctum; sicut etiã Aristoteles lib. 10. Eth. cap. 8. docuit Deũ viuere per operationem intellectus præstantissimam; nempe per contemplationem sui, quam negat esse distinctam. Ad secundum eodem modo dicerent, id ab ipsis probandum esse non supponẽdum. Non potest autem probari nisi ratione A. Doctoris, quia nimirum Angeli nõ sunt actus purus. Ad tertium negarent, & probationẽ eius desiderarent. Dicerent enim esse liberi arbitrij per operationem voluntatis cum essentia identi-

identificatam, vt est in Deo; & ita confugiendum esset ad probationem A. Doctoris, quia non sunt vt Deus; nempe actus puri.

Albertus. Alia etiam arguméta affert Albertus in Summa Theolog. 2. p. Tract. 4. q. 13. m. 2. nimirū quia *est contra intellectum* inquit *vt quod fluit ab aliquo tanquam qualitas ipsius, idem possit esse essentialiter cum ipso. Vnum enim est in genere qualitatis*, &c. *& alterum est in genere substantiæ.* Ergo actus non est substantia Angeli. Verùm hæc ratio non conuincit aduersarios. Dicerent enim probandum esse actum esse qualitatem è substantia fluentem, qui eum cum substantia vnum idémque esse affirmant; vt multi ex Peripateticis arbitrati sunt.

Quare stabilitum sit mirabili prorsus ingenio A. Doctorem suas ex certissimis principiis deriuasse conclusiones. quod sanè iis nunquam videbitur, qui penitus abstrusas argumentorum vires in eorum vt sic dicam, venis ac visceribus non inspiciunt. Mitto autem examinare ea, quæ optimè ac verè hic dicuntur in argumento *Sed contrà.* Nam nimis multa explicanda hîc essent, quæ ad distinctionem inter esse rei, eiúsque substantiam pertinent. de qua tamen re multa infrà dicturi sumus. Posito autem quod esse rei distinguatur ab eius substantia optimè procedit argumentum. Etenim si non est idem sed distinguitur id quod rei intimius est: ergo nec idem sed distingui oportet ab eadem re quod ad ipsam non tam intimè pertinet. Quæ consecutio in eo niti oportet, quod docet rectè Aristoteles libr. 2. Rhetor. cap. de locis Enthym. nimirum; *Si cui magis inesse debet non inest, neque cui minus. Si Dij non omnia sciunt, multò minus homines.* Si ergo esse rei quod magis cum ipsa re idem videtur, non est idem. ergo neque operatio, quæ minus debet idem cum re esse. [Aristoteles.]

Colligitur quintò, quid dicendum sit ad obiectiones Caietani. Omissis autem eius solutionibus quæ longissimæ sunt, breuiter dico illam propositionem: *Solus actus purus est sua actualitas*; posse accipi & materialiter & formaliter. Materialiter quidem; quia verum est illam rem seu entitatem, quæ est actus purus, solam esse suam actualitatem, hoc est omnem actualitatem tam quoad esse quàm quoad operationem. Quia sola illa entitas nullam habet potentialitatem; cætera autem omnia perfici possunt ab ipso rerum procreatore Deo, vt probatum est. Ex quibus etiam argumentis reuinci possunt contradicentes Auerroistæ, & quicunque sint alij. Vnde non est petitio principij; sed valida probatio aduersus eos qui contra veritatem sentirent. Formaliter verò, quia actus purus in ratione actus puri est sua actualitas, quia non est potentia ad illam, sed illam includit actu; sicut calor est sua caliditas.

Quamobrem cum dicitur actus purus est sua actualitas; aliud est quod significare contendimus; aliud verò quod nostro intelligendi & significandi modo proferimus. Vt enim ait A. Doctor suprà q. 13. a. 2. & 3. c. nomina quæ de Deo dicuntur, significant quidem Dei substantiam, modo tamen imperfecto; secūdum quod nimirū intellectus noster cognoscit ipsum Deum per imperfectas creatarum rerum repræsentationes, quia cōceptus nostri *deficiunt à repræsētatione ipsius.* [A. Doctor.]

Sic ergo nomina quę sunt signa conceptuum, imperfectè significant quod intendimus. Explicans autem A. Doctor eadem q. a. 1. ad 2. vbi sit [A. Doctor.]

A ista imperfectio significādi, cùm Deo tribuimus rerum creatarum nomina, ait id esse, quia nomina quæ imponūtur ad significandas formas simplices, significant formas non vt subsistentes, sed *vt quo aliquid est*; quia in creaturis forma non est aliquid subsistens, nempe completum, sed quo aliquid est; Ideò nomina quæ formam abstractā significant, exprimunt illud tanquam id quo aliquid subsistens est. At verò nomina quæ aliquid completū ac subsistens significant, cōcreta sunt, & vt ait A. Doctor, *significant in concretione prout competit compositis.* Hinc est vt in ea propositione quia actus purus vt subiectum sui prædicati significatur, & tanquam per se subsistens, vtamur B nomine veluti concreto; & quia prædicatum illius significatur tanquam forma simplex vtamur nomine, formam quæ est actus purus denotante. [A. Doctor.]

Ad argumentum ergo Caietani dico nullam esse in terminis repugnantiam. Nam actum purum, licèt ex imperfecto modo significandi exprimatur vt concretum eius formæ, quæ est actualitas, tamen ex voluntate significandi solùm volumus significare id quod nos imperfectè concipimus, non esse cum ea imperfectione sed absque illa. Et ideò remouemus aliis nominibus quod imperfectè intulimus; Vt si dixerimus, C Deum esse substantiam, corrigimus huiusmodi locutionem dicendo non vt nostræ sunt *sed secundum altiorem modum*; vt ibi notat Angelicus Doctor a. 2. c. Actus ergo purus secundum quod à nobis significatur, non est sua actualitas; est tamen sua actualitas vt eum significare intendimus. [Caietanus.]

Nec absurdum est nostro modo significandi eum actum significare per modum potentiæ, modò per amotionem imperfectionis intelligatur ipsum non esse potentiam, quod tamen à nobis per modum potentiæ denotatur. Vnde in nostris conceptibus, verbisque conceptus significantibus, est veluti quædam pugna atque cer- D tamen. Nam quod significamus imperfecto nostro intelligendi modo, nolumus significare cum illam significandi imperfectionem remouemus, emendamúsque per aliam enunciationem. Deus est substantia inquimus, sed non ea substantia quam significamus cum nomen substantiæ proferimus. Quoniam verò rursus cognoscimus etiam in eo remouendo imperfectionis actu significari aliquid imperfectè, adhibemus actum iterum reflexum, ne huiusmodi imperfectionem significari quis intelligat. Et sic per actus reflexos abire in infinitum possumus.

Simile etiam est illud cum dicimus, nomen E Dei esse super omne nomen; quia scilicet non est ea ratione qua significatur à nobis, sed supra omne id quod significari à nobis potest per omnia nomina. In qua re præclarè sanctus Augustinus libro primo de Doctrina Christiana capite sexto. *Ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia & hoc cum dicitur aliquid dicitur, & fit nescio quæ pugna verborum: quia si istud est ineffabile quod dici non potest, non est ineffabile quod ineffabile dici potest, quæ pugna silentio potius cauenda, quàm voce pacanda est.* Itaque est quidem quam diximus, ineuitabilis ac toties cuique experienda pugna; non tamen ita vt saltem aliquo modo quid velimus ea pugna significare, non explicetur. [S. August.]

Colligitur vltimò non obesse eas obiectiones, quibus moderni auctores labefactari putát A. Doctoris argumentum, quod à nobis hactenus confirmatum est. Nam cum dicūt posse subiectum esse suum intelligere & non esse actum purum, negandum est. Probauimus enim talem substantiam non esse perfectibilem; hoc est nullo modo esse potentiā ad suas perfectiones; atq; ideò esse actum purum.

Ad secundum diximus etiam quo pacto sequatur intelligere fore subsistens & vnum: & disparem rationem attulimus cur non sequatur de aliis formis omnes fore vnum, cognitioni autem idipsum competat manifestè. Natura autem Angeli non est subsistens essentialiter, sed radicaliter, atque ita obiectio non est ad rem. Similiter ad aliam obiectionem contra aliam sequelam dictum est.

Constat ergo ex his, nullam creaturam posse esse suum intellige, aut suas operationes. Quia debet posse perfici à prima causa, tum in naturalibus, tum in supernaturalibus.

QVÆSITVM SECVNDVM,

Vtrùm Aristoteli Intelligentiæ orbium cœlestium motrices sint suum intelligere.

Hoc quoque quęsitum in controuersiā nunc vocari oportet, cum hactenus intra Theologorum fines disputationem concluserimus; nec quicquam è philosophorum placitis in medium prolatum à nobis sit. Equidem non diffiteor magnam inter Peripateticos semper fuisse contentionem, dum inter se de Aristotelis mente in Intelligentiarum naturis atque operationibus asserendis decertant. Ex dictis tamé illud nunc ponendum est tanquam firmum ac stabile has Intelligentias esse in rerum natura, eásque Aristoteli esse substantias à materia abiunctas, ideóque intelligentis essentiæ, orbiúmque cœlestium motrices tot numero per orbes cœlestes sparsim quot sunt orbes, vt suprà dictum est. Attamen sintne huiusmodi operationes à substantia distinctæ reipsa, an non; omnes inter se dissident vehemēter Peripatetici. Neque vt in rebus maximè dubiis solet accidere tam Aristotelis mentem explicant, quàm inuoluunt. Quidam enim, vt Achillinus in suis opusculis de Intelligentiis satis putant factum quæstionibus, si vnius Auerrois auctoritates congereret, iisq; doctrinam suam fulciret. Alij contra, omnem difficultatis nodum dissolui arbitrantur, si Auerrois impietatem accusent, barbariem notent, verba detestētur. Neutrum tamen ad propositam causam: quia nec legentes edocent quod inquirant, nec pietatem animis imprimunt, quam contumeliis ac maledictis inculcant. Sanè decet *esse arbitros non aduersarios, qui veritatem sufficienter indicaturi sunt* inquit Aristoteles 1. cœli cont. 101. Aristoteles. Nos itaque nec Auerrois auctoritatem & dicta spernemus, si ea vel ad veritatem, vel saltem ad Aristotelis consilium facere nobis probetur; nec eam magnifaciemus, si eandem vtroque carere conspexerimus. Quod etiā de cæteris huiusmodi Peripateticis dictū volo; ne in istiusmodi iuremus verba Magistri. Sit ergo in hoc quæsito

A

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Aristoteli ac veteribus Peripateticis Intelligentiæ, hoc est substantiæ abstractæ, atque à materia abiunctæ, cum Deum cateràsque substantias atque etiam alia obiecta cognoscunt, intelligant tale obiectum formaliter per eiusdem obiecti substantiam seu essentiam.

B Abstrusam atque in abditis Peripateticæ disciplinæ penetralibus penitus delitescentem maximis de rebus disserentem philosophiā indagare nunc animus est. Qua in re cum tritā maiorum vestigiis viam, quam nullam video relictam, calcare nequeamus; adhibenda nobis omnis cogitandi, ingeniique quoad per vires licet solertia est, vt nihil prætermittatur siue ex Aristotelæis siue ex Peripateticorum decretorum monumentis, vbi vestigia quæ nos in conspectū veritatis Deo duce comitéque Angelo ducant, imprimere possimus.

C *Quamcumque Intelligentiam Aristoteli ac Peripateticis cognoscere Deū & quamuis aliam ex Intelligentiis: Vbi etiam ostenditur ex Aristotelis Peripateticorúmque sententia, animum hominis posse intelligere substantias separatas, & quo modo.* §. 1.

Hic tamen de re quæ mihi certissima videtur, pluribus disputandum non censeo; sed potiùs in præsentia eius veritatem supponendam esse; nempe Aristoteli quamcunque Intelligentiam cognoscere cæteras Intelligentias, atque adeò Deum ipsum. Id namque perspicuè patet manifestis ex Aristotele desumptis argumentis. Primò quidem, quia Aristotelis opinione etiam nos aliquando cognoscimus conceptu proprio substantias separatas. ergo & quælibet Intelligentia alias cognoscet. Est enim vnius Intelligentiæ ad cæteras multò maior proportio in ratione obiecti, quàm sit nostri intellectus ad ipsas: ob maiorem scilicet earum naturarum conuenientiam, quæ inter ipsas quàm nobiscum est, cum illæ omnes sint penitus à corpore auulsæ; nos materiæ corporibúsque conclusi. Consequentia patet ex Aristotele libro illo 1. Rhet. cap. de locis Enthym. quia *si quod minus, est etiam quod magis.* ergo si homines Intelligentias norunt, multò magis ipsæ se cognoscent Intelligentiæ. Sicut contrà ex eodem Aristotele dicebamus: *si Dij non omnia sciunt, multò minus homines.* Aristoteles.

D

E

Antecedens, licèt suprà hac de re multa dicta sint, tamen vt res grauissima magis declaretur, probandum vlteriùs est. Videtur autem nonnullis indicari ab Aristotele triplici in loco; vt eos locos citat Cardinalis Toletus lib. 3. de An. q. 24. §. *At Aristoteles.* Primus est lib. 2. de Gener. animal. cap. 3. Existimatur enim ibi Aristotelis pronun Toletus.

pronunciatum esse, Animum humanum habere quandam actionem, quæ nullo modo prorsus à corpore ne vt obiecto quidem dependeat, quæ non videtur alia esse posse, quàm separatarum substantiarum intellectio; vt ibi ait Toletus. Si namque ille intelligendi actus ab obiecto corporeo non dependet; ergo eius obiectum incorporeum omninò est. At quale tandem assignabis obiectum omninò incorporeum præter ipsas Intelligentiarum substantias?

Verum ne incerta pro certis asseramus; verè ex illo loco Aristotelis, quod contendimus, non colligitur. Tantùm enim ait, solum animum Intelligentem esse diuinum. *Nihil enim* inquit *cum eius actione communicat actio corporalis*; cum scilicet ea actio elicitur, quæ est simplicium, vniuersaliúmque notitia, vt suprà diximus. vnde non est recurrendum ad substantiarum separatarum cognitionem.

Alter locus est lib. 9. Metaphys. cont. vlt. vbi existimat Aristoteles intellectum nostrum non esse potentia ad intelligendas substantias immateriales, non qualem habet cæcus ad videndum. *Sicuti* inquit *si non haberet aliquis intelligendi potentiam.* Quibus verbis Aristoteles videtur significare aliquo modo intellectum nostrum posse tales substantias percipere. A quo ipse argumento non solùm non dissentio; verùm etiam vehementer mirandum sit si hac in re quispiam dissideat. Verè enim ibi Aristoteles etsi negat in nobis actum ipsum intelligendi circa simplicia & circa substantias simplices; nempe vt ipse loquitur, *circa non compositas substantias*; non tamen ipse potentiam omnem exclusit. Quod rectè explicauit Auerroës ibidem & A. Doctor, qui ibi expresè concedit Aristoteli posse intellectum nostrum intelligere separata illis verbis, de quibus etiam suprà dictum est. *Ex quo patet* inquit A. Doctor *quod secundum sententiam Aristotelis humanus intellectus potest pertingere ad substantias simplices; quod videtur sub dubio reliquisse in 3. de An. cont. 36.*

Tertius locus est lib. 2. Metaphys. cont. 1. vbi Aristoteles comparat intellectum nostrum dum versatur circa Intelligentias cum oculis vespertilionum dum lumen solis aspiciunt. *Quemadmodum enim* inquit *se habent vespertilionum oculi ad lumen diei; ita & intellectus animæ nostræ ad ea quæ manifestissima omnium sunt.* nempe substantias separatas; vt ibi omnes explicant. Ex quo infert Cardinalis Toletus, cum vespertilionum oculi immediatè videant aliquo modo lumen solis, necesse esse etiam nostrum intellectum aliquo modo cognoscere substantias abstractas à materia immediatè; & non alieno conceptu.

Hic tamen locus non omninò probat quod putauit vir ille doctissimus. Nam ibi Aristoteles solùm contendit, imperfecto nos modo abstractas illas Intelligentias videre atque cognoscere; sicut vespertiliones imperfectè vident solis lucem; Non autem in eo est comparatio, vt immediatè & non per alienas species vtrobique sit cognitio. Hoc enim ex verbis Aristotelis saltem non clarè conficitur, ac proinde ex eo loco potiùs ex vtraque parte disputandum esset, quàm quidpiam certi statuendum.

Satis ergo erit locus ille ex lib. 9. Metaph. antè adductus ad Aristotelis assequendam mentem ex his tribus locis quos retulimus. Vnde patet licèt lib. 3. de An. cont. 36. Aristoteles ancipitem huius rei sententiam tradidisse visus sit, tamen alibi non dubitasse; & quid senserit aut prodidisse aut subindicasse.

Sed longè meliùs probatur illud antecedens ex communi Peripateticorum consensu, qui idé ita clarè Aristoteli tribuerunt, vt si veteribus Peripateticis credendum sit; non possit in hac re de Aristotelis mente dubitatio exoriri.

Ordiar à Theophrasto Aristotelis Platonisq; auditore præcipuo. Is enim vt est apud Priscianum Lydum lib. de Phantasia & Intellectu cap. 7. in fine ait, intellectum nostrum per ipsa scibilia, ad quę percipienda vtitur opinione ac sensu, posse conuerti *ad illa quæ intelligibilia nominantur, quibus per ipsa scibilia veluti secundum continuum vel coniugium copulatur.* Nimirum eo quod scibilia acquisierit, eorúmque coniunctione euaserit ita potens, vt per se operari possit. Sic enim videtur explicare cap. 9. vbi ex scibilium vsu ait posse ex se operari. ergo tunc potest conuerti ad intellectilia, & quæ sunt per se abstracta à materia, non per solam rationem atque intelligentiã, qualia scibilia sunt, nempe vniuersalia quorum scientia est.

Clariùs etiam idem patet ex cap. 13. vbi duplices facit rerum species, immateriales & materiales. Vtrarumque autem specierum simulachra ait esse animo atque intellectui insita: & per simulachra immaterialium repræsentari res immateriales totas; nempe & secundum naturam & secundum rationem indiuiduam. Quia idem est *in speciebus à materia separatis ipsum esse vnumquodque, & ipsum eius esse.* nimirum natura & singularitas. At verò per materialium referri res materiales secundum naturam; nempe secundum rationem vniuersalem, non particularem; cum videlicet ipse intellectus non vtitur phantasia & sensu, qui sunt singularium. Tunc enim constat cooperante intellectu cum sensu singularia percipi, vt infrà dicetur. Ergo apertè fatetur Theophrastus non solùm cognosci res immateriales à nobis; verùm etiam earum rationes, seu species atque imagines insitas esse animo ab eius exordio. Vnde & subdit quasi ex dictis concludens. Itaque *intellectus qui dicitur potentia vtrasque species contemplatur.* & paucis pòst explicans quanam ratione has vtrasque species noster intellectus contempletur, sic subiungit: *Illas quidem* hoc est substantias separatas *secũdum quandam vt ita dicam identitatem, atque communem inter immateriales species vnionem.* Non quòd solùm eas intueatur secundum communes tantùm rationes: nam ait, *vt ita dicam.* Sed quia cum sit in illis maxima vnitas ob naturæ excellentiam, & sit perfecta in imaginibus insitis repræsentatio, vt ipse arbitrabatur, dum intellectus intuetur contemplatúrque earum naturas, simul videt ipsarum quodammodo identitatem, id est vnitatem seu singularitatem, & communem rationem. Dicit autem *vt ita dicam identitatem*, vt significet opinor se non existimare esse adeò simplices substantias, vt nulla prorsus in eis compositio ratióque potentiæ susceptricis insit: ne eæ ipsi Deo enti simplicissimo æquiparentur. Pergit verò quo pacto materiales substantias cognoscamus declarare his verbis : *Has verò* (quia de separatis iam proximis verbis relatis dixerat) *velut à causa ea quæ sunt similia causæ*, nempe contemplatur intellectus; quia scilicet dum naturas vniuersales considerat à causa materiali

riali illas abstrahit, hoc est ab indiuiduis, quibus caussis naturæ illæ similes sunt. Vt enim supra dixerat *species in materia existentes quadam abstractione cognoscit* intellectus dum phantasia sensúque non vtitur, cum quibus singularia specierum materialium intelliguntur.

Theophrastus ergo substantias à materia seiunctas concedit ab intellectu nostro intelligi posse. Quod verò ait Theophrastus, animo insitas esse rerum species; non est perinde accipiendum, quasi omnes species sint à natura, vt infrà dicetur diligentiùs, sed quòd primorum principiorum & similium putet nostrum intellectum speciebus informari.

Alexander. Secundò idipsum patet ex Alexandro, cuius auctoritas apud Peripateticos in primis magnifieri solet. Is itaque Alexander Aphrodisiensis libro suo 2. de Anima cap. *Cur Aristoteles intellectum qui extrinsecus aduenit admiserit.* quod est caput 18. apertè concedit intellectum nostrum, qui est intellectus potentia, cum ab intellectu agente absolutus est atque perfectus, posse percipere substantias separatas. Verba Alexandri (ne quis arbitretur nos obnitentem trahere) sunt hæc: *Est aliquid per se intelligibile suapte natura tale existens*; quod nimirum non indiget abstractione naturæ vt intelligatur. Cuiusmodi sunt singulares substantiæ à materia prorsus abiunctæ. *Hoc intellectus in potentia perfectus atque auctus intelligit. Velut enim potentia ambulandi, quam homo habet statim ab ortu decursu temporis in actum prodit ipso* homine *perfecto atque adulto; non affectione aliqua intercedente: eodem modo intellectus perfectus tum quæ natura intelligibilia sunt intelligit; tum quæ sensibilia, sibi intelligibilia efficit.* Ergo opponit intellectilia per se, & quæ ab intellectu intellectilia fiunt. Ergo separata (quæ per se intellectilia sunt, non autem fiunt ab intellectu) intelligit intellectus noster Alexandri sententia, vbi per habitus & rerum notitias ab intellectu agente completus perfectúsque fuerit suis rerum simulachris atque imaginibus: quibus positis per se operari intellectus potest.

Auerroes. Quibus (vt obiter id quoque dicatur) patet Auerrois ignoratio, qui lib. 3. de Anima cont. 36. ac si semper interiores Alexandri sensus omnes scrutetur, securus affirmare audet; Alexandrum hoc loco sibi aduersari, eo quòd alibi nempe libro 1. suo de Anima cap. *de intellectu agente* dixerit, intellectum qui separata cognoscit, non esse intellectum nostrum, sed intellectum agentem, quem Alexander putauit esse Deum ipsum. Ait enim sic Alexander: *Et intellectus huiusmodi intelligibile intelligens incorruptibilis est, non subiectus intellectus ac materialis. Hic enim cum anima, cuius potentia est, interit, atque eius habitus potentia & perfectio. At verò intellectus agens cum materiali vnum efficitur, vbi ipsum considerat.* Vbi Auerroi Alexander duo significare visus est. Vnum quidem quòd velit solum intellectum agentem intelligere abstracta. Alterum, Alexandrum consensisse ei sententiæ, quam veram arbitratus est Auerroës; nimirum intellectum materialem abstracta non cognoscere nisi per agentem intellectum tanquam per formam suam. Ergo Alexander sibi aduersatur alio loco citato, vbi contrarium expressis verbis docuit.

Verùm qui ad pauca respiciunt sæpè falsa pronunciant. Alexander enim vtroque sibi loco, si rectè eius verba pendantur, intrè consentit; atque ab Auerroë ipso quoad vtrumque discordat. Nam primò tantum abest, vt hoc proximè ab Auerroë citato loco Alexander neget, intellectum nostrum substantias abstractas percipere, vt concedat apertissimè ab eodem ipso intellectu nostro percipi Deum; nempe ipsum intellectum agentem, quem ibi dixerat esse primam causam & Deum. Sic namque concludit Alexander paulò post verba iam citata ab Auerroë: *Intellectus igitur qui in nobis incorruptibilis intelligitur, talis est, & in nobis separabilis & incorruptibilis, quem Aristoteles deforis nuncupat,* &c. Ergo intellectus extrinsecus ad nos accedens, quem Alexander putauit Aristoteli esse intellectum agentem ac Deum, intelligitur à nobis in nobis esse. Ergo non solus intellectus agens in nobis abstracta intelligit; verùm etiam intellectus qui in nobis dicitur materialis.

Quin etiam addo in ipsis verbis paulò ante citatis ab Auerroe ipso, doceri ab Alexandro, intellectum nostrum fieri vnum cum intellectu agente, cum intellectus noster ipsum intelligit: *At verò intellectus agens cum materiali*, qui est noster vt dixerat cap. de intellectu materiali *vnum efficitur, vbi ipsum considerat.* Ergo noster intellectus agentem considerat, cum quo vnum efficitur. Nam quid, quis considerat. Nónne intellectus materialis agentem? Si enim dicas ab agente considerari materialem; Contrà euidenter insto ex verbis illis: Quia illum Alexander intelligit intellectum, quem ait fieri vnum cum ipso agente, & qui omnia fit cùm ea intelligit. Reddit namque rationem eius quod dixit; nimirum cur intellectus vnum efficitur cum eo quod intelligit: *Ob id* inquit quod *singulis rebus intellectis idem fit, cùm res eædem intelliguntur.* Ergo ille intellectus Alexandri opinione intelligit agentem intellectum, qui omnia fit cum ea intelligit. Hoc autem Alexandro esse proprium intellectus materialis, non autem agentis patet ex initio eiusdem capitis; nempe cap. *de intellectu agente* libro 1. de Anima, vbi vtrumque intellectum ex aduerso opponens ait, quia in omni genere est aliquid quod potestate omnia fit, aliud verò quod actu est, & omnia facit, *in intellectu quoque has differentias haberi.* Itaque materialis intellectus est omnia fieri cùm ea intelligit: Agentis verò ea in ipso facere. Quam doctrinam ex Aristotele desumpsit lib. 3 de An. cont. 17. & 18. Ergo falsum est quod ait primo loco Auerroës, Alexandrum sibi contrarium esse, quòd doceat non intellectum nostrum, sed intellectum agentem intelligere separata.

Deinde verò Alterum quoque falsum est, quod secundo loco idem Auerroës docet, vt retulimus ex eodem com. 36. Alexandrum scilicet sentire, intellectum nostrum materialem intelligere separata per intellectum agenté tanquam per formam; eo quòd Alexander dicat, intellectum qui agentem intellectum cognoscit, immortalem esse; ex quo putat Auerroës conciliari posse duo loca Alexandri; quæ sibi inter se pugnare videri possunt; Vt scilicet intellectus qui separata nouit, sit intellectus materialis, & non sit idem intellectus materialis. Sit quidem quia per agentem cognoscit separata: Non sit autem; quia is qui cognoscit separata formaliter est intellectus agens. Hęc inquam falsa sunt, & ab Alexandro prorsus aliena.

Nam

Zimara. Nam primò vt benè notauit Theophilus Zimara lib. 3 de An. in cont. 36. pag. 365. col. 3. & deinceps, Alexander nusquam locorum scripsit intellectum nostrum per intellectum agentem, immaterialia cognoscere. Quod si quis locus esset certè is videtur, vbi dicitur in verbis relatis priore loco: *Intellectus agens cum materiali fieri vnum cum ipsum intelligit*; quia scilicet fiat vnum ex forma atque subiecto. quibus verbis suas Auerroës formauit chimæras. At hoc nihil probat. Nam si intellectus materialis fit vnum cum agente cùm ipsum intelligit. ergo fit vnum tanquam intellectus in actu, & obiectum quod intelligitur apud Alexandrum; qui docet cùm intellectus actu intelligit aliquam rem esse idē cum illa re. Sic enim apertè loquitur libr. 2. de An. cap. 15. *Scientia* inquit *in actu idem est quod scibile in actu, ceu sensus in actu idem est quod sensibile in actu. Item vt sensile in actu idem est quod sensus in actu; ita etiam intellectus in actu idem est quod intelligibile actu, & intelligibile in actu idem est quod intellectus in actu.* Vult ergo Alexander fieri vnum seu esse idem vnitate seu identitate cognitionis & obiecti, id est formæ secundum repræsentationem, & obiecti in esse repræsentato; seu, vt dicitur, *in esse intentionali.* Quia scilicet intellectus dum suscipit formam lapidis fit lapis; & dum suscipit formam leonis, fit leo; sicut cum materia suscipit formam hominis fit homo; & leonis fit leo.

Qui modus loquendi Aristotelæus est: Nam lib. 1. Phys. cont. 60. docet materiam cum suscipit alicuius formam fieri illud ipsum cuius formam induit: *Oportet* inquit *semper aliquid subiici quod fit & hoc.* Eodémque modo cont. 62. ibidem: *Necesse est* inquit *subiici aliquid quod fit.* Vnde ibidē cont. 64. dupliciter ait aliquid fieri: *Aut enim subiectum aut oppositum.* Quasi dicat non solùm forma fit; sed etiam subiectum. Non quòd subiectum fiat, & ad suum esse pertranseat, quia ipsi formæ supponitur; sed quòd cùm esse formæ atque compositi induit, subiectum ipsum, fieri tale compositum denominetur. vt cum dicitur lignum fit ignis, &c.

Similiter habita proportione ad materiam, quæ cum formam suscipit fieri dicitur, docet libr. 3. de An. intellectum potentia fieri aliquid suscipiendo eius formam. Nam cont. 8. ait, non priùs intellectum sciendi habitum acquirere, quàm susceperit in se rerum formas de nouo, eáque omnia factus sit: *Cum autem* inquit *sic singula factus est, vt sciens dicitur qui secundum actum.* Sic etiam cont. 14. ibidem ait; antequam formas rerum nempe notiones habeat, *intellectum esse potentia intelligibilia, actu nullum antequam intelligat.* Haud secus eodem libro cont. 18. eundem intellectum potestate seu materialem ait *omnia fieri*, & intellectum agentem omnia facere, nempe in esse intelligibili. Non enim aliter fit omnia intellectus potestate: Ergo nec agens aliter omnia in intellectu potestate facit. Ex quo loquendi modo ibidem cont. 15. ait: *scientiam speculatiuam & ipsum scibile idem esse.* Quia scilicet si intellectus intelligēdo obiectum fit ipsum obiectum, quia eius formam acquirit. ergo scientia est ipsū obiectum nempe formaliter, seu secundum formam, id est secundum notionem aut speciem, quæ est obiecti forma quoad esse intelligibile.

Alexander. Ex his ergo aio Alexandrum, cum ait intellectum potestate fieri vnum cum intellectu agente, non asserere fieri vnum, quia formaliter eum suscipiat in esse reali, sed solùm in esse intentionali, & secundum eius notitiam. Quod non solùm patet ex dictis, sed etiam confirmo duplici argumento. quod vtrumque ab ipso Alexandro desumo. Primum est, quia eo modo intellectus fit vnum & idem cum intelligibili, quomodo sensus fit vnum & idem cum sensibili. Hanc enim paritatem similitudinémque docuit Alexander vt vidimus ex verbis modò relatis. At sensus non fit vnum & idem cum sensibili nisi per eius notitiam seu speciem, quam sensus consequitur cognoscendo obiectum; nempe colorem, lucem, quantitatem, &c. ergo simili modo fit vnum intellectus cum eo quod ab ipso intelligitur. Deinde quia Alexander expresse id docuit capitullo 15. libri 2. sui de Anim. cum dixit, *intellectum quamlibet ipsarum rerum fieri quoties intelligitur.* ergo intellectus non aliter fit ipsa res quæ intelligitur, nisi eam intelligendo. Alioqui intellectus dum intelligit leonem, verè fieret leo; & dum muscam agnoscit, verè fieret musca, &c. quæ manifestè absurda sunt. Idem apertiùs patet ex iis, quæ infrà subdit Alexander cum ait: *Intellectus formam rei intelligibilis apprehendens, eámque à materia seiungens tum ipsam formam intelligibilem facit, tum etiam ipse actu fit.* nempe suscipiendo actum, & formam, ob quam est actu. Constat ergo intellectum nostrum non aliter fieri vnum cum agēte nisi duobus modis. nimirum seu secundum formam intelligibilem, seu secundum notitiam. Illo quidem, in actu primo: Hoc verò, in actu secundo.

Hinc intelligitur quid sit apud Alexandrum, intellectum agentem gigni in nobis, aut separari à nobis. Nō enim id est, quia realis forma fiat, aut realiter à nobis separetur; vt barbarè nimis, Arabs arbitratus est; sed quia in nobis gignatur per ipsius cognitionem, & eadem rursus cognitione separetur. Vtrumque habes ex Alexandro. Illud quidem in fine capitis 15. citati. Alexander. Vbi de intellectu agente, *qui extrinsecus aduenire dicitur. Ipse inquam actiuus, qui non est particula, neque potestas aliqua nostræ animæ, sed à rebus externis in nobis gignitur, quoties ipsum intelligimus; si quidem formæ apprehensione intellectio fit.* Hoc autem immò vtrumque eodem lib. 2. cap. 23. in fine clarè docuit: *Separabilis verò dicitur intellectus extrinsecus, & separatur à nobis non tanquam aliquò migrans, locúmque commutans, sed separabilis quidem dicitur tanquam per se existens, & non cum materia. separatur autem à nobis, quoniam non intelligitur, non quod aliò demigret. Ita enim quoque in nobis gignebatur.* Hæc ille. Quod si diligentiùs inspexisset Arabs, Alexandrum nec facilè insimulasset repugnantiæ; nec perperam eius doctrinam retulisset.

Substantiam animi nostri esse immortalem Alexandro, non tamen quà anima est, & quo pacto hæc duo differant inter sese. Vbi id ipsum ex A. Doctoris Aristotelisque doctrina declaratur. §. 2.

ADdo etiam illud, quod maximi profectò momenti Peripateticis esse debet. nempe Alexandrum ita de animi nostri immortalitate

tate sēsisse ac locutū esse, vt si(quod pace nōnullorum magnorum virorum dictum vehementer cupio)recte intelligerentur,quæ docuit idē Alexander de intellectus nostri substantia, profectò nullus vnquam Peripateticorum præstātissimo, animæ intelligentis mortalitatem imputare potuisset. Nunquam enim, vt alibi fusiùs ostendam, ille arbitratus est animum intelligentem seu intellectum potestate interire substātialiter & corrumpi, sed solum eundem intellectum materialem esse corruptibilem & non perpetuum, qua intellectus materialis est, & qua rerum corruptibilium cognitor.

Quod nunc contentus ero vno eius loco adducto obiter roborare, cætera suis locis reseruando. Qui locus est in libro 1. suo de Anima cap. *de intellectu agente* circa medium, vbi sic longam disputationem de corruptibilitate nostri intellectus, eiúsque immortalitate concludit. *Corruptibilis igitur est istiusmodi intellectus; hoc est istiusmodi considerationes; vbi verò intellecta res talis est, qualis suapte natura intelligitur, eiusmodi cum sit, incorruptibilis est.* Vide nunc Alexandrum de eodem nostro intellectu affirmare quod corruptibilis incorruptibilisque sit pro varietate considerationum.Si enim mortalia consideret, mortalis est; sin incorruptibilia contempletur immortalis. Quod non potest intelligi de mortalitate quoad substantiam. ergo solùm de mortalitate quoad cogitationes in iis intelligendis. Putauit enim cogitationes rerum caducarum vnà cum corpore ac sensibus interire tum in actu primo,tum in actu secundo,eoquòd ab iisdem sensibus pendere tales cogitationes debeant. Contrà verò, cogitationem æternorum consistere in perpetuum in actu saltem primo, quandoquidem corporis adiumenta non poscunt.Quocirca & immediatè subdit,cur incorruptibilis sit,si æterna cognoscat:Quia *etiamsi ab intellectione separetur, permanet incorruptibilis*: quia scilicet separatus potest eadem intelligere. non potest autem materialia, eo scilicet modo quo est in potentia ad illa in hac vita per sensus & species ex phantasmatis.

Alexander. Quod ipsum etiam Alexander indicauit eodem cap. immediatè post illa verba.Nam ostendendo, cur intellectus incorruptibilium sit incorruptibilis;corruptibilium verò corruptibilis sic ait. *Intellectus igitur* inquit *qui hoc intelligit*, nempe æternum,*incorruptibilis est, non subiectus & materialis. Hic enim cum anima cuius est potestas corruptibilis simul interit,& eo intereunte eiusdem habitus & potestas & perfectio vnà corrumpitur. At verò intellectus actiuus cum materiali idem efficitur vbi ipsum considerat &c.incorruptibilis est.*Quibus apertè significat intellectum materialem vnà cum anima interire:non quidem substantialiter,quia permanet intelligendo agentem,& in anima est intellectus materialis,vt patet ex cap.sequenti, (vbi probat quia intellectus materialis est susceptiuus rerum omnium,animam quoque eiusdem esse susceptricem) sed in ratione animæ; hoc est quoad animationem. Quasi dicat,intellectus materialis corrumpitur vnà cum animatione, quia quà talis est,desinit posse operari per sensus:Non verò idem intellectus cùm æterna conspicit, desinit esse vnà cum animatione; quia quà intellectus æternus, ea sublata adhuc potest ea ipsa percipere. & ideò subiungit hanc rationem, cur idem intellectus sit corru-

A ptibilis & incorruptibilis: *Et qualecunque est quod intelligitur, tale cum illud ipsum intelligit fit.* Quæ omnia habent veritatem non de substātiali corruptibilitate atque incorruptibilitate, sed de accidentali vt dictum est. Idem enim substantialiter non potest pro varietate intelligendi fieri nunc mortale nunc immortale substantialiter. Vera tamen sunt quoad eius cogitationes, secundum quas,Alexandri sententiâ interit si corporeæ sint;immortalis est,si incorporeæ.

Philoponus. Nec sanè nouum est Peripateticis, animam sumi qua exercet animandi, & intellectum intelligendi actum; vt patet ex Philopono libro
B secundo de An.in contextu vigesimosexto, vbi etiam docet, nauis gubernatorem quà gubernator nauis est, esse inseparabilem à naui; separari tamen posse, quà homo est. *Veluti gubernator qui nauis cum sit ἐντελέχεια, quatenus gubernator est, ab naui separari non potest. Verùm quia non solùm gubernator est vt homo quidem, non autem vt ἐντελέχεια ab naui separabilis est. Hoc etiam modo anima nostra quæ quatenus corporis ἐντελέχεια est nō potest esse sine corpore,sed quoniam quasdam separabiles habet actiones,scilicet circa intelligibilia,in quas non modo corpus non confert,verùm etiam impedimento est intellectui.Id patet quod substantiā separabilem habet.*Addit quoque cùm separatus est animus dici intelle-
C lectum non animam nisi potentia & contrà.

Simplicius. Simplicius etiam in expositione ad particulam vigesimamsextam & vigesimamseptimam, libro 2.de An. eodem modo vt Philoponus docet: Nimirum *quod ipsius animæ rationem participantis separabile est,in primis quidem ab ipso intellectus appellatus fuit.* Deinde verò appellari animam eo quod *is quoque corporis est actus in illo impetu*, id est inclinatione *ad ea quæ extrinsecus sunt non secus atque nauta nauigij sit.*

A. Doctor. His addi etiam debet A.Doctor, cui mos semper fuit se in philosophando præstantissimis Peripateticis accommodare, eorúmque decretis
D cùm à veritate non discrepāt,apertè subscribere. Is ergo infrà quæst. 97. a. 3.c. disertè docet animam dici quà corpus animat,spiritum verò dici absolutè. *Considerandum* inquit *est,quòd anima rationalis & anima est,& spiritus. Dicitur autem anima secundum illud quod est sibi commune & aliis animabus,quod est vitam corpori dare. Vnde dicitur Genes. 1.* Gen. 1. *Factus est homo in animam viuentem; id est, vitam corpori dantem.Sed spiritus dicitur secundum illud quod est proprium sibi & non aliis animabus, quod scilicet habeat virtutem intellectiuam immaterialem.* Hinc ait in primo innocentiæ statu & reliquo huius vitæ animam communicare corpori, quod illi competit secundum quod est anima. In vltimo autem statu, postquam è mortuis homo exci-
E tabitur, fore vt anima cum corpore communicet ea quæ sibi propria sunt, immortalitatem scilicet, impassibilitatem, gloriam, virtutem, & cætera.

Zimara. Ex quibus patet Peripateticis animam non tam esse essentiæ nomen quàm habitudinis ad corpus, quam Græci σχέσιν vocant. Vnde rectè notauit Theophilus Zimara libro secundo de An.in contextu vigesimosexto, pagina 128. columna secunda,intellectum quà intellectum,esse separabilem substantia & actione, animam verò substantia quidem non tamen actione, quoniam eius actio hoc est animæ, quà anima est & corporis forma, sine phantasia, ac sensu non est.

Quin

Quin etiam idem habes apud Ariſtotelem lib. 10. Ethicor. cap. 8. cùm dixit intellectum quà intellectus eſt; hoc eſt ſecundum quod exercet actus intelligendi, non eſſe formam hominis; nimirum eo quòd corpus non concurrit ad huiuſmodi operationes. *Non inquit quà homo eſt ita viuit, ſed quà diuinum quoddam in eo inextiſtit.* Quod intellige vt benè obſeruat idem Zimara lib. 3. de An. in cont. 1. pag. 288. col. 2. in fine. quia vt eſt intellectus contemplans, non eſt forma hominis, quia in ea contemplandi actione non vtitur ſubiecto corpore. Qua etiam ratione Ariſtoteles docuit, intellectum contemplatiuum non omnibus hominibus ineſſe; nempe ſecundum operationem. Itaque intellectus ſubſtantialiter quidem eſt forma hominis, non tamen ſecundũ omnem operationem; Vt cùm lib. 1. de An. cont. ſexageſimoquinto Ariſtoteles dixit cogitare ratiocinari eſſe hominis, non tamen intelligere, ſed ipſius animæ intelligentis. Sanè Ariſtoteles primo de An. contextu ſexageſimo dixit intellectum ſecundum prudentiam non omnibus hominibus ineſſe: & libro ſecundo, context. 162. intellectum deliteſcere ob affectus animi. quæ etiã omnia confirmabo pluribus infrà ex A. Doctoris ſententia hoc ipſum apertè ſentientis, optiméque declarantis.

Zimara. Ariſtoteles.

Quod verò dicebatur ex Alexandro, intellectum poteſtate cùm perfectus eſt atque auctus, intelligere ſeparata; quem locum Auerroës interpretabatur, vt Alexander ſentiret eſſe perfectum per intellectum agentem tanquam per formam, reiiciendum omninò eſt. Nam Alexander exiſtimauit perfici per habitum tanquam per formam, non autem per ſubſtantiam intellectus agentis. Abſoluitur enim intellectus materialis, vt docet idem Alexander libro primo ſuo de An. capite *de intellectu qui velut habitus dicitur* per continuas actiones ope intellectus agentis circa ſenſibilia, à quibus viſum atque aciem ſumit ad vniuerſalium cognitionem, ita vt tandem, vbi ampliùs non eget vt ad ſenſibilia deſcendat (vbi nimirum huiuſmodi abſtractionibus inſueuerit) ſed per ſe concipere poteſt vniuerſalia, tunc intellectus fit ac nominetur propriè. Vnde quia tunc habitum contraxit abſoluendi atque immaterialiter intelligẽdi multas formas, & diſciplinis inſtructus eſt, dicitur abſolutus atque perfectus. Hunc igitur Alexander appellat intellectum, qui eſt habitus; vt patet ex eodem libro cap. *de intellectu qui eſt habitus.*

Alexander. Auerroës. Alexander.

In quo animaduertes Alexandri ſententia quoſdam diſtinguere intellectum ſecundum habitum, & intellectum qui eſt habitus; eò quòd Alexander eodem libro primo duo capita inſcripſit. Alterum *de intellectu ſecundum habitum:* Alterum *de intellectu qui velut habitus dicitur:* quaſi velit ſignificare hos duos intellectus eſſe diſtinguendos. Verùm non eſt quod diſtinguantur. Nam Alexander eaſdem ibi aſſignat proprietates vtriuſque. Fatebor tamen vltrò, ſi aliqua diſtinctio reponenda ſit, eam potiùs in eo ſitam eſſe, quòd intellectus ſecundum habitum eſt, dũ habitum acquirit: Intellectus verò qui in habitu eſt, perfectus iam eſt. Quod aliqua ratione colligitur ex capite *de intellectu ſecundum habitum.* Sed quicquid id ſit, intellectus perfectus eſt per habitum, non per intellectum agentem formaliter, vt oſtenſum eſt. Vnde etiam patet copulam illam noſtri intellectus cum agente tanquam forma, qua ipſum ac cætera ſeparata percipere valeat, nunquam Alexandro in mentem veniſſe.

Verùm quoniam Alexander viſus eſt intellectui in habitu, munus quod eſt intellectus agentis, nempe abſoluere formas à materia (quia diximus intellectum contracto habitu abſoluere formas à materia, dum eas immaterialiter intelligit, hoc eſt ſine conditionibus materialibus) detuliſſe, id occaſione arrepta in Alexandro videtur Auerroës reprehendiſſe. Cui Alexander reſpõdere poſſet, vt rectè notauit Theophilus Zimara libro tertio de An. in contextu trigeſimoſexto, pagina 366. columna 2. Initio quidem id intellectus agentis eſſe munus: at nobis doctrina auctis id quoque non eſſe denegandum intellectui in habitu, vt quemadmodum initio cùm diſcere incipimus, diſciplinæ in nobis aliquo docente pariuntur, quibus comparatis ipſi per nos ſpeculamur: Ita primùm abſtractio formarum à materia intellectus agentis munus ſit; vbi verò cooperante agente, intellectus habitum intelligendi immaterialiter cõſecutus eſt, tunc has partes intellectui in habitu deferri oporteat. Atque hæc obiter & paucis dicta ſint ad Alexãdri Peripatetici grauiſſimi ſententiam in maximo negotio declarandam; ne obtuſum Arabis, & eius ſimilium ingenium in Alexandro intelligendo ac refutando aliquid acuminis habuiſſe videatur.

Alexander. Auerroes. Zimara.

Ex quibus omnibus manifeſtè colligitur, quàm clarè ex communi Peripateticorum conſenſu demonſtrari poſſit, intellectum noſtrum immortalem eſſe apud Ariſtotelem; quando ex Alexandro qui vnus cõtrà ſentire putatur, eandẽ animi noſtri immortalitatem adeò certò affirmare poſſimus, vt res omni dubitatione prorſus careat. Conſtat ergo verum eſſe illud antecedens ex Alexandro: Animam ſeu intellectum hominis percipere abiunctas à materia ſubſtantias. Nunc ad cæteros pergamus.

Themiſtio poteſt intellectus noſter intelligere ſeparata, idémque reliqui Peripatetici, & quid de Auerroë ſentiendum.

§. 3.

Tertiò idem patet ex Themiſtio, qui non ſolùm id docet, ſed rationem eius eleganter aſſignat. Etenim libro tertio de An. capite quinquageſimoprimo, quærit initio: *Vtrùm res ſimpliciter ſeparatas, & prorſus materia ſordibus vacuas & abſolutas intelligere animus poſſit qui in corpore eſt, & à magnitudine non abiunctus.* Quærit ergo non de intellectu agente aut de alio qui ad animum non pertineat, ſed de ipſo animo à corpore nondum abiuncto, ac proinde de intellectu, qui ſit aut animus ipſe noſter, aut certè animi noſtri vis ac facultas. Vtrùm intelligere ſubſtantias penitus à materia ſeparatas poſſit. Cúmque hac de re ex eo dubitaſſet, quòd ſicut intellectus agens nihil materiale intelli-

Themiſtius.

intelligit; ita nec intellectus materialis quicquam separatorum cognoscere queat. Quam tandem dubitandi rationem sic dissoluit. *Tamen contrà est* inquit. *Videtur enim intellectus materialis etiam facultate hac præditus proculdubio* (Vides hic sumi à Themistio indiscriminatim intellectum materialem, & animum à corpore non abiunctum, vt quæstionis dissolutio cum proposita ab ipso tituli quæstione consentiat) *vt res penitus abiunctas à materia possit comprehendere.* Rationem nunc ab ipso accipe de eodem intellectu qui materialia intelligit, ab iisque rationes generales abstrahit. *Nam qui naturas materiales* inquit *incernendo & amoliendo materiam intelligit; longe faciliùs intelligat necesse est, quæ per se abstracta dispendium huius operæ nobis remittunt.* & pergit ostendendo conuenientiam animi nostri cum agente intellectu. *Non enim eo inferior intellectus potentia est intellectu agente, quòd genera immaterialia hic non attingat; sed eò quòd hic nec semper attingit, nec semper intelligit; ille semper attingit, semper intelligit.*

Quo loquendi modo obseruanda duo obiter sunt, vt verum non esse deprehendas, quod plerique Themistio tribuunt, intellectum scilicet nostrũ siue animum humanum intelligere per intellectum agentem tanquam per formam res abstractas. Primum est, illum ipsum intellectum intelligere res abstractas, qui intelligit res materiales amoliendo materiam ab ipsis, hoc est eas intelligendo non intellecta materia singularium. Non enim aliter amouet materiam; vt cùm intelligit hominem, lapidem, leonem, &c. ergo non intelligit abstracta per agentem intellectum formaliter Themistij sententia; quia ait longè faciliùs ipsum intelligere abstracta, à quibus non est amolienda materia, quàm ea à quibus materia separanda est. Quod falsum esset si per agentem formaliter ea intelligeret: Nam faciliùs & minùs facilè ea à nobis fiunt, quorum actio à nobis elicitur: Non enim aut faciliùs aut minùs facilè ea intelligeret, quibus intelligendis se tantùm patibilem nihil agendo præberet intellectus. Si autem intellectus agens esset forma intelligendi, non eliceretur à nobis actio, sed ipse vniretur nobis tanquam forma: ac proinde in ea re solùm se intellectus materialis atque animus loco subiecti ac patientis haberet non efficientis. Præterquam quòd de eodem intellectu materiali Themistius eodem modo affirmat, intelligere res materiales, atque abstractas vt vidimus ex eius verbis. At affirmat ipsum intelligere res materiales actione ab ipso elicita, *incernendo* nimirum *& amoliendo materiam.* ergo etiam affirmat ipsum actione ab ipso elicita intelligere res abstractas. Alterum est, vires intellectus nostri non esse inferiores viribus intellectus agentis in rebus à materia abiunctis percipiendis: quia vt Themistius dixit, in hoc non est inferior, sed solùm perpetuitate intelligẽdi abstracta. Ergo falsum est agentem intellectum esse formam, dum abstracta intelliguntur à nobis. Nam nullæ prorsus intellectus nostri essent vires ad ea percipienda, sed solùm se haberet passiuè formam illam recipiendo. Immò esset intellectus noster longè inferior in eo ipso, quòd intellectus noster nunquam attingeret quod intellectus agens semper attingit. Hic enim ea attingit suamet virtute ac vi: Ille verò propriis viribus nunquam, sed vi alterius, cui tanquam subiectum patibile se præberet, vt materia artificum formis.

Quin etiam ne attingeret quidem: nam attingere sumitur eodem modo à Themistio, cùm intellectus agens attingit immortalia; atque cùm intellectus potestatis. Solùm enim discrimen ponit in ipsa intelligendi perpetuitate. ergo cùm intellectus agens non attingat immortalia per ipsa tanquam per formam intelligendi vt infrà constabit, nec intellectus materialis attinget per intellectum agentem tanquam per formam. Confirmari validè potest hæc ratio. Quoniam idem est Themistio hoc in loco intellectum attingere, comprehendere & intelligere. His enim modis loquitur indifferenter. ergo cùm comprehendere atque intelligere obiectũ, non sit ipsum attingere per ipsummet obiectum tanquam per formam intelligendi; vt patet ex eius verbis, quia ait, *intellectum intelligere res materiales amoliendo materiam*, sequitur intellectũ nostrum non intelligere ipsum intellectum agentem, ac reliqua immortalia per intellectum agentem tanquam per formam: quia nullum obiectum est forma intelligentis. Ex quibus etiam illud obiter intellige Themistio animum nostrum esse immortalem, qui facultate intelligẽdi æquipollet immortalibus, nempe intellectui agenti, quem ibi *diuinum, separatúmque ab omni potentialitate* vocat. Scio equidem non deesse multos nec contemnendos viros, qui, Themistio ascribant nos intelligere, quæcunque intelligimus per formam, quæ sit intellectus agens: Sed pace eorum dixerim, è Themistio nunquam ostendent hanc germanam eius esse sententiam; sed omnino spuriam atque adulterinam. vt infrà fusè non multo pòst dicam.

Quartò idem apertissimè docet Simplicius lib. 3. de An. particula 36. vbi cùm dixisset initio intellectum si cum sensu agat, sensilibus rebus se adiungere, deinde §. *Cum extremas* expresè docet Aristotelem nos hortari ad huiusmodi considerationem; Vtrùm scilicet intellectus noster separata intelligat; ipsúmque antea docuisse intellectum postquam habitum adeptus est, *tum seipsum, tum separabiles formas cognoscere*; adducitq; Alexandrum idem prorsus existimantem. Licet non rectè putet Alexandri sententiã intellectum hunc nostrum, per quem separata cognoscimus, esse inseparabilem ac mortalem. *Cæterum Alexāder* inquit Simplicius *vel eum intellectum qui inseparabilis sit eam habere vim ait, vt quæ separabiliter existunt cognoscere valeat: nam ab iis quæ inseparabilia sunt ad separabilia ab eo relatio fit.* Id inquam non rectè Alexãdro tribui à Simplicio antè ex ipsius Alexandri verbis apertè constitutum est. Explicauimus enim Alexandro intellectum qui separata intelligat, esse prorsus separabilem immortalémque substantialiter. Lege etiam Simplicium eodem libro 3. de Anima in expositione particulæ 21. vbi multa docet vt explicet, quo pacto intellectus noster se habeat in substantiis abstractis intelligendis.

Quintò Philoponus in eundem cont. 36. qui illi est 68. ait apertè Aristotelem *suprà ostendisse intellectum nostrum posse omninò immaterialia cognoscere, quoniam non vtitur corpore vt instrumento, sed omnino immistus est.* Huius autem authoris superfluum est plura testimonia congerere, cùm passim in eius scriptis de Anima, hæc & similia reperire possis. Quare de Græcis Peripateticis non est dubitandum vt hactenus constat.

Quid

Auerroes. Quid verò Arabi hac in re venisse in mĕtem dicemus? Is ergo in illum cont. 36. qui eius commentarius est etiam 36. longam quidem sed planè lutulentam, & in qua veluti sus volutatur, de substantiarum separatarum intellectione disputationem contexuit. Eam quantum potero summatim perstringam; & siquid veri dixerit velut aurum extrahere conabor ex luto.

Tria ergo mihi videtur docere. Primùm enim ait proponi ab Aristotele quæstionem; An possit intellectus noster separata cognoscere; & hoc simpliciter. Alteram; An possit quandiu separatus nō est. Rationem dubitandi in hac posteriore quæstione esse ait: quia intellectus fit intelligibile dum actu illud intelligit. ergo si separata intelligit, non separatum fit separatum. Tandem concludit, cùm agens intellectus est nobis forma penitus coniuncta, per ipsum tanquam per formam propriam nos intelligere omnia quæ ipse intelligit, cuius intelligentia nobis ascribitur, ac nostra est. Hinc addit nos tunc fore Deo similes; quia sicut Deus omnia cognoscit, & omnia est; ita etiam nos per intellectum agentem omnia cognoscentes omnia erimus.

Auerroës. Ex his Auerroës deducit rationem cur sit noua huiusmodi cognitio & intelligentia, cùm nobis intellectus agens copulatur, nec ab initio cùm primùm nascimur, nō ita intelligamus abstracta per copulationem intellectus: Rationem autem esse ait, quòd initio generationis nostræ temporisque decursu, quoad contemplatiuus intellectus absoluatur, intellectus agens nobis in potentia inest vt forma: quia scilicet eius copula talem intellectum prærequirat, non ita tamen vt tunc etiam non insit vt forma ab ipsa generatione. Sed quoniam imperfectè tūc inest, ideò dicitur inesse potentiâ. Nam quicquid imperfectum est, dicimus in potentia ad meliorem statum; ideóque tunc separata non intelligimus. Alia multa ibi dicuntur ab Auerroë, quæ si adducerentur, in immensum excresceret disputatio. Solùm tamen constet, intellectum hominis, qui infimus est inter intellectus separatos, comprehendere posse substantias separatas etiã dum viuit in corpore. quæ duo constituuntur ibi ab Auerroë.

Auerroes. Verùm hîc nonnihil improbandum in Auerroë est obiter. Primùm enim sciscitandum ab ipso est. Vbinam locorum ostensum Aristoteli sit, intellectum agentem separatum & subsistĕtem intellectui materiali hominis esse intelligendi formam. Neque enim vsquam aliam illi Aristoteles actionem tribuit, quàm facere vt ea quæ potentia sunt intelligibilia, sint actu intelligibilia; vt patet ex libro 3. de An. cont. 18. Iudicare enim & ratiocinari, cæterique huiusmodi intelligendi actus Aristoteli sunt proprię intellectus materialis actiones. Vnde ipse idem Aristoteles libro 3. de An. cont. 1. parti animæ *qua anima cognoscit & sapit* ascribit actum intelligendi, & cōt. 4. eodem libro tribuit intellectui potĕtia ipsum intelligere & existimare. *Dico inquit intellectum quo intelligit & existimat anima, nihil esse actu eorum quæ sunt antequam intelligat.* Patet ergo non per intellectum agĕtem, sed per materialem animam sapere atque intelligere; quia si intellectus materialis esset subiectum tantummodo agĕtis intellectus, qui esset animæ intellectio formalis, ipse non esset id quo anima intelligit. id enim agenti intellectui dandum esset. quia ipse solus esset *id quo*, cùm materialis neque esset eliciendi principium nec forma, sed purum subiectum; quod quidem subiectum nullo modo est id quo aliquid est tale, sicut materia non est id quo corpus est viuens, aut album, & similia. Denique, quia Aristoteles contemplationem circa ęterna, in qua posuit nostram felicitatem lib. 10. Ethic. cap. 8. dixit esse operationem nostri intellectus, eiusque vitam; ergo non est ipse noster animus atque intellectus, subiectum agĕtis intellectus. Ideò cap. 7. ibidem ait. *Quantò intellectus præstat composito, tantò quoque eius operatio ab operatione distat, quæ ex virtute alia existit.* Idémque patet ex libro 12. Metaphys. cont. 39. vbi etiam id habet; vbi probat Deum viuere quia ei *vita inexistit. siquidem intellectus operatio vita est*, &c.

Multa ne longus sim prætermittere oportet, quæ habet eodem 3. lib. de An. Aristoteles per consequentes contextus, vbi intellectui in habitu; qui nimirum frequenti cogitatione acquisierit scientias, omnes habitus ex actibus genitos, attribuit. de qua re alibi. Sanè Plotinus Ennead. 5. lib. 3. cap. 4. quærit rationem ab Aristotele, cur cùm dupliciter, vt ipse Plotinus opinatus est, intellectu agente vtamur; nempe & quasi inscribente formas intelligibiles in nostro intellectu materiali, & tanquam forma ad separata intelligenda, vnum tantùm eius vsum docuerit, nempe agentis, alterum prætermiserit, nempe formæ? Supponit ergo Plotinus nunquam Aristotelem intellectum agentem esse intellectus nostri materialis formam, docuisse. Plotinus.

Alterum quod improbamus in Auerrois dictis est: Nos posse cognoscere omnia, quæ intellectus agens intelligit, ex eo quòd est forma intelligendi. Improbamus autem eò quòd in his non sibi cohæret Auerroës. Nam sequitur intellectum materialem Auerroi semper omnia intelligere quę agens percipit. Semper enim Auerroi vt vidimus, agĕs est forma. Ergo posita illa forma in ipsis omnia intelliget intellectus, si quidĕ in se habet omnium rerum intellectionem formalem. Auerroes.

Quod si dicat, non semper intellectum materialem esse dispositum, vt videtur significasse verbis citatis. Contra ipsum est. quia nunquam intellectus materialis longè imperfectior agente ad eam perfectionem pertingit; quæ possit eam eiusdem agentis exæquare intellectionem, quam eius amplissimam esse arbitratur Auerroës. Ergo si talem dispositionem seu præparationem requirat Auerroës; vt eius perfectio, agentis intellectus perfectionem adæquet; nihil vnquam per illum tanquam per formam intelliget. Immò nec esset ratio, cur illum tanquam intelligendi formam deposceret; quandoquidem æqua vtriusque perfectio esset. Quòd si aliam putet necessariam esse in intellectu nostro præparationem, vt intellectus agens eius forma intelligendi fiat; Quærendum est quænam ea sit, & vnde ei perspecta? Quæ quidem ipse nunquam explicare ne verisimiliter quidem poterit. Vt enim forma suum effectum formalem sibique intimum habeat, præparatione non indiget, cùm satis sit si ipsa subiectum informet. Sicut enim posito calore in subiecto, quod ad ipsum potentiam suã habeat, calidum facit, etiamsi cætera poni non possint; ita posito intellectu agĕte in ipso materiali, qui est potentia

Aristoteles.

tia ad illum, existere debet necessariò effectus ille formalis; vt nimirum sit omnia cognoscens, si ad id ea Agentis natura & forma sit.

Tandem Auerroi dandum non est quod supponit; nempe intellectum, cùm intelligit separata, fieri separatũ. Supponit enim intellectum induere naturam obiecti realem; nõ autẽ quoad repræsentationem, & cognitionem; seu vt aiunt in esse intentionali. Quod quidem cùm per se patet esse falsum, tum maxime pugnat cum Aristotelis doctrina, quam ipse perperam intellexit. Non enim cùm Aristoteles libro 3. de Anim. docuit cont. 15. *Idem esse quod intelligit & quod intelligitur:* sensus est, intellectum transire in naturam realem rei intelligibilis. Hoc enim est impossibile. Intellectus enim intelligendo remanet idem quod priùs substantia sua, sub alia tamen forma quæ sit cognitio: Sed idem ait esse, quia intellectus est separatus à materia. omne autem separatum à materia, intelligibile per se est. Et ideò Aristoteles in eo cont. 15. reddens rationem cur intellectus sit intelligibilis, subiunxit. *In his enim quæ sunt sine materia idem est quod intelligit, & quod intelligitur.* Quare animaduertere debuisset Auerroës non bene apud sapientes inferri: Intelligit separata; ergo ipse dum non est separatus, fit separatus; quia potest ipse nondum separatus separata intelligere. Quia non est necesse, vt eodem prorsus modo sit intelligens, atque est ipsum intelligibile quod intelligitur. Alioqui cùm ipse Auerroës intelligebat asinum aut bouem, hoc ipso in naturam asininam bouinámque transformabatur. Verùm de Auerroë satis.

Aristoteles.

Aristoteles.

Nunc ad alios philosophos Auerroë posteriores pergamus. De Alexandro Alensi iam diximus, sicut etiam A. Doctoris verba retulimus. Verum est tamen, A. Doctorem aliter sensisse p. p. q. 88. a. 1. vbi ait: *Secundum Aristotelis sententiam quam magis experimur, intellectus noster secundum statum præsentis vitæ naturalem respectum habet ad naturas rerum materialium, vnde nihil intelligit nisi conuertendo se ad phantasmata.* At his non negat A. Doctor simpliciter Aristoteli non cognosci has substantias posse; sed secundum quod plerunque contingit: eo quòd intellectus respectum habet ad substantias in materia. Alibi vt vidimus, Aristotelis sententia hoc ipse fassus est aliquando.

A. Doctor.

Albertus M.

Albertus etiam magnus lib. 3. de An. tract. 3. cap. 11. assentitur iis Peripateticis, qui dicunt substantias abstractas à nobis percipi per intellectum adeptum; nempe eum cuius forma est intellectus agens, vt ipse ibidem explicat. licèt verè dubium sit quid per formam intelligat. Attamen alibi declarat, quid per eum intellectum velit intelligere. Vult enim intellectum agentem esse eius formam, ex eo quòd in ipso sunt axiomata, ac definitiones rerum, quæ sunt virtutes effectrices cæterarum cõclusionum, scientiarúmque. Nam Albertus lib. 6. Ethic. tract. 2. cap. 18. sic de eo loquitur. *Intellectus* inquit *adeptus, qui habitus, & virtus est talis potentiæ, quam diximus esse intellectum, est in axiomatibus, ac definitionibus primò & per se, in suppositionibus autem & petitionibus non est nisi secundum quid.* Et quamuis huiusmodi intellectum adeptum ibi vocet *acceptum*, tamen idem sunt re, licèt verbotenus differant, sicut accipere & adipisci. De eodem intellectu adepto ferè eadem docet lib. 2. de Intel-

A lectu & Intelligibili cap. 8. *Intellectus adeptus* inquit *est, quando per studium aliquis verum suum & purum adipiscitur intellectum, quasi totius laboris vtilitatem ac fructum*, quia scilicet per illum possit omnia per se intelligere ex perfectissimo habitu. Vnde libro illo vndecimo Metaphysic. tractat. 1. capite nono, de eodem intellectu adepto ait esse illum, quo possidet homo intellectum verum secundum habitum omnium intellectorum. Huius autem intellectus ait duplicem esse actum. Vnum quidem qui est circa continuum & tempus; nempe circa sensilia quæ his affecta sunt. Et hunc actum ait esse, *sicut est actus lucis solis super alienam materiam*. quasi velit hæc non esse

B propria intellectus obiecta, sicut corpora hæc inferiora non sunt propria subiecta lucis. Alterum actum esse ait circa ea quæ sunt purè intellectilia *in ipsis primis substantiæ principiis & entis*. & subdit. *Et ideò manet* inquit *iste intellectus post totius compositi resolutionem, & secundum alium non manet. Et tunc si propriè quis loquatur, non corrumpitur intellectus adeptus; sed quædam actio ipsius corrumpitur; quia hunc non habet nisi in coniuncto. De Agente autem constat quòd non corrumpitur.* Itaque constat Alberto intellectum adeptum esse intellectum plenè perfectum suis habitibus, quibus simplicia cognoscat; húncque ipsum esse intellectum Agentem, quà potest formaliter ad alias gignendas scientias: Quem immortalem esse ait,

C propterea quòd non dependet à composito in agendo, quemadmodum ille intellectus quà susceptrix potentia est, respectu agentis quo ad actum reducitur.

Quamobrem patet hîc Albertum nomine intellectus corruptibilis intelligere, secundum quod actum aliquem respicit, quia substantialiter docet omnis prorsus corruptionis expertem esse, cùm ab agente substantialiter non differat. Subiungit enim hæc verba. *Similiter autem nec possibilis corrumpitur, ex quo locus est specierum, & subiectum agentis, nec differt ab eo nisi vt perspicuum à luce*, quà scilicet illustratur, exornatúrque: & post pauca ita concludit. *Et sic patet*

D inquit *quòd non tota anima restat post compositi dissolutionem, sed intellectus. & non totus intellectus manet, sed in parte corrumpitur secundùm quandam actionem ipsius.*

Quibus patet familiare veteribus Peripateticis esse pro varietate respectuum ad varios actus, varios etiam in eadem substantia distinguere intellectus, vt eorum vnus sit corruptioni obnoxius, si eius actus post compositi dissolutionem elici nequeat: alius verò immortalis sit, si ad eliciendos eius actus à corporea facultate non pendeat. Qua etiam ratione eandem animi substantiam in ratione animæ corrumpi aiunt, vt dicebam antè in explicatione opi-

E nionis Alexandri: licèt substantialiter, & quà intellectus est, manere perpetuò possit. quod præsertim verum est in actu intelligendi simplici; ex quo, vt dicemus articulo quarto infrà nomen intellectus propriissimè deriuatur. Quam ob causam dum Albertus eodem libro tertio de Anim. tractatu illo secundo capite decimonono ait, *Intellectum adeptum qui in simplici consistit intellectu immortalem esse:* & Tractat. tertio capite vndecimo *Intellectus* inquit *adeptus*; nempe hic qui simplex est contuitus, *hominem Deo similem reddit.*

Ex his quoque manifestum est, falli eos qui putarunt

Albertus. Auerroes. putarunt Alberti sententiam de intellectu adepto ab ea Auerrois, qua docet intellectus agentis substantiam esse intellectus possibilis formam, non discrepare. Constat enim ex dictis Alberto intellectum agentem esse complexionem habituum, è quibus perfectionem consequitur ad ea quæ intelligibilia sunt percipienda. Quid verò de Auerroe sentiendum sit postea dicetur. Variè namque videtur sensisse, si rectè ea quæ docuit perpendantur. Constat ergo Alberti sententiâ intellectum nostrum percipere substantias abstractas posse in hac vita.

Eustratius. His omnibus addo Eustratium Peripateticum tum antiquitate tum doctrinæ excellentia B insignem, qui libro decimo Ethicor. cap. 9. supponit hominem posse se à corporeis rebus auocare, atque ad immortales substantias cogitationes transferre, in qua contemplatione felicitatem humanam consistere docet. *Felicitas siquidem quæ verè homini conuenit est, cùm quis Deo sese similem reddit. Id autem fit, cùm ab his inferioribus, intellectualibus incumbimus, atque inhæremus.* Nimirum vt paucis post apertè docet, cùm ex intellectu qui præstantissimum quid Deóque cognatum est, vitam traducimus, intellectúmque excolimus, quatenus scilicet *contemptis his externis ab omni corporis procliuitate absolutus ac liber diuino fulgore illuminatur.* Sentit ergo posse hominem naturaliter in hac vita habere hanc felicitatem, C vt omnia corporata transcendens, intellectuales substantias solutus ab omni corporearum rerum specie contempletur. Constat ergo, omnium Peripateticorum veterum eò respexisse sententias, vt assererent hominis intellectum in hac vita percipere posse substantias à materia separatas.

Aliis argumentis ostenditur Intelligentias se mutuò cognoscere apud Aristotelem. §. 4.

Secundò probatur præcipuum propositum; nempe quod vnaquæque Intelligentia Aristoteli aliam vnamquamque cognoscat. Nam libro decimo Ethicor. cap. 8. ait: *Diis totam vitam esse beatam, hominibus autem eatenus, quatenus similitudo quadam eiusmodi operationis in ipsis inest.* Atque ita vult homines esse beatos contemplatione diuinorum; quæ contemplatio similis sit contemplationi cœlestium ac mentium beatarum. Non enim solius Dei sed earum omnium mentium, quæ in cælo degunt. Sic enim libro 1. cœli cont. 100. ait: *Quæ super extima sunt posita latione, inalterabilia & impassibilia optimam habentia vitam perseuerant toto æuo.* Ergo cùm nostra felicitas sit contemplatio diuinorum, multò magis felicitas ipsarum Intelligentiarum erit huiusmodi contemplatio; quia vt ait Aristoteles libro illo decimo capite octauo. *Quibuscunque magis inest contemplatio, iis quoque magis inesse felicitatem constat.* Magis ergo conuenit Intelligentiis contemplatio rerum æternarum, quibus constat magis & felicitatem conuenire. si quidem ad similitudinem felicitatis ipsarum nostra felicitas est. ergo quæcunque intelliget quascunque. Non enim est ratio si perfectis- Aristoteles.

A simum obiectum intelligant, non intelligere reliquas substantias, quæ in ratione obiecti maiorem habent proportionem, per quam minùs inter se distant, quam à Deo.

Tertiò probatur ex eodem Aristotele libro duodecimo Metaphysices contextu trigesimosexto, vbi docet primam substantiam mouere omnia, vt summum intelligibile, & summè desideratum & amatum. vnde contextu trigesimoseptimo concludit: *Mouet itaque vt quod amatur.* Quamuis enim hæc Aristotelis verba significent, Deum mouere vt amatum, nempe vt finem qui mouet immobilis, vt etiam suprà indicauimus: Tamen rectè intelligi potest, mouere vt finem non solùm dum immobilis opinione Aristotelis cœlum voluit, verùm etiam dum mouet cæteras Intelligentias motrices, eò quòd desiderio illius suum vtraquæque cœlum circumducit: quia scilicet omnia cupiunt assimilari primæ causæ; & præsertim reliqui cælestium orbium motores; vt etiam ibi omnes exponunt Alexander, Albertus, Auerroës, Alensis, S. Thomas. Idémque docet Auerroës libro 2. cœli comment. 71. vbi ait, *iam declaratum esse illa corpora non mouere se secundum tactum, sed secundum desiderium.* Ergo Aristoteli Intelligentiæ orbium motrices Deum amant & cognoscunt. Non enim voluntas in bonum tendit, nisi quod proponitur ab intellectu; vt patet ex libro tertio de An. cont. 51. & 54. & alibi frequenter. Ergo Intelligentiæ motrices Deum intelligunt, ac proinde cæteras Intelligentias quascunque, quia potior earum est ratio; vt dictum est. Aristoteles. Alexander. Albertus. Auerroës. Alensis. S. Thom. Auerroes.

His positis examinandum est, Vtrùm Aristoteli Intelligentiæ intelligant cæteras Intelligentias formaliter, per essentiam & substantiam eius Intelligentiæ quæ intelligitur, ita vt intellectio nihil aliud sit, nisi substantia rei intellectæ, quæ sit forma intelligentis.

D *Qui senserint Intelligentias se mutuò cognoscere formaliter per substantiam rei cognitæ, eorúmque fundamenta ex Aristotele.* §. 5.

Partem affirmantem sequuntur nonnulli ex iis qui tunc doctrinam Peripateticam se profiteri arbitrantur, cùm Auerrois placitis, aut certè iis quæ Auerroistarum doctrinam reddent, libenter promptéque subscribunt. Itaque Achillinus quodlibet. 2. de Intelligent. §. *Tertium dictum* apertè ait, omnem Intelligen- Achillinus. E tiam inferiorem intelligere superiorem per ipsam superioris essentiam. Hunc autem ego auctorem profero; non quia eum aut magni fieri à Theologis sciam; aut à Peripateticis putem consideranda ea esse quæ scripsit: sed quia cùm hæc sententia nunc ad examen reuocanda sit, non reperio auctorem qui pluribus eius argumenta congesserit, arbitratúsque sit, non posse ea labefactari, quæ Auerrois testimoniis fulciantur. Videtur enim eam partem ex Auerroë desumpsisse in eo comm. trigesimosexto ad lib. 3.

lib. 3. de An. Nam, vt modò dicebam, putat non aliter intellectum nostrum materialem percipere posse agẽtem intellectum, nisi is fiat eius forma, atque intellectio.

Immò idem Auerroës hanc ibi sententiam existimat esse Themistij; cuius etiam fuisse alij complures sensere iuniores, eique tãquam Aristotelææ doctrinæ astipulantur. Et quod peius est, argumentis non ex Aristotele, quod sane tolerabilius esset, sed ex rerum natura desumptis eam stabilire ausi sunt.

Themistius. Sanè Themistius ipse eam visus est docuisse libr. 3. de An. cap. 23. vbi duas ait esse differẽtias animæ. Vnam quæ est intellectus ipse potentia: Alteram quæ est ipse agens intellectus: postea verò sic loquitur de vtroque. *Hic agens priorem illum quasi adorsus amplexúsque primùm quasi educit in lumen è tenebris, & in actu constituit, deinde*, &c. Si autem illum amplectitur, in actúque constituit; ergo est illius forma, cuius est cõstituere in actu id quod est potentia, & cuius etiam est continere, vt ait Aristoteles lib. 4. Phys. cont. 75. *Quod continet videtur forma esse.* Similiter cap. 25. ait intellectum agentem comparatè ad intellectum materialem non esse sicut artem, quæ *seorsum à sua materia est, sed totus intellectui potentia intextus immersúsque habetur.* Si ergo comparetur vt intimè illi vnitus, & non vt ars, quæ opera extrinsecus dirigit in efficiente, forma eius sit oportet. Præterea cap. 27. apertè ait, essentiam hominis esse ipsum intellectum agentem: Quia *solus* inquit *intellectus agens propriè & maximè censendus est forma; immò verò forma formarum.* & concludit in fine eius capitis: *Quamobrem nos propriè animus & intellectus sumus.*

Quibus clarè docere videtur, hunc intellectũ præstantissimam hominis formam esse: cùm vt ait Aristoteles libr. 10. Eth. cap. 7. in fine. *Id esse vnusquisque videtur quod in eo præcipuum ac melius est.* In vnoquoque autem præcipuum ac præstantissimum est eius vera ac substantialis forma. Eodem modo cap. 28. & 29. Themistius probat ex Aristotele nos esse ipsum intellectum agentem illis verbis lib. 3. de An. cont. 20. quæ sic legit Themistius: *Non recordamur quia hic impatibilis est, at patibilis internecioni addictus est, & sine hoc nihil intelligit.* Difficultatẽ ergo cùm faciat ibi Aristoteles, cur non recordemur post obitum, supponit nos esse intellectum agentem, qui solus remanet post mortem opinione Aristotelis. Nam patibilis interiit sine quo nihil recordamur. Ita videtur argumentatus esse Themistius. Præterea ait cap. 32. & 33. vnum esse in omnibus hominibus agẽtem intellectum: eóque omnes homines esse vnum hominem; quia *scilicet forma, qua sumus consistimúsque homines, vna est.*

Quin etiam putarunt iidem iuniores hanc ipsam esse Theophrasti de vtroque intellectu opinionẽ. Etenim Theophrastus, vt refert Themistius eodem lib. 3. cap. 39. existimat aliud esse intellectum patibilem; aliud verò *id totum quod ex intellectu agente, & intellectu potentia componitur.* Vnde planum est ex intellectu agente ac intellectu potentia vnum conflari. Ergo est forma & actus ille, hic potentia atque materies. Et ideò paulò superiùs dixerat, *Mixtum & quodammodo quasi concretum videri animum nobis ex intellectu agente & intellectu potentia.* Constat ergo posse sententiam Achillini planè fundari in hac ipsa veterũ Peripateticorum doctrina.

Verùm cuiuscunque sit hæc sententia, eam probat Achillinus. Primò quia intelligentia inferior intelligit superiorem, & non per intellectionem quæ sit accidens, aut per suam substantiam; quod vtrumque se probasse putat paulò ante. Ergo inferior intelligit per substantiam superioris.

Secundò, quia Aristoteles 3. de An. cont. 15. ait: *In his quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit & quod intelligitur.* Ergo intelligens & obiectum sunt vnum & idem. quod non potest esse, nisi sit intelligentis forma.

Tertiò, quia Intelligentiæ abstractæ mutuò se perficiunt. Vt enim ait Auerroës lib. 12. Met. cõment. 44. perfectio cuiuscunque Intelligentiæ cœlum mouentis consistit in intelligendo causã primam ac propriam, & nonnisi quia vna est alterius scientia & forma. Ergo superior substãtia est forma intelligentis.

Quartò, quia necesse est in omni Intelligentia, quæ aliud intelligit, aliquid est simile formę, & aliquid simile materiæ. Alioqui *non esset* inquit Achillinus *multitudo in formis abstractis ex Auerroë libr. 3. de An. com. 5. quia posita multitudine vna est potentialis alteri.* Si autem est aliquid simile materię, & aliquid simile formæ, debet secunda esse simile materiæ, & prima debet esse forma. Ergo secunda recipit primam tanquam formam; & sic de aliis.

Quintò, quia in omni Intelligentia debet esse aliqua compositio. Nam vt patet ex Auerroë lib. 12. Metaphys. com. 51. *Quod est muneris compositionis est nobilius in illo genere; immò illud est simplex in illo genere.* Si autem est minor & maior compositio in Intelligentiis: ergo est in iisdem compositio. Non est autem alia quàm compositio intelligentis & intellecti. Tantummodo enim est compositio effectus & causæ, secũdum quod res intellecta est causa intelligentis ex Auerroë eodem libro duodecimo Metaphysices, com. 44. Ergo subiecti & formæ est compositio, quia res intellecta non est causa intelligentis nisi formaliter. Vnde subdit Auerroës ibi non esse inconueniens, si vnum sit causa plurium, si à pluribus intelligatur; perfectiùs quidem à perfectioribus, minus tamen perfectè ab iis, quæ minorem perfectionem habent.

Ex his deducit sibi Achillinus: Primum posse Auerroëm explicari, cùm ait lib. 3. de An. com. 5. simplicissimã esse essentiam primæ formæ nempe Dei; cæterarum autem Intelligentiarum essentias aliquo modo esse compositas; non quidẽ secundum se & ex aliis, cum sint substãtiæ simplices ex Auerroë 3. de An. com. 9. sed secũdum formas intelligentes quas recipiunt; quia intelligit ibi Commentator essentias eo quo intellexerat modo libr. 2. de An. com. 147. vbi dixerat, pomum esse indiuisibile subiecto, diuisibile autem essentia; quatenus scilicet habet talem colorem & saporem, &c. Ergo intelligit compositas ex formis essentiæ superadditis. Deinde rectè etiam explicari posse; quo pacto Intelligentię nihil extra se intelligant. quia etiamsi inferior intelligat superiorem; tamen quia hæc est forma illius, non intelligit quicquam extra se, sed intra. Tertium est, posse Intelligentiam superiorem esse principium motus ab inferiore manantis: Quia motus prouenit ab intellectus actione. quæ actio est superioris Intelligentiæ formaliter.

Pra

Præstantissimi quique Peripatetici negant formalem intellectionem esse substantiam rei intellectæ; vbi multa de Intellectu agente.

§. 6.

PArtem tamen negantē sequũtur cæteri quiq; Peripateticorũ præstãtissimi, qui hæc portẽta vera esse posse ne somniarunt quidem. Quin etiam ex iis complures talia portentorum genera adeò insectati sunt, vt tantam improbitatem extinxerint, penitúsque deleuerint. Hi ergo magni inter Peripateticos nominis, intellectum agentem dumtaxat, vel posuerunt assistentem formam, effectricem nimirum specierum; & veluti inscribentem characteres in intellectu potestatis; non autem formam informantem; Vel certè putarũt esse animę facultatem earumdemmet specierum effectricem. De Alexandro qui intellectum agentem putauit Deum, iam paulò superiùs vidimus. De cæteris fusè dissèram infrà a. 4. vbi singillatim vniuscuiusque sententiam referam, de multiplici intellectu. Nunc indicabo quid senserint de intellectu agente, an hominis seu animi humani formam arbitrati sint. Nam primùm id facilè patet de Ioanne Grammatico qui dictus est Philoponus, in libr. 3. de An. in cont. 35. seu iuxta Auerrois partitionem in cont. 1. **Philoponus.**

Ammonius. Idémque apud ipsum docet Ammonius. Nullam enim aliam formam putant esse intellectum agentem præter ipsam animæ facultatem operatricem ex habitu. Triplicem enim faciunt intellectum; nempe eum quem volunt esse potentia, secundum habitum, eúmque qui secundum habitum operatur, quem agentem intellectum esse aiunt. Vnde contra Alexandrum & alios dicunt non esse Deum aut alias huiusmodi separatas substantias. *Tertium* inquiunt *intellectus est qui non exterius quidem venit; vt illi*; nempe Alexãder & Plutarchus arbitrantur, *sed est simul secundum habitum & secundum operationem, sicut est intellectus perfectorum qui rem sciunt & cognitionem tractant, & secundum eam operantur.* Idémque copiosiùs docet idem Philoponus eodem libro in cont. 50. aliàs 19. Vbi ait, intellectui agenti conuenire illud prædicatũ ex Aristotele in eodem cont. 19. quod nimirum *per substantiam operetur suam. quia substantia scientis est scientia, & sciens secũdum scientiam operatur; ergo operatur secundum suum habitum.* Vult ergo Philoponus intellectum agentem non esse substantiam separatam, quæ sit forma & intellectio animi humani; sed eiusdem animi esse facultatem quæ operatur ex insidente habitu. Id quod totum antè dicebamus ex Alberto. **Philoponus.**

Simplicius. De Simplicij sententia non admodum liquet; qualem scilicet is posuerit intellectum agentē, cùm de materiali atque agente intellectu aliter atque aliter locutus sit, vt non facilè assequàris quid ea in re is philosophus senserit. Illud tamē planissimè constat, Simplicio agentem intellectũ non esse formam animi informantem vt iam explicabo. Quamuis ergo eius commentarij in libros de Anima doctrina non vulgari pleni sint, veterémque illam philosophiam quæ in verbis Aristotelis latet, contineant, mysteriáq; non pau-

A ca ex Platone cum Aristotele consentientia introspicientibus adumbret: Tamen interdum quę obscurè Aristoteles & Plato dixerũt ita tractat, vt rebus obscurissimis potiùs tenebras offundat multa inuoluendo, quàm lumen afferat difficiles sententias interpretando. Qualis qualis tamen interdum fuerit, certè grauissimi Peripatetici loco habendus, quippe qui plerunque reconditos sensus aperit, atque ex Platone ac veteri Academia Aristotelæam doctrinam mirè declarat. Afferam ergo quid ipse de intellectu agente sentiat, vt saltem constet Simplicij sententia non esse formam actúmque intelligendi, quo formaliter homines sapienter intelligunt, & rerum veritates assequuntur.

B Is itaq; in prima sua expositione ad particulã primam lib. 3. de An. tripartitum facit animi nostri intellectum, seu vt plerunque ipse appellat rationem. Hæc namque sæpe ipse confundit, & quod antè nominauerat rationem, infrà ibidem concludens appellat intellectum. Primus est intellectus potestate seu materialis seu passiuus; qui scilicet nondum formis intelligibilibus absolutus est; & idcircò dicitur potẽtia & materialis; nempe respectu formarum harum, quas ipse suscipere potest. De qua ratione sic ait eo loco Simplicius: *Altera erit materialis & potestate, & passiua ratio est, quæ extra vergit, secundisque cognitionibus* **Simplicius.**
C *connexa est, quæ imperfecta est, & tota foras tendit.* Cur dicatur materialis & passiuus diximus, quia ab alio perficitur. Foras autem tendit, quia cognoscit per secundas cognitiones; nempe sensuum; & ad externa obiecta se porrigit; vt cùm cognoscimus colores per oculos, sonos auribus, tactu primas percipimus qualitates, &c.

Alter intellectus seu ratio est apud Simplicium quæ *in appulsu quidem collocata est, sed plena & perfecti aliquid habens*; nimirum vt ipse declarare pergit: cùm intellectus plenus est habituum, rationúmq;, non quidem secundũ actionē substantialē, qua scilicet se conuertit ad eas substantias, **Simplicius.**
D quæ eius opinione propriissimè substantiæ sunt, & sempiternæ; id est substantiæ separatæ; sed ea perfectione quæ circa substantiã est; qualis scilicet est in habitu scientiarum acquisitarũ, quibus de subiecto proprietates demonstrantur; de quo intellectu seu ratione subdit. Licèt *potestate exstat tamen non omninò vt ratio illa imperfecta, sed potestate secundo loco*; hoc est vt ipse etiam explicat, non in potestate ad actũ primũ; id est ad habitũ, sed ad actum secundum: *Quia iam habitu* inquit *perfecta est quamuis nõ agat. Atque hic intellectus est intellectus habitu perfectus; ita tamen vt sit potentia ad vlteriorem perfectionem, quæ est actus.* Quam imperfectionem alio etiam modo explicat ibidem; quia huiusmodi intellectus in habitu tametsi agat, *tamen quia*
E *perficitur à formis manentibus, & speciebus in iis insitis, potestate perfici dicitur, quemadmodũ viuax instrumentũ potestate dicitur habere vitam, tametsi viuat, quia aliunde aduenititie habet.* nempe corpus viuens, quod licèt viuat substantialiter per animam, tamen aliunde habet vitam; id est operationem, quæ est alia vita ex Aristotele libr. 2. de An. cont. 6. & 7. Aliunde inquam, quia ab anima quæ corpori est forma. Quæ autem sint formæ manentes ipsi Simplicio, non est facile decernere.

Videntur tamen esse illæ substantiæ, quæ in se ad intelligendũ seipsas perfectæ sunt. Et ideò dicuntur in se manentes; quia foràs vnà cum sentiendi

sentiendi facultate non exeunt, recipiendo scilicet aliunde agendi principia, & species qualis est intellectus potentia; vt etiam deinceps declarabitur magis. Quomodo autem perficiatur huiusmodi formis substantialibus abstractis, paulò pòst dicam ex Simplicio.

Tandem tertiam rationem seu intellectum dicit Simplicius esse quæ perficit ipsum intellectum in habitu, ac proinde quæ Aristoteli, cæterisque est intellectus agens; cuius proprium est reducere intellectum potestate ad suos actus ex Aristotele cont. 18. lib. 3. de An. ibique & Simplicius & alij omnes. De ea ratione ait sic: *Hac autem prima, & substantialis ratio, quæ primum illud est, quod in anima cognosci debet, & prima cognitio, & quantum ad animatam rationem spectat fieri potest, vt sua ex substantia actus sit propter conuersionem cum intellectu.* Vidésne hîc à Simplicio ipsum intellectum agentem appellare *primum quod cognosci debet & prima cognitio?* Est enim primum quod cognosci debet & prima cognitio; quia ex cognitione illius intellectus est certus, vt dicam mox ex eodem Simplicio. Est etiam quātum fieri potest sua substantia actus, quia non aliunde perficitur, vt is qui est potentia; sed ex se perfectionem habet. Omne enim quod suam naturalem perfectionem habet, actu tale est & sua ex substantia; vt ignis sua substantia calidus est, Sol lucidus, &c. Addidit id esse propter cōiunctionem cum intellectu, id est propter affinitatem naturę, quam habet cum intellectu simpliciter, quoad licet hominis animo, nō omni prorsus modo. Vnde subdit Simplicius ea quæ id totum illustrant magis. Quòd sicut materialis & imperfecta ratio sensui similis est, in eo quod veluti sensus se foràs exerit dum obiecta percipit sensilia, quæ sunt extra ipsam; Ita & ratio illa; *nempe tertius intellectus*, quæ ab externis sensibilibúsque obiectis recedit, sibique *impartibiliter vnit actionē*; id est non successiuè; & ratiocinando suum intelligendi actum in se promit, intellectui quoad fieri potest similis redditur; qui primus sua ex substantia actus est; nempe simpliciter primus & Deus, de quo initio dixerat.

Simplicius.

Quod totum clarescet magis, si eandem triplicem intellectum diuisionem, cuius etiam eodem loco suprà meminerat aliis verbis referam in præsentia. Quod facere libet, vt difficilem huius eximij interpretis mentem hac in re assequamur. Quippe inter primos Aristotelis interpretes optimè plurima Aristotelæa sensa in hac de animi humani natura disputatione scrutatus videtur. Sed quia vix ob loquendi obscuritatem nisi diligenter eius consilium ac mens inspiciantur quid senserit apparet, nullam ferè Simplicianæ sententiæ de intellectu humano mentionem apud iuniores Peripateticos reperio. Primam ergo & potissimam rationem seu intellectum ponit intellectum agentem. *Quæ haud secundis vtitur visis, inquit, sed ex se ipsa agat, non autem patiatur, agátque ea quæ cognosci debeant, nam non aliunde sed seipsa promit.* Id est non eget operatione sensuum. Quæ sunt vitæ operationes nō primariæ; quia præstantior est vita intellectus, nec aliunde pendet in agendo, sed ex se ipsa insitis nimirum à natura facultate ac formis. Intellectus ergo agens Simplicio videtur esse intellectus animæ ac facultas circa prima principia, quorum habitu à natura informatur; & quibus intelligendis nullius concurrit sensus actio. si

A quidem sunt effata prima & vniuersalia; ad quæ vt suprà diximus, non concurrit sensus; & præterea sunt insita à natura; nec egent sensu; vt patebit deinceps. Et ideò vt suprà diximus, ait esse cognitionem, & primum quod cognosci debeat ab intellectu qua intellectus est; quia simplicissima sunt intelligibilia; vt ex iis principiis omnia deriuantur. Atque hęc est primus intellectus ac præcipuus. Nunc de alio.

Altera verò ratio quæ vergit ad externa obiecta, & complicata est cum illis cognitionibus, quæ referunt corporum formas. sensuum nimirum & phantasiæ commercio vtens; vt sunt omnes cognitiones intellectus circa obiecta sensibilia; vt quòd homo sit animal rationale; cœlum semper moueatur,
B & cætera id genus. Quæ secunda ratio seu intellectus duplex esse dicitur ab eodem Simplicio: nam subdit de ipsa; *Aut perfecta aut imperfecta quæ à prima illa perficitur, formísque completur.* Si enim est imperfecta, est intellectus potestate, qui ideò imperfectus dicitur & materialis, eò quòd ab alio absoluitur suis tum notionibus tum habitibus: & ita fit intellectus perfectus; & dicitur intellectus in habitu. Tandem longissimam illam suam de triplici intellectu seu ratione declarationem concludit his verbis: *Hac itaque ratione mihi duplex aut triplex anima intellectus esse videtur.* triplex inquam; *quia secundus aliquando quidem imperfectus, aliquando autem perfectus existit;*
C *atque ita etiam dupliciter diuiditur.* Hæc Simplicius.

Simplicius.

Ex quibus omnibus quatuor notanda sunt Simplicij sententia. Vnum quidem quòd huiusmodi rationes idem sunt quod intellectus. Patet, quia quas suprà vocauerat duplicem, triplicémque rationem; easdem concludens appellat duplicem, triplicémve intellectum; vt modò vidimus.

Alterum est, per hos recensitos intellectus Simplicium non intelligere intellectus à materia abiunctos. Quod probatur triplici ratione: Primò, quia eos dixerat esse *rationes animæ*, ideóque suprà etiam dixerat eos esse formalem animæ
D causam. Secundò, quia concludens dixit duplicem vel triplicem animæ intellectum. Tertiò, quia duo priores sunt intellectus vnus & idem, qui nunc imperfectus, nunc perfectus est, vt mox etiam dicam. De tertio verò qui est agēs dixit primùm, quod cognoscit in anima esse: & quantum licet animæ sua ex substantia actum esse; quæ non conueniunt in actus ac formas omninò separatas, quæ in anima ipsa, sed in seipsis cognoscere valent.

Tertium est (vt id quoque obiter indicemus alibi disputandum copiosiùs:) Huiusmodi nimirum intellectus non esse distinctos inter se entitate substantiali; sed vnum idémque variis
E perfectionibus distinctum: Probatur manifestè ex dictis de duobus illis intellectibus; nempe habitu & potentia; quia vt vidimus de secundo intellectu dicit, eum esse aliquando imperfectū, aliquando perfectum. Ergo idem intellectus potentia qui est imperfectus, est intellectus habitu qui est perfectus. & idcircò dixit esse duplicem vel triplicem intellectum. De intellectu agente idem patet. Nam ibidem post prædicta subdit aliis verbis eiusdem diuisionis conclusionem: *Vnus itaque intellectus est* inquit *qui id purè atque sincerè permanet quod antea erat, quique rursus remittit quod permanens est, ex appulsu atque progressu à seipso* ad

ad externa. Is ergo intellectus permanens qui nõ operatur ratiocinando ex vno in aliud dum ad inſita principia, eorúmque rationes reſpicit, nempe intellectus principiorum ſemper conſtantium,& quem propterea diximus eſſe agentem, idem ſubſtantialiter progreditur à ſeipſo ad externa per ſenſus, ſéque à ſeipſo ad externa conuertit dum ſenſilia obiecta percipit, intérque ea ex vno in aliud tranſit. Et ideò ſequitur: *Quique ex hac quoque cauſa imperfectus exiſtit licèt perfectus ſit factus.* Quibus verbis clarè cernis eundem intellectum nunc eſſe permanentem in ſeipſo, nec egere alinnde ope, vt promat actum, cùm ſcil. principiis inſitis vtitur, nunc eſſe imperfectum, eáque ope indigere cùm rerum cognitionem adipiſcitur; nunc eſſe perfectum ex habitu, &c.

Nec mirum eſt ſi Simplicij ſententia cùm ſit vnus intellectus, trifariam accipiatur. Nõ enim varij intellectus apud Simplicium in hominis animo ſubſtantię varietatem ſignificant, ſed ſtatuum, vt triplex ille intellectus non aliud denotet niſi vnius & eiuſdem varietatem modúmque ex adiunctis formis intelligendi diuerſum; nempe comparatè ad cognitiones diuerſas ac diuerſa obiecta, ſiue ſenſilia ſint, ſiue quæ ſub ſolam intelligentiam cadunt. Quod non ſolùm ex dictis conſtat, verùm etiam id docuit apertè Simplicius lib. 3. de An. in particula 19. poſt medium. Hoc enim diſcrimen ponit inter intelligibile & intellectum. Quod *illud eam habet vim, vt ſubſtantiam indicare valeat. Is verò potius actionem quandam; ſiquidem illud expetendum ab intellectu: Intellectus autem ad illud tanquam ad finem accedit; nam intellectus nomen ad id quod perfectum ſit ſpectat.* nempe ad actionem intelligendi quæ eſt illius perfectio. Ideò plures diſtinguit intellectus cõtemplatiuos eodem habito reſpectu ad obiecta idem Simplicius 3. de An. in cont. 39. eadémque ratione eodem libro cont. 35. appellat intellectum Mathematicum qui circa obiecta Mathematices verſatur: *Quem ſanè* inquit *Mathematicum intellectum quis dicere poſſet*; ea nempe ratione, qua illi vulgò dicuntur Mathematici, qui Mathematicas diſciplinas callent. Nec diſſimili modo diuidit Ariſtoteles alibi, & alij ferè omnes intellectum in practicum & ſpeculatiuum; vt libr. 3. cont. 49. *Intellectus* inquit *qui propter aliquid ratiocinatur, & qui actiuus eſt differt à ſpeculatiuo fine.*

Simplicius. Ariſtoteles.

Quartum eſt, præter hos intellectus concedendum etiam alium quoque eſſe, nempe intellectum in actu; cùm ſcilicet intellectus actu intelligit, quem Ariſtoteles admiſit libro 3. de An. cont. 8. indicauítque ipſe Simplicius, & omnes fatentur ſæpè; quia intellectus ſicut & quodcunque aliud fit actu, cùm acquirit illã formam, ad quam eſt potentia.

Tandem notari oportet Simplicij ſententia aliam quoque eſſe intellectus diuiſionem libro eodem 3. de An. in cont. 1. nempe vt alius intellectus ſit participatus ab anima, alius non participatus. Ille eſt cuius anima eſt particeps, eo quòd ſit animæ aliquo modo forma Simplicij ſententiâ. Hic verò eſt intellectus primus & ſupremus actus, qui longè ſuperior eſt quàm ſit anima, nec forma illius; ſed Deus eſt. de quo ſecundo ſic ait ibi: *Qualis ſit intellectus primus ab anima ſeparabilis*, intellige ſeparatum; *prima ſubſtantia & impartibilis, atque præſtantiſſima vita, & ſupremus ille actus, idémque intelligibile ipſum, & in-*

A *tellectio, & intellectus, & perpetuitas, & perfectio, & permanſio, & terminus, & omnium rerum cauſa.* de quo ait ſe ex Iamblici ſententia diſſeruiſſe lib. 12. Metaphyſ. Hic ergo eſt Deus: qui dicitur intellectus non participatus, quia eius naturam nõ habet animus. Rurſus docet occaſionem poſtulare, vt Ariſtoteles diceret in eo libro de intellectu illo, cuius anima eſt particeps. *Eſt enim* inquit *& propriu animæ intellectus, cuius anima rationalis particeps facta eſt, quo quidem vnaquæque anima determinatur.* & quæ ſequuntur. quo ſcil. intellectu tanquam proprio animis rationalibus deſtinato, omnibúſque communi, vnuſquiſque animus determinatur ac regulatur. Nõ enim ita eſt animis proprius, vt ſit vnus vnicuique.

B Quia hac ratione proprius eſt intellectus agens, non autem is intellectus qui eſt agẽte nobilior; qualis eſt is de quo nunc loquimur, vt dicit ibi Simplicius. Vnde ſubdit, neque Ariſtotelem de hoc intellectu agere. *Nam non eſt* inquit *animæ particula, ſed animæ cauſa formalis, præſtantiórq; ſubſtantia.* Ergo non eſt agens, quia certum eſt illum ab Ariſtotele accuratè tractari lib. 3. de Anima cont. 17. ibique à cæteris Peripateticis. Dicit etiam de eodem infrà: *Ipſum eſſe formalẽ animæ cauſam, ex quo præſente determinatur inſeparabiliter, vbi propè ad rem determinatam acceſſerit.* Quæ quidem magnas inuoluunt difficultates.

Arbitror tamen ipſum à Simplicio dici formalẽ animæ cauſam; id eſt ideam: ex cuius præ-

C ſentia & ſimilitudine vbi ad aliquam veritatem intellectus noſter peruenerit ſcientiariam, eam adipiſcitur conſtanter, & quodammodo inſeparabiliter. Non enim puto alium eſſe horum verborum ſenſum; & ideò pergit: *Quemadmodum omne* inquit *quod determinatur, ex aliquo determinatur termino, qui ei præſens ſit, qui continetur in omnibus quæ eiuſdem ſpeciei ſunt, & cuiuſque proprius ſit.* Videtur ergo Simplicio omnis multitudo in eadem ſpecie quæcunque illa ſit, præter formas ac terminos proprios quibus conſtituitur, habere etiam communem formam ac terminũ, qui totius ſpeciei forma ſit, atque exemplar, quo diriguntur omnes ſpecies.

Qua in re Simplicius videtur comprobare

D Academicorum more, rerum omnium Ideas, quia non poteſt aſſignari alius terminus communis in omni ſpecie qui eius ſit forma, nempe exemplar, & à qua determinetur; hoc eſt à qua naturam determinatam habeat ex illius præſentia, & effectione. Conſtat enim Platonem tales poſuiſſe Ideas, è quibus rerum formæ deriuarentur; vt leonis, equi, &c. vt rectè notauit A. Doctor p. p. q. 65. a. 4. Vnde & ab iiſdem Ideis exiſtimabat Plato multa in animum noſtrũ deriuari, quibus vteretur ad intelligendum, præſertim ſubſtantias abſtractas, de qua re vide A.

E Doctorem p. p. q. 84. a. 4.

Sanè hanc eſſe Simplicij ſententiam obſeruauit ingenioſè Theophilus Zimara libro 3. de Anima in proœmio; & in cont. 1. pag. 285. lit. B. nec videtur alia ratio, cur vocet illum *intellectum participatum, & cuius anima eſt particeps.* Idearum enim Platonici ponebant, animas noſtras, & cæteras res eſſe participes, vt explicat A. Doctor vbi ſuprà; & Zimara loco citato ex Proclo & aliis: & hanc ſententiam videtur ſecutus Simplicius. Et clariùs colligi poteſt ex eiuſdem Simplicij verbis commentario 1. in cont. 1. lib. 3. de An. vbi ait, huiuſmodi intellectum perficere varias

Zimara.

rias animi constitutiones, ipsum tamen semper in se manere. *Quemadmodum illa forma quæ rerum generabilium terminatrix est, impartibilis existens; atque id quod est verè permanens eam habet vim, vt diuisibilia, & quæ quacunque ratione mutantur terminet finiátque.* Eandem diuisionem tradit Simplicius fusè in 2. expositione ad particulam 2c. lib. 3. de An. quorum verborum sensus est; vt sicut putat esse formam quæ rerum generabilium sit terminatrix, nempe exemplar & idea effectrix immutabilis, & permanens semper id quod est; ita etiam velit esse intellectum qui nostri intellectus est exemplar, & à quo deriuentur cognitiones illæ, vt diximus.

Ex his concludendum est Simplicij sententiâ primò intellectum agentem, materialem & in habitu esse vnum eundémque animæ intellectum vt dictum est: immò ipsam animam esse huiusmodi tres intellectus. Nam commentario ad cont. 2. ait: *propositum esse Aristoteli in hac tota tractatione de ea loqui hominum substantia rationis compote, quæ in ipsis hominibus reperitur; quam sanè ipse intellectum vocat.* Nónne vides hunc intellectum esse ipsam animam quæ est homini substantia; quam deinde intellectum triplicem esse ait proximè post illa verba. Ergo ipsa substantia animæ est triplex ille intellectus. & reddens rationem: quia *cùm tripliciter eius intelligere consideret Aristoteles ab extremo initium facit*; nempe ab intellectu potentia; vt hinc facilè intelligas dici triplicem intellectum ex triplici intelligendi modo; vt suprà notatum est; & Simplicius docet ibidem consequenti explicatione, & apertè affirmat ad finem eius commentarij.

Secundò hunc intellectum idealem non esse in anima tanquam illius formam inhærentem; sed animæ assistentem; vt patet ex dictis. Hæc de Simplicij mente dicta sint, satis quidem fusè, sed rectè opinabuntur multi pro rei difficultate perpauca.

Constat ergo opinione Simplicij intellectum non esse substantiam, quæ hominis animo sit forma hærens; vt etiam patebit ex alio Simplicij loco Difficultate sequent. in secunda sententia.

Falsum est Themistio intellectum agentem esse ipsum intelligendi actum. §. 7.

Themistius. IAm de Themistio qui nostræ sententiæ aduersarius videtur copiosiùs differendum est. Aio autem, ne Themistium quidem arbitratum esse, intellectum agentem esse hominis formam seu formalem intelligendi actum; nec adducta ex illo testimonia contra nos quicquam ostendere, quod probabile sit, nedum certum. Id autem ostendo ex verbis ipsius Themistij per singula ferè capita, in quibus hac de re libr. 3. de An. ipse disseruit.

Primus locus sit in cap. 15. eiusdem lib. 3. vbi hoc ex instituto tractare aggreditur, cùm initio capitis dixisset, intellectum agentem esse toti intellectui potentiæ veluti materiæ permixtum, immersúmque, ac proinde esse eius formam, proximè post explicans quomodo sit for-
A ma, ait esse formam assidentem, atque effectricem notionum. *Finge* inquit *excussorem in ære aut in ferro esse non extrinsecus; nonne peruadet penetrabitque materiam vniuersam? eodem modo intellectus agẽs intellectui potestatis assistens vnus cum illo traditur.* En habes hic esse assistentem formam penitus peruadentem ipsam intellectus potentiæ substantiam, ac si excussor in ære ac ferro insideret. immò nec alio modo vnum cum illo constituentem. Nam sequitur: *propereaquod vna res est, quæ ex materia & forma consistit.* Est ergo vnum ex materia & forma assistente.

Addo nec alio modo esse materiam, nisi quia recipit effectus intellectus agentis; nec formam
B nisi quia facit. Ergo non quia verè informet. Sic enim subdit: *nam & materiæ ratio per quam anima fit omnia; & ratio absolutionis & forma per quam facit omnia.* Ergo materia est ex eo quod habet rationem patientis; & forma, quia vim effectricem exercet. Vnde paulò pòst: *Est enim* inquit *intellectus agens ceu architectus quidam, fabricatórque notionum.* Itaque se Themistius declarat, in quonam reponat formæ atque materiæ rationem; nimirum quia est forma effectrix in sua materia; nempe in intellectu potentiæ; atque ita ibi est tanquam architectus fabricatórque notionum. Quamobrem non est quòd intellectum agentem formam verè informantem ponant ij Pseudoperipatetici iuniores auctore
C Themistio; cuius auctoritate hanc tantam absurditatem inculcare conantur.

Euidentiùs etiam id ipsum confirmatur. Nam argumentum eius quod initio capitis affert, idem apertè probat. Ait enim ex eo quòd intellectus agens omnia facit, & intellectus potentiæ omnia fit, *sequi vt in nostra potestate sit ipsum intelligere & speculari cùm volumus.* Non esset autem id in nostra potestate, si intellectus agens sit intellectio & forma inhærens; quia nec in potestate materiæ est, vt hæc vel illa ei forma superueniat, abiiciatúrque; nec ea posita in subiecto liberum sed necessarium esset homini intelligere; sicut posita albedine in pariete, necessariò paries est albus. Si ergo in hominis po-
D testate est intelligere ac speculari cùm vult, sanè substantialis alterius intellectio non est forma intellectus, sed actus debet esse ab illo elicitus, & qui vt elici possit, imperio voluntatis subiaceat.

Secundus locus sit in cap. 16. vbi supponit, non tantùm hominem debere esse constitutum in esse hominis, sed etiam in esse intelligentis, priusquam illi adiungatur intellectus agens. Ergo intellectus agens non est hominis intelligentis forma, per quam ipse constituatur intelligens: quia scilicet ab alia forma fit intelligens. Ergo sequitur esse formam in intelligendo assistentem, non informantem, si aliquo modo formam velint esse. Quid enim constitueret, si for-
E ma esset informans? An alterum ab homine compositum? At quale id monstrum esset? An verò alterum genus intelligentis? At cur, si homo ex se promere potest in aliis intelligendis rerum expressas imagines? Antecedens ergo probatur: quia dicit initio eius capitis: *In homine prior quam agens, intellectus potentiæ habetur; nam omnis habilitas præparatióq; prior tempore, quam actus contingit.* Ergo priùs tempore est in homine intellectus potentiæ, quàm agens. in quo intellectu potentiæ vt ibi docet, *diuisæ & sectæ notiones,*

tiones, & variæ tum artes tum scientiæ collocantur. Ergo homo potens intelligere, scientiæque actum edere constitutus est, antequam illi adueniat intellectus agens. Quod etiam patet ex eodem Themistio eodem libro 3. de An. cap. 18. vbi per intellectum potentiæ habitu informatum ait hominem *curà decentem quæcunque ei collibitum fuerit commentari.* Idque antequam intellectus agens homini insideat. Vt enim idem Themistius habet cap. 23. officium agentis intellectus est, vt quemadmodum ars materiam iam comparatam fingit, eique formam imponit, ita intellectus potentiæ ab alio perficiatur, *qui præparationem illam intellectui ad intelligendum adiunctam ad instar artis excitet, excolátque habitum, & scientiam rerum absoluat.* Ergo supponit hominem qui notiones rerum præparauerit, scientiámque, habitúmque saltem aliqua ratione inchoatum adeptus fuerit. Idémque repetit cap. 24. dum ait intellectum agentem notiones in thesauro memoriæ repositas versare. Ergo eius intellectus munus putat esse suggerere intelligenti species ac formas: non informare substantiam humani animi.

Themistius. Tertius locus est in cap. 27. vbi licèt Themistius doceat, intellectum agentem esse præstantissimam hominis formam, ex qua & intellectu potentiæ tanquam materia homo ipse conflectur: tamen apertè declarat, quid per formam ac materiam denotet, sic scribens: *Sanè ordo naturæ & processus hic est, vt respectu inferiorum superioribus vice formarum vtatur, respectu superiorum inferioribus loco materiæ.* Intelligit ergo intellectum agentem esse formam, quia ad actum hominis concurrit tanquam præcipua causa, notiones disponendo & species in intellectu potentiæ. sicut in curru auriga est forma illius, & in naui nauta, & in cœlo Intelligentia vt suprà diximus. Itaque homo non componitur ex intellectu agente, nisi tanquam ex forma dirigente atque assistente Themistij sententiâ; & ideò non dixit, intellectum agentem esse formam quocunque modo; sed declarauit esse loco formæ, & loco materiæ. Quamobrem cùm in fine eiusdem capitis concluditur, *nos esse* intellectum agentem; quia est in homine forma formarum, id intelligi debet iuxta Aristotelis doctrinam lib. 10. Ethicor. cap. 7. vt id sit homo, quod præstantissimum in eo est. Cùm ergo intellectus agens sit forma dirigens, ac disponens intellectum quo homo est homo, dicitur à Themistio: Homo est intellectus: sicut diceretur, currus est auriga, & nauis nauta, &c. Quæ enunciationes non sunt nisi materiales & causales, vt dicitur: quia in sensu formali nullum totum est sua pars. Sicut etiam suprà ex aliis auctoribus similes locutiones sæpe interpretati sumus.

Quartus locus est ex cap. 32. vbi Themistius requirit vnum numero intellectum agentem in omnibus hominibus, vt in omnibus eædem sint animi communes conceptiones, ac notiones mentis. *Vnde enim* inquit *intelligere mutuò & intelligi vicissim possemus, nisi vnus singularisque intellectus fuisset, quem communem omnes homines haberemus?* Atque hinc ait fortè esse, quamobrem ad solos homines pertineat docere & discere. Quæ licèt falsa sint: quia satis est vt per sensus rerum significata ab vno in alterius animum transmittantur. vnde etiam homo intelligit ap-

A petitum canis, equorum & aliorum brutorum ex signis, quæ homini brutorum appetitiones exponunt; sicut hominum voces animi sensa significant: Tamen hanc vnitatem intellectus non requirit Themistius tanquam causæ informantis, sed tanquam efficientis & assistentis ad tradendam disciplinam, vt eadem causa diuersos hominum intellectus instrueret, dum in docente atque addiscente notiones similes efformaret.

Quod ipse Themistius ibi significat, dum ait, Themist. intellectum potentiæ non posse omnia intelligere, *nisi intellectus agens qui illum ad actum producit omnia intelligat.* Ergo sentit, intellectum

B agentem efficienter formare notiones non formaliter. Alioquin non perduceret ad actum intelligendi intellectum potentiæ; sed ipse esset actus. quemadmodum albedo non perducit parietem ad esse album, sed constituit formaliter esse album, ad quod ipse dealbator perducit. Non enim perducere ad actum est esse actum; sed effingere actum in eo quod perducitur; sicut statuarius perducit ad actum statuam, dum in ea statuæ efformat effigiem Immò nec esset docens aut discens, quia vna cunctis omnium rerum intellectio foret absque vlla disciplina: quæ tamen requiritur vt intelle-

C ctus potentiæ variis notionibus atque habitibus exornetur; vt ex eodem Themistio diximus antè.

Idem confirmo ex cap. 33. vbi Themistius tanquam duas diuersas tractat has quæstiones; nimirum vnam; Vtrùm vna sit tantùm anima in omnibus hominibus. Alteram, Vtrùm omnes homines sint vnus homo ob vnum scilicet intellectum agentem. Illam enim prætermittit; Hanc verò concludit ex dictis; esse nimirum vnum hominem etiamsi non sit vna anima. Ergo putat intellectum agentem non esse formam informantem, esset namque hominis animus. quia esset principium intelligendi, cui

D competit animæ definitio, vt docet Aristoteles libro secundo de Anim. contextu vigesimoquarto, essétque viuentis vita, per quam homo viueret. Intellectum enim esse vitam patet ex libro nono Metaphysices contextu decimosexto & libro duodecimo contextu trigesimonono & quinquagesimoprimo & 1. cœli contextu centesimo. Si ergo non vult vnam esse animam definire; nec arbitratur vnum intellectum agentem vnam esse hominis formam; quia hoc ipso definiret; vnam esse hominum vniuersorum animam.

Mitto alia complura Themistij loca. Nobis enim satis sit, Themistium nusquam asserere, intellectum agentem esse hominis formam,

E quæ hominem intelligentem formaliter constituat. Quocirca manifestum esse potest non rectè Themistij sententiam Auerroi perspectam fuisse; neque id ex eius dictis colligi, sæpè tamen affirmare esse formam assidentem; vt meritò vel hinc philosophi existiment subtile Græcorum philosophandi genus Arabici ingenij aciem defugisse.

Nec

Nec Theophrastum posuisse intellectum agentem, esse homini actum intelligendi. §. 8.

Theophrast. SEd quoniam nonnulli Recentiores putarunt Theophrastum Aristotelis auditoré eximiũ, Auerrois sententiam longè priùs docuisse, pretium operæ erit Philosophi inter Peripateticos nemini secundi dicta in medium afferre: quibus non erit difficile horum recentiorum intelligentiam ad peiora pronam sensa, continere ac fulcire, ne in huiusmodi postea errores tam facilè collabantur.

Primùm autem dico Theophrasti sententiam, quam Themistius exponere conatus est, eidem Themistio non fuisse perspectam satis. Is enim lib. 3. de An. cap 39. solùm ex naturalibus Theophrasti quæstionibus dubitãdi circa intellectum rationes refert: Postea docet Theophrasti sententia intellectum patibilem nõ pati vt sensus, quia *sensus* inquit *non est sine corpore, intellectus habetur abiunctus.* His addit dari quoque intellectum agentem, *qui pro causa atque actore sumatur,* &c. *quibus ratio hominis ac mens cõstat.* postea subdit. *Mixtum enim videri & quasi concretum animum nobis ex intellectu agẽte, & intellectu potentia.* Quę verba nullo modo significare ipsum esse formam hominis informantem patet; Tum ex verbis relatis, non enim simpliciter dicit cõcretum sed *quasi concretum;* tum ex verbis proximè subsequentibus, de eo namque dubitare pergit, An vbi primùm sociatus est nobis, statim ac sẽper moueat. Si enim non statim; quærit instrumentum ac rationem ex qua oritur huiusmodi absolutio. additque *cùm semper iuxtim assistens & proximus sit, cur non semper mouet?* Tenet igitur Theophrastus, ipsum esse formam mouentem, atque assistentem iuxta nos. Et ex hoc dubitandi argumenta sumit, cur nos non semper moueat.

Quocirca ex his clarè colligitur, Theophrasto agẽtem intellectum non esse hominis formam. Forma enim quæ sit intellectio non mouet, sed est ipse terminus motus, cùm sit terminus actionis. ergo si intellectus agens mouet ad intellectioné, ipse non est intelligẽdi forma, sed agens. Agens namq; est vt docet Aristoteles lib. 2. Phys. cont. 29. *Vnde principium mutationis primum.*

Idem clarè confirmo ex verbis etiam paulò antè relatis: dum dixit ipsum intellectũ esse *pro causa & actore.* Ergo causam non formalem, sed assidentem intelligit. Quare cum ait animũ componi ex intellectu agẽte, intelligit apertè tanquã ex forma assidente ac mouente; vt currus, nauis, cœlum. Nec plura ex Theophrasto Themistius; de quo etiam Theophrasto vide quæ ad huius rei confirmationem dico Difficultate seq. in secunda sententia.

Iam verò nobis commemorent isti animorum euersores, vbinam sint præcipui illi, veteresque Peripatetici, fidi Aristotelis interpretes, qui talia monstra in philosophiam inuexerint. Vnum aliquem alium proferant, quando hos falsò ab ipsis prolatos animaduertunt; ne propria recentiorum, qui in vnius Arabis percipiendis dogmatibus consenuerunt, hæc portenta reputẽtur: Néue vt veritati fucum facerent, mendacióque A auctoritaté apud legentes conciliarent Auerrois falsitati, quasi velum Themistij, Theophrastique nomen obtendere voluisse, non immeritò à viris doctrina ac religione præstantibus censeantur. Sed valeant Arabistæ isti, qui ne inter Peripateticos quidem numerari digni sunt, quandoquidem dum tam facilè vnius Arabis nomini dictisque subscribũt, non verentur quantũ in ipsis est, optimos philosophię interpretes ab eiusdem philosophiæ finibus plerunque proscribere.

Quanquam si Auerrois de intellectu agente opinionem examinare exactiùs velimus, nõ omninò eum peruersè sensisse ostendi posset. Verùm ego talem operam aliis, quorum cura in B exponẽdis Auerrois dictis insudare solet in præsentiarum relinquo, vt animũ ipsa cogitatione longè excellẽtium philosophorũ conformemus.

Constat ergo nullum ex Peripateticorum veterum schola existimasse nos intelligere per actum intelligendi, qui animi nostri substantialis forma informans sit; & nunc de proposita Difficultate videndum est, Vtrùm intelligentię intelligant formaliter per substantiam obiecti, an per quidpiam aliud, tanquam per formam.

Examinabimus autem difficultatem pręcipuè in actu intelligendi, quo ipsa substantia abstracta Deum cæterásque substantias immateriales C intelligunt, in quibus potest esse peculiaris difficultas; Nam certum est ab ipsis non intelligi materialia, quæ ipsarum intellectum informent. Constat namque euidenter, nec substantias separatas ad has materiales formas habere posse naturalem subiecti capacitatem; nec materiales substantias saltem quæ per se complete subsistunt, vt cœlum, homo, leo, &c. posse esse alterius compositi formas informantes. Itaque de ipso intelligendi actu circa substantias abstractas, præsens instituitur potissimùm quæstio. Quanquam quod de huiusmodi actu dictũ erit, suo accipiendum erit modo de reliquis actibus si qui D sunt alij in Intelligentiis circa cætera obiecta Aristoteli & Peripateticis.

Ostenditur Aristoteli, Intelligentias non intelligere formaliter per substantiam rei intellectæ.

§. 9.

AD difficultatem ergo respondetur; & sit Vnica propositio. Intelligentiæ Aristoteli & Peripateticis non intelligunt Deum, & cæteras Intelligentias per ipsorum substantiam, E quæ sit actus ipse & forma intelligẽdi, ac proinde nec cætera obiecta. Probatur nostra propositio primò à posteriori, ex absurdis quę sequũtur ex aduersariorum opinione in Aristotelis doctrina. Nam si Aristoteli perfectiorum Intelligentiarum sint perfectiores actus intelligendi, ipsę Intelligentiæ nullo modo possunt intelligere per ipsarum substantiam tanquam per actus intelligendi formaliter. Sed Aristoteli perfectiorum Intelligentiarum sunt perfectiores actus intelligendi. ergo ipsæ Intelligentię non possunt intelligere per ipsarum substantiam tanquam per actus intelligendi formaliter.

Minor probatur: quia Aristoteli sicut pręstãtior est

est perfectiorum Intelligentiarum substantia intelligens, ita earumdem & præstantior intellectus esse debet. Primò quia hoc pacto Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. 8. & lib. 9. Metaph. cont. 39. docet felicitatem, quæ inest Deo & cœlestibus, quæ est intellectio & speculatio, vt ibidem ait, esse in ipsis perfectiorem quàm in nobis. Idcirco autē perfectior in ipsis quàm in nobis esse actus debet, quia perfectior quoque eorum est substantia ac natura, quàm nostra. Ergo si inter ipsas est huiusmodi ordo perfectionis in naturis, perfectior quoque & minus perfecta operatio sit oportet. Secundò, quia perfectiori substantiæ intelligenti perfectior assignatur ab Aristotele vis motrix & actus mouendi; Ergo perfectiori substantiæ intelligenti multò magis assignari perfectior intelligendi actus debet.

Consequētia patet: quia propterea vis motrix & mouendi actus ab Aristotele perfectior Intelligentiæ perfectiori assignatur, quia ex perfectiore natura perfectior quoque actus manare debet. Ergo cum multo magis manare debeat ex præstantiore natura intelligēte perfectior intelligendi actus, quia magis propria naturæ intelligentis operatio est intellectio, quàm motus, eidē perfectiori naturæ intelligenti perfectior intelligendi actus assignari debet. Antecedens probatur, quia non aliam ob causam Aristoteli lib. 12. Metaph. cont. 44. talis est inter Intelligentias nobilitatis ordo, qualis est perfectionum gradus, inter ipsos orbes qui conuoluuntur; nisi quia si nobilior ac præstantior est orbis qui mouetur, nobilior quoq; mouendi vis esse debet, ac proinde nobilior natura motoris. Vnde sicut Aristoteli Intelligentias esse constat ex eo quòd orbes mouent, ita etiam earum perfectio ex eorumdem orbiū perfectione manifesta esse debet. Sic enim concludit in eo contextu: *Quod igitur substantiæ sunt; & harum quænam prima, quæve secunda secundum eum ordinem, quem & lationes syderum habent, patet.* Ex quorum etiam orbium cœlestium pluralitate & numero earumdem Intelligentiarum numerum planè constituit. Ergo superiorum orbium motricibus Intelligentiis perfectior ab Aristotele vis motrix assignatur.

Confirmatur illud antecedens; quia inter cœlestes orbes esse talem docet ordinē perfectionis Aristoteles lib. 2. de cœlo à cont. 62. ad 66. vt superius cœlū sit inferiore nobilius. Vnde ibidem cont. 73. honorabilissimo honorabilissima cōpetit regio. quod etiam dixerat cont. 34. Ex quo deinde Aristoteles lib. 2. de cœlo cont. 71. significat motricis Intelligentiæ vim ita exæquare ipsum cœleste corpus quod mouet, vt si adderetur corpori vna stella vltra eas quæ sunt, nullæ futuræ essent vires illius Intelligentiæ ad mouendum.

Auerroës. Id certè Auerroës initio eius commētarij 71. tanquam Aristotelæam doctrinam professus est his verbis: *Dicit* Aristoteles *quod si in quolibet orbium erraticorum essent plures stellæ, non esset possibile vt primus orbis moueret eos ista velocitate, aut non esset possibile eos mouere omninò.* Et infrà dicit, corpus cœleste oportere esse determinatæ magnitudinis ob potentiam spiritalem quæ est in eo. Ergo perfectioris orbis Intelligentiæ motrici perfectior ab Aristotele assignatur vis motrix.

Maior illa probatur: Si enim Intelligentiæ cęteras intelligerent, per substantiam ipsarum tanquam per intelligendi actum & formam, nō essent perfectiores intellectiones superiorum

A quàm inferiorum. immò essent perfectiores intellectiones inferiorum quàm superiorum. Ergo Intelligentiæ non intelligunt Deum, & cæteras Intelligentias per ipsorum substantias, quæ sit actus forma intelligendi. Antecedentis sequela probatur, quia ipsa intellectio esset eius Intelligentiæ quæ intelligitur & est obiectum intelligentis substantia; Ergo intellectio inferioris cum superiores intelligit, esset superiorum substantia, quæ est nobilior quàm substantia inferiorum; & superiorum cùm intelligunt inferiores, esset inferiorum substantia, quæ minus nobilis est quàm superiorum. Ergo intellectiones superiorum essent minus nobiles quàm inferiorum; & contrà intellectiones inferiorum essent B nobiliores.

Cui argumento non potest responderi, intellectiones illas inferiorum esse nobiliores in ratione substantiæ, non autem in ratione intellectionis, eo quòd in ratione intellectionis capacitati subiecti nēpe intellectus se accōmodent: Vnde cum inferioris intellectus capacitas sit minor quàm superioris, intellectio erit minor & ignobilior. Hoc inquam non potest responderi, Nam capacitas subiecti metienda est ex forma, quam suscipere apta est; quo pacto lignum esse capax figuræ scamni v.gr. non autem fræni, aut catenarum, metimur ex eo quòd talis forma in C eo esse potest, non autem alia. Et ratio est, quia subiecti capacitas solummodo respectu formæ quam potest suscipere, est capacitas; ergo per respectum ad illam eandem formam metienda est, sicut cæteræ res quæ alterum respiciunt seu ad aliud sunt. Hoc enim modo metimur potentiarum nobilitatem ex actibus, horúmque ex obiectis, & sic de cæteris. At forma quam est apta suscipere intellectus Intelligentiæ inferioris, est tota superioris Intelligentiæ substantia: Non enim secundum vnam partem aut gradum potiùs, quàm alium inferior suscipere potest superiorem, cùm substantia immaterialis indiuidua sit, nec partes habeat aut gradus; verúmque D ideò illud axioma Aristotelicum sit libr. 9. Metaphys. cont. 22. Quæ indiuisibilia sunt aut tota attingi aut nihil. Ergo est capacitas ad totam substantiā, ac proinde ad totam intellectionem, quæ idem prorsus est ac eius substantia. Neque enim aliud est ipsa substantia re ipsa in ratione substantiæ, aliud in ratione intellectionis; quia ipsammet substantiam volunt esse intelligendi formam aut actum. Quemadmodum quia in nostra intellectione non est aliud reipsa in ratione intellectionis, & in ratione qualitatis; si intellectus suscipit intellectionem in ratione intellectionis, suscipit eam quoque in ratione qualitatis.

E Ex quibus etiam soluitur quod dicere posset aliquis; nēpe ex paritate ad diuinam essentiam, quam Theologi dicunt, vniri humano & Angelico intellectui, antequam diuinitus ei infundatur lumen Gloriæ, in ratione entitatis diuinæ, non autem in ratione speciei intelligibilis, etiāsi reipsa idem ratio ipsa diuinæ essentiæ, ac ratio entitatis sint. Negant autem entitatem diuinæ essentiæ vniri in ratione speciei intelligibilis, eo quod antequam intellectus lumine gloriæ perfundatur, non est vis & facultas ad vtendum diuina essentia tanquam specie intelligibili, qua repræsentetur Deus. Diuina enim essentia non repræsentat nisi

intel

intellectui eleuato. Vnde idem dicere possent aduersarij de illa substantia Intelligentiæ superioris respectu intellectus inferioris. Nimirum tametsi idem sint reipsa in ea substantia ratio intellectionis ac substantiæ; tamen quia intellectus inferioris non potest ea vti ad perfectissimam intellectionem, quia id nó potest ob suam imperfectionem, ideò licèt eam substantiam recipiat in tota ratione substantiæ, nó tamen eam recipere in tota ratione intellectionis.

Hæc inquam ex dictis manifeste soluitur paritas: Nam idcircò illa duo distingui possunt in essentia diuina respectu nostri intellectus, quia distinguuntur tãquam principia diuersa ex aliis adiunctis comparatè ad fines diuersos, vt nempe diuersos actus eliciant. Nam essentiam diuinam vniri in ratione speciei intelligibilis est vniri ita, vt simul determinet intellectum ad eliciendum actum claræ visionis, ad quem ipsa essentia diuina non determinat intellectum, nisi ipse intellectus sit potens eam elicere; quam potẽtiam formaliter habet per lumen gloriæ, quo eleuatur intellectus ad actum beatificum. Hinc igitur potest essentia diuina vniri in ratione entitatis, etiamsi non vniatur in ratione speciei intelligibilis; non quia vnũ præcisè ab alio vniri possit intellectui, cùm verè non sit à parte rei vnum & aliud in re prorsus simplicissima: sed quia vniri essentiam diuinam in ratione speciei intelligibilis non est vniri absolutè essentiam diuinam cum intellectu ex se & nudè sumpto, sed est vniri essentiam diuinam cum intellectu informato lumine gloriæ. Quod lumen, quia non est in intellectu, dum est in suis puris naturalibus, ideò cum eo non vnitur in ratione speciei intelligibilis. Quamobrem si vniri in ratione speciei intelligibilis, esset vniri solùm intellectui, qua ratione est vniri in ratione diuinæ entitatis, non vniretur in ratione entitatis, quin hoc ipso vniretur in ratione speciei intelligibilis. Quemadmodum quia essentia diuina & paternitas diuina idem re sunt, non vnitur immediatè diuina essentia quin hoc ipso vniatur paternitas. Et verum est dicere; vbi est diuinitas ibi quoque adesse Patrem. & sic dico de cæteris: licet in ratione hypostasis possit esse alia difficultas, vt aliàs dicemus.

Ad nostram igitur rem reuertentes dicimus, quia vt vniatur superioris Intelligẽtiæ substantia in ratione intellectionis, satis est si copuletur intellectui tanquam eius forma, non posse coniungi illam substantiam tanquam formam, quin simul vniatur eidem in ratione substantiæ, & in ratione intellectionis. Immò hoc simpliciter necessarium esse, hac patet euidenti ratione: quia non requiritur vis in intellectu inferioris Intelligentiæ ad intelligendum, sed solùm capacitas ad illam formam suscipiendam. Vt enim ipsi philosophantur, Intelligentia non aliter intelligit, quàm suscipiẽdo in se formam, quæ sit intellectio; si quidem eam actionem non elicit ac producit. ergo solùm requiritur in intellectu capacitas eius formæ quæ sit intellectio. At huiusmodi capacitas est dum eam substantiam recipit. Hoc enim ipso recipit intellectionem, quo ipsam substantiam recipit. ergo Intelligentiæ inferioris intellectus quemadmodum recipit perfectiorẽ substantiam in se, quàm intellectus qui est superioris; ita etiam habet perfectiorem intellectionem quàm superior.

A Alioqui si eiusmodi philosophandi modus satis esset ad varios effectus formales, vt nimirum recipi diceretur forma secundum vnam eius rationem, non autem secundum aliam, posset quoque posita vna forma in subiecto negari esse varios effectus formales, qui ab vna forma sunt, ex eo quòd posset dici omnes formas materiales recipi secundum vnum gradum, secundum alios non recipi; atque ita consequeretur aliquos effectus ab ea dependere, alios verò non dependere. Immo quosdam depẽdere, quosdam verò non dependere à materia sustentante, proindéque subsistere per sese.

At dicet aliquis id absurdum non esse. Etenim scimus in ipsa forma quæ est intelligens animus, quasdam rationes esse, quę attributa formæ non habent, eo quod animus qua intelligẽs est, non est corporis actus vt sępè suprà diximus.
B Cùm tamen certum sit, secundum quod sentiẽs ac vegetans est; immò etiam secũdum quod ratiocinatur, ipsum eundem animum corporis actum esse. Ergo non est absurdum aliquid vniri subiecto vt formam secundum vnam rationem, non item secundum aliam. Vnde sequitur quod aduersarij dicere possent in argumentum factũ; nempe substantiam illam Intelligentiæ licet sit intellectio eorum obiectorum quæ diximus, tamen non esse subiecti actum secundum omnem intelligendi rationem, sed solùm secundum determinatum intelligendi modum, iuxta subiecti vt dicebamus capacitatem.
C

Sed contra hanc responsionem dupliciter argumentari possumus. Primò, quia, vt dicebamus, omnis forma posita in subiecto apto, in eo habet suum effectum formalem secundum omnes rationes, quæ in eo apto subiecto reponuntur, cum vt diximus, effectus formalis nihil aliud sit vltra ipsam formam, subiectúmque inter se copulata. Vnde in ipsos aduersarios retorquetur ipsorum argumentũ. Nam ob hanc causam etiam animus rationalis suum corpus, cuius ipse animus rationalis est actus, facit rationale: quia eius prædicati corpus capax est.

D Quod si idem animus non faciat corpus intelligens, id propterea est, quia corpus cum non sit principium actus intelligendi; nec animus in ea intelligendi actione sit actu principium *quo*, sed *quod*, à quo intelligendi actus pendet, nó potest ex animo cum corpore hic effectus formalis existere; nempe intelligens. Hic namq; effectus formalis est, ex actu intelligendi, & subiecto eiusdem actus principio efficiente, non autem ex forma, quæ est principium intelligendi vt quod. Intelligens namque est quod in se intelligendi actum habet, ad quem tamen actum, efficientis principij habitudinẽ habeat subiectum ipsum in quo recipitur actus.

E Quare si ipsa forma quæ est animus, esset intelligendi actus seu intellectio, & corpus esset eius capax, tanquam principium eliciens, non solùm tanquam purum subiectum illius, verè esset intelligens; quia nihil deesset ad rationem formalis effectus. Idcircò igitur corpus non est intelligens, quia non est subiectum capax formæ, ex qua ipsum esse intelligens resultat. Est tamen corpus ipsum intellectiuale, si ita denominare possumus effectum formalem, qui ex principio intellectiuo ac subiecto formatur. Itaque hoc certum sit aduersus prædictam responsionem argumentum, quod omnis forma posita

posita in subiecto apto, effectum formalem cum ipso constituit, si subiectum aptum sua forma informetur, vt ita quod dicebamus de ipsa substantiali intellectione, locum quoque habeat in re nostra; nempe quia cum ille Intelligentiæ intellectus aptus sit ad recipiendam substātiæ superioris intellectionem, non quidem tanquam principium eliciens, sed tanquam subiectum, quia verè per eam intelligit, vt aduersarij fatentur; non est quod negetur effectum illum ex toto intelligendi actu veluti ex ratione formali aptóque subiecto componi.

Deinde idipsum probatur ratione ex natura rei & à priori, quia intelligendi actus non est nisi vna simplicissima sui obiecti expressa imago ac repræsentatio. ergo ea posita in subiecto apto, omnium debet esse repræsentatio & imago. Neque enim esse ratio maior potest, cur potiùs vnius repræsentationis obiecti intellectus sit capax quàm alterius, cùm nec potiùs subiecto applicetur vnius obiecti ratio quàm alia. si quidē omnes illæ repræsentationes in vna prorsus indiuisibili imagine continentur. Vnde ob hanc rationem eandem, absurdè diceremus omninò posita totius Socratis in oculo Platonis imagine, videri à Platone Socratis frontem non oculos, aut oculos non oculorum colores, &c. Quod sanè aliunde probare non possumus, nisi quia cùm eius imago quæ est omnium illorum indiuidua repræsentatio, ponatur in subiecto apto, debet eidem oculo omnes illas rationes referre, cùm non magis vnam eidem oculo quàm aliam applicari certum sit.

Secundò probatur propositio ex alio absurdo: Quia si Intelligentiæ intelligerent Deum, & cæteras Intelligentias per ipsorum substantiam tanquam per formam intelligendi; Aut hæc forma esset inhærens, seu informans respectu intellectus Intelligentiæ intelligentis; aut assistens. Neutro modo potest Aristoteli & Peripateticis esse forma. Ergo Intelligentiæ Aristoteli & Peripateticis non intelligunt Deum & cæteras Intelligentias per eorum substantias tanquam per formam intelligendi. Maior est certa: quia nihil est forma nisi altero ex duobus prędictis modis. Nam aut illa forma informat, aut non informat. si primum; est inhærens. si secundum; est assistens.

Non satis esse formaliter ad intelligendum, esse formam assistentem, nec vnam Intelligentiam esse posse alterius formam informantem. § 10.

Minor probatur: Et primò quòd non sit assistens, quia Aristoteli & Peripateticis non sufficit formaliter ad intellectionē alicuius naturæ intelligentis, si quis intellectus sit eius forma, quia hoc pacto forma omninò extrinseca illi naturæ intellectuali esset. Nisi enim ponatur in intellectu intelligentis aliqua forma quæ sit actualis intellectio eius, negabunt Aristoteles & Peripatetici illam naturam intellectualem intelligere. Vnde quantumuis mihi assideat Doctor intelligēs, aut etiam Angelus ac ipse Deus, si nulla intellectio ponatur in meo intellectu, ni-

A hil intelligam; vt accidit dormienti, etiamsi eius animum Angelus sapientissimus, atque adeò infinita Dei sapientia penetraret eique intimè assisteret. Idcirco Aristoteles lib. 9. Metaph. cont. 16. docuit intellectionem, seu speculationem esse in intellectu intelligentis, sicut visio est in oculo videntis: *Visio in vidente, speculatio in speculante, & vita in anima.* Cùm ergo constet visionem esse oculi formam informantem, intellectio pariter erit forma intellectus informans. Atque hinc fit vt felicitas ipsa, quæ est contemplatio ex eodem Aristotele lib. 10. Ethic. cap. 7. & 8. asseratur ab eodem esse in intellectu Dei, quem felicissimum facit ipse lib. 12. Metaphys. cont. 39. vbi ait, huiusmodi *vitam Deo inexistere. siquidem intellectus operatio vita est.* Et paucis pòst sic concludit: *Quare vita & æuum continuum & æternum Deo inest.* Ergo Aristoteli non sufficit, si extrinsecus adsit intellectio aliena, vt quis intelligat quæ intelligit; sed debet esse forma intrinseca intelligenti, quia eius vita est. Aristoteles.

B

Deinde quòd non possit esse forma hærens atque informans, probatur triplici argumento. Primum est, quia substātia cōpleta nullius alterius substantiæ cōpletæ potest esse forma informans, cùm sint duæ substantiæ per se & actu cōpletæ. Celebre enim est inter Peripateticos illud: *Ex duobus entibus in actu non fit vnum per se.* Quod effatum est apud Aristotelem lib. 7. Metaph. cont. 49. Nec minus celebre & illud: *Impossibile est substantiam ex substantiis esse, quæ sic insunt, vt sint actu;* vt patet ex eodem cont. 49. Quo axiomate reiicit Aristoteles Platonis Ideas, quas in singularibus inesse, apertè pernegat Aristoteles ibi. Cuius rei rationem affert ibidem proximè ad illa verba: *Quæ enim duo sic actu sunt, nunquam vnum actu sunt, sed si potentia duo sunt, erunt vnum;* quia scilicet si sunt duæ substantiæ actu cōpleto, duæ remanent non vna: Et ideò nisi duo sint actus & potentia, vt sunt materia & forma; & his similia, vt hypostasis & natura, non fit vnum ex substantiis duabus. Ex quo fit vt duo indiuidua; v. gr. Socrates & Plato, nunquam coalescere possint vnam in substantiam per se. vnde forma ab Aristotele dicitur lib. 2. Phys. cont. 28. *Ratio & quod quid erat esse;* hoc est definitio, & potissima essentiæ pars. Quo etiam loquendi modo vtitur lib. 7. Metaph. cont. 53. lib. 8 cont. 3. & alibi sæpè. Ergo Intelligentia nō potest esse ita forma intellectus alterius, vt eum informet. Aristoteles.

C

D

Secundum argumentum ad eandem Minoris partem probandam (nempe vnam Intelligētiam nō posse esse formam intellectus alterius informantem) est; Quia Aristoteli vna Intelligentia non est subiectum alterius Intelligentiæ. Nam vt ait lib. 8. Metaphys. cōt. 16. *Quæcunque nō habent materiam sensibilem aut intelligibilem statim vnū quiddam esse, vnumquodque est.* hoc est separatæ substantiæ, statim vnaquæque est aliquod vnum esse, nō ab alia causa nempe formali, quia ipsæ sunt ex se vnum. In quo differūt ab iis quæ materia constant. Hæc enim habent esse ab alio; nempe per formā, quia seipsis, sed per suas partes componentes vnum sunt. Et idcircò: *Propterea* inquit *non aliqua alia causa vlla istorum, vt vnum sint.* Loquitur ergo de causa vt vnum quiddam sint, cuius causam esse formam non dubitatur. A quo enim habetur esse, ab eodem habetur & esse vnum. Quod enim est principium vt aliquid sit in tali specie formaliter, idem est causa Aristoteles.

E

formalis vt sit vnius speciei non plurium. ergo nulla Intelligentia est Aristoteli subiectum alterius, quia hoc ipso quemadmodum & materialia composita non essent se ipsis vnum; sed ab alio formaliter.ergo vna non est alterius forma informans.

Confirmatur hæc ratio:quia si ideò vna esset subiectum alterius Intelligentiæ, quia alteram deberet intelligere; ergo vnaquæque esset subiectum omnium,quia vnaquæque omnes intelligit, ac proinde esset vnaquæque subiectum simul tam multarũ formarum, atque adeò etiam ipsius Dei; quem vnaquæque Aristoteli intelligit, vt inde sibi trahat felicitatem vt antè docuimus. Vnde eadem respectu eiusdem esset subiectum & forma, actus & potentia, perfectior & imperfectior, & sexcenta alia absurda, quæ doctrinam Peripateticam funditus euertũt. Quid enim magis doctrinæ Peripateticæ aduersatur, quam subiectum habere tam multas formas perfectas & completas; cùm vix concedant Peripatetici in vno viuente plures formas partiarias, quæ ad animam seu vegetantem & sentientem, seu etiam ratiocinantem, subiectum organicum præparent:Hinc Aristoteles libro 3. Metaphys.context.20.improbat vniuersalia esse hoc aliquid,& substantia completa; cum prædicatur de Socrate quod sit animal & homo, quia *multa animalia essent ipse Socrates & homo & animal*; quia scilicet essent multa hoc aliquid & substantia completa; nempe & homo & animal, &c. Quam doctrinam etiam obseruat A. Doctor infrà q.76 a.3. Improbat ergo Aristoteles huiusmodi formarum pluralitatem in vno eodémque composito.

Aristoteles.

Ad quod etiam refutandum rectè argumentatur in Platonem lib.1.de An.cont. 90.quod ille triplicem in homine animam poneret; vnam quidem in cerebro; alteram verò in hepate;tertiam denique in corde. Eo autem potissimum argumento, eius sententiæ absurditatem ostendit: quòd sequitur hominem non esse vnum simpliciter. Nam *quid continet animam si partibilis est natura?* hoc est per quid sit vnum,si ex pluribus constat formis? sequitur enim statim: *Si igitur aliquid aliud ipsam vnam facit, illud vtique maximè erit anima.* Quasi apertè dicat; si necessariò debeat poni anima, qua compositum illud vnũ fiat.ergo cæteræ animæ tolli debent quibus tollitur vnitas.

Aristoteles.

Similiter annon Aristoteli aduersatur quod idem respectu eiusdem sit actu & potentia? Duo enim inter se *simul & secundum idem non possunt esse actu & potentia* Aristoteles clara voce docuit lib.3.Phys.cont.8.& libro octauo Phys. contextu 40.

Quod verò id ex ea doctrina sequatur, patet manifestè. Etenim quælibet comparata ad quamcunque esset subiectum omnium illarum substantiarum per quas tanquam per actum intelligendi formaliter quælibet vnamquamque intelligit, ergo quælibet esset subiectum vniuscuiusque, ac proinde quælibet esset potentia respectu cuiusque quæ esset actus. Rursus illa ipsa quæ est subiectum respectu cuiuscunque, esset etiam actus respectu earundem. A quacunque enim intelligeretur,ergo esset quarumcunque formalis intellectio, ac proinde respectu earundem, respectu quarum est potentia, esset actus, & idcirco eadem esset secundũ idem

A actus & potentia, respectu eiusdem: nempe secundum eandem indiuiduam rationem substantiæ, quæ est ipsa formalis intellectio, esset illi eidem actus,cui esset potentia,dum illam suscipit tanquam intelligendi formam.

Neque valet quod aliqui in simili materia respondere solent; nempe non sequi eandem Intelligentiam secundum idem fore actum & potentiam. Nam quæ est alterius tanquam intellectionis subiectum,est subiectum secundum rationem substantiæ; at verò illa ipsa eadem est actus secundum rationem intellectionis: ergo eadem Intelligentia non secundum idem est actus & potentia respectu alterius.

B Hoc inquam nihil prorsus valet ob duplex quo id ipsum impugnatur argumentum. Etenim primò dum vitare cupiunt vnam absurditatem,in aliam incidunt manifestiorem. Concedunt enim apertè, omnes has Intelligentias esse sibi inter se causas in eodem genere causæ. Quoniam quælibet est subiectum alterius secundum rationem substantiæ, ergo Intelligentiã A. est subiectum Intelligentiæ B. secundum rationem substantiæ; & rursus B.est subiectum Intelligentiæ A.secundum rationem substantię. ergo secundum eandem rationem substantiæ sunt sibi inter se causæ Intelligentia A. & Intelligentia B. & in eodem genere causæ, nempe siue subiectiuæ siue materialis. Quod adeò absurdum est vt nihil dici absurdius in Peripatetica Philosophia possit. cùm Aristoteles libro 1. Poster. Anal. capit. 3. ex eo neget dari posse in Demonstratione circulum,ne causæ sint sibi inter se causæ in eodem genere causæ, ac proinde sequi necesse sit idem esse causam sui ipsius. Quandoquidem quod est causa causæ, est quoque causa causati. Quod nunc suppono ex disputatis eodem libro 1.Poster.

C

Impugnatur deinde eadem responsio non minùs euidenter, eo quòd difficultatem argumenti nostri non effugiunt aduersarij. Nam vti dicebamus, Intelligentia A. est subiectum Intelligentiæ B. ergo A. priùs est secundum existẽtiam, quàm B. cùm omne subiectum sit priùs iis,quæ in subiecto sunt teste Aristotele libr. 1. Physic.cont.52. & Post prædic.cap. De Priori & lib.5.Metaph.cont.16. Prius inquam secundum existentiam, propterea quòd non alia ratione subiectum præsupponi formæ debet, ergo secundum existentiam Intelligentia A. est actu, priùs quàm B.cùm sit subiectum illius. Rursus ostendo secundum eandem existentiam B esse priorem quàm A. Quoniam B. est subiectum Intelligentiæ A. ergo eodem modo B. est prius A. secundum existentiam, ergo B. est actu prius quàm A. Vnde sequitur, idem secundum idem esse actu & potentia,prius & posterius respectu eiusdem. Intelligentiæ namque A. & B. secundum existentiam sunt prius & posterius. Sunt etiam actu & potentia, quia dum vna est, in ea antecessione & priori, altera intelligitur non esse sed posse esse, ac proinde actu & potentia respectu eiusdem secundum idem.

D

E

Tertium argumentum ad eandem Minoris partem probandam, non esse scilicet formam informantem ab alio absurdo, est, quia si cùm vna Intelligentia alias intelligit, substantia intellectæ esset forma intelligentis,sequitur apertè,eas non distare localiter inter se.forma enim non potest esse loco separata à subiecto quod actu

actu informat, quandoquidem forma est vltima rei essentia, cùm sit illius quodquid esse & ratio, vt iam diximus ex Aristotele. & ideo est potissima compositi natura ex eodem Aristotele lib. 2. Phys. cont. 12. quæ natura *est principium motus eius in quo est*, ex eodem lib. 2. context. 3. ergo non est separata à sua materia, & à suo toto. At Intelligentiæ Aristoteli & Peripateticis localiter distant inter se: quia vt suprà diximus, habent certum locum in suo orbe, & vbi est vna non est alia. Ergo Intelligentiæ Aristoteli & Peripateticis cùm intelligant Deum & cæteras Intelligentias, non intelligunt per ipsorum substantiam, quæ sit ipsis forma intelligendi. Pro hac etiam re videnda sunt quæ dico in secundo Corollario, cùm Intelligentiæ intelligunt cœlum quod mouent, tunc scilicet obiectum non esse formam, qua formaliter intelligunt.

Aristoteles.

Ex actu qui debet esse elicitus, negandum est Intelligentias ipsas esse intellectionem.

§. 11.

Denique probatur propositio ratione à priori: Quia nulla intellectualis substantia quæ debet intelligere suum obiectum per suum intelligendi actum, & operationem formaliter, intelligit Deum & cæteras Intelligentias per ipsorum obiectorum substantiam, quæ sit actus & forma intelligendi. Sed Aristoteli & Peripateticis vnaquæque Intelligentia debet intelligere suum obiectum per suum intelligendi actum, & operationem formaliter. ergo nulla Intelligentia intelliget Deum & Intelligentiam per ipsorum obiectorum substantiam; quæ sit actus & forma intelligendi. Consequentia est certa.

Maior habet ex ipsis terminis euidentem veritatem. Nam substantia Dei, & cæterarum Intelligentiarum nullius substantiæ intelligentis est formaliter operatio. Non enim huiusmodi substantiæ eliciuntur, & pendent à principio eliciente. Ac primum de Deo id patet manifestiùs, quàm vt probare necesse sit, quia substantia Dei Aristoteli nullius substantiæ est operatio formaliter. Penderet enim ab alio principio, quod expresse negat Aristoteles lib. 12. Metaph. cont. 38. quia non esset primum principium *quod simpliciter est*; si quidem *à tali principio tum cælum tum natura dependet*. De Deo etiam cæterísque Intelligentiis idem probatur: quia omnis operatio Aristoteli est aliqua productio dependens ab operante. & idcircò ab Aristotele dicitur lib. 9. Metaphys. cont. 16. *operationem dici ab opere*. ita vt omnis operatio sit opus aliquod etiam ea quæ immanens dicitur, vt visio & intellectio, licèt præter ipsam talem operationem non sit aliud opus; vt in ædificatione opus enim visus est visio: *Et nihil præter hanc* inquit ibi Aristoteles *aliud à viso fiet opus*. At substantiæ Intelligentiarum non sunt productio ab operante Intelligentia, cùm nec sint ab alio nisi à primo principio; vt ex Aristotele dicetur infrà suo loco. Substantia ergo Intelligentiarum non est operatio alicuius alterius Intelligentiæ. Er-

Aristoteles.

A go si intellectualis substantia debeat intelligere suum obiectum per suum intelligendi actum & operationem formaliter, non intelligit Deum cæterásque Intelligentias per ipsorum substantiam, quæ sit forma intelligendi, quia eorum substantia non est alterius substantiæ operatio; vt ostensum est.

Minor probatur: quia omnis Intelligentia debet intelligere suum obiectum per actum qui sit ipsa formalis intellectio. Sicut enim dealbare est actus qui sit formalis dealbatio, ita & intelligere est actus qui sit formalis intellectio. At omnis intellectio est operatio intelligentis. Est enim inter earum actionum genera, quæ B remanent in ipso principio à quo efficienter promanant, vt habet Aristoteles lib. 9. Metaph. cont. 16. *Quorum* inquit *non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsismet actio est, vt visio in vidente, speculatio in speculante, & vita in anima. Quare felicitas etiam vita namque quædam est.* Ergo intellectio quæ est speculatio, est actio & operatio. Idque confirmatur: quia felicitas seu bonum hominis simpliciter est actio non habitus, aut facultas, vt docet Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. 7. *Si felicitas* inquit *est ex virtute operatio, consentaneum est eam esse ex illa quæ præstantissima est.* Et ideò ibidem paulò pòst id magis definiens, ait eam esse C quæ ex intellectu, qui ex iis quæ in nobis sunt præstantissimum est; concluditque in fine eius capitis, hanc vitam esse diuinam; nempe contemplationem. *Si igitur* inquit *intellectus diuinum quid est si ad hominem respiciamus; sic vita quæ ex intellectu traducitur si humanæ vitæ comparetur, diuina etiam ipsa est.* Multa huc spectantia vide apud eundem Aristotelem lib. 2. Moral. Eudem. cap. 1. Ergo intellectio Aristoteli est actio ab intelligente promanans; & traducitur ab intellectu.

Aristoteles.

Aristoteles.

Sic etiam Aristoteles libr. 4. de part. animal. cap. 10. ait; solum animalium omnium hominem erectum esse, quoniam eius substantia ac natura diuina est: officium autem diuini est in- D telligere ac sapere. Quibus clarè patet, munus & officium quod in actione consistit, esse intelligere. ergo intellectio est actio, quæ ab habente diuinitatem proficiscitur.

Quod adeò verum est, vt in ipso etiam Deo huiusmodi operationem velit esse felicitatem. Sic enim concludit libro decimo Ethic. cap. 8. *Quare Dei operatio cùm beatitudine excellat contemplatiua erit*; & lib. 12. Metaph. contextu trigesimonono ait in hac intellectus operatione consistere vitam ac felicitatem Dei, quia est optima eius operatio: *Cæterùm* inquit *vita quoque profectò inexistit. Siquidem intellectus operatio vita est. Ille verò Deus est actus. Actus autem illius per se vita optima & perpetua est.* Ex quibus eodem lib. cont. 51. E Deum ait esse *intellectionem intellectionis intellectionem*, quæ sola est vita optima, quæ Deus est. Plura de his vide in consequentibus Corollariis. Constat ergo Intelligentias debere intelligere suum obiectum per suum intelligendi actum, seu operationem formaliter; nimirum quæ sit intellectio.

***

Quàm abeant à vero Auerroistæ in proposita quæstione. §. 12.

Achillinus. Colligitur primò, Achillinum & alios eiusdem farinæ Peripateticos, pluris fecisse Auerrois quàm Aristotelis auctoritatem, vt non tam Peripateticorum, quàm Auerroistarum nomine dignandi sunt. Tantum enim abest, vt ij aliquem pro se Aristotelis locum afferre possint; in quo scilicet Aristotelis mens de huiusmodi intelligendi ratione formali declaretur, aut etiã significetur; vt manifestè etiam doctrina Aristotelis contra illos pugnet ac militet: cùm clarè pateat ex dictis, intellectionem esse facultatis intelligentis operationem quæ ab illa eliciatur, non rei intellectæ substantiam qua intelligens natura informetur. Quamobrem & est actio à vita procedens. In qua re vt dicebamus ne Deum quidem Aristoteles excipere voluit cùm dixit libro duodecimo Metaphysices contextu 39. *Speculationem* in Deo *esse optimum & maxime delectabile*. Quam dicit ibi esse intellectus operationẽ, Deóq; inexistere vitã: *Siquidẽ* inquit *intellectus operatio vita est*; Vita nimirum secunda. Nam prima vita est ipsa essentia, à qua nostro modo intelligẽdi intelligitur manare ipsa actio. Quocirca de prima vita intelligendum est illud, quod Aristoteles libro 2. de An. context. 37. dixit: *Ipsum autem viuere viuentibus est esse.*

Colligitur secũdò hos Auerroistas nõ effugere, quod ipsi vitare vehementer cupiunt. Ideò enim negat Achillinus loco citato, Intelligentias intelligere intellectione superaddita, quæ sit forma accidentalis, quia non vult concedere in iisdem vllam compositionem, ne cogatur hoc ipso fateri in ipsis Intelligentiis aliquod nouum compositum; hoc est non æternum. Vt enim ait Auerroës. Auerroës libro 12. Metaphysices, cont. 39. *Omne compositum est nouum.* At si concedant Intelligentiam intelligere per substantiam rei intellectæ tanquam per formam, dare etiam tenentur compositum; idque substantiale. Ergo id multò magis erit nouum, quia plura requiruntur ad substantialem compositionem, quam ad accidentariam. Ergo non effugiunt quod vitare volunt. Præterquamquod Auerroistę nonne volunt cœlum, vt suprà vidimus esse animatum intelligente anima tanquam forma informante? Cur ergo non dicent, cœlum non esse æternum si compositum omne nouum est? Idem dico de compositione cœli ex subiecto & accidente, quod Auerroës & omnes concedunt, & sensibus omnium patet.

Similem repugnantiam deprehendere possumus in alio eorumdem fundamento huius sententiæ. Ex eo enim quòd intellectus & res intellecta idem esse dicunt, volunt Intelligentias intelligere per substantiam eius quæ intelligitur. In quo manifestè eos decipi necesse est. nam etiam eo posito adhuc non est idem intellectus & intellectum, nempe quod intelligitur. Si enim Intelligentia infima verbi gratia intelligit superiorem, inferior illa est intellectus & intelligens, superior autem est res intellecta. Ergo non sunt idem. Quod si dicant intellectionem esse idem cum re intellecta; Contra hoc iam ipse arguo; quia sequitur non intellectum sed intellectionem esse idem cum obiecto. Ergo interpretandi verba Aristotelis nobis dabitur locus, si ipsis licet eadem verba Aristotelis ad suum sensum trahere. Quamobrem aliter ea verba & longè veriùs quàm ipsi putant infrà significare dicemus.

Immò vt magis eius sententiæ absurditatem penetremus, ostendamus vlteriùs & falsum esse, intellectionem Intelligentiarum esse ipsam substantiam obiecti; non solum quia contrà probatum est in propositione: verùm etiam quia certum est, Intelligẽtias motrices cognoscere suum motum, orbémque quem circumducunt. Certum enim est Aristoteli aut omnes aut plurimas Intelligentias mouere cœlum, vt primæ assimilentur, quia vt suprà diximus ex Aristotele libr. 12. Metaph. cont. 36. Deus mouet *vt quod amatur*. Ergo Intelligentiæ dirigunt suum motum, vt Deo in mouendo assimilentur, saltem vt moueant, vt ei rem gratam faciant. Ergo cognoscunt motum ipsum quem eliciunt; nisi fortè sentire velint, substantias separatas instar iumenti, quod obuolutis oculis pistrinum versat, cœlum ignorare quod mouent, cùm ne homines quidem ignorent quod agunt etiam ex necessitate naturæ, & bestiæ ad agendum non moueantur nisi ab appetibili cognito. At quis vnquam dicet, Intelligentias cognoscere motum ac cœlum per ipsorum substantiam, quę sit forma hærens in ipso Intelligentiæ intellectu? Vt subiectum scilicet sit substantia spiritalis, forma verò eiusdem substantiæ sit compositum illud quantum quantum est, ipsum totum cœlum; & præterea motus qui est forma materialis, ac præterfluens successione ac vicissitudine partium. Sed ista quidẽ portenta & monstra, ex Auerroistarum cerebro tanquam ex altrice monstrorũ officina exiisse permittãtur.

Colligitur tertiò, male Themistium citari pro aduersante sententia in parte affirmante, cum ipse, vt diximus suprà in Parte negante, apertè dicat intellectum agentem esse formam quidem sed assistentem. Quod verò attinet ad ea loca, quæ iunioribus quibusdam philosophis talia figmenta persuasere, non sunt ad rem. Nam esto intellectus agens constituat actu ipsum intellectum potentiæ, nego tamen hinc sequi ipsum intellectum agentem constituere formaliter intellectum potentiæ intelligentem. Nam etiam agens corporeum reducit ad actum, & cõstituit in actu id quod erat potentia, nempe materiam; & tamen ipsum agens non est forma eiusdem materiæ. Vnde Aristoteles libr. 3. Phys. cont. 17. docet causam effectricem facere vt aliquid sit actu tale: *Vt actu homo* inquit *facit ex eo quod potentia existit homo hominem*. Et hoc igitur loquendi modo non sequitur, causam ipsam efficientem constituere formaliter per suammet substantiam effectum quem producit. Pari ergo ratione & intellectus agens ex eo quod intellectum possibilem actu faciat, non sequitur ab ipso formaliter constitui. Nam eius munus est omnia facere agendo, non autem informando. Neque enim aliter Aristoteles lib. 3. de An. cont. 18. dixit, in anima esse intellectum agentem nisi *qui omnia faciat*, sicut de possibili dixit, quod omnia fit, recipiendo vim actionémque agentis.

Quod si Aristoteles addat facere veluti *habitum & lumen*; quasi velit indicare non efficienter id præstare, sed formaliter; id nullo modo obest; quia vult tanquam habitum efficere formas

formas in intellectu potentia; & tanquam lumen facit colores; quorum vtrumque ea facit efficiêter. Nam ostendere proposuerat Aristoteles; sicut in vniuersa natura est aliquid quod omnia fit, & aliud quod omnia facit, ita & in anima vtrumque reperiri oportere. Vt autem explicaret quonam pacto id muneris obeat agens intellectus, cuius esse ibi dixerat Aristoteles esse, omnia in anima facere, id aptissimo exemplo habitus ac luminis declarauit. Habitus namque est effectrix virtus, atque operãdi facultas, quod manifestè Aristoteles significauit illis verbis: *Et est quidam talis intellectus quia omnia fit; quidam verò quia omnia facit vt habitus.* Itaque comparatio ipsius habitus adducitur ad ipsam specierum effectionem explicandam. Vnde non solùm dixit Aristoteles esse habitum quomodocunque, sed esse habitum *quale est lumen.* Cur enim quale est lumen? quia vt statim ipse subiunxit, luminis efficientia qua colores actu fiunt visibiles, valdè similis est agenti atque efficienti intellectui. *Quodam enim modo* inquit *& lumen facit potentia existentes colores actu colores.* Ergo efficienter facit actu, non formaliter intellectus agens, ipsas species atque intellectiones in intellectu potentiæ. Neque enim lumen facit colores formaliter, sed sua efficientia facit eos visibiles: dum scilicet cum coloratis obiectis comproducit colorum species, quæ sine lumine gigni non possunt, vt colores videri possint ab oculis. Ita ergo intellectus agens facit obiecta, vt intelligi possint, dum eorum species in intellectu potestatis ingenerat. Quamobrem in eo par ratio est; quod sicut lumen vel se solo efficiendo vel saltem cum colore comproducendo colorum species, facit colores visibiles in oculo, ita & intellectus agens facit intellectilia obiecta efformando obiectorum species in intellectu potentiæ: cùm præsertim hoc propriè Aristoteli sit facere aut esse causam alicuius motus. nempe vt suprà diximus, constituere aliquid in actu primo, ex quo sequatur motus & actio.

Aristoteles.

Quod verò ibi de forma ex Aristotele dicitur, nihil nostræ sententiæ officere potest. Non enim intelligit formam informantem, sed aliquam formam assistentem; cùm etiam vt dixi suprà ex Peripateticis & quæst. 51. a. 1. auriga qui continet, regitque equos forma currus sit; & omne in re præcipuû forma eius dici possit, vt antè dicebamus; & hoc pacto quia cõtinens est potius eo quod continetur, cõtinens dicitur forma eius quod comprehenditur, vt ex Aristotele libr. 4. Phys. patet cont. 49. vbi ob hanc causam ait; aërem esse formam aquæ: ipsum enim facit actu, ei aliquod esse tribuendo, vt locati; & ideò locus libr. 2. cœli cont. 74. dicitur forma locati. Prætèrquamquòd id quod honorabilius est, dicitur forma relatè ad minus nobile; continens autem est honorabilius. Sic enim Aristoteles eodem lib. 2. cont. cit. docet: *Honorabilius est continens ac finis, quàm finitum.*

Ad illud verò de arte aio, non esse operi extraneum intellectum agentem vt artem; sed intimum modo supra explicato, vbi etiam diximus qua ratione nos simus intellectum, & omnes homines sint vnus homo opinione Themistij.

De Theophrasto etiam ibidem dictum est; quid ipse hac de re opinatus sit.

Stephani Bubali de Angelis.

Satisfit argumentis partis affirmantis. §. 13.

Ex his respondetur ad argumenta partis affirmantis. Ad primum enim dico, Intelligentiam inferiorem intelligere superiorem, siue per formam quæ sit accidens, siue alio modo. de qua re disputabitur seq. Diffic. non tamen per superioris Intelligentiæ substantiam tanquam per formam, vt ostensum est.

Ad secundum respondeo, primò eum locum non facere pro Achillini Auerroistarúmque sententia. Nam vt diximus in secundo Corollario, etiam eo posito non sequitur intellectum intelligêtis esse ipsum obiectû quod intelligitur: quod tamen sequi ipsi contendunt. Deinde dico eum locum malè ab ipsis accipi. Auerroës enim lib. 3. de An. com. 15. hæc tria in separatis à materia vnum idémque esse arbitratur; nempe id quod intelligit, intellectionem, & intelligibile. Qua quidem in re & secum ipse pugnat, & mêtem Aristotelis non assequitur. Secum quidem Auerroës pugnat, quia sequitur intellectum agentem non esse formam intellectus materialis; cùm tamen Auerroës lib. 3. de An. com. 5. & 36. apertè id dicat, vt vidimus. Sequelam sic probo; quia intellectus materialis Auerroi non est intellectus agens; Ipsi enim Auerroi huiusmodi intellectus substantia ita differunt, vt intellectus potentia sit subiectum; Agens verò forma intelligentis: Iam si intellectus agens est intellectio ipsius intellectus materialis; ergo intellectus & intellectio & quod intelligitur, non sunt idem in separatis à materia, cuiusmodi vtrumq; intellectum esse apud Auerroëm certum est locis citatis.

Præterea sequitur ne in separatis quidem opinione Auerrois alibi esse verum illud effatum Aristotelis, vt illud Auerroës lib. 3. de An. com. 15. intelligit; nempe *In his quæ sunt sine materia, idê est quod intelligit & quod intelligitur.* Id enim putat Auerroës intelligendum esse, quod cùm separata à materia debeant esse summo modo simplicia, ipsa nullam habere debeant distinctionem intellectus, intelligibilis, & intellectionis, vt diximus. At alibi nêpe lib. 12. Metaph. com. 51. apertè ait eam propositionem simpliciter veram esse, tantùm in intellectu & substantia primæ Intelligentiæ nempe Dei. Ibi enim cùm dixisset Intelligentiis nullam accidere lassitudinem aut defatigationem, sicut accidit nobis dum intelligimus, subdit; longè id verius esse de prima Intelligentia, eo quod cæteris simplicior est: *Sed primus* inquit *simplicior est eorum, & ideò est vnus simpliciter sine aliqua multiplicitate, neque propter alietatem intellectus & intellecti, neque propter multitudinem intellectorum.* Significat ergo in aliis Intelligentiis non esse talem simplicitatem, vt idem sit intellectus & quod intelligitur; quia in hoc Dei simplicitatem cæteris præfert, nec in Deo esse multitudinem eorum quæ intelliguntur, cùm simplicissimus sit; quam tamen multitudinem in Intelligentiis admittit & non recusat.

Quod verò non assequatur mentê Aristotelis, nunc probandum est. Quod vt præstemus multa huc ex variis Aristotelis locis transferenda sunt; postea verò ad argumenta accuratè respondendum est. Sit autem pro hac re

DIGRESSIO,

In qua disputatur quomodo Aristoteli sit idem intellectus & intelligibile.

Aristoteles. NOtandum est Aristotelem tribus locis eam propositionem; (nempe idem esse intellectum & intellectile) vsurpasse; licèt non eodem modo. Eam enim docuit lib. 3. de An. cont. 15. vbi vt ostenderet, intellectum nostrum potentia esse intelligibilem, *sicut ipsa intelligibilia*; affert illud axioma, ex quo id ipsũ probaret. *In his enim* B inquit *quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur*, vt tacitè sic Minorem subiiciat. Sed intellectus videtur esse sine materia. ergo in eodem intellectu idẽ est quod intelligit, & quod intelligitur. ergo est ipse quoque intelligibilis sicut cætera intelligibilia.

Ex quibus patet hic solùm Aristoteli esse propositum, vt conficiat intellectum nostrum esse intellectilem ex eo quòd est immaterialis. Intelligit autem per *intelligibile* quod solo intellectu cognosci potest, in quo differt à sensibili. Quod licet ab intellectu quoque cognoscatur, tamen quia est obiectum quoque sensuum, sensile dicitur simpliciter, non intellectile. Atque idcircò C dixit Aristoteles in eo cont. 15. intellectum esse intelligibilem, quia est sine materia. Quæ enim sine materia sunt, sub solius intellectus intelligentiam cadere possunt, cùm immateriales substantiæ quia quantitate & cæteris materialibus accidentibus affectæ non sunt, sensuum iudicio subesse non possint. Itaque sensile denominatur non quia intellectu quoque non percipiatur, sed quia semper à sensu & nunquam ab intellectu absque sensu: At verò intellectile quia à solo intellectu cognoscatur.

Simplicius. Qua etiam significatione Peripatetici quoque idem omnino vsurparunt. Vnde Simplicius lib. 3. de Anima cont. 16. ait illud quod sensu in- D diget vt intelligatur, esse potestate intelligibile non simpliciter & actu. quemadmodum etiam Aristoteles. Aristoteles lib. 3. de An. cont. 16. *In habentibus materiam potentia solùm vnumquodque esse intelligibile*; quia scilicet vt ipse ibidem, subdẽs rationem, ait: *Talium potentia est intellectus.* Intelligibile ergo est, quod solùm apprehendi potest ab intellectu. Et inde est vt intellectus agens abstrahendo species à phantasmate, faciat ea quæ potentia sunt intelligibilia, actu intelligibilia; vt cùm ex singularibus facit species vniuersalium. Tunc enim positis naturarum generalium, hoc est sine singularibus in intellectu speciebus illæ na- E turæ sunt actu intelligibiles; & dicuntur esse sine materia. Sanè A. Doctor infrà q. 58. a. 2. c. A. Doctor. *Vnumquodque* inquit *est intelligibile in actu secundum quod eius similitudo est in intellectu.* quasi velit ea quorum species sunt in intellectu, eo modo quo sunt in ipso, non apprehendi nisi ab ipso; nempe secundum rationes vniuersales & propria eorum attributa. Quocirca q. 57. infrà a. 1. ad 3. docuit: *Si Angelus acciperet cognitionem à rebus materialibus, fore necessarium quòd faceret eas intelligibiles actu, abstrahendo eas.* Sic enim apta fiunt vt à solo intellectu cognoscantur, vt fusiùs dicetur suis locis.

Ex quibus vlteriùs apparet, cùm Aristoteles eo loco docet; idem esse intellectum, & intelligibile, non esse sensum vt omne intelligibile sit intellectus; nam ex iis quæ potestate intelligibilia sunt, nullum est intellectus; vt natura equi, lapidis, &c. etiamsi fiant intelligibiles actu specierum vniuersalium præcisione. Quamobrem eorum verborum sensus esse debet: In iis substantiis, quæ sine materia sunt, quæ nimirum sunt immaterialia; idem esse quod intelligit & quod intelligitur. Certum namque est omnem substantiam immaterialem intelligentem esse; substantiam inquam quæ simpliciter substantia sit; nempe completa, ac proinde quæ sit actus. Præterea nec sensus est ita, vt actu debeat intelligi ab intellectu, substantia ipsa intellectilis; quia docet, nostrum intellectum esse intelligibilem, qui tamen non semper ab ipsomet intellectu intelligitur, vt ipse ait ibidem cont. 20. Debet ergo intelligi, vt sit idem cum intellectili, cùm est talis actus qui versetur circa seipsum.

Non negarim tamen eam propositionem intelligi posse in eo. cont. 15. nempe *Idem esse quod intelligit & quod intelligitur in his quæ sunt sine materia*, vt sit vera semper & generatim in actu primo; nempe vt intellectus sit semper idem cum eo quod intelligi potest; non quidem omni, sed aliquo. In hoc enim differt à sensu, qui nũquam est idem cùm eo quod sentiri potest: propterea quòd nunquam sensus cognitio potest in seipsam reflecti, quemadmodũ intellectus qui ad seipsum, & quidem præcipuè semper esse potest, cùm habitum scientiæ adeptus est.

Immò hoc pacto esse ad mentem Aristotelis aio: quia alioqui non conficeret quod ipse concludere intendit. Sumit enim probandum, intellectum nostrum esse intelligibilem sicut & cætera intelligibilia, ex eo quòd idem est intelligens & quod intelligitur, in iis quæ sunt sine materia. Itaque medius terminus ad eiusmodi consecutionem non est, quòd idem sit quod intelligit, & quod intelligitur in actu secũdo. Plerunque enim fit vt intellectus noster intelligat alia à se, ac proinde non idem sit quod intelligit, & quod intelligitur. Vnde sequitur intelligendum esse vt idem sit in actu primo & potestate, ita vt hic sit sensus: In abstractis idem est substantia intellectualis, & intelligibilis. Hoc autem totum patebit si construatur hoc pacto Aristotelicus syllogismus; Nimirum; In abstractis à materia substantiis idem est quod intelligit & quod intelligitur; ac proinde idem est intellectus seu substantia intelligens, & intelligibilis. Sed intellectus noster abstractus à materia est intellectus seu substantia intelligens. ergo intellectus noster est intelligibilis. Qua in argumentatione bene vides lector, potissimùm attendi hunc ipsum ab Aristotele medium terminum; nimirum, idem esse intellectum & intelligibile, siue se in actu secũdo intelligat, siue non se intelligat, modò se intelligere in actu primo possit. Nam vt dixi, alioqui non ostenderet, intellectum nostrum esse intelligibilem; quod probandum sumpsit.

Ex quo vlteriùs fit; vt si hoc pacto Aristotelæum axioma intelligatur, consentientia sint ea quæ sequũtur proximè post illa Aristotelis verba citata. Probat enim Aristoteles, idem esse in abstractis à materia quod intelligit & quod intelli-

telligitur hoc pacto: *Scientia namque speculatiua* A *inquit & ipsum scibile idem est.* Quasi dicat; si sciētia speculatiua est scibilis, ipsa scibilis est ab intellectu speculante. ergo & intellectus ipse à seipso speculante est scibilis seu intellectilis. Si namque actus, est scibilis ab intellectu speculante. ergo ab eodem quoque intellectu, scibile quoq; erit illius actus principium. ergo & quod intelligit & quod intelligitur idem erit, quia principium illius actus est ipsum scibile & intellectus.

Quibus etiam animaduerti oportet; probari scilicet hic ab Aristotele, idem esse quod intelligit & quod intelligitur hac probationis serie; vt nimirum probetur in substantiis separatis à B materia, idem esse quod intelligit, & quod intelligitur, quia intellectus, hoc est substantia intellectualis, est intelligibilis à seipsa; ergo sunt idem, vt ita probatio sit ex identitate principij intelligendi remoti & primi non proximi. Antecedens verò probetur ex idētitate principij proximi hoc pacto: Principium scientiæ est scibile ab ipso principio scientiæ nempe intellectu; ergo idem erit in ipso scientiæ principio quod intelligit & quod intelligitur in actu scil. primo; & sic substantia intellectualis est intelligibilis seipsa. Hoc verò postremum antecedens probetur ex eo, quòd si ipsa scientia speculatiua, quæ est actus intellectus, est scibilis ab ipso intellectu, qui est principiū illius; ergo & ipsum principium C quod est intellectus, est scibile ab ipso intellectu. Itaque vniuersa probatio in eo fundatur, quòd vnus actus scientiæ reflecti possit in suum principium. Patet ergo primus locus vbi & quomodo Aristoteles prædictam propositionem vsurpauerit.

Pro secundo loco eiusdem propositionis Notandum est secundò, eandem ferè propositionem haberi apud Aristotelem lib. 12. Metaph. cont. 39. licet aliis verbis eam & non omninò eodem modo significet hoc pacto: *Seipsum verò intellectus intelligit assumptione intelligibilis. intelligibilis namque fit & intelligens ita vt idem intellectus & intelligibile fit.* Quorum sensus clarus erit, si mentem D priùs Aristotelis explicemus.

Aristoteles.

Ostenderat ergo Aristoteles Intelligētiis delectationem magnam inesse, quippe quæ consequitur intellectus operationem, qua primum principium intelligunt, cui etiam desiderant assimilari. Ex hoc autem deducit in primo principio delectationem esse longè maximam. Vt autem hoc probet explicat, quomodo exoriatur delectatio in cæteris naturis intelligentibus, indéque se transfert ad diuinam delectationem. Quam argumento à fortiori docet summam esse in primo ipso principio. Docet autem: in huiusmodi intelligentibus naturis delectationem consequi ipsas connaturales operationes naturæ E intelligentis & desiderantis, vt etiam dixerat idem Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. 4. & 10. Cuius signum hic dicit esse, quod delectatio est maximè in vigilia, sensu, omniúmque optima in actu intellectus; quippe quæ in eo est, tanquam in bono, cætera bona excedente. Ergo vbi est perfectissima intellectio, ibi est maxima delectatio & felicitas. At Dei est perfectissima intellectio. Ergo est maxima delectatio; eámque semper habet Deus sicut nos aliquando, & longe perfectissimo modo: Quod dicit illis verbis: *Si igitur ita se bene habet Deus semper, vt nos aliquando admirabile est. Quod si magis, adhuc admirabilius.*

Quoniam verò explicandum illi erat, quo pacto in nobis aliquando sit minus perfecta felicitas, séque ipsum cognoscat intellectus, indéque delectatio in nobis exoriatur, docet intellectum esse illum, qui seipsum intelligit: quod potiùs ponit quàm probat. Intellectum autem seipsum intelligere, quatenus assumit & concipit in se aliquod aliud intellectile: *Intelligibilis namque fit* inquit *attingens & intelligens*; hoc est intellectus fit intelligibilis per hoc quod intellectile aliquod attingit: concipiendo nimirum quod verè est intelligibile; nempe abstractum à materia.

Qua in re obiter obserua intellectum Aristoteli in eo loco fieri intellectile, idem esse atque suscipere ipsum intellectile. Quo pacto supra ex Aristotele dixi intellectum fieri omnia, suscipiendo omnium formas; & materiam fieri hoc vel illud suscipiendo formam huius vel illius; vt ex. gr. fit ignis vel lignum suscipiendo ignis vel ligni formam; Ita ergo intellectum suscipiendo intellectile ait *intellectum fieri intelligibile, vt idem sit intellectus & intelligibile.* Quod quidem sequitur hac ratione. Nam si ipse fit intellectilis suscipiendo formam eius, quod est intellectile; ergo idem est intellectile seu intelligibile quod est intellectus, quia is qui est intellectus suscipiendo intelligibile est intelligibile ipsum vt diximus.

Verùm cùm ait intellectum attingere seu suscipere intelligibile, debet intelligi vt suprà diximus, vt suscipere intelligibile sit idem atque habere formam eius non quoad esse reale; sed quoad esse quod habet in intellectu, nempe quoad esse intentionale. *Non enim* inquit Aristoteles lib. 3. de An. cont. 38. *lapis in anima est, sed forma.* & ideò ait in præsenti contextu, intellectum ita suscipere intelligibile, vt eo posito operetur & intelligat. Ergo recipiendo eius species: Iis enim positis speciebus intellectus operatur & intelligit. Nam si susciperet intelligibilia quoad esse reale; ipsa intelligibilia essent forma intelligendi non principium ad operandum, vt suprà volebant Auerroistæ. *Aristoteles.*

Quare statim pergit ibi Aristoteles rationem reddens, suámque sententiam meliùs declarans; Quodnam, & quomodo fiat intellectu intelligibile, dum ipsum attingit intelligibile. *Susceptiuū enim intelligibilis & substantia intellectus est; operatur autē habens.* Quod est, vt dicebamus, intellectum fieri intellectile, suscipiendo formam in esse intentionali, vt eam habens operetur. Non ergó suscipit intelligibilia quoad esse reale. Hæc namque nec in intellectu esse possunt, tanquam intelligendi forma, vt ostendimus, nec ad operationem ab Aristotele esse putarentur, sed ipsa formalis operatio; si quod contendit Auerroës, verum esse Aristoteles arbitraretur.

Dum autem dicit esse susceptiuum *substantiæ*, intelligit formam substantiæ; nempe definitionis & ipsius *Quod quid est* abstractam. Hæc etenim essentia & quidditas est propriè intelligibilis; quia hoc pacto non potest sentiri. Vnde Aristoteles docuit, obiectum intellectus esse ipsum *Quod quid est*, vt colligitur apertè ex lib. 3. de An. cont. 26. Idque docet A. Doctor p. p. q. 85. a. 6. c. & 1. 2. q. 3. a. 8. c. Est ergo intellectus susceptiuus substantiæ & naturæ præcisæ ab indiuiduis;

uiduis; ex qua susceptione fit operans, intelligitque seipsum, dum in se ipsum intelligit quod est intelligibile: quia hoc ipso quod aliquid in sese cognoscit: se ipsum quoque intelligat necesse est. Aut etiam intelligit se ipsum intelligendo suam naturam, cùm eam concipit generatim, vt si naturam intellectus distinctè percipiat, agnoscatque eius prædicata; vt cæterarum naturarum, suam quoque implicitè cognoscet.

Ex his ergo sequitur, quod in eo contextu ab Aristotele proponi demonstrandum modò dicebamus; nimirum; si intellectus in eo quod operatur, intelligibile attingendo optimum, & se ipsum, tantam parit delectationem, quæ solùm aliquando est in harum rerum intellectione, etiamsi ipse intelligendi modus planè perfectus non sit, quippe intellectus non aliter intelligit nisi susceptione intelligibilis: Quæ tandem illa Dei felicitas erit; qui semper intelligit optimum, & perfectissimo modo? Et ideò subdit Aristoteles, hanc intellectionem in Deo perfectissimam esse, eo quòd Deus est ipsa sui intellectio, quæ est optima vita. *Quare vita & æuum continuum, & æternum Deo inest. Hoc enim est Deus.*

Aristoteles.

Itaque argumentum Aristotelis est à fortiori; nempe ab eo quod minus. *Si scilicet quod minus est; etiam quod magis.* De quo argumentorum genere agit Aristoteles libr. 2. Rhetor. cap. de locis Enthymematum; Vt si homines multa sciunt, multò magis dæmones, &c.

Ex quibus dictis tria intelligi possunt: Primum est; quo differat sensus huius propositionis ab alia quam diximus Notando superiore. Nam cùm hic dicitur, intellectum & intelligibile esse idem, in hoc sensu verum esse debet: quia scilicet dum intelligit aliquid in se intellectus, intelligit se ipsum; atque ita idem est intellectus qui intelligit, & intelligibile quod intelligitur; nempe dum percipit illud intellectile, cuius formam habet, seipsum quoque cognoscit. At verò ibi dicitur intellectus & intelligibile esse idem, ex eo quòd potest intelligere seipsum, si scientia seipsam scire potest, vt ibi argumentum sit à pari ex actu ad actum, ergo & principij ad obiectum actus, nempe ad seipsum, vt ibi dictum est. Hic verò fit ex natura intellectus, qui intelligendo ea quæ sunt in se, necesse est intelligat se ipsum.

Alterum est quod omninò Auerroistarum opinionem seu potiùs deliramenta demolitur. Nam tantum abest vt intellectus suscipiat intelligibile tanquam formam quoad esse reale, vt ne suscipere quidem eam formam possit. Ratio à priori est ex dictis: Quia illud intelligibile suscipere debet, quo posito intellectus fit operans & intelligens. At posito intelligibili quoad esse intentionale, non autem quoad esse reale, intellectus fit operans & intelligens; ergo intelligibile non debet poni in intellectu quoad esse reale, sed quoad esse intentionale. Minor etiam suprà ostensa est, quia si ponatur secundum esse intentionale, nempe per species, tunc potest exire in actum, & ita operari. si verò ponatur secundum esse reale, non operatur, sed solùm suscipit formam patiendo non operando, quia suscipit formam quæ est ipsa intellectio, qua formaliter est intelligens.

Tertium est, Intelligentias Aristoteli intelligere Deum, à quarum delectatione idem Aristoteles se in diuinam felicitatem transfert.

A Quare ipsum euidenter significare Intelligentias non intelligere Deum per suam substantiam, quæ sit actus intelligendi Deum, sed per operationem distinctam ab ipsa substantia, quia Deo soli videtur Aristoteles tribuere vt sit intellectionis intellectio, cùm cæterarum intellectionum non faciat mentionem.

Nunc ad tertium locum veniamus. Pro quare

Notãdum tertiò, Aristotelem lib. 12. Metaph. cont. 51. sic esse locutum de intellectu, atque de intellectili: *Cum non sit diuersum id quod intelligitur & intellectus, quæcunque non habent materiam idem erunt ac intellectio vna eius quod intelligitur.* Quæ verba vt ad veritatem declaremus, explicandus est scopus Aristotelis in eo contextu. Ostenderat ibi Aristoteles substantiam Dei esse ipsam intellectionem, vnde illi definiendum erat, quodnam huius intellectionis obiectum esset. Ait autem Deum ipsum sibi esse intelligendi obiectum; ne si quid extra se intelligeret, aliquid Deo dignius concederetur; vt ibi ipse probat. Ex quo sequitur cum Deus sit sua intellectio & vita, Deum debere esse actum & cognitionem sui. Sic enim concluserat contex. 39. *intellectionem Dei esse intellectionis intellectionem*; nimirum quia eius intellectio est cognitio diuinitatis, quæ est intellectio & actus secundus.

Aristoteles.

B

C Verùm aduersus hanc doctrinam duo obiicit Aristoteles, tanquam cum ea ex aduerso pugnent. Nam primò sensus, opinio, cogitatio & scientia versantur circa aliud. Ergo etiam intellectio Dei debet esse circa aliud, ac proinde non debet suimet ipsius esse. Sic autem habet prima obiectio: *At videtur semper alterius esse tum scientia tum sensus; & opinio, & cogitatio, sui verò ipsius præter necessitatem*; hoc est non necessariò, seu vt alij legunt; *in accessorio.* Quia scilicet cognitio sui ipsius non sit præcipui obiecti actus; vt cum quis scit se scire, & sentit se sentire. Ergo & Dei intellectio cùm intelligit se ipsum, esset minus præcipua intellectio; quod non est dicendum. Deinde obiicit: quia aliud est intelligere; aliud verò intelligi. Si ergo Deus est sua intellectio, & est id quod intelligitur; quæro; Vtro ex his modis Deo insit sua felicitas? An scilicet secundum quod est ipsa intellectio? An verò secundum quod eius intellectionis est obiectum, seu res intellecta? *Si aliud* inquit *est intelligere, aliud intelligi sit, secundum quod horum inest ei benè esse? quandoquidem non est idem intellectioni esse & intellecto.*

D

Vtrique huic obiectioni satisfacit Aristoteles eo loco & contextu. Atque vt omittamus posteriorem, tanquam ad rem præsentem vel nihil vel parum attinentem; Priori dubitationi respondens dicit; quoad quædam idem esse scientiam & rem quæ scitur. *An in quibusdam* inquit *scientia est ipsa res?* Hoc autem declarat, quomodo verum sit in scientiis tum effectricibus, tum contemplatricibus & potissimis. Nam in illis quidem res scita sine materia accepta est ipsa scientia; vt domus sine materia; nempe ea quæ inest in artificis mente, & est ipsa ars ædificatrix; quemadmodum sanitas in mente medici est ipsa ars medendi ac sanandi, quæ sanitatem realem in materia respicit. Non enim est alia sanitas sine materia, nisi quæ est ipsa realis cognitio, quæ est sanitas repræsentatiuè. Vnde ars effectrix in mente est ipsa substantia & definitio

Aristoteles.

E

sui

sui obiecti, quandoquidem omnis ars est cognitio substantiæ & naturæ in re facienda, quia ex cognitione quidditatis rei faciendæ artifex ad opus progreditur. Itaque id quod intelligitur, à materia auulsum est, ipsa cognitio ac scientia effectrix. In his verò, nempe contemplatricibus; eodem modo ipsa quoque ratio ac rei definitio est res scita, nempe in mente. Sic autem loquitur Aristoteles ibi; *In effectiuis quidem absque materia substantia & ipsum quid erat esse: In speculatiuis verò ratio, res, & intellectio.*

Ex qua doctrina conficit, cùm non sit diuersum quod intelligitur, & intellectus, in iis quæ non habent materiam, idem erunt intellectus & quod intelligitur: *Cùm igitur* inquit *non sit diuersum id quod intelligitur & intellectus, quæcunque non habent materiam, idem erunt ac intellectio vna eius quod intelligitur.* Hoc est, quoniam in iis quæ sine materia sunt in intellectu scientis, non sunt diuersum, obiectum intelligibile & sciētia illius; quia scilicet domus ædificanda in mēte, & scientia domus ædificandæ, sunt idem eo modo quo dixerat, necesse est neque esse diuersa, sed idem ipsum intellectum, & quod intelligitur; intellectus nimirum in actu secundo; nempe intellectus secundum quod artem scientiamque habet, propterea quod scientia & res scita sunt idem in intellectu vt diximus. Propterea concludit intellectionem, hoc est intellectum in actu, & rem scitam esse idem.

Ex quo vlteriùs sequitur, cùm Deus sit sua intellectio, ac proinde intellectus in actu, eius intellectionem nō esse alterius intellectionem, sed illam ipsam idem prorsus esse atque res intellecta, quod dicit illis verbis: *ac intellectio vna eius quod intelligitur.* Quod rectè in Aristotelis proposito sequitur; quia in separatis à materia idem re est scientia & res scita; hoc est cùm obiectum à materia separatur, éstque in mente intelligētis, idem est cum ipsa scientia. Non enim aliud esse habet quàm ipsum esse scientiæ. Vnde Deo scientia est idem cum re scita, quia obiectum separatur à materia; vt domus & cognitio domus. Hoc ipso enim omne aliud esse amittit. Sed scientia & intellectio Dei est rei, quæ est separata à materia. Ergo idem est Dei intellectio & res scita. ergo non est alterius tanquam obiecti. Quod quidem argumentum vt verum fatear, simpliciter non valet. Etenim non videtur sequi; quandocunque cognitio est obiecti separati à materia, idem est cognitio & obiectum illius; ergo intellectio Dei est idem realiter cum ipso Deo; quod argumentum contendit.

Non sequitur autem, quia potest esse idem obiectum realiter cum cognitione in esse intentionali, non autem in esse reali. Esto igitur Dei cognitio & obiectum sint idem in esse intentionali, negari tamen posset esse idem re cū eo obiecto ad quod cognitio tendit. Dico tamen non valere *simpliciter*, vt non inficier valere ad propositum Aristotelis vt dicebam. Ipse etenim hoc tantùm sibi proposuerat, vt solueret obiectionem, quæ contendebat intellectionem debere esse alterius distincti. Quod rectè ab ipso reiicitur. Nam in iis quæ sunt sine materia, non est distincta obiecti realitas ab ipsa cognitione; cùm domus cognita in esse intentionali, idem sit cum ipsa eiusdem domus cognitione, vt dictum est. Non ergo putat rationem hanc esse simpliciter efficacem. Nam quòd diuina cogni-

A tio circa se versari debeat, [illegible] scilicet quid Deo [illegible].

Quòd verò obiectum & [illegible] solùm sit idem in esse [illegible] esse reali, non debet ab Aristotele [illegible] ex dictis initio ibidem [illegible] demonstratum, ob summam Dei [illegible]: Si enim eius *intellectio non est* [illegible] *eius substātia sed potentia*, hoc est [illegible] *profectò non erit optima substantia*, [illegible] *intelligit honorabilitas inest.* Siquidem [illegible] & perfectio inerit ei per suum intelligendi actum, ergo perficeretur per suum actum & formam, ergo intimè in se non est perfectissima substantia. Atque ita intellige hic per potentiam suum

B subiectum, non autem pro esse potentiā seu potestate ad aliud quod nondum habeat; nam supponit in ea esse actum quo perficiatur, & Græcè est *ἀλλὰ δύναμις sed potentia.*

Ex quibus dictis tria consequi necesse est, quæ maximopere faciunt ad rem præsentem. Primum quidem, nō doceri hoc postremò locò ab Aristotele, esse idem intelligibile & intellectum, si intellectus sumatur pro facultate & substantia, quæ est subiectum actus; sed solùm si sumatur pro ipsa scientia, seu pro intellectu in actu vt dictum est. Quod adeò verum est, vt omnium Arabum pertinacia coërceri euidenter possit: Nam Aristoteles dicit artem seu scien-

C tiam effectricem esse idem cum obiecto vt diximus. Quæro ergo an sit idem in esse reali, an intentionali. Si primum negent (vt negari oportet omninò, quis enim dicet, artem ædificandæ domus esse substantialiter ac re ipsa domum, quæ est à parte rei?) Ergo debent solùm esse idē in esse intentionali. Cur ergo recurrunt ad formam illam portentosam? Vt scilicet in iis quæ sunt sine materia, idem sit intellectus & intellectum, quia in iis ipsius intellectus forma sit ipsū intellectum seu res intellecta. Num ergo dicent domum esse formam intellectus?

Alterum est diuersam esse hanc propositionem à duabus superioribus: Nam prima signifi-

D cabat intellectum & intelligibile esse idem re: altera, intellectum fieri rem intellectam eius formam suscipiendo in esse intentionali. Demum hic significat esse idem re actum intellectus & obiectum ipsum in esse intentionali: Quæ omnia probata sunt. Et hac postrema loquendi significatione Aristoteles alibi vsus est. Libro enim 3. de An. cont. 27. dixit: *Idem autem est scientia secundum actum ipsi rei: Quæ verò secundum potentiam, tempore prior est in vno.* & cont. 36. ibidem: *omninò autem intellectus qui secundum actum intelligit, res ipsa est*; & alibi.

Tertium est quod suprà dicebam aduersus Auerroëm, nunquam Aristotelem, ne remotè

E quidem significasse, Intelligentias aut intellectum nostrum intelligere substātias abstractas, per ipsasmet substantias tanquam per formas. Vnde euidenter patet hāc portentosam sententiam esse Arabum, eísque consentientium proprium monstrum. Atque hic sit finis præsentis digressionis. Nunc ad nostram propositam difficultatem reuertamur. Sit ergo

REGRES

A

REGRESSIO

Ad eandem propositam Difficultatem.

HIs ita constitutis ad argumentum secũdum Achillini in prima sententia respondeo, intellectum non esse vnum & idem cum ea substantia quam intelligit. Id enim est solius intellectus diuini apud Aristotelem vt dictum est Notando Tertio. Immò addo, etiamsi intellectus & res intellecta facerent vnum compositũ tanquam materia & forma, vt contẽdit Achillinus, tamen neganda adhuc esset argumenti consecutio; nempe esse vnum & idem re. Nam materia & forma licèt faciant vnum, cùm tamen semper retineant suam distinctionẽ, nunquã sunt vnum & idem; vt corpus hominis eiúsque animus diuersæ res omninò sunt, generéque ferè summo distinguuntur.

Ad tertium respondeo. Esto Intelligentiæ se perficiant in cognitione causæ primæ; quia vt Theologi loquuntur, se mutuò illuminent; aut certe vt alij quidam Peripatetici dicunt, quia ex cognitione superioris Intelligentiæ, inferior Deum cognoscit perfectiùs; quia meliùs Deus repræsentatur per Intelligentiam perfectiorem tanquam per obiectum perfectius; sicut & nos Deum cognoscimus perfectiùs cognoscendo perfectiores creaturas; tamen nunquam se perficiunt formaliter per suam substantiam, quia id fieri nequit. Vel si nolint perfici de nouo, concedendæ sunt perfectæ ab initio, seu vt ipsi loquũtur ab æterno; idque connaturali modo ad suam naturam, & suis formis, quas Deus illis ab initio, siue vt male ipsi putant ab æterno, largitus sit. Nec magni facimus Auerrois dicta, quæ ipse pro arbitrio, non autem ex Aristotelis aut veritatis promptuario depromit.

Ad quartum dico, ad multitudinem satis esse conuenientiam genericam, & differentiam specificam, vt aliquid sit simile materiæ, aliquid formæ. Nam genus esse loco materiæ, differentiam loco formæ, ne ij quidem qui Logicam primis vt aiunt degustarunt labris, ignorant. Non ergo est confugiendum ad illam portentosam compositionem.

Ad quintum dico, rectè Auerroëm in eo com. 51. lib. 12. Metaph. concedere, solum Deum esse omnis prorsus compositionis expertem, reliquas verò Intelligentias non esse ita simplices, vt suprà etiam probauimus, sed negandum est, esse illam compositionem quam ipsi dicunt. Nam erit illa compositio ex qua plures vel pauciores formas habent, quibus earum natura perficiatur, quas dicunt Theologi esse species magis vniuersales, & pauciores in Intelligentiis superioribus. Si autem hanc neget Auerroës, assignet aliam, modò non illam quam reiicimus. Tunc autem illa examinanda erit, vtrùm vera sit. Neque enim soli Auerrois auctoritati fidendum sapienti est. Ex quibus quæ ibi dicuntur facilè labascunt, & pereunt. Atque hæc de Difficultate in qua fuit magnopere laborandum ob implicitæ doctrinæ in Peripateticorum latebris explicationem.

Auerroës.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Aristoteli & Peripateticis Intelligentiæ intelligant sua obiecta per suam substantiam. Quod est quærere, vtrùm intelligere Intelligentiarum sit ipsarum substantia, an aliquod accidens substantiæ adiunctum.

QVod hactenus probauimus est non posse vnã Intelligentiam intelligere per substãtiam alterius tanquã per formam; nunc superest
B ostendamus an intelligendi actus sit aliquid substantiæ adiunctum an non. Si adiunctũ, ergo erit accidens; Si non; ergo ipsa substantia erit ipsum Intelligẽtiarum intelligere; & quæritur quomodo dicendum sit opinione Aristotelis & Peripateticorum, quod non leuem habet difficultatem.

Opinio eorum qui affirmant Intelligentias Aristoteli esse simplices actus vt est Deus eorúmque fundamenta. §. 1.

C PRima sentẽtia docet, Intelligentias intelligere non per aliquod accidens substãtiæ superadditum, ac proinde per suammet substantiam. Ita qui opinione Aristotelis existimarunt Intelligentias non differre à Deo quoad essendi simplicitatem; sed solùm in eo quod à Deo tãquam à primo ente dependent. Ita Iandunus lib. 12. Metaphys. q. 9. §. *Oppositum*. Idémque videtur sentire Soncinas eodem libro q. 59. licèt hic addat, argumenta quæ afferuntur non probare id ab Aristotele doceri. Marcus etiam Antonius Zimara in suis Theorematis Proposit. 40. expressè ait: *Non posuerunt Philosophi aliquam realem compositionem in Intelligentiis, nisi fortè in anima Intellectiua*
D *propter ipsam esse vltimam in genere abstractorum.* Quod de humano animo probat, ex Auerroë libro 3. de An. com. 19. & lib. 12. Metaph. com. 17. aitque *videri sententiam Aristotelis lib. 3. de An. cont. 17. vbi docet, in omni natura, in qua est id quod omnia fit, debere esse quod omnia facit.* Cum his quatenus dicunt Intelligentias; non intelligere per intellectionem, quæ sit accidens, conuenit Achillinus eodem quolib. 2. de Intelligentiis dubit. 2. §. *Primum*; idque multis probat, vt inde conficiat, Aristoteli Intelligentias intelligere per substantiam rei intellectæ tanquam per formam, vt vidimus suprà. Eandem sententiam videtur sequi
E Simplicius libr. 8. Physic. post suum comment. 11. in Digressione contra Ioannem Grammaticum ante medium; vbi reprehendens Grammaticum ait; mentes quæ sunt supra animam; *collectim omnia, & sine transitu intelligere; idque conuenire menti secundum substantiam.* Quare videtur significare ipsas mentes intelligere intellectione quæ sit ipsarum substantia, non per superadditum.

Iandunus. Soncinas. Marc. Ant. Zimara. Auerroes. Achillinus. Simplicius.

Verùm hæc prima sententia, cuiuscuius tandem auctoris sit, probari multipliciter potest. Primò, quia Aristoteles libr. 8. Phys. cont. 57. docet: *Perpetuis solum competit moueri secundum locum.* Ergo non habet intellectiones accidentales additas

Aristoteles.

additas substantiæ, quia alioqui competeret eis moueri alio motu quàm locali, nempe mutatione ad qualitatem.

Aristoteles. Secundò probari potest: quia Aristoteles lib. 12. Metaphys. cont. 51. docet de Deo: *Si non est intellectio sed potentia laboriosam ei continuationem intelligendi esse.* Ergo substantia quæ non sit eius intelligere, laboriosam intellectionē exercet. Hoc autem non conuenit in Intelligentiis, quæ ne mouendo quidem cœlum defatigantur. Ergo Aristoteli Intelligentiarum substantia est ipsarum intelligere.

Iandunus. Tertiò probat Iandunus, quia vt ait Auerroës lib. 12. Metaph. cont. 30. Æternum est actio pura. Ergo Intelligentiæ sunt puri actus, ac proinde non sunt intelligentes per formam superadditam, quæ sit qualitas.

Achillinus. Quartò probat Achillinus ex Auerroë lib. 12. Metaph. com. 39. vbi docet in Deo intellectionē non esse accidens: *quia omne compositum est nouum.* Sed in Intelligentiis nullum compositum est nouum, quia omnia quę in Intelligentiis insunt, æterna sunt. Ergo Intelligentiarum actus intelligendi non est accidens.

Quintò idem probat, quia certum est, Intelligentias intelligere seipsas per suam substātiam, vt ait Auerroës lib. 3. de An. cont. 15. Ergo si vna intelligeret cæteras per accidens superadditum perfectior esset de se cognitio secundæ, quam cognitio eiusdem secundæ de prima; quia nimirum illa esset cognitio substātialis hæc accidētalis. Ergo secunda esset felix cognoscendo se, non autem cognoscendo primam.

Sextò idem probat quia si cognitiones Intelligentiarum essent accidens; ergo non esset idem scientia & id quod intelligitur, contra ea quæ

Auerroës. docet Auerroës 3. de An. com. 14. vbi ait: *Intellectus in formis abstractis est idem cum intellecto.* & lib. 8. Phys. com. 40. *In abstractis intellectum & intellectū idem sunt.* Sequela patet, quia res intellecta est substantia, scientia verò accidens. Vnde idem Auerroës lib. 2. Metaph. comm. 1. vt illi tribuit A. Doctor q. 8. de Ver. a. 7. c. dixit: *Quòd in substātiis separatis à materia non differt forma quæ est in intellectu, à forma quæ est extra intellectum:* nimirum quia forma quæ est intellectio, sit idem cum substantia propria Intelligentiæ, quæ est extra intellectum cùm non intelligitur.

Aristoteles. At mihi videtur longè validiùs probari posse hæc sentētia septimò, quia Aristoteli intellectus agens substantialiter est sua actio. Sic enim de eo scribit lib. 3. de An. cont. 19. *Substantia actio existens.* Ergo eius substantia est ipsa intelligendi actio. Ergo nō differt Aristoteli intellectus agētis substantia ab eius actione. Ergo multò minus discriminis erit intellectionis & substantiæ in Intelligentiis, quippe Aristoteli omni intellectu hominis nobiliores, atque immateriales magis.

Aristoteles. Octauò probatur, quia Intelligentiæ vitam ducunt beatissimam, quæ est ipsa intelligendi actio; vt patet ex Aristotele libr. 12. Metaphys. cont. 39. Ergo existimat Aristoteles, vitam hanc & actionem ipsarum esse substantialem. Nam de illis maximè dici potest, quod de viuentibus, idē Aristoteles dixit lib. 3. de An. cont. 37. *Vita viuentibus est esse.* Ergo intelligentiarum substantia non differt ab ipsarum intelligendi actu. Ex quo etiā patet, cur Aristoteles dixerit lib. 1. de cœlo, cont. 100. *Neque vlla transmutatio vllius eorum quæ super extima posita sunt latione, sed inalterabilia & impassi-*

A *bilia optimam habentia vitam & per se sufficientissimā perseuerantem toto æuo.* Id enim dixit, quia cum intellectio sit ipsarum substantia, non variantur intellectio & vita, ac proinde perseuerant eodē modo semper ac toto æuo.

Nonò, quia Aristoteles lib. 2. cœli cont. 64. aperte ait: *Ei autem qui quamoptimè se habet, nihil opus est actione.* Sed Intelligentia quęcunque Aristoteli optimè se habet, quia quæcunque degit vitam optimā, vt docet Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. 7. Ergo nihil illis opus est actione sententia Aristotelis; nimirum substantiæ superaddita. nā quod illis insit aliqua actio, per quam beate degant, eodem loco ibi docet Aristoteles & lib. 12. Aristoteles.

B Metaph. cont. 51.

Confirmatur: quia frustra in illis poneretur cognitio distincta: Nam cùm vna eademq; sēper Aristoteli perseuerare debeat ita vt mutari non possit, quia vna eadémq; est optima habenti; cur distincta Aristoteli ea esse oportet?

Decimò probatur; quia quod de primo ente & causa docet Aristoteles in lib. 12. Metaph. id de omnibus Intelligentiis docet, aliquo tamen discrimine, vt suprà diximus. Sed de primo ente, & causa docet, intelligere non esse distinctum ab eius substantia. Ergo idem erit dicendum de Intelligētiis. Minor patet ex cont. 51. eiusdem libri, Aristoteles.

C vbi de Deo sic habet: *Se ipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est, & est intellectio in electionis intellectio.* Ergo Dei substantia est intellectio; neque est quid ab ea diuersum. Consequentia est clara; quia ex eo quod intelligit se ipsum, ait esse intellectionis intellectionem. Ergo quod intelligitur, est intellectio, cùm Deus seipsum intelligit, vt ita sit intellectionis intellectio, ex eo quòd est intellectio ipsius Dei. Ergo ipse Deus seu substantia Dei est eius intellectio.

D *Referuntur veteres Peripatetici arbitrantes intelligendi actum accidens esse substantiæ ipsarum Intelligentiarum: vbi multa ex Aristotele de actu Intellectus agentis.* §. 2.

Secunda tamen sententia affirmat Aristoteli Intelligētias intelligere per actionē substātiæ superadditam, & nō per ipsarū substantiā. Ita expressè colligitur ex Philopono apud Simplicium Digressione contra ipsum, quam citaui in prima sentētia. Etenim argumētatur contra Aristotelis de æternitate Mundi argumentū illud; nempe Si tēpus aliquando incæpit esse; ergo prius nō erat

E tēpus. ergo priùs erat tēpus quā esset tēpus, quia prius nonnisi tēpus significat. Aduersus ergo huiusmodi argumentū Philoponus ait, mentes citra primā quæ est Deus, mutari ac *de vno intellecto ad aliud procedere, nec recipere duo simul intellecta, sed aliud quid primū intelligere, & aliud secundū, aliud tertium.* Vnde colligit in huiusmodi cogitationibus esse prius & posterius & nō tēporis, quia cogitata mentis nulli corpori addictæ non subiacet tēpori: *Igitur non quomodocunq; prius & posterius dictū statim tēpus indicat.* Quod Philoponus nō probat, sed supponit tanquā ab Aristotele datum, vt inde eius sentētiam euertat. Ergo id Aristoteli tribuere videtur, Intelligentias intelligere per aliquid superadditum, & non per suam substantiam. Philoponus.

Huc

Themistius. Huc etiam referri Themistius potest. Nam lib. 3. de An. cùm de Intellectu agente quem similem Deo dixit cap. 25. *& quodammodo Deum*, tamen cap. 26. hoc inter ipsum & intellectum potestatis discrimen assignat, quòd *in intellectu potestatis diuisæ & sectæ notiones sunt.* At contrà in intellectu agente, cuius substantia actu describitur. *Neque enim is ex vno genere in aliud transit, neque componit quicquam aut diuidit, neque discursu vtitur ad res noscendas, sed compressione quadam. Cum enim formas omnium rerum actu contineat, simul quoque aggreditur, complectitur & intelligit omnia.* Reddit rationem, quia Aristoteles dixit eius substantiam esse actu, *alioqui substantia eius solo actu definiri non posset*; quod tamen Aristoteles affirmauit.

Themistius. Quare Themistius componit hos duos intellectus; quòd alter non habeat notiones actu, sed potestate vt omnia intelligat; Alter actu habeat omnes, vt actu intelligat omnia. Quocirca vult intellectum agentem habere actu eas notiones, quas intellectus potentia habet potestate. Sed intellectus potestate habet potētia notiones superadditas actu; ergo & intellectus agens habet actu superadditas.

Præterea quia si omnes eas haberet actu substantialiter eius essentia, non differret à Deo. esset enim omnia quæ intelligit ac ipse Deus. cùm tamen Themistius illum Deo similem, non parem faciat. Sanè idem Themistius in Paraphrasi ad cont. 19. eiusdem libri 3. de An. iuxta Nogarolæ translationem de intellectu agente ait, ipsum *esse actu perfectum non potestate.* Quasi dicat, absolutionem quidem habet actu, sed non est ipse substantia actus. Ex quo intellige cùm Themistius in eo cap. 26. in fine negat, *substantiã eius ab actu differre*, non perinde esse accipiendum, ac si nolit differre subiectum, & eius formas, quæ actu sint in ipso, cùm hoc videatur concessisse; sed vt velit non differre tanquam subiectum & formas, quæ potestate non actu in ipso sint. Hoc enim discrimen solùm posuerat inter intellectum agentem, & intellectum potestate in eo cap. vt dicebam. Iam ergo dico, si intellectus agẽs, qui Themistio est perfectissimus in intelligendo, habet notiones superadditas; ergo & Intelligentiç eidem Themistio easdem intellectiones superadditas habebunt.

Alexander. In hac etiam sententia apertè est Alexander Aphrodisiensis, qui libro suo primo de Anima cap. de Intellectu Agente ait, ex eo quòd Aristoteles ait, intellectum agentem esse substantia sua actum, debere intelligi esse Deum ipsum, quod etiam illi tribuit Philoponus lib. 3. de An. Commentario suo in cont. 49. & 50. qui est cōt. 17. & 18. Argumentum enim ex Alexandro refert, cur ipse existimaret Aristoteli intellectum agentem esse Deum; quia scilicet vt ille ait, *solius Dei proprium est cum substantia habere concurrentem operationem, & semper operari & agere.* Itaque existimat nulli creaturæ conuenire posse, quod Aristoteles libro 3. de An. cont. 19. intellectui ascribit agenti; nempe *substantia esse actum* quia est solius Dei.

Strato Lampsacenus. Ad hanc etiam sententiã spectat quod dixit Strato Lampsacenus, qui vt ait Simplicius lib. 6. Physic. commentario suo 23. *fuit auditor Theophrasti, & inter optimos Peripateticos numeratur.* Is enim in libro suo de motu ait, animas non solùm irrationales, sed etiam rationalem moueri

A cùm operatur, cùm dicat has actiones esse motus animæ. Addit autem, omnem intellectionem etiamsi non sit per corpus, esse motum aliquem, sicut qui videt & audit. *Semper enim* inquit *intelligens mouetur sicut qui videt, audit, olfacit. nam intellectio est actio quadam intellectus, vt etiam visio ipsius visus.* Hæc ille apud Simplicium ibi. Ergo supponit huiusmodi intellectiones in ipsis etiam separatis mentibus esse motus, & non esse substantiam ipsarum.

Quod ipse Strato videtur à magistro Theophrasto sumpsisse inter Aristotelis socios coryphæo; vt de illo loquitur ibidem Simplicius. Nam eas etiam actiones ad quas corpus non præbet adminiculum, ait esse motus. Appetitio-B nes namque referente Simplicio ibidem, & iræ sunt motus corporei; speculationes autem & iudicia, quæ non sunt referenda ad corpus, sed in ipso animo sunt actus, hos quoque motus esse concessit. ergo etiam in Intelligentiis. Quod enim ipsæ æternæ sint, non obstat, quãdoquidem & actus ipsi æterni esse in subiecto possunt. Idq; ipse Simplicius videtur indicasse libr. 3. Phys. Simplicius. commento suo 2. vbi tria rerum genera facit. *Rerum* inquit *quædam sunt actu solum; quædam actu & potentia. Ipsum igitur eus solum actu est in substantiis ingeniis, & subiectum ipsarum actionibus.* Ergo supponit subiectum esse æternarum actionum. Addit tertium genus Idearum Platonicarum; vt C arbitror. Sic enim ait: *Item quæ sunt simpliciter actu, tantum sunt immateriales substantia, & prima species, formaque nam nulla alter fieri potest, atque fiat a principio.* Nam Ideas Platonicas defendi à Simplicio patet ex ipso lib. 2. Phys. commentario suo 13. & nos ante monuimus.

Aduerte autem vt intelligas, quid sit Simplicio esse actu, quæ ipse dicit in fine eius secundi commentarij. Non enim ait, substantiam esse actu, esse ipsam habere suas operationes quæ idem re cum ipsa sint, vt aliqui recentiores non rectè arbitrantur; sed ait esse, posse ex se operari. *Ipsum verò actu* inquit *est id, quod agere iam potest secundum illud secundum quod dicitur.* Quod obiter D dixerim ne decipiamur, cùm de intellectu agente dixit Aristoteles ipsum *substantia esse actu.* Ex quibus etiam vides; verùm Auerroes & alij rectè putent, Theophrastum, reliquósque magni nominis Peripateticos stare pro ipsis, ad illam copulationem intellectus agentis & materialis, cùm dicant nostras cogitationes esse animi nostri motus, ac proinde omnem substantialem copulationem ab Peripatetica disciplina reiiciant.

His Peripateticis libet addere Alexandrum Alensem, quà Aristotelis interpretem agit; non Alensis quà Theologi personam gerit. Is enim lib. 7. Metaphys. in cont. 41. 6. *Quæreret aliquis* negat Ari-E stoteli Intelligentias infra Deum esse simplices quidditates; sed ait esse quid habens quidditatem, *eo quòd non habent plenitudinem entis, atque hinc est vt multa possint talibus accidere de rationibus entis*; eáque prosequitur fusiùs, aitque in ipsis aliud esse suppositum, aliud quidditatem. Ergo censet non esse actus puros, sed potentiam ad suas perfectiones ergo ad operationes. hæ enim non sunt idem cum substantia nisi in iis, quæ puri sunt actus. Idem docet lib. 8. Metaph. in cont. 16. in illa verba *Quapropter nos*; vbi ait, substantias separatas non esse ita puros actus, vt nihil potentiæ habeant, non quidem quia sint potentia per aliquid

aliquid sui, nempe per materiam; vt composita materialia, quæ per materiam sunt potentia, actu per formam, per quam sunt id quod sunt; & hoc pacto ait, intelligi posse philosophum lib. 3. Phys. cont. 32. cum ait: *In perpetuis non differt esse & posse*; quia scilicet non priùs per aliquid sui possunt esse, quàm actu sint; vt etiam nos suprà constituimus: sed esse potentia; quia saltem priùs natura quàm essent, *fuerunt in potentia agentis & obiectiua*. Ergo putauit Aristoteli habere actus adiunctos, licèt semper habuerint, iisque nunquam in tota æternitate caruerint. Apud A. Doctorem nihil hac de re ex Aristotele scriptum esse reperio. Arbitror illi visum fuisse satis de hac quæstione ad mentem disputasse veritatis.

Auerroëm pugnantia locutum de Intelligentiarum intellectione, quam tamen plerumque existimauit esse accidens. §. 3.

Auerroes. IN postremũ locum Auerroëm reseruauimus, quem ab aduersariis stare, neminem hactenus dubitasse video. & fortè in eum A. Doctor hunc Caietanus. scripsit articulum, si Caietano credimus initio huius articuli dicenti: *Ista quæstio est cum Philosophis tenentibus in substantiis immaterialibus omninò quales sunt Intelligẽtiæ, nullum esse accidens; vt Auerroës tenet lib. 12. Metaphys. comment. 25.* Vbi ait esse substantias intelligibiles, *à quibus possibile est fugere omnia accidentia*. Sanè Auerroës nihil magis proprium habet, quàm vt pugnantia loquatur, vt non tam cum cæteris, quàm secum ipse pugnare videatur. Quamobrem vix puto A. Doctori fuisse propositum, vt hac in re rationibus naturalibus bellum ageret cum Auerroistis, qui argumenta ex rationis principiis petita ne de facie quidem nosse solent; quare operæpretium illi fuisset si cum Auerroë nonnisi ex ipso Auerroë decertaret. Et vt hac in re pugnam eius doctrinæ videamus, afferam pro hac secunda sententia eius testimonia, vbi iis locis quæ superiore sententia citauimus, aduersantia planè docuit, quibus cõciliandis nulla Auerroistarum diligentia aut commentatio sit satis.

Ac primùm quidem lib. 3. de An. comm. 5. in solutione q. 3. expressè ait: *Quemadmodum sensibile esse diuiditur in formam & materiam, sic intelligibile esse oportet diuidi in consimilia his duobus, scilicet in aliquod simile formæ, & in aliquod simile materiæ.* Impossibile autem est, vt substantia abstracta, quæ sit potentia, secundum quam sit similis materię, non sit subiectum aliquod suarum potẽtiarum. Alioqui quæro, quid in iis sit, quod similitudinem materiæ gerat? Si enim est potentia; ergo ad formas & perfectiores suas accidentales, non substantiales. Non enim Intelligentiæ faciunt vnum cum alia substantia: Et, si facerent, multò magis essent potentia ad operationes, quæ sunt vltimæ ac potissimæ substantiarum perfectiones: *Vnumquodque enim quorum est opus, est gratia operis*; nimirum tanquam vltimæ perfectionis, ac finis vltimi, vt ait Aristoteles lib. 2. de cœlo cont. 17.

Neque in hoc à nobis dissidet Auerroës, cùm in eo loco ipse doceat, ob hanc ipsam causam

A proprium esse rerum spiritualium non corporearum, habere in se actionem; quæ tamen non potest alia esse nisi actus intelligendi & volendi, cùm sint incorporeæ substantiæ. Ergo vnumquodque perficitur, vt perfectè agere possit, tum in se tum in alia, vt ita operatio cuiusque sit finis & optimum rei, cuius est operatio; & ideò virtus ac facultas operatrix definitur ab Aristotele lib. 7. Phys. cont. 17. *Dispositio perfecti ad optimum* nempe ad operationem. quo etiam pacto lib. 2. de An. cont. 34. tribuit agendi vim iis, *quæ perfecta & non mutilata sunt.* Essent ergo potentia ad operationes, quas in se recipere debent. Aristoteles.

Præterea in eodem comm. 5. de An. cùm dixisset Auerroës dari in spirituali substantia aliquid simile materiæ, addit: *Et hoc necesse est dari in omni Intelligentia abstracta, quæ intelligit aliud. & si non, non esset multitudo in formis abstractis.* Ergo datur aliquid simile materiæ; nempe secundum rationem potentię receptricis. Nam secundum rationem genericam & communem potentiæ, etiam in Deo datur aliqua ratio, quæ præcisione intellectus sit huiusmodi, vt ratione diuinitatis contrahi ad Deum possit. Deo autem inesse aliquid simile materiæ, ibidem negat Auerroës, sic subiungens: *Et ideò declaratum est in prima philosophia*, inquit, *quòd nulla forma liberata est à potentia simpliciter, nisi prima forma, quæ non intelligit aliud extra se.* Ergo quæcunque substantia, quæ non sit prima forma, habet rationem potentiæ simpliciter; & aliud intelligit à se, seu extra se, per aliquem actum quo perficitur talis potentia & facultas intelligendi. Alioqui nõ fuisset cur rationem potentiæ fundasset in eo, quod intelligit aliud extra se. Quasi significare velit; si Intelligentiæ vt prima causa, omnia in sese intelligãt, non extra se, ipsas fore actus puros absque vlla potentiæ admistione. B Auerroës. C

Rationem etiã afferre ad id possumus, quam etiam significat Auerroës ibi; quia scilicet quorum quidditas est diuersa ab ipsa re habente quidditatem, ea necessariò habent diuersam à sua substantia operationem. Quia operatio quæ sit idem cum substantia operatrice, indicat simplicissimam naturam: cum potior ratio sit, vt sit inter operationem, substantiámque operantem diuersitas aliqua, quàm inter ipsam substãtiam, eiúsq; intrinsecum esse; quia remotior est operatio ab ipsa substãtia, quàm sint ab ipsa eius partes, quarum esse operationi supponitur. Sed Intelligentiarum quidditas est diuersa ab ipsis quidditatem habentibus; quia in sola prima causa nulla est huiusmodi diuersitas; vt ibi ait Auerroës. Nam primæ causæ essentia inquit *est quidditas eius; aliæ autem formæ diuersantur in quidditate & essentia quoquo modo.* Ergo Intelligentiæ habent diuersam operationem. Vnde Auerroës ibi ex eo quòd prima causa non cognoscit extra se, colligit in prima causa non esse diuersam quidditatem ab essentia. D Auerroes. E

Negat autem primam causam cognoscere aliquid extra se, non quòd nullo modo aliquid cognoscat; sed quòd ea entia non cognoscat extra suam essentiam; quia in ea omnia existimat relucere & repræsentari. Nam ab Auerroë non negari, Deum intelligere Intelligentias, orbésque cœlestes, atque adeò omnia clarissimum est in lib. 12. Metaph. comm. 51. Vbi id dupliciter patet. Nam primò etiamsi velit contradicere Themistio dicenti: *Deum intelligere omnia, ex eo quòd*

quòd intelligit se esse principium eorum: nempe quia omnia in se cognoscit tanquam in omnium causa, (id quod etiam Theologi nostri docuere) Tamen vt moris est Auerroï, qui plerumque verbis magis quàm sententia ab aliis dissidet, tandem cum Themistio conuenit, sic dicens: *Et veritas est, quod primum scit omnia, secundum quod scit se tantùm scientia in esse, quod est causa eorum esse.* Quasi velit Themistio obiicere, Deum non scire omnia ex eo quòd se intelligat principium omnium. Ac si dicere voluerit, Deum non ex eo intelligere omnia, quòd se omnium rerum principium intuetur, perinde se in seipso intelligat, alia verò extra se, res scilicet ipsas cognoscendo in se ipsis; Sed B scire omnia, dum in se tantùm omnia scit; séque tanquam eorum causam comprehendit. Ergo concedit Auerroës Deum cognoscere omnia in se ipso.

Deinde, quia expressè ait, discrimen esse inter Dei nostrámque scientiam. *Sua enim scientia est causa entis, ens autem est causa nostræ scientiæ.* Si ergo Dei scientia est causa entis, sequitur manifestè Deum res intelligendo procreare, eásque ad esse perducere. Ergo Auerroï Deus omnia cognoscit; additque Auerroës Dei scientiam de rebus nec esse vniuersalem, nec particularem, sed longè perfectiore ratione, quia scilicet nec vniuersalia è rebus abstrahat, nec particularia in seipsis cognoscat, eis attribuendo prædicata vniuersalia, vt mox dicam.

Albertus. Qua in re Auerroï subscripsit Albertus libro 12. (seu vt ipse numerat) 11. Metaphys. tractat. 2. cap. 35. vbi cùm dixisset, primam causam intelligere omnia per intellectum agentem, seu operantem, non autem per intellectum potentiæ, qui nimirum intelligendi species actúmque suscipiat, subdit: *Et ideò* inquit *scientia illa nec est scientia in vniuersali, neque in particulari.* Reddit ex vtriusque scientiæ definitione causam: *Quia scientia rei in vniuersali* inquit *est scientia rei in hoc, quod ipsa res non est nisi in potentia, sicut homo in animali: & hoc modo non est hic; quia tota & expressa forma artificiati est ars; siue accipiatur in intellectu; siue in instrumentis; siue accipiatur prout est materia.* Quasi dicat vt summatim perstringam, non esse scientiam in vniuersali. quia non est vnius prædicati inter attributa quæ rei conueniunt, præcisè ab aliis; vt cum nos consideramus genericam naturam ab eius speciebus, & naturam specificam ab eiusdem indiuiduis planè auulsam, abstractámque.

Similiter probat non esse scientiam in particulari. *Quia scire rem in particulari*, inquit, *est scire in hoc quod est natura sua*; nempe ei singulari prædicata generalia attribuendo. Hinc colligit Albertus discrimen esse inter nostram Deique scientiam, quòd *scientia nostra causatur ab ente quod scimus: scientia autem illarum substantiarum est causa entis.* Constat ergo scientiam Dei neutro modo dici posse.

A.Doctor. Immò hoc totum ipsum ex Auerroë eodem libro duodecimo Metaphysices commentario quinquagesimoprimo A.Doctor comprobauit in 1. dist. 36. quæst. 1. a. 1. in argumento *Sed contrà*: Quod etiam ratione confirmat, in eiusdem articuli corp non dissimili ab ea quam ex Alberto retulimus, nisi quòd doctrinam A reddit clariorem: *quia omne vniuersale* inquit *additionem recipit alicuius per quod determinatur, & ita est in potentia, & imperfectum in esse.* Quod verò particularis non sit, non ita expressè probat; vt Albertus. Solùm namque ait particularem non esse, quia particularis principium est materia: *vel aliquid loco materiæ se habens, quod Deo non conuenit.* Quæ difficiles habent ad veritatem explicatus.

Sed id nunc non agimus, vt Dei scientiam explicemus. Satis enim sit si constet, in iis, similibúsque rebus Auerroëm non vno modo sensisse. Hæc igitur aliáque complura si quis in Auerroë consideret, nunquam constituet, vtri Quæstionis parti ipse subscribat. Quare tutius erit, nihil constans ab eo deposcere, qui vel summis viris contradicendi studio, non adeò accuratè veritatem contemplatus sit, vel certè difficultatibus quasi fluctibus agitatus Arabs, quò casus ferebat, eò suam sententiam veluti sacram anchoram demiserit. Constat ergo quorum hæc sententia sit Peripateticorum. Nunc de Aristotele dicendum est. cuius mentem explorare fructuosum erit.

C

Intelligentiarum actus intelligendi, accidens est non substantia Aristoteli. §. 4.

PRo qua re sit

Aristoteles. Vnica Propositio. Intelligentiæ Aristoteli non intelligunt per intellectionem, quæ sit ipsarum substantia; sed quæ sit accidens substantiæ superadditum. Hæc propositio probari quibusdam videtur posse hac argumentatione ab ipso Aristotele desumpta: Quia nulla actio est substantia, sed substantiæ accidens superadditum; At Intelligentiæ Aristoteli intelligunt per intellectionem quæ sit actio, vt probatum est super. Difficult. Ergo D Intelligentiæ Aristoteli non intelligunt per intellectionem, quæ sit substantia ipsarum, sed quæ sit accidens superadditum.

Verùm huius argumentationis apparet in ipsa fronte imbecillitas ex doctrina Aristotelis libro duodecimo Metaphysices, contextu quinquagesimoprimo, vbi etiam Dei intellectionem, docet esse actionem, quam tamen ibi dicit esse Dei substantiam, cùm Deum dicat esse intellectionis intellectionem, vt suprà diximus. Ergo Aristotelis opinione falsa est argumenti Maior; nempe nulla actio est substantia, cùm aliqua actio, Aristotelis opinione, non distinguatur ex rei natura à substantia, à qua manare intelligitur. Quod si dicerent: nulla actio E creaturæ est substantia, incerta in doctrina Aristotelis nunc esset propositio, & confirmanda magis, ne facilè aduersarij ictum declinarent.

Meliùs ergo probatur nostra propositio primò, quia Quæcunque substantiæ quæ non sunt ipsum optimè se habens, eæ indigent operatione ipsis superaddita. Sed Aristoteli nulla Intelligentia à prima causa est ipsum optimè se habens. Ergo Aristoteli nulla Intelligentia est, quæ non indiget operatione ipsi superaddita; ac pro

ac proindè illa operatio non erit ipsarum substantia, sed accidens vt dictum est. Maior patet ex Aristotele libro secundo cœli cont. 62. vbi soli optimè se habenti; nempe Deo, ait per se inesse bonum sine actione, nempe ipsi superaddita. Nam sine dubio indiget actione, quæ sibi substantialiter sit eadem; itque eius felicitas vt patet libro 12. Metaphysices cont. 51. vt diximus. Itaque solus Deus habet per se bonum sine actione. Verba Aristotelis sunt hæc: *Videtur autem optimè se habenti inesse ipsum bonum sine actione, propinquissimo autem per paucas.* Rationem reddit cont. 64. quia ipsum perfectè se habens est finis omnium. Ergo ipsum non indiget actione, quia omnis actio est ad finem acquirendum. Vtrumque sic docet: *Ei autem quod quam optimè se habet, nihil actione est opus. Est enim ipsum id cuius gratia. actio verò semper est in duobus, cum & cuius gratia fit, & quod huius gratia.* Ergo solus optimè se habens non indiget actione superaddita, nempe Deus; quia cùm ipse sit finis omnium, nullum opus habet, vt per actionem consequatur suum finem, qui finis est ipsemet Deus. Vnde patet cætera omnia agere ad finem consequendum, & est valde notanda ratio.

Ex his Minor patet; quia sola prima causa Aristoteli est vltimus rerum finis, in quem omnia conspirant, & propter ipsum agunt quicquid agunt; vt patet ex libro duodecimo Metaphysices cont. 36. Vnde libro 2. de An. cont. 34. docet Aristoteles ideo omnia agere, *vt ipso semper ac diuino participent secundum quod possunt; omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia quacunque agunt secundum naturam.* Idémque ferè dixerat libro primo Phys. cont. 81. *Sollicitudo enim diuina* inquit Auerroes eodem libro secũdo de An. comm. 34. *cùm non potuerit facere ipsum permanere secundum indiuiduum, miserta est in dando ei virtutem, qua potest permanere in specie.* Ergo Intelligentiæ non sunt id quod optimè se habet per se, quia non sunt vltimus finis, in quem omnia conspirant.

Confirmatur, quia ideò optimè se habens non indiget actione, quia per eam non est opus assimiletur vltimo fini, cùm ipsum optimè se habens Deus sit, & primum Ens in rebus, ac proinde nihil ad finem operari debeat, vt diximus. At cætera omnia entia opus habent vt huic vltimo fini assimilentur; & ideò, vel pluribus, vel paucioribus actionibus indigent; idque fatente etiam Auerroë eodem libro secundo cœli comment. 64. *Omnia entia non intendunt* inquit *per suas operationes nisi vt assimilentur perfecto mobili quod est Deus, secundum quod in natura eorum est acquirere de assimilatione.*

Nec cæteri hac in re dissentiunt. Nam Themistius libro primo Phys. in context. 81. sic loquitur: *Voco autem diuinum bonum primam formam, & primam causam, quò referuntur collimántque omnia, & cui quæque res tendit fieri quam simillima quantum potest, potest autem quantum natura conceditur.* In quam sententiam clarissimè loquitur libro secundo de An. context. 34. vbi ait vnumquodque agere, vt quantum fieri potest se perpetuet. *vt diuinæ naturæ particeps fiat, cuius desiderio tenent omnia quantum cuique est satis, eiúsque gratia quæ natura sunt agunt quicquid agunt.* Nec minùs clarè loquitur Simplicius libro primo Phys. context. 81. commentario suo 79. Explicans enim illud Aristotelis de materia, quòd appetat diuinum bonum ait sic: *Quod si modo diuinum bonum primam formam separabilem Aristoteles ait, quam etiam mentem & primam causam appellat, re vera omnia quæ natura constant, eam appetunt sic preparata deductáque ab ipsa diuina natura; quæ etiam causa est, vt vnumquodque pro viribus suis appetat illi assimilari.* Hic vides non solùm quæ naturalia sunt, sed etiam *vnumquodque* habere appetitum vt se Deo operando assimilet quantum potest. Constat ergo omnia optare se diuinitati conformare, ac proinde egere actionibus sibi superadditis; quod probandum erat.

Secundò probatur propositio nostra ex libro duodecimo Metaphysices context. 51. vbi inter cætera duo remouet à Deo tanquam quæ imperfectionem inuoluant. Primum quod à diuinitate abigit est; quod nihil intelligat quasi Deus dormitet. Nam *quidnam præcellens erit?* Alterum est, quod Deus intelligat per actionem, quæ non sit eius substantia, & cuius Deus subiectum sit, & potentia receptrix. Remouet autem hoc argumento: Quia scilicet Deus non esset substantialiter perfectus; sed ei perfectio inesset tanquam forma. His autem verbis ratiocinatur: *Si intelligat, huius verò aliud sit principale (non enim id quod eius substantia intellectio erit sed potentia) profectò non erit optima substantia, si quidem eo quod intelligit, ei honorabilitas inest.* Vbi vides illud *potentia* esse in casu recto, & Græcè haberi ἀλλὰ δύναμις, & significari subiectum actus quem habeat. Ponit enim Deum intelligere, & contendit hanc intellectionem non esse extra substantiam illius, sed ei omnino substantialem, intimámque. Ne Deus sit potentia receptrix subiectúmque intellectionis, ac proinde ex accidentaria forma, non substantialiter ei perfectio insit.

Ex quo loco sic formatur argumentatio ad nostram propositionem: Ideo Deus, Aristotelis opinione debet habere intellectionem substantialem, quia eius substantia debet esse optima, & non potentia receptrix ipsius actus accidentalis & superadditi. Ergo in substantiis quæ optima non sunt, non erit substantialis intellectio, sed accidens superadditum, cuius ipsæ substantiæ sint potentia, & subiectum recipiens. Valet enim in causis adæquatis. *Si affirmatio est causa affirmationis, & negatio negationis.* Et si rationale est causa risibilis, non rationale erit causa non risibilis. Ratio est, quia causa adæquata est illa, qua posita ponitur effectus, & qua sublata tollitur.

Quod totum apertè patet ex Aristotele libro quinto Top. cap. 3. vbi loco 65. docet: *Si quod secundum habitum dicitur, est habitus proprium: & priuationis id quod secundum priuationem dicitur, erit proprium.* Et rursus: *Si priuationis id quod secundum priuationem dicitur est proprium: & habitus quod secundum habitum dicitur, erit proprium.* Quæ omnia idem prorsus significant, quod nos dicimus; nempe si affirmatio est causa affirmationis in causis adæquatis; & negatio in iisdem erit causa negationis. Proprium enim ex re cuius est proprium, consequitur tanquam ex adæquata causa. Quare si affirmatio naturæ ex qua sequitur proprium, est

A

DIGRESSIO,

In qua disputatur quomodo Aristoteli sit idem intellectus & intelligibile.

Aristoteles.

NOtandum est Aristotelem tribus locis eam propositionem; (nempe idem esse intellectum & intellectile) vsurpasse; licèt non eodem modo. Eam enim docuit lib. 3. de An. cont. 15. vbi vt ostenderet, intellectum nostrum potentia esse intelligibilem, *sicut ipsa intelligibilia*; affert illud axioma, ex quo id ipsũ probaret. *In his enim* inquit *quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur*, vt tacitè sic Minorem subiiciat. Sed intellectus videtur esse sine materia. ergo in eodem intellectu idẽ est quod intelligit, & quod intelligitur. ergo est ipse quoque intelligibilis sicut cætera intelligibilia.

Ex quibus patet hic solùm Aristoteli esse propositum, vt conficiat intellectum nostrum esse intellectilem ex eo quòd est immaterialis. Intelligit autem per *intelligibile* quod solo intellectu cognosci potest, in quo differt à sensibili. Quod licet ab intellectu quoque cognoscatur, tamen quia est obiectum quoque sensuum, sensile dicitur simpliciter, non intellectile. Atque idcircò dixit Aristoteles in eo cont. 15. intellectum esse intelligibilem, quia est sine materia. Quæ enim sine materia sunt, sub solius intellectus intelligentiam cadere possunt, cùm immateriales substantiæ quia quantitate & cæteris materialibus accidentibus affectæ non sunt, sensuum iudicio subesse non possint. Itaque sensile denominatur non quia intellectu quoque non percipiatur, sed quia semper à sensu & nunquam ab intellectu absque sensu: At verò intellectile quia à solo intellectu cognoscatur.

Simplicius.

Qua etiam significatione Peripatetici quoque idem omnino vsurparunt. Vnde Simplicius lib. 3. de Anima cont. 16. ait illud quod sensu indiget vt intelligatur, esse potestate intelligibile non simpliciter & actu. quemadmodum etiam

Aristoteles.

Aristoteles lib. 3. de An. cont. 16. *In habentibus materiam potentia solùm vnumquodque esse intelligibile*: quia scilicet vt ipse ibidem, subdẽs rationem, ait: *Talium potentia est intellectus*. Intelligibile ergo est, quod solùm apprehendi potest ab intellectu. Et inde est vt intellectus agens abstrahendo species à phantasmate, faciat ea quæ potentia sunt intelligibilia, actu intelligibilia; vt cùm ex singularibus facit species vniuersalium. Tunc enim positis naturarum generalium, hoc est sine singularibus in intellectu speciebus illæ naturæ sunt actu intelligibiles; & dicuntur esse sine materia.

A. Doctor.

Sanè A. Doctor infrà q. 58. a. 2. c. *Vnumquodque* inquit *est intelligibile in actu secundum quod eius similitudo est in intellectu.* quasi velit ea quorum species sunt in intellectu, eo modo quo sunt in ipso, non apprehendi nisi ab ipso; nempe secundum rationes vniuersales & propria eorum attributa. Quocirca q. 57. infrà a. 1. ad 3. docuit: *Si Angelus acciperet cognitionem à rebus materialibus, fore necessarium quod faceret eas intelligibiles actu, abstrahendo eas.* Sic enim apta fiunt vt à solo intellectu cognoscantur, vt fusiùs dicetur suis locis.

Ex quibus vlteriùs apparet, cùm Aristoteles eo loco docet; idem esse intellectum, & intelligibile, non esse sensum vt omne intelligibile sit intellectus; nam ex iis quæ potestate intelligibilia sunt, nullum est intellectus; vt natura equi, lapidis, &c. etiamsi fiant intelligibiles actu specierum vniuersalium præcisione. Quamobrem eorum verborum sensus esse debet: In iis substantiis, quæ sine materia sunt, quæ nimirum sunt immaterialia; idem esse quod intelligit & quod intelligitur. Certum namque est omnem substantiam immaterialem intelligentem esse; substantiam inquam quæ simpliciter substantia sit; nempe completa, ac proinde quæ sit actus. Præterea nec sensus est ita, vt actu debeat intelligi ab intellectu, substantia ipsa intellectilis; quia docet, nostrum intellectum esse intelligibilem, qui tamen non semper ab ipsomet intellectu intelligitur, vt ipse ait ibidem cont. 20. Debet ergo intelligi, vt sit idem cum intellectili, cùm est talis actus qui versetur circa seipsum.

B

Non negarim tamen eam propositionem intelligi posse in eo. cont. 15. nempe *Idem esse quod intelligit & quod intelligitur in his quæ sunt sine materia*, vt sit vera semper & generatim in actu primo; nempe vt intellectus sit semper idem cum eo quod intelligi potest; non quidem omni, sed aliquo. In hoc enim differt à sensu, qui nũquam est idem cùm eo quod sentiri potest: propterea quòd nunquam sensus cognitio potest in seipsam reflecti, quemadmodũ intellectus qui ad seipsum, & quidem præcipuè semper esse potest, cùm habitum scientiæ adeptus est.

C

Immò hoc pacto esse ad mentem Aristotelis aio: quia alioqui non conficeret quod ipse concludere intendit. Sumit enim probandum, intellectum nostrum esse intelligibilem sicut & cætera intelligibilia, ex eo quòd idem est intelligens & quod intelligitur, in iis quæ sunt sine materia. Itaque medius terminus ad eiusmodi consecutionem non est, quòd idem sit quod intelligit, & quod intelligitur in actu secũdo. Plerunque enim fit vt intellectus noster intelligat alia à se, ac proinde non idem sit quod intelligit, & quod intelligitur. Vnde sequitur intelligendum esse vt idem sit in actu primo & potestate, ita vt hic sit sensus: In abstractis idem est substantia intellectualis, & intelligibilis. Hoc autem totum patebit si construatur hoc pacto Aristotelicus syllogismus; Nimirum; In abstractis à materia substantiis idem est quod intelligit & quod intelligitur; ac proinde idem est intellectus seu substantia intelligens, & intelligibilis. Sed intellectus noster abstractus à materia est intellectus seu substantia intelligens. ergo intellectus noster est intelligibilis. Qua in argumentatione bene vides lector, potissimùm attendi hunc ipsum ab Aristotele medium terminum; nimirum, idem esse intellectum & intelligibile, siue se in actu secũdo intelligat, siue non se intelligat, modò se intelligere in actu primo possit. Nam vt dixi, alioqui non ostenderet, intellectum nostrum esse intelligibilem; quod probandum sumpsit.

D

E

Ex quo vlteriùs fit; vt si hoc pacto Aristotelæum axioma intelligatur, consentientia sint ea quæ sequũtur proximè post illa Aristotelis verba citata. Probat enim Aristoteles, idem esse in abstractis à materia quod intelligit & quod intelli-

telligitur hoc pacto: *Scientia namque speculatiua* inquit *& ipsum scibile idem est.* Quasi dicat, si sciẽtia speculatiua est scibilis, ipsa scibilis est ab intellectu speculante. ergo & intellectus ipse à seipso speculante est scibilis seu intellectilis. Si namque actus, est scibilis ab intellectu speculante. ergo ab eodem quoque intellectu, scibile quoq; erit illius actus principium. ergo & quod intelligit & quod intelligitur idem erit, quia principium illius actus est ipsum scibile & intellectus.

Quibus etiam animaduerti oportet; probari scilicet hic ab Aristotele, idem esse quod intelligit & quod intelligitur hac probationis serie; vt nimirum probetur in substantiis separatis à materia, idem esse quod intelligit, & quod intelligitur, quia intellectus, hoc est substantia intellectualis, est intelligibilis à seipsa; ergo sunt idem, vt ita probatio sit ex identitate principij intelligendi remoti & primi non proximi. Antecedens verò probetur ex idẽtitate principij proximi hoc pacto: Principium scientiæ est scibile ab ipso principio scientiæ nempe intellectu; ergo idem erit in ipso scientiæ principio quod intelligit & quod intelligitur in actu scil. primo; & sic substantia intellectualis est intelligibilis seipsa. Hoc verò postremum antecedens probetur ex eo, quòd si ipsa scientia speculatiua, quæ est actus intellectus, est scibilis ab ipso intellectu, qui est principiũ illius; ergo & ipsum principium quod est intellectus, est scibile ab ipso intellectu. Itaque vniuersa probatio in eo fundatur, quòd vnus actus scientiæ reflecti possit in suum principium. Patet ergo primus locus vbi & quomodo Aristoteles prædictam propositionem vsurpauerit.

Pro secundo loco eiusdem propositionis Notandum est secundò, eandem ferè propositionem haberi apud Aristotelem lib. 12. Metaph. cont. 39. licet aliis verbis eam & non omninò eodem modo significet hoc pacto: *Seipsum verò intellectus intelligit assumptione intelligibilis. intelligibilis namque fit & intelligens ita vt idem intellectus & intelligibile sit.* Quorum sensus clarus erit, si mentem priùs Aristotelis explicemus. *Aristoteles.*

Ostenderat ergo Aristoteles Intelligẽtiis delectationem magnam inesse, quippe quæ consequitur intellectus operationem, qua primum principium intelligunt, cui etiam desiderant assimilari. Ex hoc autem deducit in primo principio delectationem esse longè maximam. Vt autem hoc probet explicat, quomodo exoriatur delectatio in cæteris naturis intelligentibus, indéque se transfert ad diuinam delectationem. Quam argumento à fortiori docet summam esse in primo ipso principio. Docet autem: in huiusmodi intelligentibus naturis delectationem consequi ipsas connaturales operationes naturæ intelligentis & desiderantis, vt etiam dixerat idem Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. 4. & 10. Cuius signum hic dicit esse, quod delectatio est maximè in vigilia, sensu, omniúmque optima in actu intellectus; quippe quæ in eo est, tanquam in bono, cætera bona excedente. Ergo vbi est perfectissima intellectio, ibi est maxima delectatio & felicitas. At Dei est perfectissima intellectio. Ergo est maxima delectatio; eámque semper habet Deus sicut nos aliquando, & longè perfectissimo modo: Quod dicit illis verbis: *Si igitur ita se bene habet Deus semper, vt nos aliquando admirabile est. Quod si magis, adhuc admirabilius.*

Quoniam verò explicandum illi erat, quo pacto in nobis aliquando fit minus perfecta felicitas, seque ipsum cognoscat intellectus, indéque delectatio in nobis exoriatur, docet intellectum esse illum, qui seipsum intelligit: quod potiùs ponit quàm probat. Intellectum autem seipsum intelligere, quatenus assumit & concipit in se aliquod aliud intellectile: *Intelligibilis namque fit* inquit *attingens & intelligens*; hoc est intellectus fit intelligibilis per hoc quod intellectile aliquod attingit: concipiendo nimirum quod verè est intelligibile; nempe abstractum à materia.

Qua in re obiter obserua intellectum Aristoteli in eo loco fieri intellectile, idem esse atque suscipere ipsum intellectile. Quo pacto supra ex Aristotele dixi intellectum fieri omnia, suscipiendo omnium formas; & materiam fieri hoc vel illud suscipiendo formam huius vel illius; vt ex. gr. fit ignis vel lignum suscipiendo ignis vel ligni formam; Ita ergo intellectum suscipiendo intellectile ait *intellectum fieri intelligibile, vt idem sit intellectus & intelligibile.* Quod quidem sequitur hac ratione. Nam si ipse fit intellectilis suscipiendo formam eius, quod est intellectile; ergo idem est intellectile seu intelligibile quod est intellectus, quia is qui est intellectus suscipiendo intelligibile est intelligibile ipsum vt diximus.

Verùm cùm ait intellectum attingere seu suscipere intelligibile; debet intelligi vt supra diximus, vt suscipere intelligibile sit idem atque habere formam eius non quoad esse reale; sed quoad esse quod habet in intellectu; nempe quoad esse intentionale. *Non enim* inquit Aristoteles lib. 3. de An. cont. 38. *lapis in anima est, sed forma.* & ideò ait in præsenti contextu, intellectum ita suscipere intelligibile, vt eo posito operetur & intelligat. Ergo recipiendo eius species: Iis enim positis speciebus intellectus operatur & intelligit. Nam si susciperet intelligibilia quoad esse reale; ipsa intelligibilia essent forma intelligendi non principium ad operandum, vt suprà volebant Auerroistæ. *Aristoteles.*

Quare statim pergit ibi Aristoteles rationem reddens, suámque sententiam meliùs declarans; Quodnam, & quomodo fiat intellectu intelligibile, dum ipsum attingit intelligibile. *Susceptiuũ enim intelligibilis & substantia intellectus est; operatur autẽ habens*; Quod est, vt dicebamus, intellectum fieri intellectile, suscipiendo formam in esse intentionali, vt eam habens operetur. Non ergò suscipit intelligibilia quoad esse reale. Hæc namque nec in intellectu esse possunt, tanquam intelligendi forma, vt ostendimus, nec ad operationem ab Aristotele esse putarentur, sed ipsa formalis operatio; si quod contendit Auerroës, verum esse Aristoteles arbitraretur.

Dum autem dicit esse susceptiuum *substantiæ*, Intelligit formam substantiæ; nempe definitionis & ipsius *Quod quid est* abstractam. Hæc etenim essentia & quidditas est propriè intelligibilis; quia hoc pacto non potest sentiri. Vnde Aristoteles docuit, obiectum intellectus esse ipsum *Quod quid est*, vt colligitur apertè ex lib. 3. de An. cont. 26. Idque docet A. Doctor p. p. q. 85. a. 6. c. & 1. 2. q. 3. a. 8. c. Est ergo intellectus susceptiuus substantiæ & naturæ præcisæ ab indiuiduis;

uiduis; ex qua susceptione fit operans, intelligitque seipsum, dum in se ipsum intelligit quod est intelligibile: quia hoc ipso quod aliquid in sese cognoscit: se ipsum quoque intelligat necesse est. Aut etiam intelligit se ipsum intelligendo suam naturam, cùm eam concipit generatim, vt si naturam intellectus distinctè percipiat, agnoscatque eius prædicata; vt cæterarum naturarum, suam quoque implicitè cognoscet.

Aristoteles. Ex his ergo sequitur, quod in eo contextu ab Aristotele proponi demonstrandum modò dicebamus; nimirum; si intellectus in eo quod operatur, intelligibile attingendo optimum, & se ipsum, tantam parit delectationem, quæ solùm aliquando est in harum rerum intellectione, etiamsi ipse intelligendi modus planè perfectus non sit, quippe intellectus non aliter intelligit nisi susceptione intelligibilis: Quæ tandem illa Dei felicitas erit; qui semper intelligit optimum, & perfectissimo modo? Et ideò subdit Aristoteles, hanc intellectionem in Deo perfectissimam esse, eo quòd Deus est ipsa sui intellectio, quæ est optima vita. *Quare vita & æuum continuum, & æternum Deo inest. Hoc enim est Deus.*

Itaque argumentum Aristotelis est à fortiori; nempe ab eo quod minus. *Si scilicet quod minus est; etiam quod magis.* De quo argumentorum genere agit Aristoteles lib. 2. Rhetor. cap. de locis Enthymematum; Vt si homines multa sciunt, multò magis dæmones, &c.

Ex quibus dictis tria intelligi possunt: Primum est; quo differat sensus huius propositionis ab alia quam diximus Notando superiore. Nam cùm hic dicitur, intellectum & intelligibile esse idem, in hoc sensu verum esse debet: quia scilicet dum intelligit aliquid in se intellectus, intelligit se ipsum; atque ita idem est intellectus qui intelligit, & intelligibile quod intelligitur; nempe dum percipit illud intellectile, cuius formam habet, seipsum quoque cognoscit. At verò ibi dicitur intellectus & intelligibile esse idem, ex eo quòd potest intelligere seipsum, si scientia seipsam scire potest, vt ibi argumentum sit à pari ex actu ad actum. ergo & principij ad obiectum actus, nempe ad seipsum, vt ibi dictum est. Hic verò fit ex natura intellectus, qui intelligendo ea quæ sunt in se, necesse est intelligat se ipsum.

Alterum est quod omninò Auerroistarum opinionem seu potiùs deliramenta demolitur. Nam tantum abest vt intellectus suscipiat intelligibile tanquam formam quoad esse reale, vt ne suscipere quidem eam formam possit. Ratio à priori est ex dictis: Quia illud intelligibile suscipere debet, quo posito intellectus fit operans & intelligens. At posito intelligibili quoad esse intentionale, non autem quoad esse reale, intellectus fit operans & intelligens; ergo intelligibile non debet poni in intellectu quoad esse reale, sed quoad esse intentionale. Minor etiam suprà ostensa est, quia si ponatur secundum esse intentionale, nempe per species, tunc potest exire in actum, & ita operari. si verò ponatur secundum esse reale, non operatur, sed solùm suscipit formam patiendo non operando, quia suscipit formam quæ est ipsa intellectio, qua formaliter est intelligens.

Tertium est, Intelligentias Aristoteli intelligere Deum, à quarum delectatione idem Aristoteles se in diuinam felicitatem transfert.

A Quare ipsum euidenter significare Intelligentias non intelligere Deum per suam substantiam, quæ sit actus intelligendi Deum, sed per operationem distinctam ab ipsa substantia, quia Deo soli videtur Aristoteles tribuere vt sit intellectionis intellectio, cùm cæterarum intellectionum non faciat mentionem.

Nunc ad tertium locum veniamus. Pro quare

Notãdum tertiò, Aristotelem lib. 12. Metaph. cont. 51. sic esse locutum de intellectu, atque de intellectili: *Cum non sit diuersum id quod intelligitur & intellectus, quæcunque non habent materiam idem erunt ac intellectio vna eius quod intelligitur.* Aristoteles.

B Quæ verba vt ad veritatem declaremus, explicandus est scopus Aristotelis in eo contextu. Ostenderat ibi Aristoteles substantiam Dei esse ipsam intellectionem, vnde illi definiendum erat, quodnam huius intellectionis obiectum esset. Ait autem Deum ipsum sibi esse intelligendi obiectum; ne si quid extra se intelligeret, aliquid Deo dignius concederetur; vt ibi ipse probat. Ex quo sequitur cum Deus sit sua intellectio & vita, Deum debere esse actum & cognitionem sui. Sic enim concluserat contex. 39. *intellectionem Dei esse intellectionis intellectionem*; nimirum quia eius intellectiò est cognitio diuinitatis, quæ est intellectio & actus secundus.

C Verùm aduersus hanc doctrinam duo obiicit Aristoteles, tanquam cum ea ex aduerso pugnent. Nam primò sensus, opinio, cogitatio & scientia versantur circa aliud. Ergo etiam intellectio Dei debet esse circa aliud, ac proinde non debet suimet ipsius esse. Sic autem habet prima obiectio: *At videtur semper alterius esse tum scientia tum sensus, & opinio, & cogitatio, sui verò ipsius præter necessitatem*; hoc est non necessariò, seu vt alij legunt; *in accessorio.* Quia scilicet cognitio sui ipsius non sit præcipui obiecti actus, vt cum quis scit se scire, & sentit se sentire. Ergo & Dei intellectio cùm intelligit se ipsum, esset minus præcipua intellectio; quod non est

D dicendum. Deinde obiicit: quia aliud est intelligere; aliud verò intelligi. Si ergo Deus est sua intellectio, & est id quod intelligitur; quæro; Vtro ex his modis Deo insit sua felicitas? An scilicet secundum quod est ipsa intellectio? An verò secundum quod eius intellectionis est obiectum, seu res intellecta? *Si aliud* inquit *est intelligere, aliud intelligi sit, secundum quod horum inest ei benè esse? quandoquidem non est idem intellectioni esse & intellecto.*

Vtrique huic obiectioni satisfacit Aristoteles eo loco & contextu. Atque vt omittamus posteriorem, tanquam ad rem præsentem vel nihil vel parum attinentem; Priori dubitationi respondens dicit; quoad quædam idem esse scientiam & rem quæ scitur. *An in quibusdam* inquit *scientia est ipsa res?* Hoc autem declarat, quomodo verum sit in scientiis tum effectricibus, tum contemplatricibus & potissimis. Nam in illis quidem res scita sine materia accepta est ipsa scientia; vt domus sine materia; nempe ea quæ inest in artificis mente, & est ipsa ars ædificatrix; quemadmodum sanitas in mente medici est ipsa ars medendi ac sanandi, quæ sanitatem realem in materia respicit. Non enim est alia sanitas sine materia, nisi quæ est ipsa realis cognitio, quæ est sanitas repræsentatiuè. Vnde ars effectrix in mente est ipsa substantia & definitio Aristoteles.

E

sui

sui obiecti, quandoquidem omnis ars est cognitio substantiæ & naturæ in re facienda, quia ex cognitione quidditatis rei faciendæ artifex ad opus progreditur. Itaque id quod intelligitur, à materia auulsum est, ipsa cognitio ac scientia effectrix. In his verò; nempe contemplatricibus; eodem modo ipsa quoque ratio ac rei definitio est res scita, nempe in mente. Sic autem loquitur Aristoteles ibi: *In effectiuis quidem absque materia substantia & ipsum quid erat esse: In speculatiuis verò ratio, res, & intellectio.*

Ex qua doctrina conficit, cùm non sit diuersum quod intelligitur, & intellectus, in iis quæ non habent materiam, idem erunt intellectus & quod intelligitur: *Cùm igitur* inquit *non sit diuersum id quod intelligitur & intellectus, quacunque non habent materiam, idem erunt ac intellectio vna eius quod intelligitur.* Hoc est, quoniam in iis quæ sine materia sunt in intellectu scientis, non sunt diuersum, obiectum intelligibile & sciētia illius; quia scilicet domus ędificanda in mēte, & scientia domus ædificandæ, sunt idem eo modo quo dixerat, necesse est neque esse diuersa, sed idem ipsum intellectum, & quod intelligitur; intellectus nimirum in actu secundo; nempe intellectus secundum quod artem scientiamque habet, propterea quod scientia & res scita sunt idem in intellectu vt diximus. Propterea concludit intellectionem, hoc est intellectum in actu, & rem scitam esse idem.

Ex quo vlteriùs sequitur, cùm Deus sit sua intellectio, ac proinde intellectus in actu, eius intellectionem nō esse alterius intellectionem, sed illam ipsam idem prorsus esse atque res intellecta, quod dicit illis verbis: *ac intellectio vna eius quod intelligitur.* Quod rectè in Aristotelis proposito sequitur; quia in separatis à materia idem re est scientia & res scita; hoc est cùm obiectum à materia separatur, estque in mente intelligētis, idem est cum ipsa scientia. Non enim aliud esse habet quàm ipsum esse scientiæ. Vnde Deo scientia est idem cum re scita, quia obiectum separatur à materia; vt domus & cognitio domus. Hoc ipso enim omne aliud esse amittit. Sed scientia & intellectio Dei est rei, quæ est separata à materia. Ergo idem est Dei intellectio & res scita. ergo non est alterius tanquam obiecti. Quod quidem argumentum vt verum fatear, simpliciter non valet. Etenim non videtur sequi; quandocunque cognitio est obiecti separati à materia, idem est cognitio & obiectum illius; ergo intellectio Dei est idem realiter cum ipso Deo; quod argumentum contendit.

Non sequitur autem, quia potest esse idem obiectum realiter cum cognitione in esse intentionali, non autem in esse reali. Esto igitur Dei cognitio & obiectum sint idem in esse intentionali, negari tamen posset esse idem re cū eo obiecto ad quod cognitio tendit. Dico tamen non valere *simpliciter*, vt non inficier valere ad propositum Aristotelis vt dicebam. Ipse etenim hoc tantùm sibi proposuerat, vt solueret obiectionem, quæ contendebat intellectionem debere esse alterius distincti. Quod rectè ab ipso reiicitur. Nam in iis quæ sunt sine materia, non est distincta obiecti realitas ab ipsa cognitione; cùm domus cognita in esse intentionali, idem sit cum ipsa eiusdem domus cognitione, vt dictum est. Non ergo putat rationem hanc esse simpliciter efficacem. Nam quòd diuina cognitio circa se versari debeat, iam ostenderat; ne scilicet quid Deo nobilius esset.

A

Quòd verò obiectum & intellectio Dei non solum sit idem in esse intentionali, sed etiam in esse reali, non debuit ab Aristotele probari; quia ex dictis initio ibidem certum omninò erat ac demonstratum, ob summam Dei simplicitatem. Si enim eius *intellectio non est* inquit *id quod est eius substātia sed potentia*, hoc est subiectum actus; *profectò non erit optima substantia, si quidem eo quod intelligit honorabilitas inest.* Siquidem nobilitas & perfectio inerit ei per suum intelligendi actum; ergo perficeretur per suum actum & formam. ergo intimè in se non est perfectissima substantia. Atque ita intellige hìc per potentiam sumi subiectum, non autem pro esse potentia seu potestate ad aliud quod nondum habeat; nam supponit in ea esse actum quo perficiatur, & Græcè est ἀλλὰ δύναμις *sed potentia.*

B

Ex quibus dictis tria consequi necesse est, quæ maximopere faciunt ad rem præsentem. Primum quidem, nō doceri hoc postremo locò ab Aristotele, esse idem intelligibile & intellectum, si intellectus sumatur pro facultate & substantia, quæ est subiectum actus; sed solùm si sumatur pro ipsa scientia, seu pro intellectu in actu vt dictum est. Quod adeò verum est, vt omnium Arabum pertinacia coërceri euidenter possit: Nam Aristoteles dicit artem seu scientiam effectricem esse idem cum obiecto vt diximus. Quæro ergo an sit idem in esse reali, an intentionali. Si primum negent (vt negari oportet omninò, quis enim dicet, artem ædificandæ domus esse substantialiter ac re ipsa domum, quæ est à parte rei?) Ergo debent solùm esse idē in esse intentionali. Cur ergo recurrunt ad formam illam portentosam? Vt scilicet in iis quæ sunt sine materia, idem sit intellectus & intellectum, quia in iis ipsius intellectus forma sit ipsū intellectum seu res intellecta. Num ergo dicent domum esse formam intellectus?

C

Alterum est diuersam esse hanc propositionem à duabus superioribus: Nam prima significabat intellectum & intelligibile esse idem re: altera, intellectum fieri rem intellectam eius formam suscipiendo in esse intentionali. Demum hic significat esse idem re actum intellectus & obiectum ipsum in esse intentionali. Quæ omnia probata sunt. Et hac postrema loquendi significatione Aristoteles alibi vsus est. Libro enim 3. de An. cont. 27. dixit: *Idem autem est scientia secundum actum ipsi rei: Quæ verò secundum potentiam, tempore prior est in vno.* & cont. 36. ibidem: *omninò autem intellectus qui secundum actum intelligit, res ipsa est*; & alibi.

D

Tertium est quod suprà dicebam aduersus Auerroëm, nunquam Aristotelem, ne remotè quidem significasse, Intelligentias aut intellectum nostrum intelligere substātias abstractas, per ipsasmet substantias tanquam per formas. Vnde euidenter patet hāc portentosam sententiam esse Arabum, eisque consentientium proprium monstrum. Atque hic sit finis præsentis digressionis. Nunc ad nostram propositam difficultatem reuertamur. Sit ergo

E

REGRES

A

REGRESSIO

Ad eandem propositam Difficultatem.

HIs ita constitutis ad argumentum secũdum Achillini in prima sententia respondeo, intellectum non esse vnum & idem cum ea substantia quam intelligit. Id enim est solius intellectus diuini apud Aristotelem vt dictum est Notando Tertio. Immò addo, etiamsi intellectus & res intellecta facerent vnum compositũ tanquam materia & forma, vt contẽdit Achillinus, tamen neganda adhuc esset argumenti consecutio; nempe esse vnum & idem re. Nam materia & forma licèt faciant vnum, cùm tamen semper retineant suam distinctionẽ, nunquã sunt vnum & idem; vt corpus hominis eiúsque animus diuersæ res omninò sunt, generéque ferè summo distinguuntur.

Ad tertium respondeo. Esto Intelligentiæ se perficiant in cognitione causæ primæ; quia vt Theologi loquuntur, se mutuò illuminent; aut certe vt alij quidam Peripatetici dicunt, quia ex cognitione superioris Intelligentiæ, inferior Deum cognoscit perfectiùs; quia meliùs Deus repræsentatur per Intelligentiam perfectiorem tanquam per obiectum perfectius; sicut & nos Deum cognoscimus perfectiùs cognoscendo perfectiores creaturas; tamen nunquam se perficiunt formaliter per suam substantiam, quia id fieri nequit. Vel si nolint perfici de nouo, concedendæ sunt perfectæ ab initio, seu vt ipsi loquũtur ab æterno; idque connaturali modo ad suam naturam, & suis formis, quas Deus illis ab initio, siue vt male ipsi putant ab æterno, largitus sit. Nec magni facimus Auerrois dicta, quæ ipse pro arbitrio, non autem ex Aristotelis aut veritatis promptuario depromit.

Ad quartum dico, ad multitudinem satis esse conuenientiam genericam, & differentiam specificam, vt aliquid sit simile materiæ, aliquid formæ. Nam genus esse loco materiæ, differentiam loco formæ, ne ij quidem qui Logicam primis vt aiunt degustarunt labris, ignorant. Non ergo est confugiendum ad illam portentosam compositionem.

Ad quintum dico, rectè Auerroëm in eo com. 51. lib. 12. Metaph. concedere, solum Deum esse omnis prorsus compositionis expertem, reliquas verò Intelligentias non esse ita simplices, vt suprà etiam probauimus, sed negandum est, esse illam compositionem quam ipsi dicunt. Nam erit illa compositio ex qua plures vel pauciores formas habent, quibus earum natura perficiatur, quas dicunt Theologi esse species magis vniuersales, & pauciores in Intelligentiis superioribus. Si autem hanc neget Auerroës, assignet aliam, modò non illam quam reiicimus. Tunc autem illa examinanda erit, vtrùm vera sit. Neque enim soli Auerrois auctoritati fidendum sapienti est. Ex quibus quæ ibi dicuntur facilè labascunt, & pereunt. Atque hæc de Difficultate in qua fuit magnopere laborandum ob implicitæ doctrinæ in Peripateticorum latebris explicationem.

Auerroës.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Aristoteli & Peripateticis Intelligentiæ intelligant sua obiecta per suam substantiam. Quod est quærere, vtrùm intelligere Intelligentiarum sit ipsarum substantia, an aliquod accidens substantiæ adiunctum.

QVod hactenus probauimus est non posse vnã Intelligentiam intelligere per substãtiam alterius tanquã per formam; nunc superest B ostendamus, an intelligendi actus sit aliquid substantiæ adiunctum an non. Si adiunctũ, ergo erit accidens; Si non; ergo ipsa substantia erit ipsum Intelligẽtiarum intelligere; & quæritur quomodo dicendum sit opinione Aristotelis & Peripateticorum, quod non leuem habet difficultatem.

Opinio eorum qui affirmant Intelligentias Aristoteli esse simplices actus vt est Deus eorúmque fundamenta. §. 1.

C PRima sentẽtia docet, Intelligentias intelligere non per aliquod accidens substãtiæ superadditum, ac proinde per suammet substantiam. Ita qui opinione Aristotelis existimarunt Intelligentias non differre à Deo quoad essendi simplicitatem; sed solùm in eo quod à Deo tãquam à primo ente dependent. Ita Iandunus lib. 12. Metaphys. q. 9. §. *Oppositum*. Idémque videtur sentire Soncinas eodem libro q. 59. licèt hic addat, argumenta quæ afferuntur non probare id ab Aristotele doceri. Marcus etiam Antonius Zimara in suis Theorematis Proposit. 40. expresè ait: *Non posuerunt Philosophi aliquam realem compositionem in Intelligentiis, nisi fortè in anima Intellectiua* D *propter ipsam esse vltimam in genere abstractorum.* Quod de humano animo probat, ex Auerroë libro 3. de An. com. 19. & lib. 12. Metaph. com. 17. aitque *videri sententiam Aristotelis lib. 3. de An. cont. 17. vbi docet, in omni natura, in qua est id quod omnia fit, debere esse quod omnia facit.* Cum his quatenus dicunt Intelligentias; non intelligere per intellectionem, quæ sit accidens, conuenit Achillinus eodem quolib. 2. de Intelligentiis dubit. 2. §. *Primum*, idque multis probat, vt inde conficiat, Aristoteli Intelligentias intelligere per substantiam rei intellectæ tanquam per formam, vt vidimus suprà. Eandem sententiam videtur sequi E Simplicius libr. 8. Physic. post suum comment. 11. in Digressione contra Ioannem Grammaticum ante medium; vbi reprehendens Grammaticum ait; mentes quæ sunt supra animam; *collectim omnia, & sine transitu intelligere; idque conuenire menti secundum substantiam.* Quare videtur significare ipsas mentes intelligere intellectione quæ sit ipsarum substantia, non per superadditum.

Iandunus. Soncinas. Marc. Ant. Zimara. Auerroës. Achillinus. Simplicius.

Verùm hæc prima sententia, cuiuscuius tandem auctoris sit, probari multipliciter potest. Primò, quia Aristoteles libr. 8. Phys. cont. 57. docet: *Perpetuis solum competit moueri secundum locum.* Ergo non habet intellectiones accidentales additas

Aristoteles.

additas substantiæ, quia alioqui competeret eis moueri alio motu quàm locali, nempe mutatione ad qualitatem.

Aristoteles. Secundò probari potest: quia Aristoteles libr. 12. Metaphys. cont. 51. docet de Deo: *Si non est intellectio sed potentia laboriosam ei continuationem intelligendi esse.* Ergo substantia quæ non sit eius intelligere, laboriosam intellectionē exercet. Hoc autem non conuenit in Intelligentiis, quæ ne mouendo quidem cœlum defatigantur. Ergo Aristoteli Intelligentiarum substantia est ipsarum intelligere.

Iandunus. Tertiò probat Iandunus, quia vt ait Auerroës lib. 12. Metaph. cont. 30. Æternum est actio pura. Ergo Intelligentiæ sunt puri actus, ac proinde non sunt intelligentes per formam superadditam, quæ sit qualitas.

Achillinus. Quartò probat Achillinus ex Auerroë lib. 12. Metaph. com. 39. vbi docet in Deo intellectionē non esse accidens: *quia omne compositum est nouum.* Sed in Intelligentiis nullum compositum est nouum, quia omnia quę in Intelligentiis insunt, æterna sunt. Ergo Intelligentiarum actus intelligēdi non est accidens.

Quintò idem probat, quia certum est, Intelligentias intelligere seipsas per suam substātiam, vt ait Auerroës lib. 3. de An. cont. 15. Ergo si vna intelligeret cæteras per accidens superadditum perfectior esset de se cognitio secundæ, quam cognitio eiusdem secundæ de prima; quia nimirum illa esset cognitio substātialis hæc accidētalis. Ergo secunda esset felix cognoscendo se, non autem cognoscendo primam.

Sextò idem probat quia si cognitiones Intelligentiarum essent accidens; ergo non esset idem scientia & id quod intelligitur, contra ea quæ Auerroës. docet Auerroës 3. de An. com. 14. vbi ait: *Intellectus in formis abstractis est idem cum intellecto.* & libr. 8. Phys. com. 40. *In abstractis intellectus & intellectū idem sunt.* Sequela patet, quia res intellecta est substantia, scientia verò accidens. Vnde idem Auerroës lib. 2. Metaph. comm. 1. vt illi tribuit A. Doctor q. 8. de Ver. a. 7. c. dixit: *Quòd in substātiis separatis à materia non differt forma quæ est in intellectu, à forma quæ est extra intellectum:* nimirum quia forma quæ est intellectio, sit idem cum substantia propria Intelligentiæ, quæ est extra intellectum cum non intelligitur.

Aristoteles. At mihi videtur longè validiùs probari posse hæc sententia septimò, quia Aristoteli intellectus agens substantialiter est sua actio. Sic enim de eo scribit lib. 3. de An. cont. 19. *Substantia actio existens.* Ergo eius substantia est ipsa intelligendi actio. Ergo nō differt Aristoteli intellectus agētis substantia ab eius actione. Ergo multò minus discriminis erit intellectionis & substantiæ in Intelligentiis, quippe Aristoteli omni intellectu hominis nobiliores, atque immateriales magis.

Aristoteles. Octauò probatur, quia Intelligentiæ vitam ducunt beatissimam; quæ est ipsa intelligendi actio; vt patet ex Aristotele libr. 12. Metaphys. cont. 39. Ergo existimat Aristoteles, vitam hanc & actionem ipsarum esse substantialem. Nam de illis maximè dici potest, quod de viuentibus, idē Aristoteles dixit lib. 3. de An. cont. 37 *Vita viuentibus est esse.* Ergo intelligentiarum substantia non differt ab ipsarum intelligendi actu. Ex quo etiā patet, cur Aristoteles dixerit lib. 1. de cœlo, cont. 100. *Neque vlla transmutatio vllius eorum quæ super extima posita sunt latione, sed inalterabilia & impassibilia optimam habentia vitam & per se sufficientissimā perseuerantem toto æuo.* Id enim dixit, quia cum intellectio sit ipsarum substantia, non variantur intellectio & vita, ac proinde perseuerant eodē modo semper ac toto æuo.

Aristoteles. Nonò, quia Aristoteles lib. 2. cœli cont. 64. apertè ait: *Ei autem qui quamoptimè se habet, nihil opus est actione.* Sed Intelligentia quęcunque Aristoteli optimè se habet, quia quæcunque degit vitam optimā; vt docet Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. 7. Ergo nihil illis opus est actione sententia Aristotelis; nimirum substantiæ superaddita. nā quod illis insit aliqua actio, per quam beate degant, eodem loco ibi docet Aristoteles & lib. 12. Metaph. cont. 51.

Confirmatur: quia frustra in illis poneretur cognitio distincta: Nam cùm vna eademq; sēper Aristoteli perseuerare debeat ita vt mutari non possit, quia vna eadémq; est optima habenti; cur distincta Aristoteli ea esse oportet?

Aristoteles. Decimò probatur; quia quod de primo ente & causa docet Aristoteles in lib. 12. Metaph. id de omnibus Intelligentiis docet, aliquo tamen discrimine, vt suprà diximus. Sed de primo ente, & causa docet, intelligere non esse distinctum ab eius substantia. Ergo idem erit dicendum de Intelligētiis. Minor patet ex cont. 51. eiusdem libri, vbi de Deo sic habet: *Se ipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est, & est intellectio in intellectionis intellectio.* Ergo Dei substantia est intellectio; neque est quid ab ea diuersum. Consequentia est clara; quia ex eo quod intelligit se ipsum, ait esse intellectionis intellectionem. Ergo quod intelligitur, est intellectio, cùm Deus seipsum intelligit, vt ita sit intellectionis intellectio, ex eo quòd est intellectio ipsius Dei. Ergo ipse Deus seu substantia Dei est eius intellectio.

Referuntur veteres Peripatetici arbitrantes intelligendi actum accidens esse substantiæ ipsarum Intelligentiarum: vbi multa ex Aristotele de actu Intellectus agentis. §. 2.

Secunda tamen sententia affirmat Aristoteli Intelligētias intelligere per actionē substātiæ superadditam, & nō per ipsarū substantiā. Ita expressè colligitur ex Philopono apud Simplicium Digressione contra ipsum, quam citaui in prima sentētia. Etenim argumētatur contra Aristotelis de æternitate Mundi argumentū illud; nempe Si tēpus aliquando incæpit esse; ergo prius nō erat tēpus. ergo priùs erat tēpus quā esset tēpus, quia prius nonnisi tēpus significat. Aduersus ergo huiusmodi argumentū Philoponus ait, mentes citra Philoponus. primā quæ est Deus, mutari ac *de vno intellecto ad aliud procedere, nec recipere duo simul intellecta, sed aliud quid primū intelligere, & aliud secundū, aliud tertium.* Vnde colligit in huiusmodi cogitationibus esse prius & posterius & nō tēporis, quia cogitata mentis nulli corpori addictæ non subiacet tēpori: *Igitur non quomodocunq; prius & posterius dictū statim tēpus indicat.* Quod Philoponus nō probat, sed supponit tanquā ab Aristotele datum, vt inde eius sentētiam euertat. Ergo id Aristoteli tribuere videtur, Intelligentias intelligere per aliquid superadditum, & non per suam substantiam. Huc

Themistius. Huc etiam referri Themistius potest. Nam lib. 3. de An. cùm de Intellectu agente quem similem Deo dixit cap. 25. *& quodammodo Deum*, tamen cap. 26. hoc inter ipsum & intellectum potestatis discrimen assignat, quòd *in intellectu potestatis diuisæ & sectæ notiones sunt.* At contrà in intellectu agente, cuius substantia actu describitur. *Neque enim is ex vno genere in aliud transit, neque componit quicquam aut diuidit, neque discursu vtitur ad res noscendas, sed compressione quadam. Cum enim formas omnium rerum actu contineat, simul quoque aggreditur, complectitur & intelligit omnia.* Reddit rationem, quia Aristoteles dixit eius substantiam esse actu, *alioqui substantia eius solo actu definiri non posset*; quod tamen Aristoteles affirmauit.

Themistius. Quare Themistius componit hos duos intellectus; quòd alter non habeat notiones actu, sed potestate vt omnia intelligat; Alter actu habeat omnes, vt actu intelligat omnia. Quocirca vult intellectum agentem habere actu eas notiones, quas intellectus potentia habet potestate. Sed intellectus potestate habet potẽtia notiones superadditas actu; ergo & intellectus agens habet actu superadditas.

Præterea quia si omnes eas haberet actu substantialiter eius essentia, non differret à Deo. esset enim omnia quæ intelligit ac ipse Deus. cùm tamen Themistius illum Deo similem, non parem faciat. Sanè idem Themistius in Paraphrasi ad cont. 19. eiusdem libri 3. de An. iuxta Nogarolæ translationem de intellectu agente ait, ipsum *esse actu perfectum non potestate.* Quasi dicat, absolutionem quidem habet actu, sed non est ipse substantia actus. Ex quo intellige cùm Themistius in eo cap. 26. in fine negat, *substantiã eius ab actu differre*, non perinde esse accipiendum, ac si nolit differre subiectum, & eius formas, quæ actu sint in ipso, cùm hoc videatur concessisse; sed vt velit non differre tanquam subiectum & formas, quæ potestate non actu in ipso sint. Hoc enim discrimen solùm posuerat inter intellectum agentem, & intellectum potestate in eo cap. vt dicebam. Iam ergo dico, si intellectus agẽs, qui Themistio est perfectissimus in intelligendo, habet notiones superadditas; ergo & Intelligentiæ eidem Themistio easdem intellectiones superadditas habebunt.

Alexander. In hac etiam sententia apertè est Alexander Aphrodisiensis, qui libro suo primo de Anima cap. de Intellectu Agente ait, ex eo quòd Aristoteles ait, intellectum agentem esse substantia sua actum, debere intelligi esse Deum ipsum, quod etiam illi tribuit Philoponus lib. 3. de An. Commentario suo in cont. 49. & 50. qui est cõt. 17. & 18. Argumentum enim ex Alexandro refert, cur ipse existimaret Aristoteli intellectum agentem esse Deum; quia scilicet vt ille ait, *solius Dei proprium est cum substantia habere concurrentem operationem, & semper operari & agere.* Itaque existimat nulli creaturæ conuenire posse, quod Aristoteles libro 3. de An. cont. 19. intellectui ascribit agenti; nempe *substantia esse actum* quia est solius Dei.

Strato Lampsacenus. Ad hanc etiam sententiã spectat quod dixit Strato Lampsacenus, qui vt ait Simplicius lib. 6. Physic. commentario suo 23. *fuit auditor Theophrasti, & inter optimos Peripateticos numeratur.* Is enim in libro suo de motu ait, animas non solùm irrationales, sed etiam rationalem moueri

A cùm operatur, cùm dicat has actiones esse motus animæ. Addit autem, omnem intellectionem etiamsi non sit per corpus, esse motum aliquem, sicut qui videt & audit. *Semper enim* inquit *intelligens mouetur sicut qui videt, audit, olfacit. nam intellectio est actio quædam intellectus, vt etiam visio ipsius visus.* Hæc ille apud Simplicium ibi. Ergo supponit huiusmodi intellectiones in ipsis etiam separatis mentibus esse motus, & non esse substantiam ipsarum.

Quod ipse Strato videtur à magistro Theophrasto sumpsisse inter Aristotelis socios coryphæo; vt de illo loquitur ibidem Simplicius. Nam eas etiam actiones ad quas corpus non præbet adminiculum, ait esse motus. Appetitiones namque referente Simplicio ibidem, & iræ B sunt motus corporei; speculationes autem & iudicia, quæ non sunt referenda ad corpus, sed in ipso animo sunt actus, hos quoque motus esse concessit. ergo etiam in Intelligentiis. Quod enim ipsæ æternæ sint, non obstat, quãdoquidem & actus ipsi æterni esse in subiecto possunt. Idq; ipse Simplicius videtur indicasse libr. 3. Phys. Simplicius. commento suo 2. vbi tria rerum genera facit. *Rerum* inquit *quædam sunt actu solùm; quædam actu & potentia. Ipsum igitur eus solùm actu est in substantiis ingenitis, & subiectum ipsarum actionibus.* Ergo supponit subiectum esse æternarum actionum. Addit tertium genus Idearum Platonicarum; vt C arbitror. Sic enim ait: *Item quæ sunt simpliciter actu, tantùm sunt immateriales substantiæ, & primæ species, formæque nam nulla aliter fieri potest, atque fiat a principio.* Nam Ideas Platonicas defendi à Simplicio patet ex ipso lib. 2. Phys. commentario suo 13. & nos ante monuimus.

Aduerte autem vt intelligas, quid sit Simplicio esse actu, quæ ipse dicit in fine eius secundi commentarij. Non enim ait, substantiam esse actu, esse ipsam habere suas operationes quæ idem re cum ipsa sint, vt aliqui recentiores non rectè arbitrantur; sed ait esse, posse ex se operari. *Ipsum verò actu* inquit *est id, quod agere iam potest secundùm illud secundum quod dicitur.* Quod obiter D dixerim ne decipiamur, cùm de intellectu agente dixit Aristoteles ipsum *substantia esse actu.* Ex quibus etiam vides; vtrùm Auerroës & alij rectè putent, Theophrastum, reliquósque magni nominis Peripateticos stare pro ipsis, ad illam copulationem intellectus agentis & materialis, cùm dicant nostras cogitationes esse animi nostri motus, ac proinde omnem substantialem copulationem ab Peripatetica disciplina reiiciant.

His Peripateticis libet addere Alexandrum Alensem, quà Aristotelis interpretem agit; non Alensis quà Theologi personam gerit. Is enim lib. 7. Metaphys. in cont. 41. §. *Quæreret aliquis* negat Ari- E stoteli Intelligentias intra Deum esse simplices quidditates; sed ait esse quid habens quidditatem, *eò quòd non habent plenitudinem entis, atque hinc est vt multa possint talibus accidere de rationibus entis*; eáque prosequitur fusiùs, aitque in ipsis aliud esse suppositum, aliud quidditatem. Ergo censet non esse actus puros, sed potentiam ad suas perfectiones: ergo ad operationes. hæ enim non sunt idem cum substantia nisi in iis, quæ puri sunt actus. Idem docet lib. 8. Metaph. in cont. 16. in illa verba *Quapropter nos*; vbi ait, substantias separatas non esse ita puros actus, vt nihil potentiæ habeant, non quidem quia sint potentia per aliquid

aliquid sui, nempe per materiam; vt composita materialia, quæ per materiam sunt potentia, actu per formam, per quam sunt id quod sunt; & hoc pacto ait, intelligi posse philosophum lib. 3. Phys. cont. 32. cum ait: *In perpetuis non differt esse & posse*; quia scilicet non priùs per aliquid sui possunt esse, quàm actu sint; vt etiam nos suprà constituimus: sed esse potentia; quia saltem priùs natura quàm essent, *fuerunt in potentia agentis & obiectiua.* Ergo putauit Aristoteli habere actus adiunctos, licet semper habuerint, iisque nunquam in tota æternitate caruerint. Apud A. Doctorem nihil hac de re ex Aristotele scriptum esse reperio. Arbitror illi visum fuisse satis de hac quæstione ad mentem disputasse veritatis.

Auerroëm pugnantia locutum de Intelligentiarum intellectione, quam tamen plerumque existimauit esse accidens. §. 3.

Auerroes.

Caietanus.

IN postremũ locum Auerroëm reseruauimus, quem ab aduersariis stare, neminem hactenus dubitasse video. & fortè in eum A. Doctor hunc scripsit articulum, si Caietano credimus initio huius articuli dicenti: *Ista quæstio est cum Philosophis tenentibus in substantiis immaterialibus omninò quales sunt Intelligẽtiæ, nullum esse accidens; vt Auerroes tenet lib. 12. Metaphys. comment. 25.* Vbi ait esse substantias intelligibiles, *à quibus possibile est fugere omnia accidentia.* Sanè Auerroës nihil magis proprium habet, quàm vt pugnantia loquatur, vt non tam cum cæteris, quàm secum ipse pugnare videatur. Quamobrem vix puto A. Doctori fuisse propositum, vt hac in re rationibus naturalibus bellum ageret cum Auerroistis, qui argumenta ex rationis principiis petita ne de facie quidem nosse solent; quare operæpretium illi fuisset si cum Auerroë nonnisi ex ipso Auerroë decertaret. Et vt hac in re pugnam eius doctrinæ videamus, afferam pro hac secunda sententia eius testimonia, vbi iis locis quæ superiore sententia citauimus, aduersantia planè docuit, quibus cõciliandis nulla Auerroistarum diligentia aut commentatiò sit satis.

Ac primùm quidem lib. 3. de An. comm. 5. in solutionẽ q. 3. expressè ait: *Quemadmodum sensibile esse diuiditur in formam & materiam; sic intelligibile esse oportet diuidi in consimilia his duobus, scilicet in aliquod simile formæ, & in aliquod simile materiæ.* Impossibile autem est, vt substantia abstracta, quæ sit potentia, secundum quam sit similis materię, non sit subiectum aliquod suarum potẽtiarum. Alioqui quæro, quid in iis sit, quod similitudinem materiæ gerat? Si enim est potentia; ergo ad formas & perfectiores suas accidentales, non substantiales. Non enim Intelligentiæ faciunt vnum cum alia substantia: Et, si facerent, multò magis essent potentia ad operationes, quæ sunt vltimæ ac potissimæ substantiarum perfectiones: *Vnumquodque enim quorum est opus, est gratia operis*; nimirum tanquam vltimæ perfectionis, ac finis vltimi, vt ait Aristoteles lib. 2. de cœlo cont. 17.

Neque in hoc à nobis dissidet Auerroës, cùm in eo loco ipse doceat, ob hanc ipsam causam proprium esse rerum spiritualium non corporearum, habere in se actionem; quæ tamen non potest alia esse nisi actus intelligendi & volendi, cùm sint incorporeæ substantiæ. Ergo vnumquodque perficitur, vt perfectè agere possit, tum in se tum in alia, vt ita operatio cuiusque sit finis & optimum rei, cuius est operatio; & ideò virtus ac facultas operatrix definitur ab Aristotele lib. 7. Phys. cont. 17. *Dispositio perfecti ad optimum* nempe ad operationem. quo etiam pacto lib. 2. de An. cont. 34. tribuit agendi vim iis, *quæ perfecta & non mutilata sunt.* Essent ergo potentia ad operationes, quas in se recipere debent.

Aristoteles.

Præterea in eodem comm. 5. de An. cùm dixisset Auerroës dari in spiritali substantia aliquid simile materiæ, addit: *Et hoc necesse est dari in omni Intelligentia abstracta, quæ intelligit aliud. & si non, non esset multitudo in formis abstractis.* Ergo datur aliquid simile materiæ; nempe secundum rationem potentię receptricis. Nam secundum rationem genericam & communem potentiæ, etiam in Deo datur aliqua ratio, quæ præcisione intellectus sit huiusmodi, vt ratione diuinitatis contrahi ad Deum possit. Deo autem inesse aliquid simile materiæ, ibidem negat Auerroës, sic subiungens: *Et ideo declaratum est in prima philosophia,* inquit, *quòd nulla forma liberata est à potentia simpliciter, nisi prima forma, quæ non intelligit aliud extra se.* Ergo quæcunque substantia, quæ non sit prima forma, habet rationem potentiæ simpliciter; & aliud intelligit à se, seu extra se, per aliquem actum quo perficitur talis potentia & facultas intelligendi. Alioqui nõ fuisset cur rationem potentiæ fundasset in eo, quod intelligit aliud extra se. Quasi significare velit; si Intelligentiæ vt prima causa, omnia in sese intelligãt, non extra se, ipsas fore actus puros absque vlla potentiæ admistione.

Auerroës.

Rationem etiã afferre ad id possumus, quam etiam significat Auerroës ibi; quia scilicet quorum quidditas est diuersa ab ipsa re habente quidditatem, ea necessariò habent diuersam à sua substantia operationem. Quia operatio quæ sit idem cum substantia operatrice, indicat simplicissimam naturam: cum potior ratio sit, vt sit inter operationem, substantiámque operantem diuersitas aliqua, quàm inter ipsam substãtiam, eiúsq; intrinsecum esse; quia remotior est operatio ab ipsa substãtia, quàm sint ab ipsa eius partes, quarum esse operationi supponitur. Sed Intelligentiarum quidditas est diuersa ab ipsis quidditatem habentibus; quia in sola prima causa nulla est huiusmodi diuersitas; vt ibi ait Auerroës. Nam primæ causæ *essentia* inquit *est quidditas eius; aliæ autem formæ diuersantur in quidditate & essentia quoquo modo.* Ergo Intelligentiæ habent diuersam operationem. Vnde Auerroës ibi ex eo quòd prima causa non cognoscit extra se, colligit in prima causa non esse diuersam quidditatem ab essentia.

Auerroes.

Negat autem primam causam cognoscere aliquid extra se, non quòd nullo modo aliquid cognoscat; sed quòd ea entia non cognoscat extra suam essentiam; quia in ea omnia existimat relucere & repræsentari. Nam ab Auerroë non negari, Deum intelligere Intelligentias, orbésque cœlestes, atque adeò omnia clarissimum est in lib. 12. Metaph. comm. 51. Vbi id dupliciter patet. Nam primò etiamsi velit contradicere Themistio dicenti: *Deum intelligere omnia, ex eo quod*

quòd intelligit se esse principium eorum: nempe quia omnia in se cognoscit tanquam in omnium causa, (id quod etiam Theologi nostri docuere) Tamen vt moris est Auerroï, qui plerumque verbis magis quàm sententia ab aliis dissidet, tandem cum Themistio conuenit, sic dicens: *Et veritas est, quod primum scit omnia, secundum quod scit se tantùm scientia in esse, quod est causa eorum esse.* Quasi velit Themistio obiicere, Deum non scire omnia ex eo quòd se intelligat principium omnium. Ac si dicere voluerit, Deum non ex eo intelligere omnia, quòd se omnium rerum principium intuetur, perinde se in seipso intelligat, alia verò extra se, res scilicet ipsas cognoscendo in se ipsis; Sed scire omnia, dum in se tantùm omnia scit; séque tanquam eorum causam comprehendit. Ergo concedit Auerroës Deum cognoscere omnia in se ipso.

Deinde, quia expressè ait, discrimen esse inter Dei nostrámque scientiam. *Sua enim scientia est causa entis, ens autem est causa nostræ scientiæ.* Si ergo Dei scientia est causa entis, sequitur manifestè Deum res intelligendo procreare, cásque ad esse perducere. Ergo Auerroï Deus omnia cognoscit; additque Auerroës Dei scientiam de rebus nec esse vniuersalem, nec particularem, sed longè perfectiore ratione, quia scilicet nec vniuersalia è rebus abstrahat, nec particularia in seipsis cognoscat, eis attribuendo prædicata vniuersalia, vt mox dicam.

Albertus. Qua in re Auerroï subscripsit Albertus libro 12. (seu vt ipse numerat) 11. Metaphys. tractat. 2. cap. 33. vbi cùm dixisset, primam causam intelligere omnia per intellectum agentem, seu operantem, non autem per intellectum potentiæ, qui nimirum intelligendi species actúmque suscipiat, subdit: *Et ideò* inquit *scientia illa nec est scientia in vniuersali, neque in particulari.* Reddit ex vtriusque scientiæ definitione causam: *Quia scientia rei in vniuersali* inquit *est scientia rei in hoc, quod ipsa res non est nisi in potentia, sicut homo in animali: & hoc modo non est hic; quia tota & expressa forma artificiati est ars; siue accipiatur in intellectu; siue in instrumentis; siue accipiatur prout est materia.* Quasi dicat vt summatim perstringam, non esse scientiam in vniuersali. quia non est vnius prædicati inter attributa quæ rei conueniunt, præcisè ab aliis; vt cum nos consideramus genericam naturam ab eius speciebus, & naturam specificam ab eiusdem indiuiduis planè auulsam, abstractámque.

Similiter probat non esse scientiam in particulari. *Quia scire rem in particulari*, inquit, *est scire in hoc quod est natura sua*; nempe ei singulari prædicata generalia attribuendo. Hinc colligit Albertus discrimen esse inter nostram Deique scientiam, quòd *scientia nostra causatur ab ente quòd scimus: scientia autem illarum substantiarum est causa entis.* Constat ergo scientiam Dei neutro modo dici posse.

A. Doctor. Immò hoc totum ipsum ex Auerroë eodem libro duodecimo Metaphysices commentario quinquagesimoprimo A. Doctor comprobauit in 1. dist. 36. quæst. 1. a. 1. in argumento *Sed contra*: Quod etiam ratione confirmat, in eiusdem articuli corp non dissimili ab ea quam ex Alberto retulimus, nisi quòd doctrinam reddit clariorem: *quia omne vniuersale* inquit *additionem recipit alicuius per quod determinatur, & ita est in potentia, & imperfectum in esse.* Quod verò particularis non sit, non ita expressè probat; vt Albertus. Solùm namque ait particularem non esse, quia particularis principium est materia: *vel aliquid loco materiæ se habens, quod Deo non conuenit.* Quæ difficiles habent ad veritatem explicatus.

Sed id nunc non agimus, vt Dei scientiam explicemus, Satis enim sit si constet, in iis, similibúsque rebus Auerroëm non vno modo sensisse. Hæc igitur aliáque complura si quis in Auerroë consideret, nunquam constituet, vtri Quæstionis parti ipse subscribat. Quare tutius erit, nihil constans ab eo deposcere, qui vel summis viris contradicendi studio, non adeò accuratè veritatem contemplatus sit, vel certè difficultatibus quasi fluctibus agitatus Arabs, quò casus ferebat, eò suam sententiam veluti sacram anchoram demiserit. Constat ergo quorum hæc sententia sit Peripateticorum. Nunc de Aristotele dicendum est. cuius mentem explorare fructuosum erit.

Intelligentiarum actus intelligendi, accidens est non substantia Aristoteli. §. 4.

PRo qua re sit

Vnica Propositio. Intelligentiæ Aristoteli non intelligunt per intellectionem, quæ sit ipsarum substantia; sed quæ sit accidens substantiæ superadditum. Hæc propositio probari quibusdam videtur posse hac argumentatione ab ipso Aristotele desumpta: Quia nulla actio est substantia, sed substantiæ accidens superadditum; At Intelligentiæ Aristoteli intelligunt per intellectionem quæ sit actio, vt probatum est super. Difficult. Ergo Intelligentiæ Aristoteli non intelligunt per intellectionem, quæ sit substantiá ipsarum, sed quæ sit accidens superadditum. Aristoteles.

Verùm huius argumentationis apparet in ipsa fronte imbecillitas ex doctrina Aristotelis libro duodecimo Metaphysices, contextu quinquagesimoprimo, vbi etiam Dei intellectionem, docet esse actionem, quam tamen ibi dicit esse Dei substantiam, cùm Deum dicat esse intellectionis intellectionem, vt suprà diximus. Ergo Aristotelis opinione falsa est argumenti Maior; nempe nulla actio est substantia, cùm aliqua actio, Aristotelis opinione, non distinguatur ex rei natura à substantia, à qua manare intelligitur. Quod si dicerent: nulla actio creaturæ est substantia, incerta in doctrina Aristotelis nunc esset propositio, & confirmanda magis, ne facilè aduersarij ictum declinarent.

Meliùs ergo probatur nostra propositio primò, quia Quæcunque substantiæ quæ non sunt ipsum optimè se habens, eæ indigent operatione ipsis superaddita. Sed Aristoteli nulla Intelligentia à prima causa est ipsum optimè se habens. Ergo Aristoteli nulla Intelligentia est, quæ non indiget operatione ipsi superaddita; ac pro

ac proinde illa operatio non erit ipſarum ſubſtantia, ſed accidens vt dictum eſt. Maior patet ex Ariſtotele libro ſecundo cœli cont. 62. vbi ſoli optimè ſe habenti; nempe Deo, ait per ſe ineſſe bonum ſine actione, nempe ipſi ſuperaddita. Nam ſine dubio indiget actione, quæ ſibi ſubſtantialiter ſit eadem; ſitque eius felicitas vt patet libro 12. Metaphyſices cont. 51. vt diximus. Itaque ſolus Deus habet per ſe bonum ſine actione. Verba Ariſtotelis ſunt hæc: *Videtur autem optimè ſe habenti ineſſe ipſum bonum ſine actione, propinquiſſimo autem per paucas.* Rationem reddit cont. 64. quia ipſum perfectè ſe habens eſt finis omnium. Ergo ipſum non indiget actione, quia omnis actio eſt ad finem acquirendum. Vtrumque ſic docet: *Ei autem quod quam optimè ſe habet, nihil actione eſt opus. Eſt enim ipſum id cuius gratia. actio verò ſemper eſt in duobus, cùm & cuius gratia fit, & quod huius gratia.* Ergo ſolus optimè ſe habens non indiget actione ſuperaddita, nempe Deus; quia cum ipſe ſit finis omnium, nullum opus habet, vt per actionem conſequatur ſuum finem, qui finis eſt ipſemet Deus. Vnde patet cætera omnia agere ad finem conſequendum, & eſt valdè notanda ratio.

Ex his Minor patet; quia ſola prima cauſa Ariſtoteli eſt vltimus rerum finis, in quem omnia conſpirant, & propter ipſum agunt quicquid agunt; vt patet ex libro duodecimo Metaphyſices cont. 36. Vnde libro 2. de An. cont. 34. docet Ariſtoteles ideo omnia agere, *vt ipſo ſemper ac diuino participent ſecundum quod poſſunt; omnia enim illud appetunt, & illius cauſa agunt omnia quacunque agunt ſecundum naturam.* Idémque ferè dixerat libro primo Phyſ. cont. 81. *Sollicitudo enim diuina* inquit Auerroes eodem libro ſecũdo de An. comm. 34. *cùm non potuerit facere ipſum permanere ſecundum indiuiduum, miſerta eſt in dando ei virtutem, qua poteſt permanere in ſpecie.* Ergo Intelligentiæ non ſunt id quod optimè ſe habet per ſe, quia non ſunt vltimus finis, in quem omnia conſpirant.

Confirmatur, quia ideò optimè ſe habens non indiget actione, quia per eam non eſt opus aſſimiletur vltimo fini, cùm ipſum optimè ſe habens Deus ſit, & primum Ens in rebus, ac proinde nihil ad finem operari debeat, vt diximus. At cætera omnia entia opus habent vt huic vltimo fini aſſimilentur; & ideò, vel pluribus, vel paucioribus actionibus indigent; idque fatente etiam Auerroë eodem libro ſecundo cœli comment. 64. *Omnia entia non intendunt* inquit *per ſuas operationes niſi vt aſſimilentur perfecto mobili quod eſt Deus, ſecundum quod in natura rerum eſt acquirere de aſſimilatione.*

Nec cæteri hac in re diſſentiunt. Nam Themiſtius libro primo Phyſ. in context. 81. ſic loquitur: *Voco autem diuinum bonum primam formam, & primam cauſam, quò referuntur collimántque omnia, & cui quæque res tendit fieri quam ſimillima quantum poteſt, poteſt autem quantum natura conceditur.* In quam ſententiam clariſſimè loquitur libro ſecundo de An. context. 34. vbi ait vnumquodque agere, vt quantum fieri poteſt ſe perpetuet. *vt diuinæ naturæ particeps fiat, cuius deſiderio tenent omnia quantum cuique eſt ſatis, eiuſque gratia quæ natura ſunt agunt quicquid agunt.* Nec minùs clarè loquitur Simplicius libro primo Phyſ. con-

A text. 81. commentario ſuo 79. Explicans enim illud Ariſtotelis de materia, quòd appetat diuinum bonum ait ſic: *Quod ſi modo diuinum bonum primam formam ſeparabilem Ariſtoteles ait, quam etiam mentem & primam cauſam appellat, re vera omnia quæ natura conſtant, eam appetunt ſic præparata deductáque ab ipſa diuina natura; quæ etiam cauſa eſt, vt vnumquodque pro viribus ſuis appetat illi aſſimilari.* Hic vides non ſolùm quæ naturalia ſunt, ſed etiam *vnumquodque* habere appetitum vt ſe Deo operando aſſimilet quantum poteſt. Conſtat ergo omnia optare ſe diuinitati conformare, ac proinde egere actionibus ſibi ſuperadditis; quod probandum erat.

B Secundò probatur propoſitio noſtra ex libro duodecimo Metaphyſices context. 51. vbi inter cætera duo remouet à Deo tanquam quæ imperfectionem inuoluant. Primum quod à diuinitate abigit eſt; quod nihil intelligat quaſi Deus dormitet. Nam *quidnam præcellens erit?* Alterum eſt, quod Deus intelligat per actionem, quæ non ſit eius ſubſtantia, & cuius Deus ſubiectum ſit, & potentia receptrix. Remouet autem hoc argumento: Quia ſcilicet Deus non eſſet ſubſtantialiter perfectus; ſed ei perfectio ineſſet tanquam forma. His autem verbis ratiocinatur: *Si intelligat, huius verò aliud ſit principale (non enim id quod eius ſubſtantia intellectio erit ſed potentia) profectò non* C *erit optima ſubſtantia, ſi quidem eo quod intelligit, ei honorabilitas ineſt.* Vbi vides illud *potentia* eſſe in caſu recto, & Græcè haberi ἀλλὰ δύναμις, & ſignificari ſubiectum actus quem habeat. Ponit enim Deum intelligere, & contendit hanc intellectionem non eſſe extra ſubſtantiam illius, ſed ei omnino ſubſtantialem, intimámque. Ne Deus ſit potentia receptrix ſubiectúmque intellectionis, ac proinde ex accidentaria forma, non ſubſtantialiter ei perfectio inſit.

Ex quo loco ſic formatur argumentatio ad noſtram propoſitionem: Ideo Deus, Ariſtotelis opinione debet habere intellectionem D ſubſtantialem, quia eius ſubſtantia debet eſſe optima, & non potentia receptrix ipſius actus accidentalis & ſuperadditi. Ergo in ſubſtantiis quæ optima non ſunt, non erit ſubſtantialis intellectio, ſed accidens ſuperadditum, cuius ipſæ ſubſtantiæ ſint potentia, & ſubiectum recipiens. Valet enim in cauſis adæquatis. *Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, & negatio negationis.* Et ſi rationale eſt cauſa riſibilis, non rationale erit cauſa non riſibilis. Ratio eſt, quia cauſa adæquata eſt illa, qua poſita ponitur effectus, & qua ſublata tollitur.

Quod totum apertè patet ex Ariſtotele libro E quinto Top. cap. 3. vbi loco 65. docet: *Si quod ſecundum habitum dicitur, eſt habitus proprium: & priuationis id quod ſecundum priuationem dicitur, erit proprium.* Et rurſus: *Si priuationis id quod ſecundum priuationem dicitur eſt proprium: & habitus quod ſecundum habitum dicitur, erit proprium.* Quæ omnia idem prorſus ſignificant, quod nos dicimus; nempe ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis in cauſis adæquatis; & negatio in iiſdem erit cauſa negationis. Proprium enim ex re cuius eſt proprium, conſequitur tanquam ex adæquata cauſa. Quare ſi affirmatio naturæ ex qua ſequitur proprium, eſt

causa vt affirmetur proprium; & negatio eiusdem naturæ est causa vt proprium negetur; consequenter verum erit, si affirmatio vnius est causa vt vnum aliud affirmetur, & negatio eiusdem erit causa vt illud alterum negetur. Vnde subdit mox ibi Aristoteles. *vt quia visus est proprium videre secundum quod habemus visum: erit cæcitas proprium non videre, secundum quod non habemus visum nati habere.*

Ad rem ergo propositam dico Aristotelem existimasse, optimo entium deberi, vt intellectio ab eius substantia non differret. Sed Aristoteli Intelligentiæ non sunt optimum entium, quia non sunt vltimus finis vt diximus. Ergo Aristoteli Intelligentiæ non habent intellectionem, quæ sit ipsarum substantia; sed ea accidens superadditum sit oportet.

Intellectum agentem gignere formas in animo hominis docuit Aristoteles. Et qualem esse huiusmodi intellectum arbitratus sit Aristoteles & Peripatetici. §. 5.

TErtiò denique probatur propositio; quia aliqua ex Intelligentiis Aristoteli habet intellectionem quæ sit accidens sibi superadditum; & non sit eius substantia. Ergo omnes quoque erunt huiusmodi. Nuspiam enim Aristoteles docuit, quoad hoc potiorem esse rationem in vna quàm in alia. Antecedens probatur; quia intellectus agens est vna ex Intelligentiis opinione Aristotelis & Peripateticorum; vt suprà ostendimus & copiosiùs ostendetur infra a. 4. Nunc interim ad rem nostram probatur: Nam intellectus agens est is qui formas in nostro intellectu gignit, ac proinde primas cogitationes, quæ aliunde ortum non habent ex obiectis, ingeneret: Cùm scilicet tales rerum obiectarum species & simulachra repræsentantur, quæ efficientia sensuum & phantasmatum non habentur. Ergo illæ ab intellectu agente sunt immediatè; cuius munus est instruere intellectum nostrum possibilem suis speciebus; & ideò Aristoteles dixit intellectum nostrum potentia esse *qui omnia fit*, & intellectum agentem *qui omnia facit*, libro tertio de An. contextu decimonono. Vnde & dicitur similis arti ac luci. Ergo si Aristoteles id muneris tribuat alicui Intelligentiæ, ea erit intellectus agens Aristoteli.

Quod autem Aristoteles id tribuat Intelligentiæ, ac per se subsistenti substantiæ, patet dupliciter: Primò quia ex ipso Aristotele, deinde ex Peripateticis qui id Aristoteli tribuerunt: à quibus excludam Alexandrum, qui ex Aristotelis verbis contextu 19. libro 3. talem intellectum arbitratus est esse primam rerum omnium causam ac Deum. Quanquam & Alexander ad rem nostram in eo facit, quod cum cæteris ferè Peripateticis consentit, asserendo intellectum agentem Aristoteli esse substantiam aliquam separatam.

De Aristotele ergo primùm probo, ipsum huiusmodi primas cogitationes arbitratum esse

A prouenire ab aliquo numine, quod animæ assideat. Is enim lib. 2. magn. Moral. c. 9. dixit in animo inesse aliquid, quo sine ratione impellimur ad aliquid cognoscendum & faciendum, quo fortunati dicimur interdum & prosperè nos gessisse: *Est* inquit *prosperitas rationis expers: natura namque fortunatus est, qui sine ratione ad bona impellitur, eaque consequitur. Id verò natura est. Nam animæ inest huiusmodi à natura, quo sine ratione impellimur ad ea, vnde benè habemus, eousque vt siquis roget benè habentem, curnam id tibi ita libet agere. Nescio inquit sed libet. Simile propemodum lymphaticis. siquidem lymphatici ad aliquid agendum citra rationem impelluntur.* Cùm autem non impellatur homo

B nisi ex proposito bono; (Bonum enim & appetibile appetitum mouent ex libro 3. de An. cont. 54.) si impellitur, cogitatione boni impellitur. Illud ergo quod talem cogitationem speciémque subministrat, numini assidenti tribuendum censet Aristoteles. quippe eius est munus naturam gubernare, eámque ad finem dirigere, cùm ipsa natura se ratione præeunte non mouet.

Quod Aristoteles eo libro septimo Moral. Eudem. cap. 18. explicauit apertiùs. Ait enim quosdam impelli ad bona ex propitia fortuna, quam dicit esse in anima sicut est in vniuerso Deus, à quo nimirum cuncta moderantur; vt Aristoteles.

C quemadmodum in vniuerso Deus omnia mouet, & omnia sunt in eius potestate; ita & nostra omnia in nostro illo intelligente numine, quod in nobis penitus insidet à natura. *Patet* inquit *sic esse quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo. mouentur enim omnia ab existente in nobis numine.* Quod quia huiusmodi principium est intellectu nostro ac voluntate præstantius, Deum aliquem ibi esse vult, nempe Intelligentiam Deo summo qui regit cuncta subiectam. Deus enim totius vniuersitatis motor ac rector est; hoc verò numen hominem dumtaxat moderatur, ac dirigit.

D Nec minus apertè idem docuisse visus est Aristoteles libro 10. Ethic. capite vlt. Vbi *fieri* inquit *bonos alij natura, alij consuetudine, alij doctrina existimant. Ac quod ad naturam quidem attinet, in nobis non esse manifestum est, sed ex quadam diuina causa iis qui reuera fortunati sunt.* In quibus obserua, eas bonorum propositiones & simulachra ab aliqua Intelligentia immitti in nostrum intellectum; & sicut illæ immittuntur ita & cæteræ: cùm non sit maior ratio vnius quàm alterius. atque ita Intelligentia aliqua erit Aristoteli intellectus agens. Quibus consentiunt quæ de Intellectu agente Aristoteles scribit libro tertio de An. contextu decimonono cùm ait hunc intellectum *esse separabilem*, Aristoteles.

E hoc est separatum; nam sequitur *& immistum*; hoc est non corporis formam: *impassibilem*, quia nihil putauit de nouo recipere. *Et substantia actiuum*, vt infrà explicabo. Constat ergo ex Aristotele intellectum agentem esse substantiam aliquam separatam.

Iam ex Peripateticis idem docuerunt Marinus apud Philoponum libro tertio de An. in contextu quinquagesimo, vbi ex eo sic refert; Marinus.
Marinus autem intellectum actu dixit non vnum omnium principium sed quendam dæmonis intellectum vel Angelicum. Ergo intellectus agens est substantia. Idem puto sensisse Theophrastum ac Themistium, qui vt suprà vidimus opinati sunt Theophrast. Themistius.
in

in nobis esse intellectum assidentem humano perfectiorem, quippe qui complexu velut artifex ac lumen species rerum efformet ac coloret.

Doctor. Sanè A. Doctor quæstione de spirituali creatura art. 10. c. idem concedit ex parte. Etenim ibi duplicem Aristoteli intellectum agentem concedit apertè. Cùm enim retulisset duas nonnullorum de intellectu agente sententias. Alteram, quæ dicit esse quandam substantiam separatam, non multiplicatam ad multitudinem hominum. Alteram, quæ eum facit animi virtutem quandam, quæ pro hominum multitudine vniuscuiusque animo sua inesset; addit: *Quod quidem vtrumque aliqualiter est verum*; declarátque deinceps substantiam illam separatam concedendam esse, eò quòd *oportet* inquit *supra animam humanam esse aliquem intellectum, à quo dependeat suum intelligere*. quod probat tribus rationibus. Concedit ergo aliquam substantiam separatam, quæ cogitationibus illis ac primis speciebus quæ aliunde ex obiectis esse non possunt immittendis, præsto in nobis sit. Atque hæc ibi pro substantia separata, de qua vt dixi copiosiùs infrà articulo quarto, etiam ex ipsius Angelici Doctoris opinione disputabitur, euidentioráque hæc omnia fient, vt Aristotelis Peripateticorúmque opinione nullo negari modo possint. De altero intellectu qui sit potentia & facultas in nobis, rectè docet A. Doctor debere esse facultatem animi operantis. Si enim ipse homo intelligendo ait; ergo necesse est per principiũ quod sibi insit agat. Ergo per virtutem suam formaliter. vt infrà dicetur copiosè.

Dixi ex parte. Docere enim ibi pergit Angelicus Doctor optimè, hanc virtutem quam ipse vocat, *lumen & intellectualitatem* non posse ab aliqua ex Intelligentiis oriri tanquam ex causa tale lumen primariò infundente: quia alioqui ipsa esset vltimus hominis finis ac felicitas; quod fides Catholica improbat, dicítque esse Deum ipsum. Hic namque solus facit intelligibilia actu per modum Solis illuminantis; ex

S. August. sancto Augustino libro primo Soliloquior. capite quinto & sexto, id est per modum primi efficientis. Verum est tamen, cùm Deus producit species intelligibiles & illustrationes in in-

A. Doctor. tellectu sententia Angelici Doctoris id facere per Angelos vt apertè patet ex Angelico Doctore infrà quæstione centesimaundecima, a. 1. c. Immò etiam certum est in Angelici Doctoris doctrina, Deum quæcunque in hoc inferiore orbe administrantur decreuisse per Angelos administrari, vt patet ex eadem quæstione citat. a. Vbi ait: *Diuinæ prouidentia ordo habet vt actionibus superiorum inferiora subdantur.* Quod ex instituto probat infrà quæstione centesimadecima, a. 1. c. Quare constat intellectum veluti agentem, qui hominem illustrat immediatè, tanquam lumen non tanquam solem, esse ipsum Angelum vnicuique ad custodiam delegatum. Constat ergo Aristoteli & Peripateticis Intellectum agentem esse vnam aliquam ex Intelligentiis.

* * *

Quo pacto intellexerit Aristoteles Intelligentias esse ad cælum mouendum & intellectum potentiæ & agentem esse in anima, huncque esse sua substantia actionem. § 6.

Cvi doctrinæ non obsunt illa duo. Primum quòd Intelligentiæ Aristoteli cœlo mouendo destinantur; vt patet ex lib. 12. Metaph. cont. 44. Alterum quòd intellectus agentis & materialis *differentiæ hæ sint in anima*; vt ait cont. 17. lib. 3. de An. Ergo nulla ex Intelligẽtiis Aristoteli est agẽs intellectus. Hæc inquam duo nõ obsunt. Aristoteles.

Nam ad primum dico, Aristotelem opinatum esse omnes Intelligentias in cœlestibus orbibus sparsim degentes occupari cœlesti motu; nempe eas quæ nullo alio signo nobis noto patescunt. Et ideò dixisse in eo cont. 48. *Si alij sunt, vtique mouebunt.* Harum enim putauit nullum alium esse finem præter motum orbium, quod non rectè sensit. Hic enim finis vilior est quam in præstantissimam naturam conuenire possit. Non tamen dixit nullas vspiam esse quæ alteri muneri reseruentur, sed has concessit vt diximus suprà non semel.

Ad secundum autem dico, has differentias esse in anima; hoc est in genere animæ. Hic enim intellectus agens licèt non sit animus informãs; est tamen animus assistens. Hoc enim duplex animorum genus concedi ab Aristotele & Peripateticis satis ostensum à nobis est. suprà q. 51. a. 1. Est autem intellectus agens Aristotelis opinione homini assidens, quia est substantia immittens saltem primas cogitationes in animum ipsum, eúmq; dirigit ad rectas ratiocinationes, &c. per potentiam quæ est virtus animæ; vt dixit A. Doctor, & infrà nos dicemus accuratiùs. Quod verò ait A. Doctor infrà q. 79. a. 5. corp. nimirum, *si intellectus agens esset quedã substantia separata, vnus esset intellectus omnium hominum*, nostræ sententiæ non aduersatur. Apertè enim loquitur in eorum nempe Auerroistarum sententia, qui ob id vnum esse asseuerabant. & ideò proximè post illa verba subiungit A. Doctor: *Et hoc intelligunt qui ponunt vnitatem intellectus agentis*; nempe tanquã formam informantem ipsum intellectum possibilem. quod isti opinabantur vt suprà vidimus. A. Doctor.

Vera ergo est illa propositio Aristoteli & Peripateticis: Intellectus agens vna est ex Intelligentiis. Sed intellectus agens Aristoteli non intelligit per suam substãtiam, ita vt ipsa sit suum intelligere, sed per accidens substantiæ superadditum. Ergo aliqua Intelligentia Aristoteli intelligit non per suam substantiam, sed per accidẽs superadditũ; quod erat antecedẽs illud probãdũ.

Minor hæc probatur; quia de Intellectu agẽte quantum attinet ad eius cognitionem Aristoteles, illud solùm docet; nempe ipsum esse *sua substantia actionem*; nempe intellectionem cont. 19. libro tertio de An. quod videtur significare, Aristoteli intellectum agentem substantialiter esse suam intellectionem, hoc est eius intellectionem non distingui ab eius substantia. Quod tamen verum non est. Probatur autem hoc ipsum; nempe ea verba non significare Aristoteli; intellectionem esse intellectus agentis Aristoteles.

substantiam; quia eo modo intellectionem tribuit actu intellectui agenti, quo modo ad illam intellectum potentiæ docet esse in potentia. Hos enim duos intellectus Aristoteles lib. 3. de An. cont. 17. inter se opponit; sicut id quod est potentia & id quod est actu; nempe secundum vnam eandémque formam, secundum quam aliud est potentia aliud actu. qua ratione lignum quod est potentia calidum, opponitur ei quod est actu calidum. Et idcircò in cont. 17. & 18. ibi ex eo quòd in omni genere sit vnum quod sit materia, alterum quod sit efficiens, infert debere quoque in anima esse vnum intellectum qui fiat omnia, nempe suscipiendo formas, vt suprà diximus, alterum qui faciat omnia; qui nimirum sit actu illæ formæ. Ergo hos duos intellectus Aristoteles opponit in eis formis, secundum quas vnus est potentia, quia eas possit suscipere; Alter est actu, quia eas habeat, eásque producere possit. Ergo verum est Aristotelem eam actionem & formam seu intellectionem tribuere intellectui agenti actu, ad quam intellectus in potentia est in potentia, seu quam potest ipse suscipere. At intellectus potẽtia non potest suscipere intellectionem vt formam, quæ sit eius substantia; quia suam substantiã iam habet; sed quæ sit accidens.

Confirmatur validè hæc ratio. Nam si intellectus agens substantialiter est sua Aristoteli intellectio & forma intelligendi, non rectè Aristoteles ad illas formas diceret intellectum possibilem esse in potentia. Etenim ne ad illas quidem secundum rationes genericas & communissimas esset in potentia. Certum namque est id quod substantialiter est sua intellectio, plusquam genere; immò & tota prædicamenti serie differre ab eo, quod est in potentia ad intellectionem; sicut Deus & creatura. At Aristoteles dicit ad illas; nempe similes esse in potentia intellectum possibilem. Nam docet intellectum esse in potentia ad formas, quas suscipiat ab agente, eo modo quo cætera patibilia à suis agẽtibus easdem formas suscipere soleat. Ex horum namque analogia ad vtrumque intellectum, nempe patibilem & agentem philosophatus est Aristoteles eo loco; vt patet ex illis verbis in cont. 17. *Quoniam autem* inquit *in omni natura est aliquid hoc quidem materia, &c. necesse est & in anima has existere differentias, &c.* Ergo Aristoteles in his intellectibus non plus affirmat, quàm quòd in cæterorum generum causis patibilibus, efficientibúsque conspicitur. In quibus videmus patibilia esse in potentia ad similes formas, quæ in efficientibus sui generis, aut certè sui prædicamenti insunt. vt calidum in potentia est ad similem calorem, qui in altero subiecto est actu. sic etiam dico de lumine cæterísque similibus formis.

Aristoteles.

Confirmatur secundò, quia si Aristoteles intelligeret, intellectum agentem esse substantialiter suam actionem, & intellectionem, falsa eius esset eo loco ratiocinatio. Probat namque, ex eo quòd in omni natura est patibilis & efficiens causa, has quoque in genere animæ oportere esse intellectus differentias; nempe intellectum qui omnia fit, & intellectum qui omnia facit, vt patet ex cont. 18. Additque, quia *semper est honorabilius agens patiente*, oportere intellectum agentem esse impassibilem & talem, qui sit *substantia actio existens.* Hanc igitur consecutionem

A Aristotele indignam prorsus esse aio, si intelligeret ipsum intellectum esse substantialiter actionem. Etenim quis non iure eam argumentandi formam non luderet ac rideret: Agens intellectus est honorabilior patiente intellectu; ergo agens est substantialiter sua actio? Quasi non posset causa effectrix esse patibili nobilior, nisi eius actio cum substantia identificetur?

Rectè tamen & ex optimis principiis sequitur ea consecutio, si intelligatur, intellectum agentem ex eo quòd est patiẽte nobilior, ipsum debere esse substantia actionem, hoc est eius substantiæ conuenire, vt ex se sit actio. Ex eo enim effectrix causa est patiente nobilior, quòd patiens est in potentia ad formam; Agens verò B eam formam actu habet; vt docens qua docet discenti præstat; propterea quòd actu eam doctrinam, scientiámque possidet; quam imprimit in discente; secundum quam agens est actu, discens in potẽtia, vt docet Aristoteles lib. 8. Phys. cont. 32. Solùm ergo intellectus agens Aristoteli est substantia actio, quia ex se habet suã actionem & non aliunde.

Confirmatur tertiò, quia sicut Aristoteles dicit intellectum agentem esse sua ex substantia actionem, nempe intellectionem, ita dicit intellectum possibilem sua ex substantia esse potẽtia intellectionem. Sic enim habet lib. 3. de An. cõt. 4. 6. & 8. Ergo sicut ex eo quòd est potentia in- C tellectio sua ex substantia, non arguitur quòd sit ita potentia, vt sit postea substantialiter actio; ita ex eo quòd est sua ex substantia intellectio, non debet argui quòd sit ita intellectio, vt sit substantialiter intellectio. Ratio vtriusque est, quia per hoc quòd aliquid siue potẽtia siue actu substãtialiter sit tale, non significatur quòd actio non sit quid distinctum ab eius substantia; sed solùm denotatur eam formam cõuenire vel actu vel potentia illi substantiæ. Quemadmodum aër substantialiter est potentia luminosus, & sol est substantialiter actu luminosus; quia tam aëri debetur substãtialiter vt possit illuminari, quàm Soli substantialiter, vt actu lumen habeat, quo D possit illuminare. Illæ enim particulæ *sua ex substantia*, nihil aliud denotare possunt, nisi quòd sint per se & non per aliud talia, quæcunque sua ex substantia sunt talia. quia scilicet ipsis cõueniunt talia prædicata, secundum naturam ac secundum prædicata substantialia, in aliquo modo dicendi per se. Qua ratione corpus est substantialiter quantum; & omne animal sua ex substantia siue ex se est corruptibile; & Angeli sunt substantialiter intellectuales &c. Constat ergo aliquam Intelligentiam intelligere per intellectionem quæ sit accidens. Ex hac propositione ita probata

Colligitur primò, hanc propositionem *Intelle-* E *ctus agens sua substantia est intellectio*, nõ esse quidditatiuam seu essentialem in primo modo dicendi. Patet ex dictis; quia in hac propositione non prædicatur essentia, aut pars essentialis de subiecto. Nam actio seu intellectio non est pars essentialis intellectus; siue agentis, vt ostendimus; siue potentiæ, vt certum est. quia intelligere illi aduenit sicut forma materiæ. ergo non est essentialis in primo modo dicendi. In quo, vt patet ex Aristotele lib. 1. Poster. cont. comm. 32. prædicatũ est de ratione essentiali subiecti sui. Et quamuis mirum videri possit, formam prædicari de suo subiecto substantiua prædicatione

&

A & nomine; quia non potest dici, aër est actu lumen, aut est potentia lumen; cùm dici oporteat, Aër est vel potentia vel actu illuminatus; tamen certum est huiusmodi affirmationes fieri ab Aristotele lib. 3. de An. cit. de intellectu potentiæ. Etenim vt etiam antè indicauimus, cont. 6. de intellectu potentiæ, seu de anima intellectiua ait: *Et bene vtique qui dicunt animam esse locum formarum, nisi quòd non tota; sed intellectiua; neque actu sed potentia formæ.* Intellectus ergo possibilis dicitur potētia formæ, ad quas nimirum est in potentia. Eadem ratione cont. 8. dixit intellectum fieri singula: *Cùm autem singula factus est, vt sciens dicitur,* hoc est dum suscipit intelligibilia, fit singula ex illis; & eodem modo cont. 14. intellectum docet esse potentia intelligibilia, actu nullum, antequam intelligat: *quoniam quodammodo potentia est intelligibilia intellectus, actu nullum, antequam intelligat.* Intellectus ergo Aristoteli est intelligibilia & formæ. Ita ergo intellectus agens est substantia intellectio, quemadmodum suprà diximus ex lib. 1. Phys. cont. 60. 62. & 64. materiam fieri hoc; nempe compositum suscipiendo formam. Qui loquendi modus apud Aristotelem ac Peripateticos planè vsitatus est non vno tantùm loco, vt diximus alibi fusiùs.

B Colligitur secundò, hunc prædicandi modum esse, vel totius de parte; vt cùm dicitur Materia fit ignis: Materia est lignum, &c. vel formæ de subiecto; vt cùm dicitur, Intellectus fit aut est intelligibile dum recipit, aut recepit formam intelligibilis. Et reducitur ad secundum dicendi modum per se. Quia scilicet subiectum est de prædicati definitione; vt patet ex illo cont. 32. & 33. Vt Homo est risibilis, licèt minùs propriè, eò quòd totum aut forma non propriissimè dicitur nomine substantiuo de suo subiecto. Tamen est vera prædicatio & bona; quia cùm dicitur Materia est lignum, sensus est; Materia est sub forma ligni. & Intellectus fit aut est lapis, quia habet formam lapidis. *non enim lapis est in anima sed forma;* vt ait Aristoteles lib. 3. de An. cont. 38. & hanc habet veluti licentiam prædicatio ad significandam maximam compositionem ac ferè identitatem formæ cum suo subiecto, & subiecti cum suo toto. quandoquidē possunt subiecta dum suscipiunt formas alicuius totius, denominari nomine illius totius; quemadmodum etiam contrà vsitatum est apud Aristotelem partem nomine substantiuo prædicari de suo toto. Propterea enim lib. 10. Ethic. cap. 7. in fine, Id ait vnūquodque esse quod in eo præcipuū est, vt ita doceat hominē esse intellectum ipsum seu animam intelligentem: *Id videtur esse vnusquisque quod præcipuum ac melius est.* Vbi Eustratius id ipsum confirmat cùm ait: *Sicut ciuitas propriè dicitur, quod in ipsa principatum obtinet ac dominatur; vt in populari Republica populus, & in regno rex, &c. Sic quoque homo propriè est qui in nobis est intellectus, estque propriè Aristoteles & Plato Aristotelis & Platonis intellectus.* Quæ est etiam doctrina Aristotelis lib. 9. Ethic. cap. 8. *Sicut* inquit *& ciuitas maximè id videtur esse, quod in ipsa præstātissimum est, & omnis alia congregatio: ita & homo.* Vbi A. Doctor lect. 9. lit. D. magis id confirmat, ex eo quòd id *quod faciunt rectores ciuitatis in ea dicitur tota ciuitas facere, & eadem ratio est de omni alia re ex pluribus constituta. Vnde & homo maximè est id quod est principale in eo, scilicet ratio vel intellectus.*

Eustratius.

A. Doctor.

Falsum est Aristoteli Intelligentias dependere à Deo tantùm in suo esse. §. 7.

Colligitur tertiò, non rectè Iandunum & Soncinatem in prima sentētia docere, Aristoteli solùm dependere à Deo Intelligentias in esse; non autem habere operationem distinctam à substantia propria. Etenim falluntur apertè in eo, quòd si operari est idem cum substantia, debent necessariò Intelligentiæ esse actus puri; hoc est nihil habere potentialitatis. Quia, vt suprà diximus, omnis potentialitas est ad recipiendam aliquam perfectionem. Nihil enim est potentia nisi ad actum & perfectionem suam. Vnde consequens est, vt per eam perfectionem res meliùs operari possit. Rectè namque A. Doctor p. 2. q. 55. a. 2. corp. *Vniuscuiusq; perfectio* inquit *consideratur in ordine ad suum finem; finis autem potentiæ est actus.* Si ergo non dependerent à Deo relatè ad operationes, secundum quas perfici non possent ipsæ Intelligentiæ. Ergo nulla in eis esset potentialitas, vt suprà deducebamus; ideóque essent actus purus: ac proinde nec dependerent à Deo quoad esse substantiale; cùm vt suprà ostendimus, omnis substantia à Deo dependens, ab eodem perfici absoluíque possit. Qui argumentandi modus (nempe si substantia ab aliquo C non dependet quoad operationes, neque ab eodem dependere potest quoad eius esse) adeò verum est, vt in eo potissima de animi nostri immortalitate Aristotelica ratio fundari debeat. Quocirca Aristoteles lib. 1. de An. cont. 13. docuit, Si animus in operando nō pendet à corpore, nec quoad esse eius pendet à corpore, opémve poscit ab eo, ac proinde ab illo separabilis est. Quasi pari passu hæc duo reciprocentur, pendere in operando, & pendere in essendo, & contrà.

Iandunus. Soncinas.

A. Doctor.

Quod si dicant, dependere à Deo Intelligentias in operando, quia dependēt in suo esse, cum quo ipsa operatio est idem; Contra hoc est duplex argumentum. Primum quidem, quia adhuc D quæ obiecimus suam firmitudinem retinent. Impossibile enim est eam substantiam, quæ capax amplioris absolutionis non est, dependere à Deo quoad operationes. Vt enim dixi; Omnis absolutio & perfectio quam substantia recipere potest, ad finem perfectiorem, atque adeò nobiliorem operationem præparatio seu dispositio esse debet. Ergo si operatio à substantia non differat, non poterit à Deo dependere quoad operationes; quia si idem quod substantia operationis sint, substantia perfectionis amplioris capax non est, ideóque erit actus purus, & cætera quæ E obiiciebamus. Alterum est, quia quod dependet in esse à prima causa, non est prima causa, ac proinde neque optima substantia. Hoc enim primæ causæ tantummodo tribuit Aristoteles lib. 12. Metaphys. cont. 51. vt suprà diximus. Ergo debet ab ea dependere etiam secundum operationem, quæ sit ab ea distincta; quia solius optimæ substantiæ est, non habere honorabilitatem ex eo quòd operatur: *Profectò* inquit Aristoteles lib. 12. Metaphys. cont. 51. de Deo, *non erit optima substantia, siquidem eo quòd intelligit ei honorabilitas inest;* nimirum eo quòd intelligit operatione distincta. Nam alioquin putat Aristoteles Deum esse

Aristoteles.

esse substantiam optimam, etiamsi intelligat intellectione, quæ est eius substãtia. Constat ergo quod dependet à prima causa, & non est optima substantia, pendere quoque in operando ab eadem prima causa. Quia ab ea causa, à qua dependet esse substantiæ, dependeat etiam esse operationis necesse est; vt magis probabitur infrà, & suprà significauimus.

Simplicius. Denique antequam ad argumẽta primæ sententiæ respõdeamus, Notandum est Simplicium non stare à prima sententia. Nam apud ipsum collectim intelligere & sine trãsitu, non est non habere operationem à substãtia distinctam, sed est intelligere non per discursum, & vnum post aliud. Quod etiam ipse tribuit animæ intelligẽti atque humanæ, cum non foràs se prodit, hoc est dum non colligit species per sensus, sed in se ipsa subsistit seipsam intelligendo, aut prima principia, præsertim postquam acquisiuit intellectũ in habitu; vt patet ex lib. 3. de An. in cõt. 1. & sæpè alibi; vt suo loco dicendum erit.

Satisfit argumentis, explicatúrque quo pacto Aristoteles dixerit Deum non esse potentiá ad intelligendum. §. 8.

Zimara. EX his respondetur ad argumẽta primæ sententiæ. Ad illud enim ex Zimara dico; Quid sentiãt Peripatetici, dictum est. De Auerroë non laboro, quia non magis nobiscum, quàm secum ipse decertat, vt diximus. Ad Aristotelẽ respondeo ipsum per intellectũ omnia fieri significare intellectum potentia ad formas, quas nondum habeat, quas vult fieri ab intellectu agente, & idcircò huius agentis intellectus dixit esse omnia facere, tanquam artificis atque illustrantis obiecta; hoc est producentis species intelligibiles in intellectu, quibus positis intellectus fit intelligibile vt diximus. Non cõcedimus autem Intelligẽtias Aristoteli noua simulachra acquirere, esséque potentia ad nouas intellectiones; quia vt suprà diximus, Aristoteles non posuit quicquam quod in æternis esset potentia; hoc est, quod nouè posset aliquid adipisci; hoc enim est esse potentia apud ipsum, vt suprà diximus. Voluit ergo huiusmodi Intelligẽtias actu intelligere, & æterno tempore, quod aliquãdo intellexerunt. Quod quidem congruenter ad sua de Mundi æternitate principia docuit, non tamen verè, vt infrà probabitur. Quomodo autem Aristoteli Intelligẽtiæ à Deo habuerint huiusmodi rerum species, quot, & quorum, ipse non explicat; nec significauit vspiam quod sciam, præter ea, quæ à nobis dicta iam sunt.

Aristoteles. Ad primum autem argumentum Respõderi potest, id fixum esse Aristoteli, vt æterna non moueantur nisi secundum locum, quem solum ait posse esse perpetuum, æternúmque, vt ipse probare contendit lib. 8. Physſ. à cont. 75. Hinc tamen non sequitur, Intelligentias non habere intellectiones accidentales. Nam Intelligentiæ has habere in sententia Aristotelis potuerũt ab æterno, sine vlla mutatione; quæ esset motus & transitus de vno termino ad alium, quemadmodum ipse arbitratus est earum substantias æternas fuisse. Aliter etiam responderi potest, etiam in æternis Aristotelem potuisse mutationes, ac mutationum vicissitudines ad qualitatem, vt expresè patet ex lib. 9. Metaphys. cont. 17. Sicut ergo Aristoteli ab æterno potuit esse ac de facto fuit, prior & prior in infinitum mutatio in ipso cœlo lunæ, cùm hæc eclipsim patitur; ita & in intellectu Angelico potuerunt eidem Aristoteli esse priores ac priores in infinitum mutationes quoad actus intelligendi. Quod verò dicitur de motu locali, dico ipsum solum Aristoteli esse perpetuum, atque quoad numquam interruptam continuitatem, quod negat in cæteris, vt patet ex lib. 8. Phys. cont. 75. In cæteris namque *statum oportet fieri* inquit ibidem.

A. Doctor. Alensis. Ad secundum respondeo Alexandrum Alensem & A. Doctorem existimare Aristotelem non attulisse eam rationem tanquam necessariam, sed tanquam probabilem; & idcircò posuisse illam particulam, *rationabile est laboriosam ei continuationem intelligendi esse.* Quasi Aristoteles viderit argumentationem huiusmodi non esse efficacem. Hoc autem si dicatur, non facit contra nos eius allata auctoritas; quia Aristoteles dum dubitat, an id sequatur, potius nobis fauet, quasi imbecillum putauerit argumentum.

Verùm quia existimo ea omnia quæ in eo contextu dicuntur, pro diuina simplicitate maximè facere, & ad declarationem diuinæ substantiæ. Et credendum est Aristotelem hac in re quæ grauissima est, non nisi firmis argumentis vti voluisse; etiamsi modestiæ causa hoc argumentum dixerit rationi consentaneum esse: Ideò aliter dicendum est.

Aristoteles. Omissis cæteris mea ista est sententia. Duplici enim argumento Aristoteles in eo cont. 51. remouet à Deo ipsum esse potentia ad intelligendum. Primò quidem, quia alioqui ei per intellectionem inesset honorabilitas, de qua iam dictum est. Secundò, quia *si non est intellectio, sed potentia, rationabile est laboriosam ei continuationem intelligendi esse.* Quæ quidem consecutio inde robur habet, quòd si actus intelligendi in Deo ab eius substantia distinctus esset, profectò sequitur non in se ipso omnia cognoscere, sed extra se; quia nimirum si essentia eius esset ratio cognoscendi, esset etiam ratio intelligendi, & ipsa intellectio cæterorum. Esset enim purissimus actus vt dicebamus. Si ergo hoc non est, cognosceret omnia extrà per superuenientes species; hoc est substantiæ diuinæ superadditas. ac proinde non erit vnus omnium rerum cognoscendarum actus.

Neque enim esse posset vnicus tantùm actus finitus, ratio omnium perfectissimo modo cognoscendorum, vt primam causam decet. Cùm enim esset quid productum, & haberet esse dependens à potentia vitali tanquam verus eius effectus, esset quid limitatum, ac proinde vnus non satis ad omnia repræsentanda omni modo quo esse possent. Ergo multi actus essent. Ergo infiniti: quia omnium omninò rerum intelligendarum actus non possunt esse finiti, eò quòd infinities infinita repræsentari oporteret. Si quidem omnia prorsus Tum quæ de facto sunt; Tum etiam quæ fieri quouis tempore atque adeò tota æternitate possunt. Deum enim omnia cogno

cognoscere Aristotelis opinione, ac perfectissimo modo euidenter infrà probandum erit suo loco. His autem omnibus infinitis intellectui diuino repræsentandis non satis essent actus quoad numerum finiti. Quocunque namque actuum finitorum posito numero, adhuc superessent infinities infinita repræsentanda. Nam etiamsi demus quemcunque ex illis finitis actibus, infinitorum esse imaginem; tamen quæcunque in perpetuum esse possunt iis non repræsentabuntur. Quoniam infinities infinita, nullis finitis imaginibus, tamquam finitis cancellis ac finibus claudi possunt; cùm hoc ipso infinities infinita quę sine vllis terminis esse debent intra illum imaginum numerum finitum, tanquam intra limites terminarentur. Sint enim centum verbi gratia imagines, & quælibet ipsarum repræsentet infinitam multitudinem, vna ex. gratia, Angelorum, altera hominum, tertia leonum, & sic de cæteris, cùm peruenies ad centesimam imaginem, ibi sistendum tibi erit, quasi non sint amplius quæ referri possint; ergo vltra illa non superessent possibilia. Quod tamen falsum apertè est. Quoniam in ipsis possibilibus semper est vltra accipere, quia in infinitum semper alia & alia plura absque vllo termino fieri à Deo possunt.

Iam igitur ad propositum dicimus; Cùm Deus cognoscere omnia debeat fore vt laboriosam idest negotiosam intelligendi continuationem haberet. Nam per infinitos actus intelligendi curam exerceret. Sic enim illa intelligendi continuatio plena esset curis ac negotiis. Quippe illis omnibus infinities infinitis cogitationibus fluctuaret, atque exagitaretur mens diuina. Hoc namque posito, sequi necesse est, Deum imperfecto modo intelligere, ac proinde infinitudine cogitationum premi curisque angi. Quemadmodum is cui multa considerandа sunt simul, dicitur variis curis ac negotiis occupari. Quod non est cùm vnicus; idemque substantialis actus est; vt ita optimè se habenti nulla sit opus actione.

Voluit ergo Aristoteles excludere à Deo non tam laborem aut molestiam, quia hæc non cadit in eos actus, qui connaturales ponuntur in immateriali substantia. (Qua in re malè senserunt ij qui laboriosam intellectionem; hoc est molestam & excruciantem interpretati sunt) quàm eam infinitam multitudinem, quę faceret Deum negotiosum curisq; plenum, cùm in tam multis considerãdis illo satis imperfecto modo occuparetur. Et ideò Aristoteles non dixit laboriosam intellectionem, sed laboriosam continuationem intelligendi. Quasi negotiatione innumerabiliũ curarum perpetuò distineretur. Quod omninò iudicari debet inconueniens, ex iis quæ nobis nota sunt. Videmus enim homines qui pluribus cogitationibus occupantur, negotiosam vitam exercere, etiamsi ex iis nullam molestiam reportarent, tamen eos dicimus valde occupatos: Quod Aristoteles Deo indignum rectè iudicauit. Vnde idem Aristoteles non simpliciter eam sequelã protulit; sed dixit *rationabile & laboriosum est*, &c. Quasi dixerit: rationi consentaneum est ex iis quæ videmus, Deo futuram negotiosam intelligendi continuationem, Deóque non dignam. Ergo est actio Dei non diuersa ab eius substantia.

Aristoteles.

Ex quibus consequitur, non licere inferre idem fore absurdum in Intelligentiis, si distinctum à sua substantia intelligendi actum promant. Hoc, inquam, non rectè infertur: nam cùm Intelligentiæ habeant suos connaturales actus & finitarum rerum, & fortasse vnicos Aristoteli, eo quod is putauit, nunquam fore vt ipsarum intellectio mutaretur; quippe Aristoteli æterna, non sequitur ipsarum continuationem in intelligendo fore negotiosam; quia pluribus actibus in varias curas ipsarum mens non distraheretur.

Ad Tertium Ianduni respondeo cum Auerroës dicit: *Æternum est actio pura*, fortasse id intelligi in sensu vt dicitur causali; vt sensus sit: Æternum est id ex quo sequitur actio pura. quemadmodum Aristoteles dixit lib. 1. de An. cont. 16. Ira est efferuescentia sanguinis circa cor; hoc est Ira est ex ebulliente sanguine circa cor. Quod si vellet ipsum æternum esse actionem puram; videat Arabs quid de cœlestibus orbibus censeat, quos subiectos quantitati, lumini, raritati, densitati, ac denique pluribus motibus facit.

Iandunus. Auerroes.

Aristoteles.

Ad Quartum Achillini respondeo, me non satis vnquam mirari Auerroistas, qui Auerrois incõstantiam animaduerti non putant, & illum sequuntur doctrinæ ducem, qui inconstans est in omnibus viis suis. Si enim omne compositũ est nouum, quæro cur Intelligẽtias ipsi Auerroi æternas in intelligendo componat tot substantiis tanquam formis intelligendi? Cur cœlum eidem æternum subiiciat quantitati, cæterisque accidentibus. Concilient ergo ipsi Auerroem sibi prius, quàm ipsum pro ipsis in alienum certamen euocent. Haud equidem ignoro hanc doctrinam quæ docet, omne compositum est nouum diligenter examinari à M. Antonio Zimara in proposit. 41. Sed ita tamen, vt difficile sit quid ipse tandem velit, internoscere.

Achillinus.

Ad Quintum respondeo, verum quidem esse Intelligentias intelligere seipsas per suam substantiam tanquam per speciem intellectilẽ; non tamen tanquã per actum intelligendi, quia non est ratio cur si cætera intelligant per actum distinctum, seipsas quoque non intelligãt per actũ qui ab ipsa substãtia sit diuersus. Sicut enim alij diuersi sint oportet, ex eo quòd substantia comparatè ad illos perfici potest, vt perfectiores & perfectiores eliciat operationes; ita etiam hic distinctus ex natura rei ab eadem substãtia esse debet, quia eadem substãtia respectu illius semper magis magisque compleri potest; cùm & sui cognitio magis magisque possit augeri, eo quòd plura in ipsa apprehendũtur. Vt enim habet A. Doctor suprà q. 12. a. 8. tantò perfectiùs aliqua causa cognoscitur, quantò plura in ea cognoscũtur. Quo pacto docet beatorũ, qui plura in Deo intuentur, perfectiores esse visiones, quàm qui pauciora. Cum ergo possit quilibet Angelus in se plura ac plura absolutè intueri etiã naturalia secundum potentiam obedientialem relatè ad effectus naturales, poterit etiam quilibet magis magisque compleri, vt seipsum clariùs perfectiúsque cognoscat. Addo etiam substantiam creatam non esse ipsam actionem substantialiter, sed actionis subiectum, eò quòd vitalis actio debet elici ac recipi in suo principio, vt inductione patet in reliquis creaturis; nec vlla est ratio cur aliter in ipsis Intelligentiis philosophandum sit. Quãobrem negatur hypothesis: quam

quam illi auctores sumunt sibi.

Præterquamquòd multa ibi dicunt quæ falsa sunt. Nam primò licet cognitio illa quam habet secunda Intelligentia de se, esset substantialis; posset tamen alia quæ esset accidens, & circa superiorem esse euidentior & clarior, & cum esset de nobiliore obiecto, esset perfectior quoad cognitionis essentiam quàm substantialis. Non enim perfectio cognitionis tam est in entitate, quam in euidentia; & circa perfectius obiectum, aut certe circa plura obiecta quæ perfectiùs repræsententur. Sic enim A. Doctor in 3. d. 14. q. 1. a. 3. quæstiuncula 2. in corp. secundum ista, distinxit tria cognitionum genera; & quantum ad duo ex his capitibus prætulit Christi cognitionem ipsis Angelorum intellectionibus. *Potest* inquit *aliqua cognitio esse altera potior tripliciter: Primo quantum ad efficaciam cognoscendi siue certitudinem cognitionis, siue limpiditatem*, &c. *Secundo potest esse aliqua cognitio potior alia, quantum ad multitudinem obiectorum, quæ attenditur secundum species, & secundum hoc etiam Christus perfectiorem habuit cognitionem quàm Angeli; quia plurium species sibi infusæ fuerunt, quàm Angelis concreatæ & infusæ*, &c. *Tertiò potest esse clarior cognitio, quantum ad genus cognitionis*; quia scilicet aliqua dependeat à phantasmate: aliqua non item. Quo cognitionis genere docet ibi Angelicam cognitionem, quæ libera à phantasmatis est, esse sine continuo & tempore, ideóque humanæ notitiæ præferendam. Deinde quia etiamsi esset perfectior cognitio illa sui in ipsa secunda Intelligentia; non tamen ibi esset felicitas, quæ non consistit in perfectissima operatione, sed in possessione summi boni, & perfectissimi entis; vt 1. 2. q. 3. à nobis ostensum est.

A. Doctor.

Ad sextum dico, nos improbare ac detestari portentosam illam Auerrois doctrinam, quod intellectus & intellectum nempe obiectum sunt idem substantialiter etiam quoad esse reale. de qua re super. Difficult. in Auerroëm disputatum est. Quamobrem non est quod nobis eius auctoritatem inculcent. cuius hac in re dicta falsa esse ac portentosa ostendere adnitimur.

Quoniam tamen verum est, ab Aristotele sæpè doceri scientiam & obiectum esse idem, idcircò vltra ea quæ super. Difficultat. ad argumenta Achillini diximus, quo scilicet sensu ab Aristotele vsurpetur illa propositio, *Intellect. & intelligibile idem sunt*, ad examen vocanda est alia similis propositio, nempe, *scientia & scibile idem est*, quid scilicet per eam significare voluerit Aristoteles; ne cuiquam in metem veniat, maximum Peripateticorum pro Arabis stare castris. Et primò quidem id docuit Aristoteles lib. 3. de An. cont. 15. vbi ait: *Scientia speculatiua & ipsum scibile idem est*. Vbi sine dubio intelligit idem esse, eo quòd est eadem forma vtriusque. quod dubium non est. Nam si sciētiam accipias quoad actum secundum, eadem cognitio est scientia, & ipsa etiam est scibile, quia de ea potest esse sciētia, vt superiore Difficultate declarauimus loco citato.

Aristoteles.

Aristoteles.

Deinde Aristoteles idem ferè docuit eodem libro cont. 19. illis verbis: *Idem autem est secundum actum scientia cum re ipsa*. Vbi clarum est ipsum intelligere de re non quoad esse reale, cùm scientia sit qualitas, res autem possit esse substantia; sed quoad esse intentionale. Qua ratione idvetum est. nam actus scientiæ est obiectum in esse

Aristoteles.

A repræsentato, vt superiori Diffic fusiùs ostensum est. & ideò dixit Aristoteles libro tertio de Anima cont. 38. *lapis non est in anima sed forma*. nimirum quæ sit illius simulachrum & species intellectilis.

His non dissimilis est propositio in cont. 27. cum docuit: *Idem autem est quæ secundum actum scientia ipsi rei*. Quibus verbis comparat intellectum in actu cum intellectu potentia, ponitque duas differentias. Prima est, quòd intellectus in actu est idem atque res quam intelligit, nempe in esse intentionali vt diximus, ac proinde intellectus potentia in vno eodemque tempore est prior; nimirum quàm res, quæ intellecta est; & ideò prior quàm intellectus in actu. Altera B est, quòd intellectus in actu est prior quàm intellectus potentia simpliciter. *Sunt enim* inquit *ex actu existente omnia quæ fiunt*. Hoc est, cùm intellectus potentia reducatur ad actum per aliquem intellectum in actu; verbi gratia cùm discipulus docente magistro discit, necesse est simpliciter intellectum in actu esse priorem intellectu potentia.

Demum idem videtur docuisse Aristoteles libro duodecimo Metaphysices, contextu quinquagesimoprimo, vbi dixit: *In quibusdam scientia est ipsa res*; nempe tum in scientiis speculatiuis tum in practicis, de quo loco satis dictum est superiore C Difficultate, cùm explicaremus, quo pacto eodem contextu Aristoteles intellexerit, Idem esse intellectum & intelligibile. Quæ quidem Aristoteles loca non eneruant vllo modo doctrinam nostram. Vnde negatur sequela argumenti; & ad sequelæ probationem, dico non debere esse idem quoad esse reale; sed quoad esse in anima atque intellectu; vt ex Aristotele iam dictum est.

Aristoteles.

Ad septimum respondeo, qua ratione verum sit, Intellectum agentem sua substantia esse actionem seu intellectionem, dixi in tertio argumento propositionis nostræ; & deinceps. Negandum enim est esse ita substantialem, vt idem D sit quod eius substantia.

Ad octauum dico: *Vita viuentibus est esse*. intelligendum esse de vita quæ sit vita in actu primo, non de vita quæ sit in actu secundo vt etiam docet A. Doctor articulo sequenti ad 1. Operatio enim vita est, vt patet ex Aristotele libro nono Metaphysices, contextu decimosexto, quæ tamen viuentibus non est esse, sed ipsum esse consequitur; sicut operatio, ipsum causæ esse præsupponit, vt certum est; quia actus est finis eius rei quæ potest agere: *Finis vero actus* inquit eodem libro Aristoteles context. 15. *& huius gratia potentia sumitur. Non enim vt visum habeant animalia vident, sed vt videant visum habent*. Similiter ergo E in ipsis Intelligentiis vita in actu primo est ipsarum substantia, non vita quæ actus secundus sit. Quod autem dixit Aristoteles, Intelligentiarum vitam esse immutabilem & impassibilem, id verum putauit ipse Aristoteles. Si quidem Intelligentiarum actiones ipse negauit variari; eásque perpetuo tempore constantissimas, nullique varietati obnoxias putauit. Semper tamen negandum est, inuariabilem Aristoteli esse actionem, propereaquòd sit substantia non accidens. Quemadmodum Theologi quoque inuariabilem immutabilémque affirmant esse beatorum felicitatem, quæ visio est beatifica; hinc tamen non confici putant,

Aristoteles.

tant, ipſam actionem eſſe eorum qui beati ſunt ſubſtantiam.

Ad nonum dictum eſt in primo argumento ad probandam noſtram propoſitionem.

Ad confirmationem reſpondeo, licet eadem actio Ariſtoteli perſeueret in Intelligentiis; Tamen ipſam diximus oportere eſſe diſtinctam; quia ipſæ Intelligentiæ non ſunt optima ſubſtantia. quæ optimi ratio, ſimpliciter in ſola prima cauſa inexiſtit, vt diximus in ſecundo argumento noſtræ propoſitionis.


Ad decimum nego omnia quæ dicit Ariſtoteles de primo ente, ea accipienda eſſe pro cæteris Intelligentiis. Neque hoc dictum à nobis eſt vniuerſe, ſed ſolùm in quibuſdam; vt eodem loco vbi hac de re diſputatum eſt obſeruauimus. Sanè illud non poteſt vniuerſè ſumi, quod ait cont. 36. Deum mouere vt vltimum rerum finem; & illud cont. 38. *Ab hoc principio tum cælum tum Natura dependet.*

Immò eſto cætera indiſcriminatim ab Ariſtotele de Intelligentiis omnibus dicantur: Tamen illud ex eo cont. 51. de ſumma Dei ſimplicitate & identitate operationis, nonniſi de Deo dictum eſſe conſtat: Tùm quia ibi ſolùm diſputat de mente ſimpliciter; vt conſtat ex initio eius contextus cum ait: *Ea verò quæ circa mentem ſunt*, &c. Tum quia eius dicit eſſe *optimam ſubſtantiam*, ac proinde negat eam ſubſtantiam eſſe potentiam operandi, ſeu potentiam ad operandum, aitque eſſe circa diuiniſſimũ obiectũ, quia ipſa ſubſtantia eſt honorabiliſſima, vt vidimus: quæ Intelligẽtiis non cõueniunt. Hæ namq; Ariſtoteli nec optima ſubſtantia ſimpliciter, quia ab optima dependent, nec honorabiliſſima entia; cùm conſtet primum entium eſſe honorabiliſſimum omnium, quod Deus eſt. Immò nec vllum verbum eſt, vndè colligatur ſermonem eſſe de cæteris Intelligentiis, cùm præſertim deinceps probet, hanc mentem eſſe Mundi rectorem, vnúmque Vniuerſitatis principem. Vnde concedimus ea omnia quæ de Deo dicuntur in argumento ibi; negamus tamen ea in Intelligentias opinione Ariſtotelis poſſe transferri. Nec plura de hac difficultate atque adeò de toto articulo primo.

ARTICVLVS SECVNDVS,

4. cõ. c. 11. co. 1 ſi & po. q. 10. a. 1. & 5.

Vtrùm intelligere Angeli ſit eius eſſe.



AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd Intelligere Angeli ſit eius eſſe. Viuere enim viuentibus eſt eſſe, vt dicitur in 2. de An. * Sed intelligere eſt quoddam viuere, vt in eodem † dicitur. Ergo intelligere Angeli eſt eius eſſe.

* t. 37. to. 2.

† li 2. de An. t. 13. to. 2.

2. *Præterea, ſicut ſe habet cauſa ad cauſam, ita effectus ad effectum. Sed forma per quam Angelus eſt, eſt eadem cum forma per quam intelligit ad minus ſeipſum. Ergo eius intelligere* A *eſt idem cum ſuo eſſe.*

Sed cõtrà. Intelligere Angeli eſt motus eius; vt patet per Dionyſ. * *4. cap. de diu. nomin. Sed eſſe non eſt motus. Ergo eſſe Angeli non eſt intelligere eius.*

* cap. 4. p. 1. à med.

Reſpondeo dicendum, quòd actio Angeli non eſt eius eſſe, neque actio alicuius creaturæ. Duplex enim eſt actionis genus, vt dicitur 9. Metaphyſ. * *Vna ſcilicet quæ tranſit in aliquid exterius inferens ei paſſionem, ſicut vrere & ſecare. Alia verò actio eſt, quæ non tranſit in rem exteriorem; ſed magis manet in ſeipſo agente; ſicut ſentire, intelligere & velle. Per huiuſmodi enim* B *actionem non immutatur aliquid extrinſecum, ſed totum in ipſo agente agitur. De prima ergo actione manifeſtum eſt quod non poteſt eſſe ipſum eſſe agentis. nam eſſe agentis ſignificatur intra ipſum: actio autem talis eſt effluxus in actum ab agente. Secunda autem actio de ſui ratione habet infinitatem vel ſimpliciter vel ſecundum quid. Simpliciter quidem ſicut intelligere, cuius obiectum eſt verum; & velle, cuius obiectum eſt bonum; quorum vtrumque conuertitur cum ente. & ita intelligere & velle quantum eſt de ſe habet ſe ad omnia; & vtrum-* C *que recipit ſpeciem ab obiecto. Secundum quid autem infinitum eſt ſentire, quod ſe habet ad omnia ſenſibilia, ſicut viſus ad omnia viſibilia. Eſſe autem cuiuſlibet creaturæ eſt determinatum ad vnum ſecundum genus & ſpeciem. Eſſe autem ſolius Dei eſt ſimpliciter infinitum in ſe omnia comprehendens; vt dicit Dionyſ.* * *4. c. de diu. nom. Vnde ſolum eſſe diuinum eſt ſuum intelligere & ſuum velle.*

* lib. 9. Metaphyſ. t. 16. to. 3.

* c. 4. pa. 1. parum ante med.

Ad primum ergo dicendum, quòd viuere quandoque ſumitur pro ipſo eſſe viuentis, quandoque verò pro operatione vitæ, id eſt per quam D *demonſtratur aliquid eſſe viuens. Et hoc modo Philoſophus dicit, quod intelligere eſt viuere quoddam. Ibi enim diſtinguit diuerſos gradus viuentium ſecundum diuerſa opera vitæ.*

Ad ſecundum dicendum; quòd ipſa eſſentia Angeli eſt ratio totius ſui eſſe, non autem eſt ratio totius ſui intelligere, quia non omnia intelligere poteſt per ſuam eſſentiam. Et ideò ſecundum propriam rationem in quantum eſt talis eſſentia comparatur ad ipſum eſſe Angeli. Sed ad eius intelligere comparatur ſecundum ratio- E *nem vniuerſalioris obiecti; ſcilicet veri, vel entis. Et ſic patet, quòd licet ſit eadem forma, non tamen ſecundum eandem rationem eſt principium eſſendi & intelligendi. & propter hoc non ſequitur, quod in Angelo ſit idem eſſe & intelligere.*

***

Expla

Explanatio & confirmatio eorum quæ in hoc art. continentur.

RESpondet A. Doctor intelligere Angeli non esse eius ESSE, sicut nec cuiuslibet creaturæ. Probat, quia nulla operatio Angeli aut creaturæ est eius ESSE. Sed intelligere Angeli est aliqua operatio. Ergo intelligere Angeli aut creaturæ non est eius ESSE. Minorem supponit ex lib. 9. Metaphysices cont. 16. vbi Aristoteles docet intelligere & sentire esse actiones, quæ in ipso agente promanent. Maior probatur; quia duplex est actionis genus ex Aristotele eodem loco; Vnum earum, quæ in externam materiam produnt, in quam etiam inferunt aliquem effectum, quem ipsa materia suscipit; vt cùm ignis vrit lignum, & sector secat marmor. Aliud earum quæ in externam materiam non transeunt; sed in ipso agente consistũt. Hæ namque in ipso agente peragũtur, nec quicquam externum immutant, vt sentire & intelligere. Cùm enim videmus, visio nihil in rem visam operatur, sed in ipso vidente est, ipsúmque denominat videns. Omnis ergo operatio duplici genere continetur. Sed neutrum genus operationis est ipsum ESSE creaturæ. Ergo nulla actio Angeli aut creaturæ est eius ESSE.

Hæc Minor postrema, in qua præsentis quæstionis cardo vertitur, probatur: Quia primum genus actionum est quidam effluxus & emanatio ab agente in ipsam externam materiam: qui quidem effluxus est productio alicuius effectus in ipsa materia; vt si flammescat, ignescátq; stupa, est flammæ ignísve productio. At ESSE creaturæ non est agentis effluxus, & promanatio huiusmodi. Cuius signũ est; quia significatur ESSE intra ipsam creaturam, quandoquidem ipsa per suum ESSE est, cùm ESSE in ipso quod est sit, & non significetur quasi se in aliud porrigat, & foràs transeat; vt significatur cùm dicitur; Ignis calefacit. Ergo huiusmodi genus actionum nõ est ESSE creaturarum.

De alio genere probat: quia actio secundi generis habet quandam infinitatẽ vel simpliciter vel secundum quid. At ESSE nullius creaturæ habet huiusmodi infinitatem siue simpliciter siue ex parte. quia omne ESSE creaturæ est limitatum ac determinatum ad vnum tantummodo genus ac speciem. Et ideo solius Dei ESSE est simpliciter infinitum, in quo omnia præhabentur tãquam in omnium causa, ex S. Dionys. cap. 4. de diu. nomin. Ex quo infert A. Doctor, solum ESSE Dei esse suum intelligere, & suum velle; hoc est esse suam operationem secundi generis. Quasi dicat, cùm ESSE Dei infinitum simpliciter sit, non est ratio cur non sit ipsum suum intelligere, quod infinitum quoque simpliciter est.

Hanc postremam Maiorem, nempe actionem secundi generis habere prædictam infinitatem, probat: Quia actio secũdi generis est intelligere & sentire. Et intelligere quidẽ habet infinitatẽ simpliciter sicut & velle; quia quantum est de se ad omnia se extendunt obiecta in tota amplitudine entis & boni; & consequenter non contrahitur ipse intelligendi aut volendi actus ad

A vnam vel alteram tantùm entis speciem; sed cùm possit esse huius vel illius obiecti in infinitum, à quo recipit speciem suam, poterit esse huius vel illius speciei in infinitum. Ergo intelligere & velle sunt infinita simpliciter, quia nullis limitibus clauduntur ad certam speciẽ actus. Sentire autem habet infinitatem ex parte seu secundum quid; quia cùm sit ad omne duntaxat sensile, non est ad omne obiectum simpliciter: atque ita ex hac parte non est simpliciter infinitum; quia terminis clauditur, nẽpe sensilium obiectorum. Quædam tamen illi est infinitas, propterea quòd nullo modo contrahitur ad hoc vel illud sensile obiectum, sed in omnia se extendit non ad tot quin ad plura; vt visus non

B respicit ad vnum tantùm aut alterum obiectum coloratum aut lucidum, sed ad finita in infinitum. Ergo actiones secundi generis habent infinitatem quandam, vel simpliciter vel secundum quid.

Simili partitione infiniti vsus est A. Doctor 3. p. q. 7. a. 11. cùm quæsiuit, An Christi gratia habitualis fuerit infinita. Respondet autem non fuisse infinitam in ratione entis, nimirum eò quòd fuerit infinitæ entitatis. Quod perinde est ac si dixisset, non fuit infinita simpliciter & secundum omnes gratiæ possibiles gradus: sed fuisse infinitam in ratione gratiæ; quia in Christo erat principium gratificandi finitis in infini- A. Doctor.

C tum absque vllo termino. Quod est idem ac si docuisset esse infinitam secundum quid. Quemadmodum etiam apto exemplo è solis luce desumpto idipsum explicauit magis, cùm dixit ibidem. *Sicut si dicamus* inquit *lucem Solis esse infinitam non quidem secundum suum esse: sed secundum rationem lucis; quia habet quicquid ad rationem lucis pertinere potest.* Pari itaque ratione in hoc art. ait, intellectionem esse circa infinita obiecta simpliciter; quia absolutè nullum excludi debet: sensum verò intra genus obiectorum sensibilium, quia est circa omnia quæ quouis modo sentiri queunt. Ad quorũ maiorem explicationem; seu ad quæ examinanda sit

D

QVÆSITVM VNICVM,

In quo quæritur de huius articuli ratione, qua vsus est A. Doctor ad probandum Intelligere Angeli ab eiusdem Esse distingui ex natura rei.

NVllum aut ex Patribus aut ex Philosophis video ad huius controuersiæ examen de-

E uenisse. Nec ferè ex eorum scriptis intelligi vt arbitror certò potest, quid ipsi in hac quæstione opinati sint. Idcircò nemini mirum videri debet, si sacrarum literarum, Patrum, Philosophorúmque; addo etiam Theologorum Scholasticorum sententiis & auctoritatibus prætermissis, in solius ratiocinationis, qua vsus est in hoc articulo A. Doctor consideratione subsistamus. Immò nec ipse A. Doctor, cui mos esse solet easdem materias non vno tantùm loco pertractare, hanc quæstionem alibi videtur vspiam attigisse; si pauca quædam verba, quibus tum lib. 4. cont. Gent. cap. 11. tum de Pot. q. 10. a. 1. ad 5. huius

huius articuli nudam conclusionem significauit, excipias. Vnde crediderim enatam huius veritatis constituendæ, occasionem A. Doctori non priùs esse, quàm hanc Theologicam summã exararet. Quamobrem cæteris prætermissis, de huius articuli veritate atque argumento in præsenti quæsito quærendum est. quod rectè præstabitur, si rationem eiusdem articuli, in qua momenta veritatis conclusionis esse debent, pendamus.

VNICA DIFFICVLTAS,

An & quomodo ratio huius art. efficax sit ad probandum, Angelicum Intelligendi actum idem non esse realiter atque eiusdem Angeli Esse substantiale.

Caietanus. POtissimum Difficultatem hic Caietanus rectè mouet circa eam rationis præsentis partem, in qua A. Doctor ostendit, ne actiones quidem immanentes posse idem esse quod ipsum ESSE creaturarum. quæ est huiusmodi. Intelligere de se habet quandam infinitatem; quia nimirum non est determinatum ad hoc vel illud obiectorum genus intelligendum, cùm se ad omne ens possit extendere. At ESSE creaturæ non habet hanc infinitatẽ, cùm sit determinatũ ad vnum tantummodo genus ac speciem. Itaque ex hac ratione suã dubitationem probabili prorsus ratione deriuat Caietanus. Hæc nãque ratio fundari debet in hoc vel simili principio; vt ipse §. *Circa fundamentum* ait. nempe *Quorumcumque sunt diuersæ essentiales differentiæ specificæ, illæ diuersæ sunt res.* Aut certè in hoc: *Ea quorum alterum est certæ speciei; alterum verò ad plures species determinari potest essentialiter: sunt diuersæ res.* Cuius vtriusque principij eundem esse sensum ait.

Discutiuntur ea quæ rectè obiicit Caietanus aduersus A. Doctoris rationem. §. I.

Caietanus. ADuersus ergo tale fundamentum rectè obiicit Caietanus; Quod si verum est huiusmodi principium, *oportet* inquit *concedere omnem distinctionem formalem, & specificam esse realem.* quia scilicet debent esse diuersæ res, quotiescunque sunt diuersæ species. *Quod nec à Thomistis* inquit *tenentibus relationem esse idem fundamento, acceptatur, nec videtur consonum doctrinæ S. Thomæ. Quoniam sicut bonum distinguitur formaliter ab ente: ita species boni, & differentiæ per se boni, à differentiis & speciebus entis distinguuntur formaliter, & tamen sunt idem realiter.*

Addit postea nullam apparere rationem, cur non possint multiplicari species in eadem re atque entitate. Nam albedo ex. gr. est vnius speciei: relatio autem, quæ vnà cum albedine simplex est entitas, ad multas indifferẽs est species. Diuiditur namque in relationem similitudinis, dissimilitudinis, &c. Confirmat: quia ei rei cui non repugnat pluralitas differentiarũ specificarum, nec repugnãt magis tres quàm quatuor ac A decem differentiæ. ergo non est firmum principium illud: Ea quorum alterum est determinatæ speciei, alterum verò ad plures species determinari potest, diuersæ sunt res.

Caietanus. Ad has Difficultates vt Caietanus respondeat, docet: verum quidem esse, ratiocinationem præsentis articuli fundari in principiis prædictis; præsertim in secundo. quod principium ait videri per se notum. Nam *alioquin* inquit *vnamet res esset essentia completa formaliter vltimo complemento formali, & non esset completa vltimo complemento formali. quod implicat contradictoria simul.* Quod ipse probare pergit. Hoc autem posito respondet obiectionibus quas adduxit; nempe illud axioma duabus vel tribus cõditionibus restringendum esse, vt verum esse possit. B *Prima* inquit *est, quod hic loquimur de differentiis realibus, id est addentibus aliquam rationem realem*, supra ipsum genus aut subiectum. Qua conditione ait excludi ea quæ de bono: & similia dicta sunt. Quoniam non addunt rem realem supra ens, sed relationem tantum rationis. *Secunda est,* inquit, *quod loquimur de identitate per se; quoniam per accidens excluditur ab arte,* nempe à scientiis. *Natura enim* inquit *abhorret per accidens quantum possibile est, & ad per se semper intendit.* Significat autem per hanc conditionem Caietanus, per se non posse vnam rem determinatæ speciei esse, determinabilémque per plures: cuius rei exempla non attulit. Tertiam conditionem ait esse apponendam ab C illis qui relationem à fundamento non distinguunt; nimirum vt *sermo præsens sit de absolutis.* Quæ omnia Caietanus addidit vt quarum possibile illi fuit, non tam declarasse rei veritatem, quàm doctrinæ supposuisse fulcimenta videretur.

Etenim hæc omnia subtiliter quidem Caietanus, non tamen æquè verè explicauit. Quoniam vt nihil nunc de bono, cæterisque entis passionibus, Vtrùm addant aliquid reale supra ens, an non addant, disputetur; contra eam responsionem est primò, quia argumentum quod sibi ipse obiecit ex ratione petitum, non omninò dissoluitur. Nam cur debeat illud axioma intelligi solùm de absolutis, cùm A. Doctorem ab-D solute loqui videamus? Vrgere namque vlteriùs posset aduersarius: Si axioma falsum est in relatiuis; ergo etiam in absolutis; quia ex relatiuis patet non repugnare vnam entitatem pluribus differẽtiis formalibus constitui; atque ita reddenda superesset ratio, cur in absolutis, non autem in relatiuis tres eadémque entitas pluribus differentiis non componatur. Deinde confirmabunt quoque aduersarij, vnam rem pluribus differentiis formalibus iisque absolutis posse conflari: Tum quia plurimi existimant, essentiam existentiámque in eadem entitate ex natu-E ra rei non differre. ergo saltem incerta esset propositio; nec efficaciter ex se conclusionem probaret: quia ab aduersariis facilè negaretur. Tum quia certum est Aristotelis sententiã lib. 3. Phys. à cont. 18. ad 21. actionem, passionem ac motum sola ratione ac definitione in eadem entitate distingui; quæ tamen absoluta sunt non relatiua, cùm diuersa prædicamenta constituant. Ergo falsa quoque doctrina eius principij priore loco positi est in absolutis.

Posterioris autem principij doctrina primùm eodem argumento ex relatione impugnari potest; quia illa entitas albedinis est determinabilis

lis ad plures species relationis: nec assignari potest diuersa ratio, cur falsa solùm sit in relatiuis. Deinde, quia Scotus & alij qui solam ponunt distinctionem formalem, licèt ex natura rei in eadem entitate, dicent vnam entitatem esse certæ speciei; alias tamen atque alias in ea formalitates specificas posse consurgere. Dicent enim potentias animæ ab anima formaliter distingui; atque ita animam esse vnius certæ speciei, determinabilem tamen per varias differentias; quibus in ea constitui variæ potentiæ possunt. ergo saltem A. Doctor non stabilisset eo fundamento doctrinam huius articuli. Si quidem eo principio non euinceret aduersarios; immò sumeret apertè quod ipsi omninò falsum putant. Quamobrem ad eas obiectiones aliter dicendum est: & ideo ad Difficultatem sit

Vnica propositio. Ratio ad probandam conclusionem huius articuli optima est & efficax. Probatur propositio, quia præmissæ veræ sunt; & ex præmissis rectè deducitur consecutio. ergo est optima & efficax. Posterior antecedétis pars patet ex iis quibus formauimus A. Doctoris argumentum: quibus nihil deest ad bonam syllogismi formam. Prior autem pars non aliter probanda est, nisi ostendédo veritatem singularum præmissarum, emergentésque dubitationes tanquam re vera inualidas declarando. Quod quidem in consequentibus Notandis facilè præstabimus eo pacto, quo mox dicemus.

Explicatur confirmatúrque A. Doctoris ratio. §. 2.

NOtandum ergo primò est, dubium posse excitari in argumenti Maiorem. Vt enim probetur, nullam creaturæ operationem esse eius Esse, debet in eius probatione vniuersè sumi omne operandi genus in ipsa creatura. Vt ita negando distributiuè omne operationis genus de ipso Esse creaturæ, propositum de distinguenda actione ab ipso creaturæ Esse concludatur; nempe *Ergo nulla operatio est ipsum* Esse *creaturæ*; Vt si ostendi oporteat, nullum ignem esse lapidem, debet sumi probatio, quod omnis ignis est ardens, nullus lapis est ardens, ergo nullus ignis est lapis. At non videtur ab A. Doctore sumi omne operationis genus. quia actio transiens, & actio immanens non est omne genus actionis. Nam præter has actiones concedendæ sunt aliæ quæ nec sint transeuntes, eo quòd non efficiunt opus in materiam ab agente extrinsecus prodiens; nec immanentes, quia non sunt in anima; quas ibi Aristoteles vult esse immanentes cùm doceat: *Visio in vidente, speculatio in speculante, & vita in anima.* Sunt autem illæ operationes quæ medio modo inter vtrumque genus se habent; Quia scilicet sint in ipso corpore ab animo prouenientes; vt actio saltandi; atque adeò motus omnis corporeus, &c.

A. Doctor.

Aristoteles.

Verùm huius argumenti nulla vis est. Dico enim in illo duplici genere comprehédi omnem prorsus creaturæ actionem, quia est diuisio per membra adæquata. Aut enim actio consistit in ipso principio eliciente; aut foràs prodit. Non enim datur medium; quia idem est ac si diceretur per contradictorias propositiones: Aut est

A in principio eliciente, aut non est. Si primum, est actio immanens: Si secundum, est actio transiens. Et quamuis sint illæ actiones, quæ non in animo, sed in corpore recipiuntur; Tamen si comparentur ad animum qui corpus mouet, sunt transeuntes, quà corpus est animo externum, cùm sint realiter distincta. Si autem comparentur ad potentias motrices; tunc dico, si eæ potentiæ sint in solo animo, cùm eodem modo corpus sit illis externum, actiones esse transeuntes, quia in suo principio non recipiuntur. Sin autem potentiæ sint in toto coniuncto siue formaliter vt quibusdam videtur, siue tantummodo secundum complementa, dico esse immanentes.

B Atque hinc est, vt Aristoteles vario modo eas acceperit, & nunc ad immanentes, nunc ad transeuntes actiones reuocauerit. Nam libro 1. Magn. Moral. cap. 33. ipsum canendi actum, ad actionem; & artem canendi, ad artem actiuam, reduxit. Quæ actiones & artes propriæ sunt eæ, quæ in animo sunt, nec in externum subiectum prodeunt. cuiusmodi sunt electiones, quæ prudentia, quæ Aristoteli propriè est actiua, diriguntur: vt manifestè colligitur ex libro 6. Eth. cap. 2. & libro 6. Metaphys. cont. 1. Vbi docet principium actionis esse electionem; idémque esse eligibile & agibile. idémque patet libro 6. Ethic. cap. 5. & 12. Interdum verò eas inter factiones numerauit; artémque quæ has operationes dirigit ad artem quæ in externum subiectum Aristoteli prodit, reuocauit. Nam libro 6. Ethic. cap. 4. circa ea quæ possunt aliter se habere constituit prudentiam & artem, actionem & factionem: prudentiámque ait tantùm dirigere actus virtutum, ac proinde censet sub factione & arte factiua comprehendi omnes reliquas artes, quæ prudentia non sunt, vt ita disserat Aristoteles de omnibus habitibus intellectus, quibus verum dicimus. Nam eodem lib. 6. cap. 3. statuerat se acturum de omnibus habitibus intellectus, quibus semper verum pronunciamus. Est ergo adæquata partitio.

C

D Notandum secundò, videri etiam hic posse controuersiam: Vtrùm A. Doctor velit ostendere intelligendi actum esse distinctum ab ipso Esse Angeli realiter seu ex natura rei, an formaliter, seu ratione formali & obiectiua, secundum varias definitiones & prædicata; vt distinguuntur Actio, passio & motus apud Aristotelé lib. 3. Phys. à cont. 18. Ratio dubitandi est: nam ex eo probat, non esse idem actionem intelligendi in Angelo & eius Esse, quod *actio est effluxus ab agente*; Esse verò *significatur intra ipsum agens.* Ergo videtur solùm requirere distinctioné diuersæ significationis & rationis obiectiuæ; non autem ex rei natura. Alioqui non fuisset, quod ad solam significationem recurrisset: & expeditiùs dixisset: Actio est effluxus; Esse non est effluxus, sed quid in ipsa re consistens; ergo actio non est Esse.

Aristoteles.

E

Verumtamen dicendum est A. Doctori propositum fuisse, ostendere distinctionem inter illa duo ex natura rei. Quoniam illam distinctionem exigit inter actionem atque Esse creaturæ, quam putat negari oportere inter Dei actionem (nempe actum intelligendi volendique) & inter ipsum Esse Dei; vt patet ex fine corporis articuli vbi concludit: *Solum* Esse *diuinum est suum intelligere & suum velle.* At negari putat oportere

A. Doctor.

oportere inter Esse actúmq; Dei distinctioné ex natura rei. Nam distinctionem ex nostro intelligendi modo concedendam esse certum est A. Doctori, qui eam apertè ponit inter Esse Dei & operationem intelligendi ac volédi. Priùs namque à nobis intelligi debet Esse Dei constitutum, quàm intelligatur eius operatio, quæ ab eius Esse veluti emanare consideratur. Vnde suprà q. 40. a. 4. in fine c. apertè docet debere priùs intelligi Patrem æternum constitutum in suo esse Patris per paternitatem; quàm intelligatur, filium gignere & notionaliter operari: propter eaquod in diuinis persona quæ agit etiam notionaliter, priùs intelligitur esse, quàm intelligatur operari. *Oportet* inquit *quod præintelligatur actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.* In Deo ergo concedenda est distinctio rationis inter diuinum Esse, & diuinam operationem; & solùm neganda est realis distinctio apud A. Doctorem. Ergo hanc distinctionem esse exigit inter operationem atque Esse creaturæ. Immò nec fuisset opus peculiarem articulum instituere ad huiusmodi difficultatem examinandam, quia non est difficile probatu Esse & operari ratione ac definitione distingui; nec recurrendum fuisset ad duo actionum genera; sed vniuersè ex diuersa definitione probádú fuisset. Tandé idé apertè patet ex responsione ad primú vbi apertè contendit, viuere apud Aristotelem quandoque sumi pro operatione quæ procedit realiter ab ipso actu viuédi; hoc est ab ipsa vita, quæ est viuere in actu primo: Quandoque verò sumi pro ipso Esse. Quę operatio à vita procedés in creaturis est re ipsa distincta à viuentiú Esse.

Nec valet quod contrà de significatione obiecimus. Illa enim particula *significatur* denotat *est*, vt sit sensus; Esse agentis est intra ipsum. Cuius signum est, quia significatur intra ipsum; vt significatio sit veluti probatio eius quod reipsa est. Et fit à signo tanquam nobis notiore; vt cum dicimus: Locus significat superficiem; pro eo quod est locus est superficies. Cuiusmodi probationes passim reperiuntur apud auctores.

Notandum tertiò hinc oriri difficultaté, quo pacto A. Doctoris ratione quod ipsi est propositum probetur. Nam ex eo quòd actio ab agéte effluat in aliud, Esse verò sit intra ipsum agens, non videtur probari esse distincta ex natura rei. Etenim etiam in Deo actio effluit in aliud, & Esse est intra ipsum; & tamen non distinguuntur Esse & operari. Certè distinctio ex natura rei inter duas res creatas aliunde efficaciter ostendi nequit, nisi ex eo quod altera separari possit ab altera: sin minus, frustrà talis distinctio in rerum naturam inueheretur.

Dicendum tamen est, eadem ratiocinatione optimè probari, eas duas prædictas res ex natura rei distingui. Patet, quia actio transiens de qua ibi sermo est, verè transit in aliud externum subiectum ab ipso efficiente distinctum; Esse verò agentis manet in ipso. ergo actio illa separatur subiecto ab ipso agente. Sicut cùm ignis calefacit lignum, calefactio est in ligno, atque ita separabilis est ab ipso Esse ignis, ac proinde ab igne realiter distinguitur. Illa enim separabilia sunt, quorum vnum potest esse in subiecto suo, absque eo quod alterum in eodem sit. Quamobré est optima argumentatio; idémque in Deo verissimè cótingit; cùm eius etiam actio transiens; v. gr. creatio quæ ab imperio diuino promanat, sit in alio, nempe in creatura. atque ita in Deo quoque huiusmodi arguméntatio valet: Actio effluit à Deo extra in externum subiectum; Esse Dei manet intra in ipso. ergo ex natura rei distinguuntur: atque adeò vel subiecto vel quasi subiecto separabiles hæ duæ res sunt. Dico quasi subiecto: quia Esse Dei verè non est in subiecto: sed nostro tantùm intelligédi modo in ipso Deo tanquã in subiecto illud Esse reponimus. Itaque verum esse aio, frustrà poni inter formas creatas distinctioné ex natura rei, nisi inter ipsas possit esse separatio. quam etiam in hac re admitti oportere concessum est.

Dixi tamen de creatione quæ manat ex imperio diuinæ voluntatis. Nam si sermo esset de creatione, quam Theologi vocare consueuerũt *actiuam*, quæque est idem quod diuinæ voluntatis actus, quo Deus rem creari iubet, certum est eam non distingui à Deo ex natura rei. Quia omnia quæ sunt in Deo ipse Deus sunt, vt alibi ex communi Patrum ac Scholasticorum loquendi modo ostensum est.

Ex quo fit, vt alio argumento sit vsus A. Doctor, vt actioné immanenté ostenderet diuersã esse ab ipso creaturarum Esse, quia scilicet in altero sit infinitas quædam: in altero autem sit ad vnam tantùm speciem determinatio, vt vidimus. Quod argumentum etiam probare distinctionem ex natura rei quam contendimus, nunc ostendam. Licèt enim singulæ actiones intelligendi habeant circa aliquod obiectum determinatã certámq; naturam ac specié, ac proinde in hoc ab ipso esse non differãt: Tamé quia aliter sumendú est, cùm ait A. Doctor intelligere *habere infinitatem simpliciter*: ideò lóngè hac in re diuersam esse rationem clarè constabit. Pro qua re

Notandum est quartò, cùm dicitur *Intelligere habere quandam infinitatem* id esse accipiendú non pro vno intelligendi tantùm actu, quia vt diximus, quilibet est in vna specie determinatus, ac proinde non habet infinitatem: sed generatim pro tota collectione actuum, qui à facultate intelligente alicuius indiuidui promanare possunt. Hæc enim non est determinata ad vnam speciem; & infinitatem habet amplissimã. Nam non tot possunt esse species actuum intelligendi, quin plures adhuc supersint possibiles intra illam collectionem. Cùm enim intra ambitum obiectorum intellectilium, ac proinde intra ambitum entis plura ac plura diuersarum specierũ semper proponi intellectui possint intellectilia obiecta; plures & plures semper poterunt esse actus intelligendi diuersarum specierum, qui diuersitatem essentialem habent pro essentiali obiectorum diuersitate, vt hic suppono cum A. Doctore ex probatis alibi: nempe infrà q. 79. a. 3. ex Aristotele lib. 2. de An. cont. 33.

Quocirca actus intelligendi hoc pacto sumpti; hoc est, actus qui ab vna intelligente facultate promanare possunt, non sunt in vna vel altera tantùm specie reponendi: sed possunt esse plurium ac plurium in infinitum specierum: & ita habere infinitatem simpliciter. Hoc est eam, cui nulli præfixi sint limites, extra quos vagari nequeant, cum ad omne ens intelligendum se possint extendere. Id autem est hos actus habere infinitatem simpliciter: proptereaquòd cùm ex parte rerum obiectarum nulla debeat restrictio fieri, sed in tota sua amplitudine sint res ipsę intellectiles per aliqué actu intellectus, sequitur

ex parte obiecti esse infinitatem simpliciter, ac proinde etiam ex parte actus. Non ita verò in cognitione sensuum: licèt enim sensilia sint infinita intra genus sensilium, quia non possunt assignari tot quin plura sentiri possint: tamen quia non sunt absolutè infinita obiecta, sed in tali genere; nempe in genere sensibilium, extra quod supersunt alia cognoscenda: idcircò sensus non dicitur habere infinitatem simpliciter, sed secundum quid & ex parte: quia simpliciter habent huiusmodi obiecta suos fines extra quos non vagatur sensus; nempe tale obiectorum genus; non autem vniuersim. Quod reperiri in intellectione iam diximus.

Quid particula simpliciter *denotet. & Deum esse suum intelligere, ex eo quòd eius esse est infinitum simpliciter.* §. 3.

NE autem in huiusmodi particula *simpliciter* sit deceptio, considerandum nobis est quo sensu accipiatur. Nam primò *simpliciter* omne illud potest dici, quod efferri potest siue additamento; hoc est absque eo quod apponatur restrictio, & limitatio vlla. Quoniam vt ait Aristoteles libro secundo Topicorum in fine; *Quod nullo addito videtur esse honestum vel turpe, vel aliquid talium simpliciter dicitur;* & hoc pacto idem est ac significat, quod absolutè. Quo etiam modo libr. 7. Metaphys. cont. 14. dixit ipsum quid est omnibus quidem inesse, sed non æquè primò. Sed quemadmodum ens primò dicitur de substantia; de cæteris verò prædicamentis secundariò; *ita & quod quid est simpliciter est* inquit *substantia, cæteris verò quodammodo.* ergo simpliciter ibi significat absolutè absque vlla restrictione; non sic autem in qualitate, &c. Vnde & subdit, non ens non dici simpliciter esse, sed cum additamento prædicati, hoc videlicet pacto: *Sed sicut de non ente quidam Logicè aiunt, esse ipsum non ens, non simpliciter sed non ens; ita & ipsum quale.* Vult igitur non esse dicendum, non ens esse, sed non ens esse non ens: Sicut etiam nec quale est simpliciter ens, sed ens tale cum additamento.

Quam doctrinam expressè quoque docet A. Doctor 3. p. q. 50. a. 5 c. Vbi etiam docet simpliciter idem fuisse Christi Domini corpus viuum ac mortuum: quia *hoc quod dico simpliciter*, inquit, *potest accipi dupliciter. vno modo secundùm quod simpliciter idem est quod absolutè; sicut simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur, vt philosophus dicit* &c. Hoc ergo modo docet corpus Christi mortuum ac viuum fuisse simpliciter idem numero, quia idem fuit suppositum, quia non habuit aliam hypostasim mortuum ac cùm vixit, & idcirco respiciendo ad suppositum ex quo vnitas in Christo atque in eius corpore desumebatur, absolutè vnũ idémq; numero fuit Christi corpus, siue illud viuum cõsideres, siue iam vita defunctum.

Secundò simpliciter etiam illud tale dicitur, quod omninò & adæquatè tale est; sicut diceretur homo simpliciter rationalis, non tamen ita diceretur albus; & in hoc sensu ait ibidem Angelicus Doctor non esse idem simpliciter corpus viuum & corpus mortuum; quia viuum includit aliquid quod non est in mortuo; nempe vita. Vnde obiter constat, nec esse vsquequaque idem *omnino & simpliciter.* In vtroque ergo sensu vera est propositio A. Doctoris cùm dixit: *Intelligere habere infinitatem simpliciter.* est enim ad omne ens & obiectum sine vlla restrictione, ac proinde est ad omne omninò ens & adæquatè. neutro autem modo est sensio, quia est ad obiectum determinatum, extra quod plurima alia sunt. Ergo sensio non est simpliciter infinita, quia nec sine restrictione ad omnia obiecta, nec omninò ad omnia obiecta absolutè & adæquatè.

Notandum quintò, rectè inferri ab A. Doctore, Deum esse suum intelligere ex eo, quòd ipsius esse est infinitum simpliciter. Huius rei duplex ratio est: Altera à posteriori; quia nimirum cessat ratio, quæ euincit in creaturis esse distincta illa duo; nempe ESSE & operationem. Nam quia ESSE creaturæ est vnius speciei, intelligere est infinitarum; rectè sequitur; ergo non sunt vnum re ipsa. Quādoquidem vt paulò post constabit, si essent vnum; etiam ipsum ESSE, esset infinitarum specierum, & simpliciter infinitum; & non vnius tantummodo aut speciei aut perfectionis. Ergo cùm ESSE Dei sit infinitarum specierum; saltem virtute atque eminentia; quia vt ait ex S. Dionysio A. Doctor omnia in se comprehendit; ex hac infinitate intelligendi non tollitur, quominus intellectio & ESSE Dei idem sint. Altera à priori: quia illud ESSE quod est infinitum simpliciter, includere debet in se omnem perfectionem; alioqui non esset infinitum simpliciter; quia vt suprà diximus ex Aristotele lib. 12. Metaphys. cont. 51. ea honorabilitas & perfectio esset accidentaria; atque ita non esset in se infinitum simpliciter ens, & infinitè perfectum; sed solùm esset ens infinitum tanquam subiectum & potentia; & vt aiunt infinitum radicaliter; quia scilicet esset ratio, vnde oriretur infinitæ aliæ perfectiones; quæ essent veluti formæ in illo subiecto; atque ita esset infinitum secundum quid. Si autem in se includere debeat omnem perfectionem id quod est infinitum ESSE simpliciter; ergo in se continet intellectiones & volitiones omnes, quæ sunt perfectiones, & quidem præcipuæ inter illas infinitas. Ergo non sunt accidentariæ; sed inclusæ penitus in ipso ESSE. Constat ergo rectè inferri ab A. Doctore, Deum cùm eius ESSE sit infinitum simpliciter, debere esse suum intelligere.

Veram hanc esse consecutionem: nempe, si ESSE *alicuius rei finitum sit vniusque speciei, non posse ipsum esse idem realiter cum actu intelligendi, & cur.* §. 4.

EX quibus vlteriùs, nempe in genere subiecti & potentiæ concludendum est, quod in fine Notandi tertij dicebamus; nimirum hanc propositionem & sequelam esse verissimam; si ESSE alicuius finitum sit, vniúsque speciei, non potest idē re esse, quod actus intelligendi. Ratio, est quia si ESSE est vnius speciei & determinatū; ergo

ergo cum illo non poteſt eſſe idem collectio omnium operationum, quæ eſt indeterminata & infinita ſimpliciter vt diximus. Etenim Esse illud cum quo idem eſt collectio infinitarum operationum, debet eſſe ens infinitarum ſpecierum, & perfectionum; quia omnes illæ infinitæ prorſus operationum ſpecies in illo Esse includerentur tanquam vnum idémque re cum illo.

Caietanus. Et quoniam in hac re Caietani, in modo philoſophandi laborauit induſtria; hoc ipſum argumentum vt quanti à Theologis faciendum ſit appareat, pluribus in præſentia confirmandum eſt. Sanè dicere quis poſſet, non ſequi ſi ipſum Esse vnius ſpeciei in creatura eſt, oportere ab actibus intelligendi diſtingui, ne infinitum in aliquo Esse determinato includatur. Nullum namque abſurdum videtur, in vna eadémque creaturæ entitate plures atque adeò infinitas cõtineri rationes formales. Dicerent ergo ipſum creaturę Esse, vnius quidem eſſe ſpeciei formaliter realiter & entitatiuè; tamen habere varias illas ſpecies incluſas; quemadmodum actio eſt vnius ſpeciei vt calefactio; quia tamen eſt idem re quod actio, paſſio & motus, idcircò habet varias ſpecies incluſas.

Cæterùm huiuſmodi reſponſio improbanda eſt. Etenim nõ efficit quo minus verum ſit, quod antè dicebamus; ſi nimirum ipſum Esse creaturæ idem realiter ſit quod intelligendi actus, oportere ipſum Esse, infinitas omni ex parte habere intelligendi rationes formales, ac proinde infinitam perfectionem actu: quod clarum eſt non poſſe creaturis vllo pacto conuenire. Ex quo conſequens fit, abſurdum & impoſſibile eſſe, infinitas illas omni ex parte in vna eadémque entitate contineri rationes formales; ſi eam reddant infinitæ perfectionis.

Quod verò ſequatur in vna entitate; nempe in vno Esse creaturæ omni ex parte infinitas contineri intelligendi rationes formales, non dubium ex dictis eſt. Nam debent contineri actu omnes quotquot eſſe poſſunt rationes intelligendi. Hæ autem debent eſſe omni ex parte infinitæ; Ergo debent omni ex parte infinitæ actu contineri intelligendi rationes formales. Maior probatur facilè; quia ſi idem ſit intellectio atque Esse; cum Esse ſit actu, & intellectio debet eſſe actu. Ergo debet eſſe actu intellectio & expreſſa imago omnium obiectorum quotquot intelligi ab intellectu poſſunt. Omnes enim vt ponimus ſunt idem quod ipſum Esse creaturæ; eique nulla superuenit. Alioquin ſi datur aliqua ſuperueniens, hoc ipſo actio intelligendi non eſt idem cum Esse, vt ſuperiore articulo argumentabamur, dum conficiebamus actionem intelligendi non poſſe eſſe Angeli ſubſtantiam. Ergo omnes, quotquot eſſe poſſunt, debent in eo Esse, actu exprimi obiectorum imagines ſeu repræſentationes. In hoc enim differt actus intelligendi circa aliquod obiectum à ſpecie quæ de eodem obiecto antecedit actum; quod ſpecies eſt quidem obiecti imago, ſed non expreſſa repræſentatio, cùm ſit in actu primo. At verò actus eſt expreſſa repræſentatio obiecti, cùm ſit in actu ſecundo; Ergo debent contineri actu omnes intelligendi rationes formales; nempe expreſſæ imagines quotquot eſſe poſſunt.

Minor patet, quia tot debent actu eſſe rationes intelligendi formales, quot intellectiones eſſe poſſent ſi ſucceſſiuè ſuperuenirent; nempe ad omnia obiecta, quæ ſub intelligentiam hominis aut Angeli cadere poſſunt. Intellectus namque non reſtringitur ad vnum obiectorum genus, cùm omne ens intelligi ab eo poſſit. Vnde tot actu ſunt, quot ſuperuenire poſſent, ſi tractu vniuerſi futuri temporis intellectui nouæ nouæque ſuccederent. Si quidem intelligendi actus eſt idem quod Esse, ac proinde omnes illæ rationes intelligendi in eo actu eſſe debent; vt ſuperiore artic. de Angeli ſubſtantia dicebamus. Ergo hæ debent eſſe omni ex parte infinitæ actu. Quodcunque enim in rebus eſt, aut eſt finitum actu, aut infinitum actu. Si namque eſt actu, ita vt extra illud ſemper ſit aliquid accipere, eſt infinitum actu; vt patet ex definitione infiniti actu tradita ab Ariſtotele libro 3. Phyſ. cont. 63. Sin autem eſt actu, ita vt non ſemper ſit extra accipere aliquid, finitum actu eſt. Ergo cùm ex illis rationibus quæ ſunt obiectorum repræſentationes atque imagines, ſemper ſit, aliquam extra accipere, quia non poſſunt tot accipi quin plures accipiendæ ſuperſint; infinitæ actu ſunt. Immò omni ex parte infinitæ actu, quia nullis finibus clauduntur, cùm omne ens in omni entis genere poſſit intelligi. Ergo omni ex parte ſunt infinitæ illæ rationes. Atque hæc fuerint ad oſtendendum; in ea entitate atque Esse Angelico fore infinitas rationes formales.

Iam quòd ſequatur etiam illam eandem entitatem fore infinitæ perfectionis, probari dupliciter poteſt. Primò quidem à poſteriori ex dictis ſuperiore articulo; quia entitas cum qua idem re ſunt omnes eius operationes atque actiones, non poteſt à Deo vllo pacto perfici; quia nec eius operationes poſſent perfectiores exiſtere, cùm idem re ſint quod eius Esse. Ergo cùm omnis rerum perfectio atque abſolutio ſit ad perfectiores operationes tanquam ad finem, non poſſet ipſa res perfici à Deo. Ergo eſſet infinitæ perfectionis ipſum rei Esse. Si quidem omnis ſubſtantia finita poteſt magis, magiſque ſuis formis abſolui. Quæ omnia confirmata à nobis fusè ſunt ſuperiore articulo. Quam ob cauſam Angelicus Doctor eodem ſuperiore articulo, qui huius quæſtionis primus eſt, vt etiam ibidem obſeruauimus rectè docuit: *Si intelligere Angeli eſſet ſua ſubſtantia, oporteret quod eſſet ſubſiſtens,* &c. ita vt non poſſet eſſe niſi vnum; quia ſcilicet illa nõ eſt creatura, quę à Deo ſuam perfectionem perfectiorémque exſpectare non poteſt. A. Doctor.

Vnde ſequi neceſſe eſt; eſſentiam cui tale eſſe debetur, oportere eſſe infinitæ perfectionis; quemadmodum eodem articulo primo deducebat A. Doctor; Si intelligere Angeli eſſet eius ſubſtantia, fore vt ipſa ſubſtantia non diſtingueretur à Deo; quia nimirum eſſet infinitæ perfectionis. Etenim eſſentia quæ actu infinitas perfectiones haberet eſſet infinita, & noſtro modo intelligendi radix illarum infinitarum perfectionum, quæ in operationibus cum eius eſſe identificantur. Non enim finita radix eſſe poteſt infinitarum perfectionum, ſicut patet in Deo. Ergo ſi eſſentia infinita, eius Esse, non poteſt eſſe vnius ſpeciei: nam Esse infinitæ eſſentiæ infinitum ſit oportet.

Neque hic dici poteſt, non eſſe infinitam eſſentiam, quia nec eſſent infinitæ intellectiones; ſed ſolùm vna ſimplex entitas, quæ tantidem valeret atque infinitæ intellectiones; quemadmodum potentia intelligens etiamſi æquipolleat infinitis actibus, quorum cauſa effectrix eſſe poteſt, non idcircò eſt infinita. Hoc inquam dici non poteſt: Nam eſto ſit ſimplex entitas; tamen ſequitur eſſe infinitæ perfectionis formaliter non ſolum efficiéter. In quo eſt ratio diſpar à potentia intelligente. Nam poteſt potentia non infinita eſſe cauſa variorum effectuum in infinitum; & ita eſſet infinita ſolùm extrinſecus; nempe ex finitis in infinitum effectibus. At illa entitas non ſolùm eſſet finitorum in infinitum effectorum, verùm etiam actu æquipararetur infinitis ſpeciebus actu; non autem finitis in infinitum, quia actu haberet omnium poſſibilium obiectorum intellectiones; nec illis vlla fieri poſſet acceſſio. Entitas autem illa quæ æquiparatur formaliter infinitis actu formis, neceſſe eſt ſit infinita; vt patet in actu intelligendi in Deo, qui ex eo quod par eſt infinitis intellectionibus, infinitæ perfectionis eſt.

Vnde diſcrimen in cauſa effectrice & formali eſt, quòd cauſa effectrix licet vel formaliter vel virtute contineat effectus non finitos, non acquirit infinitatem ex hoc quòd efficiéter contineat, quia ſatis eſt vt ſit talis vis vel æquè perfecta, vel perfectior quocũque ſuo effectu: quod poteſt eſſe cum finitate; vt inductione patet. At cauſa formalis ſi in ſe infinitis actu formis parem perfectionem habeat, debet eſſe infinitæ perfectionis. quandoquidem eas non virtute effectrice & extrinſecus reſpiceret, ſed formali perfectione, intrinſecúſque cõcluderet vniuerſas actu, licet non diſtincte, ſed quadam formali eminentia. Neque enim alia ratione in Deo dicimus actum intelligendi qua actus intelligendi præciſè à ſubſtantia infinitè perfectum eſſe. Nec decet philoſophum quicquam fictitiè, & pro arbitratu longè à rerum perſpectarum veritate profiteri. Cõſtat ergo optime probari illam propoſitioné ratione A. Doctoris; & omnia quæ aſſumuntur efficacia prorſus eſſe.

Deinde probatur ſequi illam eandem entitatem fore infinitæ perfectionis. Nam omnis illa ſubſtantialis entitas, quæ ſua natura eſt repræſentatio expreſſa omnium omninò obiectorum ſiue creatorum, ſiue eſſentiæ increatæ, eſt infinitæ perfectionis. Sed illud Esse Angeli ſi eſſet ſuum intelligere, eſſet entitas quæ ſua natura eſt repræſentatio expreſſa omnium omninò obiectorum, ſiue creatorum ſiue eſſentiæ increatæ. Ergo illud Esse Angeli eſſet entitas infinitæ perfectionis.

Minor probatur; quia illud Esse, vt modò dicebamus, eſſet ſua natura repræſentatio atque imago omnium earum rerum, quæ ab intellectu cognoſci poſſunt. Non enim intellectus, cuius obiectum eſt omne ens reſtringitur ad aliquod obiecti genus. ergo per ſuum illud Esse deberet poſſe naturaliter cognoſcere omne ens. ergo ſua natura eſſet repræſentatio expreſſa, atque imago omnium omnino obiectorum etiam eſſentiæ increatæ: Quæ etiam ab intellectu cognoſci clarè poteſt. Quod ſi dicant, hæc omnia cognoſci quidem poſſe, ſed non omnia per ipſum Esse. Iam contra hoc eſt quod ſuperiore articulo oſtendimus, nullum intelligendi actum eſſe Angelorum Esse, ſed ab eo debere diſtingui, cùm nulla ratio ſit ad vnius diſtinctionem potiùs probandam quam alterius. Si enim non eſt actus purus, ad omnem actum perfici ſemper poteſt. ergo omnis actus deberet eſſe diſtinctus, non vnus aut alter tantùm; vt etiam poſt confirmandum erit.

Maior probatur: quia illa entitas, quæ ſua natura eſſet imago expreſſa omnium omninò obiectorum etiam diuinæ increatæque eſſentię eſſet Dei compreheſio; hoc eſt cognitio qua Deus cognoſceretur quantum cognoſci poteſt; vt nũc ſuppono ex dictis ſuprà q. 12. a. 7. Tunc autem aliquod obiectum cognoſcitur quantũ cognoſcibile eſt, quando eius nihil latet videntem, vt docet S. Auguſtinus libro de videndo Deum, qui eſt epiſtola 112. cap. 9. & comprobat A. Doctor eodem art. 7. præſertim ad 2. Si ergo illa entitas & cognitio eſſet repræſentatio omniũ obiectorum etiam eſſentiæ increatæ; nempe omnium quæ quouis modo in ea ſunt, ſequitur eum qui talem habet cognitionem, nihil Dei diuinæque eſſentiæ latere. ergo eſſet Dei comprehenſio; vt etiam confirmat A. Doctor eadem q. 12. a. 8. Vbi probat, ſi intellectus creatus videret in Deo omnia quæ Deus facere poteſt, eius cognitionem fore comprehenſionem diuinæ virtutis. Illa ergo entitas eſſet Dei comprehenſio, perfectáque omninò viſio. ergo eſſet infinitæ perfectionis. certum namque eſſe debet, eam cognitionem qua videtur Deus quantum videri poteſt, eſſe infinitè perfectum, ac diuinæ cognitioni qua ſeipſum comprehendit ęquiparari; vt eodem art. 7. & 8. probat A. Doctor. ergo eſſet perfectionis infinitæ.

S. Auguſt. A. Doctor.

Sanè ſi ſpecies Dei impreſſa, quæ ſolùm in actu primo eſſet repræſentatio Dei quantum repręſentabilis eſt, ideò impoſſibilis eſt, quia eſſet omnium quæ in Deo quouis modo ſunt, repræſentatio; ac proinde infinitæ perfectionis, ſicut eſt ipſa diuina eſſentia; vt nos oſtendimus fusè q. 12. a. 1. & patet etiam ibidem ex A. Doctore in tertia ratione; vbi ex eo negat ſpeciem illam dari poſſe, quia omne creatum eſt circumſcriptum; eſſentia autem Dei, quæ per ſpeciem repræſentanda foret incircumſcripta eſt; quanto magis eſſet infinitæ perfectionis ſpecies expreſſa & actus cognoſcendi qui finis eſt, propter quem datur ſpecies; cùm conſtet ex Ariſtotele lib. 3. Topic. cap. 1. & 3. finem honorabiliorem eſſe iis quæ ad ipſum ſunt? Conſtat ergo fore illud Esse infinitæ perfectionis, ac proinde eſſe non poſſe intelligendi actum idem ex natura rei cum illo.

Quibus nam principiis nitatur ratio A. Doctoris, & quid intelligatur per actum intelligendi. §. 5.

EX hac propoſitione ita probata Colligitur primò, argumentationem A. Doctoris neutiquam fundari in iis propoſitionibus, quas ſuprà adduximus ex Caietano. Non enim idcircò negat A. Doctor, Angeli intelligere eſſe idem cum Esse Angeli, propterea quod Esse eſt determinatum ad vnam ſpeciem; intelligere verò eſt determinabile ad plures; aut quia ipſorum ſint

A. Doctor.

ſint diuerſæ eſſentiales differentiæ; vt ſupponit Caietanus: ſed propterea quod Esse creaturæ eſt determinatum ad vnum; nempe per vnam perfectionem ſeu differentiam: Intelligere verò *habet infinitatem ſimpliciter de ſui ratione.* Siquidem *eius obiectum eſt verum, quod conuertitur cum ente*, ita vt ſit infinitæ perfectionis, vt oſtendimus.

Vnde argumentatio A. Doctoris non debet formari ſic: Ea quorum alterum eſt determinatæ ſpeciei: alterum verò determinabile ad plures, ſunt diuerſæ res; Sed Esse Angeli eſt determinatæ ſpeciei, intelligere verò ad plures eſt determinabile: ergo ſunt diuerſæ res. Hæc enim ratio non congruit menti A. Doctoris, vt vidimus. Sed debet formari potiùs hoc pacto, videlicet: Illa duo quorum vnum eſt finitæ perfectionis, alterum verò infinitæ perfectionis, non poſſunt eſſe vnum idémque realiter. Sed Esse Angeli eſt finitæ perfectionis: intelligere verò infinitæ, ergo ſunt diuerſæ res. Quæ præmiſſæ confirmandæ ſunt ex ſupradictis. Et hanc rationem conſentaneam eſſe A. Doctori, patet ex iis quæ alibi in ſimilibus concluſionibus docet, vt ſuperiore art. cùm negat actum intelligendi eſſe Angeli ſubſtantiam, ex eo quòd eſſet vnum ſubſiſtens, nec à Deo diſtingueretur, & p. p. q. 12. a. 2. cùm negat dari ſpeciem impreſſam, quia eſſet incircumſcripta & alibi. Semper enim eò ſpectat, vt probet ſequi has formas continere infinitas perfectiones.

Colligitur ſecundò, cùm hic A. Doctor docet, intelligere Angeli differre ab ipſo Esse Angelico: non ſolùm id affirmare de vno aut altero intelligendi actu, ſed vniuersè de omnibus. Non enim eſt ratio, vt antè dicebamus, cur vnus diſtinguatur, alij verò non item, cùm Angeli Esse, & ſubſtantia poſſint perfici, vt perfectiores ſemper ac perfectiores actus quorumcumque obiectorum eliciantur. Quo poſito concluſionem ſuam probat ratio A. Doctoris: quia omnes intelligendi actus cum Angelico Esse identificari impoſſibile eſt. Ea namque quorũ vnum eſt certæ ſpeciei ac perfectionis; alterum verò infinitæ, non poſſunt identificari inter ſe, vt oſtenſum eſt. Quare idcircò A. Doctor non quæſiuit de vno aut altero intelligendi actu, ſed abſolutè *Vtrùm intelligere ſit eius* Esse. Quaſi velit ſignificare ſe de omnibus quæſtionem velle reſoluere.

Sed contrà obiiciat aliquis, quia quod non omnis actus intelligendi ſit diuerſus ab Angelico Esse, videtur poſſe probari; primò quia intellectio illa qua Angelus intelligit ſeipſum, non videtur eſſe diſtincta: quia etiamſi ea non ponatur diſtincta, non ſequitur ipſum Esse debere eſſe infinitum. Nam etiamſi illud ipſum Esse idem ſit cum intellectione finita, adhuc non ſequitur eſſe infinitæ perfectionis. Secundò, quia illa ipſa ſui notitia videtur ab Angelo inſeparabilis, cum Angelus ſemper intelligat ſeipſum: ergo non eſt ratio, vnde colligatur diſtinctio. Tertiò, quia intellectio aliquorum poſſet eſſe idem cum Esse; cæteras verò diſtingui.

Cæterùm dicendum eſt, ratione A. Doctoris oſtendi, omnem intelligendi actum differre ab ipſo Angeli Esse, ex eo quòd aliquos neceſſe eſt diſtingui. Quod vt dicebamus, ex eo patet, quòd non eſt ratio, cur potiùs vna actio cum Esse ſit eadem; cæteræ verò differant. Et quamuis peculiaris difficultas ſit de cognitione ſui ipſius ob rationes allatas (vnde etiã eſt diſpar ratio ſpecierum quibus repræſentantur cætera obiecta, & ſpeciei qua Angeli ſubſtantia ſibi ipſi repræſentatur. nam Angelus eget formis intelligibilibus ad cætera intelligenda obiecta; tamen ad ſe intelligendum non eget; quia eius ſubſtantia eſt loco ſpeciei, cùm ipſa ſibi ſit intimè applicata; quod cætera obiecta non habent. ergo poſſet etiam eſſe loco intellectionis.) Nihilo tamen minus in hac etiam re negandum eſt actum intelligendi ſeipſum, eſſe Angelo ipſum Esse: Primò, quia non eſt neceſſe ſemper ſe Angelum intelligat etiam A. Doctoris opinione, vt infra probabitur. Ergo eius Esse non eſt intellectio, quia alioqui ſe ſemper intelligeret, quia ſemper eſſet ſui intellectio applicata debito modo, nec magis poſſet applicari ob maximam identitatem.

Neque dicere poſſet aliquis, Angelũ ſe ſemper intelligere, ſaltem ex eo quòd cum eius ſubſtantia ſit ſpecies intellectilis, ſemper debet intellectui eſſe applicata, atque adeò elicere intellectionem. Hoc inquam dici non debet; Nam non eſt ſatis vt cognitio prodeat in actum, ſi ſpecies obiecti ſit iuncta menti. Vt enim infra oſtendam, non ſemper Angelus ea omnia quorum habet ſpecies, actu intelligit; ſed ſæpè ad eorum multa intelligenda eſt in potentia; vt expreſsè docet A. Doctor infra q. 58. a. 1. corp. Cuius rei cauſam ibi referemus.

Secundò, quia ideò cæteræ intellectiones ſunt diſtinctæ à ſubſtantia, quia Angelus nõ eſt actus purus; vt antè ſæpe docuimus. Inde enim eſt, vt poſſit magis ac magis perfici atque abſolui per ſuas operationes perfectiores & perfectiores, etiam quoad eas, quibus ſuam ſubſtantiã perfectiùs intueri poteſt; quia ſcil. poſſit ſe perfectiùs relatè ad varios effectus, & ad varias cogitationes ſe introſpicere; vt quòd poſſit ad plura cognoſcenda eleuari virtute Dei, quòd ad plurium creaturarum regimen poſſit præfici, quòd pluribus poſſibilibus poſſit ſe comparari, & nouos in ſe gradus entis inſpicere, &c. Quæ omnia perfectiorem ſui faciunt cognitionem eo quòd plura in ſe cognoſcit. ergo erit quoque in potentia ad perfectiorem & perfectiorem cognitionem ſui Esse. Quia ſi cognoſcere poteſt ſuam eſſentiam perfectiùs, non eſt ratio cur ſuum quoque Esse perfectiùs cognoſcere non poſſit; tum comparatè ad eſſentiam perfectiùs cognitam; tum ſecundum ſe quòd videat perfectiùs formam, cuius videt perfectiorem formalem effectum. Ergo Angeli cognitio, etiam qua ſuum Esse cognoſcit, non eſt idem quod eius Esse. Atque ex his patet ad obiectionem reſponſio. Dico enim omnium intellectionum eſſe eandem rationem vt ſeparari poſſint ab ipſo Esse.

Parum referre ad efficacitatem rationis A. Doctoris ſiue Esse *diſtinguatur ex natura rei, ſiue non diſtinguatur ab eſſentia cuius eſt* Esse; *explicatúrque S. Dionyſij conſilium cùm ait, in Angelis eſſe deſiderij motus, &c.* §. 6.

Notanda tamen duo ſunt hic, vt clariùs quæ hactenus dicta à nobis ſunt percipiantur.

Vnum est, hanc Quæstionem quam in articuli titulo proposuit A. Doctor, posse dupliciter dissolui. Primò quidem ita, vt supponamus, ipsum ESSE creaturæ non esse distinctum ab ipsa eiusdem creaturæ essentia. Quod multi arbitrantur, propterea quòd nullam videmus inter ipsum ESSE & essentiam separationem, atque adeò separabilitatem. Quod fusè docuit Gabriel Vasquez in 3. part. tom. 1. quæst. 17. a. 1. tota disputatione 72. & apud ipsum alij non pauci. Alio modo vt supponamus, ipsum ESSE creaturæ esse distinctum ex natura rei ab ipsa eiusdem creaturæ essentia. Et quantum quidem attinet ad præsentem difficultatem, parum refert vtro modo dicatur. Nam vtroque modo A. Doctoris sententia eadem facilitate comprobabitur; quia siue ESSE sit idem siue non cum essentia, Angelica intellectio debet distingui ab ipso ESSE, quia est operatio habens infinitatem, quam non habet ipsum ESSE.

Vasquez.

Verum est tamen, si ESSE non sit distinctum ab essentia & substantia Angeli, posse alia ratione ex dictis superiore art. ostendi, intellectionem non esse idem cum ipso ESSE. Nam cùm superiore art. ostenderit A. Doctor, intelligere non esse ipsam substantiam Angeli, sequitur neque esse ipsum ESSE Angeli; quia si intellectio est distincta realiter à substantia Angeli; ergo est etiam realiter distincta ab omni eo, quod est idem cum substantia realiter; cum sit vnum & idem substantia, & ea quæ ab ipsa non distinguuntur. Alioqui idem ab eadem re distingueretur & non distingueretur realiter: Quod repugnat. Vnde si quantitas verbi gratia distinguitur à substantia materiæ, distingui quoque oportet ab eadem quantitate, quod realiter in eiusdem materiæ substantiam coalescit. Quo etiam modo si habitus temperantiæ distinguitur à substantia animæ; ergo & ab ESSE illius, quod idem est quod anima. In vtra autem sententia sit A. Doctor, non est huius loci examinare.

Sanè ex hoc art. coniecturâ facilè assequimur ipsum existimasse, ESSE distingui reipsa ab essentia, cuius est ESSE. Nam primò si putasset idem esse re, satis fuissent quæ ostenderat superiore art. quandoquidem vt diximus nihil distinguitur realiter ab aliquo, quin illud ipsum distinctum realiter sit ab illis omnibus, quæ cum illo aliquo realiter sunt. Deinde id docet A. Doctor seq. a. 3. huius præsentis Quæstionis. ait enim: *In omni creato essentia differt à suo ESSE, & comparatur ad ipsum sicut potentia ad actum; vt ex supradictis patet.* nempe in hoc art. & art. 1. & q. 3. a. 4. & q. 4. a. 1. ad 3. & q. 5. a. 1. & q. 7. de Pot. a. 2. ad 9. & alibi sæpè. Quibus in locis comparat ipsum ESSE ad essentiam, vt actum ad suam potentiam. Ergo essentia est potentia receptrix sui ESSE, ac proinde cùm loquatur simpliciter, opinatur differre ex natura rei. & id apertiùs libro de ente & essentia cap. 5. & Caietanus ibi q. 11. Thomistæ omnes quos citat Gabriel Vasquez 3. p. loco citato cap. 1. Verùm hanc quæstionem examinare alterius loci videtur esse.

A. Doctor.

Caietanus.

Vasquez.

Alterum quod obseruari oportet, est quod docet A. Doctor in argumento *Sed contrà* ex S. Dionys. cap. 4. de diu. nom. Rectè enim probat intelligere Angeli distingui ex natura rei ab eius ESSE. Sic enim ille lõgè post mediũ capitis

A cùm ostendere nitatur, malum non esse substantiam, ne in dæmonibus quidem, subdit eos *non omninò esse expertes boni secundum quod sunt, & viuunt & intelligunt, & totaliter quidem in illis est desiderij motus.* Si ergo actus voluntatis est motus; ergo & actus intellectus. Vtriusque enim est par ratio. Ergo actus intellectus distinguitur ab ipso ESSE Angeli, quod motus non est, nec variatur. Immò expressis verbis non longè à medio idem docuit de actu intellectus. *Et moueri quidem* inquit *dicuntur diuinæ mentes circulariter quidem vnitè, sine principiis & interminabilibus illuminationibus pulchri & boni: In directum autem quando procedunt ad subiectorum prouidentiam rectè omnia*
B *transeuntes: obliquè autem, quando & prouidentes minus habentibus ingressibiliter manent in identitate, circa identitatis causam pulchrum & bonum indesinenter circum chorum agentes.*

Quibus verbis vt optimè & latè explicat ibi A. Doctor lect. 7. initio distinxit motum Angelicarum mentium, hoc est cogitationes in tria capita; nimirum in circularem, rectum, & obliquum ob similitudinem ad motum localem nulli non notissimum; Vt intellectio circularis sit, quæ circa Deum veluti omnium rerum centrum est, omnique ex parte æquabilis & principio finéque carens, quia est circa Deum
C qui omni termino caret. & ideò dixit *vnitè*; hoc est sine vlla varietate: Et *sine principio*, &c. Recta verò intellectio sit, quæ progreditur ad prouidendum inferioribus; quasi motu qui in diuersa non flectatur, sed promptè veluti per breuissimam viam ad prouidendum tendat. Obliqua denique quæ de vtroque habet aliquid: Quia scilicet dum Angeli prouident sibi subiectis veluti motu recto, non cessant ab illa æquabili, & circulari contemplatione; circa quam Dei visionem, dum aliena tractantur, quasi chorum ducunt; quia numquam eam deserunt, quicquid faciant.

Est ergo intellectio quidam animi seu An-
D gelicæ mentis motus tum circularis, tum rectus atque obliquus; quia scilicet est quædam actio, & veluti tendentia ad sua obiecta, quæ ex se cessare potest manente Angelico ESSE. Quod quidem adeò verum est; vt negari à Catholico non debeat vllo modo. Certum enim est Theologis. Quia vt obseruat noster Valentia hic disputatione 4. q. 5. p. 3. ESSE est naturale; multæ operationes sunt supernaturales. ergo non sunt idem. Præterea certum est etiam, Angelum habuisse bonos diuinæ fidei motus, qui non perstiterunt diutiùs in ipsis, cùm in vtrisque cessarint; in bonis quidem accessione clarissimæ visionis; in malis autem ob gehennarum suppli-
E cia. Constat enim in dæmonibus fidem non remansisse; vt docet A. Doctor 2. 2. q. 5. a. 2. ergo non sunt idem cum ESSE quod remansit huiuscemodi operationes.

Valentia.

Atque hæc satis multa de hoc art. nec vllæ videntur aliæ superesse difficultates. Ad Caietani dubitationes responsum est suprà tum ibi tum in primo Corollario. Concedimus enim in eadem entitate, posse plures identificari rationes formales; non tamen quicquam contra nos ex eius dictis obiici validè potest.


***

ARTI

ARTICVLVS TERTIVS,

Vtrùm potentia intellectiua Angeli sit eius essentia.

inf. q. 77. a. 1. ad 2. & q. 79. a. 1.



AD Tertium sic proceditur. *Videtur quòd virtus vel potentia intellectiua in Angelo, non sit aliud quàm sua essentia. Mens enim & intellectus nominant potentiam intellectiuam. Sed Dionysius * in pluribus locis suorũ librorũ nominat ipsos Angelos intellectus & mentes. Ergo Angelus est sua potentia intellectiua.*

* c. 7. & 9. de diu. nom. & c. 12. cœlest. hierar.

*2. Præterea si potentia intellectiua in Angelo est aliquid præter eius essentiam, oportet quod sit accidens. Hoc enim dicimus esse accidens alicuius, quod est præter eius essentiam. Sed forma simplex subiectum esse non potest, vt Boetius * dicit in libro de Trinit. Ergo Angelus non esset forma simplex; quod est contra præmissa. †*

* ante medium lib. de Trin. † q. 50. a. 1. & 2.

*3. Præterea Augustinus dicit 12. conf. * quòd Deus fecit Angelicam naturam propè se; materiam autem primam propè nihil. ex quo videtur quod Angelus sit simplicior, quàm materia prima; vt potè Deo propinquior. Sed materia prima est sua potentia. Ergo multò magis Angelus est sua potentia intellectiua.*

* libro 12. conf. c. 7. in fine tom. 1.

*Sed contrà est quod Dionysius * dicit 2. cap. Angelicæ Hierar. quòd Angeli diuiduntur in substantiam, virtutem, & operationem. Ergo aliud in eis est substantia, & aliud virtus, & aliud operatio.*

* circa medium illius.

*Respondeo dicendum, quòd nec in Angelo, nec in aliqua creatura, virtus vel potentia operatiua est idem quod sua essentia. Quod sic patet. Cùm enim potentia dicatur ad actum, oportet quòd secundum diuersitatem actuum sit diuersitas potentiarum. Propter quod dicitur quòd proprius actus respondet propriæ potentiæ. In omni autem creato essentia differt à suo esse; & comparatur ad ipsum sicut potentia ad actum; vt ex supradictis patet. * Actus autem ad quem comparatur potentia operatiua est operatio. In Angelo autem non est idem intelligere & esse; nec aliqua alia operatio, aut in ipso, aut in quocunque alio creato est idem quod eius esse. Vnde essentia Angeli non est eius potentia intellectiua; nec alicuius creati essentia est eius operatiua potentia.*

* a. 1. & 2. præced. & q. 3. a. 4.

Ad primum ergo dicendum, quòd Angelus dicitur intellectus & mens: quia tota eius cognitio est intellectualis. cognitio autem animæ partim est intellectualis, & partim sensitiua.

Ad secundum dicendum, quòd forma simplex, quæ est actus purus, nullius accidentis potest esse subiectum, quia subiectum comparatur ad accidens; vt potentia ad actum. Et

A *huiusmodi est solus Deus: & de tali forma loquitur ibi Boëtius. Forma autem simplex quæ non est suum esse; sed comparatur ad ipsum vt potentia ad actum, potest esse subiectum accidentis; & præcipuè eius quod consequitur speciem. Huiusmodi autem accidens pertinet ad formam. Accidens verò quod est indiuidui non consequens totam speciem, consequitur materiam quæ est indiuiduationis principium. Et talis forma simplex est Angelus.*

Ad tertium dicendum, quòd potentia materiæ est ad ipsum esse substantiale; & non potentia operatiua; B *sed ad esse accidentale. Vnde non est simile.*

Explanatio & confirmatio eorum quæ dicuntur in hoc art.

RESpondet potentiam intellectiuam essentiam Angeli non esse. Immò id esse verum ait, non solùm in Angelo; sed etiam in nulla creatura. Probat, quia illæ potentiæ, quarum actus proprij inter se distinguuntur, non sunt idem: Sed essentia & potentia intellectiua Angeli & cuiuslibet creaturæ sunt potentiæ, C quarum actus proprij inter se distinguuntur: Ergo essentia & potentia intellectiua Angeli, & cuiuslibet creaturæ non sunt idem. Maiorem probat, quia cùm potentiæ comparentur ad suos actus proprios, necesse est vt potentiæ pro diuersitate propriorum actuum diuersæ sint; & ideò proprius actus respondet propriæ potentiæ. Ergo quarum actus proprij diuersi sunt, diuersæ quoque potentiæ erunt. Minorem probat; & quod essentia sit potentia. Nam essentia comparatur ad suum ESSE, sicut potentia ad actum; Ergo essentia est potentia. Non probat autem intellectum esse potentiam intelligendi; sed supponit in titulo articuli. Sed probari potest ex doctrina arti- D culi; quia est ad intellectionem, ad quam sicut ad suum actuum comparatur. Ergo est potentia. Quòd denique harum potentiarum, nempe essentiæ & potentiæ intellectiuæ actus proprij inter se distinguantur, probat expressè. Nam intelligere & ESSE, qui sunt actus illarum, non sunt idem non solùm in Angelo; sed in quacunque creatura, quod superiore art. ostenderat. Ergo actus essentiæ & potentiæ intellectiuæ non sunt idem, ac proinde diuersi in omni creatura; & simili prorsus argumento vsus est Q. de spiritual. creatu. a. 11. in prima ratione.

E

Huic quæstioni affinis est illa, An potentiæ alicuius essentiæ sint ipsa essentia. §. I.

HAnc ipsam quæstionem; An scilicet potentiæ sint essentia ipsa, cuius sunt potentiæ. & speciatim: An potentiæ sint essentia animæ, tractauit infrà q. 77. a. 1. & q. 79. a. 1. & in 1. d. 3. q. 4. a. 2. & de spiritualibus creaturis a. 11. & 14. & q. de Anima a. 11. & 19. & quol. 10. a. 5. &

a.5.& alibi. Quibus in locis simili argumentatione vsus est. Nam in q.77.a.1. ostendit potentiam non esse essentiam animæ; quia potentia & actus ad idem genus referri debent. Sed actus qui est potentiæ animæ est in genere accidentis. ergo & potentia animæ debet esse in genere accidentis, non substantiæ; ac proinde diuersa sint oportet potentia & essentia animę. Vnde quia in solo Deo actus & operatio est ipsũ ESSE Dei, in solo Deo ipsa potentia est essentia, & non diuersa. Non dissimili argumento q. 79. art. 1. ostendere nititur intellectum animi nostri non esse ipsam animi essentiam. Etenim tunc solùm immediatum, proximúmque operationis principium est essentia rei quando eius operatio est eius ESSE ac substantia. In solo autem Deo operatio (nempe actus intelligendi de quo ibi disserebat) est eius ESSE ac substantia. Ergo in solo Deo potentia est eius ESSE & substantia. *In aliis autem* inquit *creaturis intellectualibus intellectus est quadam potentia intelligentis*; nempe diuersa ab ipso animo intelligente.

Magnopere refert scire ea quæ de voluntate alibi docet A. Doctor, nec prætereundæ sunt huius articuli difficultates.

§. 2.

MAgna harum rationum explicatio peti videtur posse ex iis quæ docet infrà q. 59. a. 2. vbi probat voluntatem distingui ab animo humano. sic namque id ostendere conatus est. Natura & essentia rei non est inclinatio ad operationes; *sed intra ipsa rem comprehenditur.* Vnde infert. *Quicquid ergo se extẽdit extra rem non est rei essentia.* Sed voluntas & quælibet alia rerum facultas est inclinatio ad operationes, quæ sunt extra essentiam rerum. ergo voluntas, & quæcunque huiusmodi facultas non essentia siue animæ siue alterius. Confirmat argumentum ex eo, quod videmus in corporibus propensionem, quæ est ad ipsum esse rei, *non esse* inquit *per aliquid superadditum essentiæ, sed per materiam quæ appetit* ESSE *antequam habeat; & per formam quæ tenet rem in* ESSE *postquam fuerit.* Contra verò *inclinatio ad aliquid extrinsecum est per aliquid essentiæ superadditum; sicut inclinatio ad locum est per grauitatem vel leuitatem. Inclinatio etiam ad faciendum sibi simile est per qualitates actiuas.* Ergo signum est inclinationes & potentias ad operationes esse non essentiam rerum; sed quid essentiis ipsis superadditum. Mitto nunc cæteras rationes aliis locis traditas, quas facile est reducere ad prædictas.

Potissimùm autem hanc quam proposuimus ex hoc articulo ad examen accersere placet, quia huius diuini operis doctrinam explicandam suscepimus, non cæterorum locorum, nisi quà ad hanc diuini operis partem referuntur. In hoc autem argumento fateor esse plurimas, nec dissimulandas difficultates, in sententia tum Theologorum tum philosophorum. Sit autem

A

QVÆSITVM PRIMVM,

Vtrùm Theologicè ostendi possit, potentiam Angeli intelligentem re distingui ab eius essentia.

COntrouersia hæc ab A. Doctore examinatur, quoad distinctionem ex natura rei non solo conceptu, aut vt dicitur ratione ratiocinata. Nam primò si solam rationis distinctionem cõstituere voluisset, non fuisset opus vno integro
B articulo cõtrouersiam hanc litémque dirimere. Quia si dicatur altera ab altera, differrẽt specifica ratione ac essentiali definitione. ergo eas non esse idem, sed ratione diuersas, facilis omninò probatio esset. Neque enim difficile esset antecedens ipsum ostendere; quia essentia est potentia ad actum, per quem seu ad quem potentia ipsa formaliter est. Intellectus autem seu potentia intelligens, est ad actum per quem formaliter est intelligens. Ergo diuersæ harum rerum sunt definitiones, eæque per prima rerum prædicata, ideóque diuersæ definitiones essentiales.
C Deinde quia vult A. Doctor constituere illud discrimem inter essentiam & potentiam, per quod differant essentia & potentia intellectiua cuiuscunque creaturæ, vt retuli. quod discrimen negat esse inter hæc duo in Deo, eò quòd hæc duo in ipso non differunt, quia scilicet solius Dei proprium sit non habere inter vtramque hanc rem discrimen vllum. Hæc enim duo ita cõtraponit A. Doctor, vt quod negatur de Deo, A. Doctor.
affirmetur de Angelo. Cùm enim ait *nec in Angelo nec in aliqua creatura, virtutem vel potentiam operatiuam esse idem quod sua essentia*, Quia nec in Angelo, nec in aliqua re creata est idem operari &
D ESSE. Ergo implicitè hæc quæ negantur de Angelo & creaturis quibuscunque, affirmat de Deo. Cùm ergo neget id discriminis esse inter potentiam & essentiam Dei, vt possint distingui (nempe ex natura rei. certum namque est ratione ac nostro intelligendi modo distingui) oportet affirmet discrimen inter hæc duo, vt ex natura rei in Angelo differant.

Vnde in hoc ipso articulo ad 2. planè concedit argumento, si intellectus sit ab essentia Angeli diuersus, ipsum intellectum esse accidens essentiæ Angelicæ, quæ ad ipsum compararetur tanquam subiectum ad formam accidentariam, seu accidens *quod speciem consequitur.* quod quidem negat esse absurdum in Angelo; quia solus
E Deus, qui est actus purus, non potest comparari vt potentia subiecta vlli actui. Ergo intelligit A. Doctor de potentia, respectu cuius Angeli substantia sit verè subiectum, & quam vt formam realiter distinctam verè sustineat. Nam formam, quæ nostro modo concipiendi intelligatur esse in Deo, diuina etiam substantia continet, déq; ea affirmatur tanquam eius attributũ. quo pacto A. Doctor suprà q. 14. ostendit in Deo esse scientiam; & q. 19. volũtatem in eodem esse; quòd sit propensio ad bonum cognitum. Vnde in ea q. 14. a. 4. vbi quęrit, Vtrùm intelligere Dei sit eius substantia, nihil aliud concludere nititur, nisi *per hoc quod Deus dicitur intelligens, nulla multiplicatio ponitur in eius substantia.*

Sicut

Sicut ergo ibi ſolùm negat formarum multiplicationem, quæ ſimpliciter non eſt ſi ſolùm diſtinguantur ratione; ita hîc cùm ponat diſtinctionem & diuerſitatem rerum; nempe facultatis intelligendi,& ſubſtantiæ in Angelo,non debet ponere ſolam diſtinctionem rationis, quæ ſimpliciter non facit rerum diuerſitatem. Eandem realem diſtinctionem intelligit A. Doctor de potentiis animæ, cùm eodem modo quærit; Vtrùm diſtinguantur ab eius eſſentia in quæſt. 77. a. 1. & quæſtion. 79. a. 1. & aliis locis modò citatis, quorum verba & argumenta retulimus. Quare poſito quòd ſermo ſit de diſtinctione reali; in quo ſenſu maior eſt difficultas, articuli doctrinam ad examen vocabimus. Sit autem

PRIMA DIFFICVLTAS,

An è Patrum ſententia facultas intelligendi in Angelo colligatur diſtincta eſſe ex natura rei ab eiuſdem Angeli eſſentia.

S. Auguſt. NOn videtur; Primò quia S. Auguſtinus libr. 9. de Trinit. cap. 4. *Mens inquit & ſpiritus non relatiuè dicuntur, ſed eſſentiam demonſtrant.* Ergo cùm intellectus idem ſit quod mens, intellectus demonſtrat eſſentiam; hoc eſt ſignificat ipſam eſſentiam. ergo debet eſſe eſſentia. Ergo ab ipſa non diſtinguitur ex natura rei.

S. Dionyſius. Secundò probatur id ipſum ex S. Dionyſio, qui pluribus in locis Angelos appellat mentes; vt cap. 7. de diu. nom. vbi ait, ex prima mente *ipſas intellectuales Angelicarum mentium virtutes ſimplices & bonos habere intellectus.* In eandem quoque ſententiam loquitur ibidem cap. 9. & de cœleſti Hierarch. cap. 12. ergo ex S. Dionyſio ipſi Angeli ſunt mentes & intellectus ſubſtantialiter. Alioqui non rectè dicerentur intellectus; ſicut non rectè homo appellaretur potentia viſiua, & ſimilia.

Tertiò, quia Angeli nihil aliud ſunt, quàm virtutes ipſę agendi; Vnde & dicuntur virtutes cœlorum; nempe commouendorum Matt. 24. *Virtutes cœlorum commouebuntur.* In quem locum Origenes, S. Chryſoſtomus, Beda, Theophylactus & alij, Angelos cœlorum virtutes appellari dicũt; Vt in eum locum obſeruat noſter Maldonatus in ea verba: *Et virtutes cœlorum.* Cùm ergo Angeli ſint virtutes, neceſſe quoque eſt ſint vis & facultas operatrix. Certum enim eſt virtutem nihil eſſe aliud niſi vim, facultatémque perfectam ad agendum; vt docet A. Doctor 1. 2. q. 55. a. 1. c. quod colligit a. 3. ex Ariſtotele lib. 1. de cœlo cõt. 116. Vbi tamen Ariſtoteles loquitur de potentia & facultate mouendi, quam dici vult *ſemper ad plurimum*; hoc eſt relatam ad maximum actũ, quem elicere poſſit. Dicitur enim vis ad ferendum centum talenta, etiamſi & pauciora poſſit. *Tanquam oporteat definiri* inquit ibi Ariſtoteles *potentiam ad finem exceſſum.* Quamuis ergo Ariſtoteles eo loco non loquatur de virtute ſed de potentia; tamen quia A. Doctor eas tanquam idem ſint ſupponit; idcircò ex Ariſtotele ſuam illam doctrinam confirmauit; Rectè tamen colligitur

(Margin: Matt. 24. Origenes. S. Chryſoſt. Beda. Theophyl. Maldonat. A. Doctor. Ariſtoteles.)

A idem Ariſtoteli eſſe virtutem ac potentiam perfectam ex definitione virtutis, quam tradit lib. 7. Phyſ. cont. 17. vbi eam dicit eſſe *diſpoſitionem eius quod præſtantiſſimum eſt ad optimum.* Cuius definitionis ſenſus eſt, eſſe id per quod qui eam habet, perfectiſſimè ſe habet ad eam operationem, cuius virtutem habet. Tunc enim aliquis eſt perfectiſſimo modo diſpoſitus per virtutē, cùm poteſt eius virtutis elicere actionem, ad quam eſt illa virtus tanquam ad finem; Vt enim ait A. Doctor 1. 2. eadem q. 55. a. 2. c. *Vniuſcuiuſque perfectio conſideratur in ordine ad ſuum finem; finis autem potẽtiæ eſt actus.* Quocirca qui eſt diſpoſitus ad operandum, nihil aliud exigit vt operari poſſit. Ergo in eo eſt perfecta diſpoſitio ad operationẽ, ſeu quod B idem eſt, eſt perfectè diſpoſitus ad finem ſuæ potentiæ, ac proinde ad optimum. nam *finis cuius gratia optimum aliorum eſt*; vt docet Ariſtoteles lib. 2. Phyſ. cont. 31. Idem ergo eſt virtus, & facultas operatrix; ac proinde ſi Angeli ſunt virtutes, ſunt etiam facultates operatrices. Ergo nulla facultas ab ipſorum eſſentia diſtinguitur, ac proinde neque intellectus.

(Margin: A. Doctor. Ariſtoteles.)

Quartò, quia ſi facultas intelligendi, ac cæteræ huiuſmodi potentiæ non differunt reipſa ab hominis animo; multò minus differre reipſa debent ab Angeli ſubſtantia. At ex ſententia Patrũ non differunt reipſa ab hominis animo. ergo C nec Angeli ſubſtantia.

Maior patet: quia ſimplicior eſt Angeli ſubſtantia, cùm ſit magis immaterialis, & magis accedat ad diuinam ſimplicitatem, quàm noſter animus. ergo & pauciora debet habere accidentia; quod ſignum eſt minoris compoſitionis. Vnde quia Angelus ſuperior eſt ſimplicior & magis immaterialis, quàm inferior, pauciora habet accidentia, & per pauciores imagines plura intelligit; vt docet A. Doctor q. ſeq. a. 3. & nos ibidem confirmabimus. Ergo ſi ab animo hominis intellectus ac cæterę facultates non differunt re ipſa, nec in Angelis differre debent; vt etiam in ſimili argumentatus eſt A. Doctor infrà q. 77. a. 1. in ar- D gumento *Sed contrà.*

Minor probatur Patrum auctoritate. Ac primò quidẽ S. Auguſtinus lib. 9. de Trin. cap. 4. ait, *hæc tria*, nempe mentem, amorem, & notitiam, *eſſe in anima non tãquam in ſubiecto; vt color aut figura in corpore, aut vlla alia qualitas aut quantitas.* At ſi diſtinguerẽtur ab animo, in ipſo eſſent tanquam in ſubiecto; vt eſt qualitas in corpore. Illæ enim vires; intellectus ſcilicet, & aliæ huiuſmodi facultates ſeu virtutes eſſent in ſubiecto quod diſponunt ad operandum. Quæ cauſa eſt, vt quoniam Ariſtoteli moralis virtus eſt diſtincta ab hominis animo, eam ponat in animo cuius eſt facultas lib. 2. ethic. c. 6. initio; dum ait virtutem E eſſe habitum, cuius natura eſt, & *ipſum id cuius eſt virtus benè affectum reddere, & opus eius benè efficere.* Itaque eam ponit in eo ſubiecto; quod ipſa formaliter facit benè affectum ad opus. Vnde paulò infrà de eodem docet, quia omnis virtus eſt habitus in eo cuius eſt, hominis quoque virtutem non diſſimili ratione eſſe in ipſo homine: *Quod ſi* inquit *in omnibus ita ſe habet res, virtus quoque hominis nihil aliud erit, quàm habitus, ex quo & bonus ipſe homo efficietur, & bonum opus ſuum reddet.* Non ſunt ergo diſtinctæ reipſa ab hominis animo prædictæ facultates.

(Margin: S. Auguſt.)

Immò eas non eſſe ab animo diſtinctas, apertiſſimè docuit idem ſanctus Auguſtinus libro de

(Margin: S. Auguſtin.)

de ſpiritu & Anima cap. 13. vbi expreſſis verbis ait, has potentias idem prorſus eſſe quod animus ipſe: *Anima* inquit *habet ſua naturalia, & ille omnia eſt. potentiæ namque & ſuæ vires idem ſunt cum ipſa. Habet accidentia, & illa non ſunt ſua vires, & ſuæ virtutes non ſunt. non eſt enim ſua prudentia, ſua temperantia, ſua iuſtitia, ſua fortitudo.* Ergo potentia intelligendi erit ipſa anima eo modo quo non ſunt idem cætera accidentia, quæ vſu atque exercitatione comparantur; cuiuſmodi eſt prudentia, &c. Dicit enim Auguſtinus animam eſſe ſua omnia naturalia, non tamen eſſe prudentiam, &c. Nec minùs clarè idem S. Auguſtinus lib. 10. de Trinit. cap. 12. eandem doctrinam tradidit cùm dixit: *Memoriam, intelligentiam, & voluntatem eſſe vnam vitam, vnam eſſentiam.* Ergo putauit eas eſſe ipſam animæ eſſentiam. Idem apertè S. Bernardus eadémque ratione docuit in libro Meditationum cap. 1. *Tria quadam* inquit *intueor in anima; memoriam, intelligentiam, & voluntatem, & hæc tria eſſe ipſam animam.* ergo Bernardo hæc non diſtinguuntur ab animo.

S. Auguſt.

S. Bernard.

Sanctorum Patrum ſententiâ intellectus ex natura rei diſtinguitur ab eſſentia Angeli. §. 1.

His tamen non obſtantibus contrà ſentiendum eſt ex Patrum ſententia, vt etiam videtur velle A. Doctor in hoc articulo, vbi putat S. Dionyſium pro hac ſententia ſtare, nec diſſentire cæteros Patres. Vnde ad Difficultatem reſpondetur & ſit

Vnica propoſitio. Patrum ſententiâ Intellectus in Angelo eſt ex natura rei diſtinctus ab eſſentia. Probatur primò à quibuſdam propoſitio ex S. Anſelmo lib. de caſu Diaboli cap. 8. vbi docet conuerſionem & voluntatem ad bonum vel ad malum, eſſe eſſentiam quandam, non tamen ſubſtantiam. Ergo cenſet eſſe accidens diſtinctum à ſubſtantia.

S. Anſelm.

Verùm hæc ratio nullius eſt firmitatis. Eſto enim Anſelmus loquatur de voluntate ſeu facultate volendi, quia diſtinguit voluntatem à conuerſione, quæ eſt actus; tamen non probatur intelligi ab Anſelmo diſtinctionem ex natura rei inter voluntatem & ſubſtantiam. Poſſet enim aduerſarius reſpondere Anſelmi auctoritati, ſatis eſſe diſtinctionem ex noſtra ratione. Solùm enim contendit voluntatem non eſſe ſubſtantiam; dicerétque id verum eſſe in ſenſu vt aiunt formali; vt cùm dicimus, voluntas in Deo non eſt intellectus; nempe in ſenſu formali.

Probatur ergo meliùs ac firmiùs noſtra propoſitio; Primò ex S. Dionyſio cap. 11. cœl. hierar. vbi ex inſtituto docet, in Angelis hæc tria diſtingui; ſubſtantiam, virtutem, & operationem: quam diſtinctionem non ſola ratione, ſed ex rei natura debere à nobis intelligi patet manifeſtè. Propoſuerat enim in eius capitis initio, *Cur omnes ſimul Angelicas naturas, virtutes ſoleamus appellare*; reſponderátque quæſtioni propoſitæ ita à nobis appellari, propterea quòd omnes virtutem habent aliquam. Vnde ſimilitudine id explicans magis ſubdit, ſicut ob eandem cauſam eoſdem Angelos vocamus *cœleſtes eſſen-*

S. Dionyſ.

A *tias*; quia in omnibus eſt eſſentia aliqua cœleſtis. Quilibet enim Sanctorum ſpirituum in tria res ẽte diuiditur, in eſſentiam, in virtutes, in operationem. *Sed quoniam* inquit *omnes diuinas mentes cœleſti ratione ſua diuiſa ſunt in eſſentiam, in virtutem, & actiones, cum omnes aut aliquas earum, aut ſine vlla obſeruatione cœleſtes eſſentias, aut cœleſtes virtutes vocamus, nos multis nominibus per circumlocutionem eas de quibus agimus, ex vniuſcuiuſque eſſentia aut vi appellare exiſtimandi ſumus.* Concludit ergo, ex virtute qua vnuſquiſque pollet Angelus, omnes appellari à nobis *virtutes* ſolere; ſicut & cœleſtes eſſentias.

Ex quibus aio intelligi oportere inter illa tria diſtinctionem ex natura rei. quod probo a-

B pertè ex verbis citatis: Nam primò ait, quemcumque cœleſtium ſpirituum eſſe diuiſum in illa tria. ergo diuiſione ex natura rei. Si namque non intellexiſſet diſtinctionem realem ſeu ex natura rei, non ſimpliciter dixiſſet eſſe diuiſos in illa tria, ſed diuidi à nobis cogitatione noſtra; ſicut non ſimpliciter dicitur diuiſus Deus eſſe in tria; nempe eſſentiam, virtutem, & operationem; quia ita non eſt in re ipſa, ſed dumtaxat à nobis cogitatione diſtinguitur. Quin potiùs cùm ſit ipſe ſimpliciſſimus, abſolutè ſolemus ab illo excludere omnem diuiſionem & diſtinctionem, per quam poſſint in Deo dici plura ſimpliciter. Nec Patres aliter vnquam loqui

C ſoliti ſunt. Quocirca S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theſauri cap. 8. abſolutè negat in Deo poſſe dici aliud & aliud. *Non eſt aliud* inquit *natura Dei, aliud ipſe Deus. Simplex enim atque incompoſitus eſt.* Et S. Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 5. circa finem ait non poſſe dici de Deo quod aliud ſit ſapientia, aliud eſſentia: *Non eſt aliud* inquit *ſapientia eius, aliud eſſentia; cui hoc eſt eſſe ſapientem eſſe.* In quem loquendi modum conueniunt S. Gregorius lib. 10. Moral. cap. 20. aliàs 21. aliique Patres.

Cyril. Alex.

S. Auguſt.

S. Gregor.

Hinc magnus ipſe S. Dionyſius cap. 7. de diu. nomin. ob ſimplicitatem diuinæ cognitionis apertè negat, in Deo aliam eſſe cognitionem qua

D ſeipſum intuetur, aliam qua cætera videt. Cùm enim dixiſſet *ſeipsã diuina ſapientia cognoſcẽs cognoſcit omnia*, &c. paucis poſt infert: *Non igitur Deus propriã habet ſui ipſius cognitionem, aliam autem communem exiſtentia omnia comprehendentem.* Intelligit ergo Dionyſius eſſe diuerſitatem ex natura rei. Itaque communi conſenſione Patres abſolutè negare apertè ſoliti ſunt pluralitatem, vbi eſt rerum ſimplicitas. eſto variis nominibus nec ſynonymis res ipſæ efferantur.

S. Dionyſ.

Addo etiam ita Dionyſium exponi ab eius interpretibus; nempe ſanctis Maximo & Dionyſio Carthuſiano in eum locum à nobis relatum. Ille quidem, dum ait ea dicta eſſe à Dionyſio, ac ſi

E illa tria partitus eſſet in ipſo igne & aliis ſimilibus corporibus: *Tanquam ex. gr. dicendũ* inquit *eſſentiam quidem appellaſſe ignis naturam; virtutem verò vim eius ad illuſtrandum, efficaciam virtutis effectum ſeu illuminare & comburere.* Sentit ergo Maximus ita illa tria diſtingui in Angelo, quemadmodum eadem in igne diſtinguimus. Certum autem eſt illa in igne diſtingui non ſola ratione, ſed etiam ex rei natura, quia ab ipſo ſeparari conſtat. Hic verò, nempe Carthuſianus apertiſſime tria illa inter ſe re ipſa diſtingui docet; ſic enim habet in illud caput art. 53. *Eſſentia, & virtus ſeu potentia & operatio in Angelis realiter diſtinguuntur.*

Maximus.

Carthuſian.

guuntur. Ideò à diuina simplicitate ac vnitate multum deficit & occumbit. Constat ergo de S. Dionysij Areopagitæ mente in eo loco.

Ex eo quòd intellectus ex natura rei differt ab hominis quod docent Sancti Augustinus, Anselmus, Basilius, Damascenus, infertur in Angelis quoque ab eorum substantia differre. §. 2.

S. August. SEcundò probatur propositio ex S. Augustino euidentissimè lib. 15. de Trin. Cùm enim cap. 5. & 6. statuisset, vnum esse in Deo hæc omnia; nempe *Iustum esse quod bonum, quod beatum*; *vnam eandemque naturam esse sapientiam, potentiam, æternitatem*, &c. in fine cap. 6. concludit. Etiamsi in nobis Trinitatem quandam agnoscimus, cùm *meminimus, aspicimus, volumus*, non tamen in Deo hęc tria facere Trinitatem. Reddit rationem eius rei initio cap. 7. quia *illa tria* nempe mens, notitia, & dilectio *ita sunt in homine, vt non ipsa sint homo*, &c. *Ac per hoc illa tria non homo sunt, sed aliquid hominis, vel in homine sunt*, &c. *Nunquid autem possumus dicere, Trinitatem sic esse in Deo, vt aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus*, &c. Constat ergo mentem, nempe intellectum in homine non esse idem quod animi essentia ex natura rei. Quia nec in homine faceret Trinitatem; quemadmodum nec in Deo ob summam illarum trium rerum, quarum meminit, ex natura rei identitatem.

Iam si in hominis animo illa tria concedit S. Augustinus distincta secundum rei naturam, eadem eodem modo affirmaret in Angelis. Idcircò namque in hominis animo illa tria putat esse distincta ex natura rei, & facere Trinitatem; quia hominis animus creatura est. Hoc namque supponere videtur, cùm etiam supponat simpliciter & absque vlla probatione illa tria in hominis animo non habere illam identitatem, quam habent in Deo. Quod quidem non faceret Augustinus si inter creaturas putasset aliquam esse, in qua illa tria identificarentur. Reddidisset enim peculiarem de hominis animo rationem. At Angelus etiam creatura est. ergo nec in Angelo illa tria idem esse concederet Augustinus. Neque obest quod Angelus diuinæ simplicitati, quàm hominis animus, propinquior sit. Neque enim ita Angelus ad Dei simplicitatem est proximus; vt in infinitum ab ea non distet; propterea quòd maior ac maior in infinitum simplicitas intercedere potest inter Angelum quemlibet ac Deum. Ergo eadem eodémque modo cõcederet Augustinus in Angelis. Præsertim cùm ex paritate rationis ex iis quæ in animo nostro sunt, philosophemur ad Angelos, detractis tantùm iis, quæ absurditatem in Angelis redolerẽt; quæ quidem non accidit ex illa, quæ inter eas facultates atque Angeli essentiam est, distinctione. Quin potiùs decet nos in Angelis talem asserere distinctionem, quam in cęteris videmus esse; ne illam creaturis simplicitatem, quæ Dei propria est tribuamus.

Quamuis ergo dubium non sit, quin maior vt dicebam, simplicitas Angelo danda sit, quàm hominis animo, tamen ex hoc non potest deduci eas ipsas potentias ab Angeli essentia nõ distingui ex natura rei. Nam ad maiorem hanc sim- A plicitatem satis est, si hominis animus quà hominis forma est, longè plures habeat potentias, quibus caret Angelus; etiamsi quà intelligens est & à corpore independens; nempe secundum intellectum & voluntatem, non sit magis compositus hominis animus, quàm Angelus. Nec Durandi argumentum in hanc paritatem facessit negotium; vt videbitur Difficult. seq.

Tertiò probatur propositio ex S. Anselmo, qui libro de Concordia præscientiæ & liberi arbitrij cap. vlt. longè post medium docet in anima esse rationem, quæ sit instrumentum ad ratiocinandum: *Est* inquit *ratio in anima qua sicut suo instrumento vtitur ad ratiocinandum, & voluntas qua vtitur ad volendum.* Vbi vides in hominis animo B intelligente esse rationem, nempe intellectum, quo anima tanquam vero instrumento vtitur ad promendos intelligendi actus. Ergo censet Anselmus, intellectum distinctum esse ex natura rei ab animo. Nihil enim est instrumentum suiipsius. Neque enim malleus est instrumentum mallei, &c. Requiritur namque ex natura rei distinctio inter aliqua duo; vt ex illis vnum dicatur simpliciter esse alterius instrumentum. præsertim si eo illud alterum vtatur ad actiones eliciendas. Vnde si calor esset idem reipsa atque ignis, simpliciter non diceretur ignis vti calore, quia seipso vteretur. S. Anselm.

C Quare nec simpliciter dici potest Deus vti suo intellectu vt instrumento ad intelligendum. quia quicquid in Deo est, est ipse Deus in sensu vt dicitur reali, cùm nulla inter Dei prædicata sit distinctio; bene tamen dici potest, cum additamento & secundum quid; nempe si addatur nostro modo intelligendi. Vnde Anselmus S. Anselm. ibidem de hoc instrumento ait, esse animi vim ex qua oriuntur ratiocinationes. *Sicut enim* inquit *habemus in corpore membra & quinque sensus, singula ad suos vsus apta, quibus quasi instrumentis vtimur; vt sunt manus aptæ ad rapiẽdum, pedes ad ambulandum, lingua ad loquendum, visus ad videndum; ita & anima habet in se quasdam vires, quibus vtitur velut instrumentis ad vsus congruos. est enim ratio in anima*, & cætera vt antè retulimus.

D Ex his autem sic formatur argumentum: Eo modo ait intellectum esse animi instrumentum quo modo manus, pes, &c. sunt instrumenta corporis; Sed hæc ita sunt instrumenta corporis vt realiter differant ab eo corpore, cuius sunt instrumenta; vnde & ab eo separari possunt. Ergo & intellectus erit instrumentum animi ab eo realiter distinctus. Censet ergo Anselmus intellectum esse quid realiter ab hominis animo distinctum. Ergo & in Angelis idem dicet, quia etiam Angelus habet intellectum, quo vtitur ad intelligendum; nec est ratio vt ille minus ab ipso distinguatur, quàm ab animo suus, vt E modò dicebamus.

Hanc de hominis mente doctrinam fortè desumpsit Anselmus ex S. Basilio in libro Constitutionum Monasticarum cap. 3. paulò post initium, vbi ait mentem, nempe intellectum esse animo insitam atque innatam, eiúsque naturalem vim. & *quemadmodum* inquit *per oculum corpus videt, sic animus cernit per mentem sibi agnatam.* Ergo putat intellectum esse facultatem ab animo distinctam, quia illum animo insitum docet, agnatúmque; esséque animi instrumentum, vt oculus est corporis. Neque obest quod Basilius statim subiungat, hanc mentem non esse in animo S. Basilius.

mo *vt vnum in altero, sed vnum prorsus & idem est animus & mens*. quasi velit significare intellectum esse animo identificatum. Hoc inquam non obest: etenim proxime post illa verba eadem mentem appellat vim animi naturalem: *Hæc autem* inquit *est naturalis vis quædam, neque aduentitia eius animi partis*, &c. Cùm ergo dicat esse vim animo agnatam atque insitam, non dubitandum est, quin velit animo ipsi eam hærere. Quare solùm negare prædictis verbis videtur, esse substantiam quandam tanquam animi formam quæ animo adueniret, cúmque eo copularetur. Forte enim etiam tempore Basilij non defuerunt aut hæretici, aut philosophi de animi nostri mente non recte sentientes. quorum deinde magisterio Auerroes sua monstra consinxerit. Hanc igitur sententiam videtur Basilius excludere velle, non nostram: & ideò negauit esse *aduentitiam eius animi partis, in qua posita ratio est*; hoc est vbi insidet vis intelligendi. Concessit autem esse naturalem vim, agnatámque vt vidimus.

Damascen. Denique idem eodémque modo probare ex Damasceno possumus. Nam libro secundo de fide cap. 12. post medium disertis verbis fatetur; mentem seu intellectum esse quidem animæ partem, hoc est facultatem qua animus intelligit, sicut oculo videt; non tamen ab animo seiunctam. quasi ipse quoque refutare velit eadem philosophorum portenta; vt de Basilio iam diximus. Sic autem de animo loquitur: *Non aliam* inquit *seiunctam à se mentem habens* (his reiicit Philosophos improba de mente sentientes) *mens quippe nihil aliud est quàm purissima eius pars. quod enim oculus est in corpore, hoc mens est in anima.* quam animam docet esse *arbitrij libertate, volendi atque agendi facultate præditam*. Concedit ergo esse facultatem atque instrumentum animi qui *hæc omnia secundum naturam, creatoris beneficio consecutus sit*; ac proinde quæ sint facultates à Creatore congenitæ ipsis animorum naturis. ergo ab eo distinctæ non identificatæ. Idem ferè habet Damascenus libro tertio ibidem capite sexto quem locum citat A. Doctor 3. p. quæstion. 6. a. 2. corp. ac si Damascenus per mentem significauerit intellectum: *Mens* inquit Damascenus *animæ & corporis principatum tenet; estque ipsa animæ purissima pars*, &c. Constat ergo intellectum à substantia Angeli distingui.

Cur Patres appellare Angelos soleant mentes ac virtutes.

§. 3.

EX hac propositione ita probata Colligitur, quid sentiendum sit de sanctis Dionysio, Augustino, & si qui sunt alij, cùm vt in opposita parte vidimus Angelos appellant mentes seu virtutes. Non enim id docent quasi mens & virtus ab Angelorum substantia non differat, quorum sententiā à nobis stare stabilitum suprà est: sed quia in eos transferunt nomina proprietatum. S. Dionysius. Vt enim retulimus ex sancto Dionysio, cùm Angelos appellamus *cœlestes essentias aut virtutes*, vtimur multis nominibus per circumlocutionem, vt eorum varias perfectiones denotemus. Nec nouum proprietatum nomina applicare substantiæ, cuius illæ sunt proprietates.

A Nam hoc pacto Aristoteles libro primo de An. context. sexagesimoquinto, humanum animum vocauit intellectum, & nonnunquam animam sentientem dicimus sensum; vt rectè notauit A. Doctor infrà q. 79. a. 1. ad 1. vbi etiam addit, non aliter à sancto Augustino libro nono de Trinit. capite quarto, vt obiecimus in parte opposita intelligi cùm ait: *mentem & spiritum non relatiuè dici, sed essentiam demonstrare*. A. Doctor. S. Augustin. Putat namque plerunque nomina proprietatum substantiæ transferri ad ipsam substantiam denotandam. Quód certè familiare est apud Scriptores tum profanos tum sacros; cùm constet vt ait Angelicus Doctor suprà quæstione decimatertia, a. 8. A. Doctor. B nos *sicut substantiam rei ex proprietatibus vel operationibus eius cognoscimus, ita rei substantiam quandoque denominare vel ab operatione vel à proprietate*. Quod adeò verum est, vt quia proprium est diuinitatis rerum Vniuersitati prouidere, ipsum Deum substantialiter significemus, nomine desumpto à prouidentia, vt ex sancto Dionysio & S. Damasceno rectè docuit A. Doctor eadem quæstione 13. art. 8. corp. & ad primum.

Ex his respondetur ad argumenta in opposita parte. Ad primum enim & secundum patet ex nostro Corollario. quamuis autem homo non dicatur potentia visiua, tamen animus dici intel- C lectus potest. Ratio diuersitatis esse potest, quia potētia visiua non est facultas in homine præcipua: At nomine præcipuarum facultatum rem solemus nuncupare. Vnde Aristoteles libro decimo Ethicor. cap. 7. Aristoteles. quia intellectum dicit esse quid diuinum, & in homine præstantissimum, non est veritus hominem appellare ibi intellectum. *Si quidem maximè id homo est.* & paulò antè, cùm excellentiam intellectus humani exaggerasset, præstantiam hominis inde colligit, quòd ipse homo intellectus sit. Nam *id esse vnusquisque videtur si quidem præcipuum ac melius est.*

Non ergo mirum est si Angelos appellet in- D tellectus, ob præstantissimam facultatem quæ in iis inest. Hoc etiam pacto, vt ait ex Aristotele libro octauo Metaphysices A. Doctor quæstione decima de Verit. art. 1. ad 6. A. Doctor. quia substantiales rerum differentiæ sunt nobis ignotę, loco earum accidentariis vtimur; *secundum quod ipsa* inquit *designant vel notificant essentiam, vt proprij effectus notificant causam*. Et sic ait posse animum appellari mentes; & vt ibidem docet ad 4. hoc etiam nomine Angeli sæpe nominantur, propterea quòd cùm eorum differentiæ substantiales nos lateant, *nihil prohibet interdum* inquit infrà q. 77. a. 1. ad 3. *accidentia loco substantialium differentiarum poni.*

Ex qua etiam doctrina respondetur ad ter- E tium. Concedo enim argumento virtutem significare vim aliquam ad operandum eximiam, si vim nominis spectemus, vt rectè probat argumentum; Tamen dico transferri posse ad ipsam substantiam denotandam, vt eam secundum aliquid in ipsa præstantissimum nominemus, vt ex sancto Dionysio diximus in eodem secundo Corollario; & benè obseruauit A. Doctor in ea q. 79. artic. 1. ad 1.

***

Expli

Explicatur locus difficilis sancti Augustini, cùm ait mentem, amorem, & notitiam non esse in animo tanquam in subiecto: Et satisfit quibusdam aliis argumentis. §. 4.

AD quartum concedo Maiorem eiúsque probationes; sed Minorem nego. Ad eius probationem respondeo; & primò ad primum locum S. Augustini dico locum esse in primis difficilem. Nam respondet A. Doctor infrà qu. 77.a.1.ad 1. Augustinum loqui de mente secundum quod se noscit, séque amat; tunc enim notitia & amor, secundum quod ad ipsam mentem referuntur, *vt cognitam & amatam, substantialiter vel essentialiter sunt in anima, quia ipsa substantia vel essentia animæ cognoscitur & amatur.* & similiter ait intelligendum esse Augustinum cùm alibi dicit: *Quod sunt vna vita, vna mens, vna essentia*; nempe libro decimo de Trinitate capite 12.

A. Doctor. S. Augustin.

Verumtamen huic expositioni videtur obstare illud, quòd esto mens se amet ac noscat, & ad ipsam vt cognitam & amatam referatur; hinc tamen non sequitur ipsam mentem substantialiter esse in anima, hoc est esse ipsam animæ substantiam, vt contendit ibi S. Augustinus, cùm docet non esse in anima tanquam in subiecto. Nam ipsa anima est quæ per mentem intelligitur & amatur. Quæro ergo vbi sit ea cognitio? an in anima, an extra? Non extra; quia Augustinus ait, *esse in anima tanquam in subiecto.* Non in anima; quia in ea essent tanquam in subiecto si sunt vires illius, vt contendit argumentum. Prætermitto aliam A. Doctoris in eodem loco solutionem, quæ vtrùm bona sit legentis iudicio relinquo. Suspicor enim locum illum visum A. Doctori difficilem fuisse, ac proinde varias solutiones attulisse, vt subindicaret, nullam sibi planè satisfacere.

A. Doctor. Paulò aliter conatus est eundem locum interpretari idem A. Doctor q. vnic. de spiritual. Creatu.a.11.ad 1. Ait enim certissimum debere esse, habitus & actus animæ non esse eiusdem animæ essentiam; quia *quicquid dicatur* inquit *de potentiis animæ, tamen nullus vnquam opinatur, nisi insanus, quod habitus & actus animæ sint ipsa eius essentia.* Vnde respondet Augustinum non dicere notitiam & amorem esse ipsam essentiam animæ, sed solùm significare inesse animæ substantialiter seu essentialiter, eò quòd loquitur de mente quatenus se nouit & amat. Subdit enim Augustinus, *Quomodo illa tria non sint eiusdem essentia non video, cum mens ipsa se amet, atque ipsa se nouerit.* (S. August.)

Verùm hæc solutio rectè quidem docet, Augustinum loqui de mente qua se nouit atque amat; Tamen illud doctrinæ Augustini repugnare videtur, quod dicat notitiam & amorem inesse animæ substantialiter: Tum quia actus sunt in suis potentiis, à quibus promanant: Tum quia si essent in essentia animæ, essent in ipsa tanquam in subiecto; Quod tamen apertè negat Augustinus. Vel certè declaranda Augustini mens, quomodo sint in anima substantialiter vel essentialiter.

Adhuc aliter interpretatur hunc locum

A quæstione decima de Veritate articulo primo ad primum de qua paulò pòst. Aliter etiam soluit Albertus in prim. distinctione tertia articulo quadragesimo, vbi dicit locum esse difficilem. Aliter Ægidius in 1. distinctione tertia p. 2. in Tertio principali quæstione prima articulo primo. Aliter alij, qui fatentur locum hunc difficilè explicari posse. Quare vix mihi animus est aliã adhibere interpretationem, ne aut meam inscitiam promam, aut meam expositionem virorum doctissimorum sententiis præferre videar. (Albertus.)

Tamen ne omninò in re difficili conticescam, vtque alios excitem ad meliora excogitanda, dicam planè quod sentio; præsertim cùm pro me aliquo modo habeam A. Doctorem De Veritate loco citato; vt pòst dicam. Primùm igitur aio, Augustinum non negare, amorem & notitiam esse distincta ab ipso animo. Patet euidenter ex initio eius capitis vbi expressè ait, ipsa esse duo: *Sicut duo quædam sunt* inquit *mens, & amor eius, cùm se amat; ita duo quædam sunt mens & notitia eius, cùm se nouit.* Ex quo concludit hæc esse tria. *Igitur ipsa mens & amor & notitia eius tria quædam sunt; & hæc tria vnum sunt.* Quare putat illa duo; nempe amorem & notitiam esse distincta ab ipso animo Nomine enim mentis intelligit ipsum animum. Hic enim propriè est qui se amat ac nouit; non autem vlla potentia, siue sit voluntas, siue intellectus, siue memoria. nulli enim ex his vterque debetur actus propriè, sed ipsi animo, cuius illæ sunt operationes per sua instrumenta. (B; S. August.; C)

Secundò dico S. Augustinum ibi docere, hæc eadem tria esse diuersa substantialiter illis verbis: *Simul etiam admonemur, si vtcunque hæc videre possumus in anima existere, & tanquam inuoluta euolui, vt sentiantur & dinumerentur substantialiter, vel vt ita dicam essentialiter.* Vnde ait paulò pòst notitiam & amorem non inesse menti; vt color & figura corporis in corpore: *Sed substantialiter etiam ista sunt*; nempe amor & notitia, *sicut ipsa mens.* ita vt eius rei rationem mox subiungat sic: *quia etsi relatiuè dicuntur ad inuicem, in sua tamen sunt singula quæque substantia.* (S. August.; D)

Ex his dico tertiò Augustinum deducere, cur amor & notitia quamuis relatiuè dicantur; tamen non insint menti tanquam subiecto; insit verò color & figura. *Non sicut color* inquit *& coloratum relatiuè ita dicũtur ad inuicem, vt color in subiecto colorato sit non habens in se ipso propriã substantiã, Quoniam coloratum corpus substantia est, ille autem in substantia, cùm homines non relatiuè dicantur; amici autem relatiuè.* Ex his inquam dico patere primò, cur illi actus non sint in anima tanquam in subiecto. Id enim est quia substantialiter dicuntur, quemadmodum esse amicum. Secundò cur dicantur substantialiter, sumpto à colore discrimine: Quia scilicet color qua color, *non est habens in seipso propriam substantiam*; quemadmodum esset eam habens si diceretur coloratum, & sicut cùm dicitur amicus. Color enim relatè ad subiectum dicitur; quia est id quo est coloratum. At verò prædicti actus, nempe notitia & amor, in se inuoluunt substantiam. Notitia enim & amor quibus mens se nouit & amat, substãtiam inuoluunt, nempe eam quæ est mens: *Amans & amor, sciens & scientia relatiuè ad se dicũtur sicut amici.* Si ergo amici inuoluunt substantiam: Amicus enim est homo amãs amore recipere, necesse (E)

est & amor & amans inuoluant substantiam, & substantialiter dicantur.

Immò hæc plus inuoluunt substantiam quàm amici: quia *fieri potest* inquit Augustinus, *vt amicus amicum odisse incipiat; & eo ipso amicus esse desinat, nesciente illo & adhuc amante.* Atq; ita sit homo amãs & non sit amicus, quia non est amor reciprocus. *Amor autem quo se mens amat si esse desinat, simul & illa desinit esse amans.* Idémq; dicit de notitia: concluditque; *Hac præcisione separari non posse.*

S. Augustin.

Vt autem hoc totum meliùs percipi possit, tria obseruanda sunt: Primum est, amorem quo mẽs se amat, separari posse ab ipsa mẽte, si amor esse desinat: Itémque notitia. Ergo non sunt idem substantia. Deinde amorem & notitiam esse substantialiter mentem, quæ se amat & nouit, quia eam inuoluit, dum intelligitur se amans & noscens. Vnde non sunt substantia, eo quod ipse amor & notitia præcisè ex se substantia sint, sed substantia sunt, quia rationem substantiæ in se inuoluunt atque significant, cùm dicitur amans, noscens, amicus, &c. non autem color & figura; secus coloratum figuratum, &c. Tertium est hæc non inesse animæ tanquam in subiecto, quia amans est substantia sicut amicus & noscens similiter. Est enim is qui amat sicut amicus, &c. Vnde disparem esse rationem aio inter colorem & amorem, quòd color est subiecti color qui in ipso hæret: Amor autem licèt sit amantis amor, in quo etiam est vt in subiecto; tamen qua amor sui est, non denotat purè subiectum, sed efficientem causam, & amantem se. qua ratione substantiam inuoluit, & substantia ab Augustino dicitur, vt dictum est.

Quamobrem quia vnum ex his tribus; nempe aut mentem, aut amorem, aut notitiam, ait non posse intelligi, nisi alia duo intelligantur, quia relatiuè dicuntur inter se, ideò vult esse vnius essentiæ & substantiæ; vt patet ex verbis in fine capitis quinti, vbi sic concludit: *Miro itaque modo ista tria inseparabilia sunt à semetipsis; & tamen eorum singulum quodque substantia est; & simul omnia vna substantia vel essentia cùm relatiuè dicantur ad inuicem.* Quorum sensus ergo est vnumquodque esse substantiam, quia substantiam secum inuoluunt, vnumquodque esse vnius essentiæ quia se mutuò includant. Quæ doctrina vtrùm & quomodo vera sit in præsenti non disputo. Solùm enim inquirimus; Vtrùm Augustini sententia in nos intorqueri possit.

S. August.

Ad argumentum ergo dico, Augustinum non negare esse distincta illa tria. Id enim euidens est, cùm dicat separari posse ab illa; sed negare illa esse in subiecto, quia subiectum inuoluunt tanquam partem huius concreti quod est amans; quemadmodum ob eandem rationem nec amicus est in subiecto. quod significatur illis verbis in medio eius capitis quarti. *Fortassis ergo mens totum est, & eius quasi partes amor quo se amat, & scientia qua se nouit; quibus duabus partibus illud totum constat.* Negat ergo esse in subiecto non quia sint idem; sed quia subiectum est pars conflati: qua ratione nec coloratum est in subiecto; quia inuoluit subiectum.

Nec obstat quod Augustinus dicat, amorem & notitiam illam esse substantiam: quia eo modo intelligit esse substantiam, quo modo dicit esse vnius essentiæ, vt vidimus. Dicit autem esse vnius essentiæ, quia ab illa essentia mentis sunt inseparabilia conceptu & definitione, vt dictum est. Ergo & erunt substantia, quia ab ipsa sunt inseparabilia; cùm amor quo se amat mens intimè mentem ipsam inuoluat; non sic color, vt diximus.

A

Hanc vt dixi explicationem mihi significasse videtur A. Doctor quæstione decima de Ver. a. 1. ad 1. in eius posteriore solutione. Dupliciter enim docuit posse hæc Augustini verba intelligi. In posteriore ergo solutione ait sic: *Vel potest dici quod mens accipitur ab Augustino secundum quod significat essentiam animæ simul cum tali potentia.* His ergo paucis verbis puto significari nostram explicationem. Etenim sicut mentem A. Doctor arbitratur accipi debere pro substantia & potentia simul; sic & amorem & notitiam, in quibus nos diximus ab Augustino inuolui ipsam substantiã. Constat ergo Augustini sensum non posse contra nos applicari.

A. Doctor.

S. August.

B

Hic tamen aduerte quod modò dicebamus, nos hic nullo pacto disputare, vt inquiramus an vera sint, quæ ex Augustino retulimus, sed solùm eò nostros conatus spectasse, vt stabiliremus an ea quæ ad Augustini mentem assequendam à nobis ex ipso sunt allata, rectè atque ad rem dicta hactenus sint.

Aliam adhuc vltra prædictas etiam solutionem tetigit A. Doctor quæstione vnica de An. a. 12. ad 5. nam cùm *notitia in actu sit* inquit *quodammodo cognitum, & amor in actu sit quodammodo ipsum amatum;* illi duo actus erunt vna substantia, & vnius essentiæ: quia est vnum obiectum quod amatur & cognoscitur, dum mens amat noscitque se ipsam. De qua solutione licet vera contineat, nihil tamen vltra ea quæ ad mentem Augustini declarandam obseruauimus, dicendum est: nisi quòd tanta solutionum varietas, ac multiplicitas satis ostendunt eius loci veram interpretationem vix inueniri posse.

A. Doctor.

C

Ad ea verò quæ ex Aristotele ibi de habitu subiiciuntur, dicimus verum quidem esse habitus distingui, eósque esse in subiecto; negamus tamen inde confici, virtutem & intellectum esse idem cum hominis animo.

D

Ad alium Augustini locum ex libro de Spiritu & anima respondet benè A. Doctor quæstione vnica de spirituali Creatura artic. vndecimo ad secundum *librum illum esse apocryphum, cum eius auctor ignoretur; & sunt ibi multa vel falsa, vel impropriè dicta: quia ille qui librum composuit, non intellexit dicta sanctorum, à quibus accipere conatus fuit.* Sanè liber ille capite trigesimoseptimo, citat Boetium, & capite quadragesimooctauo habet multa ex Gennadio libro de Eccles. dogm. cautè legenda. Vide quæ nuper notantur initio eius libri tom. 3. inter opera sancti Augustini in eius censura. Quicquid ergo dicat ille liber de animi nostri facultatibus, non est magnifaciendum. Cuius tamen sit ille liber, non constat. Non desunt qui eius auctorem faciunt Hugonem de S. Victore; quod alij negant, vt obseruat prædicta censura. Alij vt A. Doctor quæstione vn. de An. a. 12. ad 1. ait, *dicunt fuisse cuiusdam Cisterciensis.* Alij aliter.

A. Doctor.

E

Ad secundam probationem ex S. Bernardo rectè respondet A. Doctor ibidem ad 1. illa tria; nempe memoriam, intelligentiam & voluntatẽ, esse ipsam animam, nempe origine seu subiecto, & vt alij dicunt subiectiuè: *sicut si diceretur* inquit A. Doctor ibidem, *quod calidum, lucidum & leue sunt vnus ignis.* Quæ expositio vera est, nec aliter intelligi debet. Ex quo etiam patet ad illum sancti

S. Bernard.

cti Auguſtini locum ex lib. 10. de Trinit. cap. 12. Sunt enim vna eſſentia ſubiecto nō formaliter; vt ibidem explicat A. Doctor.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Theologis Scholaſticis præſtantioribus intelligendi facultas Angelo ſit idem ex natura rei cum Angelica ſubſtantia. Et quæ ſint vtriuſque partis fundamenta.

VIx veteres inter Scholaſticos reperitur aliquis, qui vtrùm intellectus Angelicus ſit idem ex natura rei cum Angeli ſubſtantia, diſſeruerit. Quia tamen non pauci huiuſmodi quæſtionem de humani intellectu, déque eius potentiis examinarunt; nec diſpar de eo atque intellectu Angelico quoad diſtinctionem eius à ſubſtantia ratio videtur; idcircò ac ſi eſſet eadem diſſerendi de vtroque ratio, indiſcriminatim Theologorum ſententias in medium afferemus, earúmque argumenta ponderabimus. Durandus. Rectè enim Durandus in 2. d. 3. quæſtione quinta dixit nos illa pauca quæ de Angelis nouimus, *debere coniecturare ex conditione animæ noſtræ quæ eſt de numero ſubſtantiarum intellectualium.* Sanè A. Doctor non aliter de natura Angelica, quàm ex analogia ad humanum animum philoſophatus eſt; vt apertè colligi poteſt ex hactenus dictis.

Examinandum; vtrùm potentiæ animi humani abeo ex natura rei diſtinguantur, refertúrque negantium opinio, in eáque varij modi dicendi. §. 1.

PArtem itaque affirmantem ſequuntur complures Theologi, ſed in ea varij ſunt modi dicendi.

Scotus. Primus eſt Scoti in 2. d. 16. q. vn. §. *Dico igitur* vbi apertè docet, *quod potentiæ non diſtinguuntur realiter inter ſe, nec ab eſſentia.* Immò infrà §. *Ergo tūc* explicans quid intelligat cum dicit, non diſtingui realiter, ſubdit: *Quod poteſt ſuſtineri, quòd eſſentia animæ indiſtincta re & ratione, eſt principium plurium actionum ſine diuerſitate reali potentiarum, ita quòd ſint vel partes animæ vel accidentia eius vel reſpectus.* Negat ergo omnem diſtinctionem inter potentias & ſubſtātiam animi: idémque diceret de potentiis Angelorum: Tum quia maior ſimplicitas Angelo tribuenda quàm animo eſt: Tum quia eius ferè argumenta æquè in vtrumque conantur.

Scotus. Probat ergo Scotus hanc ſententiam: primò, quia *illud eſt ponendum in natura quod melius eſt, ſi ſit poſſibile. ex 2. de Generat. t. 59. & 8. Phyſ. t. 56. Natura enim ſemper deſiderat quod melius eſt. Sed paucitas ſine multitudine eſt melior in natura ſi ſit poſſibilis. Patet 1. Phyſ. t. 35. 41. 50. Igitur ſi poſſunt eſſe actus diuerſi ab vna eſſentia ſimplici animæ ſine diſtinctione reali potentiarum, hoc eſt ponendum. Sed huiuſmodi paucitas eſt poſſibilis. patet autem per prædicta, quòd non eſt neceſſe quod iſtæ potentiæ ſint accidentia abſoluta vel relatiua, nec partes animæ eſſentiales, ſiue integrales.*

Quibus verbis putat Scotus eandem animæ eſſentiam eſſe immediatum principium eliciēdi varios actus, ſecundum quos eadem animæ eſ-A ſentia variis nominibus potentiarum denominetur, ac ſi variis potentiis verè prædita eſſet. Vtrùm autem ipſi eſſentiæ animæ ſit ſuperaddēdus aliquis reſpectus, vt ſignificari ipſa poſſit nomine potentiæ, & per varios actus diſtingui ac variè denominari, non explicat Scotus. Quod tamen expreſſit Gregorius & alij vt dicam in tertio modo dicendi.

Addit Scotus hanc ipſam paucitatem maximè pertinere ad nobilitatē animorum (idémque à fortiori diceret de Angelis) quod probat: quia alioqui non competeret enti nobiliſſimo operari diuerſa immediatè per eſſentiam ſuam abſq; diſtinctione potentiarum; conatus autem erat Scotus probare ibidem §. *Alia opinio.* potentias B animæ non eſſe eius partes aut integrales aut eſſentiales. quia integrales ſemper conſtituunt aliquod tertium diſtinctum à qualibet partium, vt docet Ariſtoteles lib. 7. Metaph. cont. 60. de hac ſyllaba *BA*; quæ nec eſt A nec B. Aſſignandū ergo eſſet hoc tertium. Eſſentiales autem ita debent inter ſe comparari, vt vna ſit potentia, altera actus; atq; ita intellectus eſſet actus, voluntas potentia; aut cōtrà Ergo anima non poſſet informare corpus, quia ipſa eſſet materia eſſentialis reſpectu potentiarum. quare non eſſet corporis forma, quæ non debet eſſe materia.

Secundò probat, quia *quantò ordinatum ad finem immediatiùs attingit finem, tantò maioris nobilitatis eſt.* C *Sed eſſentia ordinatur ad finem. Igitur quantò immediatiori modo attingit finem, tanto erit nobilior. Sed hoc eſt ſi ſe ipſa immediatè non mediante aliquo accidente realiter differente ab ipſa operetur & agat.* Ergo ipſa eſſentia animæ eſt potentia, ac proinde potentia non eſt quid accidentarium.

Tertiò probat ex eo, quod anima nō eſſet beata niſi per accidens; nimirū quia viſio beatifica reciperetur in eo quod eſſet realiter ab ipſa diſtinctū; nempe in potentia intellectus. Hoc autē eſt falſum. quia alioqui beatitudo non eſſet perfectio ipſius animæ, ſed eius quod eſt ab anima realiter diſtinctum; quemadmodū color non eſt propria perfectio ſubſtantiæ corporeæ; quia non D recipitur in illa niſi per ſuperficiem in qua remaneret, ſi ſuperficies eſſet ſeparata, vt remanēt accidentia in ipſa quantitate, quæ in venerabili Euchariſtiæ Sacramento à ſubiecto ſubſtantiali ſeparatur.

Quartò probat: quia forma aliqua hominis animo inferior poteſt eſſe proximum atque immediatum agendi principium; cuiuſmodi eſt calor, ac reliquæ actiuæ qualitates, alioqui daretur progreſſio in infinitum. Ergo multò magis id competere debet animo intelligenti, & adhuc multò magis Angelis, qui hominis nobilitate longè antecellunt.

E Quintò probat ex generatione ſuſtantiali. *Neceſſe enim eſt ſubſtantiam generari à ſubſtantia tam in generatione vniuoca quàm in æquiuoca, quia neceſſe eſt quòd forma generantis, quæ eſt principium generationis, ſit nobilior vel æquè nobilis, ſicut forma geniti. Sed impoſſibile eſt formam accidentalem quamcunque eſſe perfectiorem forma ſubſtantiali. Ergo non poteſt eſſe principium immediatum generandi.* Ergo nec potentia accidentalis quæ eſſet ſuo actu imperfectior, poterit eſſe immediatum principium eliciendi eos actus, qui illi ab aduerſariis aſcribuntur.

Improbat autem reſponſionem quorundam, qui putabant ſe poſſe ſatisfacere propoſito argumento, ex eo quòd forma accidentalis poſſit eſſe princi-

principium generādi non principale sed instrumentale; atque ita dici posset, substantiam esse nobiliorem, quia etsi non sit immediatum principium; tamen quia est principium primarium seu principale, nobilius hoc ipso esse quam accidens. Contra hoc ergo instat Scotus dupliciter: Primò, quia instrumentale agens non mouet nisi quia motum: ergo datur aliqua efficientia principali agenti immediata. Ergo falsum est substantiam non immediatum principium esse. Secundò, quia quandocunque principale agens *non potest habere instrumentum quod immediate attingat terminum vel passum*, ipsum principale *immediatè attingit terminum. Sed in generatione substātiali* principale agens non potest habere huiusmodi instrumentum, quia tale *instrumentum non potest attingere passum, scilicet materiam primam. ergo tunc non vtitur eo. Igitur saltem tunc attinget immediatè passum, scilicet materiam primam.* Hæc Scotus.

Gabriel.

Scotum sequitur Gabriel in 2.d.16.q.vn. a.2. in 2.p.illius.docet enim has potētias non distingui ab essentia animæ nec re nec omninò ratione. Idémque apertè significat se sentire de Angelorum potentiis eodem art. in p. p.in fine. Vbi testimonium illud S.Dionysij c.11.cælest.hierar. nempe spiritus diuidi in substantiam, virtutem & operationem, interpretatur vt sensus sit, esse illa tria diuersa non realiter sed ratione suo modo & imperfectè. Quare idem censet de omni spiritu. Cæterum hanc suam sententiam explicat omninò vt Gregorius de Arimino de quo in tertio modo.

Durandus.

Ad hunc modum dicendi ex parte potest referri Durandus in 2.d.3.q.5.vbi ait, licèt in hominis animo potentiæ sint realiter ab eius essentia distinctæ, tamē *potentiam intellectiuam Angeli esse realiter idem quod sua essentia.* Itaque conuenit cum sentētia Scoti in eo, quòd ille implicitè asserit de Angelo, nēpe nō distingui ab eius essentia; dissentit verò in eo, quòd explicitè putat potentias animę distingui realiter ab anima.

Durandus.

Probat Durandus num.4.hanc conclusionem: quia *quòd potentiæ cognitiuæ animæ nostræ differant ab essentia, potissimè conuincitur ex duobus* (quod dixerat in 1.d.3.q.2.2.p.) *Vnum est quod aliquæ potentiæ animæ sunt ad actus totaliter diuersos, & separatos nullum ordinem inter se habentes, vt sunt audire, videre, & huiusmodi. Propter quod oportet eos reducere in proxima principia realiter diuersa, & non in vnum solum; vt est essentia. Aliud est quia essentia animæ est actus corporis; aliquæ autem potentiæ eius non sunt actus corporis; vt est intellectus & voluntas: propter quæ oportet essentiam animæ à prædictis potentiis differre realiter. Neutrum tamen istorum est in Angelis, quia in eis non est nisi vnica videlicet cognitio intellectiua, quæ potest reduci ad vnicum principium. Essentia etiam Angeli nō est actus corporis; sed est separata ab omni corpore sicut & intellectus.* Ex his concludit ex neutra parte conuinci posse potentiam intelligendi differre realiter ab essentia. ergo ne quid ponatur frustra, non debet huiusmodi facultas distingui reipsa ab essentia.

Scotus.

Secundus modus dicendi est eiusdem Scoti eodem loco §. *Sed quia via.* Vbi ex eo quòd arbitratus est *non posse saluari quasdam auctoritates quæ ponunt quod potentiæ exeunt & fluunt ab essentia:* ideò docet potentias huiusmodi differre quidem ab essentia animæ, non tamen realiter sed formaliter; siue, vt ipse loquitur, *sunt vnum identitate reali, distinctæ tamen formaliter.* Quid verò intelligat A per distingui formaliter, ipsemet declarauit hoc pacto, vt scilicet non aliter differant, quàm passiones entis ab ente, & diuina attributa inter se; nimirum quia sint vna res prorsus, distinguātur tamen definitione & quidditate.

Vtrùm verò huiusmodi distinctio sit tantùm per rationem, an ex natura rei, ipse non loquitur apertè, indicat tamen non obscurè, esse solùm per rationem. Sic enim habet, vt explicet hanc distinctionem. *Accipio* inquit *hanc propositionem positam in principio primi libri sententiarum: Quæcunque habent aliquam distinctionem realem, si essent separata realiter; illam distinctionem habent secundum rationem, vbi non sunt distincta realiter,* &c.

Scotus.

Quibus clarè significat has potentias, quia B non retinent distinctionem realem, habere tantùm distinctionem secundum rationem. vnde & Minorem subdit: *Sed ens & vnum si essent separata, essent distincta distinctione quidditatiua reali. Igitur & nunc habent illam distinctionem quidditatiuam secundum rationem.* Hinc etiam colligit Scotus hæc quæ habēt talem distinctionem, quo pacto possint comparari tanquam priora & posteriora; traditque hanc horum cognoscendorum legem; nimirum; *Quæcunque habent aliquem ordinem inter se vbi sunt distincta realiter, eundem ordinem habent, vbi sunt vnitiuè contenta. Vnde si esset vnū prius quàm verum, si essent distincta realiter etiam in ente in quo vnitiuè continentur, & habent distinctionem rationis,* C *vnum esset prius quàm verum,* &c. Tandem concludit Scotus idem dicendum esse de intellectu & voluntate; quas potentias ait esse in anima *vnitiuè & identicè,* distingui tamen formaliter, nempe secundum rationem. Ex quibus ait posse saluari eas auctoritates, quæ significant potentias egredi ab anima; & passiones *ebullire* è subiecto. Nā in primo instanti naturæ ait concipi animā esse talis naturæ: In secundo esse potentem operari secundum hanc vel illam operationem.

Scotus. S.August. Anselm. Aristoteles.

Hac posita doctrina saluare conatur Scotus dicta Augustini, Anselmi & Aristotelis. Cùm enim ait Augustinus lib.14. de Trinit. cap.8. mentem sui meminisse, intelligi debet *quod me-* D *minit eius quod est sibi idem realiter, non tamen formaliter.* Similiter ait de S. Anselmo qui lib.de Concord. gr.& lib. arb. cap. vlt. cùm docet; sicut in corpore sunt diuersa membra; ita & in animo esse diuersas potentias, quæ diuersis corporis membris respondent. Hæc namque intelligit Scotus, ac si dicat diuersas formaliter non autem realiter. Quod ipsum respondet ad Aristotelem lib.3.de An.cont.1. cùm potentias animæ appellat partes. *De parte autem animæ,* &c. respondet inquam potentias esse partes, quia sunt perfectiones partiales formaliter distinctæ. Constat ergo, qua ratione hic dicēdi modus ex Scoto non sit idem cum priore; quem etiam modò E retulimus ex Scoto. Ibi enim aiebat eādem animam nec re nec ratione distinctam, posse esse principium diuersorum actuum; hic verò docet talia principia esse solùm ratione distincta non re. Hunc autem dicendi modum sequitur, fusèque probare nititur Guilielmus de Rubione in 2.d.16.q.2.a.2.concl.3. & pluribus confirmat a.3.ferè toto. Idemque docent cæteri ferè omnes Scotistæ; vt Bassolis & alij eodem loco.

Guiliel.de Rubione. Bassolis.

Henricus.

Tertius modus dicendi asserit, potentias esse idem re quod ipsa anima quoad absolutum, differre tamen potentias ab anima quoad relationem. Ita Hēricus quodlib.3.q.14. vt eum refert Scotus

Scotus

Scotus loco citato §. *Alij dicunt.* Existimat enim Henricus potentias esse aliquid absolutum, cui addatur respectus; ita vt potentia sit ipsa anima relata ad actum. Cuius rei rationem affert; quia potentia definienda est per actum ex Aristotele lib. 9. Metaphys. cont. 2. 15. & deinceps. Anima autem secundum se non definitur per actum. Ergo essentia animæ non est potentia; népe completa; nam *essentia animæ* inquit *sub tali respectu dicitur talis potentia.* ex quo concludit animam, secúdum quod comparatur ad diuersos actus, habere diuersos respectus, *qui dicuntur* inquit *diuersæ potentiæ, & per hos diuersos respectus determinatur ad diuersos actus.* Ab hac sententia nihil differt Ricardus in 1. d. 3. a. 2. q. 1. vbi negat has potentias esse accidentia quoad absolutum: ac proinde infert, *non addere aliquam rem absolutam super animæ essentiam*; benè tamen addere respectum ad actus.

Ricardus.

Probatur hæc sententia primò ab Henrico, quia hoc pacto creatura spiritalis rectè dicitur habere rationem imaginis ad Deum. *Nam sicut in diuinis est vna essentia & distinctio personalis per tres res relatiuas; sic in imagine creata erit vna essentia cum tribus potentiis re relatiuè distinctis.* Deinde probatur ex S. Augustino lib. 9. de Trinit. cap. 5. vbi docet, vnius essentiæ esse hæc tria, Mentem, Amorem, Notitiam. ergo non sunt tria absoluta, ac proinde tria relatiua. Tertiò probat Ricardus ex Aristotele, de quo seq. quæsit. Quartò idem probat non esse accidentia; quia anima potest per seipsam intelligere, velle, &c. Ergo nó est opus huiusmodi accidentibus. Alia addit argumenta, quæ non ingerunt difficultatem.

Henricus. S. August. Ricardus.

Hunc dicendi modum aliis tamen verbis expressit Gregorius Ariminensis in 2. d. 16. & 17. q. 1. a. 2. §. *Pro solutione prædictorum*; vbi ait animam eandem esse principium plurium operationum, atque inde sortiri varia vocabula. Quorum quędam significant ipsam animæ essentiam præcisè; quædam verò vltra essentiam consignificant *determinatè quasdam operationes in quas potest.* Id illustrat exemplo: Nam *intellectus* inquit *significat essentiam animæ connotando determinatè operationem, quæ est intellectio.* Similiter ait de voluntate significare illam eandem essentiam *connotando aliam operationem eius, quæ est velle.* Cùm autem dicit *connotando* actum; idem dicit atque Henricus significat per *respectum* ad actum. Vult enim intellectum significare animam connotando actum; hoc est qua eam significamus relatam ad ipsum actum. Intellectus enim denotat principium intelligendi, ac proinde significatur anima tanquam intelligendi principium; quod est significari cum relatione ad actum ipsum intelligendi. Tandem concludit Gregorius huiusmodi nomina potentiarum exprimere animam *partialiter non partialitate intrinseca: nam quodlibet eam totam significat, & pro tota supponit; sed partialitate extrinseca; propterea quòd non omnia in quæ potest, sed aliqua determinatè dat intelligere.* Hinc deducit has potentias dici plures, & animæ partes, quia partialiter anima significatur. *In quantum enim potest in ista dicitur vna anima potentia; in quantum autem in alia dicitur alia potentia.* Atque hanc sententiæ huius explicationem admittit Gabriel quoad omnia vbi suprà, quam dicit esse Occami in 2. q. 22.

Greg. Arim.

Probat Gregorius hanc suam sentétiam, primo quia Augustinus lib. 12. de Trin. cap. 3. sic ait: *Intellectum nostrum & actionem, vel consilium, &*

Gabriel. Occam. Gregorius. S. August.

A *excæcationem, vel rationem, & appetitum rationalem, vel si quo alio modo significantius dici possunt, vna mētis natura complectitur.* Et statim sequitur in cap. 4. *Cum igitur dissentimus de natura mentis humanæ, de vna quadam re dissentimus; nec eam in hæc duo quæ commemoraui nisi per officia geminamus.* Ex his ergo patet rationem & appetitum rationalem nó esse duas mentis partes, nec duas res, sed vnam tantùm secundum diuersa officia, significatam Augustini sententiâ.

Secundò probat idem Gregorius ex eodem Augustino in serm. de Imagine, vbi ait: *Anima est intellectus, anima est memoria, anima est voluntas.* & lib. 10. de Trin. cap. 11. ait: *Memoria, Intelligentia, & Voluntas, non sunt tres vitæ sed vna vita, nec* B *tres mentes sed vna mens,* &c. & in fine cap. ait: *Hæc tria vnum, vna mens, vna essentia.* Ergo hæ potétiæ & anima sunt vna prorsus res, licet relatæ ad diuersa concipiantur diuersæ res.

Gregor. S. August.

Tertiò probat ratione, qua se dicit maximè moueri: quia pluralitas rerum non est ponenda ad quam nec experientia; nec ex ipsa experientia ratio, aut auctoritas cogit. Nullum autem horum est in præsenti. Ergo, &c. Immò si propter diuersitatem actuum pluralitas potentiarum poni oporteret, non vnus tantùm intellectus in homine, nec vna voluntas; sed longè plures essent. experimur enim multa actuū vtriusque facultatis genera à nobis elici, vt amoris, odij, vitij, honestatis, impossibilium, possibi- C lium, &c.

Probat etiam hanc sententiam Gabriel eodem art. 2. in p. p. versus finem: quia si huiusmodi potentiæ essent accidentia animæ, quæ fluerent ab omnia, vt dicit opposita opinio, *quæro quomodo fluant ab anima tanquam effectus à causa?* Præterea anima est potens producere has potentias: Vel ergo seipsa, vel per medium; atque ita vel datur processus in infinitum; vel datur status in aliquo, cuius anima sit immediatum principium. Ergo eodem modo potest anima esse immediatum principium ipsorum actuū absque his potentiis superadditis: si quidem per aduersarios tota ratio ponendi distinctas in anima potentias, est ne detur, substantiam immediatè D quicquam agere aut producere.

Gabriel.

Huic etiam sententiæ subscribit Ioánes Maior in 1. d. 3. q. 6. post 2. conclus. Ait enim intellectum animæ esse ipsam animam: & addit rem esse notam; nec se velle in re tam nota esse verbosiorem. Probat quia si intellectus esset accidens; separaretur. Ergo anima cùm non sit truncus, posset intelligere & velle. ergo sublatis potentiis posset; ac proinde opus non est potentiis, vt animus intelligere ac velle possit. Dicit etiam Augustinum stare pro sua sententia. Idem denique de Angelo affirmaret, quoniam de po- E tentiis loquitur, quæ in creatura spiritali imaginem faciunt Trinitatis. Hanc quoque sententiam tanquam probabiliorem amplectitur Marsilius in 1. q. 7. a. 3. & alij complures etiam ex recentioribus.

Io. Maior. Marsilius.

Referuntur Theologi aientes Angelorum potentias distingui ab eorum substantia ex natura rei. §. 2.

Sententiam negantem sequuntur, qui affirmant potentiam intelligendi in Angelo esse distin

distinctam ex natura rei ab ipsa Angeli essentia, & non sola ratione. Ita expressè Alexander 2.p. q.21. memb.1. *Potentia* inquit *Angeli non est idem penitus cum essentia. Dici tamen potest idem, sicut in anima rationali; quia se ipsa omnino potest.* Vnde infrà ad 3. ait: *Quod licet simplicitas sit in Angelo, non est tamen omnimoda simplicitas; & ideo non est idem potentia quod essentia omninò; quia nihil est sua potentia penitus, præterquam Deus.* Ergo negat potētiam cum essentia Angeli esse idem atque est idem potētia in Deo cum diuinitate, ac proinde negat identitatem ex natura rei, nam secundum rationem vtrobique par est ratio. Quare cùm ibidem dicit, potentias animæ esse idem cum anima, & non inesse accidentaliter, intelligendus est vt ipsemet se explicat, *ratione indiuisionis & adhærentiæ substantialis*; quia scilicet semper animum aut Angelum comitentur, ab iisque nunquam separentur. Cætera verò ait, vt prudentia, fortitudo, &c. esse accidentia animæ, quia *accidentaliter adsunt*, hoc est non semper adhærent animæ: Sed adsunt, absúntque pro varia animæ dispositione; quæ manifestam rationem accidentis ostentant.

Albertus. Idem videtur sentire Albertus in 2. d. 3. a. 6. Ait enim Angelum esse ad imaginem Dei per memoriam, intelligentiam, & voluntatem sicut est homo. De cuius animo dixerat in 1. d. 3. a.40. habere potentias, quæ fluunt de eius essentialibus. Quod etiam ibidem artic.34. explicauerat. Quare putat hæc tria; nempe illas tres potentias in Angelo esse, quæ essentiam consequantur; Trinitatísque imaginem præ se ferant. Aduerte tamen Albertum in eo art.40. addere Angelum non habere tres potentias. Quod intellige vt non habeat eo pacto ordinatas, vt homo. vt intellectum supponat memoria; de quo ordine disputat in 1.d.3. a.7. Quem ordinem etiam clarè explicat in sua summa Theologica 2. p. tract.2. q.14. art.1. memb.2. Vult enim memoriam duplicem esse. Alteram quæ sit recordatio seu reminiscentia eorum quæ priùs fuere percepta: alteram quæ sit simpliciter intellectilium formarum. Quicquid autem sit de priore, posteriorem ponit in Angelis; ex qua doctrina ait meminisse in Angelis, non esse aliud *nisi naturam rei tenere.* Hoc est rei cognitionem perseuerantem esse in ipso.

A. Doctor. Hanc etiam sententiam apertissimè secutus est A. Doctor in hoc art. vt suprà obseruatum est à nobis, & aliis locis, de quibus diximus in explanatione huius articuli. Expressè etiam idem docuit Guilielmus Altisiodorensis lib. 2. suæ summæ Theologicæ tract.10. cap.1. q.6. vbi contendit potentias Angelorum à substantiali eorum Esse distingui, & probat vt post dicam in propositione nostra. Idem quoque senserunt Capreolus in 2.d.3.q.vn. a.1. conclus.2. & art. 3. ad argumenta contra illam, & omnes commentatores in hunc articulum. Vt Gabriel Vasquez, in Annotat. ad hunc art.3. Molina hîc art. 3. Gregorius de Valentia hîc Disputat. 4. q. 5. p. 4. & alij. Idem dicerent ij omnes qui censent potentias animæ distingui realiter ab anima. Nam eadem ratio sua proportione de animorum atque Angelorum intellectu censetur ab omnibus. Et ita A. Doctor eadem vtitur ratione de Angelo in hoc art. 3. & de potentiis animæ infrà q. 77. art.1. Idémque ex cæteris patebit in rationū examine, dum probabimus nostram propositionem.

Guilielmus Altisiodor. Capreolus. Vasquez. Molina. Gr. de Val. A. Doctor.

S. Bonauent. In hac quoque sententia est S. Bonauentura in 1.d.3. 2.p.a.1.q.3. vbi in corpore ait hæc tria memoriam, intelligentiam & voluntatem *egredi ab anima.* Reddit rationem: *Potentia enim se habet per modum egredientis.* Et ideò concludit in fine corporis. *Concedendæ ergo sunt rationes probantes, quod anima non est suæ potentiæ per essentiam.* Fatetur tamen ibi eas esse substantiales, & in eodem genere cum anima: Propterea quòd *omni accidente circumscripto; intellecto quod anima sit substantia spiritalis, hoc ipso quod est sibi præsens, & sibi coniunctam habet potentiam ad memorandum & intelligendum se.* Quibus videtur significare esse substantiales ex eo, quod immediatè substantiæ debentur cæteris sublatis, ita vt necesse sit eas ab essentia animæ egredi, nec posse non ab ea manare. Quia scilicet sublatis cæteris, adhuc potest anima se cognoscere, diligere, cæterósque aliarum facultatum actus exercere.

Ægidius. Pro hac quoque sententia est Ægidius in 1. d. 3.p.2.in 3.princ.q.1.a.2. vbi probat potētias non esse animæ substantiam, eò quòd solius Dei qui est actus purus, proprium est vt sit sua potentia. Quod si interdum potentia prædicetur in Quid, & in recto de ipsa anima, ait tunc non esse prædicationem formalem sed causalem; sicut Philosophus in libro de sensu & sensili dicit *odorem esse fumalem euaporationem, quia fumalis euaporatio est causa odoris.* Idem clariùs docet ac probat Ægidius quodlib. 3.q.10. vbi etiam ex professo de distinctione potentiarum à substantia Angeli agit. Ægidium apertè sequitur & aduersantes solutiones improbat Thomas ab Argentina in 1.d.3. q.2.a.2. fusissimè. Idémque senserunt alij veterum complures. Vt Heruæus quodlib. 1. qu.9. apud Scotum vbi suprà §. *Hic est vnus*: licèt nihil reperiam in ea qu.9. Aliquid tamen habet q.12. Denique hanc etiam sententiam veriorem putarunt hoc tempore omnes ferè Iuniores.

Thomas ab Argentina. Heruæus.

Potentias ab Angelo realiter distingui verum quidem est; sed refutantur decem rationes, tanquam minus efficaces. §. 3.

AD Difficultatem ergo respondetur. Et sit Vnica propositio. Intellectus Angeli nō est realiter eius essentia: seu (quod idem est) re ab eius essentia distinguitur. Quod autem iam dico & probo de intellectu, idem suo modo intelligi volo de voluntate, cæterísque huiusmodi potentiis, si quæ aliæ in ipso esse affirmētur. Hanc propositionem, quia eius probatio non est facilis, variè stabilire Theologi connituntur. Proferam aliquot præcipuas eorum rationes, easque examini subiiciam, vt quid verisimilitudinis habeant intelligi possit, clariúsque vera ratio inter oppositas falsitates, tanquam oppositum iuxta sua opposita positum elucescat.

Alensis. Probari ergo primò potest ex argumēto Alensis: Quia *potētia est multiplex in suo actu, essentia verò non est nisi vnica in suo actu. Ergo potentia non est idem secundum substantiam cum essentia.*

Verùm hæc ratio non sufficit ad rem propositam. Dicerent enim primò auctores partis aduersariæ, essentiam in ratione essentiæ esse ad existētiam, in ratione autem potentiæ esse ad actus; atque ita illa entitas, quæ est essentia Angeli in ratione

tione essentiæ, respiciet existentiam tanquam actum ipsius essentiæ vt essentiæ proprium: In ratione verò potentiæ; v. gr. intellectus respiciet omnes actus intelligẽdi. Dicent autem non esse absurdum, eandem entitatem habere plures rationes, quæ realiter inter se sint vnum atque idem; vt de actione, passione ac motu Aristoteles docuit lib. 3. Phys. à cont. 18. ad 21. Eadem namque entitas est actio & passio; sicut eadem via est Athenis Thebas, & Thebis Athenas: Quæ notissima philosophis sunt. Idem patet in eorum probabili sententia, quam sequimur, qui relationem à fundamento proximo non distinguunt. Quare tunc eadem albedinis v.g. entitas, qua albedo est, absolutũ ens est: qua similitudo, ad alterum est. Ac ne ad incerta vagemur, eadẽ diuina entitas qua diuinitas est, essentia Dei est; qua paternitas, filiatio, ac spiratio, tam actiua, quàm passiua, relationes ad aliud sunt, nempe ad personas.

Deinde negarent iidem auctores potentiam esse multiplicem in suo actu; nimirum eò quod eius actus multiplex sit, ipsam potentiam esse multiplicem. Sic enim apertè falsa est propositio. Nam idem intellectus etiam A. Doctoris sententiâ est ad variissimos intelligendi actus; vt ad intellectiones tum practicas, tum cõtemplatrices; vt patet ex q. 14. a. 16. supra; Vbi ex Aristotele lib 3. de An. cont. 49. ait; intellectum practicum à contemplatiuo differre fine: Ita scilicet vt sit eadem potentia in diuersum finem; vt ipse apertè explicat infrà q. 79. a. 11. Præterea est idem intellectus; siue dicatur ratio inferior, siue superior: Quia ratio distinguitur duplex per officia actuum, vt ex S. Augustino lib. 12. de Trin. cap. 4. obseruat A. Doctor eadem q. 79. a. 9. in fine c. Idem patet de voluntate, quæ vna cùm sit in homine, ex variis actuum generibus denominatur concupiscibilis & irascibilis; vt docet A. Doctor infr. q. 82. art. vlt. ad 1. & deinceps. Idẽ dici potest de aliis compluribus. Ergo potentiæ non sunt pro actuum multiplicatione multiplices.

A. Doctor.

Aristoteles.

Quod si quis diceret, varias esse potentias non pro actuum varietate quouis modo, sed pro ea varietate, qua varij sunt actus adæquati; Vt cùm distinguimus intellectum à voluntate ex harum facultatum actibus; vt si dicatur intellectus distingui intellectione; & voluntas ex appetitionibus. Contra hoc duo sunt argumenta. Primum est; quia aduersarij auctores dicerent, vnius animæ & vnius Angelicæ specificæ naturæ vnum esse actum adæquatum; nempe actũ vitalem talis vel talis naturæ; ad quem sufficere arbitrarentur vnam potentiam, quam variis nominibus appellarent ex varietate actuum, secundum diuersos status & officia actuum. Qua ratione dici rationem inferiorem & superiorem docet A. Doctor in ea q. 79. a. 9. Alterum est; quia si non multiplicantur potentiæ ex diuersitate actuum, reddenda est ratio, cur non possit eadem substantia Angeli sine vlla qualitate sibi hærente habere rationem potentiæ effectricis; vt suprà dicebamus: quandoquidem non obstat, quin aliquid sit ad multiplices actus, in quo fundatur Alexandri ratio.

Scotus.

Addit Scotus vbi suprà §. *Rationes istæ* in fine, existentiam esse idem realiter cum essentia; atque ita essentiam non esse vnicam in suo actu, hoc est non esse vnicum actum illius. Quia existentia cùm non progrediatur ab essentia non est actus illius. Ergo solùm actus eliciti erunt actus illius essentiæ, qui varij sunt & non vnus. Constat ergo, hanc Alexandri rationem non sufficere ad distinguendas realiter potentias ab ipsa substantia, cuius sunt potentiæ.

Secundò probat Altisiodorensis vbi suprà: quia si non distinguantur potentiæ à substantia Angeli & animi humani; *Sequitur* inquit *quòd Angeli & animæ idem est esse, & posse, quod soli Deo conuenit propter extremam eius simplicitatem.* Quæ quidem ratio accedere ad eam propè videri posset, qua vsus est in hoc art. A. Doctor, si eam confirmasset Altisiodorensis; vt nos deinceps præstabimus, vt eius vim efficacitatémque demonstremus.

Altisiodor.

Tamen vt eius verba sonant nullo modo videri debet efficax. Etenim responderet Scotus; non esse absurdum in creatura idem esse ac posse, quantum est ex parte facultatis; & quoad ea quæ intrinsecus requiruntur ex parte substantiæ; licèt vt substantia complerè possit operari, quædam etiam extrinsecus concurrere debeant. vt verbi gratia ad intelligendi actum promendum, non est satis intelligendi facultas; sed oportet etiam obiectorum simulachra intellectum ipsum informent, vt vis intelligendi compleatur. Sic etiam & voluntas vt sit vis absoluta eliciendi actum suum, priùs ex parte intellectus necesse est ei proponantur obiecta; & ita de reliquis. Diceret ergo hoc posito Scotus, longè diuersam esse rationem diuinæ simplicitatis & creaturarum, quoad facultatem ipsam operatricem. Dei namque vis est adeò simplex, vt nihil extrinsecus concurrere debeat tãquam eius forma vt operari possit. Solis enim intellectus ac voluntatis actibus qui idem cum diuina essentia simplicissima sunt, quicquid libet operatur. At Angelorum facultas esto quoad rem sit idem cum substantia Angeli atque animi nostri; tamen vis perfecta absolutáque non est, nisi ei extrinsecus accedat accidens, aut aliquid simile, quo tanquam forma compleatur, vt absolutè & simpliciter possit, vt dictum est. Esset ergo discrimen inter vtramque simplicitatem, etiamsi intellectus Angeli idem esse cum Angeli Esse affirmaretur.

Tertiò probat S. Bonauentura: Quia *quæ differunt genere, differunt essentia; & vnum de altero non prædicatur essentialiter. Sed potentia & anima sunt huiusmodi; quia anima est in genere substantiæ; & potentiæ sunt in secunda specie qualitatis; scilicet naturalis potentia. Ergo,* &c. Confirmat ibidem; quia *Illa quorum vnum est extra alterũ, differũt essentialiter, & substantialiter.* Sed potentia est extra substantiã Angeli cuiuslibet: Nam cùm sit virtus operatrix circa obiectum, quod est extra substantiam operantis, debet egredi & esse extra substantiam eiusdem operantis, quia debet esse vbi operatur. Si ergo operatur extra, debet esse extra, atque ita est extra essentiam.

S. Bonau.

Verùm hę rationes non difficilè refutari possunt. Nam primò respondet Scotus vbi suprà §. vlt. potentiam naturalem non esse in secunda specie qualitatis; sed facilitatem ad vtẽdum illa potentia. *Vnde* inquit *posse leuare festucam vel baculum, non est in secũda specie, sed facilitas leuãdi.* Quod confirmat Scotus ex Aristotele in prædicamẽtis cap. *de qualitate*; Vbi Aristoteles ponit in secũda specie *naturalem potentiam vel impotentiam aliquid*

facile

facilè faciẽdi, vt pugilatores, vel cursores. Ergo agilitas erit in secunda specie ait Scotus, non ipsa naturalis facultas. Ergo non sequitur potentiam naturalem esse in diuerso genere ab eo in quo reponitur substantia.

Deinde quia dicere possent: Esto potentia & substantia sint in diuerso genere, & vnum de altero non prædicetur; tamen hinc non deduci distinctionem realem inter potentiam atque substantiam, cuius est potentia. Vt enim aliqua sint in diuerso genere; atque adeò in diuersa categoria, satis est si definitione, & essentialibus prædicatis differant. Sic enim actio & passio in diuersis categoriis reponuntur, & formaliter altera non prædicatur de altera: quæ tamen non distinguuntur reipsa inter se; sed ratione seu essentiali definitione; vt docet Aristoteles lib. 3. Phys. à cont. 18. Non ergo sequitur esse distinctionem realem inter aliqua, etiamsi inter illa non sit generum identitas atque essentiarum.

Ad confirmationem negarent Scotus & alij; potentiam esse extra animam seu substantiam operantis. Quamuis enim potentia sit virtus operatrix, & versetur circa obiectum, quod est extra; tamen non versatur ita circa obiectum, vt simul loco cum illo sit. Nam cùm intelligimus Africam, cœlum, Solem, &c. nostra facultas aut cognitio non est in Africa aut cœlo aut Sole. Satis enim est si simul cũ illo sit vnitum, eo modo quo sufficit ad actionem; nimirum ita vt obiecti species animum informet; vt color vnitur oculo. Qua ratione Aristoteles lib. 3. de An. cont. 38. ait: *Lapis non est in anima, sed forma.* Ea enim posita iam satis supérque est potentia simul cum obiecto; non tamen hoc posito sequitur potentiam esse extra animam: dicerent enim potentiam esse ipsam animam realiter; quæ hoc ipso iungitur obiecto in ratione potentiæ, quo eius informatur simulachris ad suum actum prodendum.

Aristoteles.

Heruæus.

Quartò probat Heruæus, vt ex eo refert Scotus vbi suprà §. *Hic est vnus:* quia nullum simplex ens creatum potest esse principium diuersarum operationum. Quod sic probat: Nam *materia vna & simplex non potest secundum se esse principium receptiuum diuersarum formarum, nisi mediantibus quibusdam dispositionibus determinantibus ipsam ad diuersas formas. Aliàs quodlibet fieri posset è quolibet; quod est impossibile; vt patet ex* 1. *Phys.* nempe contex. 37. *& multo minus in potentiis actiuis. Igitur vna potentia simplex non potest esse immediatum principium diuersarum operationum, cuiusmodi sunt intelligere & velle. Ergo erit per potentias realiter distinctas.*

Scotus.

Verùm neque hæc ratio habet firmitatem: Nam primò respondet Scotus ibi §. *Rationes istæ* falsum esse non posse: quod simplex est esse principium diuersarum operationum; quandoquidem illi ipsi auctores qui ponunt potentias distingui realiter ab anima, asserunt quoque easdem potentias manare ab ipsa anima. Ergo erit eadem simplex animæ substantia principium diuersorum effectorum, ac proinde diuersarum operationum. Deinde quia videtur dici posse, eandem potentiam siue intellectus siue voluntatis, quæ est vna simplex qualitas, esse principium diuersorum actuum intelligendi & volendi. Hi enim non vnius tantùm generis sunt, sed longè diuersorum generum; sicut & diuersorum generum sunt ob-

A iecta formalia, à quibus in diuersis generibus reponuntur; Vt est cognitio accidentium, principiorum, conclusionum, &c. Ergo idem ens simplex multorum actuum potest esse principium.

Quod verò dicitur de materia non habet vim: quia materia non recipit formas substantiales intermediis accidentibus. quasi ipsa sint immediatum formarum subiectum; quia accidens substantiæ non potest esse subiectum, quod debet per se subsistere vt faciat cum forma vnum. Quare verè materia eas formas in sua substantia recipere immediatè debet. Illa verò accidentia sunt quidem præparationes, vt in materia nunc vna nunc alia substantialis forma

B suscipiatur, non tamen in ipsis est verè ac realiter forma. Vnde innaturali modo & peruersè diceretur, si ignis formam diceres inesse calori, aut animam figuræ, &c. Sunt igitur præparationes, quemadmodum species intelligibiles sunt conditiones vt intellectus eliciat, atque ex se promat varios actus. Ergo falsum est debere concedi potentias distinctas, ne anima sit immediatum principium diuersorum actuum, cùm etiam materia sit immediatum principium, quod varios actus suscipit; vt dictum est.

Ægidius.

Quintò probat Ægidius apud eundem Scotum ibidem qui eum nominat *auctorem modernum.* Quia *accidens variabile non inest substantiæ, nisi mediante accidente inuariabili:*

C *Intelligere & velle sunt accidentia variabilia.* Ergo inesse debent per accidens inuariabile. Ergo per intellectum & voluntatem. Ergo intellectus & voluntas sunt accidentia animæ; ac proinde ab illa distinguuntur realiter. Maiorem probat Ægidius; quia *maior distinctio vel differentia non procedit ab vnitate, nisi mediante aliqua distinctione minori.* Ergo accidens variabile debet subiecto inesse mediante accidente inuariabili, quod minùs distinguitur.

Hæc tamen ratio nihil probat. Vt enim rectè obseruat Scotus ibidem §. *Rationes istæ*, reddenda esset ratio, cur accidens variabile recipi oporteat in ipso accidente inuariabili, cùm satis

D sit recipi in substantia. Quod verò subdit ibi Ægidius, maiorem distinctionem non procedere ab vnitate, nisi interponatur aliquid quod minus distinguatur; id probandum esset, non assumendum. Immò etiamsi id detur, tamen diceret Scotus, huiusmodi axioma non facere ad rem nostram. Quia negandum, esse maiorem distinctionem inter actum intelligendi & substantiam animæ, quàm sit ea quam ipsi ponunt inter eandem animi substantiam & potentiam intelligendi. Cùm enim non ponatur inter actum & animam nisi distinctio modalis; frustra maior inter eandem animam,

E potentiamque poneretur. Denique quia si id verum esset, abeundum esset in infinitum; nam quacunque data distinctione potest dari minor & maior etiam in eodem genere. Quoniam inter ea quæ distinguuntur realiter, potest esse perfectior & perfectior distinctio, vt Petrus ac Socrates plus distinguuntur, quàm digitus & digitus, &c. Sic etiam inter ea quæ modaliter distingui dicuntur. Ergo daretur progressio in infinitum.

Ægidius.

Sextò probat Ægidius in eo quodl. 3. quæstione 10. vt refert & confirmat Argentina vbi suprà: Quia quando Angelus intelligit essentiam suam

ſuam, ſi in eo nõ differt intellectus ab eſſentia, ſuum intelligere eſſet idem quod eius eſſentia; quod falſum eſt. Sequelam probat: quia intelligere eſt medium inter id quod eſt intelligens, & id quod intelligitur. Medium autem non poteſt magis differre ab extremis, quàm extrema inter ſe. Ergo ſi id quod eſt intelligens nempè intellectus, eſt idem cum eſſentia quæ intelligitur, nec ipſe actus differret ab ipſa eſſentia.

Attamen multipliciter hæc ratio improbatur ex eius doctrina: Nam primò idem abſurdum apertè ſequitur, etiamſi ponatur intellectus Angeli diſtinctus ab eius eſſentia. Id enim quod eſt intelligens in eo caſu eſt Angelus, non autem intellectus. Ergo ſequitur intelligendi actum eſſe idem cum Angelo, ſi ſeipſum intelliget, quia extrema ſunt idem, nempe id quod intelligit & quod intelligitur. Deinde idem & apertiùs ſequitur, etiamſi ponamus intellectum eſſe id quod intelligit. Nam cùm intellectus intelligeret ſeipſum, non differret intelligens & intellectum: ergo neque actus intelligendi ab intellectu; quod negaret Ægidius. Tertiò, quia illa propoſitio, *Medium non differt magis ab extremis* &c. eſt vera de eo medio, quod eſt inter partes componentes vt de vnione &c. Non de medio quod eſt ratio & actus cognoſcendi extremum, vt patet cùm intellectus cognoſcit ſe ipſum vt diximus.

Ægidius. Septimò probat idem Ægidius vt etiam refert & confirmat Argentina: Quia *idem ſecundum idem eſſet mouens & motum; & directè ſe reduceret de potentia ad actum, quando Angelus intelligeret eſſentiam ſuam:* Quod Ariſtoteli repugnat lib. 8. Phyſ. cont. 40. & alibi ſæpe.

Multo tamen faciliùs quàm cæteræ hæc ratio refutatur. Ideo enim aliquid repugnat eſſe ſecundum idem actu & potentia; quia haberet formam per quam eſſet actu, & eam non haberet, quia eſſet potentia ad illam; quod contradictionem inuoluit; & in hoc ſenſu hanc propoſitionem damnauit Ariſtoteles lib. 8. phyſ. cont. 40. (Ariſtoteles.) *Quare* inquit *idem ſecundum idem calidum erit & non calidum.* At hoc abſurdum non ſequitur, quantumuis potentia ſit idem cum ſubſtantia Angeli. Non enim ex hoc haberet formam, eâque careret Angelus: eſſet enim illi intellectus idem, eóque non careret. Non autem oſtendit Ægidius ſequi abſurdum, nempe Angeli ſubſtantiam, cùm intelligit ſe ipſam, eſſe potentia & actu. Immò nec poteſt oſtendere. Nam actu eſſet intelligens, nec eſſet potentia ad ſe intelligendum, quia eo intelligendi actu circa ſe ipſum non careret.

Argentina. Octauò probat Argentina, quia potentia viſiua corrumpitur anima remanente: ergo diſtinguitur ab illa, ac proinde etiam intellectus; quia diuerſa ratio nunquam aſſignabitur.

Huius quoque rationis facillima ſolutio eſt. Nam facultas videndi (ſi tamen ea eſt in animo tanquam in ſubiecto) non eſt completa facultas niſi per organum; vnde ſimpliciter negatur eſſe in homine cæco. Corrumpitur ergo in ratione potentiæ ſimpliciter, quia organum deſtruitur quo potentia ſimpliciter completur in ratione potentiæ. Dicerent autem aduerſarij, ipſam vim intelligendi quæ inſidet in animo, non corrumpi, quia eſt idem re cum ipſo animo: Quare diuerſitatem proferrent hoc pacto. Intellectum quidem non diſtingui, quia totus & completè idem eſt, atque ſubſtantia animi. Potentiam verò viſiuam diſtingui, non quidem ex ea parte qua inſidet in anima, ſed ex eo quòd organum quod eius potentiæ complementum eſt, ab ipſa anima differt.

Nonò probat idem auctor; quia *Si potentia animæ eſſent idem realiter cum eſſentia animæ, tunc eſſent idem realiter inter ſe: falſitas conſequentis eſt nota; quia intellectus differt realiter à voluntate,* & cætera. Conſequentia patet primo Phyſicorum vbi dicitur: *Quæ vni & eidem ſunt eadem, inter ſe ſunt eadem.*

Hæc etiam ratio dupliciter peccat. Primò enim ſupponit intellectum & voluntatem diſtingui; quod aduerſarij pernegabunt; quia omnes potentias volunt eſſe animi ſubſtantiam. Secundò, quia conſequentia negaretur à Scoto & ab aliis, quantum attinet ad ſimplicem eius veritatem. Etenim tota figura duarum partium vnius continui, opinione Scoti, eſt idem realiter cum ſuo continuo: quia Scoto non diſtinguuntur ab ea niſi formaliter; & tamen partes figuræ illius continui inter ſe realiter diſtinguuntur, cùm poſſint altera ſui parte continui ſeparatim ab altera eſſe, vt ſi vnus palmus eius continui ſeparetur ab altero, & figura vnius palmi à figura alterius ſeparari neceſſe eſt. Quod verò dicit ex 1. Phyſ. nempe cont. 17. non vrget. Ibi enim ait; ſi partes eſſent cum toto idem, eò quòd totum ſit indiuiſibile, eſſent quoque idem inter ſe: quia ne eſſent quidem partes, cùm indiuiſibile careat partibus. Quod tamen falſum eſt, cùm conſtet in toto eſſe partes; vnde ab ipſo ſeparari poſſunt. Præterea abſolutè; ſi partes cum toto eſſent idem, eſſent quoque inter ſe idem. Quia nimirum ſi cum toto ſunt idem eo quod dum in ipſo ſunt, non ſunt ſeparatæ ab ipſo; ſequitur ipſas etiam eſſe idem inter ſe; propterea quod nec ſeparatæ inter ſe ſunt. Hoc autem ſupponit eſſe falſum: quia ſcilicet ſeparari poſſunt. vt ibi exponunt interpretes.

Decimò probant alij, quia ſi intellectus ab Angelo realiter non diſtingueretur, Angelus eſſet agens per eſſentiam & ſubſtantiam ſuam. Ergo ſemper ageret: quia quæ conueniunt alicui per eſſentiam, conueniunt ſemper & neceſſariò.

Huic quoque rationi obſtat, quod in æquiuoco laborat. Nam agere per eſſentiam ſuam bifariam ſignificari poteſt; primò quidem quod agat per eſſentiam, & non per aliquid eſſentiæ ſuperadditum. Alio modo, quia agat per eſſentiam ſuam non dependenter ab alio, ſicut dicitur Deus agere per ſuam eſſentiam. Iam dico: Quod agit per eſſentiam ſuam hoc ſecundo modo, eſto ſemper agat ſaltem actione immanente vt Deus. At verò agere per eſſentiam primo modo, negandum ſemper agere. Nam hoc pacto ipſæ potentiæ cæteráque accidentia per eſſentiam agunt; nec ſemper agunt. Poteſt etiam alio modo diſtingui, vt ſi actio agenti per eſſentiam inſit ita per eſſentiam, vt ab ea non diſtinguatur, tunc verum ſit actionem eſſe æternam. Vt enim ſuprà oſtenſum eſt: Id cuius actio eſt ipſa ſubſtantia, creatura eſſe nequit, quia non poteſt à Deo perfici: ergo eſt æterna actio. Si verò actio per eſſentiam idem ſit, quòd actio immediatè per eſſentiam ſeu ab eſſentia promanans, negandum eſt æternum eſſe, vt diximus.

diximus. Vnde actio diuina in creaturam transiens, licèt immediatè promanet ab ipsa diuina essentia, cùm Deus non agat per potentias adiacentes sibi; non tamen æterna est.

Ex his ergo facilè constare potest quàm difficilis sit huius nostræ propositionis probatio, cùm viri tam præstantes nullam firmam adhuc excogitauerint rationem. Quod ipsum pateret de cæteris si vim rationum reliquarum ad examen redigeremus.

Vera atque efficax propositionis ratio est, quia omnis substantia creata per virtutes substantiæ superadditas elicere suos actus debet, quod fusè ostenditur. §. 4.

QVare missis reliquis quæ dici possunt argumentis, meliùs probatur nostra propositio hac ratione: qnia omnis substantia creata suos actus elicit per virtutes superadditas: Angelus est substantia creata: Ergo debet elicere suos actus per virtutes superadditas: ergo & intelligere, quod est aliquis actus, debet elicere per virtutem intelligendi superadditam, quæ est intellectus. Minor & consequentiæ sunt certæ.

Maior probatur dupliciter: primò inductione in omnibus substantiis creatis: Nam id primò videmus in substantiis quarum actio transit in externam materiam: Non enim ignis agit nisi per calorem & siccitatem; quibus veluti instrumentis efficit quicquid efficit: Nam per eas qualitates calefacit & exsiccat materiam: sit lignum v. g. stupa & similia: de quibus non dubitatur. Iis autem in eo subiecto ita ingeneratis constat ignem è materia educi. Cùm enim ignis in intermedio aëre ignem non producat, non immediatè lignum in ignem cõuertit. ergo in ea ignis generatione, illis vtitur tanquam instrumentis ad lignum inflammandum. Quod autem de igne dicimus, idem de cæteris tum elementis tum mixtis sentire par est, cùm hæc omnia nonnisi per suas qualitates contrarias agant. Vt meritò Aristoteles libro de sensu & sensili cap. 4. de omnibus elementis, atque adeò de cæteris corporibus, inter quæ possit actio esse & passio, nempe actio transiens, generatim dixerit, nihil aut agere aut pati; nisi qua his qualitatibus cõtrariis præditum est. *Qua ignis, & qua terra*, inquit, *nihil natum est agere vel pati, nec aliud quicquam: qua autem inest contrarietas in eis, hæc omnia agunt & patiuntur.* Omnia ergo cùm agant per qualitates pugnantes ita vt ex earum pugna varij existant effectus, constat agere per qualitates superadditas. Certum enim est, has qualitates distingui realiter ab ipsis corporibus; quãdoquidem ab iis separatim esse possunt, vt etiam patet in speciebus cõsecratis; cum iam consecratio corporis & sanguinis Christi Domini in pane, vinóque peracta est. Et præterea quia videmus ignem cum redactus est ad naturam fumi, atque exhalationum, infrigidari, ac plerumque frigidum esse, aquámque calescere. Ergo distinguuntur realiter. Atque hæc de elemẽtis mixtisque corporibus non præditis anima, & corruptibilibus; quippe quæ omnia per pugnaces qualitates ab ipsis substantiis distinctas sua munera exercent.

Nunc idem contingere in cœlo cæterisque animantibus non difficilè ostendi potest. Atque in cœlo quidem videmus solem nullo alio pacto in hæc inferiora agere, præterquam motu & lumine; aut (si eæ dentur) influentiis vt vocant: quas qualitates certum est ab ipsa astrorum substantia realiter differre, lumine enim priuatur luna suo tempore: atque eodem modo & influẽtiæ distinguentur; quia lumen nõ minùs est cœlo proprium, quàm qualitates illæ quæ his inferioribus superfunduntur.

Iam quod corpora animata agant per qualitates superadditas, probatur, & primò in ea actione transeunte, quæ maximè viuentium videtur esse; nempe cùm ipsa nutriuntur, adgenerántque sibi alimentum. Tunc enim tota illa nutritio, cibique agglutinatio calore concoquẽte ac digerente tanquam instrumento fit; vt docet Aristoteles lib. 2. de An. cont. 50. nam *operatur concoctionem calidum, vnde omne animatum habet calorem.* Ita vt in libello de Iuuent. & senect. cap. vlt. dicatur in eo esse principium nutritionis. *Respiratio* inquit *tunc fit quando augmentatur calidum, in quo principium nutritiuum.* Idem calor instrumentum est ad generandum viuens, dum fœcunda facit viuentium semina: Quod Aristoteles lib. 2. de Generat. animal. cap. 3. docuit illis verbis: *Inest in semine omnium, quod facit vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur.* Idem præterea cùm animal augetur, inseruit accretioni, siue eiusdem animalis incremento. Rectè enim idem Aristoteles lib. 3. de part. animal. cap. 6. ait *calorem vim augendi obtinere.* Denique nullum animæ opus est, quod calore instrumento non peragatur. Quam ob causam dicitur ab Aristotele lib. 2. de Part. cap. 5. *Calor ad exequenda animæ officia omnium maximè administrandi vim obtinet.* Ex quibus satis clarè constat, animantum genus omne vti qualitate sibi superaddita, vt actionis transeuntis munus exequatur.

Hoc ipsum nunc de alio genere actionũ immanentium idem probatur: Nam motum naturalem videmus elici à virtute, quæ à corpore realiter distinguitur: Grauium enim motus est à grauitate, sicut leuium à leuitate: quam distingui realiter à substantia corporis grauis Catholica fides nõ sinit dubitare. Sublata enim per Eucharistiæ sacramentalia verba panis viniq; substãtia, adhuc species illæ graues sunt, deorsúmq; tendunt, non aliter ac si ibi panis adesset & vinum, vt experientia constat: quę grauitas eadem est, quæ prius erat in pane; non enim de nouo huiusmodi accidentia producuntur: sed quæ priùs erant remanent pereunte dumtaxat panis substantia; vt docet Concilium Tridentinũ sess. 13. can. 2. Vbi definitur fieri conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & vini in eius sanguinem, *manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.* ergo illa grauitas à substantia separatur realiter. E quorum analogia idem ostendere possumus accidere in cæteris actionibus immanentibus, vt eæ eliciantur ab anima per facultates ab ipsa realiter distinctas: Cùm enim huiusmodi distinctio nos lateat, inuestigari debet ex analogia ad reliquas qualitates, quæ aliũde nobis perspectæ sunt; Vt ita quod sæpè à nobis suprà dictum est ex Aristotele lib. 1. de cœlo cont. 102. ponamus in rebus *sola illa rationabiliter*

quæcum

quæcunque in multis aut in omnibus videmus esse. Cōstat ergo inductione ostendi, substantiam finitam & creatam elicere suos actus per potentias superadditas.

Secundò probatur eadem Maior: quia omnis substantia creata ad suas functiones indiget instrumento superaddito quo vtatur; idq; ob substantiæ creatæ finitatem. Quia scilicet cùm finita sit in genere substantiæ, postulat instrumenta quibus iuuetur ad suum opus, ad quod satis ipsa non est per sese: quæ causa est, vt homini qui inter viuentia prudentissimus est, ac proinde ad plura aptus, datæ sint manus, quæ omnium instrumentorum instar sunt; quibus in omnibus fermè suis functionibus homo vtatur in agendo. Vt enim ait Aristoteles lib. 4. de Part. animal. cap. 10. Homo *quia prudentissimus omnium animalium est, ideò manus obtinet. Qui enim prudentissimus est, rectè vti plurimis instrumentis potest. Manus autem videtur esse non vnum instrumentum sed multa.* Quasi velit significare; quia plurimis opus habet functionibus, plura ad eas postulat instrumenta, sine quibus illa munera obire nequit; ideò illi manus datæ, quæ plurium instrumentorum instar sunt. Ergo censet naturam hominis, ac proinde quamcumque substantiam creatam variis indigere instrumentis pro eiusdem actionum varietate.

Aristoteles. Quod mira breuitate vt solet Aristoteles pronunciauit, cùm generatim dixit libr. 2. de An. cont. 38. *Congruit instrumenta dicere diuersa & eadem operibus*; hoc est vt operum varietas postulat; ac si doceat ad operandum, semper necessaria esse substantiis instrumenta. Omnis ergo substantia creata indiget instrumento ob naturæ limitationem: ergo indiget facultatibus, quæ instrumenta sunt, quibus vtitur ad functiones: Nec alia esse possunt ad actus immanentes instrumēta præter huiusmodi facultates, quæ sunt animæ vires naturales, potentiásque nominarunt philosophi.

Neque huic argumento satisfaceret, si quis responderet, substantias finitas indigere instrumento ad actiones transeuntes, non autem ad immanentes. Ex eo enim quòd actio transiens transmittēda est in externum subiectum, oportuit esse qualitates instrumentarias, quibus absente etiam agente produceretur effectus in eo externo subiecto. quę ratio cessat in actione immanente; cui semper agēs cum debeat esse præsens, non opus instrumentis ad eas eliciēdas est. Hæc inquam si dicantur non satisfaciunt: Etenim nostris argumentis nō tantùm ostendimus necessaria esse instrumenta cùm producēdus est effectus in materia & subiecto distanti; sed etiam cùm in seipsis causæ agentes effectum suum gignunt, non solùm in externa materia; vt de nutritione & incremento dictum est. Immò etiam in actibus ipsis immanentibus idem manifestum est, cùm ad motū localem virtutibus suis nempe grauitate & leuitate mobilia ipsa prædita sint, vt iam probatum est.

Hinc etiam intelligi potest, cur accidentia non indigeant instrumento etiamsi naturæ finitæ sint. Id enim est, quia accidentia ex sua natura sunt substantiæ instrumenta; ideóque illi debentur, vt facultates operatrices; quemadmodum manus debetur homini, vt per eam munera obire possit sua. Non est autem necesse, vt id quod sua natura alterius est instrumentum,

A indigeat instrumento alio: Tum ne detur progressio in infinitum: Tum quia quod est sua natura tale, non habet opus alio vt sit tale; vt oculus quia instrumentum ex se est animæ ad videndum, non indiget vt per aliud instrumentum videat. Idémque dico de serra, ac cæteris artium instrumentis; Vnde si oculus videre nequeat, aut manus operari, nec oculus proprie nec manus est. Vt si fistulæ marmoreæ sint, quia non sunt aptæ, vt per eas mutuus reddatur sonus, ab Aristotele dicuntur æquiuocè ex fistulæ, quia ex se instrumenta cùm sint, actionem suam promere nequeunt. Sic autem loquitur lib. 4. Meteor. cap. vlt. *Sic igitur* inquit *& manus mortui æquiuocè; quemadmodum & si fistulæ lapideæ dictæ fuerint. Vt* Aristoteles.

B *enim & hæc instrumenta quædam videntur esse.* Itaque ex ipsa ratione instrumenti debent ex se posse attingere effectum seu actionem si instrumenta sint vltima. Fateor enim quædam esse instrumenta, quæ alio egent ad opus vltimum; vt manus vt clauum figat in axem eget malleo, &c. Et ideò dixi non esse necesse, vt id quod ex sua natura est instrumentum, alio indigeat ad opus, vt significarem hoc discriminis inter substantiam creatam atque instrumenta constituēdum esse, vt substantiæ creatæ instrumenta debeātur ad opus, instrumentis autem non necessaria sint alia instrumenta, cùm possint esse proxima atque immediata operandi principia; non itē substantiæ ob suam finitatem.

C Quod si quæras, Vel id exigitur in substantia creata ob eius perfectionem, vel ob imperfectionem? Respondendum est ob vtrumque si diuersè comparetur. Nam si substātia creata comparetur ad Deum, eget instrumentis ob imperfectionem suam; hoc est ex eo quod non habet infinitam illam perfectionem, quæ requiritur vt substantia sine instrumentis effectus suos procreet. Hoc enim proprium est infinitæ substantiæ, vt in operando nulla re tanquam instrumento indigeat, cùm omnia sine rerum creatarum ope possit efficere; nempe per creationem ad quam creatura concurrere nequit; vt rectè probat A. Doctor suprà q. 45. a. 5.

D Sin autem eadem substantia creata referatur ad accidentia, dico esse ob eius perfectionem. Cùm enim vnumquodque sit ad operationem tanquam ad finem; vt patet ex Aristotele lib. 2. de cælo cont. 17. & lib. 1. de Part. cap. 5. non debuit substantia, quæ comparatè ad accidens est præstantissimum ens esse propter operationem, quæ est accidens tanquam propter finem: quia nobilius nunquam refertur ad vilius tanquam ad finem, cùm finis semper præstet iis quæ ad finem sunt; vt docet A. Doctor 2. 2. q. 152. a. 5. c. qua de causa Aristoteles lib. 3. Top. cap. 1. loco 14. ait *finem iis quæ sunt ad finem eligibiliorem esse.*

E Vnde etiam finis rationem optimi habere dicitur; vt patet ex eodem Aristotele lib. 2. Phys. cont. 31. *Id enim cuius gratia* inquit *optimum & finem aliorum vult esse.* Hæc etiam causa est vt quod ex se bonum est dixerit lib. 1. de An. cont. 42. non debere aliò referri. *Neque quod secundum se bonum est* inquit *aut propter seipsum, hoc quidē alterius causam esse*; Quia scilicet nobilius non respicit finem se minùs nobilem. Aristoteles.

Quod etiam patet in ipsis habitibus comparatè ad suos actus, ad quos ipsi habitus referantur tanquam ad finem vt certum est, & docet Aristoteles lib. 9 Metaphys. cont. 15. vbi etiam Aristoteles

hoc accuratè probat. Cùm enim dixisset *actū esse finem, & huius gratia potentiam sumi*, subdit probationem his verbis: *Non enim vt visum habeant animalia vident; sed vt videant visum habent. Similiter etiam ædificatiuam vt ædificent; & speculatiuam vt speculentur; non vt speculatiuam habeant speculantur, nisi in iis qui exercitantur.* Dico ergo respectu horum actuum qui potentiarum fines sunt, potentias esse minus perfectas, eo quòd ad actus tanquam ad fines sunt. Quod egregiè docuit Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 7. vbi probat felicitatem summum bonum nostrum, non debere esse nisi in operatione perfectissima, ad quam cætera referantur tanquam ad vltimum finem: alioqui non fore summum bonum si vlteriùs referretur. Supponit ergo finem præstare iis quæ ad finem sunt. Immò id expressis verbis ibi docet: *Id autem* inquit *quod per se spectandum est, eo perfectius dicimus, quod propter aliud appetimus, quódque nunquam ob aliud eligendum est, iis quæ per se & ob aliud expetuntur. Absolutè autem perfectum, quod semper per se nunquam ob aliud expetendum est.* ob quam rationem dicit felicitatem debere esse in iis bonis, quæ summa sunt, quia propter se nunquam propter aliud expetuntur: *Huiusmodi autem videtur felicitas maxima esse: Hanc enim propter seipsam semper & nunquam propter aliud.* Ac proinde istam non posse esse honores, scientias, &c. quia hæc omnia propter felicitatem volumus, etiam cùm rectè volumus, quia hæc ipsa comparare studemus, vt feliciores euadamus.

Debuit ergo substantia secundum se non referri ad operationem; sed per suas facultates & operatrices potentias; atque ideò non operari immediatè: alioqui secundum se referretur; quia vnumquodque est gratia operis. ergo vel secundum se vel per aliud. Quod ipsum confirmabitur valide in consequentibus corollariis.

Nullam posse creari à Deo substantiam quæ operetur immediatè non per interpositas facultates, & quomodo nulla substantia, sua natura referatur ad accidens. §. 5.

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, non solùm de facto substantias debere operari per interpositas potentias atque instrumenta; sed etiam nullam posse creari, quæ immediatè seipsa operetur, saltem si connaturali modo ei operandum sit. Patet ex dicta ratione: Quia quælibet substantia creabilis est finitæ essentiæ in genere substantiæ. ergo debet iuuari suis instrumentis in suis functionibus obeundis: Ob hanc enim causam homo, cæteræque substantiæ creatæ instrumentis de facto indigent, vt iis tanquam suis adminiculis & operatricibus facultatibus suum finem ad quem referuntur aptissimo modo consequantur, vt dictum est. Quemadmodum supra diximus nec posse creari substantiam cuius operatio idem quod ipsa realiter sit; quia scilicet cùm substantia creata sit, debet posse perfici suis actibus, ac proinde potentiis quibus eget ad actus.

Ex quo vlteriùs sequitur, ipsam substantiam ex se non esse operatricem nisi remotè, atque vt aiunt radicaliter. Nam ipsa ex se non operatur

A nisi per facultates suas; vt si homo non haberet instrumenta gradiendi non posset ambulare; nec videre si cæcus esset. Dixi saltem si connaturali modo, &c. propterea quod Vtrùm Dei absoluta potestate suppleri possit ille facultatum, instrumentorúmque concursus, difficiliùs stabiliri potest. Cuius rei accuratior disputatio alterius considerationis esto, ne omnia in hunc locum congerantur. Vt tamen aliquid significemus:

Mihi hac in re breuiter dicendum videtur, substantiam vltra actionē instrumēti non posse habere suam aliquam propriam, seiunctámque actionem: quia ad illam perfectionem quæ est operatio non refertur substantia nisi per facul-
B tates, ne nobilius ad minus nobile tanquam ad finem referatur, vt dictum est. Ergo immediatè non est potentia ad operandum; ac proinde non potest operari sine suis potentiis. Si enim posset per sese; ergo ipsa esset in potentia ad actum: ergo ipsa esset potentia, quia non esset in potentia per aliud; atque ideò ipsa esset potentia & facultas operatrix: quod est impossibile; nam alioqui nobilius se ipso & substantialiter, referretur ad minùs nobile tanquam ad finem.

Quamobrem licèt extrinsecè ex alicuius superioris voluntate, aliquod nobilius referatur
C ad minùs nobile tanquam ad finem (sicut ex Dei decreto dicitur Incarnatio ad finem nostræ redemptionis vt est in Symbolo Niceno: *Propter nos homines & propter nostram salutem*; &c.) Tamen ex se non refertur tanquam ex natura. Potest enim aliquid quod sua natura habeat vnum finem, extrinsecus ab operante referri ad aliud ad quod ex se non tendit. Vt enim ait A. Doctor A.Doctor
2. 2. q. 141. a. 6. ad 1. *Aliud est finis operantis, aliud operis; sicut patet quod ædificationis finis est domus; sed ædificatoris quandoque finis est lucrum.* & sic de aliis compluribus: Scientiæ enim finis est speculatio, vt ex Aristotele diximus: & tamen ex fine scientis ad conquirendos honores, & dignitates re-
D ferri potest; immò & ad turpes infamésque actiones, quæ medio, vt aiūt, digito ostendātur.

At inquies, non potest aliquid extrinsecus referri ad finem ad quem non sit vtile: omne autem quod vtile ad aliquid est, ad illud sua natura refertur; Vt quia medicina vtilis est ad sanitatem, refertur sua natura ad sanitatem; *Vtilia enim* inquit A. Doctor 1. 2. q. 16. a. 3. c. *dicuntur quæ sunt ad finem accommoda.* Ergo habent sua natura A.Doctor
ordinem ad finem, ad quem respiciunt omnia ea quæ extrinsecus ad finem referuntur, ac proinde quod præstantius est referri potest sua natura ad finem minus nobilem.

Respondeo, dupliciter posse aliquid esse vtile ad aliud vel suamet entitate, vel ex aliquo eius
E effectu. Primo modo sunt vtilia, quæ ex se non per aliud ad finem ipsum conducunt; vt est calefactio ad esse calidum; & ædificare vt domus sit; & alia huiusmodi. Alio autem modo vtilia sunt, quæ licèt ex sese nullam habeant vtilitatem; tamen ex sese habent effectum qui ad finem vtilis est. Vt scientia licèt per se solùm vtilis sit ad eliciendum actum scientiæ ad quam ex se tendit; tamen effectus qui inde sequuntur, vtiles sunt ad dignitates, honorésque conquirendos; quia nimirum is qui scientia doctrináque polleat, eos docere potest apud quos potestas sit eum honore afficiendi, atque euehendi ad dignitates, &c.

Dico

Dico ergo ad argumentum; Quæ vtilia sunt primo modo, esto ea sua natura referantur ad finem, quia ad finem suamet natura non per aliud dirigantur; atque ita nego nobilius referri ad finem minus nobilem. Nec contrà instare possunt. At verò ea quæ vtilia sunt altero modo, aio nec referri ad finem sua natura; quia non ex se sed per accidens, hoc est per aliud, nempe per effectum ad finem illum conducunt. Quo pacto Deus Opt. Max. qui omnium rerum perfectissimus est, vtilis est nobis dum suis auxiliis ad finem felicitatis dirigit, vitámque seruat humanam; & quicquid vitæ ac felicitati prodest elargitur. Et hoc pacto aio, Incarnationem decretam fuisse ad nostram salutem, non quia ex se tantum diuinitatis opus haberet ordine ad nostram salutem tanquam ad finem; sed quia inter eius effectus non deerant qui referri possent, nempe gratia sanctificans, & reliqua gratiarum auxilia, ideò extrinsecus relata fuit ex diuina sapientia, & bonitate ad humani generis liberationem à peccato; vt alibi fusiùs dictum est. Quo etiam modo dicitur: *Angelis Deus mandauit de te, vt custodiant te, &c.* Id enim est, non quia nobilissimæ substantiæ finis sit hominum custodia; sed quia eorum effectus nónnullus nobis vtilis est, dicuntur referri ad nostram salutem.

A. Doctor. Hanc doctrinam apertè significauit A. Doctor in 2. d. 15. q. 1. a. 1. ad 6. vbi sic ait: *Aliquid potest esse propter aliud dupliciter; aut quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium & principalem; & sic inconueniens est dicere quod aliquid sit propter vilius se; vt luna & stellæ propter noctuas, & vespertiliones, cùm finis sit potior his quæ sunt ad finem. Alio modo potest dici aliquid propter aliud, cui ex ipso prouenit aliqua vtilitas, eo modo quo posset rex dici propter rusticum, ex cuius regimine prouenit ei pax.* Et hoc modo ait esse intelligendum quod in litera Magistri in eadem d. 15. dicitur, cùm docet cœlum ac sydera ideò à Deo esse facta, vt per ea illustraretur inferior Vniuersi pars, ne esset iis qui terram incolerent tenebrosa. Constat ergo nullam substantiam creari posse quæ immediatè operetur.

Hic etiam quæri posset; Vtrùm Angeli substantia ex eo quod potest suscipere potentias suas, sua natura ad potentias referatur. Etenim si referretur sua natura; ergo quod nobilius est, refertur ad minùs nobile tanquam ad finem. Omnis enim forma est sui subiecti finis. Vt

Aristoteles. enim habet Aristoteles lib. 2. Phys. context. 70. *Ipsum quid est*, nempe forma, *& id cuius gratia vna est*; hoc est vnum idémque sunt; quia scilicet subiectum respicit formam tanquam finem, cùm materia sit propter formam. Quod expressis verbis docuit Aristoteles eodem lib. 2. Phys. cont. 81. Ibi enim cùm dixisset duplicem esse naturam; materiam scilicet & formam, subdit; materiam esse propter formam tanquam propter finem. Idem patet ex cont. 91. ibidem. Quod verò substantia sua natura referretur ad suas potentias probatur: Quia ex eo refertur potentia ad actus sua natura; quia ipsorum est potentia susceptrix; & quod ex se & non per aliud, potest suas potentias suscipere: ergo ex sua natura referri oportet ad suas potentias. Sequitur ergo illud inconueniens quod fugere nitebamur; quòd scilicet nobilius ad minus nobile referatur tanquam ad finem.

Respondetur tamen ad difficultatem breuiter hac ratione; nullam videlicet substantiam

A perfectam, aut etiam quæ sit actus substantialis habere sua natura ordinem ad accidens etiam quod est forma illarum substantiarum, vt ostensum est. Vnde quamuis Angeli substâtia (idémque suo modo dico de anima, cæterisque substantialibus formis) dicatur posse suscipere suas potentias; si eas à subiecto auferret Deus; non tamen eo loquendi modo significatur; Angeli substantiam esse potentiam ad suas potentias: nam sensus est: substantia Angeli siue animarum est talis res, vt potentiæ possint esse in ipsa tanquam eius facultates connaturales. Pro qua re intelligenda

Notandum est ex Aristotele lib. 5. Metaphys. B context. 20. quædam relatè dici inter se, quæ ex vtraque parte relationem non habent, sed ex vna tantùm. Quod genus relationis ibi Aristoteles appellat eorum quæ sunt, *vt mensurabile ad mensuram.* quemadmodum sunt scientiæ ad id quod sub scientiam cadit; nempe ad scibile, & sensus ad sensile, & intellectus ad intellectile; quia scilicet vnum est mensura alterius; siue sit mensura secundum perfectionem, siue secundum dependentiam, &c. propterea quod vel vnũ in sua ratione habeat perfectionem ab alio; vt scientia refertur ad scibile, à quo naturam, speciémque desumit; Vel habeat dependentiam quoad denominationem relatam ad aliud; vt columna dicitur dextera ad animalis dexteram, C siue alio modo. Hoc igitur relationis genus ait ibi Aristoteles non habere mutuum respectum; sed alterum dici relatè ad alterum per alterius respectum: Sic enim habet, *Mensurabile autem & scibile, & intelligibile, eo quod aliud ad illud dicitur, nam intelligibile significat quod eius est intellectus; non est autem intellectus ad illud cuius intellectus est.* Rationem huius rei (cur scilicet vnum extremum referatur relatione alterius extremi) reddit optimam A. Doctor suprà quæstione decimatertia art. 7. c. vbi ait, hoc contingere, *quandocumque* inquit *duo extrema non sunt vnius ordinis; sicut sensus & scientia referuntur ad sensile & scibile; quæ quidem in quantum sunt res quædam in esse natu-* D *rali existentes, sunt extra ordinem esse sensibilis & intelligibil.*

Aristoteles.

A. Doctor.

Itaque eius ratio est: Quia vnum secundum quod res quædam est in se, non habet talem respectum; neque illi aduenit talis respectus, ex eo quòd aliud est ad ipsum. Vnde quia cœlum non habet respectum vt sciri possit à Socrate, v. g. neque illi adueniet huiusmodi relatio, ex eo quod à Socrate sciatur; & ideò ait esse diuersi ordinis, quia sunt extra huiusmodi ordines, intra quos sunt ea quæ referuntur ad ipsa. Cùm ergo in scientia & sensu sit ordo realis; quia vt tales res sunt, respiciunt obiecta (sunt enim qualitates, quæ sunt sui obiecti notitiæ res illæ; E vt cœlum, sydera, Mundus, &c.) cùm relatam denominationem sortiuntur *scibilis & sensilis* talia dicentur reali respectu non qui in ipsis sit, sed qui ad ipsa sit. Atque hanc ob causam rectè definiri possunt absque vlla relatione quæ in ipsis significetur, sed tantùm per eam quæ in alio quod est ad ipsa sit. Quo pacto eadem ab Aristotele definiuntur eodem cont. 20. cùm dixit, scibile esse cuius est scientia, & sensibile cuius est sensus; mensurabile cuius est mensura; & sic de aliis. Quod etiam adhuc magis manifestum est in columna, cùm ad hominis dexteram est. Tunc enim dextra non dicitur, nisi quæ vt

vt ait eodem loco A. Doctor, Dextera hominis est ad illam. Neque enim in se dextræ rationem, naturámque adipiscitur, ex hoc quod ad hominis dextram esse contingat.

Quocirca in re nostra dico, substantiam Angeli posse recipere potentias suas, verum esse; sed non sequi ex hoc, ipsam substantiam esse potentiam & respectum ad suas potentias; sed dici posse recipere suas potentias, eò quòd potentiæ sunt ad illam tanquam ad connaturale subiectũ suum; quemadmodum scibile dicitur posse sciri; & mensurabile posse mensurari, non quidem relatione quæ sit in ipsis, sed relatione seu potentia quæ sit in aliis vt dictum est, ita vt scibile dicatur sciri posse, eò quòd scientia eius esse possit; & mensurabile posse mensurari, quia eius possit esse mensura. Sic ergo substantia Angeli potest suscipere potentias, quia potentiæ esse possint in ipsa.

Quod autem sit par ratio vtrorumque, probatur tum ratione A. Doctoris; tum ea quam ibi ponit Aristoteles: Et ratione quidem A. Doctoris patet veritas; quia idcircò scibile non refertur relatione quæ in ipso sit ad scientiam; quia scibile qua res est, hoc est secundum quod subiicitur huic denominationi, non relatione reali respicit scientiam vt diximus. At nec substantia Angeli secundum quod res est, & subiicitur huic denominationi, quod possit suscipere potentias, relatione reali respicit ipsas potentias. Nam vt suprà ostensum est, substantia Angeli realiter ac sua natura non refertur ad operationes tãquam ad finem: Si autem respiceret potentias sua natura, referretur ad operationes, sua natura tanquam ad finem: nam respiceret sua natura potentias, quæ sua essentia ad actum sunt tanquam ad finem. Id enim quod respicit sua natura aliud quod est ad aliud, sua quoque natura respicit illud aliud; Vt quia potentiæ respiciunt actus qui sunt ad obiectum, respiciunt saltem mediatè ipsum obiectum: Et ideò definiuntur sæpe per ordinem ad ipsum obiectum; vt potentia videndi est circa visibile, &c. Quasi perinde sit definiri per ordinem seu respectum ad id ad quod mediatè; & per ordinem seu respectũ ad id ad quod immediatè respicitur.

Immò non solùm quę ad finem proxima sunt; referuntur ad finem; verùm etiam quæ sunt remota; nimirum inter quę & ipsum finem alia interiacent; Vt exempli gratia non solùm calefactio est ad calorem; sed etiam vis calefaciendi ad ipsum calorem est, & non solùm actus ædificãdi respiciunt ad constructionem domus; verùm etiam quæcunque ad ædificandum instrumenta sunt, quæ vtilitatem naturalem ad domum construendam habent. Et idcirco ad eam dicunt attributionem vt aiunt Philosophi, quæcunque ad eius cõstructionem conferunt; quemadmodum omnia quæ siue remotè siue proximè sanitatis efficientia sunt, ad sanitatem conducere dicuntur, & ob eam causam sana denominantur, vt cibus, stomachus, concoctio, &c. Ergo substantia Angeli si referretur ad potentias, referretur ad finem potentiæ; nempe ad actum: Quod improbatum hactenus est. Constat ergo probari ratione A. Doctoris, substantiam Angelicam referri ad potentias suas relatione earumdem potentiarum ad ipsam.

Idem patet ex ratione Aristotelis eo loco posita: Nam ratio cur neget ibi Aristoteles scibile

A referri ad scientiam relatione reali, est quia, *Idem profectò* inquit *bis dictum esset*; quia scilicet per duplicem relationem idem diceretur; Vt verbi gratia scibile vna relatione quæ est scientiæ, diceretur scibile; quia scibile est id cuius est scientia: alia relatione secundùm quam ipsum scibile diceretur ad scientiam. ergo pari ratione & substantia Angeli diceretur potens habere potentias per relationem quæ est potentiæ ad ipsam substantiam, & relatione propria ad potentias.

B *Diuersitas assignatur cur inter substantias sola materia prima ad accidens referri possit.* §. 6.

Ex quibus vlteriùs patet, cur substantię completæ & formis substantialibus denegemus has relationes ad accidentia; aliis verò rebus; vt materiæ primæ cæterisque potentiis; atque earumdem actibus; & similibus eas concedamus. Id enim est, quia in materia & in potentiis non sunt aliud res & relatio ipsarum: Relatio enim ipsas huiusmodi res constituit essentialiter, cùm C in hoc differant relationes transcendentales à prædicamentalibus; quod hæ ei absoluto quod referunt ad purè terminum superueniunt accidũtque; vt paternitas homini; albedinique similitudo & similia: Illę verò sint ipsum absolutum quod est relatio; vt relatio scientiæ ad obiectum non est respectus vllus, qui scientiæ quæ sit qualitas adueniat; sicut nec relatio ad actum accidit qualitati, quę sit facultas & vis ad agendum, &c. Sed ipsa qualitas, quę est scientia essentialiter est relatio ad obiectum; quia scientia nihil est aliud nisi obiecti notitia: Idémque dico de potentia: ipsa namque potentia est relatio essentialiter; si D quidem potentia est vis sui actus effectrix, & sic de cæteris similibus.

Quocirca discrimen inter hæc duo relationũ genera apertissimè in eo positum est, quòd relationes prædicamentales non sunt ens absolutũ essentialiter; sed enti absoluto accidunt; Vt albedo non est similitudo, quia albedo essentialiter est qualitas visum disgregans. Similitudo autem est relatio qua subiectum alteri simile est. Vnde albedini accidit tanquam subiecto immediato quod ad purè terminum referatur. At verò relatio transcendẽtalis est ipsum ens absolutum cui non accidit relatio, sed in eo essentialiter inuoluitur; Vt enim diximus relatio ad obiectum non accidit scientiæ, quæ est ens absolutum, sed E scientiæ essentia est, cùm in eius essentiali definitione ponatur. Dixi autem prædicamentales relationes referre suum subiectum absolutum ad purè terminum, propterea quod earum nullum aliud munus in suo subiecto est nisi ipsum referre ad terminum; vt patet per paternitatem respicit terminum qui est filius patris: Hoc autem non conuenit relationibus transcendentalibus, quæ suum absolutum cùm sint, non sunt ad purè terminum; sed ipsum terminum respiciunt vel tanquam sui causam; vel tanquam suum effectum. Sic materia respicit formam, potentia actum, accidens suum subiectum, scientia suum scibile, &c. Constat ergo his rebus quæ transcendentalibus relationibus consti

constituuntur non aduenire relationem extrinsecus, aut eas determinare extrinsecus vt ex instituto in Logicis ostensum est.

Iam ergo ex his dico nos materiæ primæ, actibus, atque potentiis, concedere has ad accidētia relationes, non autem substantiæ completæ, formisque substantialibus. In illis namque entibus non est aliud res & relatio ipsorum; sed ipsa sunt relatio essentialiter ad accidentia; quia essentialiter accidentia respiciunt. Materia namque prima cùm sit essentialiter potētia formarum etiam accidentium susceptrix, debet esse essentialiter relatio ad ipsas easdem formas, quarum est potentia susceptrix, de quo cum alibi copiose disputatum sit, nihil hic attinet amplius dicere. Potentiæ etiam quia sunt essentialiter vis & facultas actuum effectrix, necessariò accidentia respiciunt; sicut etiam actus cùm eorum obiecta accidentia sunt; vt visio colorum, auditus sonorum & similia. Hi enim speciem naturámq; ex suis obiectis sortiuntur, sicut potentiæ ex suis actibus, vt ex Aristotele patet lib. 2. de Anima cont. 33. idque sæpè docet A. Doctor; vt infra qu. 77. a. 3. c. De Veritate q. 2. a. 2. & q. 15. a. 2. & q. de An. a. 13. alibique frequenter; ideò illa omnia definiuntur comparatè ad illud, quod sua essentiali ratione respiciunt; vt materia est subiectum formarum omnium, &c. Sicque de cæteris. At substantia completa, & formæ substantiales, non sunt relationes essentiales ad accidentia. Hoc enim ipso vt diximus, nobilius sua natura referretur ad minùs nobile; quod absurdum est planè atque impossibile, vt dictum est. Vtrùm autem referantur relatione superaddita, & per accidens, dubium non est quin de facto ita sit in multis. Hoc tamen nihil continet absurditatis; cùm certum sit ex tali relatione accidentaria non sequi, nobilius sua natura referri ad ignobilius, sed solùm per accidens superadditum. Sic namque contendimus substantiam per suas potentias referri ad operationes.

Neque hic dicat aliquis; Materia est quid nobilius accidente; & tamen, vt diximus refertur ad accidens tanquam eius potentia susceptrix. Ergo potest etiam forma ad accidentia referri absque vllo absurdo. Hoc inquam dici non debet: Materia namque refertur ad accidens tanquam eius formæ susceptrix potentia, quæ est medium ad formam actúmque substantialem, qui est materiæ finis vt diximus. Vnde primariò refertur ad substantiam, secundariò autem ad accidens, tanquam ad medium & præparationē ad formam. Quod quidem non est inconueniens, cùm non sequatur, nobilius referri ad ignobilius tanquam ad finem simpliciter, cùm forma sit materiæ simpliciter finis, vt dixi ex Aristotele lib. 2. Phys. cont. 81. & 91. ac proinde materia nobilior. secus si forma referretur ad accidens. Cùm enim non esset alia substātia quæ formâ nobilior esset, & ad quam accidens esset medium, hoc ipso forma referretur ad ipsum accidens, vt ad finem eadem formâ ignobiliorem. Immò formam substantialem non referri ad accidens patet euidenter, ex eo quòd forma ipsa non refertur ad accidens, tanquam ad subiectum cum quo faciat compositum, vt certum est; nec ad ipsum vt ad operationem, vt ostendimus. Ergo nullo modo ad ipsum refertur.

Audiui nonnumquam similibus argumentis quosdam respondere solitos hoc pacto: nunquam

A quidem substantiam completam referri per se & directè ad accidens, ob argumentum factum: Tamen hinc non sequi substantiam non posse referri ad accidens aliquo modo indirectè. Potest enim substantia referri ad seipsam, quatenus habet aliquam operationem, vt homo refertur ad seipsum vt felicem, tanquam ad vltimum finem; ergo indirectè refertur ad felicitatem, quæ est accidens homini. Vnde dicerent non valere nostra iam facta argumēta. Esto namque substantia non sit ad accidens tanquam ad finem; tamen substantia potest esse ad seipsam operantem tanquam ad finem, ideóque poterit per se nudam operari; nec sequitur inde, nobilius referri ad ignobilius. Nuda enim & per se, referetur ad seipsam operantem, quo pacto se ipsa nobilior est substantia. Ergo ex hoc non indiget potentiis superadditis.

Verum hæ similésq; responsiones non tā irrita reddūt nostra argumēta, quàm se produt inanes. Primum quidem aduersus ens est: quia vt arguebamus antè ex Aristotele, finis debet præstare iis quæ sunt ad finem, ita vt non solùm id quod constatur ex fine tanquam forma, & subiecto, nobilius sit ipsis mediis; sed etiam ipsa forma quę est finis, cæteris quibuscunque mediis potior esse debet. Vnde Aristoteles in eo libro primo Ethicorum, capite septimo cùm ostendit vltimum finem & felicitatem, eò quòd ad ipsam omnia referantur, cæteris præstare oportere, non in concreto disputauit de felice, sed de forma concreti, quæ hominis sit operatio præstantissima quam docuit nobilissimam esse oportere, quia ad ipsam cætera diriguntur. *Id autem* inquit *quod per se sectandum est, eo perfectius dicimus quod propter aliud appetimus, quódque numquam ob aliud eligendum est; &c. Eiusmodi autem videtur felicitas maximè esse: hanc enim propter ipsam semper, & nunquam ob aliud expetimus.* Ex hac autem definitione postea ostendit felicitatem sitam esse oportere in hominis perfectissima operatione ex hominis facultate *optima & perfectissima.* ergo comparat ipsam formam cum mediis, quibus eam antecellere debet. Aristoteles.

Deinde esto substantia illa nuda referatur ad seipsam operantem: Tamen non rectè dicitur referri indirectè ad operationem, cùm debeat directè, primariò, per séque ad operationem ipsam tendere. Probatur ratione à priori. Etenim omne illud, quod refertur ad aliquod compositum tanquam ad finem, primariò, directè, ac per se tendit ad formam illius compositi; sed substantia illa nuda refertur ad compositum, nempe ad seipsam vt operantem tanquam ad finem: ergo substantia illa nuda directè, primariò & per se tendit ad formam eius compositi: Quæ forma in re nostra præsenti est operatio. Hæc enim formaliter constituit operans qua operans est. ac proinde illa substantia nuda tendit in ipsā operationem directè, primariò, ac per se.

Minor huius argumenti est aduersariorum, quorum responsionem nunc improbare nitimur.

Maior autem probatur. Quoniam omne id quod refertur ad aliud, primariò, per se, ac directè ad eius rationem formalem tendat necesse est. Vt si oculus seu visus referatur ad coloratum, appetitus referatur ad dulce, auditus ad tonitrum, &c. necesse est visum primariò tendere ad colorem, appetitum ad dulcedinem, auditum

A ad sonum in nube, &c. quod ipsum patet in cæteris omnibus quæ ad aliud sunt. Ergo etiam omne illud quod refertur in aliquod compositum tanquam in finem, debet primariò, per se ac directe in eius formam qua tale est tendere. Cuius ratio est: quia omnis terminus vt *quod* debet habere rationem formalem vt *quo*, nempe quæ primariò tendentiam terminet, ac directè & per se; quæ nimirum tendentis ad se, veluti motum seu tendentiam specificet. Quod in præsenti difficultate clariùs apparet; quia omne quod ad finem tendit, ad ipsum tendit qua bonus est; ergo primariò tendit in eius formam quæ est eius bonitas. vt si ambulem vt sim sanus, primariò ambulo ob sanitatem, quæ est forma sani. Constat ergo eam responsionem vanam atque inutilem esse ad nostra labefactanda argumenta.

B His etiam addo non rectè dici quicquã referri ad seipsum, cùm omnis relatio ad aliud sit, quo pacto relatio omnis definiri debet. Cùm ergo dicitur, substantia nuda refertur ad seipsam vt operantem; necesse est intelligatur, referri primariò ad operationem. In ea nãque substantia operante nihil est aliud, præter ipsam substantiam, operationem, eiúsque vnionem. Certum est autem non referri ad substantiam, quia iam esset relatio ad seipsam non ad aliud. Nec primariò ad vnionem, quæ in se & per se nõ est expetibilis vt finis. ergo primariò intelligi debet referri ad operationem. Nobilius ergo referretur ad ignobilius, si substantia nuda tenderet in operationem tanquam in finem.

C Manifestum ergo sit quod primariò ostendere conabamur, Angeli substãtiam cùm sit completa, non inuoluere sua natura relationem ad suas potentias; proinde nec sua natura esse rem quæ ad illas potentias sit relatio: Vnde si relationem habet, illi extrinsecus aduenit, vt similitudo vel dissimilitudo, nec sequitur ipsam referri sua natura, vt antè dicebamus. Quod autem ipsa sit subiectum potentiarum, non probat ipsam substantiam esse sua natura relatam ad illas: quia vt diximus, eo modo est subiectum sicut est potens: est autem potens extrinsecus per ordinem ad ipsum; quia est id in quo potest esse aut de facto est ipsa potentia; esto addatur deinde vnio, & respectus superadditus sit. Eodẽ modo dico de eius capacitate. Nam si dicatur ipsa Angeli substantia est capax; ergo ipsa refertur ad id cuius est capax; respondendum est, esse capacem fundamentaliter, non formaliter; quomodo inuolueret respectum: est enim id in quo recipi potentia potest. Ratio est, quia idem est aliquid esse capax formæ, & esse potens suscipere formam. Ergo sicut esse potens non infert ipsum potens natura sua inuoluere relationem quæ sit in ipso; ita neque esse capax. Plura tamen his de rebus disputata sunt alibi, cùm materiam ostendimus esse potentiam essentialem ad formas.

Etiamsi potentiæ referantur ad suos actus, non tamen substantiam referri ad suas potentias. §.7.

Maior difficultas videri posset in eo, quòd substantia eodem modo videtur se habere respectu potentiarum suarum; quemadmodum potentiæ se habent respectu sui actus. Sicut enim ij manant ab ipsis potentiis efficienter; ita & illæ efficienter à substantia. Ergo sicut potentiæ dicuntur actuum facultates effectrices; ita & substantia erit facultas potentiarum effectrix, ac proinde referretur ad illas.

Responderi posset, potentias manare seu fluere efficienter ab anima: quod probari videtur posse ex A. Doctore infrà q. 77. a. 6. vbi apertè docet, potentias *fluere ab essentia animæ* ita vt anima ipsa earum sit *subiectum productiuum.* Immò ex hoc distinguit A. Doctor accidens proprium à communi; quod accidentis communis *productiuum est agens extrinsecum*: at proprij subiectum est productiuum non agens extrinsecum. Dicerent ergo hinc non sequi animam esse facultatem effectricem harum potentiarum, quia potentiæ non propriè efficiantur, sed fluant. A. Doctor.

Verùm hæc solutio non omninò cõsistit: Nam primò A. Doctor denegat substantiæ omnem immediatam actionem quæ ad substantiam non sit; & ideò ait animam non esse operatricem nisi per suas potentias, quia actio est accidens; anima autem est substantia: *oportet autem* inquit in ea q. 77. a. 1. c. *ad idem genus referatur potentia & actus.* Ergo non potest anima esse facultas operatrix; eodémque ferè argumento in hac q. 54. hic art. 3. vsus negat intellectum esse Angeli essentiam, & generatim idem docuit q. vn. de An. a. 11. Ergo cum hæc actio quæ est emanatio, sit accidens, non potest immediatè procedere ab anima. Præterea falsum videtur non sequi animam esse facultatem operatricem, si ea esset principium productiuum illarum potentiarum. Nam facultas seu *potentia nihil est aliud* inquit A. Doctor q. vn. de Veritate a. 11. c. *quam principium operationis alicuius, siue sit actio siue passio.* Ergo principium productiuum potentiarum, quia debet tunc esse principium illius productionis & actionis, erit facultas operatrix. Si ergo anima est principium productiuum illarum, erit etiam facultas operatrix. A. Doctor. A. Doctor.

D Neque est quod dicas, ibi non esse actionẽ neque operationem, quia emanatio neque actio est, neque productio, ac proinde non esse principium actionis. Contra hoc enim est duplex argumentum. Primò enim cùm A. Doctor dicat animam esse potentiarum *principium productiuũ*, vt diximus; ergo necesse est intelligat esse productionem aliquam. Alioquin non esset productiuum; quod relatè ad productionem dicitur: sicut calefactiuum ad calefactionem. Omnis autem productio est aliqua actio; vt productio caloris & cæterorum; ergo est principium actionis. Secundò, quia eodem modo aduersarius dicere posset, potentias non esse facultates operatrices,

E quia earum actio non est propriè actio, sed quædam emanatio ab essentia; atque ita negarent esse potentias necessarias: quia ad emanationem hac posita sententia necessariæ non sunt.

Quare meliùs sentire Capreolus videtur in 1. d. 3. q. 3. a. 2. ad tertiam instantiam contra secundam rationem principalem, vbi docet *aliter animam esse in potentia ad suas potentias, & aliter ad actus secundos vel operationes vitæ*: Et concludit animam *non se habere ad potentias suas nisi in potentia receptiua.* Quare censet non esse principium efficiens potentiarum, cùm potentiam dumtaxat earum receptricem esse doceat. Ratio Capreolus.

tio ea est quam suprà diximus; quia hoc ipso si esset potentia effectrix suarum potentiarum, referretur ad suos actus tanquam ad finem; quod sanè absurdum esse contendimus. Itaque dico potentias Angeli efficienter esse à Deo, qui eas comproducit simul in Angelo, & in anima rationali, cùm ipsas producit substantias: nam qui dat ESSE, dat etiam ea quæ ipsum consequuntur ESSE; hoc est quæ sunt debita illi naturæ, vt ipsa operari possit; vt colligitur ex Aristotele lib. 8. Phys. cont. 32. Et ideò ab A. Doctore non dicuntur produci ab anima in ea q. 77. a. 6. sed *fluere ab essentia*, & vt loquitur ibidem ad 3. *non esse per aliquam transmutationem sed per aliquam naturalem resultationem.* Quasi velit eas fluere non per actionem subiecti: non enim linea quæ dicitur fluxus à puncto; aut fluuius qui ex fonte oritur, per actionem quæ eorum principiorum sit, fluunt; sed quia cùm oriantur alterius causæ concursu, è fonte & pũcto egredi veluti è ianua concipiuntur.

A.Doctor.

Quamobrem & eas resultare dixit, eo quòd efficiens à quo substantia habet esse, quasi per concomitantem actionem eas producat: quemadmodum is qui proiicit pilam in aduersum parietem, dum ab eo pila resilit, dicitur eam mouere per resultantiam; quia scilicet præcipua actio ac motus proiicientis est in aduersum parietem; minùs verò præcipua est dum ex vi motus eiusdem resistente pariete resultat; quæ resultantia videtur quidem esse à pariete resistente, re tamen vera à proiiciente est. Illa enim eadem proiiciẽtis virtus quæ pilam muro impingit, repellit à muro. Sic ergo dicitur ab anima per resultantiam naturalem; quasi præcipua actio efficientis dum animam producit, se reflectat in potentias ab ipsa anima. Idem ergo est produci à subiecto per resultantiam potentias atque produci actione, qua efficiens producit subiectum, & quasi reflexa in potentias ipsas. Dum enim subiectum producitur ab efficiente, eius actio quasi reflectitur in potentias; vt murus dicitur repercutere pilam, dum agẽtis actio è muro non quidem repercutiente nisi metaphoricè, sed impediente repellitur. Talis quoque est illa resultantia, qua imagines ab obiecto in speculum transmissæ è speculo resultare dicuntur: constat enim eas non à speculo per actionem aliquam remitti in oculos intuentis; sicut nec lumen cùm reflectitur è corpore terso; sed agentis actionem redire ex eius tersi corporis opposito, vt ipsum sit conditio non causa se reflectentis actionis.

Quanquam hæc resultantia & reflexio non propriè sed metaphoricè dicitur: non enim actio veluti pila resilit; sed solùm causa agens emittẽs actionem eam veluti reuocat, dum eam retrò in potentias continuat. Non ergo est subiectum propriè effectrix causa suarum potentiarum; sed causa subiecti eas efficit, dum post subiecti productionem ex eo potentias educit foràs, vt ita quodammodo actionem retrahat. Et ideò A. Doctor in eo art. 6. ad 12. nõ dicit simpliciter subiectum esse causam actiuam potentiarum, sed quodammodo: *Dicendum* inquit *quod subiectum est causa proprij accidentis & finalis, & quodammodo actiua.* Ergo non propriè actiua est; sed instar repercutientis actionem efficientis causæ. Vnde etiam patet, quo pacto intelligendus idem sit, cùm dixit ibi in corpore articuli, *animã esse principium productiuum illarum*: nempe quodammodo & similitudinariè, seu per resultantiam modo explicato. Ad argumentum ergo respõdetur negando subiectum se habere eodem modo respectu potẽtiarum, quomodo se habet potentia respectu sui actus. Hæc enim propriè est actiua sui actus, qui aliam effectricem causam non habet. At substantia non item, respectu suarum potentiarum, vt dictum est.

A.Doctor.

Refutatur opinio dicentium potentias animæ esse idem re cum anima quoad absolutum, non quoad respectum. §. 8.

COlligitur secundò contra tertium dicendi modum in prima sententia, non rectè sentire Henricum, & alios ibi, dum aiunt, potentias esse idem re cum anima quoad absolutum; differre tamen ab ipsa quoad respectum. Primò, quia iam ostensum est potentias quoad facultatem actuum effectricem non esse idem re quod anima: ergo non sunt idem quoad absolutum: certum enim est facultatem effectricem actuum non esse purè respectum sed absolutum. Quia vt ait Scotus in ea d. 16. q. vn. §. *Contra* sermo in hac q. est de potentia quæ sit *immediatum principium actionis vel operationis*: quod non est pura relatio, quæ non est immediatè actiua; sed solùm est ad terminum ordo. Si ergo hoc principium non est distinctum Henrico, nec operatrix potentia simpliciter erit distincta; quod falsum esse iam ostendimus.

Henricus.

Scotus.

Deinde, quia hoc absolutum cum relatione, vel est absolutum cum relatione quam vocant transcendentalem, vel cum relatione prædicamentali. Si primum intelligant; ergo non potest idem esse quod animæ, siue Angeli substantia: Huiusmodi namque relatiua transcendentalia non sunt distincta ab ipso absoluto; sed illa ipsa ratio est absoluta & relatiua, vt antè dicebamus. Absoluta quidem à purè termino; Relatiua verò, quia refertur ad suum terminum, qui tamen non est purè terminus, sed vel causa vel effectus eius relatiui quod ad ipsum est. Quod vt planius fiat, sit ex. gr. intellectus qui est alicuius intellectilis obiecti intellectus: Cùm enim sit facultas operatrix, definiri debet per respectum ad suum actum, & obiectum; vt ex Aristotele lib. 2. de An. cont. 33. docet A. Doctor infrà q. 77. a. 3. Hic ergo intellectus est ordo ad suum actum & obiectum, quæ non sunt illi purè terminus; Intellectus enim nõ inest animo vt illum referat ad actum; vt facit relatio prædicamentalis; qualis est paternitas inter homines, similitudo, &c. Quorum munus nihil est aliud nisi referre subiectum; sed inest animo tanquam eius qualitas, & potentia effectrix actuum; & ideò respicit actus tanquam effectus suos. Est ergo ipse intellectus secundum eandem rationem suam specificam, absolutum quid & relatiuum; ac proinde relatio transcendentalis est. Hoc itaque relatiuorum genus debet re diuersum esse ab Angeli animique substantia, cùm entitas animi atque Angeli non referatur ad actum tanquam ad finem; potentiæ autem referantur ad illum tanquam ad finem, quia sunt propter actus, quemadmo

admodum habitus; Quorum causa finalis, vt rectè docet A. Doctor 1. 2. q. 71. a. 3. ad 3. est actus. Aristoteles. *Visum namque habemus* inquit Aristoteles lib. 9. Metaphys. cont. 15. *vt videamus, non videmus, vt visum habeamus.* Et ideò definiri eas oportet per ordinem ad actum tanquam ad suam causam & nonnisi finalem: Debere autem eas definiri per actum docet Aristoteles 9. Metaph. cont. 2. 15. & deinceps: & fatetur ibi in Tertio illo modo Henricus, & alij omnes. Non ergo hoc absolutum cum relatione, si transcendentalis sit, potest non esse distinctum re ipsa à substantia aut Angeli aut animi.

Si secundum dicant: Contra hoc multis modis benè argumentatus est Scotus (Scotus.) vbi suprà §. *Contra.* Primò enim impossibile est absolutum cum huiusmodi relatione facere per se vnum principium efficiens. Nam principium efficiens debet posse intelligi constitutum in suo esse, antequam intelligatur actus: cùm causa efficiens sit natura ac ratione prior quàm effectus. vt patet ex Aristotele (Aristoteles.) cap. de Simul in Postpræd. vbi ait ea esse simul quæ se per mutuas consequentias reciprocant, ita vt vtrumque ex altero deducatur; vt si pater est, filius est; & contrà: modò tamen *nequaquam alterum alteri causa sit.* Quod dixit, quia quod est causa, non est simul natura cum effectu, sed prius. vt etiam patet ex cap. de Priori ibidem, & lib. 5. Metaphys. contex. 16 cap. de Priori; docétque A. Doctor 2. 2. q. 1. a. 7. ad 3. & alibi non rarò. At non potest intelligi constitutum illud ex absoluto & relatione prædicamentali: hæc enim non præintelligitur termino, cùm per terminum compleatur.

Secundò, quia si hic respectus vnà cum substantia animæ esset potentia effectrix actuum, vna potentia non esset nobilior altera: neque enim substantialiter nobilior esset, quia substantia eadem in omnibus reperiretur; neque respectu: quia vnus respectus non est perfectior altero, quia nec eorum munera sunt perfectiora. Solùm enim referunt subiectum ad suum terminum, nec perfectius referendi munus exercet vnus quàm alter: Dicere autem respectus hos esse nobiliores, qui sunt ad nobiliores actus est philosophari pro arbitratu. Nam nulla prædicamentalis relatio, quæ sit ad nobiliorem terminum, est nobilior iis quæ sunt ad terminum minùs præstantem. Quamuis enim relatio effectus sit ad nobiliorem terminum; nempe ad causam præstantioris naturæ; vt caloris ad solem; non tamen est nobilior quàm alterius caloris ad ignem, à quo calor ille productus sit: nec relatio serui, quia sit ad dominum, est nobilior quàm quæ est eiusdem serui ad conseruum; & sic de cæteris.

Tertiò quia, vt rectè arguit Scotus (Scotus.) eodem loco: *Si potentia includit respectum, & distinguitur per respectum, voluntas erit duæ potentiæ vel plures; quia ante relationem ad actum, vt ad velle, non distinguitur, vel non est distincta voluntas contra aliam potentiam. Igitur secundum multiplicationem respectuum ad diuersa velle, erit multiplicatio potentiarum volitiuarum.* Cùm ergo huiusmodi volitiones sint diuersæ, vt alia sit finis, alia mediorum, &c. potentiæ voluntatis erunt diuersæ: Aut certè si ad huiusmodi actus non sunt diuersi respectus prædicamentales, cùm sint diuersi termini, quæro cur respectus debeant esse diuersi ad actus intelligendi & appetendi, cùm vnus respectus possit esse ad tam diuersa actuum genera? Confirmatur, quia sententiâ Henrici non multiplicantur relationes prædicamentales, multiplicatis terminis, non solùm specie, sed etiam genere distinctis: ergo etiamsi multiplicentur actus qui sunt termini ipsarum potentiarū, v.g. intelligere & velle, non erunt diuersi respectus cōstituentes intellectum à voluntate diuersum. Quo argumento vti non possunt aduersarij in eos, qui intellectum & cæteras huiusmodi potentias constitui arbitrantur per absolutum relatiuum transcendentale. Huiusmodi enim respectus rectè quidem nostri auctores negāt multiplicari pro actuum, terminorúmq; varietate. Quandoquidem vnus esse potest ad omnes; vt vna materia ad omnes formas, vnus intellectus, ad omnes intelligendi actus, vna voluntas ad omnes appetitiones, & sic de cæteris, vt postea fusiùs dicetur.

Potentias animæ non esse animam ipsam connotando operationes. § 9.

EX quibus vlteriùs patet, multò magis falli Gregorium (Gregorius.), ac cæteros Nominales in eodem tertio modo, dum aiunt potentias nihil aliud esse quàm ipsam animam *connotando operationem*; ac proinde ex eo quòd anima connotat varias operationes, sortiri varia vocabula intellectus, voluntatis, &c. In qua re multipliciter eos falli constat: Nam primò anima non connotat suos actus; quia idem est connotare & consignificare; anima autem non consignificat, quia ne significat quidem cùm suorum actuum non sit signum: sed potiùs contrà, Actus ipsi sint animæ signa. Rectè namque ex eo quòd videamus in aliquo subiecto esse illos actus, ipsi concludimus ibidem esse animam. Sanè anima cùm causa & principium omnium actuum sit, occultior erit anima quàm actus, quia effectus nobis sunt notiores causis; quippe ex quibus in causæ cognitionem deuenitur. *Necesse enim est* inquit Aristoteles (Aristoteles.) lib. 1 Phys. cont. 2. *ex notioribus nobis procedere ad manifestiora naturæ.* hoc est ab effectibus ad causas: Et ideò principia scientiarum quia continent causam; cognosci oportere inductione, quæ effectus respicit causis notiores, docet sæpè Aristoteles; vt lib. 1. Poster. cont. 134. lib. 2. Poster. cap. vlt. lib. 1. Metaph. initio, lib. 1. Rhet. cap. 2. lib. 1 Ethic. cap. 7. & libr. 6. cap 3. Quam etiam ob causam lib. 1. de An. cont. 11. docet accidentia plurimum conducere ad substantiæ cognitionem; quia nimirū effectus naturam causæ patefacit; nec quicquam tam perspicuè quid causæ lateat in rebus, palam facit, quàm earundem rerum operatio: cuius etiam diuersitas potissimùm diuersitatem naturarum essentiarúmque significat. Adeò namque cuilibet rei propria assignatur à natura operatio, vt rectè dictū sit ab A. Doctore (A. Doctor.) in 4. d. 4. q. 1. a. 1. c. *Vbicunque sunt propriæ rationes, ibi quoque oportere propria esse principia*, quasi dixerit, vnumquodque principiū & naturam proprias ac distinctas habere oportere operationes.

Secundò, quia quæro per quid connotet suos actus anima? An se ipsa? Et hoc dici nequit, quia substantia prior est suis accidentibus secundum

cundum

cundum naturam & cognitionem; vt docet Ariſtoteles lib. 6. Metaphyſ. cont. 4. An per aliud? & quæro quid ſit illud? Si enim eſt aliquid reale ipſi animæ ſuperadditum, illud ipſum dicam eſſe potentiam ad actum.

Quod ſi dicant, connotare actus quatenus anima ſignificatur nomine potentiæ; vt intellectus, voluntatis, &c. vt videtur indicare Gregorius, dum ait animam varia ſortiri vocabula: Contra hoc eſt manifeſtum argumentum. Nam ſequitur primò, animam non eſſe facultatem ad ſuos actus niſi nominetur, quia non eſt potentia niſi anima connotans actus: Non autem eſt anima connotans huiuſmodi actus niſi nominetur: ergo non eſt potentia niſi nominetur: ergo non erit à parte rei potentia formaliter, nec anima formaliter potens, ſed ſolùm anima quæ remotè & vt aiunt fundamentaliter ſit variè potens pro varietate denominationum. Deinde ſequitur, animam ſeu Angelum non intelligere intellectu, nec velle voluntate; quod eſt falſum, & contra Ariſtotelem lib. 3. de An. cont. 4. vbi definit intellectum ſic: *Dico autem intellectum quo intelligit & exiſtimat anima.* Similiter dico de voluntate. Nam lib. 3. Eth. cap. 4. docet *bonum eſſe voluntate appetibile.* ergo intellectu anima intelligit & voluntate vult. Sequela Maioris patet, quia anima non intelligit per animam connotando actum: Tum quia anima non intelligit per animam, hoc enim ridiculè diceretur: Tum quia animam intellectu intelligere, eſt animam per facultatem tanquam per inſtrumentum elicere intellectionem; vt cum dicitur, anima videt per oculum ſeu oculo, & audit auribus, &c. At anima per animam connotando actum, non elicit intellectionem tanquam per facultatem & inſtrumentum; quia anima connotans actum non eſt inſtrumentum ad actum; ſicut curuitas connotans naſum non eſt inſtrumentum ad ſimum. Alioquin idem eſſet inſtrumentum ad ſeipſum: cùm idem ſit curuitas connotans naſum, & ſimum ipſum. Sicut eadem res eſt quæ explicatur definitione, & nomine ſuo nuncupatur; vt homo, & animal rationis particeps. Ne ergo quicquam ad ſeipſum inſtrumentum ſit effectus, non debet inuolui & præſupponi in ratione inſtrumenti ſui; ſed debet eſſe id ad quod efficiendum eſt ipſum inſtrumentum. Præterquam quòd ſi anima connotans intellectionem eſt intellectus dum nominatur; ergo dum non nominatur non intelliget per intellectum, quia tunc non eſt anima connotans intellectionem.

Ariſtoteles.

Denique contra Gregorium eſt, quod ſi velit ſignificare cùm ait potentias eſſe animam, connotando actum, idem eſſe atque animam per reſpectum ad actum, vt indicauimus in eo tertio modo; Iam contra ipſum ſunt argumenta, quæ in Henricum militare diximus; nempe huiuſmodi reſpectum non poſſe conſtituere potentias; quæ quoad abſolutum non diſtinguuntur ab animæ ſubſtantia, reſpectus verò non ſatis eſſe poſſunt vt eas diſtinguant, vt oſtenſum eſt.

***

A

In hominis animo pariter atque in Angelis diſtinguendæ ſunt potentiæ à ſubſtantia aduerſus Durandum: confirmatúrque nullum perfectius referri poſſe ſua natura ad imperfectius; Ideóque ſubſtantiam immediatè non poſſe operari contra Scotum. §. 10.

Colligitur tertiò, quid ſentiendum ſit de Durandi ſententia, in eo quod ait in Angelis non eſſe neceſſe diſtinguere à ſubſtantia potentias; in homine autem eſſe neceſſe propter eam quam ibi attulit diſparitatem. Colligitur inquam hæc omnia non rectè dici: Nam primò contra eſt, quia falſum eſt quod ait, ex duobus illis, quæ ab ipſo aſſignantur colligi potentias animæ diſtingui ab anima. Illud enim primum; quòd ſcilicet ſint actus totaliter diuerſi in anima, nempe audire, videre, tangere, &c. non magis probat illas eſſe potentias diſtinctas, quam actus intellectus & voluntatis oſtendant intellectum & voluntatem ab Angelo animáque diſtingui: licèt enim audire, videre, tangere & cæteri actus nullo ſint inter ſe ordine colligati; actus autem voluntatis ſupponant ſemper aliquem actum intellectus; tamen plus differunt inter ſe actus voluntatis & intellectus; quàm actus illi ſenſuum exteriorum: Hi enim conueniunt in genere cognitionum; illi autem ne ſub hoc quidem genere reponuntur; cum voluntas non cognoſcat ſed appetat; intellectus verò non appetat ſed cognoſcat. Ergo ſi propter diuerſitatem totalem actuum externorum ſenſuum diſtinguendæ ſint potentiæ illæ ab anima, multò magis diſtinguere oportet ab eadem animæ ſubſtantia intelligendi ac volendi facultatem. Immò neque ad diſtinctionem obeſt, quòd intellectus actus, voluntati præſupponâtur. Nam ſenſus quoque externi præſupponuntur interioribus, quos Durandus ab externis diſtinguit & ab anima ob organorum diuerſitatem, quæ natura inſtituit. Quod etiam Durando fuit diſtinguendorum ſenſuum argumentum.

Secundò contra Durandum eſt, quòd neque alterum illius fundamentum quicquam probat. Quòd enim animus hominis ſit actus corporis, id quidem verum eſt; non tamen ei fauet duplicem ob cauſam.

Prima eſt, quia nulla potentia animæ eſt actus corporis, cùm quælibet ſit actus animæ, ſi quælibet animæ hæret nec ſit in toto. Quod ſi dicat eſſe in toto, nempe in anima & organo, præterquam quòd ponit accidens in duobus ſubiectis, falſum id eſt in hominis animo; quia idem accidens eſſet materiale & ſpirituale. Peius longè diceret, ſi in ſolo corpore eas eſſe arbitraretur, vt ita corporis actus aſſereret: In eo enim ſubiecto debet eſſe facultas videndi v. g. quod videt vel vt *Quo*, vel vt *Quod*: Cùm enim viſio & huiuſmodi actus ſint immanentes, oportet eos in ſuo principio ſaltem mediante potentia collocare. Nam ſi nec mediatè, nec immediatè in eo ponantur, nullo modo erit principium actionis quæ ſit in ipſo, ſed actionis quæ ſit in alio.

Quam

Quamobrem posset corpus videre, etiamsi non esset animatum, modò facultatem haberet videndi; atque ita esset vitalis actus in eo quod viuens non esset. Ergo deberet huiusmodi actus esse saltem mediate in ipsa anima; quod Durandus ipse cōcessit in 1.d.3.2.p.quæst.2.n.22.& est Aristoteles. aperta doctrina Aristotelis libr.9.Metaphysices, cont.16. vbi ait, omnes illas actiones, quarum nullum est opus præter ipsas, esse in suis principiis; *Vt visio in vidente, speculatio in speculante, & vita in anima.* Docet ergo hos actus esse in anima: Ergo in eadem debet esse principium videndi: Quia huiusmodi facultates non solum sunt horum actuum effectrices, verùm etiam receptrices: Quod etiam concessit apertè Durandus eodem loco num. 20. Et ratio est, quia vt ait B Aristoteles. Aristoteles libro de Somno & Vigilia cap. 1. *Eiusdem sunt actus cuius sunt potentia*, ita vt si actus sentiendi sint motus animæ per corpus, eiusdem animæ sint potentiæ per corpus; nempe per organa; vt ibidem docet Aristoteles: Ergo sunt in anima; nec sunt actus corporis, saltem in hominis animo; ne vnum idemque accidens vt modò dicebam in duobus subiectis, altero materiali, immateriali altero reponatur, atque ab vtroque educatur. Idem namque esset & materiale, quia è subiecto materiali, & immateriale, quia è subiecto immateriali educeretur.

Altera ratio est, quia licet animus sit actus C corporis, & potentiæ intellectus & voluntatis sint actus animi, quæro quid causæ sit cur Durādus ex hoc inferat esse ab animo distinctas potentias intellectum & voluntatem? Nam si Durando potest substantia Angeli sine distinctis à se facultatibus operari; cur nō possit animus sine iisdem distinctis intelligere ac velle: Si ergo quis diceret principiis Durandi consentiens animum immediatè operari, sicut Angelus; huic negandæ essent huiusmodi potentiæ, quippe quæ nec corporeæ nec incorporeæ substantiæ actus essent. Non ergo Durādus satis consentaneè tū veritati tum suis principiis philosophatus videtur.

Tertiò contra Durandū est, quia prætermisit D veram huius rei rationem; nempe quia debent concedi Angelicæ substantiæ facultates operatrices, quia substantiæ creatę non est immediatè vis actiua; sed agere solùm potest per interpositas sibiq; hærentes facultates, ne substantia quę est accidēte nobilior, ad ipsum accidens, tāquam ad ignobiliorem finem per se referatur; quod absurdum esse, plane ostensum est.

Scotus. Colligitur quartò, licèt Scotus acutissimo quodam semper philosophandi genere vtatur; tamē ipsum in primo modo dicendi huius quæstionis non assecutum esse veritatem. Quod quidē ostēdi potest duobus argumētis. Primum est; quia quāuis prima facie nulla appareat repugnantia, E quominus concedamus diuinæ omnipotentiæ posse substantiā fieri, quæ agat immediatè; tamē si rectè consideretur, repugnantia existit ex eo, quod nullum ens perfectius sua natura referri potest ad imperfectius: Referri enim sua natura ad aliud tanquam ad finem; est esse imperfectius illo ad quod refertur: Quia quicunque finis sit, præstare debet iis quæ sunt ad finem; Cùm finis sit optimū; vt diximus ex Aristotele libr.2.Phys. cont.31. Adeò vt quia Deus est summum bonum, nō possit referri ad aliud, ac proinde sit vltimus finis ad quē omnia referūtur. Rectè enim

A S.Augustinus libr.19.de Ciu.Dei cap.1. *Illud* inquit *est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cætera; ipsum autem propter seipsum*; cum scilicet nihil esse possit ipso præstantius. S.August.

Quæ etiam causa est, vt summum bonum definiatur per hoc quod ad ipsū omnia referūtur; non solùm à Patribus, verùm etiam ab Ethnicis sapientibus. Et a Patribus quidem patet ex S.Augustino lib.8.de Ciu.cap.8. *Summum bonum est* inquit *quo referentes omnia quæ agimus, & quod nūn propter aliud, sed propter se ipsum appetentes, idque adipiscētes, nihil quo beati simus vlterius requiramus.* A sapientibus etiam: patet ex Aristotele lib. 1. Ethic. cap.7. *Felicitas* inquit *cum agendorum finis sit, perfectum quoddam ac sufficiens videtur.* Vult ergo esse B vltimum finē, ac proinde quod vlteriùs ad aliud non sit. Et subiungit: *Id ab omnibus esse concessum.* Quamobrem optimè M.T.Cicero lib.1.de finib. dixit: *Verissimè philosophi appellāt summum bonum id, propter quod omnia appetuntur.* Hoc autē non esset, si perfectius sua natura referri ad vilius posset; nec necessariò summum bonum esset vltimus finis: Ergo substantia, quæ est operatione perfectior; non potest ad operationem sua natura referri; vt supra probatum est: Referretur autem, si ipsa esset potentia operatrix; vt ostendimus. Quare constet non posse fieri à Deo. S.August. Aristoteles. Cicero.

Alterum argumentum est, quia esto fieri possit à Deo creatura, quæ nulla potentiarum ope C indigeat ad agendum, Tamen non rectè Scotus affirmare posset, id ita re ipsa esse siue in anima siue in Angelo: Id enim tantùm tanquam probabile asserendum philosopho est quod esse videt vel in omnibus vel in pluribus, vt ex Aristotele lib. 1.de cœlo cont.1 e 2. dictū est sæpè: *Est enim* inquit idem Aristoteles libr.3. de cœlo cont.24. *natura illa rerum, quam habent plures & pluri tēpore.* Cùm ergo videamus cæteras omnes actiones è substantia creata prodire per intermedias potentias, optima ratione deducitur etiam potentias animæ ab ea re ipsa distingui. Neque enim valet quod ipse in eodem tertio modo suprà di D xit. *Illud esse ponendum in natura quod melius sit* nempe quod simpliciter melius esse potest. Hoc inquam apertè falsum esse patet vel ex eo, quod alioqui cùm meliùs esset homini cùm opus est volare, sēque in dissitas regiones ferè momento transferre, hoc quoque potentiarum de facto homini inesse ponendum esset, & similia innumerabilia absurda inuehenda essent in rerum naturam. Quare corrigenda est illa Scoti propositio, vt illud ponendum sit in natura non quod simpliciter quocunque modo melius est, sed quod magis consentaneè dici potest ad rerum naturas, vt diximus. Magis autem consen E taneè, & magis ex notis deducimus, ponere potentias realiter ab animo atque Angelis distinctas, vt dictum est. Aristoteles.

Eodem modo in philosophiam peccat cùm ait; *paucitatem multitudine esse meliorem*; Quia non omnis paucitas multitudini præstat in rebus; sed ea quæ cæteris paribus eorum naturis congruentior asseritur. Vnde Aristoteles in eo libro 1. Physicor cont. quadragesimoprimo, & quinquagesimo quem locum per se stare autumat Scotus, licèt affirmet *melius est ex finitis* dicere res constare principiis; negat tamen satis esse vnum; *quoniam non vnum contraria*; ex quibus contrariis existunt res naturales. Itaque cōcedit

cedit quidem ex finitis; negat verò esse vnum, A quia illa sufficiunt, vnum non sufficit. Pari ergo ratione paucitas quidem potentiarũ si sufficeret, meliùs assereretur: quia tamen non sufficit, nec esse potest vis substantialis vt ostendimus, non est quod Scotus nullam potentiam in animali ab eius anima distinctam esse contendat, quia melior sit paucitas quàm multitudo.

Verùm quod in hac re Scotum videtur fefellisse est, quia quod Aristoteles lib. 12. Metaphysic. cont. vlt. vt Deum ostẽderet vnum esse oportere, dixit; non esse bonam pluralitatem principum, *Vnus ergo princeps*: ipse Scotus arbitratus est aduersus quamcũque rerum multitudinẽ posse transferri. Quod tamen non ita existimari debet. Esto namque in totius mundi regimine B vnus oporteat esse princeps; quia vt ibi ait Aristoteles, *entia nolunt malè gubernari*: Tamen in plerisque rebus, impossibile prorsus est, multitudinem non exigi. Idcirco plura sunt elementa, nõ vnum tantùm cœlum agnoscimus, innumerabiles asserimus Angelos, &c. Non ergo mirum si plures etiam affirmandas esse animæ potentias contendamus, eo quod ob varias animę functiones, eas necessarias esse fatendum sit. Sanè Aristoteles lib. 3. de Part. Anim. cap. 4. cùm vellet cordi deferre in animali principatum, non dixit, In omnibus rerum generibus vnum constituendum esse principium; sed *Vbicunque fieri potest, vnũ esse, quàm plura melius est.* C

Præterquam quòd Scoti argumentum si ad examen reuocetur, non probat nullam potẽtiam esse distinctam ab anima, sed quàm paucissimas distingui oportere: Quod nunc non inficiamur, qui solum cõtendimus, & ipse etiam ibi in controuersiam vocat: Sintne potentiæ ab anima realiter distinctæ, nempe intellectus, & si quæ aliæ sint, non autem quot, & quomodo distingui oporteat: quod quidem ex aliis philosophicis principiis eruẽdum est. nempe vel ex natura organorum, vel ex modo applicandi obiecta, vel ex aliis similibus, vt nos lib. 2. de Anima præstare conati sumus copiosè.

Illud quoq; quod in eodem tertio modo Scotus addidit, ad rem minimè pertinere iudicauerim; D nempe paucitatem potentiarum facere ad animæ nobilitatem. Etenim, vt diximus, id non quæritur; sintne paucæ; sed sintne distinctæ potentiæ. Si tamen hac de re mihi cum Scoto lis habẽda esset, non dubito quin ipsæ apud æquos iudices à causa casurus esset. Etenim si plura pręstantissimorum actuũ genera edere posse, arguit excellentissimam quandam sui principij dignitatem; ergo eodem modo & multitudo potentiarum, sine quibus ij actus edi nequeunt, eandem suæ formæ præstantiam ostendere poterit. Sed quæstio hæc interim è præsentis operis finibus E excludatur.

Quod denique ait de ente nobilissimo, nempe Deo, verum quidẽ est ipsum agere per essentiã; quia eius actio non est accidẽs; sed ipsa substantialis essentia. Quamobrem addimus longè imparem rationẽ esse de creata substantia, cui diximus huiusmodi agendi rationem competere nõ posse; quia ens nobilius sua natura non potest referri ad aliud minus nobile; nẽpe ad accidens. In aliud autẽ minùs nobile referretur nobilius ens, si immediatè substantia operaretur, quia esset ad operationem tanquam ad finem, quæ necessariò est accidens vt ostensum est.

Potentias non solùm ab animo distingui formaliter eo modo vt Scotus videtur existimasse. §. II.

Colligitur quintò, nec rectè Scotum in secundo modo dicendi docuisse has potentias distingui non realiter sed formaliter; hoc est *esse vnum identitate reali distinctas tantùm formaliter*, vt retuli in eo secundo modo. Nam aut arbitratur potentias cum substãtia animi esse ita vnum identitate reali, vt nulla sit prorsus distinctio actu in re nisi per rationem: aut ita vt sit aliqua in ipsa re distinctio. Si primum, vt ipse videtur velle in illo secundo modo; & ibi nos obseruauimus, quæro quot distinguat ipse potentias in hominis animo, si ratione tantùm distinguantur? potest enim intellectus distingui ratione per ordinem ad actus primæ operationis, per ordinem ad secundos ad tertios: Et rursus per ordinem ad vnum obiectum, ad aliud, ad innumerabilia. Quæro autem si tam multi intellectus sint; cur vnus tantùm dicatur à Scoto? cur vna voluntas & non infinitæ potiùs? Scotus.

Quod si dicas esse vnum intellectum, quia est ad omnes intellectiones; Contrà est, quia sicut tu distinguis vnum ad omnes actus, ita ego æquè benè vnum distinguam ad hos, & vnum ad illos: Neque enim maius fundamentum est vnum tantùm distinguendi intellectum quàm plures per plures ordines. Quod si iterum dicant, non esse absurdum distinguere plures intellectus ratione; Contra hoc etiam est: quia si absurdum id non est distinguere, quæro cur sit absurdum non distinguere intellectum à substantia animæ? Nam Scoti sententiã melius est rem ad paucitatem redigere, quàm ad tantam multitudinem intellectuum & potentiarum, ita vt iuxta Scoti principia tolerabilior sit eius opinio, qui ne ratione quidem distinguit potentias ab anima, quod ipse asserit in primo dicendi modo; quàm qui eas distinguit: quod ipse docet in secundo modo vt vidimus; quia pauciora ponit entia, atque ita facultates omnes animæ reducit ad vnitatem, sentiétque cum Platone in Epinomide, vbi omnia ad vnum redigenda esse ait in quouis genere: quemadmodum etiam in Philebo, omnia vno metienda esse docet.

Nec ipse Scotus per hanc distinctionem rationis saluat eas auctoritates, quibus adductus est ratione distinguere potentias ab anima: Etenim auctorum illa testimonia, quę docent potentias *egredi & ebullire ab anima*, aliter intelligenda esse nemo non videt. Non enim si ratione tantummodo & per intellectum ab anima huiusmodi potentiæ distinguerentur, ebullirent aut egrederentur. Hæc enim nomina rem à parte rei significant, quasi re ipsa egrediantur, & ebulliant, reflexa tamen actione non directa, vt antea diximus. Nec loca Patrum minus probant; vt superiore Difficultate dictum est. De loco Aristotelis similiter dicendum est, vt etiam dicam seq. Quæsit, Difficult. 1. Sin autem Scotus ponat ex natura rei distinctionem; iam nobiscum sentit, tenetúrque admittere nostra

nostra argumenta; quibus hanc distinctionem A hactenus probauimus: licèt fortasse nónulla quæstio esse posset, quænam huiusmodi debeat esse distinctio.

Quod verò attinet ad illas distinctionis leges, quas Scotus adiecit ibidem in secundo modo; nempe *quæcunque habent distinctionem realem*, &c. dico illas non esse consistentes. Quia si non sint realiter distincta aliqua duo, non possunt distingui realiter: si enim idem realiter sunt, vnum idémque sunt: ergo non sunt separabilia realiter; quia nihil est separabile à seipso. Quamobrem cùm Scotus ait: *Quæcunque habent distinctionem realem; si essent separata realiter, illam distinctionem habent secundum rationem, vbi non sunt separata realiter*, ponit hypothesim impossibilem cum B verbo absoluto *Sunt*, & *si essent separata*: Posito autem impossibili non debet poni absolutè possibile; quia posito impossibili, necesse est aliud sequatur; vt ait Aristoteles lib. 1. Phys. cont. 10. vbi ait: Vno inconuenienti dato alia contingūt. Debuisset ergo dicere Scotus: *Quæcunque haberent*, &c. *illam distinctionem haberent*, &c. ita vt posito illo impossibili, ostendat fore vt sequatur quod ipse deducere nititur. Non enim negamus sæpè nos philosophari solere ex hypothesi impossibili, vt videamus quid ex illa proximè sequatur, seu vt aiunt *per locum intrinsecum*; cùm scilicet dicimus. Si homo non esset rationalis, non esset homo: si Deus non esset omnipotens, C non daretur creabile, si daretur species impressa Dei, foret infinitæ repræsentationis, nec distingueretur ab essentia diuina.

Verùm hoc etiam dato; quod nunc obiicere possumus in Scotum est; ipsum non rectè colligere distinctionem rationis ex illo principio: Etenim quæ habent distinctionem realem, & vnirentur vnitate reali, siue vt rectiùs dicam, coalescerent in vnum reale ac simplex ens; non hoc ipso retinerent distinctionem rationis; sed possent vniri etiam vnitate rationis, vt non sint ne ratione quidem distincta. Sicut enim tu ponis per impossibile ea quæ sunt diuersarum entitatum; vt v.gr. homo & equus, materia & forma D &c. esse vnam entitatem realem; ita & ego ex aduerso ponere per impossibile possem, ea quæ sunt distincta re & ratione, esse vnum re & ratione. Sic ergo Scotus (pace tanti viri ac de re Theologica optimè meriti dixerim) restringere axioma illud debuisset: *Quæcunque haberent distinctionem realem, si essent separata realiter, illam distinctionem haberent secundum rationem, si solùm vnirentur vnitate reali.* Hoc namque pacto solùm ponitur identitas rerum, seruata rationum seu prædicatorum formalium distinctione, quæ priùs in ipsis rebus continebantur.

Sed ex hac doctrina contra nos nihil prorsus concluditur; quia nos non poscimus, nec ipse E poscit à nobis, potentias esse separatas realiter ab anima, deinde verò vniri realiter tantùm; sed solùm inquirimus an sint reipsa ab anima distinctæ. Concedat ergo facilius esse distinctas ab anima realiter, easque subiecto vniri, non tamen cum illo identificari.

Quod nos A. Doctorem sequentes verum esse palàm profitebimur.

* * *

Satisfit argumentis, explicatúrque nec potentias esse propriè partes, nec inter naturas rerum esse semper optimum eorum quæ fieri possunt, nec beatitudinem esse perfectionem accidentis, &c. § 12.

EX his respondetur ad arguméta primæ sententiæ. Ad primum enim primi modi, dico, melius esse ponendum in natura si sit possibile; posse dupliciter accipi. Primo quidem modo vt intelligatur, si sit possibile simpliciter per quamcunque potentiam; & hoc pacto non videtur in præsenti intelligendum; quia multa potuissent esse in rerum vniuersitate meliora, quàm de facto procreata à Deo sint: quę enim de facto sunt, non omninò omnium optima, ex iis quæ possibilia sunt, esse dicenda sunt; cùm Deus meliora in infinitum facere possit. Alio modo vt intelligatur, si sit possibile ad finem, quem sibi natura proposuit; quod videlicet quàm optimè conducat ad rerum generationes & cōseruationes. Atque hoc modo intellexit Aristoteles in eo libro 8. Phys. cont. 56. cum dixit: *Quod melius est, semper arbitramur, semper in natura esse si possibile sit.* Aristoteles. Probare enim contendit, motum localem ponere continuum melius esse quàm ponere *consequenter*; quod quidem asserit ob motum cœli, cuius continuatio maximè ad vniuersitatem confert. Eodémque modo dixit in cont. 59. lib. 2. de Generat. Vbi quia melius est esse quàm non esse, ait oportuisse talem seruari modum in natura, vt quod in indiuiduo conseruari non poterat, in specie seruaretur: ideóque rerum ortus atque interitus in natura esse perpetuos. Aio ergo, etiamsi vtroque modo concedatur à nobis propositio Maior, quam tamen negauimus in quarto Corollario, nihil tamen inde esse ad propositam rem; quia non omnis paucitas multitudini præstat: nec præstat animi Angelive substantiam sine suis instrumentis proferre suas actiones, vt diximus in eodem Corollario; vbi etiam diximus ad id quod ibi Scotus addiderat de ente nobilissimo.

Ad illud de partibus respondeo, vera esse ea quæ Scotus ait, si nomine partis eæ intelligantur, quæ veram partis rationem habent; hoc est quæ verè componunt aliquod vnum per se. Secus autem est in nostro casu: Potétiæ enim sunt quidem partes totius alicuius, sed potestatiui; vt docet A. Doctor infrà q. 76. a. 8. c. quod totum potestatiuum non diuiditur in partes ex quibus ipsum intrinsecè componatur, sed in partes virtutis; hoc est in suas virtutes & facultates. Itaque potentiæ sunt partes quia constituunt suum totum potestatiuum; hoc est potens operari; & ideò sunt etiam aliquo modo eius totius partes integrantes; quia faciunt totum integrum, hoc est perfectum relatè ad operationis. Constat nāque substantiam absque iis potentiis & facultatibus non esse quid perfectum, ac proinde nec totum, cùm totum & perfectum idem sint, eo quod vtrique eadem conuenit definitio: *Perfectum enim* inquit Aristoteles 2. cœli cont. 23. *id est extra quod nihil eorum quæ ipsius sunt possibile est accipere.* Aristoteles. Idémque de toto dixit lib. 5. Metaphys. cont. 31. & ideò apertè lib. 3. Phys. cont. 63. docuerat: *Cuius nihil est extra, id est perfectum & totum.* Constat

Constat ergo non esse partes propriè aut integrales quantitatiuas, aut essentiales, cōtra quas vrget Scoti argumentum; non autē contra partes totius potestatiui & potentis suas elicere operationes: quod nobis in præsenti verum esse conclusimus.

Scotus. Ad secundum Scoti argumentum respondeo veram quidem esse Maiorem; vt patet in Deo: & ratio est, quia ad finem paucioribus indiget. At non omnis Dei nobilitas danda creaturis est; sed ea quæ creaturas decet. Quo pacto nec omnipotentiam suam, nec naturæ infinitudinem aut etiam suas hypostases, præterquam Sacrosanctæ humanitati Christi Domini nostri, vlli creaturæ communicauit. Non decet autem creatas substantias, vt eæ finem atque operationem suam attingant absque instrumentis, quæ facultates ad illam sunt; idque ob substantiæ creatæ siue perfectionem siue imperfectionem; vt diximus in nostræ propositionis probatione in fine. Itaque nego essentiam ad finem referri: nempe ex se, & non per suas facultates operatrices vt ostensum est.

Ad tertium respondeo, hominem aut Angelum fore beatum per accidens, quod sit summi boni adeptio, nullum esse absurdum: vt etiam fatetur Scotus in 4. d. 49. q. 4. qui beatitatem formalem putat esse voluntatis operationem. Hoc namque posito sequitur, eum qui beatitate beatus formaliter est, esse beatum per accidens, hoc est per formam quæ est accidens. Si autem nō est absurdum, Angelum beatum esse per accidens: hoc est per operationem, quæ sit beatitatis forma; ergo neque erit absurdum, Angelum esse beatum per accidens, quod sit instrumentum, & proxima eius beatitatis causa. Præterquam quòd non rectè dicitur aliquid esse tale per accidens, cùm tale est per formam suam connaturaliter illi debitam. Neque enim homo est risibilis per accidens, cùm sit risibilis per se, & in secundo modo dicendi. Etenim quandocunque prædicatur de re eius proprietas, propositionem esse in secundo modo dicendi per se, patet ex Aristotele lib. 1. Poster. cont. 32. Si ergo intellectus est Angeli hominisque proprietas, si ij beati essent per intellectum, non essent dicendi per accidens beati. Verum est tamen, Angelos atque homines de facto esse beatos per accidens in hoc sensu, quia causa beatitatis proxima est lumen gloriæ intellectui hærens: quod lumen omnibus creaturis accidens est, neque earum vlli connaturaliter debitum: siquidem quod est supernaturale secundum substantiam, nulli creaturæ connaturale esse potest.

Scotus. Cùm autem ibi subdit Scotus, beatitudinem fore perfectionem accidentis, non animæ, falsum est: Nam licèt operatio à potentia lumine Gloriæ roborata, eliciatur tanquam à proximo principio: tamen est potentiæ tanquam instrumenti; animi verò tanquam præcipui agentis, in cuius præcipuè bonum promitur actio illa quæ animum beatum facit: ac proinde multò magis animi est quàm potentiæ: præsertim cùm huiusmodi actio sit vitalis, quæ præcipuè est à prima vita, quæ est anima non potentia. Vt enim ait

Aristoteles. Aristoteles lib. 2. de An. cont. 37. *Vita viuentibus est esse:* In quo differt huiusmodi operatio à colore, quia esto non sit perfectio colorati sed superficiei: tamē illa operatio est perfectio animæ, quia est perfectio etiam vitæ præcipuæ, non so-

A lius instrumenti: Color autem ille cùm superficies non sit facultas substantiæ, esto substantiæ perfectio non reputetur.

Illud etiam hoc loco non prætermiserim, quod rectè obseruat Caietanus in hoc art. 3. §. *Ad alteram.* non benè comparari beatitudinem ad substantiam beatam: quemadmodum color ad superficiem, substantiamque corpoream. *Ita quod* inquit Caietanus *quemadmodum superficiem informaret color, si esset separata à corpore; ita beatitudo potentiam, si esset separata à substantia.* Hanc enim conditionalem propositionem ait esse falsam, quoniam cùm beatitudo sit operatio vitalis, non potest intelligi esse nisi à viuente, in quo actu

B reperiatur tanquam in beato. Secus de colore qui intelligi potest esse in superficie, quæ à substantia separata sit. Quanquam nescio cur Scotus affirmet, colorem non substantiæ sed superficiei esse perfectionem. Nam omne accidēs connaturaliter substantiæ debitum est illius perfectio, etiamsi in ipsa immediatè non sit, & ab ea separari possit; vt calor in igne, & aliæ qualitates in suis subiectis. Caietanus.

Scotus. At contra instat Scotus in eo §. *Dico igitur:* quia potentiæ illæ si sunt animæ instrumentum: ergo mouētur ab anima. *Igitur aliqua immediata efficientia datur superiori agenti.* scilicet substantiæ. Respōdeo ipsam virtutem esse essentialiter instrumentum animæ, vnde nullum accipere ab ea

C motum dicimus: quia quandocunque aliquid est virtus essentialis alterius, eius actio quæ immediatè ab ipso manat, est etiam principalis agentis mediatè, quia per eius instrumentum pendet ab ipso. Vnde non est opus, vt aliqua efficientia superiori agenti detur, quæ immediatè instrumenti non sit; quia quæ est tota instrumenti, est etiam tota præcipui efficientis, vt motus lapidis deorsum, qui immediatè elicitur à motrice facultate, est formæ quoque lapidis; cuius vis motrix instrumentum est, ac multò magis totius compositi, cuius forma in agendo est instrumentum.

Quod verò potentiæ sint essentialiter instru-

D mentum animæ, patet, quia sunt id quo anima operatur. *Dico* inquit Aristoteles lib. 3. de An. cont. 4. *intellectum quo intelligit & existimat anima;* nec aliam habere naturam possunt, sicut nec definitionem essentialem. Falsum autem est, omne instrumentum moueri à præcipuo agente actione aliqua quæ sit vltra actionem, quam instrumentum habet atque ex se emittit. Satis enim potentiæ intelligenti est, si ipsa determinetur per species ad suos actus eliciendos; quemadmodum vt vis lapidis motrix lapidem moueat, satis est si producatur extra locum, & nullum sit impedimentum ad motum deorsum; & similia. Aristoteles.

E Ad quartum respondeo, multas formas accidentales esse principium immediatum agendi; vt calor & aliæ qualitates: atque adeò ipsæ potentiæ substantiarum: Sed quod negamus est posse substantiam creatam esse immediatū principium actionis: cuius rei ratio à nobis reddita est in argumento nostræ propositionis; Atque ita negatur argumenti consecutio.

Ad quintum concedo substantiam generari à substantia, vt probat argumentum: sed aio generari per instrumenta, hoc est per accidentia, quæ sunt instrumenta substantiæ, à quibus immediatè ac proximè actio elicitur. Qua de re satis

multa suprà diximus, & longam institui disputationem in libr. 1. de Generat. Vnde licet forma accidentalis omni substantiæ sit inferior, nego tamen non posse generare substantiam immediatè tanquam eius instrumentum. Neque enim sequitur absurdum illud, quòd aliquid agat supra suas vires. Semper enim ferè instrumētum, qua instrumentum est, producit aliquid se perfectius, vel quoad substantiam, vel quoad modum; ac proinde agit supra suas vires, si quas ipsum instrumentum habeat, tanquam præcipuum agens eius effectus quem efficit: non autem supra suas vires instrumentales. Vt ex. gr. si calor quà calefacit dumtaxat, est præcipuum agens; qua verò vnà cum siccitate generat ignē, est ignis instrumentum; tunc cùm ignem generat agit supra vires, qua vis est calefaciendi, non qua vires habet ad igniendum: de qua fuse loco citato.

Neque hanc doctrinam, Scoti duplex illa improbatio labefactat: Nam ad primam diximus iam, non omne instrumentum moueri actu à præcipuo agente, cùm instrumentum essentialiter & sua natura est eius præcipui agentis instrumentum; Vnde ex hoc non probatur, dandam esse suam actionem præcipuo agenti, quæ instrumenti quoque non sit: Ad secundam dico, omne præcipuum agens habere instrumentum, etiam cùm substantia generatur; vt modò dictum est. Nec plura in Scotum.

S. Dionysius. Gabriel. Ad locum ex S. Dionysio quo pro se vtitur Gabriel, respondeo ex dictis super. Difficultat. nempe intelligendum esse vt in Angelis sint illa tria realiter distincta. Durandus. Ad Fundamenta Durandi diximus suprà in Tertio nostro Corollario; vbi eius dicta accuratè examinata sunt.

Scotus. Ad ea quæ dicit Scotus, in secundo dicendi modo, dictum est in nostro Quinto Corollario. Anselm. Quid verò probet auctoritas Anselmi diximus super. Difficult. Quid verò sibi velit Augustini locus ille facile patet. Parum enim ad rem facit. S. August. Solùm enim ait ibi Augustinus: *Ecce ergo mens meminit sui, intelligit se, diligit se.* vbi nomine mentis intelligit animum, qui meminit sui per memoriam, intelligit se per intellectum, diligit se per voluntatem. Vtrum autem hæ potentiæ ibi ab Augustino significentur distinctæ vel realiter vel formaliter, nulla ratio est, quæ conuincat; & neutra pars eius rationibus cōprobatur.

Henricus. Ad ea quæ dicit Henricus in Tertio modo, patet ex dictis in Secundo Corollario: Præterea dico non rectè Henricum probare, potentias animæ esse ipsam animam cum relatione, ex eo quod Aristoteles ait potentiam definiendam esse per actum. Quamuis enim rectè deducatur; si potentia definiri oporteat per actum, ipsam esse relationem ad actum; quia hoc pacto ipsa substantialiter definitur respectu actus; tamen non rectè dicit absolutum quod in potentia inuoluitur esse animam. Non rectè autem, quia ipsa potentia quæ ab anima distincta est, absolutum debet esse, cùm ipsa sit vis effectrix actuum immediata & proxima; non substantia ipsa, vt ostensum est.

Ad primum autem Henrici argumentum respondeo, in animo hominis esse quidem imaginem Trinitatis; sed non posse esse eo modo, vt dicit Henricus. Si enim esset vnitas potentiarum quoad absolutum; Trinitas verò in tribus puris relationibus, non esset Trinitas potentia-

A rum, sed solius relationis quæ potentia non est. Itaque vt sit Trinitatis imago, debet vt rectè obseruat A. Doctor q. vn. de Anim. a. 12. ad 6. attendi vnitas essentiæ, & Trinitas potentiarum: A. Doctor. *Sic enim* inquit *repræsentatur vna essentia in tribus personis licet deficienter.* ex quo ibi vlteriùs infert, potentias non debere esse idem re quod anima: *nam si anima esset sua potentia, non esset distinctio potentiarum ab inuicem nisi solis nominibus; & sic non repræsentaretur conuenienter distinctio personarum, quæ est in diuinis.* Ad illud ex S. Augustino diximus super. Difficult. quomodo ipse dicat illas tres potentias esse vnius essentiæ. S. August. Ad argumentum ex Ricardo nego animam posse intelligere Ricardus. B sine potentiis distinctis.

Ad ea quæ Gregorius dicit ibi initio suæ doctrinæ de connotatis, dictum est in nostro secundo Corollario. Gregorius. Ad illud ex S. Augustino respondeo verè illa doceri in eo cap. 3. & 4. atque ita concedo, vnam esse mentem hominis; nempe animum rationis participem; & illa duo nempe appetitum & rationem distingui per officia. S. August. Non tamen hinc sequitur appetitum & rationem esse eandem animam relatam ad diuersas operationes, vt Gregorius autumat. Possunt enim esse animi facultates ac geminari per officia, & varias functiones.

C Immò hoc sensisse Augustinum vidisset Gregorius, si locum vel inspicere, vel attentiùs considerare voluisset. Ait enim Augustinus ibidem S. Augustin. ibidem cap. 3. *Et sicut vna caro est duorum in masculo & fœmina; sic intellectum nostrum & actionem, vel consilium & executionem, vel rationem & appetitum rationalem, &c. vna mentis natura complectitur; vt quemadmodum de illis dictum est: Erunt duo in carne vna, sic de his dici possit duo in mente vna.* Duo ergo putat esse quæ in vna mente copulentur, quemadmodum vir & fœmina, duo cum sint, copulantur tamen in vna carne. Qua in similitudine disparitatem agnosces lector, si animaduertas vtrumque coniugem non habere vnum verè D vinculum in quo vniuntur. Non enim est vna caro in qua vterque fiat vnum. At intellectus ac voluntas verè habent vnam animam in qua radicentur, vnumque sint subiecto non forma. Tamen Augustini mens eò spectat, vt similitudine non omnino pari, illam vnitatem potentiarum explicet, in eo quòd cum duæ sint, vnitatem habeant subiecti; quemadmodum vterque coniux vnum fiunt in carne. Sicuti cùm explicatur similitudine trium potentiarum in vna radice animi nostri, trinitas personarum diuinarum in vnam numero essentiam, cum qua ipsæ personæ diuinæ identificantur; cùm tamen, in hoc similitudo potentiarum deficiat; cùm ipsæ sint vnum subiecto, à quo distinguuntur realiter. E Neque enim est necesse vt similitudo quoad omnia sit par ei, ad quod explicandum ipsa affertur. Hæc igitur duo nos dicimus duas esse facultates vni subiecto hærentes, relatè sua natura ad duo diuersa munera, quibus funguntur in animo. Similiter aio ad alium locum, illa tria esse vnum, quia sunt vna vita in radice animæ: & ita concludit in fine: *Hæc tria vnum vna vita, vna mens, vna essentia.* Sunt ergo vnum in vna vita, diuersæ verò in facultatibus, vt ita vnius Trinitatis imago sit hominis animus: de qua ibi Augustinus imagine disputabat.

Ad Tertium Gregorij argumentum respondeo, hanc pluralitatem, hoc est quod intellectus Gregorius. etsi

& si quæ sunt aliæ potentiæ in Angelis, nos colligere partim experientiâ partim a pari. Ex eo nãque quod ita videmus inter sensiles res contingere, de animi facultatibus philosophamur à simili; idémque ad Angelos transferimus. Vt enim ait Aristoteles lib. 2. Top. c. vlt. loco 32. *Si in aliquo similium sic se habet, & in aliis similibus: Si autem in aliquo non, nec in aliis similibus.* Quo in axiomate argumẽta quæ à paritate rationis ducuntur, fundamentum habent. quanquam nulla opus est experientia, cùm necessariis rationibus hac in re vti possimus; quia scilicet nulla substantia creata se ipsa operatrix est: Ergo per facultates suas, quas distinguimus ab ipsa; vt dictum est: Vtrùm verò plures an pauciores sint facultates, non est præsentis negotij. Esto tamen vna sit facultas per quam Angelus operetur; nobis satis est si immediatè per suam substantiam non operetur, etiãsi vna facultate efficeret quicquid agit in tota actuum suorum amplitudine. Vtrùm enim pluribus egeat facultatibus an non egeat Angelus, suis deinceps locis disseretur.

Aristoteles.

Ad argumenta Gabrielis respondeo: Quomodo potentiæ fluant ab anima; & Vtrùm & quomodo ab anima producantur, patere ex dictis in primo Corollario: & negatur dari processum in infinitum.

Gabriel.

Ad argumẽtum Io. Maioris respondeo, omne accidens separari aliquo posse à subiecto, à quo realiter distinguitur. Esto autem possit Angelus aut anima esse sine suis potentiis. Dico autem tunc fore, vt Angelus proximè non posset operari, licèt remotè posset; Quemadmodum homo sine instrumentis artis non potest sua opera artificialia efficere nisi remotè: nec tunc sequitur animam fore truncum, quia truncus non est vita ne remotè quidem. At anima substantialiter est vita, sicut & Angelus, licèt quia tunc forent extra naturalem statum, non possent proximè promere suas vitæ operationes. Non tamen negarim posse animam tunc aliquo modo dici truncum: eo scilicet pacto, quo surculus ab arbore exsectus, cui tamen anima erepta non sit, rursus in alterius arboris fissura inseri solet, vt inde succum ad nouos fructus trahat, dici truncus potest, & carere potentiis suis nempe proximis ad operandum. Nec de his plura.

Io. Maior.

QVÆSITVM SECVNDVM,

Vtrùm Angeli intellectus Aristoteli, ac Peripateticis sit ab eius essentia re distinctus, & quid ratione naturali ostendi possit præsertim Angelici Doctoris.

Difficilior præsentis quæstionis dissolutio erit quàm quæ Patrum, Theologorúmque hactenus sententiâ determinata est: Nam omnes quorum sententias suprà examinauimus, aut quid de Angelis senserint in ea quæstione protulerunt, aut de potentiis animi differentes eandem Angelicarum potentiarum rationem non diffitebantur. At Aristoteli ac Peripateticis nec quæ sint Angelorum facultates planè constat: nec an eorundem atque animorum nostrorum

A eandem esse rationem certum videtur esse. Id ergo primum in prima huius quæsiti difficultate inquirendum: In secunda naturalibus argumentis agendum erit. Prætermitto Platonem, cæterósque philosophos, quorum hac in re opinionem ne coniecturis quidem assequi possumus vltra ea quæ dicta à nobis supra sunt q. 50. a. 1. & q. 51. a. 1. cùm de Angelorum corporibus disseruimus. Ibi enim antiquorum de dæmonum sensibus opiniones fuse retulimus, eásque aut ad veritatem interpretati sumus, aut repulimus, vt falsas. Ideò satis sint ea, quæ ibi explicata diligenter à nobis sunt, ne in re propemodum inutili hoc nostrum in infinitum crescat opus, B & multiplicatione difficultatum veluti integumentis inuoluantur, quæ ex dictis in eo loco per se aperta claráque esse possunt. Sit ergo hac in re

PRIMA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Aristoteli intellectus Angeli re ipsa ab eius substantia distinguatur. Vbi etiam ex Peripateticis ad eandem rem non pauca referuntur.

C Partem negantem sequi videntur complures Theologi; nempe omnes illi qui sententiâ Aristotelis putant potentias ab animo humano non distingui Id enim multò fortiùs dicerent de Angelorum facultatibus, qui Aristoteli ac Peripateticis longè sunt hominis animo puriores actus. Id ergo opinantur plerique: Nam Scotus in 2. d. 16. q. vnic. §. *Sed quia* in fine interpretatur locum Aristotelis in lib. 3. de An. cont. 1. cùm ait: *De parte antẽ animæ qua & cognoscit anima & sapit.* ita vt arbitretur intelligi oportere de facultate non re, sed ratione distincta; seu formalites, vt ipse loquitur; addítque has potentias posse dici partes; quia in sua ratione formali *non continent omnem perfectionem animæ sed partialem.* Præterea id ipsum Scotus probat §. *Ad primum* ex Aristotele lib. 7. Metaphys. cont. 30. & lib. 2. de An. cont. 8. quibus in locis ait Scotus doceri ab Aristotele: Vnumquodque dici tale, cùm potest in operationem sibi debitam: Quod autem nõ potest, nec esse nec dici tale nisi æquiuocè, vt est oculus mortui, &c. Subsumit autem Minorem Scotus hoc pacto: *Sed propter* inquit Scotus *amissionem accidentis, non dicitur tale æquiuocè*: ergo propter amissionem potentiæ; quæ sit animi substantia. *Præterea* inquit Scotus *Aristoteles lib. 2. de An. cont. 9. dicit, quod si oculus esset animal, potentia visiua esset eius forma*; ergo potentia est substantia animæ non qualitas Aristoteli.

Scotus. Aristoteles.

D

E

Secundò probat hanc sententiam Ricardus in 1. d. 3. 2. p. a. 2. q. 1. Quia *passiones* inquit *originantur à substantia, dicente philosopho lib. 1. Phys. cont. 80. quod materia cum forma est causa omnium accidentium, quæ sunt supple in ea, sicut mater: originare autem propriam passionem est agere*: Ergo potest substantia etiam intelligere non per intellectum, qui sit accidens animæ.

Ricardus.

Tertiò probari potest aliis argumentis, quæ nos confirmabimus quoad licet, vt rei veritas, qua nunc de agimus magis exploretur. Primum autem argumentum sit, quia Aristoteles lib. 1.

Aristoteles. lib. 1. de An. context. 94. docet insecta viuere diuisa; *& in vtraque partium omnes inexistere partes animæ:* Ergo potentiæ ab anima Aristoteli non separantur: Ergo putat non distingui realiter; quia vbi inter aliqua nulla est separabilitas, nulla etiam est inter ipsa realis distinctio: frustra enim poneretur. Confirmatur quòd nulla sit separabilitas: quia si vlla esset, maximè cùm deficit animæ organum: Tunc enim potentiæ sentientes maximè deberent separari; quia maximè indigent organo ad agendum; Vt facultas videndi indiget oculo; & aliæ aliis &c. At Aristoteles eodem libro primo de An. contextu sexagesimoquinto, docet quantumuis lædatur organum, animum nihil pati, ac proinde debere integras retinere potentias, quibus operari queat. Alioqui multum passa esset. *Si enim senex acciperet oculum iuuenis, videret vtique sicut iuuenis: quapropter senium non est, quia sustinuit aliquid anima; sed in quo;* nempe in instrumento: Ergo nunquam accidit separatio.

Aristoteles. Secundum argumentum sit: Quia idem est principium essendi & operandi, vt colligitur ex Aristotele lib. 7. Metaph. cont. 23. vbi ait principia effectionis in natura esse similia principiis effectionis in artibus: Quemadmodum enim in artibus principia sunt substantia rei faciendæ quæ est in anima; ita in natura principia rei faciendæ est substantia, quæ est in causa effectrice. *Quare* inquit *quodammodo ex sanitate sanitatem accidit fieri, & domum ex domo, quæ sine materia eam quæ habet materiam: Ars enim medendi & ædificandi, est forma sanitatis & domus:* Ergo forma est principiũ operis sicut in arte; nempe forma cui redditur similis effectus, ac proinde substantia debet esse facultas & vis operatrix. Vt cùm ex homine generatur homo, hic effectus debet immediate ab hominis substantia procedere, cui effectus ipse similis est.

Aristoteles. Tertium argumentum sit: quia animus hominis cùm sit rationis particeps, debet posse ad opposita: Nam omnis facultas rationalis ad opposita esse debet; vt patet ex Aristotele libr. 9. Metaphys. cont. 3. & 10. *Factiua enim contrariorum sunt.* At si animus intelligeret per sibi superadditam qualitatem, & non immediatè per seipsum; ad vnum determinaretur; non autem remaneret liber ad opposita. Omnis enim qualitas est ad vnũ; vt patet etiam vel in ipsa scientia, quæ vna est cùm vnius obiecti est. *Vna enim scientia* inquit

Aristoteles. Aristoteles libr. 1. Poster. cont. com. 179. *est quæ est vnius generis.* Immò nec omnia posset intelligere animus: Vt enim ait Aristoteles li. 3. de An. cont. 4. *necesse est intellectum vt omnia intelligat, immixtum esse:* ergo nullam debet habere sibi hærẽtem qualitatem, per quam intelligat: *Alienum enim* addit ibi Aristoteles *iuxta apparens prohibet extraneum.* Ideò enim sensus v. gr. oculorum nullum colorẽ debet habere, vt colores omnes intueri queat. Ergo intellectus quoq; nullã sibi hærẽtem qualitatem habebit, vt omnia cognoscere possit.

Aristoteles. Quartò, quia Aristoteles lib. 2. de Generat. cont. 53. reprehendit eos qui ponebant aut materiam generare seu mouere, aut causam efficiẽtem operari receptione motus. Sic autem improbat: Quia materiæ est pati, & efficientis non est se ad formam mouere; & præterea, quia non explicant nobilissimam causam effectricem quæ est forma: *Derelinquũt* inquit *principaliorem causam,* A *Auferũt enim quod quid est esse & formam.* Ergo Aristoteles putat formã substantialem quæ est quod quid est, esse causam efficientem; & ideò naturã quæ præcipuè est forma; vt idẽ docet lib. 2 Phys. cont. 12. definiuit *Principium primum per se motus eius in quo est;* nempe efficiens, eodem lib. 2. Phys. cont. 5. ergo ipsa forma substantialis motus atq; operationis effectrix est per se & non per qualitatem, quæ sit facultas agendi in ipsa.

Partem tamen affirmantem melius colligere possumus, ex plurimis iisque non obscuris locis Aristotelis eorúmque commentationibus, quas veteres Peripatetici in eosdem locos edidere, de quibus agam in nostra propositione mox. Ad solutionem ergo huius Difficultatis, quæ maxima B reputari debet ex eo potissimũ, quód in abstrusa Aristotelis venanda mente, viam nullis aliorum signatam vestigiis percurrere necesse est.

Notandum est, licèt probe valeat hæc argumentatio; nimirum; Si Aristoteles non putat distingui intellectum ab hominis animo. Ergo neque intellectum putabit ab Angelo distingui, eo quòd Angelus est perfectior, simpliciorq; Intelligentia Aristoteli, quàm sit rationalis animus: Tamen præcisè non posse rectè contrà concludi; Aristoteles nimirum distinguit ab animo intellectum: ergo suum quoque intellectum distinguet ab Angeli substantia. Nam huiusmodi argumentum facilè eluderet qui diceret; Intelli- C gentias puriores Aristoteli actus esse, ob eámque causam minus habere potentiæ, & qualitatum ipsi substantiæ superadditarum, & idcirco posse ipsarum substantiam immediatè operari. Quòd enim Intelligentiæ sint hominis animo puriores, colligi apertè potest ex iis quæ docet lib. 3. de An. cont. 17. & 18. vbi intellectum hominis facit potentia ad formas intellectiles. Agentem verò substantia sua actũ: Ergo minus est in eo potẽtię; vt suprà diximus. Multò ergo magis id diceret de Intelligentiis ipsis cœlum versantibus, quę longè Aristoteli sunt omni inferiori intellectu perfectiores. Dixi tamen *præcisè*, quia si D huic argumento addi suum pondus possit aliunde, non est negandum, valide conclusionem eo probari posse. vt clariùs patebit deinceps. Quare videndum est, Vtrùm huius rei veritas ex principiis deduci queat firmioribus, & ad rem magis spectantibus.

Ex Aristotelæis principiis euidenter concludi Angelicum intellectum re ab ipso Angelo distingui.

§. I.

E PRo qua re vt ad Difficultatem respondeatur; Sit

Vnica propositio: Ex Aristotelis principiis euidenter deducitur Angeli intellectum ab eo reipsa distingui. Dico *intellectum*: Quia certum est ex supradictis Angelos Aristoteli esse substantias intelligentes, ac proinde præditas intellectu. Dico *euidẽter deduci*: quia nullus mihi suppetit locus, in quo id clarè disertisq; verbis ab Aristotele aut doceatur, aut negetur. Probatur autem nostra propositio afferẽdo Aristotelis principia & loca, ex quibus euidẽter rem propositam deducamus.

Primum autem probatur: Quia nulla cõpleta substan

ſubſtãtia Ariſtoteli refertur per ſe & ſua natura ad operationem tanquam ad finem. At ſubſtantia Angeli, quæ eſt completa per ſe & ſua natura Ariſtoteli, referretur ad operationem tanquam ad finem; ſi intellectus re non diſtingueretur ab ipſa: Ergo Ariſtoteli diſtinguitur: Quæ concluſio eſt euidens ex dictis; & principium vtrumque auctoritate Ariſtotelis oſtendendum eſt.

Ariſtoteles.

Minor autem probatur. Nam illud cuius eſt aliqua operatio, eſt propter illam operationem tanquam propter finem: *Vnumquodque enim cuius eſt opus*, inquit Ariſtoteles libro ſecundo de cœlo contextu decimoſeptimo, *eſt gratia operis*. Vnde vt ſuprà diximus, ſemper operatio eſt finis eius quod operatur: Ergo ſi alicuius ſubſtantiæ immediatè eſt aliqua operatio, ipſa ſubſtantia Ariſtoteli immediatè & ſua natura erit propter illam operationem tanquam propter finem, quia ſe ipſa, non per aliquid aliud ad illam refertur. Sed per aduerſarios ſubſtantiæ Angelicæ immediatè eſt operatio. Ergo ipſa Ariſtoteli ex ſe & ſua natura referretur ad operationem, tanquam ad finem.

Neque dicat aliquis, aliud eſſe opus, aliud verò operationem, vt ita concludat: Eſto ſit aliquid gratia operis, non tamen eſſe gratia operationis. Hoc inquam nihil eſt: Non enim Ariſtoteli hæc diuerſa ſunt. Vnde operatio ipſa eſt hominis opus; vt expreſsè docet Ariſtoteles libr. primo Ethicorum capite ſeptimo, idémque diceret de Angelo. Ergo ſi eſt propter opus, eſt propter operationem. Atque hinc etiam eſt, vt Ariſtoteles ibidem dicat, opus hominis eſſe vitam quandam; nempe in actu ſecundo, quæ abſque dubio eſt operatio vitalis: *Hominis* inquit *opus vitam quandam ſtatuimus*: Idcircò etiam vult felicitatem, quam dicit eſſe vltimum hominis finem, conſiſtere in opere aut operatione animæ.

Maior probatur, quia nullum ens nobilius ſua natura Ariſtoteli refertur ad id, quod eſt vilius ipſo tanquam ad finem; vt ex Ariſtotele oſtendimus ſuperiori Difficultate, in probatione noſtræ propoſitionis. Ergo nulla ſubſtantia completa Ariſtoteli referri poteſt ad operationem tanquam ad finem; quia hoc ipſo referretur nobilius ad id quod minus eſt nobile. Certum enim eſt Ariſtoteli ſubſtantiam eſſe operatione quæ eſt accidens nobiliorem: Tum quia vt ait Ariſtoteles libro ſeptimo Metaphyſices contextu quarto, ipſa ſubſtantia eſt primò ens. *Primò* inquit *eſt ens & non aliquod ens, ſed ſimpliciter ens ſubſtantia*; & poſtea id confirmans ſubdit multis modis primum dici ens: *Attamen ſubſtantia & ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum eſt*: Tum quia omne accidens eſt ſubſtantiæ ens, in cuius bonum referuntur omnia; vt ibidem docet Ariſtoteles contextu ſecundo. Et quamuis interdum dici ſoleat aliquod accidens nobilius natura: Quo pacto Gratia Dei, quia per illam multa poſſumus, omni natura eam præſtantiorem eſſe affirmamus: Tamen vt rectè monet Angelicus Doctor 1. 2. quæſtione ſexageſimaſexta a. 4. c. id intelligi oportet, vt *ſubſtantia ſit ſimpliciter dignior accidente; aliquod tamen accidens ſit ſecundum quid dignius ſubſtantia, in quantum perficit ſubſtantiam in aliquo eſſe accidentali*. Subſtantia ergo completa ex ſe & ex ſua natura, non poteſt referri ad

Ariſtoteles.

A. Doctor.

A operationem tanquam ad finem.

Confirmatur validè hoc argumentum ipſum: Quia ſi in Angelo non eſſet potentia intelligens diſtincta ab eius ſubſtantia, tunc ipſa eiuſdem ſubſtãtia eſſet facultas ſuorum actuum operatrix; vicem enim ac munus potentiæ effectricis gereret. omnis autem operatrix facultas Ariſtoteli eſt ad actum vt ad finem. Hanc enim ob cauſam dixit apertè Ariſtoteles libro nono Metaphyſices, contextu decimoquinto, *actum eſſe finem* nempe potentiæ operatricis; *& huius gratia potentiam ſumi: non enim vt viſum habeant animalia vident; ſed vt videant viſum habent: ſimiliter etiam ædificatio, non vt ædificent*, &c. Id quod adeò B Ariſtoteli verum eſt, vt cùm omne inſtrumentum ſit propter operationem tanquam propter finem; vt ipſe docet libr. 4. Meteoror. capite vlt. *Quæcunque vt inſtrumenta & alicuius gratia* illud eſſe inſtrumentum æquiuocè dixerit, cuius nulla poſſit eſſe operatio: *Sic igitur* inquit eodem loco *& manus mortui æquiuocè, quemadmodum & ſi fiſtula lapidea dicta fuerint. Vt enim & hæc inſtrumenta quædam videntur eſſe*. Ergo quoniam huiuſmodi inſtrumenta ſuam operationem habere non poſſunt; atque ideò ad debitum finem referri nequeunt, æquiuocè talia iure optimo cenſeantur. Qua etiam de cauſa libro 2. de An. cont. 9. dixit, C oculum eſſe materiam viſus, quo deficiente non eſſe ampliùs oculum niſi æquiuocè; quemadmodum lapideus aut depictus. Vnde præclarè in hanc etiam ſententiam loquens libro ſeptimo Metaphyſices, contextu 39. *Non omninò pars hominis* inquit *eſt manus, ſed illa quæ poteſt opus perficere. Quare animata exiſtens, non animata verò non eſt pars*; quia ſcilicet non poteſt ad ſuum finem, ad quem ſua natura reſpicit, referri; nempe ad operationem.

Ariſtoteles.

Secundò probatur propoſitio: Quia omnis ſubſtantia creata intelligit per intellectum realiter ab ipſa diſtinctum Ariſtoteli: Ergo & Ange- D lus, qui Ariſtoteli eſt ſubſtantia creata & intelligens. Creata quidem, quia à primo ente depẽdet quoad ſuum eſſe; vt ſuprà oſtendi. Intelligens verò, quia eſt immaterialis, & felicitatem habet contemplatricem; vt etiam ſuprà dictum eſt.

Antecedens probatur; & primò quod animus hominis intelligat per huiuſmodi intellectum patet: Quia Ariſtoteles libr. 3. de Anima cont. 4. definit intellectum, *quo intelligit atque exiſtimat anima*. Ergo intelligit per intellectum realiter à ſe diſtinctum: Etenim id quo anima intelligit, non poteſt eſſe anima; quia nulla res eſt ipſum id quo aliquid facit. Id enim quo aliquid facit ſeu vtitur ad faciendum, eſt inſtrumentum facientis: ergo non eſt ipſum faciens: Et ideò cùm E Ariſtoteles libro ſecundo de An. contextu 24. animam definiuit, non dixit ipſam eſſe principium quo anima viuit, & cætera. ſed dixit: *Id quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primò*. Quaſi apertè doceat aliud eſſe ipſum principium quod viuit, aliud verò quo viuit. Sicut ergo animus eſt principium quo homo intelligit; ita & intellectus quo intelligit animus: Ergo eſt realiter ab animo diſtinctus.

Ariſtoteles.

Confirmatur primò ſequi intellectum eſſe aliquid ab ipſo animo realiter diſtinctum; quia eſt principiũ quo non primò ſed ſecundò intelligimus, vt ibi patet, eodẽ ſcilicet cont. 24. ex Ariſtotelẽ: Sicut etiã ſenſus eſt, quo ſecundò ſentimus:

ergo debet realiter distingui; alioqui esset id quo primò viuimus, non quo secundò; sicut ipsa anima. Quod etiam patet ex iis quæ Aristoteles de Deo docet lib. 12. Metaphysices cont. 51. Ibi enim cùm dixisset Deum intelligere seipsum, atque esse ipsam intellectionem sui, concludit de ipso quod sit *intellectio intellectionis intellectio*. Quemadmodum ergo ex eo quòd intelligendi actus est idem cum Deo, Deum dicit esse intellectionem: Ita ex eo quòd intellectus esset idem quod anima, intellectum diceret esse principium primum intelligendi non secũdum. Quod verò intellectum dicat esse principium secundum non primarium; sicut & sensus, patet ex verbis illius in eodem cont. 24. *Quoniam autem* inquit in eo cont. *id quo viuimus, & sentimus dupliciter dicitur, sicut id quo scimus: dicimus autem hoc quidem scientiam; illud autem animam: Vtroque enim horum dicimus scire.* Ideò anima est id quo primò &c. Intellectus ergo cum non sit id quo primò intelligimus; sed id quo anima intelligit vt diximus, manifestè sequitur intellectum Aristoteli esse principium intelligendi secundarium. Est ergo principium realiter distinctum.

Confirmatur secundò: quia ea ratione dicitur principium non primum sed secundarium, qua sensus, vt vidimus: Sed sensus ita est principium secundarium, vt sit ab anima realiter distinctum. Ergo & intellectus. Minor probatur: quia sensus siue ratione organi, siue ratione sui plures sunt, cùm quinque sint exteriores Aristoteli lib. 2. de An. cont. 128. cùm tamen sit vna anima. Ergo distinguuntur realiter. Itaque cùm intellectus debeat distingui ab anima, & non ratione organi quod nullum habet, ipse realiter ab animo differet. Sanè Aristoteles lib. 2. de An. cont. 21. intellectum distingui realiter significauit, cùm dixit: *De intellectu autem & speculatiua potentia nihil aliud manifestum est.* Quibus videtur facere intellectum animi facultatem diuersam: non enim appellare solet facultatem seu potentiam animæ, quam non distinguit ab ipsa. Alioqui & Deus Aristoteli intelligeret per facultatem intelligendi; in quo tamen ideò nulla est, quia nihil in ipso est quod in ipso substãtia non sit, atque ita in Deo nihil ab Aristotele ponitur quod actus primus vel secundus sit, cùm vt diximus, sit idem quod intellectus & intellectio; atq; idcircò *intellectio intellectionis intellectio*. Constat ergo intellectum re ab Aristotele distingui ab ipsa animi substantia.

Ex veteribus Peripateticis animæ facultates ab illa re distingui ostenditur. §. 2.

Alexander. QVod etiam patet ex ipsis Peripateticis: nam Alexander qui existimatur censuisse intellectum potestate nihil esse (quod tamen falsum esse suprà ostendimus.) libro suo primo de Anima cap. *Quot & quæ sunt partes animæ*, &c. cùm disputasset de iis animæ potestatibus, quæ vt ait initio capitis animam consequuntur, enumerat paulò ante medium eius capitis, potestates ratiocinantis animæ, plurimásque in ea virtutes, atque hanc animam ait, *quæ his potestatibus prædita est, reliquas omnes potestates habere*, concluditque statim post ea verba: *Cum animæ potestates* A *cõplures sint vbi rationalis vis est, ibidẽ est vna ex omnibus anima.* Ex quib. patet plures esse in vno eodémque animo intelligente facultates ac virtutes. Si autem plures facultates in vno subiecto sint: ergo ab eo realiter distinguuntur. Alioqui essent omnes vnum sicut subiectum ipsum. Vnde subdit, in vno animo esse plures virtutes & facultates, *eo ferè pacto quo si quispiam pomum redolentia & pulchritudine distinxerit, aut in figuram saporémve diuiserit.* Sentit ergo distingui, quemadmodum pomorum qualitates. Quas deinde virtutes ait *quibus intercedentibus summa operantur*, animæ *esse congenitas & peculiares his rebus*.

Quare non est mirum, si Alexander libro suo 2. de An. cap. 14. intellectum potestate seu materialem quem vocat, velit inexistere omnibus B iis, quę perfectam animam obtinent; nempe hominibus, appelletúrque ab ipso *simpliciter potestas quædam eiusmodi entelechia & animæ formarum, & intellectionum susceptiua.* Quo profectò vides confirmari ea quæ suprà diximus, Alexandro intellectum materialem haud esse nihil, sed ens & animæ potestatem.

Similiter Themistius lib. 3. de An. cap. 16. ait Aristoteli in eodem 3. libro propositum fuisse, vt de natura intellectus accuratè dissereret; & *quænam differentia inter hanc & cæteras facultates præsertim imaginationem* cõstitueret. Reponit ergo intellectum inter animæ facultates, quemadmo- C dum & imaginationem & cæteras, quas certum est ab anima distingui. Ac ne putaremus intellectum à Themistio accipi pro ipsa animi substantia, vide quomodo loquatur postea ibidem. *Ita intellectus is quo sapit & intelligit animus, non is quo aliquando pro imaginatione abutimur, per translationem eorum generum quæ cognoscit, nihil actu cõtineat, antequam cognoscat.* Non dissimili modo lib. 2. de An. cap. 9. eundem intellectum vocauit *vim quæ commentatur & cogitat*, & alibi similiter. Quin etiam idem Themistius ex Theophrasto lib. 3. de An. cap. 39. cùm dixisset intellectum potentiæ esse aliquid *cum ipsemet sit*, institutúmq; esse à natura, *vt in animo talis quadam sui generis potestas sit* D *pro subiecto formarum ac gremio, qualis in rebus materialibus facultas illa est, quæ constitutioni earum & concretioni inseruitur.* Hic etiam opinor vides intellectum esse facultatem operatricem in animo, vt in cæteris rebus materialibus est agendi facultas. Hæc namque ad rerum generationes & constitutiones à natura ipsis rebus ingenita est. Themistius.

Philoponus quoque libro 3. de An. in cont. 4. seu vt ipse diuisit in cont. 38. ait Aristotelem distinguere intellectum ab imaginatione: ergo putat esse facultatem animi distinctam ab ipso vt imaginatio est. Ipse enim lib. 2. de An. in cont. 19. potentias distinguit, quas putat *à cerebro pro-* E *cedere, instrumentisque indigere, nec easdem, eò quod sunt virtutes diuersæ, & vnaquæque in suo instrumento appareat.* & lib. 1. Prior. cap. 26. pag. 54. col. 7. *Intellectus* inquit *est altissima animæ potestas.* Ergo videtur Philopono facultas distincta. Philoponus.

Eustratius quoque eodem modo loquitur lib. 6. Eth. c. 2. Enumerat enim intellectũ inter ratiocinatricis animi facultates; nempe intellectum, sensum, & appetitum. Ergo intellectum facit facultatem, vt sensum & appetitum. Immò id ibi expressis verbis docuit Aristoteles initio capitis, vt conuincat vel proteruos: *Tria* inquit *sunt in anima, quæ actionis ac veritatis dominium habent, sensus,* Eustratius.

sensus, intellectus, & appetitus. ergo non sunt anima ipsa. essent autem anima, non in anima si ab ea non distinguerētur à parte rei, vt Deus est intellectio, vt diximus.

Simplicius. Clarissimè verò Simplicius lib. 1. Phys. in cōt. 3. commentario suo 3. post medium, vbi explicans quęnam per se insunt subiecto; negat album per se inesse subiecto, quod sit extra essentiam subiectorum; quomodo nec animo suæ facultates insunt, & subdit sic: *Immò album aptum est seiungi & separari à superficie, & virtus ab anima.*

Auerroes. Nihil hîc dico de Auerroë; quia eius auctoritas constans vbique non est, cùm interdum putet intellectum possibilem esse substantiam, nec vllam elicere actionem, sed informari ab agente intellectu. Interdum verò putet esse facultatem; de qua re satis dictum est suprà. Tamen ne omninò eius auctoritatem à Peripateticorum choro ablegemus, afferam nōnulla eius testimonia, quæ mirè hanc sententiam nostram illustrare possint. Quibus nimirum ille generatim asserit nullam substantiam agere immediatè, sed omnes elicere suam actionem per interpositas facultates. Ita enim loquitur lib. 7. Metaphys. comment. 31. vbi expressè docet, quicquid generatur in corporibus, esse per operatrices eorum qualitates, confutátque Platonem, Galenum & cæteros qui putabant ea, quæ in corporibus fiunt, ab Intelligentia id est ab aliquo Angelo formari. *Et demonstratio Aristotelis in hoc est,* inquit, *quod formæ non generantur per se, quoniam si sic esset tunc generatio esset, non à materia: & cùm ita sit generatum, est formans. Generans igitur est illud quod mouet materiam donec recipiat formam; id est illud quod extrahit de potentia ad actum: & illud quod mouet materiam, necessariò est corpus habens qualitatem actiuam aut potentiam, quæ agit per corpus habens qualitatem actiuam.* Vult ergo generari ipsa composita non compositorum formas; & composita ipsa nonnisi à corpore per qualitates effectrices, actiuásque potentias.

Hinc autem patet rectè Auerroëm ibidem suprà improbasse Platonis sententiam aientis, Deos minores esse qui rerum formas procrearent; eorúmque Peripateticorum, qui id adscribebant agenti intellectui. Improbat autem eo argumento, quòd *apparet* inquit *quod elementa non patiantur neque agant nisi per qualitates, non per formas substantiales. Et vniuersaliter apparet, quòd non sunt hîc potentia agentes nisi quatuor qualitates; & istæ non sunt formæ substantiales.*

Auerroës. At ne quis Auerrois sententiā existimaret solùm qualitates actiuas concedi in corporibus vt agant actione transeunte non immanente; idem de actionibus immanentibus docuit Auerroës non vno loco. Nam per grauitatem docet grauia corpora in suum locum moueri. Ait namque grauitatem & leuitatem esse principia mouendi; *& vulgariter sumi pro qualitate* lib. 1. cœli comm. 17. & ideò in paraphrasi lib. 4. de cœlo sum. 1. cap. 1. docet apud Aristotelem significare *potentias quibus hæc corpora mouentur.* Similiter de animæ sensibus docet, ipsos *vno modo numerari inter relationes, alio modo in qualitate, & non esse agentes nisi in eo quod sunt qualitates.* Ita lib. 2. de An. com. 143. De intellectu etiam libro de Animæ Beatitudine cap. 2. dixit; quod *sit anima virtus recipiēs & non agens vt sensus qui est virtus recipiens à sensato.* Quod intellige vt sensus non sit agens, non quod Auerroi non eliciat suas sensiones; sed A quòd in eo quod à sensili patitur, non agit. Omnes ergo substantiæ Auerroi agunt per interpositas qualitates non seipsis immediatè.

Ex his concludendum est, Auerroi & Peripateticis intellectum esse vim & facultatem animæ realiter ab ipsa distinctam. Atque hæc de intellectu, quem posuit Aristoteles in hominis animo, intellectúmque potestate appellauit; de quo etiam multa dicturi sumus infrà a. 4.

Consecutionem esse bonam, si intellectus ab animo distinguitur realiter, & Angelicus ab Angelo: Colliguntúrque multa alia ad traditam doctrinam confirmandam. §. 3.

B

NVnc autem probandum est illud ipsum antecedens de aliis substantiis creatis intelligentibus; eas scilicet intelligere Aristoteli per intellectum realiter distinctum ab ipsis. Probatur autem, quia si Aristoteli animus noster intelligit per huiusmodi intellectum; ergo & cæteræ superiores substantiæ creatæ intelligentes intellectum habebunt à sua substantia realiter distinctum. Cōsecutio probatur. Etenim si huiusmodi consecutio non esset bona, id certè esset; quia in duobus Aristoteli, superior substantia creata ab C animo nostro differt; quia scilicet Intelligentia, cùm sit substantia hominis animo nobilior, nec est corporis forma, nec in tempore creatur sed æterna est: hæ enim cæterorum prædicatorum, ac discriminum radices sunt; si quidem ex natura & modo quo res producitur, suas habet ipsa proprietates atque attributa. At ex neutro capite rectè dici potest, Angelum intelligere immediatè per suam substantiam, absque facultate intermedia, quæ sit vis intelligendi.

Ac primum quidem de priore capite probatur: Quia quod Angelus substantia sit nobilior, ideóque non sit corporis forma, ostendit quidem ipsum in intelligendo nō dependere à materia, non tamen ipsum carere huiusmodi facultate, D quia eam potest habere vt eliciat actum independentem à materia; Quare solùm hæc ratio probat, ipsum in intelligendo perfectiorem esse substantiam; quod totum esse potest si perfectiùs obiectas res intelligat & plures, & non per species à rebus acceptas. Vnde autem inde conficitur quominus illi insit intelligendi facultas: Nam etiam hominis animus est præstantior quàm anima muscæ; non tamen ex hoc deducitur, eius vim videndi esto sit distincta in musca; in ipso tamen non esse distinctam. Immò cùm de facultate intelligendi par sit ratio; siue substantia intelligens sit corporis forma, siue à cor- E pore sit abiuncta; quia quoad illam certum est ex supradictis, nullam habere à corpore dependentiam; non est quod in vna creatura eam differentiam affirmemus; in altera verò distingui inficiemur.

Quod si quis dicat, Angeli substantiam esse simpliciorem; & minus habere potentiæ ad recipiendas qualitates. Contra hoc est, quia ex hoc nihil pro ipsis magis ostenditur. Esto enim simplicior sit; tamen non ita simplex est vt formis nullis afficiatur; Nam & suos suscipit actus tum voluntatis tum intellectus, vt suprà proba-

uimus: Cur ergo nō subiiciatur eorum actuum facultatibus? Deinde quæro; In quo sita sit maior ista simplicitas? Neque enim hominis animus est magis compositus quam Angeli substantia; cùm & ipse partibus componentibus careat; & Angelus suam hypostatim habeat, suorúmque actuum vt iam diximus sit subiectum. Addo etiam ex eo quòd aliquid sit magis, minúsve simplex, non hoc ipso habet suas potentias cum sua substantia identificatas; vt patet in elementis, quæ quocunque misto simpliciora sunt;& in hominis animo, cui partes entitatiuæ quas vocant insunt. De altero capite idem patet: quia quòd aliquid sit æternum, non excludit rationem subiecti: Nam cum æterno Aristoteli stat, vt sit subiectum multorum accidentium; vt videmus in cœlo; quod Aristoteli æternum est; & tamen operatur in hæc inferiora per inditas facultates: quo modo etiam Sol ac sydera orbem illuminant: suis etiam actibus substant; nempe suis motibus. Sic etiam & Angeli suas operationes à se distinctas habent vt diximus. Ergo ex neutro capite id conficitur, Angelis non inesse facultates à substantia distinctas. Ergo sequitur debere asseri, Angelos Aristoteli intelligere per intellectum, quæ sit facultas ab eorum substantia distincta realiter. Si enim nulla ratio obstat, stat regula illa Aristotelis, quam toties diximus lib. 1. cœli contex. 102. *Sola hæc ponenda sunt rationabiliter, quæcunque in multis aut in omnibus videmus esse*: Ex quo axiomate arguit Empedoclem atque Heraclytum dicentes cœlum esse quidem genitum, sempiternum tamen: arguit autem; *quia sempiternum dicere est impossibilium: sola enim hæc,&c. De hoc autem accidit contrarium, omnia quæ generantur & corrumpi videntur.* Quare sentit Aristoteles ex iis quæ hic videmus vel semper vel plerumque accidere, si rectè philosophandum sit ad ea quæ superiora sunt, nósque latent, traducenda esse argumenta. Cùm ergo in his omnibus inferioribus substantiis Aristotelis, Peripateticorúmque sententia nulla sit substantiæ operatio, quæ non procedat proximè ex effectricibus qualitatibus; vt superiore Difficul. probatum est, rectè philosophabimur; si huiusmodi qualitatem ad eliciendas suas cognitiones Angelis, atque adeò omnibus substantiis superioribus modò creatæ sint, Aristotelis ac Peripateticorum opinione tuebimur.

Scotus. Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, non rectè deduci à Scoto animam Aristoteli immediatè elicere actus suos, eò quòd eidem Aristoteli oculus est æquiuocè oculus, cùm non potest suam functionem promere; vt est oculus mortui. Non rectè inquam duplici de causa.

Primùm, quia in eo quod est oculus, inuoluitur intrinsecè facultas videndi tanquam eius forma. Non enim oculus est substantia absoluta; vt lapis, homo, &c. sed est instrumentum ad videndum; sicut securis ad scindendum. Quam ob causam Aristoteles lib. 2. de An. cont. 9. clarissimis verbis docuit, *oculum esse materiam*, non quidem animæ, sed *visus*, *quo deficiente non est amplius oculus*: id est materia facultatis ad videndum; hoc enim visus est. Quemadmodum securis est materia facultatis ad scindendum, non formæ ferri; vt colligitur ex cont. 8. ibidem. Et hoc pacto rectè ibi ab Aristotele dictum eodem cont. 9. est: *Si oculus esset animal, anima vtique ipsi visus esset*; Vt denotet si oculus animal esset, & præditus anima, nullam aliam habiturum formam & animam præter vitam, quia retineret essentiam ac definitionem oculi, quæ est esse materiam facultatis videndi; seu, si complete accipiatur, instrumentum ad videndum.

Aristoteles. Quamobrem si non sit in eo vis ad videndum, æquiuocè oculus foret; sicut fistulæ lapideæ, & manus mortui; vt ex Aristotele suprà diximus, quia deesset forma, qua in tali esse instrumenti constituitur. Quo pacto homo pictus æquiuoce est homo; quia deest illi forma, qua homo est homo: Ergo non rectè colligitur à Scoto, animam substantialiter sine vlla facultate sibi superaddita constituere oculum. Quamuis enim accidentis deperditio non remoueat rem & subiectum à propria specie; vt album si abiiciatur, non destruitur homo, qui erat albus; tamen visus oculo non est accidens sed forma; quia formaliter constituit oculum in ratione oculi: nempe in ratione instrumenti ad videndum potentis: vt vis scindendi formaliter constituit securim: & aptitudo ad edendum musicum sonum fistulam.

Nec contra hoc est quod dixisse videtur Aristoteles lib. 1. Phys. cont. 28. quod nempe est vni accidens, alteri nequit esse substantia. Nam id intelligi debet de eo quod verè est accidens, & in categoria accidentis reponitur, diuiditúrque contra substantiam, vt albedo, calor, dulcitudo, &c. nulli potest esse substantia. Et in hoc valet argumentatio Aristotelis: Ait enim si homo est, est substantia: alioqui erit accidens. Non tamen id verum est de eo, quod vni subiecto sit accidens, nempe modo accidentario ad ipsum subiectum se habeat. Potest namque forma, quę materiæ potest adesse & abesse præter eius interitum, ac proinde accidentis instar ei sit, composito quod ex ea forma sic accidentaria, subiectóque conflatur, esse substantialis. Immò & potest ipsa forma quæ verè sit accidens substantialiter, composito quod ipsa constituit esse essentialis, non tamen quæ verè transeat in rationem substantiæ de prædicamēto substantiæ. Nam Aristoteles in eodem loco apertè docet *simum accidere* naso: nempe cauitatem, quæ tamen est essentialis simo: & sic de albedine respectu hominis: cùm tamen albo sit essentialis, quippe eius albi forma.

Alterum argumentum est, quia esto sit æquiuocè oculus cum non habet animam substantialiter. Quo ergo modo infert, Ergo substantia animæ est quæ per se sine alia vi operatur: facilè enim responderi potest: Esto, quia non habet animam sit oculus æquiuocè; non tamen inde consequens est, animam esse immediatū actionis visionísque principium. Sed dumtaxat rectè sequitur, ex eo quòd oculus non habet animam, quæ est primum præcipuúmque operandi principium: quo sublato etiam secundaria principia remouentur, oculum esse æquiuocè oculum, quia caret tam primo quàm secundo principio eliciente operationem: Non enim facultas ad videndum esse potest saltem connaturali modo sine vita, quæ præcipua est, & à qua cætera dependent in huiusmodi vitæ actionibus. Negandum igitur est Scoti argumento operandi facultatem esse ipsam animam substantialiter, quæ solùm est remotum ac præcipuum, non tamen imme-

immediatum atque instrumentale principium; licèt connaturaliter exigatur vt in composito sit, in quo vis vitaliter operandi sita sit.

Colligitur secundò, non rectè philosophari quosdam alios, dum aiunt animam posse immediatè operari, suáque natura esse potētiam; quia etiam materia sua natura est potentia, potestque se ipsa recipere formas absque vlla potentia superaddita. Non rectè autem; quia vt docet A. Doctor q. vnic. de spiritual. creatu. a. 11. ad 15. *Potentia materiæ non est ad operari* nempe ad accidens, *sed ad esse substantiale*, nempe ad formam substantialem; quæ quidem est finis materiæ; vt docet Aristoteles libr. 2. Phys. cont. 70. 81. & 91. & ita habet finem nobiliorem se. *Et ideo potentia materiæ potest esse in genere substantiæ; non autem potentia animæ quæ est ad operari.* Non ergo rectè philosophantur, quia diuersa harum rerum penitus ratio est: Materia enim refertur per suam potentiam ad formam, quæ est nobilior ipsa materia: forma autem si esset potentia ad operationes, referretur sua natura ad accidēs; quod est impossibile, vt dictum est. Eodem modo respondet A. Doctor q. vn. de An. a. 12. ad 12. Vbi *Materia prima* inquit *est in potentia ad actum substantialem, qui est forma; & ideò ipsa potentia est ipsa essentia eius.*

A. Doctor.

Verùm dicet aliquis; quod etiam suprà significabamus, Materia non tantùm ad substantiales formas; verùm etiam habet suam illam potentiam ad formas accidentales; quia eadem potentia quæ respicit finem, respicit etiam media ad finem. Ergo potentia materiæ erit ad accidens, quod est medium vt forma substantialis inducatur in ipsam. Respondeo esto, vt etiam eodem loco docuimus, ad accidentia materia sit potentia (nolo enim hic hac de re disputare; quia de hac quæstione satis dictum est alibi in 1. Phys.) Tamen illam potentiam secundariò respicere accidentia: nam per se primò respicit formam, quæ est finis; secundariò media. Vt vera sit hæc propositio: Materiæ potentia ideò est ad accidentia, quia est ad formam; quemadmodum cùm appetimus media propter finem; v.g. medicina propter sanitatem; vera est hæc propositio; Volo medicinam quia volo sanitatem. Finis etenim tunc est ratio volendi media; vt docet A. Doctor 1. 2. q. 17. a. 4. c. & ideò Aristoteles libr. 3. de An. cont. 49. docet: *Et appetitus propter aliquid omnis est*; nimirum propter finem, qui primariò quocunque omninò voluntatis actu appetitur, quia propter ipsum cætera appetuntur. Dico ergo vt suprà monuimus, materiam esto referatur ad accidens; non tamen tanquam ad finem & primariò, sed tanquam ad media propter finem, ac proinde secundariò referri; quòd non aduersatur nostræ sententiæ: quandoquidem dicimus substantiam, qualis est forma intelligens, non posse sua natura referri ad operationem tanquam ad finem.

Aristoteles.

Hic dubitare quis posset; quomodo vna & eadem potentia si materiæ essentialis sit, referri possit ad media & ad finem. Verùm quia est eadem difficultas de actu voluntatis, quo pacto tendat in media propter finem, differo alibi examinandam. Sane quod voluntas simul & finem proximum, & remotum ad quem finis proximus est medium, respiciat, expresse docet A. Doctor 1. 2. q. 12. a. 3. ibique commentatores omnes consentiunt.

A Colligitur tertiò non rectè Ricardum vbi suprà in prima sententia colligere, animam posse immediatè elicere suos actus, quia ab ea originem trahunt potentiæ, ac proinde ab ea efficienter manant. Non rectè autem, quia falsum est *originare* vt ipse ait *propriam passionem esse agere*: nam originare in eius auctoris sensu est esse originem. Non enim aliter ait subiectum originare propriam passionem, nisi quia subiectum eius passionis origo est. At falsum est, id quod alicuius est origo, quocunque modo esse eius causam effectricem. Nam & lineæ origo est punctus, & fons fluuiorum, & cor venarum; & materia formarum materialium, &c. quæ tamen eas res non propriè efficiunt; vt punctus lineam, aut fons fluuios ipsos, cùm solùm sint id vnde illa deriuantur & fluunt ex aliarum efficientium causarum concursu. Præterea etiamsi verum sit, doceri ab Aristotele in eo contextu vigesimooctauo libro primo Physicorum materiam cum forma esse causam omnium accidentium, quæ sunt in ipsa; non tamen dicit esse causam effectricem. Immò potiùs contrà, cùm dicat esse causam *sicut mater*. Etenim hoc differre ait marem à fœmina Aristoteles libro primo de Generat. anim. c. 2. quod licet vterque ad fœtum concurrat; tamen Mas ita concurrit, *vt quod motus & generationis originem teneat*; nempe efficientis causæ; *fœmina vt quod materiæ*. Vnde paucis pòst, subdit. *Quamobrem* inquit *in vniuerso quoque naturam terræ quasi fœminam, matrémque statuunt: cælum autem, & solem & reliqua generis eiusdem, nomine genitoris patrisque appellant.* & tandem idem concludit, vtriusque tam maris, quàm fœminæ definitione ad conceptum relata. *Vt mas sit quod in altero generare potest, fœmina quod in se ipso, & ex quo fit quod generatur.* Ergo si fœmina se habeat tanquam mater, &c. se habeat etiam tanquam materia; & non efficiens, necesse est.

Ricardus.

Quod si Ricardus velit, materiam originare accidentia tanquam causa eorum materialis; Iam nihil dicit pro sua sententia. Originare enim hoc pacto tanquam subiectum non est agere; sed solùm est esse materiam; vnde res tanquam à causa materiali ortum habet, non tanquam ab effectrice. Materiæ namque qua materia est, est pati non agere; vt docet Aristoteles libro secundo de Generat. contextu quinquagesimotertio. Denique, quia nulla substantia est immediatè actiua, ne ordine naturæ peruerso vnum quod sit nobilius referatur in minus nobile: Quod in natura quæ ordinis causa est teste Aristotele libro octauo Phys. contex. 15. & nihil inordinatum admittit, vt ibidem docet, nullo modo est concedendum: Et ideò diximus super. Difficult. in primo Corollario substantiam non esse effectricem causam suarum passionum, nisi per quandam resultantiam; vt loquitur A. Doctor, & ibi notauimus diligenter.

Colligitur quartò, non esse semper requirendam separabilitatem, quæ naturaliter cōtingere possit inter ea omnia quę realem inter se distinctionem habent. Ad quod comprobandum non rectè argumētabantur alij in prima sentētia suprà: Probatur, quia multa sunt cōcedenda in Natura, quæ ab alio realiter distinguantur, quæ separari ab illo nequeunt naturaliter. Certum enim est, multas rationes accidentarias nūquam separari ab aliquibus subiectis; vt quantitatē, raritatem, densitatem, figuram, lumen & alia huius

huiusmodi accidentia à cœlo; quæ tamen Aristotelis sententia ab ipso cœlo realiter distinguuntur: nam quod vni est accidens, alteri non potest esse substantia; vt supra diximus ex Aristotele lib. 1. Phys. cont. 28. & lib. 1. Top. c. 4. Certum autem est has formas multis corporibus accidentia esse. Quæ causa est vt Aristoteles eodem cap. 4. & libr. 4. Top. loco 4. non definierit accidens esse, quod abesse potest ab omni subiecto; sed *quod contingit idem inesse alicui, & non*. Quasi dixerit satis esse si alicui non inesse contingat. Non ergo requiritur vt separationem naturalem videamus potentiarum ab anima seu ab Angelo, vt eas ab iisdem distingui substantiis proferamus.

Immò sine dubio potiùs contrà omninò dicendum videtur; has potentias nunquam separari ab anima seu ab Angelo, nempe intellectum & voluntatem, & si quæ sunt aliæ. Vt rectè omninò dixerit A. Doctor quæst. vn. de An. a. 12. ad 7. *potentias animæ esse accidentia, sicut proprietates. Vnde sine illis licet intelligatur quid sit anima; non autem sine illis esse animam possibile est, neque intelligibile*; Nimirum si connaturali modo esse intelligantur. Quia tamen omnia illa quæ diuersa sunt, possunt saltem per diuinam potentiam separari, videndum est quo pacto colligamus separabilitatem inter potentias atque animæ substantiam, etiam si naturaliter separari nequeant.

Dico autem ad hoc esse satis, si in similibus accidat huiusmodi distinctio. Nam vt ait Aristoteles libro secundo Topic. loco 32. *Si in aliquo similium sic se habet, & in aliis similibus*. Videmus autem in cæteris substantiis; quæ hic sensibus perspectæ sunt, has operatrices facultates distingui; vt diximus de calore, virtute motrice, lumine, & aliis: Ergo & facultates operatrices Angelorum animique nostri; in quibus ostensum est oportere distinctionem realem esse; ne quod nobilius est ac præstantius, ad finem deteriorem sua natura respiciat, referaturque.

Quod verò dicitur in eo primo ex aliorum probationibus argumento; Aristotelem videlicet arbitrari potentias non separari; Esto tanquam verum detur, eo quòd non contingit naturaliter separatio; tamen non negabunt Aristoteli eas potentias separatas posse intelligi. Nam & ipse Aristoteles libro quarto Physicorum, contextu septuagesimosexto, per hypothesim etiam naturaliter impossibilem concedit; quantitatem & cæteras qualitates separabiles esse à substantia, eò quòd ipsarum esse diuersa sunt. Magnitudo enim *etsi calida est aut frigida, aut grauis* inquit *aut leuis; nihilominus ipso esse altera ab omnibus passionibus est, etiamsi separabilis non sit ab illis*. Vbi obserua negari ab Aristotele esse separabiles; nempe naturaliter; & asseri quantitatem ipso esse, hoc est entitate esse diuersam ab illis accidentibus: Ergo absolutè sunt separabilia, quia entitate diuersa constant. Et ideò quasi id absolutè concedens de cubo quanto ait si à substantia separaretur tantundem spatij occupaturum, atque occupat cum est in ipsa substantia. *Dico autem* inquit *si separetur ab omnibus aliis & neque leuis, neque grauis sit, occupabit æquale spatium, & in eadem erit & loci & vacui parte æquali sibi.* Itaque concedimus potentias non separari; nec separabiles natura esse; dicimus tamen quia distinctam colligimus ipsarum entitatem separabiles absolutè esse; atque ita patet ad argumentum, & ad eius confirmationem.

Colligitur quintò, nec rectiùs ex secundo aliorum ibi posito argumento confici, animum seu Angelum substantialiter esse principia operationum, eò quòd principia naturæ sunt similia principiis effectionis in artibus. Non rectiùs inquam; primò quia Aristoteles in eo contextu vigesimotertio, libro septimo Metaphysices docet sanitatem fieri ex sanitate: Ergo esto dicat hominem fieri ab homine; non tamen docet immediatè fieri à substantia. Sane sanitas à sanitate in mente medici; & domus ex domo in mente artificis non aliter fit quàm per potentias effectrices: Ergo pari ratione Aristoteles intelligeret de effectibus naturæ, ipsos non fieri à substantia generante, nisi per sua instrumenta, quæ dicimus esse potentias effectrices per quas substantia agere solet.

Secundò, quia non negabimus vnquam idem esse principium essendi & operandi. Sicut enim principium rei est forma, & in viuentibus anima; sic & in rebus principium operandi, est forma, & in viuentibus anima; vt in igne forma essendi & operandi est natura ignis; & in homine principium essendi & operandi vitaliter est animus. Sed dicimus hoc principium non esse principium proximum operationis; Et ideò vt supra diximus Aristoteles libro secundo de An. contextu vigesimoquarto dixit quidem animam esse principium quo viuimus, & cætera, non tamen simpliciter; sed addidit *quo primò viuimus, sentimus*, & cætera. Quare concedimus aliquam argumento paritatem; Vt scilicet quemadmodum in artibus principia rei faciendæ sunt substantiæ in mente; ita principia rei faciendæ sint substantia in natura. Sic enim vt habet Aristoteles libro septimo Metaphysices contextu trigesimo *omnia fiunt quodammodo ex vniuoco*, tam quæ natura fiunt, quàm quæ ex arte: quod etiam repetit libro duodecimo Metaphysices contextu 13. Nihil tamen hinc deducere poterunt quod illis faueat: Fient enim ex vniuoco comparate ad primum principium operationis; non autem ad proximum & instrumentale, quod effectrix potentia est.

Colligitur sextò, nec alio argumento probari quod volunt ipsi, eò quòd scilicet potentię rationales sunt ad opposita: non autem essent ad opposita si anima intelligeret per qualitates. Hoc inquam non probat, Primò quia potentiæ rationales; nempe intellectus & voluntas, quas dicimus Angelo qualitates superadditas, tales sunt potentiæ, quales animus ipse postulat; Vt scilicet quia animus postulat, vt possit ad opposita, intellectus & voluntas aptæ facultates sint, quibus ad ipsa opposita feratur animus. Sicut enim potuit esse videndi facultas, qua animus videret; ita intelligendi qua inteligeret opposita, & volendi qua velle posset opposita, absque vlla necessaria determinatione ad vnum.

Secundò, quia potentiæ rationales ad opposita ideò sunt, quia vt ait Aristoteles lib. 9. Met. cont. 3. & 10. intellectus & ratio manifestat vtrumque contrariorum, vt volūtas sequatur quod placet.

Causa

Causa verò inquit ibi cont. 5. *est quia scientia ratio est; ratio autem eadem manifestat & rem & priuationē, nisi quod non similiter,*&c. Quia vt cont. 10. ibidem ait quia non proponuntur eodem modo contraria, in quæ feratur animus: *Necesse enim est* inquit *aliquid quoddam esse quod dominetur*; & pergit declarare id esse siue appetitum siue electionem. Itaque dico, tametsi hæ qualitates sint in animo; non tamen ab illis tolli ipsum ad opposita posse, cùm iuuent maxime tanquam aptissima instrumenta ad suum finem. Intellectus enim proponendo contraria: voluntas eligendo quod ex illis libet. Atque ita negandum est argumento animum non remanere liberum ad opposita. In eo etiam deficit argumentum, quòd dicit omnem qualitatem esse ad vnum; cùm id falsum sit in potentiis ratione vtentibus, vt diximus ex Aristotele.

Quod vero dicitur de scientia, ipsam videlicet esse ad vnum, quia est vnius generis obiecti, ambiguum est: nam si intelligant scientiam esse ad vnum: hoc est circa obiectum vnius generis; vera est propositio; eámque Aristoteles docuit in eo libro primo Posteriorum, contextu centesimoseptuagesimonono, quia vt ibi docet: quæcunque in aliqua scientia, nempe *totali* tractantur, debent esse vel partes, vel principia, vel passiones sui subiecti; atque ita ad vnum genus obiecti reducitur quicquid in aliqua scientia scitur. Vt quæ in Physica docentur, aut sunt, species, aut principia, aut passiones corporis naturalis, quod Physicæ scientiæ obiectum adęquatum est. Atq; ita Physica scientia est de vno obiecto; nempe de corpore naturali. Sed ex hoc nihil sequitur contra ea quæ stabiliuimus. Nam possunt in eo obiecti genere contraria contineri; vt calidum, frigidum, amarum, dulce & similia. Ergo ex hoc non negatur scientiæ vt possit in opposita. Sin autem intelligant vnam scientiam esse vnius tantùm obiecti numero, est falsum de scientia totali; cuius sunt plura obiecta partialia vt dictum est: Et de hac scientia totali loquitur Aristoteles, cùm dixit eo loco scientiam esse, *quæ est vnius generis*, cuius assignandæ sunt partes & passiones, vt alibi fusiùs dictum est. Ex quibus vlteriùs sequitur, licèt vna scientia determinet intellectum ad suum obiectum, cùm ea vtitur intellectus ad suos actus; cùm tamen non sit illa tantummodo in intellectu, sed aliæ complures & species rerum, quibus vti ipse intellectus potest variè variis temporibus, non sequitur his facultatibus intellectum ad vnum restringi, cùm possit vagari per illas plures.

Ad illud quod ibi additur, dico intellectum non dici immixtum, quia nullus in eo sit habitus aut forma. Hoc enim ibi admittit Aristoteles contextu octauo, & inde certum est experientia. Sed dici immixtum intellectum cum corpore & organo corporeo, cui non est affixus intellectus ipse, vt oculus, auris, cæterique sensus. Quod organum si corporeis qualitatibus afficiatur, impedietur extraneum; hoc est ne videantur alia obiecta, vt si color flauus esset in oculo, omnia illi apparerent flaua. Et, si amaritudo esset in organo gustus, ei omnia saperent amara. Cùm ergo intellectus non sit affixus organo, debet esse immixtus; nempe non vt sensus, quia omnia intelligi debent posse ab illo; quod non esset si corporei organi adminiculo ad functiones indigeret suas, vt de sensibus diximus.

Ex his respondetur ad argumenta primæ sententiæ: quibus omnibus suo ordine satisfactum est in nostris Collegitur. Ad primum enim in primo: Ad secundum in secundo, & sic deinceps; præterquam ad vltimum. Ad quod facilè respondetur: nam concedo ea omnia ab Aristotele dici. Vnde concedendum esse aio consequentiam; sed ita vt Aristoteles velit formam quidem esse causam efficientem; sed tamen vt *quo* non vt *quod*; vt patet ex definitione animæ allata ex libro secundo, contextu vigesimoquarto. Dico autem naturam esse principium primum non immediatum vt diximus ex eadem definitione. Et cùm dicitur forma est natura, quæ est principium motus: Eodem modo aio esse principium primum; ex quo nimirum oritur immediata potentia motus effectrix; vt alibi fusiùs diximus, & patet ex ipsa naturæ definitione quam tradidit Aristoteles libro secundo Physicorum, contextu tertio, nempe, Natura est principium motus primum, & cætera.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm ratione naturali præsertim A. Doctoris ostendi possit Angeli intellectum non esse eius substantiam.

NOtandum hac in re est, Totam rationis A. Doctoris summam reuocari ad has duas vnius enthymematis propositione; nimirum Actus intelligendi, & actus essendi sunt diuersi. Ergo essentia quæ est ad actum essendi, & potentia intelligendi, quæ est ad actum intellectionis, sunt diuersæ & non sunt idem. Quod probare contendit in hoc art. vt vidimus suprà dum rationem A. Doctoris attulimus. Quo ipso argumento vsus etiam est A. Doctor q. de spiritual. Creat. a. 11. c. & alibi vt notauimus. A. Doctor.

An & quo pacto Esse sit actus essentiæ ex doctrina A. Doctoris: Cùm essentia non sit respectus ad ipsum Esse, siue hoc realiter ab illa distinguatur, siue ratione tantùm. §. I.

VErùm hæ propositiones non videntur veræ, eatúmque difficultas cōsistit in tribus. Primum est, quia essentia substantialis videtur quid absolutum, non relatio ad esse: Humanitas enim est natura hominis, & non est ipsius esse humanitas. Sicut quia paternitas est ad filium, est filiationis paternitas. Quod magis apparet si ipsa cōcretè sumatur. Pater enim vt docet Aristoteles in prædicamento ad aliquid, est filij pater. Et ratio est quā Aristoteles ibidem docet, quia *omnia quæ sunt ad aliquid, ad conuertentiam dicuntur*; *vt seruus, Domini seruus, & dominus serui dominus esse dicitur.* Aristoteles.

Ergo

Ergo essentia si non est relatio ad esse, non potest esse potentia ad esse: quia potentia ad suum actum dicitur, vt etiam hic fatetur A. Doctor.

Alterum est, quia esse non est actus distinctus ab essentia nisi ratione: Non enim potest intelligi ipsum esse separabile ab essentia cuius est esse. Ergo essentia non est relatio ad esse tanquam ad actum; quia omnis relatio est ad terminum realiter distinctum; alioqui idem referetur ad seipsum relatione reali, quod est impossibile.

Tertium est, quia esto actus sint diuersi intelligere & esse; tamen non rectè deducitur, potentias ad illos actus esse diuersas. Vt enim arguit Scotus (Scotus.) in 2.d.16.§. *Rationes istæ* vna potentia est ad diuersos actus; vt patet vel in ipsa intelligendi potentia, quæ ad omnes intellectiones etiam genere diuersissimas vna eademq; est. Ad solutionem

Notandum est primò, dupliciter nos posse intelligere sensum eius propositionis, quam A. Doctor (A.Doctor) frequenter vsurpat; nempe *Esse est actualitas substantiæ vel essentiæ*; vt ait in hac q.54. a.1. Vel vt eam profert in hoc art. *Essentia comparatur ad ipsum* Esse *sicut potentia ad actum*: vel vt loquitur q.5. de pot. a.4. ad 3. & suprà q.39. a.1. ad 3. & alibi sæpè *Esse est actus essentiæ*: quæ omnia eodem recidunt, si rectè perpendantur: Hanc inquam propositionem nos posse dupliciter intelligere. Primò quidem vt sensus sit de ipso Esse, quod sit realiter distinctum ab essentia. Secundò de eodem esse, quod sit solùm ratione distinctum ab illa eadem essentia.

Et quidem priorem propositionis sensum significari semper ab A. Doctore, patet ex iis quæ suprà diximus a.1. huius quæstionis: quandoquidem ostendimus A. Doctoris sententia Esse re distingui ab essentia; Ne tamen longiorem alienis filis telam texamus, vtramque opinionem in præsenti tanquam veram ponamus, examinemúsque; Vtrùm A. Doctoris propositio in vtroque sensu veritatem habere possit; ita scilicet vt siue distinguatur essentia à suo Esse realiter; siue idem re cum illo sit, essentia comparetur ad illud tanquam potentia ad suum actum. Vnde apparere poterit; sitne ex hoc, intellectus re ab Angelica substantia diuersus; ad quod nititur A. Doctoris argumentum. Pro qua re

Notandum secundò, Actum esse illum per quem aliquid, nempe id quod est potentia, fit actu; hoc est id quod est subiectum. & materia, ac proinde potentia est aliquid, recipit aliquod Esse formaliter per ipsum, ex quo vtroque fit actu compositum. Quod idem est ac dicere, est id quod absoluit, actuat, perficitque materiam, cum eáque compositũ facit. Cùm enim sit idem actus & forma; vt docet Aristoteles (Aristoteles.) lib. 2. de An. cont. 2. *Est autem* inquit *materia quidem potentia, forma verò actus*, debet formaliter & actu constituere id, cuius est forma & actus; nempe suum compositum, dum materiam ipsam absoluit formaliter; & idcircò ibidem cont. 5. & 6. dicitur anima quæ est forma, in eius definitione *Actus corporis naturalis organici*; Quia scilicet corpus animatum, cuius anima est forma facit actu formaliter animatum seu viuẽs. Quoniam autem Esse seu existentia constituit essentiam, cuius est existentia in aliquo Esse, eámque perficit; ita vt fiat hoc conflatum; nempe existens; ideò Esse eius essentiæ rectè dicitur actus ab A. Doctore locis citatis.

A Vnde etiam vlteriùs sequitur ipsam essentiam esse aliquo modo potentiam comparatè ad existentiam. Potissimùm enim aliquid dicitur actus respectu suæ potentiæ; vt habet A. Doctor in hoc art. & ideò Aristoteles libro 9. Metaph. cont. 11. omnem potentiam cum actu comparat, & cum potentia actum, tanquam intelligi omninò debeant simul, nec alter ab altero ne cogitatione quidem diuelli vnquam queat. *Sunt enim eorum quæ ad aliquid*, vt dixerat Aristoteles (Aristoteles.) lib. 2. Phys. cont. 26. de materia ac forma, seu quod idem est de actu & potentia. Est ergo actus omnis comparatè ad aliquam potentiam; ac proinde si Esse est actus essentiæ, essentia est respectu huius eiusdem actus potentia. quod B docet hic A. Doctor, alibique non raro. Pro qua re

Notandum est tertiò, etiamsi essentia ab Esse distinguatur realiter; non tamen essentiam fore veram potentiam respectu actus. Neque enim puto aliter habituram potentiæ rationem, nisi nostro intelligendi modo cum fundamento in re. Quod quidem patet, quia verè essentia non est relatio transcendentalis ad actũ, tanquam materia prima est ad formam, vt ad veram suam perfectionem, sicut cæteræ potentiæ, quæ ad verum suum actum referuntur: Materia namque refertur ad formam; & ad suam perfectionem, quia eam suscipit in se, atque est C illius subiectum: At essentia non est verum subiectum sui Esse. Nam ei non præexistit; vt subiectum debet præexistere suæ formæ. Esto enim materia non habeat existentiam nisi à forma formaliter; vt nonnulli autumarunt: Tamen eorumdem sentẽtia non intelligitur materia eiusdem formæ subiectum, nisi prius per eius existentiam intelligatur existens: Certum namque est Peripateticis prius esse subiectum iis quæ in subiecto sunt; vt expressè patet ex Aristotele lib. 1. Phys. cont. 52. Vnde idem Aristoteles libro 5. Metaph. cont. 16. expressè docet, ex eo quòd subiectum est prius, substantiam quoque esse priorem; nempe iis quibus ipsa subesse seu D substare dicitur: *Cum autem ipsum Esse* inquit ibi Aristoteles (Aristoteles.) *multipliciter dicatur, primò quidem subiectum est prius, propter quod substantia prior.* Itaque cùm prius intelligi subiectum esse debeat, quàm ea quæ sunt in ipso, non potest intelligi essentia propriè subiectum sui Esse tanquam suæ perfectionis & sui actus.

Quo pacto autem existentia formæ possit priùs intelligi formaliter constituere materiam, quàm in ipsa intelligatur inesse forma, res est intellectu sanè perdifficilis. Sed hæc ex eorum sententia difficultas sequitur, qui abnegant materiæ proprium eius Esse, quod à forma arbitrantur formaliter in materiam deriuari. Quam E ego sententiam nec puto ad mentem A. Doctoris fuisse vt suprà indicaui, & post etiam dicam; nec vt veram in meum animum inducere vnquam potui. Quamobrem videant ij auctores quanam ratione hæc duo cohærere inter se possint; nempe materiam præsupponi formæ, ac proinde priùs existere quàm intelligatur in ea esse forma; &; Materiam formaliter per existẽtiam formæ esse. Nobis in præsentia satis sit; essentiam non habere veram rationem potẽtiæ respectu sui Esse, vt materia eam habet respectu suæ formæ.

Ex quo sequitur, rationem cur materia non sit

ſit potentia ad ſuum Eſſe, non prouenire ex eo quòd vt antè dicebamus, ſubſtantia non poteſt referri ad ſuas operationes tanquam ad finem, ne nobilius ſua natura referatur ad minùs nobile: Nam ſi quis dicat eſſentiam non debere habere rationem potētiæ, ne perfectius ad ignobilius atque imperfectius referri dicamus; Contrà eſt, quia etiam poſito quòd inter ea ſit realis diſtinctio; non ſequitur huiuſmodi abſurdum: Nam cùm exiſtentia ſit vera ac ſubſtantialis perfectio eſſentiæ & naturæ ſubſtantialis, non eſt illius accidens, ac proinde eſſentia non refertur ad ignobilius, ea ſaltem ratione qua docebamus de ſubſtantia reſpectu ſuarum operationum: Immò exiſtentia non eſt finis eſſentiæ. Etenim licet vniuſcuiuſque rei operatio ſit finis in quem dantur potentia; non tamen ipſum Eſſe eſt id, propter quod eſſentia eſt: nam vt aliquid referatur in finem, debet ipſum quod refertur actu eſſe. Quod enim non eſt, in finem non tendit. Si ergo actu eſt, iam inuoluit ipſum Eſſe; ac proinde non refertur ad illud tanquam ad finem, cum omni fini præſupponatur Eſſe eius, quod in finem refertur.

Addimus quoque, eſſentiam non eſſe relationem ad ſuum Eſſe: Nam eſſentiæ abſolutæ ſunt ſaltem eæ, quæ ſubſtantiales perfectæque ſunt. Non enim hominis genus aut differentia definitur relatè ad ſuum Eſſe. Dicitur namque homo eſt animal rationale; hoc eſt ſubſtantia ſentiens, rationiſque particeps, &c. Definiri autem omninò oporteret relate ad Eſſe: ſi quidem omnis relatio comparatè ad ſuum terminum cognoſci debet; vt Pater reſpectu filij. Deberet ergo dici Homo eſt animal ad ſuum Eſſe; eſt rationale ad ſuum Eſſe, &c. Sicut cùm dicitur, oculus eſt potentia ad videndum; intellectus eſt potentia ad intelligendum, &c. Quod quidem nemo non videt abſurdum eſſe.

Confirmatur, quia nulla potentia definiri poteſt niſi per reſpectum ad actum, à quo ſuam ſpeciem ſortitur; vt etiam patet ex A. Doctore infrà q. 77. a. 1. corp. Vbi probat; Si potentia eſt in genere ſubſtantiæ, etiam actum, qui eſt ad illam potentiam, debere eſſe in genere ſubſtantiæ: *Quia oportet* inquit *quòd ad idem genus referatur potentia & actus.* Sunt enim correlatiua, vt diximus de materia & forma ex libro 2. Phyſ. cót. 26. Ergo nulla eſſentia definiri poſſet niſi tanquam relatio realis ad ſuum Eſſe; quod iam oſtendimus eſſe abſurdum. Conſtat ergo, eſſentiam non eſſe veram potentiam realem ad Eſſe tanquam ad actum. Pro qua re adhuc meliùs intelligenda

A. Doctor.

Notandum eſt quartò, nec rectè dici poſſe, eſſentiam ſubſtantiæ eſſe potentiam ad exiſtentiam, per relationem ipſi eſſentiæ ſuperadditam ita vt homo non ſit potentia qua homo eſt; ſed qua poteſt ſuſcipere ſuam exiſtentiam. Hoc inquam rectè non dicitur. Nam primò eſſentiæ ipſa exiſtentia actus dicitur ab A. Doctore q. 5. de Pot. a. 4. ad 3. non autem actus potentiæ, quæ ſit potentia eſſentiæ. Quocirca infrà q. 77. a. 1. docet *ad idem genus referri potentiam, & actum; & ideo ſi actus non eſt in genere ſubſtantiæ, potentia quæ dicitur ad illum actum, non poteſt eſſe in genere ſubſtantiæ.* Ex quo apparet potentiam debere eſſe ſubſtantiam, non aliquid ſubſtantiæ ſuperadditum; ſi actus eſt ſubſtantia: Quod adeò A. Doctori verum eſt, vt in eodem art. 1. ad 2. concedat,

A. Doctor.

A quia forma & actus ad quem materia eſt potentia, eſt ſubſtātia, *ideò potentiam materiæ non eſſe aliud quam eius eſſentiam.*

Secundò, quia hoc differt actus qui eſt Eſſe, ab actu qui eſt operatio; quod Eſſe eſt immediatè ab eſſentia, operatio autem eſt ab eſſentia per interpoſitam potentiam; vt expreſsè docet A. Doctor infrà q. 59. a. 2. c. Quocirca de Veritate q. 27. a. 5. ad 17. *Sicut* inquit *eſſentia animæ eſt immediatè eſſendi principium, operationis verò eſt mediantibus potentiis; ita immediatus effectus gratiæ,* &c. Ergo Eſſe non eſt actus eſſentiæ, quæ ſit potentia per aliquid ſuperadditum. A. Doctor.

Tertiò denique; quia hæc potentia fruſtrà ſuperadditur, cùm omnia ſaluari poſſint ſine illa. B Itaque cùm conſtet eſſentiam nec eſſe potentiam realem relatè ad actum, qui eſt Eſſe, nec habere potentiam ſibi ſuperadditam ad ipſum Eſſe, difficultas oritur; quomodo eſſentia rectè ab A. Doctore dicatur potentia reſpectu actus; ſi veram non habet potentiæ rationem. Pro qua re

Notādum quintò, quædam eſſe quæ per comparationem dicuntur talia, cùm tamen ipſa in ſe non habeant talem rationem formaliter ſed in alio. Cuiuſmodi eſſe illa quæ relate dicuntur ad aliud, eò quod illud aliud ſit ad ipſa, ſatis apertè diximus ſuper. Quæſit. Difficult. vlt. primo Corollario; vt ſcibile, ſenſile, menſurabile, dextrum, & complura alia, quæ ex doctrina tum C Ariſtotelis, tum A. Doctoris ibidem explicauimus. Vnde cùm ſcibile idem ſit quod potens ſciri, non ſequitur ipſum ſcibile dici ex eo, quòd habet in ſe potentiam vt ſciatur, ſed ſolùm ſequitur, ſcibile comparari per modum potentiæ ad ipſam ſcientiam per quam ſcitur; nempe ex noſtro modo intelligendi, qui aſſueti ſumus vnum non referre ad aliud, niſi illud quoque relatione veluti reciproca referatur; etiamſi in ſe nullam habeat; vt in exemplis allatis manifeſtum eſt; quia ſcilicet intellectus noſter, vt docet quoque A. Doctor ſuprà q. 13. a. 7. c. *apprehendit ea vt terminos relationum.* Vnde concludit ibidem in corp. art. cùm creaturæ referuntur in Deum, *in Deo non eſſe aliquam relationem ad creatu-* D *ras realem, ſed ſecundum rationem tantùm, in quantum creaturæ referuntur ad ipſum.* Sic enim vt ait ibidem ad 4. *intelliguntur per intellectum noſtrum oppoſitæ relationes.* A Doctor.

Quod magis explicans ibi ad 4. ait, non eſſe inconueniens vnum aliquòd quod in ſe non habeat relationem realem, denominari relatè ad illud, quod ad illud vnum relationem habeat: *Vt ſic* inquit *Deus dicatur relatiuè ad creaturas*; nempe Dominus; *quia creatura refertur ad ipſum, ſicut philoſophus dicit in 5. Metaphyſ. quòd ſcibile dicitur relatiuè, quia ſcientia refertur ad ipſum*; ex eo nimi- E rum, vt ibidem ait ad 5. quòd *relatio ſubiectionis ſit in creatura, quia eo modo dicitur Dominus, quo creatura ei ſubiecta eſt*; licèt non ſine aliquo reciproco reſpectu Deus intelligatur Dominus, etiamſi intelligatur creatura referri ad ipſum per realem ſubiectionem. Et hoc vt dixi, quia vnum relatum non intelligimus abſque eo, quòd id ad quod eſt relatum intelligamus cum reciproca relatione; quæ ſi realis non eſt, rationis ſit oportet. Vtrùm autem eſſentia, cùm intelligitur potentia ad eſſe tanquam ad ſuum actum, ſit hoc modo, nunc videndum eſt. Pro qua re

Notandum ſextò, mihi videri A. Doctorem

non requirere alium respectum in essentia ad ipsum Esse quam rationis, ex eo quod actus sit realis respectus in ipsam. (Pono tamen hic vt dicebam quod Esse realiter ab essentia distinguatur.) Id primum colligo, quia A. Doctor nihil aliud essentiam esse vult quatenus ab Esse distinguitur, quàm id quod definitione significatur. Vnde suprà q. 3. a. 3. corp. *Essentia* inquit *vel natura comprehendit in se illa tantùm, quæ cadunt sub definitione speciei, sicut humanitas comprehendit in se ea, quæ cadunt sub definitione hominis.* Quod etiam repetit suprà q. 29. a. 2. ad 3. At vt suprà diximus, ratio potentiæ non comprehenditur inter ea, quæ cadunt sub definitione substantialis naturæ seu essentiæ. Non enim cùm definitur homo, ponitur quòd sit animal rationale potens suscipere esse; nec item cùm definitur leo, & similia; & patet etiam ex doctrina eiusdem A. Doctoris supra q. 25. a. 3. vbi ea dicit esse possibilia, & obiecta diuinæ omnipotentiæ; *quorum prædicatum non repugnat subiecto; vt Sortem sedere.* Ea verò esse impossibilia absolutè, quorum *prædicatum repugnat subiecto; vt hominem esse asinum.* Itaque vt aliquid habeat rationem entis realis, ac proinde alicuius essentiæ realis; non est necesse vt intelligatur tanquam potētia ad Esse, quia satis est si prædicatum congruat subiecto, eique non repugnet. Ergo essentia ipsa realis, non est potentia realis ad ipsum Esse. Ergo cùm essentia nec qua talis est, vt homo, nec qua realis entitas est, respectum habeat ad ipsum Esse, nullo modo essentia erit in se potentia & relatio realis ad ipsum Esse.

A.Doctor. Deinde hoc ipsum patet ex hoc art. 3. vbi A. Doctor non ait simpliciter essentiam esse potētiam ad Esse, sed *comparatur ad ipsam sicut potentia ad actum.* Ergo non putat esse potentiam verè, sed similitudine quadam atque instar potentiæ. Confirmatur, quia hic ad 2. ait, *formam simplicem quæ non est suum Esse, comparari ad ipsum, sicut potentia ad actum;* atque ita ipsam formam simplicem posse esse subiectum accidentis, ac præsertim eius quod consequitur speciem, nempe propriæ passionis. Arbitratur ergo A. Doctor essentiam esse potentiam respectu sui Esse; sicut forma substantialis seu compositum substantiale est potentia respectu sui accidentis. At constat ex dictis super. Quæsi. Difficult. vlt. subiectum substantiale completum, aut formam substantialem non habere veram rationem potentiæ in se respectu accidentis: eo quod ad ipsum non refertur sicut potentia ad actum, seu sicut medium quod in suum finem sua natura tendit. ergo neque essentia, rationem potentiæ habebit respectu sui actus. Quod etiam (nempe subiectum seu substantiam completam comparari ad accidens tanquam potentiam ad actum) docet A. Doctor suprà quæstione tertia art. 6. & alibi.

Aristoteles. Tertiò, quia idem probari non inualidè potest ex Aristotele qui libro 2. de Partibus Anim. cap. 1. ante medium docet expressè, *essentiam rei cuiusque esse ratione priorem*, quàm sit generatio; si spectetur ordo vt aiunt intentionis; vt domus quàm ædificatio: Vnde contrà si spectetur ordo executionis, domus ędificationē esse priorē tempore, quàm ipsa domus ad quā est ædificatio. *Cū contra* inquit *in generatione atque in essentia agatur; quæ enim posteriora sunt generatione, hæc natura priora sunt*: Ergo essentia substantiæ est ratione prior, quàm generatio & Esse illius: ergo independenter ab Esse intelligi potest ipsa essentia. Id enim per illa verba *ratione prius* intelligit ibidem Aristoteles; quādoquidem aperte ait illud esse prius ratione, quod est prius definitione; quia scilicet vt ipse loquitur, *ædificationis definitio contineat definitionem earum; ædium verò definitio non contineat ædificationis definitionem.* Quod quidem dixit in eodem ordine intentionis. Domus enim secundum se præcise intelligi potest ab actu ædificandi. Idem tamen patet etiam in ordine executionis: Nam ædificatio est priùs quoad Esse, quàm Esse domus, quia ædificationis actus est via ad Esse domus: ergo ædificatio potest intelligi esse priùs, quàm Esse domus intelligatur. Sed hoc parum refert in præsentia. Satis enim sit, Aristotelem ibi verbis illis prædictis intelligere, illud esse ratione prius, quod independenter ab eo, quo est prius intelligi potest. At si essentia esset potentia ad actum; nempe ad Esse, non posset intelligi prior definitione, quia essentialiter includeret actum, & ponendus esset in definitione essentiæ; quod falsum est, tum ex Aristotele; tum ex argumentis modò allatis. Constat ergo essentiam non esse veram potentiam comparatè ad suum Esse.

Ex quo vlteriùs sequitur, si essentia ad suum Esse aliquo modo potentia quædam est, ipsam esse potentiam ex eo, quòd Esse tanquam actus ad ipsam tanquam ad subiectum comparatur ac refertur; ac proinde habere denominationem potentiæ extrinsecus ab ipso actu, qui ad ipsam essentiam referatur; ita scilicet vt essentia dicatur potentia respectu actus, quia actus potest esse in illa: sicut scibile dicitur posse sciri quia scientia de illo esse potest; & sicut intelligibile & mensurabile, posse intelligi ac mensurari dicunt, quia mensura & intellectio circa illa esse potest, vt antè explicatum est. Ex his autem

Notandum est septimò, si essentia etiam posito quod realiter ab Esse distinguatur, refertur ad ipsum Esse solo respectu rationis, multò magis id esse affirmandum, si essentia sola intellectus operatione differat ab ipso eodem Esse. Hoc enim pacto certum est, non posse esse potentiam realem ad ipsum, quia nulla vera potentia realis est, quæ non sit relatio realis ad suum actum. At nulla realis relatio est ad terminum, qui non sit realiter distinctus ab ipsamet relatione, vt nunc suppono ex alibi probatis; & ideò in Deo siue voluntas siue intellectus, non est potentia vera ac realis ad suum actum, qui ab ea non distinguitur nisi nostro intelligendi modo non autem re ipsa. Alioqui idem referretur relatione reali ad se ipsum. quod omnino impossibile est, cùm omnis relatio ad alterum sit. Sequela patet; quia cùm intelligere Dei sit eius essentia, vt docet A. Doctor suprà quæstione 14. articulo tertio, ac proinde nec velle, nec intellectus nec voluntas sit aliud ab eius essēntia; vt idem docet suprà quæst. 19. a. 1. c si intellectus realiter referretur ad intelligendi actum, referretur ad se realiter, quia actus ab intellectu non distinguitur. Vt enim docet Aristoteles libro primo Topicorum cap. sexto. *Maxime quod vnum numero est idem ab omnibus dici videtur.* **Aristoteles.** Cùm ergo intellectus intelligere & essentia sint vnum numero maximè idem sunt. Quare posito quòd essentia non distinguatur

stinguatur ab Esse, sequitur manifeste essentiam non esse potentiam realem, ac veram, quę ipsum esse respiciat tanquam actum.

Immò vlteriùs eo posito sequitur, nec ipsum Esse referri realiter ad essentiam ob eandem rationem; quia scilicet actus qui realiter referatur ad essentiam; debet respicere ipsam essentiam tanquam terminum realiter distinctum, ne vt diximus idem referatur ad se ipsum.

Quamobrem duo hîc ex his manifesta esse debent; vnum scilicet in quo conueniunt essentia & actus, siue ponantur distincta inter se realiter siue non; quòd nimirum neutro modo essentia habet veram potentiæ rationem respectu sui actus, vt diximus. Alterum verò est in B quo differunt, si ponantur illa realiter diuersa. Nam si realiter ponantur distincta, ipsum Esse est actus essentiæ; quia non est ratio cur ad ipsam essentiam verè non referatur ipsum Esse, cùm omnis actus realiter referatur ad subiectum suum. Qua ratione dixi superiore Difficultate potentias referri ad animam, licèt contrà anima non referatur ad ipsas. Dico, si ponantur realiter distincta: nam realiter non referentur, si non sint realiter distincta vt probatum est.

Optimè procedit A. Doctoris ratio, eò C quòd actus essendi & intelligendi sunt ita diuersi, vt necessariò indicent diuersas potentias & quo modo. §. 2.

His positis ad difficultatem respondetur. Et sit

Vnica propositio. Rectè quoad vtramque partem progreditur ratio A. Doctoris in hoc art. posito etiam quòd sint realiter inter se distincta. Dico *posito*, &c. Quia A. Doctoris rationem in eius sententia quam diximus examinamus. Dico *quoad vtramque partem*; quia vt dixi D initio huius difficultatis, in duobus sita hîc quæstio est; nimirum & in antecedente, & in consecutione. Vtrumque ergo rectè positum esse ab Angelico Doctore probare nunc aggredimur.

Ac primùm quidem de antecedente illo; nempe *Actus intelligendi & essendi sunt diuersi* nulla est difficultas; quia actus essendi constituit Esse, & non est operatio, cùm esse præsupponatur ipsi operationi. Ideóque illud sit actus primus; hæc verò actus secundus; vt docet A. Doctor 1.2.quæst.111.a. 2. c. in fine & alibi sæ- E pè: quod etiam apertè colligitur ex Aristotele libro secundo de Anim.context.5. 6.& 24. Vnde Animam quæ constituit Esse docet in eo contextu quinto, esse actum primum non secundum, & context.24. eandem animam definit *principium quo primò viuimus*, &c. Constat ergo esse actus diuersos.

Quod longè verius apparet in eorum opinione, qui Esse non distinguunt re ipsa sub essentia. Nam operatio vt suprà a. 1. ostendimus realiter est diuersa ab essentia: Si autem Esse realiter non est diuersum; ergo operatio & Esse sunt actus realiter diuersi, quia non sunt rea- A liter idem. Idem enim & diuersum vt rectè docet Aristoteles libro quinto Metaphysic. contextu decimosexto opponuntur. *Omninò* inquit *diuersum dicitur opposite ad id quod idem dicitur*: Ita vt quæ idem non sunt diuersa sint oporteat; vt expressè docet Aristoteles libro decimo Metaphysices contextu 11. quia *omne ad omne aut idem aut aliud est*: & concludit ibidem: *Diuersum igitur aut idem, ideò omne ad omne dicitur, quod quæque vnum & ens dicuntur*; quia scilicet dicuntur de entibus non autem de non entibus; sicut idem & non idem. Sequitur ergo, si operatio non est idem cum essentia, neque idem esse cum ipso Esse, quod sit idem realiter cum eadem essentia. Atque hæc de antecedente. Aristoteles.

De consecutione verò idem probatur. Nam quicunque actus ita diuersi sunt, vt non possint esse vnius potentiæ, indicant necessariò realem distinctionem potentiarum; At hoc pacto diuersi actus sunt ipsum Esse substantiale & intelligere; ergo indicant necessariò realem distinctionem potentiarum.

Maior est certa; quia si non possunt esse vnius potentiæ, non sunt eiusdem potentiæ; ergo diuersarum; quia vt iam diximus, idem aut diuersum de omni ente dicitur. Atque hanc diuersitatem actuum requirit A. Doctor; vt sint diuersæ potentiæ; vt patet ex q.15. de Ver. a.1.c. in fine. *Diuersi actus* inquit *tunc tantum indicant differentiam potentiarum, quando non possunt in idem principium referri; sicut in corporalibus non reducitur in idem principium recipere & retinere: sed hoc in siccum, illud in humidum. Et ideò imaginatio quæ retinet formas corporales in organo corporali, est alia potentia à sensu, quæ recipit prædictas formas per organum corporale.* Eodem modo loquitur ibidem articulo secundo ad duodecimum. Quam doctrinam vtroque loco affert ex Auicennâ lib. 6. Natural. qq. Actus ergo tali pacto diuersi indicant realem distinctionem potentiarum. Quod quidem est adeò verum, vt per se notum sit ex ipsis propositionis terminis, si declarentur. Impossibile enim est actus, si non possint procedere ab vna eadémque potentia, non indicare diuersitatem realem potentiarum. Si quidem si non possunt ab vna eadémque promanare, necesse est promanent à diuersis. Alioqui possent procedere ab eadem; Vt si calefactio quæ est à virtute calefactiua, non possit esse virtutis refrigerantis à qua est refrigeratio, necesse est actus refrigerandi & calefaciendi sit à diuersis virtutibus. A. Doctor.

Minor probatur, quia actus qui est Esse substantiale, non potest esse nisi actus essentiæ substantialis: Actus verò qui est intelligere: necessariò debet esse ab intellectu, qui sit ab essentia substantiali distinctus; ergo Esse substantiale & intelligere sunt diuersi actus, qui non possunt esse vnius potentiæ. Antecedens probatur, & primò de actu qui est intelligere, quem debere esse ab intellectu, hoc est à facultate intelligendi, nemo dubitare potest. Nam intelligere est actus qui immediatè prouenit ab intellectu, seu facultate intelligendi. Quandoquidem vt suprà diximus ex Aristotele lib. 3. de An. cont.4. intellectus est id *quo anima intelligit*; & de hac facultate contendimus vnà cum A. Doctore in hoc art. 3. Sitne Angeli essentia. Vnde probandum est debere esse ab intellectu qui ab ipsa substantiali essentia sit distinctus.

Hoc autẽ probatur, quia nõ poteſt actus intelligendi manare immediatè ab eſſentia ſubſtantiali intelligẽte, eò quòd illius non poteſt intellectio eſſe actus immediatus. Hoc enim ſuprà oſtẽſum eſt, cùm docuimus, non poſſe ſubſtantiã, quæ aut cõpleta ſit aut actus, referri immediatè ad operationem tanquam ad finem. Et ideircò A. Doctor in hoc art. actum qui eſt operatio, ait non comparari ad eſſentiam, ſed ſolùm ad potentiam effectricem, vt ita principium illius actus non ſit eſſentia, ſed facultas per quam eſſentia operatur: Ergo eſt à facultate diuerſa ab eſſentia; quam facultatem dicimus intellectum. Ergo intellectus non eſt eſſentia Angeli.

Deinde probatur antecedens, de actu qui eſt Eſſe ſubſtantiale, non poſſe eſſe actum niſi eſſentiæ ſubſtantialis; quia non alia de cauſa, vt vidimus ſuprà Notando primo, Eſſe dicitur ab A. Doctore actus eſſentiæ, niſi quia Eſſe ſubſtantiale, ſeu exiſtentia ſubſtantialis, facit eſſentiam formaliter exiſtentem extra cauſas; nec alium effectũ formalem in natura habet. Vnde quemadmodum albedo eſt actus albi; quia tanquam forma facit formaliter album, nec alium effectũ facit: Ita nec exiſtentia alium formalem effectum habet, quàm eſſentiam exiſtere. Hinc conſequens eſt vt exiſtentia ſubſtantialis nihil muneris habeat niſi hunc effectum formare; vt ſcilicet eſſentia ſubſtantialis exiſtat extra cauſas; Quicquid enim aliud dicatur, fictitium & arbitrarium eſt: Ergo hic actus non poteſt eſſe actus niſi eſſentiæ.

Ex quo vlteriùs ſequitur, hanc ſubſtantialem exiſtentiam non poſſe eſſe actum eius potentiæ, quæ eſt intellectus; nimirum neque actum formalem, neque ab ea efficienter procedens: Vtrũque manifeſtè patet; quia huiuſmodi exiſtentia ſubſtantialis præſupponitur intellectui: ergo illius nõ eſt actus formalis; quia nulla forma præſupponi debet ſuo ſubiecto, ſed potiùs contrà; vt videbimus iam. Similiter eodem modo nec ab eo eſt actus efficienter, quia actus non præſupponitur ſuo principio: Ergo ſi exiſtentia eſſentiæ præſupponitur intellectui, exiſtẽtia non eſt actus efficienter ab illo.

Quod autem exiſtentia ſubſtantialis antecedat intellectum, probatur: quia intellectus eſt actus ſeu facultas eſſentiæ, quæ per ipſum intellectum operatur, vt iam oſtendimus: ergo eam præſupponit exiſtentem: Tum quia in ea eſſe debet tanquam in ſubiecto, quia eſt facultas illius intrinſeca, eiúſque accidens; At ſubiectum prius exiſtit ſuo accidente, cùm accidens dependeat quoad Eſſe ab Eſſe ſui ſubiecti, quod eſt cauſa materialis illius; hæc non dependeat ab accidentis Eſſe quoad ſuum Eſſe; quia accidens non eſt cauſa nec formalis nec materialis, aut effectrix ſui ſubiecti; vt certum eſt; Immò nec finalis, quia ſubſtantia completa non refertur ad accidens tanquam ad finem vt diximus: Ergo ſubiecti Eſſe eſt prius Eſſe accidentis: Hoc enim pacto dixi Notando ſexto ab Ariſtotele dici prius reſpectu ſui poſterioris, nempe independentia in ea ratione, ſecundum quam eſt prius. Eodem etiam modo Ariſtoteles libro 7. Metaphyſ. cont. 4. dixit ſubſtantiam accidente priorem eſſe natura, definitione ac tempore; nempe hanc ob independentiam. Intellectus ergo præſupponit ſuum ſubſtantiale ſubiectum exiſtere; præſertim A. Doctoris opinione, cùm

Ariſtoteles.

A.Doctor.

A patet potentias fluere ab ipſa animæ ſubſtantia per quandam emanationem, eo modo quo ſuperiore Quæſito Difficultate vltima in noſtro primo Corollario explicatum eſt; vt patet ex 1. 2. quæſtion. 2. a. 6. c. & quæſtion. 83. a. 2. ad 3. & q. 21. de Verit. art. 1. ad 11. Quibus in locis docet, *in omni re proprium accidens aliud eſſe ab eſſentia, & poſterius ea ordine generationis & perfectionis*: Tum quia facultas vitalis operatrix præſupponit ſuum principium eſſe; nempe vitam in qua ſit; Ideò namque anima eſt actus primus, facultates autem vitales ſunt actus ſecundus; vt patet ex lib. 2. de An. cont. 24. qua etiam ratione natura eſt principium primum motus & operationis; vt

B patet ex libr. ſecundo Phyſ. cont. 3. ergo præſupponitur exiſtentia ſubſtantiæ ipſi intellectui qui in ea eſſe debet.

Ex quibus etiam confirmatur quod antè dicebamus; nempe Eſſe & intelligere Angeli, non poſſe proficiſci ab vna eademque potentia: Nam Eſſe immediatè eſt ab eſſentia, tanquam à ſua potentia cuius eſt actus; quod Eſſe præſupponitur ab intellectu, vt oſtenſum eſt; Actus autem intelligendi nõ poteſt eſſe immediatè ab ipſa eſſentia: cùm certum ex dictis ſit, ſubſtantiam non poſſe referri ad accidens vt ad finem; Ergo immediatè ab intellectu manat.

C Patet etiam ex iis, actum intelligendi præſupponere intellectum tanquam ſuum principium, ac multò magis ipſum Eſſe ſubſtantiæ à qua fluit intellectus; vt ſi potentia viſiua præexigit animam; multò magis eandem animam viſio prærequirit, quæ præexigit potentiam tanquam quid medium inter animam & actum ipſum. Quotieſcunque enim aliqua eo ordine diſpoſita ſunt, vt inter ſe habeant comparationem primi, ſecundi & tertij, ſi tertium præſupponit ſecundum, qui primum præſupponere debet, neceſſe eſt idem tertium multò magis præſupponat primum, quod à ſecundo præſupponitur.

D Conſtat ergo eſſe actus ita diuerſos, vt vnius potentię eſſe non poſſint, ac proinde arguant potentias reipſa diſtinctas, non ratione tantummodo. Quod magis confirmandum eſt ex iis quæ dicam in conſequentibus Corollariis.

Melius A. Doctoris ratio explicatur, oſtendit ùrque quo pacto eſſentia quæ eſt ſuo Eſſe nobilior, ad ipſum ſuum Eſſe non referatur. §. 3.

E EX hac propoſitione ita probata Colligitur primò, rationem Angelici Doctoris quam ſuprà in articuli Explanatione formauimus, rectè concludere. Patet, quia & præmiſſæ ſunt veræ, & conſecutio rectè deducitur. Primum patet ex dictis: nam Maior; nempe *Illa potentiæ quarum actus proprij inter ſe diſtinguuntur non ſunt idem*. veriſſima eſt eo pacto, vt eam nos confirmauimus; ſi nimirum intelligatur de iis actibus ita propriis, vt nequeant vnius eſſe potentiæ; vt ex Angelico Doctore docuimus: Hoc enim poſito, neceſſe eſt illas potentias non eſſe vnum & idem; Idque ſignificauit A. Doctor nomine actus

A Doctor.

actus proprij: Nam si proprius est actus vnius potentię, non potest esse alterius; Cum proprium sit quod vni, non pluribus conuenit.

Minor etiam clarissima est; nempe *sed essentia & potentia intelligendi in Angelo, & in quacunque creatura sunt potentiæ, quarum actus proprij* nempe intelligere & Esse *inter se distinguuntur.* Hæc enim propositio iam probata est. Nam essentia est potētia saltem quia potest recipere Esse, quod est eius actus, eo modo quo substantia potest recipere suas proprietates; quia scilicet illæ sint actus ipsius. Quo pacto scibile est potentia vt sciatur, quia scientia potest esse de illo: Similiter potentia intelligendi cùm sit facultas effectrix sui actus, nemini dubium est, quin sit potentia ad illum propriissimo modo.

Quod verò actus earum; nempe Esse & intelligere sint diuersi, modo prædicto probatum est: quia esse est solius essentiæ actus; intelligere verò non potest esse illius, sed facultatis quæ sit intellectus realiter ab essentia distinctus. Quod etiam confirmari potest. Nam Esse non potest produci ab intellectu, sed vi causæ effectricis, qua essentia fit actu, nec in intellectu recipi potest. Ergo respectu ipsius Esse non est potētia siue effectrix siue recipiens. Rectè ergo A. Doctor ex diuersitate horum actuum conficit, nec essentiā esse intellectum aut contrà, siue in Angelo siue in hominis animo.

Vnum tamen huic doctrinæ obstaculo esse videtur; Quòd frustrà videtur A. Doctor assumpsisse illud principium de prædictorum actuum diuersitate, vt inde inferret essentiam Angeli non esse ipsam intelligendi vim. Frustra inquam eam actuum diuersitatem videtur assumpsisse, propterea quòd breuiùs & clariùs idem ostendere potuisset ex eo, quod actus intelligendi debet proximè manare ab intellectu, & non à substantia Angeli; atque ita frustra additur, quòd Esse sit diuersus actus ab ipso actu intelligendi, cùm hoc non conferat in argumentum. Quod apertè patet, si ita arguatur: Intelligere non potest esse immediatè à substantia Angeli, ne perfectius in viliorem finem referatur: Ergo per interpositam facultatem promitur. Ergo substantia illa & intellectus non est eadem omninò res. Non ergo rectè dicitur ab A. Doctore ex eo, quòd actus illi sunt distincti; Ergo & potentię diuersæ erunt.

Respondeo, id quidem potuisse satis rectè dici ab ipso, vt obiectio probat: Verumtamen dici posset Angelicum Doctorem voluisse eas potentias ex actibus distinguere, vt non solùm ostenderet ipsam Angeli essentiam non esse intellectum; sed nec ipsum quidē essentiæ actum, qui est Esse, habere posse rationem intellectus; quandoquidem Esse est actus essentię, non intellectus, qui est post ipsum Esse essentiæ. Cùm enim Esse A. Doctoris sententiā non sit idē quod substantia, videri potuisset non esse absurdum si existentia, quæ non est substantia sed substantiæ modus, referatur ad operationem; atque ita ipsam existentiam posse esse facultatem intelligendi sine vlla reali distinctione; quod tamē improbatur argumento A. Doctoris; quoniam cùm Esse sit actus proprius essentiæ, quia eam facit existere, non est potentia ad actum intelligendi, qui aliam potentiam post ipsum Esse consequētem requirit effectricem; vt ostendimus ex eo quòd forma præsupponit suū subiectum esse. At-

A que hæc quidē opinio sustineri vtcunque posset.

Tamen mihi altiùs A. Doctoris argumenta intuenti occurrit alia probabilior solutio. Aio enim ipsum voluisse suo argumento radicem veritatis attingere in hac materia. Nam etsi verum est; vt ex dictis patet, substantiam non referri ad operationem, quia nobilius non potest referri ad ignobilius; tamen hoc certum est à posteriori, & ab absurdo quod sequitur. Tamen nō dum à priori ostenditur potentiam intelligendi, non esse realiter idem quod Angeli essentia seu substantia. At ratione seu argumento A. Doctoris id videtur à priori ostendi posse: Quia essentia substantialis est potentia ad suum Esse, quod eius est actus: ergo non refertur ad actum in-

B telligendi immediatè; sed per facultatem interpositam; quia omnis potentia immediatè in suo actu veluti aliquo modo in fine conquiescit. quę deinde confirmanda sunt nostris huc spectantibus argumentis. Itaque obiectioni nego frustrà addi illos duos actus, ad probandum potentiarum distinctionem; nam ex illis ratio procedit à priori. Si enim potentiæ distinguuntur per actus proprios; ergo essentia & intellectus distinguentur; quia illi duo actus non possunt esse vnius potentiæ vt probatum est; Dixi tamē aliquo modo, quia vt mox dicam in proximo Corollario, essentia non refertur ad Esse, vt ad verum finem.

Colligitur secundò, non sequi ex dictis, sub-

C stantialem essentiam referri ad suum Esse tanquam ad verum finem, vt ita obiici nobis possit perfectius ad imperfectius referri; quod nos suprà impugnauimus. Hoc inquam non sequitur; nā essentia illa substantialis ante existentiam suā vere non est; quia non aliter essentia esse potest nisi formaliter per existentiam tanquam per formam; non est autē prius effectus formalis, quàm sit eius formalis causa. Immò omnis effectus saltem natura posterius est sua causa. Quod ergo posterius est ipso suo fine, non refertur ad illum finem. Non enim studium est propter scientiam, quæ iam ante studium adepta sit; nec ædificatio est propter domum quæ iam sit erecta; nec gene-

D ratio substantiæ tendit ad substantiam quæ actu iam sit. Vt enim ait Aristoteles lib. 3. Metaph. cōt. 3. omnis *finis & cuius causa actionis cuiusdam finis est.* Ergo si per aliquā actionē finis non acquiratur, finis nō est respectu eius cuius nō est actio. Itaq; substantia non refertur ad Esse tanquā in rerum finem; sed Esse est actus illius essentia. Aristoteles.

Neque dicat aliquis: Omnis materia est propter compositi formam tanquam propter finem; quia vt ait Aristoteles libro 2. Phys. cont. 70. *Ipsum quid est & cuius gratia vna est* causa. Ergo cùm illud Esse sit forma essentiæ, hæc propter illud videtur instituta à Natura. Hæc inquam si dican-

E tur, ad rem non sunt. Etenim quod verè est materia, est propter formam tanquam in finem. Et hoc pacto intelligendus est Aristoteles, cùm lib. 2. Phys. cont. illo 70. & cont. 81. & 91. dixit formā finem esse materię. Vera enim materia est, vt formam ab agente suscipiat. At essentia non est vt existentiam habeat. Nam essentiam esse est effectus formalis existentiæ: Ergò priùs non est essentia vt diximus, quàm habeat existentiam; Ergo essentia non refertur, vt dicebamus, ad ipsum Esse tanquam in finem. Aristoteles.

Quod si iterum dicas Materia refertur in formam tanquam in finem etiamsi materia non sit priùs quàm sit forma, præsertim A. Doctoris

sententiâ, cùm materia sit formaliter per formæ existentiam: ergo pari ratione etiamsi essentia non sit nisi per suam existentiam, potest referri ad illam vt ad finem. Respondendum est vt antè significauimus, difficile admodum esse concedere, materiam nullam habere propriam existentiam independentem ab existentia formæ: non solùm ob hanc rationem quam nunc tractamus; verùm etiam ob multas alias, quas lib. 1. Phys. cũ de materia ageremus cõfirmauimus: Vbi etiam ostendimus, veteres Peripateticos omnes ab Alexandro & deinceps, propriam existentiam materiæ tribuisse. Sanè non video cur agentia naturalia dum formas producunt eas non crearent; quandoquidem è præiacente seu præexistente materia non generarentur formæ, sed totum omninò compositum secundum vtramque eius partem euocaretur ad Esse ex nullo subiecto præiacente; vt ibi fusiùs dictum est. Quod quidem absurdum in natura, Aristoteles vt vitaret, omnia voluit fieri à natura ex præiacente subiecto. Vt enim ait libro 1. Phys. cont. 34 omnes conuenerunt philosophi naturales, vt ex nihilo nihil fieri censuerint. *Id quod est*, inquit, *ex iis quæ non sunt fieri impossibile est: de hac enim conueniunt opinione omnes qui de natura*, locuti sunt. Quod etiam docuit ibidem cont. 33. & lib. 3. de cœlo cont. 75. vnde lib. 1. Phys. cont. 74. apertè dixit: *priuationem per se non esse ens; materiam verò secundum accidens*, eò quòd ob priuationem dicitur non ens; vt tenebræ, cæcitas; per se autem esse aliquid. Vt quoniam ex ea fiunt omnia, quæ natura fiunt; assignaretur verum subiectum ac reale ex quo præiacente fieri omnia ostenderentur. ergo per se existit non per existentiam formæ.

Aristoteles.

A.Doctor.

Nec aduersarium habemus hac in re A. Doctorem: Cùm enim asserit materiam non habere actum, non idcircò negat existentiam, &, vt dicunt, actum entitatiuum. Quod non obscurè colligitur ex q. 4. de Pot. a. 2. c. Vbi initio ait *materiam informem rerum formationem non tempore, sed sola origine præcessisse*. Ergo poterit intelligi materia esse independenter a forma: Alioqui ne origine quidem præcessisset, quia effectus formalis ne intelligi quidem potest origine sua formalem materialémque causam antecedere; vt album non præintelligitur albedini. Idem ibidem repetit ad 11. Sed solùm contendit à materia remouere autem simpliciter, nempe formalem, quo materia sit in aliqua specie perfecta. Sic enim loquitur eadem q. 4. de Pot. a. 1. c. vt neget materiam, quæ est in potentia ad omnes formas *posse in rerum natura existere, quin aliqua forma formetur.* Rationem addidit his verbis: *Quicquid enim in rerum natura inuenitur, actu existit; Quod quidem non habet materia nisi per formam, quæ est actus eius.* Quasi dicat non inueniri in rerum natura, quod nullam habeat speciem simpliciter; & ideò materiam per se non inueniri sicut nec formam: In eos enim arguit, qui putabant priùs materiam factam esse, quàm formaretur specificis essentialibúsque formis.

Quod etiam patet ex verbis proximè sequentibus; quibus aliud argumentum conficit, vt materiam sine forma factam non esse doceat: Quia scilicet *nihil potest contineri in genere, quod per aliquam generis differentiam non determinetur, quod quidem non fit nisi per formam*: & concludit, *vnde non habet sine forma in rerum natura inueniri.* Solùm ergo

A negat posse materiam per se existere; eò quòd non esset ad speciem simpliciter contracta; non quòd ex se existentia careat sua: hanc enim concedit apertè proximis verbis, dum ait, *materiam præcessisse ordine naturæ, secundum quod illud ex quo fit aliquid naturaliter, est prius eo; sicut nox est prius creata*: & in hunc sensum interpretatur S. Augustinum. Sentit ergò materiam existere priùs forma secundum naturæ ordinem, tanquam id ex quo. Ergo concedit illi existentiam, secũdum quam priùs intelligitur esse, quàm Esse formæ intelligatur. Alioquin si formæ Esse materiæ esset formalis existentia, nunquam vt dicebam intelligi materia posset, priusquam in ea intelligeretur inesse forma, quæ causa esset eius B Esse.

Quamobrem cùm A. Doctor p. p. q. 66. a. 1. negat materiam per se potuisse creari, eò quod *fuisset ens actu sine actu: quod implicat contradictionẽ*, intelligendus est quòd materia non possit creari sine forma secundum connaturalem modum, quem Deus in rerum productione seruare decreuit ac solet: ob quem Dei opera perfecta in natura esse dicuntur: Et ideò suprà q. 45. a. 1. creationem esse docuit *emanationem totius entis*, non partis alicuius; & a. 4. docet creation propric esse totius & subsistentis. Vnde ibidem ad 3. ait, licèt *materia sit ex creatione*, tamen *non solam materiam creari*: Reddit rationem, quia *creatio est* C *productio totius esse, & non solum materiæ*. Quare non quouis modo negat materiam creari, sed creari simpliciter. Hoc enim est totius. Quod etiam insinuauit in c. art. ibidem, quia huiusmodi quæ in toto ex nihilo producuntur, magis debent dici concreata, quàm creata. Dico ergo ad obiectionem: ipsam materiam habere propriam existentiam, priusquam intelligatur in ea esse formæ, ac proinde ex se referri posse in formã tanquam in suum finem: Quod negandum est essentiæ respectu sui Esse: quia ipsa per se non existit, vt ad suum Esse referri possit tanquam in finem. quia hoc ipso id quod non est, intelligeretur in finem tendere, quod est prorsus impos- D sibile.

An præter rationem hîc ab A. Doctore allatam, suppetant aliæ ad probandam huius articuli conclusionem, & an rectè impugnetur à Scoto alia similis ratio quam tractat A. Doctor q. 77. a. 1. ad distinguendas animæ potentias. §. 4.

E COlligitur vltimò, quid dicendum sit; Vtrùm ad hanc distinctionem intellectus & substantiæ Angelicæ probandam suppetant aliæ rationes præter eam, quam ex A. Doctore retulimus. Quibusdam enim videtur illa quoque esse optima, qua vsus est idem A. Doctor infrà q. 77. a. 1. nimirum; Potentia & actus debent esse in eodem genere; quia vnumquodque genus entis diuiditur in potentiam & actum; vt habet Aristoteles lib. 12. Metaph. cont. 26. Sed actus intelligendi non est in genere substantiæ, sed accidentis. Ergo & ipsa vis intelligendi debet esse accidens non substantia. Cui rationi multa obiicit

A Doctor.

Scotus. icit Scotus in 2. d. 16. q. 1. §. *Rationes istæ*. Summa est: Primò, quia non vno modo sumitur nomen potentiæ; Interdum nánque significat principium operandi; & sic diuiditur in potentiam Aristoteles. actiuam & passiuam ab Aristotele lib. 5. Metaphys. cont. 17. & lib. 9. cont. 2. 3. & deinceps. & definitur *principium transmutandi aliud in quantum aliud*: Vel: *principium transmutandi ab alio in quantum aliud est*. Alio modo accipitur vt diuiditur contra actum; & hoc modo potētia & actus non sunt tantùm eiusdem speciei, sed etiam eiusdem indiuidui; vt dicitur 9. Metaph. cont. 15. Illud enim indiuiduum quod nunc est actu; illud idem fuit in potentia. Vt enim ait Aristoteles libro 3. Physf. cont. 10. differunt posse sanari & posse ægrotare, sicut sanari & ægrotare; quia scil. eadem numero sanitas, quæ prius fuit potentia, est actus, eadémque ægritudo similiter: ergo sunt idem numero.

Scotus. Ex quibus respondet Scotus ad rationem allatam. Nam cum dicitur; *Potentia & actus sunt eiusdem generis, falsum est de potentia, quæ est principium transmutationis; quia accidens immediatè recipitur in substantia; aliter esset processus in infinitum: ergo potentia passiua, vel actiua sic accepta non sunt eiusdem generis cum suo actu.* Verum est autem de potentia secundo modo, vt diuiditur contra actum.

Deinde probat Scotus. Quia Aristoteles lib. 7. Metaphys. cont. 32. & cont. vlt. docet substantiam non produci nisi præsupposita substantia actu; quod tamen in quali & quanto non est necesse, cùm satis sit quale vel quantum præcedant potentia. *Ergo substantia secūdum ipsum* Aristotelem inquit Scotus *ponitur immediatè esse effectiua accidentis.*

Tertiò argumentatur Scotus ad hominem: Quia A. Doctor *ponit in tertio suo, quòd essentia animæ est immediatum principium, & proximum receptiuum istarum potentiarum, quantumcunque sint accidentia secundum ipsum; & tamen secundum ipsum non sunt in eodem genere cum essentia animæ: Ergo receptiuum non semper est eiusdem generis cum recepto*, nempe potentia cum suo actu.

Quæ quidem Scoti argumenta non sunt paruifacienda: nam & in iis dissoluendis plurimum Caietanus. Caietanus tum hic tum in ea q. 77. a. 1. reliquique Thomistæ laborarunt. Verùm quantum attinet ad primam improbationem, rectè docet Scotus idem indiuiduum esse actu, quod prius Aristoteles. erat in potentia. Id enim patet in Aristotele lib. 12. Metaphys. cont. 26. vbi ait: *In quibusdam enim idem quandoque actu, quandoque potentia est; vt vinum, aut caro, aut homo.* Vnde sequitur verum esse: in quocunque genere entis est actus & potentia, eò quòd in quocunque genere id quod actu est, quandoque fuit potentia: vt etiam ibi explicat Aristoteles. Tamen aliò tendit A. Doctoris ratio: ostendere enim nititur; si actus est in genere accidentis, etiam potentiam, quæ realiter est ab actu distincta, in genere accidentis & non substantiæ esse oportere; vt ita probet potentias quæ ad operationem sunt, à substantia operante distinctas esse, eo quod accidentia sint.

In qua re aio argumentum Scoti non obstare, quo minus rectè procedat A. Doctoris ratio; Nam in vnoquoque genere debet esse potentia in quo est actus: in vnoquoque inquam genere entis, non in vnaquaque Categoria seu Prædicamento, ex decem ab Aristotele enumeratis in Logica. vt rectè notauit Petrus Bergomus ad Petr. Bergomus. concordantiam dubij quinquagesimi primi in dicta A. Doctoris. Non enim in vnaquaque categoria actus & potentia sunt eiusdem generis, si sermo sit de potentia, quæ sit principium actus vel actiuum, vel passiuum; vt patet in prædicamento actionis, passionis, relationis, quantitatis, &c. in quibus principium actiuum est qualitas, actus autem non est qualitas, &c. & ideò expressè ait A. Doctor in 1. d. 7. q. 1. a. 2. ad A. Doctor. 2. *non oportere quod in eodem genere ponantur potentiæ & actus, præcipuè de potentiis actiuis*. Intelligitur ergo in vnoquoque genere quod partitur ens commune, nempe in vtroque genere entis; scilicet tam in genere substantiæ, quàm in genere accidentis. Atque in hoc sensu verum est: si actus est in genere accidentis; ergo & potentia, siue hęc actiua sit, siue passiua. Vtroque namque modo suus in eodem genere actus cuilibet respondere potentiæ debet.

De vtraque patet; quia vtraque debet referri ad actum tanquam ad finem; ergo neutra potest esse substantia, sed vtraque debet esse accidēs, si actus sit accidēs; ne nobilius referatur in finem viliorem, vt supra ostensum est. Vnde nihil contra hoc Scoti argumentum pugnat. Nam etiamsi potentia sumatur pro principio operandi, verum est quod ipse negat; potentiam & actum esse in eodem genere. Quod quidem clara inductione constare per singula potest.

Quod autem addit, accidens recipi immediatè in ipsa substantia, verum quidem est; vt potentiæ animæ in ipsa anima; non tamen hinc conficitur potentiam & actum esse in diuerso genere, si potentia & actus veram vtriusque, nempe potentiæ & actus, rationem habeant. Si enim potentia & actus sint veri, & non tantùm denominatione aliqua extrinsecus deriuata, necesse est potentia referatur in actum tanquam finem; quia vt supra diximus, vniuscuiusque finis est operatio siue actus. vnde sequitur substantiam nempe animam, & alias huiusmodi formas substantiales, non esse veras potentias receptrices seu patibiles, quia referrentur in accidens tanquam in finem; quod improbatum est. Solum ergo sunt potentiæ, quia ad ipsas sunt veri actus; vt supra diximus. Atque ita cùm A. Doctor docet, potentiam actumque in eodem genere reponenda esse, verissimam profert doctrinam; quandoquidem de vera potentia veróque actu loquitur. Sic enim probat potentiam quæ sunt vires animæ ab eadem distingui oportere eo modo; vt suprà explicauimus. Ex quibus etiam patet reliqua quæ ibi Scotus affert vera quidem esse, sed dictis nihil officere.

Solùm hic fieri difficultas ex dictis antè de materia posset. Nam materiæ potentia passiua & receptrix est substātia, cùm tamen eius actus sit quoque accidens. Siquidem antè diximus eam materiæ potentiam non solùm ad substantiales formas; verùm etiam ad accidentales sua natura respicere. Respondendum tamen est, etiam in hac re, veram esse A. Doctoris sentētiam atque doctrinam. Etenim licèt potentia materię sit ad accidens, vt nos suprà non semel diximus: Tamen accidens nō est proprius & per se actus materiæ, sed forma substantialis; cum qua constituit compositū quod est ens per se. vnde cum accidente non facit, nisi ens per accidens. Itaque

accidens non est actus per se materiæ, quia est actus illius, vt sit dispositio ad substantialem formam, tanquam medium ad finem. Cùm ergo A. Doctor docet actum & potentiam esse in eodem genere, intelligi oportet, de actu qui per se actus sit & finis potentiæ. Cæterorum enim per se non habetur ratio.

Aristoteles. Ad secundum ex Aristotele dico habere magnam difficultatem: Aperte enim Aristoteles ait, cùm generatur substantia *quòd necesse est præexistere semper aliam substantiam actu existentem, quæ facit, vt puta animal, si animal fit; quale verò vel quantum, non est necesse nisi potentia solùm.* Vbi A. Doctor

A. Doctor. expresse ait, *posse principium actuum accidentium esse non accidens sed substantiam.* Veruntamen non est necesse à proposita veritate recedamus: nam Aristoteles ibi loquitur de generatione perfecta, & non quacunque sed animantium perfectorum; vt patet in eius exemplo de animali. Et præterea, quia falsum esset in generatione substantiæ semper præcedere substantiam

Zimara. quæ generet. Vt enim notat Zimara in contradictione ad illum contextum 32. etiam fatente Aristotele libro 2. cœli cont. 42. Ignis producitur à motu plerunque non præexistente igne:

Aristoteles. *nam natura aptus est motus* inquit Aristoteles in eo context. 42. *ignire & ligna & lapides & ferrum;* Idemque dico de plurimis aliis mixtis & animalibus, quæ fiunt concursu qualitatum effectricium, vt mures, aranei, &c. Quamobrē Ale-

Alensis. A. Doctor. xander Alensis ibi & A. Doctor interpretantur, vt Aristoteles loquatur de ea solùm generatione quæ fit per semen, & vt dixi perfecta est, ac tendit in animalia perfecta.

Dico igitur, in huiusmodi perfecta generatione, hoc est in productione perfectorum animatorum, necesse esse præcedere substantiam quæ generet; nempe cuius fuerit semen; quo instrumento animal generatur; non autem est necesse in quali & quanto etiam perfecto, præcedat quale vel quantum à quo illa accidētia producantur. Nam possunt emanare à substantia; nempe actione producentis per resultantiam quandam; vt superiore Quæsito Difficultate vltima in primo Corollario explicatum est. Itaque non sequitur eas facultates produci immediatè à substantia, sed virtute earum causarum, quæ animas procrearunt, in quibus etiam potentias congenerarunt, tanquam earum connaturales proprietates, sine quibus monstra ac portenta, ne dum imperfecta essent.

Ad Tertium dico A. Doctorem concedere animas esse subiectum immediatum suarum potētiarum; non tamen subiectum ipsum quod est anima referri tanquam veram potentiam in ipsa accidentia; quod nos hactenus exposuimus.

Scotus. A. Doctor. Quod autem deducit Scotus A. Doctoris sententia, *receptiuum non semper esse eiusdem generis cum recepto,* dupliciter intelligi potest. Vel primò vt receptiuum sit propriè potentia receptrix: Vel secundò vt non sit proprie potentia sed denominatione & cogitatione nostra, sicut diximus de scibili. Et quidem si primo modo intelligat, aio semper A. Doctori esse eiusdem generis receptiuum cum recepto, si receptum sit actus & finis ipsius recipientis vt modò dicebam ob materiæ potentiam quam dicebamus esse ad accidens quod in ipsa immediatè recipitur, cum tamen ad illud non tendat tanquam in finem, qui est forma substantialis compositique constru-

A ctio. Sin autem intelligat secundo modo, non est absurdum si concedamus subiectum & formam non esse eiusdem generis, cùm neque id ab A. Doctore asseratur vt dictum est.

Ex his respondetur ad argumenta, quæ contra propositiones A. Doctoris opposuimus initio Difficultatis. Nam ad primum concedo essentiam substantialem esse quid absolutum, nō autem relatiuum ad Esse, vt nos etiam ostendimus, & bene probat obiectio illa. Quomodo autem sit potentia ad Esse, diximus; nempe, quia aliud ad ipsam est, nempe actus: & ideò dicitur potentia quasi relatè ad id quod est ad ipsum; vt scibile ob scientiam, quæ ad ipsum potest esse;

B nec semper potentia est secundum relationem realem ad actum, vt dictum est, in iis quæ extrinsecus potentia denominantur.

Ad Secundum dico, si essentia non ponatur distingui a suo Esse, neutrum respectu alterius esse verum actum, verámque potentiam vt dictum est in vltimo Notando, sed solùm iuxta nostrum intelligendi modum. Sicut etiam talem actum taléque potentias in Deo intelligimus, cùm eius diuinum intellectum & voluntatem eiusque actum mente percipimus: cùm tamen certum sit, nullam esse huiusmodi relationem realem, ob maximam diuinitatis simplicitatem.


C Ad Tertium dico, non omnem actuum diuersitatem arguere potentias diuersas; quod Scoto concedimus; sed illam tantùm, secundum quam actus diuersi eiusdem potentiæ esse non possunt; vt ex Aristotele est dictum; cuiusmodi diximus esse actum essendi atque intelligendi, vt vt sit de reliquis actibus. Non enim hic disputatur; Vtrùm & quæ diuersitas actuum requiratur ad animæ potentiarum distinctionem, de quibus alibi. Sanè videtur requiri vt sit diuersitas vel organorum vt in sensibus & motrice facultate, vel applicatione obiectorum, vt in voluntate atque intellectu. Intellectui enim ab obiectorum speciebus obiecta ipsa applicantur:

D ab actibus verò intellectus, voluntati; quandoquidem voluntas est de bono iam cognito. Quæ videtur doctrina A. Doctoris infrà q. 59. a. 2. vt ibidem dicturi sumus. Positis ergo similibus aut signis aut causis, diuersitas potentiarum non malè colligetur.

ARTICVLVS QVARTVS,

Vtrùm in Angelo sit intellectus agens & possibilis.

E 2. cont. c. 96. ratione 6.



D quartum sic proceditur. *Videtur quòd in Angelo sit intellectus agens & possibilis. Dicit enim Philosophus in 3. de An.* † *quòd sicut in omni natura est aliquid quo est omnia fieri, & aliquid quo est omnia facere; ita etiam in anima. Sed Angelus est natura quædam: Ergo in eo est intellectus agens & possibilis.*

† lib. 3. de An. text. 17. to. 2.

2. *Præterea Recipere est proprium intellectus possibilis: illuminare autem est proprium intellectus agentis; vt patet in 3. de Anim.* ★ *Sed*

★ li. 3. de An. t. 38. to. 2.

A Sed Angelus recipit illuminationem à superiori, & illuminat inferiorem. Ergo in eo est intellectus agens & possibilis.

Sed contrà est, quòd in nobis intellectus agens & possibilis est per comparationem ad phantasmata; quæ quidem comparantur ad intellectum possibilem, vt colores ad visum; ad intellectum autem agentem, vt colores ad lumen; vt patet ex 3. de Anima. Sed hoc non est in Angelo. Ergo in Angelo non est intellectus agens & possibilis.

Respondeo dicendum, quòd necessitas ponendi intellectum possibilem in nobis fuit propter B hoc, quòd nos inuenimur quandoque intelligentes in potentia & non in actu. Vnde oportet esse quandam virtutem, quæ sit in potentia ad intelligibilia ante ipsum intelligere; sed reducitur in actum eorum cùm sit sciens, & vlteriùs cum sit considerans; & hæc virtus vocatur intellectus possibilis. Necessitas autem ponendi intellectum agentem fuit, quia naturæ rerum materialium quas nos intelligimus, non subsistunt extra animam immateriales & intelligibiles in actu; sed sunt solùm intelligibiles in C potentia extra animam existentes. Et ideò oportuit esse aliquam virtutem, quæ faceret illas naturas intelligibiles actu. Et hæc virtus dicitur intellectus agens in nobis. Vtraque autem necessitas deest in Angelis; quia neque sunt quandoque intelligentes in potentia tantùm, respectu eorum quæ naturaliter intelligunt; neque intelligibilia eorum sunt intelligibilia in potentia, sed in actu. Intelligunt enim primò & principaliter res immateriales; vt infrà patebit *. Et ideò non potest in eis esse intellectus agens & possibilis nisi æquiuocè.

*q. seq. a. 2.

D Ad primum ergo dicendum, quòd Philosophus intelligit illa duo esse in omni natura, in qua contingit esse generari vel fieri; vt ipsa verba demonstrant. In Angelo autem non generatur scientia; sed naturaliter adest. Vnde non oportet ponere in eis agens & possibile.

Ad secundum dicendum, quòd intellectus agentis est illuminare; non quidem alium intelligentem, sed intelligibilia in potentia, in quantum per abstractionem facit ea intelligibilia actu. Ad intellectum autem possibilem pertinet esse in potentia respectu naturalium cognoscibilium, & quandoque fieri actu. Vnde E quòd Angelus illuminat Angelum, non pertinet ad rationem intellectus agentis: neque ad rationem intellectus possibilis pertinet, quòd illuminatur de supernaturalibus mysteriis; ad quæ cognoscenda quandoque est in potentia. Si quis autem velit hæc vocare intellectum agentem, & possibilem, æquiuocè dicet: nec de nominibus est curandum.

* * *

Explanatio & confirmatio eorum quæ in hoc art. dicuntur.

Respondet A. Doctor non esse in Angelis intellectum siue possibilem siue agentem; nempe si propriè sumatur: nam in fine corporis concedit esse æquiuocè. Probat primùm de intellectu possibili, quia intellectus possibilis est ille qui est in potentia ad intelligibilia, ita vt reducatur ad actum dupliciter. Primò cùm fit sciẽs; nempe per habitum specierum: Secundò cùm fit considerans; nempe per actum cognitionis. At in Angelo non est intellectus qui sit in potentia ad intelligibilia, & qui ad actum reducatur: Ergo, &c. Minorem probat: nam primò Angeli nunquam sunt in potentia ad intelligenda ea quæ naturaliter intelligunt: & secundò eorum obiecta sunt intelligibilia actu non potentia: ergo ad neutrum actum reducuntur: esse enim actu intelligibilia est eorum esse species in intellectu; vt deinceps patebit in consequentibus huius articuli explanationibus.

De intellectu autem agente idem probat, quia eam ob causam ponitur in nobis agens intellectus; quia naturæ rerum materialium non sunt extra animam actu intelligibiles, sed solùm potentia. Ergo debuit esse in animo vis aliqua, virtute cuius fierent intelligibiles actu. At in Angelis huiusmodi res non sunt potentia intelligibiles sed actu; quia scilicet earum species habent sibi in intellectu congenitas, nec à phantasmate abstractas: ergo in Angelis non debet poni intellectus agens, ne quid in rerum natura frustra & absq; vllo fine esse asseueretur.

Eodem prorsus argumento vsus est A. Doctor lib. 2. cont. Gent. in 7. ratione: nam ideò ponit & intellectum possibilem, vt sensibilium imagines recipiat ab intellectu agente, & intellectum agentem, vt sensibilium easdem imagines in intellectu possibili ex sensibilibus obiectis abstrahat, formétque intelligibiles: Quorum vtrumque munus negat in Angelis esse posse. *Substantiæ* namque *separatæ non accipiunt cognitionem à sensibilibus*, ergo *non est in eis intellectus agens & possibilis*; fatetur tamen vt in hoc articulo intellectum vtrumque concedi in Angelis posse aliquo modo & *æquiuocè*; eo scilicet modo, vt hic explicat ad 2. nempe quia interdum Angeli inferiores reducuntur ad actum dum à superioribus illuminantur; & ideò est intellectus possibilis qui illustretur: agens à quo lumen accipitur. Sed de his plura in consequentibus. Ad hæc ergo examinanda sit

QVÆSITVM PRIMVM, Vtrùm & quomodo sit intellectus agens & possibilis in homine ex Aristotelis ac Peripateticorum pronunciatis.

Qvamuis nõ pauca dixerimus suprà de Angeli intellectu, ex quib. sequi videri possit, quid nomine intellectus tum possibilis tũ agentis Peripatetici denotare velint; Tamen quia permagni interest hæc accuratiùs nosse, non solùm vt statuamus; sintne ij in Angelis ponendi; verùm etiã vt hac occasione ea stabiliamus, quæ ad animi nostri naturam explicandam in primis facere possunt, libuit hîc intellectus vtriusque naturam

naturam altiùs considerare, & quæ de eo Peripatetici scrutati sunt, in legentium conspectum proponere, vt ita nemini non apertum sit eos auctores plurimum & à veritate & à Peripateticorum effatis deflexisse, qui potiùs pro arbitratu, quàm aut diligenti veterum Philosophorum lectione aut constantibus rationibus de intellectus humani dignitate plurimum detraxerunt. Quod in nonnullos superioris sæculi auctores maximè conuenire illi scient, qui eorum insolétissima de intellectu ac de hominis animo scripta, non sine indignatione, ac stomacho conuoluntant. Sed præstat eorum scriptorum falsitatem redarguere, quàm eorum auctores apud æquos iudices vel impietatis vel inscitię criminari. Disputabimus ergo primum quid nomine intellectus agentis ac possibilis intelligendum deinceps sit. Deinde vtrū & quomodo affirmare eosdem in hominis animo oporteat. Sit ergo

PRIMA DIFFICVLTAS,

In qua plurimę ex Aristotele & Peripateticis intellectus notiones recensentur; Et qua significatione accipiatur intellectus in hoc art. ab A. Doctore.

Intellectum propriè esse principium intimæ cuiusdam notitiæ apud Aristotelem & Peripateticos. §. 1.

NOtandum est certum esse apud omnes, intellectus nomine nihil aliud significari, nisi id quod est intelligendi proprium intimúmque principium: Quemadmodum sẽsus apud omnes idem est, atque propria vis ac facultas sentiendi. Neque enim aliter eum Aristoteles lib. 3. de An. cont. 5. definiuit cùm dixit: *Dico autem intellectum quo intelligit atque existimat anima.* Vbi idem affirmant Peripatetici: idémque etiam A. Doctor hic art. 3. & 4. omnésque Theologi supponunt. Ponimus ergo nos intellectus nomine nihil aliud significare velle, nisi quod sit principium actus, qui est intellectio, hoc est ea cognitio qua obiecta cognoscuntur non quocunque modo, sed ita vt intimè penetrentur: Intelligere enim non solùm Latinis auctoribus; sed philosophis Theologísque in eo differt à sentiendi actu; quod vt optimè notat A. Doctor 2. 2. q. 8. a. 1. cognitio sensus occupatur circa qualitates sensibiles exteriores: cognitio autem intellectus penetrat vsq; ad essentiam rei, cùm intellectus obiectum sit etiam *quodquid est* auctore Aristotele lib. 3. de An. cont. 26. Ex quo rectè colligit idem A. Doctor eodem loco; nomen *intellectus* denotare intimam quãdam cognitionem; ideóque non abs re intelligere dici *quasi intus legere*, hoc est ea quæ intra accidentia latent agnoscere ac percipere.

Et quidem quòd notio *intellectus* intimam quãdam cognitionem inuoluat, adeò omnibus Peripateticis in confesso est, vt id ne à Græcis quidẽ Peripateticis alienũ sit. Hi enim quamuis Græcè nomen νοῦς, quod est intellectus, seu mens, nullã indicet huiusmodi etymologiam, quam sibi Latinos deriuasse iam diximus; constanter tamen obseruant omnes, quod νοῦς Græcè significat, non posse propriè aptari sentienti facultati, eò quòd hæc facultas intimas substãtias, internásq; actiones, atq; adeò se ipsam sua cognitione peruadere nequeat. Quocirca ob quãdam cum ea quam de intellectus notione diximus, similitudinem, imaginationem quoq; interdũ dici intellectum eximiè notauit Ammonius præfatione ad lib. Aristotelis de Interpret. vbi ait aduersus Andronicũ, imaginationem ab Aristotele in libris de Anima intellectus passiui nomine appellari: *Intellectus quidem* inquit *velut intra seipsam cognoscibilem rem obtinentis: eoque differt à sensu, quod quæ foris sensu cognoscit, illorum vt circa ipsa agat prorsus eget præsentia. Imaginatio verò ipsa in se habet atque externarum rerum opem nequaquam postulans,* &c. Vult ergo ideò imaginationẽ appellari intellectum; quia intus habet quod cognoscit.

Nõ dissimili ratione Philoponus lib. 2. de An. in cont. 155. concludens quidnam intersit inter intellectũ & sensum, ait: *Substãtiam nouit intellectus Græcè νοῦς, quam sensus non assequitur; sensus propriam operationem non nouit: intellectus autẽ & propriam & aliorũ. Intellectus circa vniuersalia operatur; habétq; intus sensibile; sensus autem circa particularia & extra.*

Idem ferè habet Simplicius libro 3. ad particulam 15. *Intellectus* inquit *proprium est seipsum intelligere, aut posse intelligere,* & in expositione vlt. ad cont. 16. ibidem, ex eo quòd omnis intellectus sine materia est, concludit sic. *Sui ipsius itaque intellectus est.* Quod vtrumque de sensibus tam Philoponus quam Simplicius expressè negarũt lib. 2. de An. in cont. 136. Et præterea Simplicius in expositione 2. ad particulam 157. Clarissimè etiam idem Simplicius ibidem in cont. 122. *Intellectus* inquit *in primis, & secundo loco rationis proprium est, vt sui ipsius cognoscendi vim habeat.* Quocirca aduersus Alexandrum dicentem, intellectum intelligere se per accidens dum formas intelligit, cum quibus aliqua ratione est idem, ne alioqui teneretur concedere eius naturam esse immediatam, ac proinde immortalem; arguit Simplicius libro 3. de An. in 3. exposit. ad cont. 8. quia intellectus *præcipuè seipsum intelligere debet. Quoniam, vbinam Alexander aut nos de eo aliquid scribimus, si neque seipsum intelligat, neque intellectionem aut vitam aut substantiam sui ipsius?* Pergit quoque disserere, quòd nullum foret discrimen inter intellectum & sensum: Cuius sensus ait esse solùm se ad externa protendere; nec vnquam in seipsum recurrere. Immò ait nec fore intellectum, qui qua intellectus est, in seipsum reflectitur atque intellectilis est. Qua de re plura habet infrà in cont. 15. & 16. Vbi repetit, *proprium esse intellectus seipsum intelligere, & esse intelligibilem, quia sine materia est omnis intellectus.*

Idem prorsus Themistius tribuit intellectui perfecto: de hoc enim cùm dixisset non esse intellectilem sicut cætera entia corporea, subdit: *sed per se intelligibilis est, & sua natura habet, vt intelligere atque intelligi pariter possit à sese.*

Quam etiam doctrinam, quòd scilicet omnis intellectus sit intellectilis; quia idem est in iis quæ carent materia, intellectus & intellectile; fuisse Theophrasti testatur Priscianus Lydus in eius librum *de intellectu & phantasia* cap. 19. & nos multa diximus suprà. Nam etiam ex Aristotele idem docuimus, qui lib. 3. de An. cont. 15. apertè dixit de intellectu: *Et ipse est intelligibilis, sicut ipsa intelligibilia. In iis enim quæ sunt sine materia idem est quod intelligit & quod intelligitur.* Constat ergo

ergo intellectum esse principium intelligendi, hoc est eius cognitionis, qua rerum intima penetrari possint, & (quod difficillimum est) se suáque omnia penitus perscrutari. Qua de causa Plato & Pythagoræi intellectum dixerunt esse circulum, & eius operationem esse circulationem, vt ita quasi circulus & circulatio sint conuersiones in sese; vt rectè obseruat Simplicius lib. 1. de Anima in cont. 46. & fusiùs in eundem locum Philoponus aliique commentatores.

Plato. Pythagoræi.

Intellectus nostri naturam meliùs significari à Latinis nomine Intellectus, *quàm à Græcis per particulam* νοῦν, *& quàm multa significet apud Græcos Peripateticos, verbum* Intelligere, *& quo pacto ab huiusmodi actu differat Dianœa, &c.* §. 2.

EX quibus notandum est secundò, duo facilè nobis apparere posse, quæ ad rem nostram maximopere conducunt. Alterum est intellectus nostri naturam magis apposito vocabulo apud Latinos significari, quàm apud Græcos. Quod enim naturæ intellectus proprium est; vt scilicet rerum naturas, ac penetralia introspiciat, id Latinè nomen intellectus exprimit; non autem Græcè νοῦς, hoc est mens; etsi eius significatio non omninò ab intellectus notione differat. Cuius quidem, ex nomine intellectus, deriuationis ad hæc ipsa significanda vim proprietatémq; adhuc à nemine obseruatã video, quamuis non pauci plurima de Intellectus natura actibúsque conscripserint.

Alterum est, quod tametsi non malè quod apud Græcos dicitur νοῦς, indifferenter ab interpretibus verti Latinè soleat nunc *intellectus* nunc *mens*: Quia hæ duæ particulæ nullo ferè discrimine accipiuntur; tamen si notionem seu significationem eius vocis etiam Græcè spectemus, longè meliùs dicitur *intellectus* quàm *mens*. Nam vt vidimus, particula νοῦς Græcis significat id quod vim aliquam cognoscendi sui ipsius importat. Quod quidem ex Aristotele manifestè docuisse videtur Simplicius libro 3. de An. ad particulam 19. Ait enim *Aristotelem prætulisse proprietatem intelligibilis proprietati intellectus; quia* νοητὸν *id est intelligibile, magis significat substantiam rei: νοῦς verò id est intellectus, magis actionem*; nimirum quia intimè res cognoscuntur. Vt enim suprà diximus, intellectio differt ab actione sensus.

Simplicius.

Videtur ergo Simplicius ex Aristotele existimare, νοῦν significare cognitionem intimorum, non autem rei substantiam, quam nomen intelligibilis denotat. At verò mens ex natura eius significationis, ad quam illud nomen impositum est, non est ad huiusmodi actionem notificandam. Siue enim mens dicatur quia in animo eminet; siue quia meminit, vt placet Isidoro libro vndecimo Origin. cap. 1. siue à mensurando, quia metitur æstimátque rei veritatem suis propositionibus; vt vult Angelicus Doctor infrà q. 79. a. 9. ad 4. non tamen primò & per se explicat vim illam intima penetrandi, qualem sua si-

Isidorus. A. Doctor.

A gnificatione intellectus enunciat. Itaque intellectus nomen nihil aliud Peripateticis indicat, nisi proprium adæquatúmq; principium intelligendi; hoc est penitus cognoscendi quæcunque obiici animo intelligenti, seu immateriali substantiæ possunt.

Verùm quoniam intellectus etiam posita ea quam diximus notione non vno modo accipi solet à Latinis, Græcísque auctoribus; non poterit satis eius significatio nobis apparere, nisi etiã cuius tandem intellectionis origo sit ipse intellectus ac principium, manifestum sit. Sicut enim intellectus generatim acceptus ab intelligendi actu etiam vniuersè sumpto cognoscitur; ita & talis intellectus qualis sit, à tali intellectione B declaratur; vt in cæteris quoque principiis accidit, quæ ex talibus actibus talia esse dignosci solent. Hoc namque modo in ipsa materia distinguimus potentias, eductiuam & receptiuam, in voluntate cõcupiscibilem atque irascibilem, & similia in aliis.

Intelligere igitur primò sumitur latissima quadam significatione pro omni ea cognitione, quæ circa sua interna obiecta esse potest; & quã eius facultas ex se ipsa, hoc est nullo extrinsecus obiecto applicato promit. Et hoc quidem pacto *intelligere* ad ipsos vsque imaginationis seu phantasiæ actus extenditur. Neque enim aut imagiC natio aut quæuis cognoscendi facultas, imaginatione perfectior, sed solus sẽsus siue communis siue exterior, ad suam actionem eliciendam externum obiectum sensibile quod actu extra cognoscentem sit, deposcunt. Quam doctrinã tradi diximus ab Ammonio in præfatione ad libros Aristotelis de Interpretatione. Quamobrẽ rectè Simplicius lib. 2. de An. ad particulã 150. & seq. & in exposit. ad cont. 1. lib. 3. de An. docuit, imaginationem seu phantasiam ab Aristotele non rarò intellectum nuncupari: *Intellectus nomen* inquit idem Simplicius lib. 2. de An. in cont. 163. *vsque ad imaginationem dilatat.* Simplicius.

Causa huius appellationis est, quam subindiD cauimus; quia scilicet facultas imaginandi dum intus excitatur, hoc est nullo extrinsecus obiecto eam mouẽte operatur, vt accidit in somniis, &c. aliquo modo conuerti in seipsam dicitur, atque ita intima rerum penetrare: propterea quòd non tam ad externa sensilia, quàm ad interna phãtasmata respicere videtur; vt dum chimæras, montes aureos, hircoceruum & similia fabricat, quæ reipsa nulla sunt, sed solùm obiiciuntur ex varia philosophantum connexione; vt alibi declaratum est. Vnde quia hac ratione excitari imaginationem ad actum suum quasi quoddam intus legere videtur esse, ideò eius actus ex quadam similitudine dicitur intelligere.

E Id quod optimè obseruauit Simplicius libro secundo de An. in illum cont. 150. cum ait; imaginationem in hoc conuenire cum facultate intelligendi; *quia excitatio ad actionem ex sese quædam intelligentis est proprietas, ideóque & imaginationem intellectum philosophus appellat.* Idque eandémque ob causam videtur apertè docuisse Aristoteles libro secundo de An. contextu sexagesimo. Vbi verbo *intelligendi* comprehendit imaginationem; cúmque actum distinguit à sensu ex eo, quòd intelligimus cùm volumus, etiam cùm nullum sese offert externum sensibile; non autem sentimus, nisi adsit obiectum. *Intelligere in ipso homine* inquit *est cum vult*; *sentire verò non est in ipso necessarium*

Simplicius. Aristoteles.

necessarium enim est adesse sensibile. Vniuersè ergo Aristoteles sentit intelligere esse cùm cognoscimus non prærequisita obiecti præsentia; in qua re sentiendi facultas pares nõ habet vires: Quod cùm imaginationi aliquo modo conueniat vt diximus, imaginari erit quoddam *intelligere* Aristotelis opinione.

Aristoteles.

Sanè quod Aristoteles sæpè sub intellectu seu nomine intellectus comprehẽdat etiam expressè imaginationem, non est dubium. Nam libro 2. de An. cont. 155. τὸ νοεῖν in phantasiam existimationémque partitur. *De ipso* inquit *intelligere* Græcè *νοεῖν quoniam diuersum est ab ipso sentire, huius autem aliud imaginatio esse videtur, aliud existimatio,* &c. Et libro 3. cont. 48. duo animalibus mouendi principia ponit appetitum & intellectum: Ergo imaginatio sub intellectu continetur: Alioqui cum imaginatio etiam moueat, plura duobus mouendi principia ponerentur. Immò id expressè patet ex verbis Aristotelis ibidem: nam *videntur* inquit *duo hæc mouentia aut appetitus, aut intellectus, si quis imaginationem ponat vt intellectionem quandam. Multa enim præter scientiam sequuntur imaginationem.* Atque hi quidem loci euidentes ad rem sunt.

Aristoteles.

Posset etiam afferri alius ex libro 3. de An. cont. 20. vbi Aristoteles ait, *passiuum intellectum corruptibilem esse.* Debere enim id intelligi de imaginatione contendunt A. Doctor, & Auerroës ibi: & Philoponus tum ibi, tum etiam in procemio ad lib. de An. Sed vtrùm id rectè, non constat, & examinabitur alibi. Posset etiam idem colligi ex eodem Aristotele lib. de Motu Anim. cap. 3. vbi *Videmus* inquit Aristoteles *mouere animal cogitationem, electionem, voluntatem & appetitũ: etenim imaginatio & sensus eundem intelligendi locum habent.* Verùm ex hoc loco nihil certi ad propositum habetur. Solùm enim Aristoteles dicit se imaginationem & sensum reducere ad intellectum, eiúsque eam loco habere; non tamen eam nomine intellectus appellat aut comprehendit; nisi ad illum eam reducendo sicut & sensum.

Aristoteles.

Aristoteles.

Denique eodem modo passim loquuntur Peripatetici. Simplicius enim libro 2. de An. in cont. 147. & generatim cont. 152. ait omnem cognitionem, quæ circa interna versatur esse intellectum communi significatu; in quo etiam phantasia continetur. Nec ab hoc loquendi modo differt A. Doctor lib. 3. de An. in cont. 20. & 48. Sic etiam Philoponus eodem lib. 3. cont. 5. Vbi Aristoteles ait: *Dico intellectum quo intelligit atque existimat anima,* interpretatur vt eas Aristoteles particulas addat; quasi velit significare, se loqui solùm de intellectu propriè dicto, non autem de imaginatione; quæ ampliore intellectus acceptione dicitur etiam intellectus. Quod obseruauit Themistius & Auerroës ibi.

Simplicius.

A. Doctor.
Philoponus.
Aristoteles.

Themistius.
Auerroës.

Ex his ergo patet, intellectum hoc pacto sumptum, nihil significare aliud nisi principium intelligendi ea quæ interna in seipso sunt, & quomodocunque ea sint, modò vt dixi sint in ipso principio intelligente. Vt ita solùm eæ actiones remoueantur, quę solùm ad obiecta externa sensibúsque præsentia se porrigunt. Vt autem alios intelligendi modos proponamus:

Notandum est tertiò, *Intelligere* secundo modo sumi posse non ita amplè; sed vt excludat actus imaginationis, cæterarúmque facultatum cognitiuarum, quæ imaginatione imperfectiores sunt; quales sunt sensus communis & exte-

A rior; eásque solùm contineat actiones, quæ à suprema hominis facultate proueniunt, nempe ab intellectu, secundum quod à cæteris distinguitur; siue eæ actiones sint practicæ siue speculatiuæ; siue quæuis aliæ aut falsæ aut veræ. Quare *intelligere* tantundem valebit hoc modo atque cognoscere per eius facultatis actus, qua homo antecellit brutis. Quam significationem rectè Simplicius ex Aristotele obseruauit, & probauit lib. 2. de An. in exposit. ad cont. 152. Ibi enim Aristoteles cùm vellet ipsum *intelligere* in vniuersum à quouis animi sensu discernere, talem constituit intellectionem, quæ sub se comprehendat omnes enunciationes affirmantes aut negantes, veras vel falsas, &c. *Sed neque intelligere* inquit *in quo est quod rectè & quod non rectè. Quod enim rectè prudentia, scientia & opinio vera. Quod verò non rectè, contraria horum*; nempe imprudentia, inscitia, opinióque non vera. Ex quibus patet Aristotelem opponere ipsum intelligere cæteris actionibus, quæ præstantissimæ in homine facultatis non sint. Vnde etiam cont. seq. à supradictis intelligendi speciebus aperte ait diuersam esse imaginationem, cæterásque brutorum, hominúmque actiones, quæ si nonnunquam dicuntur intellectus; *Scito* inquit Themistius in illum cont. 152. *abusionem in eo nominis factam*, quia nimirum eæ propriè intellectus non sint.

Simplicius.

Aristoteles.

B

C Tertio modo adhuc pressiùs *intelligere* significat idem quod cognoscere verum: & ita enunciationes falsæ quomodocunque, non erunt intelligendi actus: quo quidem pacto Democritus referente Aristotele lib. 1. de An. cont. 23. aliud aiebat esse intellectum aliud animam. Existimabat enim ille intellectum versari circa verum; at verò animam circa apparens verum & plerũque falsum.

Democritus.
Aristoteles.

Quanquam vt Aristoteles ibi notat ex ea doctrina Democritus inualido prorsus argumento conficiebat, animam & intellectum idem esse, quandoquidem idem sunt verum & apparens verum. Nobis tamen satis ad rem nostram sit,

D *Intelligere* aliquando sumi pro ea tantùm actione intellectus, quæ in vero cognoscendo consistit: quicquid hinc malè eruere conatus sit Democritus. Rursus idem patet ex eodem libro cont. 24. vbi Aristoteles refert Anaxagoram non constanter locutum de intellectu. Quandoque enim dicit *intellectum esse causam eius quod bene & rectè; alibi autem intellectum esse animam: In omnibus enim ipsum inesse animalibus; magnis & paruis, honorabilibus, & inhonorabilibus.* Appellat ergo ibi Aristoteles intellectum vt distinguitur ab anima causam eius quod bene & rectè; hoc est principium verè intelligendi; & ideò subdit aduersus Anaxagoram, huiusmodi intellectum non

Aristoteles.
Anaxagoras.

E inesse omnibus: *Non videtur autem secundum prudentiam dictus intellectus omnibus inesse animalibus, sed neque hominibus omnibus.* Quibus verbis vt ibi explicat Simplicius, negat intellectum illum, quem dixit Anaxagoras causam bene & rectè; & quem Aristoteles appellat secundum prudentiam; seu vt ait Simplicius eum qui semper vera contemplatur, inesse omnibus. Est ergo intellectus hoc tertio modo, qui rectus est, & ad veritatem propendens.

Quartò demum propriissimè intellectus dicitur ea cognitio, quæ simplici quodam intuitu apprehendit obiectum suum, siue ea sit cum ali-

qua

qua affirmatione vel negatione, siue nullā compositionem contineat. Intelligere ergo hoc pacto erit cognitio quæ diuiditur ab omni ratiocinatione; nempe ab omni dianœa & opinione; hoc est ab omni cogitatione, seu syllogismo, qui pariat vel scientiam vel opinionem.

Aristoteles. Quamuis enim Aristoteles dianœam cum intellectu confundat; vt lib. 6. Eth. cap. ☛ Vbi cum de dianœa disputasset concludit sic: *Atque hac cogitatio seu mens* id est intellectus, *& veritas actiua est*: Vides hic opinor cogitationem, quæ vt mox dicam dianœa est, dici intellectum; sicut etiam ibidem paulo pòst: *Vnde neque sine intellectu & cogitatione; neque sine morali habitu electio est.* In quem locum Eustratius antiquus & grauis Peripateticus comment. suo 6. ait: *intellectum & cogitationem, id est νοῦν & διάνοιαν, rationem hic appellat, quæ de appetibili re ratiocinatur: cogitatio enim ipsa intellectus vocatur: quippe quæ ipsius intellectus imitatio est:* Et plura alia ad hanc imitationem explicandam addit.

Quamuis inquam illa duo confundantur; eadem tamen duo si intellectus propriissimè accipiatur, Aristoteles Peripateticique distinguunt. Est enim διάνοια Græcè, idem quod Latinè cogitatio, seu ratio aut discursus, vt consentiunt omnes interpretes. Dicitur enim vt rectè confirmat Philoponus in proœmio ad lib. de An. & Simplicius lib. 3. de An. in cont. 5. ἀπὸ τοῦ διανύειν; quod est spatium aliquod percurrere ac peragere; quod nimitum διάνοια viam & spatium peragat à propositionibus ad conclusionem. Vnde rectè Eustratius libro 6. Ethic. cit. cap. 2. comm. 2. *cogitationem* inquit *id est διάνοιαν appellat* Aristoteles *intellectum actiuum, hoc est contemplationem quæ operatur, cùm quis de eligenda re iudicat. omnis siquidē agitatio de vero ac falso inquirit vt hoc refellat, illud comprobet.*

Philoponus. Simplicius. Eustratius.

Qua quidem significatione posita dianœa cōprehendit sub se non solum syllogismum scientiæ effectorem; sed etiam eum qui probabilis est: quando vtrique rectè conuenit, vt sit huiusmodi transitus & inquisitio. Ex quo optimè Simplicius libro 2. de An. cont. 152. in 2. exposit. docet dianœam seu cogitationem Aristoteli significare *actionem ratiocinationis transitiuam; quæ vbi à causa ad effectum transit non errat; vbi verò sine causis id agit, mentitur.* Idémque repetit cont. 154. Perinde ac si dixisset, eam rationem quæ est scientifica semper esse veram: quæ verò ex probabilibus tantùm, ac proinde opinio est; non itē. & vtramque Aristoteli dianœæ finibus contineri, quia vtrinque ex vno in aliud veluti per spatium pertransitur.

Simplicius.

Aristot. Sanè Aristoteles in eo libro 6. Ethic. cap. 1. diuidit dianœam in actiuam & contemplatiuam, vt significaret, quod rectè obseruauit Eustratius cap. illo 2. comm. 4. *alteram versari circa ea quæ contingunt; alteram circa necessaria*; & vterque vti diximus syllogismus sub dianœa comprehenditur ob eandem causam prædictam, quia scilicet omnis syllogismus quidam transitus est.

Eustratius.

Quæ quamuis vera esse ostensum sit; tamen non ignoro apud nonnullos Peripateticos interpretes longè differre διάνοιαν & δόξαν, id est cogitationem & opinionem. Nam Philoponus in proœmio ad libros de An. hoc distare existimat inter dianœam & opinionem; quod *dianœæ munus est causam continere; opinio verò est facultas cognoscens vniuersale in sensibilibus: in his autem quæ dianœa per causam cognoscuntur est conclusio.* Quibus videtur sentire Philoponus opinionem esse conclusionem ratiocinationis scientiam parientis; in sensibilibus verò vniuersalibus esse integrum discursum. Alioqui nulla fuisset ratio, cur restringeret vt opinio sit tantummodo conclusio in syllogismo dianoetico. Et hanc doctrinam Philoponus ibidē ait esse Zenonis Eleatis apud Platonem in Sophista, cùm dixit opinionem esse *dianœa desinentiam.* Quod etiam repetit Philoponus lib. 3. de An. in cont. 57.

Philoponus.

Verùm pro hac re Notandum quartò, hanc Philoponi doctrinam non esse è Republica Peripateticorum. Nullibi enim Aristoteles opinionem à dianœa hac ratione distinxit. Nam quod Philoponus ait libro 3. de An. in cont. 5. Aristotelem cùm dixit, *intellectum dico, quo cogitat atque existimat anima*; nempe Græcè διανοεῖται, καὶ ὑπολαμβάνει, distinguere cogitationem ab opinione, nullo fundamento stabilitur: ὑπόληψις enim id est æstimatio pro intellectione generatim, non autem pro illa tantùm specie ibi accipitur ab Aristotele; vt obseruat Themistius libro 2. de An. in cont. 152. & Simplicius tum ibi; tum etiā in cont. 153. & subindicat lib. 3. in cōt. 5. Atque id quidem rectè omninò; quia non videtur probabile, Aristotelem cùm vellet intellectum nostrum describere, id facere velle comparatè ad illas actuum species, quæ intellectui adæquatè non respondent, quales sunt discursus necessarius & probabilis. Secus autem si particulæ prædictæ *cogitare & existimare*, significent ratiocinari & intelligere. Sic enim definitur per respectum ad omnes intelligendi actus siue discursus sint, siue quiuis alij. Huiusmodi ergo distinctio Peripatetica non videtur, sed Platonicam doctrinam sapit, quam ex Platonis Sophista desumpsit; vel fortè eam accepit ex Proclo in Timæum comment. 2. vbi eam copiosè explicat ad mentem Platonis.

Themistius. Simplicius.

Propriissimè actus intelligendi est simplex rei intuitus apud A. Doctorem, Græcos Peripateticos, Aristotelem, & Platonem, &c. §. 3.

Aio igitur propriissimè sumi intelligere pro ea intellectus actione, quę simplex rei intuitus est; id est non transitus de vno in aliud, vt est dianœa & opinio. Quod equidem optimè notatum video apud A. Doctorem p. p. q. 79. a. 8. c. Vbi *intelligere* inquit *est veritatem simpliciter apprehendere; ratiocinari autem est procedere de vno intellectu ad aliud ad veritatem intelligibilem cognoscendam. Et ideò Angeli qui perfectè possident secundum modum suæ naturæ cognitionem intellig bilem, non habent necesse procedere de vno in aliud.* Sic etiam infrà q. 58. a. 3. c. ait ex eo quòd Angeli simplici intuitu res apprehendunt, & non per discursum, eos *dici intellectuales. quia etiam apud nos* inquit *ea quæ statim naturaliter apprehenduntur, intelligi dicuntur; vnde intellectus dicitur habitus primorum principiorum.*

A. Doctor.

E quibus subdit discrimen quod inter intellectum Angelicum & animum humanum interest:

est: *nam animæ humanæ* inquit *quæ veritatis notitiam per quandam discursum acquirunt, rationales vocantur.* Id ergo discriminis esse ait inter vtrumque; quòd quia intellectus est simplicis apprehensionis, idcircò Angeli quibus sola inest simplex rerum conceptio, dicuntur intellectuales: Quia verò ratiocinari est animarum, ideò rationales appellantur. Omnium autem clarissimè idem docuit 2.2.q.49.a.5. ad 3. vbi ait: *quod etsi intellectus & ratio non sint diuersæ potentiæ, tamen denominantur ex diuersis actibus: intellectus enim nomen sumitur ab intima penetratione veritatis; nomen autem rationis ab inquisitione & discursu.* Itaque intellectus nomen est ad intelligendum simplici apprehensione veritatis; vt cùm fit discursus non tam sit intellectus quàm ratio.

Aristoteles.

Quam sententiam colligere etiam possumus ex Aristotele pluribus locis: nam primo libro de Anima cont.65. & 66. hæc duo contraponit; nempe ratiocinari & intelligere, oppositásque vtriusque actus cùm corrumpuntur, causas exponit. Quod scilicet *ipsum intelligere & speculari marcescat, atque interius corrupto, cum tamen ipsum ex sese sit impassibile; cogitare autem* id est ratiocinari, *amare & odisse, cùm sint actus non animæ sed hominis, necesse est ipsa intereant homine pereunte.* Quo in loco Græci interpretes prædictā vtriusque actus differentiam animaduertunt; indéque pro comperto habent, licet homo in ratiocinando vtatur corpore, & phantasia tanquam instrumento; in intelligendo tamen, quia est solius animæ actio, nullo corporeo opus esse instrumento; vt perspicuis verbis docent Themistius, Philoponus & Simplicius in illum cont.66.

Themistius. Philoponus. Simplicius. Aristoteles.

Deinde eodem modo Aristoteles vsus est vocabulo intellectus lib.6. Ethic. cap. 6. quatenus scilicet opponitur ipsi actui ratiocinationis. Negat enim de principiis primis esse aut sapientiam, aut scientiam; idque ex eo probat, quòd eæ omnes cognitiones non sunt sine ratiocinatione: *Neque sapientia horum est* inquit; *Sapientis enim est de nonnullis habere demonstrationem.* Neque scientia; *cum ratione enim omnis scientia est: Ergo restat intellectum esse principiorum.* Vnde etiam eodem libro 6. c.11. *Primorum* inquit *& vltimorum intellectus est non ratio.* Vbi etiam Eustratius *intellectum* inquit *appellans vim in anima nostra, qua absque medio cognoscit*: Rationē verò quæ medio vtitur & ratiocinatione; & libr. 3. de Anim. cont.46. *Sed nec ratiocinatiuum est* inquit Aristoteles, *& qui vocatur intellectus est mouens*; Vbi intellectum qui ratiocinando progreditur, non tam ait esse intellectum, quàm vocari; quasi indicet non esse propriè intellectum, qui simpliciter non operatur sed progreditur. Idem patet ex eodem Aristotele lib.1. Poster. cap.26. vbi docet non idem esse scientiam & scibile ex vna parte, & ex alia opinionem & opinabile: Quia circa verum quod contingit aliter se habere, non est scientia; & subdit: *At verò neque intellectus: Dico enim intellectum principium esse scientiæ*, &c. Quare intellectum opponit scientiæ atque opinioni nempe cuicunque ratiocinationi.

Eustratius. Aristoteles.

Ex his ergo palàm est Aristotelem distinguere intellectum, qui sit simplex intuitus principiorum, à cæteris cognitionibus intelligentis facultatis, quæ sint progressiones atque discursus. Quod etiam facit lib.1. Post. cont.7. & lib.2. Post. cont. vlt. in fine. Rationem horum optimè Eustratius attulit lib.6. Ethic. c.6. com.2. quia nimirum hoc pacto per simplicē intuitum ac sine discursu maximè accedit ad perfectionem; qui maximè & propriè & simpliciter & sua essentia est intellectus; quia scilicet in se ipso intus omnia legit, cognoscítque sine vllo discursu aut progressione ex vno in aliud. Verba Eustratij aurea sunt, & digna quæ referantur: *Qui essentia intellectus est* inquit *cum omnia quæ in cognitionem cadunt in se habeat, simplicíque appulsione, ac repentè percipiat, nunquam ab ipsis exturbatur, atque excidit. Hic verò qui in nobis est, atque habitu tātùm est intellectus, à principio communes notiones, proprias operationes, atque intellectiones habet; quæ eius qui propriè intellectus est, quasi extremæ resonantia vestigia sunt.* Hoc est quæ sunt affinia & similia iis quæ infima sunt in substantiis superioribus, sumpta metaphora ab Echo, cùm scilicet vocum repercussarum, extrema verba reddi solent. Et ideo ibid. Eustratius non multo pòst subdit sic. *Oportet enim animam ex affinitate quam habet cum intellectu, intellectuale aliquid in se habere, eiusque quod supra naturam suam est, participem esse, vt rerum productiones à prima causa, connexa quadam serie progrediatur. Nam semper quod inferius est, cum superiori connectitur, quandamque cum eo similitudinem contrahit.* Sūmum enim inferioris est, infimum naturæ superioris vt docet S. Dionysius cap.7 de diu. nomin. explicaréque pergit Eustratius ibidem.

Eustratius.

Quāobrem si hoc pacto animus noster proximus est intellectui simpliciter, sanè ob eius propinquitatem, atque cum eo affinitatem non incongruenter & eius nomen mereri potest. Tūc enim aptissimè alicuius nomen transfertur in aliud, cùm maximè inter illas res similitudo interuenit: Nam & hoc modo picturam seu statuā Socratis vocamus Socratem, dicimúsque prata ridere; & vitia virtuti opposita, si quid cum aduersa virtute similitudinis habent, appellatione virtutis nominantur. vt cùm prodigū vocamus liberalem, cui magis affinis est, quàm illiberalis, vnde & faciliùs ad liberalitatis mediocritatem redit, teste Aristot. lib.4. Eth. c.1. Hoc ergo pacto propriissimè intellectus vocatur, cùm dicitur relatè ad intellectionem, quæ simplex est; & non est progressio ex vno in aliud. Verū in hac etiā re

Notādum quintò, ex dictis sequi magis vt ita dicam, propriissimè dici posse intellectum cum obiecta simpliciore aggressu apprehēdimus; hoc est dum ita res cognoscimus, vt nulla in actu intelligendi sit compositio. Id placuit Aristoteli lib. 3. de An. cont.21. cùm dixit: *Indiuisibilium est intellectio in iis circa quæ non est falsum. In quibus autem est falsum aut verum, est compositio quædam conceptuum tanquam vnum existentium.* Sumit igitur intellectionē quæ fit simplex omninò apprehensio, quæ vera sit; ac proinde nullo modo contineat iudicium compositionis cui opponitur, in quo & falsum esse potest; vt etiam patet ex iis quæ ibidem subdit Aristoteles cont.26. vbi cùm dixisset omnem affirmationem vel veram esse vel falsam, his omnibus contraponit intellectum tali pacto: *Intellectus autem non omnis: sed qui est ipsius quid est secundum ipsum quid erat esse, verus est; non aliquid de aliquo*: hoc est ipsius definitionis ac simplicis apprehensionis; non autem propositionis, in qua aliquid de aliquo iudicatur. Idem habet Aristoteles eodem libr. 3. cont 51. *Intellectus* inquit ibi, *omnis rectus est.*

Quod licet intelligi quoque possit de intellectu qui est circa prima principia: tamen vniuersalius

uersalius magis verū est de simplici apprehensione, quæ semper recta est; vt dixerat in contex. 21. & 26. Cùm enim ea simplicior sit, quàm iudicium principiorū, minus in ea esse falsitas potest. Cuius rei rationē (quæ etiam facit ad præsentem doctrinā) tradidit Aristoteles lib. 9. Met. cont. 22. quia quæ simplici intuitu intelligūtur, necesse est non per partes intelligātur, sed tota; vt cùm simpliciter apprehendimus lapidem, rationale, album, rugibile, &c. Si autem tota res attingitur, verus est, reíque quam intelligit conformis actus. Nam alioqui, si eam rem non apprehenderet, ignoratio tunc diceretur esse, non falsitas. Si nāque res tota attingitur, intellectus tunc obiecto conformis est. Sin tota non attingitur, nihil percipitur. *Non attingere verò est ignorare* inquit eodem loco Aristoteles.

Aristoteles.

Quod verò per has simplices notitias maximè omniū propriè dicatur intellectus, patet euidēti argumento: Quia non aliā ob causam cognitio primorum principiorum, simpliciter dicitur intellectus nisi ob maximā cum eo qui est intellectus simpliciter, proportionem, & naturæ congruentiam; quia scilicet illa cognitio primorum principiorum ita in suum obiectum tendit, ac si simplici intuitu illud cōprehenderet, & sine progressione vt diximus. Quocirca Eustratius lib. 6. Eth. c. 6. com. 1. rectè docuit, cū dixit: prima principia esse *extrema quædam vestigia intellectus ac resonantias, quippe cùm circa hæc anima nostra intellectuali modo operetur, ad imitationem illius qui propriè est intellectus, & dicitur; & simplici appulsione ea percipiat; sineq; ulla ratiocinatione comprehendat.* Idem suprà dixerat eodem lib. c. 2. & c. 5. com. 14. Ergo multò magis cognitio illa simplex rerum dicetur intellectus simpliciter; quia simplicior est, & minus compositionis habet, quam propositio & prima principia quæcunque illa sint.

Eustratius.

Immò hoc ipsū patet ex Aristotele lib. 1. Post. cont. 38. seu 158. vbi has primas propositiones non priùs vocauit intellectum, quàm ostenderit ipsa in scientiis esse prima & inseparabilia; vt ita intellectus non sit quæcūque propositio immediata, & indemonstrabilis; sed prima omninò principia, à quibus immediatam propositionem discernit ac separat. Sic autem ibi loquitur Aristoteles: *Quemadmodum in aliis est principium simplex; vt in graui quidem vncia; in Musica diesis: aliud autem in alio; Sic etiam in syllogismo propositio immediata: in demonstratione autem & scientiis intellectus.* Ergo Aristoteli principia quæ sint intellectus, debēt esse prima, & omninò impartibilia. Alioqui non esset ratio cur vocarentur intellectus; & cur distinguerentur à propositione immediata quæ etiam suam veritatem per se habet.

Aristoteles.

Cùm itaque cognitio terminorum simplicior & impartibilior his omnibus sit, ex quibus conflatur propositio, & minùs variabilis: conceptus enim rerū sunt à natura, iidémque apud omnes gentes; vt habet Aristoteles lib. 1. Periherm. c. 1. & à quibus primorum principiorū veritas pendet; sicut composita à suis principiis; multò veriùs ac potiori ratione talis cognitio dicetur intellectus. Vt enim docet A. Doctor infrà q. 58. a. 4. Sicut simpliciora sunt prima principia ratiocinatione; ita simplex apprehensio primis principiis est simplicior. Ergo sicut principia prima ob simplicitatem comparatam ad discursum dicuntur intellectus; multò magis primæ apprehensiones ob maiorem simplicitatem compara-

A tam ad prima principia dicentur intellectus. Vt ita vbi est maior simplicitas in cognoscendo, ibi quoque sit potior ratio intellectus. Vnde Aristoteles lib. 12. Metaph. cont. 51. intellectum diuinum ait, si intelligit componendo, nec fore simplicem, nec habiturum totam suam perfectionem, sicut nec intellectus humanus. Ergo ex summa simplicitate in intelligendo summa habetur ratio intellectus.

Id quod omnium optimè obseruauit Philoponus in proœmio ad libros de Anima vbi ait; illam simplicem apprehensionem esse eorum tantùm, qui purgatissimis sunt animis, quique ad scientiæ fastigium peruenerunt: cæteris autem quasi vestigia ac simulachra intellectus B inesse; qualia sunt principia prima communésque notiones; vt Quodlibet est vel non est, &c. Quæ meliùs absque demonstratione quàm demonstrando cognoscimus. Vnde etiā idem Philoponus li. 3. de An. in cont. 21. eam quæ propriè est intellectio ait esse indiuisibilem, & cōcludit: *Omnia ergo intellectus indiuisibiliter intelligit: hoc est enim proprium intellectus, quod indiuisibilia colligat, & vniat, & ea indiuisibiliter intelligat.* Quia scilicet omnia intellectus reducat ad simplices terminos, ob quorum cognitionem verè dicatur intellectus, qua indiuiduè obiecta cognoscit.

Philoponus.

Quæ etiam causa est vt huiusmodi intelle-C ctionem, quæ propriè est intellectio, comparet centro, ratiocinationem circulo. Ita vt sicut in centro virtute continetur circulus; sic etiam in simplicium apprehensione sit propositio & syllogismus: *Nouit intellectus* inquit Philoponus, *indiuisibilia & ea quæ diuiduntur, sed indiuisibiliter & centricè nouit quæ diuiduntur: nam & centrum circulum seminis instar continet.* quia nimirum puncto dato circulus describi potest.

Philoponus.

Quod etiam ex Simplicio explicare non paucis nititur Theophilus Zimara libr. 1. de An. in cont. 27. & 47. & lib. 3. in cont. 21. Sanè Simplicius id fateri videtur apertissimè lib. 3. de Anim. cont. 3. cùm definit intellectum *illud esse quo ter-D minos cognoscimus*; & clarissimè eodem lib. in cont. 21. & 23. definit *intellectum quatenus intellectum, esse terminorum comprehensorem.*

Zimara. Simplicius.

Idem quoque Eustratius docuit lib. illo 6. c. 6. comm. 2. vbi vt suprà diximus ait, *intellectum qui essentia est intellectus, simplici appulsione percipere:* quod non potest facere intellectus noster *nisi per formas: Tunc enim vnamquamque rem simplici appulsione comprehendere potest.* Quibus omninò arbitrantur intellectum qua intellectus est, circa ea esse, quæ indiuisibiliter in simplici mentis obtutu vniuntur. Rationem verò circa ea quæ ex vno in aliud cognoscuntur. Ratiocinatio enim semper est de eo, quod intellectus apprehende-E rit simpliciter; Vt ex. gr. An animus sit immortalis, priùs oportet intellectus apprehendat simpliciter singulas partes, vt deinde se intellectus paret: vt circa illa tanquam circa centrum circumuoluatur, ratiocinando ex principiis.

Eustratius.

Quam doctrinam videntur hausisse ij Peripatetici ex Proclo in Timæum comment. 2. *Ratio* inquit *circumlustrat intelligibile; atque velut circa centrum agens & mota ita ipsum contemplatur, quippe intelligentia sine transitu temporario ipsum apprehendit: ratio autem vnitam in eo rerum subsistentiam.* Idcircò etiam com. 1. intellectū vocat impartibilitatē: *Intellectus* inquit est ἀμέρεια, id est impar

Proclus.

impartibilitas;& com. 2. intellectionē dicit esse supra rationem & *ἀμετάβατον*; hoc est non transeuntem ex alio in aliud;& com. 3. dixit: *rationem esse euolutam ac multiplicem*; ob dictas causas.

Socrates. Idem ante Platonem paucis cōplexus est Socrates apud Platonem in Symposio; vbi *intellectio* inquit *sine transitione; dianœa & ratio cum transitione; opinio cum ratione & sine causa sensus irrationalis, notio passionum*, &c. Lege Theophilum Zimaram

Zimara. lib. 2. de An. in cont. 64. pag. 155. col. 4.

Themistius. In eandem sententiam loquitur Themistius lib. 1. de An. in cont. 66. vbi definiens quid sit *intelligere*, expressis verbis docuit *esse simplices terminos apprehendere: At cognoscere esse terminos complexos iungere aut diuidere; ideoq; intelligere longè nobilius esse, quā cognoscere* quod probat duplici argumēto: *Primò, quia intelligere non possumus nisi verè; cognoscere etiā falsa. Deinde, quia intelligere est amplecti rem quam intelligat: cognoscere autem est tanquam circuire & lustrare rem ac circumspicere, nec accedere: eóque imbecillitas quædam rationis monstratur.* Constat ergo omnium Græcorum non solùm Peripateticorum, sed etiā Platonicorum ingenia eò conspirare, vt intellectus eiúsque propria operatio sit quantum fieri potest simplex & impartibilis.

Intellectus sumitur hîc ab A. Doctore pro immediato intelligendi principio, siue sit agens siue possibilis. §. 4.

HIs ita constitutis videndū est de altera propositæ difficultatis parte: In quo sensu nomen intellectus hîc sumatur apud A. Doctorem ex tam multiplici eius significatione, cùm negat intellectum possibilem, atque agentem in Angelis esse. Ad cuius rei solutionem sit

Vnica propositio. Nomen intellectus in hoc articulo ab A. Doctore sumitur secundum quod est proximum, atque immediatum principium intelligendi; quod substantiæ intelligenti hærere debet tanquam eius forma si adsit.

Probatur nostra propositio hac vnica ratione: Quia in ea significatione sumitur intellectus hîc ab A. Doctore, qua ab eodem hîc negatur esse in Angelis. At negatur esse in Angelis secundum quod est proximum atque immediatum intelligendi principium, quod substantiæ intelligenti hæreat tanquam eius forma si adsit. Ergo intellectus hîc ab A. Doctore sumitur, secūdum quod est proximum, atque immediatum intelligendi principium, quod substantię hæreat intelligenti tanquam eius forma si adsit.

Maior patet ex eo quod in eadē significatione negatur, qua de eo quęritur ac disputatur; quemadmodum accidit in reliquis omnibus; vt si disseratur de Angelico motu, in eodem sensu asseri debet aut negari, quo eius disputatio cōstituitur, & sic de cęteris. Ergo in ea significatione sumitur intellectus, qua negatur esse in Angelis.

Minor probatur, quia intellectus hic negatur in Angelis, secūdum quod est intellectus agēs & intellectus possibilis; vt retuli in articuli explanatione. Ergo negatur intellectus secundū quod proximum immediatúmque principium intelligendi: nam intellectus agens & intellectus possibilis eò sunt intellectus, secundū quod sunt principium proximum atque immediatū intelligen-

A di. Possibilis quidem, quia est principium intelligendi, quatenus suscipiendo species intelligibiles potest iis positis immediate producere intellectionem: Agens verò, quatenus immediatè efficit species intelligibiles in intellectu possibili; quæ species sunt quædam intellectiones nō quidem in actu secundo, sed in actu primo; Quod vtrumque patebit magis Difficultate sequenti.

Quod verò hęreat huiusmodi intellectus substantiæ intelligenti, tanquam eius forma si adsit, patet. Et primò de intellectu possibili; quia debet esse facultas instrumentalis ad actus vitales immediatè eliciendos in substātia intelligente, per quam ipsa substantia intelligens, tanquam causa primaria operetur, vt constabit Difficult. seq.

B Cùm enim hæc immediatè non agat vt suprà ostendimus, debet huiusmodi actus vitales promere per facultatem suam instrumentalem, quæ sit accidens ei hærens, vt suprà dictum est. Ergo si adsit, debet hærere substantiæ intelligenti tanquam eius verum accidens, & instrumentalis facultas ad intelligendum.

De intellectu autem agente patet eodem ferè modo; quia debet esse facultas ei substantiæ hærēs, in cuius intellectu possibili efformat species, rerúmque simulachra. Idcircò enim est facultas animo humano hęrens, vt dicam sequent. Diffic. Ergo si adsit, hæret tanquam eius accidens.

In hac tamen re obserua lector, me non asse-

C rere intellectum agentem esse duntaxat animi facultatem. Nunc namque non disputo, Vtrùm præter eiusdem animi facultatem, intellectus agens sit aliqua substantia animo assistens. Quare vnum affirmo, nempe ipsum esse prædictam facultatem. Alterum autem non nego nec affirmo, ipsum esse substantiam animo assidentem. De quo disputatum est suprà, & nonnulla subiiciemus infrà: quibus illustrari non mediocriter quæ de ipso constituta sunt superiùs possunt.

D *Quo pacto dicatur Intellectus agens, si non eliciat actum intelligendi, & quædam alia ad A. Doctoris mentem declarandam.* §. 5.

EX hac propositione ita probata Colligitur primò, intellectum agentem & possibilem non esse eodem modo intellectum, si intellectus agens non habeat aliud munus nisi abstrahere species à phantasmatis. vt multis videtur. Nam simpliciter intellectus est is, qui suum actum

E intelligendi promit, cùm intellectus dicatur ex eo quod intus legit & cognoscit; vt in Notandis declaratum est. Vnde vt ibidem diximus, ex eo quòd vario modo intus legit, vario modo dicitur intellectus. Ergo simpliciter intellectus, est possibilis, cuius munus est elicere actum ipsum intelligēdi ac legendi. Et hunc intellectum Aristoteles libro tertio de An. cont. 5. simpliciter vocauit intellectum, cùm illum definiuit *esse id quo intelligit atque existimat anima*; déque eo tanquam de simpliciter intellectu deinceps disputat quousque in cont. decimooctauo constituat de ipso intellectu agente, altera intellectus parte. Si ergo intellectus agēs vt multis videtur, non

non sit id quo anima intelligit; hoc est non sit principium actus intelligendi eliciẽs, sed id quo anima gignit imagines in sese; non potest eodem modo esse intellectus, atque est ipse intellectus possibilis.

Dicetur ergo horum auctorum sententiâ intellectus ab Aristotele eo cont. 18. & 19. & alibi ab effectu suo, quia scilicet elicit aliquo modo intellectionem; nempe speciem intelligibilem, quæ est intellectio in actu primo; atque ita facit intellectum completum in actu primo. Vnde patet si id ponatur; nempe intellectum agentem nihil intelligere, potiore ratione intellectum agentem dici intellectum, quàm sol seu lumen dicatur calidum. Sol enim dicitur calidus ab effectu; nempe à calore quem gignit apud nos; nec aliter calorem habet quo calidus dicatur. At verò intellectus agẽs nõ solùm dicitur intellectus, quia sua vi facit intellectum, illum complendo speciebus, verùm etiam quia aliquo modo facit intellectionem, quia eam facit in actu primo. Quemadmodum suprà diximus generans mouere grauia & leuia, quia motum efficit in actu primo, non autem illum elicit in actu secundo. Verumtamen vtrùm intellectus agens suos quoque intelligendi actus eliciat, dicemus accuratè Difficultate sequenti in posteriore eius parte.

Colligitur secundò ex dictis, licèt propriissimè intellectus sit principium eliciens actus intelligendi simplices; tamen hìc ab A. Doctore nõ sumi in eo sensus rigore. Primum patet ex dictis Notando quinto. Alterum verò probatur; Quia ostensum est intellectum sumi pro facultate substantiæ intelligentis ad suos actus, ita vt intellectus possibilis sit ille, qui suscipiendo species rerum ab intellectu agente possit iis positis elicere visiones. Ergo non potiùs ad has quàm ad illas est intellectus possibilis. Similiter de agente intellectu: is enim est qui in intellectu possibili prædictas efformat species intelligibiles. Ergo non est intellectus agens ad has potiùs quàm ad alias, ac proinde ad omnes.

At dicet aliquis, Ille est accipiendus intellectus possibilis, qui si Angelo hæreret, vsui esse posset ad intellectiones Angelicas. At huiusmodi esset intellectus ad solas simplices apprehensiones, quia in Angelo nõ sunt discursus aut cõpositiones conceptuum. Ergo hìc accipitur intellectus propriissimè, nẽpe pro principio eliciente solos actus simplices, non autem qui sit indifferens ad hos, ac cæteros intelligendi actus.

Respondeo primò concessa Maiore, Minorem esse falsam. Nam si intellectus possibilis Angelo hæreret, reciperet species ab intellectu agente ad phantasmatum præsentiam. Alioqui nõ esset ratio cur in eo ponendus esset intellectus propriè possibilis. Si enim species congenitas habet, non est ponendus, vt infrà constabit: Atque ita Angelus vt homo discurreret, iudiciáque componeret; quia intelligeret dependenter à phãtasmatis: ex quibus abstraherẽtur intellectiles species ac formæ, ad quas intellectus possibilis esset in potentia. Vnde vt suprà ostẽdimus & postea magis patebit; idem est intellectus possibilis & intellectus potentia. Intellectus autem potentia est respectu specierum, quibus ex se nudatur, completurque postea ope intellectus agentis. Quocirca Angelo intellectus possibilis vsui esset non solùm ad apprehensiones simplices; verùm etiam ad enunciationes ac ratiocinationes.

A Deinde respondeo, falsam quoque esse Maiorem. Nam non est ille intellectus accipiendus, qui si Angelo adesset, illi vsui futurus esset; sed ille qui de facto in Angelis negatur esse; quia illi non potest subseruire ad suas operationes; nẽpe ille intellectus possibilis, qui vsui est homini ad suas functiones non Angelo. Hoc enim pacto illum negat A. Doctor, quia cessat in Angelo causa, ob quam in homine ponitur; nempe vt recipiat species ab agente intellectu præsentibus phantasmatis; vt patet ex ratione articuli. Ergo huiusmodi sumitur intellectus, non quem illa propositio Maior significat, quam negamus.

At instabit aliquis: Negatur in Angelo esse intellectus possibilis ob hanc rationem solùm; quia

B scilicet Angelus intelligeret per species ab agẽte intellectu receptas. Ergo si Angelo hæreret, haberet quidẽ hoc, vt intelligeret per huiusmodi species; non tamen vt intelligeret discurrendo; sed secundum quod postularet Angelica natura. Ergo per simplices apprehensiones.

Respõdeo verum esse negari ob eam rationẽ, quia reciperet species ab intellectu agente. Sed aio ex hoc necessariò sequi vt Angelus intelligeret dependenter à phantasmate, & componendo, &c. Non enim recipere deberet species ab agente intellectu, si simplici intuitu operaretur; quia omnes haberet cõcreatas à Deo; vt patebit

C infrà q. 58. a. 3. & 4. vbi id ex instituto probat A. Doctor. Sanè intellectus possibilis deberet ideò recipere species ab intellectu agẽte, quia eas ex se non haberet; atque ita alterius intellectus ope indigeret in iis comparandis. Ergo quia deberet reduci ad actum ad præsentiam phantasmatum, vt in homine ponitur intellectus possibilis, & intellectus agens. Etenim deberet intellectus agens successione quadam producere huiusmodi species: alioqui haberet Angelus eas omnes congenitas; Quid enim aliud obstaret? Si autem successiuè: ergo deberet obiectis præsentibus determinari; vt nunc vnam produceret nunc aliam, ac proinde dependenter à phantasmate, vt

D eo loco dicetur fusiùs.

SECVNDA DIFFICVLTAS,

Vtrùm Aristoteli & Peripateticis detur vterque agens ac possibilis intellectus in homine.

NEc possumus vtrumque huiusmodi intellectum in Angelo rectè negare, nec nosse An A. Doctoris ratio de vtroq; rectè concludat; nisi

E prius nobis constet; Vtrùm iidem concedendi in aliis sint; & quænam eorum munera censeantur. Porrò hi vtrique intellectus negari solẽt in Angelis ob eã causam, quòd Angeli eas functiones obire nequeant, quas in hominis animo exercẽt; vt patet ex doctrina huius articuli. Hæc ergo priùs determinanda sunt; quæ quidem inter Peripateticos non omninò perspicua esse solent.

Quamuis autem ad doctrinæ facilitatẽ in primis conducere videatur, si nominum seu terminorum quæstionis explicationem priùs præmittamus, quàm de ipsa quæstione disseratur, ne in incertum finem disputatio peruagetur; Tamen in præsenti quæstione dum probabitur dari

vtrumque intellectum, simul quoque de vtriusque nominis significatione constabit. Ipsi enim Aristoteles & Peripatetici clarè definiuerunt, quid vtriusque intellectus nomine intelligunt, dum vtrumque in hominis animo dari constanter affirmarunt. Præmittam tamen aliquam rudem vtriusque intellectus nominis declarationem, ne cùm varia intellectus possibilis nomina quibus ab Aristotele appellari solet, afferuntur, lector in errorem his vocabulis nihil præmonitus delabatur. Ac primum de intellectu possibili dicendum est.

PRIOR DIFFICVLTATIS PARS

De Intellectu possibili.

Acceptiones variæ apud Aristotelem & Peripateticos. §. 1.

PRo huius nominis explicatione Notandum est, intellectum possibilem variis nominibus à Peripateticis appellari, vt eius imperfectio quam vno vocabulo nominare non poterant, pluribus vocabulis significaretur. Interdū enim appellatur intellectus potentia, seu potentiæ, seu etiam potestate, seu in potentia: quæ omnia eodem prorsus recidunt. Indicant enim huiusmodi intellectum posse quidem recipere suos actus seu formas rerúmque simulachra; ad quos actus dicitur esse in potentia, dum tamen eos nondum habet: Etenim si eos actus haberet, non diceretur intellectus potentia; sed intellectus actu, seu in actu, vt dicetur infrà. Dicitur autem hîc ab A. Doctore intellectus potestatis,
Aristoteles. propter eaquòd ab Aristotele lib. 3. de Anima cont. 8. hic ipse intellectus simili nomine appellatus est: *Quare neque ipsius intellectus vlla est*
Aristoteles. *natura*, inquit Aristoteles, *nisi hac quod possibilis*. Idē omninò ac si dixisset nisi quod potestate est ipsa forma; vt dicit eod. lib. cont. 6.

Interdum vocatur à multis intellectus nouissimus atque infimus præsertim à Simplicio;
Simplicius. quia in tota intellectus vniuersitate infimum locum tenet ob sui imperfectionem; cùm nihil sit actu eorum, quæ intelligit antequam intelligat: Cùm tamen cæteri intellectus nō sint Simplicio imperfecti, vt postea dicemus. Quam etiam ob causam A. Doctor suprà q. 51. a. 1. c. docet
A. Doctor. *animæ humanæ competere vniri corpori, quia est imperfecta, & in potentia existens in genere intellectualium substantiarum, non habens in sui natura plenitudinem scientiæ, sed acquirens eam per sensus corporeos à sensibilibus rebus*, &c. Eodem etiam modo aut etiam clariùs infrà q. 79. a. 2. c. comparans tres intellectus: diuinum, Angelicum, & humanum ait, *intellectum humanum qui est infimus in ordine intellectuū, & maximè remotus à perfectione diuini intellectus esse in potentia respectu intelligibilium, & in principio esse sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptū*, &c. Itaque intellectus humanus rectè dicitur nouissimus, atque infimus; quia in tota intellectuum serie infimum locum tenet. Vnde appellari solet à nonnullis Peripateticorum intellectus imperfectus; quia omne quod est in potentia, caret sua perfectione, & actu, quem respicit. Ad quam rationem videtur respexisse A. Doctor priore iam

A citato loco; vt ex eius verbis retulimus. Nō dissimili etiam ratione alij eundem intellectum vocarunt passiuum ex eo, quòd vnumquodque quod est in potentia ad perfectionem, ab alio reduci in illam debet, ac proinde aliquo modo patitur. Vt enim ait Aristoteles libro 2. de An. Aristoteles. cont. 24. *Omnia patiuntur & mouentur ab actiuo & actu ente*. Est ergo passiuus, quia cùm sit in potentia, ab alio formari debet ac pati.

Dicitur etiam præsertim à Simplicio procedens, proiectus, effluens, & similia, quia vt perficiatur Simplicius. cognitionibus, debet incipere ab externis sensilibus vnà cum sensibus circa singularia, vt deinde inducendo per singula ad generales cognitiones ascendat, quas suas non sensuum
B esse agnoscit. Atque ita procedit & proiicitur quasi foras è sensuum ianuis, nec in se manet, ac cùm vniuersalia apprehendit & quemadmodum agens, vt dicemus.

Dicitur tandem materialis, non quidem quia sit forma materiæ hærens, ab eáque dependeat in Esse. Hunc enim à materia atque organo corporeo liberum Peripatetici fatentur omnes omninò, vt ex suprà dictis constat, sed ob proportionem atque affinitatem quam cum materia habet; sicut etiam substantia intelligens dicitur causa materialis respectu suorum habituū, specierum atque actuum. Quemadmodum enim materia antequam formas suscipiat non est actu
C aliqua ex formis; sed potentia omnes; ita & intellectus antequam intelligat, nihil est actu ex formis intelligibilibus sed potentia omnes.

Quod optimè animaduertit Theophrastus Theophr. apud Priscianū Lydū lib. de phantasia & intelle- Pr. Lydus. ctu cap. 4. vbi de intellectu ait: *Quando intellectus cum materia comparatur secundum potentiam proportionis quandam, id asserendum est; & quatenus in potentia quadam est intellectus alter ad alterum. Sic enim intellectus animalis ad ipsum qui actu semper est intellectus atque separatus, meritò omnia potentia esse dicitur*. Et pergit eadem explicare. Cùm autem hic auctor dicit, intellectum esse in potentia ad intellectum qui actu est semper & separatus; agē-
D tem intellectum significat; quem vt Alexander Alexander. Deum esse arbitratus est.

Eadem de causa hunc ipsum intellectum materialem appellat Alexander libro suo 2. de An. Alexander. cap. 13. de intellectu materiali: *Materialem autem voco, inquit, non quod subiectum quoddam sit seu materia, sed quoniam materia quatenus materia est, proprium est vt omnia suscipere possit. Quæ in re & posse & quod potestate sit, quatenus est huiusmodi, materiale est. Ampliùs intellectus qui nondum intelligit, intelligere tamen potest, materialis vocatur*. Nec ab hac explicatione vllus ex cæteris Peripateticis dissentit. De hoc igitur intellectu, seu materialis seu possibilis, seu quouis alio nomine appelle-
E tur; quærimus; An Aristoteli & Peripateticis insit in hominis animo: postea verò de Agēte idem stabiliemus.

Intellectum possibilem in hominis animo concedi apertissimè ab Aristotele & veteribus Peripateticis. §. 2.

AD difficultatem ergo respondetur, & sit Prima propositio. Intellectus hic possibilis

bilis conceditur esse in hominis animo ab Aristotele & Peripateticis. Hæc propositio non aliter probari potest, quàm eorumdē ea de re sententias recensendo.

Aristoteles. Ex Aristotele tamen sic ostendi videtur posse; quia principium illud intelligendi, quo anima cognoscit & sapit, & quod lib. 3. de An. cont. 1. deinceps cōsiderandum proposuerat: paucis pòst (nimirum cont. 3.) explicans eius naturam dicit *impossibile & susceptiuum formæ & potentia tale*. Ergo concedit Aristoteles intellectum potentia in homine. Intellectum quidem, quia id quo anima intelligit, nō potest esse nisi intellectus, quia debet esse facultas animæ ad intelligendum; alioqui non esset id quo anima intelligit: ergo est intellectus. Potentia verò, quia est susceptiuum formæ & potentia tale, quod non est nisi intellectus potentiæ. Nam intellectus actu non est potentia formæ sed actu. In homine denique, quia intellectus quo anima intelligit, & est materialis, non potest esse nisi in hominis animo: cæteri enim intellectus separati sunt, ipsique per se intelligunt, actúque sunt Aristoteli. Quod colligi etiam confirmaríque manifestè potest ex iis quæ à nobis de intellectione Angelorum dicta sunt artic. primo præsentis quæstionis.

Eodem prorsus modo hoc ipsum probatur ex cont. 5. vbi similibus atque adeò clarioribus verbis idem docuit. Cùm enim in cont. 3. dixisset, prædictum intelligendi principium esse impassibile & susceptiuum formæ & potentia tale, & auctoritate Anaxagoræ comprobasset, *ipsum esse immixtum, ipsiúsque nullam aliam esse naturam, nisi quod possibilis*; Tandem cont. 5. vt certiùs constaret, de quonam illa dicta essent intellectu; concludens sic ait: *Qui igitur vocatus animæ intellectus; dico autem intellectum quo intelligit, atque existimat anima, nihil est actu eorum quæ sunt, antequam cognoscat.* Ergo intellectum potentiæ esse in hominis animo, ac proinde in homine, fatetur Aristoteles: Animus enim hominis ipséque homo est, qui per intellectum suum cognoscendo magis magisque proficit, quousque habitibus perficiatur. Vnde cont. 8. ibidem de eodem cum habitum acquisiuit, quo per se operari possit, dicit non esse eodem modo potestate atq; priùs fuerat; sed partim potestate, partim actu. *Cùm autem singula factus est* inquit *vt sciens dicitur qui secundum actum; hoc autem accidit cùm potest operari per seipsum; & est quidem tum potentia quodammodo*, &c. quæ omnia non conueniunt nisi intellectui quo homo cognoscit: Ergo intellectum qui potentia est, in homine concedit.

Aristoteles. Eundem intellectum Aristoteles fatetur apertè cont. 14. eiusdem libri vbi fermè repetit verba supradicta; additque solùm, ipsum esse veluti tabellam non scriptam: *Potentia quodammodo est intellectus intelligibilia, sed actu nullum antequam intelligat; oportet autem sicut in tabula, in qua nihil est scriptum actu: quod quidem accidit in ipso intellectu.* Quæ verba haud dubiè accipienda de hominis intellectu sunt, qui potestate intellectilia est antequam intelligat, cùm eorum speciebus careat. Non enim de alio superiore intellectu ea vera esse possunt. Si quidem in iis Aristoteli omnia descripta sunt; vt suprà ostensum est; & ideò non sunt potentia ipsa intellectilia: Ergo de eo qui hæret hominis animo: hic enim experientia teste est id quo proficimus intelligen-A do; & quo intelligendi species, habitúsque conquirimus.

Denique id apertissimum est in cont. 17. & 18. eiusdem libri 3. Probat enim sicut in omni natura sit oportet aliquid quod sit materia, & sit potentia omnia illa quæ fiunt in illa natura; & aliquid quod sit causa omnia illa faciendo; *sic etiam in anima necesse esse existere huiusmodi differentias. Et est quidem talis intellectus qui omnia fit; & est talis qui omnia facit*, &c. Ergo intra animæ genus est intellectus qui perficitur: quæro enim in quanam animæ specie reponeretur; si in hominis animo non contineatur? Non ergo potest dubitari, quin Aristoteli talis in homine detur intellectus, qui sit facultas & potentia ad intelli-B gendi actus promendos.

Nunc ad Peripateticos veniendum est, quorum dictis quippe prǽstantium interpretum clariora fient quæ ex Aristotele hactenus recensuimus. Theophrastus ab Aristotele primus inter Peripateticos, libro de Phantasia & intellectu sæpe huiusmodi intellectum potentia vocat nostrum, ac si supponat esse nostrum, quia nostris animis insit, ísque sit quo in actum perducimur; fiátque ipse actu intellectilia; eò quod hæc in ipso producantur, vt per sensus & ope intellectus agentis ad perfectas intellectiones animæ humanæ progrediatur. Vnum locum ex multis seligo. In capite igitur 5. cùm suprà proximè ante declarasset cur & quomodo dicatur intel-C lectus materialis & potentia, subdit apud Priscianum Lydum. *Ambigu* inquit Priscianus Lydus *Theophrastus quomodo vel intellectus noster intelligibilia fiat, vel ipsa intelligibilia fiant, quidve sit ibi pati: oportet enim ipsum quodammodo & intelligibilia fieri, & quandam ibi cadere passionem, si modo quemadmodum sensus ita & intellectus procedat in actu; potentia nimirum ab intelligibilibus.* Appellat ergo intellectum nostrum, qui quemadmodum sensus procedat & sit potentia ad actum, & formas intellectiles. Qui intellectus esse non potest nisi is quo intelligimus tanquam per formam nostram, & per quem progredimur ad scientias, quemadmodum per sensus, quibus tanquā per formas tendimus in rerum notitias, patimúrque D ab obiectis, quorum formas suscipimus.

Theophr.

Pr. Lydus.

Alexander etiam lib. 1. de An. cap. de Intellectu potentiæ seu materiali ait: *Intellectus autem potentiæ est is quem tunc habemus cum generamur & in lucem edimur*: Et paulò pòst ait, certissimum omnibus esse, hunc in nobis esse debere illis verbis; *Hunc verò & materialem vocari & esse nemini dubium est.* Vbinam esset si non in nobis forma? & idcircò dixit nos tum illum habere cum generamur. Vnde & eodem libro cap. de rationali virtute, ait; hunc intellectum potentia esse illum per quem acquirimus habitus: *Non con-E festim* inquit *gignitur homo hoc habitu præditus; sed idoneum dumtaxat excipiendi habitus potestatem habens deinceps habitum adipiscitur.* Ergo homo nascens habet intellectum potestate, per quem progreditur vt habitus scientiarios nanciscatur.

Alexander.

Themistius libro 3. de An. cap. 13. ait; *humanam animam sortiri intellectum potentiæ, vt per illam perficeretur atque absolueretur*; nempe formaliter: Nam efficienter ait absolui ab intellectu agente, quia *nihil à seipso absoluitur* inquit ibi. *Ab alio igitur.* Et ita probat; *duas esse differentias humani animi.* Idem dixerat cap. 18. initio. *Atque hic quidem*

Themistius.

dem intellectus inquit *qui potentia definitur à primo ortu paruulis contingit; cùm autem progredientibus ætatibus paulum iis firmitatis accesserit; tunc via sensuum & visionum ope; multáque huius generis exercitatione vniuersales notiones cognoscunt.* Vidésne quomodo ab ipso primo ortu; hoc est ab ipso conceptu noster hic sit intellectus; per quem sensuum adminiculo atque exercitatione vniuersalia cognoscimus? Vnde cap. 16. dixerat nos per hunc intellectum cogitare & consultare; & non semper nec eadem intelligere; sed nunc vnum nunc aliud; & ideò in nobis transitum esse de vna intellectione ad aliam: *Hunc intellectum* inquit *de potentia ad actum commeare nihil apertius, cùm neque semper neque idem intelligere videamur; sed aliud aliàs. Atque hoc iam argumento est intellectum talem iure potestatis vocari*, &c. Quibus nihil apertiùs dici potest, vt huiusmodi intellectum potestatis in nobis dari atque intelligendi principium esse comprobemus.

Philoponus. Philoponus in commentario suo ad cont. 33. lib. 3. ait: *Primum significatum intellectus, est in intellectus potentia ad res, sicut est in pueris*; & paulò superiùs cum Ammonio impugnauit Alexandrum quod dixerit, ipsam substantiam intellectus potentia esse in pueris non actu sed potestate. *Et non dixit* inquit Philoponus, *quod secundum eius operationem est potentia: quemadmodum qui est in pueris intellectus est secundum nos potentia, eò quod rerum formas nondum nouit; habet autem aptitudinem ad eas cognoscendas; & sic est potentia, eò quod eius actus nondum nouit ea quæ sunt.* Constat ergo Philoponum concedere inesse homini talem intellectũ, licèt malè intellexerit Alexandrum, qui vt vidimus, huiusmodi intellectum in pueris esse nunquam negauit; nec vspiam dixit, immo ne significauit quidem esse nihil.

Simplicius. Simplicius libro 3. de An. cont. 2. postquam dixerat propositum esse Aristoteli in hac tota tractatione, de ea loqui hominum substantia rationis compote, quæ in ipsis hominibus reperitur subiungit statim sic: *Quam sanè* inquit *ipse vocat intellectum; intellectum verò imperfectum qui in nobis est adhuc rudibus, nec valentibus rerum percipere nisi accidentia & affectiones.* De quo intellectu ad contextum tertium explicat vnde dicatur potestate. *Hac itaque ratione potestate est; & tanquam is qui aliunde recipiat, & tanquam adhuc imperfectus, & qui nondum receperit.* Rursus cont. 4. cùm dixisset hunc intellectum esse materialem eò quod purè ac sincerè à materia stat; quia absque vlla forma omninò est, impermixtum tamen quemadmodum Anaxagoræ est impermixtus, vt cuncta efficiat atque intelligat; in fine expositionis tandem concludit: *Hunc nostrum animæ intellectum remissè agere, vt absque vlla prohibitione particeps omnium efficiatur.* Quasi velit pedetentim ipsum progredi ne perturbentur rerum species; vt ita possimus ordinatim res omnes cognoscere, sensimque scientiarum habitus adipisci.

Denique præclarè omninò cont. 5. de eodem intellectu differit; cum intellectum hunc ait *iure dici ab Aristotele vocatum intellectum animæ, quia potestate tantùm sit; & nihil ex intelligibilibus formis existit actu.* Existimat enim Simplicius quòd valdè notari oportet, illum esse propriè intellectum, qui versetur circa propriè intellectilia.

Hæc autem ea esse, quæ substantiales termi-

A nos referunt; & quorum cognoscendorum nulla inest sensibus vis. Quamobrem cùm Aristoteles docet illius nullam esse naturam, verum id esse ait: *Si naturam accipiamus* inquit *intelligibilem & intelligentem: neque enim intelligit, neque intelligitur actu, potestatéque in horum vtrumque vergit antequam intelligat, donec imperfectus est.* Supponit ergo ipsum dum in nobis ad cognitionem rerum progreditur, non esse intellectum; sed posse fieri intellectum: Non quod ei desit natura & vis intelligendi; quia non perficitur nisi cognoscendo; sed quod dum est imperfectus, neque sit natura intellectilis (non enim in eo statu potest intelligere se ipsum) neque intelligens

B nempe intellectilia propriè dicta quæ vniuersalia sunt, ac naturas abstractas. Vnde subdit: *Licet enim sensibilia cognoscat, attamen intelligibilia non comprehendit, quæ substantiales terminos referunt. Ne intellectus quidem igitur est.* Nimirum actu sed potestate; vt paulò pòst ibi Simplicius ipse declarat. Puto autem nomine intellectilium quæ substantiales terminos referunt, ab ipso intelligi naturas vniuersales, quæ Ideas quarum sunt imagines repræsentant. Hæ namque substantiales termini Simplicio sunt. Sunt enim exemplaria ad quæ vt arbitratur Plato, ac Simplicius hac in re Platonicus vt suprà indicauimus, respicere debet quicunque operatur.

Auerroes. Auerroës etiam licèt de eius opinione multa

C dixerimus suprà, libro 3. com. 18. ait, *necesse esse in parte animæ quæ dicitur intellectus* esse partem animæ quæ dicitur intellectus materialis: & partem animæ quæ dicitur intellectus agens, *secundum quod facit istum qui est potentia intelligere omnia actu.* Et infrà cùm dixisset, intelligere nihil aliud esse quàm accipere intellectiones seu *species* vt ipse loquitur *imaginatas in actu*, subdit: *Necesse est vt hoc sit à causa agente ac recipiente: Recipiens igitur est materialis, & agens est efficiens*, nempe intellectus, *& cùm inuenimus nos agere per has duas virtutes cùm voluerimus, & nihil agit nisi per suam formam: ideo fuit necesse attribuere nobis has duas virtutes intellectus.* Concedit ergo Auerroës in animo ho-

D minis dari intellectum materialem. Et quidem præcipuè: quippe per quem distinguitur homo tanquam per formam à cæteris animalibus. Nã vt ait eodem libro 3. comm. 1. rationalis virtus, *qua comprehendimus comprehensione quæ dicitur cognoscere & intelligere* est diuersa ab aliis virtutibus animæ, *cùm per hanc virtutem homo differat ab aliis animalibus.* Quod etiam dicit libro 12. Metaphysic. comment. 38. & libro 10. Ethic. cap. 9. Id autem per quod homo differt à cæteris, debet esse in ipso homine: quia non differunt substantiæ per aliquid extrinsecus accedens, sed per suam formam intimam qua compositum constituitur. Ad eandem sententiam accedunt com-

E plures Arabes apud Auerroëm in libro de beatitudine animæ c. 1. & lib. 3. de An. post com. 5. in Digress. & in Digress. post comm. 36. vbi refert sententias Alfarabij, Abubacheri, Auēpace, Auicēnæ & aliorũ similiũ: quos piget vtpote penè dixerim barbaros in album illustrium Peripateticorum referre atque transcribere.

Albertus. Albertus lib. 3. de An. tract. 12. cap. 12. explicans intellectum possibilem, quem cap. 1. dixerat partem animæ, dicit: *Intellectus possibilis non est natura aliqua specificata per formam, quia id quod est potentia omnia, non potest esse specificatum: sicut nec prima materia specificata est per aliquam formam.* &c.

Hunc

Hunc autem intellectum possibilem vocamus intellectũ generaliter, per quem anima distinctè opinatur res probabiliter, & intelligibiliter vnum distinguendo ab alio, & cogitat cum ratione, &c. In eandem sententiam ferè singulis capitibus loquitur, præsertim c. 18. vbi fuse explicat dari duplicem intellectum in anima hominis, vt superuacaneum sit ea scrutari diligentiùs. Multa etiam habet Albertus in Summa de quattuor coæuis 2. p. quæ est de homine cap. *Quæritur quid sit intellectus possibilis*; & alibi tum in Summa Theologiæ tum lib. 2. Sententiarum.

Alensis. Alensis libr. 5. Metaph. in cont. 16. licèt non appellet expresse intellectum materialem aut potentiæ; tamen re ipsa illum expresse asserit in homine, cùm illum faciat in potentia ad perfectiores, & perfectiores animi notiones. *De natura* inquit *intellectus nostri, quod per confusum deuenit ad distinctum: quando enim intellectus noster debet explicitè intelligere, priùs occurrit ipsa res sub esse confuso*, &c. Longè clariùs in Summa Theologica 2. p. q. 69. m. 3. a. 1. huiusmodi intellectum possibilem expresse nominat, & in homine esse confirmat: *Anima* inquit *rationalis habet intellectum possibilem, tanquam vnam sui differentiam in cognoscendo*: Et paulò pòst; *Licèt anima rationalis sit* inquit *vltima formarum naturalium; nihilominus ipsa est possibilis; sed non eo genere quo est actus vltimus: est enim actus vltimus in esse; possibilis autem est respectu bene esse; scilicet cognitionis.*

A. Doctor. Tandem A. Doctor vt eius interpretationes in Aristotelis citatos locos omittam; in quibus expresse asserit, intellectum possibilem seu materialem, id expressis verbis docuit infrà q. 79. a. 2. vbi de intellectu quem in responsione ad 2. ex Aristotele vocat intellectum possibilem, ait: *Intellectus humanus qui est infimus in ordine intellectuum, & maximè remotus à perfectione diuini intellectus, est in potentia respectu intelligibilium, & in principio est sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum. quod manifestè apparet ex hoc, quod in principio sumus intelligentes solùm in potentia*, &c. & q. 87. a. 1. c. *Intellectus humanus* inquit *se habet in genere rerum intelligibilium vt ens in potentia tantùm, sicut materia prima in genere sensibilium; vnde possibilis nominatur.* Idem q. 88. a. 1. c. & alibi sæpè. Constat ergo homini inesse intellectum possibilem seu materialem.

De intellectu speculatiuo & intellectu secundum prudentiam & secundum sapientiam insint-ne omni homini opinione Aristotelis. §. 3.

Sed contra nostram hanc propositionem videri nonnullis potest difficile argumentum illud: Nam intellectus noster materialis seu potestate est etiam intellectus speculatiuus. Nam si per intellectum materialem homo intelligit, vt dixit Aristoteles in eo cont. 5. lib. 3. ergo per eundem homo etiam speculari debet: speculari enim est quoddam intelligere. At homini non

Aristoteles. inest intellectus speculatiuus: id enim affirmat Aristoteles, vt illi tribuit Gregorius Nyssenus

Greg. Nyss. initio libri de Homine: asserit enim Aristotelem existimasse intellectum contemplatiuum ad es-

Aristoteles. sentiam hominis nõ pertinere. Sanè Aristoteles lib. 1. de An. cont. 24. negat omnibus hominibus inesse intellectum secundum prudentiam: ergo multò magis negaret intellectum speculatiuũ,

A qui longè altior est quàm intellectus prudẽtiæ. Immò lib. 10. Eth. c. 7. de contemplatiua vita ait: *Ac talis quidem vita præstãtior esset quàm homini conueniret: non enim quatenus homo est ita viuit, sed quatenus diuinum quid in ipso est.* Ergo intellectus contemplatiuus non conuenit homini. Cui enim nõ conuenit contemplatio, neque intellectus contẽplatiuus eidem conuenire potest, quia vt docet Aristoteles lib. de Somno & Vigilia c. 1. *Cuius est potẽtia huius est & actus.* Deinde id ipsum sensit Auerroës lib. 3. de An. comm. 1. teste Theophilo Zimara in commentario ad eundem illum primum contextum versus finem. Certè Auerroës ibi ait Aristotelem *per cognitionem intendere cogni-* Auerroës. Zimara.

B *tionem speculatiuam; & per intellectum cognitionem operatiuam; cùm intellectus sit communis omnibus; cognitio autem non.* Ergo concedit intellectum qui sit cognitio practica inesse omnibus; negat tamen inesse contemplationem, ac proinde intellectum contemplantem. Ad hæc accedit etiam ratio; quod æquiuocè dicitur homo de sapiente, ac de rustico: Quod non esset, si intellectus contemplatiuus vtrique inesset.

Respondeo eandẽ intellectus potentiã sortiri varia nomina ex vario nostro intelligẽdi modo, eò quòd cõparetur inadæquatè ad diuersa actuũ genera: Etenim potest vna eadémque potentia, quæ plures terminos respiciat, nunc ad vnũ eorum restringi genus, nunc ad aliud, si nunc limi-

C tatè ad vnum, nunc ad aliud tendere, conspiciatur à nobis. Id patet in multis. Nã primò, nõ alia ratione materia prima dicitur habere potẽtiam, quam vocãt eductiuam & receptiuam, nisi quia eductiuam habet ipsa comparatam ad illas formas, quæ ex illa extrahi educíque dicuntur; receptiuam verò comparatam ad omnes formas quæ in ea recipiuntur, siue ab illa educantur, siue non educantur; vt est animus rationalis. De qua re latè diximus in primo libro Physic.

Deinde idem patet in voluntate; quæ vt docet A. Doctor infrà q. 82. a. 5. ad 2. quatenus respicit actus, qui sunt impugnatio noxiorũ dicitur irascibilis; quatenus verò bona appetit dicitur concupiscibilis. In diuinis idem necessariò

D dicendum est; Vt nimirum eadem diuina sciẽtia dici oporteat simplicis intelligentiæ, qua continet cognitiones rerum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec vnquam futuræ sunt: Eadem verò qua cõplectitur cognitiones eorũ quæ aliquo tempore sunt, scientia dicitur visionis; vt docet A. Doctor suprà q. 14. a. 9. Idẽ dico de volũtate quę nũc signi, nũc beneplaciti, nũc alio atq; alio modo, si ad diuersa cõponatur: De qua re A. Doctor suprà q. 19. a. 10. & 11. ibíque Commentatores.

Immò idem actus simplex voluntatis diuersè nominatur ad diuersos terminos relatus; Vt idẽ

E actus odij quo malum auersamur, sit actus fugę quatenus à malo se auertit; prosecutionis verò quatenus in oppositum bonum tendit. Omnis enim recessus ab aliquo, necesse est sit accessus ad oppositum bonum. Si enim ab aliquo faciem auerto, aliò eandem conuerto. Sanè cùm bonum sit adæquatum voluntatis obiectum, vt ostendi aliàs 1. 2. q. 8. a. 1. in omni actu debet esse aliqua in bonum prosecutio.

Similiter ergo in intellectu eadem facultas intelligendi qua respicit actus cõtemplationis, erit intellectus contemplatiuus; qua verò actus practicos seu operatiuos vt aiũt, erit intellectus practicus. Quare nõ mirum est, si vnus idémque intellectus

intellectus numero diuerso modo ad suos actus comparatus, vario etiam modo nomina sortiatur; Quæ doctrina est A. Doctoris infrà quæstion. 79.a.11. quam colligit ex Aristotele lib. 3. de An. cont. 49. Vbi habet: *intellectus qui propter aliquid ratiocinatur, & qui actiuus est differt a speculatiuo, fine.* Nimirum nō obiecto quod ab vtroque actu intelligitur; sed fine, quia cognoscēdo dirigit opus. Nam vt ait A. Doctor ibi ad 2. *Intellectus practicus veritatem cognoscit sicut & speculatiuus; sed veritatem cognitam ordinat ad opus*; nempe dirigendo actionem. *Scientia enim artificis* inquit idem A. Doctor suprà q. 14. a. 8. *est causa artificiatorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum*; hoc est per rationem secundum quam dirigit suas operationes; vt patet ex q. 22. a. 1. c.

Aristoteles.

A. Doctor.

Immo si veteribus Peripateticis fides vlla habenda nobis est; eadem facultas contemplatrix diuersis modis accipienda est. Nam Philoponus lib. 3. de An. in cont. 44. aliàs 76. duplicem facit intellectum contemplatiuum. Nam *vel est* inquit *contemplatiuus qui instrumento non vtitur; vel contemplatiuus qui instrumento vtitur*; deinde declarat eosdē terminos eo modo, vt mox dicā ex Simplicio.

Philoponus.

Simplicius autem plurimos facit intellectus contemplatiuos in proœmio ad librū de Anima; & lib. 3. de An. in cont. 35. & 39. Et quamuis in eo proœmio non explicitè diuidat intellectum sub hac voce intellectus; tamen re ipsa diuidit; quia facultatem animæ intelligentem in plura membra partitur; quæ sine dubio intellectus est. Hos ergo intellect⁹ vt vtroq; loco declaret, priùs quedā prolixè monet; quę paucis referre libet, vt quinā & quomodo intellectus vtatur instrumēto, nō solùm apud Simplicium, verum etiā apud cæteros rectè intelligamus, apud quos in similes loquēdi modos plerumque incidere necesse est.

Simplicius.

Ait ergo intellectū animæ sensilib. formis intelligēdis adminiculo sensuum ac phantasiæ vti; nec tamen esse idē cum phantasia; sed veluti nobilissimam facultatem phantasiæ famulatū sibi vendicare. Eius autem opera non egere in intelligibilibus formis præsertim immaterialib. percipiendis; nimirum iis quarum sensus non est capax. Ad quas formas intelligendas intellectus foras non protenditur: Ea verò intelligibilia maxime illucescere in vita separata; cum scilicet intellectus ad phātasiam se non demittet. Ex his recēset plures vt dixim⁹ intellectus speculatiuos.

Primus atque omnium infimus est actiuus & contemplatiuus, qui particularia sensilia respicit. In his enim semper particulare aliquod saltē in syllogismi Minore sumitur; vt cùm dicitur: Omne exitiale bellum est recusandum: hoc præsens bellū est huiusmodi: Ergo &c. Vtrisq; enim phantasia inseruit συνεργὸς; id est cooperatrix vt ipsa cognoscat singularia. Differunt tamen inter se: Quamuis enim vterque sit singularium; tamē alter singulariū est in iis aliquid contemplando; alter verò aliquid agēdo, seu practicè operando.

Secundus intellectus contemplatiuus est eorum, quæ in abstractione sunt; id est rerum Mathematicarum, quæ accidentia sunt corporis. Et ne hic quidem sine sensu intelligit: Neque enim aut ad se ipsū, aut ad rationes animæ insitas vim, actionémque conuertit; nec cognoscit ex causis accidentia. *Qua ratione* inquit Simplicius cōt. 35. *differre à naturali in secundo libro naturalis auditionis dicebatur*, sed ad phantasmata respiciens ex iis trahit rationes, speciésque vniuersales ex signis,

Simplicius.

A motū, numero, &c.

Tertius intellectus cōtemplatiuus est, qui naturales substantias, earúmq; formas substātiales spectat. Atque hic quidem sensu & phātasia per se nec vtitur nec eget, cùm certum sit substantias rerum intimas, sensui, phantasiæq; nō obuersari: Quocirca & ἀφανεῖς dicuntur. Verum est tamen huiusmodi intellectum quia in iis intelligendis versatur, quæ accidentib. tanquā indumentis vestiuntur; & valdè cum huiusmodi accidentib. sensilib. coniuncta sunt, aliquo etiā modo tūc phantasiam obturbantem obsistentémq; suscitari, vt nec omninò (licèt per accidēs) se intellectus sine phantasmatis exerceat, dum ea quæ diximus cōtēplatur. Itaque actus phantasię tantū abest vt iis

B intelligēdis requirantur, vt potiùs eorū cognitionē obturbent, atq; impediāt. Quippe quæ iis quę sine phātasmate sūt, sua phātasmata ita obtrudāt vt sine phātasmate cōcomitāte intelligi nequeāt.

Quartus intellectus etiā contemplatiuus est, qui circa animæ essentiā operatur, & quæ in ea sunt agnoscit. *Qualis* inquit Simplicius cont. 39. *est qui gignendæ scientiæ vim habet*: hūc enim intellectū vocat ἐπιστημονικὸν, id est sciētiariū; quia nimirū certitudo sciētiæ cōsistit in reflexione ad suos actus, & generalia principia quæ in animo sunt. Est enim sciētia per ea principia quib. se nō falli in suis obiectis cognoscendis sciat intellectus, &

Simplicius.

C id quod scitur nō posse aliter se habere; vt definit Aristoteles li. 1. Poster. cont. 5. seu 7. Et ideo rectè Simplicius in expositione 1. ad cōt. 1. lib. 3. de An. dixit: *Anima in conuersione ad seipsam perficitur*; Atq; ita hic intellectus optimè sciētiārius nominatur: Hūc autē nullo modo habere sociā phantasiā ex eo probat Simplicius; quia neq; ea vtitur instrumento, nā ea cōsiderat quæ sub sensū non cadūt; nec ex occasione phātasmatū excitatur, quia nec cōsiderat sensilia quę è phātasmatis eruūtur, quia in se cōuertitur, & in ea quæ sibi insita sunt; dum scilicet contēplatur suā circa eas res notitiā verā esse ac certā. Vt cùm cōsiderat se ex legib. præceptisq; artis se ratiocinatū esse, vera esse quæ ani-

D mo concipit; necessaria quæ tamquam propositiones contradictorias enunciat, &c.

Quintus denique intellectus quem eodē cont. 39. Simplicius vocat *supremū atque substātialem intellectum ipsius animæ: In hoc etenim primæ illæ intellectiones inueniebātur.* Vocat autē substātialem, quia actionē suæ substantiæ vnit, & maximè imitatur sinceros intellectus; & quē ait in eo cont. 39. & in proœmio citato dici ab Aristotele separatū; vt qui nihil ad sensum, phantasiámq; declinet: & hunc dicemus Simplicio esse intellectum agentem: de qua re in probatione nostræ secūdæ propositionis, dū Simplicij sententiā explicabimus. Atque hæc dixisse volui tū vt explicarē, varia dici posse

Simplicius.

E de vna eadémq; facultate; tum etiam ne varia ac recondita Simplicij de intellectu doctrina ignoraretur; quę plurimum adiumenti ad intellectus pleniorem notitiam conferre possunt. Quippe ad Platonis Aristotelisque de intellectu doctrinam explicandam non vulgaria.

Ad argumentū igitur dico, hominē intelligere quidem per intellectū, & per eundem speculari. Itē esto homini nō insit intellectus speculatiuus, aut intellectus secundū prudētiā; nego tamē hinc sequi nō inesse intellectū materialē, quo animus alia possit intelligere, quia intellectus speculatiuus & secundū prudētiā nō sunt adæquatè intellectus materialis; sed solū ad actus speculatiuos,

& pru

& prudentiæ inadæquatè reſtringitur.

Verùm aliter dicere quoque poſſumus ad argumentum; nuſquam ſcilicet dici ab Ariſtotele homini non ineſſe intellectum ſpeculatiuũ, licèt dicat in eo lib. 10. cap. 7. non conuenire homini qua homo eſt, vitam illam quę ex intellectu traducitur; nempe quæ ex ſolo intellectu deriuatur abſque ſenſuũ adminiculo: tũc enim huiuſmodi actio non eſt cõpoſiti, ſed ſolius animi. Quo pacto Ariſtoteles lib. 1. de An. cont. 66. ait cogitare, amare, aut odiſſe eſſe paſſiones compoſiti, non item intelligere, ſed ſolius animi; quia ſcilicet ad hanc actionem cum perfecta eſt; corpore inſtrumento non vtitur animus. Et ideò Ariſtoteles in eo cap. 7. ſubdidit, hominem cùm ita viuit; nẽpe ex intellectu *non viuere quatenus homo eſt ſed qua ei nus diuinum quid in ipſo eſt*; nempe qua intellectum habet; quia, vt ibidem ſubiicit paulò pòſt, *Intellectus diuinum quid eſt*. Illa ergo operatio non cõuenit homini qua homo eſt; hoc eſt qua ex animo corporéq; conſtat; quia talis operatio ex eo non proficiſcitur; ſed qua intellectus in eo eſt, cuius principium eliciens nullo ſenſuum adminiculo eſt ipſe intellectus, animúſque intelligẽs: de qua re ſuprà fuſiùs diximus. Quamobrem non negat Ariſtoteles in homine eſſe intellectum ſpeculatiuum, ſed negat eius operationem elici ab homine, qua compoſitum eſt; vt cogitare, amare, odiſſe & quæcunque huiuſmodi ſunt, quæ non ſine corporis concurſu exercentur.

Ariſtoteles. Ad illud de intellectu ſecundum prudentiam dico, Ariſtoteli nõ ineſſe omnib. hominibus perfectè, & ſimpliciter; nimirum ita vt omnes homines verè ex illo prudentes dici ac denominari poſſint. Nam intellectus ſecundum prudentiam eſt is qui habitu prudẽtię informatur. Vnde prudentia *eſt habitus vera cũ ratione actiuus, circa ea quæ bona vel mala homini ſunt*; vt definiuit prudentiam Ariſtoteles libr. 6. Ethic. c. 5. eſt inquã habitus intellectui ſuperueniens. Nam vt docet idem Ariſtoteles lib. 2. Top. cap 4. *Prudens natura nullus*. Siquidem cũ nemo natura ſua bonus ſit, quia virtutes morales à natura non conferuntur, ſed aſſuetudine comparantur; vt idem Ariſtoteles demonſtrat libr. 2. Ethic. cap. 1. neceſſe eſt nec prudentem eſſe poſſe à natura. *Prudens* namq; inquit Ariſtoteles lib. 6. Ethic. c. 11. *nemo eſſe poteſt niſi ſit bonus*. Rectè igitur dictum ab Ariſtotele circa intellectum ſecundum prudentiã non ineſſe hominibus omnib. quia non omnes prudentiæ habitu exornantur. Neque enim omnes rectè conſulere de iis quæ ad benè viuendum conducũt queunt. Quod proprium eſſe prudentis docet Ariſtoteles lib. 6. Ethic. cap. 5. & cap. 7.

Eodẽ modo nec intellectus omnibus ineſt ſecundum ſapientiã; hoc eſt ſecundùm illum habitum perfectiſſimum, quo res præſtantiſſimas exquiſitè ſcimus teſte Ariſtotele libr. 6. Ethic. c. 11. Ariſtoteles. Etenim vt docet idẽ Ariſtoteles lib. 1. Met. ſum. 1. cap. 2. initio, talem de ſapiẽtia notionem habent vniuerſi homines: *Primò* inquit Ariſtoteles, *opinamur ſapientem maximè omnia, vt poſſibile eſt ſcire &c. Deinde illum qui difficiliora, neque ſcitu facilia homini cognoſcere poſſit, ſapientem exiſtimamus &c. Item illum qui certior ac magis docere valens cauſas reddat, ſapientem in omni ſcientia eſſe*: Et alia nonnulla ſubiungit; vt; quod maximè ſui gratia ſit, nõ aliò referatur; nec alteri ſcientiæ ſubſeruiat ipſa; ſed ei cæteræ famulentur. Hunc ergo habitum quem non à natura ingenitum, ſed diſciplina acquiſitum, docet Ariſtoteles lib. 6. Ethic. cap 11. ſeu potiùs intellectum tali habitu prædictum dicimus intellectũ ſecundum ſapientiam, nec ineſſe omnibus hominibus. Itaque etiamſi homines intellectu huiuſmodi careãt; non tamen ſequitur abſolutè hominibus non ineſſe intellectum, qui potentia & facultas eſt ad ſuſcipiẽdum ſapientiæ intellectũ.

Ad illud ex Nyſſeno dico me nihil tale reperire in eo libro; ſi tamen id alicubi dicit, intelligendum videtur de intellectu ſpeculatiuo perfecto, quo homo poſſit contẽplari nullo ſenſuum adminiculo: Et ita verũ eſt ad eſſentiam hominis non pertinere; hoc eſt ad eſſentiã hominis quatenus homo eſt ſecũdum quod compoſitum eſt ex anima & corpore; vt ibidẽ rectè explicat A. Doctor, cùm talis operatio ſit ſolius animi vt diximus; & patet etiã ex iis, qui animo à ſenſib. auulſo in ecſtaſim rapiuntur, ac diuina patiuntur, & quaſi relicto corpore contẽplantur. Cũ ergo homini inſit contẽplatio aliqua; & intellectus contemplatiuus inerit: contemplatio enim quædam vita eſt, quæ à ſuo principio non auellitur, ſed illud ſupponit neceſſariò etiam vt ſubiectum in quo recipiatur. Nyſſenus.

De Auerroë vix curãdum arbitror, cuius doctrina ſemper ſuis confuſionem aſſeclis parit. Tamen ad illum locũ non difficilis eſt reſponſio; quia eſto non ſit communis contemplatio; neque intellectus qua cõtemplatiuus; nempe perfectus; ob id tamen non conficitur, homini non ineſſe intellectum materialẽ, quod contendit obiectio.

Ad rationem denique aio eodẽ modo, etiamſi non inſit intellectus ſub ratione intellectus contemplatiui; ineſſe tamẽ intellectum materialem, qui eſt facultas ad plura ſe porrigens quàm intellectus cõtemplatiuus. Nego etiam æquiuocè dici hominem de ſapiente, & ruſtico, quia vterq; eſt eſſentialiter homo, licèt æquiuocè dicatur de vtroque homo ſapiens; æquiuocè inquam hoc eſt analogicè; vt hoc nomẽ accipit A. Doctor hic; vt videbimus infrà. Ex his ergo conſtat dari in homine materialem ſeu poſſibilem intellectum. Nunc de intellectu agente dicendum eſt.

QVOAD POSTERIOREM HVIVS DIFFICVLTATIS attinet partem;

De Intellectu ſcilicet agente.

Probabile eſſe ab Ariſtotele concedi intellectum agentem qui ſit animi facultas, certum verò eſſe à pleriſque Peripateticorum affirmari. §. I.

Secunda ſit propoſitio: Intellectum agentem qui ſit animi facultas, concedi ab Ariſtotele probabile videtur: Certum verò eſt à pleriſque Peripateticorum affirmari. Dico certum à pleriſque: quia de multis ex illis quid ſẽtire oporteat, ſuprà ſatis conſtitutum eſt. Dico etiã ab Ariſtotele concedi eſſe probabile; quia licèt certum ſit Ariſtotelis opinione concedendũ eſſe intellectũ agentẽ; vt patet ex li. 3. de An. c. 18. tamen nõ ita certũ eſt, huiuſmodi intellectũ eſſe facultatẽ animo hærentẽ, ſicut eſt intellectus poſſibilis & materialis. Nã quod ait eo loco cont. 17. nimirũ quia in Ariſtoteles.

in omni natura est aliquid sicut materia, & aliquid quod sit efficiens, *necesse & in anima existere has differentias*; nempe patientis & effectricis causæ, non omninò clarè probat, huiusmodi agentem intellectum esse animi facultatem eidem animo inhærentem; sicut est intellectus possibilis & materialis. Nam sicut non est necesse, cùm Aristoteles dicit: *In omni natura*, intelligatur, in omni indiuiduo etiam substantiali esse agentem & patientem causam: (cùm enim homo fit calidus ab igne aut illustratur à sole, solùm in natura hominis est patiens materia non effectrix causa); ita nec necesse est, cùm dicit oportere in animo esse has differentias, intelligi debere in eodem animo, eodémque indiuiduo vtramque causam inesse.

Quod manifestè patet, quia nihil ampliùs debet continere argumenti consecutio, quàm in eiusdem argumenti principiis contineatur. At in argumenti principiis non continetur, quòd in omni natura indiuidua debeat esse effectrix patiénsque causa. Ergo neque in consecutione; nempe quòd in eadem anima debeat dari patiēs effectrixque facultas. Minor vt probetur conficere oportet syllogismum, quo probare nititur Aristoteles in eo cont. 17. suam hanc consecutionem; quod scilicet in anima sit intellectus agens, & intellectus patiens: sic autem formari potest: quod in omni natura datur, in anima quoque dari oportet; sed in omni natura datur agēs & patiens; ergo & in anima *necesse est existere has differentias*. Vnde infert cont. 18. *esse talem intellectum qui omnia fit; quidam verò qui omnia facit, vt habitus quidam, quale est lumen.*

In hoc ergo syllogismo clarum est, principia non continere, vt in quacunque natura indiuidua sit duplex potentia, altera patiens, altera effectrix eius effectus, qui in ea extat, etiamsi connaturalis sit. Immo aio nec posse esse in multis actibus: Nam cùm quis videt lucem aut album &c. audit sonum, odorem percipit, & similia, patitur oculus recipiendo species sensibiles; auris sonum ipsum vel soni species, &c. & tamen causa efficiens earum rerum in anima non est; quia vt ait Aristoteles libro 2. de An. cont. 59. *Huiusmodi actiua operationis extra sunt; vt visibile & audibile: similiter autem & reliqua sensibilium.* Ergo non in omni natura indiuidua si est facultas recipiendi species, in eadem datur facultas eas efficiendi. Præterquam quòd Aristoteles ea attributa intellectui agenti ascribit, quæ substantiæ non facultati conuenire videri possunt; vt quod ait cont. 19. quod sit separabilis, immixtus, impassibilis, substantia, actio. Vnde & Alexander, Themistius, Auerroës, & alij non infimi inter Peripateticos ordinis, vt suprà vidimus, intellexerunt huiusmodi intellectum esse substātiam, quæ humano animo, eiúsque intellectui potentiæ perpetuò assideret.

Posito ergo quòd non ita clarè ex illis verbis probetur esse talis facultas, aliunde eam colligere nos debemus, & idcirco diximus id probabile esse: non autem diximus aut certum aut euidens.

Prior igitur nostræ propositionis pars probanda est. Prius autem quàm ea argumentis nostris comprobetur:

Notari oportet, dupliciter posse intellectum esse ac dici causam efficientem intellectionis, quandoquidem si est intellectus, ad intellectionem efficiendam concurrat necesse est, vt suprà diximus. Primò quidem, quia sit causa eliciens ipsum actum cognitionis; & hoc pacto intellectus materialis & possibilis est causa efficiens, quia is est *intellectus quo anima intelligit*, vt dixi supra. Alio modo, vt sit causa efficiens eius quod constituat intellectum possibilem ita in actu primo, vt inde sequatur intellectio ipsa, quæ est actus secundus. qua ratione generans & remouens prohibens, quia producunt in graui & leui principia, ex quibus sequitur motus, dicuntur causa motus in grauibus & leuibus ab Aristotele libro 8. Phys. cont. 33. vt fusiùs à nobis suprà ostensum est; quod etiam approbat A. Doctor 1. 2. q. 9. a. 6. c. Iam ergo intellectus agens (posito quod suprà dicebam multis videri, quòd scilicet nihil intelligat, sed species formet è phantasmatis) non potest dici causa effectrix intellectionis primo modo: etenim intellectus possibilis est id quo anima intelligit: Is enim est qui omnia fit recipiendo species intellectiles, & in quo sunt habitus; determinatúrque ad hanc vel illam intellectionem eliciendam; vt patet ex Aristotele lib. 3. de An. à cont. 5. vsque ad 10. & probat A. Doctor infrà q. 79. a. 2. Debet ergo esse agens secundo modo, quia efficit id quod constituit intellectum possibilem in actu primo, ex quo deinde sequitur intellectio. Pro qua re

Notandum secundò, aliquid producere aliquid quod constituat principium eliciens intellectionis in actu primo, posse adhuc dupliciter sumi. Primò quidem producendo species in intellectu possibili, quibus positis intellectus eliciat actus suos: quo pacto Aristoteles in eo libro 2. de An. cont. 59. dixit *actiua operationis* sensationis *esse extra*. Id enim quod species rerum, è quibus sequitur visio producit, ipsam visionem efficere dicitur; vt generans dicitur mouere grauia & leuia. Secundò, quia imprimat initium, vnde pendeat series consequentium cogitationum seu actuum intelligendi, dum idem intellectus ex notis ad ignota progreditur.

Etenim hac quoque ratione mouetur intellectus ad intelligendum efficienter ab eo, quòd huiusmodi initia imprimit, vt rectè obseruat ac docet A. Doctor 1. 2. q. 9. a. 4. vbi ostendit volūtatem non se mouere ad primum actum, sed necesse esse moueri ab extremo principio, quod primum affectum imprimat, ac proinde primam præuiam cogitationem, ex qua affectus ille in bonum exoriatur; & ad hoc rectè citat Aristotelis locum ex libro 7. Moral. Eudem. cap. 18. vbi etiam Aristoteles contendit, initia rationum esse à Deo: *Neque enim* inquit *consultans consultauit, sed principium est quoddam: neque cogitans cogitauit id prius cogitare; atque in infinitum eiusmodi fiat progressio*: & concludit, *quoddam esse principium extra quod, aliud nullum reperiatur*: de quo principio cùm quæritmus ait, *perinde esse ac si principium motus in anima quid sit inquiratur*: Constituit autem, hoc principium debere esse aliquid scientia, intellectu, ac voluntate præstantius, ac proinde esse Deum, nósque moueri *ab inexistente in nobis numine*. Atque ita vt loquitur libro 2. Magn. Mor. cap. 8. versus finem, *oportet primum innasci impulsum quendam irrationalem, qui producatur.* Ergo intellectus hic initia consequentium cogitationum constituens, est quidem Aristoteli in hominis animo; sed est numen quoddam assistens ac impellens, intellectu nostro ac voluntate præstantius.

Quod

Quod etiam magis declarat versus finẽ eiuſmodi capitis 18. in eo lib. 7. Moral. Vbi duas felicitatis ſpecies eſſe decernit. Alteram diuinam, cùm ſcilicet felix Deo intrinſecus animum impellenti paremus. Alteram verò cùm non eſt huiuſmodi impetus, ſed dum aliud agimus caſu contingit felicitas etiam dormienti. Illam dicit eſſe frequentiſſimam; hanc raram. *Patet autem* inquit *quod ſpecies felicitatis duæ ſunt. Altera diuina, ideóque qui felix eſt, numine adiutum aliquid feciſſe dicunt. Is autem eſt qui iuxta imperium diuinum aliquid facit. Alter eſt, qui aliquid præter hunc impetum facit. Irrationabiles verò ambæ: ac illa frequens magis felicitas eſt, iſta frequens minus*, &c. Conſtat itaque dari talia intrinſecus principia quæ animo aſſident, eúmque cogitationibus ſtudiiſque variis in diuerſa rapiunt. Quamobrem poteſt hic quoque intellectus dici mouens & effectrix cauſa cogitationum, eo quòd initium imprimat cogitandi. Atque ita exiſtit difficultas de vtronam intellectu agente Ariſtoteles intelligat, cùm lib. 3. de An. cont. 17. & 18. oſtendit agentem dari intellectum: Nam ſi intelligat intellectum hoc ſecũdo modo, intellectus agens erit ſubſtãtia, ſi alio modo, poterit eſſe facultas. Pro qua re

A. Doctor. Notandum eſt tertiò pleriſque in locis hac de re ab A. Doctore diſputari: Nam primò q. de ſpiritual. Creatu. a. 10. cõfutat eos qui dicebant, intellectum agentem *eſſe infimum ſubſtãtiarum ſeparatarum, quæ ſuo lumine continuantur cum animabus noſtris*; atque hos ait repugnare veritati fidei: Quod rectè tribus argumentis probat; quæ omnia eò tendunt, vt oſtendat, lumen intelligibile formaliter eſſe in anima à Deo per creationem; non autem eſſe ſubſtantiam creatam tanquam animi forma intelligens. Poſtea, quod ad rem noſtram facit, oſtendit id non dici ad mentem Ariſtotelis, qui libro 3. de An. cont. 18. ait intellectum agentem eſſe lumen receptum in anima noſtra à Deo: ergo non eſt ſubſtantia creata. Item in q. vn. de An. a. 5. c. ait: *Fides Catholica Deum & non aliquam ſubſtantiam ſeparatam in natura, & in anima noſtra operantem ponit*; nempe à qua primò lumen deriuetur, vt mox dicam. Ait ergo ibi, oportere eſſe principium ſeu facultatem in anima noſtra, per quam fiant intelligibilia actu. Nam præter cauſas generales; vt ſunt cœleſtia corpora, & ſubſtantiæ abſtractæ, requiruntur particulares facultates in cauſis particularibus. Immò addit: *ſi intellectus agens ponatur aliqua ſubſtantia ſeparata, ſequi aliquid fidei noſtræ repugnans*. Negat ergo intellectum agentem eſſe ſubſtantiam; ac proinde putat ipſum eſſe facultatem in animo: ex quo ait ab Ariſtotele lib. 3. de An. cont. 18. rectè dictum eſſe; *quod intellectus agens eſt vt habitus quidam & lumen*.

Denique in hac p. p. prætermittens cenſuram ac notam circa oppoſitam ſententiam q. 79. a. 4. ait, dato quod ſit ſubſtantia ſeparata, adhuc debere poni facultatem, quæ ſit intellectus agẽs in anima, *quia præter vniuerſales cauſas agentes ſunt propriæ virtutes inditæ ſingulis rebus perfectis*, &c. *non enim ſolùm ſol generat hominem, ſed eſt in homine virtus generatiua hominis.* Et ideò improbat Platonis ſententiam, qui referẽte Themiſtio intellectum agentem comparabat ſoli, ex quo putabat ipſum naturale lumen deriuari in animam; aitque talem intellectum qui ſol ſit, *ſecundum fidei noſtræ documenta eſſe Deum, qui eſt creator animæ*; nempe à quo omne lumen intellectus emanat. Quocirca (Plato.)

A vt modò dicebam, cum docet cauſam quæ illuſtrat intellectum eſſe Deum, non aliquam intelligentem ſubſtantiam, intelligit eam quæ tanquam primaria lucis cauſa illuſtret, non quæ ſecundariò. Nam vt magis deinceps patebit, tanquam ſecundariam cauſam non negat A. Doctor Angelum eſſe poſſe. Præterea ibidem a. 5. c. nullam contrariæ ſententiæ notam inurẽs hoc ſolo argumento probat, intellectum agentem debere eſſe aliquid in anima; quia ſcilicet, *ſi intellectus agens non eſſet aliquid animæ, ſed eſſet quadam ſubſtantia ſeparata, vnus eſſet intellectus agens omniũ hominum, & hoc intelligunt qui ponunt vnitatem intellectus agentis: ſi autem agens intellectus ſit aliquid animæ; vt quadam virtus ipſius, neceſſe eſt dicere quod ſint*
B *plures intellectus agentes, ſecundum pluralitatem animarum.* Quibus verbis obiter animaduertes eam ſubſtantiam negari ab A. Doctore eſſe intellectum agentem, quæ ſit vna in omnibus hominibus, & ſit omnium hominũ vnus intellectus. vt etiam fuſiùs deinceps dicam. Sed quod nunc ad rem præſentem attinet, concludendum eſt videri contrariam ſententiam quæ docet intellectum agentem eſſe aliquam ſeparatam ſubſtantiam, ab A. Doctore non ſolùm improbari vt falſam, ſed notari vt periculoſam. Verumtamen (A. Doctor.)

Notandum eſt quartò, ab A. Doctore non negari iis aut ſimilibus locis poſſe aliquam ſubſtantiam ſeparatam eſſe intellectum agentem in (A. Doctor.)
C aliquo ſenſu. Nam ſi per intellectum agentem intelligeretur is intellectus, cuius munus eſſet illuminare ſubſtantiam intellectualem, & immittere in illam cogitationes, quemadmodum vnus Angelus illuminat alium, & Angeli edocent homines, nullo modo negaret A. Doctor intellectum agentem eſſe ſubſtantiam ſeparatam. Immò id expreſsè conceſſit in hac q. 54. a. 4. ad 2. vbi de ſubſtantia illuminante, hoc eſt de Angelo qui alium illuminat ait: *Si quis autem hac velit vocare intellectum agentem & poſſibilem æquiuocè dicet, nec de nominibus eſt curandum.* Certum enim eſt vt etiam infrà ſuo loco dicetur, intellectum Angeli eſſe in potẽtia ſimpliciter ad multa, quæ non cognoſcit, & poſſe ab alio reduci ad
D actum. Dixit *æquiuocè*, id eſt non propriè, nempe eo modo quo ſumitur intellectus agens, quemadmodum ſuprà dixit Angelos æquiuocè moueri localiter; nempe eo modo quo corpora mouentur, & vt conſueuimus ea quę mouentur appellare, moueri, tranſire, &c.

Cùm igitur A. Doctor negat ſubſtantiam à materia auulſam eſſe intellectum agentem, triplici in ſenſu id intelligit. Primùm quidem eo modo quo voluit Plato; nempe aſſerendo ipſum intellectum agentem eſſe hominis Ideam, cauſam & originem primariam intelligendi: cuius (A. Doctor. Plato.)
E ſcilicet participatio eſſet noſter intellectus, qui nullo alio modo intelligat niſi quia magis ac magis eius intellectionem participat; quemadmodum aër magis ac magis illuminatur, ſi magis ac magis lumẽ ſolis participet. Quã ob cauſam Plato intellectum agentem comparauit Soli, vt patet ex Themiſtio referente A. Doctore infrà q. 79. a. 4. & q. vn. de ſpiritual. creatu. a. 10. c. & expreſſiùs libro 2. contra Gent. cap. 76. ratione 4. Secundò negauit eo modo qui placuit Auerroi, quòd ſcilicet eſſet ſubſtantia informãs intellectum poſſibilem, cuius eſſet formalis intellectio; vt patet ex Auerroë pluribus in locis (Auerroës.)

quos suprà diximus, & citatos habes apud A. Doctorem q. illa de spiritual. creatu. a. 10. c. & nonnihil de Auerroë dicit in eo 2. con. Gent. loco cit. in confutat. 1. Respons. ibi relatarum. Tertio modo reprobat talem intellectum eo

Alexander.

modo quo ponebat Alexander; nẽpe esse Deum sine vlla animi nostri facultate; vt patet ex loco cit. contra Gentes, & ex aliis ferè locis. Hos ergo tres dicendi modos confutandos sumpsit A. Doctor, vt etiam benè obseruauit Caietanus q. 79. infrà a. 4. & Ferrariensis lib. 2. cont. Gent. c. 76.

Caietanus. Ferrariensis.

Cuius etiam ratio esse potest; quia his tribus solummodo modis absurdum est ponere talem agẽtem intellectum: Nam vel ponitur esse substantia abstracta cum facultate animi, quæ sit vis efficiendi species; vel sine facultate. Si primũ, modò illa substantia non censeatur prima simpliciter intelligendi causa, vt censuit Plato; id non putat absurdum A. Doctor, nisi quòd non est proprie intellectus agens, vt vidimus ex hoc a. 4. Vnde in ea q. 4. de Spirit. Creat. a. 10. cõcedit, Deum posse dici illustrare phantasmata tãquam principium primũ, non tanquam facultatẽ animæ, ac proinde non tanquam proprie intellectũ agentem. Si secundum: Ergo nullo modo potest esse substantia abstracta intellectus agens; vt patebit ex rationibus A. Doctoris. Pro qua re

Notandum quintò, solam substantiam abstractam sine vlla animi facultate non posse esse intellectum agentem, his rationibus probari ab A. Doctore. Primò enim probat infrà q. 79. a. 4. aduersus Platonem; *quia solus Deus est creator animæ, & in quo solo beatificatur; vnde ab ipso lumen intellectuale participat secundum illud Ps. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* ergo non participiat primò ab illis Ideis quæ Deus non sunt; & hoc ait esse *secundum nostræ fidei documenta.* Confirmat id ipsum A. Doctor in ea q. de Spiritual. Creatu. a. 10. c. *quia id repugnat multipliciter veritati nostræ fidei: Primò quidem, quia cùm istud lumen intellectuale ad naturam animæ pertineat, ab illo solo est, à quo anima natura creatur. Solus autem Deus est creator animæ, non autem aliqua substantia, quam Angelum dicimus; Vnde relinquitur, quòd lumen intellectus agentis non causatur ab aliqua substãtia creata. Secundò, quia vltima perfectio vniuscuiusque agentis est, quod possit pertingere ad suum principium: Vltima autem perfectio, siue beatitudo hominis est secundum intellectualem operationem, &c. Si ergo principiũ & causa intellectualitatis hominum esset aliqua substantia separata, oporteret quòd vltima hominis beatitudo esset constituta in illa substantia creata; & hoc manifestè ponunt ponẽtes hanc positionẽ. Ponunt enim quòd vltima hominis felicitas est continuari intellectui agenti.* Verũ ergo est quod modò dicebamus, ab A. Doctore improbari substãtiã, quæ ita sit intellectus agens, vt sit prima illustrationis causa & origo.

A.Doctor.

Addit etiam tertiò, sequi fore vt homo non esset factus ad imaginem Dei, sed ad imaginem Angelorum; quia participaret lumen intelligibile ab Angelo tanquam à fonte luminis. Iisdem omninò argumentis id ipsum probat quæst. vnic. de An. a. 5. c. Atque hæc speciatim videntur esse aduersus sententiam Platonis; qui, vt illi ascripsit Themistius, intellectũ agentem putauit esse solem, quo tanquam à fonte omnis luminis deriuaret omnis vis & facultas intelligendi; nẽpe omne intellectuale lumen; siue huiusmodi intellectus sit Idea vt putauit Plato: siue alia quæcunque substantia sepa-

Plato.

A rata, quę Deus nõ sit; modò sit fons & Sol omnes illustrãs intellectus. Quod quidẽ Plato expressis verbis docuit li. 31. in dial. 6. qui est de Republica, siue de Iusto non procul à fine; vbi facit Boni Ideam esse intellectum agentẽ; de quo sic habet: *Illud igitur quod veritatem illis quæ intelliguntur præbet, & intelligendi vim ad intelligendum porrigit; Boni ideam esse dico, scientiæ & veritatis quæ per ipsum percipitur, causã.* Deinde verò huiusmodi Ideã comparat Soli. *Atque ita planius inquit eius imaginem contemplare: Solem quidem dices, vt arbitror iis quæ videntur præbere potentiam, &c. Atque ita dices Bonum iis quæ cognoscuntur dare non modo vt cognoscantur; sed esse insuper & potentiam elargiri; cum ipsum essentia* B *non sit, sed super essentiam dignitate ipsam & potestate superans.* Hæc Plato de intellectu quem vocamus agentem; cuius est facere intellectilia actu, &c.

Rectè autẽ ab A. Doctore arguitur Plato; quia talis vis ac natura nulli intellectui qui Deus nõ sit conuenire potest, vt vidimus ex eius verbis. Vnde in q. illa de Spirit. Creatu. a. 10. c. sic concludit idem A. Doctor: *Sic igitur* inquit *quod facit in nobis intelligibilia actu per modũ luminis participati est aliquid animæ, &c. Illud verò quod facit intelligibilia per modum Solis illuminantis, est vnum separatum quod est Deus. Vnde Augustinus dicit in primo Soliloquiorum: Promittit ratio se demonstraturam Deum meæ menti; vt oculis Sol demonstratur: nam mẽtis quasi oculi sunt sensus animæ: Disciplinarum autem quæque certissima* C *talia sunt qualia illa quæ sole illustrantur, vt videri possint: Deus autem est ipse qui illustrat, &c.* Hæc ibi A. Doctor in Platonem.

A. Doctor.

Porrò in Auerroëm quoque probat speciatim in eod. a. 10. q. iam cit. nempe non posse esse vnũ intellectum agentẽ in omnibus hominibus tanquam intelligendi formam; vt Auerroes sensisse videtur; quia experimur nos facere intellectilia in actu cùm volumus, abstrahendo vniuersale à particularibus: Ergo actio intellectus agẽtis, est actio huius hominis: *Nec ad hoc sufficit continuatio per phantasmata, sicut Auerroes fingit;* Quia scilicet, vt dixerat, si in nobis est actio abstrahẽdi à phãtasmatis species intellectiles: ergo & in nobis debet esse facultas & principium eius actionis: D *Omne enim agens quamcunque actionem* inquit *habet formaliter in seipso virtutem, quæ est talis actionis principium:* Ergo debet poni facultas in anima, quæ phãtasmata illustret, eáque abstrahat à materia; vt mox fusiùs dicemus; atque ita intellectus agens erit facultas in anima. Contra eundem etiam Auerroëm faciunt prædicta illa tria argumenta; quæ paulò antè retulimus.

Auerroes.

Denique in Alexandrum arguit idem A. Doctor ostendendo solum Deum non posse esse intellectum agentem, eò quod Deus, vt patet ex q. 79. infrà a. 4. ad 1. est causa vniuersalis; atque E ita vt docet in eo a. 10. de Spiritual. Creat. ad 1. concurrit tanquam principium primum, cuius lumẽ participamus, atque expressum est in animo, cùm sui intellectus aliquid nobis impertiuit ingenerando animis nostris intellectũ ipsũ & facultatem intelligentem. Quare oportet, vt probat vtroque art. iam cit. in corp. vltra Deum sit aliqua causa particularis: *Sicut & in aliis rebus* inquit in eo a. 4. *naturalibus & perfectis præter vniuersales causas agentes, sunt propriæ virtutes inditæ singulis rebus perfectis, ab vniuersalibus agentibus deriuatæ: non enim solus Sol generat hominẽ; sed in homine virtus generatiua hominis; & similiter in aliis animalibus perfectis. Nihil autẽ est perfectius in inferioribus rebus*

Alexander. A.Doctor.

anima

anima humana. Vnde oportet dicere quod in ipsa sit aliqua virtus deriuata à superiore intellectu, per quā possit phātasmata illustrare. Id ipsum cōfirmat in eo a. 10. cit. in fine corp. quia *Deus non est in natura animæ; sed ab Aristotele intellectus agens nominatur lumen receptū in anima nostra à Deo; & sic relinquitur dicendū quòd intellectus agens non est vnus in omnibus.* Atque hæc quidem argumenta in singulos hos dicendi modos decerpsimus ex A. Doctoris scriptis, ne ancipitem aut sanè contrariam in tanta re tanti Magistri sententiam esse quis arbitraretur.

Contra quoque omnes hos auctores vniuersim, illa quæ significauimus militant argumenta; quibus scilicet ostendit A. Doctor (A. Doctor.) etiamsi daretur talis substantia separata, oportere tamen præter eam ponere aliquam facultatem animo inhærentem, qua animus ipse materialia phantasmata immaterialia redderet, eáque faceret intellectilia. Sic autem habet in eo art. 4. q. 79. *Dato quod sit aliquis intellectus agēs separatus, nihilominus tamen oportet ponere in ipsa anima humana aliquam virtutem ab illo intellectu superiori participatam, per quam anima humana facit intelligibilia in actu.* Cuius rei probationem vt videamus:

Notandū est sextò argumentum potissimum ad id probandum esse quo vsus est A. Doctor in eo a. 4. & aliis cit. loc. quia cæteris rebus naturalibus perfectis præter generales causas effectrices sunt inditæ propriæ virtutes. Non enim solus generat hominē Sol, sed homini inest vis generandi hominis, & sic de cæteris animalibus perfectis: Ergo inesse etiam homini debet intellectus, quo possit animus hominis, quo homine nihil perfectius reperitur inter aspectabilia corpora, sua phātasmata illustrare; & quæ sūt potentia intelligibilia facere actu intelligibilia; Quā rationē fusiùs prosequitur q. vn. de An. a. 5. c. Cōfirmat, quia *hoc experimento cognoscimus* inquit *dū percipimus obiectis nos abstrahere formas vniuersales à conditionibus particularibus: Quod est facere actu intelligibilia.* Cōfirmat secundò ex Aristotele lib. 3. de An. com. 36. Addit ibid. a. 4. in argumēto *Sed contra;* & indicat q. vn. de Spirit. Creat. a. 10. c. in fine Aristotelem dicere has differentias esse in anima: Ergo sunt virtutes animæ. Atque hæc A. Doctoris argumenta optima videntur omninò.

Quamquam iis omnibus aliisque cōpluribus (Zimara.) respondere conatur Theophilus Zimara libr. 3. de An. in cont. 17. & 18. pag. 321. col. 2. in fine ac deinceps, vt cum Prisciano Lydo atque Alexandro Deum intellectum agentem esse defendat. Nā quod primò aiunt has differētias in anima posuisse Aristotelem, non obstare ait Zimara; quia id ita accipiendū non est; quasi in ea sint vt partes; sed ea ratione qua in natura etiā esse dicuntur. At verò in natura non sunt, vt partes constituentes essentiā. Quin potiùs agēs re subsistentiáq; ab ipso patibili separari oportet; alioqui aliquid moueret se ipsum, & in actu pariter atque in potētia esset. Quare si in natura esse dicūtur, idest in ordine rerū naturalium, in anima quoque esse dicentur; quatenus in ordine sunt animalis naturæ; quemadmodum agens in passo esse dicitur non velut forma; sed vt agens in eo quod patitur; quippe esse in aliquo est æquiuocum: & Deum quoque esse in Mundo dicimus vt principium, quo & sunt omnia & seruantur.

Deinde, quòd aiūt imperfectū fore animi nostri statum, nisi in seipso habeat suę operationis principiū, nullā vim habere ait: *Intellectus enim in-*

Stephani Bubali in materiam de Angelis.

A quit *agētis lumen semper adest, quamuis separatum sit.* Nec visus imperfectus est, quāuis in se lumē nō habeat, quo possit colores actu visibiles efficere. Pari enim ratione cætera omnia quæ in potētia sunt, atque extrinsecus mouentur, defecta, mutiláque essent, ob carentiam efficiētis principij.

Improbat tertiò quod dicitur, abstrahere intelligibilia esse propriū hominis opus, nō aliter quam recipere; Improbat inquam, eò quòd petitio est principij: id enim illis ostendēdum esset, cū hoc sit quod quærimus. Disputatur enim Vtrùm intellectus agēs sit separata substantia, an animi facultas. Qui ergo dicēt, eum intellectum esse substantiam separatam, consentaneè suis B principiis negabunt, effectum illum abstrahendorum phantasmatum esse hominis opus, propterea quòd dicēt id in hominem deriuari ab ea substantia, quam separatam ponūt. Neque enim concedent vnquam ad ea hominem se actiuè habere vllo experimento constare posse.

Quartò ait leue esse quod Simplicius (Simplicius.) ait, Aristotelem in hoc lib. de An. non de Intellectu separato tractare: Nam nō docet Aristoteles quid sit intellectus separatus; sed solùm eius munus esse ait mouere intellectum materialem: *non aliter* inquit Zimara *quā in Physiologia de prima causa fit mentio sub ratione agentis ac mouētis primi:* Vnumquodque enim tunc scire credimur, cùm principia prima, primásque causas nouerimus.

C Quintò ait, nec magis valere quod ait Themistius (Themistius.), nisi intellectus agēs pars nostri sit, nō posse nos intelligere vbi volumus: Sēper enim præstò est agens, etsi ab anima nostra absolutus. Nam quod dici potest nos abstrahere à phantasmate vniuersalia cùm volumus: Ergo nō debet depēdere ab extrinseco; facilè refutari potest; etenim nos quoque ambulamus, loquimur, edimúsque cùm volumus; & tamen in iis cæterísque omnibus actionibus à Deo pendemus; sine cuius concursu ne hiscere quidem possumus. Dicimur ergo loqui cùm volumus, quia præstò Deus est, vt tanquam causa generalis se particularibus causis accommodet: Ergo pari ratione & intelle- D ctus agens esto extrinsecus concurrat; quia tamen semper promptus est, non tollit quo minus intelligamus cùm volumus.

Addit denique, qua ratione accipi verba Aristotelis oporteat, cùm intellectū separatū docet esse solū id quod est, vt ne ea quidē verba repugnare ostendat traditæ doctrinæ. Vult namque ea verba intelligi oportere de intellectu materiali, nō intellectu agēte; vt sensus sit; Intellectus materialis cùm est separatus, solùm est id quod est; nempe tunc solùm est propriè intellectus; quia in se manet; non se foras fundit per sensus qui ab obiectis pulsētur. Et ideò Aristoteles immediatè antè dixerat cont. 20. ipsū non aliquan- E do intelligere, aliquādo verò non intelligere, sed semper intelligere: Cū enim separatus est, nihil impedimenti habet, quo minus semper propriè ac verè intelligat, ac proinde quò minùs verè tunc solùm sit intellectus.

Verūtamen non est quod ex his huius Philosophi etsi sapientis dictis A. Doctoris argumēta in dubiū reuocentur. Etenim nulla est ratio, cur si cæterę substātię habent virtutē in se ipsis, qua producant in se proprios effectus, candē animus humanus, qui cęteris rebus inferioribus nobilitate pręstat, nō habeat vt producat species intelligibiles rerūvniuersaliū; vt hominis, leonis, &c.

quandoquidem à nulla alia naturali causa produci queunt. Tametsi enim in sensibus species ab obiectis transmissæ recipiantur; non tamen id possibile est in intellectu. Ob:ecta enim materialia, immò nulla res materialis in animū immaterialem agere potest: Nam vt ait Aristoteles in eiusdem lib. cont. 19. *semper est honorabilius agēs patiente, & principium materia.* Ergo si patiens est immateriale, & agens immateriale poni debet. Quę causa etiam est Theophrasto, cęterisque Peripateticis, vt intellectū agentem immaterialē asseuerent; Quia nimirū *omninò rebus incorporeis à corpore separatis vel separabilibus Theophrastus ait nec passionem nec mutationē accidere posse*, inquit Priscianus Lydus lib. de phantasia & intellectu cap. 5.

Aristoteles. Theophrast. Prisc. Lydus

Ex quo patet validum omninò esse argumentum Aristotelis, quod Zimara & nos initio huius partis in hac difficultate dubitandi causa labefactare conabamur: Est enim in omni natura quātum fieri potest, vt si sit patiens alicuius effectus, sit etiam efficiens illius eiusdem. Cùm ergo hic effectus sit in hominis animo; nempe abstrahere species vniuersales à phantasmatis singularium; ergo huius eiusdem efficiens oportet sit in natura: Ergo efficiens harum debet esse nobilius patiente: ergo si patiens est intellectus, nempe possibilis, efficiens quoque debet dari intellectus; nempe agens; quia nulla facultas est intellectu nobilior: ergo aliquis huiusmodi intellectus debet esse facultas animi. Quorsum enim diceretur esse extra animam, si commodè in ea reponi possit, ne animus qui perfectus est, suis etiam effectricibus facultatibus careat? Itaque apertè concludit ratio A. Doctoris quod dicebamus.

Zimara.

Quod autem dicitur aduersus Themistium, vt etiam hoc obiter moneamus semper esse prę stò intellectum agentem, vt nobis cùm volumus abstrahat rerum species; quia Deus adest vt nobiscū cooperetur, cùm operari libet; omninò verum esse non potest. Etenim licèt Deus vt auctor naturæ rerum, eas ita subiectas habeat, vt eas conseruet in esse, virésq; prębeat agendi tales, vt exire in actum nequeant nisi concursu suo quē attemperat simul cum operatione ipsarum, ita vt Deus & causa secunda simul agāt vna eadémque actione; Tamen id Deus præstat concurrentibus secūdis causis per suas facultates. Ergo etiā danda est facultas, quæ sit intellectus agēs; quod cōtendebat A. Doctor; vt vidimus; atque ita non soluitur ratio Themistij. Atque ex his Zimaræ solutiones repelluntur; nisi quod magnum illud de agēte habet difficultatem, quod extra passum re subsistentiáque distinctum Aristoteli semper videtur; & ideò vnum tantùm hic potest esse dubium; An ea mens Aristotelis fuerit, vt voluerit eo argumento in eo cont. 17. 18. & 19. ostendere intellectum agentem esse animæ facultatem, an verò quidpiam separatum ab animo.

Aristoteli intellectum agentem non solùm esse substantiam aliquam separatam; sed etiam animi facultatem. §. 2.

PRo qua re notandum septimò varias in hac re esse Peripateticorum interpretum sententias. Vt enim suprà vidimus arbitrati complures

A sunt, intellectum agentem esse substantiam separatam assidentem homini. Contra verò A. Doctor & alij contendunt esse animi facultatem. Sanè vtrumque ratione Aristotelica conficitur: Dupliciter enim est agens apud Aristotelem; vt suprà vidimus: Etenim non solùm ei quod constituit aliud efficienter in actu primo, tribuitur tanquam agenti effectus; verùm etiam ei quod elicit actum. Verum ergo est vtrumque confici ex Aristotelis dictis eo in loco; nimirum intellectum agentem & substantiam separatam, & facultatem animi esse; sed primariò ab Aristotele probari intellectum agentem esse substantiam separatam.

Hoc secundum probatur. Primò, quia Aristoteles per causam agentem seu efficientem intelligere solet eam quæ rem ita constituit vt ex illa sequatur motus. Sic enim vt suprà vidimus, arbitratus est elementa moueri à generante vel remouente prohibens, & obiectum mouere voluntatem, &c. Adeò vt motum tribuat potius causæ remouenti prohibens, quam causæ elicienti actum. Quia verissimū putat illud inter Physica axiomata præcipuum; *Omne quod mouetur ab alio mouetur*, vt nihil à seipso accipiat principiū motus; vt habet initio libr. 7. Phys. & frequenter indidem, & per totū libr. 8. Phys. de qua re suprà satis diximus; quā etiā ob causam sensionū actiua posuit esse extra videntem; vt paulò antè docuimus; & ad hanc ipsam rem lib. 10. Ethic. cap. vlt. ait iis qui fortunati sunt, non ex natura, *sed ex quadam diuina causa* effectus fortuitos accidere.

Accedit etiam quod vt suprà vidimus, non sequitur Aristotelem ponere intellectum agētem, qui sit vnus numero in omnibus hominibus; quod rectè confutat A. Doctor argumentis allatis: Nam hunc intellectum agentem separatum, vt suprà diximus ex libris Ethicorum, Aristoteles putauit esse vniuscuiusque genium; ideóque dixit libro septimo Moral. Eudem. cap. 18. *principium motus in anima esse intellectu ac voluntate præstantius, & moueri omnia ab inexistenti in nobis numine* &c. Quam sententiam esse Aristotelis putauit Marinus apud Philoponum libro tertio de An. in contextu 49. seu 17. & 18. *Marinus* inquit Philoponus *intellectum actu dixit non vnum omnium principium, sed quendam dæmonis intellectum vel Angelicum.* Nec sanè ab hac sententia ex parte recedit Simplicius, qui vt paulò inferius dicam, voluit esse extrinsecus accedentem hominum Ideam, quam intellectus noster intuendo perficiatur.

B C Aristoteles. D Marinus. Simplicius.

Idem etiam patet ex verbis Aristotelis lib. 3. de An. cont. 19. De eo enim agente intellectu ait: *substātia actu existens*: Grecè enim in multis Codicibus habetur τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ. Attribuit ergo agenti intellectui, quod actu id sit, ad quod intellectus possibilis est potentia; nempe vt habeat intelligibilia actu in sese: vt ita verum sit quod ipse habet lib. 2. de An. cont. 54. *Omnia patiuntur & mouentur ab actiuo, & actu existente*; & vt loquitur lib. 3. Phys. cont. 17. *vt actu homo facit ex eo quod potentia existit homo, hominem.* Vnde & Themistius libro tertio de An. cap. 23. ait intellectum potentiæ perfici ab eo intellectu agente, *qui quod ipse perfectus est & in actu semper, nulli potentiæ affinis consorsq; est.* Præterea Aristoteles ait ibi cont. 20. *In vno*, hominis intellectū *potētia esse priorē*, nempe intellectu agente: Quod falsum omninò esset, si loqueretur de intellectu agēte, quisit facultas, cū vterque

Aristoteles. E Themistius. Aristoteles.

vterque simul ab effectore Deo in hominis animo procreetur.

Aristoteles. Neque huic doctrinæ obest quod Aristoteles dicat cont. 18. hunc intellectum agentem omnia facere in intellectu possibili. *Vt habitus quidā quale est lumen: quodam enim modo & lumen facit potētia existentes colores actu colores.* Quibus verbis innuere videtur intellectū agentē esse aliquē intellectū in homine, qui sit facultas habitúsque permanens.

Hoc inquam non obest; quia eundem intellectum priùs comparauit arti in cont. 17. quam tamen constat non esse in eo quod fit ex arte, sed extrinsecus in causa operis effectrice, quæ valeat agentem causam dirigere. Itaque ait esse lumini similem; non quia hærere velit animæ; sed extrinsecus accedendo in animam inducat species ex phantasmatibus; veluti lumen extrinsecus coloribus aduenit, eosque sua potentia facit visibiles; ac proinde est veluti habitus quidam quoad perennem efficiētiam, ac si instar habitus permanentis in animo hæreret: adeò eius efficiētia in animam nulla vnquam temporis particula, aut differentia desinit.

Aristoteles. Adde etiā quod Aristoteles in eo lib. 3. de An. cont. 19. ex eo quòd *agēs semper est honorabilius patiente,* putat hunc intellectum agentem esse substantia sua separabilem & impassibilem, & actu id ad quod intellectus possibilis est in potentia: ergo de his loquitur Aristoteles tanquam de suppositis verè distinctis: Nam alioqui si de solis facultatibus vnius suppositi sermo esset, sanè eius doctrina nulla esset duplicem ob causam.

Prima causa est: quia falsum esset intellectum agentem esse nobiliorem intellectu potentia si vterque sit animi facultas: illa enim facultas nobilior est, quæ nobiliorem actionē ex se promit: At intellectus potentia actionem nobiliorem ex se promeret quàm intellectus agēs; Ille namque promeret actum intelligendi; hic verò speciem produceret, quę est actus primus, & mediū, & veluti præparatio ad illum actū intelligēdi, qui est actus secundus tanquam ad finem, qui vt suprà ostensum est, præstat, ac sua nobilitate antecellit iis quæ ad finem sua natura diriguntur. Secus est si comparatio hęc intelligatur afferri inter intellectum vtrumque tamquam inter supposita distincta. Si enim datur intellectus agens qui sit substantia, hoc ipso est patiente nobilior: Omnis enim substantia agens substantialiter substantiæ patienti antecellit; si quidem substantia patiens ab agente perficitur, atque in se recipit quod in agente iam cōtinebatur vel formaliter vel eminentiore modo; vt Sol est nobilior aëre qui à Sole illustratur & çalesit.

Cōfirmatur hæc ratio apertè ex eo, quòd hęc ex nobilitate cōparatio inepta prorsus redderetur, si inter vtrumque intellectum tamquam de animi facultatibus intelligenda esset. Etenim maior minórve nobilitas inter instrumentarias facultates, non ex ratione patientis, sed ex fine, vel præstantiore, vel minùs pręstanti desumenda est; cùm constet eò instrumenta nobiliora esse, quò ad nobiliorem finem referuntur: Qua ratione oculus olfactu auditúque præstantior est; & sic de cæteris. Vnde sicut ineptè is vellet simpliciter aures oculis anteponere, quia auris elicit suam auditionem; oculus verò patitur ab obiecto; ita etiam ineptè Aristoteles intellectum agentem intellectui possibili simpliciter prætulisset, eò quòd intellectus potentiæ recipit spe-

A cies; agēs verò intellectus eas efficit. Nam ex eo inepte simpliciter præfertur auris oculo, quia nō simpliciter desumitur nobilitas ab eo à quo simpliciter deriuanda est; nempe à præstantia finis ad quem instrumenta diriguntur. At in ea comparatione nec etiam simpliciter sumitur nobilitas intellectus ex fine, ad quem vterque est. Si namque ex fine sumeretur, hoc ipso intellectus possibilis agente præstantior esset; quia vt diximus, eius finis qui est actus secundus, longè prę̄stat specieb. quæ sunt actus intelligendi primus. Inepta ergo comparatio Aristotelis esset: Immò nec Aristoteles quod contendebat probasset; vt iam in secundo argumento confirmabo.

Altera igitur causa est, quia non rectè Aristo- Aristoteles.
B teles consecutionem illam ex illis principiis deduxisset: Esto namque honorabilius sit agens patiente; Quo tamen pacto sequitur ex hoc ipso intellectum agentem esse substantia sua impassibilem ac separabilem? Si namque intellectus agens hoc solo quod agit, nō autem quoad substantiam & naturam suam sit nobilior, falsum est ex hoc esse separabilem, & impassibilem sicut intellectus potentiæ. Multa enim esse possunt agentia præsertim instrumentaria, quæ naturam suam imperfectiorem habent, quàm ea in quæ agunt & patibilia sunt; vt colores agunt in oculum, & soni in aures & similia, quæ suis agentibus perfectiora substantialiter
C sunt. Sic etiam qualitates instrumentariæ agunt in materiam, quæ cùm substantia sit, omni materiali accidente præstantior esse debet. Itaque falsa est illa consecutio Aristotelis, ex eo quòd intellectus agens est agens, quod in ratione agentis est nobilius passo, ipsum esse separabilem sicut intellectus patibilis separabilis est. Quamuis enim agens qua agens, nobiliorem habeat seu denominationem seu formam, vt aiunt denominantem; tamen hinc necesse nō est ipsius naturam ac substantiam esse aut nobiliorem, aut æquè nobilem ac natura patientis est, in qua recipitur passio: atque ita potest intellectus patibilis esse impassibilis, ac separabilis ob
D naturæ perfectionem, etiamsi intellectus agens, quia non sit tantę perfectionis separari non possit: Quod etiam patet in aliis animi humani potentiis: potentiæ etenim vegetantis animæ omnes actiuæ sunt; intelligendi verò facultas patibilis est, vt diximus. Tamen hæc separabilis à corpore est, atque impassibilis, illæ verò non item.

Firmissima autem ea consecutio erit, si comparatio de vtroque intellectu, tamquam de substantiis supposito distinctis accipi debeat. Nam si ponamus intellectum agentem esse substantiam, quæ in intellectum possibilem rerū simulachra
E efformet, iam manifestè sequitur, quia agens est patiente nobilius, intellectū agentem esse separabilem atq; impassibilem. Ratio huius est aperta: quoniā omnis perfectio substantialis quæ est in effectu, tribui oportet causæ effectrici principali: omne enim præcipuū agens effectū cōtinet vel formaliter vel eminēter; vt probat A. Doctor infrà q. 110. a. 2. c. & q. 115. a. 1. etiam c. Sic enim rectè Aristoteles dixit li. 7. Met. cont. 30. *quodammodo omnia fieri ex vniuoco.* Si ergo ille intellectus Aristoteles. agens substantia sit, erit causa præcipua non instrumentaria eius effectus, qui in intellectu agēte producitur; nēpe immaterialium specierum; atq; ita hos effectus in se habebit aut formaliter, aut

aut perfectiore modo. Si primum; ergo erit nobilior secundum naturam; siquidem debet esse substantia immaterialis intelligens, & in intelligendo minùs dependens: nam cùm substantia sit, quæ in se species immateriales ad intelligendum habet, necesse est sit substantia immaterialis intelligens: Minus verò in intelligendo dependens, quia intellectus possibilis ab ipsa dependet in intelligendo;non autem ipsa ab intellectu possibili.Si secundum; ergo multò magis erit substantia intelligens nobilior eodem intellectu possibili: quippe quę instrumenta intelligendi, nempe species immateriales producit, tanquam præcipua causa quæ eas continet perfectiùs quàm intellectus possibilis,in quo illæ sunt formaliter.

Aristoteles.

Quocirca rectè Aristoteles libro 12. Metaph. cont. 51. arguit: Si Deus ipse non est intellectio, fore vt aliquid sit honorabilius Deo; nempe id vnde illi accederet actus intelligendi. *Dilucidum* inquit *quod aliquid aliud honorabilius esset quàm mens, id scilicet quod intelligitur*; nimirum quia ab obiecto ad actum reduceretur, quemadmodum intellectus possibilis ab intellectu agente. Est enim si substantia sit id à quo reducitur aliquid ad actum per se,& non per accidens, nobilius eo quod reducitur: Quia vnumquodque patitur ab actiuo, & actu ente;vt ex Aristotele lib. 3. de An. cont.54. satis suprà constitutum est: nec aliam ob causam affirmetur intellectus agens,nisi ne materiale, quod est immateriali imperfectius in ipsum immateriale agat.

Hinc tamen non sequitur, obiectum esse nobilius ipsis potentiarum instrumentis in corpore animato:si quis enim dicat, obiectum v. gr. coloratum agit in instrumenta atque organa sensuum v. gr. oculorum: ergo coloratum est nobilius oculo.Non sequitur inquam: Nam tūc negandum est, obiectum coloratum agere in oculum;hoc est in totum oculi compositum;cùm agat solùm in oculi materiam,è qua formas speciésque sensiles educit.Quare tunc sequitur,obiectum illud coloratum esse nobilius materia oculi non oculo. In quo differt à re proposita, qua de agitur: Quoniam intellectus agens agit in ipsam substātiam intellectus possibilis, è qua species educit, saltem vt à primario subiecto: Quare debet eo esse naturæ nobilioris vt dictum est.Constat ergo præcipuè per intellectum agentem intelligi ab Aristotele substantiam aliquam immaterialem, quæ intellectum possibilem ad actum reducat:sicut etiam per intellectū possibilem substantiam, quæ ab ipso eodem intellectu agente reducitur,vt postea dicetur.

Neque nouum videri alicui debet, nomine intellectus intelligi substantias, cùm tamen intellectus sint qualitates proprietatésque substantiæ. Nam non semel suprà monuimus, nomine intellectus significari ipsum animum hominis ab Aristotele, sicut nomine sensus animā sentientem. *Denominatur enim* inquit A. Doctor infrà q.79.a. 1. ad 1. *anima sensitiua nomine principalioris suæ potentiæ, quæ est sensus: & similiter anima intellectiua quandoque nominatur nomine intellectus, quasi à principaliore sua virtute; sicut dicitur in 1. de An. quòd intellectus est substantia quædam.* Sed de hac re accuratè Difficult. seq. ex Aristotele & Peripateticis.

A.Doctor.

In præsentia autem constet, ab Aristotele intellectum agentem præcipuè significari substan-

A tiam quandam intellectu nostro, hoc est hominis animo nobiliorem, vt ostensum est:Quæ etiam confirmanda sunt ex iis quæ pòst dicentur in secundo nostro Corollario.Cui quidem sententiæ nullo modo A. Doctor dicendus est contradicere. Ei namque solùm consilium fuit, vt ante monuimus, euertendi illam sententiam, quæ vnicum omnibus hominibus intellectum affirmat, sine vlla in homine ad efficiendas species facultate; vt ex eius argumentis definitum est.Quamobrem infra q.79.a.4.c. vt hoc ipsum apertiùs indicaret, vbi retulisset eorum opinionem, qui ponebant intellectum agentem esse substantiam separatam, eos immediatè pòst improbat, solum ex eo quòd negarent intellectum B agentem esse quoque animæ facultatem, his verbis: *Sed dato* inquit *quòd sit talis intellectus agēs separatus; nihilominus tamen oportet ponere in ipsa anima humana aliquam virtutem, ab illo intellectu superiore participatam per quam anima humana facit intelligibilia in actu.* Quod quidem nos non negamus;vt etiam magis patebit post.Sed de A. Doctore fusiùs pòst in 4. Difficultate huius Quæsiti.

Vnum tamen huic ipsi doctrinæ videtur ex Aristotelæis principiis posse aduersari:Nam aut ij intellectus sunt solo numero differentes; aut etiam natura & essentia: Vtrumque autem Aristoteli absurdum:Primum quidem,quia *quæcunque multa numero materiam habent*, vt loquitur lib. C 12. Metaphys. cont.49. Secundum verò est absurdius;quia magnus Angelorum specie differentium numerus esset; cùm tamen ipse paucas Intelligentias asserendas esse statuerit,iuxta numerum cœlestium orbium eodem libro 12. à cont.44.Respondendum tamen est, differre eosdem intellectus specie,quia carent materia; non tamen absurdum esse tales Aristoteli genios esse plurimos, quia custodes hominum voluit esse ac directores: Eam porrò Intelligentiarum paucitatem sparsim in cœlestibus orbibus posuit, quia pluribus asserendis defuit illi argumentum.

Aristoteles.

D Atque hæc dicta sint ad probandam posteriorem nostræ propositionis partem, ad Aristotelis mentem declarandam in re prorsus obscurissima, & in qua vix vllus nobis facem videtur prætulisse.

Iam verò illa prior eiusdem propositionis nostræ pars sic ostenditur. Nam primò Aristoteles in omnibus rebus ponit sua principia actū suum elicientia, etiamsi ea dicat moueri ab alio: In grauibus enim leuibúsque corporibus grauitatem ponit ac leuitatem, vt omnibus in confesso est:similiter in animatorum anima censet appetitum esse facultatem motricem; tametsi lib. 3. de An.cont.49. doceat ea moueri ab appetibili. E Vnde eodem libro cont. 54. duo mouentia statuit, quæ ad actum voluntatis concurrunt: Primum quidem quod mouet & non mouetur; alterum verò quod mouetur & mouet:illud ait esse *agibile bonum*; hoc autem, *appetitiuum: mouetur enim quod appetit secundum quod appetit; & appetitus motus quidem est aut actus.* Pari ergo ratione concedet in intellectu esse mouens, quod in mouēdo non mouetur; vt est substantia illa separata: quod verò mouetur & mouet, esse facultatem quæ abstrahit phantasmata &c. Ergo ponenda est illa facultas, quæ est intellectus agens Aristoteli in hominis animo. Quomodo autem hic intel

Aristoteles.

intellectus dicatur ab Aristotele solus separatus & immortalis, dicam in nostris Corollariis post.

Quo pacto intellectus agens à Peripateticis ponatur animi facultas, vbi de Simplicij sententia, dum docet intellectum agentem vniri cum intellectu superiore, & quid hoc sit. §. 3.

DE Peripateticis etiam idipsum probatur: omittam autem Theophrastum, Alexandrum, Themistium, & Auerroëm, quos suprà dictum à nobis est arbitratos esse, intellectum agentem esse substantiam separatam Aristotelis opinione; ac proinde licèt non negarint esse etiam animæ facultatem; tamen nunquam apertè docuerunt id Aristoteli placuisse: Quorum sententiam amplexus videtur Plotinus Ennead. 5. lib. 3. cap. 4. Ibi enim reprehendit Aristotelem, quòd nunquam docuerit intellectus agẽtis vim formalem, sed solam effectricem; de qua re Zimara in 3. de An. pag. 323. in fine. Vt ergo hos omittam, probatur nostra propositio ex Philopono, Simplicio, & A. Doctore.

Philoponus. Nam Philoponus libro 3. de An. in cont. 49. aliàs in cont. 17. & 18. ante medium existimat illum intellectum; qui ab Aristotele dicitur agẽs, & ab Alexandro ponitur esse Deus, esse illum ipsum intellectum animæ qui est potentia. Sic autem habet in Alexandrum, Marinum & Plotinum; quorum primus putabat esse Deum. Marinus autem non vnum omnium principium, sed quendam dæmonis intellectum vel Angelicum: Plotinus denique voluit esse intellectum semper operantem. In hos inquam tres sic scribit Philoponus. *Deinde aduersus ea quæ à tribus Alexandro, Marino, & Plotino dicuntur, communis fit incursus: Inuenimus enim Aristotelem dicentem, quòd actu intellectus subiecto quidem idem est; tempore autem diuersus ab eo quod est potentia, & quod est actu: nam cùm priùs potentia, actu postea factus est. Si hæc ergo in contextu dicit Aristoteles; videlicet nec Deum nunc dicit intellectum, qui est secundum actum; vt Alexandro videtur. Deus enim non erat priùs potentia, sed est actu, vt qui est fons bonitatis: neque dæmonius, vel Angelicus priùs esset potentia: nam & nos vult Aristoteles actu esse intellectus. Quare malè quoque Marinus dicit; sed & Plotino aduersatur; si enim secundum eum semper agit, non erat priùs potentia; Aristoteles autem dicit quod erat priùs potentia. Per hæc ergo clarum factum est, quòd nec Deum dicit, neque dæmonium, siue Angelicum intellectum; nec intellectum qui semper operatur, sed de eo intellectu agit qui est in nobis.* Hos etiam deinde confutat alio argumento; Quia Aristoteles dicit, huiusmodi intellectum esse separabilem: At Angelicus & diuinus sunt separati: & prætereà quia Aristoteles eum intellectum animæ appellat; Angelus autẽ aut Deus non sunt animæ intellectus. Sensit ergo Philoponus esse animæ facultatem.

Alexander. Marinus. Plotinus.

Quanquam vt verum fatear, hæ Philoponi rationes non sunt efficaces: nam falsum est ab Aristotele dici vtrumque intellectum; nempe agentem & possibilem esse vnum subiecto: Nec verum est ab Aristotele dici, eundem intellectum agentem priùs fuisse potentia; postea verò

A esse agentem. Solùm enim docet, quod est potentia, prius tempore in vno eodémque indiuiduo esse, quàm sit actu, non tamen simpliciter; vt patet ex cont. 20. lib. 3. de An. In vno enim eodémque indiuiduo quod est potentia, præcedere actum debet; vt quod est potentia sciens, prius est quàm actu scientiam habeat. Dixit autem id non esse simpliciter; hoc est in diuersis indiuiduis. Nam si quod est in potentia, reduci ad actum debet ab eo quod est actu: ergo prius præsupponitur aliquid quod est actu, ab eo quod est potentia; & ita vtrumque verum est. Vnde malè Philoponus supponit idem esse intellectum agentem, & intellectum actu; quos infrà doce- B mus esse distinctos. quomodo verò dicat Aristoteles, intellectum illum esse separabilem, solum immortalem & æternum infrà explicabitur. Nunc solùm id constet, intellectum agentẽ Philopono esse facultatem animi nostri. De eodem Philopono nonnulla disputat Theophilus Zimara lib. 3. de An. in cont. 2. p. 326. col. 3.

Zimara.

Simplicius. Simplicius etiam idem manifestè docet, in prima propositione ad particulam primam libri 3. de An. vbi vt antè docuimus, facit triplicem animæ rationem seu intellectum: vnam quæ est intellectus agens, *quæ haud secundis vtitur vişis, sed ex seipsa agat, non autem patiatur, agátque ea quæ cognosci debeant; nam non aliunde, sed seipsa promit;* id est non eget operatione sensuum; nec aliunde C pendet in agendo sed ex se ipsa, insita nimirum sibi facultate: Hic ergo est intellectus agens, qui agit non patitur. *Altera verò ratio, quæ vergit ad externa, & complicata est cum illis cogitationibus, quæ referunt corporum formas*; sensuum nimirum ac phantasiæ commercio vtens; quæ secunda ratio duplex dicitur ab eodem; nam est *aut perfecta aut imperfecta, quæ à prima illa perficitur, formisque completur;* Nimirum intellectus potestate qui dicitur imperfectus, qui perficitur suis notionibus & habitibus; & fit intellectus in habitu: Atque ita concludit triplicem esse intellectum.

Ex quibus patet, huiusmodi intellectus animæ non esse inter se ex rei natura distinctos: D nam de secundo ait, eum aliquando esse perfectum, aliquando imperfectum: Ergo vnus idémque intellectus est potentia & qui habitu dicitur. Immò ibidẽ postea subdit aliis verbis eiusdem diuisionis conclusionem, quibus apertè ait, illos tres intellectus esse vnum eundémque. *Vnus itaque intellectus est*, inquit, *qui id pure ac syncere permanet quod antea erat, quique rursus remittit quod permanens est, ex appulsu atque progressu à seipso ad externa.* Is intellectus est permanens, qui non operatur ratiocinando ex vno in aliud, quã progressionem habet, dum appellit ad externa per sensus vt suo loco dicetur. Sequitur: *quique ex hac quoque causa imperfectus existit, licèt perfectus sit fa-* E *ctus.* Hic ergo Simplicius arbitratur, intellectum agentem qui in seipso manet, respiciendo ad rationes insitas, & prima principia, esse eundem qui fuit imperfectus, & deinde perfectus factus sit. Idem patet in cont. 18. eiusdem libri 3. vbi ait intellectum agentem cõparari habitui, quia secundas vitas in se promit; quia scilicet elicit cognitiones rerum materialium: ergo est idem quod intellectus potestate; cuius est elicere huiusmodi cognitiones. Nec dissimili modo loquitur in cont. 17. vbi ait, huiusmodi intellectum agentem non spectare ad physicum qua reciprocat in se actiones, sed qua regulat secun-

das vitas; nempe intellectum potentia, quatenus ad externa vergit, & alia complura.

Simplicius. Notari tamen hac in re oportet, Simplicij sententiâ in context. 19. libri 3. quod obseruauit Theophilus Zimara eodem libro 3. pagin. 322. col. 3. & 4. & pag. 323. col. 1. & 2. intellectum hominis agentem perfici quidem à superiore intellectu; sed tamen quia intellectus noster agens facit magis vnum cum illo, quàm cum intellectu potentiæ, idcircò non dici perfici ab alio. Quis autem sit huiusmodi intellectus superior, an distinctus? ipse non explicat; ait tamen non esse ab eo diuulsum, suâque ex substantia cum illo vniri. Quare videtur cócedere esse aliquam substantiam superiorem, quæ cum intellectu agente simul vniatur, ex eo quòd agens intellectus illum intelligit; & cum eo magis sociatur, ex eo quòd magis illum eundem intelligit. Rectè enim Theophilus Zimara in eundem contextum pag. 223. col. 2. obseruasse videtur, cùm Simplicius ait simul intellectum vniri sibi vel superiori, nihil aliud significari quàm intellectum aut se aut superiorem intelligere atque cognoscere: quia non videntur habere alium sensum posse. Quomodo enim intellectus sibi iungi possit, nisi seipsum intelligédo? Superiori ergo sociabitur per cognitionem. Nam vt suprà diximus art. 1. huius quæstionis Quæsi. 2. Diffi. 1. Intellectus superior cui coniungitur agens intellectus Simplicij sententia se habet ad agentem, vt Idea ac norma intelligendi: ergo illi debet sociari per cognitionem. Quod etiam ipse Simplicius expressit lib. 3. de Anim. part. 21. Ait enim animam coniungi cum superioribus formis: *contemplatur enim illas*, inquit, *vbi per eas quæ in ipsis existunt perfectionem consecuta fuerit.*

Zimara.

Zimara.

Simplicius.

Hinc etiam intelligitur quid sit Simplicio intellectum in se conuerti, vel à se recedere. Id enim idem est ac se aut cognoscere, aut non cognoscere; quia recedere est atque à se veluti distrahi, dum scilicet aliò tendit eius cognitio: In se verò conuerti, dum se ipsum cognoscit. Quod patet ex verbis ipsius Simplicij ad particul. 2. lib. 3. de An. *Non enim in lapsu illo ad secundas vitas ita labitur* intellectus *: vt aliquo pacto in se ipsum non conuertatur: omnis namque assensus rationalis anima in seipsam conuertente fit; vt iam dictum est.* Id est rationalis facultas externa obiecta cognoscens à se recedit: hoc enim est recedere per cognitionem. Rursus autem reuocatur in se ipsam, vbi illam cognitionem veram esse discernit; nempe per principia intellectui insita, actúque in se reflexo: ex quibus intellectus habet, vt omni vero assentiatur cùm externa diiudicat: Vnde de intellectu labente sic subdit: *Is autem anima intellectus, qui labitur ad extra, haud ex se ipso intelligit, neque à se ipso, neque per ipsum*; id est non ex formis quas in se habet cùm sit in potentia; neque à se quasi ab efficiente perficitur, neque per seipsum excitatur.

Simplicius.

Modum apponit explicando magis rem, ita subiungens. *Sed quemadmodum sensus a sensibili; ita is ab intelligibili, qui coniunctus cum illo est excitatur atque expletur tanquam alius ab alio propter diuersitatem intellectus labentis ab eo qui in se manet, & ideò dicitur ab alio perpeti.* Hic apertè vides vnum esse hos duos intellectus, & videri diuersos non tamen omninò; sed instar diuersorum. Et idcirco ibidem ait magis propriè sensus pati quàm intellectus; idque triplici de causa; nimirum *ob*

A *passionem instrumenti, & propter diuersitatem illam, quæ est inter sensum & sensibilia; & quia extrinsecus illa subsistunt: In ipso verò intellectu neque aliud omninò ipsum intelligibile; quia insitum; neque foris sed intus reperitur: neque corporea quædam motio fit: nam neque instrumento eget: nam affectio eius in eo reposita est quod ab altero expleatur, & quodammodo à se ipso quia vna est animæ substantia*: & ita concludit non esse propriè passionem, sed *simul quidem similitudinem seruans cum affectione, quia quasi aliunde afferatur, similiq; diuersum ab affectione, ob perfectionem quam à se ipso adipiscitur. Vnde & inuestigat anima quasi in se non habeat, & inuenit in seipsam intuens quasi habeat.* Ergo vnus idémque agens & potentia intellectus Simplicio est.

B

Cùm ergo ait Simplicius, intellectum agentem vniri superiori intellectui nempe Ideæ ab eóque perfici, non tāquam ab alio propter vnitatem cum ipso, intelligi debet ita, vt illi vniatur tanquam obiecto, perficiatúrque tanquam à causa exemplari & ideali seu obiectiua; nimirum respiciendo ad eius mentem; non tamen tanquam ab alio; quia verè perficitur per cognitionem, quæ eius mentem idealem intuetur; & quæ est in ipso intellectu qui perficitur: Quod puto non semper Simplicio contingere sed aliquando. Vt enim ait lib. 1. de An. in expositione ad particulam 47. in 2. p. *Purus rationalis anima actus, qualis quidem semper est qui vniuersi existit* Dei, *aliquando autem & qui noster, cum neque sensu neque imaginatione vtitur, quia neque ad corpus, neque ad corpoream aliquam formam tendit; sed ad eas quæ à corporibus seiuncta sunt*; nempe ad Ideas quas formas vocat more Platonicorum; vt notaui loco citato. Immò hanc sententiam, quod noster intellectus aliquando superiores substantias intueatur, suprà esse diximus Aristotelis, & Peripateticorum. Simplicius.

C

In hoc autem intellectu separato videtur Simplicius Platonis sentétiam expressisse; quam bene refutat Alensis lib. 7. Metaphys. cont. 28. in quadam quæstione vbi examinatur; An ponendus sit intellectus separatus, ad quem intellectus noster aspiciendo percipiat de re sinceram veritatem, quæ fit vnione illius intellectus. Alensis.

D

Posset etiam non abs re dici, Simplicij sententiâ intellectum agentem magis vniri cum superiori, quàm intellectus potentia cum agente per imitationem in agendo; quia scilicet intellectus agens meliùs imitatur intellectum superiorem; nempe Idealem seu diuinum, quàm intellectus potentia intellectum agentem. Ille enim vt ait Simplicius lib. 3. de An. in expositione ad particulam 9. cognoscit se & simplices formas; & quantum fieri potest imitando meliorem intellectum, nempe Ideam aut Deum, omnia tanquam effectus in suis causis cognoscit in illis. Hic verò quia perficitur ex protensione ad sensilia, cognouit formas & cóposita in se ipsis, ac proinde nec in suis causis, neque in simplicibus notionibus. Ergo meliùs ille superiorem, quam hic agentem imitatur.

E

Ex quibus nisi fallor apertè vides lector, Simplicij sententiâ intellectum agentem intelligere prima principia, quia in illis cognoscit effectus, & quod maius est illustrari à superiori, quem imitando exprimere conatur. Quin etiam à Deo animam immutari plenè ac perfectè, docet ipse Simplicius libro 1. Phys. comm. suo 43. post medium. *Etenim anima dicitur* inquit *à Deo* illumi Simplicius.

illuminari, sed non contraria veluti à contrario. quia scilicet quod ita per contraria mutatur, progreditur abiiciendo terminum à quo, ad ipsum terminum ad quem; in qua tamen re corrigit se ipsum Simplicius sic subdens: *Quamquam vt agens, imperfectáque ab ipso pleno, perfectoq; patiatur, & mutetur ex ipso non diuino, experteq; diuinitatis in ipsum diuinum.* Constat ergo de Simplicij mente circa intellectum agentem.

Iam de A. Doctore nullo negotio dicemus ipsum existimasse intellectum agentem esse animi facultatem, quandoquidem id ex instituto probat & optimè tum 1. p. quæstione septuagesimanona a. 3. & 4. tum etiam omnibus locis suprà citatis.

Multa de Intellectu in habitu & Intellectu in actu ex Aristotele & Peripateticis, ac proinde de quadruplici intellectu.

§. 4.

EX his propositionibus ita probatis Colligitur primò, licet explicite duplicem in hominis animo intellectum distinxerimus; nempe possibilem agentémque: tamen implicite subindicatos esse plures, quorum Aristoteles ac Peripatetici passim meminere, qui præcipue quattuor sunt. Hos nunc indicare est animus, ne quis ex dictis nostris facilè in errorem multiplici eius significatione delabatur. Ac de intellectu possibili atque agente satis clarum ex dictis est; De aliis duobus dicendum, qui præcipuè recenseri solent.

Aristoteles. Primùm quidem Aristoteles præter illos duos quos diximus, meminit intellectus habitu seu in habitu & intellectus actu. Intellectus habitu quidem docetur lib. 3. de An. contex. 8. vbi postquam de intellectu potentia cont. 7. dixerat esse potentia formas, de eodem sic ait: *Cùm autem sic singula factus est, vt sciens dicitur secundum actum & est tunc quidem potentia quodammodo, non tamen vt prius.* Ex quo loco interpretes dicunt dari intellectum, quem postquam de potestate ad actum cognoscendo transiuit, intellectilium formis perfectum exornatúmque intellectum in habitu seu secundum habitum nominarunt. Intellectus enim qui priùs erat potestate, & postea factus est vt sciens; & adhuc est potestate non vt priùs; sed solùm ad actus, habitum quēdam adeptus est: alioqui non esset vt sciens: & cùm ad actum secundum possit, adhuc est potestate; nimirum ad vlteriorem perfectionem, quæ est actus secundus.

Ex his quoque Aristotelicis verbis habemus vt his duobus intellectibus; nempe potestate & habitu adiicere tertium possimus; nempe intellectum actu vtrique oppositū. Cùm enim vterque sit facultas & potestas ad intelligendum: ille quidem remota; quia caret actu & habitu: hic verò proxima; quia si caret actu, adeptus est tamen habitum: intellectus actu vtramque excludit potentiam. Vbi enim aliquid ad vltimam perfectionem peruenerit, nihil perfectionis ampliùs ei restat, respectu cuius perfectionis sit potestas. Nam quemadmodum actus primus

A qui est habitus, non patitur secum vt in suo subiecto sit potentia ad illam eandem formam; vt patet ex verbis relatis Aristotelis, eò quòd nimirum subiectum habitu illo, vt sic dicam, actuatum est: ita actus qui est vltima perfectio, & subiecti actuatio, non sinit in eo vllam ad se ipsum remanere potestatem.

Est igitur intellectus actu qui habet actu vltimam perfectionem, & nullam reliquam habet potestatem, quantum ad ipsum actum attinet. Etenim qua ratione est actu, non est potentia. Repugnat enim idem secundum idem esse simul actu & potentia, vt expressè docet Aristoteles libro tertio Physicorum contextu sexto & B libro octauo contextu quadragesimo, vbi etiam ex hoc principio probat nihil posse agere in se ipsum actione vniuoca. De qua re clarius Diffic. seq.

De eodem intellectu in actu sunt qui putent dici ab Aristotele lib. 3. de An. cont. 36. illa verba: *Prorsus intellectus in actu est res intelligens*; Aliis tamen id non placet, qui volunt ibi alibique non rarò per *intellectum in actu* significari intellectum agentem: propterea quòd agens qua agens actu esse debeat; quia vt ipse Aristoteles libr. 2. de An. cont. 54. docet, *omnia patiuntur & mouentur ab actiuo & actu existente.* Et certè Aristoteles li- C bro 3. de An. cont. 19. intellectum agentem vocauit *substantiam actu existentem.* Sed de hoc & similibus aliis locis diximus suprà non pauca: explicauimúsque quid sit intellectum atque intelligibile idem esse, &c. Aristoteles.

Sanè hunc tripartitum intellectum; nempe potestate, habitu, & actu, licet aliis verbis scientis exemplo tradidit Aristoteles libr. 2. de An. cont 55. & 56. Vbi *diuidendum est* inquit *de potentia & actu: Nunc enim simpliciter dicamus de ipsis: est enim sic sciens aliquid, sicut si dicamus hominem scientem, quoniam homo scientium est & habentium scientiam.* Quia nimirum hominis natura capax est, susceptrixque scientiæ, naturali videlicet ho- Aristoteles. D minis ad omnem scientiam aptitudine. Vnde & illi existit naturale desiderium ad scientias capessendas; quia vt ait Aristoteles lib. 1. Metaph. in ipso initio: *Omnes homines natura scire desiderant.* Hinc ait nobis sensus nostros, præsertim videndi facultatem esse carissimos, propterea quòd etsi ex illis nulla prorsus alia caperemus commoda, tamen ad scientiam vtilissimi essent Si ergo naturalis est sciendi appetitus, necesse est in animo esse capacitatem, aptitudinémque ad capellendas scientias: naturale enim desiderium frustra omninò esset, si talem in homine capacitatem natura non concessisset. Si quidem homo ad scientias rerum pertingere non posset, ac E proinde tale desiderium inutiliter hominis animo ingenitum à natura esset. Quo argumento vsus est A. Doctor suprà quæst. 12. a. 1. c. Cùm ostendere voluit Deum videri posse à creatura rationali, ne desiderium naturale cognoscendi causam ex visis effectibus, ac multò magis præstantissimam causam, quæ est Deus, inane remaneret, si creatura rationalis ad Dei claram visionem nullo pacto peruenire posset. Est ergo in hominis animo capacitas scientiæ.

Atque hæc quidem est remota sciendi potestas, ad eum planè modum, quo hominem prorsus ignarum, seu puerum, qui adhuc nihil didicit, dicimus esse in potentia ad scientiam; quæ caren

carentia non solum est actionis, quæ est actus secundus, verùm etiam habitus qui est actus primus, proximùmque operandi principium: & hoc modo est intellectus potestate seu materialis, dum ad habitum & ad operationem suscipiendam idoneus inest homini.

Quod indicat Aristoteles libro tertio de An. contextu 4. cùm docet intellectus nullam aliam esse naturam nisi quod possibilis. Pergit autem (Aristoteles.) ibi in eo contextu quinquagesimoquinto Aristoteles aliam magisque propinquam declarare intellectus potestatem. *Est autem* inquit *sicut iam dicimus scientem habentem Grammaticam*; cum videlicet qui habitum Grammaticæ seu cuiusuis alterius scientiæ comparauit sibi. Dum enim nihil ex ea forma operatur, quia tamen per eam agere potest, nisi aliunde impedimentum sit (quandoquidem in eo aliud principium ad operandum non est necessarium) dicitur potestate sciens, & habere intellectum secundum habitum.

(Aristoteles.) In qua re optimè subdit Aristoteles ibi statim, alio atque alio modo dici scientem, & alio atque alio modo ad actum posse. *Vterque enim* inquit in eo contextu 55. *horum non eodem modo potens: sed ille quidem quia genus huiusmodi & materia: hic autem vbi libuerit potens contemplari, nisi quid prohibeat horum quæ extra.* Hoc est, ille potens est tanquam subiectum & materia; quia nimirum cùm nullam aliam habeat formam, sed puram nudámque aptitudinem, quam materiam nominare solitus est Aristoteles; vt patet ex libr. 12. Metaphysic. context. 26. vbi docuit: *ad materiam, potestatem omnem redigi:* & ex libro tertio de An. cont. 17. vbi ait: *id materiam esse vnicuique generi, quod potentia omnia illa est*, instar est materiæ, quæ ad recipiendam perfectionem suam semper est parata: Hic verò quoniam opus non habet vt aliunde perficiatur, in promptu sibi est, vt pro arbitratu suo promat suum actum, nisi quid aliundè impediat; vt morbus aut cura, & cætera. non enim Musico difficile est edere actum suum canendo, & citharœdi citharizando, & sic de cæteris.

Eodem ferè modo ac in eo cont. 56. locutus (Aristoteles.) est Aristoteles libro tertio de An. context. octauo cùm de intellectu qui habitum acquisiuit expressè docuit: *Cum autem sic singula factus est, vt sciens dicitur qui secundum actum: Hoc autem tunc accidit cum potest operari per seipsum. Est quidem & tunc potentia quodammodo, non tamen similiter vt & erat antequam addisceret.* Non enim est eodem modo potens, cùm ante scientiam erat vt materia absque vllo actu: Secus autem cùm habitum acquisiuit; quo posito ei liberum est operari per seipsum.

Denique sequitur in eo contextu quinquagesimosexto quod ipsius intellectus in actu locum habet: *Alius autem iam contemplans actu existens, & propriè sciens hanc literam A.* Is enim ex habitu actum habet & propriè sciens est: Nam operatio ex habitu scientiario propriè scientia est: Quod exemplo Grammatici actu intelligentis literam A. Aristoteles illustrauit. Vnde inter vtrumque scientem quale discrimen sit magis ibi in contextu quinquagesimosexto declarans subdit: *Ambo igitur primi secundum potentiam scientes sunt: sed ille quidem per disciplinam alteratus; & sæpè ex contrario mutatus habitu: hic autem ex eo quod sensum habet.* Quorum discriminum summa hæc est; Quod scilicet is qui priore modo est in potentia speculari ex habitu non potest, nisi prius alteratus habitum susceperit; siue abiecerit contrarium habitum, siue non abiecerit. At qui posteriore modo; speculari potest nihil in se suscipiens, præter ipsum speculationis actum.

Hinc patet primò, quàm optimè sibi respondeant hi duo Aristotelis loci; ille nimirum de triplici intellectu in libro tertio de An. Hic verò de triplici scientia in eo contextu quinquagesimoquinto, & quinquagesimosexto, vt scilicet primo modo seu scientia seu intellectus potestate, intelligi oporteat de prima ac remota potestate: Secundo modo de proxima & non remota: Tertio deniquè de eo, quod sit actu siue scientia siue intellectus; idque proprio siue scientiæ siue intellectus vocabulo: non enim frustra tertio scientiæ modo addidit *propriè* ipsum esse scientem: Ergo pari ratione propriè intellectus nuncupabitur, qui tertio modo intellectus est. Et ratio est, quia quodcunque potestate est tale non simpliciter est tale; Secus quod actu: non enim lignum quod potestate ignis est, simpliciter est ignis, sed quod actu: Rectè namque Aristoteles libr. secundo Phys. cont. 12. *Vnumquodque dicitur* inquit *cùm actu sit, & magis quàm cùm potentia.*

In qua re omnes Peripatetici cõsensere. Nam Philoponus libro tertio de An. contextu 20. ait (Philoponus.) expressè: *Intellectus est quando est actu; nã intellectus vt potentia, non est propriè intellectus.* Idémque Philoponus seu Ammonius eodem libr. in contextu 35. seu in cont. 3. ait intellectum potentia non esse actu hoc quod intelligit: *habet enim formam, vel potius est forma intellectus, sed formam quam cognoscit non habet actu sed potentia*; quando nimirũ est intellectus potentia: Ergo non est propriè intellectus nisi intelligens.

Sic etiam Themistius eodem libro tertio capite vigesimoprimo. (Themistius.) *Intellectus* inquit *de intellectu potentia fit intellectus actu, quo res ipsas intelligit, atque tunc simul & intellectus, & intelligibilis est*; & cap. 22. *Intellectus potentia* inquit *quemadmodum est intellectus potentia, ita & intelligibilis potentia*; & paulò infrà: *Quod si alius intellectus habetur cui nulla potentia innexa est, vtique illum semper & intellectum & intelligibilem esse necesse est.*

Et Simplicius libro tertio de An. ad particulam 5. ait: (Simplicius.) *Intellectum potestate non esse simpliciter intellectum, donec imperfectus est.* Vnde ibidem eius rei reddens rationem subdit, quia *intelligibilium cognitio est intellectus*; atque ita videtur intellectus significare actionem circa intelligibilia. Ratio ergo horum est, quia de ratione intellectus est, vt sit operans, vt etiam magis patebit post in secundo nostro corollario: ergo solùm intellectus actu propriè est intellectus. Et ideò idem Simplicius eodem libr. in expositione ad cont. 19. hoc differre ex Aristotele ait intelligibile ab intellectu, quod illud *eam habet vim, vt substantiam indicare valeat; is verò actionem quandam.* Quæ quidem tantò altiùs animo figenda videntur: quantò minùs hæc videntur cæteris fuisse perspecta.

Hinc etiam secundò patet, rectè vtroque loco Aristotelem dixisse in secunda intellectus & scientiæ acceptione; Quòd scilicet non sit scientia aut intellectus ea potestate qua priùs, cùm habitus non erat acquisitus. Ac de eo intellectu addidit

addidit vt vidimus, *ipsum esse potestate quodammodo.* Id enim est quia duo, horum trium, extrema pura sunt, quippe simpliciter talia; nempe aut potestas aut actus absque vlla inter se permixtione. At quod medium est veluti in confinio puræ potentiæ, purique secundi actus, constituitur, ac proinde quasi ex vtroque permixtum est, duplexque quodammodo. Quamobrem dicitur & potentia comparatione actionis & actus secundi; nec simpliciter sed *quodammodo*: & actus, comparatione primæ potestatis quæ materia dicta est cùm scilicet erat potestate ad omnes formas. Ideóque simili ratione sicut dicitur *quodammodo potentia* ab Aristotele, ita dici quoque potuisset quodammodo actus, quia quod potentia ad actum est, licèt non simpliciter sit tale, tamen aliquo modo tale est. vt semen aliquo modo est animal, nimirum potestate. & ideo Aristoteles eodem libro tertio de An. contextu decimooctauo, dixit intellectum esse potentia omnia. Nec plura de his quatuor intellectibus ex Aristotele. Nunc ad Peripateticos.

Quadruplicem hunc quoque intellectum omnes admittunt, atque explicare conantur Peripatetici. Atque vt ad Aristotelis penitiorem sensum accedere possimus, libet à Theophrasto magni nominis Peripatetico seriem Peripateticorum ordiri, quem credibile est vt potè Aristotelis auditorem, eiusdem præ cæteris mentem esse assecutum; quia tamen longum esset omnia quæ ab his dicuntur referre; præcipua quædam ex præcipuis adducere nitar.

Theophrast. Theophrastus ergo referente Themistio libro tertio de An. capite trigesimonono & apud Auerroem eodem libro in Digressione post commentarium 5. perspicuè fatetur in nobis esse intellectum potentia seu materialem, qui forinsecus accedat, corpúsque complectatur, & cum quo vnum compositum constituat: concedit etiam dari intellectum superiorem; nempe agentem, à quo intellectus potentia absoluatur; vt apertè etiam refert Priscianus Lydus in librum Theophrasti de phantasia & intellectu capite quinto & sexto. Vtriusque etiam intellectus in habitu & in actu meminit ex eodẽ Theophrasto idem Priscianus ibidem cap. 9. Loquens enim de intellectu rationalis animæ iisdem fermè verbis vtitur atq; Aristoteles, quę retulimus ex illo cont. 8. *Quando fit singula* inquit *quẽadmodũ sciens actu dicitur: hoc autem contingere dicimus, quando secundum se agere potest; nimirum est & tunc quodammodo in potentia: neque tamen similiter atque tunc quando nec didicerat nec inuenerat.* Eodem ergo modo explicandus est, quo Aristotelis verba interpretati sumus ad asserendum intellectum in habitu & in actu; de quibus etiam Priscianus idem multa ex Theophrasto ibidem cap. decimo ac deinceps refert.

Lydus.

Alexander. Proximus ad Theophrastum tum auctoritate tum tempore sit Alexander inter Aristotelis interpretes nulli secundus, qui vt ait Albertus libro tertio de An. tractatu secundo, capite quarto, inter discipulos Aristotelis aliquando summus habitus est. Is autem libro 2. suo de An. cap. 13. *Intellectus* inquit *ex Aristotelis sententia tripartitus est: Vnus est materialis: materialis autem voco, non quod subiectum sit ceu materia, sed,* &c. & hunc explicat eodem & sequenti capite. Alterum in cap. 15. intellectum ait, *qui iam intelligit, quippe habi-*

A *tum intelligendi habet, & formas intelligibilium sua vi concipere potest atque apprehendere,* &c. De tertio in cap. seq. *Tertius est* inquit *præter enumeratos duos ipse actiuus, per quem materialis in habitum transit*: de quo multa docere pergit tum ibi, tum etiam sequentibus capitibus. Inter cætera contendit ipsum esse Deum, primam rerum causam, déque eo dictum esse ab Aristotele libro secundo de Generatione animal. capite tertio forinsecus aduenire.

Ex quo patet Alexandrum inter intellectus non enumerasse in eo libr. secundo intellectum in actu, quem Aristoteli diximus esse quartum intellectum: quod ab eo factum suspicor; vel
B quia illum ex tribus recensitis non difficile quiuis colligere poterat; vel certè quia in primo suo libro de An. cap. cui titulus est *de intellectu potentiæ* illi triplici intellectui quartum addiderat, fuséque exposuerat. Nam capite *de Intellectu secundum actum.* ipsum intellectum in habitu cùm actum elicit, dixerat esse intellectum in actu. *Iam vero* inquit *agens habitus, intellectus actu dicitur: intellectus autem in habitu nihil aliud videtur esse, quàm dispositæ illæ coacervata, quiescentésque considerationes.*

Sunt tamen qui existiment his quatuor addi oportere Alexandri sententiâ intellectum se-
C cundum habitum, qui sit diuersus ab intellectu in habitu; vt Theophilus Zimara in context. 36. libro 3. de An. *Nam intellectus* inquit *disciplinis absolutus Alexandro in 1. de An. est intellectus secundum habitum, non in habitu, quoniam alterum caput in secundo libro inscriptum est, de Intellectu in habitu.* Sed fallitur hic auctor. Nam vtroque capite citato intellectum siue secundum habitum, siue in habitu, eodem prorsus modo definit: quod nimirum sit is, qui scientiæ ac doctrinæ habitu perfectus sit: Quod Alexander diuersis illis capitibus pertractat; vt varia ex occasione eiusdem rei sæpius repetens declarationem in re in pri-
D mis difficili, quid ipse sentiat palàm esset; sicuti etiam simili de causa intellectum potentiæ, & secundum actum, agentémque non vno tantùm capite declarauit. Zimara.

Ex qua Alexandri doctrina ad ipsius mentem recitata, planum est, quid sentiendum sit de eo quod ipsi Alexandro Philoponus, & apud ipsum Ammonius libro tertio de An. in context. 1. seu 33. attribuit; quòd scilicet opinatus sit triplex esse intellectus significatum: *Primum quidem significare intellectum in potentia, qualis est in pueris, Secundò intellectum in habitu qui est in adultis; Tertium intellectum in actu qui forinsecus aduenit, qui est omnibus numeris absolutissimus. Neque enim est qualis est intellectus potestate aut habitu, qui perfici adhuc vl-*
E *trà possunt, sed qui semper est actu, & cuncta gubernans Deus.* Quibus verbis putat ex recentioribus non nemo, Philoponum aut Alexandri sententiam non tenuisse, aut certè calumniosè aduersus illum egisse. Quandoquidem Alexander disertis verbis dixit, intellectum actu esse intellectum habitu operantem vt suprà retulimus: Non ergo erat Philopono dicendum intellectum in actu Alexandri sententia esse Deum. Philoponus. Ammonius.

Verumtamen nihil nos cogit alterutrum de Philopono sentire: Nam intellectum actu intelligi aliquando agentem; etiam apud Aristotelem reperiri constat libro 3. de An. context. 19. cum dixit, *substantia actu existens.* Sanè Alexander libr. suo 2. de An. ex Aristotele non recenset nisi

nisi tripartitum intellectum, vt supra ex illo vidimus: inter quos reponit intellectum actiuũ, nempe agentem, quem ibi dixit esse primã causam, eamque appellat intellectum in actu: nec alium intellectum in actu ponit; appellat autem intellectum in actu cap. de intellectu actiuo: *Is autem est* inquit *qui suapte natura intelligibilis est, & actu talis.* Ergo in eo loco Alexander Aristotele præeunte intellectum agentem appellat intellectum in actu; nec alium intellectum in actu enumerandum sibi persuasit in eo libro: incertum, quo consilio, nisi fortè altera ex duabus quas retuli causa. Si ergo Philoponus ex libro Alexandri 2. de An. de triplici intellectu sententiam protulit, quis eum ea in re aut calumniæ, aut ignorantiæ insimulet, nisi etiam Alexãdrum ipsum eiusdem criminis arguat? cùm scilicet videamus totidem verbis ipsum eosdem intellectus explicasse.

Plutarchus. Sed Plutarchi Alexandro succedat eadem de re sententia: eius inquam quem & magni videtur facere, & sæpè citat Philoponus in suis commentariis ad librum 3. de An. & quem Simplicius libro 3. de Anima ad particulam 26. dicit *Nestorij filium.* Is autem expresse admittit triplicem tantùm intellectum; quia expressè negat intellectum potestate; quia nimirum est pura ac nuda potentia ad omnia intellectilia, eo modo quo suprà diximus ex Aristotele, Theophrasto & Alexandro; virtute tamen quadruplicem fatetur vt constabit. Ait ergo Philoponus

Philoponus. libro 3. de Anima in cont. 1. seu 33. ex ipso Plutarcho sic: *Dicit* Plutarchus *primum intellectum esse intellectum secundum habitum, qualis est in pueris: Vult enim Plutarchus secundum Aristotelem, pueros habere rationes, & rationalem animam omnia scire, & disciplinas non esse propriè disciplinas, sed reminiscentias, & propterea dat pueris intellectum secundum habitum, & rerum habentem rationes; sed res ignorant, quod disciplina egeant; quæ disciplina est reminiscentia.* Pergit: *Alterum vult esse secundum habitum, & secundum operationes in perfectis hominibus: Tertium est intellectus secundum actum tantum, qui est exterius & est perfectus*; nempe Deus vt posuit Alexander, cui Plutarchus assentitur teste ibi Philopono. Quamuis ergo Plutarchus existimet intellectum secundum habitum esse in pueris, tamen necessariò fateri debet, ipsum esse intellectum potestate, non quidem ad habitum quem habet, sed ad habitum qui operari possit posita doctrina atque eorum reminiscentia, quorum habet habitum: Alioqui perinde esset ac si non haberet notiones. Itaque primò est Plutarcho intellectus potestate ad habitum perfectum: deinde est intellectus secundum habitum perfectum posita reminiscentia &c. dum tamen non habet operationes: Tertiò est intellectus secundum actum dum operatur: Quartò est intellectus agens extrinsecus, quem vocat secundum actum, & ait esse Deum. Nihil tamen in præsenti dicimus de illis notionibus cùm sit alterius loci. Plurima tamen huc spectantia dicam infrà Diff. 4. Vbi de vtriusque intellectus muneribus disputabitur.

Themistius. Quarto loco Themistius cæteris qui sequentur antiquior; & vt ait Albertus libro 3. de Anima tr. 2. cap. 5. *in Peripatetica arte clarissimus*: Is de intellectu potentiæ, & intellectu actu sic habet libro 3. de An. cap. 16. *Intellectum de potentia ad actum commeare nihil apertius; cùm neque semper, ne-*

A *que idem intelligere videamur: sed aliud aliàs: atque hoc argumento est intellectum talem iure, potestatis vocari.* Hic vides intellectum potentia esse quousque perueniat ad actum: ergo tunc cessat intellectus potentia, & fit intellectus actu: de qua etiam re infrà: vnde subiungit definitionem intellectus potentiæ: *Cùm intellectus* inquit *nullam formam scriptam possideat, necessarium est eius natura hoc solo describatur, quod idoneus compos tenerque fuerit recipiendis omnibus formis.* Rursus de eodem intellectu potẽtiæ, & de intellectu in habitu idem Themistius cap. 18. *Hic intellectus* inquit *qui potentia definitur, & primo ortu paruulis contingit, cùm progredientibus ætatibus paululum ijs firmatis accesserit, tum via sensuum ac visionum ope, multaque huius generis exercitatione vniuersales notiones agnoscat,*

B &c. Quid tum? pergit, atque fieri intellectum in habitu: Sic enim ait: *Ipse* intellectus progrediens *sua sponte & citra docentem quæcunque ei collibitum fuerit, commentatur,* &c. & tunc *quasi habitus quidam ei colligitur, & tunc demum agnoscere & intelligere incipit,* &c. En vides intellectum qui potentiæ erat, deinde esse intellectum habitu, quia habitum conquisiuit: Ideò sequitur: *Itaque cùm otiosus est, habitum dicitur premere notionum & intelligibilium generum: Cùm autem notionum aliquam versat actu, tunc idem cum notione illa euadere dicitur: Ideo quoties hanc intelligit, toties seipsum intelligat necesse est.* Quia vt paulò suprà dixerat: Nihil aliud

C intellectus est quàm ipsa intelligibilia, & notiones.

Alias duas propositiones addit de intellectu potentiæ cap. 21. & simul de intellectu actu. Altera est: *Intellectus potentia prorsus nihil actu est:* & paulò suprà: *Intellectus quod potestate est actu nullum antequam id intellectum sit.* Vbi apparet cùm aliquid intelligit actu esse intellectum actu. Altera est: *Fit vero de intellectu potentia intellectus actu quo res ipsas intelligit, atque tunc simul atque intellectus atque intelligibilis est.* Iam ergo habemus triplicem Themistio esse intellectum. Tandem de intellectu agente, quia est reciprocus ad intellectum materialem, multa ait Themistius vnà cum

D materiali: Immò & simul de intellectu habitu & actu. Illud sit satis quod ait cap. 23. nempe *duas esse differentias humani animi, intellectum potentia & intellectum agentem.* Ex qua duplici differentia illæ duæ reliquæ oriuntur. Nam intellectus agens *priorem illum adortus amplexusque, primũ quasi educit lumen è tenebris, & in actu constituit*: hic habes intellectum actu: *Deinde habitum in eo quẽdam efformat, in quo vniuersales rerum notiones, & scientiæ collocantur.* Ex his patet decipi nonnullos qui negarunt Themistio hos dari quattuor intellectus, cùm putent eius opinione pauciores esse asserendos.

Philoponus. Ammonius. Quinto loco sit Philoponus, & apud ipsum

E Ammonius libro 3. de Anima in cont. 33. seu 1. (Ammonij enim dicta retulit Philoponus, nec vlla ipsorum intermissio apparet) triplicem etiã faciunt intellectum; ex quibus quartum de intellectu actu statuemus. Primus est *intellectus potentia ad res, sicut est in pueris: Est etiam intellectus secundum habitum qui res scit, vt in perfectis qui res quidem sciunt, sed quiescunt, & secundum eum non operantur: Tertius est qui non exterius quidem venit vt illi,* nempe Alexander & Plutarchus *arbitrantur; sed est simul secundum habitum, & secundum operationẽ, sicut est intellectus perfectorum, qui res sciunt, & cognitionem tractant, & secundum eam operantur.* Quibus verbis

verbis hi Peripatetici apertè videntur excludere quartum intellectum, nempe in actu, ab agête intellectu distinctum. Faciunt enim intellectum agentem eundem, atque intellectum operantem ex habitu; vt etiam fusiùs docet Philoponus eodem libro in cont. 50. seu 19. vbi ait intellectui agenti conuenire prædicatum illud ex Aristotele cont. illo 19. quod nimirum *per substantiam operatur suam, quia substantia scientis est scientia, & sciens secundum scientiam operatur: ergo operatur secundum suam substantiam:* quia operatur per habitum, qui est scientis substantia. Vult ergo Philoponus intellectum agentem esse intellectum ex habitu operantem.

B Veruntamen negare nô possunt intellectum in actu aliquando esse diuersum ab eo quem agentem constituũt. Nam intellectus antequam habitu scientiario ornetur, sæpè agat, exerceatùrque necesse est: Tunc autem saltem erit intellectus actu & operans; & tamen non erit agens; quia ex illo perfecto habitu non intelligit: ponimus enim operationem quæ habitum antecedit; Et ideò idem Philoponus ibidem in cont. 55. seu in cont. 3. intellectum actu ait esse cum forma: *Habet enim formas* inquit *seu potius est forma intellectus:* Sic etiam in cont. 38. seu 5. fatetur cum Aristotele, *intellectum potentia nihil esse actu prius, quàm intellexerit:* Ergo si intelligat est intellectus actu. Ratio etiam id clarè demonstrat. Etenim certum est intellectum sæpè prodire in actum, ac proinde habere actum: ergo tunc est intellectus in actu. Idem enim est intellectus in actu, & intellectus habens actum, sicut idem est calidum in actu, & habens actu calorem.

C Simplicius. Sexto loco de Simplicio esset dicendum; veruntamen quia eius sententiam fusè explicauimus suprà in hac q. 54. a. 1. Quæsi. 2. Diffic. 1. non est quod iterum quæ acta sunt, agamus; cùm præsertim vix quicquam noui iis addere possimus.

Eustratius. Septimo loco sit Eustratij Peripatetici illustrissimi nominis auctoritas: cui quamuis nulla hac de re occasio fuerit ex instituto disputandi, quia eius commentarij nonnisi in moralem philosophiam atque in Poster. Analyt. libros repeD riuntur; tamen quædam dicit, vnde eandem illi quæ cæteris sententiam fuisse non immeritò suspicemur. Nam libro 6. Ethic. cap. 6. com. suo 2. ait, *intellectum qui in nobis est, & qui habitu tantùm est intellectus, solas à principio communes notiones proprias operationes atque intellectiones habere.* Postea verò perfici purgatis perturbationibus. E quibus apparet concedere intellectum habitu, qui nimirum habet communes illas notiones, vt etiam ipse explicat cap. 7. com. suo 2. Quia tamen concedit deinceps suam perfectionem consequi, proinde ipse affirmat eum esse potestate intellectum; & cum operatur, esse inE tellectum in actu. De agente intellectu nihil ex eo habemus; sed tamen eodem modo philosophari credendus est vt cæteri: Præsertim quia Græci, vt notat Ammonius lib. 1. Periher. cap. de Nomine; ex quo Ammonio idem sumpsit Magentinus in eundem locum, intellectum vocarunt νοῦν masculino genere, & animã fœminino ψυχήν. Propterea quòd *illum* inquit Ammonius *valentem illustrare, hanc velut ab eo illustrari natura idoneam conspexissent.* Atque ita patet communi consensu non negari intellectum illustrantem & agentem, quicunque tamen ille sit. Ammonius.

A Præterquamquòd idem Eustratius libr. 6. Ethic. cap. 5. com. 1. mentionem facit intellectus agentis cùm ait, perfectionem illam quæ est in intellectu participato, extrinsecus aduenire: *Huiusmodi constitutio quia extrinsecus aduenit atque acquiritur, non natura sed habitus animæ appellatur.* Ergo ab aliqua causa intelligente, quam diceret Aristoteles intellectum agentem; quia cùm agens patiente honorabilius sit, deberet ipsa causa esse agens intellectus; vt ipse Aristoteles deducit lib. 3. de An. cont. 19. Atque hæc ex Græcis Peripateticis, è quorum scriptis sententias colligere, eásque in summã redigere atque in capita distinguere, immensi pæne dixerim, operis fuit.

Iam verò nunc facile erit idem ex Arabibus, Latinísque commentatoribus asserere: expressis enim verbis Auerroës, Albertus, & S. Thomas in eos quos citaui locos Aristotelis libro 3. de An. eosdem intellectus quos inibi Aristoteles enumerant atque explicant, ita vt ne latum quidem vnguem ab eius verbis, ne dum à sententia discedere voluerint.

Compendiariò præterea Auerroës libro de Beat. An. cap. 3. dicit ex Alexandro: *Quod sicut in sensibus, ita in intellectu tria requiruntur: intellectus recipiens vt intellectus materialis; intellectus receptus vt intelligibile, quod est speculatiuum acquisitum; & intellectus motor & agens, vt abstractus.* Vbi primò vides intellectum materialem, deinde intellectum acquisitum seu receptum, & quem idem Auerroës libro 3. de An. in Digress. in cont. 5. ad finem, & com. 36. vocauit *intellectum adeptum* esse intellectum in habitu: hic enim acquiritur: Tertio loco intellectum mouentem, seu agentem. De intellectu in actu clarum est ipsum ab Auerroë poni, vt constat ex dictis. Sic etiam cont. 20. eiusdem libri 3. iisdem ipsis tribus intellectibus addit quartum, qui non est ad præsens institutum: *Hoc nomen intellectus* inquit *secundum quod dicitur in hoc libro, quattuor dicitur modis: dicitur enim de intellectu materiali, de intellectu qui est in habitu, & de intellectu agente, & de virtute imaginatiua;* quæ etiam dicitur intellectus aliquando, vt obseruant Ammonius & Magentinus in proœmio ad libros Periher. & alij Peripatetici, vt notaui suprà Diffic. 1. Auerroes.

Albertus etiam magnus missis iis Aristotelis locis in quos edidit commentarios, agit de multiplici intellectu libro 2. de Intellectu & Intelligibili. E quibus hæc faciunt ad præsentem Difficultatem. In cap. 3. optimè agit de intellectu agente; vbi probat ipsum esse veluti lucem atque artem in animo hominis, quemadmodum Aristoteles quoque de eo loquitur libro tertio de An. cont. 17. & 18. eo quod nimirum sicut ars dirigit operationem ad opus, ita intellectus agens regit intellectum materialem ad actus intelligendi; & sicut lumen sua præsentia facit, vt colores visui appareant; ita & intellectus facit suamet virtute, vt intellectus materialis verum videat, &c. In cap. 4. de intellectu possibili seu materiali explicat quonam pacto sit tanquam tabula rasa, in qua nihil scriptum sit; & quomodo sit locus intelligibilium specierum. In cap. 5. de intellectu formali vbi ait: *lumen quod est actus intellectus agentis, esse formam intellectus possibilis, & eius quod intelligitur, & quod educit intellectum possibilem de potentia ad actum.* In cap. 6. de intellectu in effectu Albertus M.

hic ait: *Intellectus in effectu est forma intellecta, quæ est separata a rebus, & quando actu eius mouetur ad intellectum possibilem efficitur intellectus in effectu. Qui intellectus possibilis est in potentia, antequam hæc forma efficiatur in ipso, & cum efficitur in ipso est intellectus in effectu.* In c. 8. ibidem de intellectu adepto ait esse eum qui studio acquiritur, ab eoque sic definitur: *Adeptus intellectus est, quando per studium aliquis verum ac proprium suum adipiscitur intellectum, quasi totius laboris in electum ac fructum*; & lib. 3. de An. tract. 2. cap. 19. *Intellectus potestate* inquit *quando procedit de potentia ad actum, tunc vtitur reminiscentia sensu & imaginatione & phantasia; quoniam ex sensu accipit experientiam, & ex experientiis memoriam & ex memoria vniuersale, & cum autem eam habet scientiam, vocatur intellectus adeptus; & tunc non indiget amplius virtutibus sensibilibus; sicut qui quærit vehiculum; vt dicit Auicenna*, &c. Multa alia de variis intellectibus docet in seqq. capitibus vtriusque libri citati, quæ nunc silentio prætereunda sunt.

Ex his igitur habemus quadripartitum illum asseri ab Alberto intellectum; Primum quidem agētem atque potentiæ intellectū eius expressa verba constituunt: Deinde verò de intellectu in habitu, & in actu constat; Ac de habitu quidem quia is qui per studium acquiritur, est habitus intellectus; per studium enim ac diligentē exercitationem, seu quod idem est, per frequentes actus, facilitas illa ad iudicādum atque habitus comparatur. Quapropter idem Albertus lib. 6. Eth. tract. 2. c. 18. *Intellectus adeptus* inquit *qui habitus & virtus est talis potentiæ quam diximus esse intellectum, est in axiomatibus, ac definitionibus primo & per se* &c. Intellectus denique in actu est idem qui intellectus in effectu est: Intellectus enim possibilis erat in potentia, vt ipse ait, antequam in eo efficeretur forma intellecta; & cùm in eo efficitur, non est amplius in potentia, sed in effectu: ergo est intellectus in actu: Hic enim solùm remouet, excluditque rationem potentiæ. Vnde etiam patet (vt hoc quoque obiter dicamus) qua ratione distinguat Albertus intellectum in effectu & intellectum formalem. Nam formalis est qui nondum est in effectu, sed intellectus agētis lumine informatur, quo educitur de potentia ad actum; Quibus significat huiusmodi formalem intellectum esse illum, qui obiecti speciem acquisiuit, cæterasque antecedentes conditiones, quibus velut illustratus prodire in actū potest.

Alexand. de Ales. Alexander de Ales lib. 3. Metaph. cont. 4 *Intellectus* inquit *in habitu est, cum intellectus possibilis est deductus ad actum per aliquem conceptum* &c. Quæ verba tres intellectus significāt; nempe potestate, habitu, actu. De agente autem lib. 7. Metaph. cont. 28 in quadam quæstione qua quæritur: *Vtrum ideæ requirantur propter scientiam*. Ibi ergo expressè docet de intellectu potentiæ & agente: *Cuius lux* inquit *apta nata illustrare primo super principia, secundario super cōclusiones*: & infrà: *quæ quidem lux* inquit *est imago lucis separata & exemplaris*: & li. 2. Metaph p. 34. col. 4. in ea Aristotelis verba *Habere autem ait intellectum agentem & principia per se nota cōcurrere ad eundem actum sciendi*. Sed intellectum vt causam præcipuam, principia verò tanquam instrumenta.

A. Doctor. Deniq; A. Doctor præter locos Aristotelis significatos multa dicit de variis intellectib. E quib. hæc sufficiant, quæ de prædictis quatuor egregie explicauit infrà q. 79. a. 10. c. *Inuenitur* inquit *talis diuisio a philosophis: quandoque enim ponunt quatuor intellectus; scilicet intellectū agentem, possibilem, in habitu, & adeptum: Quorum quatuor intellectus agens & possibilis sunt diuersæ potentiæ; sicut & in omnibus alia est potentia actiua, & alia passiua: Alia verò tria distinguuntur secundum tres status intellectus possibilis, qui quandoque est in potentia tantùm; & sic dicitur possibilis; quandoque in actu primo, qui est scientia, & sic dicitur intellectus in habitu; quandoque autem in actu secundo, qui est considerare, & sic dicitur intellectus in actu seu adeptus.* Similiter de Verit. quæstion. 17. a. 1. c. *Hoc nomen intellectus* inquit *quandoq; significat rem intellectam; sicut nomina dicuntur significare intellectus, quandoque ipsam intellectiuam potentiam; quandoque verò habitum quendam, quandoque verò actum*, &c. De intellectu autem agente plenissime agit eadem q. 79. a. 3. & 4. & alibi non rarò. Ex quibus omnibus apertum est, omnium Peripateticorum cōsensione quattuor intellectus partitiones ad humanum animum spectantes esse concedendas; non ita tamen vt non possint illæ diuidi in plures alias, pro variis eiusdem intellectus statibus, vt consideranti non difficili negotio constare potest.

Quid intelligat Aristoteles lib. 3. de Anima cùm dixit de intellectu agente, ipsum esse separabilem, & solum hoc quod est, immixtum, & sua substantia actum, &c. §. 5.

Colligitur secundò, quanam ratione intelligendum sit illud Aristotelis dictum in libro 3. de An. cont. 19. cū ait de intellectu agente: *& hic intellectus est separabilis, immixtus*, &c. & illud eodem libro cont. 20. *Separatus autem est solum hoc quod quidem est; & hoc solum immortale est, ita perpetuum.* Colligitur inquam cùm hæc verba primariò dicantur de intellectu agente, vt ante ostendimus, qui Aristotelis sententia est substantia intelligens, debere ea sic accipi, vt primò per *separabilis intellectus* Aristoteli denotetur is, qui actu separatus, auulsúsque prorsus a corpore est, non de facultate animi. (Aristoteles.)

Idque duplici potissimùm de causa. Prima est, quia Aristoteles ait eodem cōtextu, ipsum substantia esse actu seu actionem, vt alij legunt: nullius autem intellectus qui sit animæ facultas, est substātia aut actio, aut actu. Non quidem actio, quia ille intellectus est substantia actio, qui non est potentia ad actionem, siue qui nunquam agere desinit. Propterea enim intellectus materialis non est sua substantia actio, quia vt ait Simplicius lib. 2. de An. ad cont. 5. in 2. exposit. *licet præsens sit, aliquando tamen non agit*; vt in ebrietatibus vehementibus, &c. *& hac ratione* inquit *differt ab intellectu qui sua substantia actio est.* (Simplicius.)

Et hoc sanè meritò: Quia illud esse sua substantia actionem, Aristoteles opponit ei quod est esse in potentia, ad ipsam actionem; nempe quia opponit hæc duo, *intellectum potentia & intellectum agentem*, seu quod idem est *omnia fieri & omnia facere*, seu etiam agens & materiam; vt patet eo lib. cont. 17. 18. 19. Ergo huiusmodi intellectus non est facultas animæ: Quia omnis animæ facultas aliquando fuit in potentia, tum ad agendum, tum ad recipiēdum; vt in pueris patet, dum in iis vterque intellectus progreditur ad perfectum, absolutúmque statum. (Aristoteles.)

Neque

Neque erit sua substantia actu, quia Aristoteles eodem modo illum intellectum dicit actu, quemadmodum intellectus potētia dicitur potentia: hæc enim duo vt diximus contraponit. Generatim enim constat ad illud materiam esse in potentia, secundum quod agens in illam, est actu, vt ita omnia efficiantur *ab actiuo & actu existente*, vt ex Aristotele libro 2. de An. cont. 54. suprà diximus. Ergo intellectus agens Aristoteli est sua substantia actu illæ formæ, nempe intelligibiles, ad quas intellectus potentia est in potentia: Et ideò dixerat intellectum in potentia in cont. 14. *esse potentia intelligibilia, & actu nullum antequam intelligat.* Ergo has formas intellectus agens habet actu, ac proinde Aristoteli non est animi facultas, cui non omnes Aristoteli sunt insitæ rerum species, quas intellectus agens format in ipso intellectu possibili.

Aristoteles.

Altera causa est quia paulò post nempe cont. 20. de eodem ait: *Separatus autem est solùm hoc*, &c. Ergo non solùm vult esse separabilem, quia separari possit à corpore; verùm etiam quod actu separatus sit; quod facultati animæ non conuenit, quæ vnà cum anima sunt in corpore, licèt eius substantia sit immaterialis, indepēdénsque à corpore, ac proinde separabilis. Falsum ergo esset ipsum solum esse separatum, hoc est, separabilem à corpore.

Secundò debent accipi illa alia verba *Separatus autem solum hoc*, &c. vt sensus sit, separatus intellectus est solùm id quod est, quia solus separatus intellectus est intellectus propriè Aristoteli, qui semper operatur sine vllo corporis obstaculo. Vt enim ait Philoponus in hæc verba Aristotelis *tunc propriè est intellectus quando est intelligens; & ita ait nostrum intellectum quando intelligit, & fit secundum actum, tunc fit id quod est, id est propriè intellectus: Qui enim est potentia non est propriè intellectus.* Quia ergo separatus ille intellectus sēper intelligit, vt antè proximis verbis de eo dixerat Aristoteles; Nimirum *sed non aliquādo intelligit, aliquādo nō intelligit.* Ideò separatus est id quod est; nempe propriè intellectus semper intelligēs.

Philoponus.

Quod etiam confirmatur ex eo, quod suprà diximus ex Simplicio hic in particul. 19. post medium: Hoc distinguitur intellectus ab intelligibili, quod intelligibile *indicat substantiam, intellectus verò actionem quandam.* Immò quod magis est, idem Simplicius addidit eodem lib. 3. de An. in exposit. ad particul. 4. nostrùm intellectum si non intelligibilia cōprehendat, non esse adhuc intellectum: *Ne igitur intellectus quidem est; quandoquidem intellectus, intelligibilium est cognitio; Intelligibilia verò sunt, quorum cognoscendorum vim sensus non habet.* Plus ergo quàm Philoponus docuit, intellectū non esse propriè intellectū, nisi intellectile aliquod intelligat, nēpe ex eorum genere quod sub sentientes facultates cadere non potest.

Simplicius.

Aristoteles ergo voluit illum separatum intellectum esse propriè intellectum, quia semper intelligit. In quo distinguere Aristoteles videtur nostrum intellectum à separato; Quod separatus est solùm intellectus propriè, quia semper intelligit; noster verò tunc propriè est cùm intelligit & fit actu, & ideò addidit illum separatum *solum* esse id quod est, nempe semper, quod noster intellectus aliquādo est. Dixerat enim in cont. 16. nō semper intelligere; Ideò etiam ibidē subdidit Aristoteles de eodē intellectu separato: *& hoc solū immortale, & perpetuū:* Dixit enim ipsū

Aristoteles.

A solum esse immortalem, nō quidem ad substantiam tantummodo respiciēs: Non paulò antè dixerat, ipsum nostrū intellectū non esse mixtum cū corpore, in cont. 10. impassibilē verò seipsum, atque adeò ipsa intelligibilia cognoscere cōt. 7. Immò ipsum esse intellectilem, sicut cætera intellectilia, & sine materia esse omnē intellectū cont. 15. & 16. Ergo *quonam pacto* inquit Simplicius hoc loco *cùm & ille intellectus sit, corrumpitur? Siquidē & ille sine materia est; intellectus namq; omnis sine materia positus atq; constitutus fuit, & propter id omnis quoq; intellectus est intelligibilis.* Non ergo ad substantiā respexit tantū Arist. sed ad operationes, cū eū dūtaxat immortalē ac perpetuū dixit.

Simplicius.

B Id verò rectè omninò dicimus: Immortale enim illud propriè est cui sēper cōuenit vitā traducere: Ergo ille intellectus erit immortalis, cuius erit semper suam vitā traducere: intellectum autē traducere suā vitā videtur esse perpetuare vitā intelligendo. Sic enim Arist. lib. 10. Eth. c. 7. vbi ait: *vitam quæ ex intellectu traducitur, si humana vitæ cōparetur diuinam esse.* Ex quo ait conandū esse homini, vt ex ea *quatenus licet immortalē se reddat.* Ergo ibi intellectū vitā traducere Aristoteli est operari intelligēdo. Vnde c. 8. ibidem ait, omnes quidē arbitrari *Deos viuere, quare & operari*; quasi vitā traducere & operari idē sit. Vnde & in vita contēplatiua repositā esse felicitatem hominis docet c. 8. ibid. Erit ergo immortalis hoc pacto

Aristoteles.

C intellectus ille, cuius operatio nūquā cessat: Ergo solùm separatus immortalis est quoad actus intelligendi: Vnde *Diis* inquit eodē c. 8. Aristoteles *beata tota vita est; hominibus autē eatenus, quatenus similitudo quædam eiusmodi operationis in ipsis inest.* Et vt clariùs docet lib. 12. Met. cont. 39. loquens de Deo: *Vita illi qualis nobis pauco tēpore optima est.* Ergo huiusmodi solis intellectibus est immortalis vita, hoc est, non interruptus contemplandi actus, qualis nobis ad tēpus breue vix conceditur; quæ quidem contemplandi actio si semper in nobis permaneret, vtique & noster intellectus immortalis hoc pacto foret, non solum quoad substantiam, quod omni intellectui commune est; cùm quilibet semper post corpora maneat.

Aristoteles.

D Quam quidem esse Aristotelis mentem, non obscurè colligitur ex eo quod subdit in eo cōt. 20. Cùm enim videri posset ex illis verbis sequi nostrū intellectū in potentia esse corruptibilem, quia illū solū intellectū separatum immortaléq; dixerat, nēpe agentē; statim soluit obiectionem explicatione eorū quæ dixit; nimirū nostrū quoque intellectū esse immortalem quoad substantiam; etiāsi non reminiscamur eorū quæ in corpore gesta sunt, licèt immortalis non sit quoad intelligentiam. Reddit autē rationem cur nō reminiscamur, quia scilicet etsi *hoc*, nempe intelle-

E ctus noster, siue patibilis, vt legit Simplicius; siue passiuus, vt interpres vertit, *impassibile est*, tamen *passiuus intellectus corruptibilis est, & sine hoc nihil intelligit*; nēpe nihil memorabilium; vt rectè Simplicius exponit, quandoquidem de his Aristoteli sermo est: ergo nō recordamur. Non enim eorum quorum memoria est cognitio fit, nisi per passibilem intellectū sensu ac phantasmate vtentem. Memoria enim ex Aristotele in lib. de Memoria & Reminiscentia c. 1. *est intellectiui secundū accidens, per se autem primi sensitiui.* Quia igitur is intellectus patibilis, qui cū sēsu ac phantāsmate intelligit, interit; ideò nō recordamur eorū, quæ aliquādo in vita gessimus. Sētit igitur

Aristoteles.

Aristoteles intellectum patibilẽ substantia quidem incorruptibilem esse, non tamen quoad actus, qui cùm à sensili obiecto pendeant, eorum non est recordatio.

Simplicius. Quocirca rectè hic monet Simplicius illam particulam *nihil* non esse accipiendã simpliciter; quasi nihil omninò intelligamus sine sensu & phãtasia; sed quod nihil qua patibilis intellectus est. Nam si arbitraretur Aristoteles nihil intelligi à nobis simpliciter absque sensu, & phantasmate: *Quo nam;... modo* inquit Simplicius *adhuc separabilis intellectus esset?* &c. *Quod Deus semper est, id nos aliquãdo obtinemus ex potestate nostra: Deus autem semper separabilis est:* nẽpe quoad separationẽ à sensu in intelligendis obiectis: *& nos itaq; aliquãdo:* nempe aliquando absque sensu & phãtasmate intelligendi actum elicimus. *Nos inquam qui naturalem istam vitam viuimus, cum anima, absque vllo respectu erga corpus, tametsi breui tẽpore sese habuerit.* Vides ergo Aristoteli passibilẽ intellectũ interire non quidem substãtialiter, quia iam dixerat intellectum sine materia esse: Ergo qua intellectus passibilis est; hoc est secundũ quod agit patiẽdo, recipiendo nimirũ species ex phantasmate. Qua ratione interit; quia post mortem in meliorem statum, conditionemque mutatur. *Passibilis itaque intellectus* rectè hic inquit Simplicius *quatenus passibilis corruptibilis est.* Dixerat enim paucis verbis antè: quia omnis intellectus sine materia est, ac proinde nulli corruptioni obnoxius *propter hanc causam corruptibilis quatenus passibilis est*, quod meliùs explicando subiunxerat: *ita vt passibilis intellectus interitus sit, haud quia in id quod non est abeat; sed quia cum eo quod præstãtiori ratione est coniungitur;* Quia scilicet vt ipse obseruat, cùm separatus est, illam vitam quam in sensilia obiecta exercebat, in seipsum reuocat, ea intelligendo, quorum in se simulachra continet nihil amplius è sensilibus rebus excipiendo.

Atque hic mihi videtur in quæstione tam difficili germanus verborum Aristotelicorum sensus, quem omnium optimè assecutũ esse Simplicium video: Nam quod alij dicunt, vt Philoponus, hic per *intellectum passibilem* intelligi imaginandi facultatem, absque firmo fundamento dicitur, noménque intellectus in alia significanda transferunt quæ eidẽ nomini veluti suppositititia sunt, non autem eius germana significatio. (Philoponus.)

Tertiò denique illa particula *perpetuum* sic accipi debet, vt significet maiorem eius immortalitatis explicationem quoad intelligendi actus; vt sensus sit ipsum intellectum separatũ immortaliter ac perpetuò illos actus eliciturum. Licet enim possit aliquid esse perpetuum non immortale: (ea enim quæ vita carent, vt materia & alia huiusmodi nõ sunt immortalia, vt benè hic obseruat Philoponus) tamen nullum immortale est quod perpetuum pariter non sit; propterea quòd immortale est id in quod nulla mors potest, ac proinde hoc ipso suæ vitę perpetuitatẽ inuoluit.

Quam forte particulam addidit Aristoteles vt Platonem magistrum imitaretur. Plato enim in Phædone immortali subiecit τὸ ἀνώλεθρον id est incorruptibile. In qua etiam re arbitratur Simplicius hic summã Aristotelis esse cum Platone concordiam; additque eam particulam additam esse, ne quis cum Boetho existimaret intellectum illum immortalẽ esse quousque mors ingrueret, qua accedente inde viuens periret inquit Simplicius. Quæ tamen vt verum fatear, (Simplicius.)

A potiùs ad mysteria, quàm ad veritatẽ mihi videtur dici. Quod sane cum Aristotelæa sinceritate plurimum pugnare, omnibus certum est.

Cùm Aristoteles alicubi docet animam non posse esse sine corpore, intelligit qua anima est, non substantialiter, ad quod referuntur etiam veterũ expositiones, ostenditurque eos qui ex similibus locis animum mortalem Aristoteli esse docuerunt, nec Aristotelicè nec piè philosophatos esse. §. 6.

B

VNum tamen hoc in loco obseruandum in primis videtur, quod meliùs doctrinã, quàm de intellectus operantis immortalitate tradidimus declaremus; nimirum non esse nouum apud Aristotelem, veterésque Peripateticos, aliquid esse ac dici corruptibile, comparatẽ ad aliud, cùm tamen simpliciter & secundum substantiam omni vacet interitu. Etenim Aristoteles li. 2. de An. cont. 26. laudat eos qui opinati sunt, *neque sine corpore esse, neque corpus aliquod animam*, propterea quòd licet anima corpus non sit, corporis tamen aliquid est, nempe forma atque ἐντελέχεια, vt dixerat suprà cont. 6. & 7. Itaque docet animam non posse esse sine corpore, non quidem substantialiter, quandoquidem animus intelligens seu intellectus noster Aristotelis sententia non necessariò in corpore est. Immò li. 1. de An. cont. 49. apertè dixit: *Melius intellectui esse, non esse cum corpore*; de qua re suprà disputatum à nobis est. Vult ergo non posse esse sine corpore, qua anima & perfectio corporis est, vt etiam supra à nobis declaratum est. (Aristoteles. C)

Quam veritatẽ Philoponus in illum locum; nempe cont. 26. optimo declarauit exemplo. *Velutì gubernator* inquit, *qui nauis cùm sit ἐντελέχεια, quatenus gubernator est, ab naui separari non potest; Verùm quia non solùm gubernator est, sed etiam homo; vt homo quidem, non autem vt ἐντελέχεια ab naui separabilis est. Hoc etiã modo anima nostra, quæ quatenus corporis ἐντελέχεια, non potest esse sine corpore: sed quoniam quasdã à corpore separabiles habet actiones; scilicet circa intelligibilia, in quas non modo corpus nõ confert, veriùm etiam impedimẽto est intellectui, inde patet quod substãtiam separabilẽ habet.* Quocirca rectissimè idẽ Philoponus subiungit, cum animus separatus est, non posse dici amplius animã nisi potestate, sed propriè esse intellectum. *Anima separata* inquit *intellectus dicitur non anima nisi in potentia.* A quo loquendi modo nõ dissidet Simplicius in eundẽ cont. 26. & 27. qui ait Aristotelẽ ex eo quòd anima est animati corporis anima, *iure eos laudasse qui neque corpus animã ipsam, neq; sine corpore esse putarũt.* Nam si alia ratione animus non cõsideretur, separabilis atque intellectus dicendus est, sic enim subdit: *namq; quicquid ipsius animæ rationem participantis separabile est in primis quidem ab ipso intellectus appellatus fuit*; etiãsi intellectus quoq; qua ratione ad sensilia obiecta propendet, actus corporis sit, non secus atq; nauta nauigij sit: Quibus etiam consensit A. Doctor vt suprà obseruatum est & paulò pòst dicam ex q. 97. a. 3. infra. Idémque diximus ex Themistio & aliis. (Philoponus. D E Simplicius.)

Ex

Ex quibus patet animam non tam esse essentiæ nomen, quam habitudinis, quam Græci σχέσιν vocant. Vnde obseruat rectè eodem loco Theophilus Zimara pag. 128. col. 2. & quidem iis quæ paulò ante de intellectu, quod operationē significet consentaneè, intellectum qua intellectum, esse separabilē substantia & actione; animā verò substantia quidem, non tamen actione & habitudine, quoniam eius habitudo & actio non sine corpore intelligitur: hoc enim pacto penitus includit corpus, & alicuius materialis operationis principium. Non enim dicitur anima siue Græcè siue Latinè, nisi qua est corpori viuendi, respirandique principium: Quia qua anima est *his definitio est* inquit Aristoteles libro 2. de An. cont. 18. *Vegetatiuo, sensitiuo, cogitatiuo, & motu:* Quod aliis verbis dixit cont. 24. ibidem; Principium quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus; nempe ratiocinando. Nam cogitare, &c. est quidem actus coniuncti seu compositi; vt ipse dixit libr. 1. de An. cont. 66. Intellectus est non coniuncti; vt fusiùs suprà diximus.

Zimara. Aristoteles.

Quamobrem secundum has operationes mēs seu intellectus dicitur non anima: Nam *qua separabiles habet actiones, mentem* inquit Simplicius lib. 1. de An. ad particulam *66. consueuit appellare Aristoteles; vt nauta à naui non quatenus nauta, sed quatenus homo separatur.* qui loquēdi modus consentaneus sacris Theologis est. Vt enim docet A. Doctor infrà q. 97. a. 3. c. Anima rationalis & anima est & spiritus. *Dicitur autem esse anima: quod est sibi commune & aliis animabus, quod est vitam corpori dare. Vnde dicitur Genes. 2. Factus est homo in animam viuentem; id est vitam corpori dantem; Sed spiritus dicitur secundum illud quod est proprium sibi, & non aliis animabus; quod scilicet habeat virtutem intellectiuam immaterialem, &c.*

Simplicius. A. Doctor.

Ex quibus vlteriùs manifestū est, aut inscitiæ, aut certè animi peruersè philosophantis eos esse redarguendos, qui ex his similibúsque locis, animam omnem Aristoteli mortalē esse docuerunt: Cùm cōstet Aristoteli ac Peripateticis animam intelligentem, esto qua anima est, non sit sine corpore, substantia tamen atque intelligentia ab omni corpore esse separabilē, quemadmodum è contrario licèt intellectus secundum prudentiam, qua nimirū exercet prudentiæ functiones, vt suprà diximus, singulis hominib. nō insit; vt docuit Aristoteles lib. 1. de An. cont. 24. tamen constat substantia, & plerisque aliis intelligendi actib. homines qua homines sunt constituere, cū sit substantialiter hominis forma; si nimirum sumatur intellectus pro substantia animæ. Vt hinc liquidò appareat posse quidpiā alicui aut dici inesse, aut separari ab eo secundū substantiam; esto secundum aliquid comparatè ad aliud aut eidem non insit, aut ab eo non separetur. Atque hæc de posteriore huius Difficultatis parte.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Vtrùm apud Aristotelem & Peripateticos nomine Intellectus significetur ipse hominis substantialis animus: Et vtrùm apud eosdem præstet eundē animum nomine Intellectus quā animi significari.

QVoniam superiore Difficultate non semel dictum est, nomine intellectus plerumque ipsum substantialem hominis animum ab Aristotele intelligi, non facultatem qua animus proximè ipsum intelligēdi actum promit; quod quidem difficultate non caret; ideò pretium operæ me hic facturum existimaui, si hęc diligentiùs ex ipsius Aristotelis Peripateticorúmque verbis effatísque roborarem. Cùm præsertim quæcunque de intellectu humano disseri possunt, plurimum sint habitura virium ad ea, siue quæ de Angelorum natura diximus hactenus, siue quæ deinceps de eorumdem affectionibus explicabimus confirmanda. Quam quidem ego de intellectu disputationem cùm se occasio offert, tantò libentiùs arripere soleo, quantò certiùs apud omnis generis sapientes præstantissimam intellectus atque adeò animi nostri naturam inter immortalium, diuinarúmque rerum gradus collocari video; vt meritò nostri temporis siue hæreticos siue philosophastros, non minus inscitiæ quàm stultitiæ pudere debeat. Quādoquidem cùm ipsi Peripateticæ, veræque philosophiæ prorsus ignari sint; inter sapientes tamen versari, & quasi in sapientiæ toga, saltantis personam induere audent.

Ponendum autem in hac difficultate est, cùm dicimus animum siue animam rationalem, eam à nobis intelligi, quæ sit in homine vitæ principium, & ex qua potissimum dignosci potest animal Vtrùm viuat cùm dubitatur mortuū, nempe eius vitæ quæ operationes sunt, quæ omniū consensione viuentibus ascribuntur.

Notandum autem hic est, idem significare animam hominis atque animum apud Latinos: Quamuis enim ob varias actiones nunc anima nunc animus proferatur; anima quidem qua principium est viuendi; animus verò qua consilij, & quo sapimus vt obseruat Nonius & Lactantius libro de Opificio Dei cap. 18 Isidorus lib. 11. Originum cap. 1. Hugo Victorinus libro de spiritu & anima cap. 14. Tamen animum & animam indifferenter accipi Tertullianus contendit libro suo de Anima cap. 12. eadémque ratione vsurpari à duobus Epicureis poëtis docuit Lactantius cap. 18. cit. In quo fortè alludit ad illud Lucretij Epicurei lib. 3. vbi ait:

Nonius. Lactantius. Isidorus. Hugo Vict. Tertull. Lactantius. Lucretius.

Nunc animum atque animam dico coniuncta teneri
Inter se, atque vnam naturam conficere ex se.

Equidem legere me memini apud Ciceronem lib. 1. Tusculan. qq. non longissimè ab initio, suo tempore vsitatius Animæ, quàm Animi fuisse vocabulum. *Animum autem,* inquit *alij Animam vt ferè nostri, declarant nominari: nam & agere animam & efflare dicimus; & animosos; & benè animatos, & ex animi sententia,* &c. Immò etiam hæc duo nomina vnum idémque significare Aristoteli ac Peripateticis, non est difficile ostendere. Animus enim Latinè teste Tertulliano lib. de An. cap. 10. Græcè dicitur νοῦς, id est mens seu intellectus: Sæpe autem idem est Aristoteli ac Peripateticis mens atque intellectus, quod anima rationalis. Afferam nonnullos ad hanc rem confirmandam ex iis Peripateticis certos locos, nam dubios præterire satius duxi, ne hîc cogar locum dare examini.

Cicero. Tertull.

* * *

Referuntur duodecim ex Aristotele loca, in quibus manifestè animus humanus quo homo est homo, appellatur Intellectus. §. 1.

Aristoteles. ET primò quidem Aristoteles lib 1. de An. cont.46. aduersus Timæi Platonisve sententiam arguit, quòd is non rectè diceret, animam præsertim Mundi esse magnitudinem. *Eam en.m* inquit Aristoteles *quæ vniuersi talem vult esse, qualis est vocatus intellectus.* Id autem voluisse Platonem, sic ostendere pergit Aristoteles: *non enim qualis est sensitiua, nec qualis desideratiua; harum enim motus, non circulatio est*; nimirum quia circulatio à Platone, non est nisi solius intellectus operatio; vt eodem libro patet cont.48. Solus enim intellectus in seipsum operãdo recurrit vt super. Diff. dictum est. Cùm itaque Aristoteles dicit, *talem Platoni esse animam Mundi, qualis est qui vocatur intellectus*, per intellectum necesse est intelligat animam hominis rationalem; non propterea tantùm, quia nullus alius intellectus vocitari communiter poterat ita simpliciter intellectus, vt posset dici qui *vocatur intellectus*: nam Intelligentię aut fere ignotæ, aut certè remotissimæ, & non ita in promptu vt humanus, sed etiam quia Plato humanam animam & intellectum dicebat esse circulum, eiúsque operationem circulationem seu rotationẽ; vt patet ex cont.48.& 61. & nos dicemus suo loco. Aristoteles. Vnde Aristoteles in eo cont. 46. citato, postquam dixit *animam Mundi esse, qualis est qui vocatur intellectus*; subdit: *Non enim qualis est sensitiua aut desideratiua*, nec excludit rationalem: Ergo euidens signum est, Aristotelem cùm dicit *vocatum intellectum* intelligere de intellectu hominis, & solùm excludere sensitiuam, & desideratiuam animam. Immò si intelligere voluisset primas Intelligentias nullo modo dixisset: *Qui vocatur intellectus*; sed qui verè & propriè intellectus est; eiúsque sinceram, purámque naturam habet; à qua cùm deficiat intellectus hominis, rectiùs dicitur qui vocatur intellectus, quàm qui est intellectus: Et in hoc etiam consentiunt interpretes omnes in eum cont. 46. Themistius, Philoponus, Simplicius, Albertus, A.Doctor, & alij. Ergo Aristoteles pro eodem sumit intellectum hominis & animam hominis. Themistius. Philoponus. Simplicius. Albertus. A. Doctor.

Alter locus manifestus est eodem libro 1. cõt. 65. vbi sic ait: *Intellectus autem videtur innasci, substantia quædam existens & non corrumpi*; quod egregiè confirmans ait: *Maximè enim corrumperetur ab ea quæ est in senio debilitate.* At hoc deinde negat; aitque id esse, quia *anima nihil patitur in senio, sed in quo, sicut in ebrietatibus & morbis.* Quibus verbis clarum est, cùm dicitur: *Intellectus autem*, &c. significari animum hominis intelligentem; Tum quia ait intellectum innasci. At quis alius vnquam dici potest Intellectus innasci præter humanum, si cæteri sunt separati, neque omninò vnquam fiant in alio, vt ita dici possint innasci? Tum quia de cæteris non dubitatur; corrumpantúrne aut debilitentur in senio. Neque de cæteris verum est non corrumpi in senio; sed sensoria debilitari quæ puris

A intellectibus non attribuuntur. Hoc igitur verum est de hominis intellectu. Vnde & concludens subdit: *Ipsum igitur intelligere marcescit aliquo interiùs corrupto; ipsum autem impassibile est:* Ergo loquitur de principio intelligendi quod est in homine, quod non patitur, sed sensoria interna, ac proinde de hominis animo intelligente, & propterea vtrumque confundit: quod enim dixit de intellectu non corrumpi, in eius causa reddenda dixit, quia *anima nihil est passa sed id in quo.* Et hoc etiam omnium eorumdem interpretum auctoritate confirmo. Vnde Simplicius lib.1.Phys. com. suo 3. post medium reprehendit Alexandrum quod temerè ea Aristotelis verba in 1. de An. cùm dixit mentem separabilem, non de ipsa vi animæ nostræ, sed de diuina velit intelligere, &c. Simplicius. Alexander.

B Tertius locus est nec minùs ad id ipsum probandum efficax, ex eodem lib. 1. cont. 82. vbi ait: *Impossibile est aliquid esse præstantius anima; impossibilius autem adhuc Intellectu. Rationabilissimum enim est esse hunc antiquissimum, & dominum secundum naturam.* Quæ verba Simplicius, Philoponus, Albertus, & A. Doctor de anima hominis rationali interpretati sunt. Simplicius. Philoponus. Albertus. A.Doctor. Id quod manifestissimè patet; quia Aristoteles aduersus Empedoclem argumentatur, vt probet animam non esse ex elementis conflatam: vt ipsi arbitrabantur. Nam si elementa sint materia animæ; ergo illis C dandum est aliquid, quod elementa dissidentia, atque in diuersum abeuntia vniat atque contineat: *hoc autem quod continet* inquit Aristoteles *principalissimum est, quodcunque est*: nempe quia est eorum quæ continentur forma. Aristoteles. *Anima autem aut Intellectu esse aliquid præstantius, impossibile est, qui antiquissimus est & dominus secundum naturam.* Ergo anima aut intellectus, est continens & forma: ergo non constat ex elementis. Quam consequentiam tanquam notam suo more omisit Aristoteles & rectè; quia planè ex præmissis sequitur, vt patet ex verbis relatis: Iam ergo nomine intellectus intelligi animum ratiocinantem patet hoc euidenti argumento. Etenim illum D intellectum intelligit Aristoteles, qui in viuentibus dari debet, vt materiam nempe elementa dissidentia contineat: Sed talis intellectus est animus intelligens & non alius Aristoteli eo loco. Ergo nomine intellectus intelligit Aristoteles animum ipsum intelligẽtem seu rationalem. Maior patet ex verbis Aristotelis iam positis. Ex eo enim quod continens est præstantius contento, ait id quod continet elementa, debere esse formam & animam. Hoc autẽ continens ait esse intellectum & animam, quia nihil est intellectu præstantius. Ergo illum intellectum intelligit qui est forma & anima. Minor etiam patet, quia nullus alius intellectus est E qui elementa tanquam forma contineat, saltem æquè manifestus omnibus, ac animus hominis, de quo præsertim veteres loquebantur cùm de anima disputabant.

Neque obest quod Aristoteles dicat intellectum esse antiquissimum, & dominum; quod non videtur conuenire animæ rationali. Nõ inquam obest: quia aut dicit antiquissimum, quia putat eum præexistere corpori; vt Simplicius & Philoponus explicant: Simplicius. Philoponus. Aut, quod ego magis crediderim, non dicit Aristoteles eum esse antiquissimum & dominum simpliciter, sed *secundum naturam* addidit, vt denotet eius esse naturæ intel

intellectum, qua conuenit cum primo rerum opifice ac domino, ac proinde nihil reperiri intellectu præstantius posse. Quare Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. 8. Intellectum ait esse Diis συγγενέστατον id est propinquissimum; ex eodémque genere esse; *Si inquit aliquam rerum humanarum Dij habent, vt videtur consentaneum, est ipsos re illa quæ optima est & ipsis maximè cognata delectari, qui est intellectus.* Ex quo videtur nobilitatem intellectus magnifacere, quia Diis maximè cognata est.

Aristoteles.

Quartus locus est eodem libro cont. 92. ex quo propositum ostendi clarissimè potest. Cùm enim Aristoteles cont. 91. impugnasset Platonis opinionem, qui in Timæo tres asserebat hominis animas partiales, corporis partibus sedibúsque distinctas; Intelligentem in capite, tanquam in arce dominam; iracundam in corde, veluti in humanarum affectionum officina; concupiscentem in iecinore; quasi eam vellet veluti belluam in suo præsepio alligare. Cùm inquam hanc sententiam impugnasset eo argumento, quo sententiam Empedoclis de elementis euerterat cōt. 82. quia scilicet cum plures sint animæ inter se repugnantes, adesse vnum aliquod necesse est, quo partes illæ vniantur & colligentur; vt ita ex vna anima fiat vnum viuens, &c. Statim cōt. 92. alio, eóque valido argumento id ipsum conuellere nititur, quia impossibile esset quod Plato dixerat singulas animæ partes continere suas partes corporis. *Qualem enim partem, aut quomodo intellectus contineat, difficile est vel fingere*; nimirum quia cùm immaterialis sit, nullam sibi poscere potest determinatā partem. Patet ergo ibi *intellectum* significare animam intellectiuam, seu rationalem, cui malè assignauit Plato determinatam sedem in capite. Ex hoc enim loco sic fit argumentum. Illum intellectum appellat intellectum Aristoteles, quem Plato ponebat in cerebro seu capite. Vt enim hanc sentē iam euerteret, dixit ei non esse assignandam determinatam sedem. Sed Plato ponebat in capite aut cerebro solum animum hominis intelligentem; ergo hunc animum hominis intelligentem appellat intellectum. Ex quibus etiam constat si de alio intellectu, & non de intelligente anima id dixisset, nullum futurum fuisse aduersus eam partem sententiæ Platonis, qua animam intelligentem ponebat in capite, argumentum; quod scilicet ne fingi quidem possit, quam sibi vendicet sedē intellectus. Qui locus adeò clarus est, vt non solùm omnes interpretes de immortalitate animi nostri eum intellexerint; verùm etiam Alexander Aphrodisiensis teste Philopono in eum cont. cùm non haberet quid Aristoteli tam perspicuis verbis animi humani immortalitatem astruenti opponeret; hunc locum silentio prætermiserit.

Plato.

Alex. Aphr.

Quintus locus est ex cont. 21. lib. 2. de An. vbi *de Intellectu* inquit Aristoteles *& speculatiua potentia nihil adhuc manifestum est, sed videtur aliud genus animæ; & hoc solum posse separari, sicut perpetuum à corruptibili.* Hic etiam certum est sermonem esse de Anima rationali: nam primùm Aristoteles non contentus illis verbis *De intellectu*; vt meliùs de quo id dixerit Intellectu declararet, addidit: *& de speculatiua potentia.* Sic enim ostendit se non loqui nisi de eo intellectu, cui contemplatrix facultas annexa est; hoc autem non est nisi anima rationalis. Nam superiores

Aristot.

A Intellectus Aristoteli sunt Intellectus simplices, & non est quod declarentur per potentiæ speculatiuæ additamentum. Præterea, quia ibi erat disputatio de Anima. Ea enim verba Aristoteles subdidit postquam supra proximè egerat de sentiente, motrice, atque appetente facultate animæ, vt intellectum distingueret à cæteris animæ speciebus. Alioqui nihil post animæ sentientis explicationem dixisset de anima ratiocinatrice; & hæc est communis interpretatio Simplicij, Philoponi, Alberti, & A. Doct. Addo etiam Themistium ibi dum illas particulas, *ac de contemplatrice potentia* exponit *de ea vi quæ commentatur & cogitat*; id est discurrit seu ratiocinatur vt dicam seq. Difficult. quæ non est nisi anima

Simplicius.
Philoponus.
Albertus.
A. Doctor.
Themistius.

B rationalis seu discursiua. Tertiò, quia Aristoteles ait esse aliud genus animæ, & posse separari à corruptibili. Id autem, ne si velimus quidem fingere, conuenire potest nisi animæ rationali: quandoquidem cæteri intellectus separati sunt veri intellectus, & non est quod dicantur separari posse tanquam perpetuum à corruptibili. Demum, quia cont. proximè seq. statim dicit: *Reliquæ autem partes animæ manifestum ex his est, quod separabiles non sunt.* At hoc falsum omninò esset, nisi locutus esset de rationali anima. Tum quia non dixisset reliquas partes animæ, nisi locutus esset de animis. Particula enim *reliquæ* ostendit, aliquid eius cuius est reliquum præcessisse. Alioqui cuius rei esset reliquum? hoc enim

C est respectus ad antecedens. Tum quia non est manifestum omnes animas, etiam rationalem, non esse separabiles, si tantùm locutus esset de superioribus intellectibus, cùm veterum omnium opinione hominis animus esset separabilis. Neque obiicias quod Aristoteles dicat de intellectu & contemplatiua potentia: quasi velit intelligere facultatem animę non ipsam animam. Certum enim esse debet apud omnes, non esse de accidenti, & qualitate controuersiā; Vtrùm separabiles sint à corporibus; sed solùm de ipsis animis substantialiter, cum quod separatur à corpore subsistere per se debeat. Ergo

D nomine accidentis seu proprietatis intelligit id cuius est proprietas. Quod sæpè reperitur apud Peripateticos vt suprà monuimus.

Sextus locus est lib. 3. de An. cont. 12. *Dubitabit aliquis* inquit Aristoteles, *si intellectus simplex est, passionisque expers, nec quicquam cuiquā commune habet; vt ait Anaxagoras, quo modo intelliget, si intelligere pati quoddam est.* Hic etiam facilè apparet, non fieri mentionem nisi de intellectu hominis, seu de anima rationali, cuius est intellectus: nam de eo intellectu dubitare posse ait, de quo paulò post cont. 14. soluens hanc ipsam quæstionem dicet ipsam esse veluti tabulā nudam, & nihil esse actu antequam intelligat, &

Aristoteles.

E consequenter potentia intelligibilia est, a quibus pati perficiendo potest. At quis potest intellectus esse potentia intelligibilia, & nuda esse tabula præter humanum? Nam cæteri nobiliores Aristoteli non sunt in potentia ad omnes intellectiones, cùm sint natura sua perfecti, suísque perfectionibus ab æterno præditi Aristoteli, vt suprà docuimus.

Neque dicat aliquis, hæc quidem accipi pro intellectu hominis, non tamen pro anima rationali. Tum quia intellectus hominis est facultas animæ, non anima. Tum quia alia anima est intellectus hominis; alia verò anima rationalis;

vt nonnulli senserunt. Hoc inquam dicat nemo: Et primò quidem etiamsi verum sit, intellectum esse facultatem animæ; tamen vt supra diximus, hìc etiã nomine facultatis intelligi oportet id cuius est facultas & proprietas. Nam facultates quæ accidentia sunt, nec propriè patiũtur apud Aristotelem, nec Anaxagoras eas intelligere poterat, cùm quærebat, esset ne intellectus aliquid commune cum cæteris. Addo etiam vanam futuram fuisse Aristoteli quæstionem, An intellectus sit simplex passionisque expers. Nam certum omnibus qualitatem non componi ex materia ac forma. In quo sensu de intellectu ibi dubitabat ex Anaxagora Aristoteles. Cùm enim constaret intellectum pati ab obiectis vt constituerat eodem lib. 3. cont. 3. & 7. dubitauit in eo cont. 12. An habeat aliquid commune, hoc est vtrùm constet ex materia, quæ est commune subiectum inter ea Quæ agunt patiunturque, an verò simplex sit. Vnde huic quæstioni cont. 14. satisfacit in eodem sensu, dicens esse quidem intellectum simplicem, hoc est nulla ex materia conflatum; pati tamen alio passionis genere, quàm sit actio interimens. Ad quod actionis perficientis genus non est necessaria communis materia. ergo intelligit intellectum qui substantia sit non facultas.

Immo si operationes quæ sunt compositi, nõ possunt auctore Aristotele lib. 1. de An. cont. 65. attribui animæ; vt cogitare, odisse, &c. eò quòd hæ operationes totius coniuncti sunt & non solius animi. Ergo multò minùs quæ sunt animæ, ascribendæ sunt cuiuis animæ facultati; quia omnis operatio semper est alicuius substantiæ non solius accidentis, operantis. ergo minus tribuuntur accidenti quàm substantiæ; Vnde longe meliùs dicendum est, nomine intellectus saltem vltimatè significari ipsam animam; quod vsitatum est, & nihil absurditatis habet, quam contra Aristotelis doctrinam ei cui non debent attribui actiones.

Deinde verò quod anima rationalis non sit alia anima ab intellectu hominis, de quo dixit Aristoteles, nihil actu esse eorum quæ intelligit antequam intelligat, sed solùm in potentia ad illa, probatur duplici argumento. Nam primò, vt alibi ostendimus ex instituto, in Peripateticorum sententia præter huiusmodi intellectum non est alia in homine ponenda anima. Secundò, quia etiamsi ponatur aliqua alia, vti voluit alicubi Auerroës, constat tamen illam non esse intellectum; id est animam rationalem seu intellectiuam, quæ sit potentia ad intelligendum, sed aliam longè inferiorem, quæ mortalis est, & ad intelligendum non apta, siue ea sit cogitatiua siue quæuis alia. Ergo si Aristoteles per intellectum significat animam cuius est intellectus, intelligit animam rationalem, non aliam.

Septimus locus 12. Metaph. 17. *Si autem quid posterius permanet, considerandum est: In quibusdam enim nihil prohibet. Veluti si anima talis non omnis sed intellectus.* Vbi nihil dici potest apertius. Necesse namque est ibi inter animas enumeret intellectum; de quo solo & non de aliis, considerandum est: permaneatne post corpus? Nam cæteri intellectus non sunt huiusmodi vt de iis dubitandum sit, An ipsi pereunte corpore cuius sint animi separati perseuerent. Ergo intellectus hic est idem, quod anima intellectiua.

A Octauus locus est 2. de An. cont. 24. vbi definiens animam ait, *esse principium quo primo viuimus, mouemur, sentimus & intelligimus.* Sicut ergo principium quo sentimus est sensitiua, & principium quo viuimus, nutritiua, ita & quo intelligimus est rationalis, nec alia esse potest. ergo rationalis animus ab Aristotele appellatur principium quo primò intelligimus. ergo implicitè eundem animum appellat intellectum. Nihil enim aliud est intellectus cùm est animus, nisi principium quo primò intelligimus.

Nonus locus 1. de part. cap. 4. post medium. Quia dixerat eius qui agit de Natura, munus etiam esse agere de Anima, mouet dubitationẽ,
B Vtrùm de omni anima. Nam si de omni anima ageret Naturalis, nulla esset reliqua philosophia præter naturalem, si namque de omni anima illi agendum sit, ergo etiam de intellectu. ac proinde ipsi Naturali disputandum esset de omni re. *Intellectus enim* inquit *rerum intelligibiliũ est. Itaque rerum omnium notiones Naturalis vna tenebit. Est enim eiusdem scientiæ vt tam de intellectu, quàm de re intelligibili doceat. Siquidem eadem contemplatio est omnium inter se coniunctorum.* (nempe relatiuorum) *sicut sensus etiam & rei sensibilis.* Ergo Aristoteles significat nomine intellectus aliquam animam intelligentem, de qua dubium esse possit, vtrùm spectet ad philosophum naturalem. Etenim inter animas reponit ipsum intellectum
C de quo tale dubium erat. ergo nomine intellectus significat animum humanum, quia non est alius animus qui ibi eo nomine significari possit. cùm certum Aristoteli sit cæterorum intellectuum naturas considerare, ad Physicum non spectare, nec ipsos cæteros intellectus esse corporum animas. Immò etiamsi significare voluisset omnes intellectus; tamẽ nomine intellectus debuit quoq; animum humanum comprehendere. Soluit enim ibi propositam dubitationem hoc pacto. Nempe nequaquam omnẽ animam spectare ad physicum, sed solam animam vegetantem & sentientem. Hæ namque sunt natura quæ est principium motus, vt augendi principium in plantis; vis sentiendi & deferẽdi in ani-
D malibus; non autem vim intelligendi. Ergo solam sensitiuam & vegetatiuam dicit esse naturam, non autem intellectum siue intelligendi vim: Ergo loquitur etiam de intellectu qui est rationalis anima. Alioqui falsum dixisset, solam animam sentientem ac vegetantem esse naturam, quia prætermisisset animum ratiocinantem.

Decimus locus est ex lib. 1. de An. cont. 83. vbi dicit, eos qui animam ex elementis faciunt, non omnes dicere de omni anima; etiam eos *qui intellectum & sensitiuum ex elementis faciunt:* Quod et-
E iam ferè repetit cont. 84. Ergo hic intellectus nomine, animæ rationalis substantiam intelligit Aristoteles: cum namque intellectum significare vult in eo contextu, qui velut vna animæ species antiquorum sententia constabat ex elementis; vt ibi patet ex contextus verbis relatis. At huiusmodi intellectus antiquorum sententia est anima rationalis, non vis aut facultas animæ. Quæ facultas antiquis non est anima, neque eius facultatis meminerunt, cùm animam ex elementis compositam esse pronunciarunt.

Vndecimus locus est ex eodem libro 1. de An. cont. 49. vbi Aristoteles. *Melius* inquit *est intellectus non cum corpore esse, quemadmodum consuetum* Aristoteles.

est

est dici, & multis placet: de quo loco suprà sæpè dictum est. Aio autem intellectus nomine ab Aristotele significari animam rationalem. Non enim siue veteres; siue Aristoteles arbitrari potuerunt, ipsi facultati præcisè ab anima melius non cum corpore esse. Immò Aristoteles ibi octauo vtitur argumento aduersus Platonem, qui posuit intellectum, hoc est substantiã quandam intelligentem, esse Mundi animam, ac proinde semper in corpore. Platonem ergo impugnat argumento ducto ex hominis intellectu, qui est animus hominis; De hoc enim à multis dici consueuit, ei melius esse non semper in corpore degere. ergo multò magis intellectui præstantiori conueniet separari à corpore. Vtrobique ergo vt sit recta argumentatio, intelligi nomine intellectus debet substantia animi intelligentis.

Duodecimus locus est libr. 12. Metaph. cont. 51. *Omne* inquit *non habens materiam indiuisibile est, quemadmodum humanus intellectus*. Quo loco necesse est denotetur substãtialis hominis animus. Comparat enim humanum intellectum cum substantiã intellectus diuini, aitque si humanus intellectus ex eo quòd non habet materiam, indiuisibilis est; multò magis intellectus diuinus indiuisibilis erit. De qua re ibi legendus est Alexander & A. Doctor. Dicitur ergo ab Aristotele animus hominis, simpliciter intellectus, à præstantissima eius facultate, quæ est vis intelligendi intelligibilia, quæ sub nullius sensus cognitionem cadere possunt.

Eundem hominis animum ab omnibus Peripateticis appellari intellectum. §. 2.

IAm ad Peripateticos veniendum esset, quorum auctoritas, ea quæ ex Aristotele diximus illustrare potest magis. Verùm quia in locos Aristotelis iam citatos satis clare indicauimus, quid Peripatetici interpretes sentiant, breuissimè hanc partem expediam.

Alexander. Et primò quidem Alexander non minus existimatione quàm antiquitate cæteris commentatoribus præstans apud Philoponum libr. 1. de Anima in cont. 65. vbi Aristoteles ait: *Intellectus autem videtur innasci substantia quadam existens & non corrumpi*; ait; Hoc loco significari animam rationalem, & hoc ipsum ingenuè fateri Alexandrum, licèt inuitum. *Quapropter* inquit Philoponus *Alexander cùm quæ ab Aristotele perspicuè dicta sunt perspicere non posset; intellectum ipsum velit nolit immortalem fatetur. Non enim aliam expositionẽ inuenit, quæ literæ quadraret, scopóque suo consonaret*. Vult ergo Philoponus Alexandrum euidentibus Aristotelis verbis euictum, fateri intellectus immortalitatem, hoc est humani animi; Hanc enim putauit Philoponus ab Alexandro negari. Itaque nomine intellectus intelligit Alexander animam rationalem, quam ipse Alexander mortalem aliquando visus est affirmare.

Alexander. Simplicius. Aristoteles. Iterum Alexander apud Simplicium 2. de An. cont. 20. ait, illa Aristotelis verba ibidem cont. 19. *Nonnulla verò dubitationem habent*: accipi debere pro intellectu, quia de eo nondum demonstratum sit, quòd nullam contineat corporis partem in lib. 1. ab Aristotele, &c. quæ optimè refellit Simplicius: Ergo Alexander nomine intellectus intelligit animam rationalem hominis; de qua negat ab Aristotele esse demonstratum, an aliquam contineat corporis partem.

Ammonius insignis Philosophus referente Philopono 2. de An. in cont. 13. ait, cùm Aristoteles dicit, *viuere multifariam dici*, tunc *viuere* sumi pro anima; & cùm addit; *Velut sensus, intellectus, & motus* enumerare animæ partes seu species: Ergo Ammonius opinatur, Intellectum esse speciem animæ, quæ non potest esse alia, nisi anima rationalis, & intellectiua, quæ vnà cum sentiente & motrice sub genere animæ cõtinetur. Ammonius.

Themistius libr. 1. de An. c. 29. in cont. 66. explicans verba Aristotelis: *Intellectus videtur innasci & non corrumpi*, &c. apertè eandem formam appellat nunc animam; nempe rationalem; nunc intellectum quasi velit indiscriminatim vtroq; nomine idem significari posse. *In his verbis* inquit Themistius, *primum continuatio & series ipsa sermonis dubitationem habet: Cùm enim id ageret atque hic vellet addicere, ne moueri animus videretur, nihil attinebat hac intentione intellectum dicere substantiam esse quandam, quæ intus accideret, nec aboleretur. Nec erat ratio, quamobrem hoc loco de immortalitate animæ disputaret: quia neque de reliqua anima vtrùm mortalis esset, hac parte agitabatur: sed solum illud in quæstione erat, moueréne an non moueri Intellectus posset*. Vides hic cùm priùs dixit, in quæstione esse, Animúmne moueri an non moueri, postea dixisse, eandem quæstionem repetens, Moueri, an non moueri Intellectus posset: Et cùm de immortalitate intellectus verba Aristotelis sint, Themistium explicare de immortalitate animæ? Themistius.

Præterquam quòd cùm ait intellectum esse substantiam quandam, quæ intus corpori accidat, necesse est intelligat ipsum animum humanum; cùm hoc totum ipsi animo conueniat, non autem facultati intelligendi præcisè. Sed mirum non sit Themistium, nomine intellectus, humanum animum significare, quandoquidem ibi etiam animam sentientem vocat sensum, dum pergit ibidem dubitare An ratio qua Aristoteles probat intellectum esse immortalem, valere etiam in sensu possit. *Immò* inquit *si diligenter aduertas, ferè hoc egisse Aristotelem comperies, vt sensum quoque immortalem ostenderet*: & paulò infra: *Hoc si est ita vegetatrix anima eodem modo quo mens impatibilis efficitur, proindeq; immortalis*. Ergo non est mirum, si intellectum aut mentem sumat pro anima intellectiua; quod sæpè facit, ac repetit ibidem & alibi, si sentientem animam vocat sensum.

Philoponus in eundem cont. 66. *Nota* inquit *quòd quem intellectum dixit esse incorruptibilem, & forinsecus aduenire corpori, hũc rursum statim animam vocauit, vt intelligeres quòd non alium dixit intellectum, præter animam rationalem extrinsecus aduenientem*. Quid hoc loco clarius esse potest? eadem perspicuitate loquitur eodem libro contextu 82. vbi Aristoteles dicit, intellectum esse antiquissimum, & dominum secundum naturam. *Manifestè etiam per hæc Intellectum* inquit *esse separabilem Aristoteles vult, si quidem eum esse anima antiquiorem dicit: Intellectum autem animam rationis participem vocat, at animam reliquam nominat*. Idem alibi sæpissimè. Philoponus.

Simplicius libro 1. ad cont. 46. *Animam rationalem* Simplicius.

nalem inquit *vocat mentem*; & eodem lib. in cont. 66. loquens de operationibus animæ: *Quæ separabiles* inquit *habet actiones, quam mentem Aristoteles appellare consueuit vt nauta à naui, non quatenus nauta; sed quatenus homo separatur; ita etiam huiusmodi anima seiuncta ab instrumento.* Et infrà: *Mentem autem appellat ipsam animam rationis participantem, quæ aut vtitur composito vt instrumento; qualis agens aut practica mens est; seu vt per se ipsam agentem; vt quæ contemplandi vim habet*; Et lib. 2. in exposit. 1. ad cont. 26. animam separabilem; nempe rationalem vocari ab Aristotele intellectum: *Quod ipsum* inquit *anima separabile est, in primis quidem ab ipso Intellectus appellatum fuit.* Idē habet 1. de An. ad cont. 17. & 65. & 66. & lib. 3. de An. cont. 2. & alibi. Immò Simplicius in 2. lib. de An. cont. 21. ait, Aristotelem cum ibi dixit: *De intellectu autem, & contemplandi vim habente* &c. addidisse illud: *& contemplandi vim* &c. vt significaret intellectum humanũ contemplatiuum. *Quã loquiacem nomine suo* inquit Simplicius, *haud admodum vti Aristoteles consueuit, cùm de impartibili loquitur substantia, sed ipso potiùs actu.*

Albertus. A. Doctor. Idē prorsus & fusiùs habet Albertus & S. Thomas in prædictos Aristotelis locos, quorum verba non est opus hic singillatim recensere.

Quo pacto idem Aristoteli sit anima rationalis ac mens siue νοῦς, & quo pacto sit impassibilis &c. Explicaturque cur dicatur Intellectus. §. 3.

Ex his omnibus intelligi potest primò, non rectè ad mentem Aristotelis eos sentire, qui Aristoteli aliud esse volũt νοῦν, id est animam seu mentem; aliud animam quæ ψυχὴ Græcè dicitur: quod Tertullianus expresse affirmat libr. de An. cap. 12. (Tertullian.) *Sic* Aristoteles *definitionem animi cum differat* inquit Tertullianus, *alterum genus animi pronunciat; aliud animum, quem rursum & impassibilem ostendens, absoluit & ipse eum à consortio animæ*, &c. Atque ita hoc argumẽto Aristotelem reprehendit, quia sequi necesse est animam nec sentire nec sapere; quod tamen Aristoteles negat. Sequi autem probat, quia sentire Aristoteli est quoddam pati: At anima nihil patitur siue animo.

Verùm iam ostendimus, Aristotelem non secernere animum ab anima rationali, cùm vtroque nomine eadem significetur anima. Mentem tamen dicit esse quid diuinum, & impassibile 1. de An. cont. 66. non propterea quod nihil omninò patiatur; hunc enim omnia fieri contendit ab Intellectu, qui omnia facit lib. 3. de An. cont. 17. & 18. sed quòd non patitur ab vllo agente ipsũ intellectum corrumpente; sed solùm perficiente. *Non est enim simplex ipsum pati* inquit Aristoteles 2. de An. cont. 57. *sed aliud quidem corruptio a contrario; aliud autem salus magis eius quod est potentia, ab eo quod est actu: speculans enim fit habens scientiã: quod quidem aut non est alterari, aut aliud genus alterationis.* Vnde cont. 58. *Non rectè se habet dicere sapientẽ cùm sapit alterari.* Et paulò pòst: *Sicut nec pati dicendum est.* Itaque intellectus patitur impropriè & perfectiuè. Quod non eodem modo accidit in cæteris actionibus animę: cæterę enim fiunt vnà cum motu corporis & corporea alteratione, ac proinde destructo corpore ampliùs esse non possunt; saltem quia pereunt sensoria, sine quibus ex esse nequeunt. At verò intellectus operationes etiamsi aliquæ marcescant; vt aliquod intelligere & speculari, ratione alicuius interni requisiti phantasmatis: Tamen non omnes neque ratione sui, neque ratione sensitorij pereunt.

Quod enim non ratione sensitorij patet: Quia sensitorium non concurrit ad omnem actum intellectus: alioqui omnis actus intellectus esset etiã actus coniuncti; vt cogitare, amare, & odisse; hoc enim non aliunde colligitur, nisi quia concurrunt sensitoria per sua phantasmata; at non omnis actus intellectus est habentis illud; idest coniuncti seu compositi: & hoc discrimen clarissime tradidit Aristoteles in eo cont. 66. dum contraponit ipsum intelligere & speculari ex vna parte; & ex alia cogitare, amare, & odisse. *Ipsum* inquit *intelligere marcescit aliquo prius interius corrupto*; organo videlicet imaginationis, aut aliquo spiritu deferente phantasma; *ipsum autẽ est impassibile*; nimirũ secundum se, quia multę sunt intellectiones vt sæpe diximus supra, quæ nõ depẽdent ab illo interno, quod corrumpitur; vt saltem est intelligere idem, diuersum, substãtias abstractas, suam substantiã, internas cogitationes &c. Nã si nulla esset intellectus operatio, quæ nõ corrumperetur ob illud sensitoriũ internũ corruptibile, frustra Aristoteles dixisset; intelligere secundum se esse incorruptibile: quia nihil quod in omni indiuiduo corrũpitur & semper, potest esse corruptibile per accidens. Quod enim sic interit dependeat à cõtrariis corrumpentib. necesse est, ac proinde per se ac natura sua corruptioni obnoxium esse debet. vt patet ex Aristotele lib. 1. de cœlo cont. 140. (Aristoteles.) Vnde rectè ibidem cont. 134 docuit. *Nihil a casu* hoc est per accidens *aut incorruptibile aut ingenerabile esse potest.* Rationem subiungit hoc pacto. *Quod enim à casu & quod à fortuna præter id quod semper & quod vt plurimum aut est aut fit.* Ergo quod in omni indiuiduo & semper corrũpitur, non est per accidens corruptibile; sed verè sua natura ac secundum se.

Itaque differunt intelligere & cæteræ animæ actiones, quòd intelligere quia est solius animi, non est passibile, quia a sensitorio non dependet, ideòque non est actus ad quem concurrat ipsum compositum. *Cogitare autem, amare, & odisse non sunt illius passiones*; nempe animæ, *sed habentis illud secundum quod illud habet*; nẽpe compositi, quod habet illud internũ principium corruptibile, vt tale est. Vnde infert: *Quare hoc corrupto*; nempe cõposito; *neque meminit neque amat*, anima nimirũ: *non enim erant illius sed cõmunis*; quod scilicet cõmune, hoc est compositũ interit. Ob id corrumpũtur actiones quæ sunt propriè illius quia sunt illius; non autem operationes animæ, quia non sunt illius cõiuncti. Hæc enim ratio redditur ab Aristotele. Quare si bona est, à negatione illius valet negatio effectus. Clarũ ergo est, Aristotelem cõtraponere ea quæ sunt propria actionum intelligendi & speculandi, iis quæ sunt propria actionũ cogitandi & amandi; quod apparet per illam particulã aduersatiuã *sed siue autem*. Quod ergo negat de vnis affirmat de alteris; & cõtrà, quod affirmat de his, negat de illis. Cùm ergo neget quod cogitare & odisse sint actiones animæ; eásque affirmet esse coniuncti, affirmabit saltẽ aliquas intelligendi actiones esse animi proprias, negabitq; eas esse cõiuncti; quia intelligere & cogitare in hoc aduersantes ponit Aristoteles, vt diximus: Ergo nõ omne intelligere corrũpitur ratione sẽsitorij.

Atque

Atque hinc est vt Aristoteles lib.3.de An.cõt. 7.ex hoc potissimum distinguat intellectus ac sensus impassibilitatem; quòd *sensus ex vehementi sensibili sentire non potest, sonum ex magnis sonis, neque ex fortibus odoribus & coloribus videre aut odorari. Sed intellectus cum intellexerit valde intelligibile, non minus intelligit inferiora, sed & magis: sensiuum enim non sine corpore est: Hic autem separabilis est.* Itaq; per Aristotelem intellectus non læditur semper ratione sensitorij, sicut sensus ex nimia obiecti actione,& cum ipso sensu proportionem non habente.

Quod verò nec ratione sui pereant illę actiones, probatur: quia anima nihil patitur etiam in ipso senio;& idcircò subdidit Aristoteles ibi: *Intellectus autem est quid diuinum fortassis & impassibile.* In qua explicatione nostra, ita apertè declaratur Aristotelis mens, vt, quiduis aliud fingatur, verbis Aristotelis aptari non possit. Atque ad hunc sensum accedunt expresse Philoponus & Simplicius & Themistius, nisi quod hic ait, hunc locum non ex instituto tractari ab Aristotele, sed alibi reseruari eius explicationem. (Philoponus. Simplicius. Themistius.)

Iam quod addit Tertullianus Aristotelem docere, intellectum esse aliud genus animæ, id quidem est verum; idque Aristoteles habet libro 2. de An. context. 21. vt etiam suprà retuli. Sed hoc non est, intellectum diuidere ab omni anima etiam rationali seu intelligente. Qui namque fieri potest, vt Aristoteles intellectum seiungat ab omni animarum genere, quem reponit sub aliquo earum genere? Cùm enim dicit esse aliud genus animæ, nonne dicit hoc ipso esse aliquam animam, diuersam tamen ab iis, quorum respectu est aliud genus? Si autem est aliqua anima, & ab aliis diuersa; ergo continetur sub genere animæ, quæ communis est vtrique generi diuerso. Itaque est aliud genus, quia non est inter animas caducas, quas Aristoteles priùs enumerauerat. Egerat enim in superioribus textibus de anima vegetatiua & sensitiua. Quare consequens erat vt proximè diceret aliquid de rationali. Id autem facit in eo contextu vigesimoprimo, iis opponens intellectum, vtiturque particula aduersatiua *autem*. *De intellectu autem & speculatiua potentia, nihil adhuc manifestum, sed videtur aliud genus animæ*, &c. Ergo vult esse animam & intellectiuam. Præterea, quia Aristoteles statim contextu sequenti vigesimosecundo, postquam illum dixit videri posse separari, tanquam perpetuum à corruptibili, addit: *Ex his manifestum esse reliquas partes animæ* non esse separabiles. Quare euidenti argumento conficitur, intellectum de quo proximè dixerat, esse aliud genus animæ, & separabile, esse aliquam animã: nam cur diceret reliquas partes animæ, si nullus respectus est ad animam præcedentem. Id enim est reliquum cuius aliquid præcessit. Si enim nihil antecesserit, quid est quod reliquum aptè dici possit? (Tertullian. Aristoteles.)

Colligitur secundò, tametsi animus seu mens hominis sit sæpè idem quod anima rationalis seu intellectiua, non posse tamen à quopiam licitè dici, omnem animam esse mentem, nec omnem mentem esse animam. Nam sicut non omnis anima est anima rationalis; ita non omnis anima est mens & intellectus. Et è contrario non omnis mens est anima. Neque enim omnis mens tanquam forma viuum facit corpus; quod est proprium animæ munus. Vnde differt mens & intellectus ab anima rationali, tanquam id quod latiùs dicitur, ab eo quod se comprehendit, vt genus a specie: Est enim omnis rationalis anima mens, non contra. Atque hinc (vt obiter hoc dicam) nullo modo assentiri possum iis, qui libros Aristotelis qui inscribuntur de Anima, existimant tanquam elegantiore vocabulo inscribendos esse de Animo. Quorum mihi videtur sententia inepta prorsus: Non enim in iis Aristoteles agit solum de anima rationali, & intelligente, quæ animus est ac mens, sed de omni anima; quibus tale nomen ac natura per illud denotata iure optimo denegatur ab Aristotele lib. 1. de An. a cont. 23. aduersus Democritum & Anaxagoram. Democritus namque vt patet ex eo libro cont. 23. *Simpliciter dicit idem esse animam & intellectum.* Anaxagoras verò idem quidem aliquando affirmauit, sed non eodem modo. Etenim vt de eo refert Aristoteles context. 24. ibid. multis in locis, causam eius quod bene & rectè dicit esse intellectum, alibi autem intellectum ipsum esse animam. *In omnibus enim ipsum inesse animalibus, magnis & paruis, honorabilibus & inhonorabilioribus.* &c. Quamobrẽ ab Aristotele Græcè inscripti sunt περὶ τῆς ψυχῆς, non autem περὶ τοῦ νοῦ. (Democrit. Anaxagor.)

Colligitur tertiò, cur anima intellectiua denominari intellectus possit. Id enim fit à potissima eius virtute & actione. Licet enim idem nomen non sit solitum vsurpari ad significandam aliquam potentiam, eiusque actum & habitum; vt notat A. Doctor de Verit. quæstione decimaseptima a. 1. c. Tamen vt etiam ibidem docet, potest id contingere, quando actus aliquis est proprius alicuius potentiæ; vt videre est proprium potentiæ visiuæ, & scire in actu est proprium habitus scientiæ; Vnde visus quandoque nominat potentiam, quandoque actum, & scientia eodem modo, &c. Hic ergo intellectus, quia est proprium animi, potest significare animam rationalem: Quemadmodum Intelligentiæ à nobilissimo earum actu denominantur: Id enim est Intelligentia quod intellectio; vt patet etiam ex Boëtio libro 5. de Consolat. prosa 5. *Aliter* inquit *sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia hominem intuetur.* De qua re optimè A. Doctor p. p. q. 79. a. 1. & de Veritate quæst. 17. a. 1. Et idcirco anima rationalis dicitur mens à S. Augustino lib. 9. de Trin. cap. 4. tom. 3. vbi etiam, ait, mentem & spiritum non relatiuè dici; sed demonstrare essentiam. Diuinas etiam mentes ipsos vocauit Angelos S. Dionysius cap. 4. de diu. nom. & alij communiter; mẽs quidem quia eminent; & ita ab ipsorum excellentia eos, mentes dixit. Quin etiam hoc nomen *Deus* impositum est ad exprimendam diuinam naturam, vt docet S. Ambrosius in prologo lib. 2 de fide; Vnde Tertullianus libr. 3 contra Marcionem circa mediũ ait: *Dei nomen esse quasi connaturale diuinitatis*: Et S. Athanasius in epist. de decretis Nic. Syn. post medium; *Cùm audimus* inquit *vocabulum Deus, nihil aliud nisi diuinam substantiam significari intelligimus.* (Boëtius. S. Augustin. S Dionys. S Ambros. Tertullian. S. Athanas.)

Quod confirmat A. Doctor q 13. a 8. corp. Et tamen non dicitur Deus, nisi ab aliqua actione præstantissima: Nam vt ait S. Damascenus lib. 1. de fide cap. 12. dicitur Deus *Vel a verbo θέειν; hoc est quia currat, & res omnes confoueat; Vel à verbo αἴθειν, quod vrendi vim habeat; vel denique ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι quod omnia perspiciat*; id est à prouidẽtia in res vniuersas. Ad quod etiam respexit Philoponus 3. de An. in cont. 9. seu 41. cùm dixit Deũ nec Platoni, nec (S. Damasc.)

nec piis dogmatibus videri Intellectum. Deus enim est super omnem mentem, atque intellectum; vnde & *πρόνοια* quod est prouidentia, nominatus est, vt sit *πρὸ τοῦ νοῦ*, *id est ante mentem seu intellectum.* vt ipse loquitur. Et sic de cæteris huiusmodi. Itaque non mirum, si Aristoteles animam substantiam appellet, nomine suæ potissimæ facultatis, nempe Intellectum.

Nec in ea re deberent aduersarij tantum momenti posuisse, vt dicerent, quia Aristoteli intellectus est accidens, non posse animam quæ est substantia, ab ipso intellectum dici: Intellectum autem Aristoteli esse accidens, ex verbis illis lib. 3. de An. cont. 5. *Dico autem intellectum, quo intelligit & existimat.* Quem locum supra sua lance pendimus. Est ergo accidens. Hoc inquam argumentum dico non magni esse momenti. Etenim etiamsi intellectus verè sit animi humani accidens; Tamen aliud est ad quid primũ significandum sit impositum nomen, aliud verò quid translatione & vsu post primam impositionem significare soleat. Nam vt diximus, potest aliquo nomine rei substantia denotari, etiamsi id sit ob aliquam eius proprietatem, quam primò nomen illud demonstrabat; vt egregiè docuit A. Doctor in ea q. 13. a. 8. Sicut enim substantiam rei ex proprietatibus seu operationibus illius cognoscimus; ita quandoque eam denominamus ab aliqua proprietate; vt apud Aristotelem 2. de An. cont. 162. phantasia dicta est ab ea proprietate, quia visa in ea facultate consistant. Dicitur enim vt ibi notat Philoponus, *φαντασία* quasi *τῶν φανέντων στάσις*, id est, eorum quæ cernuntur status seu consistentia: sic etiam anima quia animat corpus, spiritus quia spirat, vt ait Tertullianus lib. de An. cap. 10.

Aristoteles. A. Doctor. Aristoteles. Philoponus. Tertullian.

Quibus ita positis videndum est; Vtrùm præstet hominis animam nuncupari Intellectum, an animam rationalem, seu intellectiuam; siue aliquo alio huiusmodi nomine; idque apud Aristotelem & Peripateticos; quod quidem non parui fieri debet, licèt quæstio videatur de vocabulo; quia ex hoc ipso quæ fuerit Aristotelis mens de animi humani substantia, satis declarabitur, si probabitur eam potiùs ex Aristotelis sententia intellectum, aut mentem vocandam esse, quàm animam rationalem.

Meliùs vocari intellectum quàm animum. §. 4.

PRo hac autem re sit

Vnica propositio. Quamuis animus hominis, nomine animæ rationalis & nomine intellectus rectè significari possit: Tamen præstat in sententia Aristotelis & Peripateticorum, animum hominis dici mentem, aut intellectum, quàm animum hominis, seu animam rationalem aut aliquid eiusmodi.

Propositio quoad priorem partem probatur; & quidem quòd rectè appelletur intellectus aut mens, patet ex hactenus dictis. Quod verò rectè anima seu anima hominis dicatur, probatur ex multis Aristotelis locis. Nam libro 1. Ethic. cap. 7. *Opus hominis Animæ operatio secundum rationem.* Ibidem paulò post: *Operatio Animæ ex virtute bonum humanum efficitur.* Lib. 6. Eth. cap. 1. *Superiùs diximus duas esse Animæ partes; alteram ra-*

Aristoteles.

A *tionis capacem, alteram expertem.* Eodem libro cap. 3. *Sunt autem ea quibus Anima affirmando vel negando verum dicit, numero quinque: hæc verò sunt Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus.* Ibidem cap. 5. *Cùm autem duæ sint Animæ partes, quæ rationis capaces sunt,* &c. Primo libro Magn. Moral. cap. 6. *Anima vt receptum est in duas partes distribuitur; in eam quæ rationem habet, & in eam quæ expers est.* Eodem libro cap. 32. paulò aliter idipsum: *Ea vna pars Animæ habens rationem in duas est partes distributa; quarum vna consultatrix; altera autem scientiæ indagatrix.* Id ferè repetit libro 7. Polit. cap. 14. *Diuersæ autem sunt duæ partes Animæ, quarum altera rationem per se habet; altera non habet quidem per se; verumtamen rationi obtemperare*
B *potest.* Libro 3. de Anima cont. 1. *De particula autem animæ qua cognoscit & sapit Anima.* Ibidem cont. 4. *Dico Intellectum quo intelligit, atque existimat Anima.* Libro 2. de An. cont. 24. *Anima est principium quo viuimus,* &c. *& intelligimus primò.* Libro 3. cont. 30. *Quapropter non sine phantasmate intelligit Anima.*

His ergo & similibus locis quamplurimis Aristoteles absolutè dicit Animam, quæ hominis est seu rationalis. Dico ab Aristotele absolutè vocari animam. Nam vix puto eam alio peculiari animæ vocabulo ab Aristotele nominari. Quod quidem probatur: Quia præter hos locos quos iam afferam, nullus erit alius aut certè quàm paucissimi. Libro 3. de An. cont. 6. eam
C vocat Animam intellectiuam: *Bene vtique qui dicunt Animam locum esse formarum, nisi quod non tota, sed Intellectiua.* Libro 2. de Gen. an. cap. 3. *De Anima quoque sensuali pari modo dicendum est, atque etiam de Intellectiua.* At libro 2. de An. cont. 31. dicitur anima hominis: *Quærendum quænam sit vniuscuiusque Anima; vt quæ plantæ, quæ hominis aut bestiæ.* Tandem libro 2. Moral. Eudem. cap. 1. dicitur Anima humana. *Duæ sunt* inquit *Animæ Humanæ partes; quarum vtraque ratione participat; sed non eodem modo,* &c. Constat ergo Aristotelem longè sæpius Animam hominis vocare animam absolutè, quàm quouis alio nomine
D peculiari animæ.

Aristoteles.

Iam verò secunda nostræ propositionis pars facilè ostendi potest. Etenim, primò certum est Aristoteli consuetum esse animum hominis vocare intellectum. ergo præstat in sententia Aristotelis eundem animũ vocare intellectum, quàm animum seu animam. Antecedens patet dupliciter. Tum quia sæpius eandem hominis animam vocauit intellectum, quàm quouis alio nomine. vt consideranti quæ hactenus dicta sunt, perspicuè patere potest. ergo magis consuetum Aristoteli est, vocare intellectum, quàm animam. Tum quia id optimè tribuunt Aristoteli ipsi Peripatetici. Vnus instar omnium sit
E Simplicius optimus Aristotelis interpres. Is ergo apertè lib. 1. de An. in cont. 66. cùm locutus esset de Anima, cuius actiones dependent à corpore, subiungit: *Quæ verò separabiles habet actiones; quam mentem Aristoteles appellare consueuit; vt nauta à naui non quatenus nauta sed quatenus homo separatur, ita & anima seiuncta ab instrumento.* Et lib. 3. de An. in cont. 2. *Propositum* inquit *est Aristoteli de ea loqui hominum substantia rationis compote, quæ in ipsis hominibus reperitur; quam sanè ipse intellectum vocat.* Eodem modo loquitur eodem libro 3. ad cont. 17. vbi ait philosophum considerare formas separatas, quatenus separatas;

Simplicius.

tas; quod locum habet in Animâ rationali, *quam Intellectum appellat*. Idem habet 1. de An. in cont. 65. 66. & 82. & alibi frequentiſſimè. Similiter de cæteris dicere poſſem, niſi pigeret tam multa eorum verba huc aſcribere. Sanè Peripatetici omnes cùm dicant, vt mox patebit, meliùs ſignificari ſeparabilitatem animæ per Intellectum, quàm per Animam, dubitandum nullo modo videtur ipſos id ſibi ex Ariſtotelis dictis deriuaſſe, quod viderent id Ariſtoteli conſuetum eſſe: præſertim cùm viderint Ariſtotelem vix alio nomine ad eandem animam ſignificandam, præterquam appellatione intellectus vſum eſſe.

Secundò probatur eadem ſecunda pars noſtræ propoſitionis: quia Intellectus nomen longè meliùs id quod præſtantiſſimum eſt in anima oſtendit, quàm Anima, &c. Ergo intellectus quàm anima meliùs ſignificat ipſam ſubſtantiam animæ iuxta mentem Ariſtotelis. Antecedens probatur: ex eo quòd intellectus maximè oſtendit quod in anima eſt nobiliſſimũ, ac proinde maximè oſtendit ſubſtantiam animæ. Nam vnumquodque eſt illud ipſum quod in eo eſt præſtantiſſimũ; vt docet Ariſtoteles libro 10. Ethic. cap. 7. Idcircò ibi ait hominem maximè eſſe vitam, quæ ex intellectu traducitur: quia quod eſt alicui naturæ accommodatum, id in eo præſtantiſſimum. Et libro 9. Ethic. cap. 8. *Sicut* inquit *ciuitas eſſe maximè id videtur, quod in ipſa præſtantiſſimum eſt*; *& omnis alia congregatio*; *Ita & homo*. Ergo ſi Intellectus maximè oſtendit quod in Anima eſt nobiliſſimum, maximè omnium ſignificabit ipſam animi ſubſtantiam, eiúſque excellentiam. Confirmatur autem; quod eſt in Anima præſtantiſſimum longè meliùs ſignificari per intellectum quàm per Animam, idque triplici valido argumento. Nam primò intellectus qui eo nomine demonſtratur, eſt præſtantiſſimum in homine; *immò & ſupra hominem & quid diuinum*; vt expreſsè docet Ariſtoteles lib. 10. Ethic. cap. 7. & optimum, Deóque maximè cognatum, vt etiam docet idem Ariſtoteles eodem libr. cap. 8. At hoc non ſignificatur per animam rationalem ſeu intellectiuam, niſi valdè implicitè & remotè. Et quòd non ſignificetur per animam tantùm, clarum eſt, quia ex ſe nullum horum determinatè deſignat. Quod verò nec per rationalem, patet etiam, quia cùm Anima intrinſecè inuoluat aliquid dependens à corpore, vt ſæpè dictum eſt ſuprà, & patebit etiam magis deinceps; quodcunque addatur attributum ſeu prædicatum, ſemper retinebit ſuam intrinſecam ſignificationem. Nullum enim prædicatum à ſuo ſubiecto ſignificationem aufert, ſed potiùs eam determinat. Alioqui eſſent termini vocéſque repugnantes, nec coaleſcerent in vnam propoſitionem. Ergo ſiue addatur rationalis ſiue intellectiua, ſignificabitur principium diſcurrendi & intelligendi dependenter, & vnà cum corpore, cuius eſt anima. Ergò meliùs longè quod in anima præſtantiſſimum eſt, ſignificatur nomine intellectus, quàm quouis alio animæ nomine.

Secundò, quia Intellectus per ſe primò ſignificat aliquid immateriale & per ſe ſubſiſtens; quia hoc ipſo quod aliquid eſt intellectus, immateriale ſit neceſſe eſt. Vt enim ait Ariſtoteles (Ariſtoteles.) 3. de An. cont. 4. & nos ſuprà non ſemel oſtendimus, Intellectus quia omnia intelligit non debet mixtus eſſe cum corpore; Et idcircò in eo cap. 8. 10. lib. Ethic. dicitur intellectus Deo maximè cognatus, quia eius operatio eſt etiam Deo ſimillima: Si autem eſt ſimilitudo in operatione, debet etiam eſſe ſimilitudo quoad eſſe immateriale, & independens à corpore. Atque ita libro 1. de An. cont. 49. ait, *Melius intellectui eſſe non eſſe cum corpore*. At Anima cùm ſignificet concretum eſſe cum corpore, non denotat huiuſmodi independentiam. Quocirca rectiſſimè Peripatetici dicunt, animam ſeparatã non poſſe dici rectè animam, niſi poteſtate. Sic enim Philoponus (Philoponus.) 2. de An. in cont. 26. *Anima ſeparata* inquit *intellectus dicitur, non anima niſi in potentia*. Et Simplicius (Simplicius.) libro 3. de An. in cont. 26. & 27. ait partem animæ inſeparabilem vocari animam, quoniam ſeparabilis non tam Anima quàm Intellectus dicitur. Ratio autem horum eſt, quia vt ex Peripateticis & ex A. Doctore ſuprà notauimus, animæ ſignificatio intrinſecè inuoluit aliquid cum corpore coniunctum, & concretum, & inquantum principium alicuius operationis materialis. Non enim dicitur anima ſiue Græcè ſiue Latinè; niſi qua eſt corpori viuendi reſpirandique principium. Vnde Ariſtoteles (Ariſtoteles.) lib. 1. de Anima cont. 35. dixit ab iis qui animam conſtituebant ex frigido, animam, *propter reſpirationem & refrigerationem vocari* ψυχὴν *id eſt animam*. népe ἀπὸ τοῦ ψυχροῦ id eſt à frigido, quòd ipſa ſit nobis cauſa refrigerationis ob reſpirandi vim quæ ab ea prouenit. Ergo anima inuoluit huiuſmodi concretionem in corpore, reſpiciendo ad prædictas viuendi reſpirandique operationes, ac proinde non ſignificat aliquid à corpore abiunctum; vt Intellectus.

Tertiò denique probatur, quia Intellectus ſignificat animam, vt principium nobiliſſimæ operationis, quæ in nobis eſſe poteſt. Hoc autem nomine animæ rationalis non fit. Ergo nomine Intellectus ſignificatur, quod eſt in anima præſtantiſſimum; non autem nomine animæ rationalis; quia principium nobiliſſimæ operationis eſt quid præſtantiſſimum.

Hic ergo duo ſunt probanda: alterum affirmatiuum; nempe id fieri ſignificatione intellectus: alterum negatiuum; nempe non fieri ſignificatione animæ rationalis.

Primum autem probatur, quia nomen intellectus ſi propriiſſimè ſumatur, vt ſuprà diximus, eſt principium ſimplicis apprehenſionis & intuitus apud Ariſtotelem & Peripateticos: At ſimplex illa apprehenſio eſt in homine nobiliſſima operatio, & longè cæteris; nimirum compoſitione & ratiocinatione præſtantior. Quod quamuis ex inſtituto confirmare non ſit huius loci; tamen quia maximè fauet præſenti diſputationi, breuiter id oſtendo triplici ratione.

Primò, quia finis præſtat iis quæ ſunt ad finem quæ media ſunt, vt ſuprà oſtenſum eſt. vnde & appetibilius eſt, quod finis magis rationem habet; vt eſt in 3. lib. Topic. cap. 1. & 3. At ſimplex ille intuitus finis eſt cæterarum operationum; vniuerſa enim Intellectus inſtrumenta ſiue demonſtratio ſit, ſiue diuiſio, ad rectam apprehenſionem diriguntur; vt nimirum aſſequamur tandem perfectam definitionem rerum, ſiue ſubſtantia ſit ſiue accidens; quæ eſt omnium ſcientiarum perfectiſſima; vt rectè ex Ariſtotele libro 2. Poſter. Analyt. oſtendit Zabarella (Zabarella.) libro 4. de Methodis ab initio & deinceps & præſertim

tim cap.18. Definitionem autem in simplici intuitu atque apprehensione consistere, vix cuiquam dubium videri potest; idque expresse docet Aristoteles lib.1. Post. Analyt.cont.14. seu 5. & cont.79. seu 25. Ergo simplex intuitus est cæteris præstantior. Quæ causa est vt Angeli non procedant ad veritatem intelligendam ex vno ad aliud; sed simpliciter, & absque discursu veritatem rerum apprehendunt. Quod totum expresse docet A.Doctor p.p.q.79.a.8.c. vbi etiam addit ex S.Dionysio cap.7. de diu.nomin. homines ad veritatem intelligibilem cognoscendam peruenire procedendo ab vno ad aliud; & ideo dicuntur rationales. Vnde subdit sic: *Patet ergo quod ratiocinari comparatur ad intelligere sicut moueri* B *ad quietē* (quod etiá docuit Aristoteles cùm dixit. Intellectus magis statui & quieti assimilatur, quàm motui. lib.1. de An. cont. 48.) *vel acquirere ad habere: quorum vnum est perfectū; aliud autem imperfecti.* Ergo finis ratiocinationis est simplex cognitio.

A.Doctor. S.Dionys.

Neque obest quòd prima illa operatio præsupponi cæteris debeat, ex quo videtur ordinari ad cæteras. Non inquam obesse potest: Nam quædam ex illa actiones præsupponuntur, vt cæteræ, tanquam instrumenta intellectus, viam ac modum instruant ad primam ipsam perfectam, quæ est cognitio eius quod quid est, seu C essentiæ & proprietatis: in qua vbi peruentum est intellectus sistit; nec vlterius inquirit quod sciat: id enim assecutus est cùm rem ipsam cognoscit, vt cognosci debet. Si enim cognoscit quid sit homo, quid eius proprietas; cognoscit per omnes suas causas à quibus dependet; Quid ergo superesse potest inquirendum?

Secundò quia illud est perfectius seu nobilius, quod est propinquius optimo 2. cœli cont. 66. Atque ita Aristoteles lib.3. Topic. cap.2. id esse nobilius affirmauit, quod nobilissimo magis simile est. At simplex ille animi nostri intuitus est huiusmodi. Nam nobilissimus operandi modus est, quo Angeli Deúsque res obiectas D cognoscunt. Ille enim cùm in genere cognitionis sit primus & perfectissimus, idémque maxime simplex, debet esse norma ac mensura cæterorum. Vt enim habet Aristoteles lib.2. Metaph. cont.4. primum in vnoquoque genere mensura est cæterorum in illo genere. Ergo noster ille simplex intelligendi modus, erit optimo diuino operandi modo propinquior, ac proinde perfectior cæteris: quippe simplicissimus est sine vlla compositione, aut ratiocinatione; quæ quidem compositio & ratiocinatio etiamsi in se considerentur, intrinsecam habent imperfectionem: non tamen ille simplex intuitus. Sunt enim progressiones & transitus ex vno in aliud; cùm tamen E simplex operatio recta in seipsa consistit, & est veluti quies in suo obiecto, in quo imitatur diuinum intelligendi modum. Ergo est optimo propinquissima in genere intellectionum.

Tertiò quia ex eo etiam Modus operandi in simplici apprehensione est nobilior, quòd nunquam in se falsitatem admittit vt docet Aristoteles libro 3. de An. cont. 21. quia semper obiecto conformis est, aut certè ad obiectum non respicit. At in cæteris operationibus esse potest & incertitudo & falsitas, si nimirum aliter de re enuncient ac ipsa in se est, & idcirco sit obiecto suo non conformis. Igitur intellectum esse principium nobilissimæ operationis, ex his patere

A potest. Vnde Albertus lib.2. de Intellectu & Intelligibili c.8. ex eo quod intellectus sit semper verorum, ait esse similitudinem maximam veritatis primæ.

Albertus.

Constat ergo, cùm intellectus sit principium nobilissimæ operationis quæ in nobis esse potest, quod est præstantissimum in nobis nomine intellectus significari, quod tamen nomine animæ non denotatur, ergo nomine intellectus longe meliùs quàm nomine animæ, ipsa animi nobilitas ac substantia denotatur.

Quòd verò id nomine animæ etiam rationalis, quod nomen post appellationem intellectus est potissimum, non denotetur, confirmari potest etiam; quia anima rationalis significat principium discurrendi: Id enim est rationale quod per discursum notitiam acquirit, vt rectè notauit A. Doctor p.p.q.58. a.3. ac proinde docet Angelos, qui ratiocinando non discunt, Intellectuales dici non rationales. Ergo anima rationalis non significat in nobis principium nobilissimæ operationis; qualis discursus non est.

Sed contra hanc propositionem nostram obiiciat aliquis. Ex duobus nominibus illud perfectius animam nostram significat, quod eius naturam ac speciem magis exprimit. At intellectus solùm exprimit id quod animę est commune cum Intelligentiis: Anima verò rationalis, præterquam quòd hoc quidem facit, quia rationale est intelligens, ac proinde dicit id in quo cum Intelligentiis conuenit; addit quoque differentiam, propterea quòd non solùm intelligentem significat, sed etiam animum; in qua ratione differt ab illis. Ergo magis animæ naturam exprimit ac speciem, quia duo eius prædicata indicat, quod non facit Intellectus.

Respondetur primò nos solùm disputare in sententia Aristotelis; in qua ostendimus rectiùs dici Intellectum. Quare ex Aristotele impugnandum esset. Verùm quia facilè afferri eius auctoritas potest: Quia nomina sunt rerum signa 1. Periher. c.1. Signum autem id perfectius est, quod rem perfectiùs exprimit; Ideò respondetur simpliciter, veram tūc esse maiorem propositionem, cùm vnum nomen altero magis exprimit cæteris paribus; si nimirum vtrumque nomen æquè id quod principale est in re significata demonstret, tamen alterum ex illis nomen præter illud principale adhuc plura exprimat. Si tamen alterum nomen exprimat quod præcipuum est; alterum verò non item; dico tūc etiam si plura vno nomine indicentur, minus perfectè rem significare quàm alterum quo magis præcipuum illud exprimitur. Vnde nomina quæ antonomasticè dicuntur de aliquo, etiamsi pauciora in illo significent, tamen quia exprimunt id quod præcipuum est, in eo perfectiora sunt, vt cùm dicimus Poëtam, intelligimus Virgiliū; & Prophetam, Dauidem; Neronem crudelem aliquem, &c. Atque ita de Deo, nomina, quæ id quod magis commune est in Deo, significant, perfectiùs Deum significant; vt docet A.Doctor p.p.q.13.a.11.c.& q.33.a.1. ad 4. Quin id etiam est in Metaphoris & allegoriis, quę quia id quod intenditur expressiùs significant, nobiliorem significandi rationem præ se ferunt. Ad propositum igitur quia intellectus qui est præstātissima res in anima, exprimitur, nobilius significatur. Et ratio est ea quam supra attigi; quia vnūquodque illud maximè est, quod in eo est præcipuū.

Obiiciat

Obiiciat secundò: Intellectus simpliciter non significat intellectum humanum, quia hic non est simpliciter intellectus: Ergo nec significat quid in homine præstantissimum. Respondetur Intellectum absolute vbi à materia subiecta nõ determinatur de quo intellectu accipiendum sit, non sumi pro intellectu humano; immò pro nullo: incertum enim de quo dicatur. Si tamen determinatur à subiecta materia, etiamsi absolute & sine addito proferatur, cur non potest intellectum humanum significare? quemadmodum Petrus ex. gr. non magis significat hũc Petrum quam illum; Si tamen ex materia constet de quo Petro sit sermo, non dubium est, quin illum exprimat. At cùm dicimus animam hominis melius vocari intellectum, iam supponimus ex materia determinari de quo intellectu sit sermo. Ergo non est indefinitum & vagum nomen.

Obiiciat tertiò: Sequitur hominem appellari posse intellectum, seu animam rationalem; quia vnumquodque maximè est, quod in eo est præstantissimum. Respondetur id dubium non esse apud Aristotelem 10. Eth. cap. 7 & 8. Quibus in locis concedit hominem maximè esse intellectum, ac vitam quæ ex intellectu traducitur. Verumtamen quoniam voces sunt ad placitum, videndum est quid ex impositione & vsu verba ipsa significent: Animam vocari Intellectum ex vsu erat. Quia vt suprà diximus, Albertus lib. 1. de Intellectu & Intelligibili tr. 1. c. 8. ait ex S. Dionysio, quòd omnis natura procedens à causa prima tantò simplicior est, & nobilior, quantò fuerit illi intimior per virtutum similitudinem. Ergo si voces non repugnent benè id fit, propterea quod præstantissimum maximè significari potest. Immò Albertus lib. 2. de Intellectu & Intelligibili tract. 2. cap. 8. ait: *Homo in quantum homo, solus est intellectus.*

Albertus. S. Dionys. Albertus.

Ex his omnibus intelligitur quid sit dicendum, si quæratur; Vtrùm rectè nominetur in sententia Aristotelis anima intellectiua. Dicendum enim id omninò rectè; quia principium intellectiuum & intellectus idem sunt. Sed tamen posito vsu, quod intellectus animam intellectiuam denotare possit; Dico adhuc melius dici Intellectum, quia etiam significatur vt principium optimæ operationis nomine Intellectus, vt diximus; non autem per animam intellectiuã, quia videtur denominari ab aliqua operatione, ad quam concurrat corpus & organa: hoc enim ipso quod dicitur anima, dicitur id quod cum corpore operatur; nec à sua significatione extrahitur per particulam intellectiuam, quia vt antè dicebam, differentia determinat genus non perimit; atque ita significari videtur anima vtẽs corpore saltem remotè etiam in intelligendo. Quod non dicit Intellectus apud Peripateticos, qui dicũt vt suprà vidimus, animam separatam dici meliùs intellectum quàm animum, ac proindè quàm animam intellectiuam.

Verùm quoniam ad intellectus humani naturam declarandam, plerunque in explicationis decursu cogemur eum vocare animam hominis, aut intellectiuam, vt doctrinæ claritas & ratio postulabit, in posterum deinceps his nominibus vnà cum Peripateticis sine vllo discrimine vtemur: modò constet iure optimo vocari intellectum, quocunque tandem loco à quouis ita appellari contigerit.

Stephani Bubali in materiam de Angelis.

QVARTA DIFFICVLTAS,

Quænam sint vtriusque Intellectus, nempe potestatis & agentis in hominis animo officia ac munera, Aristotelis veterúmque Peripateticorum opinione.

HOc quoque ad huius quæstionis, qua de agimus intelligentiam maximè conducit, vt scilicet vtriusque intellectus munia prius asseramus; tum verò An ob eadem officia vterque intellectus in Angelo reponendus sit (quod negat in hoc art. A. Doctor) inquiratur. Ad maiorem autem huius rei declarationem, in duas partes præsentem difficultatem diuidemus. In quarum priore de Intellectus potentiæ muneribus disputabitur; in Posteriore Intellectus Agentis officia fusiùs examinabuntur. Sit ergo

PRIOR DIFFICVLTATIS PARS

De Intellectus potentiæ muneribus in hominis animo.

HAnc partem breuiter expediemus in sẽtẽtia Aristotelis ac Peripateticorum, quorum mentem suis ipsorum verbis explicare conabimur. Sit ergo ad difficultatem

Vnica propositio. Omnia intellectus potentiæ munera, quibus in hominis animo fungitur, ad duo capita reuocari possunt Aristoteli ac Peripateticis; nempe vt sit potentia ad recipiendas formas intelligibiles, & vt iisdem positis speciebus sit facultas eliciens intelligendi actus. Probatur primò ex Aristotele.

Ac primùm quidem quòd intellectus potentiæ hęc duo munera obeat, patet. Etenim primò quòd sit facultas eliciens docet apertè Aristoteles lib. 3. de An. cont. 5. cùm definiens huiusmodi intellectum potentiæ ait: *Dico autem intellectum quo intelligit & existimat anima:* Ergo intellectus potentiæ Aristoteli est facultas animæ, quæ elicit intelligendi actus. Intellectus quidem potentiæ, quia de eo ibi loquitur Aristoteles. Nam de eo intellectu ibi sermo est, quẽ dixerat cont. præced. 3. *esse impassibilem & susceptiuum formæ*; & cont. 4. *ipsius nullam esse naturam nisi hanc quod possibilis.* De eo enim statim subiungit cont. 5. concludens: *Qui igitur vocatur animæ Intellectus. Dico autem intellectum*, &c. Certum autem hũc esse intellectum potẽtiæ: Hic enim & suscipit species, & habitum acquirit, & postea fit intellectus in actu, vt fusè suprà etiam disputatum à nobis est.

Hic ergo intellectus potentiæ seu possibilis, est facultas animæ, quæ facultas elicit intelligendi actus. Id enim quo anima intelligit, nõ est facultas solùm receptrix actus, sed etiam eius productrix. Alioqui non esset id quo anima intelligit; hoc est quo anima intelligendi actus ex se promit. sed se haberet veluti, quæ non est id quo agens operatur; sed id in quo agens agit. Confirmatur, quia actus vitæ ab eodem principio elicitur in quo suscipitur, vt suprà ostensum est q. 51. a. 3. quia cùm sit actus animæ & vitalis, debet per aliquam facultatem elici, & in eadem recipi. Huiusmodi autẽ facultas respectu actus intelligendi non est nisi intellectus possibilis: ille nimirum qui formas intelligibiles suscipit.

A ergo ille idem debet esse qui actus elicit in se-se. Idem enim intellectus qui per formas completur, & constituitur in actu primo actiuo, siue eæ formæ sint species siue habitus, elicit earum formarum actus. Eiusdem enim facultatis est, posse per habitum scientiarum elicere scientiam & ipsos actus elicere. Actus enim primi potentis actum suum secundum elicere est, eundem actum secundum ex se promere; non alterius potestatis. Cùm ergo intellectus potentiæ sit posse per habitum scientiarum elicere ac in se suscipere suos actus, vt paulò pòst patebit, eiusdem quoque erit eosdem elicere atque in se suscipere. Quod verò constituatur intellectus potentiæ in actu primo actiuo per species patet: B quoniam ipse est tanquam tabula in qua describuntur rerum simulachra, vt patet ex Aristotele libro tertio de An. contextu decimoquarto. ergo ipse constituitur in actu primo per species. Quod autem in actu primo actiuo, non est dubium; Tum quia aliud principium actiuum aliunde esse non potest. Tum quia cum intellectio sit actus vitæ, debet vt modò dicebam, elici à facultate vitali, in eáque suscipi, vt ita vita quæ est operatio animæ sit in anima. ergo in intellectu, quia alia facultas non datur à qua elici possit aut debeat.

C Deinde id ipsum nempe intellectum potentię esse facultatem actuum effectricem, probatur ex Aristotele eodem libro contextu septimo, vbi eundem intellectũ potentiæ ait non pati quemadmodum sensus: Hic enim ita patitur, vt ex vehementi sensili perturbetur ita, vt alia sentire non possit: *At intellectus cum aliquid intellexerit valde intelligibile, non minus intelligit inferiora sed magis*: eo quod sensus non sine corpore: *Hic autem separabilis est*; nempe in operando. Ergo ille intellectus potentiæ intelligit intelligibilia, & ideò etiam contextu octauo, dicit intellectum hunc cum in actum redactus fuerit posse operari per seipsum nempe eliciendo actus suos. *Cum* D *fuerit singula factus* inquit *vt sciens dicitur, qui secundum actum; hoc autem tum accidit, quando potest operari per se ipsum*: Licet addat tunc quoque esse in potentia; non tamen similiter sicut prius: ergo verè hic intellectus operatur eliciendo intellectiones. Similiter eundem ait context. 16. non semper intelligere, & eius causam esse considerandam. Quare licèt ab eo remoueat perpetuum intelligendi actum; tamen illi ascribit eos quos suo tempore solet exprimere. Idem facilè pateret ex aliis pluribus locis tum eodem libro tum alibi, quos legentis curæ relinquo.

Aristoteles.

E Deinde verò quod eiusdem intellectus sit alterum munus, nempe vt ipse potentia sit ad recipiendas formas intelligibiles, probatur manifestiùs ex Aristotele, qui sæpissimè id docet ab eiusdem libri cont. 1. ad 20. vsque. Triplex enim forma ibi constituitur intelligibilis, ad quam illum dicit esse potentia; nempe obiectorum simulachra, intelligendi actus & ipsi habitus, si tamen eos Aristoteles ibi distinguat à speciebus. Quod sanè dubium est. In præsentia tamen supponamus esse distinctos, aut certè tamquam de distinctis loquamur, vt hoc intellectus potentiæ munus explicetur & statuatur.

Intellectus potentiá triplex formarum genus in se suscipit Aristoteli. §. 1.

Prima ergo forma est ipsa species seu imago obiectorum intelligibilium, quę intellectum informet, de qua loquitur context. 3. eiusdem libri cùm ait, huiusmodi intellectum *impassibilem oportere esse, susceptiuum autem formæ, & similiter se habere sicut sensum ad sensibilia, sic intellectum ad intelligibilia*. Ergo suscipit intellectus intelligibiliũ species; sicut sensus sensibilium, nisi quod vt ait cont. 7. illud inter vtrumq; discriminis est, quod non eodem patiuntur modo: Sensus enim à sensibili ita patitur, vt possint consequentes destrui sensiones, si sensile aliquod nimium vehemens sit; non sic intellectus qui validior ad sequentes intelligendi actus inualescit cùm vehemens intellectile perceperit. Quæ verba apertè ostendũt intellectũ aliquid recipere ab obiecto; quemadmodum sẽsus. Alioqui neuter quicquam ab obiecto susciperet: quod Aristoteli aduersatur Sensus enim vt l. b. 2. de An. cont. 59. dicitur, ita patiuntur ab obiecto, vt *actiua operationis extra sint*; quod non potest intelligi nisi ab iis aliquid recipiãt: Ergo species: ac proinde intellectus aliquid recipit, vt patiatur, sicut sensus à sensili. Hinc est vt cont. 14. ibidem dicat, *intellectum pati secundum commune aliquid diuisum est prius*; nempe eo libr. 2. cont. 57. quia aliud est pati, *quod est corruptio à contrario; aliud autem salus magis eius quod est potentia ab eo quod est actu*. Inter quæ secunda genera sensum pati ibidem Aristoteles subdit. Ergo intellectus patitur ita, vt ab intellectili perficiatur.

Vnde patet hic non posse responderi vt quidam putarũt; nempe intellectum pati, dum suos actus quos elicit in se recipit. Hoc inquam dici non potest: Nam similitudo in qua comparatio Aristotelis nititur, non est in eo quòd sensus patiatur eliciendo actum; sed in eo quod patiatur ab obiecto in sensum agente, vt diximus. At sensus patitur ab obiecto in ipsum agente, eò quòd obiecti species ac simulachra in ipso imprimantur, quorum vehementi receptione sensus aliquando perduntur, ne postea agere possint. Id quod manifestè confirmatur ex contextu vigesimooctauo eiusdem libri tertij, vbi ferè eadem vtitur comparatione ad ipsos intelligendi actus. Etenim ait, cùm sensile facit vt sit actu sensus in sensitiuo, aliam esse speciem motus. Non enim patitur aut alteratur; nempe sicut à contrario; atque ita *sentire esse simile ipsi dicere tantum, & intelligere*; vbi vult sensile perficere sensitiuum. Quæro ergo, quanam ratione perficietur? An eliciendo suos actus? At hos non recipit à sensili; sed eos in se ipse sensus elicit: Ergo aliquid aliud quod ab ipso efficienter sit; sicut cùm aqua calefit ab igne, ab eodem dicitur recipere calorem. Confirmatur hoc apertissimè ex contextu quarto ibidem, vbi ex Anaxagora docet; *intellectum oportere immixtum esse, quoniam omnia intelligit*. Quia scilicet si alicuius corporeæ naturæ esset, obiecta non possent in illum transmittere suas species; hanc enim rationem adducit statim Aristoteles: *Nam alienum iuxta apparens prohibet & obstruit*. At quodnam extraneum Aristoteles.

extraneum impediret, si intellectus nihil reciperet nisi à se ipso intellectionem? Ergo intelligendum omninò est, quasi Aristoteles dicat, impedit obsistitque, quia extraneo aditus intercluditur. Ergo supponit, aliquid in intellectu sensibúsque ab obiectis ingenerari. In qua re nunc non disputo, An immediatè seu mediatè aliquid in intellectum traducatur ab obiectis.

Denique si intellectus non reciperet species intelligibiles, non reduceretur ad actum ab intellectu agente. Nam vt suprà diximus, reduci ad actum ab aliquo, est ab ipso recipere initia actus ac motus; quo pacto grauia & leuia moueri dicuntur à generante, vel remouente prohibens, &c. Sicut etiam sensus reducuntur ad actũ à sensili, vt ita *actiua operationis extra sint* ex illo cont. 59. lib. 2. de An. Ergo si intellectus potentia reducitur ad actum ab intellectu agente; vt re vera Aristoteli reducitur; vt patet ex contex. 18. (Alioqui non esset ponendus intellectus agens *qui omnia facit*, nempe in intellectu possibili) debet ab eo accipere initia actus; nempe alicuius obiecti speciem. Alioqui non esset ratio, cur potiùs circa hoc quàm circa illud versaretur; quia scilicet per nullam formam esset determinatus intellectus ad hoc magis quàm ad illud.

Aristoteles. Ex quibus vlteriùs patet ratio, cur Aristoteles dixerit lib. 3. de An. cont. 38. *Lapidẽ non esse in anima, sed lapidis formam*, quia nimirum existimat in ea rerum imagines imprimi. Alioqui vt diximus non esset ratio, cur lapis potius intelligeretur, quam quiduis aliud. De qua tamen re plura suo loco. Ergo constat has primas formas recipi in intellectu potentiæ: Nunc ad secundas veniamus.

Secunda igitur forma sunt intellectiones, ad quas etiam intellectus ille est potentia. Id enim docuit Aristoteles expressis verbis in eodẽ lib. 3. cont. 8. Ait enim intellectum potentiæ *cum sic singula factus est*, eò quòd species atque scientiæ habitum adeptus sit; *vt sciens dicitur qui secundum actum*; nempe primum. Nam sequitur: *hoc autem tum accidit, cum potest operari per se ipsum*: Ergo cùm potest adepto vti habitu. *Est quidem & tunc potentia quodammodo; non tamen similiter vt & erat antequam addisceret*; id est, est quidem potentia, sed non ita remota vt priùs erat. Etenim ante habitus adeptionem erat in potentia ad species habitúsque, postea verò solùm ad actus. Quia nihil præter actus ipsi intellectui superest, ad quod ipse sit potentia, vbi species atque habitus acquisiuit. Præterea certum est intellectum, cùm sit id quo anima intelligit, esse potentia ad actus suos, quia cùm eos non habet, potest illos eliciendo suscipere; atque ita in potentia est ad has formas suscipiendas. Et ideo Aristoteles in eodẽ cont. 8. dixit, cùm intellectus vt sciens factus est, *tunc se ipsum potest intelligere*. Ergo est in potentia ad sui cognitionem.

Tertium denique formæ genus quod suscipere potest intellectus, est ipse intellectus habitus, hoc est sunt ipsæ scientiæ. Idem enim est, intellectum posse habitum suscipere scientiæ, ac posse fieri vt sciens, nempe potens operari per se ipsum. Sciens enim est habens scientiæ habitum; ita vt etiamsi dormiat, sciens esse dicatur. Vnde Aristoteles libro secundo de An. cont. 55. *scientem* inquit *dicimus habentem Grammaticam*. Quem deinde declarat contextu 56. ita vt *sit per disciplinam alteratus, & sæpè ex contrario mutatus habitu*. In quo ait differre à speculante, hoc est ab eo qui actum scientiæ habet. At intellectum posse fieri vt sciens; nempe potens operari per se ipsum, docet aperte Aristoteles in eo contextu octauo, vbi ait antequam addisceret ipsum intellectum fuisse in potentia, vt fieret singula; quod est fieri vt sciens. *Cum autem sic singula factus, vt sciens dicitur*, remanetque alio pacto in potentia, atque erat ante disciplinam; quia antè poterat discere, habitúque ornari; postea verò est actu sciens, & ad vteriorem actum potest, nempe ad secundum. Atque hæc clara sunt, nec maiore probatione indigent; si vera sunt quæ à prestantibus Philosophis ad habitus scientiarios comprobandos, magna subtilitate dici solent. Constat ergo Aristotelis opinione, hæc duo esse officia intellectus potentiæ.

Quòd verò cætera ad hęc tria capita reuocentur, res est omnibus in confesso: neque enim fingi potest, quænam alia forma in intellectu potentiæ reponi possit, quæ aut species, aut actus intelligendi, aut habitus ipsa non sit, quandoquidem præter hanc formas, nullius alterius intellectus potentiæ est capax. Dico intellectus potentiæ, quia est potentia receptrix. Nam hoc distinguitur àb agente, quod hic omnia facit; Ille omnia fit dum formas suscipit. vt habet Aristoteles libro tertio, contextu 17. & 18. Atque hæc ex Aristotele.

Ad idem triplex formarum genus intellectum eundem esse in potentia Peripateticis, & quo modo, etiamsi concedant species animo inditas. §. 2.

De Peripateticis res certa planè est, nisi quòd eorum nonnulli innatas intellectui species asseruerunt, vt videbimus; Quos tamen dicemus arbitratos esse, intellectum esse potestate ad has species non substantialiter, sed clariores. Quod qua ratione fiat, ipsorummet verbis exponere adnitemur.

Theophrast. Theophrastus ergo ex Prisciano Lydo lib. de Phantasia & intellectu cap. 9. eodẽ atque Aristoteles locutus est modo, in contextu octauo. *Quando fit singula* inquit *quemadmodum sciens actu dicitur* &c. vt Aristoteles. His ergo verbis videtur intellectum fuisse potestate, vt fieret singula: ergo ad species. Et vt fieret sciens: ergo ad habitum. Et vt eliciat actum, *quando secundum se agere potest*: Ergo ad actum; quem quia vitalis est, in se suscipere debet. Cùm autem dico esse potestate ad species, Theophrasti sententia, intelligo ad species saltem illustratas atque dispositas, vt paulò pòst dicetur ex Philopono ac Simplicio.

Alexander. Alexander libro 1. suo de An. cap. *de intellectu potentia*, ait hunc intellectum potentia *materialem vocari*; eoquòd *omne quod aliud suscipere natum est, eius quod suscipitur materia est*. Explicans autem, in cap. *de intellectu qui velut habitus dicitur*, quænam sint quæ ab eo suscipi possunt ait esse intellectũ habitu: Quem habitum ait fieri *per vniuersalis apprehensionem; tum verò per formarum à materia separandarum facultatem in intellectu gigni*; atque has

species vniuersales recipi in intellectu. *Enimuero vbi speciem hominis abdicatis materiæ appendicibus excipimus, nihil aliud quàm communem hominem intuemur.* Et persequitur hæc eleganter exponere. Si ergo est in potentia ad species, erit etiam in potentia ad habitus, & ad actus, eodem modo vt diximus ex Theophrasto; & ipse Alexander aperte docet tum ibi, tum deinceps in sequentibus capitibus.

Themistius. Themistius quoque libro 3. de An. cap. 16. vt explicet *intellectum de potentia ad actum commeare*, docet hoc prouenire ex eo, quòd sua natura aptus est recipiendis omnibus formis quibus caret. *Cùm intellectus* inquit *nullam formam præscriptam, consignatámque possideat, necessarium est eius natura hoc solo describatur, quod idoneus, compos, tenérque fuerit recipiendis omnibus formis.* Additque cap. 18. has formas vniuersales fieri via sensuum, & visionum ope per phantasmata, vt infra significabitur latiùs. Ideò sequitur, cùm huiusmodi *intellectus otiosus fuerit, habitum premere notionum, & intelligibilium generum*, &c. Est ergo potestate ad has species habitus & actus.

Philoponus. Simplicius. Auerroes. Idem sensere Philoponus, Simplicius, & Auerroes, nisi quòd cùm ponant insitas animo species, easque obscuras ac delitescentes, arbitrati sunt intellectum esse potestate ad has species illustratas, idoneásque factas ad actum. Sic

Philoponus. autem loquitur Philoponus lib. 3. de An. in cõt. 14. seu 46. ex Iamblico explicans, cur Aristoteles ibi intellectum potestate similem fecerit γραμματείῳ: *γραμματεῖον autem non diceret* inquit, *nisi γράμματα, hoc est literas haberet: Hoc autem dixit volens animas puerorum, quod est intellectus potentia habere rerum rationes. Quare si eã γραμματείῳ assimilauit, habet rerum videlicet rationes, sicut γραμματεῖον habet γράμματα, hoc est literas.* Sic Philoponus ibi.

Rursus contendit idem intelligi oportere, etiamsi Aristoteles dixerit esse similem tabellæ nondum scriptæ: quia putat non simpliciter ea verba intelligenda esse, quasi denotent, nihil in eo intellectu scriptum esse: sed quod idem sit, tabella non scripta, sed male scripta. nimirum *eò quòd habeat exiles & obscuras literas; nam & ἄφωνον dicimus tragœdum, id est mutum, eum qui est κακόφωνον; id est qui malam habet vocem. Quare & Aristoteles existimat esse in anima intelligibilia, vt Plato, & omnium rationes, & reminiscentiam & non disciplinam.*

Qua in re mirè fallitur Philoponus, parúmque se in Aristotelæa versatum esse doctrina præ se fert. Nihil enim clariùs docuit Aristoteles, quàm intellectum non habere congenitas rerum notiones, cùm velit scientiam acquiri de nouo, animúmque esse vt tabellam nudam, &c. vt infrà fusiùs dicetur. ἄγραφον autem, id est non scriptam tabellam pro non bene scripta accipere, & in potentia habere intelligibilia, pro imperfecta habere, nihil aliud est, quàm id sibi putare ab Aristotele libenter dari, quod ne ab inuito quidem extorquere possis.

Simplicius. Quem etiam in errorē lapsus est Simplicius lib. 3. in cont. 18. quanquam parum vt opinor consentaneè iis quæ dixerat in cõt. 14. Hic enim docuerat, *intellectum qui progreditur tabellæ non scriptæ assimilari* & *perfectionem adipisci quasi aduentitiè & aliunde.* Ergo in se eas species non habet. Tamen ibi in cõt. 18. ait, ideò Aristotelem comparare intellectum agentem lumini, quia sicut

A lumen latentes colores aperit; ita intellectus agens latentes ostendit species in intellectu possibili; *simulque illud philosophus demonstrat*, inquit, *quod neque in intellectu isto qui possibilis dicitur ita potestate erant, vt omnes subsistant; sed ita vt sint quidē, sed non cognoscantur, quemadmodum & colores illi, qui absque lumine reperiuntur.*

Plutarch. Philoponus. Eodem modo redarguendus est Plutarchus apud Philoponum lib. 3. de An. cont. 1. seu cont. 33. *Plato* inquit Philoponus ibi *existimat puerorum mentem esse secundum habitum, & rerum habere rationes*, &c. *Plutarchus autem existimat ipsum quoque Aristotelem hæc dicere*, &c. Nec prætereundus Auerroes lib. 3. de An. com. 18. vbi vt etiã illi

Zimara. ascribit Theophilus Zimara in eundem cont.
B pag. 320. col. 3. duplex ait esse agens. Alterum velut ars, quod in materiam formis priuatam formas ipsas inducit; alteram velut lumē quod formam in materia præiacentem obscuram incertámque illustrat. Lumen enim non efficit colores, sed visibiles reddit, cùm prius inuisibiles essent. Atque ideò Aristotelem dixisse intellectum agentem esse quasi lumen, vt eum constitueret non solùm in priore, sed etiam in posteriore agentium genere, quod melius intellectus agentis naturam exprimit. Quam etiam ob causam cùm Aristoteles illum comparasset arti, lumini postmodum contulit. Itaque patet arbi-

Auerroes. tratum esse Auerroēm phantasmata præcedere
C in anima. Alioqui negat comparationem de lumine ad colores posse cõsistere: hos enim præiacentes lumen ipsum illustrat non facit. Ex quo fortè videri potest vim huius similitudinis intellectus agentis cum lumine Auerroi Simplicius suppeditasse. Etsi formæ illæ præiacentes Simplicio sunt rationes vniuersales animæ obscuræ, eóque in potentia; secundum Auerroēm verò phantasmata, quæ particularium sunt simulachra, ac proinde non vniuersales species.

Auerroes. Cæterùm hæc quàm vera sint, facilè ex his æstimabis: dupliciter enim Auerroes decipi videtur. Nam si phantasmata præessent in animo, primò sequitur fore vt cùm sensilia in phanta-
D siam agunt, nulla simulachra producerent, eóque *actiua operationis extra non essent*; quod improbat Aristoteles libro 2. de An. cont. 59. idque alibi fusiùs confirmatum est. Deinde, quia quorsum requireretur phantasiæ operatio ad intelligendi actus ab Aristotele, si phantasma non imprimatur? Posset enim agens intellectus illustrare congenita phantasmata, operante hoc vel illo sensu, absque vlla phantasiæ actione. Sed de hac re tota alibi.

Similitudo autem luminis ab Aristotele ad Auerrois propositum non adducitur, vt congenita phantasmata eo inclarescant: sed vt ex præiacentibus ordine naturæ ea faciat intelligibi-
E lia actu, quemadmodum lumen reddit visibiles colores priùs operatione præiacentes, vt etiam infra dicetur.

Theophr. Prisc. Lydus. Huc reuocandus etiam Theophrastus videtur referente Prisciano Lydo libro de phantasia & intellectu cap. 4. Putat enim intellectum materialem hoc aliquid appellari à Theophrasto, quoniam species rerum intellectiles in seipso continet quamuis obscuras; subditque Priscianus, cum dicitur intellectus esse potentia non actu *non ita dici quasi intellectus nullo modo habeat species*; sed quia nexu cum corpore labem contraxit, absolui perficique debet ab agente intellectu.

tellectu. Verùm si concisa illa verba Theophrasti æstimes, intellectum materialem dicere forsitan videbitur *hoc aliquid*, non propter formas quas complectitur; sed quoniam actus est quidam, non pura potentia. Quamobrem non est adeò certum argumentum hoc Prisciani, vt ob illud hæc Theophrasto sentétia tribuatur. Constat ergo intellectum potentia ad illud triplex formarum genus esse potentia. Ex hac propositione ita probata

Colligitur, quo pacto intellectus dicatur potentia ad formas. Non enim dicitur potentia, quia sit facultas, quæ quomodocunque ad formam suam respiciat, siue nimirum eam habeat, siue non habeat in se; sed dicitur potétia ad formas, quas nondum habeat, sed habere possit. Patet, quia intellectus dicitur ab Aristotele potentia ad eas formas, quibus si informetur, hoc ipso ad illas non sit ampliùs potentia, vt patet ex lib. 3. de An. cont. 8. *Cùm autem sic singula factus est, vt sciens dicitur, &c. est quidem & tunc potentia quodammodo tamen vt priùs*; cùm nimirum non erat singula factus. quia scilicet cùm habet notiones atque habitus ad has formas, non est ampliùs potétia vt erat priùs, sed ad reliquos quos elicere potest actus, remanet potentia: ergo est potentia ad formas, quas nondum habet, sed habere possit.

Patet etiam idipsum generatim ex cont. 4. ibidem, cùm definit intellectum potentiæ *nihil esse actu eorum, quæ sunt antequam intelligat*. Ergo intellectus potentia non est actu formæ, ad quas est potentia. Hinc cont. 14. eundem intellectum ait esse *potentia intelligibilia actu nullum antequam intelligat*. Sic etiam cont. 17. ait esse qui omnia fit; agentem qui omnia facit; & hunc sua substantia esse actum, &c.

Ex qua doctrina sequitur manifestè; aliud esse intellectum qui sit potentia in casu recto; aliud verò intellectum potentia in casu sexto: Nam in priori casu nihil aliud est, intellectum esse potentiam, quàm esse vim & facultatem, cui non repugnat simul esse cum suo actu. Cùm enim finis & perfectio ipsius potentiæ sit actus; vt docet Aristoteles libro 9. Metaph. cont. 15. non potest actus suam potentiam destruere. Omnis namque perfectio absoluit potiùs exornátque id cuius est perfectio, quàm destruat. Et idcircò cùm potentia aliqua recipit suos actus, propensione quadam atque appetitu eos recipere dicitur. Sic enim materia appetit formam ex Aristotele libro 1. Phys. cont. 81. At non esset appetitus & propensio ad illos, si ipsorum aduentu potéstas illa deperiret. Appetitus enim seu inclinatio propter aliquid est, vt docet Aristoteles 3. de An. cont. 4. nimirum propter bonum quo mouetur, vt explicatum est. Quocirca Aristoteles in eo cont. 81. rectè docuit vnum contrarium non appetere suum contrarium: *Corruptiua enim sunt* inquit. Non ergo potentia destruitur actus aduentu; atque ita cum eo esse potest. Quod euidenter expressit Aristoteles in eodem lib. 1. Phys. cont. 82. Materiam enim quæ contrariis formis subiicitur, corruptibilem esse ait secundum priuationem, *quatenus autem secundum potentiam incorruptibilem & ingenitam.*

At verò intellectus qui sit potentia in sexto casu, est ita esse ad actum nondum habitum, vt non sit ampliùs ad illum in potentia vbi eum susceperit. Semper enim esse actu & potentia ita

A opponuntur, vt quod est potentia in eo, in quo est potentia, nunquam sit actu, & contrà. Id expressè docuit Aristoteles lib. 3. Phys. cont. 6. *Quædam* inquit *actu & potentia sunt; at non simul aut secundum idem; sed vt calidum quidem potentia, frigidum autem actu.* Illudque pro certo haberi docuit libro 8. Phys. cont. 40. Nihil posse in semetipsum agere actione vniuoca; quia *Idem esset simul actu & potentia, calidum & non calidum*, &c. Sic etiam sciens, vt diximus ex illo cont. 8. lib. 3. de An. quia aliquo modo est actu, non est ampliùs potentia, vt erat priùs. Ratio autem huius est, quia esse potentia est, vt diximus, posse suscipere actum, quem nondum habet: ergo pugnat esse cum actu. Aristoteles.

B Atque in hoc etiam conueniunt veteres Peripatetici. Nam Themistius lib. 1. Phys. in digressione post cont. 61. de materia duo nomina prædicari ait; materiam scilicet & subiectum; sed tamen hæc duo sic differre; quod cum prædicatur subiectum, *tunc cum priuatione non est* inquit. Contrà verò cùm dicitur materia, quæ secum affert potestatis essentiam, quæ non est sine priuatione, ac proinde nunquam materiam dici, nisi habito respectu ad res quæ nondum ortæ sunt. Vnde sic loquitur: *Æs eatenus dum sine vlla forma est, rectè dixeris materiam statuæ, postea verò quam est formatum, vt in Apollinem, aut Mercurium, fictum fusúmque, non materiam ampliùs rectè sed subiectum appellamus.* Themistius.

C Quare neque illud hic prætermittendum silentio est, nimirum decipi eos, qui cœlo negant esse materiam, ne realiter, vt ipsi aiunt, cœlum sit corruptibile. Quasi verò ratio materiæ in ipsa entitate materiæ cessare non possit, si in eadem entitate, forma aliqua insit, quæ vim contrariorum repellat à subiecto suo; quales multas formas esse, in quas aliquod contrarium non possit vires suas exerere, alibi de cœlo fusiùs à nobis dictum est. Tunc autem cessaret ratio potentiæ in ipsa materiæ entitate; quia illa entitas non haberet rationem priuationis comparatè ad illa contraria. Cùm enim ea non possent recipi, certum est tunc materiam ex hypothesi talis formæ nó habere aptitudinem, capacitatémque ad illa suscipienda. Sed vt dixi latiùs alibi hæc constituta à nobis sunt.

D Non secus ad id quo de agimus spectat, quod Simplicius ait lib. 2. Phys. com. suo 35. Dicit enim quæ fieri possunt vbi facta sunt, non esse ampliùs potentia, nec fieri ampliùs posse. Dicit autem *Aristoteles* inquit ibi Simplicius *de eo quod fieri potest: nam non ampliùs fieri possunt quæ facta iam sunt, sed simpliciter opposita agentibus: non agunt enim quæ possunt agere, & cessant ab actione.* Quasi dicat; si res sunt, eas non esse ampliùs potentia, eodémque modo quæ fiunt, non esse ampliùs potentia ad actionem. Simplicius.

E Huc etiam facit illud Alberti lib. 3. de An. tr. 1. cap. 1. vbi ob eandem causam negat materiam carnis esse potentia omnes formas, quia habet aliquam actu; nempe carnem; sed solam materiam primam esse potentia omnes, quia nullam habet. *Nihil enim* inquit *est potétia id quod iam habet.* At de intellectu potentiæ hactenus disputatum sit. Nunc ad intellectum agentem veniamus. Pro qua re sit Albertus.

POSTERIOR DIFFICVLTATIS PARS

De Intellectus agentis muneribus in hominis animo ex Aristotele & Peripateticis.

VNica propositio. Omniũ Peripateticorum sententia Intellectus agentis munus est illuminare intellectum possibilem; an verò præter hoc sint alia, probabilior pars affirmans inter Peripateticos est, præsertim quod cognoscat & dirigat possibilem intellectum. Vtraque propositionis pars probanda est.

Prior autem pars sic probatur. Etenim Aristoteles & cęteri Peripatetici omnes in hoc munere assignando conueniunt. De Aristotele patet. Nam is aperte lib. 3. de An. cont. 18. de intellectu agente ait *omnia facere* in intellectu possibili. Hic enim est qui omnia fit. Docet autem omnia facere, *vt habitus quale est lumen*; nimirum quia illum illustrat. De eodem dixerat superiore cont. 17. se habere *sicut ars ad materiam*. In quo intellectus agentis munere nullus est ex Peripateticis qui discrepet, dum hos Aristotelis locos exponunt. Aperte enim omnes fatentur, intellectum agentem esse illum, cuius efficiẽtia reducitur ad actum possibilis intellectus, suisque cognitionibus illustratur exornatúrque. — *Aristoteles.*

Cur intellectus agens comparetur lumini atque arti, & in qua re consistat eius illuminatio atque artificium, examinatur. §. 1.

DIfficultas tamen non exigua est; In qua re cõsistat huiusmodi illuminatio atque artificium apud hos Peripateticos. Etsi enim omnes vna voce fatentur, intellectum agentem instar luminis illuminare intellectum possibilem, nihil esse aliud, nisi ea quæ illi sunt intellectilia potestate, actu reddere intellectilia; desumpta metaphora à lumine, quod colores illustrando eos visibiles facit, vt expressit Aristoteles in cont. 18. ibidem; Tamen quid ille faciat dum ea reddit intelligibilia, quid sit in intellectu possibili omnia facere; cur ars habitúsque dicatur inter eosdem mira dissensio est, nec ad cõcordiam vllam redigi vllo pacto videntur posse.

Alexander. Alexander enim tum alibi vt supra vidimus; tum referente Philopono libro 3. in cont illum 18. alias 49. quia intellectum agentem quem vocat θύραθεν νοῦν, idest intellectum foris existentem, penitúsque absolutum, putátque esse primam causam Deum, docuit omnia facere tũ in Mundo tum in hominis animo. Itaque Alexandri opinione intellectus agens illustrat possibilem; & omnia in eo facit, quia species ei imprimuntur à Deo, omniáque suo ordine disponuntur, quousque per se operari possit, nulla forma extrinsecus petita.

In qua tamen re Alexander improbãdus est. Nam Deus non omnia facit sicut lumen aut ars;

A sed sicut generale rerum omnium principium atque effector, simúlque cum causis secundis. Ergo assignanda est in causa secunda huiusmodi illustratio atque affectio. Immò cum dicit Aristoteles in cont. 18. *Has differentias esse in anima* non est quòd recurrat ad Deum, qui extra omne genus animæ collocandus omninò est. Adde quod lumen est quodammodo medium inter lucidum & illuminatum, eoque mediæ naturæ, extremorúmque participis. Ergo intellectus agens si cum lumine, habitúque atque arte proportionem habeat, intellectus diuinus esse non potest, qui potius cum sole vt suprà dicebam ex Platone; & mox eiusdem verba referã,

B quam cum lumine similitudinem habere dicendus est; nec mediæ est naturæ, sed primæ omniúmque præstantissimæ atque optimæ.

Vix ab Alexandro Lydus Priscianus differt vbi supra. Vult enim illustrantem intellectum non aliter ab intellectu materiali separatum esse, quam lumen ac solem à rebus coloratis. Quapropter non est pars animi sed mens prima vt supra diximus, aut certe idea boni: nisi quod non putat intelligibilia creari, sed latentes, obscuratásque in animo hærentes species, quæ intelligibilia sunt illustrari. Eam ob causam ait ab Aristotele intelligibilia in ea re coloribus esse similia obtenebratis, nondũmque à sole illustratis edoceri. — *Prisc. Lydus.*

C Fortasse Priscianus hîc in hãc de prima causa siue boni idea sententiam venit, ob quendam Platonis locum, qui ei forte persuasit vt crederet, intellectum agentem Aristoteli esse boni ideam; siue vt veriùs dicam Deum. Quam ideã, primam esse cognitionis veritatísque causam, est apud Platonem lib. 6. de Rep. longe post medium declinando ad finem. Ait enim intellectũ nostrum vim intelligendi à boni idea accipere, intelligibilia verò ab ea accipere veritatem, quod hæc sit sciẽtiæ veritatíque causa: propterea hanc Soli esse similem, lumini verò ac visui cognitionem ac ipsam veritatem. *Quemadmodum enim lumen* inquit *& visum solis speciem quandam habere existimare decet, solem verò visum esse* — *Plato.*

D *nequaquam; ita cognitionem & veritatem boni speciem habere aliquam; esse verò ipsum minimè, quoniam angustior est ipsius boni maiestas.* Paulò post in eadem comparatione perstans ait: *Solem quidem dices vt arbitror iis quæ videntur non modò videndi præbere potentiam, sed etiam generationem, incrementum, ac nutritionem; cùm ipse tamen generatio non sit: ita dices bonum his quæ cognoscuntur dare non solùm vt cognoscantur, sed etiam vt sint; cùm tamen ipsum essentia non sit, sed supra essentiam, authoritate, dignitate, ac potentia omnem essentiam superans.*

Qui fortasse Platonis locus in causa fuit; vt Priscianus quod à Platone didicerat, Aristotelis

E quoque doctrinam esse sibi persuaderet. Debuisset tamen hic auctor animaduertere, Platonem ibi veritatis ac cognitionis primam causam docuisse, eoque Soli eam comparasse: Secus verò Aristotelem propinquam tantummodo causam significasse non primam, eoque eam non Soli sed lumini contulisse, hásque differentias non extra animæ genus, sed intra animas posuisse. Quare vt ad rem propositam reuertamur, Prisciani sententia intellectum agentem illustrare intellectum possibilem, et Deum seu boni ideam præiacentes species reddere intelligibiles.

Quod

Quod tamen quomodo fiat nec ipse explicat, nec facilè dici potest. Aut enim est, in illis aliquid gigni, quo clariora reddantur, aut nihil. Hoc certè secundum si dicatur, quænam erit huiusmodi illuminatio, cùm illuminare sit lumen aliquod in re illuminata produci? Si affirmet primum; explicet quid illud sit; & cur si illud reale fieri ab agente potest, eadem ratione species non gignatur. Præterea superest, cur arti, cur habitui huiusmodi comparatio fiat edocendum.

Simplicius. Ab Alexandro & Prisciano dissentit Simplicius in libr. 3. de An. in part. 18. Nam primò ait intellectum agentem ab Aristotele lumini similem atque habitui dici; eò quòd is intellectus dum *secundas vitas producit, haud extra alicubi exponitur, sed in se ipso eas recipit, neque ab iis omnino seiunctus permanet, sed se ipsum cum illis complicat; atq; illarum quodam pacto fit.* Idest dum intellectus agens in secundis vitis promendis occupatur; dum scilicet ad externa obiecta & sensibilia vergit, seu circa illa elicit actionem, digreditur quidem à se ipso quia ad illa tendit; sed tamen ita, vt etiã aliquo pacto maneat in se ipso. Quoniam eas vitas non extra se, sed in se reponit ac recipit. Sunt enim actus vitales, qui in animo manent, eorúmque species insunt in ipso, vt in subiecto. Itaque animus earum vitarum fit, non aliter quàm lumen illuminati corporis, & habitus eius fit, cuius est habitus. Arbitratur igitur Simplicius similitudinem esse ob intimum ac inseparabilem inter subiectum, formámque nexum: *Nam & lumen* inquit: & idem infrà dicit de habitu *ab iis quæ illuminantur inseparabile est.* Sentit ergo intellectum esse similem habitui ac lumini: Quia sicut lumen atque habitus numquam diuelluntur à suis subiectis; ita & intellectus agens in suis vitis & formis; quia nimirum hæc separata inter se, atque diuulsa esse non possunt. Postea magis explicans id ipsum ait.

At verò arti superiùs non absimilem intellectum, agentem ab Aristotele dictum esse Simplicius ait, propterea quod quemadmodum ars *in iis quæ cùm materia sunt, efficiendis versatur.* Cùm enim ipse à materia seiunctus sit, in efformandis tamen iis, quæ in intellectu possibili ex materialibus formis abstrahuntur occupatur. Ars ergo ad separationem, seu vt veriùs dicatur, ad distinctionem agentis & effectus significandam pertinet magis; habitus verò ac lumen ad inseparabilitatem connexionémque cum secundis vitis. Docet præterea comparari lumini; quia vt suprà diximus ex Simplicio, quo pacto lumen facit colores visibiles, ita intellectus agens facit intelligibiles species, quibus in intellectu positis, obiecta intellectilia redduntur, percipique ab intellectu possunt.

Hinc colligit Simplicius, intellectum materialem habere formas quæ illustrentur; intellectum in potentia autem dici, non quia penitus caret formis, sed quia obscuras informésque habet. Quod videtur affirmasse, vt Platonis dogma de formis siue rationibus animæ insitis, atque ob nexum corporis obscuratis non omninò Aristoteli displicuisse. Quippequi intellectum possibilem corpori colorato non absimilem dixit. Alioqui nihil inesset intellectui veluti colores, quod agens intellectus

A intelligibile redderet, sicut colores lumine perfusos aspectabiles nouimus.

Hæc tamen Simplicij sententia licèt ex parte probanda sit, non tamen in paucis peccat. Probamus enim in eo quod ait intellectum agentem esse lumini similem, quia ea quæ intellectilia potentia sunt, facit actu intellectilia; vt infra constabit. Improbatur tamen multipliciter: primò dum ponit rationes seu species animo congenitas, & contrahentes labem ob nexum corporis. Id namque Platonicum est, atque ab Aristotelis doctrina prorsus alienum: Tum quia supponit intelligentem animum ante corpus esse; quippequi eius candor

B cohærentia corporis infici vult: Tum quia nihil faceret intellectus agens, vt in Priscianum diximus. quia scilicet in intellectu nihil instar luminis produceretur.

Secundò peccat, quia supponit vnum eundémque Aristoteli esse animæ intellectum agentem, & possibilem. Dum enim ait intellectum agentem foras ad sensilia prodire, in séque recipere actus ac species, in hoc ipso ei tribuit naturam intellectus possibilis: quod etiam suprà Simplicio ex eius verbis adscripsimus. Hoc autem est falsum, & suprà à nobis reprobatum est.

Tertiò, quia non rectè explicat Aristotelis similitudinem, qua intellectus comparatur lu-

C mini, dum eam consistere ait in eo, quòd sicut lumen est aliquid illuminati corporis; ita & intellectus est quid suorum actuum: Hoc inquam non rectè. Potius enim debuisset intellectum agentem Aristoteles, si ad connexionem intellectus cum suo actu respexisset, cum subiecto luminis, non cum ipso lumine, habitúque conferre: Vt scilicet sicut subiectum luminis, aut subiectum habitus recipit in se lumen aut habitus: sic intellectus agens in se recipiat suas vitas ac formas. Quin potiùs falsa esset similitudo in qua comparatur; aut certè nimiùm vniuersalis. Nam vel comparatio esset intelligenda in specie atoma. Vt scilicet sicut lumen est illuminati corporis for-

D ma, ita & intellectus sit forma suorum actuum; & sic est falsa, quia actus potiùs est forma intellectus, non contrà. Vel generatim ita scilicet, vt sicut lumen est quid illuminati corporis solùm ob connexionem cum illo quæcunque illa sit, ita & intellectus sit aliquid suorum actuum; vt Simplicius videtur intelligere; & hoc sanè modo comparatio est nimis generalis: Quia non fuisset ratio cur potiùs lumen habitúmque desumpsisset Aristoteles; quàm quiduis aliud quod huiusmodi nexum cum alio contineret. Aliud ergo voluit Aristo-

E teles; nempe vt superiore Difficultate dictum est Notando septimo.

Quartò falsum est; artis similitudinem, quam afferri ab Aristotele dicit ad distinctionem intellectus agentis significandam, posse consistere, si intellectus agens idem quod possibilis, vt ipse Simplicius arbitratur sit. Nam quæro quonam modo in re proposita, tunc similitudo illa locum habeat: Etenim si intellectus agens (etsi separatus ab organo in agendo sit) idem sit quod intellectus possibilis, necesse est vt illas formas in se ipso efficiat, si eas in intellectu possibili facit. Ergo

Ergo in hoc non significat distinctionem; vt ipse Simplicius opinatus est. Quocirca nec ars maiorem significabit distinctionem, quàm ipse habitus, ac lumen importet. Vtrobique enim formarum coniunctio cum subiecto denotatur. Immò maior, Simplicij sententia, ex luminis similitudine indicaretur distinctio quàm ex ipsa arte. Quia licet lumen sit quid illuminati corporis, tamen in eo corpore lumen esse separabiliter arbitratus est Simplicius libro secundo de An. in contextu sexagesimonono, vt corporibus lumen potius adsit, quàm insit aut hæreat. Vbi Platonis in Timæo sententiæ docentis lumen ignis speciem, & quoddam immateriale corpus esse, subscribere non dubitauit. Nec dubium illi fuit, quin Aristoteles in eo cont. 69. cùm negat lumen esse corpus, *quia fieri non potest vt duo corpora simul sint*, intelligendus sit vt neget esse materiale corpus, non autẽ corpus immateriale. Qua quidem in re, vt hoc obiter dicam, labitur Simplicius manifeste. Nam si corpus est, trinam dimensionẽ habeat necesse est. Atque ita argumentum Aristotelis stat, si lumen corpus sit. Qui nimirum fieri possit, vt lumen ita aërem peruadat vt duo corpora simul non sint, nec eorumdẽ corporum penetratio detur? Potiùs ergo Simplicij illam separationem seu distinctionẽ ex luminis, quam ex artis similitudine declarare debuisset Aristoteles. Præterquamquod Aristoteles non putat agentem intellectum illuminare possibilem, quia elicit actus; sed quia producit species vt infra dicam.

Philoponus. Ex quibus etiam non difficili negotio arguetur Philoponus in cont. 49. seu 18. libr. 3. de An. Ait enim intellectus agentis munus esse, species animi patefacere, non producere: Atque ita in Alexandrum inuehitur, quòd dixerit primã caussam esse intellectum agentem, quia Aristoteles dicit: *Sicut lux non facit colores* inquit Philoponus *sed eos esse manifestat; sic etiam intellectus omnia facere videtur, quod omnia manifestat: est autem absurdum hoc de prima causa dicere; Prima enim causa ipsam substãtiam producit*, &c. Quapropter intellectum agẽtem ait ab Aristotele comparari pictori, à Platone autem stylo; additque eundem intellectum agentem *idem subiecto esse* cum intellectu possibili; *tempore autem diuersum*: quod non conuenit primæ causæ. Verùm in iis quoque asserendis multa falsa inuoluit Philoponus. Quamuis enim, quod etiam Simplicio dedimus, probemus intellectus agentis esse munus quod obiecta intelligibilia reddat; Tamen primò falsum est, quòd ait intellectum agentem species & simulachra rerum manifestas facere, non producere, vt in Simplicium diximus. Deinde falsum quoque est, intellectum agentem diuersum à possibili non esse; quod antè ex Aristotele ostendimus. Tertiò nec prætereunda est Philoponi in suis dictis inconstantia. Si enim Aristoteli intellectus agens est pictor; ergo inducit colores, non eos supponit in ea tabella quam pingit. Similiter & stylus characteres format non prærequirit. Ergo intellectus agens facit species in animo non supponit. Denique quia Philoponus frigidè admodũ in Alexandrum inuehitur: Diceret enim Alexãder, etsi prima causa substantiam producit; tamẽ se erga intellectum possibilem habere, vt se habet lumen ad colores. Quoniam dum in eodem intellectu possibili species producit intellectilia

A actu facit; & hoc pacto (dum nimirũ eas species producit) eas reddit manifestas intellectui possibili. Vnde falsum esse diceret Alexander, intellectum agentem specierum substantiam non producere; quod Philoponus in Alexandrum obiecit. Ad solutionem ergo huius difficultatis

Notandũ est primò, nos posse dupliciter præsentem quæstionem instituere. Primò quidem definiendo munus intellectus agentis, qui Aristoteli sit substantia separata. Alio autem modo definiendo munus eiusdem intellectus, qui eidem Aristoteli sit animi vis ac facultas. Quemadmodum si quęreremus, quale sit munus causę mouentis elemẽta. Posset enim intelligi quæstio tam de munere causæ mouentis eadem elemẽta;
B quæ sit substantia generans, quę est mouens elementum constituendo motus initia, vt suprà dicebamus; quàm de munere causæ mouentis quæ sit qualitas motum eliciens, quæ proximum est ipsius motus principium efficiens.

Iam ergo si primo modo instituatur præsens quæstio, tunc primò dicendum est, Aristoteli ea intellectus agentis esse munera, quæ intellectui agenti, qui facultas animi est, ascribi solent: Etenim quæcunque fiunt à facultate, quæ proximè actionem seu motum elicit, ascribi debent causæ, quæ eidem facultati motus actionísue initia dedit. Sic enim quia generans, remouénsve prohibens, motus initia dedere elemento, iisdem
C caussis eiusdem elementi motus ascribitur ab Aristotele lib. 8. Physicor. cont. 33. Quod expressè notauit A. Doctor infrà quæst. 105. a. 2. c. *Motus* inquit *localis grauium & leuium consequitur formam quæ datur à generante, ratione cuius generans dicitur mouens.* Eodem modo bonum intellectu seu intelligentia apprehensum, voluntatis actum ac sui desiderium excitare dicitur ab Aristotele libro tertio de An. context. 54. & ab A. Doctore 1. 2. q. 9. a. 1. & q. 24. de Verit. a. 1. c. Quem tamen desiderij actum certum est elici, producique à voluntate. A. Doctor.

Idem patet ex eodem Aristotele dum lib. 7.
D Moral. Eudem. cap. 17. & 18. motus animi nostri tribuit assidenti numini, quod in nobis esse dicit; nempe ei principio, quod est animo nostro, omni ratione intellectúque præstantius, eidémque animo assidet tanquam dux, dirigénsq; eius actiones. Quam etiam doctrinam comprobat A. Doctor P. 2. q. 9. a. 4. Sic denique idem Aristoteles libr. 2. de An. cont. 59. sensiones omnes refert in obiecta extrinsecus agentia tanquam in earum causas simpliciter, cùm dixit: *Actiua operationis extra sunt, visibile, & audibile; similiter autem & reliqua sensibilium*: etiamsi eliciantur à suis sensibus. Quamobrem si nobis in præsenti constituendum sit quid muneris immediata intelle-
E ctus agentis facultas præstet; cuius est immediatè intellectum possibilem instruere, non erit difficile hinc colligere, quænam sint ei intellectui, qui Aristoteli est separata substantia, munera tribuenda; & an aliquid præterea eiusdem intellectus proprium esse possit. Pro qua re Aristoteles.

Notandum est secundò, omnes quos suprà citauimus Peripateticos consentire cum Aristotele, vt intellectus agentis illustrare intellectum possibilem, sicut ars atque habitus, & non aliter ac lumen colores visibiles facit; vt patet ex Aristotele libr. 3. de An. à context. 17. ad 20. vt suprà sæpè

ſæpè dictum eſt. Veruntamen quia ſi conſtitutum erit, quomodo intellectus poſſibilis ab agēte illuſtretur, cætera facile explicabuntur; ideò determinandum eſt priùs; Quanam ratione ille ipſe intellectus poſſibilis ab agente lumen recipiat.

In qua re certum omnibus eſſe debet tunc intellectum illuſtrari, cùm illi aliqua ad cognoſcendum via ſeu modus aperitur ac traditur. Eſt enim deſumpta metaphora ab eo, quòd illuminare eſt clarum reddere, atque in apertum exponere, quod obſcurum reconditúmque erat, quod nimirum ſicut is qui obicem aufert, vt lumen in occluſum aërem pertingat, clarum reddit aërem atque apertum; ſic is qui alteri viam ad ſciēdum monſtrat, obſtacula remouet, vt in eius animum veluti occluſum, atque impeditum cognitionis claritas eniteat; Vt idem ſit animum illuſtrare, atque ei rerum earum cognitiones ingenerare, quæ illi antea perſpectæ non erant: Qua ratione dicitur is qui alium docet, patefacere atque illuſtrare illius mentem; quia eam exornat earum rerum notitia, quas prius ignorabat, ac proinde illi in obſcuro poſitæ dicebantur. Sic etiam illuſtrare dicimus aliquam veritatem, cùm eam hominum cognitionibus veluti aperimus, in conſpectúmque proponimus. Ratio huius rei eſſe poteſt, quam ſignificat Angelicus Doctor infrà quæſtione 106.a.1. quia *lumen ſecundum quod ad intellectum pertinet, nihil eſt aliud, quàm quædam manifeſtatio veritatis ſecundum illud ad Epheſ. 5. Omne quod manifeſtatur lumen eſt.* Ergo illuminare *nihil aliud eſt*, inquit, *quàm manifeſtationem agnitæ veritatis aliis tradere, ſecundum quem modum Apoſtolus dicit ad Epheſ. 3. Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia illuminare omnes*, &c. Et hoc pacto ait vnum Angelum illuminare alium, *in quantum ei manifeſtat veritatem quam ipſe cognoſcit.* Quod etiam probat ex S. Dionyſio cap. 7. cœleſt. Hierarc. poſt medium eius capitis.

A. Doctor.

Intellectus ergo agens illuſtrat ſeu illuminat intellectum poſſibilem, dum in eo cogitationes rerum ingenerat, eíque aliquam latentem veritatem, ſcientiámque demonſtrat; ſeu quod idem eſt, dum eidem viam aperit, rationémque oſtendit, qua perucnire ad ſcientiam ac veritatem queat: cùm proprium ſit intellectus noſtri latentem plerúmque veritatem venari; non autem eam obuiam promptámque habere.

Verùm quoniam dupliciter intelligi poteſt, intellectum agentem intellectui poſſibili cognitionē imprimere ſeu ingenerare. Vel enim eam imprimit formaliter, hoc eſt eam in intellectu poſſibili eliciendo; vel cauſam eius ingenerando, ſiue vt aiunt *cauſaliter*; nempe dum obiecti ſpeciem in intellectu poſſibili format, ac producit; propterea videndum eſt vtro modo id accidere poſſit. Ac primo quidem modo nego huiuſmodi facultatem imprimere cognitionem poſſe. Nam is intellectus elicit cognitionem, quo animus intelligit & cognoſcit; ſicut is viſus elicit viſionem, quo animus videt; & ſic de cæteris animi facultatibus ſuos actus elicientibus. At intellectus quo animus intelligit & cognoſcit, eſt intellectus poſſibilis ex Ariſtotele lib. 3. de An. cont. 5. ibique conſentiunt omnes Peripatetici; & patet ex ſupradictis in priore huius difficultatis parte. Ergo intellectus agens non imprimit cognitionem in intellectu poſſibili eam eliciendo, ſed ſpecies eidem imprimendo.

Quod ſi quis diceret, vtrumque intellectum nempe tam poſſibilem, quàm agentem, concurrere ad intellectionem tanquam principia elicientia, reiiciendus eſſet: Tum quia fruſtra duæ facultates ſuarum notitiarum elicientes ponerentur: Tum quia vt mox dicam Ariſtotelis Peripateticorúmque opinione intellectus agens ſua actione facit quæ potentia ſunt intellectilia, vt ſint actu intellectilia, quod eſt producere ſpecies in intellectu poſſibili vt conſtabit. Eius autem intellectus eſt notitiam elicere, cuius eſt obiectorum in ſe ſpecies ſuſcipere, vt in priore huius difficultatis parte oſtenſum eſt. Is enim determinatur ex ſpecie, vt hanc potiùs intellectionem eliciat, quàm aliam; quia is vt ibidem diximus, per ſpeciem conſtituitur in actu primo & proximo ad eius ſpeciei actum ſecūdum, cùm hoc pacto paſſum cum agente connectatur ad promendum actum; vt recte docet A. Doctor ſuprà quæſt. 12. a. 2. Et ideò Ariſtoteles lib. 3. de An. context. 12. dixit intelligere eſſe quoddam pati; quia ſcilicet intellectus vt probat A. Doctor infrà q. 79. a. 2. ſpeciem recipit ad ſuam perfectionem, nempe ad ſuum actum ſecundum qui eſt eius operatio.

Itaque ſecundo modo tantùm intellectus agens imprimere cognitionem debet in intellectu poſſibili; vt ſcilicet ſi illuſtrare illum debeat agens, ſpecies ipſas obiectorum in eo imprimat neceſſe ſit; non ipſam formalem cognitionem; & in hoc conueniunt omnes Peripatetici vnà cum Ariſtotele libro tertio de An. cont. 18. nimirum quòd actio agentis intellectus ſit circa ſpecies, non circa ipſum intelligendi actum in intellectu poſſibili, ita vt vel ſpecies in intellectu poſſibili imprimat producendo, vel ſi eas præſupponat, alia ratione ordinet & illuſtret, vt vidimus ſuprà.

Quid ſit fieri actu intelligibilia, ea quæ priùs erant intelligibilia poteſtate. §. 2.

VT autem hoc explicemus

Notandum eſt tertiò, idem hæc duo eſſe; nempe facere intelligibilia actu, quæ priùs erant poteſtate intelligibilia; & producere ſpecies obiectorum materialium in intellectu immateriali modo; quod quidem recte animaduertit A. Doctor infrà q. 79. a. 3. Vbi ait oportuiſſe dari intellectum, *qui faceret intelligibilia in actu per abſtractionem ſpecierum à conditionibus materialibus.* Quibus verbis veluti definitione docet, quid ſit facere intellectilia in actu: vt illa particula *per* ſit nota cauſæ formalis. Quemadmodum diceremus aliquem facere calidum per productionem caloris in ſubiecto. Clare igitur docet intellectum agentem facere intelligibilia actu, hoc ipſo quo obiectorum materialium ſpecies à materia abſtractas, ac proinde modo immateriali producit. Idem ipſe docet articulo ſeq. ibidem. Quod magis explicat quæſtione vnica de Spirituali Creatura, a. 10. c. vbi oſtendit intellectum agentem debere eſſe aliquam in animo facultatem; quia experimur nos cum volumus facere intelligibilia in actu; abſtrahendo ſcilicet

A. Doctor.

scilicet vniuersale à particularibus, dum secernit id quod est commune omnibus indiuiduis hominum ab iis quæ sunt propria singulis: Et in hac q. 54. a. 4. c. expressis verbis docet; intellectum agentem oportere in animo dari, vt sit virtus aliqua quæ naturas, *quæ solum extra animam existentes sunt intelligibiles in potentia, quia naturæ rerum materialium quas nos intelligimus, non subsistunt extra animam immateriales & intelligibiles actu, faceret actu intelligibiles.* Ergo putat ideò naturas non esse intelligibiles actu, sed solùm potentia; quia non sunt immateriales: Ergo si intellectus agens eas facit intelligibiles actu, debet eas facere immateriales. At quomodo eas facit immateriales, nisi in ipsarum simulachris ac speciebus; nimirum imprimendo in intellectu tales earum species, vt is intelligere eas possit absque singulari materia, atque ideo immateriali modo? Ergo idem sunt A. Doctori, intellectum agentem ea quæ potestate prius erant intelligibilia, facere actu intelligibilia: atque ea facere immaterialia: ac proinde producere eorum species immateriali modo in intellectu possibili. Vnde cum non faciat eas naturas immateriales & actu intelligibiles, nisi *per abstractionem* à singularibus; vt ipse ibidem loquitur ad 2. sequitur, idem esse fieri immateriales seu intelligibiles actu, & produci earum species à singularibus abstractas, hoc est singularia non repræsentantes.

Id ipsum probatur ratione quæ ex Aristotelæis principiis apertè deducitur: quia idem est ab agente intellectu, actu fieri intelligibilia quę priùs erant intelligibilia potestate, atque ab eodem intellectu agente fieri immaterialia in intellectu possibili antequam eliciatur eius actus. At non potest quicquam fieri immateriale ab intellectu agēte in intellectu possibili ante eius actum, nisi eius immaterialis species. Ergo fieri immateriale ab intellectu agente in intellectu possibili ante eius actum, est fieri seu produci eius species immateriales.

Minor est certa, quia in possibili intellectu nihil potest esse nisi vnum ex his tribus; nimirum vel species, vel habitus, vel actus. Cùm ergo ab intellectu agente non fiat actus, quia hic, vt diximus, elicitur ab intellectu possibili; nec ab eodem habitus gigni possit, quia fit ex frequentibus actibus, vt nunc suppono; sequitur solùm fieri illas species immateriales; quia aliud nihil superest, quod ab eodem intellectu agente in intellectu possibili fieri possit.

Maior ergo probatur; nempe quòd idem sit fieri intelligibilia actu, ac fieri immaterialia in intellectu possibili. Probatur inquam quoniam idem est ab intellectu agente, fieri actu intelligibilia, ea quę potestate priùs intelligibilia erāt; ac quæ priùs erant obiecta sensuum, ac proinde singularia, fieri actu propria intellectus obiecta, ac proinde vniuersalia. Ergo idem est ab agente intellectu fieri actu intelligibilia, quæ priùs erant intelligibilia potestate; ac ea quæ erant materialia, fieri ab eodem agente intellectu immaterialia actu in intellectu possibili, antequam eliciatur actus circa ipsa. Consecutio est manifesta: quoniam quæ priùs erant singularia & obiecta sensuum, hoc ipso erant materialia: ergo si fiant actu propria obiecta intellectus & vniuersalia, fient actu immaterialia, & in intellectu possibili. Immaterialia quidem: quia

A fieri immaterialia est absolui à materia singularium, vt desinant esse sensuum obiecta, vt dicetur. In intellectu autem possibili: quia si sunt actu obiecta propria intellectus, debent ea fieri in intellectu possibili, cuius obiecta in ipso poni debent actu; vt elici possit actus circa illa. Sicut vt color sit obiectum actu visus, in eius oculo & facultate debet esse, vt visio versari circa illum possit. Constat ergo illa duo idem esse. nempe fieri intelligibilia actu, & fieri immaterialia, hoc est, à materia singularium seiuncta, qua ratione sunt propria obiecta intellectus: à quo solo cognosci possunt, ac proinde actu intelligibilia sunt.

Antecedens illud etsi non indigeat probatione, tamen confirmari potest: quia idem est esse
B intelligibilia potestate; ac esse singularia & obiecta sensuum, quia hoc ipso possunt hæc fieri actu intelligibilia per abstractionem naturæ vniuersalis, ac proinde propria intellectus obiecta. Similiter idem est esse intelligibilia actu; ac esse actu propria intellectus obiecta, atque vniuersalia: sicut enim esse intelligibile est, esse proprium intellectus obiectum; ita & esse actu intelligibile, est esse actu proprium intellectus obiectum, ac proinde vniuersale. quia cætera singularia corporea quæ nunc cum obiecto intellectus comparamus, sunt obiecta sensuum. Ergo fieri actu intelligibilia, est fieri obiecta
C propria intellectus, ac proinde vniuersalia.

Quod autem fieri intelligibilia actu, sit ea abiungi à materia confirmatur. Nam Aristoteles lib. 3. de An. cont. 11. disertis verbis docet, vt aliquid ab intellectu cognoscatur tanquam eius obiectum, debere illud seiungi separaríque à materia, vt ita intellectus à sensibus tum externis tum internis distinguatur: *Omninò* inquit *vt separabiles res à materia, sic & quæ circa intellectum:* Quasi dicat, res propriam obiecti intellectus rationem non habent nisi aliquo modo à materia separentur. *Inde est* inquit A. Doctor in eum locum, *quod intellectus non cognoscit directè singularia, sed sensus vel imaginatio*; quia scilicet huiusmodi singularia materiam inuoluunt. Ergo fieri proprium obiectum actu intellectus, seu fieri intelligibile actu, est separari à materia. Alioqui non essent Aristoteli actu intelligibilia, sed potestate tantummodo, dum scilicet singularem materiam inuoluunt, sensuúmque obiecta esse non desierunt.

[Aristoteles. — margin]
D

Quod etiam Aristoteles expresè docuit eodem libro 3. cont. 17. vbi *In habentibus* inquit *materiam potentia solùm est vnumquodque intelligibilium.* Ergo fieri intelligibile, est fieri immateriale. In quo differt sensibile quod est obiectum sentientis facultatis, ab intelligibili quod est obiectum intellectus; quod sensibile est materiæ concre-
E tum; intelligibile à materia abstractū. Sic enim loquitur Aristoteles eodem libro cont. 10. vbi vtrique facultati obiectum assignat. *Sensitiuo* inquit *frigidum & calidum iudicat* anima *& quorum ratio quadam ipsa caro*; nempe materiæ immersum. At facultate separabili iudicat quæ materiam non admittunt, vt ipse explicare pergit, & mox dicetur à nobis: Ergo vt sit obiectum actu intelligibile, debet fieri immateriale. Vnde ibidem cont. 2. apertè dixit, intelligere esse quoddam pati ab ipso intelligibili; sicut sentire est pati ab ipso sensibili: quia scilicet sicut sensus patitur passione, quam vocant perfectiuam, re-

cipien-

cipiendo nimirum in se species sensilium; ita intellectus patitur, eò quòd ab intelligibili perficitur; nempe formatione specierum intelligibiliũ, opera intellectus agentis. Non enim aliud est vnde formentur. Vnde cont. 3. subdit: *Similiter se habere sicut sensitiuum ad sensibilia; sic intellectum ad intelligibilia.* Quibus non dubitare se, præ se fert Aristoteles, intellectum à sensibili non moueri, seu non accipere speciem; sed ab intelligibili, quod à sensibili differt: Ergo solùm ab eo mouetur quod immateriale est: Nam alioqui etiam intellectus à sensibili pateretur, quia omne materiale sensibile est aliqua animi sentientis facultate: Ex his ergo habemus, intelligibilia fieri actu intelligibilia esse ea abiungi à materia.

Quod verò ea obiecta intelligibilia à materia separentur vt intelligi possint, quod dicebamus in eiusdem argumenti maiore. probatur ferè ex dictis; quia non ob alium finem à materia separantur ab intellectu agente, & reponuntur in intellectu possibili, nisi vt intelligantur, & vt sint proprium obiectum intellectus: Nam dum materiam inuoluunt, non intellectus sed sensus obiecta sunt Aristoteli, vt fusiùs infrà dicetur. Dum enim materiæ concreta sunt, sensibilia ab eo vocantur, vt dictum est: Et præterea, quia vt deinceps patebit, intelligibilia fiunt immaterialia; quia eorum species sine indiuiduorum repræsentatione reponitur in intellectu possibili: ergo vt ab eo intelligantur.

Quam ob causam in eo cont. 11. Aristoteles aduersus Platonem quidditates rerum quas Plato dicebat esse intelligibiles, ac proinde à materia separatas, Ideasque incorruptibiles, negat esse reipsa separatas, siue eæ quidditates rerũ physicarum, siue mathematicarum sint, cùm satis sit si à singularibus sensibilibus abstrahantur, vt rectè exponit ibi A. Doctor, & alij. Vnde rectè A. Doctor ibi: *Apparet inquit ex hoc quod Philosophus hic dicit, quod proprium obiectum intellectus est quidditas rei, quæ non est separata à rebus, vt Platonici posuerunt. Vnde illud quod est obiectum nostri intellectus, non est aliquid extra res sensibiles existentes, vt Platonici posuerunt; sed aliquid in rebus sensibilibus existens: licet intellectus noster alio modo apprehendat quidditates rerum, quàm sint in rebus. Non enim intellectus apprehendit eas cum conditionibus indiuiduantibus, quæ eis in rebus sensibilibus adiunguntur.* Hæc ibi & benè. Pro qua re intelligenda

A. Doctor.

Notandum est quartò: quoniam intelligibilia actu fieri diximus, cùm fiunt immaterialia, & seiunguntur à materia, sequi ipsa eadem intelligibilia, antequam actu fiant intelligibilia, hoc est dum intelligibilia sunt potestate, esse materialia ac sensibilia. Patet sequela dupliciter: Primò, quia quomodo sunt potestate intelligibilia; sunt actu à parte rei, & non immaterialia: ergo materialia & sensibilia. V. gr. natura humana antequam fiat vniuersalis, dum est in singularibus, est re ipsa, & tunc nõ est intelligibilis, nisi potestate; quia quod actu sensibile est, est potestate tantùm, non actu intelligibile. Sensibilis autem est; quia omnia hæc inferiora indiuidua sensibilia sunt: ergo illa natura antequam intellectu præscindatur indiuidua est materialis. Secundò, quia nihil à materia separari potest, quod priùs cum materia coniunctum non esset. Separatio enim est coniunctorum diuisio. Ergò si ea quæ potestate erant intelligibilia fiant actu, & separentur à materia, priùs materiæ concreta erant, ac proinde materialia modo mox explicando.

Ex quibus vlterius sequitur, eam separationem non fieri reipsa à parte rei ab intellectu agente; sed operatione intellectus. Certum enim est ea quæ materiæ concreta sunt reipsa non absolui à materia; sed si absoluantur alio modo absolui debent, ac proinde non alio modo nisi operatione intellectus. Is enim solus habet vim separandi quæ re ipsa separari non possunt. Vt enim ex Aristotele libro 7. Metaphys. à cõt. 44. vsque ad 68. aduersus Platonicas Ideas argumentatur A. Doctor infrà q. 84. a. 4. c. *Contra rationem rerum sensibilium est, quod earum formæ subsistant absque materiis*, ac proinde ad eas intellectiles actu faciendas opus fuit intellectu abstrahente & agente; vt idem probat ex Aristotele infrà q. 79. a. 3. Propterea intellectus ea quæ sunt potestate intellectilia; hoc est quæ ex se sensilia sunt, facit actu intellectilia, dum ea à materia absoluit, atque sua intellectione seu cogitatione præcidit.

A. Doctor.

Hinc etiam est; vt intellectus non aliter ea faciat intellectilia nisi repræsẽtatione, seu quod idem est per speciem, quæ intellectui materiam non referat. Notum enim est vel iis, qui philosophiam à limine salutarũt, nullam rem abstrahi per intellectum ab aliis, cum quibus ipsa res realiter coniuncta sit, nisi mentis actione & separatione, seu conceptione & cogitatione, qua vnam rem ab aliis secernimus; hoc est nisi ex eo quòd vnum intellectus apprehendit & cogitat sine alio; vt si animal sine homine, brutisque apprehendat, atque concipiat, animal abstrahi, ac separari per intellectum dicitur ab inferioribus illis, quæ sub illo genere tanquã eius species continentur.

Cùm autem dupliciter in intellectu possint repræsentatione, seu per speciem separari sensibilia à materia; nimirum vel repræsentatione & specie quæ sit actus primus, vel quæ sit actus secundus; quia scilicet vel producatur species, quæ sit obiecti repræsentatio sine materia; vel eliciatur actus, qui sit eiusdem obiecti cognitio sine materia, non erit intellectus agentis munus facere intelligibilia actu ex potestate intelligibilibus secundo modo, sed primo. Nam intellectum separare obiectum à materia per speciem, quæ sit actus secundus, est illud separare ipso intelligendi actu quem elicit; hoc autem est intellectus potentiæ; nempe quo animus intelligit. Eius enim esse suprà diximus elicere intelligendi actus. Ergo munus intellectus agentis erit facere intelligibilia actu imprimendo speciem in intellectu possibili obiectorum quidem materialium sed immateriali modo; vt proposueram initio secundi Notandi. Alioqui non faceret intelligibilia actu, quæ debent intelligi absque materia. Quare explicandum superest, cur dixerimus ea obiecta intelligi immateriali modo, ac si nullam inuoluerent materiam. Id namque impossibile videtur. siquidem naturæ ipsæ sensilium corporum intimam materiam deposcunt, nec aliter definiri intelligive possunt.

Sensibilia fiunt intelligibilia, ac proinde immaterialia cogitatione dum separantur à materia singularium. §. 3.

VT autem id declaremus, illud scire oportet, quæ materialia ac sensilia sunt, fieri immaterialia, ac intellectilia cogitatione ac specie, dupliciter posse intelligi. Primò quidem; quia nullo modo in eo obiecto intelligibili materia cognoscatur; & hoc modo nego intelligi posse, intellectum sensilia reddere immaterialia vt iam dicebam. Ratio est euidens: quia nulla res cognosci potest sine iis quæ eidem rei essentialia sunt, eamque primò in suo esse constituunt; & idcirco dicuntur quidditatiua; & in eo quod quid est: hæc enim essent alia sunt prima rei prædicata; quæ nimirum de re in primo dicendi modo affirmantur; vt patet ex Aristotele lib. 1. Poster. cont. 30. aliàs 9. *Per se autem* inquit *sunt quæcunque insunt in eo quod quid est*: Ac proinde si cognosci ac definiri essentialiter res debeat, cognoscenda illa sunt, atque in definitione explicanda, cùm definitio sit ex Aristotele libr. 7. Metaphys. cont. 1 *3. aliquius primis: prima autem sunt quæ per se dicuntur*. Verum igitur est, nullam rem sine suis essentialibus posse cognosci; ideòque nec ab illis cogitatione posse abstrahi. At materia omni prorsus rei sensibili est quid essentiale; saltem omni substantiæ corporeæ, cui materia est intrinseca pars. Ergo huiusmodi saltem sensilia absolui à materia nequeunt, nec possunt hoc pacto ab intellectu agente fieri intellectilia aut immaterialia; Vt si concipiatur mente, humana natura; illa quidem animi conceptio materiam non excludet ab ipsa natura cùm sit corpus viuens sentiens, & sic de cæteris.

Aristoteles.

Alio modo fieri intellectilia, & immaterialia cogitatione possunt, eo quòd absoluantur à materia singularium, & indiuiduorum; Et hoc pacto intelligi oportet, intellectum agentem cogitatione ac specie facere intellectilia & immaterialia; vt expressè animaduertit, optiméque declarat A. Doctor infra q. 85. a. 1. vbi in corp. sic definit huiusmodi separationem à materia: *Cognoscere* inquit *id quod est in materia indiuiduali, non prout est in tali materia, est abstrahere formam à materia indiuiduali*: & ad 2. ibidem fusiùs & clariùs: *Dicendum* inquit *quòd materia est duplex; scilicet communis & signata: vel indiuidualis: communis quidem, vt caro & os; indiuidualis verò; vt hæ carnes, hæc ossa. Intellectus igitur abstrahit speciem rei naturalis à materia sensibili indiuiduali; non autem à materia sensibili communi. Sicut speciem hominis abstrahit ab his carnibus & his ossibus, quæ non sunt de ratione speciei, sed partes indiuidui; vt dicitur in 7. Metaphys.* nempe cont. 34. & 35. *Et ideò sine eis considerari potest, sed species hominis non potest abstrahi per intellectum à carnibus & ossibus.* Hinc apparet materiam quam cogitatione seiungimus, non esse nisi singularem. Pro qua re.

A. Doctor.

Notandum quintò, hanc esse Aristotelis doctrinam dupliciter probari apertè posse. Primò quidem quia Aristoteles libro 3. de An. cont. 9.

Aristoteles.

A postquam suprà dixerat, intellectum nostrum differre à sensu, & ipsum intellectum esse potentia intellectile, docet quomodo à sensu differat in cognoscendo. Vt autem hoc declaret ponit, ibi aliud esse ipsam rem; aliud verò ipsam rei quidditatem: illis verbis, *aliud est magnitudo & magnitudini esse: & aqua, & aquæ esse*; nempe aliud est corpus, aliud esse corpori. Illud enim est esse hoc in hoc, nempe concretum cum materia; hoc verò est quidditas & essentia; vt postea docet eodem cont. 9. illis verbis: *Caro enim* inquit *non sine materia est: sed sicut simum hoc in hoc.* Vnde infert cont. 10. sensu cognosci carnem, & quæ sunt materiæ immersa; nempe materiæ singulari: At quidditatem seu

B esse rei; videlicet naturam à singularibus abstractam non sensu sed alia animi facultate; nimirum intellectu, vt deinceps declarat. Ergo proprium intellectus obiectum opinione Aristotelis est quid immateriale, & abstractum à singulari materia, non autem ab vniuersali. Etenim cognitionem intellectus in hoc discernit à sensu, quod intellectus est circa esse carnis; nempe circa quidditatem abstractam à singularibus: sensus verò circa carnem; seu quod idem est circa ea, *quorum ratio est ipsa caro*. Inde concludit contextu vndecimo intellectum versari circa res separabiles; id est à materia singulari abstractas. Nā hæc duo ibi cōtraponit Aristoteles, (nēpe concretum, vt simū; & separabile) ergo

C hęc duo opposito modo intelligenda sunt: Constat autem illud concretum; vt simum; intelligi immersum in materia singulari; vt iam dicebamus: ergo per separabilem intelligit separatum à materia singulari. Cùm ergo ait in eo context. 11. *Omninò ergo vt separabiles sunt res à materia; sic & quæ circa intellectum sunt*; intelligendus Aristoteles est, quasi expressè dicat, intellectus cognitionem esse circa res, quæ non inuoluunt materiam singularem; sensus verò nonnisi circa singularia versari: vt vera sit Aristotelis contrapositio. Si quidem illa duo ab Aristotele contraponi iam dictum est.

Ex quibus etiam intelligitur quod Aristoteles dixit lib. 1. Phys. cont. 49. nempe *vniuersale secundum rationem notum esse; singulare autem secundum sensum*; quia scilicet vniuersale est immateriale, & non potest cognosci nisi intellectu. At

Aristoteles.

D singulare, quia est materiale nempe Physicum, de quo ibi loquebatur, non potest cognosci ab homine nisi per sensum. Eodem modo intelligi debet, quod idem Aristoteles docuit lib. 1. Post. cont. 175. aliàs 29. *Propositionem* videlicet *vniuersalem esse intelligibilem, sed particularem in sensu perfici.* Idem enim est sensus horum verborum, atque aliorum quæ iam diximus: Si enim est vniuersalis, ergo immaterialis; ideòque obiectum

E intellectus: Contrà verò particularis, quia est materialis, sensu cognosci oportet. Atque hæc de primo.

Deinde probatur illa ipsa doctrina (quod scilicet materia à qua abstrahitur obiectum intellectus sit singularis) ratione: quia sensibilia fieri immaterialia cogitatione, est separari per intellectum à materia vt dictum est. Non autem per intellectum separantur à materia quam inuoluunt, sed à materia indiuidua. Sic enim separat intellectus, cùm naturas communes & vniuersales apprehēdit nō intellectis singularibus.

Confir

Confirmatur præterea huiusmodi ratio. Nam ab illa materia intellectus agens species suas separat, quæ non repræsentatur per illas species intellectui possibili. Idem enim est separari materiam per intelligibiles species, & per easdem non repræsentari: At per species repræsentatur materia vniuersalis intellectui possibili non indiuidua: Ergo intellectus agens à materia indiuidua suas species separat, non vniuersalis. Minor probatur ex Aristotele lib. 3. de An. cont. 8. vbi ait: *Cùm autem intellectus sit singula factus, vt sciens dicitur*: Ex quo argui potest hoc pacto. Illa solùm materia repræsentatur intellectui possibili per illas species, ad quam repræsentandam, illæ species informant ipsum intellectum possibilem; vt certum est. At huiusmodi species informant intellectum possibilem, ad repræsentandam non particularem sed vniuersalem materiam: Quia species quibus singula factus est intellectus & sciens dicitur, sunt ad repræsentandas naturas vniuersales non particulares, de quibus nulla est scientia: cùm hæc sit vniuersalium, vt docet idem Aristoteles lib. 6. Eth. c. 3. & lib. 3. Metaph. cont. 20. & lib. 1. Post. cont. 142. & alibi frequenter.

Aristoteles.

At inquiet aliquis, etiam in intellectu sunt species singularium; v. gr. Socratis, Platonis; ergo intellectus informatur speciebus, quæ sunt ad repræsentandas materias singulares, & non solùm vniuersales. Respondeo infrà dicturos nos; An & quomodo species singularium sint in intellectu possibili. Interim quod ad rem præsentem attinet, dico nunc sermonem esse de speciebus, quæ referunt seu repræsentant intellectui proprium eius obiectum; hoc est quod simul nō est obiectū vllius sensus. Qua ratione proprium intelligitur, quod alteri commune non est. Has igitur species diximus eas esse, quibus fiunt vniuersalia & immaterialia, ad quæ nullus sensus pertingere potest; ideóque solius intellectus obiectum repræsentare possunt. De his ergo quærimus, quomodo fiant immaterialia separatione materiæ: nimirum, an separatione omnis materiæ, an tantum singularis? Diximus autem cogitatione separari materiam singularem: & ideò posuimus in hac probatione Minoris particulas illas duas, nēpe *illa, ille*, vt significaremus nos non absolutè, sed relatè loqui ad species, in quibus determinandis controuersia præsens est.

Præterquamquod absolutè forte verum est, in intellectu nullas præterea dari species, quæ singularium materialium sint; vt significauimus suprà q. 50. a. 2. Quæsi. 1. Diffic. 2. Quæ sanè sententia videtur expressa ab A. Doctore suprà q. 14. a. 11. ad 1. *Intellectus noster* inquit *speciem intelligibilem abstrahit à principiis indiuiduantibus*; *Vnde species intelligibilis nostri intellectus non potest esse similitudo principiorum indiuiduantium*; *& propter hoc intellectus noster materialia non cognoscit*. Sic etiam suprà q. 50. a. 2. c. *Vnumquodque intelligitur* inquit *inquantum à materia abstrahitur*; *quia formæ in materia sunt indiuiduales formæ, quas intellectus non apprehendit secundum quod huiusmodi*. Et q. 57. a. 2. ad 1. infrà ait: *intellectum nostrum non intelligere res nisi abstrahendo*; *& per ipsam abstractionem à materialibus conditionibus, id quod abstrahitur fit vniuersale*: Vnde q. 86. a. 1. corp. expressè docuit, *intellectum nostrum intelligere abstrahendo speciem intelligibilem à materia* singulari; ac proinde intelligere vniuersale directè; indirectè autem singularia per phā-

A.Doctor.

A tasmata, *mediante particulari apprehensione sensitiuæ partis*; vt loquitur ad 2. Idem alibi. Dixi tamen materialium; nam immaterialium alia est ratio si cognoscerentur. Illa enim per se sunt intelligibilia, nōn per abstractionem à materia. Vnde vt optimè obseruat A. Doctor infrà q. 56. a. 1. ad 2. *Singularium quæ sunt in rebus corporalibus non est intellectus apud nos, non ratione singularitatis sed ratione materiæ, &c. Vnde si aliqua singularia sunt sine materia subsistentia, illa nihil prohibet intelligibilia esse actu.* Constat ergo ex dictis, munus agentis intellectus esse facere intelligibilia actu, & producere species in intellectu possibili immateriali modo. Pro qua re

B Notādum sextò, produci species immateriali modo in intellectu possibili, adhuc bifariā posse intelligi; Vel primò, quia immateriales ipsę species sint secundum suam substantiam, etiamsi referant obiecta materialia. Vel secundò, quia non solùm sint immateriales secundum suam substantiam; verùm etiam referant res immateriales. Et primo quidem modo non est satis produci species in intellectu possibili ab agente intellectu; sed necessariò debent secundo modo produci. Ratio huius est manifesta. Quoniam obiectum intellectus debet esse abstractum à materia sensibili & singulari, vt ita obiectum

C sit intelligibile actu non potestate vt hactenus ostendimus. Ergo non satis est vt sint immateriales primo modo, sed secundo. Nam alioqui si species in intellectu essent rerum singularium, essent immateriales primo modo: quia omne quod hæret immateriali subiecto, immateriale sit oportet: Ergo species non repræsentantes intelligibilia actu, essent abstractiones ab intellectu agente: Quod falsum est: quia intellectus agens ex intelligibilibus potestate, facit actu intelligibilia; hoc est sensibilia ad intelligibilia traducit, auferendo ab illis rationes singulares; quo pacto sunt obiecta sensuum, vt ita sint vniuersalia, sintque hoc ipso obiecta intellectus,

D vt ex Aristotele dictum est.

Hinc alterum sequitur quod notari oportet: nempe licet species ipsæ singularium, quia hoc ipso quo animis hærent immaterialibus, immateriales ipsæ quoque sunt, debeant etiam esse intelligibiles actu: quippe non sensibiles; tamen ipsas non esse species intelligibilium: quia certum est ipsas materialium sensilium imagines esse. Quapropter sunt intelligibiles tanquam obiectum *quod*, non autem tanquam obiectum *quo*, seu vt simulachra rerum intelligibilium, quæ propriè & per se intelligibiles sūt. Vt enim ait Aristoteles lib. 3. de An. cont. 15. ea sunt per se intelligibilia, quæ à materia seiuncta sunt.

E Qua de causa ibidē ait de intellectu nostro quē suprà dixerat immaterialem esse, *Et ipse etiam intelligibilis est, sicut ipsa intelligibilia.* Hæc nāque per se nulla abstractione requisita solius intellectus sunt obiecta. Secus de iis quæ sensibilium naturam habent, quæ per se intelligibilia non sunt, sed tantùm potestate. Et ideo generatim dixit Aristoteles eodem lib. cont. 16. *In habentibus autē materiam, potentia solùm, vnumquodq; est intelligibilē.* Quod etiam mox patebit ex Alexandri verbis.

Aristoteles.

Immò ex hoc alterum intelligi facilè potest: nempe quàm consentaneè ad Aristotelis mentem hac in re veteres Peripateticæ disciplinæ principes sint locuti.

Alexāder enim lib. 1. suo de An. c. *de Intellectu*

agēte apertè ait res materiales, *quatenus intelligūtur hypostasim habere, vt intelligibilia sint*; hoc est substātialiter immateriales sunt hoc ipso quo intelliguntur. Si enim non intelligantur nempe in actu primo; hoc est nisi eorū sit species in intellectu, non habent intelligibilium substantiam; hoc est non sunt ipsa intellectilia actu sed potestate. Ea enim alicuius naturæ hypostasim seu substantiā habēt, quæ actu ac reipsa sunt talia. Vt quod potestate est aqua & actu aër, nō habet simpliciter hypostasim, & substantiā aquæ, quandiu est actu aër. Ergo si quid est potestate intelligibile, quandiu tale est, non habet substantiam intelligibiliū.

Quo autem modo debeant illæ rerum sensibilium, fieri intelligibilium species; nempe tanquam rerum immaterialium, & à materia seiunctarum per ipsum intellectum; explicat Alexander, hæc verba subiungēs: *Vniuersalia enim & communia in singularibus & materialibus substantiam habent: Res autem absque materia intellecta communes, & vniuersales sunt; & tunc sunt intellectus cùm vniuersales fiunt.* Quibus clarissimè patet, verum esse quod diximus de iis quę intellectilia fiunt, ex eo quod à materia singularium diuellantur. Nam rectè probat Alexander si non intelligantur non esse intellectilia; quia vniuersalia quę actu intellectilia sunt extra animam in singularibus sunt, ac propterea materiæ immersa ac sensibilia, non obiecta intellectus. Quocirca vt intellectilem substantiam induant ac naturam, abstrahi cogitatione ab ipsis singularibus debent: *Tunc enim sunt absque materia res intellecta communes, & vniuersales, & tunc sunt intellectus*; nempe considerationes intellectus; vt ipse statim explicat. Ait enim huiusmodi intellectum esse corruptibilem: *hoc est* inquit *huiusmodi considerationes* in actu primo. Tota enim hæc Alexandri doctrina lucem non paruam accipit ab iis, quæ ipse docet eodem libro in cap. præcedenti; Quod est *de intellectu & re intelligibili secundum actum*; vbi expressè habet: *Materialia illa sunt quæ potestate intelligibilia nuncupantur*; Quæ vt deinde subdit *intellectus velut quid à materia disiunctum apprehendit.* Quibus consentanea illa maximè sunt quæ prius initio eius capitis dixerat: *Si sunt nonnullæ species quæ per se absque materia & subiecto subsistunt, hæ propriè intelligibiles sunt.* Quasi dicat; nihil est intelligibile propriè, quod non apprehendatur sine materia; Quod si quid sit sine materia à parte rei, ac sine illa rectè per intellectum apprehēdatur; illud per se intelligibile est; quia cùm nunquam sit in materia, nunquam est potestate intelligibile; sed semper actu est tale.

Alexander.

Idem & clariùs patet ex eiusdem libri 2. de An. cap. 15. *Intellectus* inquit *formam rei intelligibilis apprehendens, eámque à materia seiungens, tum ipsā formam actu intelligibilem facit*, &c. & vt paulò antè dixerat: *Forma materia expers sola sua natura intelligibilis est: formæ namq; materiales ab intellectu intelligibiles reddūtur, cùm sint potestate intelligibiles. Separans enim ipsas à materia intellectus, cum qua coniunctæ essentiam habent, intelligibiles actu facit.* Ratio huius rei est ex dictis manifesta: quia illa sunt propriè intelligibilia, quæ nequeunt cadere sub sensum; cùm hæc cōtraponantur, vt diximus: Ergo debēt esse sine materia singulari, quæ sola cadit sub sēsum. Et ideò, vt docet Aristoteles libr. 1. Poster. cont. 43. seu 182. scientia non potest esse sensus, cùm sit vniuersalium. Nam *sentire, hoc aliquid est necesse, & vbi & nunc. Vniuersale autem quod est in omnibus impossibile est sentire. Neq; enim hoc aliquid est, neque nunc neque vbi*, &c. & cōcludit: *Quoniā igitur demonstrationes vniuersales sunt, hæc autē non est sentire: manifestum est, quod neque scire per sensum est.*

A

Cum Alexandro consentit Themistius lib. 3. de An. c. 24. *Intellectus* inquit *agens cum intellectum potentia agitat, nō solùm intellectui actum ministrat, sed & res quæ potentia intellectæ sunt*, id est intelligibilia *facit vt in eo intellectæ sint actu*, id est intelligibilia actu: quas formas ait esse cōmunes rationes abstractas à singularibus: *Atque hæ sunt formæ materiales & notiones cōmunes de singularibus sensibus collectæ.* Postea subdit cap. 25. has notiones reponi in thesauro memoriæ, nec iis intellectum possibilem vti, sed agentem qui *arbitratu suo multitudinem illam notionum disponat & tractet.* Et cap. 26. de eodem ait, *non vti discursu, sed compressione quadam, omnésque rerum formas continere, & omnia intelligere.* Quæ vt vera sint, si sermo sit de intellectu agente, qua facultas est animi, debent accipi, vt intellectus agens omnia contineat virtute, non formaliter. Id namque est intellectus possibilis, qui speciebus vtitur formaliter, non agentis, cuius est species producere in intellectu possibili.

Themistius.

B

Dixi si sermo sit de facultate. Nam si loquitur Themistius de intellectu agente, qui substantia sit, tunc formaliter intelligendus est. Intellectus namque agens possibili intellectu nobilior, eique assistens formaliter quidem habet rerum notiones, quas intellectui possibili imprimit; ita tamen vt eas, quæ in intellectu possibili hærent, tractet ac verset; non autem vtitur discursu, cùm simplex substantia immaterialis sit, naturæque Angelicæ, vt antè indicauimus, quæ simplici rerum intuitu gaudet, discursum omnem respuit, omnémque iudicij compositionem.

C

Philoponus quoque lib. 3. eodem in cont. 47. aliàs 14. (licet enim loquatur de disciplinis quas nostro labore conquirimus, tamen de disciplinarum obiectis ea quæ dicit, veriùs intelligenda sunt) ait: *Disciplinæ non sunt propriè intelligibiles, à nobis autem omninò intelligibiles dicuntur, quod à nobis effectæ sunt, & in nostra mentis intelligentia versantur.* Sumit ergo disciplinas pro earum obiectis, quæ intelligibilia à nobis fiunt mentis cogitatione & separatione à materia vt diximus. Vel si malimus ea de ipsis disciplinis intelligere, tunc dici oportet, ipsas disciplinas, hoc est ipsas institutiones dum ea quæ à magistro docentur, pulsant ac verberāt sensus discipulorum, quia sensiles hoc pacto sunt, non esse intellectiles, donec efformentur species in eorum mente qui discunt. Tunc enim quia immateriales sunt, obiecta sensuum desinunt esse, & sub solam cadunt intelligentiam, quæ sensus omnes nobilitate superexcedit.

Philoponus.

D

E

Simplicius etiam eodem lib. cont. 23. duplicis intelligibilis expressè meminit, nempe actu & potestate. Itaque docet omninò cont. 14. 17. & sępè alibi. Præsertim verò cont. 15. ob hāc causam dixit, intellectum omnem esse intelligibilem, quia immaterialis est. Ex hoc namque quod immaterialis substantia est, potest seipsum intelligere, atque intelligibilis est. *Intellectus* inquit *proprium est seipsum intelligere aut posse intelligere. Ideóque tum intelligibilis est qui adhuc imperfectus, tanquam potestate intelligibilis, atque iuxta id quod primo modo dicitur potestate*, nempe potestate non quia sit materialis, sed quia caret speciebus cùm imperfectus

Simplicius.

imperfectus est, vt dixerat Aristoteles eodem libro 3. cont. 8. Et ideò subdit Simplicius etiam illum intellectum qui perfectus est, esse intelligibilem potestate; sed proxime; quia scilicet habet sufficientes species intelligendi sui: *Tum qui perfectus est* inquit *multo præstantiori modo est intelligibilis, iuxta id quod secundo modo dicitur potestate*, ea scilicet, qua iam conquisitis speciebus in actum ipsum secundum per nos ipsi possumus. Quæ quidem potestas secúdo modo facit intellectum in potentia ad formas intelligibiles. de qua Aristoteles libr. 3. de anima cont. illo 8. cuius sæpè antè meminimus. Quod etiam apertiùs postea subdit eodem cont. cùm causam reddit, cur intellectus omnis intelligibilis sit illis verbis. Quod *intelligibilis sit intellectus ostenditur* inquit, *sine materia namque is omnis est*; & post pauca: *Quoniam itaque intellectus sine materia omnino est & intelligibilis tanquam is qui seis sum intelligat* &c. Itaque illud ex his verbis constare potest, intelligibile propriè illud esse, quod sine materia est, quandoquidem ideò intellectus est intelligibilis, propterea quòd materia caret; quia scilicet hoc pacto cùm obiectum sensuum esse non possit, obiectum intellectus sit necesse est. Quamobrem cùm vniuersalia abstrahuntur à materia singulari, quia sensibus hoc pacto non obuersantur, hoc ipso sub intelligentiam solam cadere necesse est; ideóque intelligibilium naturam induere posthabita sensibilium.

Auerroes. Denique Auerroës, vt alios taceam, in eadem Aristotelis loca citata ait lib. 3. de An. com. 18. & alibi frequenter actionem intellectus agentis esse abstrahere; nempe *facere intentiones imaginatas in actu, postquam erant in potentia*. Quod ibidem suprà aliis verbis dixerat, nimirum facere intentiones imaginatas in actu, *nihil aliud esse, quam facere eas intellectas in actu, abstrahendo eas à materia*. Sic etiam libro 2. cœli com. 92. ait, intelligibile esse per formam; népe per quidditatem; sensibile verò per materiam scilicet indiuiduam ac singularem. quod ipse colligit ex verbis Aristotelis ibi, cum dixit, *Aliud est hoc cœlum, & cœlum simpliciter. Et hoc quidem vt species & forma; illud autem vt cum materia mixtum.*

His ita præmissis nunc ad propositam difficultatem de intellectus agentis munere; & præsertim de eius in intellectum possibilem actione accuratè respondendum est, nempe in quibus hæc ipsa consistant, quæque ipsorum partes sint, & quo pacto se habeant.

Declaratur vbi consistat illuminatio, artificium, &c. quæ tribuuntur Agenti intellectui. §. 4.

Dicendum est primò, huiusmodi illuminationem, quam intellectus agens in intellectum possibilem exercet, consistere in ipsa intellectilium specierum effectione seu productione. Probatur ex dictis apertè: quia huiusmodi illuminatio est aliqua rerum notitia: omnis enim in intellectu illuminatio est cognitio aliqua, vt dictum est initio secundi Notandi. Ergo intellectum agentem illuminare possibilem intellectú, est ei aliquam rerum notitiam imprimere. Cùm autem hanc notitiam non imprimat in actu secundo, eam imprimat in actu primo necesse est; nimirum species rerum producendo; ac proinde huiusmodi illuminatio est notitię specierumque productio; vt etiam ex Peripateticis ostensum est. Nisi quod illi quorum opinio est species animo insitas esse dicent, huiusmodi illuminationem esse quidem specierum productionem; non tamen substantialiter; sed secundum eum modú, quo ex intellectui aptæ reddi possint; hoc est, secundum quandam illustrationem, quę easdem species in obscuritate delitescentes, perspicuas intelligibilésque reddit. Quod tamen vt suprà diximus, difficile explicatu est, nec Aristoteli consentaneum, qui insitas animo omnium rerum species non probauit.

Dicendum etiam secundò est, intellectum agentem esse veluti artem atque habitum in his effingendis speciebus respectu intellectus possibilis, vt Aristoteles docuit in eo cont 17. lib. 3. de An. quia scilicet intellectus agens se gerit in ea specierum effectione velut artifex ex arte, cùm opus artificiatú format; quia scilicet ex recta ratione agit in eodem opere efformando. Quandoquidem ars est habitus ex recta ratione in aliud factiuus; vt habet Aristoteles li. 6. Ethic. cap. 4. Intellectus ergo agens rectè arti comparabitur; si veluti artificio in efficiendis illis speciebus dum eas format, vt rerum natura postulat, vtatur: Nam hac quoque ratione Aristoteles lib. 1. de part. anim. cap. 5. naturam comparauit cum arte; nimirum ex eo quod sicut quæ arte fiunt ingeniosè facta sunt; ita res naturales *naturæ genio mirâque solertia*, vt ipse Aristoteles loquitur, constituuntur. Vt enim dixit lib. 4. de Gener. anim. cap. 2. *omnia quæ natura vel arte efficiuntur, ratione aliqua sunt.* Sunt ergo ab intellectu sicut ab artifice, quia ratione recta efficiuntur, non secus atque ea quæ artificio elaborantur. Aristoteles.

Addi etiam potest intellectum agentem esse veluti artem, eò quòd species vniuersalium in intellectu possibili generat. Vt enim habet Aristoteles lib. 1. Metaph. sum. 1. cap. 1. in hoc differt ars ab experientia, quòd *experientia est singularium, ars autem vniuersalium cognitio est.* Itaque intellectus agens, cùm in intellectu possibili imagines vniuersalium gignit, se habet veluti ars, quæ ex multis particularibus experientiis vniuersale concipit ac format. Posset etiam dici intellectú comparari arti, ex eo quod intellectus agens, qui Aristoteli est substantia separata, in alium intellectum tanquam in materiam externam ordinatè & miro artificio agit. Aristoteles.

Denique comparatur habitui huiusmodi intellectus; quia vt suprà dictum est, constanter permanet, atq; ita prompta est huiusmodi operatio, vt nulla quasi defatigatione retardetur. Constat namq; hoc differre habitú ab iis qualitatibus, quæ per modum habitus non sunt, quòd habitus vt ait Aristoteles in Prædicam. Qualit. *permanentior & diuturnior est*: quales sunt scientiæ ac virtutes. *Scientia enim* inquit *videtur esse permanentium & diuturnorum.* Non sic autem cæteræ qualitates, quæ facilè è subiecto dispelluntur, vt leuis ægritudo, &c.

Dicendum tertiò has operationes tribui posse tam intellectui agenti, qui Aristoteli sit substantia separata, quàm intellectui agenti, qui eidem Aristoteli sit facultas. Probatur manifestè. Nam quemadmodum motus non solùm à principio immediatè eficiente prouenit, verùm etiam à principio initia dante, & constituente, vt suprà diximus; ideóq; lib. 2. phys. cót. 26. dicitur:

Sol & homo generat hominem: Ita & huiusmodi intellectus agentis operatio vtrique intellectui prædicto non incongruenter ascribi potest; Sicut etiam nec alia ratione dicuntur eleměta ab eodem Aristotele moueri à generante, lib. 8. Phys. cont. 33. & à seipsis lib. 1. cœli cont. 89. dum asserit elementa non moueri ab altero; & lib. 3. cœli cont. 28. vbi vult in elementis esse naturam, quæ sit principium effectiuum sui motus; & libro 4. cœli cont. 2. cùm asserit elementa habere *in seipsis veluti suscitamenta quædam motus*. Ergo pari ratione vtrique intellectui ea munera quę diximus deferri possunt. Neque in hoc vllam video posse esse difficultatem, nisi controuersia ad quæstionem de nomine reducatur.

A

Solùm hîc quæri posset, An cùm intellectus agens species in intellectu possibili imprimit; eas è phantasmate eliciat, aut si eas non elicit, quomodo phantasma concurrat ad huiusmodi specierum productionem: cùm certum sit, intellectum agentem, nisi priùs rerum, quæ experimento comperiuntur, atque inductione comprobantur, phantasmata generentur in phantasia, speciem intellectilium non producere; vt omnes omninò Peripatetici vnà cum Aristotele docuerunt lib. 3. de An. cont. 30. & 39. & alibi. Themistius. Vnde Themistius in illum cont. 30. cap. 49. *Quemadmodum* inquit *sensus formas rerum in sensibilibus seruat; ita intellectus in phantasmatibus continet*, &c. Et Auerroës ibidem: *Intellecta* inquit; nempe intellectilia, *sunt intentiones formarum imaginationis abstractæ à materia*. Quod illi ipsi iisdem in locis exponunt de intellectilibus, quæ ex singularibus sensilium efformantur. Quam etiam ob causam A. Doctor sæpè præsertim infrà q. 84. a. 6. corp. docet, *intellectum agentem facere phantasmata à sensibus accepta intelligibilia in actu per modum abstractionis cuiusdam*. ergo supponitur actus phantasiæ, &c.

B

Auerroes. A. Doctor.

Ratio est, quia huiusmodi vniuersalia intellectilia fiunt ex multis singularibus atque experimentis. Aristoteles. *Ex ea enim* inquit Aristoteles libr. 7. Phys. cont. 20. *Quæ est secundum partem experientia, vniuersalem accipimus scientiam*. Quod etiam docet lib. 2. Poster. cap. vlt. & alibi frequenter, præsertim lib. 1. Metaphys. sum. 1. c. 1. vbi de vniuersalibus quæ ex inductione & experimento fiunt, sic habet: *Fit autem ars, cùm ex multis experimentalibus conceptibus vna de similibus vniuersalis opinio fiat*; id est scientia, de qua ibi loquitur; vnde & mox subdit: *Opinari enim quod Calliæ hoc morbo laboranti hoc conducit, similiter Socrati; ac singillatim aliis multis, experientiæ. Quod autem omnibus huiusmodi secundum vnam speciem determinatis hoc morbo laborantibus conduxit; vt puta pituitosis, aut biliosis, aut febri ardente febricitantibus, hoc artis proprium est*. Verùm de hac quæstione alibi ex instituto disserendum erit.

C

In præsenti tamen re mihi videtur primò dicendum; phantasmata, quæ materialia sunt, non agere in intellectum immaterialem; vt suprà dixi ex Aristotele & Peripateticis, & docet A. Doctor in ea q. 84. a. 6. A. Doctor. *Nihil corporeum* inquit *imprimere potest in rem incorpoream; sed requiritur aliquid nobilius*, &c. Deinde dico, necessariò phantasmata actu aliquo modo concurrere ad huiusmodi species. Nam si phantasma absit, non est ratio cur potiùs vnum vniuersale repræsentetur quàm aliud. Tertiò aio, non vnum solùm phantasma requiri, quod in memoria sit, sed etiam requiri plura singularium. Patet; quia vniuersale non abstrahitur nisi ex inductione plurium, vt experientia constat, & vidimus ex Aristotele. Vnde si vnum tantùm esset vnius speciei phantasma v. gr. Petri, non posset intellectus abstrahere animal commune cum cæteris animantibus; quandoquidem vt commune abstrahatur, plura quibus illud commune insit, cognosci oportet; vt etiam patet ex allatis verbis Aristotelis. Sanè si vnicum phantasma omninò sit vnius indiuidui, non satis determinatur intellectus, vt potiùs concipiat vnam rationem magis vniuersalem quàm aliam, & vnam tanquam differentiam, quæ communiorem illam limitet atque contrahat. Non enim satis determinaretur intellectus circa Petrum, vt rationem hominis per indiuiduam differentiam potiùs contraheret, quàm contrà, & sic de cæteris vt alibi in Logicis Prolegomenis copiosè disputatum est.

D

Quartò etiam dico, non solùm debere esse huiusmodi plura phantasmata; verùm etiam oportere actu cognosci plura similia ab ipsa vi imaginandi, vt intellectus agens vniuersalium speciem gignat. Probatur apertè, quia primò id docuit Aristoteles, cùm paulò antè docuit, opinionem seu cognitionem vniuersalium fieri *ex multis experimentalibus conceptibus*. Deinde ratione, quia si nullum cognoscatur, non est vnde intellectus determinetur ad hoc potiùs quàm ad aliud. Et si vnum tantùm cognosceretur, non posset inferre generalem consequentiam; Vt si tantùm Petri notitia esset in imaginatione, nequiret intellectus deducere. Ergo Petri natura est animal rationale. Constat enim ex vno singulari, vniuersale non posse deduci. Si autem non potest intellectus deducere vniuersalě propositionem; ergo euidens signum est, adhuc intelligibilium species non esse in intellectu patiente productas. Debent ergo cognosci plura; Vt quia ex eo quòd cognosco Petrum, Paulum, & cæteros esse animal, optimè infero hoc naturæ conuenire non vni tantùm indiuiduo.

Ex quibus tria consequuntur. Primum quidem, intellectum agentem determinari ab huiusmodi pluriũ cognitione, vt vniuersales species eorum indiuiduorum imprimat. Patet, quia non aliunde esse huiusmodi determinatio potest. Non enim huiusmodi determinatio esse potest aut ab intellectu possibili, qui se habet vt materia indifferens, aut ab actu intellectus, qui speciebus quæ ad ipsum sunt, posterior est: ergo à nullo actu intellectus; ac proinde ab actu alterius potentiæ determinari debet. ergo ab actu imaginationis, quæ intellectui proxima est, cum eóque tantam affinitatem ac nexum habet, vt illa operante etiamsi reliqui sensus conticescăt, intellectus quoque operetur necesse sit.

E

At inquies, si ab actu imaginationis determinetur intellectus ad suas species, cur opus erit intellectu agente: si quidem fieri possent species ab huiusmodi actu, quemadmodũ species imaginationis fiunt ab actibus sensuum externorũ. Respondeo non posse fieri: Ratio est, & simul disparitas assignatur inter species intellectus & sensuum; quia species intellectus vniuersales sunt. At in sensu, qui est singularium, non residet vis abstrahendi à singularibus. Alioqui cur sensus exteriores non imprimerĕt eiusmodi species

cies vniuersales in imaginatione; & hæc in seipsa? &c.

Quam rationem postea vidi indicari ab A. Doctore q. vn. de Spir. creatu. a. 10. ad 7. *Species* inquit, *quæ est in imaginatione, est eiusdem generis cum specie, quæ est in sensu, quia vtraque est indiuidualis & materialis: Sed species quæ est in intellectu, est alterius generis, quia est vniuersalis: & ideò species imaginaria non potest imprimere speciem intelligibilem, sicut species sensibilis imprimit imaginariam. Propter quod necessaria est virtus intellectiua actiua, non autem virtus sensitiua actiua.* Eodem ferè modo loquitur A. Doctor in q. Vn. de An. a. 5. ad 5. *Sensibile* inquit *cùm sit quoddam particulare, non imprimit, nec in sensum, nec in medium species alterius generis, cùm species in sensu & in medio non sit nisi particularis. Intellectus autem possibilis recipit species alterius generis, quàm sint in imaginatione, cum intellectus possibilis recipiat species vniuersales, & imaginatio non contineat nisi particulares. Et ideò in intelligibilibus indigemus intellectu agente; non autem in sensibilibus alia potentia actiua, &c.* Addi etiam potest, species quæ reperiuntur in intellectu, esse immateriales; ergo ab agente immateriali produci debent; adeóque dari debet intellectus agens. At verò species sensuum quia materiales sunt, & in organo materiali possunt produci, vel ab obiectis vel ab actibus eo modo, vt iam dictum est.

Quod si iterum dicas, cur si potest intellectus agens ab huiusmodi actibus determinari, non possit & intellectus possibilis eodem modo, vt ita sibi atque in se generet suas intelligibiles species? Sic autem agens intellectus necessarius non esset. Respondeo primò, nos in præsenti non quærere; Vtrùm intellectus agens re ab ipso possibili distinctus sit; sed solùm eius quæcunque illa sit facultas, munia constituimus. Deinde tamen argumento dicimus, nullam facultatem producere sibi speciem per quam intelligat; eò quòd nulla facultas semetipsam in actu primo complet atque constituit ad operandum; Vnde est vt elementa & grauia & leuia moueantur à generante vel remouente prohibens; vt sæpe suprà docuimus. Hinc etiam fit vt ab Aristotele lib. 3. de An. cont. 49. & 54. voluntas dicatur moueri ab appetibili bono, & tandem vt cætera prætercam lib. 2. de An. cont. 59. doceat, *actiua operationis* in sensibus *esse extra*, vt visibile, audibile, &c. Debet ergo intellectus possibilis moueri, atque in actu primo constitui ab alio, quod dixit esse intellectum agentem lib. 3. de An. cont. 18. & 19. vt ita omnia moueantur ab eo quod est actu, vt idem Aristoteles pronunciat lib. 2. de An. cont. 54. & lib. 3. cont. 27. & sæpè alibi.

Alterum est, quomodo phantasmata dicantur determinare intellectum, & intellectum abstrahere species à phantasmatis. Primò autem dicuntur determinare non proximè, sed remotè & mediatè; nempe per ipsorum actus. Alio enim modo nequeunt, vt ostensum est. Secundò intellectus abstrahit à phantasmatis, quia abstrahit à sensilibus obiectis, quæ in phantasmatis relucent; ita vt phantasma sit idem quod ipsum sensile obiectum; & hoc familiare est Aristoteli & Peripateticis, vt nomine phantasmatis obiectum phantasiæ sensile denotent. Satis erit è multis vnus locus instar omnium lib. 3. de An. cont. 39. vbi ait, cùm intellectus *speculatur, necesse est simul phantasma aliquod speculari*. Certum autem est, phantasma ipsum non cognosci necessariò cùm intelligit intellectus; sed solùm sensile aliquod obiectum quod per phantasma refertur; vt ibi clarè etiam ex Aristotele colligitur; Idémque patet ex cont. 33. & ex Peripateticis in eosdem locos. Quod ipsum confirmatur ex verbis, quæ ex Themistio & Auerroë paulò antè retulimus. Seruat enim intellectus suas formas in phantasmatis, quia seruat in ipsis sensibilibus quæ phantasmate repræsentantur. Et probatur ratione manifesta: nam intellectus agens ab illis abstrahit species intellectiles, quibus repræsentandis à natura ipsę species institutæ sunt. At institutæ sunt repræsentandis sensilibus naturis, non phantasmatis. Sicut enim cognitio in actu secundo, est repræsentatio Socratis v. gr. in actu secundo, ita & species est eiusdem Socratis repræsentatio in actu primo. Quare intellectus abstrahit naturam humanam à singularibus de quibus illam prædicat, nō autem à phantasmate Socratis & Platonis, &c. in quibus non inest. Quæ videtur sententia A. Doctoris q. de spirit. creatu. a. 10. ad 14. & alibi.

Tertium denique est, quomodo phantasmata concurrant; An scilicet efficiēter an alio modo. Constat enim ex dictis concurrere obiectiuè; dum scilicet eorum obiecta cognoscuntur; Vnde rectè ab A. Doctore in ea q. 84. a. 6. corp. in fine vtrunque significatum est cùm dixit: *Non potest dici quod sensibilis cognitio sit totalis & perfecta causa intellectualis cognitionis; sed magis est quodammodo materia causæ.* Quibus verbis primò patet, sensibilem cognitionem esse aliquo modo causam, non ipsum phantasma formaliter vt dicebamus. Deinde patet, hanc cognitionem esse causam materiæ actus intelligendi; hoc est causam veluti obiectiuam vnde manat obiectum proximum quod intelligi debet. Quia scilicet dum ex singularibus sensibilibus sua cogitatione naturas intellectus abstrahit, causa est, vt ex sensilibus obiectis tanquam ex materia, intelligibile ipsum ac species abstrahantur vt dictum est.

Ex quibus omnibus tandem colligitur manifestè, quàm multæ hac de re sententiæ à recentioribus relatæ falsæ sint, dum A. Doctori, & aliis Peripateticis eas tribuunt. Quæ si meliùs animaduertissent, longè se ab eorum mente recedere iudicassent. Hactenus probata atque explicata est nostræ propositionis pars prior. Nūc ad alteram partem transeundum est. nempe

Vtrùm Intellectus agens aliquid cognoscat, habeátque insitas sibi species. Qua in re ostenditur quid visum sit A. Doctori, veteribus Peripateticis, atque adeò ipsi Aristoteli. §. 5.

Secunda igitur pars propositionis probatur; Quod scilicet probabilior pars affirmans inter Peripateticos sit; Intellectui nimirum agenti alia danda esse munia. Examinabimus autem hic, quod præcipuum in hac materia est, & magni scire refert; An scilicet intellectus agens cognoscat aliquid an nihil? vt ita dicatur potentia quædam cæca sicut voluntas & appetitus. Quod intelligo de intellectu agente, qui est animi

animi facultas; nam eum qui est substantia, esse intelligentem, quia immaterialis forma substantialis est, omnes fatebuntur. Si quidem agẽs est patiente nobilior, vt Aristoteles docuit in eo cont. 18. libr. 3. de An. & lib. 12. Metaphys. cont. 51. Quod mire expressit S. Augustinus libr. 12. de Genesi ad literam cap. 16. *Non est putandum facere aliquid corpus in spiritum*, &c. *omni enim modo præstantior est, qui facit, ea re de qua aliquid facit.* hoc est præstantior est agens causa, quàm materia ex qua educitur forma, &c.

S. Augustin.

Et quidem quod intellectus agens aliquid intelligat, docere videtur A. Doctor infrà q. 79. a. 3. ad 3. Ait enim intellectum agentem esse principium actionis, qua primis principiis omnes homines assentiuntur. Ergo A. Doctor tribuit intellectui agenti ipsum intelligendi actũ, qui in hominibus est assensus circa prima principia. Nam ad quoddam argumentum quod contendebat vnum esse intellectum agentem in omnibus hominibus, eò quòd prima principia quæ sunt conceptiones intellectus agentis, sunt eadem in omnibus hominibus, Respondet, non esse necesse virtutem à qua manat actio, quæ naturam hominis consequitur esse vnam; modò sit vnus ille, à quo pendet virtus. Vult ergo intellectum agentem esse virtutẽ ac principium actus, quo cognoscuntur prima principia. Præterea q. vn. de An. a. 5. c. in fine ait, prima principia esse instrumenta intellectus agentis *Quia per ea* inquit *facit alia intelligibilia in actu.* Si autem prima principia intellectus agentis instrumenta sunt; ergo eidem intellectui sunt tanquam præmissæ ad eruendas conclusiones. Non enim aliter siue prima principia siue quæcunque aliæ enunciationes instrumenta sunt intellectus nisi quia cognitiones sunt, vt aliæ cognitiones ex illis consequantur; quia nimirum sui cognitione determinant intellectum ad alia cognoscenda. Quo etiam pacto dicitur Demonstratio esse syllogismus faciens scire ex præmissis veris immediatis, causisque conclusionum apud Aristotelem lib. 1. Post. a cont. 7. seu 5. & deinceps.

A. Doctor.

Expressiùs id docuit q. vn. de Spirit Creat. a. 10. ad 8. vbi apertè tribuit intellectui agenti, quòd per eum de veritate iudicemus, tanquam per principium elicitiuum ipsius actus iudicandi. Sic enim ait ibi, vt explicet duobus modis nos posse per aliquid iudicare. *Iudicare enim* inquit *aliquo de veritate dicimur dupliciter, vno modo sicut medio: sicut iudicamus de conclusionibus per principia, & de regulatis per regulam. & sic videntur rationes Augustini procedere.* Videbatur enim S. Augustinus libro 83. qq. q. 9. asserere nihil nos posse iudicare de veritate per ea quæ sunt mutabilia; vnde subsumebatur in argumento: *Sed per intellectum agentem iudicamus de veritate. ergo intellectus agens non est aliquid* mutabile & *creatum.* Concedit ergo hoc pacto A. Doctor nos non posse iudicare per intellectum agentem de veritate tanquam per regulam infallibilem. Benè tamen posse nos per intellectum agentem iudicare de veritate, sicut virtute iudicatiua. Ergo expressè docet intellectum agentem esse vim iudicatiuam, ac proinde esse facultatem, è qua elicitur actus intelligendi & iudicandi.

A. Doctor.

Prioris dicti rationem ibi affert hoc pacto: *Nam enim illud quod est materiale, vel quod habet similitudinem illius, potest esse infallibilis regula veritatis.*

A Posterius verò dictum his verbis pronunciat; nempe quomodo iudicare de veritate per intellectum agentem possimus: *Alio modo dicimur aliquo iudicare de veritate aliqua sicut virtute iudicatiua; & hoc modo per intellectum agentem iudicamus de veritate.* Quid expressius? Refert enim iudicium de rebus in agentem intellectum. Cuius dicti posterioris causam significat ibidem ad 9. quia scilicet *prima principia in agendis; sicut etiam prima principia scientiarum speculatiuarum conspiciuntur per lumen intellectus agentis à Deo participati*: Ergo per lumen; hoc est per vim cogitatiuam intellectus agentis conspici vult prima principia non solùm sciẽtiarum speculatiuarum; verùm etiam

B practicarũ. Qua in re A. Doctor significatiùs vsus est verbo *conspici*, quàm si dixisset cognosci aut intelligi. Nam *conspici* eam euidentiam in mente significat, quam oculorum experimur, cùm res ipsas intuemur. Sic enim Tullius in orat. pro Balbo vtramque euidentiam comparasse videtur illis verbis. *Vt conspiciatis eum mentibus, quem oculis non potestis.* Vult ergo A. Doctor intellectu agente nos clarè euidentérque prima principia cognoscere.

A. Doctor.

Tullius.

Non minùs clarè loquitur ibidem ad 10. vbi ait, non esse necesse *illud quo iudicamus aliquid esse melius altero, vt virtute iudicatiua, esse vtroque melius.*

C *Sic autem per intellectum agentem iudicamus Angelum esse anima meliorem*: Cùm tamen intellectus agens non sit animo, Angeloque præstabilior. Existimat ergo nos per intellectum agentem iudicare. ergo & cognoscere.

Immò adhuc clarius eodem art. ad 15. vbi sic ait expresse: *Non est dicendum*, inquit, *quòd intellectus agens seorsim intelligat ab intellectu possibili, sed homo intelligit per vtrumque.* Addit etiam vt intellectus agens intelligat, non esse necesse habere in se species; sed satis esse si eas producat in intellectu possibili; quod qua ratione fiat, non explicat ipse ibi. *Inconueniens* inquit *dicitur intellectus agens nudus vel vestitus, plenus specierum vel vacuus.*

D Cur sit inconueniens sic habet: *Impleri enim speciebus est intellectus possibilis, sed facere eas est intellectus agentis.* Itaque modum harum efficiendarum specierum ipse non exprimit; licèt concedat vtrique cognitionem.

Aliquid tamen insinuat huc spectans A. Doctor q. vn. de An. a. 5. vbi in c. dixit *prima principia* comparari ad intellectum agentem, vt instrumenta quædam eius, quia per ea facit intelligibilia actu: Ergo sequitur, intellectum agentem primorum principiorum cognitione facere actu intellectilia. Nullo enim alio modo prima principia esse instrumenta intellectui possunt. Prima namque principia sunt quædam mentis

A. Doctor.

E enunciationes ac pronunciata, ac proinde cognitiones quædam, atque intellectus assensio, qua eorum veritati assentimur, eáque vera esse iudicamus. Itaque ex eorum cognitione intellectus agẽs facit vniuersalia, atque intellectilium species ac formas.

Quamobrem vlteriùs videtur A. Doctor apertè concedere, intellectum agentem habere huiusmodi species primorum principiorum, siquidem eorumdem principiorum cognitione, tanquam instrumento vtitur ad aliarum rerũ imagines in intellectu possibili formandas. Alioquin quo pacto in eodem intellectu primorum principiorum notitia esse posset, qua in earum imaginum productione vteretur? Constat enim notitiam

notitiam in intellectu esse non posse, quæ ex obiectorum imaginibus non deriuetur: Ergo si primorum principiorum notitia in intellectu agente prærequiritur, vt is intellectilia faciat, eorundem species in eodem intellectu præsupponendæ sunt; propterea quòd eæ cæteris producendis tanquam actionum fundamenta præsupponi debent.

Vnde in eodem art. 5. ad 9. ait, *non posse intellectum possibilem reduci perfectè in actum ab agente, cùm non sint in eo rationes omnium rerum, vt dictum est*; nempe in articuli corpore. Quasi non neget aliquas esse dandas; nempe primorum principiorum, quibus intellectus agens dux & via intellectui possibili sit. Propterea etiam dixerat q. vn. de Spirit. Creat. a. 10. ad 15. vt antè dicebamus, intellectum agentem nec vacuum nec plenum specierum esse, quia eæ intellectus possibilis affectiones sunt: quasi denotare velit satis esse intellectui agenti, si solis primorum principiorum speciebus præditus sit, ac proinde nec omninò plenus, nec omninò vacuus imaginum dici possit ac debeat.

Confirmari validè hæc ipsa doctrina potest. Etenim in ea q. vn. de An. a. 5. in fine corp. negat intellectum agentem esse habitum primorum principiorum indemonstrabilium; vt non rectè quidam autumarunt. Rationem subdit: *Quia etiam ipsa principia indemonstrabilia* inquit *cognoscimus abstrahendo a singularibus, vt docet Philosophus in 1. Poster. Vnde oportet praexistere intellectum agentem habitui principiorum, sicut causam ipsius*, nẽpe cognitionis. *Ipsa verò principia comparantur ad intellectum agentem, vt instrumenta quædam eius, quia per ea facit alia intelligibilia in actu.*

Ex quibus sic argumentari possumus. Intellectus ille species habet in se primorum principiorum, qui ipsis principiis præsupponitur tanquam causa cognitionis ipsorum, iisque vtitur tanquam instrumentis, vt per ea alia faciat intelligibilia actu. Sed intellectus agens ipsis primis principiis præsupponitur tanquam causa cognitionis ipsorum, iisque vtitur tanquam instrumentis, vt per ea alia faciat intelligibilia actu: Ergo intellectus agens habet species primorum principiorum in se. Minor est A. Doctoris, vt vidimus. Maior patet: nam vt modò dicebamus, intellectus qui præsupponitur primis principiis tanquam causa cognitionis ipsorum, debet esse principium & facultas eliciens illum actum cognitionis, præsertim si iis vtatur tanquam instrumentis, vt alia faciat intelligibilia actu. Non enim illis vti potest nisi tanquam primis pronunciatis, & primis præmissis, ac proinde primis assensionibus iudiciisque rerum. Ergo intellectus ille talium in se habere species debet. Nulla namque facultas actũ cognitionis eliciens circa aliquod obiectum, actum illum elicit absque eiusdem obiecti specie. Quandoquidem constat, obiectum præuniri potentiæ oportere, vt actum circa illud promat; vt patet ex A. Doctore suprà quæst. 12. art. 2.

Neque huic doctrinæ obest quod A. Doctor, vt in iisdem citatis verbis ex illo art. 5. retulimus, dicat nos cognoscere prima principia *abstrahendo à singularibus*: Quasi significet intellectum agentem non habere in se eorum principiorum species, quia eas è singularibus accipit abstrahendo. Hoc inquam non obest duplici de causa.

A Primò namque constat A. Doctorem non intelligere ita, vt intellectus agens ex cognitione singularium abstrahat species primorum principiorum quia alius intellectus agens concedendus in homine esset, qui ex cognitione singularium in ipso intellectu agente effingeret species vniuersalium, quemadmodum de facto dicimus efformari eas in intellectu possibili. Sed ita vt ea principia cognoscat non cognitis singularibus. Hoc enim est quoque quoddam abstractionis genus, cognoscere nimirum vnum non cognito altero, cum quo illud vnum coniunctum est. Intellectus ergo agens cùm prima principia cognoscit, quia ex

B eorum cognitione facit cætera omnia actu intelligibilia, abstrahendo eorum omnium species è singularibus, nullas è cognitione eorundem singularium debet species abstrahere. Si quidem ope eorundem principiorum vt vidimus, debet intellectus agens facere cætera intellectilia actu, abstrahendo eorum species: ergo per se non ope alterius eas principiorum species habere debet intellectus agens, quia ad primum in vnoquoque genere deueniendum est, quod per se primò sit tale, non ab alio eiusdem generis, vnde cætera in eodem genere sint talia, ne progressio in infinitum detur.

Secundò, quia esto prima principia intellectus agens abstrahat è cognitis singularibus:

C Tamen non sequitur, si abstrahat prima principia à singularibus, debere etiam abstrahere eorum species. Hinc namque solùm conficitur, debere abstrahere similes species in intellectu possibili, vt similium obiectorum speciebus excitatus idem ipse intellectus agens ex similibus cognoscat suas. Sæpe enim contingit vt animus rerum similium imaginibus veluti excutiatur, vt quæ in se ipse possidet, agnoscat. Interdum enim dum vnius obiecti imago incurrit in mentem, succurrit alia similis, vt cùm cogitamus de Petro, succurrit eius pater, & sic de cæteris. Quod etiam patet in speciebus intelligibilibus. Etsi enim hæreant omnes in in-

D tellectu, tamen nisi phantasma excitetur in organo imaginationis, intellectus non operatur circa illud etiamsi illius species habeat in se. Quod prouenit ex connexione, & vt ita dicamus, ex subordinatione, quam oportet res habeant in intellectu dum in hac vita degimus. Alioqui vt benè argumentatur A. Doctor infrà quæstione 84. articulo quarto, *sufficiens ratio assignari non posset cur anima nostra corpori vniretur*, nisi nimirum potentiæ corporeæ cum incorporeis in operando necterentur. Non vtitur autem his insitis speciebus intellectus agens, antequam singularia intelligat, quia non sunt quibus eas applicet, cùm certum sit cognitionis

E primordia è sensibus esse haurienda. Et hoc A. Doctori satis est, vt eius argumentum vim habeat. Nam si prærequiratur hæc specierum intellectilium productio, vt habitus ille primorum principiorum, qui à natura est, in actum prodeat: ergo ille habitus primorum principiorum non est intellectus agens, cùm intellectus agens *praexistere oporteat*, vt loquitur A. Doctor, omni specierum productioni de nouo.

Sed vt accuratiùs probetur, quod conficere nunc contendimus: nempe A. Doctori species primorum principiorum in intellectu agẽte prærequiri, hoc ipsum validiùs confirmandũ est.

Et

A. Doctor.

Et primò quidem probatur, quia si primorum principiorum species non præexisterent in intellectu agente, non esset à quo eæ producerentur; quia omne quod est in potentia ad formam, ab alio reducitur ad illam formam. *Nihil enim* vt ipse ait infra q.79.a.3.c.(& hoc argumento probat oportere intellectum agentem esse) *reducitur de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu, sicut sēsus fit in actu per sēsibile in actu.* Ergo ne detur alius intellectus agēs qui sit animi facultas, opinabitur A. Doctor, has species intellectui agenti inditas à natura esse; quorum maior est ratio quam cæterorum, quia rerum cognitiones de nouo fiunt à sensibilibus, nec nisi longo vsu atq; experimēto ea cognoscimus; cum tamen ipsa principia ab ipsis pene dixerim incunabulis, saltem vbi rationis vsus eluceścit à teneris annis, verissima appareant, nec dubitationem vllam præ se ferant.

Deinde huic ipsi rei ratio quoq; adstipulatur: Etenim verissima ac certissima ea principia esse oportet, quæ aliis causa sūt vt vera sint; vt docet Aristoteles lib. 2. Met. cont. 4. Ergo huiusmodi ad veritatē munimēta debuerūt ab auctore naturæ nostris intellectibus inseri, ne vnquam noster intellectus, ne in apprehendēdis quidem terminis eorum principiorum, aut errare aut dubius esse possit. Cum presertim eidem intellectui talis cognitio reliquis stabilimentū ac regula futura erat. Alioqui nisi deueniatur ad primos terminos per se ac naturaliter notos, nullus omninò sapiēs certus esse posset de reliquis quæ à primis illis pendent. Hac enim de causa dantur prima ac naturaliter per se nota principia, vt ex illis tanquam certissimis ac plane indubitatis assensionibus progressio fiat ad ignota.

Et hoc pacto A. Doctor infrà q.84. a. 3. ad 3. respondet argumento Platonis, quo in Menone probabat rerum sciētias animo inditas à natura esse, eò quòd scilicet quis antequam acquirat rerum scientias satisfacit interrogationibus, cum de re quapiam interrogatur: ergo eas cognitiones insitas habemus.

Respondet autem A. Doctor dupliciter posse illum à quo aliquis eo pacto percunctatur, interrogari. Aut enim ab eo quæritur de his quæ prima principia sunt: aut de his quæ posterius noscuntur. Si primo modo, non est mirū si bene respondeat, quia ea naturaliter illi perspecta sunt, eóq; concedit ea non addisci. Si secundo modo, *tunc animus* inquit *[illegible] de posterioribus per priora.* Quare concedit notitias aliquarum rerum; nempe species esse cōgenitas in animo, eorum scilicet quæ per se nota esse naturaliter debent, nec de nouo addisci. Alioqui necesse esset vt sicut de nouo eorum terminorum species ingenerantur, ita de nouo iidem termini addiscerentur: ac proinde quæstio proposita robur suum retineret. Quonam scilicet pacto si de nouo terminorum notitiam acquirimus, illico nobis certa esse possint prima principia, cum eorum termini non sint nobis naturaliter perspecti, ideoq; ancipites in illis intelligendis esse possimus.

Id ipsum patet ex eodē A. Doctore p. 2. q. 51. a. 1. c. vbi etiam docet prima principia nostro intellectui naturaliter nota esse, nec ad ea opus esse disciplina. Vt quòd totum sit sua parte maius, & alia huiusmodi.

Quamuis verò ibidem addat terminos *quid sit totum & pars* sensu percipi de nouo; id tamen intelligit, vt percipiantur applicādo ac conferēdo

A nouos illos cum inditis; vt ita verum esse quicūque cognoscat rē esse vti dicitur, cùm ei proponitur ab aliis, aut cum per disciplinam edocetur. Qua etiā ratione Arist. lib. 1. Poster. cont. com. 3. dicit aliquē posse quidē *præscire, quod omnis triāgulus habet tres æquales duobus rectis*; non tamē necesse esse eundem præscire, hunc vel illū esse triangulum: Huius enim rei notitiam simul tunc potest de nouo cognoscere, cùm quæstio ipsa proponitur, vt ibi expressè docet Aristoteles, ibique omnes explicant prorsus interpretes. Pari ergo ratione posset quis intellectu agente veluti habitualiter scire ipsa principia prima, sed tamen ignorare de quibus nā rebus illa affirmari, negarive debeāt. Et idcirco posset videri ea ignorare, B quia nulla illi daretur occasio, alicui subiecto ea applicandi. Aristoteles.

Species autem horū principiorum illæ potissimum esse videntur; nēpe totius & partis, æqualiū & inæqualium, esse & non esse, virtutem esse sequentiam, suum cuique reddendū, nulli faciendū esse quod sibi fieri nollet, & similia, quibus conflantur illa prima atque generalissima principia. Sanè si huiusmodi species per sensus ingenerarentur in animo, qui tanta ipsorum terminorum euidentia esse posset, vt nulla in intellectum irrepat dubitatio, an bene nécne rē cui assentitur intellectus conceperit? Quæ enim per sensus in intellectum ingererentur, semper aliquem dubi- C tationi locum relinquerent, nisi aliquo certiore ex parte intellectus principio firmarentur. Nam vt docet S. Augustinus lib. 83. qq. q. 9. *Non est expectāda sinceritas veritatis à sensibus corporis.* Rationē eius sic subdit. Nam *nemo est qui non cogatur fateri nihil esse sensibile, quod non habeat simile falso ita, vt internosci nō possit. Nam vt alia prætermittam omnia quæ per corpus sentimus, etiam cùm ea non adsunt sensibus, imagines tamen eorum patimur, tanquam prorsus adsint vel in somno vel in furore. Quod cùm patimur omninò, vtrum ea ipsis sensibus sentiamus, aut imagines sensibiliū sint, discernere non valemus.* S. August.

Et idcircò tandem omnē veritatis certitudinē atque euidentiā refert in ipsam mentē atque in- D tellectū, his verbis propositā quæstionē concludens: *Si igitur sunt* inquit *imagines sensibilium falsæ, quæ discerni ipsis sensibus nequeūt, & nihil percipi potest nisi quod à falso discernitur, non est constitutū iudicium veritatis in sensibus. Quamobrē saluberrimè admonemur auerti ab hoc Mūdo, qui profectò corporeus est & sensibilis, & ad Deū, id est ad Veritatē, quæ intellectu & interiore mente capitur, quæ semper manet, & eiusdē modi est, quæ non habet imaginē falsi à qua discerni nō possit, tota alacritate conuerti.* Cōstat ergo in sensibus præcisè non esse radicem veritatis, quæ in intellectu radices agere debet ita, vt immutabili modo norma sit ac regula veræ apprehensionis. Nam E quemadmodum in principiis necesse est perueniatur ad ea, quæ naturaliter insita, & ideo immutabilia sūt, ne vllo pacto assēsio decipi queat: ita & in apprehēsionibus deueniēdum est ad eas, quæ naturaliter inditæ sint, & idcirco immutabiles, ne vlla vis apprehensiua falli possit, quæque ob notiones insitas quicquam secus apprehendi prohibeant, atque apprehendendum sit.

Sanè hanc Augustini sententiā comprobat in in eadē significationē A. Doctor q. illa vn. de spirit. creat. a. 10. ad 8. Intelligit enim eadē Augustini verba, vt significet in reb' quę sēsu percipiuntur nō posse esse sinceritatē veritatis *tanquam medio: sicut iudicamus de conclusionibus per principia, & de regulatis* A. Doctor.

gulatis per regulam, & sic videntur rationes Augustini procedere. Quod est dicere, in iis non posse absolutè suaderi veritatem, tanquam ex norma infallibili rectæ notionis, quæ intellectu ac mente radicata sit oportet. Ergo species illæ certiore aliquo modo ingenitæ in animo esse debēt, non ex fallacibus dūtaxat sensibus eruēdæ: siquidē ab illis reliqua omnis certitudo deriuāda est. A

Hinc sanè intelligitur, quod nonnullorum veterum Peripateticorum consensione firmatum est; nempe animum vt sit certus, debere respicere ad seipsum, seu ad insitas sibi rationes: Nam si nullæ sint species insitę, cur ad seipsum, aut quęnā erit ratio illa, ad quam vt sit certus respiciat intellectus? Mitto autem Theophrastum, Alexādrum, & alios, qui putarunt intellectum agentē esse Deum, vel substantiam aliquam separatam, de quibus suprà satis dictum est. Ij enim arbitrati sunt omnium rerum species esse in intellectu agente, & ab eo defluere in animum illustrationes, & per conuersionem ad ipsum omnia intelligere; & tunc maximè labi cum ab ipso in intelligēdo recedit; vt præsertim sensit Theophrastus lib. de Phātas. & Intellectu c. 4. & sæpè deinceps. Vnde c. 10. *Quamobrem tum fertur* inquit *ad ignorātiam quatenus ad deterius inclinatur; tum scientia dono perficitur quatenus conuertitur ad superius* &c. Idem c. 17. & 19. sæpe docet, quæ breuitatis causa prętermittimus. B Theophrast. C

His inquam missis. Inter eos qui posuerunt intellectum agētem esse in anima, id ad rem nostram docuit apertè Simplicius lib. 2. An. cont. 6. in illa verba *Prior autem*, vbi ait, nullā posse edi rationalem actionem sine conuersione animæ in se ipsam; nec animum ipsum quicquam verè credere posse de rebus sensilibus, nisi priùs conuersus in seipsum iudicet illud ipsum ita esse. *Quod ipsius animæ genitum ac progrediens est*, nempe tota illa cognitio, quæ de rebus sensilib. acquiritur, *nunquam sine illo permanenti atque ingenito reperitur*; nempe sine cognitione eorum quæ firma ac perpetuo sunt animo fixa; nimirūt vt sunt prima principia ipsorúmq; termini, secundum quæ dirigat cæteras cognitiones agens intellectus; & ideò subdit paucis pòst: *Quod indicat omnis actio rationis particeps, quæ haud sine conuersione in se ipsam fit.* Cuius iudicium de rebus ipsis præcedere in animo vult. Aliam etiam rationem affert ibidem sanè optimam. Quia scilicet constat animum à seipso in meliorem statū reuocari, atque à seipso absolui: dum nimirū reflexis in seipsum actibus, rebus quæ proponuntur sensuum facultatibus, aut consentit aut abnuit; quod fieri nequaquam posset, si non in suas perfectiones & rationes insitas respiceret. Quod etiam adnotauit Iamblicus apud ipsum ibidem, cui ferè semper Simplicius subscribere solet. Simplicius. D Iamblicus. E

Sic etiam lib. 3. de An. cont. 2. ait animam nunquam dimittere conuersionem in seipsam etiam quando labitur ad secundas vitas, hoc est dum sensibus vtitur, forásque protendit. *Nam* inquit, *etiam in lapsu illo ad secundas vitas, non ita labitur, vt aliquo pacto in se ipsam non conuertatur: omnis namque assensus rationalis*, id est per discursum, *anima in seipsam cōuertente se fit, vt iam dictum est.* Vnde subdit: *Inuestigat anima quasi in se non habeat, & inuenit, in seipsam intuēs quasi habeat*: Et in cont. 20. libr. 3. ob hanc causam Aristotelem vocauit *præstantissimū Platonis interpretem*; Quòd scilicet ibi dixerit, intellectum non aliquando intelligere, & aliquādo non intelligere. De qua re vide quæ scribit egregiè ex Proclo Theophilus Zimara in illum locum Aristotelis in illa verba. *Idem autem est scientia in actu*, &c. Zimara.

Idem prorsus patet ex Philopono in cont. 46. aliàs 14. vbi ex Iamblico posuit insitas rationes vt suprà vidimus. Id enim est ne animus in incertas erret cogitationes. Denique eandem ob causā (licèt non rectè vt suprà monuimus) Theophrastus, Priscianus Lydus, & alij de quib. suprà, notiones animo congenitas asseruere; vt nimirū illæ excitatæ sensuum actiones rem intellectui repręsentarent, non ancipitem sed certam, atque vt in re est. Vt sic in pensitandis æstimandisque cognitionibus vnusquisque habeat planè lydiū, vt aiunt, lapidem; quo earū veritatem exploret. Philoponus. Theophrast. Prisc. Lydus.

Quin etiā Aristoteli aliquando id visum esse planè verum, constat ex lib. 6. Ethic. cap. 13. cùm dixit: *Omnibus virtutes morum esse quodammodo natura tributas*; quasi semina igniculósque virtutum, statim atque in lucem editi sumus, cōtineamus. Quod mirè explicauit A. Doctor in eum locum lect. 11. Ait enim quosdam videri ab ortu fortes, temperatos, iustos, *propter naturalem dispositionem, qua inclinantur ad opera virtutum; quæ quidem naturalis dispositio quantum ad tria potest attendi: primò quidē ex parte rationis, cùm naturaliter indita sint prima principia operabilium humanorum; puta nulli esse nocendum, & similia*, &c. Nónne vides quomodo hîc apertè asserat à primo ortu esse innatas has notiones; Nulli nocendum est &c. Ergo secundum species & in actu primo. cùm non sint congenitę notiones hæ in actu secundo, atque secundum species expressas. ergo in actu dumtaxat primo & secundum species impressas. Quam sententiā Capreolo tribuit noster Valentia in P. 2. disp. 4. q. 3. p. 1. §. *Secunda opinio*. Nec immeritò; Nam Capreolus in Prologo senten. t. q. 3. a. 1. expresè docet etiam ex A. Doctoris sentētia habitū quemcunque intellectus consistere in *coordinatione specierum intelligibilium.* Si ergo habitus aliqui inditi sunt à natura, & species erunt inditæ, nempe illæ quæ primos illos habitus suo quodam ordine ac certa collocatione conflant. Aristoteles. A. Doctor. Valentia. Capreolus.

Hanc etiam sententiam de specieb. congenitis apertissimè doceri ab Alexandro Alense, patet manifestè ex eius verbis, quæ iam refero ex 2. p. q. 69. m. 2. a. 1. Vult enim ibi intellectum agentē, qui est facultas animæ, nullam habere cum corpore communicationem in operando; secus verò intellectū possibilem; & idcircò illū habere species cōgenitas; hunc verò per sensus, intellectus agentis effectione perfici. Sic autē ipse loquitur: *Intellectus agēs & intellectus possibilis* inquit *sunt duæ differentiæ in anima rationali: quarum vna scilicet intellectus agens est ex parte formæ ipsius animæ secundum quod est spiritus: Altera verò scilicet possibilis est ex parte materiæ, quæ est potentia respectu cognoscibiliū, quæ fiunt in ea; & hoc à parte inferiori, quæ fiunt mediante sensu principaliter.* Postea de intellectu agente sic subdit: *Est ipse spiritus in se habēs lumē quoddā naturale, ratione cuius habet actū intelligibiliū à principio suæ creationis.* Quid expressiùs dici ad asserendas has species in intellectu agente cōgenitas potest? Et adhuc clariùs pergēs sic ait: *Non enim* inquit *videtur credibile quod ille condiderit animam rationalem ad imaginem suam, quin ei dederit perfectionem suam respectu cognoscibilium.* Vnde ex hac parte ait, *hunc intellectum agentem, qui habet hanc perfectionem intelligibilium, esse ad quandam similitudinem primi.* Alex. Alens.

Explicans

Explicans verò deinde, quomodo idem intellectus agēs efformet notiones in intellectu possibili, sic docet: *Qua pars* inquit *cùm obuiauerit formæ intelligibili in phantasmate existenti, abstrahit eam vt sit actu intellecta: & ex illa parte qua nondum habet anima formas intelligibiles, dicitur intellectus possibilis*. Ex quibus omnibus manifestum est, Alexandri sententiā intellectum agentem esse præditum formis ab initio creationis, ne imperfecta esset anima rationalis, si careret suis formis intellectilibus. Quod nos ratione antè confirmabamus.

Ex quibus vlteriùs sequitur, opinione Alexandri intellectum agentem vere intelligere; hoc est suos intelligendi actus elicere. Nam si in se formaliter habet species, rerúmque notiones; ergo vt iis vtatur ad suos actus promendos. Si quidem hic est notionum finis præcipuus, quo sublato inanis esset illa specierum formatio. Quod etiam patet ex iis, quæ Alexander ibidem addit; nimirum intellectum agentem esse actu, non quia omnium rerum notiones habeat; sed quia *ab agente primo illuminatur respectu quarūdam formarum; & cùm est illuminatus perficit intellectum possibilem. Vnde non est necesse ponere intellectum agentem separatum, quoad omnia intelligibilia cognoscenda*. Supponit ergo quædam intelligibilia esse in intellectu agente, quæ ipsa ab ipso cognoscantur; ex quibus perficiat absoluátque intellectum possibilem. In quo non videtur differre ab iis, quæ docuit A. Doctor, cùm principia prima docuit intellectui agenti esse instrumenta, ad notiones in intellectu possibili gignēdas. Etenim si quædam sunt in ipso intellectu agente intelligibilia, & non omnia ad perficiendum possibilem intellectum; ergo ea potissimùm esse debent principia prima, ex quibus certum est, cætera omnia depēdere: quod etiam ipse alibi explicauit, vt paulò pòst dicetur.

Ex his ergo satis constat, intellectum agentem A. Doctori, & aliis sapientibus multa cognoscere, eiúsque instrumenta esse prima illa atque vniuersalissima principia, tum naturalia tum moralia. Ad quam equidem opinionem; nempe quod intellectus agens cognoscat eliciátque suos actus intelligendi, reducere possum veterum omnium Peripateticorum enunciata. Quamuis enim discrepent in assignanda intellectus agentis natura; tamen siue sit substantia separata, siue eadem quæ intellectus potentiæ facultas, ei omnes, vt antè vidimus, intelligendi actum, & quidem præcipuum ascribunt apertè.

Albertus M. Inter posteriores etiam philosophos, eandem sentētiam videri posset sequi Albertus Magnus Alexandro, tempore par, in Sum. de Homine 2. p. q. de Intellectu agente a. vlt. Vbi respondens ad argumenta, licet neget quemuis intellectum intelligere, quia id est munus animi non facultatis, quia intelligere est actio substantiæ singularis, tamen ait: *si non fiat vis in verbis, tunc dicemus intellectum agentem intelligere actiuè*; non tamen per aliquid in ipso receptum; nimirum tāquam speciem: *sed quod actio eius sit circa aliquid intelligibilium*: postea subdit, intellectum eundem se intelligere vt actum intelligibilium. *Sicut* inquit *si lumen posset videre, videret se in coloribus vt actum ipsorum.*

Veruntamen hæc omninò non probant, Alberti sentētia intellectū agentem elicere actum

A intelligendi. Nam explicans quomodo intellectus intelligat, ait intelligere quidem actiuè, non tamen recipiendo in se intelligendi actum, sed eum producēdo in possibili intellectu; quod qua ratione verum sit, ipse non docet, licet multis explicare pergat; sitne actus intelligibiliū & quomodo; quæ non est necesse huc afferre, cùm rem ipsam recte non explicent.

Clariùs tamen id videtur docuisse Albertus libro 2. de Intellectu & Intelligibili cap. 3. vbi ait, in luce intellectus agentis esse eius scientiam, & artem formandarum notionum in intellectu possibili: *Ipsa enim lux* inquit *est sua scientia, sua ars est certa ratione omnia ad esse intelligentis producens, & omnia construere faciens in intellectu possibili.*

B *Ex his constat intellectum agentem esse perfectum, perfectiones omnes habentem, & largientem omni ei quod secundum esse intellectuale perficitur.* Videtur ergo tribuere ei talem scientiam & lucem, quæ satis sit ad intellectum possibilem formis intelligibilibus instruendum.

Idem expresse videtur sentire Alexander Alensis lib. 2. Metaphys. in cont. 1. in ea verba *Habere autem*; Ait enim ad actum intelligendi concurrere intellectum agentem, ac prima principia; sed illum tanquam primariam causam, hæc verò tanquam instrumenta: *Et sic intellectus agens* inquit *per principia deducit possibilem ad naturam scibilis*. Ita vt quemadmodum artifex per instru- Alex. Alens.

C mentum facit opus artificiosum, ita & intellectus agens per principia efficiat scientiam. Si ergo deducit per principia deducit cognoscendo; quemadmodum Doctor deducit per principia eum quem erudit ad scientiæ habitum. Nam si intellectum possibilem solùm deduceret producendo species in ipso, non deduceret per principia tanquam per instrumentum, sed per specierum effectionem, nec principiis vteretur. Siquidem ad eas species ingenerandas non opus esset principiis: quia suamet virtute eas gigneret. Existimauit ergo Alexāder intellectui agenti innata esse principia tum quoad habitus tum quoad species, quibus vteretur ad perficiendum

D intellectum possibilem.

Ad hanc etiam ipsam sententiam expressis verbis accedit Caietanus, & clariùs cæteris libro 3. de An. in cont. 18. §. *Notandum est tertio*. Caietanus. Ibi enim ait, nō dici intellectum nisi ex eo quod intelligat, nec agentem nisi ex eo quod agat. *Cum dicis* inquit *intellectum agentem, vocem tuam percipe: & sicut quatenus agens est, quod operatio eius omnia facere sit, non negas: sic quatenus intellectus est, quod operatio eius intelligere sit, non inficiare. Vnde Aristoteles in hoc capitulo vtramque ei operationem tribuit, &c.* Et §. *Circa conditiones* ait intellectum agentem sua substantia esse scientem, in quo differt ab intellectu possibili, qui solùm potentia

E est sciens. Sic autem rectè loquitur: *Is enim*; nēpe possibilis *sua substantia est in potentia, & in actu non nisi ab alio singula fiat, vt sciens: Hic autē, agēs, sua substantia absque deducente aliquo est actu.* Sentit itaque Caietanus intellectum agentem esse actu scientem; hoc est, habere actu id, per quod scit sua natura, non ab alio; quemadmodum intellectus potentia illud ipsum habet ab alio.

Quod fortasse intelligit in actu primo. Sic enim §. seq. ipsum intellectum agentem ait *secundum suam substantiam in actu primo esse scientiam*, & versari circa se ipsum; nempe vt arbitror, circa insitas sibi formas. Nam & §. *Circa separatio-*

nem expreſsè docet hunc intellectum, quem pũ- tat ab Ariſtotele appellari perpetuũ, *eſſe impaſſibilem paſſione, qua intellectus patitur ab intelligibili, & reducitur ad actum primum. Intellectus enim agens per ſuam ſubſtantiam eſt actu intelligens.* Quibus verbis expreſsè declarat ſe intelligere in actu primo; quem actum primum negat eſſe in intellectu poſſibili, niſi poteſtate: ergo ſenſus eſt de actu primo per ſpecies completo. Vnde ſubdit ibidem: *Et quamuis intellectus agens ponatur ſemper intelligens, non ſequitur quòd noſtrum ſcire ſit reminiſci;* Quia ſcilicet non reminiſcimur niſi eorum, quæ explicitè menti obuerſata ſunt, ſeu quorum in actu ſecundo, atque expreſſa cognitio fuit. In qua re, quia naturam reminiſcentiæ non animaduerterunt complures recentiores, immeritò hanc ſententiam Caietani redarguere conati ſunt.

Scotus. Huc etiam reuocandus videri poſſet Scotus in 1.d.3.q.8.ad 1.arg. vbi non negat intellectum agentem concurrere actiuè ad actum intelligẽdi. Verumtamen Scotus ibi licèt id non neget, tamen prætermittit hanc quæſtionem, tanquam ad ſuam rem ibi minimè pertineat. Ait enim ad actum intelligendi concurrere quidem partem hominis intelligentem, *ſiue ſit intellectus agens ſiue poſſibilis, modo non curo.*

Greg. Arim. Verum eſt tamen, huc reuocandum eſſe Gregorium de Arimino in 1.d.3.q.2. a. 2. ad 4. dubium vbi concedit ſpecies aliquas intellectui innatas, vt intellectui repræſentent quædam, quæ illi per ſe nota ſint oportet; ac proinde eas tenetur ponere in agente intellectu, cùm poſſibilis ſit tanquam nuda tabella iuxta Ariſtotelis mentem lib. 3. de An. cont. 14. Ergo concedit intellectum agentem per ſe cognoſcere. Ille enim cognoſcit qui determinatur per ſpecies ſibi hærentes. Quod verò concedat huiuſmodi ſpecies, patet ex eius verbis ibi. Contendit enim ex S. Auguſtino, lib. 2. de lib. arb. *Sicut naturaliter impreſſi ſunt nobis quidam appetitus, v. gr. beatitudinis & ſapientiæ; ſic etiam talium nobis ſunt impreſſæ notitiæ, ſine quibus talia appetere non poſſemus; Vnde beatitudinis notitiam habet etiam qui non eſt beatus, nec vnquam aliquẽ beatum vidit. Similiter appetitum & notitiam ſapientiæ habet qui non eſt ſapiens, nec ſapientem quempiam nouit.* Hæc ex Auguſtino Gregorius.

S. Auguſt. Sanè S. Auguſtinus libro 2. de lib. arb. cap. 9. expreſsè hæc verba ſcripſit: *Sicut antequam nati ſimus, mentibus noſtris impreſſa eſt notio beatitatis. Per hanc enim ſcimus, fidenterque & ſine vlla dubitatione dicimus, nos beatos eſſe velle: ita priuſquam ſapientes ſimus, ſapientiæ notionem nos habere in mente impreſſam, per quam ſi vnuſquiſque interrogetur; velítne eſſe ſapiens, ſine vlla caligine dubitationis, ſe velle respondet.* Quibus verbis clarè patet notionem beatitudinis & ſapientiæ eſſe impreſſam; nempe ſpeciem ſine vlla ope intellectus agentis, quia antequam nati ſimus eam obtinemus. Nam vt ait ibidem Auguſtinus, *vt conſtat nos beatos eſſe velle, ita nos conſtat velle eſſe ſapientes, quia nemo ſine ſapientia beatus eſt.* Vtriuſque enim ſpecies ac notio eſt via ad hanc beatitatem: Ergo pari etiam atque adeò fortiori ratione, impreſſæ erunt notiones primorum principiorum, quas antè commemorauimus; quia ſine illis eſſe non poteſt huiuſmodi notio.

Quod verò dicere quis poſſet, has notiones eſſe impreſſas in ipſo lumine intellectus; hoc

Stephani Bubali in memoriam de Angelis.

A eſt in ipſa vi & facultate intelligendi, reiiciendum eſt primò ex verbis Auguſtini, quibus docuit ibi impreſſam eſſe notitiam beatitatis & ſapientiæ. Notio autem vt certum eſt apud omnes Latinos, & docet Boetius lib. 3. comment. in Top. Cic. non longè à fine *eſt quidam intellectus & ſimplex animi conceptio.* Vult igitur eſſe impreſſos à natura hos conceptus mentis; nempe ſpecies atque imagines: Has enim imprimit natura non actus. Deinde, quia illis verbis voluit Auguſtinus ſignificare, aliquid peculiare ad beatitudinem ac ſapientiam pertinens impreſſum eſſe, quod in reliquis non concedit. At in ipſo lumine ſeu facultate intellectus non potiùs hoc quàm illud impreſſum eſt, cùm ad omne verum ſit inclinatio atque propenſio.

B Quo etiam pacto lib. 8. de Trin. cap. 3. licèt loquatur de pluribus bonis, quorum alia aliis anteferimus; tamen non dicit impreſſam animo notionem eſſe vllius ex illis, præterquam boni vt boni, quia huiuſmodi notio neceſſaria eſt, vt cætera iudicaremus eſſe vel meliora vel deteriora. *Neque enim* inquit *in omnibus his bonis, vel quæ commemoraui, vel quæ alia cernuntur, vel quæ cogitantur; diceremus aliud alio melius, cùm vere iudicamus, niſi nobis impreſſa eſſet notitia ipſius boni; ſecundum quam & probaremus aliquid, & aliud alij præponeremus.* Idem eandémque ob cauſam docet de notitia mali, iuſti & iniuſti, ſiue recti & praui:

C Statim enim ſic pergit. *Sic etiam naturaliter nobis impreſſa eſt notitia mali, iuſti & iniuſti, ſiue recti & praui, per quam cùm aliquod opus aſpicimus, ſtatim ipſum bonum aut malum cenſemus.* Ex his concludit Gregorius, hominem ex hac notitia antecedente, formare ſibi naturaliter conceptum generalem boni & iuſti, in qua generali notitia iuſtitiam bonitatémque cognoſcat. Quam cognoſcendi facilitatem negat eſſe in aliis rebus purè ſenſilibus. Neque enim medicinam nouit, qui medicinam nunquam per ſenſus cognouit, &c.

Quod etiam mirè expreſſit Auguſtinus libro eodem 8. de Trinit. cap. 6. circa medium. *Et* S. Auguſt.

D *Carthaginem quidem cum eloqui volo, apud me ipſum quæro vt eloquar, & apud me ipſum inuenio phantaſiam Carthaginis; ſed eam per corpus accepi, id eſt per corporis ſenſum,* &c. *& eam vidi atque ſenſi memoriáque retinui, vt apud me inuenirem de illa verbũ,* &c. *Sic Alexandriam,* &c. *Non autem ita quæro quid ſit iuſtus, nec ita inuenio, nec ita intueor cum id eloquor, nec ita probor cùm audior, nec ita probo cùm audio; quaſi aliquid tale oculis viderim, aut vllo corporis ſenſu didicerim, aut ab eis qui ita didiciſſent audierim,* &c. *Sed cerno apud me,* &c. *& quiſquis me audit, atque ſcienter approbat apud ſe,* &c. *Illud autem mirabile eſt vt apud ſe animus videat, quod nuſquam alibi vidit,* &c. Vult ergo animum iuſtitiam cernere

E in interiore veritate, quæ non habetur vlla ſenſuum via, ſicut alia ſenſilia ingenerantur; ſed prorſus impreſſione à Deo per lumẽ imaginum animo facta. Nec plura de his.

Conſtat ergo ex his omnibus, veram eſſe alteram noſtræ propoſitionis partem, qua aſſerebatur intellectus agentis munus hoc quoque eſſe, vt cognoſcendo dirigat intellectum poſſibilem, dum illum eundem poſſibilem intellectum, poſtquam ſpecierum productione veluti illuminatione phantaſmata illuſtrauit, ſuis principiis notis inſitíſque eorum ſpeciebus regit ac dirigit, ne erret in ratiocinando; cùm ſcilicet

Dddd eorum

eorum cognitione determinetur animus, vt hoc non alio modo per intellectum possibilem in conclusionem tendat, suisque principiis quę inductione colligit, vt docet Aristoteles libro 1. Poster. cap. vlt. tali pacto, non alio modo vtatur. Quemadmodum voluntas suo imperio determinat cæteras potentias, vt tali vel tali modo in suos fines progrediantur; quomodo etiam eadem voluntas potentiam motricem regit & intellectum impellit, vt hos vel illos actus eliciat: his vel illis obiectis assentiatur; vt accidit in rebus fidei, &c. Illa enim principia quia verissima ac certissima sunt in se, *debent posterioribus causa esse vt vera sint*. Quo pacto loquitur Aristoteles libr. 2. Metaph. cont. 4. Vnde ob hanc veluti lucem intellectus agentis, non potest intellectus possibilis assentiri duabus inter se pugnátibus enunciationibus. Tunc enim quia intellectus agens docet, nihil posse simul esse & non esse, intellectus possibilis alteram partem sua assensione amplectitur, alteram pernegat. Sic etiam quia intellectus agens iudicat bonum rationis esse honestatem, turpitudinem rationi esse contentaneam, & similia; tunc intellectus possibilis dicet Temperantiam esse bonum rationis, incontinentiam verò eidem rationi aduersari, &c.

APPENDIX.

In qua complures explicantur quæstiones de Intellectus agentis cognitione eiusque insitis speciebus.

HIc sanè explicandæ videntur quæstiones aliquot. Primò quidem qua ratione intellectus agens excitetur, vt intellectui possibili adminiculetur, quãdoquidem nulla facultas est, quæ in ipsum species possit imprimere, ne alioqui detur in infinitum progressio. Secundò, An sint simul intellectus agentis ac possibilis cognitiones. Tertio, Vtrùm sint distinctæ potentię. Quartò, Vtrum huiusmodi facultati applicari possint attributa illa, quæ de intellectu suprà retulimus ex Aristotele. Quintò, Quomodo verum sit quod ait Aristoteles lib. 3. de An. cont. 4. cùm dixit, intellectum possibilem esse id quo anima intelligit.

Verùm ne in immensum hic noster labor alieno loco excrescat, fusiorem harum quæstionum explicationem prætermittere statuo. Itaque solùm breuiter indicabo, quid mihi ea in re videatur.

Ad primam enim primò aio, posse excitari à voluntate cùm intellectus possibilis, agentis adminiculo eget, iudicio videlicet eiusdem intellectus agentis. Nam quemadmodum ipse intellectus possibilis mouetur ad conquisitionẽ specierum, cùm voluntas eum impellit, vt de alicuius occultæ rei veritate disceptet; ita etiam intellectus agens eiusdem voluntatis imperio excitari potest, vt intellectui possibili sua virtute subueniat. Cùm enim intellectus possibilis rerum scientiam acquisiuit, benè perspicere potest quid in anima sit quod eum iuuare possit, vt statim dico, ac proinde internoscere potest an virtute, opéque intellectus agentis indigeat. Deinde dico, plerunque excitari ex natura rei,

A seu ex ipsarum potentiarum connexione; & vt ita dicam subordinatione. Nam vbi non satis sint ea, quæ intellectui possibili insunt, & vlterius veritas exquirenda est; tuamet natura operatur agens intellectus, vt intellectui possibili eius rei scientiam imprimat productione specierum, quæ eum ad assensum alliciant; Vt scilicet intellectus agentis operatio sit cognitio primorum principiorum; possibilis verò sint subsumptiones, quæ ortum ex sensibus habuerunt, & ex primis principiis confirmandæ sunt. Neque enim intellectus possibilis cùm singula factus est, ignorat se ipsum, vt docet Aristoteles lib. 3. de An. cont. 8. nempe animum, & quæ in animo sunt. Quocirca B huiusmodi possibilis intellectus inspicere poterit, quæ in se ipso sint species, quæve in agente intellectu; atque ita illud iudicium, quo scit se primis intellectus agentis principiis indigere, erit ex natura rei determinatiuum intellectus agentis ad operandũ: ad eum prorsus modum, quo eiusdem intellectus iudicium determinat imperium voluntatis ad mouendas cæteras potentias; ídque non alia de causa, nisi ob connexionem potẽtiarum, quæ natura sua inter se ordinem seriémque deposcunt. Vt ex. gr. cum intellectus possibilis iudicat conclusionem probari non posse, nisi adhibeatur generale aliquod axioma, tunc determinatur intellectus agens, vt eo axiomate vtatur; C quo rursus intellectus possibilis determinatur, vt veluti in Minore subsumpta subiiciat illi sua principia, dirigaturque agentis intellectus cognitione, vt mox etiam fusiùs explicabitur.

Ad secundam quæstionem primò dico, non esse necesse cõcedere plures actus simul vtriusque intellectus: Nam dum intellectus agens elicit suas illas enunciationes, non operatur intellectus possibilis, cuius propositiones subsumi debent tanquam Minor, aut Conclusio sub illis primis principiis; Vt si probandum sit; Temperantiam esse bonum rationis, Maior erit intellectus agẽtis hoc pacto: Omne honestum est bonum rationis; Deinde verò intellectus possibilis D erit: Omnis Temperantia est bonum honestum: ergo Temperantia est bonum rationis.

Quo etiam pacto nonnulli Peripatetici, qui distinxerunt cogitatiuam ab intellectu, explicare solent syllogismi practici Minorem, vt Maior sit intellectus, Minor & Conclusio sit cogitatiuæ, quæ operetur simul cum phantasia circa singularia. Quæ videtur esse sententia A. Doctoris infrà q. 78. a. 4. & q. 81. a. 3. & Simplicij lib. 3. de An. cont. 34. Vniuersalis enim propositio est intellectus, particularis verò cogitatiuæ, quæ vt ait A. Doctor illo art. 4. *est collatiua intentionum indiuidualium; sicut ratio intellectiua intentionum vniuersalium; Vt si fiat hac ratiocinatio: Omne bellum iniustum est detestandum; At hoc bellum est* E *iniustum; ergo est detestandum. Quo in syllogismo vniuersalis propositio ad intellectum pertinet; Minor particularis ad cogitatiuam, &c.* A. Doctor.

Deinde dico ad eandem quæstionem, etiamsi ponerentur plures actus, nullum ex ea re absurdum sequi. Nam esto sint plures actus in eadem potentia naturaliter impossibiles, in diuersis tamen ordinatisque potentiis non est absurdum, vt experimento constat; dum simul videmus, imaginamur, atque intelligimus, ob potentiarum subiectarum nexum, quo superiores operantur, cùm inferiores eliciunt actus suos.

Ad

Ad Tertiam quæstionem respondeo, probabiliùs poni distinctas potentias, vt distinctas ponit A. Doctor infrà q.79. a.7.c. cæteriq; Thomistæ. Nam nulla potentia producit sibi species, quibus constituatur in actu primo & proximo, vt eliciat suum actum. Intellectus autem agens constituit intellectum possibilem in actu primo & proximo, vt eliciat suum actum; quia ponit intellectilia in ipso intellectu possibili, sine quibus non est potens proximè in suum actum. Et confirmari potest, quia intellectus agens est veluti applicans agens cum passo. Vnit enim obiectum cum potentia, quia species intelligibilis non alia de causa requiritur, nisi vt hanc vnionem præstet; Vt probat A. Doctor suprà q. 12. articulo 2. Omne autem applicans passum cum agente, est distinctum ab eo quod applicatur; vt cùm quis applicat ignem stupæ, &c. Cùm nos ipsi applicamus oculum ad videndum per potentiam palpebrarum motricem. Et quamuis verum sit, primam applicationem originariam esse ab intellectu extrinsecus agente ac determinante, qui Aristoteli sit substantia separata, vt suprà probatum est; tamen cùm ab ea non sit continuata illa productio specierum, quæ à phantasmate abstrahuntur, necesse est sit ab aliqua animi facultate, quandoquidem nos abstrahimus, intelligimúsque cùm volumus; vt ostendimus; & docuit A. Doctor; vt vidimus. Cui sententiæ ex instituto refragatur Durandus in 1.d.3.tota q.5. *Durandus.*

Ad quartam quæstionem respondeo, posse applicari huic intellectui illas quattuor attributiones, quas de intellectu agente affirmari ab Aristotele patet ex lib.3. de An. cont.19. Nempe quas præter efficientiam in intellectum possibilem, de qua agit cont.17.& 18. enumerauit, quę sunt huiusmodi; vt sit separatus, immixtus, sua substãtia actu seu actio, & impassibilis. Est enim separatus, quia nullo modo cum corpore communicat actiones suas: Neque enim cùm suos actus promit, qui sunt principia illa vniuersalia, ad actiones corporeas descẽdit; quemadmodum intellectus possibilis qui plerunque & fortè semper in secundis vitis; nempe in rebus corporeis intelligendis occupatur. Itaque solus inter animi facultates est separatus à corpore, non solùm quia caret organo: id enim & possibilis habet intellectus; verùm etiam quia ne corpora quidem intelligit; quandoquidem eius vniuersalissima principia communiora sunt, quàm vt soli corpori conueniant.

Qua in re notari oportet, quæ docuit optimè Simplicius lib.1. de An. cont. 89. in fine cõmentarij. *Simplicius.* Vltra enim ea quæ ex eodem sæpius dicta à nobis sunt suprà, ad hanc rem rectè explicandam in primis spectant. Ait enim intelligentiam animæ humanæ triplicem esse; Vnam quæ intelligentis animæ humanæ propria est, quæ neque vtitur corpore vt instrumento; neque à corpore interpellatur sese vltrò interponente; nimirum actio illa manẽs in essentia, & circa essentiam animæ, quam diximus esse intellectus agentis, dum suas actiones promit ex suis insitis speciebus, ita vt nõ sit necesse ad corporeas vitas descendat; vt necesse est rem esse, vel non esse, &c. Alteram verò quæ propensione ad externa editur, nec tamen corpore vt instrumento vtitur; neque sociam habet phantasiam vt cooperantem, aut auxiliarem; quamuis spõte se illi comitem præbeat, eámque velut vmbra corpus sequatur; vt cum intelligit vniuersalia corporea: semper enim aliquod indiuiduum corporeum saltem vagum phantasia obtrudit intelligendũ. Tertiam quam passiuam appellare solet, quæ phãtasia & corpore vtitur quasi collega & cooperatore; vt cùm singularia intelligimus, résque sensui obiectas. Itaque rectè Aristoteles hunc intellectum ait esse separatum, quoad omnes eius operationes: Nam possibilis sæpè cum corporeis sensibus operetur, necesse est.

Est etiam immixtus, quia non est compositus ex rebus corporeis: vt putauit Empedocles: Nam si operatio eius nullo modo à corpore pendet. *Empedocl.* Ergo nullo modo eius substantia est corporea: vt suprà ostensum est. Verùm quia esse separatum & immixtum, non est qualitatis attributum sed substantiæ, ideò ex hoc collige quod suprà docuimus verum esse, Aristotelem locutum hic esse de intellectu agente qui sit substantia, non qui sit qualitas. Idémque dico cùm dicit esse impassibilem, & substantiã actio seu actum. Nam hæc substantiæ attribuuntur non qualitati. Non enim dicitur color impassibilis, aut substantiã actio est: quod suprà monuimus. Aptari tamen possunt intellectui agenti qui sit qualitas. Est enim impassibilis, quia vt diximus, à nullo formas accipit suas: substantia actio, quia in se habet actu vnde agat in ipsum intellectum possibilem.

Ad quintam quæstionem respondeo, veram esse definitionem illam eo loco ab Aristotele assignatam. Nam intellectus possibilis est id, quo anima intelligit non quomodocunque, sed vt subdit proximè & immediatè eodem cont.4. Aristoteles, qui *nihil est actu eorum, quæ sunt antequam intelligat.* His enim continetur integra totius intellectus descriptio: de quo etiam eodem cont. dixerat paucis antè: *Quare neque ipsius vlla est natura, nisi hac quod possibilis est.* Quamobrem licèt illis verbis prioribus: *Quo anima intelligit*, nõ denotetur peculiaris natura intellectus possibilis, quia illa omnia in illum agentem conueniunt: tamen per posteriora optimè ab agente distinguitur, tanquam per ea, quæ differentiam rectè significant. Hæc enim tota descriptio; nempe *Id quo intelligit anima, & nihil est actu eorum, quæ sunt antequam intelligat*, naturam possibilis intellectus tantummodo denotare possunt, nullo autem modo Agentis.

QVÆSITVM SECVNDVM,

Vtrùm rectè probetur Angelis neutrum intellectum inesse.

NAturam vtriusque intellectus tã possibilis quàm agẽtis ex Aristotele ac Peripateticis hunc in finem hactenus explicauimus, vt accuratè stabilire possemus: Vtrùm & qua ratione ambo intellectus negandi in Angelo sint. Quod quia solùm est inter Theologos cõtrouersũ, propterea Theologorũ hîc tantùm opiniones afferendæ erũt, atque examinandæ. Potissimum autem hac in quæstione difficultatẽ negotiúmque facessunt Scoti argumenta; quæ ipse obiecit in A. Doctoris rationem, qua ostendit in hoc articulo non esse in Angelo ponendum intellectum siue agentem siue possibilem. Quocirca quæstioni satisfactum erit, si vtriusque rationes suo

suo pondere pensemus; vt vtrius sententia vera sit non difficile iudicetur. Sit ergo

VNICA DIFFICVLTAS,

Vtrùm rectè probetur ratione A.Doctoris in Angelo neutrum inesse huiusmodi intellectum.

Scotus. PRo parte negante sunt præsertim nonnulla Scoti argumenta;quibus in 2.d.3.q.11. directè hanc A. Doctoris rationem demoliri conatus est.Sic autem arguit ibi §.*Contrà ex iisdem principiis* ostendendo falsas esse eius argumenti propositiones , & potius oppositum demonstrari. Primò,quia falsum est,in Angelo non esse intelligibilia in potentia.Quia Angelicus intellectus versari debet circa sensibilia , *Quia etiam ista* inquit Scotus *considerantur & intelliguntur ab Angelo*;sensibilia autem sunt intelligibilia in potētia. Ergo circa etiam intelligibilia in potentia versatur intellectus Angelicus,ac proinde in Angelo sunt sensibilia in potentia.Ex quo vlterius infert Scotus oportere;*Quod habeat Angelus intellectum agentem reducentem illa ad hoc, quod actu intelligantur ab eo.*

Deinde quia falsum etiam est,in Angelo non esse intellectum,qui sit potētia ad intelligibilia: Ergo ex hoc non debet negari in Angelo possibilis intellectus.Antecedens probat,quia potentia ad intelligibilia, nihil est aliud quàm potentia intelligibiliū receptrix. Sic enim intellectus possibilis fit singula intelligibilia in se ea recipiendo;vt patet ex Aristotele libr.3.de An.cont. 14.& nos suprà diximus. At in Angelo est potentia huiusmodi,quod sic probat Scotus aduersus A.Doctorem: Quia *omne quod formam recipit, necesse est dare potentiam receptiuam ipsius formæ , etiamsi recipiens non præcedat duratione formam ipsius.* Scotus. Sed Angelus recipit speciem intelligibilium,vt clarum est. Ergo habet potentiam receptricem intelligibilium , *etiamsi non præcesserit duratione receptionem illius.*

Tertiò probat falsum esse , intellectum possibilem & agentem esse in homine solùm , vt ille reducatur,hic reducat ad species intellectilium. Quia intellectus agens & possibilis , est perfectio naturalis in animo humano. Vnde *si Deus* inquit Scotus *concreasset animæ nostræ species omnium intelligibilium,adhuc esset in ea intellectus agens.* Ergo non debent poni in illum tantùm finem. Sanè Christus Dominus *licèt omnia viderit in Verbo* inquit Scotus , *& ab instanti suæ Natiuitatis in vtero:tamen fuit in eo intellectus agens & possibilis:alias non fuisset perfectus, & eodem modo si vidisset omnia in genere proprio,habuisset intellectum agentem & possibilem.* Ex quo arguit Scotus, pari modo dicendum esse in Angelo. Licèt enim omnium species receperit,& non possit non esse in actu,tamen perfectionis cuiusdam est,posse exire in actū suum, etiamsi præuentus non esset à superiori agente; Quemadmodum etiam ignis calefacere potest lignum sibi propinquum,nisi præueniatur à Deo qui priùs calorem produxerit in illo.

Confirmat Scotus:*Quia potentia actiua quæ non est imperfectionis in creatura;immò perfectionis non de-* A *bet negari superiori , quæ est superior quantum ad hoc. Sed Angelus est superior homine intellectualitate* : Intellectus autem agens,qui est potentia actiua,in homine non est imperfectionis,sed perfectionis: Ergo non debet negari Angelo , qui est natura superior.

Tandem probat Scotus , quia species singularium non sunt in Angelo. Ergo produci debent ab intellectu agente in intellectu possibili:Ergo vterque dari oportet in ipso Angelo. Antecedens probat §.*Primò ergo*. & d.9.q. 2. §. *Ad argumenta secunda Quasi omnis* , quia non est probabile, Angelo concreatas esse species omnium singularium quæ cognosci ab eo possunt : *quia cum talia sint infinita,haberet infinitas species actu.* Huc etiā B addi potest argumentum ex Gregorio d. 7.q.5.a. 1.concl.1.qui vt refert Capreolus vbi suprà a.2. ad argumenta contra 3. concl. putat Angelum accipere aliquam cognitionem à rebus : Ergo in eo est intellectus possibilis. Gregorius.

In Parte affirmante sunt Caietanus hic a 4. vbi defendere conatur A.Doctoris argumētum; & Capreolus in 2.d. 3.q.2.a.3. ad argumenta cōtra 3. conclus. Idem affirmat Valentia hic Disputat.4.q.5.p 2.Ludouicus Molina hic a. 4. Ad hanc etiam sententiam reuocantur ij,qui eodem argumento negant vtrumque intellectum esse in Angelo nisi impropriè:quod expressè docet Alexander 2.p.q.22.m.3.Licèt enim asserat posse dici C Angelo inesse intellectum possibilem *ad recipiendam cognitionem à Deo,& etiam ab Angelis superioribus si superiores habet*, &c. Tamē subdit,nō esse illo modo intellectum possibilem quo humanus,qui *indiget ministerio sensus præambulo,& ministerio virtutum sensibiliū;quod non est in Angelis.* Et concludit:*Et ideo dissimiliter dicitur ex illa parte intellectus possibilis.* Caietanus. Capreolus. Valentia. Molina. Alexander.

Immò addit, propriè in Angelo nō esse intellectum agentem : quia eius munus est *educere potentiam intelligendi,& hoc per abstractionem specierum à phantasmatibus.* Non est autem id munus intellectus agentis propriè ; nisi quia philosophi hoc pacto intelligunt agētem intellectum.Ergo nec D possibilis propriè;quia philosophi intelligūt intellectum possibilem, qui reducitur ad actū specierum ex phantasmatis. Vnde subdit Alexāder, intellectum Angeli posse dici agentem,secundū quod *educit potentiam intelligendi in actum per acceptationem quandam specierum*;nimirum quia eliciat suum actum. Erit ergo agens quia elicit; possibilis verò , quia recipit a Deo species. Ad solutionem

Notandum est,ante omnem Quęstionem qua quæritur an quidpiam sit ; præmittendam semper esse notionem seu significationem eius nominis,quo res de qua quęritur appellatur; vt expressè patet ex Aristotele lib.1.Poster.cont.com. E 2.Nisi enim constaret quid eiusmodi nomen significet , incerta omninò futura esset omnis disputatio. Nam ignorata nominis significatione, ignoratur etiam qua de re sit sermo ; & multò magis quorsum instituta sit quæstio, eóq; in ancipiti erunt tum præmissæ tum consecutiones omnes. Vt ergo præsentem quæstionem dissoluamus ab radice ; scire oportet hæc intellectus agentis ac possibilis , nomina desumpta esse ex Aristotele lib.3.de Ap.à cont.4.vsque ad 20. atque ex Peripateticis in eosdē contextus & sæpè alibi,de quibus diximus toto super.Quęst.Apud quos nulla alia est eorum significatio præter hāc quā ibidē diximus; nēpe vt intellectus possibilis sit is,

sit is, qui ab agente per phantasmatum abstractionē species intelligibiles in sese recipit: Agēs verò intellectus sit is, qui possibilem ad suas species reducit, pérque sua principia cum dirigit dum operatur. Vnde sequitur, si alio sēsu huiusmodi nomina accipiātur, metaphoricè ac translatitiè non propriè ea sumi oportere; quādoquidem ab primigenia significatione, quam sapientum auctoritate habuere, in alias significationes è propria sede transferuntur. Itaque duplex quęstionis sensus esse potest. Alter an propriè hæc, vt in propria significatione vsurpari debent, rectè asserantur Intellectus agens & possibilis in Angelo. Alter, an iidem aliquo modo Angelis accommodari possint.

Ratione A. Doctoris ostendi propriè non esse in Angelis intellectum siue possibilem siue agentem. §. 1.

AD difficultatem ergo propositam respondetur; & sit

Prima propositio. Intellectum agentē & possibilem propriè non esse affirmandos in Angelo rectè ostenditur ratione A. Doctoris: Probatur Propositio; quia vtraque propositio vera est & conclusio recta. Hęc quidem recta; quia vt exposuimus in explicatione articuli, rectè sequitur; Si non est id cui conuenit definitio intellectus, aut possibilis aut agentis, manifestum est, neque esse res ipsas, quæ sit intellectus agens aut possibilis. Vbicunque enim non est id cui conuenit definitio, neq; res definita esse potest. Si enim nō sit homo, de quo affirmari definitio hominis possit, neq; homo erit. & sic de cæteris quibuscunq; cùm omnium horum similiúmque sit eadē ratio.

Quod verò vtraq; pręmissa vera sit probatur. Et primò de intellectu possibili vera est Maior; nempe illum propriè esse qui est in potentia ad intelligibilia; hoc est qui potēs est recipere species vniuersalium naturarum è phātasmatis abstractarum ab ipso intellectu agente; vt patet ex toto super. Quæsit. presertim Diffic. vlt. Ergo vera est Maior. Minor etiam patet, quia intellectus Angeli qui concreatas rerum habet omniū species, non est in potentia ad huiusmodi species, ac multò minùs ad species quę abstrahantur à phātasmatis; vt patebit q. seq. a. 2. Ergo vera est Minor; dum ait intellectū Angelicū non esse in potentia ad intelligibilia, neque ipsa intelligibilia Angelorum esse potentia intelligibilia; quia sunt actu. Non enim abstrahuntur vt intelligantur, sed se ipsis talia sunt.

Solùm hic verti in dubium potest; Vtrùm verum sit quod ait in eadem Minore; intellectum Angeli non esse in potentia vt intelligat; *quia nec sunt quandoque intelligentes*. Quasi velit significare, semper Angelos intelligere omnia ea, quorum habent species: Quod falsum esse infrà constabit etiam A. Doctoris opinione.

Verumtamen soluitur hic nodus, Quia A. Doctor negat esse in potentia Angelicum intellectū duobus modis, nimirum iis modis, quibus est in potentia intellectus hominis. Quod enim de homine affirmat, negat de Angelo. Intellectus autē hominis est in potentia, vt reducatur ad actū ab intellectu agente. Primò quidem per hoc, quòd in eo fiunt intellectilia actu, quæ priùs erant in potentia; hoc est dum in eo producuntur species e phantasmate abstractæ. Secundo modo per hoc, quod illis productis fit formaliter potens in actum secundum prodire.

Quamobrem intellectus possibilis non est in potentia, vt reducatur ad duplicem actum ab intellectu agente, quasi in eo produci debeat duplex forma; nimirū & species & ipse actus intelligendi. Certum enim est, hunc elici ab intellectu possibili, cuius est actus vitalis. Solùm ergo est reducendus ad vtrumque actum per vnam formam, quæ est ipsa species. Sic enim fit actu dupliciter. Nam primò fit actu, quia in eo producuntur intelligibilia actu, quæ priùs erant intelligibilia potentia in phantasmate. Deinde fit actu, quia promptus est ad actum secundum; hoc est ad considerationem ipsam. Qua ratione ipsa grauia & leuia reducuntur à generante ad duplicem actum, per vnam simplicem formam; nempe per motricem qualitatem: Reducitur enim ad ipsam qualitatem, quæ producitur à generante, & reducitur hoc ipso ad motum; quia vt suprà docuimus, hoc ipso reducitur ad secundum actum, quo constituitur in actu primo, vnde per se sequi motus possit.

Negat ergo A. Doctor, Angelum esse in potentia ad vtrumque actum. Ad primum quidem, quia non est in potentia *ad intelligibilia rerum, quæ sunt intelligibilia in potentia*; quia scilicet omninò sunt intelligibilia actu in Angelo. Nunquam enim fuerunt illæ species in phantasmate concretæ: & præterea negat reduci ad actum secundum, ab intellectu nimirum agente, quia ab illo non constituitur in actu primo; *quia neque sunt quandoque intelligentes*; nempe in actu primo, ex eo quòd, nunc habeant species intellectiles, nunc verò non habeant. Nam quòd quandoque sint intelligentes in actu secundo, quandoque verò non sint, patet euidenti ratione. Nam vt ostendetur infrà quæstione 58. a. 1. non omnia simul intelligunt Angeli, quorum sunt in Angelico intellectu species. Immò nec possunt simul intelligere multa; hoc est per plures species; vt eadem quæstion. vnà cum A. Doctore probabimus a. 2. Constat ergo optimè A. Doctoris ratione confici, in Angelo non esse propriè intellectum possibilem.

Nunc de intellectu agente probatur eodem modo argumento A. Doctoris. Nam consecutio recta est, ob rationem allatam ad negandum intellectum possibilem. Vtraque etiam præmissa est vera. Maior quidem: nulla enim alia fuit philosophis causa affirmandi in nobis agentem intellectum; nisi vt is faceret intellectilia actu, quæ in phantasmatis intellectilia potentia sunt; vt per principia prima, rationésque sibi insitas dirigeret possibilem intellectum; vt ex Aristotele & Peripateticis omnibus super. Quæsito docuimus præsertim Difficultate vltima. Ergo est vera Maior. Minor etiam patet: quia certum est in Angelis, in quibus sunt congenitæ rerum species, vt infrà docebimus, non esse opus huiusmodi intellectu. Cùm enim sint actu species intellectiles, non est opus eas è phātasmate abstrahere: & cùm Angeli non indagent veritatem per discursum; vt infrà dicetur, non exigunt vt ipsorum notitia per prima rerum princi-

principia dirigatur, sed simplici contuitu apprehendunt, quicquid intelligunt.

Posse in Angelis aliquid assignari loco Intellectus Agentis & possibilis, & quo modo. §. 2.

Secunda propositio. Non est negandum in Angelis posse assignari aliquo modo intellectum possibilem, & aliquo modo intellectum agentem. Hanc propositionem expresse docuit Alexander, vt vidimus in 2. sententia; & A. Doctor in hoc art. ad 2. vbi ait; Si autẽ per intellectum possibilem quis intelligat eum, qui quouis modo illustretur, aut per agentem qui illustret, *æquiuocè dicet, nec de nominibus curandum.* Concedit ergo esse aliquem intellectum possibilem & agentem æquiuocè; hoc est nõ quidem qualem philosophi posuerunt, sed qui illi similis esset. Non enim æquiuocè significat, eo quòd cum eo in puro nomine conueniret, sed quòd aliquam haberet similitudinem illustrantis & illustrati, vt etiam suprà notauimus, de loco ac motu Angelorum.

Alexander. A. Doctor.

Probatur autem propositio nostra hoc vnico argumento: Quia in quocunque reperiatur intellectus, qui habeat cum illo vtroque intellectu naturam similem aliquo modo, potest rectè assignari aliquo modo intellectus agens & possibilis. Sed in Angelis est intellectus habẽs naturam aliquo modo similem cum illo vtroque intellectu: Ergo in Angelis potest rectè assignari aliquo modo possibilis intellectus & agens.

Maior probatur: quia quæcunque natura similis alteri potest habere similem definitionem, ac nomen commune cum illa; vt quia cor habet similem inchoandarum venarum rationem, atque fons emittendorum riuorum, ideò vtriusque similis principij definitio ac natura est. Ergo in quocunque intellectus habeat cum intellectu possibili atque agente similem naturam, aliquo modo potest etiam rectè assignari, appellarique aliquo modo intellectus possibilis & agens.

Minor probatur, quia intellectus Angeli potest illuminari à superiore Angelo, non quidem in iis quæ naturaliter cognoscit; hoc enim habet per species inditas; sed vel in iis quæ illi naturalia omninò non sunt; siue sint simpliciter supernaturalia; siue intra latitudinem quidem obiecti naturalis; ipsi tamen extra fines sui obiecti. Non enim omnia quæ naturaliter sunt, nouit quisque Angelus; vt infrà dicetur: Ergo potest illuminari à superiore, ac proinde ab eo recipere species potest: ergo habet similem naturam quoad hoc cum possibili intellectu. Vnde ipse Alexander Alensis vbi suprà ait optimè *Angelum habere intellectum possibilem ad recipiẽdam cognitionem à Deo, & etiam ab Angelis superioribus si superiores habet; habere etiam intellectum possibilem ad capiendam notitiam illorum inferiorum*; non tamen eo modo quo intellectus possibilis humanus; nempe per sensus &c. vt antè ex eo retulimus.

Alex. Alens.

Similiter patet de intellectu agente; quòd scilicet in Angelo sit quid habens naturam aliquo modo similem cum intellectu agente humano: Nam intellectus Angeli præsertim superioris, dum aperit inferiori suas cogitationes, illum illuminat, atque aliquam veritatem edocet. Sicut enim ait A. Doctor infrà q. 107. a. 1. ad 3. *Sicut per signum sensibile excitatur sensus; ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens Angeli ad attendendum.* Nec dissimili ratione sæpè ab Angelis excitantur homines, licèt plerumque per sensus & phantasmata, de qua re A. Doctor infrà q. 111. a. 1. & deinceps. Ergo intellectus ille est similis naturæ quoad huiusmodi munus cum agente hominis intellectu. Quocirca ob hanc causam & docens, dum discipuli mentem suæ doctrinæ lumine illustrat, eiusdem discipuli intellectus agens dici potest. Addiscentis namque intellectus, vt significat Aristoteles lib. 8. Phys. cont. 32. ibique fusiùs explicat A. Doctor, reducitur à potentia in actum per docentis actionem, qua rerum species ingenerantur in sensibus, & per sensus in intellectu.

A. Doct.

Sensibilia non sunt Angelo intelligibilia in potentia, in quo dispar est in homine ratio, & cur subiectum specierum non sit hoc ipso intellectus possibilis. §. 3.

Ex his propositionibus ita probatis Colligitur primò, non impugnari hanc A. Doctoris sententiam primo Scoti argumento. Nam tametsi verum est, Angelo perspecta esse sensilia; non tamen sequitur, ea esse Angelo intellectilia in potentia. Nam non omne sensile est potentia intellectile; sed illud quod relucet in phãtasmatis, dum relucet antequam sint eorum species in animo. Tunc enim non actu sunt intellectilia, quia non sunt immaterialia nec in se nec in suis speciebus; & quia ex illis phantasmatis abstrahi & fieri possunt huiusmodi naturæ immateriales, rectè dicta à nobis sunt intellectilia potestate, tamen comparatè ad hominis intellectum. At verò in Angelico intellectu longe aliter se habet res. Etenim quia ea sunt immaterialia in suis imaginibus, actu intellectilia sunt, nunquam potestate.

Quod si quis obiiciat, singularia materialia nunquam fiunt intellectilia in homine quantumuis sint immaterialia in suis speciebus & imaginibus, quæ intellectui hominis hærent; quia sola vniuersalia fiunt intellectilia ab intellectu agente, quæ separari diximus super. quæst. difficult. vlt. à materia singulari, ac proinde fieri immaterialia. Cùm ergo in Angelis à materia singulari non separentur naturæ singulares, singularia non erunt actu intellectilia, sed potestate.

Respondendum est in homine singularia percipi sensu; intellectu autem cùm operatur non determinatus à sensu cognosci vniuersale. Quapropter Aristoteles lib. 1. Poster. cont. 43. aliàs 182. & 183. dixit: *Sentire esse singularium, scientiam autem esse in cognoscendo vniuersale.* Cui affine est illud quoque lib. 1. Phys. cont. 49. Vbi ait: *vniuersale esse notum secundum rationem; singulare verò secundum sensum.* Itaque obiectum intellectus qua distinguitur à sensu est vniuersale, quod imma-

rnate

materiale ſit abiunctione à materia, vt ſuprà diximus. At verò in Angelo non ita res ſe habet; vt expreſsè docet infra A. Doctor q. 57. a. 1. ad 1. Vbi *hic modus intelligendi* inquit *non conuenit Angelis, vt ſuprà dictum eſt*; nempe q. 54. in hoc a. 4. Ratio diſparitatis aſſignatur ab A. Doctore hoc ipſo a. 4. Quia in homine ſingularia cùm ſint obiectum ſenſus, non ſunt intellectilia in actu, ſed potentia quandiu in ſenſibus relucent. Vnde ſi fiant obiectum intellectus, qua à ſenſu in operando per obiecta diſtinguitur, debent à materia ſingulari abſtrahi. Qua ratione abſtracta, ſoli intellectui obiici poſſunt; ideóque ſingulare ſenſus; vniuerſale intellectus facultate percipitur. In Angelis autem, cùm ſingularia ipſa non ſint ſenſuum, ſed ſolius intellectus obiecta, non eſt quòd fiant immaterialia per abſtractionem, vt ita recedant à ratione obiecti ſentientis facultatis, accedántque ad rationem obiecti intellectus; ſed eam per ſe habent, dum in intellectu Angelico per concreatas in eo ſpecies repræſentantur.

Immò etiam in eo intellectu habent eſſe abſtractum, quia relucent in ſpeciebus, quæ non ſolùm ſingularium ſunt, verùm etiam vniuerſalium. Conſtat enim Angelos per vnam eandémque ſpeciem, quæ nó tantùm ſingulare ſed totam etiam ſpeciem repræſentet, intelligere, vt infrà dicturus eſt A. Doctor; & fusè probat Capreolus in 2. d. 3. q. 2. a. 3. ad 9. Scoti contra 3. concluſ. Ad argumentum ergo reſpondeo negando conſequentiam ob aſſignatam huius rei imparem rationem. Qua etiam de re dicturi ſumus infrà fuſiùs q. 57. a. 2.

Scotus. Colligitur ſecundò, nec verum eſſe quod ait Scotus in 2. ſuo argumento, in Angelo eſſe poſſibilem intellectum; quia eſt potentia receptrix intellectilium formarum. Etenim nomine intellectus poſſibilis ſi propriè ſumatur, non intelligimus vim ſubiectam intellectilibus formis quomodocunque; ſed vim quæ ſit potentia ad recipiendas formas huiuſmodi intellectiles; quę nimirum ex ſe nullum ſit actu intellectile; ſed ſit inſtar tabulæ, in qua nihil deſcriptum ſit. Id enim Ariſtoteles lib. 3. de An. cont. 4. & 14. ibíque ſæpè Philoſophi, qui eum ſecuti ſunt; præſertim A. Doctor, docuere. Quod intellectui Angelico non conuenit, qui nunquam eſt potentia ad ſuas formas intellectiles connaturales, quas congenitas ab inſtāti creationis habet. Quare ſi Scoto aliter intellectus poſſibilis ſignificat, ſciat ſe A. Doctoris ſententiam non impugnare; qui fatetur hic ad 2. Si aliter accipiatur intellectus poſſibilis & agens, quàm ipſe ex eius propria ſignificatione declarauerat; *de nominibus non eſſe curandum.*

Quod verò addit Scotus potentiam receptricem eſſe, etiamſi ipſa tempore non præcedat formam; verum quidem eſt, ſed ad rem pręſentem non pertinet: Intellectus enim poſſibilis non eſt ſolùm potentia receptrix, quæ ſit ſubiectum intellectilium formarum; ſed vt diximus, debet eſſe facultas quæ ſit ad recipiendas formas, quas nondum habeat ex ſeſe & connaturali modo. Et quamuis quod aliqua facultas habeat vel non habeat formas ſuas, non arguat ſimpliciter diſtinctionem in ipſa, cùm eadem manens poſſit nunc habere nunc non habere formas ſuas; vt patet in ſenſibus. Tamen magnam naturæ diuerſitatem illarum facultatum

A oſtendere poſſumus, cùm harum vna exigit illas habere, vt connaturali modo ſit; alia verò ex ſe carere iiſdem debeat. Hoc enim ipſo cum proprietates diuerſæ ſint, & naturas diuerſas eſſe rectè concluditur. Quapropter & Solem diuerſam habere naturam à Luna rectè argueret quis, ex eo quòd Sol lucem ſibi perpetuam poſcat, Luna verò non item; niſi cùm illi ad Solem aſpectus patet. Præterquam quòd poſſet etiam negari Scoto, potentiam receptricem non debere tempore ſuam formam antecedere. Idem enim videtur eſſe potētia formarum receptrix, & potentia quæ eſt ad formas quas nondum habeat; eas tamen recipere valeat; vt ſuprà declarauimus.

B

In hominis animo ſunt quidem naturales perfectiones intellectus tam Agens, quàm poſſibilis, non tamen Angelo ſunt conſentanei, & cur; nec à Chriſto Domino ſumi poteſt paritas. §. 4.

Colligitur tertiò, multò minus verum eſſe quod ait Scotus in 3. arg. debere poni in homine intellectum tum agentem tum poſſibilem. non quia ille ad actum reducat, hic reducatur; ſed quia ſunt perfectiones in animo humano. In quo labitur Scotus, & Ariſtoteli ac Peripateticis ex aduerſo eſt. Concedimus enim Scoto, illos intellectus eſſe aliquam perfectionem in animo; ſed cum ij facultates ſint, operationem tanquam finem ſuum connaturalem in eodem animo habere debent. *Viſum enim habemus vt videamus* inquit Ariſtoteles lib. 9. Metaphyſ. cont. 15. *non autem videmus vt viſum habeamus.* Vnde lib. 2. de cœlo cont. 17. dixit: *Vnumquodque cuius eſt opus eſt gratia operis*: Si ergo vterque intellectus eſt animi humani perfectio tanquam eius naturalis facultas, relate ad connaturalem operationem eſt facultas. Connaturalis autem operatio agentis intellectus eſt, vt a phātaſmate abſtrahat ſpecies intellectilium, poſſibilemque intellectum in cognoſcendo dirigat atque inſtruat diſciplinis. Poſſibilis autem intellectus eſt, vt ab agente ſpecies recipiat, regatúrque: Quod ex Ariſtotele ac Peripateticis fusè probatum eſt ſuper. quæſit. præſertim Difficult. vlt. Vnde ſi non eſſet opus in homine, ipſum intellectum habere qui omnia fieret, & qui omnia faceret, ſuperuacanei eſſent huiuſmodi intellectus: Hac enim tantùm ratione vtrumque Ariſtoteles inueſtigauit lib. 3. de An. cont. 17. & 18. Quare ſolùm eſſet intellectus, quo intelligeret, nihil accipiendo à rebus per ſenſus, non diſſimiliter atque in Angelo, in quo neutrum eſſe oſtenſum eſt. Scotus. C D

Quod autem addit Scotus, idem futurū fuiſſe, ſi Deus in noſtris animis ſpecies intellectiles concreaſſet, vt inde probet, in prædictos fines nobis à natura non eſſe datos huiuſmodi intellectus, nihilo magis pro eius ſententia facit. Quia tunc eſſet ſtatus humani animi non naturalis ſed præter naturam: Non eſt autem rectus philoſophandi ordo, à ſtatu rei non naturali, atque adeò præter naturam, deducere quæ inſint eidem rei facultates naturales. Vt ſi ex eo quod præter naturā igni Babylonico accidit, vt trium E

puerorum vincula adurere non potuerit, arguamus in eo non fuisse calorem, aut alias huiusmodi ignium vires. Vel quoniam scimus ignem intra Lunæ ambitum circumuolui, dicamus, igni debitam esse circumuolutionem, & alia similia, quæ persæpe fiunt in Mundo præter naturam.

Itaque concedimus Scoto in eius animo, qui congenitas habeat intellectilium species, fore vtrumque intellectum, quia vtrumque status animi connaturalis efflagitat in finem illum, cōnaturali modo intelligendi, licet aliter quoad vtriusque effectus tunc Deo visum esset, dum eum animum in statu præternaturali posuisset. Ex quo statu præternaturali, nihil naturalium facultatum quoad earum entitates, negandum Philosophis est, quod eidem statui non repugnet. Neque enim si ob innaturalem statum repugnat operatio, repugnabit etiam entitas facultatis; vt dixi de calore in igne Babylonico. Quare nec negandæ sunt facultates illæ naturales, licet in eo statu præternaturali connaturales suos fines habituræ non essent. Ad argumentum ergo aio, tantùm propter illum connaturalem finem oportere poni illos intellectus, si in suo connaturali statu sunt. Ex quo statu pensandi sunt naturales fines, ad quos connaturaliter potentiæ referuntur.

Præterquam quòd si Deus concreasset omnes species, potuisset animum hominis relinquere in statu, quo per sensus scientiam conquireret, ne animus in corpore degens sine instrumento corporis operaretur; vt iam dicam de Christo Optimo ac Maximo. Quare non decuit Scotum è Christi Seruatoris nostri animo arguméta desumere. Is enim habuit agentem intellectum & possibilem in hunc finem, vt vtriusque ope Christi Seruatoris animus scientiam humanam per sensus ac phantasmata adipisceretur; vt recte probat A. Doctor 3. p. q. 9. a. 4. quibus eam de facto adeptus est Christus: Ergo Christus in hūc finem habuit has facultates, quæ ne frustrà essent, vt ibi idem docet, illi intellectus debuerūt habere suam operationem: *Frustra enim* inquit ibi A. Doctor 3. p. q. 9. a. 4. *quod non habet suam operationem: cum omnis res sit propter suam operationē; vt ait Aristoteles lib. 2. de cælo* cont. 17 Quocirca si in Christo etiam tales intellectus fuerunt in hunc finem, vt haberet suam naturalem perfectionem, nempe naturales operationes vtriusque intellectus, decuisset Scotum ea argumenta non afferre, quæ in ipsum intorqueri possent. (A. Doctor.)

Nec Scoto illa hypothesis magis fauet; idem nimirum futurum fuisse, si omnia vidisset Christus in genere proprio. Nam si omnia vidisset in genere proprio, potuisset quoque esse vterque intellectus, vt suam propriam operationem elicerent. Nam & Christus ob sui animi absolutionem per scientiam infusam, vidit de facto in proprio genere, quæ in Verbo videbat; vt ait A. Doctor 3. p. eadem q. 9. a. 3 vbi docet fuisse *in Christo secundum eius animam scientiam beatam, qua cognoscit Verbum, & res in Verbo, & scientiam infusam siue inditam, per quam cognoscit res in sua natura, per species intelligibiles humanæ menti proportionatas.*

Colligitur quartò, non rectè à Scoto deduci: Si in Christo potuit esse vterque intellectus ob naturæ humanæ perfectionem, & in Angelo esse posse ob Angelicæ naturæ perfectionem. Disparem enim rationem ex eo assignamus. Quod A in Christo ponendi erant, quia hos humana natura deposcit, tanquam suas quidem perfectiones, sed ob finem naturæ humanæ debitum, qui est operatio secundum connaturalem statum; quia secundum connaturalem statum Angelus congenitas rerum species habet. Nam cum non habeat sensus eas a rebus accipere nō potest; vt arguit A. Doctor q. 8. de Verit. a. 9. c. Ergo iis non caret, vt ita per intellectum agentem eas oporteat adipisci; atque ita opus non est intellectu possibili & agente; quemadmodum in homine, qui cum per sensus ac phantasmata acquirere scientiam possit ac debeat, vtroque intellectu indiguit.

B Nec valet quod subdit Scotus de potentia actiua: quæ si est perfectionis in inferioribus, non debet negari in superioribus, ne aliqua inferiorum perfectio ipsis desit. Non valet inquam. Nam vt optime respondet Capreolus in 2. d. 3. q. 2. a. 3. ad 3. Scoti contra 3. concl. Multa sunt perfectionis in natura inferiori, quæ in superiori non habent locum. Nam & perfectionis est vt ait Aristoteles lib. 2. de An. cont. 34. vt viuentia *quæcunque perfecta & non mutilata sunt, aut genera unem spontaneam habent, faciant aliquid quale ipsum: animal quidem animal: planta autem plantam; vt ipso semper ac diuino participent.* Quæ perfectio in Angelis non conceditur vt certum est; & sic de cæteris similibus. Potest enim aliqua per- C fectio dari naturæ inferiori in subsidium eius carentiæ perfectionis, quam habent naturæ superiores, vt in proposita re homini datur agens intellectus ad supplendum specierum defectum, quem natura hominis habet, non natura superior. (Capreolus.) (Aristoteles.)

Ratio horum est, quia illa perfectio inferiorum superiori naturæ danda nō est, quæ aliquid perfectionis eidem naturæ debitum ab ea tolleret. Nulla siquidem naturalis perfectio alteram perfectionem naturæ debitam ab ea auferre debet, cùm non debeant esse opposita. Alioqui naturaliter se ab eodem expellerent, quæ in eodem esse naturaliter deberent. Ergo perfectio illa quæ datur in subsidium naturæ inferioris D imperfectæ, non debet concedi superiori naturæ, quæ tali subsidio non indiget. Cùm ergo intellectus agens & possibilis, licèt sint naturales homini perfectiones, ac proinde ab eo aliam nullam amoueant; tamen ab Angelo excluderent naturalem illam perfectionem; quod scilicet congenitas non emendicatas rerum species habere debent, non possunt vllo pacto esse naturales perfectiones in Angelo; quemadmodum nec in Deo essent ob eandem rationem. Ob quam etiam rectè negatur in ipsis inesse perfectio corporis, animalis, viuentis, &c. Omnes E enim huiusmodi gradus excludunt absolutissimam nobilitatem in entibus. Quia vt docet A. Doctor suprà q. 3. a. 1. *Impossibile est aliquod corpus esse nobilissimum in entibus.* Nam si non sit viuum; ergo viuens est eo nobilius. Si viuum; ergo cùm ex se non viuat, ergo per aliud; nempe animam; ergo id per quod viuit nobilius est corpore quod per illud viuit. Sic igitur ad propositum Angelus, si intellectum agentem possibilémque haberet, non esset æquè nobilis naturæ, vt Angelum decet. Haberet enim intellectum cuius perfectio penderet à corpore; cùm tamen de facto natura sua corpus non concurrat ad Angelum perficiendum, qui natura sua ens spiritale comple- (A. Doctor.)

completum est, nullo indigens corpore vt operetur.


Ex his respondetur ad argumenta Scoti in prima sententia. Ad primum enim dictum est in nostro primo Corollario. Ad secundum in secundo; & sic deinceps. Ad vltimum dico, omnes species esse congenitas Angelo etiam singularium vt infra patebit. Nec sequitur eas esse infinitas; quia vnius speciei indiuidua omnia per vnam imaginem repræsentantur; vt explicabitur fusiùs infrà.



ARTICVLVS QVINTVS.

1. q.79. a.1. & 3. & Mal. q.16. a.1.14.

Vtrùm in Angelis sit sola intellectiua cognitio.



AD Quintum sic proceditur. Videtur quòd in Angelis non sit sola intellectiua cognitio. Dicit enim Augustinus * 8. *de Ciuitat. Dei, quòd in Angelis est vita, quæ intelligit & sentit. Ergo in eis est potentia sensitiua.*

* libr. 8. cap. 6. paulò à prin. to. 5.

2. *Præterea Isidorus* † *dicit, quòd Angeli multa nouerunt per experientiam: experientia autem fit ex multis memoriis, vt dicitur in* 1. *Metaphys.* * *Ergo in eis est etiam memoratiua potentia.*

† Isid. lib. 1. de Summo bono c. 12. à medio.

* lib. 1. Met. non remotè à prin. to. 3.

3. *Prætereà Dionysius dicit* † 4. *c. de Diu. nomin. quod in dæmonibus est phantasia proterua. Phantasia autem ad vim imaginatiuam pertinet: Ergo in dæmonibus est vis imaginatiua. Et eadem ratione in Angelis, quia sunt eiusdem naturæ.*

† part. 4. parũ à medio.

Sed contrà est quod Gregorius * *dicit in Homil. de Ascens. quòd homo sentit cum pecoribus, & intelligit cum Angelis.*

* homil. 20. in Euang. non longè à princ. illius.

Respondeo dicendum, quod in anima nostra sunt quædam vires, quarum operationes per organa corporea exercentur; & huiusmodi vires sunt actus quarundam partium corporis. Sicut est visus in oculo, & auditus in aure. Quædam verò vires animæ nostræ sunt, quarum operationes per organa corporea non exercentur; vt intellectus & voluntas; & huiusmodi non sunt actus aliquarum partium corporis. Angeli autem non habent corpora sibi naturaliter vnita; vt ex supradictis patet. Vnde de viribus animæ non possunt eis competere nisi intellectus & voluntas. Et hoc etiam Commentator dicit 12. *Metaphys. quod substantiæ separatæ diuiduntur in intellectum & voluntatem: Et hoc conuenit ordini vniuersi, vt suprema creatura intellectualis sit totaliter intellectiua, & non secundum partem, vt anima nostra; & propter hoc etiam Angeli vocantur intellectus & mentes; vt suprà dictum* † *est.*

† ar. 3. huius q. ad 1. arg.

Ad ea verò quæ in contrarium obiiciuntur, potest dupliciter responderi. Vno modo, quòd au- A *ctoritates illæ loquuntur secundum opinionem illorum, qui posuerunt Angelos & dæmones habere corpora naturaliter sibi vnita. Qua opinione frequenter Augustinus in libris suis* * *vtitur, licèt eam asserere non intendat. Vnde dicit* 21. *de* † *Ciu. Dei, quòd super hac inquisitione non est multum laborandum. Alio modo potest dici, quòd auctoritates illæ & consimiles sunt intelligendæ per quandam similitudinem; quia cùm sensus certam apprehensionem habeat de proprio sensibili, est in vsu loquentium, vt etiam secundum certam apprehensionem intellectus* B *aliquid sentire dicantur; vnde etiam sententia nominatur. Experientia verò Angelis attribui potest per similitudinem cognitorum, & non per similitudinem virtutis cognitiuæ. Est enim in nobis experientia, dum singularia per sensum cognoscimus. Angeli autem singularia cognoscunt, vt infrà patebit* *, *sed non per sensum. Sed tamen memoria in Angelis potest poni, secundum quod ab Augustino* † *ponitur in mente; licèt non possit eis competere secundum quod ponitur pars animæ sensitiuæ. Similiter di-* C *cendum, quòd phantasia proterua attribuitur dæmonibus, ex eo quòd habent falsam practicam existimationem de vero bono. Deceptio autem in nobis propriè fit secundum phantasiam, per quam interdum similitudinibus rerum inhæremus, sicut rebus ipsis; vt patet in dormientibus & amentibus.*

* Aug. lib. 2. super Gen. c. 17. ad finẽ & li. 3. c. 10.

† lib. 21 de Ciuit. Dei c. 10. paulò post princ. to. 5.

* q. 57 ar. 2.

† libr. 10. de Trin. c. 11. to. 3.

Explanatio & confirmatio eorum quæ in hoc art. dicuntur.

D RESpódet A. Doctor, Angelis non posse competere nisi cognitionem intelligẽtis facultatis. Probat hoc ferè argumento; quod sic ad syllogismi formam reuocare possumus. In omni illa substantia perfecta, cui non insunt potentiæ, quarum actus per organa corporea exercentur, non sunt aliæ potentiæ præter intellectum & voluntatem. Sed Angeli sunt substantia perfecta, cui non insunt potentiæ, quarum actus per organa corporea exercentur. Ergo in Angelis non sunt aliæ potentiæ præter intellectum & voluntatem. Ex quibus prætermittit A. Doctor vltimam consecutionem; qua partem E articuli negantem deducat; nempe ergo *in Angelis est sola cognitio intellectiua*; quæ respondere debet articuli titulo; cùm quærit; Vtrùm in Angelis sit sola intellectiua cognitio. Id autem rectè prætermittit A. Doctor tanquam nemini dubium, eò quòd promptum erat cuique colligere, si solus intellectus & voluntas inest in Angelo: Ergo sola notitia esse in eo potest, quæ ab intelligendi facultate manare potest: quæ notitia, sola est intellectus operatio & cognitio, non autem alterius facultatis.

Maiorem autem non probat A. Doctor, sed tanquam notam præsupponit. Minor autem sic ostenditur. Nam Angelos esse substantias completas demonstrauerat suprà quæst. 50. art. 1. Re-

2. & quaestione quinquagesimaprima, a. 1. Ergo Angelis non insunt illae potentiae, quarum actus per organa corporea exercentur. Consecutio patet. Quotiescunque enim huiusmodi potentiae insunt in aliqua substantia, necesse est ipsum aut esse corpus, aut habere sibi corpora naturaliter vnita; vt patet non solùm in quauis materiali anima; sed etiam in ipso hominis animo, qui substantia spiritalis est, atque à materia seiunctus, per séque subsistens. Cuius rei rationem assignabimus in huius argumentationis examine. Atque haec quidem A. Doctoris ratiocinatio in hoc art. potissima est.

Eandem tamen conclusionem aliis quoque modis confirmat. Primùm quidem auctoritate Commentatoris lib. 12. Metaphys. cont. 37. affirmantis substantias separatas diuidi in intellectum & voluntatem; nimirum tanquam in partes ipsarum quas vocant potestatiuas; seu quod idem est tanquam in ipsarum facultates operatrices. Deinde verò ex congruo vniuersitatis ordine. Ista namque tam admirabilis rerum dispositio & ordo deposcere videtur, vt suprema creatura sit omni ex parte intellectiua; non autem sicut noster est animus quadam solum ex parte; nempe secundum potissimam eius facultatem. Quomodo autem id vniuersitati consentiat, non pluribus explicat Angelicus Doctor. Caietanus tamen in hoc artic. id magis stabilire adnititur: *Quia infima vniuersi pars est tota sensibilis* inquit, *& media partim de genere sensitiuo, partim de genere intellectiuo: Vnde restat vt suprema sit intellectiua totaliter.* Quod vtrùm satis ad argumenti efficacitatem sit, postea discutietur. Tandem ex nominibus, quibus Angeli appellari soliti sunt; nempe quia *vocantur* inquit A. Doctor *intellectus & mentes, vt suprà dictum est*; nimirum in hac quaestion. a. 3. in primo argumento. Vbi ex sancto Dionysio de diu. nomin. cap. 7. & 9. & capite duodecimo coelestis hierarch. his vocabulis nominari Angelos retulerat.

Caietanus.

Hanc ipsam conclusionē duobus aliis in locis non diuersis planè (licèt non iisdem omnibus vsus sit semper) argumentis A. Doctor expressit. Nam quaestion. 79. a. 1 ad 3. infrà disertis verbis docuit: *Quod in Angelo non est alia vis, quàm natura intellectiua & voluntas, quae ad intellectum consequitur. Et propterea Angelus dicitur mens vel intellectus, quia tota virtus sua in hoc consistit.* In quo ait Angelum differre ab hominis animo. Et idcircò subdidit: *Anima autem habet multas alias vires, sicut sensitiuas & nutritiuas* &c.

A. Doctor.

Similiter in q. 16. de Malo a. 1. ad 14. idem asserit, licèt conditionatè loquatur; Si nimirum Angeli non sunt corporei: Qua de re ibi disceptare noluerat. *Dicendum est* inquit ibi *quod in Angelo aut daemone si incorporei ponantur, non est alia potentia atque operatio nisi intellectus & voluntas. Vnde Dionysius 4. cap. de diu. nomin. dicit, quòd intellectuales sunt omnes eorum substantiae, virtutes & operationes.* Id rursus hac ratione roborans sic pergit: *Oportet enim* inquit, *quod virtus & operatio cuiuslibet rei consequatur naturam ipsius. Angelus autem non est intellectus secundum vnam suam partem, sicut anima, sed secundum totam suam naturam intellectualis est, vnde nulla virtus seu potentia in Angelo, potest esse nisi pertinens ad apprehensionem vel appetitum intellectualem.* Cùm autem dicit *pertinens* intelligi oportet, non quidem tanquam eius affectio, aut quid ei extrinsecum; vt cùm dicitur, pertinet ad hominem ridere, & sub tectis habitare, & alia similia; sed ita vt nulla in eo facultas insit, quae nō sit intellectus & voluntas; sicut dicimus, nihil est in hominis essentia, quod non ad eius genus, differentiámque pertineat.

Ratio autē cur ita particula illa accipi oporteat, sumitur ex iis quae A. Doctor subiungit. Putauit enim ne ipsam quidem motricem vim siue corporum siue sui ipsius ab eiusdem Angeli voluntate, intellectúque differre. Nam ipsum mouendi actum soli Angelicae voluntatis imperio ascribēdum esse, non alij virtuti, docuit ibidem his verbis: *Non est autem inconueniens,* inquit, *quod Angeli aliqua corpora solo imperio voluntatis moueant, motu dumtaxat locali. Videmus enim quod anima humana solo intellectu & voluntate mouet corpus sibi vnitum. Quantò autem aliqua substantia intellectualis est altior, tantò habet virtutem motiuam magis vniuersalem. Vnde substantia spiritalis separata à corpore, potest mouere aliquod corpus non sibi vnitum; & tantò magis quantò substantia spiritualis fuerit altior,* &c. Ascribit ergo soli voluntatis imperio, ac proinde absque vlla virtute intermedia, quòd possit Angelus corpora mouere, ac multò magis seipsum; si quidē plura ad alia quàm ad seipsum mouendum requiruntur. Nam sicut anima rationalis solo imperio voluntatis, nulla alia interposita vi, mouet suas mouendorum membrorum vires, ne detur progressio in infinitum; Ita & Angelus solo suae voluntatis nutu habet, vt in corporibus motum imprimat, nulla alia vi interposita; vt etiam postea à nobis fusiùs explicabitur in huius rationis examine. Constat ergo, hanc ipsam eandem conclusionem non diuersis argumentis vbique ab A. Doctore esse confirmatam. Quocirca vidēdum superest, An rectè quod in hoc articulo A. Doctor contendit, eiusdem articuli argumentis concludatur. Pro qua re sit

QVAESITVM VNICVM,

In quo praesentis articuli tum conclusio tum conclusionis ratio perpenditur.

Etsi alicui superuacaneum videri posset huius articuli doctrinam ad examen accersere; proptereaquòd satis ea ad eius veritatem iudicari possent, quae suprà q. 50. a. 1. & q. 51. a. etiam 1. & 2. de Angelorum incorporea natura constituta sunt. Ex iis enim confici clarè videtur, Angelos nullis sensibus praeditos esse, ideóque non alia eos quam intelligendi facultate pollere: Tamen si rectè ea quae in hoc articulo dicuntur expendantur, clarè constabit, multa iis obiici posse, quae non faciles habitura sunt explicatus; vt sequenti Difficultate planum fiet.

Quamobrem ne nos aut aduersaria argumenta non vidisse, aut quae non contemnenda sunt, immeritò despexisse; aut denique difficultatum enodandarum laborem subterfugisse videamur, vniuersam praesentis articuli doctrinam aequa veritatis lance accuratè pendere, & veluti aurificis statera, non populari trutina, hoc est diligenti non vulgari disquisitione de more nostro examinare decreuimus. Vt hinc quod saepè suprà diximus, palam

palàm fit, quo plus curæ in A. Doctoris argumentis euoluendis reponitur, eò certiora Theologicæ veritatis sensa in animorum conspectum lucémque proferri. Vnde optimè philosophos monuit Aristoteles libro 3. Metaphys. contextu 15. nihil exquisitæ diligentiæ collocandum esse in iis examinandis, quæ fabulosè sophisticéque à nonnullis afferuntur, quippequæ nihil præclarè contineant; Secus verò in iis, quæ philosophicè magnóque iudicio à viris doctrina ingenioque præstantibus edocentur. *Sed de his* inquit *quæ fabulosè ac sophisticè dicuntur, non est dignum accuratè considerare. Ab iis verò qui per demonstrationem dicunt, petere oportet ac interrogare, cur,* &c. Quasi apertè supponat Aristoteles, in iis quæ præclara ingenia ex instituto effantur, semper multa subesse, quæ considerari, enucleari que oporteat. Ne absque ratione & consilio putemus à sapientibus dicta, in quibus magna reposita esse solent præsidia veritatis. Sit ergo

Aristoteles.

PRIMA DIFFICVLTAS,

An ex eo quòd Angeli nulla in se corporea instrumenta habent ad suas functiones, rectè ostendatur nullam facultatem habere ad operandum præter intellectum & voluntatem.

TOtam huius articuli ratiocinationem concludi in hoc Syllogismo, facile colligi potest ex dictis in huius artic. explanatione; nempe Illa substantia quæ in cognoscendo suo obiecto nullis instrumentis corporeis vtitur, nullã aliam potentiam habet præter intellectum & voluntatẽ. Sed Angeli sunt substantia huiusmodi, quia nec corpus sunt, nec corpori naturaliter vniũtur. Ergo Angeli nullam aliam potentiam habent præter intellectum & voluntatem. Quamobrem vis tota huius argumenti pendet ex illa argumenti propositione Maiore. Si quidem de Minore; quòd scilicet non vtuntur instrumẽto corporeo ad suas functiones, satis dictum est suprà quæstion. 50. a. 1. & q. 51. a. 1. & 2. Itaque hanc ob causam titulum huius examinandæ Difficultatis posuimus; Vtrùm ex eo quòd Angeli nulla huiusmodi instrumenta corporea in se habent, rectè ostẽdatur, in iis nullam præter intellectum & voluntatem esse facultatem: Quæ propositio continet medium terminum, qui est subiectum in Maiore & prædicatum in Minore; & idcirco sumitur tanquam consecutionis causa, ita vt ex eo quòd nullis corporeis instrumentis vtitur substantia, cõsequatur nullam aliam in ipsis Angelis esse vim præter intellectum & voluntatem. In hac itaque Difficultate

Pars negans videtur aliquot argumentis ostẽdi posse. Nam primò nullo modo repugnat; in aliqua substantia purè immateriali esse eos cognitionis actus, qui licèt connaturaliter eliciantur per organa corporea; tamen absolutè promi possunt ab ipsa purè immateriali substantia; vt visio, olfactio &c. Ergo non est necesse in ea purè immateriali substantia sit sola intellectus cognitio. Ideóque non valet: Si Angeli nulla instru-

A menta corporea in se habent, eos nullam habituros facultatem præter intellectum & voluntatem. Si quidem in eo prædicto casu essent aliæ, vti vis olfaciendi, videndi & similes quæ esse possent. Antecedens probatur, quia si actus hominis vitales, etiam ij qui per organa corporea exercentur, naturaliter reponantur in solo animo tãquam in subiecto; tunc non repugnat in animo elici visionem, auditum, contactum, &c. absque vllo organo corporeo. At constat debere in solo animo huiusmodi actus vitales reponi tanquam in subiecto. Ergo non repugnat hos actus elici in animo absque vllo organo corporeo. Si autẽ non repugnat, in solo animo hos esse actus: Ergo non repugnat in aliquo subiecto purè immateriali

B esse huiusmodi actus. Si nãque sũt in solo hominis animo: Ergo sunt purè immateriales actus: ergo possunt esse in substantia purè immateriali: Quia nulla alia afferri ratio repugnantiæ potest.

Secundò, quia esto sint solæ ab intellectu manantes cognitiones; & appetitiones solius volũtatis in Angelo; quia nulla iis insunt organa corporea; tamen hinc non sequitur eos sola intelligendi, volendíque facultate præditos esse. Debet enim concedi in iis vis motrix, qua & corpora & seipsos mouere localiter possint Angeli. Ergo etiamsi organis corporeis careant Angeli, tamen alias quoque præter illas duas facultates habere

C possunt. Confirmatur hæc ratio: Nam Deo qui summe immaterialis est, ac proinde nullis corporeis organis vti potest, omnes ferè Theologi concedunt ab intellectu & voluntate distinctam omnipotentiam; quæ virtus est, eorum, quæ voluntate diuina imperantur, executrix: Ergo non solæ concedendæ sunt intelligendi volendíque facultates in ea substantia, quæ suas functiones per organa corporea non soleat exercere. Confirmatur secundò, quia in Deo ponendæ etiam videntur nonnullæ aliæ potentiæ, nempe potentia generandi Verbum, spirandi Spiritum sanctum: Ergo non debent solæ prædictæ facultates concedi in substantia purè im-

D materiali: Nam intellectus & voluntas in Deo, dumtaxat videntur esse ad actus essentiales; nempe ad intelligendum & volendum: Ergo aliæ potentiæ in eo concedendæ sunt ad actus notionales, qui sunt spirare, Verbúmque producere. Quandoquidem quæ sunt ad actus essentiales, non sufficiunt ad notionales.

Denique debet in Angelis asseri facultas producendi propriam hypostasim. Certum namque est; si Deus miraculo auferret Angelicam subsistentiam ab Angelorum natura, ipsam hypostasim ab eadem natura naturaliter emanaturam; ne natura tam nobilis suis connaturalibus actibus perpetuò destitueretur. Etenim si in elemen-

E tis nemo philosophorum negat vires, quibus ipsa se ad suum connaturalem statum reducant; vt aqua ad suum frigus; aër ad suam raritatem, &c. Sanè id perfectioribus atque excellẽtioribus naturis nõ absque maxima absurditate negaretur. Vnde idem est dicendũ de facultate, qua species in intellectu Angelico, si miraculo iisdem intellectus denudaretur, suapte natura existerent: Ergo de facto plures sunt in substantia purè immateriali facultates, quàm solæ intellectus & voluntas: Quod hic conficere suo argumento contendit A. Doctor.

Ex alia parte contrà est A. Doctoris auctoritas in hoc articulo, in quo putauit se satis

prædicto

prædicto argumento demonstrasse, nullam facultatem esse in Angelo, quæ intellectus aut voluntas non sit, ex eo quòd organis corporeis naturaliter careat; ac proinde ex eo quòd per organa corporea, nullas suas functiones obire debeat.

Nullam in Angelo inesse facultatem præter intellectum & voluntatem, rectè ostendi ex eo quòd caret instrumentis corporeis. §. 1.

AD solutionem sit

Vnica propositio. Ex eo quòd Angelus nullis instrumentis corporeis vti ad suos actus debet, rectè deducitur eum nullam aliam habere facultatem præter intellectum & volũtatem. Probatur propositio hoc vnico argumento, ex natura rei & à priori. Nam nulla substantia purè immaterialis, & completa habet alias facultates operatrices præter intellectum & voluntatem. Sed omnis substantia quæ ad suas functiones nullis vtitur corporeis instrumentis, est substantia purè immaterialis & completa: Ergo nulla substantia quæ ad suas functiones nullis vtitur instrumentis corporeis, habet alias facultates operatrices præter intellectum & voluntatem.

Maior probatur; & primò, quia eadem Maior supponit, omnem substantiam purè immaterialem & completam habere intellectum & voluntatem; hoc ipsum nunc probatur manifestè ex iis quæ optimè docet A. Doctor suprà q. 14. a. 1. Quoniam omnis substantia immaterialis creata & completa, debet posse habere aliquam operationem sibi connaturalem ac propriam; vt euidenti inductione in cæteris patet. Quam ob causam sæpè suprà ex A. Doctore & Aristotele diximus, operationẽ cuiuslibet substantiæ proprium verumque finem esse. Et idcircò in hac ipsa q. a. 3. ostendimus, nullam substantiam creatam immediatè per se absque intermedia facultate operari posse; ne ipsa ad finem, hoc est ad operationem, quæ est accidens, ideoque substantia ignobiliorem, referatur. Ergo multò magis substãtia immaterialis & completa debet suam posse habere operationẽ. Propterea namque cæteræ substantiæ suas operationes deposcunt, vt quia finitæ perfectionis sunt, perficiantur suis actibus magis ac magis; vt suprà demonstrauimus; vt homo videndo, intelligendo, volendo, &c. Nam vniuscuiusque perfectio & finis ipsa eius operatio est. Vnde est (quod etiam suprà diximus) vt beatitudo, quæ est vltimus finis & vltima perfectio, sit vltima intelligentis creaturę operatio. Quod Aristoteles docuit in lib. 1. Ethic. cap. 7. Cùm ergo & creaturæ intelligentis naturæ perfici debeãt, suas quoque perfectiones, actionésque debent elicere posse. Si autem iisdem substantiis immaterialibus concedendæ sunt, operationes certè potissimæ eæ erunt intelligendi ac volendi actus. Eæ namque erunt immateriali completæque substantiæ operationes omnino congruentes, & vt sic loquar, proportionabiles. Intelligendi etenim actus non potest tribui corpori, aut facultati corporeæ; vt sæpè suprà ostensum

A est: Ergo tribui debet immateriali substantiæ. Quo pacto Aristoteles tum alibi sæpè, tum initio libri 3. de An. cont. 4. & deinceps negat principium intelligendi mistum esse cum corpore. Si ergo in ipsis intelligendi actus inest, & facultas quoque intelligendi inesse debet. Si quidem, vt suprà ostendimus, substantia non per se ipsam nuda, sed per suas facultates operari debet.

Ex quo etiam sequitur, in iisdem substantiis voluntatem quoque concedi oportere; cùm voluntas nihil aliud sit, quam quædam in bonum intellectu apprehensum inclinatio atque propensio; vt nunc suppono ex A. Doctore suprà q. 19. a. 1. & infra q. 59. a. 1. & alibi sæpè. Constat

B ergo verum esse, quod in ea Maiore propositione inuoluitur; nempe in substantiis immaterialibus intellectum esse & voluntatem oportere, tanquam earum facultates naturales ac proprias.

Quod verò nulla substantia purè immaterialis & completa habeat alias facultates præter intellectum & voluntatem, quod erat illa Maior propositio probanda, sic ostendi potest. Etenim in huiusmodi substantiis nulla alia potest esse cognitio præter intelligentis facultatis. Ergo neque potest esse vlla alia facultas cognitrix præter intellectum; & nullus alius appetitus præter voluntatẽ: ergo nulla alia potest esse

C facultas præter intellectum & voluntatem.

Prima consecutio probatur: quia si nulla alia potest esse cognitio præter eam quæ est intellectus; nec erit alia facultas cognitrix præter intellectum. Facultates enim cognitrices diuersæ non possunt esse ad actus cognitionis, qui spectant ad vnam dumtaxat facultatem. Vt potentia audiendi, & potentia videndi, non sunt ad visiones, quæ sunt vnius tãtùm facultatis, nempe potentiæ videndi. Similiter nec olfactus est ad actus ipsos gustatus, qui sunt ipsius gustus, idémque dico de cæteris.

Ratio est aperta. Quoniam potentiæ distinguuntur ex actibus; vt docet Aristoteles lib. 2.

D de An. cont. 33. & probat A. Doctor infrà q. 77. a. 3. & alibi sæpè. Ergo vt sint diuersæ potentiæ non debent esse circa eosdem actus; vt res per se nota est ex alibi probatis. Non erit ergo alia facultas cognitrix præter intellectum; quia nec erunt actus alterius potentiæ cognitricis. Similiter de voluntate patet. Nam si non est alia cognitio nisi ex intellectu, sequitur manifestè, nec bonum posse apprehendi & proponi prosequendum nisi per intellectum; quia scilicet non est alia notitia, qua proponatur. Ad bonum autem apprehensum per intellectum, non est alius appetitus qui voluntas non sit. Hæc namque voluntas, vt iam dicebamus, nihil est

E aliud, nisi prosecutio in bonum intellectu apprehensum. Et propterea ab Aristotele libro 1. Rhetor. cap. *Quarum rerum causa fiant omnia*, &c. definitur voluntas esse *appetitus boni cum ratione*; hoc est ratione existimatum. Reddit enim rationem: Quia *nemo* inquit *vult nisi quod bonum esse putauerit*: Ergo non erit alius vllus appetitus præter voluntatem: atque ita constat, primam consecutionem esse veram de intellectu atque appetitu. Aristoteles.

Secunda consecutio probatur. Quoniam si in immaterialibus substantiis posita vnica intellectiua cognitione esset vlla aliqua alia facultas

præter

præter intellectum & voluntatem maximè esset potentia motrix, facultas effectrix specierū, & vis producendæ subsistentiæ. Nullus namque alius actus & forma superesse videtur in ipsis substantiis, quæ ad has reuocari nequeat. Si etenim substantiæ purè spiritales suas habeant species, per séque subsistant, moueréque se aliáque possint; nihil est quod ampliùs vltra appetitum atque intellectū in ipsis spiritalibus substantiis reponamus. At nulla harum facultatum debet poni in substantia purè spiritali, si non sit alia cognitio præter intelligentis facultatis; vt postea ostendam in solutione argumentorum. Ergo si non sit alia cognitio præter intelligentis facultatis, nulla alia potest esse facultas præter intellectum & voluntatem. Quod tamen totum intelligi oportet connaturali modo sublatis miraculis, iisque quæ præter naturam essent; quæ non possunt asseri in entibus; quæ connaturali modo affirmanda sunt de facto esse, nisi aliud constet aliunde. Itaque superest probandum antecedens; nempe nullam esse aliam cognitionem præter intelligentis facultatis, vti in eo antecedente posueramus.

Hoc autem non difficulter ostendi potest hoc pacto: Nam quandocunque substantia intelligens nullis ad cognoscendum corporeis organis determinatur, necesse est eius vis cognitrix nullis cognoscendi finibus ad certa entis genera restringatur aut coarctetur, sed potiùs amplissimè per omnia obiecta vagetur. Ergo cùm substantia purè immaterialis sit substantia intelligens, vt ostendimus, & nullis ad cognoscendum determinetur corporeis organis, vt ponimus, quia est purè intelligens, necesse est vt eius vis cognitrix nullis cognoscendi finibus circa certa eius genera definiatur; sed amplissimè vagetur per omnia obiecta.

Vnde vlteriùs sequitur, quod in eo antecedente dicebamus, nullam tunc posse esse cognitionem præter eam quæ est intelligentis facultatis. Tunc enim cognitio tantummodo esset ab amplissima illa vi cognitrice, quæ necessariò est intellectus. Certum namque esse debet, huiusmodi amplissimam cognoscendi viā esse intelligentem facultatem seu intellectum non vllam aliam. Hoc enim intellectus differt à sensibus, cæterísque cognoscendi facultatibus, si quæ sint aliæ quæ organa corporea ad suos actus eliciendos poscunt; quod intellectus nullis terminis in cognoscendo coarctatur; cæteræ autem facultates intra certa entis genera & obiecta concluduntur. Idcircò intellectus obiectum, vt significetur eius amplitudo, dicitur esse ens vtens. vt probat A. Doctor infrà q. 79. a. 7. Vnde Aristoteles libro 3. de Anima cont. 18. dixit intellectus possibilis proprium esse *omnia fieri*; sicut intellectus agentis omnia facere. Sic etiam eodem lib. cont. 4. laudat Anaxagoram, quòd intellectum putauerit nulli corpori esse commistum, *vt omnia intelligat*: Et ideò cont. 5. absurdum dixit esse assignare instrumentum aliquod corporeum intellectui, *sicut sensitiuo*: quia hoc ipso non esset intellectus, sed sensus ad certum aliquod entis genus determinatus. Hinc quoque ibidem cont. 6. docet animam esse locum formatum absolutè; nempe absque vllis limitibus. Addit enim, non omnem animam, sed intelligentem. *Nisi quod non tota* inquit *sed intellectiua*. Quod alibi frequenter Aristoteles cum suis Peripateticis expressit. Constat ergo facultatem quæ nullis terminis restringi debet, intellectum esse.

Aristoteles.

At verò sensus, & quæcunque facultas quæ organo corporeo immergitur, contrario se habent modo; nempe quia oportet sensum & huiusmodi facultatem esse certis limitibus in cognoscendo conclusam. Id patet apertè, primum ex Aristotele lib. 3. de An. cont. 4. iam citato. Vbi ex Anaxagora ideò intellectum oportere ait non esse mistum corpori; hoc est corporeis organis, proptereaquòd omnia cognoscere debet: Ergo supponit, quemcunque sensum & facultatem corporeo vtentem organo, ad certa entis genera percipienda limitari. Ob eandem causam cont. 5. infert, ex eo quòd intellectus omnia intelligit, ac proinde a corpore seiunctus est, nullum ei inesse instrumentum *sicut sensitiuo*. Quod adeò verum putat Aristoteles, vt ob instrumenta corporea neget sensum, etiam in propriis obiectis vehementioribus percipiendi non lædi. Contrà verò intellectum quia his caret, in suis intelligendis obiectis firmiorem reddi: *Quod autem* inquit cont. 7. ibidem *non similis sit impassibilitas intellectiui, & sensitiui, manifestum est ex sensoriis & sensu: sensus enim non potest sentire ex vehementi sensibili; vt sonum ex magnis sonis, neque ex fortibus odoribus & coloribus videre, aut odorari. Sed intellectus cum aliquid intellexerit valdè intelligibile, non minus inferiora intelligit, sed & magis*. Cuius rei rationem aureis literis consignandam subiungit his verbis, quæ ad nostrum propositum in primis faciunt. *Sensitiuum enim non sine corpore est: Hic autem* intellectus *separabilis est*. Quibus disertè claréque docet, eas facultates quæ sensoriis implicantur, tantum abesse vt omnia percipere queant, vt ne in suis quidem obiectis vbique cognoscendis firmę constantésque esse possint. Contra verò intellectus, qui absolutus ab huiusmodi sensitoriis entia cognoscit, nunquam lædi potest à fortibus obiectis; quin iis cognitis reliquis cognoscendis aptior promptiórque sit. Constat ergo facultates corporeas in cognoscendo esse limitatas intra aliquod entis cognoscibilis genus, non sic autem intellectum, cui omne ens in vniuersa eius amplitudine patet.

Aristoteles.

Quorum rationem optimè assignauit A. Doctor q. 25. de Verit. a. 3. c. Quoniam *cum obiectum sensus sit corpus, quod est natum mouere organum, secundum diuersam rationem mouendi oportet sensus diuersificari. Vnde alia est potentia visus & auditus: quia alia ratione mouet sensum color & sonus*. Ex eo itaque quòd facultates organicæ sunt sensitoriis addictæ, in illa solùm obiecta ferri possunt, quæ apta sunt ipsarum organa mouere, ad cognoscēdum; non verò ad alia; vt color est obiectum visus, quia eius organum alterare potest, non autem auditus: cuius organum nullo alio præterquam sonis commouetur, & sic de cæteris. Quæ etiam causa est, vt nullæ huiusmodi corporeæ vires possint aut in Deum, aut in latentes substantias, aut in ipsa vniuersalia tendere: vt probat A. Doctor 1. 2. q. 31. a. 5. c. De Virtut. q. 4. a. 2. suprà q. 12. a. 4. & infrà q. 85. a. 1. & alibi. Id autem est, quia sensuum exteriorum organa non mouentur ab earum speciebus, & qualitatibus, quæ materialia atque in conspectu posita non sint; ac proinde nullus omninò sensus in Deum & cætera quæ iam diximus, moueri potest: cùm certum

A. Doctor.

certũ sit sensus interiores nihil percipere posse, quod prius externis sensibus obuersatum non fuerit. Constat ergo verum esse, quòd in illa vlteriore sequela subsumpta in hoc postremo enthymemate dicebamus; Si nimirum substantiæ intelligentis vis cognitrix nullis finibus limitetur, sed per omnia obiecta amplissime vagetur, eius cognitionem debere esse intelligentis facultatis, non vllius alterius sensus qui limitatum entis genus deposcit.

Nunc verò ostendendum superest eiusdem enthymematis antecedens; nimirum *Quandocunque substantia intelligens nullis ad cognoscendum corporeis organis determinatur, necesse est eius vis cognitrix nullis in cognoscendo finibus contineatur; sed amplissimè per omnia vagetur.* Hoc autem sic ostenditur. Etenim si substantia illa intelligens nullis corporeis organis determinetur, nullam potest habere causam, cur ad certa obiectorum genera eius facultas cognitrix restringatur: ergo erit vis cognoscendi amplissima circa omnia obiecta. Quòd autem nulla sit huiusmodi causa, patet, quia omnis causa restringens vim cognitricem, est ipsum organum, cui facultatis natura addicta est.

Hoc autem probatur multipliciter: Primò, quia vt modo dicebamus ex Aristotele, Idcircò intellectus qui generatim, omnia cognoscere debet, nulli corporeo organo affixus est, vt nullo cognitionum genere limitetur. Alioqui ei assignari deberet organum *sicut sensitiuo*, vt vidimus: Ergo omnis causa restringens est organum, quod facultatis exercitationi debeatur. Deinde, quia videmus omnes sensus, qui alicui organo à natura destinantur, restringi ad sua obiecta in certo quodam genere: intellectum verò qui nullo vtitur organo, ad omnia obiecta suam cognitionem extendere. Ergo euidens signum est, corporea organa tantùm esse omnem causam, vt sit limitatio cognitionum ad certa quædam entis genera, non amplissimè ad omnia. Etenim in multis aliis similibus simili consecutione vti rectè ac philosophicè possumus. Ex eo namque quòd videmus ea quæ contrariis affecta sunt, corruptibilis esse naturæ: contrà verò omnis corruptionis expertia esse ea quæ huiusmodi affectionibus carent, dicimus optimè causam omnis corruptionis esse materiam contrariorum; incorruptibilitatis verò esse naturam substantiæ, quæ ab huiusmodi materia auulsa est. Et idcircò Aristoteles easdem omninò causas horum effectorum protulit, cùm libr. 1. de cœlo cont. vlt. corruptibilia omnia & generabilia esse dixit eò quòd *alterantur contrariis ex quibus constant quæ natura sunt.* Contrà verò cùm eodem lib. 1. de cælo cont. 20. ostendit cælum esse incorruptibile, eò quòd à natura exemptum est à contrariis. *In contrariis enim generatio atque corruptio est.* Idem prorsus dico, cùm Aristoteles lib. 2. Phys. cont. 1. & 2. distinxit naturalia ab iis quę arte fiunt, ex eo quòd naturalia in se habent principium motus; non autem ea quæ arte formantur, qua opera artificialia sunt; Ideóque decreuit cont. 3. *Naturam esse principium motus & quietis in eo in quo est*, &c. Quasi nulla alia lege ipsi opus fuerit ad inuestigandum principium & causam motus, nisi illud quod videret esse coniunctum cum huiusmodi effectu; & quo sublato auferri etiam tale principium sciret.

Aristoteles.

Quorum etiam ratio esse potest: quia quotiescunque videmus aliqua duo vsquequaque connexa ita inter se, vt vno posito vel sublato alterum ponatur vel auferatur, signum euidens est inter ea esse aliquam naturalem dependentiam, ac proinde causæ & effectus. Sola namque causa importat vt aliud à se dependeat. Quo etiam nomine A. Doctor suprà q. 33. a. 1. ad 1. negat in diuinis Patrem esse filij causam. Si ergo inter illa duo sit dependentia, dicimus esse rationem causæ & effectus; atque ei rationem causæ attribuimus, cui magis ea conuenire videtur. Ad rem ergo nostram aio; quia organa cum limitatione cognitionis coniuncta sunt, iisque sublatis talem etiam tolli restrictionem, dicimus ipsa esse causam huius effectus; quia nulli magis talis ratio causæ conuenire potest.

Tertiò probatur ratione à priori. Nam idcircò corporea organa suis subseruiunt facultatibus cognitricibus, earúmque sunt instrumenta; quia suscipere in se debent determinatas obiectorum species, quibus determinetur facultas vt promat actum suum; id est suam cognitionẽ circa obiectum quod apprehendi debet: Tum quia omne instrumentum, ex fine & actione metiendum esse ait Aristoteles libr. 1. de part. animal. cap. 5. Non potest autem alius finis assignari eorundem organorum præter actionem, ad quam determinandam suscipiuntur obiectorum species in ipsis organis: Tum quia id euidenter patet inductione in singulis huiusmodi sensitoriis. Visus enim idcircò oculũ ex humore vitreo, crystallinóque cõflatum poscit, vt species visibiles colorum, luminísque, quibus videndi facultas determinatur ad talia obiecta, suscipiat. Vnde quia organum auditus non est aptũ ad has species; sed ad sonos concipiendos, non est datum à natura ipsi videndi facultati, sed auditui & sic de cæteris. Ergo causa cur huiusmodi organa præparata sint à natura, suísque cognitricibus facultatibus tributa, est determinata circa quoddam obiectorũ genus cognitio. Ergo verum est, omnem causam determinatæ cognitionis circa determinata obiecta esse organa talia vel talia.

Confirmatur quòd sublata organorum determinatione, non sint multiplicãdæ potẽtiæ vltra intellectũ & voluntatẽ. §. 2.

QVod etiam confirmari multis modis validissime potest: Primò, quia sublata hac organorũ determinatione potentia quæ ea organa non exigit, est indifferens ad hanc & illam cognitionem in hoc vel illo genere obiectorũ; vt patet in intellectu, de quo idcircò dixit Aristot. lib. 3. de An. cont. 14. esse veluti tabulam nudam; in qua nihil est depictum, ob quã causam dixerat ibi ipsum intellectum esse *potentiâ omnia intelligibilia, & actu nullum antequam intelligat*: Ergo omnis causa determinans est ipsum corporeum organum. Secundò, quia Aristoteles libr. 9. Met. cont. 3. expressè docet causam, cur potentiæ irrationales, vt ipse loquitur; hoc est quæ corporeæ sunt, sint determinatæ ad vnum, & non versentur circa opposita rationes; (quod ait esse proprium rationalium facultatũ; hoc est vt ipse docet earum quæ cum ratione sunt) causam inquam esse, quia ratione caret, nempe intellectu ex quo prouenit, vt non sint potẽtiæ rationales

Aristoteles.

ad vnum determinatæ. *Quæ quidem cum ratione omnes* inquit *eadem contrariorum sunt; irrationales verò vna vnius; vt calidum ipsum calefaciendi solius; medicandi verò potentia infirmitatis & sanitatis.* Post quæ sic causam subdit: *Causa verò est, quia scientia ratio est; ratio autem manifestat & rem & priuationem.* Constat ergo ex his, rationem, seu intellectum non esse determinatum ad vnũ; cætera verò corpora ad vnum tantummodo respicere. Idem ferè, iisdémque quodammodo verbis docet eodem libro cont. 10.

Tertiò confirmatur, quia non ob aliã causam Aristoteles lib. 1. de An. cont. 49. docuit ex consensu philosophorum, *Intellectui melius esse non esse cum corpore, quemadmodum consuetum est dici & multis placet,* nisi quia cùm intellectus ad omnia obiecta respiciat, ei corpus quod adiungitur, impedimento potiùs est ad operandũ, ne scilic. omnia cognoscat, quàm adiumento. Alioqui non videtur ratio, cur Platonem improbauerit dicentem, animam Mundi intellectum esse, & semper simul cum Mundo in quo inest. Non enim ex ipso esse cum corpore quicquã mali in intellectum immaterialem deriuatur, nisi comparatè ad operationes intelligentis facultatis, quæ in corpore ob sensuum organorúmque commixtionem interturbari solent, ne in omnia entia sincero, liberóque actu ferantur. Vnde ait ibidem: *Laboriosum autem & commissum esse corpori non potẽs absolui, & propterea fugiendam.* Inquit enim intellectui labor ex impedimento corporearum facultatũ. Ergo putat Aristotelis corporeas facultates in causa esse, cur mens & intellectus interdũ limitentur ad certum obiectorum genus; nempe ad obiecta sensibilia, ne liberè extra quoq; vagetur.

Denique confirmatur, quia Aristoteles lib. 1. de An. cont. 92. contra Platonem negat, intellectum habere partem corporis sedémque determinatam; esto cæteræ facultates alicui parti assignantur. Sic autem arguit Platonem existimãtem plures animas in homine inesse; & vnãquamq; sibi determinatam corporis partem vindicare. *Dubitabit autem aliquis* inquit Aristoteles ibidem *& de ipsius* animæ *partibus* id est potentiis; *quam potẽtiam habeat vnaquæq; in corpore. Si enim tota anima totum corpus continet, conuenit & partium vnamquamque continere aliquid corporis. Hoc tamen assimilatur impossibili. Quam enim partem aut quomodo intellectus continebit, difficile est etiam fingere.* Putat ergo impossibile esse intelligẽti animæ, seu facultati sedem vllam posse constitui. Cuius impossibilitatis nulla alia ratio reddi commodè potest, nisi quia cùm ipsa non debeat ad certum cognitionis genus restringi, nulla debet ei constitui sedes in corpore. Si etenim aliqua ei dãda esset, maximè aliquod organum. Has namque sedes cæteris potentiis dari constat, vt potentiæ videndi, audiẽdi, &c. At organum intellectui nullum sedes esse potest. Quoniam hoc ipso generatim ad omnes cognitiones vis intelligẽdi non esset, sed ad certũ obiectorũ genus. Ad hoc enim suas potentias quodlibet organum determinare constat. Ergo ei nulla sedes danda. Malè ergo Plato variis animarum partibus ac speciebus varias sedes in corpore attribuit. Idcircò ob euidentẽ argumentationem dixit Aristoteles in eo cõtextu difficile esse vel fingere intellectus sedẽ. Constat ergo de veritate nostræ propositionis.

Nunc autem ad argumenta respondendũ est, quæ posita sunt initio partis negantis. In quibus dissoluendis quoniam plurima explicanda sunt, idcirco ne tam multa lectori confusionem pariant, eorum argumentorum varietatem distinguam in consequentes difficultates. Sit ergo

SECVNDA DIFFICVLTAS,

In qua ex dictis in prima difficultate soluitur argumentum primo loco positum, nempe positis actibus videndi audiendique, &c. in animo, sequi in eodem animo esse vim videndi audiendi, &c.

EX superioris difficultatis propositione eo pacto probata, Colligitur primò, falsum esse quod in parte negante ob rationẽ dubitãdi primo loco nobis obiiciebamus; nẽpe positis videndi, audiẽdíque actibus in animo, semper in eodẽ animo esse vim videndi audiendi, &c. ac proinde in substãtia purè spiritali posse esse aliquas potentias, quæ non sint intellectus aut voluntas.

Non esse simpliciter potentiam, vbi non sunt omnia requisita ex parte principij in actu primo. §. 1.

HOc inquam colligitur esse falsum ob duplicem rationẽ. Vna est quia esto vis quædam atque habilitas ad videndum & audiendũ sit in animo incompletè, & inadæquatè vt dicitur: Tamen simpliciter has potentias esse in animo, dici nullo modo potest. Nam vt huiusmodi potentiæ simpliciter in ipso animo insint, debẽt esse potentiæ viresque completæ ex parte principij actiui; hoc est, vt nihil desit quod ad constituendum ipsum actiuum principiũ requiratur. Alioqui manifestè constat, nullam ibi esse simpliciter potẽtiæ rationem. Hac namque de causa licet intellectus humanus, quantum est de se, sit inchoata quædam ad videndum Deum potẽtia; quoniam tamen omnia non habet in se quibus compleatur in actu primo, ex parte principij visionem elicientis; nempe lumen gloriæ, simpliciter ipse intellectus non est potẽtia ad visionẽ ipsam beatã; & idcircò vt rectè docet A. Doctor suprà q. 12. a. 4. nullus intellectus creatus potest suis viribus videre Deum per essẽtiam. Id quod ibidem pluribus docuere Theologi ex Concilio Viennensi, & Patribus; vt ibidem à nobis fusè ostensum est.

Eodem etiam modo in rebus naturalibus necessariò philosophandum est. Tametsi enim demus in eius qui vtroque lumine captus est anima, esse habilitatem illam partiariam atque incompletam ad videndum; Tamen certum est, in eo simpliciter non esse videndi potentiam, ex organorum quæ oculum videndi instrumẽtum constant, potentiámque complent defectu. Vnde vera simpliciter est hæc propositio: *Cæcus non potest videre.* Alioqui si ei simpliciter vidẽdi potentia inesset, simpliciter quoq; videre posse dicendus esset. Qua ratione quia talpa, etiamsi aliquo pacto imperfectos habeat oculos, sensu tamen videndi carere ab Aristot. dicitur libr. 4. de hist. An. c. 8. Affirmat enim omnia animãtia sanguine prædita quinq; externis sẽsibus pollere, *nisi quid* inquit *læsum, lacessitumq; sit; quale genus Talparum cui visus deest: non enim oculos in aperto habet,* &c. Nã cute

A *cute detracta, quæ crassiuscula obtenta sedem luminum opacat, oculi intus lacessiti imperfectique visuntur.* Non ergo ea quibus completa potentia non inest, simpliciter potentiam habere dicuntur. Quod etiam patet, cùm aliqua plura simul potentiam habent, nullum tamen à cæteris seiunctum; Vt cùm duo equi currum trahunt, quem vnus ex illis per se solus trahere nequit. Tunc enim, quia potentia trahendi currum completa in vtroque est, in neutro seorsim simpliciter potentia illa inesse dici debet. Nec dissimili modo dicimus de virtute ac potentia effectrice instrumentorum, cùm plura simul in vnam instrumenti rationem coalescunt. Sicut quia calor, siccitásque simul vim generandi ignis habent, in vtraque qualitate simpliciter ea vis inest; minimè verò in altera seorsim ab alia; quia neutra seorsim ex se potest ignem generare. & sic dico de reliquis.

Quin etiam addimus, nec esse quidem potentiam simpliciter, si impossibilis sit eius actus vi naturalis agentis; esto in aliquo quantum est ex parte illius, insit aliquo modo ratio potentiæ ad illum actum. Hoc namque pacto Aristoteles lib. 1. de cœlo cont. 138. negat in materia esse potẽtiam ad actus qui iam præterierunt; quia scilicet etiamsi quantum est ex parte materiæ, sit capacitas, cum aliquando subiecta illis fuerit; nec ex parte materiæ ob illarum formarum interitum deperditum sit; Tamen quia nulla agentis naturalis virtute iidem actus redire restaurariq; possunt, Aristoteles docet in materia ad eosdẽ nullam esse potentiam; nempe simpliciter. *Nulla enim* inquit ibi Aristoteles *est potentia ipsius fuisse, sed ipsius esse aut futurum esse.* Quorum omnium generalis ratio est ea, quam hactenus diximus; Quia scilicet nomine potentiæ non significabimus nisi eam quæ omni ex parte completa est, nec vllum impossibile ex parte eius actus ad quem est potentia inuoluit. Quod quidem expressè docuit Aristoteles lib. 9. Metaph. cont. 12. vbi ex instituto determinat quid potentiæ nomine intelligi oporteat. Illud namque ait esse potentia tale vel tale, cum potest fieri tale, *nullo eorum quæ extrinsecus sunt prohibente.* Idque declarat exemplis, Vt *in eo qui sanatur est* potentia, *cum nihil eorum, quæ in eo sunt prohibeat.* Alioqui certum est eum sanari non posse, nec proinde esse potentiam ad sanitatem. *Similiter autem potẽtia est domus* inquit Aristoteles, *si nihil eorum quæ in ea re & in materia sunt, vt domus fiat prohibeat,* &c. Idem facilè constat ex lib. 1. de ortu & interitu cont. 54. vbi definit, quid sit esse potentia calidũ, ait autem id esse quod *præsente calefaciente & approximante, necesse est calefieri.* Vt ergo sit potentia & vis ad actum, necesse est vt ex parte eius principij quod potens dicitur, sint omnia requisita, & nihil inuoluatur impossibile, quo eius actus impediatur.

Aristoteles.

Ex quibus ad propositum reuertentes dicimus; Quantumuis in animo sit habilitas illa ad videndum ex parte animi; tamen in eo simpliciter potentia ad videndum esse non posse: propterea quod deest aliquid ex parte principij, quo compleri debet illa vis, vt sit simpliciter potentia; nempe organum, & quod in eodem organo consequens est species visibilis; sine qua vis illa atque habilitas animo insita prodire in actũ non potest. Quamobrem si huiusmodi facultas incompleta in substãtia purè immateriali poneretur, negandum esset in ea fore potentias vltra intellectum & voluntatem. Etenim in ea impossibilis esset actus videndi, ex defectu principij, quod per organum, & visibilem speciem absolutum non esset, vt actum elicere posset: ergo non esset potentia.

Neque est quòd dicatur, ipsam potentiam videndi in ea substantia purè immateriali posse elicere actum visionis, supplente Deo vicem organorum ac specierum sensibilium, suo influxu concursúque suæ præpotentis voluntatis. Hoc inquam dici non potest: Tum quia ille videndi actus vitalis esset: ergo penderet necessariò à facultate principióque perfecto in ratione vitæ; B nempe absoluto per suas species atque organa, quæ vitam perfectam faciunt: Ergo non posset illo Dei concursu suppleri quod per species atque organa præstandum esset. Neque enim visio colorum esset, nisi per colorum imagines sensibiles repræsentarentur; sicut nec gustandi actus esset, nisi animus per organa ad actum ipsum in palato immutaretur. Quemadmodum neque possibilis est actus intelligẽdi, nisi priùs in intellectu intelligibiliũ imagines essent, quibus intellectui obiectum referatur. Est enim intelligendi actus essentialis similitudo obiecti; qualis per eiusdem speciem in actu primo intellectui ipsi repræsentatum est. Tum quia, etiamsi demus hoc C posse fieri in hominis animo per diuinam omnipotentiam; Tamen in substantia purè immateriali, connaturaliter non possent cõcedi illæ potentiæ præter intellectum & voluntatem, quia in illis non est habilitas ad videndum, &c. quæ vnà cum corpore compleri per organum debet. vt mox dicam, & contendit A. Doctor; qui hîc non loquitur de potentia absoluta Dei. Atque hæc est prior huius Corollarij ratio.

Rectè infertur; si in aliqua substantia non sunt requisita instrumenta ad aliquem actum, in ea non esse facultatem ad illum: & cur. §. 2.

D Altera ratio, cur dicamus esse falsum quod dicebatur in ea prima parte rationis dubitandi in primo loco, est: Quia in substantia purè immateriali, qualem ostendimus esse Angelum, nulla potest esse huiusmodi facultas sentiendi; siue sit sensus visus, siue auditus, siue alius quicunque. Nam illæ potentiæ affirmari in huiusmodi substantiis purè immaterialibus debent; quæ illis sunt connaturales: non autem præter naturam. Constat namque verum esse quod eximiè docuit Aristoteles libr. 2. de cœlo cont. 108. E *oportere vnumquodque tale dicere esse & quod est, sed non quod vi & præter naturam.* Ratio est aperta: *Quia nihil inordinatum est eorum quæ natura sunt, quia natura est causa ordinis*: vt loquitur Aristoteles libro octauo Physicorum, context. 15. At si quid daretur præter naturam quæ naturam aliquam præsertim semper comitaretur, illud omninò inordinatum esset. Vt enim ait Aristoteles lib. 3. de cœlo cont. 24. *Inordinatio nihil est aliud, quàm quod præter naturam.* Vnde si quid aut sẽper, aut magno aliquo tẽpore comitetur naturã aliquã, illud debet omninò dici naturale. Hoc enim tanquã eorũ quæ natura sunt, cognoscendorũ signũ certissimũ tradidit Aristoteles eodẽ cont. 24.

Aristoteles.

Est

Est enim inquit *natura illa rerum, quam habent plures & pluri tempore.*

Atque hinc exoritur causa cur nisi obstet aliquid, semper in rebus affirmare debeamus, quod ipsorum naturæ congruit. *Vnde in omnibus asserendis* inquit A. Doctor infrà q. 99. art. 1. c. *sequi debemus naturam rerum, præter ea quæ auctoritate diuina traduntur, quæ sunt supra naturam.* Sic etiam q. 101. a. 1. *Vbi auctoritas deficit, sequi debemus naturæ traditionem.* Illę ergo potentiæ debent affirmari in huiusmodi substantiis immaterialibus, quæ illis sunt connaturales, non autem eæ quæ sunt præter naturam. At illæ potentiæ audiendi, & quæcunque aliæ sentiendi facultates fingi possunt, connaturales non sunt substantiis purè immaterialibus; sed potiùs præter earum naturam existimandæ sunt.

A. Doctor.

Sanè si vllo pacto eæ potentiæ talibus substãtiis connaturales essent, natura illis dedisset instrumenta, quibus in actum exire possent. Vt nãque ait Arist. lib. 4. de Gener. anim. c. 1. *Natura simul cuiuis & facultatem dat & instrumentum.* Si ergo in substantiis purè spiritualibus huiusmodi instrumenta nulla sint, sequitur apertè tales facultates nõ esse ab ipsarum natura. Cùm præsertim manifestum sit, illas facultates sine suis instrumentis exire in actum non posse; ideóque frustrà tales facultates iisdem substantiis natura indidisset. Illud enim frustrà est, quod suum actum finémque assequi non potest; vt docet Aristoteles lib. 2. Phys cont. 62. Vnde lib. 2. de cœlo cont. 32. *frustrà* inquit *dicimus calceamẽtum, cuius non est calceatio.* At omnium philosophorum vocibus vbiq; conclamatur, nihil frustrà concedendũ in natura esse; vt patet ex Aristotele lib. 3. de An. cont. 45. & 60. lib. 2. cœli cont. 32. libr. de Animal. incessu c. 2. alibique frequentissimè. Quin etiam contrà, omnes docent: naturam semper facere quod melius est; immò quod optimum in rebus; vt docet Aristoteles lib. 2. de cœlo cont. 34. lib. 2. de Generat. cont. 56. lib. de incessu animal. cap. 2. & alibi. Ergo illæ potentiæ non sunt substantiis purè immaterialibus connaturales.

Aristoteles.

Aristoteles.

Ex quibus sequitur, quicquid sit de potentia Dei absoluta, in Angelis non esse concedendas eas facultates cognitrices, quæ intellectus ipse non sit; vt hîc asseruit A. Doctor. Esto enim nulla sit simpliciter repugnantia, vt eæ in Angelis ponantur; tamen de facto nullæ sunt ob naturalem repugnantiam, quæ essent præter naturã & frustrà. Quod in rerum vniuersitate affirmare, nullo modo philosophum decet. Neque alia in hoc art. mens existimanda A. Doctori fuisse, quàm asserere has de facto potentias Angelis dandas nõ esse, eo quòd iisdem Angelis naturales esse nequeunt. Quãuis enim A. Doctor inferat: *Vnde de viribus animæ non possunt eis, nempe Angelis cõpetere nisi intellectus & voluntas:* Quasi videatur velle esse simpliciter repugnantiam: Non tamen aliud his verbis significauit, quàm non posse competere naturaliter. Non enim negat eis posse illas Angelis conuenire ob absolutam repugnãtiam; sed quia *Angeli non habent corpora sibi naturaliter vnita.* Ergo solùm sequitur in Angelis non esse naturaliter has potentias. Scitum namque est, conclusionem sequi debiliorem partem; nempe debiliorem ex pręmissis. At debilior præmissa in syllogismo A. Doctoris est prædicta propositio: *Sed Angeli non habent corpora naturaliter sibi vnita.* Limitat enim ac restringit, quo pacto accipiẽda

A. Doctor.

A sit propositio Maior; ac deducẽda ex his cõclusio; nempe ad sensum connaturalis status hoc pacto. In substantiis purè immaterialibus non insunt aliæ facultates cognitrices præter intellectum. Sed Angeli substantiæ sunt purè immateriales: quia naturaliter carent corpore. Negat ergo naturaliter Angelis inesse corpora, quicquid sit, Vtrùm iis possint corpora absolutè vniri. Ergo negabit substantiis immaterialibus inesse naturaliter has facultates, vt vt simpliciter inesse possint. Alioqui dicere posset aliquis: Esto naturaliter Angelis corpora non vniantur; ac proinde non sint hæ facultates corporeæ in illis; Tamen quia illis absolutè vniri possunt corpora, possunt quoque absolutè inesse hæ facultates, quæ corporea organa consequuntur.

B Ex quibus omnibus patet solutio eiusdẽ primi argumenti in prima parte rationis dubitãdi. Ad eius enim antecedens respõdetur dupliciter. Primò quidem repugnare, in esse illis huiusmodi corporeas facultates, quia illis tanquam formis repugnat vniri corpora. Nõ est autẽ concedendũ iis inesse simpliciter facultates corporeas posse, quibus repugnat iungi organa, quibus organis illæ facultates cõponuntur, atq; cõplentur. Vnde in illis repugnat esse earum actus, quia debẽt ab ea vita pendere, quæ illis organis completa sit, & speciebus in iisdem receptis, vt diximus. Esto C in iis concederentur esse facultates inchoatæ atque incompletæ. Ex quibus etiam patet ad confirmationem antecedentis.

Secundò dico, esto non repugnent, tamẽ nego eas de facto esse, quia sola connaturalia esse de facto dicere nos oportet. Ad probationem antecedentis dico, in animo esse has facultates etiam connaturaliter, quia animus saltem aliquando habet vnitum sibi naturaliter corpus; quod etiã sẽper naturali appetitu exposcit. Quare debuerũt hę facultates animo inseri à natura; quia animus quantum est de se, debet esse à natura completus in actu primo; vt cùm sit actus corporis, nihil illi quantũ est ex parte illius, desit ad suum D corpus cõpletè viuificandum. Alioqui non esset vnde, cũ ei corpore degendũ est, absolui posset.

Quò etiam accedit, quòd Deus cùm primùm sua opera procreat, ea perfecta suisque numeris absoluta condit. Sic enim dicitur Deut. 32. *Dei perfecta sunt opera.* Qua de causa A. Doctor infrà q. 66. a. 1. ad 2. reddens disparem ex parte tum Dei tum causarum creatarum in agendo rationem; cùm scilicet Deus per se agit, atque cùm causæ ipsæ secundariæ seu naturales operantur, ait sic: Cùm natura agit: *producit effectum in actu de ente in potentia, & ideò oportet vt in eius operatione potentia tempore præcedat actum, & informitas formationem.* At verò cum Deus per se aliquid efficit; *pro-* E *ducit ens actu ex nihilo; & ideò potest producere rem perfectam secundum magnitudinem suæ virtutis.* Itaque ab exordio creationis res à Deo, cùm per se agit, perfectæ procreantur, licèt creaturæ imperfectos effectus gignere ab initio soleant, vt postea progrediente tempore absoluantur. Vbi tamen obserua, licèt Angelicus Doctor dicat, Deum posse producere rem perfectam, quasi significet quicquid sit, cùm rem actu facit: Tamen re vera intelligenda illa particula *potest* est, vt significet *actu producit*, ne difficultatem argumenti propositi prætermittat. Contendebat etenim argumentum illud, Deum debuisse priùs informem materiam in Mundi

Deut. 32.

A. Doctor.

creatione producere, postea in eadem materia formas imprimere, eo quòd in natura semper *informitas præcedit tempore formationem*: Ergo & in opere diuino. Quare de facto debuisse ita à Deo fieri, etiamsi aliter possit Deus, cùm sit præpotentis virtutis. Huic ergo argumento respondendum erat de facto ita non fuisse; quia Dei opera absoluta ac perfecta vbique esse solent. Quippe Deo necesse non est, vt ex imperfecto ad perfectum progrediatur. Atque hæc de primo argumento. Nunc vt soluatur secundum, sit

TERTIA DIFFICVLTAS,

In qua soluitur secundum argumentum in prima difficultate positum, nempe in Angelo oportere inesse vim sui cæterorúmque corporum motricem, &c.

Colligitur secundò ex eadem illa propositione, falsum quoque esse quod in secundo loco eiusdem partis negantis in ratione dubitandi dicebatur; nempe in Angelo poni oportere vim sui ipsius, cæterorúmque corporum motricem. Hoc autem esse falsum, patet ex dictis, cùm generatim ostensum sit, nullas esse alias potentias præter intellectum & voluntatem.

Angelis non inesse aliam motricem facultatem vltra voluntatis imperium. §. 1.

Sed peculiaribus etiam argumẽtis idem probare possumus, primùm auctoritate A. Doctoris aliquot in locis vltra eos, quos in huius articuli explanatione citauimus. Inter quos ibi citatos expendimus rectè postremum, qui plurimum ad rem nostram erat. Deinde argumentis ex ratione petitis confirmabitur.

A. Doctor. Et quantum attinet ad A. Doctorem, id patet primò ex q. vn. de Spiritual. Creatu. a. 6. ad 8. Vbi tanquam probabilius affirmat, Angelos solo imperio voluntatis mouere corpora, absque vlla interposita vi motrice, quæ ab intellectus ac voluntatis imperio distinguatur. Sic enim ait: *Dicendum* inquit *quod probabiliter dicitur, quod imperio voluntatis substantia spiritualis mouet corpus cæleste. Quamuis enim materia corporalis secundum corporalem transmutationem non obediat spiritui creato ad nutum; sed soli Deo; vt Augustinus dicit 3. de Trin. tamen quod ei obedire ad nutum possit secundum transmutationem localem etiam in nobis apparet, in quibus statim ad imperium voluntatis sequitur motus corporalium membrorum.* Hæc absolutè ibi. Ergo excludit quamcunque vim motricem corporum ab Angelo. Vnde oppositam partem nonnisi conditionatè confirmat hoc pacto. *Si tamen supra imperium voluntatis addatur influxus virtutis, non propterea sequitur fatigatio ex finitate virtutis.* Hoc namque sibi contendebat dari aduersariorum argumentum. Negat ergo absolutè dari vim motricem vltra imperium voluntatis. Affirmat tamen ea posita non sequi absurdum, quod sequi arbitrabantur aduersarij.

Clarissimus etiam locus est in opusc. 11. A cap. 3. vbi inuestigat; *An Angeli moueant cælos suo imperio potestate a Deo eis tradita.* Sic autem huius quæstionis exsoluit nodum. *Si hoc vertatur in dubium, quod dicitur eos mouere cælestia corpora suo imperio: irrationabilis dubitatio videtur.* Id verò non aliter nisi hac ratiocinatione probat. *Non enim possunt mouere aliquod corpus per contactum quantitatis, cùm sint incorporei; sed per contactum virtutis. Nihil autem in Angelis altius est, quam ipsorum intellectus; cùm & ipsi à Dionysio intellectus & mentes nominentur, vnde eorum motiones ab intellectu procedũt. Ipsa autem conceptio intellectus secundum quod habet efficaciam aliquid transmutandi, imperium nominatur. Vnde si mouent, nullo modo nisi per imperium mouere possunt.* Ex quibus tria docemur; Vnum est, non B posse iure dubitari, quin Angeli suo imperio moueant cælum: Alterum est, nullo alio eos modo nisi per intellectum mouere posse. Postremum est, ipsum intelligendi actum efficacem ad mouendum esse imperium quo corpus mouetur: Ergo efficacitas mouendi nullo modo est in alia Angeli virtute, quàm in ipso intelligendi actu, qui imperium est; nempe adiuncto actu voluntatis, vt docet idem A. Doctor 1. 2. q. 17. & 18.

Ex quibus etiam vlteriùs manifestum est, nec potentiam motricem in Angelo poni oportere, vt semet de vno in alium locum moueat, ac trãsferat; si quidem longe faciliùs voluntatis im- C perio in ipsomet Angelo motus exiitet, quàm in aliena atque externa corpora imprimatur; vt patet in hominis animo; cuius imperio absque vlla difficultate obtemperant membra despoticè; cùm tamen cætera corpora externa nonnisi vi atque impulsu ab eodem concitentur. Ergo si solo voluntatis imperio damus Angelum mouere cætera externa corpora; dandum quoque, atque adeò multò magis, eodem solo voluntatis imperio mouere semetipsum, in quamcumque velit mundi partem ac locum.

Ratione nunc idipsum probatur; nempe non esse dandam in Angelo virtutem motricem vltra imperium voluntatis atque intellectus. Ete- D nim virtus motrix idcircò hominis animo à natura tributa vltra imperium voluntatis est (suppono autem nunc huiusmodi virtutem in hominis animo concedi oportere; vt ostendi suprà q. 51. a. 3. Quæsi. vn. Difficult. 2.) propterea quòd in hominis corpore debuerunt esse organa quibus continerentur spiritus animales, & alia ad motum progressionis necessaria. Constat enim progressioni subseruire neruos, tendones, arterias, ac præcipuè spiritus animales, quibus animantis membra veluti proiiciuntur. Vnde & ab Aristotele lib. 2. de cœlo cont. 35. appellatione proiectorum ipsa animalia nominantur; vt ibi exponit Auerroës, Simplicius, & apud ipsum E Alexander: nulla autem proiectio sine spiritu exerceri potest. *Proiici* namque *nihil procul sine violentia spiritus potest* inquit Aristoteles lib. 7. de histor. animalium c. 7. Et ideò ait ibidem, cùm animantis semen proiicitur, spiritu agi. Si autem debuerunt esse huiusmodi organa in animantis corpore, necesse etiam fuit eadem organa vi aliqua animari effectrice, quoniam organa instrumentáque non sunt, nisi alicuius actionis gratia, vt probat Aristoteles lib. 1. de Part. Animalium cap. 5. ac proinde ea debuerunt vi effectrice pollere; nempe vi motrice; quia alia ad finem in ipsis nullo pacto esset. Quemadmodum enim

Aristoteles. Auerroes. Simplicius. Alexander. Aristoteles.

enim oculus quia eſt ad videndum, virtute viſionis effectrice præditus eſt, nares olfaciendi vi, &c. ita & organa motus quia ad motum ſunt, virtute motrice animari oportuit, quæ eſt veluti anima talium organorum, ſicut oculorum vis videndi; vt docet Ariſtoteles lib. 2. de An. cont. 9. Omnium enim inſtrumentorum in animantis partibus, nihil eſt aliud forma & veluti anima niſi vis effectrix. Illa namque facit proximè inſtrumentum in ratione inſtrumenti; hoc eſt aptum ad ſuum finem. Vnde *ſi eſſet oculus animal* inquit Ariſtoteles eo cont. 9. *Anima vtique ipſi viſus eſſet. Hic enim eſt ſubſtantia oculi quæ ſecundum rationem*; nempe quæ eſt forma; *oculus autem materia viſus eſt; quo deficiente non eſt ampliùs oculus niſi æquiuocè, ſicut lapideus & depictus.*

Ariſtoteles.

Concludo igitur, vim motricem in hominis animo datam à natura vt animaret organa, quibus ad motum opus homini erat. *Vis* namque *motiua* inquit A. Doctor infrà q. 75. a. 3. ad 3. *eſt exequens motum* in homine *per quā membra reddantur habilia ad obediendum appetitui:* quia ſcilicet ſine illa, vt ex Ariſtotele diximus, eſſent æquiuocè inſtrumenta, ſicut lapideus oculus. At hæc ratio ceſſat in Angelis, & quacunque ſubſtantia merè ſpirituali; cùm conſtet in illis nullum eſſe corporeum inſtrumentum, quod per huiuſmodi vim motricem aptum reddi debeat ad voluntatis imperium exequendum, ſeu vt motū ſuum ſubſtantia in ſe ſuſcipiat: Ergo in eis talis virtus motrix aſſeri non debet. Valet namque conſecutio à negatione cauſæ ad negationem effectus; Vt ſi homo eſt riſibilis ob principium ratiocinandi, vbi ceſſat huiuſmodi principium, nulla erit ad ridendum aptitudo; & ſic de cæteris. Eſt enim veriſſimum illud axioma inter philoſophos celebre: *Si affirmatio eſt cauſa affirmationis; & negatio eſt cauſa negationis.* Quod Ariſtoteles tractat aliis verbis lib. 5. Top. cap. 3. nempe *Si quod ſecundum habitum dicitur, eſt habitus propriū, & priuationis id quod ſecundum priuationem dicitur, erit proprium.* Exemplo explicat doctrinam hoc pacto. *Vt quia viſus* inquit *eſt proprium videre ſecundum quod habemus viſum; erit cæcitatis proprium non videre, ſecundum quod non habemus viſum, nati habere.* Et pergit rem ipſam ampliùs declarare, aliis quoque ſimilitudinibus atque exēplis quæ ad rem noſtram maximè faciunt.

A. Doctor.

Ariſtoteles.

In animo nullam eſſe aliam vim motricem præter eam quæ organum ad motum animat; & cur. §. 2.

VErumtamen contrà videtur poſſe aduerſariis eſſe perfugium, ſi dicant cauſam in nobis cur potentia motrix ſit, non eſſe inſtrumenta illa corporea, ſed ipſam naturam ſubſtantiæ immaterialis finitę, quę debet de vno in aliū locum transferri poſſe. Ex hoc enim ſequitur, in tali ſubſtantia oportere ineſſe vim motricem ab intellectu & voluntate diſtinctam: Nam ſi debet ea ſubſtantia poſſe moueri; ergo per aliquam vim & facultatem motricem; cùm ſubſtantia actiua ex ſe non ſit proximè, ſed per facultates actuum effectrices. Debet autem eſſe diſtincta ab illa vtraque potentia: quoniam potentiæ di-

A ſtinguuntur ex actibus; Alioqui non eſſet cur poneretur voluntas ab intellectu diuerſa. Ergo cùm motus ipſe ſit virtus ab actu intelligendi ac volendi omninò diuerſus, potentia motrix neceſſariò erit ab intellectu ac voluntate omninò diuerſa, quam etiam cauſam dicent in Angelis poſſe reperiri.

Attamen aduerſus hanc reſponſionem eſt, primùm quia falſum eſt quod obiicitur; nempe cauſam potentiæ motricis in homine non eſſe inſtrumenta corporea. Etenim nullam aliam Ariſtoteles aſſignauit cauſam lib. 3. de An. cont. 54. præter ipſum inſtrumentum & organū corporeum. Ait namque tria eſſe quæ ad animalis motum concurrunt. *Vnum quidem mouens*, nem-

B pe appetitum & bonum apprehenſum. Alterum *quo mouet*. Tertium *quod mouetur*; quod ait eſſe animal. Id verò quo mouet ait eſſe inſtrumentum corporeum. Ergo non aſſignat facultatem diuerſam ab ea, qua formaliter eſt inſtrumētum in ratione inſtrumenti, quam diximus eſſe vim motricem.

Deinde contra eam reſponſionem eſt. Nam ſi haberet aliquam aliam vim, pręter eam quam in corporeo organo habet animus, duplex eſſet vis motrix in animo. Vna quidem quæ forma eſſet organici corporis; vt potentia videndi, &c. Altera verò quæ à corpore auulſa eſſet; vt intellectus ac voluntas, ac proinde quæ animum à

C concretione corporis abſtractum comitaretur, vt intellectus. Hoc autem apertè falſum eſſe, dupliciter patet: Tum quia eadem ratione duplex deberet poni intellectus; vnus quo intelligeret dependenter à phantaſmate; alter, quo intelligeret per ſe, &c. Tum quia eadem vis motrix, quæ ad ipſum animum eſſet, poſſet quoque mouere corpora animo externa. Nam eadē motrix vis in corpore & mouet corpus animo ſubiectum, & cætera corpora; vt eadem vis mouet impulſu manum, & corpus quod manu proiicitur. Vna etiam eadémque vis Angeli quæcunque ea ſit, mouere corpus poteſt & ipſum Angelum: Ergo non debent eſſe diuerſæ. Cer-

D tum autem videtur eſſe animum ſeparatum non poſſe mouere externa corpora; vt probat A. Doctor q. 117. a. 4. infrà. Ex eo enim quòd videmus animum non mouere niſi corpus *viuificatum*, vt loquitur ibi A. Doctor, *manifeſtum eſt*, inquit ipſe, *quod ab anima ſeparata nullum corpus viuificatur, vnde nullum corpus obedit ei ad motum localem.* A. Doctor.

Ex eo igitur quod non habet vim in corpore motricem, diuerſam à motrice virtute quæ organis inſidet; nego talem aliam vim in animo à materia ſeiunctō. Vnde etiam eſt, vt fortaſſis opinione A. Doctoris nulla prorſus ſui mouendi vis naturalis ſit in animo ſeparato, quia nec in corpore erat. Quare animorum apparitiones

E non tribuit animis ipſis; ſed virtutibus extrinſecus adhibitis; vt patet ex q. 89. a. 8. ad 2. infrà; & clariùs in 4. d. 45. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 3. vbi diuinæ diſpenſationi aſcribit; quod animi quandoque hominibus ſe viſendos præbeant.

Quocirca tertiò falſum eſt ſequi, vt dicebat obiectio, in ipſo Angelo eſſe vim motricem diuerſam ab eius intellectu & voluntate, ex eo quòd poteſt mouere ſeipſum. Nam ſi poteſt mouere ſe ipſum imperio ſuæ voluntatis, vt oſtendimus; ergo vis & efficacitas in actu imperij eſt, non in aliqua alia vi & facultate repoſita eſt. Sicut etiam in hominis animo cùm mouet vim motri

motricem, vt operetur & moueat suos spiritus, in actu imperij quo homo vult attollere crura vel brachium, &c. sita illa vis est.

Quod etiam apparet in iis, qui Regi obediunt, &c. licèt vis tota physica non sit. Mouentur namque non ab alia vi, quàm ab efficacitate eius actus, quo Rex ita faciẽdum iubet. Quamobrem cùm dicitur in ea obiectione: potentiæ distinguuntur ex actibus, concedendum omninò est tanquam certissimum Philosophorum axioma; sed tamen nego illud posse moueri esse potentiam Angelis inditam. Etenim vis illa seu efficacitas, vt diximus proximè, residet in actu imperij, vnde motus existit efficiẽter. Quamuis remote non sit negandum esse in intellectu & voluntate, in quibus illi imperij actus tanquam in origine radicantur, & à quibus eliciuntur.

Actus voluntatis necessariò prouenire ex potentia quæ sit propensio ad bonum cognitum.

§. 3.

Quod si quis hoc posito diceret sequi, nullam esse potentiam voluntatis, eò quòd actus voluntatis efficienter esse possunt ab actibus intellectus: hoc autem esse absurdum, vniuersæque Philosophiæ aduersari; respondendum est primò, id non sequi in humana voluntate, quæ causa libera esse debet non necessaria. Actus autem intellectus quia est vnius obiecti, determinatus est ad vnum, ac proinde necessaria causa esse: Ergo alia facultas esse debet. Verùm quia idem argumentum fieri posset de imaginatione comparatè ad naturalẽ necessariùmq; appetitum, in quo non est huiusmodi libertas: Respondendum est secundò, huiusmodi siue intellectus siue imaginationis actibus non esse tribuendam tantam efficacitatem, vt possint elicere actus appetitus efficienter. Nam actus intellectus seu cuiusuis alterius potentiæ cognitricis simplices quædam repræsentationes seu imagines obiectorum sunt: Ergo efficaciam non habent in actus appetitus producendos. Ob similem namque rationem supra q. 12. a. 2. negauimus etiam ex sententia A. Doctoris species impressas in actus intellectus, hosque in actus voluntatis habere vim vllam effectricem.

Deinde actus voluntatis, vt optimè docet A. Doctor infra q. 105. a. 4. & q. 106. a. 2. nihil aliud sunt quam quædam propensiones in bonum generatim; & similiter actus cuiuscunque appetitus in bonum sensus. Ergo prouenire eos oportet ex quadam simili propensione, quæ generatim sit propensio quædam in illa omnium actuum bona. Sicut enim actus intellectus, quia sunt circa ens, generatim proueniunt ab vna potentia, cuius obiectum sit ens: Ita & actus voluntatis, quia sunt circa bonum propensiones quædam determinatæ, ab vna facultate quæ generalis propensio sit, ad omne bonum procedere necesse est.

Confirmatur, quia vel ante omnes actus appetitus est propensio in bonum sensus in brutis, aut nulla est. Si secundum dicatur; Ergo natura sentiens ex se in actu primo, non propendet in bonum sensibile, nec magis quàm lapis, cuius non est sentire suum bonum. Quod planè ab- A surdum est. Nam idcircò natura sentiens mouetur a bono per imaginandi actum proposito ex parte cognoscentis; quia illud propensioni naturæ sentientis conforme est. Alioqui nulla esset ratio, cur natura sentiens à bono moueretur potius quam a malo, cum tamen certum sit malo deterreri naturam sentientem, non allici. Et ideò vt probat A. Doctor, suprà q. 19. a. 9. & infrà q. 103. a. 8. nullus appetitus est ad malum. Vnde bonum est quod omnia appetunt; hoc est, ad quod solum omnis natura propendet tanquam in sibi conueniens; vt docet Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 1. & A. Doctor 1. 2. q. 8. a. 1. ibique explicant commentatores. Si dicatur primum; Ergo natura sentiens est inclinatio ad bonum in B actu primo; Vel ergo substãtialis est inclinatio, vel accidentaria. Non substantialis; quia ipsa substantia est indifferens ad omnes actus: & ob id determinatur per suas formales potentias, vt potiùs in hoc bonorum genus propẽdeat, quàm in aliud. Præterea ipsa substantia non est formalis ordo ad accidens; nempe ad actus quibus bonum appetitur, vt suprà ostendimus, ne perfectius referatur ad imperfectius: Ergo debet esse accidentaria: Hanc autem dicimus esse appetitũ, qui nihil est aliud, nisi propensio ad bonum & conueniens naturæ suæ. Quamobrem huiusmodi propensio debet differre ab ipsa potentia cognitrice; cuius non est potiùs inclinare ad obie- C ctum bonum, quàm ad malum, quia ad vtrumq; perinde se habet, modò vtrumque rectè cognoscat. Hinc est vt appetitus sentiens proprio speciali organo insideat: nempe cordi, vt docet A. Doctor q. 26. de Ver. a. 3. corp. Ex eo enim incipit concupiscentia & ira &c.

Denique diuersitas rationis facilè assignari potest, cur ascribamus actibus voluntatis peculiarem potentiam effectricem, motibus verò secundum locum non item in Angelis. Est autem diuersa ratio huiusmodi: quia scilicet motus in Angelis necessariò per se subduntur imperio voluntatis Angelicæ, à quo dependent omnes: sicut & motus corporum, quæ ad Angeli nutum D mouẽtur: Ergo ab illo imperio produci possunt. At actui intellectus non subduntur actus voluntatis. Actus namque intellectus præcisè ab actu voluntatis efficacitatem non habet. Neque enim solus actus intellectus est imperium, vt docet A. Doctor 1, 2. q. 17. Ergo actus voluntatis non subiacet imperio intellectus: sed in ratione actus imperantis includitur: Ergo ab eius efficacitate produci non potest. Quare ab eodem actu intellectus sicut motus pendere nõ potest. Quẽadmodum enim potentia motrix in corpore, quia à motu voluntatis pendet, à voluntate determinatur vt motum eliciat: cæteræ verò potentiæ, vt nutritiua &c. quia ab ea non pendent, E ab eadem non determinantur: Ita & motus, quia pendet ab imperio voluntatis, effici potest in ipsa Angelica substantia: non verò cæteri actus, qui suas potentias à quibus eliciantur efflagitant necessariò.

Motum Angeli esse actum vitalem mediatè. § 4.

At dicet aliquis: Ergo motus non habet aliam in Angelo effectricẽ causam, præter eius volũtatis nutũ atq; imperiũ: Ergo non erit actus

actus vitalis, quia non recipitur in principio eliciente; nempe in illo imperij actu. Respondetur veram esse primam consecutionem; nec tamen inde vllum consequi absurdum. Vnde ad aliam consecutionem dicimus, illum motum esse quidem actum vitalem mediatè, non proximè; quia scilicet non est à vita nisi mediatè per actus vitales. Quare consentaneè addimus, non recipi in vita; hoc est in principio eliciente, quod sit vita secundaria; vt est intellectus, voluntas, &c. licèt recipiatur in vita, quæ est substantia & principium vitæ primarium. Hinc etiam patet, ipsum motum nõ habere principium à quo eliciatur, nempe facultatem animi nisi mediatam; nempe vtramque facultatem ex qua oritur imperium, quod est actus tum intellectus tum voluntatis, vt dictum est.

Neque hinc inferri rectè potest sequi, concedendam esse in ipsa substantia Angelica potentiam receptricem motus. Cùm enim ipsa sit potens moueri: Ergo in ea est potentia & capacitas ad motum: Hoc inquam non sequitur. Nam non omne in quo potest esse aliqua forma, est potentia ad illam. Hoc namque patet euidenter in ipsa eadem substantia Angeli. Quamuis enim possint in ea esse potentiæ intellectus & voluntatis; non tamen ipsa est potentia formalis earũ receptrix, ne perfectius referatur ad ignobilius tanquam ad finem, vt suprà fusè à nobis ostensum est. Quamobrem, vt ibidem diximus, non alio modo substantia Angeli ad suas facultates est potentia, nisi quia illæ possunt esse in ipsa; ideóque intelligitur à nobis referri tanquam subiectum ad suam formam; vt ibi explicatum est. Pari ergo ratione eadem Angeli substantia erit potentia receptrix motus non formaliter; sed vt ita dicam, denominatiuè, quia ipse motus potest esse in illa; sicut ex Aristotele ibi diximus, mensurabile denominari potens subiici mensuræ; non per realem eius potentiam ad mensuram; sed quia mensura illi applicari potest. Legenda sunt ea, quæ ibi à nobis explicata sunt. Nec plura de hoc argumẽto. Vt autem respondeatur ad primam eius confirmationem; sit

QVARTA DIFFICVLTAS,

In qua respondetur ad primam eiusdem secundi argumenti confirmationem, disseriturque an in Deo distinguenda sit omnipotentia vltra intellectum & voluntatem.

COlligitur tertiò ex eadem illa propositione primæ difficultatis eo pacto probatæ, nec nostræ sententiæ officere, quod in eius secundi argumenti prima confirmatione adduximus, in eadem prima parte rationis dubitandi; nempe in Deo qui est purissimè immaterialis, esse alias potentias præter intellectum & voluntatem; nempe omnipotentiam, decretorum diuinæ voluntatis executricem, ratione ab intellectu & voluntate distinctam.

Ex dictis enim manifestè sequitur, talem potentiam ratione in Deo distinguendam nullo modo esse; quia vt de Angelis hactenus philosophati sumus, imperia voluntatis; intellectúsq; diuini, satis sunt ad rerum effectiones absque A vlla potentia executrice. Quam sententiã tuentur noster Molina q. 25. a. 1. Disput. 2. & noster Gabriel Vasquez p. p. disput. 102. cap. 5. Scotus, Caietanus, Ferrariensis & alij apud ipsos.

Molina. Vasquez. Scotus. Caietanus. Ferrariensis.

In Deo non esse distinguendam omnipotentiam ab intellectu & voluntate etiam ratione ratiocinata. §. 1.

PEculiaribus autem argumentis probari potest, B primò auctoritate A. Doctoris, qui q. 25. suprà a. 1. ad 4. hanc sententiam expresse docuit in posteriore eiusdem argumẽti solutione. Quamuis enim in priore talem potentiam executricem ratione a cæteris distinctam in Deo fateatur his verbis: *Dicendum* inquit, *quod potentia non ponitur in Deo, vt aliquid differens à scientia & voluntate secundum rem, sed solùm secundùm rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principij exequentis id quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit*, &c. Quamuis inquam hæc ibi dixerit: Tamen quasi ea doctrina non fuerit contentus, posteriora consilia tanquã meliora complectitur his verbis: *Vel dicendum* inquit *quod ipsa scientia vel voluntas diuina secundum quod est* C *principium effectiuum, habet rationem potentiæ.* Ergo nihil aliud est potẽtia formalis in Deo, nisi actus intellectus ac voluntatis, qui efficax in rebus producendis est. Loquitur enim de potentia nõ secundum rem, sed secundum rationem formalem, qua à nobis intelligi debet. Vnde quemadmodum in priore solutione eam ab intellectu & voluntate distinxerat, non secundum rem sed secundum rationem; Ita in posteriore solutione eam ne ratione quidem ab illis scientiæ & voluntatis actibus distinguere voluit.

A. Doctor.

Ratione hoc ipsum probatur. Primò eo argumento, quo in præcedenti Corollario vsi sumus, ad negandam potentiam in Angelis motricem: D Nam potentia executrix ideò ponenda est in hominis animo, vt instrumenta quibus exequimur voluntatis imperium, animentur, vt diximus. Sed talia instrumenta nec sunt, nec esse possunt in Deo. Deo enim nullis opus est instrumentis vt eius imperata executioni mandentur: ergo non debet in eo poni potentia distincta ab imperio voluntatis.

Confirmari potest hæc ratio: quia si deberemus in Deo distinguere potẽtiam executricem ab eius imperio, id maximè esset, quia vel non possumus intelligere, immediatè eius voluntatem esse efficacem sine influxu eius potentiæ executricis; vel certè vt imperia illa connaturaliùs intelligamus in actum exire per interme- E diã illam potentiã. Necesse enim est, vt altera ex his causa talia attributa distinguamus. Alioqui si nec simpliciter nec cõnaturaliter necesse sit has potentias in Deo affirmare, nulla potest assignari ratio, per quam verè ac philosophicè Deo talia ascribamus attributa. Sed neutra ex causa has potentias rectè in Deo distinguimus: Ergo non sunt distinguendæ. Minor probatur euidẽti planè argumento.

Et primum quidem, quod possimus immediatè intelligere diuinam voluntatem efficaciter operari absque influxu intermediæ potentiæ execu-

executricis. Etenim hoc ipso quod Deus efficaciter intelligitur velle aliquid v.gr. Mundum, Mũdus absque vlla executrice potentia è nihilo existere debet: quia diuinæ voluntatis efficacitati omnia obtemperare debent. Alioqui voluntas illa non esset efficax; sed simplicis cuiusdam cõplacentiæ, cùm voluntas Dei efficax semper impleatur; vt probat A. Doctor suprà q. 19. a. 6. ibique commentatores omnes. Ergo non est necesse intelligat interponi inter actum illum efficacem, & efficientiam aliqua alia executrix facultas. Hinc dispar est ratio, cur in nobis facultas executrix intelligi debeat post actum nostrę voluntatis efficacem, non autem in Deo post suum actum. Nam voluntas nostra indiget ad effectus externos animato instrumento, sine quo ipsa proxime operari non potest; vt patet in omni opere artis, omníque impulsu corporum. Debet enim mouere, manus, brachia, pedes, & similia. Ergo vt antè dicebam, debuit in huiusmodi instrumentis inesse vis aliqua motrix. At diuinæ voluntatis actus his non habet opus instrumentis, quia infinitæ efficacitatis est; atque adeò per se sufficit ad omnes quoscunque effectus procreare velit. Ei namque omnia ad nutum parẽt: nec ens vllum est, quod possit voluntati eius obsistere. *Non est puta dum* inquit S. Augustinus libro 3. de Trinit. cap. 8. *istis transgressoribus Angelis ad nutum seruire istam visibilium rerum materiam, sed soli Deo* &c. Non ergo ex eo quod debet intelligi ista in Deo potentia executrix, rectè distinguimus huiusmodi potentiam ab intellectus ac voluntatis actu in Deo.

S. August.

Omnipotentiam in Deo distingui non oportere vt connaturaliter intelligatur operari, ostendit úrque huiusmodi potentias executrices excludi à diuinis perfectionibus. § 2.

IAm quod nec necesse sit nos eandem potentiam distinguere, ex eo quòd ea poni in Deo debeat, vt connaturaliter intelligatur operari, probatur facilè hoc pacto. Etenim omnipotentis voluntas nullo connaturali instrumento indiget ad rerum procreationes; quia ex se satis est, vt effectus existant, cùm ei ad nutum vt diximus, omnia parere debeant. Ergo per istam potentiam executricem non debet Deus intelligi connaturaliter agere. Quod etiam vt iam dicebam, ex rationis diuersitate inter nostrum agendi modum & diuinum magis roborabitur. Idcircò enim nos per potentiam executricem connaturaliter operamur, quia non satis est nostræ voluntatis actus, vt in res corporeas aliquid efficiamus; sed opus est instrumento & potentia executrice, applicante suis materiis seu subiectis patibilibus causas ipsas; sicut applicamus malleum clauo vt percutiatur, serram ligno vt secetur, & similia. At Deo non est necesse vt causa, nempe suæ voluntatis actus materiæ applicetur, quia ei nihil supponi debet vt agat. Immò etiamsi daretur aliquid supponi, non tamen per potentiam executricem causa effectrix patibili subiecto applicanda esset. Si quidem diuina voluntas vt dicebam, instrumento

A applicante non indiget; vt egestas nostra deposcit, cùm ei ad nutum seruiant omnia tam ea quæ sunt, quàm ea quæ non sunt. Vnde imperfectio est, vt ad effectus voluntas nostra executricem potentiam flagitet; quod à Deo remouendum est. Ergo neque ex eo quòd Deus intelligatur connaturaliter agere; debemus tales executrices potentias in ipso distinguere.

Denique huiusmodi potentias executrices à diuina perfectione excludi oportere, probatur ratione à priori, quam desumere possumus ex Aristotele libro duodecimo Metaphysices cont. quinquagesimoprimo, vbi loquens de Deo ait, ipsum *intelligere quod diuinissimũ, honorabilissimumque est*; ideóque Deum nihil cognoscere extra se. Aristoteles.
B Quod explicant Theologi & Angelicus Doctor quæstione decimaquarta, a. 5. & 6. vt omnia cognoscat quidem, non tamen nisi in se tanquam in speculo, vbi omnia relucent, eadémque ratione putant, Deum nihil velle extra se, hoc est, vt nihil velit, quod non velit in se ipso & in sua bonitate. Nam *sicut alia à se* inquit Angelicus Doctor suprà quæstione decimanona a. 2. ad 2. *intelligit intelligendo essentiam suam; ita alia à se vult volendo bonitatem suam.* Vnde ad 3. ibidem ait, ex eo quòd voluntati diuinæ sufficit sua bonitas, non sequi, nihil aliud velle, *sed quod nihil aliud vult nisi ratione suæ bonitatis. Sicut etiam intellectus diuinus, licèt sit perfectus, ex hoc ipso quòd diuinam essentiam* C *cognoscit; tamen in ea cognoscit alia.* Censet ergo Aristoteles & A. Doctor vnà cum præstantioribus Theologis, obiecta diuinarum facultatum esse oportere diuinissima. A. Doctor.

Ex hoc ergo loco sic formatur ratio. Cuicunque facultati diuinæ quia diuinissimæ sũt, oportet assignari diuinissima obiecta; Sed ei potentiæ executrici non possent assignari diuinissima obiecta. Ergo illa potentia executrix non est facultas diuinissima; hoc est, non est in Deo formaliter. Nam quodcunque formaliter est in Deo, ipsemet Deus est, ac proinde quid diuinissimum sit necesse est. Maior est certa ex dictis.
D Idcircò enim Aristoteles negat Deum cognoscere quicquam extra se, quia intellectui qua diuinus est, assignandum est diuinissimum obiectum, vt vidimus; & ideò ait: Si Deus extra se aliquid nosset, quod Deus non esset, fore vt ipse non intelligeret optimum ac diuinissimum, ideóque eius vilesceret intellectus: Quod ipse rectè absurdum arbitratus est. Vnde cùm sit eadem ratio de quacunque diuina facultate, quæ formaliter in Deo sit, idcircò vniuersalem illam Maiorem efferimus; nempe; Cuicunque facultati diuinæ quia diuinissima est, oportet assignari diuinissima obiecta. Minor patet, quia potentia ista executrix ideò ab intellectu
E ac voluntate diuina ponitur distincta, vt immediatè operetur, proximúmque sit principium rerum creandarum, ita vt intellectus obiecta in essentia diuina repræsentata voluntati proponat facienda, voluntas potentiam determinet vt operetur, potentia exequatur, immediatè operetur, procreétque res ipsas: Ergo eius obiectum immediatum est procreatio rerum, & ipsa procreationis vt ita dixerim executio. Quemadmodum accidit in nobis, cùm voluntas imperat potentiæ motrici motum, illa motum immediatè elicit; Sic enim apertè docent auctores aduersantis sententiæ; vt patet ex Durando in 1. d. 38. q. 1. n. 25. ex Suarez Durandus. Suarez.

rez disp. 30 Metaph. sect. 17. n. 45. Illa ergo potẽtia non haberet diuinissimum obiectum, quia haberet ipsam rerum creationem ad extra: quam immediatè exequeretur.

Qua in re assignantur huiusmodi potentiæ obiecta à voluntatis intellectúsque diuini obiectis longè diuersa: Etenim intellectus diuini sunt res procreandæ, quæ in essentia Dei tanquam in speculo relucent & intelliguntur. Cùm (vt diximus) Deus res cognoscat in seipso non in seipsis; vt cùm quis videt Petrum in speculo repræsentatum, non directè ipsum in seipso Petrum intuetur, sed secundariò, primariò autem in speculo. Nam *cùm essentia Dei* inquit A. Doctor suprà q. 14. a. 6. c. *habeat in se quicquid perfectionis habet cuiuscunque rei essentia alterius, & adhuc amplius: Deus in seipso potest propria cognitione cognoscere.* Ergo obiectum ipsum intellectus diuini est diuinissimum, etiamsi creatum sit, quia in Deo ipso cognoscitur tanquam in obiecto primario. Similiter aio de obiecto diuinæ voluntatis actuum: Actus enim volendi in illud obiectum prosequendum tendit, quod ab intellectu repræsentatur prosequendum; Sed ab intellectu diuino repræsentatur prosequẽdum in ipsa diuina essentia relucens: Ergo diuinæ voluntatis actus tendit in ipsum obiectum, quod in essentia diuina relucet; ac proinde non tendit in obiectum, quod extra essentiam, & in se ipso appetitur saltem primariò. At verò potentiæ executricis obiectum debet esse ipsa res extra Deũ facienda. Cùm enim ita se in Deo debeat habere ista potentia ad creationem, vt facultas motrix in homine ad motum, sequitur necessariò ipsam immediatè attingere creationem extra Deum: Sicut facultas motrix motum immediatè exercet in ipsa obiecta extra hominem. Immò vlteriùs sequitur, voluntatem diuinam præcipientem aduersariorum sententiâ solùm versari circa determinationem potentiæ executricis: hanc verò circa rerum effectiones immediatè atque primariò. Nam imperans, solùm est ad exequentem immediatè & primariò; exequens verò circa operationem etiam immediatè & primariò.

At inquiet aliquis: etiamsi detur non esse huiusmodi facultas in Deo formaliter ab intellectu & voluntate distincta; tamen non vitatur hoc inconueniens; Quòd scilicet saltem aliquis actus diuinæ voluntatis exequens, immediatè & primariò versetur circa rem creatam, ac proinde non habeat diuinissimum obiectum. Debet namque res creata tunc immediatè pendere ab aliqua causa exequente, quæ alia esse non potest nisi aliquis actus diuinæ voluntatis: Ergo hic immediatè & primariò versabitur circa rem creatam; atque adeò ei non assignabitur diuinissimum obiectum, eadem prorsus ratione, vt aduersarij dicebant de diuina omnipotentia. Respondetur actum voluntatis diuinæ exequentem, & quemcunque alium versari circa obiectum ab intellectu propositum, ideóque circa res primariò repræsentatas in diuina essentia; non autem circa res vt sunt in se ipsis; hoc est præcisè à diuina essentia & bonitate; vt dictum est. Negatur itaque argumento esse aliquem voluntatis actum immediatè & primariò versantem circa creaturam.

Quamobrem quamuis res creata immediatè pendeat à diuino illo actu efficaci; nego tamen ipsum immediatè & primariò versari circa ipsam rem creatam, quia non tendit in ipsam rem per propriam speciem repræsentatam, sed in diuina essentia relucentem: qua ratione voluntati diuinæ proponitur ab intellectu vt diximus. Neque eadem ratione dici potest ab aduersariis de diuina potentia. Hæc namque cùm sit potentia purè exequens; hoc est cùm nullum ei dandum sit munus, præter id quod est imperata exequi, ad res ipsas præcisè ab essentia vt in se sunt, tendit. Ergo primariò tendit ad illas, quia assignari non potest obiectum, ad quod primariò tendat. Idcircò enim potentia hæc ponitur, vt exequatur, résque operetur velut diuinum instrumentum, & quasi Dei manus qua res extra Deum ponitur: Ergo non vt res in Deo exequatur, nec vt tendat in ipsas res, qua in diuina essentia relucent, sed qua in seipsis sunt, fiúntque à parte rei. Quemadmodum artifex qui purè exequitur mandatum architecti, totus est ad opus quod efficit extra ipsum architectum, eiúsque Ideam; cuius non est inspicere rationes quæ in architecto sunt; sed quæ à parte rei existere debent. Vnde discrimen inter actum diuinæ voluntatis, quo nos dicimus fieri rem atque creari, & potentiam istam manifestè in hoc consistit: Quod actus ille tendit in diuinam essentiam seu bonitatem primariò, in qua appetuntur relucentes creaturarum bonitates: Secundariò autem in ipsas creaturas, non autem præcisè ab essentia, vt antè dicebamus: & hoc pacto eius nutu ipsa creatura existit extra causas. Quemadmodum si quis non cognoscat Socratem, nisi per suam imaginem, aut statuam; illa quidem cognitio non versabitur circa Socratem præcisè ab imagine, in qua relucentem Socratem nouit; sed primariò in imaginem illa cognitio tendet, secundariò autem in ipsum Socratem. Sicut etiam cùm quis vult pomum quà dulce, appetit dulcedinem primariò, pomum autem secundariò, quatenus particeps eius dulcedinis est. Pari ergo ratione Deus actibus suæ voluntatis primariò suam bonitatem vult, secundariò autem creaturas, quatenus suæ bonitatis participes. Sic namque Angelicus Doctor expressè docet Deum amare ac velle creaturas quæstione decimanona d. 2. Vnde ibi ad 4. ait Deum non velle alia se *nisi per vnum quod est bonitas sua.* At verò potentia Dei non tenderet in diuinum bonum, sed creaturas immediatè procrearet: quia ipsa solùm in executionem rerum vergit: neque enim intra essentiam Dei quicquam operatur, cùm operari sit extra Deum non in Deo.

Itaque vt fusè diximus quęstion. decimaquarta a. 5. & 6. non negat Angelicus Doctor, & qui cum eo sentiunt, diuinum intellectum & voluntatem tendere etiam ad res extra Deum; quia verè Deus eas amat, intelligit atque conseruat: Sed negat esse ad eas solùm & præcisè, vt sunt in se ipsis; hoc est vt non sunt in diuina essentia. Quemadmodum cùm intuemur Petrum in speculo, visus quidem tendit ad Petrum etiam extra speculum; quia illius colores & formas percipit, quæ sunt extra speculum: sed tamen non ita tendit in Petrum, vt simul non tendat in ipsum qua relucet in speculo, ac proinde non tendat in speculum tanquam in obiectum prima

primarium, in Petrum verò qui relucet in ipso, tanquam obiectum secundarium. Quod quidem generatim verum sit oportet in actibus diuinarum potentiarum, qui nec intelligunt quicquam aut amant ex creaturis, nisi cognitione & amore secundariis: quia harum potentiarum obiectum debet primariò esse diuina entitas & bonitas; vt loco citato ex instituto disceptatum à nobis est, videlicet q. 14. a. 5. & 6. & q. 19. a. 2. quo ar. ad argum. id perspicuè docet Angelicus Doctor.

Ex dictis non sequitur in Deo non esse potentiam rerum creandarum, quæ omnino in ipso concedenda est; sed solùm eam ratione non distingui ab intellectu & voluntate. §. 3.

EX his tamen dictis non sequitur, in Deo non esse potentiam rerum creandarum; immò & omnipotentiam quam omnes Scripturæ, Theologi, philosophique semper in Deo esse fatentur. Nos enim illud solum inficiamur, à Deóque remouemus; hanc scilicet potentiam ratione distinguendam esse ab intellectu ac voluntate diuina; idque hactenus probauimus argumentis nostris. Quamobrem dicimus illam esse in Deo potentiam rerum effectricem, quæ est principium eius efficacis actus, à quo res proximè habent esse. Hic autem actus est tum intellectus diuini, tum voluntatis: qui quidem proximè in suo ordine res attingunt; non tamen æquè simpliciter proximè: Nam actus intellectus præmonstrat voluntati faciendæ rei modum: accedente verò voluntatis consensu efficaci, tunc est completa atque absoluta rerum causa; vis atque potestas. Nam vt ait A. Doctor suprà q. 14. a. 8. corp. *Sicut scientia artificis se habet ad artificiata; sic scientia Dei se habet ad omnes res creatas; scientia autem artificis est causa artificiatorum, eo quòd artifex operatur per suum intellectum*, nempe ex eo quòd eius actio dirigitur; atque ita demonstrat voluntati rationem, modúmque rei procreandæ; vt scientia artificem dirigit. Est itaque actus intellectus. (A. Doctor.)

Rursus post intellectus actum intelligi debet accedere voluntas efficax, quæ intellectus indifferentiam determinet ad hunc potiùs quàm ad alium effectum: *forma enim intelligibilis* inquit ibidem A. Doctor *cum ad opposita se habeat, non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad vnum per appetitum*; *vt dicitur in 9. Metaphys.* cont. 10. *Vnde necesse est quod eius scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem coniunctam*; nimirum per quam intellectus ad vnum determinetur, & ita completur causa in ratione causæ effectricis. Quam ob rem ab A. Doctore scientia rerum causa dicitur *scientia approbationis*, propterea quòd scientia huiusmodi accessione & approbatione voluntatis, quæ ei intelligitur adiungi, fit rerum causa, non autem nuda & per se. Id quod meliùs & clarioribus terminis explicans q. 19. a. 4. ad 4. ita loquitur: *Vnius & eiusdem effectus etiam in nobis scientia est causa vt dirigens, qua concipitur forma operis; voluntas vt imperans; quia formatur in intellectu tantùm, non determinatur ad hoc quod sit vel non sit in effectu nisi per voluntatem.* Ergo est propinquior rerum causa voluntas quàm intellectus; si quidem voluntas adueniens intellectum determinat, efficacitérque in effectum tendit, tanquam vis quæ vltimò complet rationem causæ.

Iam ergo dicimus in Deo esse potentiam rerum effectricem; atque adeò omnipotentiam, quia est intellectus & voluntas, ex quibus actus illi existunt; qui omnium rerum causa effectrix sunt. Vnde non distinguimus, ne ratione quidem, diuinam omnipotentiam ab intellectu & voluntate, qua scilicet intellectus est dirigens voluntatem, & voluntas rerum est procreatrix; cùm eam dixerimus esse ipsum intellectum, & voluntatem; illum quidem regulantem; hanc verò determinantem, & in effectum suo modo proximè efficacem. Hoc autem probatur ratione à priori ex dictis. Etenim illa est omnipotentia, quæ est potentia omnium rerum effectrix per suos actus; sicut illa est omniscientia, quæ potest omnia cognoscere per suos actus; & sic de cæteris. Sed intellectus & voluntas diuina eo quem diximus ordine dispositi, sunt potentia omnium rerum effectrix per suos actus, vt probatum est: Ergo intellectus & voluntas diuina sunt omnipotentia; nempe completa & adæquata: Nam si inadæquate sumenda esset, posset omnipotentia dici tum intellectus, tum voluntas. Intellectus quidem tanquam causa remotior & dirigens; voluntas verò tanquam determinans ac proxima, & vnde efficacitas in effectus deriuatur. De qua re alibi suo loco fusiùs dictum est, nempe q. 19. a. 4. vbi id agit A. Doctor.

Ex his autem vlteriùs sequitur, non rectè Durandum loco citato, & quosdam recentiores qui Durandi sententiam tueri conantur, vt ostendant in Deo omnipotentiam esse attributũ formaliter ab intellectu ac voluntate distinctum, imperantis volũtatis executricem, sic argumentantur. Deus omnia extra se potest procreare atque efficere, eò quòd substantia infinita est: ergo est omnipotens qua substantia infinita est: ergo omnipotentia immediatè sequitur infinitatem substantiæ, ac proinde non est intellectus & voluntas, quæ oriuntur ex substãtia intellectuali, non qua infinitè perfecta est. (Durandus.)

Hos aio non rectè argumentatos esse. Non enim cuiquam in dubium verti potest, quin omnia diuina attributa Deo conueniant ratione suæ essentiæ; cùm certum sit, essentiam cuiusque rei esse ipsa prima prædicata, in quibus cæteræ proprietates, & quæ in aliis dicendi modis de ipsa re dicuntur fundari oportet. Omnipotentia igitur cùm sit quoddam Dei attributum, eiúsque veluti proprietas, debet sequi ex essentia Dei infinita. Sicut enim posse sequitur ex ipso esse; ita & potentia infinita ex ipso esse infinito, vt etiam confirmant Theologi suprà q. 25. a. 2. & 3. Vnde etiam concedimus omnipotentiam immediatè ex essentiæ infinitate nostro intelligendi modo consequi, cùm aliunde manare non possit intelligi. Attamen ex his confici non potest quod ipsi arbitrantur; nempe omnipotentiam non esse intellectum & voluntatem modo iam explicato. Esto enim ex ratione substãtiæ intellectuali qua intellectualis est, oriatur intellectus & voluntas: Tamen dico ex ratione substantiæ intellectualis infinita oriri omni

omnipotentiam; nempe vt sit talis intellectus & voluntas, quibus illa substantia omnia possit intelligendo & volendo; quia scilicet tales intelligendi ac volendi actus habere ipsa queat, vt eius arbitrio omnia immediate obsequantur, effluántque è suis causis eo pacto quo dictum est.

Ex his etiam vlteriùs deducimus duo. Vnum est nemini videri absurdum debere, si hoc omnipotentiæ attributum conflemus ex duabus veluti potentiis partiariis nostro intelligendi modo; nempe ex intellectu & voluntate. Nam cùm Deus extra se operatur, omnipotentiámque suam exercet, non operatur nisi qua liberè vult; ergo concurrere vtraque facultas debet ad illud opus; quia voluntas cognitione dirigi debet, vt B diximus: Ergo intellectus qua facultas dirigens est; & voluntas qua liberè efficacitérque velle potest, conflare omnipotentiam debent. Alterum est, omnipotentiam in Deo inesse necessariò non liberè. Ita vt omnipotentia non ideò sit quia Deus vult; sed ideò velit quia potest, vt loquitur A. Doctor suprà q. 25. art. 5. ad 1. Inest autem necessariò, propterea quòd posse dirigere practicè voluntatis diuinæ actum efficacem, & posse elicere huiusmodi actum efficacem, necessariò habet Deus, & ex natura Deitatis, licèt liberè eos actus exerceat dirigendo, & efficaciter volendo. Itaque licet omnipotentiæ actus secundus liberè à Deo exerceatur; tamen eadem C omnipotentia quo ad actum primum necessariò inest Deo. Sicut etiam licet voluntatis actus in nobis plerumque liberè eliciantur; non propterea tamen hinc fit, vt voluntas homini non insit necessariò. Atque ita responsum sit ad primam illius secundi argumenti confirmationem. Nunc vt satisfiat secundæ eiusdem secundi argumenti confirmationi, sit

QVINTA DIFFICVLTAS,

In qua satisfit secundæ eiusdem secundi argumenti confirmationi, differitúrque an in Deo concedendæ sint potentiæ ad actus notionales ab intellectu ac voluntate distinctæ.

Colligitur quartò ex eadem illa propositione, eo vt dixi pacto probata, quicquid sit vtrùm concedendæ sint Deo potentiæ ad actus notionales; non tamen concedendas esse in Deo vllas potentias etiam ratione distinctas, vltra intellectum & voluntatem; vt de quacúque natura spiritali hactenus probatum est. Probatur autem speciatim hoc ipsum de diuinis hisce potentiis hoc argumento; quia potentia generandi Verbum diuinum in Patre æterno; vt docet A. Doctor suprà q. 41. art. 5. nihil est aliud nisi natura diuina in Patre æterno. *Natura* inquit *diuina in Patre est potentia generandi in ipso*; vnde paucis pòst definiens eandem potentiam, seu potiùs explicans nomen potentiæ generatiuæ, ait, *potentiam generandi significare in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem* paternitatis; vt potentia ipsa sic definiri debeat; Est natura diuina subsistens in Patre. Quapropter ad 3. ibidem ait, *quantum ad essentiam quæ significatur* nomine A. Doctor.

A potentiæ *potentiam generandi esse communem tribus personis; quantum tamen ad notionem quæ connotatur, propriam esse personæ Patris.* Non ergo est aliqua facultas vltra intellectum, cùm sit ipsa natura diuina, relatio autem paternitatis sit ratio constituens formaliter personam Patris; vt patet tum ex eodem art. tum etiam ex q. 40. a. 1. & 2. Quibus in verbis obiter illud animaduertes lector, nec hîc nec alibi vsurpari ab A. Doctore nomen connotati, nisi cùm de consignificatione nominum agitur. Vt hinc intelligas, ibi non esse aut consignificatum aut connotatum, nisi vbi de signis qualia sunt ipsa nomina & similia sermo sit. Constat ergo potentiam generandi non esse aliquam in Deo potentiam à cæteris ratione distinctam. A. Doctor.

Neque est quod obiicias: Si potentia generandi est essentia diuina; ergo est in tribus personis: Aut certè; ergo essentia diuina in Patre distinguitur realiter ab essentia diuina quæ est in Filio, quia scilicet id quod est potentia generandi, distingui realiter oportet ab eo, quod non est huiusmodi potentia. At potentia generandi est essentia quæ est in Patre, & non est essentia quæ est in Filio: ergo essentia quæ est in Patre, distinguetur realiter ab essentia quæ est in Filio. Neutrum ergo aio obiici rectè posse. Non quidem primum: Nam vt ait A. Doctor in eadem responsione ad 3. potentia generandi simpliciter vtrumque inuoluit in sua notione; nempe & essentiam & paternitatem. quare si quoad vtrumque non sit in tribus personis; esto quoad alterum sit, non sequitur ipsam esse simpliciter in tribus personis. Qua ratione quia humanitas v. gr. inuoluit rationem tum animalis tum ratiocinantis, non sequitur si in equo est ratio animalis; ergo in equo est humanitas; idémque de cæteris dicimus. Ratio huius generatim est: quia quandocunque vnum constat ex duabus veluti partibus, non est ipsum totum hoc ipso quòd est vna eius pars, sed simul vtramque necesse est esse vt totum illud sit.

D Quod verò nec alterum sequatur, patet. Vt enim ait A. Doctor eodem art. 5. ad 1. Potentia generandi non significat ipsam naturam tanquam principium *Quod*; sed tanquam principiũ *Quo*. Constat namque Patrem æternum esse id quod generat, cùm actiones suppositorum sint; naturam autem esse id quo. *Per hoc ergo* inquit ibi A. Doctor *quod dicimus quod essentia diuina est principium quo generans generat, non sequitur quod essentia diuina distinguatur, sicut sequeretur si diceretur, quod essentia diuina generet.* A. Doctor.

Itaque negatur etiam secunda consecutio. Vnde ad eius probationem distinguenda est Maior propositio. Nam id quod est potentia generandi, esto distinguatur realiter ab eo quod E nullo modo est potentia generandi: Tamen quod est potentia generandi incompleta, non est necesse distinguatur realiter ab eo, quod etiam est potentia generandi incompletè: Natura autem diuina siue in Patre æterno, siue in Filio, est principium & potentia generandi incompletè, licèt non simpliciter: quia simpliciter est natura cum paternitate, siue, quod idem est, natura in Patre vt dictum est. Atque hæc de potentia generandi. Simili ratione philosophandum est de potentia spirandi; ita scilicet vt sit natura in Patre & Filio, tanquam in vno principio,

cipio, & vno Spiratore; vt docet A. Doctor supra q.36.a.4.præsertim ad 3.

Ne autem in hac re, in qua cautè accuratéq; loquendum est, vlla contingat deceptio; Notandum est, quod rectè ex Caietano obseruauit noster Gabriel Vasquez p.p.disputat.164.c.3.cum docuit A. Doctor potentiam generandi esse naturam diuinam, primariò non intelligi ab ipso proximum principium generationis; hoc enim est intellectus Patris; sicut voluntas Patris & Filij est proximum principium spirationis: de qua re Commentatores supra q 27.a.5. Sed intelligi de primo ac remoto principio, vnde nimirum nostro modo intelligendi manant illæ duæ potentiæ. Hoc igitur principium primum est natura diuina, ratione cuius, vt ante dicebamus, conueniunt Deo proprietates omnes quotquot de eo affirmari possunt. Caietanus. Vasquez.

Hinc etiam patet, si sermo sit de hoc principio seu potentia proxima, quo pacto de ea philosophandum sit. Simili namque proportione dicendum est, vtrumque esse principium, sempérque minus præcipue seu secundariò inuoluere relationes constituētes personas illas, quibus talis potētia seu principium attribuendum est. Vt ex gr. Si sermo sit de prima, tunc potentia generandi seu principiū primum sit ipsa essentia in recto, & relatio constituens personam in obliquo: nempe paternitatem vt diximus. At si sermo sit de proximo generandi principio seu de proxima potentia, tunc principium hoc & potentia sit ipse intellectus diuinus in recto: in obliquo autem eadem paternitas. Eadem ratione dico de primo aut proximo principio spirandi, habita proportione ad ipsum principium generandi. Vt scilicet primum ac remotum sit primariò natura in Patre & Filio, tanquam in vno Spiratore: secundariò autem sint relationes paternitatis & filiationis: Proximum verò sit primariò voluntas naturæ: secundariò autem eædem relationes constituentes. Patet ergo non esse multiplicandas in Deo facultates præter intellectum & voluntatem diuinam, etiamsi dandæ sint potentiæ generandi & spirandi: quod contendebat secunda confirmatio secundi argumenti, allati in prima parte rationis dubitandi initio huius difficultatis.

Quo pacto si paternitas in Patre æterno complet potentiam generandi, intelligi possit comparatè ad Filium. §.1.

NOtandum tamen secundò est, non obesse prædictæ nostræ doctrinæ quod diximus, nimirum paternitatem esse de ratione potentiæ generandi. Quamuis enim probè norim longam posse excitari difficultatem; quo pacto paternitas quæ cōparatè ad Filium dicitur, possit complere potentiam generandi, quæ prior Filio intelligi debet; Tamen huiusmodi difficultates ostendendum est cum nostra sententia non pugnare.

Conficio autem pro obiectione proposita argumentum sic; vt ei respondeatur in forma. Id quod priùs debet intelligi in se constitutum, nō potest intelligi constitui per aliquid posterius; A vt homo non potest constitui per risibilitatem. Sed potentia generatiua in Deo debet intelligi constituta prius, quàm intelligatur paternitas, quæ debet esse quid posterius ipsa potentia generatiua; ergo potentia generatiua in Deo non potest intelligi constitui per paternitatem, ita vt sit de ratione ipsius potentiæ generatiuæ.

Minor probatur, quia potentia generatiua est id quo generans generat filium; ergo debet intelligi priùs filio in ipso generante. Certum enim est, generans & producens præsupponi genito & producto. Vt enim docet A. Doctor q. 40. supra a. 4. *persona agens præsupponitur actioni.* A. Doctor. B Ergo multo magis genito ac producto; quod est posterius actione. Non potest autem generans præsupponi genito nisi ob rationē agendi; nempe ob potentiam generatiuam. Omnis namque causa ob rationem virtutemque causandi, prior est actione atque effectu suo. Et ideò A. Doctor De Veritate q.25.a.7.c. docuit *illud esse prius simpliciter ordine natura, quod est prius secundum illud genus causæ, quæ est prior in ratione causalitatis.* Vult ergo ob rationem causandi causam esse effectu suo priorem. Debet ergo generans & potentia generatiua priùs intelligi esse quàm genitum, ac proinde priùs ipsa intelligi oportet constitu- A. Doctor. C ta, quàm intelligatur in ipsa paternitas, quæ debet esse posterior genito; si quidem paternitas intelligitur generanti aduenire post genitum; cùm sit relatio quædam, quæ præexigit rationem fundandi, vt Logici loquuntur, quam nihil aliud esse constat, quàm præcessisse generationem. Ipse ergo generans constitutus in suo esse intelligitur, atque adeò habere in se potentiam generatiuam perfectam atque absolutam, prius quam intelligatur generare, & habere filium, eique accedere relationem paternitatis.

Huic igitur difficillimo sanè argumento respondendum pro viribus est, conandúmque ex his difficultatum anfractibus in apertum eruere veritatem. D Vt verò id faciliùs præstare possimus, afferam, breuiter tamen, quæ Durandus & quidam præstantes recentiores, ad quorum dicta puto non difficilè cæterorum sententias reuocari posse, scripta reliquerunt. Nam *non solùm* inquit Aristoteles lib.2.Met. cont.2. *illis agenda sunt gratia, quorum opinionibus quis acquiescit, sed illis qui superficie tenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam isti. Habitum namque nostrum exercuerunt.* Aristoteles. Quoniam verò difficultas tota in eo vertitur, vt ostendatur quo pacto paternitas, quæ vt diximus posterior est filio, constituat generantem, qui prior generatione ac proinde filio per potentiam generandi constitutus intelligi debet: E idcircò ad hoc argumentum: quod optimè vidit Scotus in 1.d.20.q.vn.§. *Ex secunda via* varia respondere Theologi conati sunt.

Respondet autem primò Durandus in 1. d. 26. q.1. & d. 27. q. 1. vtrobique ad argumenta, non esse necesse omne producens præsupponi producto: & ideò Patrem æternum non præintelligi productioni filij, nec priùs natura esse quàm filius. Durandus. Vnde ait ibi ad 2. personas diuinas non præintelligi ipsi generationi & origini, sed simul intelligi personam constitutam per relationem, & relationem, & originem. Ex his autem putat Durandus se satisfacere argumento, si neget has prioritates in diuinis, omniáque affirmet esse simul natura.

Verùm

Verùm hæc reſponſio admittenda non eſt. Nam primò ſi producens non eſt prius producto; ergo malè aduerſus Sabellium colligerent ſancti Patres, Verbum diuinum ab eius æterno Patre diſtingui, eò quod Pater eſt producens, Verbum autem productum, de quibus Patribus Gregorius de Valentia Diſp. de Trinit. q. 1. p. 1. §. 20. Si namque producens non neceſſariò præintelligitur producto; ergo idem poteſt producere ſe ipſum. Neque enim vlla alia aſſignari poteſt repugnantia, niſi quòd producens præſupponi debet producto, atque ita hæc duo inter ſe diſtingui neceſſe eſt. Vnde nec potuiſſet Sabellius Patrum argumento reuinci ex ea parte, qua ex diuinis Scripturis probabant Filium non eſſe idem cum Patre, propterea quòd ab eo genitus eſt. *Omne quod prodit ex aliquo* inquit Tertullianus librò aduerſus Praxeam cap. 8. *ſecundum ſit eius neceſſe eſt de quo prodit.* Deinde quia pater ideò eſt pater, quia iam genuit filium in creaturis, in quibus reſpectus patris non eſt niſi ad filium iam genitum. Illa ergo perſona quæ filium genuit præſupponitur relationi paternitatis iam conſtituta; quia ſecundum quod pater eſt, præſupponitur filium genuiſſe. Debuiſſet ergo Durandus modum hunc explicare. Denique quia vt ait A. Doctor ſuprà q. 40. a. 4. etiam in diuinis *perſona agens præintelligitur actioni.* Ergo priùs intelligi oportet perſona illa patris conſtituta, quàm intelligatur genuiſſe filium, ac proinde priùs quàm intelligatur habere paternitatem. Quod verò ait Durandus hæc omnia ſimul intelligi, non ſoluit argumentum. Si enim paternitas fundari debet in generatione tanquã in ratione fundandi, vt loquuntur Logici. ergo paternitas poſteriùs intelligi debet quàm perſona, quæ generationi ipſi præſupponitur tanquam eius actionis principium. Immò niſi ad diuina ex humanis analogicè procedamus, omnis omnino tollitur ratio inueſtigandi, quæ abſtruſa ſunt, lõgéque remota à ſenſibus. Ergo non rectè negat Durandus has ſecundum rationes, prioritates.

Gregor. de Valentia. Tertullian. A. Doctor.

Molina. Secundò ingenioſiùs reſpondet noſter Molina q. 40. a. 2. diſp. 2. mem. 4. ad 4. nempe producens debere eſſe prius producto, quandocunque productum eſt à producente per actionem ac mutationem intermediam; non autem ſi productum à producente ſolùm ſit tanquam à principio, à quo eſt aliud: qua ratione Filius eſt à Patre æterno. Arbitratur autem hic auctor, vt patet ex eadem diſputatione mem. 3. eſſentiam diuinam priùs ratione, quàm in ea perſonæ intelligantur, intueri ſe ipſam cognitione comprehenſiua; ex qua deinde eſſentia comprehendente ſeipſam reſultare noſtro modo intelligẽdi paternitatem, quæ eſt ipſa formalis generatio actiua. Qua paternitate ſimul cum eſſentia ita ſeipſam comprehendente ait conſtitui ſuppoſitum Patris. A qua perſona Patris, quæ conſtat ex generatione actiua procedit Filius, quem etiam docet conſtitui ex eadem eſſentia comprehendente ſeipſam & filiatione quæ eſt ipſa generatio paſſiua.

Itaque noſter Molina ſentit nullam intercedere actionem mediam inter Patrem & Filium, quæ ſit ipſa Filij productio, ideóque non eſſe neceſſe, Patrem licèt ſit producens, præintelligi generationi Filij. Quod ſi ab eo quæras, cur pater dicitur pater, ſi filium producere non intelligitur, cùm productio ſit ratio fundandi paternitatem. Reſpondet id eſſe verum in creatis: In diuinis autem rationem fundandi eſſe illam comprehenſionem circa eſſentiam; ex qua comprehenſione immediatè intelligitur oriri paternitas, non autem ex generatione. Atque hæc quidem ſubtiliſſimo philoſophandi genere dicuntur.

Attamen non deſunt argumenta, quæ hanc doctrinam impugnare validè poſſunt. Etenim primò arguere aduerſus illam poſſumus, quia negat in diuinis debere præintelligi producto producens. Hoc enim improbatur argumentis modò in Durandum factis.

Deinde quia Pater æternus producit Filium, non ipſa diuina eſſentia. A Patre enim Filius per productionem procedit, vt certum eſt, & patet ex ſymbolo *ex Patre natum*, &c. Ergo Pater præintelligi oportet ipſi productioni, quia vt ait Angelicus Doctor q. illa 40. a. 4. c. *Perſona agens præintelligitur actioni.* Prius namque eſt rem eſſe quàm agere, quæcunque ſit illa actio. Agere namque ſupponit eſſe à quo procedit. Ergo debet in ſua ratione intelligi poſterior ſuo principio eliciente; quemadmodum etiã in Deo priùs intelligimus ipſam Dei ſubſtantiam, quàm eius actionem intelligendi, eſſentialem, vt oſtendimus ſuprà q. 14. A. Doctor.

Præterea abſurdum eſt aſſerere, noſtro modo intelligendi non eſſe mediam actionem inter Patrem & Filium. Siquidem Filius verè producitur à Patre per veram generationem; ſicut Spiritus ſanctus verè producitur à Patre & Filio per veram ſpirationem; ergo per veram actionem intermediam; per quam ſcilicet perſonæ iſtæ procedunt à principio actiuo, vt patet ex A. Doctore q. 41. a. 1. ad 2. vbi etiam concedit veram actionem in diuinis, quam dicit eſſe *ordinem originis*, &c. Quæ etiam cauſa eſt, vt idem A. Doctor eadem q. a. 5. ad 1. docet, vt in Deo ſit potentia generandi; hoc eſt, principium actionis, nempe *ſicut id quo agens agit*, nimirum diuina natura. A. Doctor.

Immò ibidem a. 4. ad 3. diſertis verbis docet, eſſe in Deo potẽtiam actiuam reſpectu actuum notionaliũ, eò quòd in Deo diſtinguimus actionem à ſuo principio, non quidem re, ſed ratione. *Et ideò* inquit *reſpectu illarum actionum ſecundum quas aliqua res procedunt, diſtinctæ à Deo vel eſſentialiter, vel perſonaliter; poteſt Deo attribui potentia ſecundum veram rationem principij.* Eſt ergo vera actio & origo, ſeu via intermedia à perſona ad perſonam: Et ideò A. Doctor q. 40. a. 4. apertè docet vtrumque. Nam docet, perſonam præintelligi actui notionali, dum aliam perſonã producit, & eũdem actum cùm paſſiuè ſignificatur, *præcedere ſecundũ intellectum proprietates perſonarum procedentium; etiam perſonales.* A. Doctor.

Concedit ergo hos actus eſſe intermedios. Cuius etiam ratio eſt, quia actus præſupponit ſuum principium à quo eſt. Ex hoc autem axiomate, vt diximus, ſolùm oſtendi poteſt, nihil poſſe generare ſeipſum; & præterea debere eſſe viam aliquo modo ad ſuum terminum: ergo eſt prior ſuo termino: ergo intercedit inter principium & terminum, qui procedit à principio. Denique contra illam doctrinam eſt; Quia dum dicitur paternitas ſequi ex natura diuina comprehendente ſe ipſam, nõ philoſophatur auctor ex analogia ad res nobis notas. Nam perſonalitas naturæ non intelligitur in nobis *ſequi ex actio*

actionibus naturæ, sed supponi. Non enim hypostasis Petri v.gr. existit ex operatione Petri, sed potiùs eius operationibus supponitur; quia prius est esse suppositum quàm operari. Vnde & actiones ob hanc causam dicuntur esse suppositorum; de qua re A. Doctor. 2.2.q.58.a.2.& q.105.a.5. & 3. p.q.19.a.1.ad 3.& q. 20. a. 1. ad 2.& alibi sæpè. Sanè non assignatur ratio, cur ex illa comprehensione sequi debeat illa æterni Patris personalitas; cùm præsertim pòst à nobis ostendendum sit, ipsam ex diuinæ naturæ fœcunditate promanare oportere.

Vasquez. Suarez. Alij ergo respondent magis ad veritatem accedentes, vt noster Gabriel disput. 159. cap. 5.& noster Suarez lib.7.de Trin.cap.7. Patrem æternum dupliciter posse à nobis concipi; vel nimirum, conceptu proprio & distincto; vel conceptu confuso. Si primo modo intelligatur, negāt posse intelligi priùs quàm Filius, propterea quod simul cum Filio intelligi debet. Posse tamen priùs intelligi quàm Filius, si altero modo: v. gr. sub conceptu primæ personæ diuinæ improductæ, & à qua sunt aliæ duæ. Non repugnat autem tunc priùs intelligi hanc personam quàm Filius, quia tunc nec nominatur, nec intelligitur relatiuè ad alias personas.

Quod si ab iis quæras, cùm Pater intelligitur vt prima persona, num intelligatur secundum aliquam rationem positiuam qua constituatur an secus? Respondent, primam personam esse entitatem illam diuinam, quæ est Pater, cum negatione originis ab alia. Ea namque in diuinis est prima persona, quæ negationem originis habet ab alia; seu (quod idem est) quæ est ingenita, & inoriginabilis ab alia. Addit etiam noster

Vasquez. Gabriel, posse intelligi primam personam vt est potens ad generandum, quia huic notioni nihil repugnat. Hoc autem posito aiunt, producens non debere esse prius producto, secundum omnem rationem quæ in ipso est, videlicet etiam secundum rationem relatiuam. Nam nec causa qua causa est prior effectu, qua effectus, cùm sint correlatiua; vt etiam docet A. Doctor q. 43. a. 3. ad 2. sed satis est si sit prius aliqua alia ratione, quæ saltem concipi possit intellectione confusa, secundum prædicata iam dicta.

Hæc magnorum horum Theologorum responsio, vt dixi, magis accedit ad veritatem, & omninò probabilis videri debet. Eam etiam sub-

A. Doctor. indicauit A. Doctor eadem illa quæst. 40. a. 4. Ait enim *proprietatem personalem Patris posse considerari dupliciter, Vno modo vt est relatio*; & sic negat, posse concipi personam Patris sub ratione Patris prius quàm intelligatur genuisse, *quia relatio inquantum huiusmodi* inquit *fundatur super actum*; nempe generationis. Ergo significat personam Patris non posse concipi distinctè, vt patris, in aliquo priori rationis absque filio; quia pater vt sic intelligi debet relatè ad filium genitum. Rursus ibidem docet posse intelligi paternitatem vt formam hypostaticam, seu *secundum quod est constitutiua personæ*, vt ipse loquitur in corpore; seu, vt ait ad 1. secundum quod significat personam subsistentem: & sic ait, posse prius intelligi quàm filius; immò ait *præintelligi actui notionali sicut persona agens præintelligitur actioni*: Quod verum non esset, nisi pater intelligeretur sine ordine ad filium conceptu confuso; nam conceptu distincto vt diximus, prius quàm filius intelligi nequit.

A Verumtamen vt verum fatear, video non deesse argumenta, quibus hæc responsio facere nō potest satis. Etenim primò non sufficit. Cùm certum esse debeat producens debere intelligi prius producto, secundum rationes proprias & distinctas, non autem solùm secundum confusas. Nam secundum illud esse, debet intelligi prius, à quo productum procedit ac manat, vt rationale secundū quod rationale est, præintelligitur risibili; quia hoc pacto risibile manat ab homine, qua rationalis est; & sic de reliquis. Nulla namque alia est ratio, cur vnum præsupponi debeat alteri præter eam, quæ est origo & ratio, vnde illud alterum pendet; Vt quia in Deo æternitas procedere intelligitur ab eius immutabilitate, hæc

B secundum suam rationem propriam præintelligi æternitati debet; idémque in aliis dicimus. At Filius Dei procedit ac manat à persona Patris, non secundum rationes confusas & negationes, sed secundum quod verè & propriè habet suum esse per paternitatem, qua formaliter est prima persona. Quod etiam manifestum est ex Angelico Doctore; qui vt vidimus potentiam generatiuam constituit per ipsam paternitatem, licet secundariò vt diximus. Ergo secundum proprium esse paternitas præsupponi filio debet.

Confirmatur etiam hæc ratio; quia secundum eas rationes debet persona producens præsupponi producto, secundum quas ita necessariò

C antecedit producto, vt secundum illas non possit producens producere seipsum, vt antè dicebam. Sed producens necessariò antecedit producto secundum distinctas rationes, quibus constituitur eius potentia productiua & principium actiuum, ita vt secundum illas non possit seipsū producere; Vt v.gr. Petrus ita antecedit generationem Pauli, vt secundum hanc suam specialem differentiam, & hanc potentiam generatiuam, & cæteras similes rationes eius distinctas, vt secundum eandem ipsam nequeat seipsum producere; quia secundum illas generationi supponitur, non verò secundum alias. Ergo producens debet antecedere producto secundum suas

D rationes constitutiuas distinctè, non confusè tantùm.

Deinde, quia impossibile est intelligi aliquid constitutum sine suis principiis formalibus cōstituētibus. Hæc enim intimè in ratione cōstituti inuoluuntur. Ergo si Pater æternus constituitur per paternitatem secundum propriam rationem paternitatis in tali persona, impossibile est talem personam intelligi præcisè à paternitate; vt impossibile est intelligi calidum in esse calidi præcisè à calore, & hominē præcisè à rationalitate. Ergo si illa persona præintelligi oportet generationi, non intelligetur ipsa in eo priori

E præcisè à paternitate secundum propriam rationem paternitatis. Quòd autem pater æternus in esse patris & primæ personæ, constituatur per paternitatem secundum propriam rationem paternitatis, mitto probare, quia certum est, quascunque alias rationes aut non esse principia formalia personam constituentia, aut esse prædicata absoluta, totique communia Trinitati, vt ponimus ex quæst. 40. a. 2. Aliter igitur argumento faciendum est satis.

* * *

Producens

Producens intelligi priùs producto & quo modo id in Patre æterno sit verum, cùm Paternitate constituatur in esse Patris.

§. 2.

AD solutionem ergo huius Difficultatis Notandum tertiò est, omnes ferè Theologos in hoc consentire, quòd producens prius producto intelligi debeat; propterea quòd prius sit rem esse quàm operari. Idcircò si Durandum excipias, omnes in Patre æterno conantur aliquid assignare, secundum quod prius intelligi quàm filius possit. Id præter auctores citatos docuere Caietanus suprà q. 40. a. 4. ad 2. dubium, vbi ait; paternitatem considerari posse dupliciter, Vel primò, vt intelligitur sub expresso conceptu paternitatis; non autem vt exercet munus relationis; hoc est, vt non exercet actum referendi ad filium: Vel secundò, vt huiusmodi munus exercet; Et primo quidem modo ait Patrem constitui paternitate, & præintelligi filio, quia paternitas eo modo intellecta terminum filium non poscit; secus, secundo modo. Quo posito conatur argumentis Scoti respondere hoc ipsum extorquenti. Vix ab eo differt Canariensis quæstione quadragesima a. 2. & alij. Ferrariensis quoque 4. cont. Gentes cap. 26. §. *Sed hac interpretatio* docet ex Capreolo in 1. d. 26. quæstione prima a. 2. ad 1. Scoti, ex iis quæ tertio loco adducta erant; relationes diuinas exempli gratia paternitatem duo includere. Primum quidem aliquid absolutum. Nam relatio diuina est forma, qua constituitur persona subsistens & incommunicabilis; quod absolutum est non relatiuum. Alterum verò est ipsa ratio relationis, qua Pater æternus ad Filium refertur. Ait autem priore modo Patrem constitui; & sic priorem Filio intelligi; non autem posteriore. Idē docent S. Bonauent. in 1. d. 27. 1. p. d. q. 1. & cæteri Theologi vt aliàs diximus ex instituto.

Caietanus. Canariensis. Ferrariensis. S. Bonauent.

Quæ etiam est aperta sententia A. Doctoris q. 40. cit. a. 4. vbi propterea docet dupliciter considerari posse paternitatem, vt vno modo ostendat priùs Patrem intelligi posse quàm Filium, *quia persona agens præintelligitur actioni*: Et hanc sententiam noster Gabriel Vasquez vbi suprà cap. 5. dicit esse communem. Et meritò, quia *operatio consequitur virtutem, sicut esse principia essentialia* inquit A. Doctor in 2. d. 15. q. 3. a. 1. ad 2. Dixi tamē priùs intelligi; si quidem sermo est de priori secundum rationem nostram, non de priori secundum durationem realem ex natura rei. Constat enim *in Trinitate nihil esse prius aut posterius; sed omnes tres personas coæternas sibi esse, & coæquales*; vt patet ex Athanasio in Symbolo. Immò nec loquimur de prioritate naturæ, si hæc tantùm sit inter causam & effectum; quia certum est, Patrem non propriè esse Filij causam. Sermo ergo est de prioritate secundum rationem.

A. Doctor. Vasquez.

Verùm quoniam omne quod est prius ratione, & cogitatione nostra alteri præintelligitur, oportet sit priùs secundum aliquam ipsius rei rationem seu prædicatum; ideò videndum est, secundum quam rationem Pater æternus debeat esse seu intelligi prius Filio. Qua in re obseruari

A oportet, id quod alteri præintelligitur, seu quod est prius ratione quam alterum, debere ipsum ita prius altero intelligi, vt in sui cognitione & notitia non debeat simul cum illo altero cognosci, sed ita priùs cognosci debeat, vt eius cognitio abstrahat, vt aiunt à cognitione illius alterius; licèt hoc ipsum alterum non abstrahat ab illius prioris cognitione; vt ex. gr. quia substantia est ratione prior accidente, vt docet Aristoteles lib. 7. Metaphys. cont. 4. debet posse cognosci substantia absque accidente, licèt non cōtrà; Vt homo absque risibili, &c. licet risibile non cognoscatur absque homine.

B Ratio huius est ex definitione prioris, quam tradidit Aristoteles lib 5. Metaph. c. 11. cont. 16. Illa namque sunt priora aliis *quæcunque contingunt sine aliis esse; ista verò sine illis minime.* Vnde si secundum tempus priora sunt, tempore præcedere debent ea quibus priora sunt; vt Plato prior fuit Aristotele; si secundum naturam, natura quoque anteire oportet; si ratione, ratione: & sic de cæteris. Itaque oportet quod ratione prius alio est, ratione illud ipsum antecedere; hoc est, intelligi absque illo alio posse, non contrà. Ex quo consequens quoque est; vt si quid prius ratione sit alio secundum aliquam formam aut prædicatum, illud prædicatum quod est prius, C intelligi possit secundum illud ipsum prædicatum seu formam prius quàm alterum intelligatur. Vt exempli gratia. Si substantia sit prior ratione secundum existentiam quàm accidens; debet substantia intelligi prius esse seu existere, quàm intelligatur existere accidens; & sic de aliis.

Aristoteles.

Ad rem ergo propositam reuertentes dicimus; quoniam Pater æternus, qui Filij principium est, ipsúmque producit, debere priùs secundum aliquam eius rationem seu prædicatum præintelligi filio, hoc est absque eo quòd intelligatur Filius, & videndum est quo pacto.

D Pro qua re declaranda non est ignorandum, aliud esse quærere, Vtrùm aliquid sit prius alio secundum esse actuale, id est secundum existentiam; aliud verò secundum alias rationes, quæ in ipso sunt præcisè ab ipso esse actuali & existentia. Nam potest quidpiam esse prius secundum esse actuale eius proprium, non tamen secundum rationes & prædicata quidditatiua. Id patet in multis: sed nunc pauca exempli gratia seligam. Prima namque materia, quæ est formæ potentia receptrix, prior est forma cui præsupponitur: vt expresè docet Aristoteles in eodem cap. 11. citato & ideo libr. 1. Physic. cont. 52. ait, subiectum esse prius prædicato; Certum tamen est eandem materiam secundum sua essentialia E non esse priorem forma, nec posse intelligi priùs quàm forma, cùm simul intelligi vtrumque oporteat; si quidem correlatiua sunt inter se, vt docet Aristoteles lib. 1. Physic. contex. 26. Ergo secundum essentiam vicissim ita dependent, vt alterius essentia absque altera intelligi nequeat. Bene tamen ipsa materia prior est secundum esse quàm forma: quia esse materiæ & subiecti præintelligi debet, & prius quàm esse formæ in ipsa, cùm esse formæ in seipsa dependenter ab esse materiæ sit. Id ipsum patet in potentiis actuum elicitiuis. Potentia enim videndi præexistere oportet suis actibus; nēpe visionibus, & potentia audiendi suis &c. nulla tamē potētia essentialiter, & secundū prædicata quid-

ditatiua intelligi potest sine suis actibus, quia comparatè ad actus intelligi necesse est, à quibus speciem ac definitionem sumit.

Eodem igitur modo de producente dicendum est. Cùm enim intelligi priùs producto debeat, hoc non est accipiendum quocunque modo, & quoad quæuis prædicata illius, sed quoad esse atque existētiam eius propriam: propterea quòd vt antè dicebamus, prius est esse quàm operari; & ideo persona agens vt loquitur A. Doctor vbi suprà; præintelligi debet actioni. Vnde nō est necesse vt præintelligatur producto secundum alia ipsius prædicata, si præsertim sint relatiua ad ipsum productum; vt de potentia videndi respectu visionis dicebamus.

Hinc manifestum est, quoniam Pater æternus qua Pater est, relatiuus ad Filium est, quia pater est filij pater, vt docet Aristoteles in prædicamento ad aliquid, non posse ipsum Patrem æternum vt patrem intelligi prius quàm Filius; quod etiam docet expresè A. Doctor suprà q. 42. a. 3. ad 2. Si ergo est prius, debet alio modo prius intelligi, nimirum secundum esse. Si enim priùs intelligi debet, aut ergo secundum essentiam aut secundum existentiam. nego namque quicquam dari tertium in hoc proposito. Si ergo Pater æternus non est prior secundum essentiam, debet esse prior secundum existentiā: quemadmodum etiam priora sunt suis actionibus, & iis quæ producuntur, cætera producentia. In eo enim quòd producentia sunt, præsupponi ac intelligi debet ipsorum esse, antequam intelligatur eorum quæ producuntur esse.

Id quod manifestè videtur asseruisse A. Doctor in ea q. 40. a. 4. cùm docuit Paternitatem diuinam antecedere actui notionali, ac proinde ipsi Filio, secundum quod est constitutiua personæ patris, licèt non possit præintelligi vt relatio: Hæc autem vera esse non possunt de Paternitate vt personæ constitutiua, siue secundum prædicata absoluta, siue secundum prædicata propria ipsius Paternitatis qua paternitas est. Non enim absoluta prædicata constituunt personam, quia absoluta communia sunt toti Trinitati; quod nunc supponendum est ex dictis in materia de Trinitate.

A. Doctor. Quo pacto A. Doctor de Pot. q. 9. a. 4. *Distinctiuum* inquit *incommunicabile in natura diuina non potest esse nisi relatio, quia omne absolutum est commune & indiuisum in diuinis.* Ergo Paternitas secundum rationes absolutas, non est constitutiua personæ. Nec secundum prædicata propria paternitatis qua paternitas est, abstrahendo ab existentia: quia prædicata paternitatis propria qua talis est, sunt relatiua ad filium. Ergo non possunt priùs intelligi quàm filius, quia simul cum illo intelligi debent; vt etiam fatetur A. Doctor ibidem. Ergo solùm remanet vt præintelligi debeat secundum esse, quod in aliquo priori constituit patrem, & præsupponitur actui notionali, ipsique filio ita vt pater intelligi debeat esse prius, quàm intelligatur esse filius. Dico priùs quàm intelligatur esse filius, non autem simpliciter quàm intelligatur filius: Comparo enim, non quidem esse Patris cum filio simpliciter, sed cum esse eiusdem filij vt dictum est.

Sed hoc totum confirmatur magis ex verbis A. Doctoris eodem art. quia dicit debere præintelligi Paternitatem ipsi productioni, vt persona agens præintelligitur actioni. Constat autem in doctrina A. Doctoris, agens præintelligi actioni secundum esse actuale, quod ipsi actioni præsupponitur: est enim frequentissimum axioma apud ipsum *Agens agit in quantum est actu.* Quo pacto ostendit Deum præexistere omnibus rebus suprà q. 2. a. 3. Deúmque habere perfectiones omnium rerum q. 4. a. 1. Sic etiam in Deo esse principium actiuum q. 25. a. 1. denique animam coniunctam corpori intelligere depēdenter à phantasmate, separatam verò independenter; eò quòd modus operandi sequitur modum essendi q. 89. infrà a. 1. & alibi sæpissimè. Quod axioma est etiam Aristotelis lib. 8. Phys. cont. 40. Vbi ex hoc probat, nihil in seipsum agere posse actione vniuoca, & alibi. In qua etiam re conueniunt omnes, qui eodem loquendi modo vsi sunt atque A. Doctor vsurpauit ad hæc ipsa probanda.

Ex his respondendum est argumento, quod attulimus initio secundi Notandi. Nam concessa Maiore, negatur eius Minor, quoad vtramque partem. Nempe potentiam generatiuā Dei priùs intelligi constitutam quàm paternitas in ipso Patre intelligatur; & paternitatem ipsam esse quid posterius. Ad eius probationē respondeo, concesso antecedente distinguendū est consequens. Nam potētia generatiua debet quidem intelligi esse in Patre prius quàm Filius esse intelligatur; quia vt diximus, actio præsupponit esse sui principij: non tamen debet priùs intelligi secundum alia prædicata ipsius paternitatis, qua paternitas est, abstrahendo ab existentia, quia hæc vt etiam diximus, intelligi debent relatè ad filium: ergo non priùsquàm intelligatur filius. Qua distinctione posita refelli debent omnes illæ propositiones, quæ ad eandem Minorem confirmandam ibidem afferuntur.

Concedimus enim & potentiam generatiuā, & ipsum genitorem præsupponi, quoad suum esse prius quàm intelligatur productio & productum esse à parte rei. Hæc namque præsupponūt esse producentis, vt id quod agit actu præexistat, & ideò prius eius esse intelligatur; semper tamen ita intelligi debeat, vt comparatè eius ad filium paternitas intelligatur; sicut etiam de potentia visiua dicebamus; ipsam scilicet priùs esse quàm visio fit, non tamen sine ordine ad ipsam visionem quæ possit esse. Vnde sicut vera est hęc propositio; nempe potentia visiua secundum esse præsupponitur visioni secundum esse, quia comparatur esse potentiæ ad esse actus; & secundum hoc prædicatum priùs est ipsa potentia visiua quàm visio fit: Ita falsa est hæc propositio; nempe potentia visiua absolutè secundum sua prædicata specifica est priùs, & priùs intelligitur, quàm visio; quia scilicet cùm eius essentia sit ad actum relatiua, non potest intelligi nisi relatè ad actum. Itaque Pater æternus constitutus per paternitatem, prius esse intelligitur, quàm filius esse intelligatur, licèt non intelligatur nisi comparatè ad filium; non quidem qui in eo priori esse intelligatur, sed abstrahendo ab esse, & ideo ad filium secundum se.

Hinc quoque vlteriùs colligitur, priùs intelligi Patrem æternum esse, quam operari intelligatur. Nam vt optimè docet Marsilius in 1. q. 10. a. 3. ad 1. quem etiam refert noster Vasquez Disput. 159. cap. 3. num. 8. priùs intelligitur constitutus pater sua paternitate esse, quàm intelligatur Marsilius. Vasquez.

A.Doctor. gatur generare,& generari filium ; vt etiam docet A.Doctor in eo a. 4. q. 40. præsertim in argumento *Sed contra.* Vbi quia generatio est operatio personæ Patris, ait prius esse secundum intellectum paternitatem,quam generatio. Vnde in articuli corpore *oportet* inquit *quod præintelligatur relatio actui notionali,sicut persona agens præintelligitur actioni:*. Relatio inquam vt est constitutiua personæ , vt ipse ibi docuerat proxime ante;nempe vt facit actu personam, per suam propriam & formalem existentiam , ratione distinctam ab existētia essentiæ diuinæ. Vt enim optime probat noster Suarez lib. 3. de Trin. cap. 5. Vnicuique personæ diuinæ debet concedi proprium esse relatiuum ratione distinctum ab ipso esse essentiæ.Vt ita sit esse essentiæ, & esse relationis,tanquam duo ratione distincta.

Suarez.

Ex his etiam consequens est , negandum esse argumento hanc diuinam Paternitatem , vt Patrem constituat , præsupponere Filiū iam genitum,respectu cuius sit pater. Quamuis enim in creaturis verum sit , vt aliquis sit pater præsupponi,genitum esse filium tanquam rationē fundandi,quam ipsa relatio consequatur;propterea quòd paternitas aduenit ex generatione filij,quę est ratio fundandi paternitatem.Id tamen nō debet concedi in diuinis personis.Paternitas namque diuina est prima personalitas,quæ tanquam naturæ proprietas nostro modo intelligendi immediatè manat ab essentia diuina , vt optimè probat idem Suarez lib.8.de Trinitate cap.1. Et ratio huius est , quia personalitas Patris nullam aliam personalitatem antecedentem potest præsupponere ; alioqui ipsa non esset prima : Ergo solum nostro modo intelligendi debet intelligi consequi ex natura siue essentia , hoc est ex ipsa diuinitate,ante duas reliquas,ac proinde nullam aliam habere fundandi rationem præter ipsam naturæ diuinæ fœcunditatem,è qua immediatè manare intelligitur, & cum qua tanquam prima diuina personalitas primam personā constituere. Itaque intelligitur quidem Pater æternus respectu Filij, quia est de essentiali cōceptu Patris referri ad Filium;non tamen quòd in aliquo priori supponatur genitus , sed qui vel abstrahat tunc ab esse , vel in alio signo posteriori generari à Patre intelligatur.

A.Doctor. Neque contra hanc doctrinam est , quod ait A.Doctor in eodem a.4.relationem Paternitatis *vt relatio est secundum intellectum præsupponere actum notionalem,quia relatio in quantum huiusmodi, fundatur super actum.* quasi significet esse posteriorē ipso actu notionali;nempę generatione filij,atque ita falsum dixerimus,paternitatem esse priorem ipsa filij productione. Hoc inquam non est contra ea,quæ hactenus à nobis constituta sunt.Hęc enim duo contraponit A. Doctor; nimirum Paternitatem *vt relatio est*, & paternitatem *vt diuinæ personæ constitutiuam* ; aitque hoc posteriori modo præintelligi actui & operationi diuinæ; priore autē modo intelligi posterius , quia fundatur super actum vt vidimus. Quamobrē sensus prædictorum verborum est ; Paternitatem qua contraponitur paternitati diuinæ,ac proinde qua est pura relatio in creaturis , fundari super actum,nempe super generationem. Paternitas enim hoc pacto existere seu manare intelligitur ex filij generatione. Et ideò secundum intellectum præsupponit actum notionalem;id est præsupponit filij generationem, quem actum in

A diuinis notionalem dicimus. At verò eadem Paternitas,qua diuina est,& diuinę personæ forma ac personalitas,necessariò præintelligi debet eidem actui,sicut persona agens præintelligitur actioni.Quare dicendum est,hunc locum potius nostræ doctrinæ fauere,quàm ei vlla ratione aduersari ; de qua re fusius diximus in materia de Trinitate.

Concludendum ergo ex his omnibus est,nec in Deo vllam esse reponendam potentiam vltra intellectum & voluntatem , vt ita verissima sit A.Doctoris conclusio & ratio , qua in hoc articulo stabiliuit optimè in iis substantiis intelligentibus, quæ materia & corpore carent , illas duas facultates agnosci oportere,nō plures. At-
B que hæc pro secunda eius secundi confirmatione dicta sint.Reliquum est vt ad postremā eiusdem secundi argumenti confirmationem nonnulla dicamus.Sit ergo

---

SEXTA DIFFICVLTAS,

In qua ad postremam eiusdem secundi argumenti confirmationem respondetur, disseriturque an in Angelo danda sit, facultas specierum intellectilium effectrix.

C

COlligitur penultimò ex illa ipsa eadē propositione eo pacto probata,falsum quoque esse quod in postrema eiusdē secundi argumenti confirmatione dicebatur in eadem prima parte rationis dubitandi initio præsentis difficultatis; nempe dandam esse in Angelo facultatem specierum intellectilium productiuam. Est autem falsum dupliciter.Primò namque etiamsi concedatur dari tales facultates in Angelis effectrices specierum , non propterea tamen dabimus huiusmodi facultates esse vltra intellectum & voluntatem in ipsis Angelis.Etenim si est facultas
D specierum effectrix , ea non potest esse nisi ipse Angelorum intellectus , quo tanquam instrumento Angeli suum intelligendi actum eliciūt. Debet enim facultas ita esse effectrix specierū, vt eæ veluti naturaliter ab illa manent,ac profluant. Nam cùm non debeant in Angelis species produci per interualla temporum , pérque sensus operationes, quemadmodum in hominis animo; sed omnes simul in eorum intellectu esse oporteat, vt suprà dicebamus,& patebit infrà q.55. a. 2. necesse est vt ab exordio ipsius substantię intelligentis simul omnes ab ipsa naturaliter emanent; quemadmodum de potentiis ipsi dicunt ob eandem causam.Alioqui producerentur ab alio. Ergo earum effectrix facultas debet
E esse intellectus. Ab ea enim facultate manare debent , in qua connaturaliter sunt tanquam in subiecto ; sicut eadem ratione dicunt potentias ab ipsa immateriali substantia profluere , in eáque tanquam in subiecto recipi. At certum est, species intellectiles esse in intellectu tanquam in subiecto,vt dicetur q.55.a.1.Ergo ab intellectu species illæ manare debent.

Confirmatur hæc ratio ex diuersitate modi intelligendi Angelorum,atque hominum, dum animus noster degit in corpore. Nam intellectus noster possibilis idcircò ab intellectu di-

stincto & agente recipit species; quia eæ debent produci aliæ & aliæ pro varia phantasmatum præsentia. Alioqui essent congenitæ in hominis intellectu, sicut in Angelis. Ergo quia in Angelis cessat hæc ratio, non debent species effici ab intellectu distincto; & idcircò in Angelis non conceditur agens intellectus, vt suprà diximus; Ergo eas manare oportet ab ipsorum intellectu in quo sunt, quoniam non est alius intellectus in quo gigni possint, & superuacaneè ac sine fundamento talis intellectus assereretur. Atque ita videntur sentire Capreolus in 2.d.3.q.2.a.3. ad 1 & 2. Scoti contra 3. concl. Caietanus 1.2.q. 50.a.6. Noster Valentia hic disput 4. q.6.p.2. & alij qui has species negant produci à Deo.

Capreolus. Caietanus. Valentia.

Deinde falsum est, quia species in intellectu Angeli non producuntur ab aliqua Angeli naturali facultate, sed a Deo immediatè; ergo non est propter hanc causam in natura Angeli ponenda alia facultas, vltra intellectum & voluntatem. Antecedens probatur apertè, Primùm ex A Doctore variis in locis. Nam q.8. de Veritate a. 9. c. ait, *species Angelorum a Deo procedere in Angelicas mentes*; & in hac p.p.q.55.a.2.c.ait, Angelos quia sunt substantiæ purè immateriales, *suam perfectionem intelligibilem consequi per intelligibilem effluxum, quo à Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura.* Vnde ad 1. ibidem ait, Angelos accipere huiusmodi similitudines non à creaturis sed a Deo, qui est creaturarum conditor. Idem patet infrà q.57. a.2. c. cùm ait, *Angelus per species à Deo inditas res cognoscere non solùm quantum ad naturam vniuersalem, sed etiam secundum earum singularitates.*

Denique clariùs q.56. hic a.2. ad 4. ait, *Si Deus statuisset facere plures Angelos, vel plures naturas rerum, plures species intelligibiles Angelicis mentibus impressisset; sicut si ædificator voluisset facere maiorem domum, fecisset maius fundamentum.* Et concludit sic. *Vnde eiusdem rationis est*, inquit, *quod Deus adderet aliquam creaturam vniuerso, & aliquam speciem intelligibilem Angelo.* Putat ergo A. Doctor species à Deo efficienter esse, sicut a Deo efficiẽter sunt creaturæ ipsæ in vniuerso.

Secundò probatur idem antecedens ratione manifesta. Quoniam si non producerentur immediatè a Deo, deberent fluere ab aliqua potentia per naturalem effectionem: Sed hoc est falsum: ergo producuntur immediatè à Deo. Maior conceditur ab aduersariis, & patet; quia debent omnes simul esse in intellectu Angeli ab initio creationis, vt diximus, & ostenditur q. 55. a.2. vbi id docet A. Doctor. Ergo ab aliqua præsenti & coniuncta, hoc est non distanti causa, quæ tunc in ipsum intellectum agere possit: neque enim distans aliqua causa in ipsum agere potest. Non est autem alia causa præsens & non distans, nisi Deus & ipsa natura intelligens; nisi fortè quis pro arbitrio fingat alias causas ibi præsentes specierum effectrices. Quod sanè improbandum esset hoc argumento: Quia si Deus creasset seorsim singulos Angelos, tunc quæro, vnde illis existerent species; & quænam illarum causa alia effectrix esset? Si ergo natura intelligens non esset specierum effectrix per naturalem effectionem, quia omnes simul innascuntur naturaliter: ergo essent à Deo immediatè: si quidem ab alia esse nullo pacto possent.

Quòd verò species ipsæ non sint à natura ipsa intelligente per naturalem effectionem, patet:

A Etenim quod manat effluítque ab aliqua causa per naturalem effectionem, debet naturaliter esse certum ac definitum in se, non autẽ incertum atque indefinitum. Natura enim cùm efficit aliquid, non tendit in effectum indeterminatum atque incertum. Et idcircò omnis naturalis effectus genere, specie, ac numero comprehendi definirique debet. Immò nec agens liberum quicquam producere potest, nisi priùs per intellectũ ad certum obiectum volendum se determinet; vt scilicet velit hoc vel illud in tanto, vel tanto certo numero & similia. At Angelorum species non sunt naturaliter certæ ac definitæ, cùm possint etiam naturaliter vel plures esse vel pau-

B ciores pro varietate connaturalium obiectorũ. Nullius namque Angeli natura poscit tot determinata rerum obiecta specifica & indiuidua, ex iis quæ Deus facere potest, etiam vt naturæ auctor cognoscere. Quoniam vt ostendam q. 55. vnusquisque Angelus in ea solùm potest cognitionem suam intendere, quæ Deus sua sapiẽtia iudicauit cõgruenter spectare posse ad naturam ipsorum, inter quæ ea sunt præcipuè quæ de facto sunt; vt apertè colligitur ex sententia A. Doctoris in ea responsione ad 4. iam citata. Siquidẽ ait, Deum vnamquamque creaturam, vniuerso quod facere decreuit congruam, proportionatamque procreasse, ideóque si Deus statuisset plures Angelos vel plures alias corporum na-

C turas cõdere, futurum fuisse vt Deus plures etiã species Angelicis mentibus impressisset. Ergo non sunt naturaliter in Angelico intellectu tot definitæ ac certæ rerum species.

Ex quo vlteriùs sequitur, quod modò dicebamus; nempe penes diuinum arbitrium esse, vt definiri numerus eorum debeat, quæ Angelorũ cognitioni subdi oporteat; nimirum vt plura vel pauciora de facto sint, quæ ab Angelis cognoscenda sunt. Nam si Deus de facto vel non creasset tot Angelorum aliarúmque rerum naturas, vel plures quàm de facto sint condidisset; plures etiam vel pauciores species, quàm nunc de facto habeant, Angelorum intellectibus in-

D generasset. Constat ergo species naturaliter non esse tot numero in Angelorum mentibus definitas, sed ad Deum spectare, vt sua sapientia consentaneè ad Angelorum naturas earum numerum, modúmque definiat.

Porrò hinc tria intelligi facilè possunt. Primum est, non rectè Caietanum vbi suprà asserere, species procedere à Deo, sicut motus grauiũ & leuium procedunt à generante. Id namque falsum est: quia generans non aliter producit motum, nisi producendo naturam & qualitates quibus motus elicitur: Qua eadem ratione qui applicat ignem ligno, dicitur cõburere lignum. At Deus non producit species in Angelorum intellectu, quasi principium crearit, quo ipsæ

Caietanus.

E species naturaliter efficiantur, cùm ostẽsum sit, eas à Deo immediatè procedere.

Alterum est, nõ sequi has species quas à Deo effici diximus, non esse Angelis connaturales. Certum namque est, ipsas species esse Angelis secundum naturam etiamsi efficiẽter sint à Deo: Conueniũt enim semper & inseparabiliter omnibus Angelis etiam malis post peccatum, quibus tamen ea quæ supernaturalia ipsis erant, ablata sunt. Qua ratione scimus, igni motum sursum, & cœlo motum in orbem esse secũdum naturam; quia scilicet videmus eos motus prædictas

dictas naturas perpetuò comitari, ac proinde rectè vnà cum Aristotele dicimus lib. 3. de cœlo cont. 24. *Illa est natura rerum, quam habent plures & pluri tempore.* At constat, vt docet Aristoteles lib. 2. Phys. cont. 5. quod est à natura & secūdum naturam esse naturale. Ergo sunt Angelo connaturales.

Tertium ac postremum est, cùm vt ait Aristoteles eodem libr. cont. 12. duplex sit natura, materia nimirum & forma; hoc est principium actiuum & passiuum, species has non esse Angelis naturales, eò quòd sint secūdum principium actiuum, vt ostensum est; ergo erunt naturales secundum principium passiuum, quia scilicet sit ob propensionem patibilem, nēpe intellectum, cuius formæ ac perfectiones à Deo cœlitus infundūtur, vt possit suas obire functiones. In quo sensu poni species in Angelo naturales rectè obseruat Ferrariensis vbi suprà. Sed de hac tota difficultate latiùs à nobis disserendum est q. 55. Quæ autem dicta sunt, sufficiant in præsenti. Superest vt eidem confirmationi quo ad aliam partem faciamus satis: Pro qua re sit

SEPTIMA DIFFICVLTAS,

In qua satisfit alteri eiusdem confirmationis parti, an scilicet in Angelo detur facultas producendæ suæ hypostaseos, respondeturque cæteris primæ difficultatis argumentis.

COlligitur vltimò ex eadē illa probata propositione, nec verum esse quod dicebatur in eadem postrema secundi argumenti confirmatione; nempe dandam esse in Angelis facultatem producendi suam hypostasim seu subsistentiam, qua facultate ipsa subsistentia de nouo produceretur, si à Deo subsistentia præexistens destrueretur. Hoc inquam verum nō est. Etenim natura nullam aut actionem aut potentiam intelligitur habere, antequam sit completa in suo esse substantiali per suam subsistentiam, tanquam per vltimam formam, & vltimum complementum. De actione quidem patet; quoniam vt antè dicebamus, persona debet præintelligi actioni. Actiones enim suppositorum seu personarum sunt. De potentia verò probabitur. Nam eiusdem est potentia, cuius est actus, vt docet Aristoteles lib. de Somno & Vigilia cap. 1. At actus est personæ & suppositi tāquam sui principij cui debetur. Ergo & potentia debet esse eiusdem suppositi tanquam principij cui debeatur. Ergo præintelligitur persona ipsi suæ potentiæ tanquam eius principium.

Ratione vtrumque patet. Etenim priùs debet intelligi substantia per se subsistens, quàm intelligatur potens agere. Hoc autem patet dupliciter. Primò namque substantia est prior natura omni suo accidente, vt docet Aristoteles libr. 7. Met. cont. 4. & sæpè alibi. Idcircò enim substātia dicitur, quia accidentibus substat tāquam subiectum illorum, vt patet ex Aristotele in prædicamento substantiæ. Quà etiam ratione A. Doct. (A. Doctor.) *substantia est* inquit in 1. d. 23. q. 1. a. 1. cor. *cuius actus est substare accidentibus.* Ergo priùs intelligi debet substantia, quàm eius accidēs, atque adeò in suo esse priùs constituta, quàm in ipsa intelligatur accidens: ergo & substantia per se existens per suam subsistentiā priùs intelligi debet quàm eius accidens. Si quidem *de ratione substantiæ,* nempe connaturali modo se habentis, inquit A. (A. Doctor.) Doctor in 2. d. 3. q. 1. a. 1. ad 1. *est quod subsistat quasi per se ens: & ideo forma & materia, quæ sunt partes compositi, cùm non subsistant, non sunt in prædicamento substantiæ sicut species, sed solùm sicut principia.* Si ergo præintelligitur substantia accidenti, debet præintelligi cū sua subsistentia, quæ est de ratione illius; sicut si præintelligatur homo risibilis, debet præintelligi cum suo ratiocinādi principio, quod est de hominis definitione. Secundò, quia substantia subsistens per se est primum principium operandi *vt quod*; potentia verò est principium proximum. Nam *ratio potentiæ in hoc consistit* inquit A. Doctor in 1. distinct. 45. quæst. 1. art. 3. ad 2. (A. Doctor.) *vt sit proximum principium operis, non primum,* &c.

Quam etiam ob causam Aristoteles lib. 2. de An. cont. 24. vt animā quæ est principium operandi, contraponeret eius potentiis quæ sunt principia proxima & secundaria ad eliciendam actionem, definiuit ipsam animam *principium, quo primò intelligimus, sentimus,* &c. Ergo substantia per se subsistens, est principium operandi primum *vt quod.* Si quidem formæ substantiales quæ in composito insunt, sunt principium primum *vt quo*, potentiæ verò sunt principium secundarium. Ergo substantia per se subsistens, ac proinde quatenus habet subsistentiam, debet præintelligi suis potentiis; cùm certum sit, principium primum præintelligi secundo in iis quæ inter se ordinem habent, seu vt aiunt subordinata sunt. Constat ergo nullam esse potentiam in Angelis vltra illas prædictas duas, intellectum scilicet & voluntatem: quod in hoc art. conficere contendit A. Doctor.

Ex his autem respondetur ad argumenta omnia quæ posita sunt in prima parte rationis dubitandi in hac difficultate. Ad primum enim respondimus in nostro primo Corollario. Ad secundum dictum est in secundo, vbi ostendimus nullam Angelo concedendam esse facultatem motricem ab intellectu ac volūtate distinctam. Ad confirmationem dictum est in nostro Tertio Corollario; nempe nec in Deo distingui ab eius diuinis intelligendi ac volendi potentiis omnipotentiam oportere, ob easdem ibi assignatas causas. Ad secundam confirmationem diximus in Tertio Corollario. Probatum enim est ipsas easdem potentias, quæ sunt intellectus & voluntas, quatenus sunt in persona aut æterni Patris, aut Patris & Filij, esse potentias productrices personarum, & principia generandi Verbū, & producendi Spiritum sanctum. Hoc est intellectum diuinū, qua est in Patre esse principium proximum generationis Verbi. Voluntatem verò qua est in Patre & Filio, esse vnum principiū spirandi Spiritum sanctum. Ad vltimam confirmationem fusè responsum est in postremo nostro Corollario; nec species nec subsistentiam Angelicam esse ab aliqua naturali Angelorum substantiæ facultate. Et productionem quidem specierum intellectilium diximus in Deum auctorem causámque referendam esse.

Ex quo etiam aio ipsam productionem subsistentiæ Angelicæ Deo attribuendam esse, ac multò magis: Tum quia nobilior est effectus subsi-

subsistentia, quàm species: Tum quia potior ratio dubitandi est, An species possint manare ab intellectu, quam vtrùm subsistentia à substantia per aliquam eius facultatem. Nam vt ostendimus, ante subsistentiam nulla potest in substantia intelligi facultas, quæ posterior, si connaturali modo sint, suis substantiis esse debet. Quæ quidem causa cessaret in specierum productione. Nam quantum attinet ad hoc, posset substantia intellectu prædita intelligi specierum effectrix, nisi aliunde obstaret ratio, quam in postremo Corollario stabiliuimus.

Ad illud verò quod in ea Confirmatione postrema additur de elementis, quòd ea se reducunt ad suum statum connaturalem per inditam facultatem, ac proinde multò magis dandum esse Angelis, vt in se ipsis propriam hypostasim ingenerare possint; Respondetur dupliciter. Primùm quidem, diuersam esse rationem de Angelorum subsistentia seu hypostasi, & de reductione elementorum ad suum statum. Nam elementa cùm se reducunt ad statum illum, sola accidentia in se gignunt; nempe præparationes & qualitates illas suæ substantiæ seruatrices; ad quas natura dedit talibus suppositis facultatem, vt vnumquodque ipsorum, si quando contrariorum actione de suo cõnaturali statu deiectum esset, ad ipsum se reuocare posset; ne scilicet natura deficeret in necessariis, sicut nec redundat in superuacaneis; vt patet ex Aristotele lib. 3. de Anima cont. 45. At non potuit dari Angelis, immò nec cuiuis substantiæ, si citra miracula loquẽdum sit, facultas hypostaseos producendæ, siquidem vt modò dicebamus, nec potentiæ nec actiones sunt, nisi singularium & suppositorũ, quæ actionibus præintelligi oportet. Quo pacto A. Doctor 3. p. q. 2. a. 11. quia omnes Christi actiones consequuntur suppositũ, vnionémque hypostaticam, negat potuisse Christi meritum esse ad vnionem hypostaticam. *Omnis* inquit *operatio illius hominis subsecuta est vnionem: Ergo nulla eius operatio potuit esse meritum vnionis.* quia scilicet quod est posterius alio, non potest esse meritum ad illud, vt nunc suppono.

A. Doctor.

Altera responsio est, quæ etiam magis priorem explicabit. Etenim negandum est dari potentiam naturalem ad reparãdas partes seu modos substantiales in eadem natura, si semel eas amiserimus. Si enim quis cæcus aut claudus euaserit, nulla est potentia naturalis, quæ talia organa reparare possit. Vnde Aristoteles in lib. Postpræd. c. 1. post medium, negat ea quæ secundum habitum & priuationem dicũtur, vt cæcus & videns posse dici tanquam contraria. Vnam inter cæteras rationem affert, quia inter contraria fieri solet mutuus transitus. *In contrariis quidem cum sit susceptibile, ad inuicem mutationem fieri possibile est, &c. etenim sanum possibile est languescere,* & contrà. At inter habitum & priuationẽ negat possibilem esse talem transmutationem, nempe à priuatione ad habitum. *Ex habitu enim* inquit *in priuationem mutatio fit, à priuatione verò in habitũ impossibile est: neq; enim cæcus factus aliquis rursus vidit; neque cùm fuerit edentulus, dentes ei iterũ orti sunt.* Idem dicendum est de modis substantialibus, eos reparari non posse. Si enim vnio aliqua substantialis sublata fuerit, per nullã potentiam naturalem similis redire potest; vt si amputetur digitus, quantumuis manui applicetur coniungatúrque, vnum cum manu non constituet vnquã;

Aristoteles.

A & sic dico de cæteris. Quamobrem idem multò magis dicendum esset de subsistentia, quæ est vltimus actus perfectioque substantiæ. Nunquam scilicet si (vndecunque id accideret) forte a natura diuelleretur subsistentia, fore vt ipsa per naturalem potentiam repararetur.

Rationem autem huius diuersitatis possumus assignare ex fine, quem Deus in rerum vniuersitate sibi prẽstituit: Nam elementis & mistis corporibus idcircò indita talis facultas se in suũ statum reducẽdi est, quia cùm ab exordio perfecta oriri non possent, siue ob contrariorum conflictum, vt elementa generantur, siue ob loci incapacitatem, & causarum imbecillitatem, vt in iis quæ ex semine & putri materia oriuntur, siue
B aliis de causis, decuit naturã, iis tales facultates indidisse, quibus se ad profectũ sibique connaturalem statum perducere aliquãdo possent, quia extrinsecus id haberi non poterat. At verò eis, quæ perfecta ab exortu esse solent, talis facultas danda non erat, eo quòd necessaria nullo pacto ad finem videbatur. Naturã enim nullus poterat in his finis constitui cùm nõ soleat natura respicere ea, quæ casu aliquo prætérque naturã contingũt. Vt enim docet Aristoteles 3. cœli cõt. 24. *Naturã quod fit, nihil fit vt contingit in casu.* Ergo ad ea quæ casu contingere poterant, media non adhibuit. Casu autem contingit, vt quis in cæcitatem incidat, vel ei digitus præcidatur, vel hy-
C postasi spolietur, & similia. Immò quòd quis denudetur sua hypostasi, nonnisi miraculo ac Dei arbitrio ascribendum est. Constat ergo non dari tales facultates ad hypostasim generandam.

Aristoteles.

Hinc etiam confirmari potest, quod modò de specieb⁹ in Angelico intellectu dicebatur; nempe in Angelo non dari facultatem gignẽdarum specierum, quam tamen in hominis animo esse concedendam statuimus. Cùm enim Angeli intellectus speciebus suis cõnaturalibus instruendus perfectè erat ab exordio creationis, non fuit necessaria facultas recuperandarum specierum, si quando casu aut miraculo eæ deperderentur; Secus in humano animo qui eas à natura non
D habet, sed decursu temporis iis absoluẽdus erat. Huic enim vt se ad perfectum statum reduceret, dandus erat intellectus agens, quo speciebus suis exornaretur, atque perficeretur, &c.

OCTAVA DIFFICVLTAS,

Vtrum reliquæ tres rationes in hoc art. ab A. Doctore allatæ, rectè ad rem propositam adducantur, an scilicet ex auctoritate Commentatoris, ex vniuersi or-
E *dine, ex vocabulis quibus Angeli à sancto Dionysio nuncupantur, rectè confirmetur in Angelis nullam aliam esse facultatem vltra intellectum & voluntatem.*

POtissimam huius articuli rationem; nempe eam qua ex eo quòd in Angelis nulla sint organa ad operandum, concludebatur, in iisdem nullam aliam esse facultatẽ præter intellectum ac volũtatem; superiore Difficultate pro viribus examinauimus, restat vt de reliquis argumentis huius

huius articuli nonnihil dicamus. Obseruauimus autem in præsentis articuli Explanatione, A. Doctorem præter illam potissimam rationem aliis tribus veluti confirmationibus vsum esse, vt eandem illam articuli conclusionem comprobaret. Primùm quidem auctoritate Commentatoris. Deinde verò ex vniuersi ordine & constitutione. Tandem ex vocabulis quibus Angeli à sancto Dionysio nuncupantur. Quærimus ergo in præsentia, Vtrùm hæ rationes rectè ad propositum adhibeantur, an secus. Quam controuersiam video à viris doctis contemptui habitam.

Ratio Difficultatis ex vna parte est. Nam primùm Commentatoris auctoritas dupliciter ad rem non videtur. Tum nimirum quia, vt ait A. Doctor opusc. 16. cap. 2. in fine. Auerroës *non tam fuit Peripateticus, quàm philosophia deprauator*: Ergo ab eius auctoritate non erat desumendum argumentum. Tum etiam quia Auerroës, nihil aliud eo loco quē hic citat A. Doctor, asserit nisi quòd substantiæ separatæ diuiduntur in intellectum & voluntatem; quod non significat eas solo intellectu ac volūtate pollere: Sicut etiam animus hominis diuiditur in intellectum & voluntatē, quia hæ sunt eius partes potestatiuæ; tamen aliis quoque ipsum facultatibus, in quas etiam diuidi posset, præditum scimus; cuiusmodi sunt potentia motrix, vis videndi, &c.

A. Doctor.

Secundò quod ait A. Doctor ex vniuersi ordine ac perfectione, nihil omninò videtur probare. Esto namque suprema creatura sit tota intellectiua, hinc tamen euidenter non potest deduci nullam aliam esse eius facultatem præter intellectum & voluntatem. Dicerent enim aduersarij in ipsa natura purè intelligente esse alias complures potentias, vt motrices, productrices multarum rerum, &c. Immò nec ipsum argumenti antecedens videtur verum; nempe supremam creaturam debere esse totam intellectualem: Esset namque vniuersum perfectum suo modo, etiamsi creatura purè intelligens non esset; sicut de facto est perfectum, etiamsi alia plura Angelorum genera, quæ esse possunt procreata à Deo non sint, vt diximus suprà quæstione quinquagesima a. 1.

Postrema quoque ratio ex nominibus per se friget. Nam etiam animus hominis sæpe vocatur mens & intellectus, cùm tamen nec sit pura intelligens natura, nec solùm habeat intelligendi volendique potentias. Immo A. Doctor infrà q. 79. a. 1. ad 1. expressè docet posse substantiam aliquam denominari talem vel talem à potissima eius facultate, vt animum hominis posse dici intellectum, eò quòd eius præstantissima facultas est intellectus.

Ex alia parte est sapientissimi A. Doctoris auctoritas, cui meritò in omni philosophandi genere tantam adhibemus fidem, vt de eo quod Aristoteles generatim dixit de sapientibus libr. 6. Ethic. cap. 11. verè affirmare possimus; eius nimirum *pronunciationibus & opinionibus absque demonstratione, non minus quàm demonstrationibus attendendum esse.* Præsertim cùm hæc omnia ex aliis sapientibus confirmauerit.

Ad solutionem Notandum est, Aliud esse quærere, Vtrùm hæ rationes per se singillatim efficaciter propositam rem probent; Aliud verò, Vtrùm confirmēt quod alio validiore argumento ostensum sit. Possunt enim quædam argu-

A menta ad cōfirmandum, aliquid ita vel ita esse, rectè afferri; quæ tamen simpliciter rem ita esse non ostendant. Exempli gratia posito quod demonstratum sit cœlum esse incorruptibile, quia caret contrariis, vt præstitit Aristoteles libro 1. cœli contextu vigesimo, rectissimè confirmauit Aristoteles contex. vigesimosecundo ipsum esse immortale, eò quòd Dei locus est ac domicilium; *tanquam videlicet* inquit *immortali immortale coaptatum sit.* Quæ quidem ratio licèt non simpliciter ostendat, cœlū esse immortale: dici enim contrà posset, Deum aut non indigere domicilio, aut posse alterum sibi fabricare præstantius. Tamen rectè vt diximus, confirmat quod ostenderat, cœlum esse interitus expers, propterea B quòd cū huiusmodi effata sint ex se probabilia, faciunt ad veritatem, dum ex animis dubitandi causas excutiunt; vt etiam postea dicetur. Ad difficultatem ergo respondetur, & sit

Aristoteles.

Vnica propositio; Hæ rationes non afferuntur ab A. Doctore tanquam per se argumenta, quibus putet efficaciter ostendi præsentis articuli conclusionem; sed tanquam probabilia argumēta, quæ alio argumento conclusionem validè probatam, confirment optimè. Prior propositionis pars probatur apertè; quia certum est A. Doctori nihilò plus absolutè valere auctoritatem Auerrois, quàm cuiusuis alterius parum probè C philosophantis; siquidem cùm eum philosophiæ destructorem vocarit, eius auctoritatem absolutè non potest magnifacere. Ergo non putat absolutè eius dictis standum esse, ac proinde nec eius testimonio validè conclusionem probari posse. Similiter patet de altera ratione. Nam suprà quæst. 50. a. 1. Quæsit. 3. Difficult. 3. in secunda propositione ostendimus, A. Doctorem nunquam putasse, ex ordine ac perfectione vniuersi absolutè posse demonstrari, Angelos aut vllas creaturas purè intellectuales dari in rerum natura: Ergo nec ex eadem vniuersi perfectione arbitrari potest, Angelos oportere puros esse intellectus, & nullam aliam habere D effectricem facultatem. Si etenim ostendi non potest veritas antecedentis, nec eius quod consequens ex eo est, firmiter probari potest; cùm consecutionis firmæ ac stabilis principia incerta esse non debeant. Scitum namque est illud celebre inter Logicos axioma. *Propterquod vnumquodque tale, & illud magis.* De qua re Aristoteles libr. 1. Poster. à cont. 15. Postremò idem ac validiùs de tertia ratione patet: cùm ex sententia A. Doctoris etiam hominis animus, qui non est totus intelligens, vt in hoc art. docet, intellectus rectè nuncupetur à philosophis vt diximus ex eodem A. Doctore infrà q. 79. a. 1. ad 1. & q. 10. de verit. a. 1. ad 1. & alibi. Constat ergo, his rationibus abE solutè non probari efficaciter præsentis articuli conclusionem.

Posterior Propositionis nostræ pars manifesta est primò generatim. Certum enim est, post allatas efficaces rationes probabilia vtiliter afferri eò quòd plurimum conducunt ad assensum confirmandum in cognitione habitæ veritatis. Idcircò enim vt diximus suprà q. 50. a. 1. Quæsi. 2. initio ex Aristot. lib. 10. Ethic. c. 8. cum *sapientum opiniones cum rationibus consentiunt*, longè maiorem fidē facit ipsa doctrina. Ergo & aliæ rationes probabiles ad veritatē conducunt, quia etiā aliquid firmitatis ingenerant. Quam etiā ob causam Aristoteles li. 1. Top. c. 2. docuit dialecticas rationes,

Aristoteles.

quas

quas dixerat constare ex probabilibus cap. 1. ibidem esse vtiles ad scientias, non solùm ad exercitationem. Vult enim rectè confirmare prima scientiarũ principia, quæ demonstratione ostendi non possunt, quia prima sunt: *Nam ex propriis* inquit ibi Aristoteles *secundum propositam disciplinam principiis, impossibile est aliquid dicere de ipsis, eò quòd prima principia sunt omnium: per ea verò quæ sunt circa singula probabilia, necesse est de illis transigere. Id autem proprium & maximè peculiare dialecticæ est.* Rationem huius doctrinæ reddit optimam. *Nam cùm sit inquisitiua* inquit nempe dialectica *ad omnia methodorum principia viam habet.* Idque non rarò præstitum esse ab Aristotele patet, tum ex iis quæ modò diximus; cùm scilicet demonstrata cœli natura, postea adhibuit sapientum sententias; tum etiam ex eodem libro 1. de cœlo cont. 85. vbi postquam ostendit cœlum seu Mũdum esse vnum, id confirmat, quia nullus eam rationem adhuc diluerat. *Et ille locus* inquit ibi Auerroës *est probabilis, verificare rē, cùm non inueniatur ei contradicens.* Vnde subdit, consuetum esse Aristoteli ante vel post demonstrationes adducere rationes probabiles. *Aristoteles enim* inquit Auerroës *vtitur eis duobus modis. Aliquando præinducens eas ante demonstrationem, & ad exercitādum, & ad dubitandū; & aliquando post; vt faciat conuenire*; hoc est vt confirmet assensum apud eos, qui reluctari contra vellēt, ne vllo pacto contradicant aut sentiant.

Aristoteles.

Auerroes.

Hoc autēmeritò præstantes philosophi plerũque conantur efficere. Etenim rationes probabiles in primis eæ, quæ ex sapientum auctoritate, aut ex probabili rerum ordine deducũtur, multas amouere possunt ex hominũ mentibus dubitationes, quibus assensus ille demōstrationis firmus etsi non omninò tollitur, tamen nōnihil inciperet fluctuare, dũ intellectus ambigeret quid ea in re sapientum iudicio visum sit; quidve in cæteris rebus ac similibus accidat: An deniq; lateat in demōstrationis verbis aliquid quod solui possit atque ignoretur. Suppono autem nũc sermonē esse de illo demonstrationũ genere, quod ex ipsis propositionum terminis nō ita veritatē aperit, vt de ea nullo pacto cadere in mentē vlla dubitatio queat. quod quidem demōstrationis genus adeò rarum esse solet, vt quodāmodo testudinem volucrem, coruúmque albũ inuenire priùs possis. Tũc ergo cùm probabilibus vtimur rationibus, plurimæ eiusmodi dubitationes eripiuntur è mentibus, si videamus vel sapientum iudicio, vel ex aliis similib⁹ explicari, roborarique posse quod demōstratione probatum sit. Et ideò firmitas illa assensus in demonstratione eò magis cōsistet, quo minus causæ dubitādi in animo existunt. Sanè hac de causa plurimum ad hominum ancipites cogitationes firmādas Rhetoricam vtilē esse, videri potest apud Aristotelem li. 1. Rhet. capite cui titulus est, *Rhetoricā vtilē esse.*

Secundò & speciatim probatur eadē posterior propositionis pars: Primò, quia rectè A. Doctor ex Auerroë suā conclusionem confirmauit. Cùm enim illum arbitratus sit philosophiā peruertisse, in hoc eum rectè sentire ostēdere voluit; quasi eius rei veritas adeò manifesta sit, vt vel assensum à peruersis, iisq; pessimè in philosophia sentiētibus extorqueat; ac si dixerit; Tāta est veritatis vis, vt etiam apud improbè philosophantes se ipsam plerũque defendat. Aliam enim nullā video causam, cur Auerrois potiùs quàm cæterorum sententiam exquisierit hoc loco A. Doctor. Nā quod dicere possit aliquis, Auerroem ab A. Doctore citari, vt ita ex ipso tanquā ex optimo Commentatore in Aristotelęæ mētis atque sententiæ veritatem veniamus; facilè reiicitur, ex eo quod antè dicebamus; Auerroēm scil. A. Doctori nec bonum fuisse Aristotelis interpretē, vt patet infra q. 76. a. 1. & q. de spiritual. Creatu. a. 9. & 10. & opusc. 16. per totum, & sæpè alibi; nec bonum philosophum; vt patet ex iisdem locis; vnde & philosophię destructor appellat⁹ est, vt vidimus.

A

Deinde verò, quòd ex ordine vniuersi rectè eandem conclusionem stabiliat A. Doctor, patet ex iis quæ dicta à nobis sunt suprà q. 50. a. 1. quęst. 3. Diffic. 3. vbi ostēdimus huiusmodi argumentis rectè probari, has naturas purè intelligentes congruenter esse ad rerum vniuersitatem, vt hęc iis nobilissimis naturis à Deo exornata ab ipso Mundi exordio fuerit. Vnde sequi necesse est, vt eiusdem vniuersitatis absolutioni congruat esse naturas adeo purè intelligentes, vt nulla alia facultate polleant præter intellectum & volũtatem. Sic enim meliùs eidem vniuerso erit consultum, quia hoc pacto vniuersitatis perfectio, quæ cōsistit in assimilatione effectus ad causam, omnibus suis numeris absoluta erit. Quandoquidem in ea illæ continentur creaturæ quæ solùm agunt per intellectum & voluntatem, quēadmodum earum causa quæ est Deus. Quo eodē argumento ostenderat A. Doctor in eo art. 1. q. 50. concedendas esse substantias purè intellectuales vt ibi explicatum est.

B

C

Tādem quod rectè auctoritate Dionysij supremi Theologi suam A. Doctor conclusionem cōfirmarit, res manifestior est, quàm vt probatione indigeat. Eius enim tanta est in Angelorũ doctrina tradenda auctoritas, vt post sacras literas nullius meliùs quàm Dionysij testimonio quæ de Angelis à Theologis edocentur, confirmari queant: de qua re nos suprà fusiùs egimus. Quòd autem Dionysius Angelos appellet mētes atque intellectus, eò quòd significare velit esse puros intellectus non mistos ex aliis potētiis, vt noster animus, patet ex c. 7. & 9. de diu nom. & cap. 12. cœl. Hierar. & multa huc spectantia nos expendimus suprà q. 50. a. 1. & q. 51. a. 1. & sæpè alibi. Cōstat ergo quem in finem hæ tres A. Doctoris rationes adductæ sint; & quo pacto huius articuli conclusio illis ipsis cōsolidescat magis.

D

Ex hac propositione ita probata Colligitur primò, Cùm Caietanus in hunc articulum §. *An hoc breuiter* rectè ex sententia A. Doctoris dixisset, in Angelis non reperiri alias potentias, quæ intellectus aut voluntas non sint; non tamen rectè addidisse aliā doctrinam tanquam vt ipse ait *in torē*; nempe non excludi potentiam motiuā, quia ipsa semper intellectũ ac voluntatē comitatur, ab iisque inseparabilis est. Hoc autem non rectè dictū esse aio, propterea quòd manifestè aduersatur doctrinæ ab A. Doctore traditæ in hoc art. Contendit enim ipse, nullam prorsus aliā debere asseri in Angelis potentiā vltra intellectum & voluntatem. Sic enim ex eo quòd Angeli carent organis corporeis, infertur ab A. Doctore: *Vnde de virtutibus animæ non possunt eis cōpetere nisi intellectus & voluntas.* Quocirca huius negātis propositionis sensus distributim accipiēdus est, vt nec visio, nec auditio, nec potētia motrix, aut vlla sit alia præter intellectum & volũtatē; Sicut si diceretur; nullus de Angelis est princeps cæterorum Angelo

Caietanus.

E

A. Doctor.

Angelorum niſi Michaël. Senſus namque eſſet, neque Raphaëlem, neque Gabrielem, neq; vllum ex aliis ſe cæteris prælatum, vno excepto Michaële: cùm præſertim vt eſt apud Iuriſperitos exceptio, nempe particula illa *niſi* firmet regulam; vt ſcilicet propoſitio generatim accipiatur, vno tantùm illo excepto, quod per illā particulam excluditur. Sanè clariùs ſi hunc noſtrū ſenſum declarare voluiſſet A.Doctor, non potuiſſet aliis verbis exprimere: ergo non eſt concedenda vltra illas duas in Angelis facultas motrix.

Caietanus. Neque valet quod ait Caietanus, ex eo ſcilicet quòd huiuſmodi potentia motrix inſeparabiliter comitatur intelligendi facultatem, non excludi ab A.Doctore. Etenim A.Doctor excludere cæteras omnes voluit quæ intellectus & voluntas non ſunt, quas ideò excepit, vt generatim cæteras negaret omnes, vt dictum eſt. Alioqui ſatis illi fuiſſet docere, nullam facultatem in Angelis eſſe præter intellectum, vt ita breuitatis cauſa voluntatem etiam reticuiſſet, quæ perpetua intellectus comes eſt. Aut certè longè & clariùs & breuiùs dixiſſet, ſi docuiſſet nullā aliam eſſe præter intellectum, & eas quæ intellectum conſequūtur. Ergo cùm exceperit quoque volūtatem, ſignum eſt eximere quoque voluiſſe quæ intellectum comitantur vltra ipſam volūtatem. Adde etiam nullā eſſe rationem cur A. Doctor non excluſerit etiam potentiam motricem ab Angelis, cùm vt ſuperiore difficultate oſtēſum eſt, ceſſet omnis in Angelis ratio, ob quam hominis animo huiuſmodi potentiam dari neceſſe eſt. Quin etiam oſtendimus ibidem ſequi, ex eo quòd Angeli carēt corpore, eos non habere vim motricem, ſed ſolum intellectum & volūtatem, ad quod reſpexit ratio A.Doctoris. Præterquam quòd A.Doctor aliis locis vt vidimus, obſeruauimúſque in explanatione huius articuli, ſemper ab Angelis remouendas omnes alias ab intellectu ac voluntate potentias eſſe cenſuit, quæcunque illæ ſint.

Caietanus. A.Doct. Colligitur ſecundò, nec rectè à Caietano hìc confirmari illam A. Doctoris rationem ex Vniuerſi ordine petitā, vt ſit efficax, ex eo quòd cùm *infima vniuerſi pars ſit tota ſenſibilis, & media partim de genere ſenſitiuo, & partim de genere intellectiuo*, inferri debeat, *vt ſuprema ſit intellectiua totaliter*. Non rectè inquam. Nam in prædicta ratione fundāda non eò tendit A.Doctoris cōſilium, vt ex infimis ac mediis partibus ſupremę naturæ attributa demonſtret. Putauit enim ipſe, vt expreſsè docuit q.50. ſuprà a.1. & nos ibi obſeruauimus, ordinem perfectionémque Vniuerſi in eo ſitam eſſe, vt detur creatura quæ perfectè aſſimiletur ſuæ cauſæ; nempe Deo, *ſecundum illud per quod cauſa producit effectum*; nempe vt ſit creatura ſimilis ſuæ cauſæ; nempe Deo, in eo per quod Deus agit; ſcilicet ſecundum intellectum, & voluntatem, vt ipſe diſertè ibi docet: ergo ex ordine Vniuerſi contendit A.Doctor dari creaturas, quarum nulla alia ſit vis effectrix, quàm intellectus & voluntas, ſicut ipſe de Deo affirmat. Non ergo ab infimis ac mediis creaturis argumentum deſumpſit. In quo etiam refelli poteſt quod modò dicebamus ex Caietano; poſſe nimirum in Angelis dari potentiam motricem, diſtinctam ab intellectu & volūtate. Refellitur autem ob id potiſſimùm, quod A. Doctor ideò creaturas incorporeas dari in vniuerſo docet, vt ſint creaturę quarum principia in agendo ſint qualia ſunt in Deo dum creaturas producit. Ait autem *Deum creaturas producere per intellectum ac voluntatem*: ergo has facultates in Angelis fatetur non potentiam motricem. Qualem etiam nec alibi in Deo admittit abſolutè A. Doctor, ſi ea quæ ipſe tanquam probabiliora exiſtimauit, rectè conſiderentur; vt ſuperiore Difficultate in tertio Corollario obſeruatum à nobis eſt.

His etiam poſſumus addere eas Caietani, ſimileſque naturarum ac ſpecierum cōiugationes plerunque fallaces eſſe, facilique negotio earum falſitatem oſtendi poſſe: Tum quia eodem pacto probaretur in Vniuerſo dari naturā compoſitam ex materia & forma ſpiritali; quod tamen reprobatū à nobis eſt ſuprà q.50. a.2. Quæſit.2. Diff.2. Tum quia ad ſummū huiuſmodi ratio probaret, ad ordinem Vniuerſi dari creaturas purè intellectuales; Quòd autem omnes Angeli ſint huiuſmodi vniuersè, non probaretur vllo pacto; cùm tamen A.Doctor generatim velit oſtendere, nullam in Angelis reperiri facultatem vltra intellectum & voluntatem. Ergo ratio A. Doctoris non fundatur in huiuſmodi coniugationibus ſpecierum ac naturarum: In noſtra autem quam hactenus explicauimus doctrina, rectè generatim ex ordine Vniuerſi cōfirmatur, Angelis ineſſe ſolum intellectum & voluntatem. Quòd enim Angeli incorporei omnes ſint, ſupponit A.Doctor hic ex d.q.51. a.1. Colligit autem ex hoc in præſenti articulo omnes eſſe purè intellectuales, & ſolo intellectu & voluntate præditos. Quod rectè confirmat vt diximus ex ordine ac perfectione Vniuerſi, in qua debeat eſſe creatura quam dixerat incorpoream, quæ in agendo per ſolum intellectum ac voluntatem ſuæ cauſæ, nempe Deo quam maximè aſſimilaretur.

Ex his reſponderi poteſt ad argumēta in priore dubitandi parte. Ad primum enim diximus, Commentatoris teſtimonium maximè facere ad confirmationem præſentis difficultatis. Vnde ad primam improbationem diximus hoc ipſo quod Auerroës Philoſophiæ deſtructor exiſtimatur, oſtendere magnam in hac re vim eſſe veritatis, quæ vel ab hoſte verum teſtimoniū extorquet. Auerroës.

Ad alteram improbationem dico, in ea re adeò apertè locutum eſſe Auerroëm pro ſentētia huius articuli, vt nobis non relinquat dubitandi locum. Nam libro 12. Metaph. com. 36. diſcrimen aſſignat inter principia mouētia quæ ſunt in nobis, & ea quæ ſunt in motoribus cœleſtium corporum. Arbitratur enim quę ſunt in nobis, diſtincta eſſe ab intellectu & voluntate; quæ verò in cœleſtibus non item. Et ideò cōcludit his verbis. *Et ex hoc quidem apparet bene hæc corpora cœleſtia eſſe animata*; eo nimirum modo, quo diximus ſuprà q.51. a.1. *& quod non habent de virtutibus animæ, niſi intellectum, & virtutem deſideratiuam quæ mouet in loco*. Quibus patet, Auerroëm iiſdē ferè verbis quibus A. Doctor, ſuam in hoc art. ſententiam expreſſiſſe, quantum attinet ad facultates Angelorum. Sic enim habet A.Doctor, vt vidimus: *Vnde de viribus animæ non poſſunt eis competere niſi intellectus & voluntas*. Fateor tamen me non reperire locum Auerrois, vbi doceat, *ſubſtantias ſeparatas diuidi in intellectum & voluntatem*; vt illum citat hoc loco A. Doctor ex lib.12. Metaph. Si tamen id reperiatur apud Auerroëm, falſum eſt quod in ea improbatione dicitur, etiam animum noſtrū diuidi in intellectum & voluntatem abſolutè & ſimpliciter. Abſolutè namque diuidi deberet in intellectū, ſenſum, vegetantéſque potentias. Hęc

namque sunt potissima atque immediata mẽbra, in quæ partiendus esset animus, si commoda diuisio fieret. Vnde ob hanc malè diuideretur hominis corpus absolutè in manus & pedes tãtùm, cùm diuidi deberet in omnes suas partes.

Ad secundum argumentum respondeo, maximè confirmari conclusionem ex Vniuersi perfectione, vt diximus in secũdo Corollario. Vnde si cõstituatur semel aliquam creaturam esse totam intellectualem, dico euidenter deduci, nullam in ea aliam esse facultatem præter illas duas, vt super. difficult. ostensum est.

Quod verò attinet ad illud antecedens; nempe supremam creaturam totam intellectualẽ esse oportere, satis dictum est suprà q. a. 1. Quæsi. 3. Difficult. 3. explicatum enim ibi est tales creaturas dari, congruenter esse ad perfectionem Vniuersi, licèt ad eam non simpliciter requirantur.

A. Doct. Nec sanè aliud hic A. Doctori consilium fuit, nisi quod *ordini vniuersi conuenit, vt suprema creatura sit totaliter intellectiua*. Ex hac enim conuenienti perfectione confirmauit optimè, eidem vniuerso congruere esse creaturas, quibus solus intellectus insit ac volunas de facultatibus animæ. Hoc namque pacto vniuersitatis perfectio maximè accedit ad diuinam perfectionem, in quo accessu diximus eiusdem vniuersitatis absolutionem positam esse. Si quidem vt ait Aristoteles lib. 2. de cœlo cont. 66. *Illud est perfectius, quod est optimo propinquius*.

Ad vltimum argumentum dico, verum quidem esse animum hominis appellari plerumque intellectum; sed vt ait A. Doctor infra q. 79. a. 1. ad 1. ea determinatio fit *à principaliori eius virtute*. Nam is interdum aliis quoque nominibus vocatur, quæ alias eius potentias indicant, vt animus rationalis, actus corporis, &c. Angeli verò nominãtur intellectus ita vt aliis nominibus alias potentias indicantibus careant, vt patet ex d. q. 50. a. 1. & q. 51. a. 1. & ex iis quæ docet A. Doctor in hac ipsa q. a. 3. ad 1. In qua etiam re obseruari oportet, licèt interdum Angelis attribuantur aut memoria aut phantasia aut similes potentiæ; vt à S. Augustino lib. 8. de ciu. cap. 6. & à S. Isidoro lib. 1. de sum. 60 cap. 22. & à S. Dionys. cap. 4. de diu. nom. Tamen eas esse vel metaphoricas locutiones; vt cùm Dionysius ibi docet in Dæmonibus esse phantasias proteruas, & Isidorus, Angelos multa didicisse per experientiam; vel locutos esse opinione eorum qui corpora tribuebant An-

A gelis, quorum opinione Augustinus sæpè de Angelis disceptauit.

Quæ omnia cùm benè explicet hic A. Doctor in responsione ad argumenta; ab eorum fusiore explicatione supersedendum duxi, cùm præsertim hæc & alia complura similia loca Patrum interpretati simus suprà q. 50. a. 1. Quæsi. 3. Diffic. 1. & q. 51. a. 1. Quæsi. 2. Diff. 1. cùm ostẽdimus omnium Patrum non errantiũ sententia, Angelos esse purè intellectuales, nullóque modo corporatos, aut corporibus naturaliter coniunctos.

Atque ita hactenus in hoc primo Angelicarũ commentationum mearum tomo peroratum sit.
B Vos ô mentes omni ornamentorum genere præstantissimæ, qualecunque hoc tandem sit opus, quod in vestram gloriam operosè digessi, vestróque nomini consecratum nunc primùm sub vestris oculis, sub aspectu sapientum, gentiúmque subiicitur, ea quæ tantos cœli præsides decet, benignitate suscipite. Vestrum summo planè iure est, quantũ quantum in eo boni est; siue materiæ dignitas, quæ vestra decora cõtinet; siue auctoris conatus, qui se suásque res literarias vestrę pridẽ amplitudini deuouerat; siue eiusdem industria, qua nisi vos duces, & veluti cœleste quoddam
C sidus eius intelligẽtiæ lumina prætulissetis, nunquam ex tam variis támque tenebricosis rerum ac sententiarum senticetis pedem efferre, atque ad veritatis penetrale peruenire potuisset; siue denique scriptionis genus ac methodus, quę non minus auxiliis, quàm auspiciis vestris instituta sunt atque perfecta, spectentur.

Quæ quidem omnia faciunt vt confidam; non modò hanc meam mei addictissimi vobis animi (licèt summis vestris in me meritis longè imparem) significationem, publicúmq; vestræ eximiæ dignitatis & virtutis testimonium, vobis non ingratum futurum: verùm etiam ex vestro patroci-
D nio, opus hoc ea apud æquos iudices comprobatione excipiendum, qua maiorem ipse sperare non debeam. Verùm vt vt de opere hoc alij sentiant; illud vos oro suppliciter demissèque postremum, vt mihi cum æternæ salutis spem, tum cætera gratiæ diuinæ dona; præsertim cùm è vita migrandum erit, perpetuis vestris precationibus, atque præsidiis aduersus humani generis hostes, confirmetis augeatísque apud Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum; qui tres vnus Deus sunt. Cui sit laus, honor, virtus, gloria in omnem æternitatem. Amen.

Laus Deo, beatæq; Virgini Mariæ, præstantissimis spiritibus, sancto Stephano protomartyri, atque omnibus Sanctis, Amen.



Si quid ignaro elapsum est, quod Sacrosanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ non probetur, id ego pariter improbo ac dictum nolo, cùm vniuersa quæ vnquam dixi, aut dicturus sum, eiusdem Ecclesiæ iudicio, volens libénsque subiiciam.

INDEX



INDEX PRÆCIPVARVM RERVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR, LOCVPLETISSIMVS.

Numerus 2. literæ postpositus secundam paginæ columnam denotat.

quid

Ange

Anima.

Annihila

cur

Calor.

Caro.

Carcer.

Castitas.

Causa.

Corpora

per

plures

Fortuna.

Fortunatus.

Fraudes.

Fructus.

Frustra.

G

S. Gabriel.

Garritus.

Gallus.

Generabile. Generatio.

Genius.

Gentiles.

Genus.

quod

inter

Necessarium. Necessitas.

nulla

Substantiæ

FINIS.

